SVMMÆ THEOLOGIAE SPECVLATIVÆ, ET MORALIS, ATQVE COMMENTARIA SCHOLASTICA,

IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM DOCT. SVBT.
Ioannis Duns Scoti Theologorum facilè principis.

PARS PRIMA.

IN QVA DE SACRAMENTIS IN GENERE,
DE SACRAMENTO BAPTISMI, CONFIRMATIONIS, ET EVCHARISTIAE,

à Prima vſque ad Tertiamdecimam Diſtinctionem incluſiue diſſeritur.

CVM EXPLICATIONE COMPENDIOSA TEXTVS MAGISTRI SENT.

Et inter diſſerendum nedum Scoti ſententia explicatur, & contra Thomiſtas, & ceteros contradictores pro viribus defenditur, verum etiam multorum Theologorum tam priſci, quam noſtri æui opiniones recenſentur, & explicantur.

AVTHORE ADM. REV. P. FRATRE FRANCISCO DE PITIGIANIS ARRETINO
Ordin. Minor. de Obſeru. Prouinciæ Hetruriæ Alumno, olim Sereniſs. FERDINANDI Mantuæ, & Montisferrati Ducis, Theologo.

OPVS NEDVM THEOLOGIS SCHOLASTICIS, ET CONCIONATORIBVS, ſed etiam Sacræ Scripturæ Studioſis, & Confeſſarijs valde vtile, & neceſſarium.

Cum triplici Indice, quorum primo Diſtinctiones, Quæſtiones, Articuli, atq. Dubia examinata, & reſoluta continentur. Secundo Res notatu, ac memoria dignæ comprehenduntur. Tertio denique omnium Auctorum in toto Volumine citatorum nomina enumerantur.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.







VENETIIS, MDCXVIII.
Apud Ioannem Guerilium.

Digitized by Google



SERENISSIMO D.
D. FRANCISCO MARIÆ FELTRIO
DE RVERE, NOMINIS SECVNDO,
ORDINIS AVTEM VRBINI DVCI SEXTO.

FR. HILARION SACCHETTIVS DE FLORENTIA, Prouinciæ Thuſciæ, Obſeru. Alumnus, Prædicator Sacræq; Theologiæ profeſſor P. P. F.



EA eſt Tuæ Celſitudinis dignitas, Tuæque dignitatis excellentia, vt quę alibi lento pede procedunt, ibi leui curſu concurrunt; & quod ad virtutem imprimis attinet (ommiſſis quæ de poteſtate, atque dominio dici quam latiſſimè poſſent, & deberent) tanta ipſius ſplendoris, & radiorum multiplicitas exiſtit, quod Orbis, ad inſtar Solis, eam in illis intuendo, omnes venerantur, venerando collaudant, & collaudando nituntur imitari. Exemplum quidem compertum eſt, & expreſſum, hocque intuentibus veritatem adeo facilem demonſtrat, vt nec mirum ſit, ſi ad illud ſapientiſſimi omnes huius ætatis viri celebri æmulatione confugiunt; ſi quę ſcripta hominum celebriorum, tamquam ad ſuum Lectorem & Protectorem properant, & accedunt. Hinc Męcenas huius ſęculi, inde antiquorum temporum ſpeculum; hinc Doctor egregius, inde eximius Doctorum Pater; hinc Dux, inde Lux iure merito ab omnibus plenis (vt aiunt) buccis nuncuparis. Quibus, & alijs innumerabilibus pręrogatiuis in tanto Principe exiſtentibus, quæ cum notiſſimę ſint, ſilentio melius, ac tutius, quam celeri exprimuntur oratione. Ego qui à Sereniſs. D. D. FERDINANDO GONZAGA Mantuæ, & Montisferrati Duce optimo, Serenitatique Veſtræ ſingulari neceſſitudine, & dilectione additiſſimo, meique, & operis Patrono ſingulariſſimo; ab Illuſtriſſimo quoque Domino FABRITIO Cardinali Verallo, Religionis noſtræ Protectori vigilantiſſimo, ad imprimenda Opera Adm. Reu. P. F. Franciſci de Pittigianis Arretini, præfatæ Serenitatis olim Theologi, eiuſdemq́; noſtri Inſtituti, viri vndequaque doctiſſimi, ſpecialiter deputatus, quique Serenitati Tuę deuotione animi, & voluntaria propenſione iamdudum deditiſſimus exiſto; Tibi tamquam Domino ſingulari huiuſcemodi muneris, optime merito, in Quartũ Sententiarum Librũ Scoti Partem Primam Summę Speculatiuę, & Moralis pręlibati Auctoris, dico, dedico, atque conſecro: hoc vnum ſolum exoptans, petens, & exquirens, vt libenter oblatum qualecumque ſit munus excipias; receptumque à detractorum calumnijs, atque morſibus defendas, necnon ad ęternitatem cum tuo nomine protendas; & me in numero minimorum famulorum tuorum benigne aſcribas. Vale.

Datum Venetijs, die 26. Menſis Februarij, Anno 1618.



F. HILARION DE SACCHETTIS,

Benigno Lectori Salutem.





VM elapso anno (candide Lector) Serenissimus FERDINANDVS GONZAGA *Mantuæ & Montisferrati Dux optimus, idemq. vndequaque doctissimus mihi demandasset, vt scripta omnia Admod. R. P. F. Francisci de Pittigianis Arretini, Ordinis mei, Prouinciæq; viri praclarissimi eiusdemq; Celsitudinis Theologi gratissimi, vita (heu) prematurè functi, ad communem omnium vtilitatem typis demandarem; idemq; Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. D.* FABRITIVS *Cardinalis Verallus Ordinis Protector vigilantissimus, quam strictissimè præcepisset; vtriusq; potestatis iussionibus parere diligentissime curaui, vt omnia quoad potui purgata, & correcta in lucem prodirent, quemadmodum, & Dei gratia factum, & peractum vidisti. At, ne aut scripta tanti Patris alia non superesse putes, aut me fessum ac defatigatum in tanto munere obeundo vnquam pensites; ecce adest viua, hilarique fronte parata eiusdem Auctoris Prima Pars Summæ Theologiæ Speculatiuæ, ac Moralis, necnon Commentaria Scholastica, super Quartum Scoti Sententiarum Librum in sinu continens, optimè discussa, atque exposita, omnia ea, quæ de Sacramentis in genere, & quæ de tribus præcipuis Sacramentis, videlicet, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia desiderari possunt. Quam quidem, si sereno (vt aiunt) vultu, benignisque amplexibus excipies, statim & alia eiusdem partis socia, alia complectens, suscitabitur, & apparebit. In qua si aliqua indigesta, & corrupta oculus tuus offenderit, non in Auctorem eruditissimum, neque in me accuratissimum culpam transferas, sed potius arti Typographicæ, in qua falli, ac errare facilimum, adscribas velim, memor quod M. Tullius* 1. *Officiorum reliquit, labi, errare, ac decipi humanum esse. Vale.*



AD



AD SERENISS. FERDINANDVM

MANTVÆ, ET MONTISFERRATI DVCEM.

QVOD M. REVER. P. FR. FRANCISCI ARRETINI,
Sui Theologi opus celeberrimum edi iusserit.

FEDERICI NATTÆ PATR. CASALEN. EIVSDEM SERENISS. DVCIS APVD SERENISS. VEN. REMPVB. ORATORIS.



HEXASTICHON.



BERA diuinæ Sophię quæ pabula sumpsit,
GONZIAGVM qui nunc primus in Vrbe sedet,
FRANCISCVS cultor simul & conuiua parauit;
O' digna æthereis fercula Numinibus.
Quot replere animos pietatis odoribus ardet,
Tàm benè si PRINCEPS grata alimenta probat?



Digitized by Google



AD SERENISS. FERDINANDVM MANTVÆ, ET MONTISFERRATI DVCEM.

DE REVER. ADM. P. FR. FRANCISCO ARRETINO SVAE CELSIT. THEOLOGO.

CARMINA CLAVDI CORNELII FRANGIPANIS EX COMITIBVS VEGLAE L. C.




N terras Verbum genitum descendit ab Alto
  Gentibus, vt pateant Regna superna Patris:
Carcere sed stygio meditans contraria Satan'
  Fumiferos ignes mittit ab ore truci;
Turbinis & picei dispergit in æthera nubes,
  Vt Cælum ex oculis eripiatque diem.
Sed frustra, Verbo nam Spiritus exit eodem
  Angelicas inflans mille per ora tubas:
Quo sonitu fugiunt nubes, micat ætherius Sol,
  Et pulsa ad superos nocte aperitur iter.
Has inter clangor Patris intonat ARRETINI
  Hæresis infandæ quo fugit vmbra nocens;
Præsidio GONZAGA tuo. fuit alta Marone
  Nunc Mecęnate est Mantua celsa Duce.



INDEX

Digitized by Google

INDEX DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBIORVM,

Quæ in hac prima Parte explicantur.

DISTINCTIO PRIMA.

Ar-

DISTINCTIO QVARTA.

QVAE-

QVAE-

Ar-

Digitized by Google

DISTINCTIO DECIMA.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Ar-

Digitized by Google

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERVM OMNIVM, NOTATV DIGNARVM,

Quæ in hac prima Parte continentur. In quo numerus primus paginam, Secundus columnam explicat.

A

B

Baptismi

Digitized by Google

Index Rerum Memorabilium.

in Eu-

Digitized by Google

F

G

H

Index Rerum Memorabilium.

in Mi-

Digitized by Google

Q

R

S

Digitized by Google

F I N I S.

NOMINA AVCTORVM,

Qui in hac Prima Parte citati sunt.

A

Bdias.
Ado Treuirensis.
Adam.
Adrianus.
Ægidius de Roma.
Æneas Syluius.
Aimo
Alexander 3. Papa.
Alexander de Ales.
Alexander Pesantius.
Albertus Magnus.
Ægesippus.
Alphonsus Tostatus.
Alphonsus à Castro.
Alanus.
Aloysius Lippomanus.
Alcuinus.
Algerus.
Almarius.
Aluarus Pelagius.
D. Ambrosius.
Ambrosius Catharinus.
Ambrosius Calepinus.
Andreas Vega.
D. Anselmus.
Anacletus Papa.
Angelus. Angelica.
D. Antoninus.
Antonius Corduba.
Antonius de Butrio.
Anastasius Papa.
Antonius Andreas.
Antonius Trombetta.
Altisiodorensis.
Apollinaris.
Aristoteles.
Astesanus.
Auerroes.
Auicenna.
D. Augustinus.
D. Athanasius.
Augustinus Steucus.
Augustinus Niphus.

B

BArtholomeus Camerarius.
Bartholomeus Miranda.
Bartholomeus Fumus. Armilla.
Bartholom. de S. Cōcordo Pisanella.
Bartholomæus Medina.
D. Basilius.
Beda.
D. Bernardus.
Boetius.
D Bonauentura.
Bruno.

C

CAnisius.
Catechismus Romanus.
Celsus Medicus.
Cæsar Baronius.
Cyrillus Alexan.
Cyrillus Hierosol.
Clemens Romanus.
Clemens Alexan.
Cyprianus.
Clythoueus.
Claudius Sayches.
Cornelius Iansenius.
Cornelius Papa.
Columella.

Concilium:
Nicenum.
Ephesinum.
Cōstantinopolitanum.
Constantiense.
Lateranense.
Basileense.
Florentinum.
Tridentinum.
Viennense.
Romanum.
Toletan. 1. 2. 3. 4. 7. 8.
Carthag. 1. 2. 3.
Mileuitanum.
Arausic.
Senon.
Mogunt.
Colonien.
Arelaten. 1. 2.
Laodicen.
Aphrican.
Neocæs.
Aquisgran.
Elibert.
Hispalen.
Antisiodor.
Melden.
Aurelian.
Brachar.
Vormat.
Tarracon.
Cabilon.
Agathen.
Parisien.
Maticon.
Anciran.
Vasense.
Turlense.
Nannatense.
Valentinum.

D

DAmascenus.
Damasus.
Dioscorides.
Didymus.
Diaz.
Didacus Couar.
D. Dionysius.
Dionysius Alexan.
Dominicus a S Gemin.
Dominicus Soto.
Dominicus Bannes.
Dorotheus.
Durandus.

E

ELias Cretensis.
Egesippus.
Emanuel Rodoriquez.
Eugenius Papa 4.
Eusebius Papa.
Eusebius Emissenus.
Eusebius Cæsarien.
Euthimius.
Erasmus.

F

FAbianus Papa.
Felinus.
Festus.
Ferrara.
Franciscus de Mayronis.
Franciscus Zabarella Card.
Franciscus Ancharanus.
Franciscus Titelmanus.
Franciscus Turnanus.
Franciscus Feuardentius.
Franciscus Victoria.
Franciscus Toletus.
Franciscus Panigarola.
Francolinus.
Franciscus Suarez.
Fulgentius.

G

GAbriel Biel.
Gaspar Casalis.
Gabriel Prateolus.
Gabriel Vasquez.
Gaspar Caldetinus.
Gaudentius.
Gelasius Papa.
Gerardus Odonus.
Gismundus.
Gilbertus Poretanus.
Glossa interlinearis.
Glossa ordinaria.
Glossa.
Gotfridus de fontibus.
Gratianus.
D. Gregorius Papa.
D. Gregorius Nazian.
Gregorius Nissenus.
Gregorius Papa 3.
Gregorius Papa 13.
Gregorius Edesus.
Gregorius de Arimino.
Gregorius de Valentia.
Guido Brianson.
Guido de Bayso Archid.
Guido Carmelita.
Guilelmus Varro.
Guilelmus Ocham.
Guilelmus Durandus.
Guilelmus Parisiensis.
Guilelmus Rubion.
Guilelmus Vorilion.

H

HAymo.
Henricus de Gandauo.
Herueus Brito.
Henricus Card. Hostien.
Henricus Henriquez.
Hector Pititus.
D. Hieronymus.
D Hilarius.
Hippolytus.
Honorius Papa.
Hugo.

I

IAcobus Almainus.
Iacobinus Bargius.

In-

FR.

FR. PAVLVS SVLMONENSIS
Ordinis Minorum strictioris Obseru. Cismontanæ Familiæ Generalis Commissarius, & seruus.

Dilecto in Domino multum Reuer. Patri Fratri Francisco Arretino Sacerdoti, Confess. & Theol. doctiss. ac Ordinis Patri Salutem.

VT Commentaria quædam super Quartum Sententiarum Scoti, quæ iam dudum composuisti, Typis (seruatis seruandis) mittere valeas, his nostris literis obedientialibus, quantum ad nos spectat, tibi licentiam concedimus, & facultatem impertimur. Vale, & Deum pro nobis exorare ne dedigneris.
Datum Florentiæ in Aedibus nostris Omnium Sanctorum die 5. Octobris 1612.

Fr. Paulus Sulmonensis Commissarius Generalis.

Digitized by Google

ADM. REVER. PATRIS FR. FRANCISCI PITTIGIANII ab Arretio Prouinciæ Tusciæ ex Minoribus de Obseruantia Theologi, Lectorisque eximij.

Visis, lectis, ac diligenter per nos infrascriptos ad præsens Sacræ Theologiæ in Sancti Francisci à Vinea Venetiarum Gymnasio generales Lectores, consideratis Expositionibus super Quartum Ioan. Scoti Sententiarum volumen, eas in lucem mandandas dignas coadiudicamus, quippe quæ nihil à Catholica fide absonum contineant, quinimo tum speculatiuis studiosorum intellectibus, tum animarum curam gerentibus, demumque confessoribus ipsis maximam sint vtilitatem allaturæ, atque ex eis (vt omnia ad rem breuiter deducamus) Ecclesia vtilissimos fructus, studiosique maximum sint solamen accepturi. In cuius rei testimonium manu propria nos subscripsimus.

Dat. Venetijs in Conuentu Sancti Francisci à Vinea die 22. *Decembris* 1612.

Ego Fr. Benedictus Vaiolus de Verona Lector vt supra manu propria confirmo.
Ego Fr. Ioannes Franciscus Signorettus Lector, vt supra confirmo.
Ego Fr. Franciscus Galuppus Venetus Lector, vt supra confirmo.

SVM-

SVMMAE THEOLOGIAE
SPECVLATIVÆ, ET MORALIS:
A T Q V E
COMMENTARIA SCHOLASTICA
In Quartum Librum Sententiarum Scoti.
P A R S   P R I M A.

IN QVA DISSERITVR DE SACRAMENTIS IN GENERE, De Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ.

P R O L O G O M E N A.



Habebat in dexterâ eius stellas septem, & de ore eius gladius ex vtraq; parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucet. Apo. 1. His verbis D. Ioã. mystice significasse videtur septennariũ sacramentorum numerũ, finale mundi iudiciũ, quoad reprobos; & æternum præmiũ perpetuamq. fęlicitatem quo ad electos, de quibus agit Magister in 4. sententiarum libro, quem vna cũ quæstionibus Doct. sub. explicandum suscipimus.

Nam filius hominis, quem vidit Ioannes in medio septem candelabrorũ aureorum, est Christus Dominus, qui in medio candelabrorũ est, quia Christus est in medio fidelium, Matt. 28. Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consummationẽ sæculi; & Matth. 18. vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ, & Isaię 12. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sãctus Israel. Qui vestitus est podere, id est, veste talari, siue ad pedes vsq; dimissâ: quia est sacerdos & pontifex noster. Poderis enim, quæ Latinè tunica talaris dicitur, inquit Beda, & est vestis sacerdotalis, Christi sacerdotium ostendit, quo se pro nobis in altari Crucis obtulit hostiam patri. *Beda.*

Et præcinctum ad mãmillas zonâ aureâ, quia charitas Xpi vrget nos, vt de se inquit D. Paulus. 2. Cor. 5. Ad mammillas autem, inter quas sedes est cordis, præcinctus dicitur zona aurea: quia eius cor plenum erat charitate, & constringebatur amore hominum.

Caput autem eius, & capilli erant candidi. Caput significat id, quod summum est in Christo, i. diuinitatem; & quoniã Daniel. 7. de Patre scriptũ est. Et antiquus dierũ sedit, vestimentũ eius candidum quasi nix; & capilli capitis eius quasi lana munda, quo significata est Patris ęternitas. Idẽ de filio dicit Ioan. vt patris coęternus, & cõsubstantialis ostẽdatur, sm̃ quod Deus est.

Et oculi eius velut flamma ignis. Ignis in oculis iram ardentem, & vltionem, significat, ex oculis enim iratiq; quasi ignis videtur prodire. vnde Virgilius. 12. Aeneid. *Virgilius.*

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Et pedes eius, quasi aurichalco. Pedes in Christo humanitatẽ eius significãt, quod sæpe in scriptura fieri testatur Damas. lib. 1. de fide. c. 16. vt enim caput significat id, quod summum est in Christo, i. diuinitatem; ita pedes id, quod imum est indicant, i. humanam naturam, dicuntur aũt pedes eius similes aurichalco, quia sicut aurichalcum multis igniũ impendijs ex ære perducitur ad colorem auri, ita & illa humanitas, vt eleganter docet Rupertus Abbas, per multas tribulationes passionis, & mortis perducta est ad gloriam diuinitatis. *Damascen.* *Rupertus.*

Et habebat in dexterâ sua stellas septem. Per septem stellas iure optimo septẽ ecclesiæ sacramẽta intelligi possunt: quas magni Concilij Angelus Christus Dominus, dextera suæ misericordiæ, & pietatis in cęlo posuit militantis ecclesię, ad illustrandum luce gratiæ populum fidelium viatorũ. Stellis quippe tria congrue tribuũtur; Indigent. n. sole, de nocte lucent, & non apparẽt in die. Ita sacramenta à Christo Dño instituta. à sole increato dependent, quib. mediãtib. [illegible] fideles diuinæ gratiæ lucis diffusio [illegible] Lucent in nocte præsentis mundi [illegible] non manẽt in splendidissimo super[illegible] & de his tractat Magister in 1. pa[illegible]

Digitized by Google

Et de ore eius gladius ex vtraq; parte acutus exibat. Gladius acutus vtraq; parte magis secat & interius penetrat. Eccles. 21. Quasi rомphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius nō est sanitas. Heb. 4. Viuus est. n. sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Designatur aūt per hunc gladium acutum sermo diuinæ sniæ in reprobos: & qm̄ sententia, quā Christus in aduersarios suos proferet in die iudicij acutissime eos feriet, & intime penetrabit, neq; poterit eius virtute, quasi aciei resisti, eleganter gladius appellatur ex ore eius exiēs. de hoc gladio dictū est Deu. 32. Si acuero vt fulgur gladium meū, & arripuerit iudiciū manus mea, reddam vltionē hostibus meis, & ijs qui oderunt me retribuā, & Psal. 7. Nisi conuersi fueritis gladiū suum vibrauit. Nunc. n. eum vibrat, cum minatur se dicturū impijs. Ite maledicti, & c. sed postea percutiet, & de codē gladio dicitur Apoc. 29. Et de ore eius procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat gētes, i. vt seuerissime iudicet, & puniat. & c. 2. & pugnabo cū illis in gladio oris mei, qui congrue ex vtraq; parte acutus appellatur: quia animum ipsum scindet interius & affliget, & corpus reassumptum lædet exterius & comburet, atq; totū coniunctum seuerius puniet, & non consumet. & hæc tria in 2. parte huius 4. lib. prolixius explicantur. ibi namq; ostenditur, quod damnati in anima mentaliter affligentur, in corpore speciàliter comburentur, & in toto coniuncto punientur æternaliter.

Et facies eius sicut Sol lucet in virtute sua, i. cū maxime potens est, & fortis ad lucendum cū lucet, quantum maxime pōt. Per faciem. n. sicut Sol resplendentem Christi Dñi diuinitas intelligitur, quæ velut Sol lucet; qua beati in patria in intellectu clarius illustrātur ad certius cognoscēdum, in effectu ardentius inflāmantur ad intensius diligendum, & in sensu perfectius roborantur ad solidius permanendum. & hęc tria in 3. p. huius 4. lib. exactissime explicantur, vbi ostenditur, quod Beati sunt in beatifica visione eruditi, atq; adeo clarius agnoscentes, fruitione beatifica accensi, & ideo ardentius diligentes, & incorruptione perpetua stabiliti, ac proinde solidius permanentes.

Per septem itaq. stellas intelligi potest sacramentorū numerus ad illustrandam eccclesiā militantem deputatus, per gladiū ex vtraq; parte acutū diuinum Iudiciū, ad condemnandū ecclesiam malignantiū, & per Solē lucidum Deus Trinus & vnus ecclesiā Triumphantē beatificās. & de his trib. agitur in hoc 4. lib. sen. qui pōt iuxta hæc tria in tres secari principes partes, determinatur. n. in hoc 4. primo de sacramentorū institutione, & spirituali eorū influentia. secundo de mortuorū resurrectione, examinatione, & finali snīa. tertio de electorū pmio, & perpetua gloria.

In prima ergo parte huius li. 4. agit Magister de sacramentis, & iure quidem optimo, nam cū Deus Optimus Maximus sit Alpha, & Omega; principium, & finis, primus & nouissimus, vt dr̄ Apoc. 1. & vlt optimo ordine Magister in 1. lib. tractauit de Deo prout principium est diuinarum emanationum ad intra. In secundo tractauit de Deo prout est creaturarum omnium fontale principium. In tertio autem tractatum instituit de Deo prout reparator est generis humanī per mysterium carnis assumptæ, vt vero in hoc quarto, & vltimo libro tractare intendit de ipso met Deo, prout finis est vltimus rationalis creaturæ atq; beatificus, tam sui ipsius fruitione per sectaq. beatitudine remunerans, quam quidem vltimam, plenamq. beatitudinem medicinalis, quædam curatio semiplena, & imperfecta beatitudo antecurrit atque præcedit. Vnde in prima parte huius 4. lib. Magister instituit, tractatū de sacramentis: curatur. n. salubriter homo susceptione sacramentorum deuota, & deniq; receptione iucūda præmiorum cęlestiū beatificatur: sacramenta. n. disponunt, & præparant, præmia vero perficiūt, atq; consummant. Diuiditur aūt hæc prima pars, in qua de sacramentis agitur, in duas partes. In prima tractat Magister de sacramentis in genere, & hoc tā de sacramentis legis gratiæ, quam de sacramentis legis Moysis, atq; etiā legis naturæ. In secunda, agit de sacramentis in speciali legis Euangelicæ de sacramentis in genere tractat Magister in prima distinctione, quam Scotus diuidit in proœmium, & tractatum. In proœmio ponitur intētio, & intentionis ratio. Tractatus in sua prima diuisione in duas secatur partes, in quarū altera fit sermo de sacramentis in genere, in secunda de sacramentis in specie. Vlterior prosecutio diuisionum, & subdiuisionum, suis proprijs locis reseruatur.

DISTINCTIO PRIMA.



Amaritanus enim vulnerato appropians curationi eius sacramentorū alligamenta adhibuit, &c. Hæc est prima distinctio huius 4 libri; In qua postquā in præcedētibus libris Magister determinauit de rebus, incipit tractare de signis sacramentalibus, & diuiditur hæc distinctio in tres partes, in prima ponit sacramenti diffinitionem, in secūda insinuat sacramentorum causam, necessitatē, atq; congruitatem, & in tertia explicat quomodo circumcisio inter sacramenta veteris legis, maiorem inter alia cum sacramentis noua legis habeat assimilationē. Breuiter sen. Mag. trib. cōclusionib. explicatur. Cōtinuatio.

Diuisio.

Prima conclusio. Sacramentum est inuisibilis gratia visibilis forma, vt imaginem gerat, & causa existat: Hāc Magis. probās proponit 1. sub parabola sanctas, quod Saluator humano generi, per Incarnationē appropinquās sacramētalem Prima conclusio.

talem medicinam adhibuit, & contra peccatorum vulnera, instituit sacramentorum remedia. Nam vt habetur Lucæ. 10. Homo quidam descendebat ab Hierusalē in Hiericho, & incidit in latrones, qui despoliauerunt eū, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. In quo verbo sex mala tāguntur, quæ facit peccatum, primo. n. à regno cœlesti separat. ibi. Homo quidā descendebat ab Hierusalē. s. Adam vel genus humanum, descendebat. s. per culpā, vel quia ascenderat per superbiam descēdebat per pœnam & miseriā ab Hierusalē, quæ vt docet D. Augu. contra Pelagium, interpretatur visio pacis; nam antequam peccaret in visione pacis erat, i. in Paradiso, descendebat ergo à visione triplicis pacis. s. à Deo per inobedientiam, à se ipso per innocentiā, à toto mundo per prædominationem. Secundo peccatum captiuat sub defectu præsenti; ibi in Hiericho. Nam Hiericho secūdum August. Luna interpretatur, & nostram significat mortalitatē per hoc, quod sicut Luna nascitur, crescit, senescit, occidit, sic vita nostra. Tertio peccatum mortale subiugat diabolicæ potestati, ibi. & incidit in latrones. Vnde D. Ambros. Qui sunt isti latrones nisi Angeli noctis, & tenebrarum, in quos non incidisset, nisi eis de cuius mandati cœlestis se obnoxium fecisset. Quarto mortale peccatum gratuitis spoliat, ibi. qui etiā dispoliauerunt eum, i. gratiæ indumenta & innocentiæ auferendo, vt dicit D. August. de quæstionibus noui, & veteris testamenti, iuxta illud Iob. 19. spoliauerunt me gloria mea. & Gen. 3. post peccatū cognouerunt se esse nudos. Quinto peccatum vulnerat in naturalibus, ibi. & plagis impositis, i. naturalibus vulneratis per peccatum, iuxta illud Psal. Non est sanitas in carne mea à facie peccatorum meorum. Sexto mortale peccatum in operibus mortificat meritorijs, ibi. semiuiuo relicto: quia ex parte qua homo Deum potest intelligere, & cognoscere, viuus est secundum B. August. in quæst. Euang. ex parte vero qua peccatis contabescit, & premitur, mortuus est. A quibus omnib. defectibus, vt genus humanū curaretur, Samaritanus, i. animarum nostrarū Custos Christus homini sauciato, i. generi humano per originale peccatum, appropinquans per suam incarnationem, sacramentalem medicinam adhibuit, i. sacramenta instituit. Circa quæ quatuor Magister explicare intendit, s. sacramenti definitionem, institutionem, integritatem & distinctionem. Et primo definit sacramentum, quo ad quid nominis sacramentū, est sacræ rei signum, quamuis possit etiam dici sacramentū sacrum secretum, vel sacrum signans, seu signatum. Nam consueuit sacramentum sumi pro re significata, quomodo dicere solemus, Magnum sanctissimæ Trinitatis sacramentum, vel sacramentum dominicæ Incarnationis. Ex quo sequitur, quod sacramentum bifariam sumi potest, primo pro sacro secreto, vel mysterio, altero modo vt idem significat, quod sacrum signum, & in hac significatione agit Magister de sacramentis; & definitur in hunc modum. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Sex mala inducit peccatum.

D. August.

D. Ambros.

D. August.

Definitio sacramenti.

Sacramētū sumitur bifariam.

At quia de signo in priori definitione facta est mentio, ne in æquiuoco laboremus, ostendit, quid, & quotuplex sit signū. Est autem signum, quod præter speciem, quam sensibus ingerit nostris ex se aliud facit. i. in cognitionē alicuius deuenire, & est duplex, Nam datur naturale signum naturaliter significans, vt fumus respectu ignis; quoddam vero est datū ex institutione repræsentans, & tale signum est sacramentū. Rursus signorum datorum quoddam non gerit sui signati similitudinem, quoddam vero rei cuius est signum similitudinem gerit, & tale est sacramentum. Insuper signum gerēs sui signati similitudinem, quoddam est signum tantū, quoddam vero est signum, & causa, & tale signum est sacramentum. Ex quibus colligi potest perfecta sacramenti definitio, nimirū, sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ita vt imaginem gerat, & causa existat. Ex qua definitione infert sacramenta veteris legis, quæ solum significabant, nec esse, nec proprie sacramenta dici debere.

Signū, quid & quotuplex sit.

Secunda conclusio. sacramenta triplici de causa instituta fuerunt, & in rebus, & in verbis principaliter consistunt. Hanc Magister insinuans proponit, quod triplex fuit causa, seu ratio institutionis sacramentorum. prima quidem fuit hominis humiliatio, qui per sacramenta corporalibus rebus, quæ natura infra ipsum sunt subditur. Volens itaq; Deus hominē humiliari ac sibi subijci, hinc sacramenta sub sensibilibus rebus instituit, quæ licet homine ipso inferiores, effectum nihilominus diuinum, nempe Dei gratiam continent. Secunda est eruditio: homo. n. de inuisibilibus per eadocetur, atq; instruitur. Tertio ad exercitiū, vt. s. ociositas, & occupatio noxia vitentur. Obseruandū est tamen, quod exercitationes sunt in triplici differentia; Nam quædam ad bonum animæ ordināntur, & sunt virtutes Theologicæ, quibus humana mens vnitur Deo, quædam vero aliæ ad bonum corporis, vt artes mœchanicæ; & demū quædam aliæ ad subuersionem vtriusq; s. animæ & corporis, vt artes Magicæ. & subdit Magister, quod licet Deus instituit sacramenta, potuit tamen sine illis hominem de potentia absoluta saluare, quia eis suam potentiam non alligauit, sed ex dictis causis sacramenta instituere voluit; quæ quātum ad integritatem in duobus consistunt, s. rebus & verbis, quas D. August. nominat elementum, & verbum. Accedit, inquit, verbum ad elementū, & fit sacramentum. Per rem aut elementum intelligitur res, siue actus aliquis sensibilis, vt confirmatio, vnctio, calicis traditio, ablutio, &c. quæ cū verbis dant effectū sacramentalem, per verbum autem oratio prolata ore ministrantis sacramentum. elementum siue res, vt latius patebit. inferius materia dicitur, & verba forma dicuntur.

2. Cōcl

Causæ pter quas instituta sacram

Exerc triplex

Sacram. in quib sistunt. D. Aug

Postremo diuidit Magister sacramēta dicens, quod quædam sunt sacramēta vetera. i. veteris legis, quædā vero sunt noua. i. nouæ legis. Sacramenta veteris legis significabant, & promittebant tantum. At nouæ legis sacramenta significant promittunt, & causant gratiam.

Diuisio sacramēt

Tertia conclusio. Inter sacramenta veteris legis sola circuncisio originalē culpam delebat, sed regni cœlestis ianuā non aperiebat. Hanc explicans Magister proponit primo, quod sacramentum circuncisionis, quamuis idem sit cū veteribus sacramentis, tamen antiquis idem remedium conferebat contra originale peccatum, quod modo Baptismus, nō tamē aperiebat ianuam regni cœlestis, quod authoritatibus D. August. & Bedæ confirmat. Nam D. August. lib. 2. de Nuptijs, & Cōcup. c. 11. sub finem. Ex quo, inquit, instituta est circuncisio in populo Dei, quæ erat tunc sign. aculū iustitiæ fidei, ad purgationē valebat magnis, & paruulis originalis veterisq; peccati. sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est. Et Beda super illud Lucæ. 2. Postquam consummati sunt dies octo, &c. Idē salutiferæ curationis auxilium (inquit) circumcisio in lege contra originale peccatum agebat, quod Baptismus agere reuelata, gratiæ tempore consueuit, excepto quòd regni cœlestis ianuam nondū intrare poterant, tamē in sinu Abrahæ post mortem requie beata cōsolati, supernæ pacis ingressum spe fœlici expectabant. His aperte traditur per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis, & actualis paruulis, & maioribus à Deo præstitam. sicut nunc per baptismum datur.

3. Cōcl

D. Au

Beda.

Postea quærit Magister quod remedium habebant viri contra peccatum ante circuncisionem, & fœmina ante & post. Et respondet, quod ij, qui erant de stirpe Abrahæ per circuncisionem iustificabantur, qui vero ante Circuncisionem paruuli fuerunt dicebantur in fide parentum iustificari,

Quod ... originale ... circūcisi

parentes autem sacrificiorum virtute, & mulieres ante circuncisionem & post per fidem & bonam operationem, per suã si erant adulta. vel per fidem parentum si paruula quod confirmat authoritate D. Gregorij lib. 4. moral. cap. 2. circa illud Iob. 3. Nunc enim dormiens, &c. vbi ita scribit. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abraha stirpe prodierunt, mysteriũ circũcisionis.

D. Gregor.

Deinde septem explicat de ipsa Circuncisione. Primo cui sit data; & dicit, quod primo data fuit Abrahæ & semini eius. Secundo, quare data est; & dicit quod fuit data ꝑꝑ tria, s. propter obedientiæ meritum, in signum fidei magnæ, & propter distinctionem populi Iudaici à cæteris gentibus. Tertio in qua parte corporis fiebat, & dicit quod fiebat in carne præputij duplici de causa. prima est: quia concupiscentia, per quam originale peccatum à parentibus contrahitur, in cuius remedium instituta fuit Circuncisio in illa parte magis dominatur, & viget carnis sanies. Altera causa est vt in illa homo signum obedientiæ acciperet, in qua primus homo culpam inobedientiæ sensit. Quarto, quo tempore & quo instrumento fieret, & dicit, quod fiebat octauo die, & lapideo cultro, ad designandum duo. Primo resurrectionem carnis communem in octaua ætate fiendam per petram Christum, in quo omnis corruptio ab electis tolletur. secundo octaua die facta est, per quam anima cuiuslibet in ipsum credentis circumciditur à peccatis. Quinto cur Circuncisio mutata sit in baptismum, & dicit, quod fuit in baptismum mutata tanquam in communius, & perfectius, est enim baptismus sacramentum communius: quia est ad omnes gentes, & pro omni sexu, Circuncisio vero tantum pro filijs Abrahæ data erat; est etiã baptismus perfectius sacramentum: nam licet circũcisione, culpa tolleretur originalis, tamen nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec virtutũ possessio, nec augmentum ibi præstabatur. (sed in hoc Magister non est audiendus, vt diffusius videbimus explicãdo sextam quæst. Scoti.) At hic, s. in baptismo, & culpa deletur, & gratia adiutrix confertur, nec non virtutum augmentũ præstatur. Postremo quærit quid sentiẽdum sit de paruulis qui moriebantur sine circuncisione ante octauum diem an saluabantur? & respondet quod non, sicut nec modo sine baptismo paruuli defuncti saluantur. Quod probat testimonio Bedæ 2 Lucæ circa illud. Postquã cõsummati sunt &c. qui nunc per Euangelium suum, inquit, terribiliter, & salubriter clamat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, ipse dudum clamabat per suam legem: Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, anima illa peribit de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. Subdit tamen, quod forte propter necessitatem licebat ante octauum diem circuncidi, sicut modo fit in ecclesia de baptismo, absolute tamen absq; circuncisione moriens paruulus ante octauum diem iuxta sententiam Magistri damnabatur. Oppositum tamen tuetur Hugo, quem sequitur Alex de Ales. p. 4 q. 7. vbi docet, quod paruuli, qui moriebantur ante octauum diem saluati fuerunt in fide parentum cum oblationibus, & sacrificijs, vel poterat tempus ante mortẽ instante suspicione anticipari: Nam octaua dies fuit de necessitate præcepti, & non de necessitate Sacramenti. sed de hoc prolixior erit sermo in 6. q. huius dist. Et hæc breuiter Magister in hac dist. de sacramentis in genere.

An paruuli in circuncisi decedentes ante octauũ diem saluabantur.

Beda.

Hugo.

Ale ad Ales.

Circa quam cum sacramenta in genere vel in communi considerantibus inquit Scotus hoc primum tanquam notum occurrit, quod videlicet sacramentum ordinatur ad gratiã; an vero ordo iste sit causæ ad causatum, vel signi tãtum ad significatum, non cuiusvis sit definire. Ideo in prima huius lib. dist. in qua, vt diximus, de sacramentis agitur in genere sive in communi atq; adeo de ordine ipsorum ad gratiã, quærit primo Scotus, & discutit de potentia creaturæ ad gratiã creandam, si quidem sacramenta constant ex rebus creatis. Quærit ergo primo, an creatura possit creare.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum creatura possit habere aliquam actionem respectu termini creationis.



RO explicatione tituli obseru. est primo, quod creatio est vox æquiuoca, prout tamen a Theologis vsurpatur, est productio rei ex nihilo secundum omnem sui partem, ita quod tota res, & quælibet pars eius fit de nouo de nihilo, fit de termino à quo: Aliæ enim productiones, veluti motus, & mutatio præsupponunt aliquid, licet primo terminentur ad totũ; motui enim vel mutationi, nempe generationi præsupponitur saltem materia. Terminus creationis est illud, quod per creationem accipit esse verum, & reale, qualis est anima rationalis, & quodlibet supernaturale donum, ista enim omnia accipiunt esse per creationem.

Creatio quid sit.

Secundo obser. est, quod titulus huius quęstionis quęrit. An solius Dei sit creare propria virtute, quod duob. modis intelligi potest. Vno modo quasi virtus illa sit illi adeo propria, vt nõ habeat illam ab alio acceptam: & hoc cũ sit apertissime Dei proprium, notissimum est solius Dei esse (iuxta hunc modum) creare, neq; id est, quod in controuersiã hoc loco adducitur. Altero modo intelligi potest rem aliquam creare propria virtute, quasi illi insit suapte natura, eo modo quo igni conuenit esse calidum, animali sentire, & homini intelligere, siue illam acceperit efficienter ab alio, quo pacto omnes causæ secundæ à prima acceperunt virtutes oẽs sibi proprias, & connaturales; siue nõ, quo pacto solus Deus habet vim ad agendum, & in hoc sensu in controuersiam vocatur, An creatura habere possit aliquam actionem respectu termini creationis, vel solius Dei sit creare.

Quid sit creare aliquid ꝓpria virtute.

Tertio obseru. est, quod in duplici sensu disputare potest, an creare propria virtute hoc secundo modo, possit creaturę competere, vel sit solius Dei proprium; Alter est de facto, ita. s. quod ad creationẽ eorum omniũ, quæ creata sunt, nulla alia concurrerit causa a qua fuerint creata præter Deum. Alter est an potuerit Deus efficere creaturam aliquam, quę propria virtute aliquid crearet. In priori sensu nullus catholicorum est, qui dubitet partem affirmatiuam esse falsam: Nam contrarium sane esset error in fide, de facto enim Deus omnia creauit, vt patet Gen. 1. & ad Hebr. 3. qui omnia creauit, inquit D. Paulus, Deus est, & Eccles. 18. qui viuit in ęternum creauit omnia simul. & Concilium Nicenum I. in cõfessione fidei, & est symbolus, qui canitur in Missa, inquit, Credo in Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. In posteriori autem sensu, quamuis re ipsa nullæ rei creatæ sit vis ad creandum communicata; existimauit tamen Durandus in 2. d. 1. q. 4. Deum efficere posse creaturam adeo perfectam, vt virtute propria creare possit, non quidem omnia, quæ diuina potentia creari possunt, sed solum aliqua.

Concil Nicen. 1.

Durandus.

Quarto obseru. est, quod per creaturam intelligit Docto. sub. omne ens creatum aliud à Deo siue substantia fuerit siue accidens.

Quinto obseru. est. Creaturam concurrere ad creationem siue habere actionem in terminum creationis potest dupliciter intelligi; priori modo vt causa principalis, altero modo vt causa instrumentalis. Causa principalis bifariam sumitur, vt notat Scotus in corpore huius quæst. primo modo pro causa, quæ in agendo superiorem causam non agnoscit, cui subordinetur; ita vt independenter agat; in qua significatione solus Deus est omnium rerum principalis causa: quia ipse solus superiorem causam non agnoscit: omnes vero aliæ causæ ipsi necessario in agendo, sicut in essendo subordinantur tanquam primæ omnium rerum causæ. secundo modo dicitur causa principalis illa, quæ per propriam & intrinsecam formam operatur, & agit, licet in agendo per eam sit causæ superiori agẽti subordinata. In qua significatione omnes secundæ causæ, quę per proprias formas operantur, causæ principales dici possunt, vt Sol, & homo, generantes hominem.

Creatura quot modis possit attingere terminum creationis.

Causa

Digitized by Google

Causa instrumentalis bifariam sumitur. Causa vero instrumentalis, potest etiam accipi duobus modis. Primò modo, vt distinguitur contra causam principalem, in prima significatione sumptam, atque ita omnis causa secunda instrumentum appellari potest: quia omnis eiusmodi causa agit dependenter, atque in agendo subordinatur Deo, qui est superior, & prima causa. Secundo modo potest accipi causa instrumentalis, quatenus distinguitur contra causam principalem secundo modo acceptam; & instrumentum hoc modo sumptum est illud, quod cum alteri in agendo subordinetur, non habet propriam formam actiuam in suo ordine, per quam agat, sed solum agit per actualem motionem alicuius alterius mouentis, vt patet de instrumēto artis, nempè securi, serra, dolabra, & huiusmodi, quæ non proprie agunt actiuè: quia in ipsis solum reperitur motus, figura, & quantitas, quæ formę actiuæ esse nequeūt.

Instrumentum nisi habeat formā actiuā actiue agere nequit. Sexto obseruandum est, quod si instrumentum ponatur proprie actiuum ad aliquem terminum, necesse est ipsum habere formam aliquam intrinsecam actiuam, vel in esse quieto ante omnem motionem alterius agentis, vel in fieri, quando totaliter mouetur à superiori agente. Nam si neutro modo habeat formam actiuam, nullo modo proprie agit: quia actus primus est principium actus secundi: ergo quod nullum actum primum habet in se in suo ordine actiuum, in nullum actum secundum potest in illo ordine; hic enim ab illo intrinsece pendet, & essentialiter: alioquin quodlibet posset poni instrumentum respectu cuiuslibet: patet ergo, quod instrumentum si ponatur proprie agere in effectum, vel habet in se formam actiuam, in esse quieto ante motionem sicut causa secunda, vel saltem in actuali motione recipit formam actiuam, qua agit in suo ordine, & hoc vel ad terminum principalem, vel ad aliquam pręuiam dispositionem.

Causa est duplex. Septimo obseruādum est, quod adhuc duplex est genus causæ. Alia enim est causa Physica, quę impressione qualitatis, aut per naturalem motum, vel per propriam formam, vere realitatem effectus attingentem (vt rectius dicam) operatur: alia vero est causa moralis, quæ sine tali influxu, & motu voluntarie concurrit ad effectum: sicut qui dat precium pro redemptione captiui, est causa moralis libertatis, licet ipse efficienter vincula non dissoluat.

Quo creatura possit esse instrumentum creationis. Octauo obseruandum est, creaturam esse instrumentum ad creādum in duplici sensu accipi potest: primo quod suapte natura sit instrumentum diuinæ virtutis ad creandum, quemadmodum calor sua natura est instrumentum ignis ad generandum ignem: secundo quod sit instrumentū non per aliquam proportionem naturalem, quam habeat ad creandum, sed ex sola diuina voluntate eleuante creaturam ad huiusmodi actionem, quemadmodum Sacramenta eleuantur à Deo vt instrumenta productiua gratiæ.

Sensus tituli. Ex his patet titulus quæstionis, cuius talis est sensus. An creatura quæcunque sit illa siue spiritualis, siue corporalis, siue sit substantia, siue accidens, possit habere actionem aliquam, velut causa principalis, vel minus principalis, vel vt instrumentum ad terminum creationis, id est, ad producendum aliquid de omnino nihilo. In hac quęstione Doct. sub. tria facit, primo respondet vnica conclusione generali negatiua, quam rationibus D. Thomæ, & aliorum Doctorum confirmat, quas non probat. secundo adducit opinionem Auicennæ, quam impugnat. tertio, respondet ad quæstionem ex mente propria, per aliquas conclusiones, & argumenta principalia soluit. *Diuisio q.* Nos autem, quia hæc quæstio est diffusa, seriosa, atque difficilis, methodum, quam seruauimus in explicatione tertij, sequentes diuidimus eam in decem articulos.

Primus Art. Vtrum creatura ex eo nequeat creare, quia esse est proprius effectus primæ causæ.

Secundus Art. Vtrum creatura ex eo creare nequeat, quia inter esse & non esse est infinita distantia.

Tertius Art. Vtrum rationes Aegidii de Roma, & Petri de Tarant. ostendant quod creatura non possit creare.

Quartus Art. Vtrum vnus Angelus alium Angelum creare possit.

Quintus Art. Vtrum in creante substantia actus aliquis accidentalis immanens possit concurrere ad terminum creationis.

Sextus Art. Vtrum intellectio Angeli sit eius substantia, vel accidens.

Septimus Art. Vtrum ad quodcunque producendum ab Angelo prærequiratur necessario Angeli intellectio, vt prior termino productionis.

Octauus Art. Vtrum potentia creandi possit creatura communicari.

Nonus Art. Vtrum creatura, vt causa principalis creare possit.

Decimus Art. Vtrum creatura vt instrumentum, possit ad terminum creationis concurrere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum creatura ex eo nequeat creare: quia esse, est proprius effectus primæ causæ.

Sanctus Thomas 1. par. Summæ, q. 45. art. 5. (quem sequitur Richardus in 2. dist. 1. art. 4. quæst. 4.) vbi quærit vtrū solius Dei sit creare, probat quod solus Deus creare potest, atque adeo quod creatura nequeat creare: quia esse est proprius effectus primæ, & vniuersalissimæ causæ. *D. Thom. Richard.* Ratio autem D. Thomæ est talis, effectus vniuersaliores in causas vniuersaliores sunt reducendi, sed esse, seu ens est effectus vniuersalissimus, & ens producere non qua tale, vel tale ens est, sed quatenus ens, est creare, ergo solius primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus, est creare. In maiori intelligit D. Thomas effectus vniuersaliores in prædicando reducendos esse in causas vniuersaliores non in prædicando, sed in essendo, & causando, vt ens effectus vniuersalissimus in prædicando, reducitur in Deum, qui est causa vniuersalissima non in prædicando, sed in essendo, & in causando, vt Thomistæ ipsum interpretantur. Et in eadem maiori atque etiam minori loquitur D. Thom. inquiunt Thomistæ, de productione effectus non quocunque modo, sed per se, iuxta modum loquendi Arist. 1. Physicorum, cap. 8. tex. 76. vbi ita docet, si animal fit ex animali, & quoddam animal, ex quodam animali, vt canis ex equo, tunc animal quod includitur in cane nō fit per se: quia præerat in equo, ex quo canis generatur, sed solum esse canis fit per se: *Arist.* Natura namque non intendit per se esse, quod præerat in materia, sed solum illud esse, quod in ea nondum erat, atque adeo iuxta hunc modum loquendi illud esse producitur per se, quod non præerat in eo ex quo producitur; illud vero producitur per accidens, quod in eo iam præerat, sensus ergo propositionis D. Thomæ hic est, esse rei creatæ non hoc, aut illud, sed in commune vbicunque repetiatur, si sit per se productum, est proprius effectus Dei ab eo solum per creationem immediate productus, & in omni substantia producta deueniendum est tandem ad eiusmodi esse, quod tanquam proprius effectus Dei à solo Deo sit primo productum. Nam licet quando equus ex semine generatur, causæ secundæ producant per se esse equi, animalis, aut etiam viuentis, quod in equo essentialiter includitur, esse tamen in commune non producitur ab eis per se, quoniam iam praerat in semine atque in materia, ex qua equus producitur, esse vero materiæ cum non aliter produci posset, quam ex nihilo, & per creationem, est proprius effectus Dei, cuius solius est rem efficere nullo præsupposito subiecto. Hæc ratio ita explicata confirmatur: quia in lib. de causis dicitur, quod nec intelligentia, nec anima rationalis dat esse nisi in quantum operatur operatione diuina.

Cæterum hæc ratio non placet Docto. nostro sub. & eius insufficientiam ostendit euidentissime. Nam ratio D. Thomæ, inquit Scotus, in his duabus propositionibus consistit. Prima, esse simpliciter est proprius effectus Dei. Secunda, esse simpliciter est proprius terminus creationis; prima videtur esse falsa dupliciter. primo: quia à quocunque efficiente generatur compositum ab eodem effectiue est esse compositi; sed aliquod compositum generatur ab aliqua causa creata (nisi tollatur omnis actio creaturæ) ergo ab aliqua causa creata est esse compositi, atque adeo esse simpliciter, non est effectus proprius Dei. Maior patet, quia à quocunque efficiente generatur compositum, ab eodem effectiue est esse compositi, ergo si ab aliqua causa creata generatur compositum, ab ea est efficienter esse compositi, quod est esse simpliciter. Minor dupliciter probatur. Primo, secundum Philos. 1. & 5. Physicor. 1. de generat. & 2. Met. generatio est ad esse, ergo causa efficiens generationis est causa efficiens esse, ad quod generatio ipsa terminatur. Secundo, à quocunque ge-

neratur compositum, per eius actionem forma, est in materia, & formam esse in materia est, compositum habere esse, ergo generans compositum dat ipsi esse. probo minorem: quia si ipsa est falsa, aut ergo esse sequitur naturaliter ipsum compositum, quod est terminus generationis, aut præcedit ipsum naturaliter; si præcedit, ergo prius est esse compositi, quam ipsum compositum, quod est inintelligibile, si vero sequitur, & non per actionem generantis, sed ipsius Dei per se, ergo absque contradictione posset compositum ab agente naturali produci absque eo, quod Deus datet illi producto esse: imò simpliciter posset non dare illi esse: cum non agat ad extra naturaliter, & necessario, sed libere, & contingenter. Nec dici potest, quod esse non est à generante compositum, sed necessario concomitatur ipsum: quia non concomitatur ipsum, vt terminus actionis generantis, sed vt terminus actionis agentis primi per se, & non præcedens compositum, ergo vt sequens, & per consequens potest sine contradictione non sequi. Non potest ergo ex illa ratione D. Thomæ, qua dicit, quod esse est proprius Dei effectus colligi, quod creare sit propria actio Dei: Nam licet ex illa concludi possit, non esse communicabilem creaturæ potentiam creandi, quæ habeat pro obiecto adæquato ens creabile, vel ipsum esse, vt includit totam latitudinem esse creabilis, ex tamen non potest concludi, potentiam limitatam, ac determinatam ad aliquod genus, vel speciem entis creabilis creaturæ, communicari non posse; quod exemplo declaratur, potentia generatiua, seu eductiua de potentia materiæ, quæ se extendit ad omne generabile possibile, est propria solius Dei; eadem tamen ratio limitata ad certam speciem generationis communicatur creaturæ, cum dependentia ad primā causam. Ita in proposito diceretur, quod ex negatione potētiæ creatiuæ, respicientis totum creabile, non sequitur negatio potentiæ limitatæ ad certam speciem, quocirca ex eo, quod illa soli Deo conuenire posse concludatur, non inde concludi potest, istam limitatam creaturæ conuenire non posse.

Ad probationem propositionis improbatæ, nempe istius, esse simpliciter est proprius effectus Dei: dicit Scotus inualidam esse, quia ratio adducta peccat secundum æquiuocationem, vel altera præmissarum est falsa, quod sic ostendit. Nam aliquid potest dici vniuersalius dupliciter, vno modo secundum prædicationem; altero modo secundum virtutē, & perfectionem. Priori modo illud dicitur vniuersalius, cuius ratio dicitur de pluribus comparatiue; posteriori modo illud est vniuersalius, cuius perfectio est maior in se, & plurium perfectionum est contentiuum, & vniuersalius vtroque modo potest dici de causa, & de effectu.

Vniuersale duplex.

Hoc supposito dico primo, quod effectus vniuersalior, quo ad perfectionem, habet reduci ad causam vniuersaliorem, quo ad perfectionem; & effectus vniuersalior, quo ad prædicationē, debet reduci ad causam vniuersaliorem, quo ad prædicationem, atque ita esse potest reduci ad ens, quod est causa vniuersalissima, quo ad prædicationem.

Secundo dico: quod si maior intelligatur de vniuersaliori secundum prædicationem, & vniformiter in causa, & in effectu, id est, effectus vniuersaliores prædicatione debent reduci in causas vniuersaliores prędicatione, maior quidem est vera, & minor pariter, & sic concluditur, quod esse debet reduci in causam vniuersalissimam, secundum prædicationem, qualis non est Deus, sed ens, & hoc modo argumentum non concludit intentum. Si verò intelligatur maior, quo ad perfectionem solum, tunc maior est vera, & minor falsa: esse enim non est vniuersalissimus effectus, secundum perfectionem: quia quod includitur in pluribus non potest esse perfectius quocunque illorum in quibus includitur, inclusum enim non est perfectius includente, imò è contrario, vt patet de superioribus, & inferioribus, nam inferiora cunt superiora includant, & aliquid superaddant, sunt eis perfectiora; esse autem includitur in omnibus, &c. & confirmatur: quia si esse esset vniuersalissimus effectus, secundum perfectionem: cum quælibet res in actuali sua existentia includat esse, nulla res creata esset alia perfectior, quod est omnino ridiculum, & contra veram rationem. Est ergo esse vniuersalissimus effectus, non secundum perfectionem: quia effectus vt sic vniuersalissimus, vt inquit Scotus, est nobilissimum creabile, sed secundum prędicationem, vt etiam ipsi Thomistæ concedunt.

Si vero in maiori effectus vniuersalior, & causa vniuersalior sumantur vtroque modo vniformiter, scilicet secūdum perfectionem, iam dictū est, quod maior est vera, & minor falsa. Si vero in maiori accipiatur difformiter, ratio vniuersalis ex parte causæ, & effectus, puta ex parte effectus pro vniuersaliori prædicatione, & ex parte causæ pro vniuersaliori secundum perfectionem, vel vt dicunt Thomistæ, in essendo, vel causando, maior est falsa: nam effectus vniuersalissimus prædicatione potest esse à causa imperfecta: quia saluatur in pluribus effectibus imperfectis.

Ad confirmationē, quæ adducitur per Authorem de causis, dicit Scotus, quod probatio est ad oppositū, quia non absolute negat propositio illa intelligentiam date esse, imò magis affirmat, quia dicit quod non competit sibi dare esse, nisi in quantum operatur operatione diuina. Quinimo dicit Doctor, quod si ad propositū adduceretur illa propositio quarta, in qua dicitur, quod prima rerum creatarum est esse, non concluderet pro D. Tho. quod esse sit præcise terminus creationis, quia secundū aliquos illam propositionem explicantes, esse sumitur ibi pro prima intelligētia proxima Deo, adeo quod sit sensus: Prima intelligentia creata est omnium rerū creatarum prima. Vel accipitur ibi creatio, extendendo nomen creationis ad emanationē, siue ad primam productionem secundum rationem, & primitas eius sumitur secundum distinctionem rationū formalium in effectu, & secundum originem, non secundum perfectionem: Nam in vno quoque creabili prima entitas, secundum originem est ratio entis; primo enim est ens, quam substantia, & primo substantia, quam hæc substantia; itaq. ratio entis, ratio substantiæ, & huius substantiæ distinguuntur formaliter, vel saltem ex natura rei in hoc creabili: & primo secundum rationem intelligitur productio terminari ad ens, quam ad substantiam, & ad hanc substantiam, ita vt sit sensus quod ens modo quo esse in effectu distinguitur à perfectionibus essentialibus, est terminus primæ productionis, secundum rationem.

Caietanus, 1. p. Summæ, q. 45. art. 5. & Ferrariensis lib. 2. contra gentes, c. 21. & circa hanc propositionem, defendent eo tum, quod mentem D. Thomæ nō intellexerit. Inquit enim Caiet. quod magna differentia est inter aliquem effectum, & ipsum cum conditione per se primo: Vnde enim differt a. fit à b. & a. per se primo fit à b. in primo enim significatur solum, quod a. fit, at in secundo, quod per se primo fit. Vnde hæc duo esse fit, & esse per se primo fit distinguuntur plusquam cœlum & terra. In primo namque significatur tanū, quod esse terminat factionem; in secundo vero quod terminat, & modus quo terminat. In primo quoq. non infertur, ergo immediatè ante hoc non erat ens; in secundo autem sic. In primo rursus non infert agens proprium; in secundo autem infert agens proprium, & per se primo. In primo den ū non infert, quod in quocunque fiat ab illa causa; in secundo autem infert, quod in quocunque fit ab illo agente fit: quoniam oportet vniuersaliter ab illo agente fieri, a quo per se primo fit. In hac autem D. Thomæ ratione (inquit) nō fit fermo de effectibus, vt quomodolibet fiūt, sed vt per se primo fiūt, reductio enim per se primo fit. Vnde manifeste liquet, quod male intellecta est ratio ista a Scoto interpretāte eam de fieri effectu absque ly per se primo. Et ex his dicit, quod propositio illa D. Tho. esse est effectus proprius, & vniuersalissimus primæ causæ, est verissima; quæ hunc habet sensum: Esse est per se primo effectus Dei, hoc enim significat ly proprius, & non significat solum fit à tantum, vt Scotus intellexit, imponēs D. Tho. quod esse est effectus solius Dei, hoc enim inquit Caiet. nunquam somniauimus, imò omnē causam tenemus dare esse, virtute tamen primæ causæ.

Caietan.

Cæterum hæc Caietani responsio non euacuat rationem Doct. sub. Nam quæro, quid intelligat per esse effectū à causa per se primo; vel intelligit quod esse est adæquatus effectus primæ causæ, ita vt illud per se primo dicit adæquationem. Vel intelligit quod esse immediate est à prima causa, ita vt illud per se primo dicat immediationē. Si intelligat primo modo, duplicē potest habere sensum: alter enim, quod prima causa in plus non possit quā super esse, & sic non posset prima causa producere essentiam, cum sint ipsos distinguatur realiter ab esse, atque ita in omni productione ret essentia esset à causa creata, & esse à Deo, & iste sensus præterquam quod est falsus, non facit ad propositum. Alter sensus esse potest, quod solus Deus facere potest esse ex omnino nō esse, vel quia solus facere potest in qualibet re omnia, quę ad illius

Reijcitur responsio Caietan.

illius esse requiruntur:& hi sensus sunt veri, sed non deseruiunt ad rem præsentem. Non quidem primus, quia petitur principium, cum hoc sit probandum; idipsum dicendum est de secundo. Si vero accipiat illud per se primo, quatenus dicit immediationem, vt sit sensus, quod omne esse immediate creatura à Deo, tollitur omnis actio causæ secūdæ, & incidit in inconueniens, quod vitare intendebat. D. ceret forte Caiet. quod intelligit, quod solus Deus respicit esse factibile per se primo, id est, tanquam adæquatum obiectum suæ potentiæ, in quo sensu vera est propositio; sed ex hoc nō potest D. Thomas concludere, quod creatura non possit creare aliquid sub obiecto creabili contentum: Non enim valet hæc consequentia: solus Deus potest omne creabile creare; ergo creatura non potest creare lapidem: sicut nō tenet hæc sequela: Petrus non potest generare omnes homines, quia generaret seipsum, ergo non potest generare Ioannem: atq; adeo licet potentia creaturæ non possit respicere totum, & creabile pro adæquato obiecto, quin posset creare seipsum, diceret tamen aliquis, quod posset creare hoc speciale creabile, cuius cōtrarium ex illo principio probari haud potest.

Alij Thomistæ dicūt, quod sicut in cōstitutione domus, polire lapides, dolare ligna, hi effectus particularibus causis tribuuntur, vt fabro, &c. at vero domus ipsa tribuitur Architecto, tāquam causæ vniuersali, ita similiter D. Thomas, inquiunt, dicit causas particulares efficere effectus particulares, vt facere album, facere planam, &c. Verum effectus iste vniuersalissimus omnium, qui est ipsum esse, debet tribui ipsi Deo. Atqui hæc solutio indigna veris doctis videtur: Nam per hoc nō excluditur a causa secunda productio ipsius esse simpliciter, nam generatio substantiæ, quæ est a causa secunda, ad esse simpliciter terminatur, sed solum per eam habent hi Thomistæ, quod a nulla causa secunda potest oriri sicut a causa adæquata ipsum esse, vt sic, sed a solo Deo; vel quod vt causæ principali soli Deo tribui debet, sicut domus Architecto.

Alij dicūt, quod solus Deus dicitur causare ipsum esse, & non causa secunda: quoniam vt agens dicatur per se, & simpliciter causa alicuius rei, debet producere vniuersa requisita ad consistentiam illius: at solus Deus omnia requisita ad rei consistentiā producit, tam materiam quam formā, quia materiam necessario præsupponunt in suis actionibus. Contra in primis hæc responsio stare non potest cum doctrina D. Th. quia secundum ipsum totum esse saltem existentiæ est a forma, cuius agens creatum est causa, cum materia nullam existentiam nisi a forma habeat secundum ipsum, ergo non solus Deus est causa esse rerum. Præterea simpliciter & absolute generās creatum dicitur à Philosophis causa geniti & esse, quod per generationem accipit; ergo vt causa secunda dicatur simpliciter, & absolute causa esse, quod per generationem acquiritur, nō videtur necessario quod materiam etiam producat. Item esse totius re ipsa distinguitur ab esse partium, secundum probabiliorem Philosophorum sententiam; ergo qui producit totum, licet ambas partes non producat, poterit dici eius causa simpliciter.

Ad improbationem probationis primæ propositionis D. Thom. Ferrariensis loco supra relato, & Caiet. respondent, quod vniuersalitas accipitur in causa secundum perfectionem, & in effectu secundum prædicationem, ita tamē quod illa causalitas in causa non solum sit in ordine ad communē rationem vniuersalis, quod de pluribus effertur, sed etiam quantum ad totum ambitum illius rationis, vt sit sensus, q̄d effectus vniuersalissimus secūdum prædicationem, quantū ad omnia, quæ suo ambitu continet, & in quantum talis, nō potest esse nisi à causa vniuersalissima secundum perfectionem: esse enim, quod est effectus vniuersalissimus, quo ad omnia, quæ suo ambitu continet, non potest esse nisi a causa vniuersalissima, quæ est Deus, sicut esse hominis vt sic, quo ad omnia, quæ suo ambitu continet, non pōt esse nisi ab aliqua causa perfectiori tota specie humana; continet enim esse hominis toto suo ambitu omnes homines, atque ita esse hominis, prout suo ambitu omnes homines continet, non pōt produci ab aliquo particulari homine, quia alias se ipsum produceret, sed præcise ab aliqua causa perfectiori tota specie humana: ita esse creabile secundum totum suum ambitū cum omnia entia creata contineat, siue in omnibus entibus creatis includatur, non potest ab aliqua creatura produci, quia alias seipsam produceret, sed est præcise producibile a causa perfectiori toto ente creato. Ita videtur exponendus Ferrariensis & Caiet. locis citatis, aut inintelligibiliter loquuntur.

Et hanc responsionem tangit Doct. in hac quest. sub lit. C. *Scotus.* §. Hic dicitur, confirmando illam rationem, &c. quod debet intelligi de effectu vniuersaliori, per prędicationem, & hoc in quantum huiusmodi. Nunquam enim effectus vniuersalior prædicatione in quantum huiusmodi, potest esse nisi à causa vniuersaliori secundum perfectionem, licet enim homo possit esse ab homine, non tamē in quantum homo pōt esse nisi a causa perfectiori tota specie hominis; ergo a simili esse in quantum huiusmodi, id est, secundū totum ambitū, non pōt esse nisi à causa vniuersaliori s̄m perfectionem toto esse creabili: esse ergo in quantum huiusmodi est terminus creationis; vnde prius dictum est, quod esse non in quātum hoc, vel tale, sed simpliciter, est terminus creationis.

Verum hæc responsio impugnatur a Scoto vbi supra in hunc modum: D. Thom. vbi præfatam rationē posuit, quærit, an solius Dei sit creare, vel ergo quærit, an solius Dei sit creare omne creabile: vel an aliquid aliud a Deo possit creare aliquid inferius se. si primum; ergo non intendit quęrere aliquam quæstionem dubitabilem: Nam quæstio in illo primo sensu includit, an aliquid aliud à Deo possit creare seipsum, de quo nullus vnquam dubitare potuit secundum D. Augustin. 1. de Trinit. c. 2. & 2. de anima, t. c. 47. Si secūdum vti res se habet accipiatur maior rationis, secundum expositionem Ferrariens. quæ est etiam Gotfredi; tunc nihil concludit, quod patet conficiendo rationem in hunc modum: *D. August. Arist.* Effectus vniuersalissimus prædicatione in quantum huiusmodi est à causa vniuersalissima secundum perfectionē, sed esse est huiusmodi, sequitur hæc conclusio; ergo esse in quantum huiusmodi, vel vt plus detur eis ad propositum, ergo esse creabile in quantum huiusmodi non potest esse nisi à causa vniuersaliori secundum perfectionem toto esse creabili, sicut nec esse hominis, vt sic, pōt esse nisi ab aliqua causa perfectiori tota specie humana; sed ex hoc non sequitur, ergo esse huius creabilis non potest esse nisi a causa tali, scilicet vniuersalissima secundum perfectionem, & toto esse creabili perfectiore, sicut non sequitur esse hominis in quātum tale; non potest esse nisi a causa perfectiori tota specie humana, ergo neque esse huius hominis, nam homo ab homine generatur, qui tamen non est perfectior tota specie humana, quia esset seipso perfectior.

Ex his sequitur, quod vel illa ratio, secundum expositionem istorum nihil concludit, vel est in ea fallacia consequētis: Nā si inferuntur in ea, quod esse creabile in quantū huiusmodi non potest esse nisi à causa toto esse creabili perfectiore: nihil concludit, quia petit principium; si vero inferatur, ergo nec esse huius, peccat secundum consequens, arguitur enim a negatione antecedentis ad negationem consequentis: Nam ad creationē omnis creabilis sequitur creatio huius creabilis; quia si potest creare omne creabile, ergo & hoc creabile, sed nō sequitur, nō potest creare omne creabile, ergo non potest creare hoc creabile, sed vt dixi, est fallacia consequentis a negatione antecedentis ad negationem consequentis. Quod nota contra Tataretum, qui dicit, quod arguitur a superiori ad inferius affirmatiue, siue a positione consequentis ad positionem antecedentis.

Sequitur etiam secundum expositionem Ferrariens. vel quod quæstio D. Thomæ, quia quærit, an solius Dei sit creare, nulla sit: vel si est dubitabilis, & tenet partem affirmatiuā propter rationem sic explicatam, erit ratio sophistica secundum consequens. Si vero dicatur, quod in isto producto est cōsiderare esse huius, & esse simpliciter; & quod primo modo esse est effectus causæ particularis, at secundo modo esse est effectus causæ vniuersalissimæ secundum perfectionem. Contra, quia esse simpliciter in isto, & esse huius, non sic distinguuntur, quòd ab alia causa effici possit esse huius, quin ab eadem sit esse simpliciter, quod est in isto. Præterea satis a veritate alienum videtur asserere, quod terminus creationis sit ens, in quantum ens, reduplicatiue sumptum.

Breuiter concedit Scotus, esse secundum communem, & vniuersalem rationem, quam habet respectu omnium, soli Deo tribui, vt propriæ causę, nec vllam causam creatam circa illud versari posse, ex opposito enim plane sequeretur, aliquam causam creatam se ipsam posse creare, nam si virtus causæ creatæ versaretur circa esse secundum totam communitatem; se ipsum creare posset, quia sub eo contineretur; at si se ipsam non posset producere, virtus eius non posset cōplecti

plectt

Digitized by Google

plecti ens secundum totam latitudinem. Ex hoc tamen, inquit Scotus, non recte colligitur, soli Deo tribui creationē. Cum enim sic subsumunt: Causa vt aliquid creetur, est esse secundum rationem simpliciter ipsius esse, aut falsum subsumunt, aut nihil inde inferre possunt. Nam si ita dicant: ratio formalis termini creationis, est esse secundum communem rationem, hoc est, vt complectitur sub se omnia entia, manifeste falsum asserunt, neque enim qui creat producit omne ens, cū creat, sed particulare. Si vero sic dicant, ratio formalis termini creationis est vniuersa & tota entitas rei productæ, hoc est, res ipsa secundum omnem sui partem, verissimum est, inde tamen non fit, vt terminus creationis sit vniuersalis ratio entis, aut esse in quantum esse, neque fit vt si aliqua creatura produceret angelum de nihilo, vel compositum aliquod ex materia & forma, secundum se totum posset etiam facere omnem creaturam.

Dicere namque aliquis posset, virtutem illius amplecti totum esse illius rei, non autem totum esse alterius secundū omnem illius partem, ex quo sequeretur, posse creare hanc rem, non autem illam: Deum verò ita posse creare totam entitatem rei, vt non solum in hac re, sed in quacunque alia possit. Et ita respectu virtutis in illo obiectum adęquatum esset ens secundum totam communitatem, non autem virtutis creantis in aliqua creatura.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum creatura ex eo creare nequeat, quia inter esse & non esse est infinita distantia.

Henricus. *Richardus.*

HEnricus de Gandauo quol. 4. quæst. vltima, vbi quærit, vtrum in Sacramentis nouæ legis sit virtus supernaturalis creatiua gratiæ; & Richardus in 2. d. 1. art. 4. quæstio. 4. probant, creaturam creare nō posse ex infinita terminorum distantia in hunc modum: Super distantiam infinitam non potest nisi virtus infinita, sed inter terminum creationis à quo, & ad quem, scilicet nihil & ens, est distantia infinita, ergo non potest virtus aliqua, quæ non sit infinita, ex nihilo aliquid producere. Maior probatur, quia quanto distantia est maior, tanto transitus est difficilior, & maiorem requirit in agente virtutem, ergo distantia infinita infinitam virtutē requirit. Probo minorem, quia quacunque distantia finita data contingit intelligere maiorem: sed nulla maior potest intelligi, quam illa, quæ est inter nihil & ens, ergo, &c. Et cōfirmatur hæc minor; quia æqualis est distantia inter duo contradictoria, & inter omnia, sed inter totum ens, & nihil est distantia infinita, eo modo, quo sub ente creabili possibile est infinitatem contineri, adeo vt super illam non possit nisi virtus infinita; ergo infinita distantia est inter animam, & non animam, siue inter quodcunque creabile, & eius negationem. Et confirmatur iterum: Inter omnia contradictoria est æqualis distantia, sed distantia inter aliqua contradictoria est infinita, vt inter Deum, & non Deum, ergo & inter nihil, & aliquid; & per consequens virtus productiua alicuius de nihilo erit infinita. Hęc ratio est etiam Alberti Magni in 2. dist. 1. art. 7.

Albertus.

D. Thomas.

Ex isto medio D. Thomas 1. part. quæst. 45. art. 5. in solut. 3. sic arguit: Tanto maior requiritur virtus in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, ergo vbi nulla est potentia, requiritur infinita virtus in agente, atq; adeo cū non entis ad ens nulla sit proportio, ad producendū aliquid ex non ente requiritur virtus infinita, & per consequens creatura creare non potest, cum eius virtus necessario sit finita. Prior consequentia probatur, quia sicut se habet potentia ad potentiam, ita virtus ad virtutem, sed nullius potentiæ ad aliquam potentiā nulla est proportio, ergo nec virtutis ad virtutem, atque ita debet esse virtus infinita. Hæc ratio D. Th. in hoc consistit, quòd tanto maior virtus causæ efficientis requiritur ad educendum aliquem effectum ex aliqua potentia passiua, quanto magis potentia passiua est impedita & remota ab eo effectu, atque adeo ad educendum effectum ex nulla omnino potentia, nempe ex nihilo, virtus requiritur sine vlla proportione maior, quam ad educendum ex aliqua potentia, atque ita infinita requiretur ad id virtus, quæ repugnat creaturæ: nam nulla est quoque proportio inter aliquam potentiam, & nullam potentiam.

Cæterum hanc rationem haud propositum concludere ostendit Doct. Sub. in hac q. sub lit. F. §. Secunda ratio principalis, &c. Pro cuius cōfutationis intelligentia obseru. est primo, quod distantia inter aliqua extrema est duplex, quędam enim est positiua, & quædam est negatiua; prior est, quæ reperitur inter extrema positiua, posterior est, quæ inter extrema consistit, quorum alterum est positiuum, & alterum negatiuum, vt quæ est inter duo contradictoria, scilicet inter hominem, & non hominem. Distantia positiua est duplex, vna immediata, & altera mediata; distantia immediata est, cuius alterum extremum necesse est verificari de quolibet, verbi gratia, omne quod est, vel est Deus, vel creatura: mediata vero distantia est, cuius alterum extremum non est necesse de quolibet verificari, & est illa quæ reperitur inter quantitates; distat enim palmus à digito, sed non distantia immediata: quia non omne quod non est palmus est digitus, cum ita bene possit dari aliqua distantia, quæ non sit inter palmum, & digitum; vel distantia mediata est, quæ mensuratur penes spacium, quod est inter extrema, vt inter hos duos parietes tanta est distantia quantum est spatium intercedens.

Distantia est duplex.

Secundo obseruādum est, quod in distantia positiua immediata, quanto alterum extremum est nobilius, tanto distantia est maior, & ratio est: quia distantia nihil est aliud, quam excessus, quam habet extremum nobilius super ignobilius, & si excessus est infinitus, qualis est inter Deum, & creaturam, etiam distantia est infinita; Quādo autem distantia est mediata, tanta est distantia, quantum est medium, quod iacet inter extrema, verbi gratia, tanta est distantia vnius parietis ab altero, quantum est medium inter ipsos parietes intercedēs. Distantia vero negatiua tanta est inter extrema, quantum est extremum positiuum; & si extremum positiuum est infinitum, distantia infinita erit, si vero finitum, & distantia erit finita; & ratio est: quia distantia negatiua non attenditur ex parte medij: quia inter illā extrema non est medium, atque ita est semper distantia immediata; cum inter contradictoria non sit medium; non potest etiam distantia illa attendi, aut mensurari penes extremum negatiuum: quia extremum negatiuum non distat ab extremo positiuo nisi in deficiendo, extremum autem negatiuum tātum negat, quantum positiuum ponit: ergo cum in omnibus contradictorijs (præterquā in hac contradictione, Deus, non Deus) extremum positiuum ponat aliquod finitum, omnis distantia negatiua erit necessario finita, quando alterum extremum est finitum, atque ita distantia, quæ reperitur inter quodcumque ens creabile, & non ens, necessario est finita, quia non ens tantum negat, quantum ens creabile ponit.

Quomodo vna distantia fit altera maior.

Tertio obseruandum est, quod infinitum capitur dupliciter: vno modo pro illo, quod excedit in infinitum omne finitum, & talis est Deus: secundo modo sumitur infinitum pro indeterminato, & in hoc sensu aliqua distantia dicetur infinita; quia non est determinata, sed potest esse maior, & minor; ex quo infertur, quod quando alterum extremum contradictionis non est infinitum simpliciter, distantia est finita simpliciter. Verum quia in cōtradictorijs non est determinata distantia, quia potest esse maior, & minor prout extrema positiua sunt perfectiora, vel imperfectiora, ideo distantia inter contradictoria dicitur infinita non primo, sed secundo modo.

Infinitū sumitur bifariam.

Quarto obseruandum est, quod inter ens, & non ens nō est simpliciter necessaria infinita distantia; sicuti est inter Deum, & non Deum: quia licet ens prædicetur de Deo, nō tamen conuertitur cum Deo, atque ita ens in quantum ens, nec est finitum nec infinitum positiue, atque adeo cum ens abstractum à Deo, & creatura non sit infinitum, nec distantia, quæ est inter ens commune Deo, & creaturæ, & non ens, non est infinita simpliciter, & primo modo, sed tantum secundo modo, scilicet indeterminate.

Inter ens & non ens, non est infinita distantia.

Quinto obseruandum est, quod licet inter positiuum, & negatiuum nulla sit proportio, nihilominus ex hoc non sequitur, ergo nulla est proportio inter virtutem, quæ potest in positiuum, & illam quæ potest in negatiuum, quia illæ virtutes sunt entia positiua; & illa non proportio, quæ est inter extrema, quorum alterum est negatiuum, non est propter distantiam, quæ inter illa reperitur, sed quia nulla datur proportio negatiua, quia proportio negatiua est nulla proportio, & nulla proportio non est proportio, quia proportio cum sit relatio requirit extrema positiua.

His obseruatis respondetur ad rationem, & primo nego maiorem

mainrem, quia re vera inter ens & nihil nulla videtur esse distantia, vel certe solum est illa, quæ mensuratur perfectione entis, quod ex nihilo producitur, quam constat esse finitam Primum patet, scilicet quod nulla re ipsa sit distantia inter ens & nihil, quoniam distare vt etiã distingui, est solius entis, vnde ipsum nihil per se, nullam re ipsa constituit distantiam, sicut nec ipsum nihil distinguitur à parte rei ab ipso ente. Et si dicas, ergo est idem cum ente, & similiter ergo non distat ab ente Respondeo, nec distat, nec non distat, nec distinguitur, nec non distinguitur a parte rei. alterum.n. horum solum de ente reali à parte rei verificari oportet, per operationem autem intellectus ipsum nihil apprehendimus vt ens rationis, quare distat ab ente secundum rationem, sed hæc distantia non est ad propositum, quia Deus non producit ex entitate rationis, quã habet nihil à nostro intellectu; neque ex ea produceret creatura si crearet, ita respondent Durandus in 2.d.1.q.4.num.25 & Gabriel eadem d.q.4. artic.3.dub.1 §. Nec valet dicere &c.

Durandus. Gabriel.

Cæterum admissa maiore, cum Doct. sub. nego minorẽ: quia quando extrema sunt immediata, & positiua, tanta est præcise eorum distantia, quantum est extremum alterum maius; tanta enim est distantia Dei à creatura etiam suprema possibili, quantus est Deus, hoc patet exemplo & ratione, exemplum est in quantitatibus, in quibus est distantia per aliquod medium interiacens, & ideo secundum quantitatem spacij interiacentis est illa distantia quanta, ergo per oppositum vbi non est medium interiacens, distantia non erit quanta, nisi secundum quantitatem alterius extremi. Ratio est: quia nihil aliud est distantia hæc nisi excessus vnius extremi super alterum, nempe excedentis super excessum: ergo quando extrema sunt immediata, quantitas excessus erit secundum quantitatem excedentis, atque adeo cum quælibet affirmatio entis creabilis sit finita, sequitur quod distantia huius affirmationis ad oppositam negationem erit finita. Quod autem distantia inter ens, & non ens sit immediata, patet ex Arist. 1. Post. t. c. 5. dicente: Contradictio est cuius non est medium secundum se.

Aristot.

Quod si fingas, inquit Scotus, infinitatem ex parte nihil; hoc nihil est: quia nihil non distat ab aliquo nisi deficiendo. Non plus autem deficit nihil ab ente, quam ens illud ponat in re, vt supra dicebamus: Quod etiam patet: quia comparãdo nihil ad nihil, nulla est distantia, ergo non plus distat nihil ab aliquo, quam ens ponat in re, & in effectu.

Ex his itaque patet minorem rationis Hen. de Gand. & Alb. Mag. esse falsam, intelligendo distantiam infinitam positiue, hoc est, in infinitum excedentem omnem distantiam finitam, de qua etiam infinitate est intelligenda maior vt sit vera; Non enim potest aliter concludi infinitas virtutis agẽtis, quæ potest super illam distantiam: Nam si distantiã inter terminos creationis nõ est infinita positiue, ergo cum super huiusmodi distantiam possit aliquod agens, non concludetur esse virtutis infinitæ.

Quomodo inter contradictoria sit infinita distãtia.

Sed rogabit aliquis quomodo saluari poterit commune dictum, scilicet inter contradictoria est infinita distantia? Respondet Scotus per distinctionem de infinito, quam posuimus supra in 3. notabili, scilicet quod infinitum bifariam sumi potest: primo pro excedente simpliciter quantumcunque finitum in infinitum. Secundo pro indeterminato. Primo modo commune dictum est falsum, verum autem secũdo modo. Nulla enim est distantia ita parua, quæ non sufficiat ad contradictionem: quia quantumcunque modicum aliquid recedit ab vno extremo contradictionis, statim est sub altero, contradictiones ergo possunt comparari, vel quo ad distantiam, & excessum vnius extremi super aliud, vel quo ad repugnãtiam, & incompossibilitatem, vt de eodem verificentur; si primo modo considerẽtur, vna contradictio est maior altera, si vero cõsiderẽtur secũdo modo, æqualiter distãt; quia æque impossibile est extrema vnius contradictionis verificari simul de eodem, sicut cuiusuis alterius.

Ad probationem minoris dicit Sco. quod minor est distinguenda: nã cum dicitur quod nõ contingit intelligere maiorem ista &c. si intelligatur positiue, & intensiuę seu formaliter, est falsa: maior enim est distantia formaliter, & positiue inter Deum, & non Deum, quam inter ens, & non ens: quia Deus est extremum infinitum positiue, & formaliter, non tamen ens, vt sic: permissiue tamen est vera; quia ratio entis in re infinita esse potest: non enim sibi infinitas repugnat. exemplo res declaratur, plus perfectionis ponit leo positiue, & formaliter, quam animal in sua ratione intrinseca, atque ita leo est animali perfectior; cæterum permissiue animal est leone perfectius: quia ratio animalis saluari potest in aliquo perfectiori quam sit leo, vt in homine. Ita in proposito ens formaliter, & positiue secundum suam rationem non est perfectius substantia, aut homine, quia tũc omne ens esset homine perfectius; permissiue tamen est perfectius omni ente finito: quia in ente infinito saluatur eius ratio. Dico ergo, quod si ens sumatur permissiue inter ens, & non ens est distantia infinita, si autem sumatur positiue, & formaliter est distantia finita.

Ad confirmationem dico, quod non omnes contradictiones sunt æquales: vna enim contradictio est maior alia, plus enim distat Deus à non Deo, quam anima à non anima, quia nulla virtus potest facere de non Deo Deum, nec e cõuerso, aliqua tamen virtus potest facere de non anima animam, & e contrario; nec quælibet contradictio est infinita: quia tunc vna contradictio non posset esse maior alia (infinitum.n. non potest excedi) at ex dictis vna contradictio est maior alia. Per idem patet ad aliam probationem, quod totum ens creatum plus excedit nihil, quam anima excedat non animam, sicut totum ens creatum in se est perfectius, quam anima: tamen æque incompossibilis est non anima cum anima; sicut nihil cum toto ente, sed hoc non arguit propositum.

Posset etiam ad argumentum admissa maiore & minore aliter responderi, negando consequentiam: Nam quamuis esset distantia infinita inter nihil, & ens; tamen non ideo ad producendum ex nihilo esset requisita virtus infinita; illam enim distantiam non ita oportet absolui, quasi agẽs debeat positiue tãgere ipsum nihil, & ab eo vsque ad ens quasi per quandam distãtiam peruenire. Nam neque hoc facit Deus, cum ipsum nihil minime sit secundum rem tangibile, sed absoluitur illa distantia hoc ipso, quod res tota secundum se producitur: quæ cum in se sit finita, non videtur in eius causa creante propter illam quidem qualemcumque distantiã nihil à re, requiri virtutem infinitam.

Ad rationem ex D. Thoma, concedit Doct. quod distantia nullius potentiæ ad actum, non habet proportionem aliquam ad illam; quæ est alicuius potẽtiæ ad actum, ita quod nullius potentiæ ad aliquam potentiam non est aliqua proportio, bene tamen potentiæ ad potentiam: & ratio est: quoniam potentia, & nulla potentia sunt extrema, inter quæ nõ est nata esse proportio: quia alterum non est quantum nec quantitate molis, nec quantitate virtutis; virtus vero & virtus, idest, potentia, & potentia sunt quantæ & positiuæ, atq; adeo inter eas proportio esse potest; sicut igitur non entis ad ens non est proportio, ita nec entis ad nihil, nec nullius potentiæ ad aliquam potentiam, sed ex hac improportione non sequitur, quod virtus quę potest super distantiam, quę est inter ens & non ens, seu inter nullam potẽtiam & actũ, sit improportionabilis virtuti, quæ potest super distantiam alicuius potentiæ ad actum, (& nota quòd est hic sermo de potentia subiectiua, & non de potentia actiua) ratio est: quia ista improportio inter ens & non ens, non est propter infinitatem in altero extremo; sed quia alterum non habet aliquam quantitatem, secundum quam possit proportionari: quia proportio non est nisi inter entia quanta: exemplũ, punctus est improportionabilis lineæ: quia non quantus, ergo virtus quæ potest super punctum, est improportionabilis virtuti, quæ potest super lineam: non valet consequentia: quia virtus, & virtus natæ sunt habere quantitatem virtutis, & per consequens proportionem secũdum virtutem, nisi altera sit infinita: at vero inter punctum, & lineam nõ est proportio propter defectum quantitatis in puncto. Ita in proposito. Similiter nulla est proportio distantiæ inter lumen & tenebras, ad distantiam quæ est inter calorem, & frigiditatem, ex hoc tamen non sequitur quod virtus, quæ non potest super priorem distantiam sit improportionabilis virtuti, quæ potest super posteriorem, & per consequens quod sit infinita: quia eadem virtus solis potest super vtramque, aerem.n. de tenebris deducit ad lumen, & de frigiditate ad calorem. ex quo infertur, quod prima distantia, quæ est inter lumen & tenebras, licet sit improportionata distantiæ, quæ est inter calorem, & frigiditatem, non est tamen infinita: & ratio est, quia huiusmodi improportio non prouenit ex infinitate alterius extremi, sed quia non est nata esse proportio inter ea.

Posset

Digitized by Google

Posset etiam ad rationem alio modo responderi admittē do quòd ad producendum effectum ex nulla omnino potē tia requiratur virtus sine proportione maior, ea quæ educit effectum ex aliqua potentia passiua, non tamen infinita; mo do esset diuersi cuiusdam & altioris ordinis in agendo: Nā non solum distantia infinita, sed etiam diuersitas ordinis, atque generis inter aliqua duo potest obstare, quo minus sit aliqua propotio inter ea secundum aliquam rationem: linea enim. Ver.g. vnius cubiti non est infinita, & tamen inter illam & punctum nulla est proportio. Item potentia intellectiua non excedit infinite potentiam aliquam sensitiuam, & tamen inter illam, & potentiam sensitiuam, nulla est in ratione cognoscendi proportio: quia nimirum est potentia cognoscendi cuiusdam alterius ordinis.

Ita in proposito possemus intelligere nullam esse proportionem inter virtutem actiuam ex nihilo, & virtutem actiuam ex aliquo; si virtus actiua ex nihilo esset altioris cuiusdam ordinis, quam vlla virtus actiua ex aliquo, tametsi nō esset infinita simpliciter. Adde, quod vt illa ratio valeret, oporteret ita proprie, & positiue educi rem ex nihilo per creationem, vt educitur res ex aliqua potentia per generationem, secus autem est. Nam educi rem ex nihilo, aliud nihil est, quam non educi ex aliquo, sed produci secundum se totum vt diximus in 2. dist. 1. q. 2. Posset etiam negari illius rationis consequentia. Nam nihil non est aliqua potentia subiectiua, de qua res educatur, & quæ sine comparatione sit magis impedita, & remota ab effectu, quam aliqua potentia, sed est merum nihil.

Caietan. Cæterum Caiet. 1. p. q. 45. art. 5. circa solutionem tertij, infirmare conatur Scoti responsionem, & rationem D. Thomæ roborare. Nam ratio D. Thomæ, inquit, non fundatur præcisè super improportionem primorum extremorum, scilicet ens, & non ens, vt Scotus dissimulare videtur: sed quia creans producit rem ex nulla potentia: quoniam virtus facientis non solum consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi: maior enim calor non solum magis, sed etiam citius calefacit, ergo virtus creantis non solum consideranda est ex perfectione rei factæ, sed etiam ex modo faciendi. Tunc sic tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, ergo vbi nulla est potentia requiritur infinita virtus ex parte agentis. Probatur sequela, sicut se habet potentia ad potentiam, ita se habet virtus ad virtutem, sed nulla est proportio potentiæ in nullam potentiam, ergo nec virtutis ad virtutem, & per consequens debet esse virtus infinita. Præterea secundo quandocunque duo ita se habent, vt quantum vnum minuitur tantum aliud augeatur, tunc si vnum minuitur vsque ad non gradum, alterum debet augeri in infinitum.

Arist. Hinc enim Arist. 4. Physi. t. 72. probat motum in vacuo debere esse infinitę velocitatis. Nam medium, & velocitas motus ita se habent, vt quanto est minor resistentia medij, tanto sit motus velocior; vnde cum in vacuo sit diminuta resistentia medijs vsque ad non gradum: quia in vacuo nulla est resistentia medij, consequens videtur motio in vacuo debere esse infinitę velocitatis; sed potentia ex quo aliquid producitur, & virtus agentis ita se habent, vt quanto est minor potentia, tanto maior virtus agentis requiratur, vt educat effectum ex illa, ergo quando potentia minuitur vsque ad non gradum, vt fit in proposito, cum ipsum nihil nulla sit potentia, erit requisita virtus agentis infinita, vt agens producat ex nihilo.

Præterea tertio, si ad producendum ex nulla potentia nō requiritur virtus infinita simpliciter, sequeretur virtutem potentem producere ex nihilo, & virtutem potentem facere ex aliqua potentia, posse esse æquales, quod est absurdū. Nam virtus finita producens ex nihilo sit a, virtus autem producens ex aliqua potentia sit b, & virtus a, faciens ex nihilo excedat virtutem b, producentem ex aliqua potentia, quæ dicatur c, in decupla proportione, deinde sumatur aliqua potentia subiecti, quæ sit minor c, in decupla quoque proportione, tunc plane sequitur virtutem, quæ educeret effectum ex potentia illa minori in decupla proportione, quam c, esse decuplo maiorem, quam virtutem b, quia de potentia in decuplo minori educit effectum. Erit igitur æqualis virtutis, quæ ex nihilo producit, siquidem hanc decuplo tantum maiorem esse diximus, quam virtutem b.

Refelluntur rationes Caiet. His rationibus videtur sibi Caiet. de aduersarijs palmam reportare, quæ meo iudicio non minus infirmæ sunt, quam ratio D. Thomæ, & prima quidem, quæ est eadem cum ratione D. Thomæ, soluta est. Nō enim valet ista consequentia nulla est proportio alicuius potentiæ ad nullam potentiam, ergo nec virtutis, quæ potest super aliquam potentiam, ad virtutem, quæ potest super nullam potentiam; & ratio est, vt diximus, quia virtus, & virtus sunt entia positiua, & quāta quantitate virtutis: atque adeo inter eas potest esse proportio; at inter aliquam potentiam, & nullam potentiam; non est dabilis aliqua proportio, cum non sint ambo entia quanta, & positiua. Et est simile si dicatur nulla est proportio lineæ ad punctum, ergo nulla est proportio virtutis, quæ potest super punctum, ad virtutem, quæ potest super lineā non valet consequentia: quia virtus, quæ potest producere lineam, potest producere punctum, cum producendo lineā producat punctum. Quare cum non probetur distantia infinita inter ens, & non ens, non video ex creatione, quæ est productio ex nihilo, colligi potentiam infinitam ad creandum.

Ad secundum præterquam, quod doctrina Arist. solum procedit supposita quorundam Philosophorum opinione, qui dicebant totam motus successionem velocitatem, & tarditatem sumendam esse ex maiori, aut minori spatij resistentia, quæ tamen est falsa, vt ostendimus in 2. d. 2. quæst. 9. in sol. vltimi principalis. Exemplum prædictum etiam si veram doctrinam contineret, nihil probaret, concedimus enim motum futurum in instanti si resistentia medij prorsus euanesceret, veruntamen inter motum in instanti, & motum in tempore quocunque determinato, non esset distantia infinita, neque excessus infinitus, solum differre possent ad summum, sicut vna species differt ab alia. Hinc ergo non argueretur potentia infinitę virtutis ad mouendum in non tempore, siquidem distantia non est infinita, nisi aliunde repugnaret motus in non tempore: Nam licet motus, vt dicunt Philosophi, possit fieri velocior in infinitum, id tamen intelligitur secundum partes proportionales, & communicantes; nam secundum non communicantes tantum posset crescere velocitas, vt fieret in non tempore si aliunde non repugnaret, vt re vera repugnat, vt dicemus infra dist. 10.

Ad rationem ergo nego maiorem: non enim est necesse, quod si vnum minuatur vsque ad non gradum, quòd alterum infinite augeatur, sed solum sequitur, quod augeatur quantum potest, & est necessarium, verbi gratia, quam tus agente igne in aquam, frigus aquæ, & calor productus in illa ita se habent, vt quantum vnum minuitur tantum alterum augeatur, non tamen sequitur, si frigus minuatur vsq. ad non gradum, vt cum denique ex aqua fit ignis, debeat augeri calor infinite, sed solum sequitur, vt augeatur quantum potest, scilicet vsque ad gradum summum, vt octo, & idem dici potest de velocitate motus in vacuo, quæ tūc erit summa velocitas, quæ potest esse, quantum est ex parte medij, non tamen erit infinita. Nec mens Arist. fuit ostendere motum in vacuo futurum infinitæ velocitatis, sed vocat infinitam, id est, non limitatā intra illam latitudinem velocitatis, quę potest motui conuenire, quantum est ex parte medij. Sic in præsenti dico ex diminutione potentiæ passiuæ vsque ad nihil, non sequi esse necessariam simpliciter virtutem infinitam ad producendum ex nihilo, sed maiorem quandam, & altioris ordinis virtutem agentis, quam sint omnes virtutes actiuæ creaturarum, quæ iam extant, & solum possunt producere ex subiecto; nec est necessarium, quod hæc summa virtus sit infinita, sed erit finita alioris tamen, & altioris ordinis.

Et per hoc patet etiam responsio ad tertium, nego enim virtutem vnam potentem producere ex aliquo, & aliam potentem producere ex nihilo esse proportionabiles, quo negato cessat tota argumentatio: quamuis enim vtraque sit finita; tamen si minime conueniant in modo agendi: quia cū altera sit ordinis altioris nulla potest dari proportio inter eas. Vnde quantumuis sit maior virtus potens producere ex aliquo, nunquam potest esse æqualis virtuti potenti producere ex nihilo: sicut punctum, & linea sint quid finitum, tamen quia non conueniunt in ratione quantitatis, nō possunt in illa proportionari. Ita dico de illis virtutibus, quia non conueniunt in modo quidem agendi. Argumentum ergo Caiet. supponit falsum, & sophisticum est. Nam vt aliquid probet supponere debet necessario hoc augmentum, & decrementum virtutis, ex augmento, & decremento po-

tentiæ

Digitized by Google

tentiæ subiectiuæ fieri secundum gradus eiusdem formæ intensione, aut remissione, quo pacto assignari posset decupla illa proportio vnius ad alterum, atque argumentũ vim haberet; at hoc est falsum: Nam dicere possumus, virtutem, quæ ex nulla potentia producit effectum, finitam esse, & maiorem esse quacunque alia, quæ ex aliqua potentia effectũ producit; Verum nec proportione decupla, nec alia geometrica ipsam excedere, sed quodammodo infinite, sicut vna species excedit aliam; eo quod illa virtus est distinctæ speciei à quauis alia virtute educente effectum de aliqua potentia; sicut virtus intellectus differt à virtute sensus, non autem in decupla, aut maiori proportione ipsam excedit, sed tali gradu specifico, vt quantumuis crescat in infinitum sensus, nũquam perfectionem intellectus attingat, id quod de omnibus speciebus eodem modo dicendum est.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum rationes Aegidij de Roma, & Petri de Tarant. & aliorum ostendunt, quod creatura non possit creare.

Ægidius.

AEgidius de Roma, quol. 5. q. 1. vbi quærit: An Deus potuerit creaturæ communicare potentiam creandi; antequã probet partem negatiuam notat primo, quod omnis natura creata, vel est potentia pura, sicut natura materiæ primæ; vel est actus admixtus potentiæ, vt quælibet alia natura creata, nulli autem communicari potest, quod non sit quid in potentia, vel quod non habeat potentialitatem admixtam; atque adeo cum ipsum esse de se dicat, & sit actus entis in eo quod ens, nulla creatura poterit immediate in ipsum esse; potest ergo creatura transmutare materiam, & transmutando potest inducere formam, & inducendo formam potest dare esse, non autem potest immediate dare esse, & ideo motus qui est actus admixtus potentię iuxta illud Philos. 3. Physic. t. c. 6. Motus est actus entis in potentia, &c. potest esse immediatus effectus creaturæ, non autem esse.

Natura creata duplex.

Secundo notat, triplicem esse naturam, vnam quæ est potentia pura, vt natura materiæ, & hæc non potest per se in aliquem actum; alia est natura, quæ est actus purus, & hęc potest dare immediate esse: quia est secundum se actus: tertia est natura, quæ est actus admixtus potentiæ, & hæc immediate poterit in motum, qui non est actus tantum, nec potentia tantum, sed actus admixtus potentiæ, & cum motus semper præsupponat mobile esse, nihil poterit producere creatura nisi præsupponendo rem esse in quam agat, atq. ita non poterit agere nullo præsupposito, nec per consequens creare.

Natura est triplex.

Tertio notat, quod esse, quantum est de se, est actus tantum, si autem est admixtum potentiæ, hoc est: quia est receptum in alio; si ergo creatura potest dare esse, vel hoc erit præsupponendo id, in quo recipitur esse, vel non præsupponendo, posse autem inesse, vt non præsupponit id, in quo recipitur, est posse in esse secundum se; & quia esse secundum se dicit actum totius, nulli potest communicari nisi ei, qui creat tantum.

Esse quantũ est de se est actus tantũ.

Quarto obseruat, quod nullum agens potest facere ipsũ esse non receptum in alio, quia hoc repugnat factioni; nihil enim fieri potest, quod non sit compositum, & quod sit actus tantum. Sed agens creatum non solum non potest facere esse non receptum, sed etiam non potest facere esse receptum non præsupponendo id in quo recipitur, quia hoc repugnaret ipsi factioni, licet enim esse receptum nõ sit actus tantum, tamen quia tota potentialitas ei competit ex parte recipientis, & quãtum est de se est actus tantum: Ideo posse in esse absque præsuppositione recepriui, non potest competere alicui agenti, nisi sit actus tantum.

Nullũ agẽs potest facere esse non receptũ in alio.

Quinto obseruat, quod sicut agens se habet ad agens, sic effectus se habet ad effectum: Si enim agens præsupponit agens, effectus agentis de necessitate præsupponit effectum alterius agentis, atque adeo cum agens creatum in agendo præsupponat agens diuinum, a quo in agendo regulatur, & applicatur, effectus agentis creati præsupponet effectum agentis diuini siue Dei, in quo recipiatur, esse productum ab agente creato.

His obseruatis patet ratio Aegidij, quæ talis est, omne agens inferius præsupponit in agendo effectum superioris agentis, & hoc ex ipso ordine agendi; sed omne agens creatum est inferius ad Deum, atque ei subordinatum in agẽdo, ergo omne agens creatum præsupponit effectum Dei, & per consequens nullum agens creatum potest agere nullo præsupposito, atque ita nec creare. Minor est euidens, maior vero probatur inductiue; quia ars præsupponit effectum naturæ, circa quem agat: quia operatur in subiectum formatum, hoc est, in compositum: nam ars solum transmutat accidentalem formam, in aliam formam accidentalem; Natura vero præsupponit subiectum infimum, nempe materiam, quam transmutat de vna forma substantiali in aliam substãtialem formam, ergo &c. hanc eamdem rationem habet Petrus de Tarant. in 2. d. 1. q. 3.

Petrus de Taran.

Verum hæc ratio improbatur à Scoto in hac q. sub lit. I. §. Tertia ratio principalis non concludit, &c. Aut enim intelligitur in maiori, quod agens secundarium præsupponit effectum primi agentis, vt passum, in quod agat, & tunc petit principium, scilicet quod agens aliud à Deo agit in passum præsuppositum: quia hoc erat probandum; aut intelligitur maior absolute, scilicet quod agens secundum absolute præsupponit effectum primi agentis, & hoc est verum, quia præsupponit se ipsum, sicut agere præsupponit esse, & agens ipsum secundarium est effectus primi agentis, sed ex hoc non concluditur propositum.

Et ad probationem minoris dico, quod exemplum de arte non valet ad propositum. Artifex enim si agit in subiectum; non est quia est agens subordinatum, sed quia agit ad terminum accidentalem; qui necessario requirit subiectum, in quo vel ex quo fiat, quod quidem subiectum ars producere non potest.

Quod autem hoc non sit ex ordine agentium patet manifeste: quia etiam natura in actione sua præsupponit effectũ naturæ, vt passum: sicut in alteratione pręsupponit substantiam compositam; est ergo ratio cõmunis ex parte naturæ, & artis in præsupponendo substantiam: quia scilicet vtraq. & ars, & natura agunt ad accidens, quod non potest produci nisi in substantia. Si autem aliqua substantia corporea esset immediate producta à Deo absque actione naturę nihilominus posset circa illud passum ars agere, si esset capax termini artis; atque adeo ars ageret, & tamen non præsupponeret effectum naturæ, quia ageret circa illud passum, ac si effectus naturæ præcessisset in eo.

Similiter patet, quod ratio ex isto ordine agentium non valet distinguendo plures ordines agentium: Nam in ordine agentium naturaliter potest inueniri agens materiale, quod est inferius, & agens immateriale (vt puta angelus, vel cœlum, quod est immateriale secundum Philos.) quod est superius, & tamen non sequitur, quod agens materiale pręsupponat effectum agentis immaterialis creati; nec sequitur etiam, quod si agens materiale præsupponat effectũ Dei immediate in quod agat, quod agens immateriale, quod est superius, nihil præsupponat.

Secundo arguit Aegidius vbi supra, & quol. 1. q. 4. ex potentialitate agẽtis creati; Nam vt inquit quol. 1. sicut differt esse Dei ab esse cuiuslibet creaturæ; sic suo modo differt actio eius ab actione alia, cum ergo esse Dei sit esse purum, & non sit esse receptum in aliqua potentia tanquam in subiecto; sicut esse eius non præsupponit potentiam in qua recipiatur, ita actio eius non oportet, quod præsupponat potentiam ex parte passi, vel subiectum in quod recipiatur, sed potest totum, & totaliter producere, nullum præsupponendo subiectum. Creatura vero quia habet esse receptũ in aliquo, quia habet aliquod potentiale admixtum, & non secundum se tota est in actu, ideo actio eius semper presupponit subiectum, & potẽtiam ex parte passi in quod eius actio recipiatur, Ideo non potest rem totam producere, sed hoc solum agit: quia facit, quod materia quæ est sub forma vnius fiat postea sub forma alterius, atque adeo semper in actione creaturæ oportet dare aliquod subiectum commune, sed non oportet hoc in actione diuina.

Ex his formatur sic ratio, (quæ est ipsi ferme in similibus peculiaris ita in 2. dist. 1. quæst. 5. & d. 18. quæst. 3. & in theorematibus vbique) Nullum agens creatum est purus actus siue purum esse, ergo nec actio eius est purus actus, sed aliquid potentialitatis habens: sed talis actio non est sine motu, & mutatione, vt patet ex secundo notabili; ergo nullum agens creatum potest agere sine motu, & mutatione, ergo nec creare; quia creare est de nihilo; motus aũt est in subiecto. Vel formetur sic ratio; creatura non potest agere

nisi

Digitized by Google

nisi mediante motu, sed motus non potest esse nisi præsupposito subiecto, quia motus est in mobili, vel in eo, quod mouetur, vt in subiecto, ergo creatura non potest aliquid creare. Maior probatur, quia nullum ens creatum est purus actus, purum ens, vel purum esse; ergo actio eius non est pura, sed est mixta cum potentia, atque adeo actio agentis creati cum non sit sine motu vel mutatione præsupponit subiectum, & per consequens non potest creare.

Potentialitas creaturæ est multiplex. Soluit Scotus hanc rationem per interemptionem minoris subsumptę, pro cuius explicatione obser. est, quod potentialitas creaturæ est multiplex, alia obiectiua, secundum quam aliquid dicitur in potentia ad esse, ad quam duo requiruntur; vnum quod non sit in rerum natura; alterum vero quod possit esse, alia est potentia subiectiua ad recipiendum, quæ potentia receptiua dicitur, ad quam etiam duo requiruntur. Vnum quod sit, alterum quod possit aliquid recipere, & hoc modo materia dicitur esse in potentia ad formam, & substantia composita ad accidens. Alia est potentia inhæsiua, secundum quam forma, vel actus inianans potest inhærere potentię subiectiuæ siue ipsam informare, & hoc modo anima separata dicitur esse in potentia ad informandum corpus, & accidens in Sacramento altaris est in potentia inhæsiua: quia non inhæret, & potest inhærere.

Actio est duplex. Secundo obser. est, quòd duplex est actio: vna immanẽs, & altera transiens; actio immanens si sumatur pro actione respectiua, á qua agens denominatur, est ad terminum, qui recipitur in agente, actio vero transiens est ad terminũ, qui recipitur extra agens. quarũ vlterior explicatio videatur in formalitatibus nostris. His obseruatis dicit Doct. quod ex illis potentialitatibus, quæ communes sunt creaturæ, non potest deduci quod actio creaturæ sit cum motu, vel mutatione, sed quod actio illa si est immanens habet potentialitatem illam prædictam, scilicet ad inhærendum, vel vtramque, id est, ad inhęrendum in actione, & ad recipiendũ ex parte agentis, ex hoc tamen non sequitur quod mutetur terminus actionis. Si etiam est transiens, ex eo quod actio sit in termino actionis, eo modo, quo est in illo in quod transit vt in termino, licet habeat potentialitatem alteram. f. ad essendum ex parte termini, vel vtramque, scilicet ad inhęrendum, ex parte sui, & ad essendum ex parte termini, qui per eam actionem accipit esse; non sequitur, quod actio illa sit actus fluens, vel raptim transiens sicut motus vel mutatio, vt patet de creatione.

Posset etiam dici quod actio, quæ est sine motu, quemadmodum est creatio; est idem cum termino producto, nisi quod includit respectum ad producens, & ideo non est necesse quod requirat subiectum præter productum; atque adeo cum agere sine motu possit communicari creaturæ (si creatura posset creare) non oportet quod omnis actio eius supponat subiectum, quantum est ex natura actionis, ex qua sola procedit argumentum. Et si dicas quod actio essentialius respicit subiectum, quam terminum ex Authore 6. Principiorum dicente, quod actio non requirit quid agat, sed in quod agat. Dico quod actio realis, quę est sine motu, qualis est creatio, est eadem cum suo termino, atque adeo essentialiorem habet ordinem ad suum terminum quam ad subiectum; Dictum autem Authoris 6. principiorum intelligitur, quod actio naturalis de qua loquitur. quæ. f. habet subiectum, & terminum, supponit subiectum tanquam aliquid præexistens, non autem supponit terminum, sed producit.

Ad illud autem, quod dicit Aegydius in q. 41. quol. quod creatura non potest se tota agere cum non sit purus actus &cęt. Dico quod non oportet quod illud, quod producit totam rem, agit se toto, sed sufficit quod illud per quod agit contineat virtualiter omne illud, quod producitur. Præter quam quod posset dici, quod Deus posset facere creaturam, quæ se tota agat, puta intelligentiam aliquam quæ non haberet materiam partem sui, sed secundum se totam esset actus, & ageret, nec propter hoc esset actus primus, quamuis non esset actus permixtus potentiæ, quæ est materia.

Postremo ita arguunt quidam Thomistæ. Ad creandum vt causa principalis requiritur quod causa habeat virtutem productiuam totius entis; sed nulla creatura potest habere huiusmodi virtutem, ergo nulla creatura potest, vt causa principalis creare. Maior probatur, quia creatio est productio entis in quantum ens, ergo virtus creatiua est productiua entis in quantum ens, & ex consequenti totius entis. Minor probatur. Creatura quæ haberet virtutem productiuã totius entis, esset etiam productiua sui ipsius, sed hoc est impossibile, ergo &c. Hæc ratio est Bannes 1. p. q. 45. art. 5. quã dicit esse manifestissimam, & colligi ex D. Thoma. 1. p. q. 45. art. 5. ex solutione ad primum, & q. 104. art. 1. & ex Caiet. locis citatis, & Ferrariensi 2. contra gentes. c. 21. circa septimam rationem. *Bannes.*

Sed tantum abest quod hæc ratio euidentissime concludat, quod potius est omnium infirmissima. Et non possum non mirari, quod tot viros alioquin doctissimos cõmouerit. Vnde admissa minore, nego maiorem, & ad probationem dico, quod illa propositio, Creatio est productio entis inquantum ens, est omnino falsa, & nullo modo a viris doctis admittenda. Nam si ad ens quatenus ens creatio terminatur, necessario ei tanquam causa assignãdum erit aliquid extra genus entis: Nam sicut homo in quantum homo non potest produci, nisi à causa perfectiori tota specie humana, quæ non erit homo: quia tunc se ipsa esset perfectior: ita ens inquantum ens produci non potest nisi ab [illegible] extra rationem entis, & toto ente perfectiori, quod [illegible]: quomodo enim fieri potest quod non ens sit ca[illegible] s produ ctiua, & toto ante perfectior? Teneo ergo [illegible] ens inquantum ens nõ est terminus creationis, nec pro [illegible], quia tunc omne ens esset vel creabile, vel producibile [illegible] quod est omnino à veritate alienum. Pater enim æternus [illegible] modo produci potest, cum sit ingenitus, & impro[illegible] ergo creatio est productio entis inquantum ens, [illegible] nihil creare poterit, vel necessario est dicendum [illegible] poterit creare. Quod confirmo ex dictis ipsius [illegible]: Nã ipse ibidem dicit, quod creatura nõ potest hab[illegible] totius entis productiuam, quia tunc esset [illegible] productiua. Ergo similiter si Deus totius entis inquantum ens virtutem productiuam habet, poterit se ipsum producere. Dicet forsitan, quod cum dicitur, quod creatio terminatur ad ens inquantum ens, quod ens sumitur pro ente creabili. Sit ita, sed inde non sequitur, quod creatura non possit creare hoc ens creabile: Non enim sequitur, Petrus non potest producere hominem in quantum homo est, ergo non potest hunc hominem producere; sed est fallacia consequentis, vt diximus supra: ergo similiter non sequitur, creatura non potest creare omne ens creabile inquantum creabile: quia se ipsam produceret, ergo non potest creare hoc ens creabile. Creatio ergo est productio totius entis. i. entis creabilis secũdum omnes eius partes, ita quod res, quę creatur, accipit de nouo esse secundum omnem sui partem, & si ita intelligat maiorem, negat et Durandus minorem, quam arguens non probat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum vnus Angelus alium Angelum creare possit.

Auicenna. AVicenna. 9. Metaph. c. 4. asserit de facto vnam creaturã aliam creasse: dicit. n. primã intelligentiam produxisse secũdam, secunda produxisse tertiam, tertiam vero quartã; & sic de alijs vsq; ad intelligentiam orbis lunę. Pro cuius sententiæ explicatione obser. est, quod Auicenna dicit intelligẽtiã superiorem producere inferiorem: Nam intelligenna prima. f. Deus à nullo dependet, & sic intelligendo suam naturam, & entitatem producit per memoriã aliam intelligentiam, non accidente, seu inhærentẽ, sed per se existentẽ, sicut pater producit verbũ; sed in hoc differt, quia producit illam intelligentiam distinctam in natura, quia erat causata à prima intelligentia. Istam secundam intelligentiã dicebat esse necessariam, & cum hoc possibilem, eo quod ab alio in esse dependet, atq; ita intelligẽdo, secunda intelligentia primã producebat tertiam intelligentiam, intelligendo vero actualitatem suam producebat animam sui orbis, quæ est sustantia alia ab intelligentia mouente orbem, & intelligẽdo possibilitatem suam, qua depende: à prima in genere causæ efficientis, producebat suum orbem, adeo q; a secunda intelligentia vsq; ad vltimam exclusiue procedebant tres effectus (vt visum est) atque ita ponebat tot esse intelligentias quot erant orbes, vltima autem, id est, intelligentia orbis lunę, quã colchodeam seu datricem formarum nominat, creat, & producit animas nostras.

Niphus. Secundo obser. est, quod quidam arbitrati sunt eiusdem sententiæ cum Auic. fuisse Auer. in lib. destruct. disputat. 3. dub. 12.

dubit. 12. Vbi videtur asserere, quod Deus sit causa prima omnium propria virtute, & secundum se: quoniam est causæ prima simpliciter perfecta, & vult quod ista causat secundum intelligentiam immediate eo modo, quo intelligibile causat intelligens, deinde secunda causat tertiam tanquam causa proxima, & prima causat tertiã, vt causa vniuersalis, vnde sicut à sole tanquam à causa vniuersali, & patre tanquam à causa proxima prouenit homo; ita à Deo tanquam à causa vniuersali, & secunda intelligentia tanquam à causa proxima procedit tertia, & sic de quarta mediante tertia, & prima eodem modo. Et si dicatur, quod tunc nõ erit differentia inter opinionem Auer. & Auicen. in productione intelligentiarum à primo, cuius contrarium nititur probare Auer. 12. Met. comment. 44. dicunt quod differentia est valde: quoniam Auic. voluit, quod secunda causat tertiam virtute propria, & non in quantum instrumentum primæ causæ: immo voluit, quod prima non sit causa tertiæ, nec vt vniuersalis, nec vt proxima: Auer. autem opinatur, quod prima sit causa proxima respectu secundæ tantum, & causa vniuersalis tertiæ, cuius secunda est proxima causa. Et si dicatur, quare non est causa tertiæ virtute propria, sicut ponis ipsum esse causam secundę virtute propria? respõdent, quoniam secunda est perfectissima, & vniuersalissima: ideo est adeo propinqua Deo, quod nullam potest habere causam aliam à prima; tertia autem deficit à prima, & in gradu, & in esse valde, ideo indiget secunda, non tanquam adiuuante ipsam in causando; quia potuit in maius, sed tanquam limitantem eius causationem vniuersalem, & perfectissimam ad hoc particulare, & vile, ideo non est simile.

Cæterum quia Commentator 12. Met. comment. 44. reprehendit Auic. rei verias est, quod hæc non fuit mens ipsius, quia ipse ponit Deum ipsum esse primum efficiens omnium, & quod omnes intelligentiæ immediate dependent à prima.

Fieri aliquid ex nihilo tribus modis cõtingit. Anselmus.

Tertio obseruandum est, quod cum creatio sit productio alicuius ex nihilo, fieri aliquid ex nihilo potest intelligi tribus modis, vt docet B. Anselm. in suo Monologio c. 8. primo, quia non de aliquo materialiter, nec subiectiue, nec conuersiue, quomodo dicimus aliquem contristari de nihilo quando non habet materiam tristitiæ, sic quod negetur omnis entitas prior, de qua quoquo modo fiat: secundo modo intelligitur de nihilo fieri, quod omnino non fit, sic solemus dicere (inquit Anselmus) quod tacens de nihilo loquitur: tertio modo potest intelligi aliquid fieri de nihilo sicut de materia, vel subiecto. Primus modus habet locum in creatione. Secundus non habet locum in creatione, vel factione, sed in cessando à factione, vel creatione: sed tertius modus dici potest, sed verificari non potest: quia secundum illum modum ex nihilo nihil fit.

Non esse posse præcedere esse dupliciter.

Quarto obseruandum est, quod (vt dicit Scotus in 2. dist. 1. quæst. 2. & in hac quæst. sub litt. K. §. Pro parte opposita quæstionis &c.) cum dicimus aliquid de nihilo fieri secundum primum modum, illa præpositio de, dicit ordinem inter nihil, & aliquid, potest autem notare vel ordinem naturæ, vel durationis, & temporis; ita quod ipsum nihil, vel nõ esse rei tempore, vel natura esse eiusdem præcesserit. Cæterum prius natura bifariam dicitur, scilicet positiue, & priuatiue: illud dicitur prius natura positiue, quod prius inest, & entitas eius est prius, quam illa, quæ dicitur posterius natura inesse eidem: sic animal in homine est prius natura, quam rationale, & in composito per accidens substantia est prior natura accidente, & in composito per se materia est prior forma. Prius natura negatiue dicitur illud, quod non inest ei qui dicitur primo conuenire; sed in esset ei, nisi per aliud impediretur, quemadmodum dicimus priuationem prius conuenire materiæ, quam formam, & materiam prius priuatam quam formatam: Non quidem quod ita duo, priuatio scilicet & forma sint simul in materia, & priuatio prius natura insit quam forma: sed priuatio, ideo dicitur prius natura inesse materiæ, quam forma: quia priuatio semper in esset materiæ nisi ab aliquo agente materia reciperet formam. Vnde dicit Doctor, quod ad hoc quod aliqua res dicatur vere creatura, non requiritur quod non esse illius prius tempore præcesserit ipsum esse, sed sufficit, quod præcesserit ordine naturæ non quidem positiue, ita quod ipsum nihil, vel non esse in aliquo naturæ instanti positiue præcesserit rem productam;

Prius natura dupliciter dicitur

sed negatiue: quia scilicet infuisset rei producendæ nisi per aliud impediretur, scilicet per actionem agentis dantis esse.

Ex hoc sequitur, quod & si dicat Auicen. omnes intelligentias esse ab æterno, atque ita non potuerint produci de nihilo, vt illa præpositio, de, dicit ordinem temporis inter non esse, & esse, ita quod non esse tempore præcesserit esse, possunt tamen dici de nihilo produci prout illa præpositio de, dicit ordinem naturæ negatiue; dicitur ergo intelligentia secunda produci de nihilo secundum Auicen. id est, non de, aliquo sui præsupposito, & prout non esse præcessit esse ordine naturæ negatiue, quod sufficit ad veram rationem creationis, vt ipsemet explicat 6. Met. & hoc etiam modo ponit tertiam intelligentiam productam esse à secunda, & quartam à tertia, & sic deinceps, atque adeo ponit de facto secundam intelligentiam, quæ est creatura, attingere terminum creationis, producendo tertiam.

Hæc opinio Auicen. duabus nititur rationibus, quarum prima est, à prima intelligentia non potest produci nisi tantum vna intelligentia, ergo necessario dicendum est, secundam intelligentiam producere tertiam, sed talis productio est creatio: quia de nihilo, ergo creatura creat: quia secunda intelligentia est creatura. Probatur antecedens; à causa omnino vna non potest esse immediate nisi vnicus effectus; sed prima causa est omnino vna simplex, & inuariabilis, ergo ab ea est tantum vnus effectus, scilicet secũda intelligentia, atque adeo cum tertia intelligentia sit creatura, erit creata à secunda, & per consequens creatura creat. Et confirmatur; quia in causis essentialiter ordinatis, sicut secunda est à prima, ita tertia à secunda, & sic deinceps; sed hoc non est nisi per creationem; ergo &c. & dicit Scotus, quod si Arist. concordaret cum ipso in his duabus propositionibus: Intelligentia est producta, id est; est ens ab alio licet sine nouitate; Et non potest ab omnino simplici immediate esse nisi vnum, deberet concordare secum in conclusione.

Rõnes pro sua Auic.

Secunda ratio pro Auicen. potest esse talis. Corpus potest producere aliud corpus, ergo vna intelligentia aliam. probatur consequentia: quia secundum Philosoph. 1. Met. & 4. ad finem, ac etiam, secundo de anima. Tunc vnumquodque perfectum est, cum potest producere sibi simile, sed intelligentiæ sunt multo perfectiores corporibus, ergo potuerunt producere sibi simile: atqui intelligentiæ non possunt produci nisi per creationem, ergo intelligentia creata potest creare producendo aliam intelligentiam à se.

D. Thom.

Contra hanc sententiam Auicen. arguit Diuus Thomas, prima parte quæstione quadragesimaquinta, artic. quinto, in solutione ad primum, in hunc modum: participans aliquam naturam non potest producere sibi simile secundum illam, nisi applicando illam ad aliud per quod productum sit singulare, sed in substantia immateriali non potest præsupponi ad eius productionem aliquid, per quod sit singularis: quia est singularis per suam formam, sicut hic homo per suam materiam; ergo vna substantia immaterialis non potest aliam ex nihilo producere. Probo maiorem: Nam sicut homo non potest esse causa naturæ humanæ absolute: quia sic esset causa sui: nam causa alicuius naturæ absolute est causa eius vniuersaliter, & consequenter in quocunque est participata, atque adeo in se ipso, ex quo est de numero participantium illam; sed est causa, quod natura humana sit in hoc homine generato, atque ita præsupponit materiam, per quam est hic homo. Ita pari modo, quodcunque creatum cum participet naturam essendi: quia solus Deus est suum esse, non potest aliud ens producere nisi præintelligatur aliquid actioni suæ, per quod productum sit singulare.

Sed hæc ratio D. Thomæ non placet Scoto, atque adeo eam multis improbat in hac quæst. sub litt. k. §. Contra istam opinionem &c. In primis inquit, hæc ratio aliqua improbata supponit. Vnum, quod non fit hic homo nisi per materiam. Alterum, quod Angelus per suam formam sit singularis, quorum vtrumque improbauit Doctor. in 2. dist. 3. Falsum enim est hominem per materiam indiuiduari, & angelum per suam formam: Nam per formam, & quidditatem fieri singulare soli essentiæ diuinæ conuenit, vt quol. 2. docet Scotus.

Deinde quando D. Tho. accipit in maiori, quod participans aliquam naturam non potest secundũ illam sibi simile

Digitized by Google

producere nisi applicando illam ad aliud, aut hoc prouenit, quia necesse est illam participari a producto, & vt participetur ab eo oportet aliquid præsupponi cui applicetur, aut ideo prouenit, quod agens communicans naturam, eam participat, vt qui neutrum horum dari potest, ergo propositio maior est falsa, probo minorem. Primum dari non potest: quia ex eo sequitur quod Deus non possit creare Angelum. Tum quia ille Angelus esset a Deo, & per consequens deberet præsupponi aliquid, cui applicaretur ipsum esse, quod est contra rationem creationis. Tum etiam quia secundum probationem maioris a D. Thoma assignatam, per illud præsuppositum oporteret productũ esse singulare. Sed per B. Thomam Angelus non potest esse singularis per aliquod præsuppositum: quia secũdum ipsum per suam formam est singularis, ergo illa maior non potest esse vera, eo quod natura illa communicãda participetur a producto.

Nec potest assignari secundum: quia in ipso agente communicante naturam, non præsupponitur aliquid ipsi esse (tunc enim ipsum producens non posset a Deo creari) ergo nec oportet in illo quod assimilatur producenti secundum esse, aliquod esse præsupponi.

Item esse, quod communicatur rei productæ, aut participatur tanquam actus aliquis posterius essentia, & alius ab ea, aut tanquam idem ipsi essentiæ; si primum, ergo ratio illa non probat, quod producta creari non possit: nam licet ipsum esse supponat aliquid in quo recipiatur, scilicet essentiam, essentia tamen nihil præsupponit: atque ita licet participans esse non creetur secundum esse, non tamen probatur, quod non possit creari secundum essentiam. Si vero secundum dederis, ergo non concludit ratio, quod esse non possit sic creari a participante ipsum, sicut ab alio. ratio est: quia in istis inferioribus quodlibet indiuiduum participat naturam speciei, & tamen illa natura potest esse in vno singulari primus terminus productionis, & in alio, singulari principium producendi; si autem ibi præsupponit materiam non est propter naturam illam participatã: sed quia forma illa, quæ est pars naturæ illius participata est forma materialis.

Caietan. Caietanus 1. par. q. 45. art. 5. circa primum, volens defendere rationem D. Thomæ dicit, quod maior D. Thomæ verificatur ex eo, quod agens participat illam naturam. & probatur ducendo ad impossibile: quia si participans naturam produceret eam absolute, & non in hoc, sequeretur, quod causaret illam in se ipso: quia causa alicuius naturæ absolute est causa vniuersaliter, & consequenter in quocunque est participata, atque adeo in se ipso, ex quo ipse quoque est de numero participantium illam naturam. & ad obiectionem dicit, quod ex hoc antecedente, Angelus producit alium Angelum, sequuntur duo contradictoria, scilicet quod angelus producendus habeat aliquid præsupposimm, & quod non habeat, ex eo namque, quod oportet esse similem producenti, sequitur quod non habet, ex eo vero quod producens est ens per participationem, sequitur quod producendi aliquid præexistat, quia eius actio non potest esse nisi factio esse in hoc. Nec mirum hoc, quia antecedens implicat. Vnde argumentum Scoti nihil valet, ex seqnela vnius contradictorij inferens non sequelam alterius; Dicimus enim, quod sequitur vtrumque, & hoc ostẽdit quod antecedens est omnino impossibile.

Refellitur responsio Caietani. Sed iste non respondet ad rationem Scoti. Nam secunda intelligentia producens tertiam producit non quidem naturam absolute, sed hanc naturam, & cum dicit quod nõ potest eius actio esse, nisi factio esse in hoc, si intelligat q̃d non potest producere nisi singulare, transeat. Si autem intelligat, quod oportet quod ad esse eius præsupponatur aliquid, probandum assumit, præter quam quod productum, idest, tertia intelligentia non esset similis producenti, idest, secundæ intelligentiæ, quæ ad sui esse nihil præsupponit. Vnde ex illo antecedente Angelus producit alium Angelum, non sequuntur contradictoria ex natura rei (diceret Auicen.) sed ex falsa imaginatione Caietani; nempe quod participans naturam non possit illam communicare nisi ex aliquo præsupposito. Quomodo autem impugnet Scotus sententiam Auicen. videbimus in sequentibus artic.

Soluuntur rationes Auicennæ. Ad rationes pro opinione Auicen. respondetur, & ad primam Scotus in hac q. sub litt. BB. §. Ad rationes pro opinione Auicen. & negat antecedens, & ad probationem dicit, quod illa propositio, a principio omnino vno non possunt esse immediate plura, est falsa, si intelligatur de vno in re, sufficit enim in agente per intellectum & voluntatem distinctio obiectorum cognitorum, quæ producenda sunt, siue distincta cognitio plurium sine distinctione substãtiæ eius adhuc vt plura immediate possit producere, & hoc reperitur sufficienter in prima intelligentia, quæ est agens per intellectum & voluntatem: habet enim in se distinctã rerum omnium cognitionem; hoc manifestatur exemplo in humanis. Vnus enim & idem artifex, qui est agens per intellectum, & voluntatem plura producere potest, quia plurium habet distinctam cognitionem. Ad confirmationem dico, quod intelligentias esse inter se essentialiter ordinatas potest intelligi dupliciter. Vno modo secundum esse suum quidditatiuum, secundum quod vna est perfectior alia, & sic concedo, quod sunt essentialiter ordinatæ, sed hoc non facit ad propositum. Alio modo potest intelligi quod sint essentialiter ordinatæ in existendo, & causando, ita quod vna præsupponat aliam de necessitate in existẽdo & causetur ab ipsa, & sic non sunt essentialiter ordinatæ ad inuicem, sed tãtum ad Deum, ita quod Deus ponit quãlibet in esse. *Intelligentias esse essentialiter subordinatas, quo.*

Ad secundam dicit, quod propositio Philos. vera est in illis, vbi non repugnat naturæ communicari a simili in specie, vt contingit in illis rebus, quæ per transmutationẽ materiæ generantur, & corrumpuntur, sed non quodcunque perfectum in specie potest communicare suam naturam; nisi quando ipsa natura est communicabilis extra ab aliquo simili in specie, vt accidit in homine, & equo; Homo enim hominem gignit, & equus equum, Angelus vero nõ generat angelum: quia natura Angelica non est communicabilis nisi per creationem, & non a simili in specie; sed a perfectissimo ente Deo. Et si arguas, saltem illa erunt perfectiora, quæ possunt communicare suam speciem, quã quæ non possunt. Respondeo, quod imo sunt in proposito imperfectiora: quia propter perfectionem naturę est, quod nõ possit communicari nisi ab agente perfectissimo, & modo communicandi conuenienti soli primo agenti: Perfectius est autem habere talem naturam sic perfectam, quæ propter sui perfectionem non potest produci nisi ab ipso Deo immediate, quam habere naturam possibilem communicari a natura creata propter sui imperfectionem.

ARTICVLVS V.

Vtrum in creante substantiam actus aliquis accidentalis immanens possit concurrere ad terminum creationis.

ET videtur quod sic, quia accidens in virtute substantiæ potest esse principium producendi substantiam tanquam substantiæ instrumentum, licet non possit in propria virtute, ergo a simili intellectio Angeli potest in Angelo creante esse principium creandi substantiam, antecedens patet de calore, qui est instrumentum animæ in generatione carnis, vt patet secundo de anima, t. cap. 50. Et confirmatur, quia causa partialis secundum Scotum potest esse imperfectior effectu, vt patet quando intelligitur albedo, Nam albedo in ratione obiecti est causa actus intelligendi, & tamen est imperfectior actu intelligendi. Item in generatione vermis per putrefactionem, multæ causæ concurrunt, quæ non sunt animatæ, & productum est animatum ergo &c. Item qualitates primæ videntur esse principium producendi substantiam, patet de igne generante ignem; ergo accidentia sunt causæ partiales producendi substantiam. Istæ confirmationes sunt Ocham, in 2. quæstio. septima. *Ocham.*

Præterea domus extra habet esse a domo ab intra secundum Philos. 7. Met. to. capit. 22. & tamen domus extra habet verius esse domus, quam domus in mente, ergo imperfectius potest esse causa producendi perfectius. consequentia patet: quia domus extra est perfectior quam domus in mente: quia domus extra habet esse reale, & domus in mente habet esse cognitum, sed esse reale est perfectius esse cognito, ideo sequitur quod cum domus extra sit perfectior, quam domus in mente, & domus extra fit a domo in mente, ergo imperfectius potest esse causa producendi perfectius.

Ex hoc

Digitized by Google

Ex hoc arguitur à simili, sicut domos extra fit à domo in mente, ita angelus secundum esse reale, potest esse ab Angelo cognito, id est, à cognitione Angeli, ergo Angelus potest angelum producere, & hoc est quod dicit Auicen. accidentalitas ergo cognitionis angelicæ non prohibet substantiæ intellectæ creationem. Et obseruandum est, quod per domum cognitam intelligit Scotus domum, quæ habet esse obiectiue in intellectu, & per domum extra intelligit domum, quæ habet verum esse reale, & mediante prima, vt exemplari potest fieri secunda, id est, domus extra. Ita in proposito arguitur, quod vnus Angelus mediante sua intellectione potest alium Angelum producere.

Conclusio. Contra hanc sententiam ponit Scotus hanc conclusionem. Nullus actus accidentalis immanens requiritur in creante substantiam, tanquam prior necessario termino creationis, quam dupliciter probat in hac quæst. sub. litt. m. §. Prima propositio probatur, &c. primo sic. Talis actus necessario præuius termino creationis, aut requiritur tanquam actus productiuus termini, sicut calefactio respectu caloris in ligno (nam actus productiuus nihil est aliud, quam id, quo principium productiuum formaliter dicitur productiuum.) vel tanquam formale principium productiuũ termini, sicut calor in igne respectu caloris geniti in ligno; sed neutro modo requiritur, ergo nullo modo est necessarius, vt præuius termino creationis. Minorem probo. In primis non requiritur tanquam actus productiuus, quia actus productiuus alicuius, & actus formalis producti sunt in eodem, scilicet in producto; sed actio immanens non est in passo, sed in agente manet, ergo ad producendum aliquid extra non requiritur actus immanens in agente tanquam actus productiuus, nam actus immanens non potest esse simul cum termino formali producto, cum terminus sit extra agens, & actus immanens in agente. Nec requiritur secundo modo, scilicet tanquam formale principium termini: quia actus accidentalis non potest esse principium formale producendi substantiam ex nihilo: quod sic probo: omnis forma requirens potentiam receptiuam in essendo si est actiua necessario requirit potentiam passiuam in agendo, sed omne accidens necessario requirit potentiam receptiuam in essendo, ergo omne accidens, quod est forma actiua, necessario requirit potentiam passiuam in agendo, & per consequens non potest esse principium creandi substantiam; consequentia tenet cum maiori, & minor probatur, quia alias forma terminans actionem esset absolutior à materia, quam forma eius productiua, sed hoc est falsum: quia absolutá materia perfectionem dicit, & ita terminus actionis esset perfectior formali principio agendi, effectusque esset perfectior sua causa, quod implicat.

Ex hac ratione Doctor. habetur, quod abstractius à materia est perfectius. Hoc autem impugnat Ocham, vbi supra, quia Cœlum secundum Scotum est magis abstractum à materia, quam anima intellectiua, & tamen non est perfectius: quia non viuum non est perfectius viuo, secundum Scotum.

Ocham. Item videtur falsum inquit Ocham, quod dicit Scotus, scilicet quod terminus formalis non potest esse absolutior principio: quia tam materia, quam forma materialis substantialis, vel accidentalis potest esse causa partialis respectu cognitionis intuitiuæ angeli, vel alterius, & illa cognitio est absolutior, & abstractior à materia, quam aliquod aliorum.

Soluuntur cauillis Ocham. Ad primum dico, quod licet secundum Philosophos, & maxime Aristot. & Commentat. quos vt Philosophus sequitur Scotus, cœlum sit inmateriale, non est tamen anima intellectiua immaterialius, cum anima sit spiritus, & cœlum sit corpus, neque hoc vsquã dixit Scotus nisi forte ad hunc sensum, quod anima est forma materialis, id est, informans materiam; attamen anima in se, & in sua essentia est immaterialis omnino, & magis quàm cœlum, cum sit spiritus. Verum quia argumentum Ocham videtur habere apparentiam comparando cœlum ad plantas, & ad bruta; ac etiam ad homines, quæ omnia sunt perfectiora cœlo, cum viuens sit non viuente nobilius, & tamen cœlum secundum Philosophum est abstractius à materia istis.

Dico primo, quod si cœlum poneretur animatum anima informante, prout voluerunt antiqui Philosophi, à qua sententia forte non abhorret Aristot. vt vult D. Thomas lib. 2. de cœlo, cuius oppositum docet Scotus, in 2. distinct. 14. quæst. 1. cessaret omnis difficultas: sed ponendo cœlum inanimatum prout veritas docet, dico quòd quando Doct. dicit, quod abstractius à materia est perfectius, intelligendus est cæteris paribus, id est, comparando corpus simplex ad corpus simplex, & non corpus simplex ad animatum: nam licet corpus immateriale in ratione corporis sit perfectius corpore materiali, tamen corpus animatum ratione animæ est perfectius corpore immateriali simplici, atque ita patet, quod Ocham non capit verba nec intentionem Doctoris. *D. Thomas. Scotus.*

Ad secundum dico, falsum esse cognitionem intuitiuam angeli abstractiorem esse à materia, id est, à subiecto, quam sint materia, forma materialis substantialis, & accidentalis, vt de se patet.

Secundo probatur conclusio. Accidens est imperfectius substantia ex Philosoph. 7. Met. 1. cap. 2. ergo non potest esse saltem, vt causa principalis principium producendi substantiam, patet consequentia: quia tunc esset principium producendi aliquid perfectius se ipso, quod implicat: Necesse est enim principium producendi aliud esse, vel æque perfectum, vel perfectius producto: Nam vel prodocit vniuoce sicut causa vniuoca, & sic est æque perfectum cum producto, vel æquiuoce, vt causa æquiuoca, & sic est perfectius: quia vel est perfectius, vel minus perfectum, vel æque perfectum cum producto; non æquè perfectum: quia cum causa æquiuoca, & effectus sint alterius rationis, & speciei, eiusdem perfectionis, & æqualis esse nequeunt: quia species rerum cum consistant in indiuisibili non possunt in perfectione æquari: nam si æquarentur non essent diuersæ species: Nec potest esse minus perfectum, quia omnis perfectio effectus est à causa, ergo effectus non potest esse sua causa perfectior; aut dabimus aliquam perfectionem in effectu, quæ non erit in causa producente ipsum, quod implicat: si ergo principium productiuum est causa æquiuoca, necessario sequitur, quod sit suo effecto perfectior. consequentia patet à sufficienti diuisione, nam si non est æque perfectum, nec minus perfectum, ergo erit perfectius. Postremo si actus accidentalis esset requisitus in creante substantiam ad creandum, Deus non posset substantiam creare: quia omnis eius operatio est substantia, sed consequens est hæreticum, ergo &c.

Ad primum in oppositum negatur antecedens; nullo enim modo accidens potest producere substantiam, quod non vt causa principalis patet, quod nec etiam vt instrumentum probatur: quia omne instrumentum, vel agens virtute alterius, vt attingit effectum principalem, aut disponit ad principalem terminum; sed in proposito neutrum potest dari in creatione: Non primum, scilicet quod agens possit attingere principalem effectum, scilicet substantiam: quia si principale agens esset agens vniuocum non requireret necessario aliquod agens, medium inter formam suam, & effectum, agens autem æquiuocum est perfectius vniuoco, ergo non necessario requireret medium, & per consequens non habet instrumentum per quod agat tantum. Nec secundum scilicet quod possit esse dispositio præuia: quia nihil supponitur creationi, quod disponatur. Et confirmatur istud: quia vbi accidentia sunt instrumenta, substantiæ generantis non attingunt terminum principalem, sed tantum quandam dispositionem præuiam, vt patet de qualitatibus alteratiuis elementorum, quæ non attingunt formam substantialem, alioquin qualitas esset principium actiuum immediate in materiam receptiuam formæ substantialis, quod est inconueniens: Nam cum non possit recipi nisi in substantia composita in essendo, nec ergo potest agere accidens nisi in substantiam compositam, atque ita non in materiam puram seu primam: Nam sicut accidens non potest esse nisi in toto composito, ita non potest agere nisi in totum compositum. Exemplum. Ignis est calidus, vel caliditas est in materia, vel in forma, vel in toto composito. Dico, quod est in toto composito, & ita non potest agere nisi in toto composito. *Accidens nullo modo potest producere substantiam.*

Et per hoc apparet ad illud, quod dicitur secundo de anima de calore. Calor enim dicitur instrumentum animæ in generatione carnis animatæ, pro quanto est principium

Digitized by Google

alterandi in alteratione prævia ad generationem, non autem quia in instanti generationis attingat formam carnis tanquam terminum, sicut nec attingit materiam substantialem carnis tanquam passum, non attingit ergo substantiam carnis, sed dispositionem quandam: quia antequam forma substantialis introducatur, in vltimo instanti corrumpuntur alterationes cum forma præcedenti substantiali, si forma corrumpatur.

Ad argumentum ergo nego antecedens, & ad probationem dico, quod propter hoc dicitur calor instrumentũ generandi carnem, quia disponit ad generationem illius, alterat enim cibum ex quo generatur caro, cæterum non attingit effectiue ad formæ substantialis productionem: quia generatio substantiæ non est nisi in materia prima, accidens autem propter suam imperfectionem, non potest esse in materia prima, sed in substantia composita, ergo nec operari. patet consequentia: quia irrationabile est dicere accidens esse perfectius in operando, quam in essendo.

Ad confirmationem ex Ocham dico, quod quando dicit Scotus, quod causa partialis potest esse imperfectior suo effectu, loquitur de causa partiali æquiuoca, & minus principali, vt patet in exemplo de albedine, & eius cognitione; oppositum autem dicit de causa æquiuoca totali, ac etiam de causa æquiuoca partiali, & principali, vt patet de intellectu respectu cognitionis. Ad illud de verme dico, quod præsupponit vnum falsum, nempe, quod cęlum producat animam sensitiuam vermis, accipiendo cœlum ab intelligentia separatum; producitur enim ab intelligentia mouēte cęlum secundum Philosophos, vel à Deo secundum Theologos, vt lucidissime docet Doct. sub. in 2. d. 18. q. vnica sub litt. I. §. Dico igitur. Ad illud de accidentibus seu qualitatibus primis patet hic à Doct. quomodo concurrant ad substantiæ generationem.

Ad secundum respondens Doct. ponit multas propositiones notabiles. Prima propositio. Aliud est loqui de veriori, siue perfectiori esse simpliciter, & aliud de veriori, & perfectiori esse huius. hoc est aliud est, dicere hoc habet verius esse simpliciter, & hoc habet verius esse tale, esse enim simpliciter est esse, sine determinatione. Secũda propositio, lapis in mēte diuina hēt verius, & perfectius esse simpliciter, quam lapis extra siue in proprio genere, & tamen lapis in mente diuina non habet nisi esse cognitum, & possibile; extra vero & in proprio genere, habet esse reale, & existentiæ. Probatur hæc propositio, Quælibet res cognita habet tale esse participatiue, obiectiue, & extrinsece, quale habet cognitio, per quam cognoscitur, vnde lapis qui cognoscitur à Deo, habet tale esse participatiue, quale habet ipsa Dei cognitio, & quia Dei cognitio est infinita, increata, & æterna; ita lapis in mente diuina habet esse infinitum, increatum, & æternum, & cum esse infinitum, increatum, & æternum, sit perfectius esse finito, creato, & tēporaneo, ideo lapis cognitus in mente diuina habet perfectius esse simpliciter, quam existens in proprio genere. assumptum patet ex D. Ioan. c. 1. Quod factum est in ipso vita erat, & D. Augustinus explicans eiusmodi verba: Res inquit, est in verbo vita creatrix & hoc ideo: quia eius cognitio est realiter vita creatrix, quod enim de cognito dicitur obiectiue, hoc in ipsa cognitione oportet esse realiter.

Tertia propositio. Lapis in intellectu diuino non habet verius esse lapis, quam extra; quia sic sequeretur, quod aliquod intrinsecum Deo esset formaliter lapis, ideo cognitio lapidis, quæ est quid intrinsecum realiter Deo, esset realiter, & formaliter lapis, quod est absurdum.

Quarta propositio. Domus intra in mente Artificis, vt cognita, habet verius esse, quam domus extra. Probatur, quia domus intra habet tale esse participatiue, quale habet ipsa cognitio, per quam cognoscitur, sed illa cognitio est perfectior, quam forma, & figura domus extra, ergo domus intra est perfectior domo extra. Maior patet. & minor probatur: quia domus intra est ipsa cognitio animæ, à qua domus denominatur cognita, & hæc cognitio est quædam naturalis perfectio animæ. Forma autem domus extra non est nisi ordo & compositio partium, quæ est aliquod accidentale, & imperfectius ipsa cognitione, vel non est aliquid reale, sicut est domus in speculo.

Ex his respondet Scotus ad argumentum. Cum dicitur: Domus extra habet esse a domo in mente, sed domus extra est perfectior, quam domus intra, nego minorem, quia domus intra habet esse tale, quale habet cognitio, per quam cognoscitur, at illud est perfectius, quam sit forma domus extra, vt dictum est. Et ad probationem cum dicitur, quod domus intra habet esse diminutum, & domus extra est ens reale. Dico, quod cognitio eius est ens reale, & perfectius ens quam domus extra. Domus etiam in mente participat nobilius esse reale, quam sit illud esse extra. Et sic intelligendum est illud D. August. 9. de Trinit. c. 10. vel 11. quod ipertus habet nobilius esse in se, quam in intellectu; vt Angelus habet nobilius esse in se, quam in quocunque intellectu creato, vel Deus ipse habet nobilius esse in se, quam in quouis creato intellectu. Sed inferius habet nobilius esse in intellectu, quam in se ipso, & hoc intelligendum est de illo esse, quod formaliter est ipsius cognitionis, & participatiue ipsius cogniti: Nam lapis cognitus habet tale esse participatum; quale esse habet formaliter cognitio ipsa, & probatur specialiter de domo: quia domus ad extra habet verius esse reale, domus vero ad intra habet esse cognitum. Modo dico, quod cognitio domus est perfectior domo ad extra, quia domus secundum esse cognitũ participatiue habet verius esse quam domus ad extra. Domus itaque ad extra habet verius esse domus, quam domus in intellectu cuiuscunque, sed hoc est esse secundum quid, id est, esse tale limitatam; nobilius autem simpliciter esse habet in intellectu, maxime diuino.

D. August.

Et per hoc patet ad illud argumentum à simili, quo dicebatur, sicut se habet domus ad extra ad domum ad intra, ita Angelus realiter existens ad Angelũ cognitum. Dicit Scotus, quod similitudo non tenet, quia cognitio in alio Angelo nunquam est ita perfecta, sicut Angelus cognitus, quia nunquam accidens potest esse ita perfectum sicut ipsa substantia; at non est sic de intellectione domus: quia illa in quocunque intellectu sit, est perfectior quam domus ad extra, quia omne accidens spirituale perfectius est accidente corporali, cognitio domus est accidens spirituale, figura vero domus ad extra est accidēs corporale; dico ergo quod si illa particula, si, dicit omnimodam similitudinem, non est simile.

Sed contra sicut Angelus est causa suæ cognitionis, & cognitio Angeli non est ita perfecta, sicut Angelus cognitus, ita domus est causa suæ cognitionis, atque ita cognitio domus non erit ita perfecta sicut domus extra; Nam causa si est æquiuoca, est perfectior suo effectu.

Item domus est mensura suæ intellectionis, sicut Angelus est mensura suæ, at mensura est perfectior mensurato: quia mensuratum dependet à mensura, 5. Met. t. cap. 20. & non e conuerso.

Pro responsione istarum difficultatum Doctor notat aliqua. primo dicit, quod obiectum circa suam cognitionem triplicem habere potest conditionem, scilicet causare, terminare, & mensurare, primo causare: quia ab obiecto causatur notitia, secundo terminare, quod quidem terminare non est aliquid efficere, sed est obiectum ab intellectu cognosci mediante notitia, tertio mensurare mensura entitatiua, non quantitatiua: quia intellectio habet suam perfectionem ab obiecto, & quanto obiectum est perfectius, tanto perfectior est cognitio. Secundo dicit, quod artificiale, quatenus artificiale, vt domus, quatenus domus, non habet duas conditiones obiecti, scilicet causare, & mensurare, sed bene habet tertiam conditionem, scilicet terminare. Tertio dicit, quod Angelus habet omnes conditiones obiecti: nam causat, mēsurat, & terminat suam cognitionem: atque adeo Angelus, & domus non se habent eodem modo circa suas cognitiones, quia domus tantummodo illam terminat Angelus vero, & terminat, & mensurat, & causat.

Obiectũ respectu suæ cognitionis habet triplicem conditionem.

Et si quæras, à quo causatur cognitio domus. Respondet Scotus, quod domus potest sumi dupliciter, & similiter quodcumque artificiale, vno modo vt est terminus realis actionis, & sic est ens reale, altero modo, vt est obiectum artis, & sic non habet nisi esse cognitum. Iterum domus, vt est terminus realis actionis potest bifariam sumi: vno modo pro materiali, altero modo pro formali; primo modo, scilicet pro significato materiali domus, importat rem illam, quæ est domus, puta lapides, ligna, & similia. sed pro formali importat figuram illam, quæ non est nisi ordo partiũ inter se, & ad totum, atque ita non est aliqua qualitas absoluta, vt dicit hic Tataretus, & in 2. Physicorum, quæst. 1. dub. 3.

Artificiale potest sumi bifariam.

Tataretus.

Digitized by Google

dub. 3. & est expressa sententia Scoti in hoc 4. dist. 12. quæst. 4. sub litt. F. §. Sed de figuratione. Ex his dico, quod capiendo domum pro formali, siue vt ens cognitum, id est, vt est obiectum artis, siue vt est terminus actionis realis, nihil potest causare, patet hæc propositio quoad primam partem: quia obiectum cognitum vt cognitum, non potest aliquid causare. Verbi gratia, habeo cognitionem de rosa ipsa non existente, rosa habet esse cognitum in intellectu meo, & vt sic rosa non potest causare sui notitiam, quia habet esse diminutum, sed eius notitia causatur à specie intelligibili rosæ. Quo ad secundam partem patet etiam: quia domus vt artificialis, & pro formali, dicit præcise respectum, respectus autem non potest aliquid causare.

Notitia artificialis à quo causatur.

Et si dicas à quo ergo causatur notitia artificialis, vt artificialis, dico quod causatur à fundamento respectus, id est, ab ente reali, super quod artificiale addit formam; causatur ergo à fundamento vel termino, & non ab ipsomet respectu, qui sui notitiam causare non potest, licet possit illam terminare. Atque ita non sequitur: Domus ad extra habet esse reale, & domus ad intra habet esse cognitum, ergo domus extra non habet esse a domo intra. Sed bene valet consequentia, quando cognitio est imperfectior; quam sit forma producibilis extra; Et ideo quia cognitio Angeli est valde imperfectior angelo cognito, cognoscens per illam, cognitionem non potest producere Angelum cognitum, & tota ratio est, quia cognitio Angeli est imperfectior Angelo producendo.

ARTICVLVS VI.

Vtrum intellectio Angeli sit eius substantia.

ARistoteles, Auerroes, Auicenna, & omnes Philosophi tenent intellectionem intelligentiarum esse earum substantiam: quia secundum ipsos in abstractis à materia idem est intelligens, intellectio, & intelligibile.

Conclusio.

Sed contra hanc sententiam ponit Doctor, sub hanc conclusionem. Intellectio Angeli est sibi accidentalis. Hæc conclusio sic probatur. Si essent infinita obiecta disparata, quorum nullum esset principium cognoscendi alterum, posset angelus omnia illa saltem successiue intelligere distincte, sed id non posset per vnicā intellectionem, ergo per aliam, & aliam, atque ita in angelo potest esse alia, & alia intellectio, ac proinde intellectio Angeli est alia realiter ab essentia angeli: quia da oppositum, scilicet quod non sit alia realiter, tunc non poterit esse in Angelo alia, & alia intellectio sicut nec alia, & alia essentia, quod contradicit conclusioni illatæ. Maior de se patet, nam cum obiectum naturale intellectus angeli sit ens limitatum, & finitum, absolutum vel respectiuum, cuius terminus non est Deus (vt docet Doct. in quol. q. 14.) omnia sub eo contenta potest intelligere naturaliter.

Minorem probat Scotus hoc pacto, quorum potest esse vna intellectio, illa possunt simul intelligi, sed infinita non possunt simul intelligi ab Angelo distincte; igitur Angelus per vnā intellectionem non potest infinita disparata distincte concipere. Minor probatur tripliciter, primo ex finitate intellectionis, secundo ex finitate intellectus Angeli, tertio ex finitate essentiæ Angeli. Ex finitate intellectionis probatur dupliciter, & primo sic. Si infinitorum obiectorum esset vna notitia, illa esset infinita; sed intellectio Angeli est finita, ergo intellectio angeli non potest esse infinitorum obiectorum. Maior probatur. Duæ intellectiones respectu duorum intelligibilium distincte, & perfecte sunt duæ perfectiones, ergo si vnica intellectio est istorum duorum intelligibilium æque perfecte, & distincte, ac si duæ distinctæ essent de illis duobus intelligibilibus, illa vnica intellectio continet illas duas perfectiones, ergo vna alia, quæ continet tres intellectiones, adhuc continet tres perfectiones, ergo vna quæ continet infinitas intellectiones, continet virtute infinitas perfectiones, consequentia ista vltima probatur, vbi pluralitas arguit maiorem perfectionem, quam paucitas, ibi infinitas arguit infinitatem, sed sic est in proposito: ergo &c. Et confirmatur, quia illa vna intellectio contineret eminenter omnes notitias omnium illorum obiectorum intelligibilium, & infinitorum si essent, ergo esset infinita: Nam si illæ intellectiones infinitæ essent secundum proprias rationes, essent infinitæ perfectiones alterius rationis: quia infinita obiecta alterius rationis. Nā ex hypothesi essēt infinita obiecta disparata; & quælibet intellectio diceret propriam perfectionem; Nam intellectio lapidis dicit vnam perfectionem, intellectio leonis aliam, intellectio bouis aliam, equi aliam, hominis aliam, &c. quæ essent alterius rationis, quemadmodum obiecta sunt alterius rationis, ergo illa vna intellectio, quæ omnes eminenter contineret, esset infinite perfecta formaliter, & intensiue.

Secundo probatur, omne intelligere finitum, id est, omnis intellectio finita terminatur ad certum intelligibile finitum, vel ad certa aliqua intelligibilia, id est, numero finita; sic quod ex se repugnat sibi, quod sit aliorum ab illis, vel ab illo; sed si illud intelligere, vel illa intellectio poneretur in Angelo respectu infinitorum intelligibilium disparatorum si essent, non sic terminaretur, ergo non esset intellectio finita: quia intellectio finita non potest esse infinitorum obiectorum, id est, non tot quin plurium, & maxime loquendo de obiectis primarijs, vt de se patet.

Secundo probatur ex parte intellectus in hunc modum. Quorum potest esse vnum intelligere, illa possunt simul intelligi; ergo si infinitorum obiectorum potest esse vna intellectio, illa possunt simul intelligi, & sic angelus posset illa simul intelligere, atque adeo erit infinitus eius intellectus: consequentia patet: quia intellectus finitus non potest distincte simul intelligere infinite obiecta disparata: quia maioris virtutis est distincte intelligere plura disparata simul, quam pauca; ergo simul intelligere distincte infinita disparata est virtutis infinitæ intensiue.

Sed huic rationi respondetur, quod intelligere non est perfectius, quia plurium: Nam intellectio collectiua lapidis ad lignum, non est perfectior cognitione absoluta lapidis, & tamen intellectio illa comparatiua lapidis includit intellectionem plurium: quia comparatorum.

Respondet Doctor, quod hoc est falsum: Nam semper cognitio comparatiua est perfectior, quam cognitio simplex vnius comparati. & probatur: quia cognitio comparatiua nunquam haberi potest de aliquibus, nisi mediantibus rationibus cognoscendi duorum comparatorum. Non enim possum comparare lignum lapidi, nisi habeam species intelligibiles, vel notitias absolutas ligni, & lapidis. Item illa notitia est perfectior, quæ requirit maiorem perfectionem, sed comparatiua notitia requirit maiorem perfectionem, quam notitia simplex, ergo &c. Maior patet, & minor probatur: quia notitia comparatiua requirit ambas rationes cognoscendi, scilicet ligni, & lapidis, & notitia simplex tantum vnam.

Ratio cognoscendi est duplex.

Tertio ex parte obiecti seu ratione intelligendi probatur conclusio, & primo suppono aliqua. Suppono primo, quod duplex est ratio cognoscendi, quædam est ratio cognoscendi obiectiua, & illa non est nisi abstractum, vel quidditas obiecti, quod intelligitur: alia est ratio cognoscendi, seu intelligendi formalis, vel repræsentatiua, & illa non est nisi species intelligibilis, vel conceptus formalis, per quem attingitur obiectum.

Secundo suppono, quod obiectum cognitum nihil est aliud nisi res, quæ cognoscitur.

Tertio suppono, quod in hac ratione per rationem obiectiuam intelligit Doct. naturam obiecti significatam in abstracto, & per obiectum res, quæ cognoscitur, nempe obiectum in concreto, & per intellectionem conceptum formalem, sub quo membro intelligitur species intelligibilis.

His suppositis arguitur sic. Vna intellectio necessario requirit vnum obiectum primum sub vna ratione formali intelligendi obiectiua, ergo si angelus per vnicam intellectionem potest intelligere infinita obiecta (id est, non tot quin plura) necessario huiusmodi intellectioni assignādum erit vnicum obiectū primum, & vna ratio intelligendi formalis; sed tale obiectum, & talis ratio non potest huiusmodi intellectioni assignari: ergo non potest angelus per vnicam intellectionem infinita intelligere. Prima consequētia huius rationis probatur, quia vnitas intellectionis necessario dependet ab vnitate obiecti primi; ergo si obiecta prima sint plura numerabitur intellectio secundum numerum obiectorum; sicut mensurata numerantur numeratis mensuris propter dependētiam actualem: & ratio est, quia multiplicato priori essētialiter, necessario multiplicatur po-

sterius; non enim non potest stare vnitas posterioris cum pluralitate prioris, licet bene è conuerso. Minor primæ rationis probatur: quia tale obiectum primum non potest esse aliquid aliud, quam essentia angeli intelligentis; sed hoc esse nequit: ergo, &c. probatur maior: quia essentia Angeli in cognitione sui est primum obiectum, & prima ratio intelligendi; ergo si non est etiam primum obiectum in cognitione cuiuscunque alterius obiecti, dabis plura obiecta prima atque adeo plures intellectiones; ergo si vna est intellectio Angeli respectu omnium intelligibilium, oportet ponere, quod essentia eius sit primum obiectum, & formalis ratio intelligendi quodcunque obiectum intelligibile ab intellectu angelo. Probatur minor dupliciter. Primo aliquod ens infinitum est intelligibile ab intellectu Angeli, sed hoc non potest intelligi per essentiam eius, id est, angeli tanquam per obiectum primum, & rationem intelligendi; ergo &c. maior patet, & minor probatur: quia nullum finitum potest esse ratio intelligendi infinitum obiectum perfecte, & distincte, sed essentia Angeli est finita ergo &c.

Et si dicas per speciem intelligibilem, quam Deus creat
Scotus. in intellectu Angeli, Angelus cognoscit Deum distincte, vt patet per Doct. in 2. dist. 3. q. 9. & tamen illa species est finita. Dico quod duplex est ratio cognoscendi, vna obiectiua de qua hic est sermo, quæ non potest esse ratio cognoscendi infinitum si ipsa est finita, altera est ratio formalis, vt species intelligibilis, & de illa loquitur Doctor, in secundo.

Probatur secundo eadem minor. Nihil potest esse ratio cognoscendi plura alterius rationis, nisi eminẽter contineat in se omnia illa, secundum cognoscibilitatem, & per consequens secundum entitatem; ergo nihil potest esse principiũ cognoscendi infinitata disparata si essent, nisi eminenter in se contineat illa, sed essentia angeli cum sit finita non potest eminenter continere obiecta infinita disparata si essent, ergo illi vnicæ intellectioni, per quam Angelus intelligeret infinita obiecta disparata si essent, non potest assignari vnum obiectum primum, & per consequens non est dabilis talis intellectio, ac proinde Angelus pluribus intellectionibus intellectionibus intelligit, atque adeo intellectio Angeli est sibi accidens; quia alias in eo alia, & alia esse non posset, sed vna & eadem cum Angeli substantia. Sic ergo supposita tam finitate intellectionis angelicæ, quam intellectus eiusdem, & essentiæ. & hoc ex dist. 2. primi, q. 3. de vnitate Dei, & q. 1. de eius infinitate, sequitur quod in angelo potest esse aliud, & aliud intelligere realiter, & non nisi vna substãtia, & per consequens eius intelligere non est idem suæ essentiæ, ergo est accidens.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum ad quodcunque producendum ab Angelo prærequiratur necessario Angeli intellectio, vt prior termino producto.

ET videtur, quod non: quia vnus angelus potest alium Angelum intuitiue videre & intelligere, ergo Angelus visus potest esse causa partialis cognitionis intuitiuæ, & volitionis alterius, sicut obiectum est causa partialis, sine aliqua intellectione, & volitione præuia. Item agere extra se cum sit perfectionis potest competere Angelo sine accidente medio; ergo Angelus potest aliquid extra se producere sine præuia intellectione. Hæc sunt argumenta Ocham in
Ocham. 2. quæst. 7.
Conclusio. Contra ponit Scotus hanc conclusionem. Ad quodcunque producendum ab Angelo requiritur necessario intellectio Angeli tanquam præuia ipsi producendo, quam con-
Auicenna. cedit etiam ipse Auicen. 9 Met. c. 4. & probatur sic. Natura mere intellectualis nihil producit nisi intelligendo, & volendo, siue per actum intellectus, & voluntatis, ergo vt natura intellectualis aliquid extra se producat necessario præexigitur in ea, actus intellectus, & voluntatis. Vnde etiam persona diuina nihil producit ad intra, vel extra sine actu istarum potentiarum, si enim natura, vt est prior intellectu (sicut essentia dicitur esse prior potentia) esset principium producendi personam, essent in diuinis aliqua persona producta prior Verbo, & sic essent quatuor. Sicut ergo persona diuina neque ad intra, neque ad extra producit aliquid nisi per actus istarum potentiarum, scilicet intellectus; & voluntatis, ita angelus nihil producit extra se nisi per actum intellectus, vel voluntatis, vel alterum, vel vtrunque non cura.

Et si forsitan dicatur dari in angelo tertiam potentiam executiuam aliam ab intellectu, & voluntate dicit Doctor. quod licet hoc concedatur non impedit propositum: quia illa tertia potentia si daretur in angelo necessario esset subordinata in agendo intellectui, & voluntati, atque ita non posset per eam aliquid produci sine actu intellectus, & voluntatis: quoniam omne per se agens agit propter finem, quem cognoscit, vel in quantum dirigitur à cognoscente, & ita omne principium per se actiuum, quod non est cognitiuum, videtur dirigi in actione sua à principio cognitiuo.

His tribus conclusionibus probatis in his tribus Articulis improbatur positio Auicen. & probatur quod intelligentia non potest creare tertiam, hac ratione. Natura mere intellectualis creata non potest producere aliquid extra se nisi per intellectionem, & volitionem; sed per intellectionem, & volitionem non potest aliquam substantiam extra se producere, ergo natura mere intellectualis creata nõ potest producere aliquid extra se per creationem, id est, non potest creare substantiam, maior huius rationis patet, ex tertia conclusione, quę est probata in hoc art. Minor vero probatur: quia per nullum actum accidentalem potest creari, vel produci substantia ex conclusione probata in 5. art. sed intellectio, & volitio angeli sunt actus accidentales, ab essentia Angeli re ipsa distincti ex conclusione probata in 6. art. ergo per illos non potest aliquam substantiam producere, atque adeo secunda intelligentia non potest creare tertiam, &c.

Durandus in 2. dist. 1. q. 4. num. 35. & sequentibus, dicit Durand.
quod per hanc rationem non sufficienter probat Scotus, quod intellectio angeli non requiratur ad creationem substantiæ, quia licet non requiratur, vt productio, vel vt principium formale producẽdi, posset requiri vt principium applicatiuum, sicut intelligere, & velle in artifice requiruntur ad domum ædificandam, non vt productio, nec vt principium formale producendi, sed vnum vt directiuum, scilicet intelligere, & aliud vt applicatiuũ ad opus, scilicet velle. At hoc friuolum est: quoniam in Artifice cum sit potentia exequens distincta ab intellectu, & voluntate ponuntur intellectio, & volitio, vt dirigant ad opus; at substantia spiritualis non habet huiusmodi facultatem executiuam præter ipsum intellectum, & voluntatem, vt communiter docent ex sententia Scoti præclariores Scotistæ, ergo intellectio, & volitio essent principia creationis. Præterea principium applicatiuum non requiritur nisi quando agens, & patiens sunt in aliqua distantia; In creatione autem non est passum, ergo non est opus applicatione.

Deinde nu. 37 dicit Durandus non rectè probari intellectionem, & volitionem in Angelo esse accidens. Quia falsum est, inquit, quod non repugnet intellectui Angelico distincte intelligere, quæcunque intelligit, etiam si intelligibilia essent infinita, & alterius rationis; quia aut ea intelligeret per vnicam intellectionem, vel per plures. Dicimus nos, quod per plures, & cum dicit, quòd illæ necessario essent numero infinitæ cum nullum eorum esset, ratio intelligendi alterum; atque ita essent tot intellectiones, quot intelligibilia.

Dicimus, quod non essent in actu numero infinitæ, quia succedunt sibi in intellectu Angeli, vel succedere possunt: cum possit omnia distincte intelligere, sed non simul, quia tunc vel haberet infinitas intellectiones in actu, vt ipse Durandus deducit, & tunc etiam essent accidentia; vel vnam actu infinitum, vt deducit Scotus, quod est impossibile; & cum dicit, quod intelligendo vnum post alterum distincta intellectione nunquam poterit deueniri ad infinitum actu, admitto; sed ex hoc non sequitur, quod intellectus Angeli non possit distincte intelligere, quodlibet intelligile successiue; & esto quod deuentum esset ad vltimum intelligibile, (quod tamen est impossibile, si intelligibilia essent infinita) non sequitur, quod deducit Durandus, nempe quod aliqua illarum intellectionum esset infinita, quia & si intellectiones sint alterius rationis, & alterius perfectionis, quemadmodum obiecta intelligibilia, & procedendo semper augeretur perfectio, tamen cum nullum intelligibile creatum sit infinite perfectum nullum esset, quod in infinitum cætera

intel-

intelligibilia in perfectione excederet, ac proinde nulla intellectio esset infinite perfecta. Optime ergo probat Scotus intellectionem,& volitionem Angeli esse accidentia,vt patet cōsideranti eius rationes. Præterquam, quod intellectio illa,& volitio Angeli, qua crearet creaturam versaretur circa ipsam creaturam, tanquam circa obiectum non naturaliter sed libere, nulla enim esset causa cur diceremus circa creaturas versari Angelum necessario,& per suam substantiam,ergo ab ea operatione posset cessare, esset ergo accidēs ipsius,sicut est in nobis qualibet intellectio,& volitio.

Ad argumenta Ocham,quę sunt posita in principio articuli. Dico ad primum, quod aliud est loqui de Angelo in ratione obiecti,& aliud in ratione causæ agentis: Nam licet Angelus in ratione obiecti possit, causare sui cognitionem in intellectu alterius Angeli sine intellectione prævia; cum vt sic agat per modum naturæ, ac si non esset intelligens & volens; tamen non potest aliquid causare, in ratione causæ agentis:cum vt sic agat intelligendo,& volendo,nisi prævia intellectione,& volitione.

Ad secundum dico,quod assumit id,quod habet probare: nempe,quod agere extra se cum sit perfectionis,quod possit competere Angelo sine accidente prævio: hæc enim gratis accipit, & absque vlla fide; Nam cum Angelus sit agens per intellectum,& voluntatem implicat, quod extra se aliquid producat nisi intelligendo, & volendo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Potentia creandi possit creaturæ communicari.

NVllus est catholicorum, qui affirmet creatā esse à Deo aliquam naturam cui,tanquam causæ principali conueniat propria,& natiua virtute creare. An vero aliqua creatura possibilis sit, quæ vt causa principalis habeat in se virtutem creandi,dissensio est inter Scholasticos.Nam Durandus in 2.d.1.q.4. Petrus de Aliaco.d.1.q.4.q.1.art.2. Vera crux.1.Phy.q.7.concl.3.Gabriel in 4.d.1.q.1.art.3.dub.2.& Andreas à Vega lib.7.super Concilium c.13.& 14. Hi omnes affirmant, quod Deus de potentia absoluta potest creaturæ potentiam, creandi communicare. Vnde Durandus vbi supra dicit,quod & si re ipsa nulli rei creatæ communicata sit ius ad creandum. Deum tamen efficere posse, creaturam adeo perfectam,vt virtute propria creare possit,non quidem omnia,quę diuina potentia creari possunt,(sic enim & se& infinita alia à se perfectiora, quæ Deus sua potentia absoluta creare potest, posset etiam ipsa creare, quod consistit esse falsum) sed solum aliqua.

Durandus. Petrus de Aliaco. Vera crux. Gabriel. Andreas Vega.

Fundamenta præcipua Durandi sunt hæc. Inter ens, & non ens, quæ sunt creationis termini non est distantia infinita, ergo virtus finita potest super illam, consequentia videtur n ta; Tum quia ab aduersarijs ea redditur ratio,tum quia cum data creatura quanta cunque virtutis naturalis ad agendum Deus sine termino potest efficere aliam,& aliam in duplo, & quadruplo maioris virtutis, atque adeo quantæcunque virtutis infra infinitam;ergo si ad creandum non est necessaria virtus infinita: quia inter ens,& nihil non est distantia infinita, Deus efficere posset creaturam, quæ propria virtute creare posset,antecedens vero patet ex 2.art.vbi illud concessimus.

Præterea. Non minus possibile est Deus separare accidēs à subiecto dum producitur ab agente naturali, quam postquam productum est, sed accidens separatur à subiecto virtute diuina postquam productum est,vt patet in sacramento Eucharistię,ergo possibile est,quod accidens producatur ab agente naturali, non ex subiecto nec in subiecto, Deo cooperante non ad productionem, sed ad talem existentiam rei productæ.

Deinde,quando actio non habet subiectum nec terminū à quo, sed solum effectum & terminum ad quem, vt creatio tota ratio virtutis productiuæ, & quantitas illius attendenda est ex perfectione effectus producti,sed creatura secundum se, & suæ perfectionis gradus est finita, ergo non requirit in producente virtuté infinitam,ergo virtus creandi potest creaturæ communicari.

Andreas Vega vbi supra, videtur dicere secundum aliquos,quod virtus creandi gratiam de facto sit collata humanitati Christi, taliter quod ipsa humanitas non solum dicitur causa instrumentalis gratiæ, sed etiam principalis, qua tali potestate vti posset cum voluisset, & potest ex eius opinione hæc ratio formari. Sacra Christi Domini humanitas producit gratiam iustificantem per sacramēta,& sine sacramentis,quia non habet potentiam suam sacramentis alligatam. Sed gratia sola creatione producitur cum sit mere spiritualis forma, ergo datur creaturæ virtus creandi: atq; ita (secundum aliquos) Doctissimus Vega videtur esse contrarius omnibus Doctoribus,qui dicunt,quod talis virtus nulli creaturæ collata est de facto.

Vega.

Oppositum sententiam tenent. Alex.de Ales.p.2 q.6.m.2.art.4.& q.9.m.8.& in 3.p.q.12.m 2. Albertus in 2.d.1.q.1.art.7. D.Thomas 1.p.q.45.art.5. D.Bonau.in 2.d.1.art.2.q.2.Ricard.in 2.d.1.art.4.q.4. Scotus in hac.q.& reliqui omnes in 2. Qui docent, quod nedum de facto, & de potentia Dei ordinaria creatura haud creare potest,sed nec etiam de potentia Dei absoluta. Probatur primū ex D.August.lib.9. in Gen.c.22.vbi ait creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec creare se ipsum,& subdit Angeli nullam omnino possunt creare naturam, omnino inquit, D.August.ad est,nec per ordinariam, neq; per absolutam Dei potentiam eleuari possunt ad creandum.

Alexan. de Ales Albertus. D.Thomas. D.Bonau. Ricardus. Scotus. D.August.

Item D.Athanasius serm.3. contra Arianos,inquit administrare creaturarum, & seruorum est, condere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi,& sapientiæ est. at creatura quæcunque, quæ produceretur serua esset, ergo illi non conueniret creare. Item Cyrillus lib.2. in Iulianum ait. In accessæ naturæ sunt ea,quæ proprie sunt solius, & omnium summæ substantiæ, quarum vnum esse dicimus efficaciter operari posse vt creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, intelligit quæ secundum nullam sui partem ante erant. Nam alio modo, quæ non erant, à creatura possunt produci, vt perspicuum sit.

D.Athana. Cyrillus.

Refertur etiam D.August 3. de Trinit.cap.8.& 9. Super Gen.ad litteram. c.15.& lib.12. de Ciuit. Dei.c.14.& Prosper in lib.sent. August. sententia 146.& Damascenus lib.2. de fide in fine.Qui hæreticum putant asserere aliquid suisse creatum ab Angelis: id autem videntur deducere, qua supre natura sunt creaturæ, non creator. Hic enim est solus Deus, qui in creatus cum sit creator est omnium. Accedit, quod Basilius lib.4. contra Eunomium inde probat filium esse verum Deum: quia creare potest.

Prosper. Damascen. Basilius.

Ratione vero sic arguitur.Nulli creaturæ potest communicari virtus infinita, & illimitata; sed si haberet potentiam creandi haberet virtutem infinitam, & illimitatam,ergo nō potest ei communi potentia creandi. probatur minor;si haberet potentiam creandi posset creare, quodcunque creabile,ergo haberet potentiam illimitatam,antecedens vero probatur: quia creatio est productio ex nihilo,sed non haberet habitudinem,seu proportionem determinatam ad vnū creabile plusquam ad aliud,ergo ea ratione,qua posset in vnum posset in omnia. Et si dicas, quod potentia creandi non repugnat creaturæ, quia non repugnat ex parte Dei, neq; ex parte effectus cum sit finitus. Dico quod repugnat ex parte modi creandi,qui requirit potentiam infinitam,cuius nulla creatura est capax, cum sit subiectum limitatum soli tamen Deo competit,qui infinitus est.

Ad primum Durandi dico, quod ratio ob quam creatura non potest creare non est ex infinita distancia,quæ sit inter ens,& non ens; sed ex rationibus,quibus in sequenti art. inductiue demonstrabimus nullam creaturam, vt causam principalem ad terminum creationis posse concurrere.

Ad secundum dico, quod licet Deus possit separare accidens à subiecto, quo ad fieri, & quo ad esse(potest enim accidens extra subiectum producere, & sine subiecto conseruare) cæterum dum fit accidens ab agente naturali vere ad eius productionem concurrente,non potest quo ad fieri per vllam potentiam separari:ratio est, quia agens naturale,non potest aliquid producere, nisi educendo illud de potentia subiecti, & ideo sicut implicat contradictionem, quod aliquid fiat ab agente naturali, & non educatur de potentia subiecti, ita implicat contradictionem, quod accidens fiat ab agente naturali extra subiectum,quia eo ipso quod fieret extra subiectum,non fieret per eductio em de potentia materiæ, quod agenti naturali repugnat. Quod si aduertisset Molina 1.p.q.45.art.5.disp.1.in res ponsione ad quartum. Durandi, non concessisset in casu argumenti causam secundam,per suam virtutem naturalem posse vna cum Deo pro

Molina.

ducere

ducere accidens de nihilo, atque adeo partialiter vna cum Deo illud creare.

Ad tertium dico, quod maior est falsa: nam non solum ratio virtutis productiuæ, & quantitas illius attendenda est ex quantitate, & perfectione effectus producti, sed etiam ex his, quæ per se requiruntur in producente ad productionem talis effectus. Modo autem in creante requiritur, quod eius actio sit substantialis, & quod nec in agendo, nec in essendo à materia dependeat, quæ omnia in solo purissimo actu, qualis est Deus, reperiri possunt, & nullatenus in creatura, vt statim ostendemus.

Ad argumentum ex Vega dico primo, quod eius opinio in verbis tantum videtur alijs contraria, in re tamen nō contradicit: Nam c.14. explicans seipsum, & inquirens, quæ sit illa virtus, quam Deus contulit humanitati Christi, dicit quod non est qualitas creata inhærens, quæ Christi humanitatem idoneum fecerit organum diuinitatis ad nostram iustificationem; quinimo nulla, inquit, potest esse qualitas creata, quæ faciat creaturam efficacem causam gratiæ; sed solius Dei hoc est proprium: q.d. nulli creaturæ potest cōmunicari. Fuit tamen, inquit, hæc virtus peculiaris quędam Dei assistentia infallibilis, qua Deus sic assistit humanitati, vt quandocunque humanitas velit aliquem iustificare, statim Deus vtatur ipsa humanitate ad illius iustificationem. Hæc sunt verba illius, ex quibus expresse colligitur, quod & si dicat humanitatem Christi esse efficientem causam gratiæ iustificationis; humanitas tamen non attingebat efficienter creationem gratiæ; sed tota illa efficientia erat à diuina virtute.

Caietanus. Ad argumentum autem ex Vega respondet Caiet. 3.p.q. 62.art.2. & concedit, Christi humanitatem effectiue producere gratiam, negat tamen, quod humanitas Christi creet: quia ipse opinatur, quod gratia non creatur neque proprie creari potest; sed nos creari per illam: quia ex nihilo, & sine meritis nostris ex inimicis fimus amici; Nam creari est proprie subsistentium, gratia autem non subsistit, sed accidens est, inhærens subiecto in quo est. Item gratia pendet à subiecto in quo est, neque potest esse sine eo, quod autem creatur non pendet nisi à suo efficiente pro momento suæ creationis, si enim eo momento à subiecto penderet, educi videretur de potentia illius: gratia n. sine dubio creatur. Nam alienum est à ratione, (vt nobiles sentiunt authores) asserere formam adeo præcellentem nō produci à Deo per creationem eo saltem modo, quo creatio potest cōuenire accidentibus: Nam si ex doctrina Arist. 1. Physic. Formæ materiales à Deo non creantur: quia antequā actu producantur præexistebāt aliquo modo in materia, cū gratia ante sui productionē nullo modo præexisteret in anima, in qua producitur, sequitur manifeste, quod creatur, quando producitur. ita S. Bonau. in 4 d.17.num.34. & Scotus in ista q. sub litt.mm. & in 2.d. 37. sub litt.a. & alij Doctores communiter.

Gratia secundum Caiet. non creatur.

S. Bonauen. Scotus.

Ad argumentū igitur dico, quod sacra humanitas Christi Domini, veluti instrumentum diuinitati coniunctissimū concurrit ad productionem gratiæ in anima hominis; negatur tamen, quod illa sacra humanitas creet per se, vel per sacramenta, licet gratia per sacramenta producatur: concurrit namque Christi humanitas, moraliter ad productionem gratiæ, exhibendo Patri æterno pretium sanguinis sui pro redemptione hominis captiui; actio vero, qua gratia producitur physice, vt ita dicam à solo Deo est efficienter; itaque modus moraliter producendi gratiam, reducitur ad genus causæ efficientis, mouentis non quidem Physice, sed moraliter, quod etiam pertinet ad veram efficientiam. Si quidem, vt author est Aristo. modus causandi moraliter reducitur ad genus causæ efficientis, vt patet 5. Met. ca.2. vbi ponit consiliatorem in genere causæ efficientis: qui enim consulit aliquid fieri, causa moralis est operis illi⁹ ab alio effecti; & hanc doctrinam egregie tradit Scotus in hac d.q.4. & 5. & doctissimus Cano illam illustrauit, explicauitq. in relectione de sacramentis in genere. Sed de his latius agendum est infra, q.4. & 5. huius dist.

Scotus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum creatura, vt causa principalis creare possit.

PRo explicatione huius tituli obser. est, vt etiam notauimus in explicatione tituli quæstionis, quod causa principalis bifariā accipitur, (vt docet Scotus in hac q. sub litt. ee. §. Ad quæstionem ergo, &c.) Primo pro causa, quæ in agendo superiorem causam, non agnoscit, cui subordinetur; sic quod agat independenter à superiori causa agente. In qua significatione solus Deus Optimus Maximus est omnium rerum principalis causa, quia ipse solus superiorem causam non agnoscit, omnes vero aliæ causæ ipsi necessario in agendo, & essendo subordinantur tanquam primæ omnium causæ.

Causa principalis bifariā sumitur

Secundo dicitur causa principalis illa, quæ per propriam, & intrinsecam formam operatur, & agit, licet in agēdo per eam sit subordinata causæ superiori agenti, & in hac significatione omnes causæ secundæ, quæ per proprias formas operantur causæ principales dici possunt, vt Sol & homo generantes hominem.

Hoc supposito hæc quæstio suis conclusionibus est absoluenda. Quarum prima talis est. Per nullam potentiam fieri potest, quod creatura concurrat ad creationem tanquā causa principalis primo modo. ita scilicet, vt in sua actione priori agenti nō innitatur. probatur: quia cui potest communicari, quod nō innitatur priori agenti, illi potest communicari, quod non sit ab alio tanquā à causa agente, (semper enim effectus innititur suæ causæ, præcipue si sit causa eius cōseruatiua, tunc enim innititur ei in esse, & per cōsequens in omnibus perfectionibus, quæ prius supponunt esse) sed nulli creaturæ potest communicari, quod non sit ab alio agente: quia nomen creaturæ importat oppositum, scilicet, quod sit ab alio, ergo nulli creaturæ potest communicari, quod creet nullo supposito ex parte agentis; ergo neque vt concurrat, tanquam causa principalis omnino independens à primi causa: quia creaturæ non potest communicari, vt sit Deus, ergo neque quod operetur independēter ab alio, quia hoc soli Deo conuenit. Ista conclusio est ita euidens, de qua nemo dubitauit vnquam, imò est de fide.

Prima Conclusio.

Verum contra hanc conclusionem adducit Pater Castro, lib.4. aduersus hæreses, verbo Creatura, errores quorumdā hæreticorum. Quorum primus fuit Simonis illius Magi de quo in Actis Apost. fit mentio, & cuiusdam Menandri eius discipuli, atq; etiam Saturnini, à quo Saturniani dicti sunt: qui asserebant solum septem Angelos fecisse mundū; præter consensum Dei Patris, id est, præter intentionem Dei. Secunda hæresis fuit Gnostici, & Menandri, qui duos ponebant Deos, quorum vnus erat malus, & alter bonus, qui nullam harum rerū creauit; sed omnes creaturæ factæ sunt à malo Deo. Hos secutus est impius Manichæus. Hos & alios de hac re errores diffusius recensuimus, & reiecimus in nostris Commentarijs, super 1. cap. Gen. vide ibi.

Alph. Castro.

Cæterum nostra conclusio est de fide, & probatur ex illo Gen.1. In principio creauit Deus cœlum, & terram &c. non ergo Angeli, nec malus Deus, quem Manichęus fingebat. & Malachiæ 2. Nunquid non Deus vnus creauit nos? quasi dicat, sic. & Ioan.1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. ex quibus patet quod creatura sine Deo nihil efficere potest. probatur etiam conclusio ex Concilio Lateran. cap. firmiter de summa Trinit. & fide cathol. vbi dicit: Deus ex nihilo vtramque condidit creaturam, spiritualem scilicet, & corporalem, angelicam, & mundanā; & in Symbolo Concilij Niceni, dicitur, Factorem cœli, & terræ, &c. & ad Roman.11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Concilium Lateran.

Secunda conclusio. Nulla creatura potest creare tanquam causa principalis secundo modo dicta, per formam intrinsecam actiuam; attingendo terminum creationis alicuius substantiæ. hæc conclusio si de facto intelligatur, & per Dei ordinariam potentiā, est etiam de fide, & probatur ex Concil. Lateran. supra relato, & ex D. August. 3. de Trinit. c.8. Nō solos malos, inquit, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores, & super Gen. lib.9. cap.15. Angeli nullam omnino possunt creare naturam; & c.25. Creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec creare seipsum. & 12. de Ciu. c.24. loquens de Angelis inquit. Tā nec eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum. & 3. de Trinit. c.9. & 14. Ita non possumus dicere Angelos creatores fuisse, sicut nec possumus dicere homines esse segetum creatores, & post c.10. vel 16. Nō est creator nisi qui principaliter ista format, penes quem primitus sunt omnium, quæ sunt, mensuræ, numeri, & pondera. Et Damascenus libro 2. de fide c.3. sub finem. Quicunque dicunt Angelos conditores esse

Secunda conclusio.

Concilium Lateran. D. August.

Damascenus.

causf-

Digitized by Google

cuiuscunque substantiæ, ipsius diaboli, inquit, sunt, eoru qui dem patris. Creaturæ enim cum sint, non sunt conditores. Omnium vero factor, & prouisor, & contentor Deus est so-
Cyrillus. lus increatus. Item Cyrillus lib. 2. contra Iulianum. Et hoc maxime, inquit, contra diuinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere. Non enim fas est dicere, quod ea quæ diuinæ, & ineffabilis naturæ propria & eximia sunt, naturaliter possint inesse quibusdam ab ipsa factis. Ex quibus colligitur, cōclusionem esse de fide: nam si esset opinio, licitum esset oppositum opinari. Verum supra relati Patres dicunt nefas esse oppositum opinari.

Præterea quod conclusio sit de fide probatur hac ratione. De fide est esse vnicum creatorem; sed si esset aliqua creatura, quæ virtute sua posset creare, sicut ignis comburere, iam essent plures creatores, ergo de fide est quod nulla creatura potest hoc modo creare. maior patet ex authoritatibus adductis; & ex determinatione ecclesiæ in Concilio Lateran. extra de summa Trinit. &c. probatur minor, omnis causa quæ ex se habet virtutem ad aliquem effectum producēdū, dicitur absolute causa illius. v. g. ignis dicitur combustiuus, & sol calefactiuus, ergo eodem modo illa creatura dicenda esset creator; atque ita essent plures creatores, quod est contra fidem.

Quod vero nulla creatura possit creare, vt dicitur in nostra conclusione, ratione probatur. Si aliqua creatura posset creare, ea deberet esse nobilissima omnium, eo quod creatio est perfectissima actio transiens, quæ alicui naturæ tribui potest; perfectior autem natura nequit esse, quam spiritualis, ergo si aliqua creare posset spiritualis esset. Hæc autem non crearet proxime per naturam suam in quantum est: sic. n. necessario crearet, perfectissima autem productio transiens, quæ perfectissimæ naturæ tribuitur, debet illi non necessario, sed libere conuenire, & ab ea exire non in quantum est, sed in quantum intelligit, & vult; sed media intellectione, & volitione creata nihil potest creari, ergo nullo modo creatura creare valet. Probauit Scotus, nullam naturam creatā media intellectione, & volitione posse creare: quia intellectio, & volitio est accidens: ergo non potest esse principium creādi substantiam, vt ostendimus in superioribus articulis.

Hanc conclusionem tenent omnes Doctores scholastici. Tamen quoad modum dicendi triplex est opinio. Prima
Gulielmus Varo est Varonis lib. 2. d. qu. 6. dicentis, quod licet tenenda sit hæc conclusio propter authoritates sanctorum, tamen non appa-
Herueus. Durandus. ret ratio efficax, qua possit probari; quem sequuntur Herueus in 2. d. 1. q. 2. art. 4. Durandus eadē d. q. 4. vbi dicit, quod non est ratio quæ conuincat creaturam non posse creare vir-
Ocham. tute diuina: & Ocham in 2. q. 7. & quol. 2. q. 9. Rationes Varsonis sunt: quia non patet euidenter, quare repugnet creaturæ posse producere aliquem effectum totum, & totaliter nullo eius præsupposito, cum quilibet effectus sit imperfectior tali causa agente, & per consequens possit contineri in ea eminenter, & per hoc virtualiter, & actiue; & potest ratio sic formari. Quandocunq; aliqua creatura est perfectior alia, ex se non repugnat aliam imperfectiorem producere nullo præsupposito, cum quilibet effectus sit semper imperfectior tali causa; sed creatura est huiusmodi: ergo &c. Minor patet exemplo. Nā primus Angelus est perfectior omnibus aliis effectibus creatis.

Præterea, secundo agens naturale potest producere effectum nullo præsupposito: patet, quia ignis producit formam ignis, quæ est perfectior, materia ignis; si ergo potest producere formam ignis, poterit etiam producere materiam, & per consequens totum effectum nullo præsupposito.

Præterea. Nō videtur maior repugnātia, quod sicut ignis producit alium ignem; ita etiam vnus Angelus producat alium Angelum; ergo si ignis vt patet ex argumento nunc facto potest producere alium ignem nullo præsupposito, & Angelus alium Angelum.

Secunda opinio est, quod conclusio negatiua potest ostēdi per rationem, & hoc vniuersaliter de qualibet creatura; at non specialibus rationibus, ad hanc. s. vel illam naturā ap-
Landulph. plicatis; & hanc opinionem sequitur Landulphus in 4. d. 1. q. 1. & in quol. q. 1. Cuius ratio est: quia sicut causa materialis, & formalis secundum totum genus suum necessario se inuicem exigunt in causando rem in esse. Nunquam. n. forma est causa formalis alicuius, nisi materia insimul sit causa materialis eiusdem, ita totum genus efficientis causæ, quod includit omne efficiens limitatum, habet necessariam connexionem cum materia quantum ad fieri: Nam sicut materia, & forma sunt causæ in esse, sic efficiens & materia in fieri. Impossibile est ergo aliquod efficiens limitatum concurrere ad effectū producendum, nisi simul cōcurrat materia quasi principium ex quo requisitum in fieri, in quo recipiatur forma, quæ est terminus formalis actionis & ex qua, vt ex parte, cōstituitur compositum, quod est primum productū. Deus autem non requirit in actione sua materiam concomitantē: quia est supra totum genus causæ efficientis: quia est agens illimitatum. Sed hæc ratio, inquit Scotus, licet dicat propter quid conclusionis, scilicet limitationem efficientis, quæ determinat ipsum ad requirendam materiam in agendo, tamē istud propter quid non est multum euidentius conclusione, vt patet intuenti. Ideo dicit Doct. quod hæc conclusio probari vtique potest, at non per rationem aliquam communē, sed per rationes particulares factas in omnibus creaturis, ex quibus rationibus inductiue elicitur conclusio. & iam probata est conclusio de creatura spirituali, nempe de Angelo.

Tertia Conclusio. Nulla creatura potest creare formam *3. Cōclusio.* aliquam materialem, id est, eam formam quæ necessario naturaliter requirit subiectum, siue sit forma substantialis, siue accidentalis. Antequam hæc cōclusio probetur, suppono primo, quod per formam materialem intelligo omnem illam formam, siue substantialem, siue accidentalem, quæ ex natura sua necessario inclinatur, vt sit actus materiæ. Secundo suppono, quod illud dicitur actus materiæ, quod potest immediate, vel mediate informare materiam; immediate, vt forma substantialis, quæ informat materiam nudam: mediate, sicut caliditas ignis, & quantitas eius; est enim quantitas & caliditas ignis, quibus ignis dicitur quātus, & calidus inhæsiue, & subiectiue immediate in toto composito. Tertio suppono, quod inter creationem, & alias mutationes hæc est differentia: quod forma, qua creatur, prius naturaliter habet esse in se, quam informet subiectum, velut anima rationalis, quæ per creationem habet esse in se, non est in subiecto nisi per aliam mutationem, videlicet per informationem; forma vero quæ per aliam mutationem à creatione diuersam producitur, eadem actione habet esse, qua subiectum informat.

His suppositis probatur conclusio. Forma quæ creatur prius naturaliter est à causa efficiente, quam materiam informet, sed forma materialis non potest esse ab aliqua creatura prius naturaliter, quam informet materiam suam, vel potentiale suum; ergo nulla creatura potest creare formam aliquam materialem, substantialem, seu accidentalem; consequentia est bona, & maior probatur: quia si forma non est prius naturaliter à causa efficiente, quam materiam informet, infertur, quod non accipit esse à causa, nisi illa actione, qua subiectum informat, sed illa informatio est mutatio proprie dicta, & per consequens non est creatio. Minor vero probatur. Nulla creatura potest dare formæ materiali esse absolutum in se, id est, absque eo quod informet suum potentiale, quia si posset sic dare esse, posset & illud conseruare, vt realiter virtute creaturæ maneret in aliqua duratione talis forma sine materia, siue subiecto, hoc tamē proprium est solius virtutis diuinæ.

Ex hac probatione sequuntur duo corollaria, primū est quod forma, quæ creatur prius natura dicit respectū producti ad producens, quam habeat respectum informantis ad informatum. patet, quia prius natura habet esse, quam informet. Secundum corollarium est, quod forma materialis nō habet prius natura respectum producti ad producens quam informantis ad informatum, sed simul natura habet vtrumque. patet, quia non prius habet esse, quam informet materiam; imò forte prius natura forma materialis informat materiam quam habeat esse, atque adeo prius natura habet respectum informantis ad informatum, quam producti ad producens: patet, quia si prius habuisset esse, quam informasset materiam, tunc in illo instanti posset conseruari Deo concurrente concursu generali, ita quod non informaret materiam.

Quarta Conclusio. Nulla forma materialis potest esse *4. Cōclusio.* principium creandi aliquid. Hæc conclusio probatur dupliciter, & primo sic. Forma materialis necessario præsupponit materiam in essendo, ergo & in agendo, aliter enim terminus actionis esset absolutior à materia, quam forma actiua, quod est falsum, quia terminus actionis non potest esse perfectior suo principio productiuo, esset autem perfectior si

esset

Digitized by Google

esset absolutior à materia, quia absolui à materia perfectionem arguit, sed formalis terminus actionis non potest esse perfectior formali principio agendi: quia nihil est formaliter principium formale producendi aliquid perfectius se ipso, nihil enim agere potest vltra suam speciem; & proprium est Dei operari sine subiecto præsupposito.

Ocham in 2. q.7. instat contra hanc rationem: quia tam materia, inquit, quam forma substantialis materialis, & accidentalis potest esse causa partialis notitiæ intuitiuæ, in intellectu Angeli, vel alterius, & illa cognitio est absolutior à materia, quã aliquod illorum, ergo &c. Dico, quod si intelligat cognitionem intuitiuam Angeli, quam habet de materia, forma substantiali materiali, vel accidentali esse absolutionem à materia ex qua: falsum dicit: quia neque materia, neque forma substantialis materialis, neque accidentalis, constant ex materia ex qua. Si etiam loquatur de materia in qua, nego vniuersaliter: quia materia est omnino absoluta à materia in qua, cum materiæ non sit materia: quia ipsa est omnium formarum vltimum fundamentum. atqui cognitio Angeli cum sit accidens, necessario requirit materiã in qua, atque adeo absolutior est à materia materia ipsa, quam sit Angeli cognitio causata partialiter à materia. per idem patet de forma substantiali materiali, & accidentali: Nam sicut fieri nequit, quod forma substãtialis materialis, & accidentalis possint esse sine materia in qua: ita fieri nequit, quod Angeli cognitio sit sine subiecto.

Secundo probatur conclusio. Quando aliqua secundum totum genus suum habent aliquem ordinem ad inuicem, quodlibet vnius generis habet consimilem ordinẽ ad quodlibet alterius generis, verbi gratia, si albedo secũdum totam suam speciem est prior, id est, perfectior nigredine, & quælibet albedo est perfectior, qualibet nigredine; sed quælibet forma materialis, secundum totum genus suum est posterior origine tota materia sua receptiua, ergo quælibet talis forma est posterior ad quamlibet materiam. Sed posterius origine vel generatione, non potest esse principium producendi suum prius per creationem. ergo forma substantialis materialis, non potest creare materiam, & per consequens, non potest producere totum nullo præsupposito.

Et confirmatur: quia forma materialis dependet in essendo à materia, ergo & in agendo, atque adeo non potest esse principium producendi aliquid eiusdem rationis cum materia. Videtur enim repugnantia, quod principium agendi per se dependeat ab aliquo eiusdem rationis cum termino, quem producit. Nam si calor est principium producendi calorem, implicat quod ab alio calore eiusdem rationis cum calore producto dependeat in agendo, & in essendo. Idem videmus in omnibus alijs agentibus: Homo enim producens hominem, non dependet in agendo ab alio homine: & ratio est: quia cum causa contineat in sua virtute effectum hunc, similiter, & quemlibet alium eiusdem rationis continebit, ergo à nullo eiusdem rationis cum illo potest per se dependere in agendo: quia tunc causa dependeret per se à suo effectu, quod implicat.

Et si obijcias contra illam propositionem, Quando aliqua secundum totum genus suum &c. quoniam inter formam substantialem, & formam accidentalem consequentem illam talis est ordo secundum genus, quod forma substantialis præcedit origine qualitatem; sed non quælibet forma substantialis præcedit quamlibet qualitatem: quia forma substantialis geniti, non præcedit qualitatem generãtis, vt patet de igne generãte alium ignem: caliditas enim ignis generantis præcedit formã substantialem geniti, sicut causa effectum, & non è contra, licet ergo forma substantialis, & qualitas propria secundum genus suum habeant ordinem, quia forma substantialis est prior, non tamen qualibet qualiber; imò tantummodo in quocumque eodem forma substantialis est prior sua qualitate, licet in alio, & alio potest qualitas præcedere formam substantialem, sicut qualitas generantis præcedit formam substantialem geniti.

Arist. Et confirmatur per illud Philos. 9. Meta. t.c.13. de potentia, & actu, vbi vult, quod actus simpliciter præcedat potentiam tempore, & tamen in eodem potentia tempore præcedit actum.

Substantia est prior accidente. Respondet Scotus, quod quælibet substantia eiusdẽ speciei præcedit quamlibet qualitatem secundum genus suum tripliciter, scilicet definitione, cognitione, & tempore, tempore, inquam, id est, separabilitate, quia quantum in se est substantia potest esse sine qualitate, non tamen tempore, id est actuali, vel temporali duratione extra causam; nec sic intelligit Philos. sed prædicto modo, præterea quod qualitas in re, & in effectu extra causam præcedat formam substantialem tempore, est per accidens, per se autem forma substantialis secundum suum genus est prior qualitate, modo posterius non potest esse causa sui prioris. Vnde cũ dicitur in argumento, quod qualitas generantis præcedit substantiam geniti, vt causa effectum, dico hoc esse falsum, sed solum est causa qualitatis disponentis ad formã substantialem geniti, ob idque dicitur quodammodo causa geniti, licet hoc sit valde impropriè. Quocirca cum ignis producit ignem, calor est solum causa actiua in ipsa alteratione, in momento vero quo ignis generatur, iam ignis generans, non agit per calorem, sed immediate per suam formam substantialem, vt in hoc 4. d. 12. diffusius explicabimus. Formaliter ergo ad rationem dico, quod forma substantialis geniti præcedit per se illam qualitatem substantie generantis, hoc est, potest esse sine illa qualitate, & omni alia consimili, quantum est de se, & licet in re, & in effectu, qualitas generantis sit prior substantia geniti, hoc est per accidens: quia scilicet generans est prius genito.

Ad confirmationem dico, quòd quando Philoso. dicit, quod actus præcedit potentiam, quod intelligit de actu omnino immateriali, puta de Deo, & quando dicit, quod potentia præcedit actum, intelligit de actu materiali, id est, de forma materiali: sic videlicet, quod qualibet materia præcedit quemlibet actum materialem, non tamen actum immaterialem. Et ex hoc sequitur vnum corollarium confirmatiuum secundæ conclusionis, scilicet, quod forma materialis non potest produci ab aliquo agente creato nisi materia concurrente, tanquam causa, præsupposita termino productionis, quod vtique notum est apud Philosophos ponentes ordinem secundarum causarum simpliciter necessarium. *Quõ actus præcedat potentiã, & è conuerso.*

Et si quæratur, an ex dictis haberi possit propositum de anima intellectiua, vtrum scilicet creetur, vel generetur. Dicit Scotus, quod anima rationalis (quicquid de ea senserit Arist. de cuius intentione erit sermo infra d.43. q.4.) non potest ab aliqua creatura creari: quia ex secunda conclusione à nulla natura intellectuali creata potest creari, nec ab aliqua corporali substantia, siue per formam substantialem, siue accidentalem: quia vt dictum est conclusione tertia, nulla forma materialis potest esse principium creandi aliquid. Tum, quia anima rationalis est nobilior, quacumque forma substantiali materiali, vel accidentali; forma autem ignobilior non potest esse principium actiuum ad producendum formam nobiliorem. *Anima rationalis non potest ab aliqua creatura creari.*

Ex his ergo concluditur, quod nulla creatura potest, vt causa principalis aliquid creare: quia nullus Angelus potest substantiam creare, ex secunda conclusione; nec accidens aliquid, ex tertia, quia accidens à creatura creari non potest, ergo Angelus non potest accidens creare. Nec substantia materialis potest aliquid creare, quia non potest agere nisi per formam suam substantialem, vel accidentalem, quarũ neutra potest esse principium creandi aliquid, ex tertia conclusione. ergo nec substantia spiritualis, nec corporalis, & materialis creata potest aliquid creare; sequitur ergo quod nulla creatura potest, vt causa principalis aliquid creare. Quæ est principalis conclusio intenta in hoc articulo.

Contra quam conclusionem sunt argumenta principalia quæstionis, & primo est secundum argumentum, quod est tale D. August. li. 83. qq. q. 78 Artifices, inquit, de nihilo nõ possunt aliquid fabricare: quia per corpus operatur, ergo per oppositum creatura spiritualis poterit aliquid de nihilo producere, & per consequens creare: quia non operatur per corpus. Et confirmatur: quia sicut actio transiens requirit passum, ita videtur quod actio immanens illud non exposcat, ergo agens actione immanenti potest agere, & non circa passum, atque ita creare. *D. August.*

Ad hoc argumentum respondens Scotus dicit, quod illa est aliqua causa, ob quam artifices non possunt operari, aut facere aliquid ex nihilo, & manifestior, sed non præcisa. Ad confirmationem dicit: quod sicut actiones transeuntes habẽt subiectum, in quo recipiantur, ita actiones immanentes habent suum subiectum cui insunt, vt puta suam potentiã, cui immanent. Dices quod non exposcunt hæ actiones passum in quod agant extra potentiam, & ideo per eas pote-

Digitized by Google

rit aliquid ex nihilo produci.

Respondeo, quod cum ipsæ sint immanentes nihil per eas produci potest tanquam per actionem; dices quod tanquam per principium, respondeo, quod nec rationem principij creatiui habere possunt, ob rationes supra assignatas, quibus nullam creaturam principium creationis esse posse ostendimus.

Secundo arguitur sic: effectus non adæquans virtutem agentis superioris potest ab inferiori agente produci; sed nullus effectus suprema creatura inferior, adæquat virtutem Dei, nec simpliciter, ita quod sit a Deo perfectus sicut sua causa, cum illa sit infinita, & omnis effectus finitus. Nec in ratione effectus, adeo quod sit ille perfectissimus omnium possibilium produc. ab illa causa; quia adhuc aliquid eo superius potest esse effectus eius, ergo quilibet effectus inferior suprema creatura potest ab aliquo agente secundo produci; sed aliquis talis effectus non potest produci nisi p creationem, vt angelus, & anima, ergo &c. Maior argumenti probatur, quia si effectus in ratione effectus non adæquat virtutem agentis, sequitur, quod agens non agit ad eius productionem secundum totam suam virtutem, & potentiam, atque adeo aliqua potentia minor sufficit ad producendum eiusmodi effectum. Et confirmatur, quia si secundum totam suam potentiam produceret effectum inferiorem, ergo superior effectus nõ ostenderet potentiam maiorem in causa quam inferior; quia inferior ostendit totum, ex quo non potest produci nisi secundum totam potẽtiam eius, consequens est falsum: Nam ex effectu inferiori plus refulget potentia causæ.

Respondet Doct. ad maiorem & dicit, quod si per effectum non adæquantem virtutem causæ intelligatur effectus non æqualis suæ causæ, maior est falsa: quia tunc Angelus posset creari ab homine, quia Angelus non est, nec potest esse æqualis Deo, qui est eius causa: si vero per ly non adæquatus intelligatur effectus non proximus ipsi causæ in entitate & perfectione, (quemadmodum suprema creatura diceretur adæquata Deo: quia esset sibi proximior in entitate, & perfectione) & vt sic effectus non adæquãs virtutem causæ est omnis ille effectus, qui non est primus perfectione, qui ab ipsa causa oriri potest, etiam maior est falsa: nam esset sensus, effectus inferior primo possibili, id est, qui nõ est proximus Deo in perfectione, potest ab alio produci, quam a virtute diuina, vel produci potest ab effectu supremo possibili, quod non est verum vniuersaliter, præsertim si ille effectus non sit natus produci nisi totus, & totaliter, atque ita per creationem: Nam materia est infimum ens, & tamen non potest produci ab alio, quam a Deo; similiter aliquis Angelus de inferioribus nõ est proximus Deo in perfectione, & tamen nõ potest produci nisi a solo Deo, & pari modo de anima. In his ergo sensibus maior est falsa; neque dabitur alius in quo sit vera. Ad confirmationem concedo, quod vna creatura non magis ostendit potentiam Dei, quam alia: quia omnis creatura ostendit pro sui causa voluntatem diuinam, quæ est infinita, bene verum est tamen, quod creatura perfectior perfectius, & eminentius ostendit virtutem & potentiam diuinam.

Tertio arguitur. Agens creatum potest aliquid annihilare, igitur poterit creare, consequentia probatur; quia æqualis est distantia a nihilo ad aliquid, sicut ab aliquo ad nihil, vt patet 3. Phy. t. cap. 21. eadem est distantia ab Athenis ad Thebas, & a Thebis ad Athenas, ergo æqualis virtus potest super vtrãque distantiam: antecedens probatur. Tum quia agens creatum potest destruere formam materialem totaliter, aqua enim consumit totam formam substantialẽ ignis, ita quod nihil prius formæ manet, talis autem destructio est annihilatio. Tum etiam, quia anima potest annihilare virtutes infusas, scilicet fidem, spem, & charitatem, per peccata contraria, deficiendo a fide, spe, & charitate potest enim infidelitas, desperatio, & peccatum mortale, animæ inesse, & non a Deo tanquam a causa, quia Deus nõ est causa peccati, ergo anima per peccatum potest esse corruptiua fidei, spei, & charitatis: istorum autem omnium destructio est annihilatio, sicut eorum productio est creatio: vniuersaliter enim quod non potest produci nisi creetur, nõ destruitur nisi annihiletur, quod autem fides, & infidelitas opponuntur, & spes & desperatio, videtur manifestum, consimiliter patet de gratia, seu de charitate, & de quolibet peccato mortali: quia amicitia Dei, & inimicitia formaliter opponuntur, peccator est formaliter inimicus Dei; habens autẽ gratiam, vel charitatem est formaliter amicus, ergo, &c.

Ad hoc respondet Scotus his verbis, quod Dei solius est annihilare, quia annihilare non est agere positiue, sed non agere, id est, non conseruare Solius autem Dei est conseruare totam creaturam, & totaliter, & breuiter sicut qualibet creatura requirit secum causam concausantem in fieri, scilicet principium potentiale, vel materiale, ita super illud nõ potest destruendo, sicut nec producendo, adeo quod sicut non potest principium potentiale producere, ita nec ipsum destruere, & per consequẽs in corruptione semper aliquid relinquit, sicut in productione necessario aliquid præsupponit, atque adeo sicut creatio proprie dicta est productio de nihilo, id est, non de aliquo sui quod sit pars ipsius producti, & receptiuum formæ inductæ, ita annihilatio est destructio in nihil vtroque modo, sic quod nihil formæ nec subiecti remaneat.

Ad primam probationem de forma dicitur, quod licet nulla pars formæ maneat, manet tamen aliquid formæ receptiuum, quod fuit aliquid compositi, scilicet materia, ideo compositum non annihilatur. Vnde obser. est, quod particula illa ex nihilo, in definitione creationis posita sic debet intelligi, id est, de nulla re, quæ sit pars & subiectum, ex quo fiat productum, & vtraque cõditio requiritur ad hoc quod sit creatio, ex quo sequitur primo, quod ignis productus ab igne non creatur, quia licet non præcesserit aliqua pars formæ, quæ de nouo producitur, præcessit tamẽ materia, quæ est altera pars ignis producti. Sequitur secundo, quod forma ignis non creatur, quia licet nulla pars formæ præcesserit, tamen subiectum ex quo producitur præcessit. Sequitur tertio quod anima rationalis creatur, tum quia non præcessit aliqua pars animæ; tum quia non præcessit aliquod subiectum ex quo fieret: nam licet creetur in corpore, non tamen ex corpore. Et eodem modo est intelligendum, quando dicimus annihilatio est conuersio alicuius in nihil, ita quod non solum non remaneat aliqua pars illius quod destruitur, sed nec subiectum, ex quo fuit productum, atque adeo quando ignis corrumpit aquam, non annihilatur forma aquæ: quia licet nulla pars formæ remaneat, materia tamen illius remanet.

Ad secundam probationem dico, quod nulla virtus infusa potest corrumpi in nobis per aliquem actum nostrum quasi per naturam repugnantiæ, sed solum per causam demeritoriam, anima enim peccans demeretur, quod gratia non conseruetur in ea, atque ita in secundo instanti naturæ propter tale demeritum quasi præcedens, Deus non conseruat gratiam, & sic annihilatur: & ideo ad probationem de fide, & spe dico, quod fides, & spes infusæ non corrumpuntur per actum infidelitatis, & desperationis nisi demeritorie, neque per peccatum mortale est aliquis formaliter Deo inimicus, sed tantum demeritorie. Per actus vero infidelitatis, desperationis, & peccati mortalis, tanquam per aliquid repugnans formaliter, corrumpitur tantum fides, & spes acquisita, atque amicitia seu charitas acquisita, possibile est enim per nostros actus induci aliquod repugnans formaliter illis habitibus acquisitis.

Quarto arguitur: causa secunda plus potest in virtute causæ primæ, quam in virtute propria, sed in quodcunque eius producibile non per creationem potest aliqua causa secunda in virtute propria, ergo poterit etiam in terminum creationis in virtute causæ primæ.

Respondetur, quod causa secunda plus potest in virtute alterius primæ causæ: quia virtus eius propria est diminuta, & subordinata virtuti alterius, ideoque sine virtute causæ primæ virtus eius non potest in effectum. Non potest tamen in virtute alterius aliquid, ad quod virtus eius nullo modo se extendit in suo ordine causandi. Vnde quia virtus creaturæ est limitata, non potest se extendere ad creãdum etiam in virtute causæ primæ, quia illi repugnat, vt dictum est supra. Distinguenda est ergo maior propositio. Si .n. intelligas quod plus potest in virtute Dei, q̃ in propria virtute. i. plus potest concurrente Deo, quam Deo non concurrente, vera est maior, quia cum Dei concursu põt quicquid illa potest, & sine diuino concursu nihil potest, & sic falsa est minor, & ruit argumentum. Si vero intelligas quod plus potest in virtute Dei, id est, aliquid potest in virtute Dei, ad quod virtus eius actiua non se extendit: maior est falsa: quia quæcumque causa, quæ efficienter con-

currit

Digitized by Google

currit ad aliquem effectum habet in se virtutem effectiuã ttitus; alias non diceretur effectiue concurrere, sed causa superior ad præsentiam inferioris causæ, præcise effectum produceret, verbi gratia, si Deus assumeret calorem ad producendam frigiditatem, bene quidem Deus frigiditatem produceret pręsente calore, calor tamen non diceretur effectiue frigiditatem efficere: quia non habet in se virtutem, qua possit eiusmodi effectum attingere. Vnde cum creatura non habeat virtutem, qua effectiue concurrat ad creationem, sequitur quod nec virtute Dei possit effectiue creare, nisi Deus prius communicaret ei talem virtutem, cuius tamen creatura non est capax, vt ostensum est supra.

ARTICVLVS X.

Vtrum creatura vt instrumentum possit ad terminum creationis concurrere.

Magister sent. D. Thomas. Durandus.

HÆc quæstio valde controuertitur inter Scholasticos Theologos. Nam Magister sent in 4.d.5.c.vlt.vẽ partem affirmatiuam tueri, cuius sententiam secutus fuit S. Thomas in 2.d.1.q.1.art.3.& in 4.d.5.q.1.art.3. Non abhorret ab eadem sententia Durandus in 2.d.1.q.4. Siquidem creaturæ virtutem creatiuam communicari posse affirmat; & eamdem sententiam non pauci recentiores hac nostra ætate in Scholis defendunt. Probari autem potest primo: quia nulla videtur ratio, quæ ad manifestam contradictionem deducat asserentes hanc sententiam, frustra ergo dicemus, ita repugnare diuinæ virtuti, & omnipotentiæ, vt à Deo fieri nequeat, patet sequela: quia id quod non implicat contradictionem, Deus potest efficere; sed quod creatura assumatur, vt instrumentum ad creationem, non videtur implicare contradictionem, ergo Deus id efficere potest.

Suarez. 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 8.

Præterea sacramenta nouæ legis, vt instrumenta Dei efficiunt gratiam, quam significant, sed gratia non potest produci, nisi per creationem, ergo sacramenta creant illam: maior est certa secundũ fidem; & probatur authoritate D. August. homi. 80. super Ioan. & ponitur in Cano. 1. q. 1. cap. Detrahe. Quæ est ista virtus aquæ tanta, vt corpus tangat, & cor abluat, sed non abluitur cor, id est, anima nisi per gratiã, ergo aqua baptismi effectiue se habet ad gratiam, qua cor abluit. Minor probatur: quia gratia est qualitas ordinis diuini, ad quam in subiecto non est naturalis potentia, de qua educi possit, ergo creatur, sacramenta autem sunt creaturæ, ergo &c.

Tertio, sacerdos per verba consecrationis attingit efficienter transsubstantiationem panis in corpus Christi, ergo efficienter attingit totam substantiam corporis Christi, ac si eam crearet; cur ergo ad eius creationem non poterit concurrere?

Quarto, agens naturale virtute propria attingit ad producendum rem ex nihilo, ergo multo magis virtute diuina, & vt instrumentum Dei id poterit. Consequentia patet, quia quælibet causa secunda plus potest in virtute causæ primę, quam in propria virtute. antecedens probatur, agens naturale ex speciebus consecratis producens aliquam substantiam (vt vermem, vel acetum) producit totam substantiam, secundum formam, & materiam, ergo creat illam. probo antecedens, quoniam antea nec erat materia, nec forma, ergo producta est, secundum materiam, & formam; sed materia non potest produci, nisi per creationem, ergo creatur virtute agentis naturalis.

Ale. de Ales. Albertus. D. Thomas. Richardus. Herueus. Scotus.

Cæterum probabilior, & magis communis est opposita sententia, quæ affirmat, nullam creaturam assumi posse à Deo, vt instrumentum creationis; quam docuerunt Alex. de Ales. in 2. p. q. 6. m. 2. artic. 4. & q. 9. m. 8. Albertus in 2. d. 1. art. 7. D. Thomas 1. p. q. 45. art. 5. Richard. in 4. d. 5. q. 1. art. 2. Herueus eadem d. q. 2. & Doct. sub. in hac quæst. sub litt. ll. §. Dico etiam, quod nec instrumentaliter, &c.

Instrumentum dupliciter sumitur.

Pro cuius explicatione obser. est primo, quod instrumentum potest accipi dupliciter, primo vt distinguitur contra causam principalem, quæ in agendo causam superiorem, non agnoscit, cui subordinetur, & sic omnis causa secunda potest dici instrumentum: quia omnis huiusmodi causa agit dependenter, quia in sua actione subordinatur Deo, qui est causa superior, ac prima. secundo potest accipi instrumentum, vt distinguitur contra causam principalem, quæ per propriam, & intrinsecam formam agit; licet in agendo superiori agenti subordinetur; & instrumentum hoc modo sumptum est illud, quod cum alteri in agendo subordinatur, nõ habet propriam formam, actiuam in suo ordine, per quam agat. Sed solum agit per actualem motionem alicuius mouentis, vt patet de instrumentis artis, vt securi, & serra, & huiusmodi, quæ non proprie agunt actiue: quia in ipsis solum reperitur motus, figura, & quantitas, quæ formæ actiuæ esse nequeunt. & in hac significatione sumitur instrumentum in titulo articuli, sumitur enim instrumentum nõ, quod propria virtute, sed virtute mendicata ab alio operatur.

Instrumentũ vt possit actiue agere quid requirat.

Secundo obser. est, quod si instrumentum ponatur proprie agere ad effectum, vel habet in se formam actiuam in esse quieto ante motionem sicut causa secunda, vel saltem in motione actuali recipit formam actiuam, qua agit in suo ordine agendi, & hoc vel ad terminum principalem, vel ad aliquam dispositionem præuiam, vt sic vniuersaliter sit ista propositio vera. Omne instrumentum, quod est proprie actiuum, vel agit ad aliquam dispositionem præuiam termino principali, vel per aliquam formam intrinsecam attingit terminum principalem, licet in virtute principalis agentis, & hoc siue illa forma intrinseca præcedat motionem, siue tantum insit sibi dum actualiter mouetur. Ex quo sequitur, ꝙ ad hoc quod instrumentum proprie dicatur actiue, & efficienter attingere terminum principalem agentis; non sufficit actualis motio agentis principalis, sed præter hoc requiritur, vt ei communicetur aliqua forma actiua, qua vt in actu primo constitutum sit actus secundi principium: nam actus secundus necessario præsupponit actum primũ, à quo egrediatur. Vnde omnis causa siue principalis, siue instrumentalis, non potest proprie in suo ordine actiue agere, nisi habeat aliquam formam intrinsecam actiuam, vel in esse quieto ante omnem motionem alterius agentis, vt causa secunda, vel in fieri, quando actualiter mouetur à superiori agente vt instrumentum; quia aliter, vt diximus, non potest aliqua causa proprie actiue agere, alioquin quodlibet posset poni instrumentum respectu cuiuslibet, & posset dici quod Deus per muscam, vt per instrumentum crearet, quod dici nequit. Hæc notabilia sunt Scoti in hac q. sub litt. cc. §. Ad quæstionem ergo, &c.

Tertio obseru. est ex eodem Scoto in hac q. in solut. vltimi principalis, quod sicut nihil possit agere in quocunq; ordine agendi propria virtute, nisi habeat formam actiuam intrinsecam, vt dictum est supra, ita etiam agere nõ potest, nisi habeat propriam virtutem intrinsecam: quia illa forma est virtus. Quod si prius non habuit formam, vel virtutem, & nunc agit in aliquo ordine, oportet quod nunc de nouo habeat formam, & virtutẽ in illo ordine; eadem. n. natura manens absq; omni mutatione nullo modo est nũc actiua, nũc non actiua. Cæterum agens dependens ab alio dicitur agere in virtute alterius, quia virtus agentis dependentis non sufficit sine illa virtute, à qua dependet, magis tamen dicitur instrumentum agere in virtute alterius, quam causa secunda. Quia plus dependet ab agente superiori illud, quod non habet formam actiuam in esse quieto, sed tantum recipit eam in actuali motione, quam illud quod habet formam actiuã in esse quieto. Causam etiam secundam. i. quæ habet formã actiuam in esse quieto, agere in virtute alterius non est recipere tunc aliquid à superiori agente, sed tantum respectu illius habere ordinem inferiorem. Sed instrumentum, quod recipit formam actiuam in ipsa motione, agere in virtute alterius, est tunc actualem recipere formam ab eo, per quam agat. Et ex hoc patet, quod causæ primæ in causam secũdam proprie dictam, quando simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius qualitatis, vel formæ inhærentis causæ secundæ; sed influentia ibi est determinatus ordo ad agendum istarum causarum in effectum cõem. Instrumentum autem, quando agit, recipit influentiam proprie ab eo, cuius est instrumentũ: quia motionem actualem, & in motione formam per quam agit in suo ordine. Instrumentum ergo, vt sit proprie actiuum necessum est, vt formam aliquã actiuam habeat à principali agente, si autẽ tali forma careat non erit proprie actiuum: cætera aũt instrumenta, quæ ab alijs multiplicantur, nõ sunt proprie actiua: quia nec habẽt ante actionem formam actiuam, nec etiam in actuali motione ab agẽte recipiunt. Sed de his amplius q. 5. huius dist.

Conclusio.

His obseruatis respondetur ad quæstionem vnica conclusione. Nulla creatura per virtutem sibi propriam, & connaturalem,

naturalem,

naturalem, aut per aliquam sibi communicatam potest esse creationis instrumẽtum physicum, & proprie actiuum. Dixi notanter, instrumẽtum physicum, & proprie actiuũ, adeoque per virtutem sibi propriam, & connaturalem, vel sibi communicatã, qua efficaciter attingat terminum creationis. Nam si ad hoc, quod creatura sit instrumentũ creationis non requiritur, quod ipsa habeat aliquam efficientiã nulla est difficultas, quin omnis creatura possit assumi vt instrumentum Dei, ad creandam quamcunque rem. Qua propter Pater Vega, qui lib.7. super Concilium, c.13. videtur asserere oppositum huius conclusionis, non est nobis contrarius. Nam dicit ibi in principio cap. quod potest esse creatura instrumentum creationis: quia non est de ratione instrumenti quod sit actiuum, & cap.14. inquirens, quæ sit virtus illa, quam Deus dedit humanitati Christi, vt sit instrumentum iustificationis, inquit vt supra adnotauimus, non est profecto aliqua qualitas inhærens, quæ humanitatem fecerit idoneum instrumentum iustificationis. Hæc adnotare volui, ne opinionem doctissimi viri faciliter videremur refellere.

Vega.

Hæc conclusio sic explicata quo ad primam partem communis est omnibus Theologis, & ex probatione secundæ partis magis apparebit. Prima pars a Thomistis in hunc modum probatur. Si aliqua creatura esset instrumentum ad creandum ex sua propria natura, sequeretur, quod illa haberet suapte natura vim efficacem instrumentalem supra totum ens, consequens est impossibile, ergo & antecedens, sequela patet, quoniam creatio est actio productiua entis in quantum ens, ergo illud instrumentũ, quod suapte natura est instrumentum creationis, habet vim efficacem instrumentariam super ens inquantum ens, atque adeo supra totum ens. Minor vero probatur: quia talis creatura haberet vim efficacem super semetipsam; vnde sua natura esset aptum instrumentum ad productionem sui ipsius, sed hoc est impossibile, ergo &c.

Verũ hæc ratio nullius roboris, & efficaciæ esse videtur: Nam vt art.2 huius quæst. diximus, creatum non est productio entis in quantum ens: quia tunc esset creatio impossibilis, siquidem nullum agens dari posset, quod entis in quantum ens esset productiuum: quia tunc idem seipsum producere posset, & si dicant quod creatio terminatur ad ens quatenus ens, sumendo ens finitum & limitatum, quod est idem quod ens creabile, adhuc nulla est ratio: quoniam vt artic.2. dicebamus, vt aliqua creatura haberet potentiã creãdi, non opus esset versari posse circa omne ens vniuersale, sed sufficeret in aliqua re particulari producere totam entitatem illius, materiam, scilicet, & formam, ex quo nõ sequeretur posse creare se ipsam, id quod multo minus sequitur in instrumento.

D.Thom.

Secunda pars conclusionis probatur a D.Thom. 1.par.q. 45.ar.5 cuius iõ refertur ab Scot. in hac q. sub lit.A.§. Prima sumitur ex parte termini &c. ibi: & addiur quod nec creatio potest competere creaturæ ministerialiter, &c. Ratio D. Thomæ est talis. Ad rationem instrumẽti requiritur quod per aliquid sibi proprium operetur dispositiue ad actionẽ principalis agẽtis: sed nulla creatura potest dispositiue operari per aliquid sibi proprium ad actionem Dei creantis, ergo &c. Probatur maior dupliciter, primo si instrumentum non operatur propria virtute ad actionem principalis agẽtis, frustra assumitur vt instrumentum: quoniam nihil confert ad actionem principalis agentis. Secundo, ad diuersos effectus diuersa assumuntur instrumenta, at si instrumentum propria virtute non operatur dispositiue ad actionem principalis agentis, indifferenter potest assumi quodlibet instrumentum ad quamlibet operationem, quia vnum instrumentum non magis confert ad vnum effectum, quam ad alium, ergo &c. Vel aliter deducatur ratio D. Thomæ in hunc modum. Causa instrumentalis non participat virtutẽ principalis agentis, nisi in quantum per aliquid sibi propriũ dispositiue operatur ad effectum principalis agentis; sed nulla creatura potest operari dispositiue ad effectum creationis, ergo non potest assumi vt instrumentum ad creandum. Probatur minor: quia effectus Dei creantis est esse absolute, sed ad esse absolute non potest operari dispositiue aliqua creatura, quia esse præsupponitur omnibus alijs; nec potest præcedi ab aliquo effectu causæ particularis, ergo &c. maior probata manet illa duplici ratione.

Impugna.

Hæc ratio D. Thomæ non satisfacit Doct. nostro sub. at. que adeo eam inficiatur in hac quæst. sub litter. D. §. Quod etiam additur de instrumento, vbi ait, quod maior potest bene, & male intelligi; Non enim debet intelligi quod instrumentum habeat actionem propriam, sed solum quod per aliquid sibi proprium agat, per illud tamen proprium non agit nisi in virtute principalis agentis: quia in quacunque actione, quam haberet non in virtute principale agentis, in illa non esset instrumentum, sed principale agens: quia de ratione instrumenti est, vt virtute agentis principalis operetur. Debet ergo maior intelligi sic, quod causa instrumentalis non participat actionem causæ principalis, nisi quatenus dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Sed maior sic intellecta vniuersaliter falsa est. Nam possibile est, etiam secundum B. Thomam in 4. distinct. 1. q. 4. instrumentum attingere effectum principalis agentis sine præuia dispositione, sicut patet in multis actibus artis, in quibus artifex quandoque per instrumentum inducit terminum principaliter intentum; sicut monetarius per instrumentum inducit formam in monetam, & sigillator in ceram. Nec vnquam oportet instrumentum ad effectum principalem disponere, nisi sit instrumentum in actione, quæ disponit ad effectum istum, quod non est vniuersaliter necessarium, sed solum quando sunt plures actiones ordinatæ quarum vnam ad aliam disponit, sicut incisio ligni disponit ad formam arcæ. Absolute autem potest esse instrumentum in principali actione licet non concurrat in alia qua alia præcedente.

Iur ratio D. Thomæ.

Non potest ergo maior sua habere veritatem nisi sic intellecta, quod instrumentum per aliquod sibi propriũ causat dispositionem ad terminum principalem, quando non potest virtute principalis agentis attingere ad illum terminum principalem, & tunc oporteat supponere in minori, quod creatura non possit in virtute Dei attingere terminum creationis; quæ minor non est probata nisi per rationem illam priorem de esse, de qua iam visum est in 1. artic. quod non concludit.

Nec illud exemplum de securi, & aliæ probationes, quæ adducunt ad hoc, quod instrumentum habet aliquid proprium per quod agat probant vniuersaliter, quod instrumẽtum agat dispositiue. Ideo enim prætife securis agit dispositiue ad arcam, quia est instrumentum in incisione lignorum, quæ incisio præcedit inductionem formæ, si autem artifex vteretur securi, vel alio instrumento in principali actione, non oporteret, quod instrumentum illud, quatenus est instrumentum ad formam arcæ, haberet aliquam actionem dispositiuam; Ex talibus ergo exemplis vbi accipitur quod instrumentum disponit ad terminum principalem non potest inferri hoc vniuersaliter de instrumento nisi fiat, fallacia consequentis; sed nisi accipiatur vniuersaliter non potest remoueri a creatura ratio creationis: Nam ex maiori particulari in secunda figura nihil sequitur propter fallaciam consequentis.

Caietanus prima parte, quæstione quadragesimaquinta, articulo quinto, respondens obiectionibus Scoti inquit, quod actio principalis agentis, & actio instrumenti, non sunt duæ actiones proprie loquendo, sed vna, & eadem; non enim est alia actio principalis scribentis ab actione calami, qui est eius instrumentum, sed tamen actio principalis agentis efficitur propria actio instrumenti, ex eo quod in ipso instrumento accipit aliquam determinationem, quasi materialem ab ipsomet instrumento. Hanc autem determinationem causat instrumentum, per actionem sibi connaturalem, & propriam, itaque securis per actionem secandi, quæ est sibi connaturalis, determinat aliquando actionem artificis, & redditur actio ipsius securis efficacior ex virtute communicata illi ab artifice. Ex hoc sequitur primo, quod operatio propria, & naturalis instrumenti dispositiue se habet ad duo, primo vt propria operatio agentis principalis communicetur ipsi instrumento, & sit eius ratio. Secundo in ordine ad effectum, vt scilicet instrumentum proprie deferat, & applicet virtutem principalis agentis ad effectum: quia si instrumentum ex se ipso nihil adhiberet ad actionem principalis agentis, actio agentis principalis non esset actio instrumenti proprie loquendo, nec instrumentum proprie diceretur deferre, & applicare ad effectum virtutem agentis, sed solum ipsum agens principale immediate produceret effectum.

Caietan.

Secundo sequitur, quòd cum operatio propria, & connaturalis instrumenti sit præerequisita ad actionem principalis agentis in genere causæ materialis, & dispositiuè non potest suppleri à Deo per suam absolutam potentiam, & ex consequenti non potest Deus assumere instrumentum ad creandum: quoniam nulla creatura potest ex se operari ad actionem Dei creantis. Ita Bannes 1. part. quæst. 45. art. 5. post Caietanum.

Cæterum hæc responsio Caietan. non satisfacit Scoticæ rationi; Nam quicquid sit de instrumentis artificum, tamen de instrumentis, quæ propriè actiuè agunt (vt semen ad generandum animal, & calor ad generandum carnē) per propriam formam, quem saltem accipiunt à principali agente in ipsa actuali motione; non est verum, quod eadem sit actio instrumenti, & causæ principalis: Nam sicut habent distinctas formas, ita habent distinctas actiones. Secundo dico, quod licet agens instrumentale, & eius actio dispositiue se haberet, vt actio, & operatio agentis principalis communicetur ipsi; cæterum in ordine ad effectum non se habent ita: sunt enim aliqua instrumenta, quæ in virtute principalis agentis attingunt immediate effectum principalem, nulla actione præuia, vt dispositione ad effectum principalis agentis, vt patet de monetario & sigillatore.

Et si dicas, operationem præuiam instrumenti, quam D. Thomas exigit, elici quidem simul tempore ab agente principali, nihilominus quatenus proficiscitur ab instrumento esse priorem se ipsa, quatenus est ab agente principali, vt videtur dicere Caietanus. Contra, instrumentum non mouet nisi motum, & applicatum à causa principali, ergo prior est motio a causa principali, quam ab instrumento, aut certe non est posterius à causa principali; deinde est communis Philosophorum sententia, quod quia causa principalis ac superior concurrit simul cum inferiori non prius attingit effectum ab inferiori, quam à superiori, immo Caietanus ipse dicere videtur, attingi prius à superiori, ergo vt instrumentum aliquid producat, necesse non est per aliquid sibi proprium prius aliquid dispositiue operari, sed satis est si per solum influxum ac virtutem ab agente principali receptam immediate producat effectum, atque ita posset quis dicere creaturam à Deo per suum influxum eleuatam, posse instrumentaliter creare; non secus ac Caietanus ipse affirmat humanitatem Christi similiter à Deo eleuatam instrumentaliter non solum ad modum causarum moralium, sed etiam ad modum causarum naturalium, attigisse efficienter miracula, similique modo sacramenta nouæ legis attingere efficaciter productionem gratiæ. Instrumentum ergo non agit dispositiue, nisi quando eius actio supponitur ad actionem, per quam effectus principalis agentis producitur, vt diximus de securi respectu facti onis arcæ. Falsum est itaque instrumentum vniuersaliter loquendo agere dispositiue ad effectum principalis agentis, cum interdum ipsum immediate attingat.

Præterea illi Thomistæ non ostendunt quomodo in ordine ad effectum dispositiue agat instrumentum, cum immediate attingat ipsum, licet in virtute principalis agentis: Nam licet (vt ipsi dicunt) deferat actionem agentis principalis, & applicet, tamen non demonstrant nec assignant causam, ob quam non possit attingere effectum ex nihilo. Dicent forte, quod illa applicatio debet esse necessario ad aliquod subiectum. Id ipsum ego fateor, sed tamen huius rei causam non ostendunt, quare &c.

Impugnata ratione D. Thomæ iam ex doctrina Scoti in hac quæst. sub lit. H. §. Dico etiam &c. probanda est conclusio in hunc modum. Instrumentum vt propriè sit actiuum, necessarium est vt habeat (saltem in ipsa actuali motione, qua ab agente principali mouetur) formam aliquam, per quam actiue agat in suo ordine: quia actus secundus necessario præsupponit actum primum, a quo egrediatur; sed nulla forma actiua communicata creaturæ, potest actiue attingere creationis terminum, ergo nulla creatura etiam, vt instrumentum potest ad creationem concurrere. Probatur minor: quia illa forma creaturæ communicata, vel erit materialis, vel immaterialis; sed in art. præcedenti ostendimus, nullam formam creatam, siue materialem, siue immaterialem posse esse creationis principium; ergo nulla forma actiua creata potest terminum creationis attingere. Dices fortasse nos supra ostendisse, nullam formam creatam, vt principium quo, posse terminum creationis attingere, non tamen id de ea vt instrumento esse probatum. Contra, si vt instrumentum potest, vel ergo per aliquam virtutem actiuam, sibi communicatam, & supradictam, vel per solam motionem, qua ab agente mouetur, si primum, id ipsum quæram de illa virtute communicata; quomodo scilicet cum sit creata, & materialis, vel immaterialis, possit esse creationis principium, cum supra id esse impossibile ostenderimus, si secundum ergo non concurrit actiue: quia per solam motionem non potest aliter actiue concurrere modo, quam antea; quia motus non est causa actiua.

Præterea motio ipsa præsupponit formam actiuam qua agat, siue per quam instrumentum motum operetur. Nam si instrumentum non habet formam actiuam qua agat, non agit actiue propriè per solam motionem sibi communicatam: quia vt dicebamus, motus non est forma actiua. Si autem alicui natura repugnat aliquarum actionum esse principium, non est possibile per quamcunque potentiam vt sit illarum principium: Nam si calori repugnat frigoris esse principium, nullatenus fieri potest, quod sit eius principium actiuum. Sed obijcies; si instrumentum vt agat actiue necesse est, vt habeat formam actiuam, per quam agat, iam non habet rationem instrumenti, sed causæ principalis.

Respondeo cum Scoto in hac quæst. in solutione ad vltimum, quod nihil potest agere in quocunque ordine agendi nisi per propriam virtutem, & formam intrinsecam, quod si prius non habuit formam, vel virtutem, & nunc agit in aliquo ordine, oportet vt nunc de nouo habeat formam, & virtutem in illo ordine, eadem enim natura manens absque omni mutatione nullo modo est nunc actiua, & tunc non actiua, vt dicebamus supra in 3. notabili. Nam cum res aliqua assumitur, vt instrumentum ad aliquem effectum, non tantum est ordo efficientis, & effecti inter effectum ipsum, & causam principalem, sed etiam inter effectum, & instrumentum ipsum: quia effectus non tantum exit à causa, sed re ipsa exit à causa per instrumentum, & instrumentum re ipsa agit id, quod antea non agebat. Patet ergo, quod non quæcunque res potest assumi à Deo pro voluntate, vt instrumentum Physicum ad quemcunque effectum, sed debet instrumentum esse talis naturæ, & virtutis, vt habeat ex se præuiam operationem non quamcunque, sed suapte natura requisitam ad effectum; vel saltem debet aliquid natiua virtute efficere in illo, hoc est, effectum secundum aliquam rationem debere instrumento respondere, vt propriæ causæ naturali virtute operanti. Postulat ergo Scotus in instrumento physico in vniuersum præuiam formam ad operationem, siue ad effectum ordinatam, differt autem à Thomistis: quoniam Scotus postulat operationem præuiam naturaliter requisitam ad effectum. Thomistæ vero existimant sufficere quamlibet præuiam operationem, etiam si ex se nihil ad effectum conducat. Ex quo sane principio factum est, vt Scotus, & aliqui Thomistæ de sacramentis diuerso modo sentiant. Nam Thomistæ, tertia parte, quæst. 62. artic. 1. docent sacramenta esse instrumenta physica, quia habent præuiam operationem, etsi ex se non aptam, nec requisitam ad talem effectum. Scotus vero, quæstione quinta, huius distinct. non esse physica instrumenta, sed moralia: quia non habent præuiam operationem suapte natura ad talem effectum requisitam, sed de hoc infra, quæst. 5.

Potest ergo sic breuiter formari ratio ad conclusionem. Si creatura posset tanquam instrumentum deseruire Deo ad creationem, vel deseruiret tanquam instrumentum attingens aliquam dispositionem rei creandæ, vel tanquam attingens terminum creationis; sed neutro modo potest Deo seruire, ergo, &c. Quod non possit creatura seruire Deo tanquam instrumentum actiuum ad creationem dispositiue, inde constat, quod in creatione nihil rei creandæ præsupponitur, quod posset disponi. Quod vero creatura non possit Deo seruire tanquam instrumentum physicum attingens terminum creationis, probatur: quia illa virtus actiua communicata instrumento ab ipso Deo, vel esset forma substantialis, vel accidentalis; sed nulla talis forma potest creare, vt probatum est supra, ergo nulla creatura potest seruire Deo, vt instrumentum actiuum ad creationem.

Deniq. hæc Conclusio est omnium Theologorū placitū.

Nam

Digitized by Google

Nam licet Magister sentent. in 4.distinct. 5. videatur dicere,quod posset Deus per ministrum tanquam per instrumentum creare gratiam, quæ in sacramento confertur,intelligendus,est inquit Scotus, non quod minister efficienter crearet gratiam: sed quia posset talem potestatem habere a Deo, vt causaret in recipiente sacramentum aliquam dispositionem,ad quam necessario sequeretur grana ex diuina ordinatione. Sicut organizatio corporis est dispositio ad animam intellectiuam necessitās. Et hæc potestas in sacerdote est superior quam aliqua alia, quæ sit iam dato ministro ecclesiæ. Nihil enim operatur minister in anima mediate,vel immediate, ad quod simpliciter necessario confeatur gratia,sicut organizatio est côditio necessitans ad animationem, sed est tantum dispositio necessitans secundum quid ex diuina dispensatione.

Nec oportet, inquit Scotus, imponere magistro, quod senserit quod Deus posset dare ministro, vt ageret ad gratiam attingendo istum effectum: quia minister non est capax istius virtutis actiuæ: Quamuis rationes, quas aliqui adducunt ad hoc ostendendum, minime concludant. Sic enim aliqui probant nullam creaturam esse capacem virtutis actiuæ respectu gratiæ, vel charitatis. Per gratiam, vel charitatem est anima formaliter accepta Deo acceptatione speciali, tanquam digna vita æterna, sed nulla creatura potest habere virtutem actiuam, vt faciat aliquid dignum huiusmodi, vel sit acceptum Deo, ergo &c. Præterea finis, & efficiens respiciunt se mutuo, ita quod superius agens efficit propter finem superiorem, ergo quod immediate disponit vel ordinat ad finem vltimum immediate, est a primo efficienti, huiusmodi est gratia, ergo &c.Et confirmatur,quia si posset esse ab aliquo agente inferiori, videretur posse esse ad aliquem finem inferiorem.

Istæ rationes, inquit Doctor,non multum cogunt, prima non: quia creatura potest esse formalis ratio acceptationis, vt conceditur de charitate, quare ergo non est ita effectiua ratio acceptationis, non videtur ratio. secunda etiam non valet: quia etsi agens primum non agat nisi propter finem vltimum, tamen non oportet omne agens inferius in quacunque actione agere propter finē inferiorem vltimo fine, Angelus enim si elicit actum beatificum, non elicit propter finem inferiorem vltimo: ita ergo posset gratia immediate creari propter finem vltimum, & tamen ab agente inferiori.

Ad argumenta in principio articuli posita respondetur, & ad primum dico manifestam esse repugnantiam quod creatura quacunque actione terminum creationis attingat: quia de ratione creaturæ est,vt subiectum circa quod agat præsupponat.

Ad secundum dico, quod sacramenta solum attingunt gratiam,tanquam causa moralis,sunt enim veluti vasa quædam mirifica Christi Domini merita continentia, quæ per sacramenta applicantur debite suscipientibus, Deus autem est qui gratiam creat,& confert non sic sacramēta, licet gratiam vere efficiant,& conferant ad sensum datum, atq; ita ad D.Augustinum dicitur, quod illa virtus aquæ est signū verum & efficax ablutionis animæ. De his tamen agēdum est latius infra in hac dist.q.5.

Ad tertium dico quod verba sacerdotis in consecratione,(& idem generatim de quolibet sacramento sentiendū est) non operantur physicē ad transubstantiationem, aut ad effectum sacramenti, sed solum vt instrumenta moralia per modum impetrationis.

Ad quartum, circa difficultatem quam tangit hoc argumentum, videlicet de generatione substantiæ ex speciebus sacramentalibus Eucharistiæ, quomodo possit ibi esse noua materia, scio varias esse Doctorum sententias,de quibus latius infra distinct.12.agendum est, tamen pro argumenti solutione opinionem tantum D.Thomæ, & Doct. nostri sub referam. D.Thomas,3.par.quæstio.77. articul.5. dicit,quod ex quantitate in Eucharistia remanente, generatur materia non panis, & vini, sed illius compositi aut vermis,aut aceti,in quod panis si mansisset,conuerteretur: Nam cum quantitas ex vi primi miraculi habeat modum existendi substantiæ, absque alio nouo miraculo habet omne illud,quod pertinet ad materiam, ideo quicquid posset generari ex materia panis si adesset,potest generari ex prædicta quantitate. De cuius positionis intellectu variant

D.Thomas.

Thomistæ.Interpretationem illorum, qui dicunt,quod manente quantitate in suo esse accidentis, possit ex ea generari substantia,impugnat Scotus infra,distinct.12. quæstio. 6. & certe mirabile videtur, quomodo accidens manens accidens possit suscipere formam substantialem, quæ non potest educi de potentia dimensionis, sed de potentia materiæ: debent etiam actus,& potentia esse eiusdem generis, sed forma est de genere substantiæ, dimensio vero de genere accidentis.

Scotus autem opinatur vbi supra sub litt.D.quod corruptis accidentibus redeat de facto substantia,sed illa substantia,cui conuenirent illa accidentia noua, quam & ipsa accidentia corrupta afficiunt, & hoc in momento corruptionis,reditque immediate a Deo per diuinam actionem, redit ergo secundum Scotum non materia sola, sed substantia composita ex materia, & forma, atque adeo vbi supra sub litter. H. aperte dicit quod solus Deus creat ibi substantiam compositam primo, sed si vlterior debeat sequi generatio ex illa substantia potest agens naturale agere ad formam substantialem. Vnde secundum Scoti sententiā argumentum nihil concludit.

Scotus.

QVAESTIO II.

Vtrum hæc sit ratio definitiua Sacramenti, quam ponit magister: Sacramentum est inuisibilis gratia visibilis forma.

Pro explicatione huius tituli obseru.est, quod sacramentum quantum ad quid nominis, videtur importare quandam sanctificationem, vel sacrationem,importat etiam quandam significationem, & secundum hoc dicitur dupliciter. Vno modo sacramentum, id est, sacrum significatum. Alio modo quasi sacrum significans. Primo modo dicitur sacramentum aliquod sanctum,vel sacrum,aliquibus signis repræsentatum. Sic solemus dicere sacramentum Trinitatis,vel sacramentum incarnationis:& quia ista sunt occulta solent dici sacramenta secreta, & de sacramento in hac significatione accepto non est hic quæstio.sed in 1. & 3. sententiarum.

Alio modo dicitur sacramentum significans siue signās, hoc autem contingit dupliciter. Quoniam aut ita est, quod significat illud,quod est sanctum, non tamen vt quoddam sanctum est,sed vt ens quoddam,vel vt causa quædam, & isto modo omnis creatura significat, & repræsentat Deum, vt quoddam ens, & vt quandam causam; Hoc tamen non significat ex institutione, sed ex naturali quadam habitudine,& tale significans, vel signum non dicitur sacramentum. Alio modo potest aliquid significare aliquid vt sanctum,& hoc dupliciter, quia vel significat aliquid esse sanctum in se,sicut crux Christi,quæ significat Christum, vt quoddam sanctum in se, & tale signum non dicitur sacramentum,vel quia significet aliquam sacrationem fiendam, vel in suo fieri, vel res diuinas,vt sacramentales, vel sanctificantes. Et hoc adhuc dupliciter: quia sacratio alicuius potest dupliciter accipi; Vno modo vt sacratio accipiatur pro acquisitione sanctitatis propriæ dictæ, quæ est secundum gratiam, & virtutes, quæ habent esse solum in creatura spirituali; seu pro deputatione quadam ad cultum diuinum, & sensibilia adhibita circa talem sacrationē, vel pia sacratio non dicitur sacramentum, sed sacramentale quoddam. Alio modo accipitur sacratio pro sanctificatione proprie dicta, quæ creatura spiritualis sanctificatur, & res sensibiles, siue vsus adhibitus circa talem sanctificationem dicitur sacramentum, sicut baptismus, confirmatio, & similia, & de hoc est quæstio vtrum prædicta definitio sit conueniens ad definiendum sacramentum sic acceptum.

Secundo obseru.est, quod sacramentum tam apud ecclesiasticos quam prophanos scriptores plura habet significata, & primo quidem sacramentum deriuatur a sacris secretis. Vnde Tob.c.12. dicitur sacramentum Regis abscondere bonum est, & Sapientiæ 2. Nesciuerunt sacramenta Dei,& Apoc.17. Dicam tibi sacramentum mulieris, id est, sacrum secretum,quod etiam vocatur mysterium,D. Gregorio dicente, mysterium ab hoc dicitur,quod secretā, & reconditam habet dispensationem, sic Iudith 2. dicitur,

Sacramentum plura habet significata.

D.Gregor.

Nabuchndonosor habuit cum Ducibus mysterium consilij sui. Secundo iuramentum etiam dicitur sacramentum. 22. quæst. 4. cap. Qui sacramento, & sequentibus, & quæst. 5. cap. Baruch: Semel peiet aius, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, id est, ad iurandum. & Vegetius de re militari lib. 2. Milites iurare solent, & ideo militiæ sacramenta dicuntur. Iurant autem se omnia strenue facturos, quæ præceperit Imperator. Tertio sacramentum significat signum sensibile gratiæ diuinæ sanctificantis animam; & de sacramento in hac acceptione est sermo in hac quæstione.

Alexan. de Ales. D. Bonau. Richard. Scotus. Tertio obseruandum est, quod ex eo quod sacramentum ponitur signum, seu visibilis forma, dicit Alex. de Ales 4. par. quæst. 1. memb. 1. & D. Bonauent. hac dist. art. 1. quæst. 2. & Richard. eadem dist. art. 1. quæst. 3. ad quartum, & Scotus in hac quæst. sub litt. d. §. Secundo dico, &c. quod triplex est signum, præteriti, quod vocatur rememoratiuum: & sic omnia nostra sacramenta significant passionem Christi præteritam: præsentis, quod dicitur demonstratiuum, & sic sacramenta sunt signa gratiæ, quam significant iosuodi suscipienti, quantum est ex parte Dei, & sacramentorum: futuri, quod appellatur prognosticum, atque ita significant gloriam futuram. Potest etiam dici signum prognosticum *Brulifer.* respectu gratiæ, vt notat Brulifer hac dist. quæst. 1. Quia cum actu fit sacramentum, non est gratia, sed signatur, quod in vltimo instanti verborum erit gratia in suscipiente, vel effectus Dei gratuitus. Et per hoc excluduntur multa argumenta, vt de Agno paschali. Exodi 12. de serpente æneo. Num. 21. de petra spirituali. 1. Corint. 10. quæ non significabant gratiam infundi, nec erant sacramenta; sicuti nec Christi Domini verba ad Magdalenam: Rimittuntur tibi peccata tua, Lucæ 7. quia non erant signum institutum ad sanctificandum, sed manifesta verba, quibus Christus explicabat effectum suæ potestatis sanctificando, & remittendo peccata, propter ea quod Magister posuit in sua definitione, quod gratiæ imaginem gerat, & causa existat.

Signum est duplex. Quarto obseruandum est, quod signum est duplex: practicum scilicet & speculatiuum. Speculatiuum est illud, quod tantum significat, & repræsentat conceptum rei intellectui, non significando an res sit tunc, vel non; vt hæc vox homo, quæ tantum significat ad placitum animal rationale absolute, absque eo quod significet an sit, vel non sit. Aliud vero signum est practicum, quod non tantum significat aliquid, sed etiam ostendit illud aliquid esse, siue causari, veluti sacramentum non solum significat gratiam, quam præstat, sed significat etiam ipsam esse, aut causari in suscipiente sacramentum. Vnde inquit Scotus sequenti quæst. in principio, sacramentum est signum practicum, quod significat signatum esse, vel fieri certum, & efficax: si enim gratiam significaret, & illam non efficeret, signum esset speculatiuum. Vnde sequitur quod cæremoniæ veteris legis, vt sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, non erant sacramenta, sed signa speculatiua, atque prognostica; Nam Agnus paschalis fuit signum prognosticum passionis Christi, signum vero rememoratiuum eductionis Israelis de Aegypto. Ex his facile patet titulus quæstionis, quam Scotus in tres diuisit articulos. Nos vero pro faciliori eius explicatione fecimus eam in sex articulos.

Primus Artic. Vtrum quodlibet ens sit definibile.
Secundus Artic. Vtrum sacramentum sit ens positiuum.
Tertius Artic. Vtrum sacramentum sit ens per se vnum reale, & simpliciter simplex.
Quartus Art. Vtrum sacramentum definiri possit.
Quintus Art. Vtrum definitio sacramenti tradita à Magistro sit bona.
Sextus Art. Vtrum definitio sacramenti tradita à Scoto sit conueniens.

ARTICVLVS I.

Vtrum quodlibet ens sit definibile.

Definitio est duplex. PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, quod duplex est definitio, scilicet quid nominis, & quid rei: definitio quid nominis est oratio distincte explicans id, quod nomen confuse significat, & hoc modo accipit Philosoph. definitionem 4. Met. quando dicit, quod definitio est ratio, quam nomen significat, & hoc modo omne illud, quod potest cadere in conceptu, etiam figmenta, & impossibilia, & negationes, & priuationes, & entia rationis possunt habere definitionem: quia potest aliqua ratio reperiri, quæ explicet distincte id, quod nomen confuse significat. Definitio quid rei est oratio explicans veram rei quidditatem, & hæc est duplex, vna pure quidditatiua, altera quietatiua, siue data per additamentum; vt 7. Met. & 12. distinct. quarta, notat Doctor. sub. quæ licet aliquando coincidant, non tamen semper; In substantijs enim coincidunt; In accidentibus vero licet secundum inferat primum, non tamen e conuerso; quia præter essentialia adduntur alia, vt subiectum, in accidentibus absolutis, & vltra subiectum, fundamentum, & terminus in relatiuis.

Secundo obseruandum est, quod licet antonomatice solius substantiæ specificæ sit definitio quid rei, tamen etiam aliorum est suo modo, vt protestatur Philosoph. 7. Met. t. cap. 12. & 15. & ne dum rerum extra animam, sed etiam in anima suo modo, & hoc accipiendo rem, vt 3. quæst. quolib. accipit Scotus, scilicet pro omni positiuo, quod non est nihil simpliciter. Definitio autem quidditatiua non potest dari nisi de re, quæ habet quinque conditiones, quas ponit Doctor in hac quæst. sub lit. a. §. Quantum ad primum, &c. *Accidentis est definitio quid rei.*

Prima conditio est, quod diffinibile sit ens positiuum. Nam cum definitio proprie dicta secundum Philosoph. 1. Topicorum cap. 4. sit ratio verum significans, ideo non est quæcumque ratio nominis, sed ratio per quam distincte indicatur verum quid rei. Non est ergo proprie non entis, & hoc siue non ens accipiatur proprie pro impossibili, quod includit contradictionem; siue pro pura negatione, vel priuatione, quia non ens non habet quid est. *1. Conditio.*

Secunda conditio est, quod sit ens per se vnum; hæc conditio patet 7. Met. t. cap. 16. & inde; & intelligo per se vnum, quod scilicet est simplex non compositum ex materia, & forma, vt albedo, & quodlibet accidens, vel compositum, quod est ex per se actu, & ex per se potentia, vt compositum physicum, quod est compositum ex materia, & forma: nam definitio est oratio indicans explicite tantum quidditatem alicuius rei positiuæ per se vnius in genere, & conuertibilis cum definito, quod definitio 1. t. optatio patet per Philosoph. 6 Topicorum; vbi dicit, quod definitionem non potest esse vnum nomen, sed debet esse oratio longa, & plurium nominum, sicut dicitur, 8. Met. atque adeo cum sit oratio indicans quid est esse rei definibilis, oportet quod illud, cuius est definitio, habeat per se quidditatem, & esse quidditatiuum: ex quo patet, vt etiam nius in prima conditione, quod nulla negatio, vel figmentum, vel priuatio per se est diffinibilis, & cum illorum, quæ per accidens sunt, non sit per se vna quidditas, oportet quod illa quidditas definibilis sit per se vna, atque adeo illorum, quæ sunt vnum per accidens, non est propria definitio, vt docet Aristot. 7. Met. Vnde homo albus non definitur proprie. Ista tamen per se vnitas non impedit, quod definitum includat aliquid tanquam terminum per se dependentiæ suæ, vt accidens includit subiectum; vel sicut aliquid, quod simul est secum natura, vt relatiuum includit correlatiuum, ita quod licet in definitione accidentis cadat subiectum, tanquam terminus dependentiæ eius, & in definitione vnius relatiui ingrediatur suum correlatiuum, tanquam aliquid, quod est secum simul natura, hoc non impedit, quo minus definitio accidentis, & relatiui, non sit quidditatiua. Sed prohibet, quod nihil includatur tanquam per se pars in ipso, quod non se habet ad aliud in eodem, sicut per se actus ad per se potentiam, vel pars eiusdem actus, vel eiusdem potentiæ ad aliam partem; sicut contingit in toto per accidens: nam in toto per accidens, verbi gratia, in calido, nec subiectum, id est, aqua, est per se potentia, nec caliditas est per se actus, & breuiter requiritur, quod definibile sit per se vnum, & non aggregatum per accidens. *2. Conditio.*

Tertia conditio est, quod sit ens reale: quia ens diminutum non potest proprie definiri, accipiendo proprie definitionem sicut accipit Philosoph. 7. Met. Nam definitio exprimit veram quidditatem, vt docet Aristot. 5. Met. t. cap. 14. & 6. t. cap. 8. ens autem rationis non habet veram quidditatem, *3. Conditio.*

Digitized by Google

tatem, sed rationis. Nec intelligo hic (inquit Scotus) ens rationis quod est in intellectu obiectiue. Vnde obseru. est, quod tribus modis dicitur aliquid ens rationis: primo modo pro illo quod habet esse in anima subiectiue, vt species, actus, & habitus, species, inquam, intelligibiles, actus intelligendi, & habitus, quæ pro tanto ens rationis appellantur, pro quanto recipiuntur subiectiue in intellectu, qui appellatur ratio, seu rationalis potentia, quod ens rationis ab ente reali non distinguitur, cum tale ens sit in prædicamento qualitatis, & omne quod ponitur in prædicamento est ens reale, vt docet Aristot. 5. Metaph. tex. cap. quartodecimo, vbi ens extra animam diuidit in decem prædicamenta. Secundo modo sumitur ens rationis obiectiue, & hoc pacto omne id quod potest esse obiectum intellectus dicitur ens rationis, quia rationi, id est, intellectui obijcitur, sicut vniuersalia sunt in anima per species a rebus causatas, vel a Deo impressas, & sic etiam ens rationis non distinguitur contra ens reale. Tertio modo sumitur ens rationis pro ente quod habet esse in anima tanquam secundo consideratum, non tanquam primo consideratum, ad quod considerandum mouetur primo anima a re extra, sed tanquam ens in primo considerato inquantum consideratum, & tale, vt in summa sit dicere, non est nisi relatio rationis, quia nihil habet præcise esse in considerato, vt considerato nisi comparatio, qua consideratum comparatur ad aliud per actum considerantis. Nam secunda intentio, de qua hic est sermo, nihil est aliud quam aliquid derelictum ab actu comparatiuo siue collatiuo intellectus, distinctum tamen ab illius actu sicut effectus a causa, existens subiectiue in obiecto considerato, id est, cognito in quantum cognitum est, quia per ipsam secundam intentionem, quæ est relatio rationis obiectum cognitum quatenus cognitum refertur ad aliud obiectum cognitum, quatenus cognitum. Nam vt docet Scotus in primo distinctione vigesimatertia, quæstio. prima, postquam intellectus actu simplici, & recto apprehendit simplices rerum quidditates actu collatiuo, & comparatiuo componit vnam cum alia, vel ab ea diuidit, & ex tali comparatione derelinquitur in re prius considerata passiua comparatio, qui est respectus rationis, & secunda intentio, quasi secundario ab intellectu vel ab anima intenta, sicut prima intentio dicitur res primario intenta, atque considerata. Est enim vt ibi dicit Scotus, secunda intentio relatio rationis, non quæcunque, sed pertinens ad extremum, id est, ad obiectum cognitum, vel consideratum, vel ad actum intellectus componentis, vel diuidentis, vel saltem conferentis vnum ad alterum, hoc patet, quia intentio secunda (secundum omnes) causatur per actum intellectus negociantis circa rem primæ intentionis, qui non potest causare circa obiectum nisi præcisè relationem rationis. Hæc Scotus ibi, & subdit quod secunda intentio non est quæcunque relatio rationis, quia primum esse cognitum rei, seu primum concipi est relatio rationis, & tamen non est secunda intentio, quia ad primam pertinet rei, ideoque ens rationis de quo hic loquimur non est nisi relatio rationis, quæ præcisè habet esse in considerato, vt considerato, & qua consideratum cōparatur ad aliud per actum considerantis, & appellatur ens diminutum, quia non est res, proprie accipiendo rem, atque adeo non potest habere quid rei proprie loquendo, & per consequens nec definitionem quid rei, accipiendo definitionem, quemadmodum accipit Philos. 7. Met. tex. 12. & inde.

Ens rōnis triplex. *Scotus.*

Obseruandum est tamen, quod Doctor non intendit hic negare veras, & proprias definitiones quidditatiuas a secundis intentionibus, oppositum enim docet in vniuersalibus, vt diffusius ibi explicauimus. Nam syllogismus simpliciter, syllogismus dialecticus, demonstratio, enunciatio, genus, species, verbum, oratio, & his similia sunt entia rationis quantum ad suum formale, & tamen ista sunt definibilia. Nam Aristo. definit syllogismum simpliciter, 1. Prior. capitulo primo, dialecticum, 1. Top. capitulo primo, demonstratiuum, 1. Post. tex. 5. Sophisticum, 1. Elencho. rum, capitulo primo, enunciationē, & verbum, 1. Perher. capitulo tertio, & quarto, & Porphyrius definit genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, quæ omnia pro formali sunt entia rationis. Nec potest dici quod non sint veræ, nec propriæ definitiones: quia logica est vera scientia, vt docet Scotus prima quæstione vniuersalium; sed in qualibet scientia definitio est instrumentum sciendi secundum Comment. 6. Met. comm 2. Nam scientiæ differunt penes modos sciendi, quæ secundum eum sunt definitiones. Item in logica sunt veræ demonstrationes, ergo veræ definitiones, quia definitio est medium in demonstratione, secundo Post. text. octauo, & infra. Antecedens patet, quia Philosop. demonstratiue tradit scientiā de demonstratione, & definitione, sed negat secundas intentiones habere definitionem quidditatiuam explicantem quidditatem realem, prout de definitione loquitur Aristo. vbi supra.

Quarta conditio est, quod definibile habeat aliquam compositionem, atque adeo id, de quo non potest haberi nisi conceptus simpliciter simplex, id est, non resolubilis in conceptus dicentes quid, & quale, nō potest exprimi per definitionem. Quia secundum Philos. 8. Met. t. capitulo nono, definitio est oratio longa, & oportet terminum, id est, definitionem esse orationem longam exprimentem quid, & quale, id est, genus, & differentiam, ex quibus componitur definitum. Cum itaque definitio explicet distincte, & explicite, quod definitum importat confuse, & implicite, oportet quod de definito possint plures conceptus formari, quidditatiuus, scilicet, & qualitatiuus, per quos explicatur. Ex quo sequitur, quod sola species proprie definitur: quia planum est, quod sola species habet genus, & differentia sequitur, secundo quod illud quod non est in genere per se sicut contentum sub eo, non est definibile, atque adeo, nec materia, nec forma, nec Deus definiri possunt, nec generalissimum, nec differentia, vel aliqua passio pro substrato acceptis sunt definibilia. *4 Conditio.*

Quinta conditio est, quod definibile sit res vniuersalis: nam definitio explicat essentiam rei, singularia vero præter quidditates includunt differentias indiuiduales, quæ non pertinent ad quod quid est rei; atque adeo indiuiduū in quantum huiusmodi, hoc est, prout includit differentiam indiuidualem non definitur, quia vt sic non solum dicit, vel includit quidditatem, sed etiam aliquid plus, id est, differentiam indiuidualem contrahentem quidditatem specificam per aliquod additum ad ipsam, quod est extra rationem eius formalem, vt docet Doctor. in 2. distin. 3. quæstione 3. *5. Conditio.*

Ex his sequitur quod definitio proprie dicta est entis positiuī per se vnius, realis, compositi realiter, scilicet, physice ex materia, & forma, vel quantum ad conceptus, id est, metaphysice ex genere, & differentia, vniuersalis, & solius talis. Palam ergo est, quodnam ens sit definibile.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramentum sit ens positiuum.

EXplicaturus Doctor. sub. essentiam ac definitionem sacramenti postquam in superiori artic. conditiones rei definibilis explicauit, conuenienti ordine ante omnia illius genus inquirit, quod esse concludit signum ad placitum significans, seu ex impositione, & ex hoc concludit sacramento conuenire primam conditionem rei definibilis, nempe non esse aliquod repugnans, seu fictitiū, quemadmodum chimæra, nec priuationem, neque negationem, sed ens positiuum. Hoc autem ostendit per aliquas conclusiones, & prima est talis. Possibile est Deum aliquem effectum inuisibilem creare pertinentem ad salutem hominis viatoris, scilicet, gratiam, & charitatem. Hæc Conclusio apud Theologum non indiget probatione: patet enim ex Dei omnipotentia. *1 Conclus.*

Secunda Conclusio. Possibile est Deum imponere aliquod signum ad significādum istum effectum inuisibilem, probatur; quia nos possumus imponere signa, ad significandum quodcunque intelligibile a nobis, & cum signum dupliciter dari in rememoratiuū, quod est preteriti, vt faciēdo signū crucis in memoriā crucis Christi, & prognosticū, qđ est futuri, & demōstratiuū quod est præsentis. Possibile est Deū quodcunq; istorum signorum instituere, ad signādum nostros effectus. Quod ēt probatur: quia nos possumus quodcunq; istorum signorū instituere, ad signādum nostros ef- *2 Conclus.*

fectus. Sic enim instituta sunt a nobis iuramenta assertoria, & promissoria, iuramentum assertorium est de re præterita, vel præsenti, promissorium vero est de re futura: sicut ergo nos in promissionibus nostris habemus aliqua signa obligatoria ad significandum nostrum effectum futurum; vel assertoria ad significandum effectum præsentem, vel præteritum. Ita etiam Deus potest imponere aliquod sensibile signum ad significandum effectum suum inuisibilem, vel præteritum, vel præsentem, vel futurum. Patet de facto: Nam sacramẽta nouæ legis, vt Baptismus &c. sunt passionis Christi signa, & Resurrectionis. Vnde Roman. 7. Complantati facti sumus similitudini mortis eius, & ibi Glossa. quicquid ibi gestum est in cruce Christi, in sepultura, resurrectione, ascensione, & sessione ad dexteram patris, ita gestum est in his rebus mystice, vt non tantum dictis, sed etiam gestis configuretur vita christiana. In his ergo est quædam mystica repræsentatio mysteriorum illorum, scilicet passionis &c. atque adeo sunt signa præteritorum, item sacramenta legis naturæ & legis scriptæ fuerunt signa futurorum. Columba etiam in qua apparuit Spiritus sanctus, Matthæi quarto, & linguæ igneæ Act. 2. erant signa rei præsentis.

Glossa.

3. Conclusio. Tertia Conclusio. possibile est Deum determinare se, & disponere vt cooperetur ad aliquod signum ab eo institutum ad causandum effectum signatum, nisi impediat indispositio eius, cui adhibetur, probatur: quia sicut esset possibile in nobis, quod aliquis instituens signum effectus sui, disponeret se semper cooperari huiusmodi signo, nisi impediret ille, cui adhiberetur, verbi gratia, si quis instituat pro signo pacis, aut beneuolentiæ tactum manus, vel eleuationem digiti, vel huiusmodi, posset instituens tale signum determinare se ad semper cooperandum effectum signatum, nisi indispositio eius, cui adhiberetur, impediret.

4 Conclus. Quarta Conclusio. tale signum, cui instituens disponit se regulariter cooperari, potest dici signum verax, vel certum, ad distinctionem signi incerti, vel æquiuoci, quod aequaliter habet secum signatum concomitans vel oppositum. Pro intelligentia huius conclusionis obseru. est, quod duplex est signum, quoddam est certum & verum, aliud incertũ, & æquiuocum siue fallax. Signum certum & verum est, quando instituens signum (& loquor de signis ad placitũ) determinat se ad præstandum effectum, quotiescunque ponitur tale signũ: signum vero incertum & æquiuocum est, quõ instituens signum non determinat se ad præstandum effectum signatum ad positionem talis signi, & hæc signi distinctio reperitur etiam in naturalibus signis: Nam aliud est signum verum & certum, vt fumus est signum verum & certum ignis, & cruditas in vrina est signum certum indigestionis; Aliud est signum incertum, & æquiuocum, vt emittere saliuam ab ore super barbam, est signum furoris, sed non certum, vt patet de Dauid. 1. Reg 21.

Signum est duplex.

5. Conclus. Quinta Conclusio. si adhibito signo sequitur signatum ordine naturæ, signum nedum est certum, sed efficax: quoniam vt sic signum habet efficaciam respectu signati, si autem signum sequatur signatum suum ordine naturæ, vt linguæ igneæ super Apostolos in die Pentecostes, & columba in Iordane super Christum, & si huiusmodi signum esset certum, si nunquam careret signato illo præcedente, non esset tamen efficax, quia nullo modo eius positio efficaciã haberet respectu signati, sed e conuerso.

6. Conclus. Sexta Conclusio. Possibile est Deum ad significandum effectum prædictum, & modo prædicto, scilicet certitudinaliter, & efficaciter, instituere signum aliquod sensibile, hæc conclusio patet, quia etiam nos possumus aliquod signum sensibile instituere ad signãdum aliquem effectum nostrum cum illis conditionibus prædictis. Nec solum potuit instituere vnum signum sensibile solum, sed etiam sensibile includens in se plura sensibilia, & hoc vel eiusdem sensus, vel plurium, & diuersorum sensuum, sicut enim ad signandum perfectionem diuinam, (quæ est essentia simplicissima) possumus instituere istam orationem, Deus est infinitus perfecte, quæ constituitur ex multis syllabis audibilibus, ita possumus instituere quod aliqua audibilia, & aliqua visibilia simul signarent conceptum nostrum, verbi gratia, quod actum amicitiæ signarent aliqua verba certa, scilicet, parco tibi, vel dimitto tibi iniuriam, & huiusmodi cum aliquo actu manus, scilicet tangendo manum, vel osculo, scilicet osculando faciem, vel frontem, siue os.

7. Conclus. Ex istis sex conclusionibus sequitur septima Conclusio, scilicet quod ista ratio totalis, nempe Sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, effectum, inquam, ordinatum ad salutem hominis viatoris, non est ratio in se falsa eo modo, quo Philos. loquitur de ratione in se falsa, 5. Met. capit. de falso, tex. capitul. 24. Patet, quia nulla particula istius rationis repugnat alteri, at non est ratio in se falsa secundum Philosoph. ibi, nisi partes inter se repugnent vel contradicant, ista ergo ratio non est pure non entis, puta entis impossibilis, quemadmodum est chimæra, quia nihil est purum impossibile, nisi cuius ratio est in se falsa, vt patet in primo libro, distinctio. secunda, quæst. 2.

Patet etiam, quod ista ratio non est puræ negationis, vel priuationis, quia includit in se aliqua positiua. Quod si supponatur istam rationem esse huius nominis sacramentum, sequitur quod sacramẽtum non est purum non ens neque sicut impossibile, neque sicut negatio, aut priuatio. Quod autem ista ratio sit huius nominis sacramentum probari non potest, sed oportet supponere ex vsu loquentium de sacramento, sicut oportet supponere significata vocabulorum ex vsu, atque ita patet quod cum sacramentum sit signum sensibile, ei competit prima conditio definibilis, scilicet quod est ens positiuum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum sit ens per se vnum reale & simpliciter simplex.

IN hoc articulo inquirimus, an sacramento conueniant cæteræ conditiones rei definibilis, quarum secunda in ordine erat, quod ens definibile debet esse per se vnum. Nam quod non est per se vnum, non est diffinibile. Cæterum quod ens non vnum per se, non sit definibile potest bifariam intelligi, primo modo quod constitat ex entibus eiusdem generis, secundo modo quod constet ex entibus alterius generis, quæ tamen non sunt nata constituere vnum per se: priori modo dicitur vnum aggregatione, vt cumulus vel aceruus lapidum: posteriori modo proprie est ens per accidens, quod constituitur ex aliquibus, quæ sunt diuersorum generum, vt album & calidum, &c. album enim includit, verbi gratia, niuem, quæ est in genere substantiæ, & albedinem, quæ est in genere qualitatis, similiter calidum includit, verbi gratia, aquam de genere substantiæ, & caliditatem de genere qualitatis, vt patet, 5. Meta. capit. de ente, & vno, 5. capit. 13. Et neutrum istorum est proprie definibile, non primum, vt docet Arist. 8. Met. capitulo decimo, nec secundum ex 7. Met. capitulo secundo. Vnde iure optimo videndum est, an sacramentum sit ens per se vnum.

Et videtur quod non. Nam baptismus, verbi gratia, includit multa, nempe aquam, & verba, quæ non faciunt vnum per se, sed per accidẽs, atque adeo Richardus in 4. distinct. 1. artic. 1. quæst. 2. arbitratur sacramentum definiri non posse, eam non sit vnum per se, sed definitione vna per accidens cum sit vnum per accidẽs, ita enim scribit: Definitio secundum quod accipi potest ex verbis Philos. 1. top. capit. quarto, & libro sexto, per totum, est oratio indicans quid est esse rei, & conuertibilis cum definito, tanto ergo res verius potest definiri, quanto ex parte sua verius habet esse, si sit res finita. Illud autem quod verius substantia est, vnde a Philos. 1. Physic. t. capitulo 26. 27. & 28. vocatur quod vere est, & ideo 7. Met. tex. c. 12. & 15. inquit Philos. quod primo, & simpliciter definitio, & quod quid erat esse substantiarum est, & quia accidens absolutum verius est, quam ens per accidens, vt compositum ex duobus accidentibus, vel ex subiecto, & accidente. Quia Philosoph. 5. Met. capit. 13. & 14. Accidens absolutum est ens secundum se, id est, est ens essentialiter secundum Cõmẽ. ibid. ens vero per accidens non est ens essentialiter, sed accidentaliter, quia non est aliquid vnum per essentiam, ideo minus conuenit definiri enti per accidens, quam accidenti, quia etiam ens per accidens constitutum ex aliquibus duo-

Richardus

bus

Digitized by Google

bus realiter vnitis verius est vnum, quam ens per accidens constitutum ex duobus non vnitis nisi in intentione, vnum ad aliud applicante; quomodo vnum est Sacramentũ, quod constat ex elemento, & verbis iuxta illud D August. accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; quæ non sunt realiter vnita, sed solum ex intentione applicantis verbum ad elementum. Ideo minus improprie definitur primum ens per accidens, quam Sacramentum. Vnde concludit, quod sacramento non conuenit definiri nisi accipiendo definitionem prout se extendit ad definitionem vnam per accidens, sicut & ipsum sacramentum est ens vnum per accidens.

D August.

Impugnatur Richar. Sacramentũ potest sumi dupliciter.

Sed contra Richardum instat Doctor. sub. pro cuius impugnationis intellectu obseruandum est, quod sacramentũ potest sumi dupliciter. vno modo pro materiali, seu pro denominato, alio modo pro formali, vel pro per se significato, primo modo sacramentum non est per se vnum; quia aggregat multa, vt Baptismus verba, & ablutionem; secundo modo non est nisi respectus rationis signi ad rem signatam, primo modo non est definibile definitione proprie dicta, quæ sit per se vna: quia res, & verba non sunt per se vnum vnitate entis per se definibilis, sed sunt vnum aggregationis vnitate, vel ordinis tantum, & alia non sunt per se difinibilia. 7. & 8. Met. & quo ad hoc bene dicit Richardus.

At secundo modo, scilicet pro formali, vel pro per se significato, non probat, quin sacramentum sit definibile, cum vt sic sit ens per se vnum; Nam formale sacramenti non est nisi respectus rationis signati ad signatum, factus per actũ intellectus Dei intelligentis ista, & comparantis hoc ad illud, vt signum ad signatum, habens quod sit signum ex diuina volitione, & ordinatione concurrente. Non enim illud quod est sensibile in sacramento habet ex natura sua absoluta, quod sit signum, vel sacramentum, nisi potentia tantũ, tanquam fundamentum, sed habet hoc ex institutione diuina; alioquin à principio fuissent sacramenta in actu, sicut & naturæ sensibiles verborum, vel rerum. Respectus autem rationis non est ens per accidens, sed vnum per se: Ad hoc enim quod aliquid sit vnum per se requiritur, quod illa, quæ includit tanquam partes intrinsecas, ex quibus componitur, faciant vnum per se, fit autem vnum per se, ex per se potentia, & ex per se actu siue Physicè, siue Metaphysice; Physice velut ex materia, quæ est per se potentia, & ex forma substantiali, quæ est per se actus materiæ: Metaphysicè, ex realitate generis, quæ est per se potentia, & ex realitate differentiæ, quæ est per se actus generis contrahens, & determinans ipsum ad speciem. Verbi gratia. Ideo homo est ens vnum per se, quia animal, & rationale ex quibus Metaphysice componitur faciunt vnum per se. Vnde sequitur, quod albedo, & quodlibet accidens, quod est per se in genere, est vnum per se: quia illa quæ includit tanquã partes intrinsecas, nempe genus, & differentia, faciunt vnum, per se, atque adeo, licet vnum accidens esset in pluribus subiectis, nihilominus illud esset definibile proprie, sicut aliud accidens: quia illa plura non pertinent per se ad rationem accidentis, sed tanquam additamenta.

Et si dicas accidens includit subiectum, quod non facit vnum per se cum ipso accidente, ergo accidens non est vnũ per se. Dico, quod accidens non includit subiectum tanquã partem intrinsecam; & ideo nõ obstat quo minus sit vnum per se. In proposito autem dico, quod sacramentum est vnũ per se: quia illa quæ includit tanquam partes intrinsecas faciunt vnum per se. Nam sicut albedo, verbi gratia, includit realitatem coloris tanquam genus, & realitatem disgregatiuitatis tanquam differentiam; ita sacramentum includit signum tanquam genus, & ex institutione diuina efficaciter significans tanquam differentiam determinantem per se genus ipsum, atque adeo in prædicta ratione nominis, illud quod dicitur sensibile ponitur respectu signi tanquam additum, ergo quantumcunque cum illo non sit vnitas per se, dum tamen illa alia, quæ pertinent ad rationem formalem nominis, non impediant vnitatem per se; non propter hoc sacramentum erit non definibile, quemadmodum, & si in definitione accidentis absolute, verbi gratia, albedinis ponitur subiectum, vt additum; non sequitur tamen, quod albedo non, sit definibilis per suum genus, & propriam differentiam.

Et si iterum dicas, sacramentum includit etiam alia, præter sensibile, quæ non faciunt vnum per se, nimirum rem sensibilem, & gratiam. Dico, quod non includit hæc tanquam partes intrinsecas sui, sed tanquam additamẽta: quia sensibile tanquam fundamentum, & gratiam tanquam terminum, pluralitas autem quæcunque, vel subiecti in se, vel correlatiui, ad correlatiuum non prohibet relationem esse definibilem simpliciter, ergo nec excludit à sacramento habere definitionem propter non vnitatem. Ita enim est conceptus per se vnus apud intellectum signum ad placitum efficax, sicut cõceptus paternitatis, & sicut paternitas posset definiri proprie, nõ obstãte non vnitate per se subiecti, si paternitas esset in duobus subiectis, & illa ponerentur vt additamenta, & poneretur, etiam correlatiuum paternitans; ita in proposito: Nam licet respectus iste signi ad signatum in sacramento sit in pluribus subiectis, vel fundamentis, nẽpe in rebus, & verbis (potest enim vnus respectus rationis etiam numero, quicquid sit de relatione reali, fundari super diuersa fundamenta in ordine ad vnum triplicem terminum) huiusmodi tamen fundamenta ponuntur in definitione sacramenti, vt additamenta; & gratia tanquam terminus.

Quoad secundum positum in titulo quæst. quod spectat ad tertiam conditionem definibilis, quæ erat quod definibile sit ens reale Hæc conditio deficit sacramento: Nam sacramentum est ens rationis, quantum ad hoc quod sacramentum est signum ex institutione: Nam ista relatio non sequitur fundamentum ex natura rei, quia & si in re sit aptitudo ad significandum effectum signatum, tamen actualis signatio non conuenit sibi nisi per actum imponentis, scilicet intellectus, & voluntatis diuinæ.

Restringendo ergo definitionem ad quid proprie dictũ extra animam, sacramentum non habet definitionem proprie dictam; quæ scilicet explicet aliquam quidditatem realem, quæ habeat esse extra animam, hoc est, sine opere intellectus, aut voluntatis: quia sacramentum pro formali acceptum eiusmodi quidditatem non habet. Tamen habere potest definitionem eo modo, quo illam habent secundæ intentiones logicę, nempe orationem, quæ explicet non quidem naturam aliquam realem, sed conceptum illum, quem in mente habemus de sacramento, scilicet conceptum formatum à ratione, id est ab intellectu diuino, qui est in intellectu obiectiue, subiectiue vero in re ipsa cõparata, & hoc etiam modo tantum, & non aliter definiuntur omnes intentiones logicales, non enim significant quidditates extra animam, sed tantummodo conceptus in anima, sed per se vnos. Vnde ex hac littera Doctoris definitio quidditatiua bifariã sumi potest, vno modo proprie, & presse, quatenus est oratio explicans quidditatem extra animam, id est, quidditatem realem; alio modo suse, quatenus est oratio, quæ exprimit vnum per se cõceptum siue ille conceptus sit rei extra animã, siue rationis. Primo modo sacramentum non est definibile, sed bene secundo modo. Habet itaque sacramentum definitionem quemadmodum intentiones logicales definiuntur, quæ definitio sufficit ad scientiam proprie dictam, alioquin logica non esset scientia, & in talibus definitionibus inuenitur genus, differentia, & proprium, eo modo, quo logicus loquitur de genere, differentia, & proprio, quia inuenitur prædicatum in quid, & in quale essentiale, & in quale accidentale conuertibile: Ita in definitione sacramenti ponitur signum, vt genus, & prædicatum in quid; ex institutione, & efficax, ponitur vt differentia, & prædicatũ in quale essentiale, atque adeo hæc definitio est quidditatiua, eo modo, quo entibus rationis definitio quidditatiua cõuenit, de qua re satis diffuse locuti sumus in explicatione nostra vniuersalium Doctor. sub. sensibile vero ponitur, vt fundamentum relationis; gratia vero, vel effectus Dei gratuitus, vt correlatiuum.

Quod autem sacramento conueniat, quarta conditio definibilis patet: quia sacramentum non dicit conceptum simpliciter simplicem: quia in suo conceptu formali includit tanquam partes essentiales signum, & ex diuino institutione efficaciter significatiuum, & ideo dicit conceptum resolubilem in conceptum quidditatiuum generis, & qualitatiuum differentiæ. Conuenit etiam sacramento quinta conditio: quia sacramentum importat conceptum vniuersalem non singularem: Nam sicut animal importat aliquod commune per indifferentiam ad omnia animalia; ita sacramentum suo modo importat aliquod commune per indifferentiam ad omnia sacramenta.

Ex

Ex his ergo patet, quod cum definibile quinque exigat conditiones, videlicet, quod sit ens positiuum, per se vnum, reale, compositum, & vniuersale, per primam conditionem reijciuntur à propria definitione impossibilia, negationes & priuationes, per secundam excluduntur entia per accidens, veluti concreta ex substantia & accidente, sicut album, calidum, &c. per tertiam reijciuntur entia rationis. per quartam excluduntur omnia transcendentia, quæ non possunt resolui in plures conceptus, nempe generis, & differentiæ, per quintam repelluntur singularia quæ includunt aliquod incommunicabile, cui repugnat definitio quidditatiua; differentia enim indiuidualis non est quidditas; nam ad hoc quod aliquid dicatur quidditas requiritur, quod sit communicabile, adeo quod ad definitionem requiritur, quod tam superius, quam differentia sint quidditates: omnes autem istæ conditiones definibilis conueniunt sacramento, tertia excepta, quia sacramentum pro formali non est ens reale, sed rationis. Nam cum sacramentum sit essentialiter signum, & signum præceditur de sacramento, vt superius de inferiori, sitq. signum essentialiter relatiuum ad signatum, sicut pater ad filium, impossibile est, quod formale in sacramento sit aliquid absolutum, sed oportet necessario quod sit aliquod respectiuum, vel respectus; sicut oportet quod formale patris vnde pater, sit relatio. Et si dicas, quod sacramentum est aliquid sensibile, & respectus rationis non est aliquid sensibile, ergo non pertinet ad sacramentum intrinsece. Dico, vt dictum est supra, quod sacramentum non est sensibile nisi quantum ad suum materiale, non autem quantum ad suum formale, sed quantum ad suum formale est signum, & ens rationis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacramentum definiri possit.

DE hac re fuit quorundam opinio, qui dixerunt sacramentum non posse definiri; his moti rationib. Auicen. 5. Meta. cap. 5. Definitio, inquit, secundum hoc, quod consentiunt authores artis, composita est ex genere, & differentia; sed constitutum ex re, & verbo cum non sit vnum, nisi per accidens, non est in genere. Nam secundum Philos. 4. Top. c. 4. Quamuis iustitia sit in genere, iustus tamen non est in genere, ergo constitutum ex re, & verbo non est definibile. Sed sacramentum constitutum est ex re, & verbo, ergo non est diffinibile. Minor patet ex D. August. super Ioan. homil. 81. & ponitur. t. q. 1. cap. Detrahe. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum Verbum autem & elementum non faciunt aliquid per se vnum: quia vnum est permanens, aliud successiuum.

Item Philos. 4. Meta. c. 1. Non vnum significare est nihil significare, ergo quod non est vnum nihil est, sed sacramentum non est aliquid vnum, ergo nihil est, sed quod nihil est definiri non potest, cum definitio indicet quid est, ergo &c.

Item 7. Met. t. c. 11. Homo albus non est vere hoc aliquid, ergo à simili nec sacramentum, quod minus vnum est, sed secundum Philos. vbi prius. t. c. 16. quod non est vere hoc aliquid definiri non potest, ergo sacramentum non potest definiri. Quia ergo sacramentum non est vnum ens, sed aggregatum ex multis aut ex ente reali, & rationis existimarunt aliqui Theologi sacramentum definiri non posse; in quam sententiam referunt Scotum in 4. d. 1. q. 2. Richar. art. 1. q. 2. & Maiorem, q. 1. Sed nec Scotus id dicit, nec alij Authores in re possunt ab alijs dissentire, qui iudicant sacramentum posse absolute, & simpliciter definiri, eo modo quo habet esse.

Ideo in contrarium est omnium Theologorum sententia, pro cuius explicatione obseruandum est, quod definitio secundum Arist. 7. Met. tex. 12. & infra, est sermo aggregatus ex prædicatis in quid, & compositus ex prædicatis primi modi, atque adeo quod non habet sermonem explicantem aliquid ex prædicatis per se primi modi, & in quid, non habet definitionem proprie dictam, hoc est, pure quidditatiuam: Nam definitio secundum se totam prædicatur in quid. 1. Post tex. 6. vbi dicitur, quod per se primo modo est definitio, & pars definitionis. Dices differentia non prædicatur in quid, & tamen clauditur in definitione.

Respondeo Philoso. accipit quid, vt distinguitur à quali accidentali, non à quali essentiali.

Secundo obscur. est, quod definitio in generali, secundum mentem Arist. 7. Meta. tex. 15. est sermo indicans quidditatem rei nullo addito, nulloq. remoto, & hoc apparet verum esse ex terminis nam definitio ex Arist. 1. Top. est terminus. Terminus autem finit, & terminat per hoc quod totum includit nullo addito vel diminuto. Finire enim aliquid est impossibile nisi claudatur res nullo addito, & nullo remoto. Da enim quod aliquo addito includeret plus, atque ita non terminat: quia non prætenderet etiam quod aliquo remoto iam non finit nec claudit: quia non includit totum, atque ita non finit neque est terminus. In speciali vero magis definitio secundum Arist. 8. Meta. tex. 15. & 16. est sermo compositus ex prædicatis in quid primo modo, & nihil ibi clauditur, quod non sit in quid primo modo.

Ex his sequitur, quod nullum accidens est definibile definitione pure quidditatiua: quia nullum accidens habet, sermonem explicantem aliquid constitutum ex prædicatis per se primo modo, & in quid: quia definiens accidens necessario includit subiectum, sed subiectum non cadit in primo modo dicendi per se accidentis: non enim respondetur. Subiectum de accidente, ad interrogationem factam per quid; & ista est demonstratio Arist. 7. Meta. tex. 12. & infra, quod sermo ex additamentis non est definitio naturæ quidditatiua, nec primo modo.

Dices, licet accidens in concreto includat subiectum, tamen non in abstracto; Vnde si intelligo albedinem, patet quod ibi non intelligo aliquod subiectum, nisi genus proprium, puta colorem, & propria differentia, quæcumque sit illa, atque adeo albedinem definiendo. Albedo est color disgregatiuus visus, ibi nullum contelligitur subiectum, sed præter proprium genus, & propriam differentiam, habet enim accidens quodlibet proprium genus, & propriam differentiam excluso omni extrinseco, videtur ergo quod possit habere definitionem excluso subiecto.

Respondeo, quod accidens quantumcumque abstractum includit habitudinem ad subiectum; Nam licet accidens sit res, est tamen res quæ necessario terminatur per subiectum, atque adeo intellectus non potest claudere conceptum eius sine conceptu subiecti, nulla autem res intelligitur, nisi per intellectum terminetur. Nam intellectus intelligit terminando 2. Meta. subiectum autem est proprius terminus accidentis: Nam sicut linea, licet sit res, non tamen infra suam essentiam habet proprium, & intrinsecam terminationem, sed terminatur per aliquod extrinsecum, puta per punctum: ita accidens, licet sit res, non habet tamen proprios terminos essentiales intrinsecos, sed sua terminatio est ab extrinseco; & super hanc rationem sustentatus est Arist. 7. Meta. tex. 2. cum dicit, quod accidentia proprie non sunt entia, sed entis; & quod definitio accidentis explicat accidens, & subiectũ, & ideo sermo talis non finit, nec terminat: quia plus ponit.

Ad instantiam de albedine, dico, quod & si prima facie albedo non videatur intelligi nisi colorem, & propriam differentiam, tamen albedo in sua definitione includit subiectum aliquod: quod sic ostendo. Nam quicquid est de definitione coloris, est de definitione albedinis; sicut quicquid est de definitione animalis, est de definitione hominis; sed subiectum est de definitione coloris. Nam color est extremitas perspicui in corpore terminato. Ecce ponitur subiectum, & si haberemus nomen proprij subiecti, ita poneremus subiectum proprium, sicut quando definimus simitatem. Et licet accidens habeat genus & differentiam, nec genus tamen, nec differentia accidentis intelliguntur sine subiecto. Vnde si definiatur accidens, per genus & differentiam, ita penam separantur per intellectum ipsa definientia à subiecto, sicut nec definitum, & è conuerso, Vnde sicut simitatem non intelligis sine figura nasi, sic nec concauitatem potes intelligere sine concauo, & magnitudine, que quidem concauitas est genus simitatis.

Cum ergo conceptus accidentis haud claudat essentiam suam sine aliquo addito, scum infra suum conceptum includat subiectum: impossibile est enim concipere quantitatem sine partibus, figuram sine figurabili, & simitatem sine figura nasi 7. Meta. tex. 18. & Com. ment. dicit ibi, quod hoc est verum de omni accidente, quod omne accidens per intellectum habet resolui in certum subiectum; sequitur, quod nullum accidens potest habere definitionem pure quidditatiuam.

Rationem autem, quare subiectum ponatur, vt additum in definitione accidentis, assignat Doct. sub. 7. Meta. in expositione

tione textus Comm.19.sub finem.§.Notandum est,&c.vbi ita scribit,quod ideo subiectum ponitur,vt additum in definitione accidentis: quia accidens cum sit forma inhærens,& dependens de natura sua, non potest perfecte cõcipi nisi cointelligatur illud,cuius est forma,& ad quod depẽdet,illud autem est subiectum: quia igitur definitio propria exprimit perfectum conceptum rei,& quietatiuum intellectus; ideo necessario in definitione accidentis additur subiectum; non sic est substantia; Nam substantia in sua natura est ens absolutissimum non inhærens, nec dependens ad aliud, & ideo in eius definitione non oportet addi aliquid impertinens ad suam quidditatem. Hæc Scotus. vide etiam Alex. de Ales.7.Meta.tex.19.

Alex. Alen.

Ex his ergo habemus, quod definitio vt dicit Arist. non dicitur vno modo de substantia,& accidente.i.non conuenit substantiæ,& accidenti æqualiter. Quia definitionum quædam est, quæ explicat rem nullo addito, & nullo remoto; nullo inquam addito, quod non pertineat ad quidditatem definiti, & nullo remoto, quod eius quidditatem constituat,& hæc est definitio pure quidditatiua,quæ est proprie definitio,& substantiæ. Quædam vero explicat rem aliquo addito,& dicitur definitio quidditatiua data per additamẽtum, quæ est propria accidentium.

Prima conclusio.

His obseruatis sit prima conclusio. Sacramentum non est definibile definitione pure quidditatiua.probatur:nulla res definitur definitione pure quidditatiua, in cuius definitione necessario ponitur aliquid vt additum,sed in definitione sacramenti ponitur sensibile, vt additum, nempe vt subiectum,vel fundamentum;& gratia vt terminus seu correlatiuum, ergo sacramentum non definitur definitione pure quidditatiua. Præterea nulla res potest definiri quidditatiue proprie, nisi habeat quinque conditiones assignatas in 1.art. huius quæst. Sed sacramentum non habet illas, ergo non est definibile definitione quidditatiua proprie; consequentia est bona,& maior est nota ex 1.artic. Minor probatur: quia sacramentum non est ens pure reale,sed ens rationis pro formali, vt patet ex 3.art.ergo deficit illa tertia conditio, scilicet esse ens reale.

Secunda conclusio. Sacramentum potest simpliciter,& per se definiri, eo modo quo intentiones secundæ sunt per se definibiles: quia absolute nihil repugnat,quin absolute & verissime definiatur, nisi quia propriũ eius formale est ens rationis, vel nisi quia includit aliquid, quod est præcise ens rationis,hæc conclusio est Scoti in hac quæst.sub litt.k.§.Ex his prædictis,&c.

Sed contra. Quod nullo modo habet si est, nullo modo potest habere quid est; at sacramentum nullo modo habet si est, ergo non potest habere quid est: maior patet; quia quid est præsupponit si est. patet etiam minor: quia sacramentum cum sit ens rationis, non habet si est, id est, extra animam.

Pro solutione notat Scotus: quod si est, est vna quæstio scibilis, quæ non quærit de actuali existentia scibilis; sed quærit vtrum scibili repugnet esse in actu; alioquin demonstratio eius,cuius medium est definitio, nõ posset haberi de non existente,cuius oppositum vult Philos.1.Post.tex.c.20. & 7.Meta.tex.c.35.& 53. Et ideo cum sacramento non repugnet esse in effectu; quia ostensum est sacramento conuenire primam conditionem definibilis, atque ita ostensum est de sacramento si est. Falsa est ergo minor: & ad probationem cum dicitur, quod sacramento repugnat esse in effectu: quia est ens rationis,cui repugnat esse extra animam, habere autem esse in effectu est habere esse extra animam. Dico, quod habere esse in effectu stat dupliciter, vno modo,vt idem est quod habere verum esse extra causam suam, & isto modo secundis intentionibus repugnat habere esse in effectu: alio modo vt idem est, quod habere conceptum per se vnum; atque ita secundæ intentiones habent esse extra animam: quia habent vnum per se conceptum sufficientem ad hoc, quod de eis sit scientia proprie dicta.

Ex his sequitur primo, quod si est,& quid est ordinate se habent: Nam cognitio quid est præsupponit cognitionem si est. hoc est,oportet primo cognoscere, vtrum scibili repugnet esse,antequam cognoscatur quid sit.sequitur secundo, quod inter si est, & quid est nominis est etiam ordo. Nam si est præsupponit quid nominis, & illo præsupposito concluditur si est, est autem cognitio quid nominis, per quam cognosco aliquid esse intelligibile,& cognoscibile; sed cognitio si est, per quam cognosco, quod tali intelligibili non repugnat esse in effectu, verbi gratia,quando cognosco hominem esse vnum intelligibile,cognosco ipsum secundũ quod per nomen importatur, sed quando cognosco homini non repugnare actualem existentiam, cognosco eum quo ad si est.

Et si dicas idem est quid rei, & quid nominis,ergo inter cognitionem eius quod dicitur per nomen, & cognitionem si est,non erit aliquis ordo. Respondeo,quod licet in habentibus,quid rei idem sit quid rei,& quid nominis;tamen adhuc est ordo inter illa: Nam aliquid dicitur habere quid nominis,quia est vnum intelligibile,& vnum sensibile; Nã omne illud,quod est intelligibile,& sensibile dicitur habere quid nominis: Nam quid nominis est terminus per quem significatur esse aliquid intelligibile,& per nomen ipsum significatur, & intelligitur. Sed aliquid dicitur habere quid rei,in quantum possibile est ipsum esse in effectu. Vnde omne illud,quod est possibile esse in effectu, id est,cui non repugnat esse, dicitur habere quid rei. Ex quo sequitur,quod rosa non existens habet verum esse quid rei: quia possibile est rosam non existentem esse in effectu.sequitur secundo, quod ad hoc quod aliquid habeat quid rei, non requiritur, quod realiter existat: quia alias solum de existentibus haberemus scientiam, quod est falsum, vt dictum est supra ex Aristot.

Applicando autem ad propositum in prima conditione illarum quinq; quas enti definibili assignauimus,ostensum est de sacramento si est: quia ostensum est sacramentum esse tale,cui non repugnat esse in effectu, & hoc supposito inquirebamus in speciali quid esset, quod explicabitur in sequenti artic. prima tamen conditio illarum quinque præsupponit,quid dicitur per nomen,& ex illa præsupposita cõclusum est de sacramento si est, atque ita patet quod sacramento non repugnat definitio.

Ad argumenta posita in principio. Articuli respondetur, & ad primum respondet Scot.distinguendo minorem. Sacramentum enim potest bifariam accipi: Vno modo pro materiali;alio modo pro formali.primo modo sacramẽtum non est per se vnum, sed bene secundo modo. Nam sacramentum pro formali est relatio rationis signi ad signatum, atque ita sacramentum quantum ad suam rationem formalem est per se vnum,& optime definitur,eo modo quo definitio exprimit vnum per se conceptum.

Contra relatio non est per se vna nisi habeat fundamentum per se vnum,sed per te sacramentum pro formali est relatio, & eius fundamentum non est per se vnum,ergo nec; sacramentum pro formali est per se vnum, & per consequens non est definibile. Respondetur,quod forte maior est vera de relatione reali; in relationibus tamen rationis maior est falsa; Ad vnitatem enim relationis rationis sufficit, quod fundamentum consideretur ab intellectu tanquam vnum ad vnum repræsentandum, sicut hæc oratio omnis homo currit, hoc totum complexum capitur quatenus repræsentat vnum; & fortè hoc est etiam verum in relationibus realibus; Nam licet multi sint trahentes nauim, relatio tamen trahentium ad vnum tractum forte est vna. Item positio de prædicamento situs dicit ordinem partium corporis ad partes loci,& positio de prædicamento quantitatis dicit ordinem partium inter se & ad totum,& tamen est vnus respectus,licet habeat plura fundamenta;patet ergo falsitas maioris: Nam in fundamento vnius relationis rationis qualis est sacramentum, multa & diuersa possunt concurrere: quia ad vnitatem talis relationis solum requiritur,quod illa multa concipiantur ab intellectu, vt vnum in ordine ad aliquod significatum, vt patet 5. Meta.tex.c.7. vbi Arist.dicit, plura possunt esse aliqua in vno genere, & in altero vnum; vt domus in genere substantiæ est plura. videlicet lapides, ligna &c.in genere tamen qualitatis est vna forma,seu figura domus; Ita sacramentum constat ex pluribus,quæ tamen in genere signi faciunt vnum. Scotus adducit hoc simile, vna relatio, qua significatur bonum vinum venale, habet pro fundamento plures res, scilicet coronam, vel circulum foliis hederæ opertum in virgulto eleuatum,&c.simile accidit in sacramento,cuius cum plura sint fundamenta,non est nisi vna relatio signi ad signatum.

Ad secundum nego minorem, accipiendo sacramentum pro formali. Ad tertium dico, quod si per hoc aliquid intelligitur substantia,verum est, quòd sacramentum non de-

finitur

Digitized by Google

finitur definitione substantiæ, id est, definitione purè quidditatiua. Nam secundum Philos. 7. Met. tex. 12. & infra, definibile proprie est substantia si habet genus, & differentias & ratio Philos. est: quoniam omne illud quod habet quidditatem clausibilem nullo addito, nulloque remoto est substantia: sola enim substantia secundum eum est hoc aliquid terminatum; non dico hoc aliquid, accipiendo hoc aliquid pro supposito, sed accipiendo pro aliquo determinabili per intellectum clauso & terminato, & de omni tali est verum, quod est definibile, si habet genus, & differentiam; & in hoc sensu accidens non est hoc aliquid, sed est materiæ alicuius, quia est pura modificatio, sicut qualitas, vel quantitas, vel aliquid simile, & ideo sola substantia terminata, cuius scilicet esse est absolutissimum, est definibilis, secundũ Arist. si habeat genus, & differentias. Sacramentum ergo nõ potest habere puram definitionẽ quidditatiuam, accipiendo scilicet definitionem pro sermone explicante rei essentiam nullo addito, nulloq. remoto; sed definitur eo modo, quomodo dictum est in secunda conclusione.

ARTICVLVS V.

Vtrum definitio sacramenti tradita à Magistro sit bona.

Quatuor definitiones sacramenti. D. August.

PRo explicatione huius difficultatis obseruan. est primo, quod quatuor sunt definitiones solemnes sacramenti assignatę à Doctoribus antiquis, & sanctis. Prima est D. Augustini, 10. de ciuit. Dei c. 5. non procul à principio: qui ait, sacramentum est sacræ rei signum: quamquam ibi August. generalius vtatur nomine sacramenti, vt sacrificium etiam comprehendat, cui etiam definitionem illam accommodat, eadem vero definitio reperitur apud Hugonem lib. 1. de sacramentis par. 9. cap. 1. & D. Bernardum sermone de Cœna Domini.

D. Gregor. Gratianus. D. Thomas. Isidorus.

Secunda definitio est D. Gregorij vt notat Gratianus 1. q. 1. cap. Multi sæcularium, licet D. Tho. in 4. d. 1. q. 1. eam tribuat D. August. sed nec huius, nec illius est, sed Isidori, habetur enim ijsdem verbis apud Isidorum lib. 6. Etymolog. c. 18. Nisi forte Isidorus illam acceperit ex libro aliquo nobis incognito Augustini aut Gregorij, sed cuiuscumque sit non est modo cur multum laboremus, est autem definitio talis. Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius salutem operatur.

Hugo.

Tertia definitio est Hugonis lib. 1. de sacramentis p. 9. c. 2. Sacramentum est corporale elementum, foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, ex institutione significans; & ex sanctificatione continens inuisibilem, & spiritualem gratiam. In hac definitione dicit Hugo, quod sacramentum est ex similitudine repręsentans: quia omnia sacramenta habent aliquam similitudinem cum gratia. quã conferunt. Nam sicut in Baptismo, verbi gratia, aqua lauat corpus, ita gratia baptismi lauat animam à maculis peccatorum; & sicut panis reficit corpus hominis, ita corpus Christi, quod in pane conficitur reficit animam. Secundo dicit, ex sanctificatione continens gratiam. Vel quia, vt dicit Durandus, materia sacramentorum de se est consecrata, vt pater in confirmatione, extrema vnctione, & ordine, quorum materia est oleum consecratum; vel consecratur in suo simili, vt aqua baptismi, quæ consecrata fuit, quando Christus baptizatus fuit in illa: quoniam tũc, inquit Beda, tactus suæ mundissimę carnis virtutem regeneratiuam contulit aquis. Vel rectius dicitur sacramentum ex sanctificatione continere gratiam: non quia materia sacramenti est consecrata, vel in se, vel in suo simili, vt dicit Durandus, hæc enim Glossa non quadrat textui: quia ibi Hugo non definit materiam sacramenti tantum, sed totum sacramentum; Vnde sicut ibi dicit, quod sacramentum ex institutione diuina significat gratiam: quod non est intelligendum de sola materia sacramenti: quia sola materia non significat gratiam; sed quia sacramentum ad illam significandum à Deo institutum est, quamuis ex se non haberet significationem; Ita ex sanctificatione continet gratiam, id est, cum sit quædam res materialis, quæ de se gratiam non continebat, fuit sanctificata à Deo, id est, fecit Deus quod illa res materialis esset quædam cæremonia sancta ad officium istud sanctum, scilicet iustificandi homines, idonea, & sufficiens.

Durandus. Beda.

Magister.

Quarta definitio est Magistri in hac dist. & est talis: sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma eiusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens, quæ sumpta est ex Hugone in summa sententiarum, tract. 4. cap. 1.

Definitio est duplex.

Secundo obser. est, quod definitio est duplex: Nam quædam est definitio Metaphysica, quædam est definitio aliarũ scientiarum specialium. Definitio Metaphysica est duplex, quædam est, quæ ligat, & exprimit quidditatem rei, nullo addito nulloq. remoto; & hæc est definitio proprie quidditatiua. altera est, quæ explicat quidditatem rei nullo addito, sine quo res explicari potest, addito vero aliquo, sine quo nõ est explicabilis; & talis licet non sit definitio quidditatiua ita proprie dicta; est tamen definitio Metaphysica, & quidditatiua per additamentum. Vnde definitio Metaphysica includit necessario genus & differentiam; & hoc præcise in substantijs. Sed vltra genus & differentiam includit necessario subiectum, vt in accidentibus absolutis, vltra subiectũ etiam necessario includit fundamentum, & terminum in accidentibus respectiuis.

Sed definitio aliarum scientiarum non accipit per se, hoc est, præcise quidditatem; quia intentio scientiæ specialis est accipere speciales definitiones, quatenus sunt instrumenta ad venandas proprias passiones, & media demonstrationum. & ratio est, quia scientiæ speciales, puta Physica, & huiusmodi, non intendunt quidditatem vt quidditas est, (hoc enim tantum pertinet ad Metaphysicum) sed intẽdunt proprias passiones: & quia definitiones intendunt propter proprias passiones, ideo definiunt sermone accomodato ad proprias passiones. Ex quo sequitur, quod diuersi artifices capiunt diuersas definitiones: quoniam (vt est dictum) cũ non intendant definitiones, nisi vt sunt instrumenta ad probandum proprias passiones; aliquæ autem scientiæ venantur passiones per vnam causam, aliæ per aliam, & aliæ per vnã tantum, aliæ per duas, aliæ per omnes causas. Hinc est, quod definitio ex eo, quod est instrumentum venandi passiones, non accipit quidditatem rei, sed causam per quam contingit venari propriam passionem; & tunc definitio quandoq; sumit vnam causam, interdum duas, & quandoq. quatuor, sicut exigit illa scientia; eo enim modo quo scientia demonstrat passiones, eo modo sumit definitionem, & quando demonstrat per vnam causam tantum, capit definitionem per vnam causam tantum, quando vero demonstrat per plures causas, accipit definitionem continentem plures causas. Ex hoc apparet, quomodo definit naturã Physicus, aliter Ethicus. Ethicus n. definit naturã per causam finalem tñ, quia demonstratio sua est maxime per causam finalem. Physicus vero definit naturã per omnes causas, eo quod demonstrat per omnes causas. Et ex his intelligitur dictum Arist. 1. de anima, dicentis quod definitio est vana: quæ non facit scire accidentia: loquitur enim ibi de definitione secundo modo: quæ nisi faciat scire accidentia, non habet rationem instrumenti. Et ex his etiam apparet, quod definitio quandoque differt à demõstratione sola positione, & situ terminorum, quod veritatem habet de definitione, explicante nedũ quidditatem, sed etiam passionum causas.

Vnde obser. est tertio, ꝙ magni interest, num res definiẽda sit substantia, vel accidẽs, vt docet Arist. 2. Post. & 7. Met. tex. c. 12. & infra. Vbi inquit, substantiæ natura cum sit ens, per se existens non egens alterius adminiculo, vt existat, vnica tantum definitione ex proprio genere, & propria differentia constituta abundè declarari; Accidens vero, vtpotè quod minoris entitatis, & existentiæ, vt inquit Auerroes, sit, quod per se existere nequeat, duplici indigere auxilio, altero pro suo esse, nempè causa aliqua, altero pro eiusdem existentia, nempè subiecto aliquo, cui inniti & adhærere queat, & consequenter duplici definitione opus habere; altera essentiali, quæ & proprium genus, propriamq. differẽtiam, & ipsummet subiectum, cui accidens adhæreat, afferat: quam quidem definitionẽ Arist. 1. Post. 11. & 2. post. 10. appellat demonstrationis conclusionem, Philoponus vero, quem postea secuti sunt omnes fere Latini, definitionẽ materialem seu ex materia, altera causali, quæ per eiusdem accidentis causam, vel efficientem, vel finalem, vel vtramq; & hanc appellat demonstrationis principium, Philoponus vero & Latini formalem, seu ex forma. Ex quibus postea duabus definitionibus simul iunctis fit quædam tertia, quã perfectam, exactam, & quietatiuam accidẽtis definitionem esse loquit, & quam orationem sola verborum depositione à demonstratione differentem appellat, quod mutatis, seu

Auerroes.

Philoponus

trans-

Digitized by Google

transpositis terminis, id est, medium in maiorem extremitatem, & è contra in demonstrationem conuertatur.

Quæ omnia exemplo satis Arist. familiari, & vsitato declarari possunt. Sit res definienda ecclipsis: quæ quia est accidens, & consequenter à duobus prædictis principijs subiecto, quod est luna, & causa, quæ est interpositio terræ dependet, duo quoque definitionum genera requirit, sit ergo definitio essentialis. Ecclipsis est defectus luminis in Luna: altera causalis. Ecclipsis est interpositio terræ, si iungantur istæ definitiones fiet perfecta ecclipsis definitio, videlicet ecclipsis est priuatio luminis in Luna propter terræ interpositionem, quæ cum sola verborũ positione à demonstratione differat in illã ita cõuerti poterit. Interpositio terrę est priuatio luminis in Luna; ecclipsis est interpositio terrę, ergo ecclipsis est priuatio luminis in Luna, sed de hoc diffuse egimus in lectionibus nostris super 1. & 2. lib. post. Aristot. vide ibi.

Scotus. His obseruatis cum quæritur de definitione Magistri, an sit conueniens, & propria. Respondet Scotus in hac quæst. sub lit. n. §. Ex his patet solutio quæstionis, &c. quod definitio assignata à Magistro, si recte intelligatur, & per alia non explicata suppleatur est, propria ratio definitiua sacramenti, eo modo quo sacramentum est definibile. Probatur, definitio sacramenti, quam Scotus exacte limauit, est bona, vt probabimus art. sequenti, sed definitio assignata à Magistro est illi æquiualens, ergo definitio Magistri est bona, & conuenienter assignata; Minor probatur: Nam definitio sacramenti assignata à Scoto est talis. Sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris, huic autem definitioni est definitio Magistri æquiualens: Nam in definitione Magistri visibilis forma ponitur pro signo sensibili, eo modo quo forma Herculis dicitur imago, vel signum Herculis. Inuisibilis gratię ponitur pro gratia, vel effectu gratuito, & cum Magister definit sacramentum esse formam visibilem, intelligit per visibile, sensibili in communi: Nam visibile ponitur interdum pro sensibile cuiuslibet sensus propter dignitatem visus, de
D. August. quo dicit D. August. epist. 2. ad Volusianum longe post principium, quod inter quinque sensus est excellentior, & plurium differentiarum cognoscitiuus, vt dicit Philos. 1. Met. in proœmio, ponitur etiam ibi visibile pro sensibili siue vno, siue pluribus sensibus, & hoc pluribus pertinentibus ad eũdem sensum, vel alium, & alium, & cum dicit Magister sacramentum esse formam, siue signum sensibile; intelligit ex institutione diuina, & non ex natura rei: quia res, quæ sunt signum in sacramento, non possunt attingere ad gratiã. In eo vero quod dicit Magister, vt causa existat idem intelligit, quod Scotus, quando dixit efficaciter significans, atq. ita patet quomodo conueniens sit definitio sacramenti à Magistro assignata.

Potest etiam aliter dici, quod vel loquimur de definitione prout explicat quidditatem tantum, & illud sine quo nõ potest quidditas explicari, de qua dictum est, quod est definitio Metaphysica, vel loquimur de definitione, vt est instrumentum propriæ passionis, vt differt a demonstratione sola positione, & situ, & hoc secundo modo potest contingere dupliciter, vno modo, vt talis definitio exprimit, & ligat passiones & proprietates, & sic accipiendo cum multæ possint fundari proprietates, & passiones super rationem sacramenti, multæ possent hoc modo assignari sacramenti definitiones, penes diuersas circumstantias, ad quas posset comparari sacramentum. Altero modo, vt talis definitio ligat, & explicat causas omnes sacramenti, & hoc modo accipiendo definitionem, valde congrua est definitio Scoti, quæ vt videbimus in sequenti articulo, exprimit omnes causas.

Sed si loquantur de definitione Metaphysica, quæ tantũ claudit, & explicat quidditatem, & ea sine quibus non potest quidditas explicari, nihil curando de causis, nec de passionibus, tunc dico, quod nulla est ita bona, & conueniens definitio sicut definitio Magistri.

Nam relatio debet definiri per suum formale, quod principaliter importat, & per duo addita, scilicet per fundamentum, & per terminum, & ista præcise ponuntur in definitione Metaphysica cuiuscunque relationis. Definitio autem Magistri proprijssime tangit, & includit prædicta. Cum enim sacramentum sit quædam relatio, debet in definitione eius, primo accipi suum formale, quod est signum, & quia sacramentum duplicem importat habitudinem, scilicet signi, & causæ, vtraque habitudo tangitur in definitione Magistri cum dicitur, vt eius similitudinem gerat, & causa existat. Tangit etiam Magister sufficienter duo addita, scilicet fundamentum, cum dicit visibilis forma, & terminum, cum dicit inuisibilis gratiæ. Quatuor ergo oportet ponere in congrua definitione sacramenti, duo quidem pertinentia ad formale, duo vero pertinentia ad addita, vnum ad fundamentum, & aliud ad terminum, quæ optime præstat Magister in sua definitione. Et ideo definitio ista Magistri est quidditatiua, & Metaphysica, quæ nihil aliud exprimit, quam quidditatem, & ea sine quibus non potest quidditas explicari.

Contra, si sacramentum est forma, aut est forma, quæ est altera pars compositi, sicut anima, aut est forma exemplaris, quæ repræsentat aliud, sed nullum istorum est dicendum, ergo &c. Minor patet: quia sacramentum non est pars gratiæ, nec gratia imitatur sacramentum.

Præterea multa sunt sacramenta, in quibus non sunt nisi verba, & illa non sunt visibilia; ergo sacramentum non est inuisibilis gratiæ visibilis forma. antecedens patet de sacramentis pœnitentiæ, & matrimonij, ergo male definitur per visibile.

Item nulla definitio est nugatoria, & vana, sed definitio, quam ponit Magister est vana, & nugatoria, ergo &c. Probatur minor, ait enim primo, quod est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ait secundo, quod est eius similitudinem gerens; sed forma, vt ibi accipitur, & similitudo idem sonant, ergo &c.

Deinde vnius rei vna est definitio, ex Aristot. 7. Met. t. c. 2. sed Magister, & alij Patres plures assignant definitiones sacramenti, ergo vel sacramentum non est vna res, vel illæ non sunt bonæ definitiones.

Ad primum dico, quod accipitur forma pro signo, sicut patet in explicatione definitionis Magistri.

Ad secundum dico, quod visibile accipitur pro sensibili: ratio autem quare in illa definitione ponitur visibile potius quam audibile, vel tangibile est, quia visus est præstantissima omnium potentiarum sensitiuarum: quia vt diximus ex Philosoph. maxime cognoscere facit, & multas differentias demonstrat, quod est intelligendum per se, vt patet in lib. de sensu, & sens. vbi dicit, quod auditus per accidens plus confert ad scientiam, de qua te vide Sco. q. 2. primi Met. & in Commentario eiusdem Scoti.

Ad tertium dico primo, quod non vane ponitur in definitione sacramenti, inuisibilis gratiæ, sunt enim multæ gratiæ visibiles, sicut gratiæ corporales, ponitur ergo inuisibilis gratiæ ad differentiam gratiæ corporalis. Dico secundo, quod non est definitio nugatoria per hoc, quod dicit, vt eius similitudinem gerat, & si primo dixerit forma: quia forma accipitur ibi pro fundamento, quod est ipsa res sensibilis, & similitudo accipitur pro formali habitudine signi.

Ad quartum nego consequentiam: quia sacramentum est æquiuocum siue analogum; atque ita cuilibet significato potest assignari sua definitio. Secundo dico, & melius, quod maior est vera de definitione totali, & adæquata, vnius enim rei, vna est totalis, & adæquata definitio, cæterum vnius rei possunt esse plures definitiones partiales, ex quibus vna totalis, & adæquata integratur, & talis est definitio Magistri, suppleta tamen, & explicata per definitionem Scoti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum definitio sacramenti tradita à Scoto sit conueniens, & bona.

HAec quæstio mouetur potissimum propter Dominicũ a Soto, & Gregorium de Valentia, qui definitionem sacramenti traditam à Scoto labefactare conantur. Vnde in hoc art. duo præstabimus: primo definitionem sacramenti assignatam à Scoto explicabimus, secundo instantias, & argumenta Soti, & Valentiæ contra eandem definitionem soluemus.

Quoad primum. Definitio Scoti est talis, sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum ex institutione diuina efficaciter significãs, ordinatum

ad

ad salutem hominis viatoris. Quæ sic explicatur, primo dicitur signum sensibile, siue sit visibile, siue audibile, siue tangibile. dicitur gratiam Dei significans: quia præter speciem, quam ingerit sensibus, significat gratiam tunc recipienti sacramentum exhiberi; additur vel effectum Dei gratuitum propter sacramentum Eucharistiæ, quod non significat gratiam inhærentem, non enim illa datur nisi quando hostia recipitur, sed significat gratuitum Dei effectum, id est, Christum Iesum, & eius sanctissimam passionem, iuxta illud Lucæ. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Significat ergo primum Sacramentum Eucharistiæ corpus Christi, verum sub speciebus contentum, qui est effectus gratuitus: quia ex gratuita Dei voluntate procedens, & dicitur effectus, non quod tunc de nouo fiat, siue esse accipiat, sed quia fit de nouo præsens illis speciebus per transubstantiationem panis in ipsum; hocque est opus gratię diuinæ, quod ille sub hoc sacramento nobis corpus, & sanguinem suum reliquit.

Vnde obser. est, quod differentia est inter Eucharistiam, quæ est sacramentum permanens habens suam significationem ante vsum; & cætera sacramenta, quæ essentialiter in vsu consistunt: nam hæc primo, & proxime significant, & conferunt gratiam, propter quã immediate sunt instituta. At vero sacramentum Eucharistiæ, quod est permanens, proxime, & immediate significat ipsum Christum: Nam ipse est panis, qui de cœlo descendit, quiq. per verba huius sacramenti immediate conficitur, & significatur: Verum qui repræsentatur per modum cibi, & consequenter cum ordine ad sanctificationem nostram, quam & confert, & expressius significat, quãdo ad vsum applicatur, iuxta illud, Qui manducat meam carnẽ viuet in æternum, & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. licet ergo omnibus sacramentis commune sit, vt significent gratiam, qua sanctificamur, propter quod omnia dicuntur esse signa demonstratiua gratiæ præsentis, scilicet, quantum in se est, nisi ex parte suscipientis adsit impedimentum: quia tamen Eucharistia hoc immediate, & proxime non significat: quia non antequam applicetur ad vsum. Ideo addidit Scotus in definitione, vel effectum eius gratuitum. & subdit, ex institutione diuina: vt excludantur signa pure naturalia: quia non natura (vt fumus ignem) ablutio, verbi gratia, exterius facta, ablutionem animę interiorem per gratiam à peccatis significaret, nisi Christus Dominus ita constituisset. Dicitur efficaciter significans, quod includit certitudinaliter, vt excludantur signa æquiuoca, siue dubia, vt sacrificia veteris legis, quæ quia gratiam non contulerant, quam significabant, saltem ex opere operato, non fuerunt sacramenta, excluduntur etiam imago Crucifixi, petra deserti; Agnus Paschalis, virga Aaron, serpẽs æneus, quia ex quo non contulerunt gratiam, vel effectum gratuitum non sunt sacramenta, licet essent sacrarum rerum repræsentatiua. Quod additur, ordinatum ad salutem hominis viatoris, finem institutionis sacramentorum ostendit, quoniam faciunt ad salutem hominum, qui per horum perceptionem hic gratiam, & illic gloriam consequuntur æternam.

Hæc definitio sic explicata, quæ omnibus alijs definitionibus, quas Doctores afferunt de sacramento, videtur esse perfectior, & quam Ioan. Echius hom. 4. de sacramentis seriose esplicat, quod sit vera sacramenti definitio probatur sic. *Ioã. Echius* Hæc definitio Scoti significat distinctè id, quod hoc nomen sacramentum significat cõfuse, ergo est bona definitio, probatur consequentia, eadem est ratio exprimens, quid dicitur per nomen, & vera definitio, vt patet ex Arist. 4. Meta. tex. cap. 28. ratio quam significat nomen est definitio; sed definitio Scoti exprimit distinctè id, quod confuse significat nomen sacrameotum, vt patet, ergo est bona definitio.

Præterea nomen imponitur ad significandum essentiam rei; ergo ratio seu definitio exprimens, quid dicatur per nomen distinctè exprimit conceptum essentiæ rei; sed ex vsu, & doctrina totius ecclesiæ, & scriptorum catholicorum hoc nomen sacramentum nihil aliud significat, quam quod in definitione Scoti explicatum est, ergo est bona, imò optima definitio, probatur minor: quia de ratione sacramenti est esse quandam cæremoniam sacram institutam à Deo in salutem hominum, per quam homines acquirunt salutem animæ, sed hæc omnia explicantur in ista definitione. Et confirmatur minor: quia hæc vox sacramentum, cum significet ad placitum, illam dicimus esse propriam illius significationem, qua vtuntur illi qui rectè loquuntur, & habent authoritatem, quemadmodum sunt D.D. Augustinus, Gregorius, Hugo, &c. & vniuersalis vsus ecclesiæ.

Item hæc Scoti definitio habet verum genus, & differentiam, & quædam addita, quæ semper in definitione relatiuorum ponuntur, ergo est bona definitio, consequentia patet ex his, quæ diximus in superiori art. & antecedens probatur: quia in hac definitione ponitur signum, quod est genus pertinens ad relationem; & ex institutione efficaciter significans, quæ est differentia: quia signum, quale est sacramentum, differt ab alijs signis incertis humana institutione institutis; similiter quia in definitione relatiui ponitur fundamentum, & correlatiuum, sic in hac nostra definitione sacramenti, quod est relatio rationis pro formali, ponitur sensibile pro fundamento, & gratia, vel effectus gratuitus pro correlatiuo, seu termino illius signi, quod est sacramentum; illud vero quod additur in definitione; ordinatum ad salutem hominis viatoris, est explicatio maior definitionis, vt intelligatur, quibus institutum est sacramẽtum.

Deinde in hac definitione Scoti ponuntur omnes causæ sacramenti, ergo est optima, & proprijssima definitio, quæ potest assignari: consequentia patet, quia ex hoc definitio exactissime, & distinctissime explicat definiti quidditatem, cum ipsa explicet per omnes suas causas. Antecedens probatur; Nam ponitur causa formalis in hoc quod dicitur signũ, quod est formale sacramenti; hoc autem quod dicitur efficaciter significans, est differentia specificans hanc relationẽ, quæ est signum; non enim sacramentum est qualecumque signum, sed signum efficax notans causalitatem aliquam respectu signati. causa vero materialis in qua, id est fundamentum, tangitur in hoc, quod dicitur sensibile; & causa efficiẽs in hoc, quod dicitur ex institutione diuina, in hoc quod dicitur gratiam Dei, &c. notatur terminus relationis, quam importat sacramentum, & in hoc, quod dicitur ordinatum ad salutem hominis viatoris tangitur causa finalis.

Demum definitiones sacramenti assignatæ à D. Augustino, Gregorio, Hugone, & Magistro, sunt bonæ & optimę definitiones; sed definitio assignata à Scoto est illis æquiualens, & fere eadem, ergo definitio Scoti est bona & rectè assignata. Consequentia est bona, & minor probatur. & quo ad definitionem D. Augustini, vt conueniat cum definito non nulla vel explicare, vel subintelligere necesse est, & in primis ipse D. Thomas. 3. p. q. 60. artic. 2. addit illam particulam, seu determinationem rei sacræ quatenus sanctificat *D. Thomas* homines: proprie, inquit, dicitur sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis, vt scilicet proprie dicatur sacramentum; vt intelligeremus non satis esse ad rationem sacramenti, vt significet quamcunque rem sacram, sed oportere, vt significet hominis sanctificationem, quæ fit per gratiam, & causas eius. Rursus subintelligẽdum est hoc signum tale esse debere, vt aliquam homini sanctificationem conferat, quod esse nequit nisi sit ex diuina institutione ad aliquam sanctificationem efficaciter conferendam, & veram animæ sanctificationem significandam, institutum, quæ omnia comprendit clarius, & explicatius definitio Scoti.

Quo ad definitionem D. Gregorij vel Isidori patet. Nam quod D. Gregorius vocat tegumentum rerum visibilium, Scotus appellat signum sensibile, & illud quod D. Greg. subdit, diuina virtus secretius salutem operatur, Scotus explicauit his verbis, ex institutione diuina efficaciter significãs.

Definitio autem Hugonis, & Magistri in verbis tantum differt à definitione Scoti, sed in re est eadem. Nam illud, quod Hugo vocat materiale elementum, & Magister visibilis forma, Scotus appellat signum sensibile; & illud quod Hugo dicit inuisibilem gratiam continens; & Magister, vt causa existat, idem est, quod dicit Scotus his verbis, efficaciter significans: ceteræ autem particulæ, quæ ponuntur in definitione Hugonis, non significant partes essentiales sacramenti, sed partes integrales, & tantum sunt positæ maioris claritatis gratia. Sicut qui præter animal rationale adderet in definitione hominis. bipes, erectum, habens duos oculos.

Quo ad secundum contra definitionem sacramenti allatã à Doct. nostro subinstat primo Ocham in 4. q. 1. & arguit cõtra primã particulam. *Ocham.* Quia de rõne sacramenti, inquit, non est, quod sit signum sensibile. Nam si Deus institueret aliquod spirituale, ad significandum efficaciter gratiam, puta meditationem dominicæ passionis, vel aliam cogitationem,

vel

Digitized by Google

vel actum interiorem, assistendo eidem ad producendū gratiam in anima meditantis, talis actus interior esset vere sacramentum, & tamen non esset signum sensibile. Et confirmatur: quia contritio est materia sacramenti pœnitentiæ, & non est sensibilis, & character Baptismi, confirmationis, vel ordinis est res spiritualis, & tamen est sacramentum. Christus etiam prout est in Eucharistia est ibi modo insensibili, & tamen est sacramentum, ergo &c. Propter hanc rationem Guilhelmus Ocham loco citato ponit aliam breuiorem definitionem sacramenti, quam etiam commendat Petrus de Aliaco. q. 1. 4. art. 3. quæ est, sacramentum est signum significans efficaciter effectum Dei gratuitum. & per effectum gratuitum intelligitur gratia gratum faciens accidentalis, vel gratia substantialis, quæ est corpus Christi.

Petrus de Aliaco.

Sotus. Valentia.

Secundo instat Dominicus Soto in 4 d. 1. q. 1. ar. 2. & post eum Gregorius de Valentia, Tomo 4. disp. 3. q. 1. puncto. 1. & primo sic. hæc definitio Scoti non conuertitur cum illa definitione, quæ sumitur ex D. August. lib. 10. de Ciuit. c. 5. videlicet sacramentum est sacræ rei signum: ergo hæc Scoti definitio non est bona.

D. August.

Secundo: cum Scotus definiat sacramentum per vim efficiendi gratiam, angustior est quam definitum: ergo non est bona, consequentia patet ex conditione bonæ definitionis, quæ debet conuerti cum definito. antecedens probatur: quia sacramenta veteris legis, quæ à præcipuis Doctoribus existimantur vera, & propria sacramenta gratiam non conferebant; ergo eis Scoti definitio non conuenit. assumptum patet cum ex D. Augustino, tum ex sacris Concilijs Tridentino, & Florentino, quæ ponunt discrimen inter sacramenta veteris, & nouæ legis ex eo: quod sacramenta nouæ legis conferunt ex opere operato gratiam, veteris autem legis sacramenta minime.

Concilium Florent. Concilium. Trident.

Tertio, altero vitio laborat hæc Scoti definitio, quod longior est, & aliqua continet, quæ resecanda sunt contra definiendi præceptum Arist. in Topicis, & Ciceronis in Rhetoricorum libris.

Quarto, definitio debet esse conceptio animi communis omnibus disputantibus, in qua non est aliquid ponendum, quod disputatione indigeat; at Scoti definitio (inquit Soto) plura disputanda in se continet, ergo non est bona definitio.

Vltimo arguit Sotus contra id, quod dicit Doct. sub. f. qđ sacramentum pro formali est in genere relationis. Contra inquit Sotus: quia Arist. 5. Meta. ponit tantum decem prædicamenta entium realium, sacramētum autem pro formali non censetur ens reale, sed rationis, ergo non spectat ad prędicamentum relationis. hæc sunt quæ adducit Sotus contra Doct. sub. quibus definitionem sacramenti ab Scoto traditam labefactare molitur, sed frustra.

Vnde ad argumenta Ocham posset dici quod definitio sacramenti datur, prout sacramenta sunt à Christo Domino instituta, & non secundum quod possunt institui, si autem signum spirituale institueretur à Deo ad significandum effectum gratuitum non esset sacramentum: quia licet non habeatur ex deriuatione nominis & primaria impositione; quod sacramentum sit signum sensibile; habetur tamen ex vsu loquentium, qui habet vicem impositionis, maxime quia nomina sunt ad placitum; Nam sacramenta vocamus quædam signa hominibus accomodata, vt eis vti possint ad colendum Deum anima, & corpore, atq; adeo sub hac consideratione necesse est sacramentum esse rem aliquam, seu cæremoniam sensibilem.

Tria sunt in sacramentis nouæ legis

Ad confirmationē dico, quod tria distinguuntur à Theologis in sacramentis nouæ legis: res tantum, sacramentum tantum; res & sacramentum simul; res tantum dicitur quæ significatur, & non significat, & hæc esse potest omnino insensibilis, vt gratia. Sacramentum tantum dicitur, quod significat, & non significatur, & hoc est necesse esse sensibile. Res & sacramentum simul dicitur id, quod & significat, & significatur; & huiusmodi sunt omnia illa: quæ in argumento numerantur, & quidem quatenus res significatæ sunt, nihil obstat quod sint res insensibiles: quia per sensibiles significantur, vt character per ablutionem, vel vnctionem; contritio per confessionem; Christus per species panis, & vini: quatenus vero hæc sacramenta dicuntur, oportet vt aliquo modo significent, atq; adeo vt fiant sensibiles saltem per aliud: atq; hoc modo res per se insensibilis, pōt esse aut pars sacramenti, aut res & sacramentum simul, quatenus vt coniuncta signo sensibili aliquo modo manifestatur: atque hoc modo interior contritio, sensibilis quodammodo fit per exteriora signa doloris, & compunctionis; & Christus videri dicitur per species panis & vini, & quia videtur per modū cibi, ideo refectionem animæ significat & sic de alijs; quo fit vt in toto sacramento semper requiritur aliquod signum sensibile per se, ratione cuius totum sacramentum per se, & absolute sensibile sit. Quamuis ad illius constitutionem aliquid spirituale internum possit cōcurrere, quod non per se, sed per aliud sentiatur; sicut homo absolute, & per se sensibilis est, quamuis simul cum corpore anima constet, quæ spiritualis est, atq; adeo per se insensibilis; licet per actiones corporis se se prodat, & aliquo modo sentiri faciat.

Aliter potest dici, quod nec contritio, nec corpus Christi, nec character est sacramentum: non solum quia non est signum sensibile: sed quia non est signum efficax sui signati; non enim comitatur signatum corpus, s. Christi mysticum, corpus Christi verum, neq; in suscipiente sacramentū, neq; in sacramento. Tum etiam, quia signatum non est effectus Dei gratuitus, eo modo quo accipitur in definitione: quia nec gratia gratum faciens, nec gratia substantialis. Tū quia ad hoc significandum non sunt instituta à Deo. Sic de charactere, qui non est institutus ad significandum gratiam, sed ad distinguendum & configurandum, vt infra dicetur. & quando Magister dicit. 8. dist. 4. q̄ corpus Christi est sacramentum & res. Dico, quod sumit sacramentum, sufe pro signo sacrę rei, & non proprie. De contritione autem dicimus esse partem materiæ sacramenti pœnitentiæ, & quomodo sit sensibilis dictum est.

Ad argumenta Soti respondeo, & ad primum dico cum Magistro sent. hac dist. quod ibi loquitur B. Augustinus de sacramento improprie dicto cuiusmodi erant sacrificia veteris legis, & quod hæc sit mens D. August. ex eo patet, quod ibi dicit sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacramentum est: vbi sacrificium vocat sacramentum: quæ tamen secundū proprias rationes sunt diuersa, atq; adeo loquitur de sacramento improprie dicto, & ideo vt recte monet Hugo loco citato. Qui primus dixit sacramentum esse rei sacræ signū, non tam rem ipsam accurate definire, quam nominis interpretationem explicare voluisse videtur. Idem dicit Alex. de Ales. p. 4 q. 1. m. 1.

Hugo.

Ale. d Ales.

Quocirca valde miror, quod Thomistæ pro hac definitione defendenda nimium laborent, præsertim cūm S. August. loco citato, de sacramento loquatur tam ampla significatione, vt etiam sacrificium comprehendat.

Ad secundum nego antecedens. Nam definitio Scoti competit sacramento in genere proprie sumpto in quacunque lege reperiatur; si vero sumatur sacramentum analogice, siue æquiuocè nulla sibi competit definitio adæquata: sic enim prius est diuidendum, quam definiendum. Pro solutione tamen probationis obseruandum est, quod sacramentum est quædam cæremonia sacra ad cultum latriæ, id est, ad reuerentiam, & honorem Dei pertinens, instituta ab ipso Deo in salutem spiritualem hominum, & in hoc omnes Doctores conueniunt. tamen vtrum ad naturam sacramenti sufficiat, quod hæc cæremonia sit indicatiua salutis spiritualis, vel requiratur etiam, quod ipsam salutem actualiter conferat; in hoc est diuersitas opinionum. Nam S. Thom. (iuxta sententiam Soti) dicit sufficere quod hæc cæremonia sit indicatiua salutis, quæ tunc confertur, vel aliquando conferenda est, licet actualiter non conferatur. Scotus vero dicit, quod vtrumque requiritur. Vnde D. Thomas, & Scotus in duobus conueniunt, primo vterque dicit, quod illa sunt sacramenta, quibus præsentibus confertur gratia. Secundo, quod illa signa, quæ non significant gratiam præsentem, aut futuram non sunt sacramenta. Differunt tamen quia secundum D. Thomam, omnes cæremoniæ veteris legis in quibus vel dabatur gratia, vt circuncisio, vel danda significabatur per Christum, vt Agnus paschalis, &c erant sacramenta proprie. Cæterum secundum opinionem Scoti, solum illa sunt sacramenta proprie, quæ conferunt gratiam recipientibus; ex quo sequitur, quod omnia sacramenta nouæ legis, atque etiam circumcisio, & ante circumcisionem, quod in lege naturæ correspondebat: circumcisioni ad delendum originale peccatum, sunt sacramenta proprie: quia conferunt gratiam suscipientibus; reliquæ autem cæremoniæ, & sacrificia legis veteris, non erant sacramenta: quia

D. Thoma.

Scotus.

gratiam non conferebant. Et hanc Scoti opinionem tenent D. Bonauentura in 4. d. 1. art. 1. q. 5. & Gabriel, & etiam Magister Canus in relectione de sacramentis, si attentius legatur.

D. Bonauent. Gabriel. Cano.

Secundo obijcienda est quædam Soti doctrina hac d. q. 1. artic. 2. vbi dicit, quod ad rationem sacramenti duo pertinent. primo quòd sint medicinæ, quibus Deus medetur infirmitatibus animarum. secundo sunt etiam ceremonia religionis Christianæ, quas Deus instituit, vt per illas profiteremur salutem, quam Deus operatur in nobis. ex quo sequitur (inquit ille) quod præcipuum munus, & substantia sacramentorum est, esse signa gratiæ non autem vt sint causæ. & ideo sufficienter definitur sacramentum, cum dicitur, sacramentum est signum rei sacræ.

Cæterum hæc doctrina Soti non videtur vndequaq; vera: Nam licet verum sit, quod in sacramentis colitur Deus, & verum sit etiam, quod ibi profitemur Deum esse authorem nostræ salutis, formaliter tamē loquendo aliud importat sacramentum, quam confiteri, quod Deus est author salutis nostræ: Nam confiteri, quod Deus est author salutis nostræ formaliter loquendo, nihil aliud est, quam quædam confessio fidei. Sacramentum autem aliquid aliud est: quia si tantum esset confessio fidei, quælibet confessio fidei esset sacramentum, atq; etiam sacrificium esset sacramentū, quod est falsum. Est ergo sacramentum remedium quoddam, & medicina, in quibus, vt patet, importatur efficientia respectu salutis; & inde natura sacramenti non explicatur nisi in definitione illius ostendamus esse causam gratiæ, vt fit in definitione Scoti.

Præterea in veteri testamento raro dicuntur sacramenta significare, frequentissime autem dicuntur consecrare, & sanctificare, seu initiare, vt patet Exodi 28. & Leuit. 8. In testamento autem nouo baptismus dicitur lauacrum regenerationis ad Titum. 3. & certe regenerare magis efficere, quam significare est. Item significare gratiam alijs dandam, non est sacramenti, vt sacramentum est, sed vt figura, & typus rei futuræ. Nam sacramentum, vt sacramentum, dicit ordinem ad eum, qui sacramento initiatur, non ad alios, vt etiam docet D. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. & q. 102. artic. 5. Figura autem dicit ordinem ad futura. Et confirmatur: quia significare gratiam dandam alijs, non erat proprium sacramentis veteribus, sed etiam sacrificijs, & alijs obseruantijs Hebræorum, vt D. August. demonstrat lib. 19. contra Faustum capit. 8. 9. & 10. Nec solum illa, sed etiam serpens æneus significabat curationem à peccatis, quam Christus allaturus erat, Ioann. 3. Manna dulcedinem Eucharistiæ, & Transitus maris rubri salutem per baptismum, 1. Corin. 10. & tamen nec serpens ille, nec manna, nec area sacramentum erant testamenti veteris, aut noui. Solum ergo ea sunt propriè sacramenta, quæ significabant rem sacram sanctificantem hominem suscipientem recte ipsum sacramentum, quę in ipsa praxi, & vsu sacramenti, homini sacramentum recte suscipienti conferebatur, vt recte notant Melchior Canus in relectione de sacramentis. parte quinta sub finem, & Vuilhelmus Alanus in libro de sacramentis, c. 8. & 10. Falsum est ergo, quod definitio Scoti non competat omnibus sacramentis, quæ sunt proprie sacramenta.

D. Thomas.

D. August.

Ad tertium respondeo, quòd Cicero tamē aduertit ibi, quod à definitione resecentur superflua, quibus pro ornanda oratione vacare assolent oratores. Aduertere potius debuisset Sotus, quod Philosophum, & Theologum decebat ad Aristotelis sententiam. 8. Met. c. 5. asserentis, quod definitio est ratio longa, qua oportet exprimere quid & quale: debet enim explicare distinctè, & explicite, quod definitū importat confuse, & implicite. definitionem quam Sotus assignat sacramento proprie sumpto tot glosulis, & additionib. resarcitam, si quis perspiciat, iudicabit quidem damnabitq. potius illam in artificiose definitam, quam Scotum in definitione sacramenti tradēda; quæ reliquis omnibus exactior certe est. Nam si glosulas Soti addamus ad illam definitionem sacræ rei signum, non erit minus longa, sed profectò longior definitione Scoti; quæ est etiam interpretatio alterius definitionis Magistri, scilicet sacramentum est inuisibilis gratię visibilis forma, vt ipse Scotus dicit. Definitio namque cum Soti, & Valentiæ glosulis est talis: Sacramentum est signum sensibile institutum, practicum, rei signatæ, id est, gratia iustificantis similitudinem gerens. Quam quis non videt longiorem esse, aut saltem non minus longam Scoti definitione?

Ad quartum dico, quod ex vsu Ecclesiæ & Doctorum id significatur per sacramentum: nec; aliud communiter concipiunt de illo disputantes, quam illud, quod de illo definiuit Scotus: Nam ex vsu communi loquendi ecclesiæ, nullus vocat sacramentum proprie loquendo, nisi illud in quo confertur gratia. Adde quod communiter concipitur hominem esse animal rationale, & tamen id sub disputatione potest venire, sicuti & pleraque alia, quæ communiter disputantes concipiunt, præterquam quod nullus vnquam catholicorū dubitauit sacramenta conferre gratiam, sed dubitatio est de modo, qui in definitione non explicatur.

Ad vltimum dico primo, quod res non ponitur in prædicamento ratione materialis significati, sed ratione formalis: quia imago ponitur in quarta specie qualitatis, & tamen pro materiali est substantia, scilicet, ferrum, vel lignum, vel aliquid simile. Dico secundo, quod sacramentum pro formali dicit relationem ad gratiam, quam significat. hæc tamē relatio non est realis, sed rationis: quia fit per actum voluntatis diuinæ imponentis aquam, v. g. & verba baptismi ad significādum gratiam; pro materiali autem est aliquid reale, vt patet. Dico tertio, quod certum est secundum D. Thomam, & Scotum quod sacramentum ponitur in genere signi; Verum an hoc genus signi sit collocandum in genere relationis, vel sit aliud genus generalissimū, quod non connumeretur inter 10. prædicamenta, dubium videtur. & quidem Sotus art. 1. dicit, quod non continetur in 10. prædicamentis. Scotus vero in hac q. sub. litt. m. §. Qualiter autem hoc possit esse, &c. videtur dicere, quod pertinet ad prædicamentum relationis. Ideo pro huius dubij solutione dico quarto, quòd signum est duplex, scilicet naturale & ad placitum, exemplum primi, vt fumus, exemplum secundi, vt ramus tabernæ, & est discrimen inter illa: quia signum naturale dicit relationem realem ad signatum, & est in prædicamento relationis realis. Signum vero ad placitum, quale est sacramentum, non dicit nisi relationem rationis.

His suppositis dico, quod presse loquendo sacramentum non ponitur in prædicamento relationis, cum sit ens rōnis, & decem predicamenta sint genera entium realium, vt docet Arist. 5. Meta. Nam ens, quod diuiditur in 10 prædicamenta, est ens reale, non rationis, atq; adeo strictè loquendo sacramentum non ponitur in aliquo 10 prædicamentorum. Nihilominus propter similitudinem, quam habet cum prædicamento relationis potest ad illud reduci, & hoc est quod vult Scotus quod quidem est rationabilius, quam aliud genus generalissimum fingere cum Soto; sed de hoc diximus diffusius in explicatione q. 4. Vniuersalium Doctoris nostri subtilis.

QVÆSTIO III.

Vtrum pro tempore cuiuscunque legis à Deo datæ debuerit institui aliquod sacramentum.

HÆc quæstio spectare videtur ad quæstionem si est; atq; ideo videtur ordo præposterus, non tamen sine necessitate commutatus; Nam antequam sacramenta esse ostendatur, necesse fuit exacte intelligere, quid nomine sacramenti significetur, cæterum significatio huius vocis tam est coniuncta cum proprietate, & essentia ipsius rei, vt sine ipsius cognitione non possit intelligi, & ab omni alia, æquiuoca vel analoga significatione separari. Cum ergo in præcedenti q. art. De ēt, sub. genti de quidditate sacramenti, ante quæstionem an sit propter rationē dictam, consequenter tractat, de sacramentorum institutione, antequā ad effectus, vel causas sacramentorum accedat: Nam sacramenta habent suum esse ex institutione, atque adeo idē est quærere an sacramenta sint, & an facta sit eorum institutio. Et quoniam Deus, qui solus est sacramētorum institutor, vt videbimus in hac quæstione, nihil nisi ex certa ratione, necessitate, vel vtilitate operatur, ideo inuestigando sacramētorum institutionē, necessario inquirendum est: quæ fuerit causa, vel necessitas illa instituendi, hæc ergo tria simul tractanda sunt, vnde simul explicabitur finalis causa sacramentorum, quæ est eorum vtilitas vel necessitas; hæc enim duo idem in hac materia significant, vt docet Scotus in hac q.

Pro cuius rei explicatione obseruandum est primo, quod tres possunt distingui hominum status. primus naturæ perfectissimæ, qui est in beatitudine, de qua Boetius 3. de cōsolatione dicit,

Tres sunt hois status. Boetius.

quod

quod est status omnium bonorum aggregatione perfectus. secundus est naturæ integræ non dum a perfectione suæ cōditionis lapsæ, qui dicitur status innocentiæ. Hic fuit status hominis in paradiso. Tertius est status naturæ lapsæ seu corruptæ per peccatum. s. primi hominis. Primus erit hominis status in patria. Secundus fuit in paradiso, hoc est, sub præcepti obedientia. Tertius est hominis de præsentis exilij miseria, & hic status hominis lapsi subdiuiditur secundum triplicem legem: est enim status hominis lapsi sub lege naturæ: sub lege scripta Moysi, & sub lege veritatis & gratiæ. quæ est lex Christi, iuxta illud Ioan. 1. Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

Sacramenta sunt medicina. Secundo obser. est. quod Sacramenta sunt quædam medicinæ homini lapso traditæ, aut curatiuæ, vt baptismus, pœnitentia, & extrema vnctio; aut præseruatiuæ, vt confirmatio, Eucharistiā, ordo, & matrimonium. Vnde & Hugo ait *Hugo.* lib. 1. de Sacramen. par. 9. c. 4. Ipsa medicina ipsa sunt sacramenta, & ca. 3. appellat ea vasa medicinalia, inde ait: Deus Medicus, homo ægrotus, sacerdos minister, vel nuntius, gratia antidotum vas sacramentum. Medicus donat, minister dispensat, vas seruat, quæ sanat percipientem ægrotum gratiam spiritualem. & Magister, contra peccati originalis, & actualis vulnera sacramentorum remedia Deus instituit.

Institutio duplex. Alexan. de Ales. Tertio obser. est, secundum Alex. de Ales. p. 4. q. 1. n. 3. ar. 1. quod duplex est institutio siue modus instituendi: vna obligatione præceptoria: sicut instituta sunt sacramenta baptismi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c. & Circumcisionis similiter Gen. 17. Masculus cuius prępurij caro circumcisa &c. Alia secreta eruditione consilij diuini. Vnde Hu- *Hugo.* go lib. 1. p. 11. c. 4. Deus hominem a principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit, & hoc modo instituta erant Sacramenta legis naturæ. primus modus dicitur proprie institutio, secundus communiter.

Necessitas duplex præcepti, & medij. Tertio obser. est, quod duplex est necessitas. Vna dr̃ necessitas præcepti. Altera necessitas medij: & quamquam interdū hę duæ necessitates coniunctæ sint: Nam hoc ipso ꝙ aliquid est mediū ad salutē necessariū, simul ēt est pręceptum naturale; tn̄ hoc interest, quod cū quis, ex ignorantia inuincibili, aut alia iusta de causa non implet pręceptum, is nihil detrimenti accipit, at si quis non accipiat mediū necessariū, is magnū detrimentū capit, quia nō assequitur finē, licet ex ignorantia inuincibili id ei accidat v. g. Sacramentū confirmationis est pręceptū, sed non mediū ad salutē simpliciter necessarium; ideo qui negligit accipere eiusmodi sacramentum peccat, sed si ex legitima causa non accipiat, nec peccat, nec impeditur a salute: Quia vero Baptismus in re, vel in voto est pręceptū & medium, ideo qui non baptizatur, aut certe non desiderat Baptismum, non saluatur, licet ex ignorantia, vel impotentia id accidat.

Necessitas medij est duplex. Quarto obser. est, quod duplex est medij necessitas, vna est necessitas simpliciter, quomodo alę necessarię sunt ad volandū, vel cibus ad viuendū. Altera est necessitas ad bene esse, quomodo equus necessarius est ad iter faciendum. Et vtraq; necessitas aut est absoluta, & naturalis, vt in exemplis positis, aut ex institutione, & arbitratu alterius: quomodo in ludis attingere metā est medium necessarium ad brauium, aut est partim ex institutione, partim ex naturali congruentia, vt cum Imperator concedit militibus Vrbem aliquam diripiendam, si eam vi cęperint.

Ex his satis perspicuus est titulus quęstionis, & in sequētibus explicabitur magis, diuidit autem Scotus hanc quæstionem in quatuor articulos; Nos autem pro abundantiori doctrina, et eius faciliori explicatione diuidimus in septem articulos.

Primus Artic. Vtrum fuerit necessarium generi humano Sacramenta institui.

Secundus Art. Vtrum congruum fuit Sacramenta institui insignis sensibilibus.

Tertius Art. Vtrum Sacramenta a solo Deo sint instituta.

Quartus Art. Vtrum facultas instituendi Sacramenta possit creaturæ communicari.

Quintus Artic. Vtrum in statu innocentiæ fuerit congruum institui Sacramenta proprie dicta effectiua gratiæ, & remedia quibus remittuntur peccata.

Sextus Art. Vtrum, in statu innocentiæ congruum fuerit sacramenta institui, ut sunt quædam cæremoniæ sacræ, in quibus profitemur Deum creatorem, et remuneratorem nostrum.

Septimus Art. Vtrum pro uarietate temporis, & status cuiuscunque legis congruum fuerit extitisse uaria sacramenta atque diuersa.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit necessarium generi humano Sacramenta institui.

De hac re tractant Alex. de Ales 4. p. q. 1. in 2. art. 2. D. Thomas. 3. p. q. 61. art. 1. D. Bonauent. in 4. d. 1. q. 1 ar. 1 Richar. hac d. ar. 2. q. 2. & 3. Durādus. & Gab. q. 2. Scotus. q. 1. ar. 1. Canus in relectione de sacramentis in genere, & cęteri Scholastici hac d. Pro cuius explicatione obser. est i hoc art. non esse sermonem de necessitate Sacramenti post factā institutionem, hęc enim non est generalis, nec eiusdem rationis in omnibus Sacramentis, sed in unoquoq; talis erit, qualis fuerit eius institutio, sed est sermo de necessitate ipsius institutionis. *Alex. de Ales. D. Thomas D. Bonauē. Ricardus Durandus. Gabriel. Scotus. Canus.*

Secundo obser. est, quod non quærimus in hoc art. de necessitate institutionis Sacramentorum abstrahendo a determinato aliquo tempore, sed pro tempore post peccatum, id est, an in statu naturæ lapsæ pro vt hic status abstrahit a statu legis naturæ, Moysis, & Euangelij necessarium fuerit sacramenta institui.

Tertio obser. est, non esse sermonem in hoc art. de necessitate simpliciter, sed ad melius esse. Necessarium namq; vt patet 5. Met. inter alias acceptiones bifariam sumitur, vno modo necessarium est id sine quo finis neutiquā obtinetur, vt victus ad vitam. Altero modo sine quo commode & cōgrue ad ipsum non peruenitur, vt equus ad longū perstandum iter. Priori autem modo nulli dubium esse potest Sacramentorum institutionem haud esse necessariam: Non. n. ambigimus quin Deus, cuius potestas nulli alligatur creaturę absq; Sacramentis potuisset salutem hominum operari, sicuti Magdalenę, & multis crimina absq; Sacramento condonauit. Quod ergo inquiritur est, an hic modus fuerit conuenientior, & homini magis accomodatus.

His obseruatis, D. Thomas loco supra citato huic quæstioni vnica conclusione affirmatiua respondet, quod sacramenta sunt necessaria ad hominū salutem, quod vtiq; intelligēdum est, vt ibi explicat Caietanus, non de necessitate simpliciter, quemadmodū cibus est necessarius ad humanā sustentationē, sed de necessitate secundū quid, eo modo, quo aliquod dr̃ necessarium ad aliquē finem consequendū, quia sine eo commode non potest finis adipisci, veluti equus necessarius est ad longū iter peragendum. Nam Deus virtutē suam Sacramentis non alligauit, ita ut absolute loquēdo saluare hominē non posset citra opem sacramentorū; siquidē id ipsum in sua tantummodo voluntate, & beneplacito consistit. Vnde inquit D. Aug. Voluntas Dei est prima est summa causa omnium corporalium specierum, atq; motionum lib. 3. de Trin. c. 4. Cuius rei si testimonia ex sacris scripturis requirantur, magnus testis esse pōt latro ille pēdens in cruce, cui dominus Paradisū promisit sine vllo prævio Sacramento tn̄ super fide quam habebat. Testes etiam sint Innocentes pueri ab Herode ante Circumcisionem occisi, qui sine vllo Sacramento sunt saluati. *D. Thomas Caietanus. D. Augusti.*

Hinc in vniuersū concludūt Doctores, quod si quis, vel impeditus, vel subito sit pręuentus quominus percipiat sacramenta, ei tn̄ gratiam suam non abneget Deus, vt ait D. August li. 32. de Ciui. Dei. c. 7. Quicunq; non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tn̄ eis valet ad dimittendū peccata, quantū si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Et rursus in alio loco Baptismi vicem aliquando adimplere passionē de latrone illo, cui non baptizato dictū est. Hodie mecū eris in Paradiso, B. Cyprianus non leue documentum assumit. Quare patet sacramentorum institutionem non esse hominibus simpliciter ad salutem necessariam.

Scotus. Prima Conclusio. Doctor vero subt. duplici conclusione ad quæstionem respondet. Prima Conclusio. Sacramentum necessario institui debere, non potest a priori, neque a posteriori demonstrari. Probatur quod non a priori, id est, respectu causę efficientis seu instituentis Sacramentum, quia causa efficiens &

instituens sacramentum est solus Deus; sed Deus nihil ad extra necessario facit, ergo non potest probari à priori necessarium fuisse aliquod sacramentum institui. Secūdo probatur quòd neque à posteriori possit probari, id est, ex parte finis: quia gratia est effectus inuisibilis, quam Deus potest præstare cuilibet sine aliquo sacramento, Deus enim non alligauit potentiam suam sacramentis, vt dicunt Theologi, & habetur in littera Magistri, ergo non potest probari à posteriori, atque adeo sequitur, quod non fuit necessarium institui sacramenta: potest enim Deus facere sine sacramentis, quod cum illis facit: immo vt notat Gabriel, Deus homini beatitudinem sine sacramentis conferre potest; sicut Angelum sine præuijs sacramentis beatificat; similiter & hominem si in statu innocente perstitisset, nullis præcedentibus sacramentis beatificasset: immo de facto quosdam saluat sine sacramentis, eos scilicet, qui propter defectum ministri, sacramentis, quæ desiderant vti non possunt, vt patet de baptizatis baptismo sanguinis, vel flaminis, neque hæc Theologia derdicula est, vt ridicule profectò dicit Sotus, hac d. q. 2. art. 1.

Gabriel.

2 Conclus. Secunda Conclusio. congruum, & commodum fuit pro hominum salute sacramenta institui. Probatur: sacramenta sunt medicinæ speciales, quæ foris adhibentur per speciem uisibilem, quæ intus animam sanant per inuisibilem virtutem, sed post lapsum necessaria est morbo medicina; ergo post lapsum necessaria sunt sacramenta, præterea homo peccat per superbiam; sed remedium contra superbiam est debita humiliatio & deuota; debita autem humiliatio, & deuota est, quando homo subdit se visibilibus sacramētis propter Deum, necessarium ergo fuit dare ad remedium superbiæ, quod essent sacramenta, in quibus homo se deuote Deo humiliaret.

Item homo per peccatum recesserat à Deo, & signum receperat Diaboli; & ad Ciuitatem Babylonis pertinebat, ad hoc ergo quod redeat ad reconciliationem cū Deo necessaria fuit gratia, ergo necessarium fuit gratiæ signum, per quod discerneretur vtrum ad Ciuitatem Hierusalem, siue ad Ciuitatem Dei, & ad militiam Dei pertineret: sicut per signa militaria cognoscitur quis de cuius domini militia sit; sacramenta autem sunt signa militiæ Christi; ergo necessaria fuerunt redeunti ad Deum, & pertinenti ad vnitatem Ciuitatis Hierusalem.

Contra hanc secundam Conclusionem arguitur: si sacramēta post lapsum erant necessaria, aut erant necessaria propter rationem significationis, aut propter rationem causalitatis, sed neutro modo erant necessaria, ergo &c. Maior patet ex diffinitione sacramenti allata à Magistro; sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ita vt eius similitudinē gerat, & causa existat. Probatur minor, & primo quod non erant necessaria ratione significationis: quia pari ratione sacramenta paganorum dicerentur necessaria: Nam & ipsi quædam sacramenta habebant, (vt erant enim sacrificijs sicut Hebræi, & si illa Hebræorum ratione similitudinis significabant, & hæc poterant significare. Cum ergo sacramē ta paganorum non fuerint necessaria, licet significare possent, nec sacramenta Hebræorum dicebantur, vel debebant dici necessaria, licet significare possent.

Quod non ratione causalitatis, patet, quia alias sacramenta veteris legis non essent necessaria, quæ non dicuntur efficere quæ figurant; vel sacramenta temporis legis naturæ, vt sacrificium, decimatio, & huiusmodi, ob eamdem rationem.

Scotus. Respondeo, quod sacramēta Hebræorum instituta erant à Domino ad significandum. Nam (vt inquit Scotus in vltima quæst. huius dist. in responsione ad secundum principale) expresse habetur ex scriptura, quod pro tempore legis naturæ placuerunt Deo sacrificia, quod non esset nisi à Deo fuissent instituta; imò reputatentur fatui, & præsumptuosi, si talia sine diuino præcepto, vel inspiratione fecissent, sacramenta autem legis Moysi planum est, quod fuerunt à Deo instituta; sacramenta vero Paganorum non; & ideo illa fuerunt necessaria, & non ista. Vnde vt dicit D. August. contra

D. August. Faustum, inter sacramenta Hebræorum, & Paganorum est differentia sicut inter vnitonem errantem, & præfigurationem pranunciantem, quod enim Hebræi vtebantur sacramentis, hoc fuit ad præfigurationem veritatis futuræ in Christo, & ecclesia; quod autē vtebātur Pagani non fuit nisi in signum superstitionis, vt in eis appareret religio, per quā homines seducerentur, & ponit simile tale. Non est detestāda virginitas sanctimonialium: quia & Vestalia virgines fuerunt, ideo nec reprehendenda sunt sacrificia Patrum: quia & sunt sacrificia gentium.

Ad aliud dico, quod esto quòd sacramenta legis naturæ, vel veteris legis non haberent per se causalitatem gratiæ, tamen nō erant inpertinentia: signa enim erant ductiua ad gratiam per Christum suo tempore conferendam, & tantū inualuit fides, vel per se, vel cum sacrificijs, & circumcisione ad dimissionem originalis peccati, sicut dicit D. Greg. Quantū apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt sacramentum circumcisionis, præterquam quod sacramenta legis naturæ, & legis Moysi proprie dicta habebant causalitatem respectu gratiæ conferendæ, vt videbimus 6. & vltima q. huius dist.

Secundo arguitur. Ipsa collatio gratiæ immediate sit à Deo, per quam fit reparatio & à culpa, & à pœna ergo non sunt necessaria sacramenta tanquam causæ mediæ in causando, ergo in statu naturæ lapsæ non fuerunt necessaria sacramenta, quæ dicūtur, vel rōne significationis, vel causalitatis.

Respondeo, quod licèt Deus sine aliquo medio confert sanctificationē gratiæ, nihilominus sacramenta sunt, & fuerunt necessaria ad susceptionem gratiæ, vt disponantur ad gratiam, qui subijciuntur, vel qui se subijciunt sacramentis: non quia non posset Deus dare gratiam sine illis. Vnde Hugo lib. 1. de sacramentis, par. 5. c. 5. In illo spiritu quo docet hominem sine verbo, iustificare etiam valet sine sacramentis: quia virtus Dei sine necessitate elementis non subditur, etiam si gratia Dei ex dispensatione per sacramenta donetur. Vnde contingit, quod vbi est articulus necessitatis, & non est contemptus sacramenti, ipsa gratia datur sine sacramentis. Similiter in quibusdam ex prælectione diuina, sicut contingit in sanctificatis in vtero, & dicit Hugo ibidem. Nullus in elementis sic legem diuinæ institutæ constituat, vt dicat, hominem non iustificari posse sine his, cum his percipiendis, vel articulus necessitatis excludit, vel (sicut diximus) ad hæc percipienda ratio temporis non constringit. Hugo.

Arguitur tertio. Plus sanctificatio, cōsulit, inquit Hugo, quam creatio, quoniam in creatione acceperunt naturam vt essent, in sanctificatione gratiam vt bona, & sancta essent, ex hoc verbo patet, quod maius est sanctificare, quā creare, cū ergo in opere creationis, sit Dñs tota causa, & in opere sanctificationis similiter debet esse, ergo non per sacramenta.

Respondeo, quod posset vtiq. Deus sine sacramentis sanctificare. Cæterum vt sanctificet per sacramenta maxime cōgruit tūæ iustitiæ, & misericordiæ. In sanctificatione enim sacramentali ostenditur plenitudo diuinæ misericordiæ, & dispensatio diuinæ iustitiæ, p imum est in tollendo culpam, & in remissione pœnæ æternæ, secundū est in subijciendo peccatorem pœnæ, & maxime in subijciendo creaturæ inferiori se, cui adhærendo peccauit. Alia ratio est vtilitas ex parte recipientis, quæ est multiplex, scilicet humiliatio, eruditio, & exercitatio, sicut dicit Hugo lib. 1. pat. 5. c. 3. & Magister in 4. d. 1. Nec est simile de creatione, quæ producit res in esse ex nihilo, propter quod requirit infinita potentia nulla obstante causa prædicta, neque ordine rerum. Hugo. Magister.

Secundo arguitur, sacramenta arctant viam salutis; liberior enim, & amplior esset via si sola gratia, vel fide fieret purgatio, ergo cum Deus sit summe bonus, & liberalis, ab ipso debet via amplissima indulgeri.

Respondeo, quod hanc arctationem requirit diuina bonitas. Nam diuina bonitas duo respicit, scilicet misericordiā, & iustitiam: hac autem libertas, qua homo purgaretur sola gratia, derogaret diuinæ iustitiæ, & vtilitati recipientis, vt ex dictis patet.

Præterea quinto, si aliqua esset necessitas sacramentorū, aut pro statu naturæ integræ, aut pro statu naturæ lapsæ, sed pro nullo istorum, ergo &c. probatur minor; Non pro statu naturæ integræ: quia tunc non esset morbus, ergo non erat opus sacramentis, quæ sunt medicinæ, nec pro statu naturæ lapsæ: quia debiliores sunt vires animæ post peccatum, quā ante, ergo debuit illi imponi minus oneris, q ante peccatum fuerat impositū, sed ante peccatum nō erant onera sacramētorum, vt probatum est, ergo nec postea debuerunt institui.

Respondeo, q pro statu naturæ lapsæ sunt congruēter instituta sacramenta, & cū dicitur q sacramēta sunt onera, distinguo: duplex est onus, s. onerans, & onus alleuiās: exēplū primi, vt plūbū, vel terrā, quod imponitur humeris. exēplū secun-

secundi, vt pennæ auium, & currus equorum, licet n. pennæ sint onus auibus nihilominus alleuiant; quia sine illis non volaret auis, & facilius onera aggrauantia curribus ferunt equi, & maiora, quam sine curribus, quamuis & currus sint onera; huiusmodi onera sunt sacramenta: quia conferunt nobis gratiam, qua adiuti iugum Christi suaue, & eius onus leue nobis redditur.

Demum pro salute consequenda sufficit obseruatio mandatorum, iuxta verbi Christi: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. ergo cætera superfluunt sacramenta.

Nego consequentiam; quia mandata non adimplentur, si sacramenta reijciuntur: quia inter mandata diuina sunt etiā præcepta sacramentorum. Sed contra 2. Corint. 12. dixit Dominus Diuo Paulo: Sufficit tibi gratia mea, ergo vsus sacramentorum superfluit. Iterum nego consequentiam: nam licet gratia sufficiat; sacramenta tamē ordinata sunt ad illius consecutionem; sicut ad vitam sufficiunt victus & vestitus, nihilominus necessarium est terram colere, & oues pascere, quia victus, & vestitus per hæc media consequuntur.

Theophilactus. Secundo respondetur, quod ibi gratia (vt exponit Theophilactus) non accipitur pro gratia, qua remittuntur peccata, s. pro gratia habituali; sed pro gratia suscitandi mortuos, & faciendi miracula, & quod hic sit sensus litteræ ex eo probatur: quia ibi D. Paulus postulabat à Deo, vt auferret ab eo Angelum Satanæ, qui eum colaphizabat, id est, machinabatur ei insidias, quib. impediebatur fructus prædicationis. Iudęi. n. quos D. Paulus appellat ibi carnem suam, tendebāt ei insidias ne Christum prædicaret, atque adeo dolebat D. Paulus; quia videbatur tribui imbecillitati potentiæ diuinæ tolerare insidias, quæ parabantur Prædicatoribus sui Euangelij. Cui respondit Deus: Sufficit tibi gratia mea, id est, satis est te habere gratiam suscitandi mortuos, & faciendi miracula, vt inde cognoscāt homines veritatem doctrinæ, quam prædicas; Nec doleas propterea, quod videatur tibi, quod aliqui putabunt ex imbecillitate potentiæ, me tolerare obstacula, quæ tibi parantur. Virtus enim in infirmitate perficitur, hoc est cum fide; quia ex hoc ostendetur virtus potentiæ meæ: quando vos pauperes, & infirmi, qui persecutionem patimini, vincetis potētes diuites, qui vos persequūtur.

ARTICVLVS II.

Vtrum congruum fuit sacramenta institui in signis sensibilibus.

VIdetur, quod non, ex D. Paulo, 1. ad Timot. 4. Corporalis, inquit, exercitatio ad modicū vtilis est, sed vsus sacramētorum est, exercitatio corporalis, ergo inutilia sunt sacramenta: atque ita non sunt conuenienter in rebus sensibilibus instituta.

Item homo naturaliter est constitutus medius inter Deū, & sensibilia; ad hoc ergo quod cōiungatur per gratiam cum Deo, non indiget sensibilibus tanquam medijs, sed ipsa conuersione voluntatis, vt. s. faciat homo quod in se est, & non desit gratiæ Dei; & Dominus non deserit illum, qui stat ad ostium, & pulsat, iuxta illud Apoc. 3. Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ego intrabo, &c. ergo sacramenta institui non fuit congruum in rebus sensibilibus.

In oppositū est veritas. Pro cuius explicatione ponit Scotus in hac quæst. sub litt. a. §. Sed quod congruum fuerit, hāc conclusionem. *Conclusio.* Congruum & commodum fuit sacramenta in signis sensibilibus institui. hanc conclusionē, etiam si vnica illa diuina voluntas nobis probaret, quæ est sufficiens sacramentorum causa, & omnium virtutum, seu operationū, ex illis prouenientium (Quæcumq; enim Deus voluit, ea fecit in cęlo & in terra, Psal. 134.) attamen cum rationabilissima sit volūtas Dei, eiusmodi rationabiles causas, cū Doct. sub. perscrutabimur, nō recedentes vel transuersum digitū à sanctorum patrum decretis. Prima igitur rō, sit: quia princi piū nostræ cognitionis ortū habet à sensu, vt Arist. inquit, 2. de anima; nihilq; est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, *Aristot.* & ex D. Pau. Rom. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi, &c. Igitur cum ad diuinā prouidentiā pertineat, vt vnicuiq; rei prouideat, iuxta modū suę conditionis, congruū, et cōmodū fuit effectū inuisibilē à Deo causandum, significari per aliqđ signū sensibile, vt homo qui ad inuisibiliū, & intelligibiliū cognitionē nisi per ea, quę sensu percipiuntur, peruenire nō potest, inuisibilem illum effectum, et certius cognosceret, & in tali signo talem effectum ardenter quæreret. Vnde D. *D. Chrysost.* Chrysostomus homil. 33. in Matth. Si tu, inquit, incorporeus esses nuda ipsa, & bona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. Igitur propter cognitionem, & desiderium hominum excitandum, & inflammandum in Dei gratia quærenda, congruum, & perquam commodum fuit, sacramenta institui in rebus sensibilibus: Ardentiori enim desiderio fertur homo in signum sensibile efficax gratiæ, quo salutem acquirit ex opere operato, quale est sacramentum: quam in opera alia, siue eleemosynæ, siue orationis, &c. per quæ non tam certe ex opere operantis animæ salus acquiritur. Congruebat etiam sapientiæ diuinæ; vt sicut à visibilibus occasio lapsus sumpta fuit, sic in ijsdem visibilibus remedium inueniret; vt medelam ferret inde, hostis vnde læserat.

Pro ampliori huius rationis intelligētia obser. est primo, quod duplex est signum, scilicet speculatiuum & practicū, *Signum est duplex.* signum speculatiuum illud dico, quod se offert sensui relinquēs aliquid intellectui; vt sunt omnes voces significatiuæ, & omnes scripturæ, quæ se offerunt sensui, vt aliquid relinquant, id est, causent in intellectu, verbi gratia, audio istam vocem Franciscus, illa se offert sensui, id est, auditui, & repræsentat aliquid vltra se ipsam intellectui, scilicet conceptū obiectiuum, quæ est res significata per vocem. Signum vero practicum est, quod significat aliquem effectum esse, vel fieri; & hoc modo sacramenta vocantur signa practica: quia significant gratiam vel in fieri, sicut in illis, quæ conferunt primam gratiam, vel gratiæ augmentum, vel in esse: sicut in Christo quando fuit baptizatus. Tunc enim Christus summam gratiam habebat, atque adeo Baptismus fuit respectu Christi signum practicum gratiæ existētis. hoc idem dici potest de Baptismo D. Virginis, & de Circumcisione Ioan. Bapt. qui fuit repletus Spiritu S. in vtero matris suæ.

Secundo obseru. est, quod signum practicum potest esse duplex, scilicet dubium, vel æquiuocum, seu incertum; & *Signum practicum est duplex.* certum, & efficax. Signum æquiuocum & incertum, est quando instituens signum non determinat se ad præstandū signatum ad signi positionem, sicut patet de osculo Iudæ, quando tradidit Christum. Signum vero certum, & efficax est quando instituens signum determinat se ad præstādum effectum signatum, quotiescunque signum ipsum ponatur. Et tale signum efficax, & certum congruum fuit esse sacramentum: quia congruū est, quod homo in tali signo effectū cognoscat, & in tali signo effectum ardenter quærat; Nam talē effectū haud appeteret homo, si signū non esset certū.

Tertio obseru. est, quod signum certum, & efficax adhuc potest esse duplex: quia vel est certum certitudine demonstratiua, vel certitudine dialectica, id est, probabili, & vt in *Signū certū est duplex.* pluribus. Signum certum certitudine demonstratiua illud appello, ad cuius positionem necessario sequitur effectus & semper; signum autem certum certitudine dialectica, vel vt in pluribus dico, ad cuius positionem sequitur effectus, nisi sit obex, id est, indispositio in illo, cui tale signum applicatur. Sacramentum non debet esse signum certum, & efficax primo modo, quia si sacramentum esset certum signum certitudine demonstratiua, tolleretur omnis bona dispositio, & deuotio in homine viatore; Nam siue viator esset dispositus, siue non, semper eueniret effectus signatus, cum necessario consequeretur signum. Sed esse debuit sacramentum signum certum secundo modo, hoc est, certitudine vt in pluribus, id est, semper nisi indispositio suscipientis impediat; & hoc signo naturaliter præcedente fieri signatum, ita vt susceptio signi sit quasi dispositio ad signatum; & omnes hæ conditiones intelliguntur per hoc, quod dicitur. Sacramentum est signum efficax.

Quarto obseruandum est, quod signum adhuc est duplex, scilicet naturale, & ad placitum, exemplum primi, fu- *Signum duplex naturale, et ad Placitum.* mus est signum ignis. exemplum secundi, vt circulus ante tabernam est signum vini. Sacramentum non est signum sensibile naturaliter significans: quia nullum sensibile habet efficaciam naturalem ad effectum inuisibilem, scilicet ad gratiam. Sed bene est signum significatiuum ad placitum: quia significat ex institutione voluntatis diuinæ, & ex his patet prima ratio congruentiæ institutionis sacramentorum in signis sensibilibus. & hæc est ratio, quam tangit Magister in littera, scilicet propter eruditionem.

Cum enim homo magna quadam nobilitate exornatus, & creatus in paradiso, creaturas, & res oēs cognosceret citra

medium qualis vnaquæque erat in se ipsa, deinde tamen propter peccatum nobilem illam, & eximiam amisit intelligentiam, atque nunc porro cogitur ab externis omnem scientiam haurire. Vnde & Dauid ait: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis Psal. 48. Aspice namque proximum tibi hominem, equum, lignum, lapidem, domum, non vtiq. essentialem earum rerum cognoscis substantiam, sed accidētia tantum, colorem, formam, figuram, vocem &c. eo respiciens etiam Arist. dicebat, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu, vtique autem intelligentia ipsa domina est in anima, exterior autem ista sensualis cognitio ancillatur tantum nunc videndo, nunc audiendo; atque hoc nobis suo peccato incommoditatis intulit Adam, vt iam domina præstare per se nihil possit citra adminiculum ancillæ. Cumque

Socrates. non scimus, vt ait Socrates, quæ infra nos sunt, quomodo ea quæ supra nos sunt noscere valeamus? Ideo non potest homo cognoscere cœlestia in se ipsis. Sed tantum, Paulo attestante, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sic non intelligimus gratiam Dei, neque virtutem ipsius: atque adeo ad nostram informationem, & eruditionem visibilia nobis sacramenta contulit Deus, per quæ illam etiam disceremus agnoscere. Similiter quomodo Spiritus sanctus abluat animam paruuli à peccato originali addiscere debemus penes externam ablutionem corporis in aqua, siquidem ea nobis signum est interioris ablutionis in anima, simulque nos excitamur in cordibus nostris, ex his quæ videmus, & audimus, illam quoque spiritualem considerare.

Secunda ratio est exercitatio, siquidem ipsius hominis animus fluctibus maris irrequietior est, semperque se exercet instar simiæ. Profundum enim est cor super omnia; hinc cum illud phantasias patitur exerce ipsum in rebus cœlestibus: Atque in hoc conueniunt omnes Doctores. Cur in lege Deus tot præcepta promulgauit, puta 613. totque sacrificia: quoniam cum illi erant tantopere ad idololatriã propēsi, voluit eos Deus continere in iugi exercitio præceptorum suorum, & totius cultus diuini, in quo dum occupati essent, facilius obliuiscerentur reliqui cultus idolorum, ac quoniã studium actionis humanæ præcipue circa corporalia versatur: ne igitur esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur cõgruum fuit illi proponi corporali, exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur, ad euitanda superstitiosa, & nociua exercitia, quæ consistunt vel in cultu dæmonum, vel in actibus peccatorum, sic igitur per sacramentorum institutionem homo conuenienti modo suæ naturæ, & eruditur per sensibilia, cuius proprium est vt per corporalia, & sensibilia in spiritualia, & intelligibilia deducatur, & iuxta naturalem eius inclinationem per sensibilia se exercet in his, quæ ad propriam salutem concunt.

Tertia ratio fit illa: quoniam sacramenta nobis data sunt

D. August. in humiliationē. Aequum enim erat, teste D. Augustino, vt homini, qui obedientiam Deo subtraxerat, obedientia quoque creaturarum subtraheretur, sicut ergo homo creatus est a Deo, vt dominaretur omnibus super terram, ita ille iã lapsus ad recuperandam gratiam Dei cogitur se humiliare, suamque salutem à Deo per creaturas petere longe inferiores se. Et hoc quidem congruum fuit: quia homo peccando se subdidit per affectũ corporeis, & sensibilibus rebus, ideo congruum fuit ibi medicinale remedium hoc adhiberi, vbi morbo laborabat, propterea quod Deus per quædam corporalia signa homini specialem medicinam adhibuit, vt suauiter se humiliaret Deo dum rebus sensibilibus longe se inferioribus subdit: Nam si spiritualia nuda ei proponerentur, illius animus corporalibus deditus illis spiritualibus applicari non posset. Quomodo autem non placeret hoc Deo hominem ex ipsius præcepto sic se humiliare ad creaturam? quanto enim magis se subijci Creatori? Hinc patet error, & vesania hæreticor. qui eo sacramenta contemnunt, quod in vilibus creaturis exerceantur: clamant enim blaterones isti: Quid mihi prosit aqua? quid oleum? quid vnctio ista? Cæterum ventus hic profecto est ab Aquilone, ab ipso fastuoso, & elato Lucifero, dum nolunt isti se humiliare ad creaturas à Deo ad hoc ordinatas, & deputatas. Neq. aliud faciũt quod Naaman Syrus, qui nolens se lauare in Iordane dixit: Nunquid non meliores sunt Abana, & Paphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel? Magis in hoc respiciens aquarum naturam, quam diuinam potentiam. Ita quoque faciunt sapientes huius mundi. Verum superbia eorum eleuauit eos, & comprehendentur in superbia sua. Sed nos ad nostra reuertamur.

Has tres rationes affert Magister in littera, quas accepit ab Hugone lib. 1. de sacramentis, p. 9. c. 3. quas optime explicat Alex. de Ales, p. 4. quæst. 1. memb. 2. art. 3. D. Bonau. hac dist. in dubijs circa litteram Magistri, & earum meminit Scotus in hac quæst. art. 1. sub lit. b. §. Sic ergo habetur: vbi in fine dicit, quod istæ tres rationes concludunt institutionem sacramenti ex parte cuiuscunque personæ priuatæ. Magister. Alex. de Ales. D. Bonau. Scotus.

Præter has autem est alia ratio huius congruitatis ex parte totius communitatis humanæ. Congruit siquidem cunctis hominibus religionis alicuius signis quibusdam siue symbolis exterioribus communicari, in eisque conuenire, per quæ signa seu symbola ab alijs hominibus alterius religionis distinguantur. Vnde D. August. lib. 19. contra Faustũ, D. August. cap. 11. In nullum, inquit, nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur; quorum sacramentorum vis inenarrabilis valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas; sic bene decuit populo Dei peculiaria dari signacula, quibus se mutuo dignoscerent: atque ab alijs gentibus separatos esse viderent, sicut Iudæi penes circumcisionem, Christiani in baptismo. Sunt igitur sacramenta velut symbola, externæque notæ professionis Christianæ: quibus Dei, ecclesiæque filij se mutuo agnoscunt, mutuoque se iuuant, seque etiam vitant à sectæ dissimilis hominibus, ne in obseruantia suæ religionis impediantur ab illis. Talia vero signa vnitiua hominum eiusdem religionis, distinctiuaque ab alijs expediebat practica esse, & gratiæ efficacia; non poterant tamen esse aliqua sensibilia naturaliter significantia, cum nullum sensibile efficaciam habeat naturalem ad effectum gratiæ inuisibilem: atque adeo congruum fuit ex diuina institutione signa sensibilia determinari, & constitui qualia sunt sacramenta, per, quæ nobis Deus gratiam confert. Horum postremo sacramentorum necessitas probari haud potest; congruitas vero patet per rationes, at factum probatur per authoritates, vt tangetur art. 7. Quia authoritates non loquuntur de sacramento in communi sumpto, sicut hic adhuc tractatur, sed loquuntur in speciali de tali, & tali sacramento talis, vel talis legis.

His omnibus explicatis causis institutionis sacramentorum in signis sensibilibus, quas tangit Doct. sub loco supra relato, possemus addere aliam, quæ est certificatio conscientiæ nostræ: Quicquid enim alias faceret homo, semper tamen adhuc incertus esset gratiæ diuinæ. Verbi gratia, pœnitentiam agat, oret, confiteatur, nondum tamen certus erit de gratia Dei, etiam humana reputatione; siquidem indubitatum est neminem hominum hic in terris certum esse posse super hoc sine diuina reuelatione, iuxta illud sapientis. Nemo scit odio, vel amore sit dignus. Vt autem nos homines certi efficiamur (quantum fieri fas est homini pro hoc statu) de gratia Dei, instituit ille nobis sacramenta tanquam certa, & efficacia signa, firmaque testimonia suæ gratiæ, & charitatis, dummodo ipsi ea non suscipiamus indigne, sicque nosmet in gratia consequenda impediamus. Vt natum iam recens paruulum certum est habere originale peccatum, Dauide, & Paulo subscribentibus; vbi primum autem baptizatus fuerit, certo scias peccatum ei esse remissum, cuius rei nullus homo certos nos facere posset in orbe; sed Deus ipse per illud suum efficax signum, cui ille assistit cum diuina sua virtute nos certos efficit. Similiter cum confesso alicui sacerdos exprimit absolutionem, iam certus est nisi ipse ponat obicem gratiæ Dei, quod omnia sibi peccata sunt remissa per illud certum signum, quod ipse instituit in die Paschæ, quando Apostolis contulit claues cœli. Magnæ vtique consolationi est omnibus ægrotis certum aliquod cõmonstrasse signum sanitatis futuræ. Hinc quis non videat quanto in honore sacramenta sunt habenda, certa nostræ curationis, & efficacia signa. Gratias ergo Deo agamus, pro sua immensa benignitate, & misericordia, quod hæc nobis tam salutaria signa instituit pro certitudine nostræ sanationis. Vera itaque sacramentorum institutionis causa ipsum est beneplacitum Dei, eiusque sancta, & omnipotens voluntas. Sed si ad rei conuenientiam respiciamus,

Digitized by Google

mus, rationes sunt, quas supra assignauimus.

Exercitatio corporis est duplex. Ad primum in oppositum, dico, quod exercitatio corporis est duplex, quædam pure corporalis, cuiusmodi sunt actiones corporis, quæ non referuntur in Deum, nec a charitate producuntur, & de istis inquit D. Paulus, quod parū utiles sunt: quia nullum fructum spiritualem afferunt. Aliæ vero sunt actiones corporales, per quas homo consequitur gratiam, cuiusmodi sunt sacramenta, & aliarum virtutum opera, de quibus ibi non loquitur D. Paulus, quinimo superius admonet Timotheum dicens: Exerce autem te ipsum ad pietatem. Dico secundo, quod exercitatio corporalis, quæ pure corporalis est, parum utilis est, exercitatio vero sacramentorum non est pure corporalis, sed aliquo modo spiritualis, quia habet effectum spiritualem, scilicet gratiam.

Ad secundum dico, quod licet homo sit creatura media constituta inter Deum, & visibilia; & ideo ex ordine naturæ non requirantur visibilia ad coniunctionem ipsius faciendam cum Deo, nihilominus tamen visibilia bona in statu naturæ lapsæ sunt medium conueniens, vt Deo reconcilietur, dummodo hoc sit ex voluntate conditoris. Vnde *Hugo.* dicit Hugo lib. 1. p. q. c. 3. Nemo siquidem est qui nesciat hominem rationalē mutis, & insensibilibus elementis conditione superiorem existere, & tamen cum idem homo in his salutem quærere videtur ad experiendam obedientiæ ipsius virtutem, quid aliud quam suo inferiori superior subijcitur. Hoc enim est quod infidelium oculi, qui visibilia solum vident, sacramenta salutis venerari despiciunt: quia in eis, quod foris est tantum contemptibile in specie cernentes, inuisibilem virtutem intus, & fructum obedientiæ non cognoscunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacramenta a solo Deo sint instituta.

Signum est duplex. PRo explicatione huius quæstionis obseru. est primo, qđ signum est duplex (vt etiam diximus in superiori articulo) scilicet speculatiuum, & practicum. Signum speculatiuum est, quod præcise causat conceptum rei in intellectu, non significando vtrum res fiat, vel non; quemadmodū ista vox homo, quæ absolute significat naturam humanam. Signum vero practicum est, quod significat effectum esse vel causari, cuiusmodi sunt sacramenta, quæ non tantum gratiam absolute significant, sed ipsam esse vel causari in recipiente sacramentum.

Sacramentum aliunde hēt quod sit signum, & aliunde quod sit certum, & efficax. Secundo obseru. est, quod cum sacramentum sit signum practicum, & efficax gratiæ, aliunde habet quod sit signū, & aliunde quod sit efficax. Nam quod sit signum habet ex institutione, institutum namque ad significandum gratiam in esse vel in fieri, quod vero sit certum & efficax habet ex determinatione diuinæ voluntatis determinantis se ad cooperandum signo, præstando gratiam, quā significat. Quod explicat Scotus in hac quæst. sub litt. C. §. De secūdo dico, per simile. Si enim quispiam sit habens potestatem condendi legem, qui in sua politia instituat aliquod signum practicum, v. g. tactum manus ad significandam pacem, potest quis dolose vti tali signo cum alio simulans pacem, odium habens in animo abditum, vti fecit Iudas osculans Christū, ibi fuit signum amicitiæ absque tamen efficacia, & certitudine. Igitur aliunde habet quod sit signum, & aliūde quod sit certum & efficax; etenim quod sit signum habet ex institutione: at non quod sit certum, & efficax: quia potest esse æquiuocum: hoc est, interdum verum, quando scilicet habet concomitans signatum, & interdum falsum, quando non habet signatum concomitans. Nam homo fallus, & non verax vtitur isto signo sine signato, sicut vteretur signo speculatiuo beneuolentiæ sine signato, dicendo concedo tibi dilectionem meam, habens aliud, scilicet oppositum in mente. Quod vero sit certum habet ex determinatione voluntatis vtentis illo ad positionem signati.

Sensus quæstionis. Tertio obseru. est, quod cum sit sermo de sacramentis in communi, potest tractari difficultas de sacramentis cuiuscunque legis, scilicet naturę, Moysis, & Euāgelij, id est, An sacramenta legis naturæ, Moysis, & gratiæ sint a solo Deo instituta, atque ita examinabitur in præsenti articulo.

Quarto obseru. est, quod quæstio potest intelligi, vel de facto, vel de possibili. An scilicet de facto sacramenta cuiuscunque legis instituta sint immediate a Deo, & in hoc sensu examinabitur in hoc artic. Vel potuerint sacramenta ab alio quam a Deo institui, & de hoc erit sermo in sequenti articulo.

His obseruatis respondeo ad quæst. quatuor conclusionibus. Prima Conclusio. solus Deus potest instituere sacramenta quatenus signa certa sunt gratiæ. Probatur: solus Deus potest concurrere ad productionem gratiæ significatæ per sacramentum: quia solus Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium, ergo solus Deus potest instituere sacramenta, prout signa sunt certa, & efficacia gratiæ, quia solus Deus potest dare certitudinem signo practico sui effectus. *1. Conclus.*

Præterea sacramentum est certum signum gratiæ habendæ ab illo cui confertur, & efficax aliquo modo siue ex opere operato, siue ex opere operantis; sed in solius Dei potestate est producere gratiam: Nulla enim creatura potest gratiam creare, atque adeo nec ordinare potest quod infallibiliter conferatur recipienti sacramētum, sed solus Deus, ergo solus Deus potest sacramentum instituere.

Item in eius potestate est sacramentum instituere, quo non instituente non habet sacramentum effectum, atque ita non est signum efficax, nec per consequens sacramētum proprie acceptum, sicut loquimur modo de sacramentis; sed hoc est verum de solo Deo: quia in potestate solius Dei est, quod ad tale signum consequatur signatum, sicut tale signatum ponere, ergo &c. hæc conclus. est Scoti in hac q. artic. 2.

Secunda Conclusio. Sacramētum legis naturę, quod pro remedio habebant homines ad delendum originale peccatum, fuit ab ipso Deo immediate institutum. Hæc conclusio est Scoti virtualiter in hac quæst. artic. 2. & explicite in quæst. vltima huius distinct. est tamen contra Sotum, qui in 4. distinct. 1. quæst. 5. artic. 2. ponit discrimen inter legem naturæ, & veterem, ac nouam, quod in his sunt sacramenta a Deo instituta, in illa vero minime: Quia sacramenta, inquit, illius legis, neque habebant virtutem conferēdæ gratiæ nisi implicite, & valde obscure. Sed fallitur Sotus, existimat enim non fuisse in lege naturæ institutum externū ac sensibile remedium originalis peccati, quod falsum esse ostendemus infra quæst. vlt. huius distinct. supposito ergo in lege naturæ fuisse aliquod sacramentum, in quo dabatur gratia, & delebatur originale peccatum, necessario dicendū est, illud manasse ex diuina institutione: Quia nullus poterat talem medicinam adhibere peccato originali, nec gratiā sub tali signo promittere nisi solus Deus, vt clarissime docet Scotus in hac quæst. *2. Conclus.* *Sotus.* *Contra Sotum.*

Tertia Conclusio. Sacramenta veteris legis omnia fuerunt ab ipso Deo immediate instituta. Hæc conclusio est certa. Nam de Circūcisione constat Genes. 17. vbi Abrahæ præcepit Deus vt circumcideretur ipse & generatio sua, qđ refertur a D. Paulo ad Roman. 4. Vbi loquens de Abrahā dicit signum accepit circumcisionis: signaculum iustitiæ fidei; de reliquis vero ex toto Exodo, & Leuitico. Nam sicut illa lex diuina fuit; ita sacrificia, & sacramenta eius ab ipso Deo sunt tradita: Nam quod Ioan. 1. dicitur, lex per Moysen data est, intelligitur tanquam per ministrum, & promulgatorem tantum, & ideo semper in Exodo, & Leuitico, præmittitur: Dixit Dominus ad Moysen, & eadem ratione non refert quod per Angelum data fuerint illa sacramēta; sicut etiam per eos data fuit illa lex, teste D. Paulo: quia etiam ipsi non erant nisi ministri, & legati, per quos Deus suam voluntatem ostendebat. Institutio ergo ipsa diuina fuit, solumque Deum habuit proprium authorem. *3. Conclus.*

Et potest hæc conclusio confirmari hac ratione: Nam quantum attinet ad circumcisionem, cum in ea danda esset gratia, & remittendum originale peccatum, necessaria erat authoritas, & promissio diuina, vt de sacramento legis naturæ conclusum est. Quantum spectat ad alia sacramenta illius legis, quamuis hoc sensu vacua essent: quia non erant proprie sacramenta, cum in eis non daretur gratia præter meritum suscipientium; erant tamen quodammodo grauida mysteriorum, & sacramentorum nouæ legis: quæ in illis præfigurabantur, & promittebantur, atque adeo etiam in illorum institutione necessaria erat diuina Sapientia, & authoritas: illa quæ diuina mysteria cognosceret, & accommodatis signis posset iudicare, hæc quæ potestatem haberet promittendi talia mysteria, & gratiam per

sacra-

sacramenta nouæ legis conferendam.

Quarta Conclusio. Christus Dominus immediate, & per se ipsum instituit omnia sacramenta nouæ legis, tam ea ratione, qua sunt signa practica, quam ea ratione, qua sunt signa certa. Hæc conclusio diffuse explicabitur de singulis nouæ legis sacramentis infra dist. 2. quæst. 1. Pro nunc antè generaliter loquendo hæc conclusio est certa de fide ex definitione Concilij Tridentini sessio. 7. can. 1. cuius hæc sunt verba. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. & licet Concilium prætermisit illam particulam immediate, & per se ipsum, tamen hanc fuisse Concilij mentem vix potest dubitari, primo ex proprietate sermonis, nam quæ Christus immediate non præcipit, etiam si ab ecclesia præcipiantur per potestatem ab ipso acceptam, non dicuntur esse præcepta a Christo, sed ab ecclesia; ergo eadem ratione si Christus non immediate, sed ecclesia per potestatem ab ipso acceptam instituisset vel omnia, vel aliqua sacramenta, non posset proprie ac vere simpliciter dici omnia sacramenta esse a Christo instituta, cum ergo Concilium hoc absolute doceat, plane loquitur de immediata institutione.

Secundo; quia idem Concilium eadem sessione can. 13. longe aliter loquitur de cæremonijs, seu ritibus sacramentalibus, qui in solemni sacramentorum administratione adhiberi solent, quos ab ecclesia approbatos esse dicit, & consuetudine receptos his verbis. Si quis dixerit receptos, & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit, quibus verbis sentit huiusmodi ritus esse ab Ecclesia approbatos, & institutos per potestatem a Christo acceptam, vt expressius dixit sessio. 21. c. 2. ergo sentit sacramenta non hoc modo, sed immediate fuisse a Christo instituta, propter hanc enim causam longe aliter de sacramentis, quam de sacramentalibus loquitur, quod egregie confirmari potest ex illo capite sessio. 21. vbi ait. Perpetuo fuisse in ecclesia potestatem, vt in sacramentorum dispensatione (salua eorum substantia) posset ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. In quibus verbis illud maxime ponderandum est. Salua illorum substantia, quo aperte docet Concilium, Ecclesiam nullam habere potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum, vtpote quæ non fuerint ab ea proxime instituta, neque in ea vllam potestatem accepit. Supponit ergo Christum ipsum tradidisse ecclesiæ sacramentorum substantiam, eamque immutabilem esse voluisse, hoc autem ipsum fuit sacramenta immediate instituere.

Dices ergo, quoad institutionem & authorem eius fuerunt digniora vetera illa sacramenta, quam noua: quia illa tradita sunt a Deo, vt Deus est, per diuinitatem, hæc vero a Christo homine per humanitatem. Respondetur negando consequentiam; quia licet Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta, hoc tamen non excludit, quin prima, & principalis causa, & ratio huius institutionis fuerit voluntas diuina, ad quam Christus homo suam humanam voluntatem conformabat, atque ita in hoc est quædam æqualitas inter vetera, & noua sacramenta, in hoc autem nostra superant, quod illa per purum hominem immediate data sunt, hæc vero per hominem Deum. Item quod circa illorum institutionem, nullam potestatem, vel authoritatem habuit ille homo, per quem a Deo data sunt, sed nudum ministerium promulgandi voluntatem diuinam; in nostris vero sacramentis instituendis, simul cum diuina voluntate, & authoritate intercessit voluntas Christi hominis, qui etiam vt homo, idest, in humanitate sua habuit potestatem excellentiæ, qua sicut potest leges ferre, & gratiam dare, ita etiam sacramenta potest instituere, & gratiam per ea dandam promittere, & ad ea suscipienda obligare.

Nam vt docet Alex. de Ales, par. 4. quæst. 1. in 3. artic. 4. in sacramentorum institutione, Deus est primarius institutor, quia authoritatiue, homo purus est promulgator, & minister; Christus vero author, & excellens minister. Sacramenta namque sunt instituta a Deo authoritatiue, ab homine puro solum ministerio, a Saluatore Christo Deo, & homine authoritate, & ministerio. Ipse enim instituit authoritate in quantum Deus, ministerio in quantum homo, ministrando ipsa sacramenta sicut patet de sacramento altaris. Moyses autem instituit, vt minister (accipiendo institutionem pro promulgatione) assumpto officio ministerij, a Deo authore. Apostoli vt ministri assumpto officio ministerij a Christo authore; per quod vt dicit Magister in 4. sent. erat dispositurus ecclesiam; alia tamen & alia erat ratio ministerij prout erat Christi hominis, & Apostolorum, quia vt erat Christi hominis erat ministerium quasi subauthoritatis, vt Apostolorum purum ministerium.

Alexan. de Ales.

Magister.

Ex his conclusionibus sequitur primo, omnia ecclesiæ sacramenta pro quocunque statu post lapsum primi hominis a Deo esse instituta, non a Patriarcha aliquo, non a Moyse, non ab Apostolo, non ab aliquo Concilio. Imò (vt sapienter inquit Echius homil. 4. de sacramentis) si totus nunc conueniat mundus sacramentum instituere nullum posset: quoniam cum gratia a Deo immediate creetur: quomodo pura creatura, in cuius potestate gratia Dei non est, signum gratiæ aliquod euidens, & infallibile queat instituere? Solus ergo Deus potest instituere sacramentum. Quod ipse etiam Dauid in spiritu prædixit inquiens: Misit verbum suum, & sanauit eos. Hoc est, pater misit filium suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum, hoc autē fecit, & impleuit Christus in sacramentis, vti parabola illa Lucæ 10. declarat, qua ostenditur nec sacerdotem, neque Leuitam, sed Samaritanum Christum alligasse vulnera, vinum, & oleum infudisse, hoc est, sacramenta instituisse.

Echius.

Secundo sequitur, propositionem illam communiter apud Theologos receptam (scilicet sacramenta habent efficaciam ex sua institutione) posse esse ex diuersis sensibus veram, & falsam. Si enim per institutionem intelligamus solam impositionem rei sensibilis ad significandum gratiā, est falsa, patet, quia posset Deus imponere rem sensibilem ad significandum gratiam non determinando se ad gratiā producendam, atque adeo sacramentum non habet efficaciam ex sola impositione ad significandum. Si vero per institutionem intelligamus non solum impositionem rei ad significandum, sed vlterius intelligamus determinationem diuinæ voluntatis ad producendam gratiam sicut de facto contingit, verum est quod sacramenta habent efficaciam ex institutione: & quia sic contingit de facto, non est opus vti hac distinctione, sed absolute concedendum est sacramenta habere efficaciam, vel gratiam continere ex sua institutione.

Tertio sequitur, quod sicut in homine esset alius actus realiter, quo instituerei osculum, vt sit signum reconciliationis, & alius actus quo determinaret voluntatem suam ad causandum signatum exhibito signo: quia vnus potest esse sine alio, vt institutio signi absque certitudine, ita est in Deo alius actus rationis ad instituendum signum sensibile ad practice significandum effectum Dei, & alius quo determinat se realiter ad cooperandum regulariter tali signo, idest, semper, nisi indispositio suscipientis impediat. Non quod in Deo sint duo actus realiter, vnus per quem instituat signum, & alter quo determinet se ad cooperandum, sed dicuntur duo actus obiectiue, seu ratione obiecti, vel terminatiue, idem enim actus tendit, & terminatur ad diuersa obiecta, & isti duo actus, puta institutio signi, & determinatio voluntatis, faciunt vnam totalem, & completam institutionem sacramenti.

Sequitur quarto, quod cum de ratione sacramenti sit esse signum certum, & efficax, quod sacramenta ex sua natura habent, quod non possunt institui ab aliqua creatura: quia nulla creatura potest tribuere efficaciam alicui sacramento, efficacia autem est de ratione sacramenti, ergo de ratione sacramenti est, quod non possit institui ab aliqua creatura.

ARTICVLVS IV.

Vtrum facultas instituendi sacramenta possit creaturæ communicari.

De hac re duplex est sententia, vna est affirmatiua, quæ est D. Thomæ, 3. par. q. 64. art. 3. & 4. quem sequuntur omnes Thomistæ, D. Bonauentura in 4. distinct. 5. artic. 3. quæst. 1. & Richardi eadem distinct. artic. 1. quæst. 3. & fundatur

D. Thom.

D. Bonau.

Richardus.

D. August. datur hæc sententia in verbis D. Augustini tract. 5. in Ioan. dicentis: Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet dare potestatem alicui seruo suo, vt daret Baptismum suum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in seruum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino. Altera est negatiua, quam docet Scotus in hac quæst. art. 2. Durandus in 4. d. 2. q. 1. & Gabriel. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 2. *Scotus. Durandus. Gabriel.*

Pro cuius explicatione obser. est primo, quod aliud est instituere signum aliquod ad significandum simpliciter, & aliud ad significandum certe, & efficaciter; aliud est etiam signi institutio, & aliud institutionis promulgatio. Nam signum instituere simpliciter ad significandum potest quilibet, qui potest vti signo pro se, & alijs, siue practice, siue speculatiue; sed ad significandum practice certe, & efficaciter, id est, ita infallibiliter, quod cessante impedimento ad exhibitionem signi producatur effectus signatus, non potest nisi ille, qui in sua potestate habet producere eiusmodi effectum quando, & vbi vult, in subiecto apto nato.

Et secundum hoc posset distingui actus instituendi signũ ad significandum, & ad certe & efficaciter significandum. Primus fit per nudam impositionem signi, qua instituens vult, quod tali signo vtantur ipse, & alij ad repræsentandum signatum: quomodo voces, & quædam alia signa imposita sunt ad significandum. secundus fit per determinationem voluntatis ad producendum effectum signatum eius, qui potest producere ad signi exhibitionem; & hi actus possunt fieri à diuersis. Posset enim vnus imponere signum ad significandum effectum, qui tamen non haberet facultatem producendi eum; & alius habens huiusmodi facultatem posset imposito signo imponere certitudinem, & efficaciam determinando se ad producendum effectum, quoties signum impositum exhiberetur, hic tamen accipitur institutio sacramẽtorum, vt includit vtrumq; ita quod isti duo actus, scilicet institutio signi, & determinatio voluntatis ad præstandum signatum ad signi exhibitionem, sunt de natura & essentia, imò tota quidditas institutionis sacramentorum.

Patet etiam, quod aliud est institutio, aliud promulgatio: nam promulgatio præsupponit institutionem per se, vel alium factam.

Secundo obseru. est, quod solus Deus per primariam authoritatem sacramenta instituere potest. Nam sicut per primariam authoritatem nemo potest legem condere, nisi qui potest legi virtutem subditos obligandi tribuere; sic ille solus potest sacramenta instituere, qui potest ipsis dare virtutem iustificandi: quoniam sicut lex authoritate legislatoris obligat, ita sacramentum ex virtute institutionis non ex se iustificat; atqui solus Deus potest sacramentis tribuere virtutem iustificandi, atque adeo solus Deus per primariam authoritatem sacramenta instituere potest. & in hoc nulla est controuersia.

Tertio obseru. est, quod per authoritatem commissariam potuissent homines quantum ad aliquid instituere sacramenta, si eis fuisset commissum: patet, quia sicut naturæ hominum non repugnat quod sit minister dispensationis sacramenti; sic etiam non repugnat, quod sit minister institutionis quantum ad aliquid. s. quantum ad determinationem rerum, & verborum, in quibus sacramenta consistunt: Potuisset enim Deus committere homini, quod eligeret res & verba, in quibus sacramentum baptismi, vel aliud quodcũq; sacramentum consisteret; sed quantum ad virtutem & efficaciam sacramentorum, non potuit homo esse capax institutionis sacramentorum, quia nec poterat talem virtutem sacramentis conferre, nec per pactionem diuinam eis adhibere, quamuis posset promulgare; & ideo quantum ad hoc nõ potuit purus homo esse institutor sacramentorum etiam vt Vicarius, sed solum quo ad primum, & forte hoc modo intelligunt D. Thomas, & D. Bonauen. Deum posse conferre homini potestatem instituendi sacramenta, s. er commissionẽ, quo ad signum sensibile practicum. Et quidem in hoc sensu intelligenda sunt verba D. Augustini: Potuit Christus Dominus si vellet dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum tanquam vice sua, instruere signum practicum ad significandum, & transferre à se huiusmodi baptizandi potestatem, & eam communicare alicui seruo suo, cæterum quantum ad certitudinem & efficaciam Domine; sed ipse Dominus, non seruus, tantam vim daret baptismo (quo ad signum practicum) translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino, adeo quod tota efficacia baptismi esset à Domino, non à seruo.

Cæterum hæc non potest proprie, & in rigore sacramentorum institutio appellari; sed est præcise signi determinatio, qualis erat in sacramento legis naturæ, vt infra videbimus. & ratio est: quia licet tunc voluntas creata determinaret signum, non tamen daret illi veracitatem, & certitudinẽ significationis, sed eam haberet ex voluntate, & promissione diuina. Sacramentum autem debet esse signum certum, & infallibile, & ideo institutio eius non tantum requirit determinationem signi, sed etiam efficaciam, seu certitudinem significationis, ac proinde illa non debet sacramenti institutio appellari, sed tantum signi determinatio ad cuius præsentiam Deus vult dare gratiam, vel illam aliquando dandam promittere.

His obseruatis sit prima conclusio. *Solus Deus potuit instituere sacramenta, quatenus sunt signa certa gratiæ.* probatur: solus Deus potest concurrere ad productionem gratiæ, significatæ per sacramentum, ergo solus Deus potuit instituere sacramenta, prout sunt signa certa, & efficacia gratiæ. consequentia patet & antecedens probatur: quia nulla creatura ex se potest esse sufficiens causa gratiæ, nec potest per se determinare voluntatem diuinam, vt efficiat gratiam per signum sensibile, seu ad præsentiam eius: cum nec talis effectus, vel concursus sit per se debitus creaturæ; nec voluntas creata ex se possit habere hanc connaturalem vim, vt hominem faciat participem diuinæ naturæ; necesse est ergo vt certitudo talis significationis, vel effectus habeat originẽ, & fundamentum in diuina voluntate, & promissione, atq; adeo solus Deus potest instituere sacramenta, quatenus signa certa sunt gratiæ.

Secunda conclusio. Nulla creatura potuit instituere sacramentum sub ea ratione, qua est signum certum, & efficax gratiæ. probatur. Nullus potest dare certitudinem alicui signo; nisi etiam possit cõcurrere ad productionem effectus signati; sed nulla creatura potest concurrere ad productionem gratiæ, in sacramento significatæ, ergo nulla creatura potest instituere sacramẽtum, sub ea ratione qua est signum certum, & efficax gratiæ. *Secunda cõclusio.*

Respondẽt Thomistæ, quòd ratio concludit nullam creaturã virtute propria, & primaria posse instituere sacramenta, cæterum non probat quod ei competere nequeat ex cõmissione Dei: quemadmodum & lex lata est non immediate à Deo, sed mediate per Moysen legislatorem. Sed hæc responsio nulla est, quia licet institutio ad significandum simpliciter possit committi creaturæ; non tamen institutio ad certe, & efficaciter significandum, quia illa non potest fieri nisi per determinationem diuinæ voluntatis ad assistendũ signo producendo effectum signatum; hæc autem determinatio non potest fieri nisi per Deum, voluntatis enim libertatem nemo determinare potest nisi voluntas ipsa, alioquin ipsa non esset libera; Nemo dico alius a Deo. Et si Deus determinaret se generaliter ad assistendum cuicunque signo per Petrum instituto, & Petrus institueret aliquod signum, adhuc institutio illius signi, quatenus sit certum, & efficax, non est à Petro, sed ex generali determinatione diuina, & esset in casu Petrus præco, & promulgator noui sacramenti. Suo modo dicitur, quod nullus alius præter Deum fuit legislator legis, suos transgressores ad damnationem æternam obligantis, nisi sicut præco promulgans legem: atq; ita Moyses non fuit legislator proprie, sed præco, nuncius, & promulgator legis diuinæ, neque in persona sua, sed Dei legem proposuit, vt patet ex forma litteræ, & quod dicitur legislator extenditur nomen ad promulgatorem.

Tertia conclusio. Sacramentum sub ea ratione, qua signũ est practicum gratiæ, ab aliqua creatura potuit institui. probatur. Non est magis difficile imponere signum practicum ad significandum effectum Dei, quam imponere signũ speculatiuum; sed homo potest imponere signum speculatiuũ ad significandum effectum Dei, ergo & practicum; probatur minor: quia homo instituit has voces, Deus causat gratiam; ergo potuit instituere signum practicum, quod significaret pro tunc gratiam causari. *Tertia conclusio.*

Quarta conclusio. Non fuit congruum Sacramenta institui ab aliquo homine, probatur: quia non ea ratione qua est signum certum, & efficax; quia vt sic non potuit institui nisi à Deo, creatura namq; non poterat præstare effectum signi- *Quarta conclusio.*

Digitized by Google

significatum per talia signa: igitur neque decuit, vt à creatura instituerentur; Neque sub ea ratione, qua est signum practicum; quia frustra esset talis institutio; ergo non esset congruum. antecedens patet: quia ex illa institutione non posset sacramentum habere veritatem, ergo frustra esset talis institutio, atque adeo esset occasione tanti haberetur. Nec congruit quod Deus committat inferiori se instituere sacramentum inquantum certum signum, ne Deus esset approbator signi falsi, vel æquiuoci.

5 Conclus. Quinta Conclusio. Sacramentum, quatenus signum practicum, atque etiam certum, & efficax, potuit promulgari a creatura; patet, quia talis promulgatio præsupponit institutionem iam factam, & de facto Deus legem Euangelicam, & eius sacramenta per Apostolos promulgauit. Ex his ergo patet, quod cum ad rationem sacramenti requiratur quod nedum sit signum practicum, sed etiam certum, & efficax, quod de eius ratione proprie dicta est, quod a solo Deo possit institui. Et esto quod esse signum efficax non esset de ratione sacramenti: quia accidit signo vt rum signatum concomitetur, vel non; adhuc illa perfectio superaddita rationi sacramenti, quæ est veritas, vel conformitas in significando ad rem signatam, requirit vt instituatur a Deo, siue quod Deus determinet se regulariter cooperari illi signo. Constat igitur quod de ratione sacramenti proprie sumpti est, quod a solo Deo possit institui. Omnes istæ conclusiones sunt Scoti in hac quæst. sub litt. D. & E. §. Ad propositum sacramentum, &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum in statu innocentiæ fuerit congruum institui sacramenta proprie dicta effectiua gratiæ, & remedia quibus remittuntur peccata.

Sacramenta ex duplici causa possunt esse necessaria. SAcramenta duplici ratione possunt esse necessaria: vel quia sunt medicinæ contra peccatum, vel quia sunt cæremoniæ, in quibus profitemur Deum esse authorem, & remuneratorem nostrum. In priori sensu loquimur de sacramentis in hoc articulo. Pro cuius explicatione obseru. est, quod de statu innocentiæ possumus loqui dupliciter: Vno modo absolute prout futurus esset, si homo non peccasset; Altero modo prout de facto fuit in primis hominibus ante peccatum, atque ita hæc quæstio potest duobus modis intelligi, priori modo conditionaliter, scilicet an si status innocentiæ durasset, & in eo multiplicarentur homines, indigerent sacramentis: posteriori modo absolute. Vtrum Adã, & Eua deberent aliqua sacramenta accipere antequam peccarent, & in vtroque sensu explicabitur quæstio, ita vt sensus tituli sit. Vtrum in statu innocentiæ tam qui iam fuit in primis hominibus, quam qui futurus esset in omnibus si Adam non peccasset, congruum fuerit institui sacramenta proprie dicta efficacia gratiæ &c.

Secundo obseru. est, quod in vtroque sensu inquiri potest, an in statu innocentiæ fuerit sufficiens congruentia ad instituenda sacramenta, an vero talis institutio oppositionẽ aliquam vel repugnantiam habeat, cum perfectione illius status. Secundo vtrum in statu innocentia, qui fuit in primis parentibus ante peccatum, vel qui futurus fuisset si Adam non peccasset, instituta fuerint, vel fuissent aliqua sacramenta. Nam licet demus potuisse hanc institutionẽ habere conuenientem rationem pro illo statu, non statim sequitur factam esse: Quia non semper facit Deus quidquid videtur congruenti ratione fieri posse.

1. Conclus. His obseruatis. Dico primo loquendo de statu innocentiæ, qui fuit, vel qui esset futurus, si Adam non peccasset, sacramentorum institutionem non esse contra debitum ordinem, & perfectionem illius status, quinimo potuisse in eo habere sufficientem causam, & congruentiam. Hæc conclusio est Alex. de Ales, par. 4. quæst. 1. m. 2. artic. 1. Probatur, quia dupliciter possunt considerari sacramenta; vno modo vt signa, alio modo vt causa gratiæ, & vtroque modo possunt habere conuenientem rationem in illo statu, & quantum ad significationem, sacramenta non tantum sunt signa ad acquirendam cognitionem, sed ad alias vtilitates, prima ad exprimendam, & profitendam interiorem fidẽ, secunda ad excitandam memoriam, & affectum, tertia ad quandam repræsentationem supernaturalium mysteriorũ, & faciliorem eorum apprehensionem, quarta ad consensionem, & vnitatem hominum eiusdem religionis in exteriori cultu. Sed has omnes vtilitates possent habere sacramenta in statu innocentiæ sine aliqua imperfectione contraria recto ordini illius status, ergo &c.

Quo ad primum patet: quia in eo statu seruaretur naturalis modus humanæ cognitionis, quantum ad hæc, videlicet quod excitaretur homo ab obiectis sensibilibus, & intelligeret cum dependentia a phantasmatibus. Item filij Adæ non haberent scientias naturales per accidens infusas, sed eas sibi compararent vel per inuentionem ab obiectis sensibilibus, vel per disciplinam a parentibus, vnde necessario vterentur signis sensibilibus ad mentis conceptus exprimendos, neque hoc solum habet locum in naturali cognitione, sed etiam in supernaturali: quia licet cum gratia, & iustitia infunderetur habitus fidei, sicut nunc infunditur infantibus baptizatis, tamen non infunderentur species, & phantasmata, quibus homo indiget ad apprehendendas res fidei, neque fierent omnibus, & singulis hominibus interiores reuelationes rerum omnium credendarum, sed per traditionem filij a parentibus acciperent: nam hic est modus connaturalis homini viatori, & nulla est causa ad fingenda miracula, vel nouum prouidentiæ modum. Deberent ergo tunc homines institui in rebus fidei per signa sensibilia, & voces, eaque apprehendere per habitudinem ad illa: quia in vsu fidei a phantasmatibus dependerent; igitur pari ratione si tunc instituerentur alia signa, quę in actionibus vel rebus consisterent, possent habere vsum, & vtilitatem illi statui conuenientem absque imperfectione, vel inuersione ordinis illi statui conuenientis.

Quo ad secundum, si considerentur sacramenta vt causa gratiæ, licet sub hac ratione habeant minorem coniunctionem, seu proportionem cum modo naturali cognoscendi, & operandi hominis, & ex hac parte videatur esse minor congruentia sacramentorum in illo statu: quia talis modus prouidentia nullo modo debetur naturæ, aut oritur ex naturali modo operandi eius, nihilominus considerata maxima spirituali vtilitate, quæ est in obtinenda gratia, seu augmento eius ex vi operis externi, vltra oẽ meritum operantis, ex hac parte est hæc perfectio tãti momenti, vt si Deus vellet eam conferre hominibus in statu innocentiæ ex hoc solo capite esset maior congruitas in institutione sacramentorum, quam sit in omnibus alijs coniecturis, quæ in contrarium afferri possunt.

Nec obstat, quod nobiliora non debent ab inferioribus perfici, nisi vel ex necessitate naturæ oriatur, vel propter aliquam rationem ortam occasione peccati, quarum vtraque ratio in statu innocentiæ deficit, quoad institutionem sacramentorum: Nam ordo illius status erat, vt homo secundum partem superiorem dominaretur omnibus rebus, eisque minime subijceretur, quamdiu ipse subiectus esset Deo, & per consequens durante hac subiectione perfecta hominis ad Deum non esset ipse subijciendus sacramentis sensibilibus, vt per ea gratiam, vel cognitionem supernaturalem acciperet.

Hoc inquam non obstat. Nam licet non sit naturalis ordo vt homo perficiatur per sensibilia in gratiæ augmento, vel intensione, sed supernaturalis: tamen non est necesse vt hoc fiat solum occasione peccati, cum per se habeat alias cõuenientes rationes, vel congruentias, tam ex parte Dei, quã hominis, neque hoc esset propter hominem subijci sensibilibus rebus, sed Deo in vsu alicuius rei sensibilis, quod non repugnabat cum perfectione illius status: Nam decuit in illo statu hominem arceri ab esu ligni scientiæ boni, & mali, quæ erat quædam arbor sensibilis, quia id factum est propter vtilitatem obedientiæ, & humilis ad Deum subiectionis, ergo propter eamdem obedientiam, & humilitatem, & maxime adiuncto præterea fructu gratiæ ex opere operato potuisset & conuenienter, & satis congruenter præcipi homini in eo statu vsus alicuius rei sensibilis, quo Deum coleret, & ipse magis sanctificaretur.

Loquendo autem de sacramentis quatenus sunt medicinæ contra peccatum, & remedia quibus peccata remittuntur, sacramenta in statu innocentiæ non fuissent necessaria, nec congrue instituerentur, & ratio est: quia tunc non essent peccata, ergo nec erat opus sacramentis, quæ essent remedia contra peccata. *2. Conclus.*

Sed contra, licet non esset tunc peccatum, poterant tamẽ homines peccare, sicut peccauit Adam; quia per iustitiam origi-

originalem, non magis confirmarentur homines in gratia: quam Adam ipse fuerit in sua creatione, & iustificatione cõfirmatus; sicut ergo ille peccauit, potuissent alij peccare etiã si ipse non fuisset lapsus, neque in illo tota natura corruisset: ergo congruum esset quod Deus institueret remedia contra peccatum, quod poterat committi. Probatur congruentia tripliciter, & primo sic.

Pronior est Deus ad miserendum, quã ad puniendum, sed ante peccatum hominis instituit ignem inferni ad punitionem illius, ergo a fortiori etiam ante peccatum debuit instituere remedia ad miserendum hominis peccantis: probatur minor: quia quando Adam peccauit iam Angeli cruciabantur in inferno, siquidem vnus ex illis decepit Adam.

Secundo probatur congruentia. Antequam essent infirmitates corporis creauit Deus herbas habentes virtutes contra illas, sed maioris pretij est salus animæ, quam corporis, ergo a fortiori Deus ante peccatum debuit instituere remedia contra ipsum peccatum, cuiusmodi sunt sacramenta: maior patet, quia a principio mundi produxit terra herbam virentem, inter quas includuntur illæ, quæ modo sunt salutifera.

Tertio probatur: quia prouidus medicus non solum medetur præsentibus infirmitatibus, sed etiam remedia præstat præseruantia ab infirmitatibus, quę timentur, sed Deus est prouidissimus, & prudentissimus omnium, ergo debuit ante peccatum præstare hominibus sacramentorum remedia, quibus præseruarentur a culpa, quam poterant committere.

His tamen non obstantibus. dico primo, quod (supponendo hominem potuisse peccare in eo statu) quod nobis incognitum est quomodo tunc Deus prouisurus esset huiusmodi hominibus: an statim puniret illos nullo concesso pœnitentiæ tempore, sicut in malis angelis fecit. aut si credibilius est, vt re vera est, illis fuisse concedendum tempus, & locum pœnitentiæ: quia non aliter peccarent quam Adam, & Eua, quibus hoc remedium negatum non est: quia humana natura non est ita inflexibilis, sicut angelica.

Quo supposito dico secundo, verisimilius videtur remedium amoris, & contritionis futurum fuisse sufficiens absque aliquo sacramento: quia (quantum credi potest) pauci fuissent homines, qui in eo fœlici statu peccarent. Ideo ad primum respondetur negando consequentiam; Nam licet Deus sit pronior ad miserẽdum, nihilominus disponit omnia suauiter, ignis autẽ inferni pertinet ad creationis opus suauiter perficiendum: Nam cum ignis ille esset in medio terræ, si Deus a principio mundi creasset sphæram terræ absque igne incluso, postea ad includendum ignem esset annihilanda maxima pars terræ illa scilicet quæ occuparet locum, quem ignis replet, & ibi ignis de nouo esset creandus, quod esset contra suauem rerum dispositionem suauẽ; sacramenta autem non pertinent ad suauem vniuersi dispositionem: quia suauis vniuersalis dispositio non constat ex rebus artificialibus, cuiusmodi sunt sacramenta, sed rebus naturalibus.

Dices, licet non pertinerent sacramenta ad suauem dispositionem vniuersi, poterant tamen pertinere ad suauem dispositionem, & gubernationem hominis. Dico hoc esse falsum, quinimo vt dicit D. Bonauentura, essent occasio peccandi: nam qui sperat resurgere facilius dimittit se cadere. (D. Bonau.) & præterea: quia ibi non habebat locum vsus sacramentorum quatenus sunt medicinæ, ergo nullo modo poterunt pertinere ad suauem dispositionem, & gubernationem hominis. Secundo respondetur ad argumentum, quod ante peccatum hominis fuit necessarium parare locum inferni: quia ante peccatum Adæ peccauerunt Angeli qui in inferno puniuntur, & ideo non sequitur quod Deus etiam debuit instituere sacramenta: quia non erant necessaria.

Ad secundum dico, quod etiam illæ herbæ pertinebant ad creationis opus suauiter perficiendum, sunt enim res naturales, & ad perfectionem mundi spectantes, sacramenta autem non spectant ad opus creationis, vt dictum est.

Ad tertium nego consequentiam: quia sacramenta non præseruant a peccato nisi conferendo gratiam, & fomitem peccati mitigando, atque etiam præstando fortitudinem libero arbitrio, propter autem nullum illorum requirebantur sacramenta in statu innocentiæ: Nam homines vel essent creati in gratia, vel illam possent acquirere per alia virtutum opera. Fomes autem tunc non erat: quia est effectus peccati, atque etiam liberum arbitrium vires integras & inoffensas habebat, & præterea homines erant præditi dono iustitiæ originalis, non ergo alio sacramentali auxilio indigebant ad perseuerandum in bono. Secundo respondetur, quod medicina præseruatiua non datur nisi hominibus dispositis ad aliquam infirmitatem, in statu autem innocentiæ nulla erat dispositio ad peccatum: quia vires liberi arbitrij integræ erant, vt dictum est.

Non fuit ergo congruum in statu innocentiæ sacramentum aliquod institui, quatenus sacramentum est medicina contra peccatum: Nam medicina est contra morbum; in statu autem innocentiæ nullus esset morbus, atque adeo nulla fuit necessaria medicina. Non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus, Matth. 9. Et quamuis in statu innocentiæ homo non potuit nisi ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem in remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet posset proprie dici medicina curatiua, vel præseruatiua, & in hac sententia conueniunt omnes Theologi, & est expressa sententia Alexand. de Ales loco supra relato. (Alex de Ales.)

Loquendo de facto, & de statu innocentiæ, in quo fuerunt Adam, & Eua, dico nullum fuisse sacramentum institutum aut traditum Adamo in statu illo, quatenus breui tẽpore ante lapsum durauit. (3. Conclus.) hæc conclusio non potest certo fundamento ostendi: quia non est reuelata in scriptura nec aliqua traditione accepta, fit autem verisimilis. Tum quia tempus quo ille status durauit, fuit breuissimum, ita vt vix potuerit esse locus tali vsui sacramentorum, & cum Deus præsciuisset instantem lapsum hominum, & amissionem illius status, nõ erat cur ipse pro tam breui tempore instituisset sacramenta. Tum quia primi homines pro illo breui tẽpore non indiguerunt sacramentis: quia erant perfecti in scientia, & cognitione rerum supernaturalium in gratia, & iustitia, quantum pro tunc oporteret. & loquor nedum de sacramentis prout sunt medicinæ, & remedia contra peccatum; sed quatenus sunt præcise signa practica, & efficacia gratiæ vnientis, & perficientis ipsam naturam stantem, nõ autem remediantis.

Sed contra hoc potest objici: quia matrimonium videtur tunc fuisse sacramentum. Nam D. Paulus ad Ephes. 5. loquens de coniugio Adæ, & Euę: dicit sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & ecclesia, Alex. de Ales, loco supra relato, inquit, quod lapsus non est causa institutionis sacramentorum simpliciter, sed sacramentorũ quæ sunt ad remedium contra defectum contractũ ex culpa originali, vel actuali, qualia, inquit, sunt omnia alia a sacramento matrimonij. (Alex. de Ales.) Vnde cum sit sacramentum significans gratiam perficientem, cuius actus exercetur sine subiectione exercentis respectu creaturæ inferioris. Et etiam sacramentum significans reparantem gratiam, cuius actus non exercetur sine subiectione huiusmodi. Vult dicere Alexand. quod matrimonium in duplici ratione potest dici sacramentum; vel quatenus significat gratiam perficientem, vel quatenus significat gratiam reparantem; priori modo sumptum: sacramentum bene potuit institui ante lapsum, & tale fuit matrimonium in statu innocentiæ. Itaque secundum Alex. matrimonium in statu innocentiæ fuit vere sacramentum. Eandem sententiam nostris ætatis sequitur Ambrosius Catharinus in quæstionibus de matrimonio, quæst. 3. Quę etiam fuisse videtur Hugonis, lib. 1. de sacram. p. 8. cap. 12. & 13. dicentis, sacramentum matrimonij ante peccatũ hominis legimus institutum. (Ambrosius Catharin. Hugo.) Addit vero hoc esse intelligendũ de sacramento, quantum ad significationem, quo verbo indicat se loqui de sacramento in generali significatione, qua complectitur quodcunque mysterium, figuram, vel signũ rei sacræ.

Scotus vero in 4. distinct. 26. quæst. 1. sub lit. I §. de primo &c. inquit. Non potest dici, quod sacramentum matrimonij sit institutum in statu innocentiæ, Gen. 2. quia omnia sacramenta habent efficaciam a passione Christi exhibita, vel præuisa, si autem status innocentiæ stetisset passio Christi non fuisset exhibita, nec præuisa. (Scotus.) Dicendum est ergo secundum Scotum ibi, Deum illo tempore voluisse quidem præsignificare desponsationem verbi cum humana natura, seu Christi cum ecclesia, non tamen instituisse proprie contractum matrimonij in sacramentum, quia nec ad aliquam

Digitized by Google

quam hominis sanctificationem illud ordinauit, neque fecit illud ceremoniā sacram, & religiosam. Et ad illud Apost. ad Ephes. 5. posset dici primo, D. Paulum non dixisse sacramentum hoc magnum fuit, sed, sacramentum hoc magnū est, vt sit sensus. Matrimonium quod in Adam, & Eua inchoatum fuit, nunc esse sacramentum significans coniunctionem Christi cum ecclesia, non vero quod a principio eam rationem vel significationem haberet. sed quia contra hanc explicationem videntur esse fere omnes patres, qui ex his verbis Pauli colligunt in formatione Euæ ex costa Adami, & ex coniugio vtriusq; significatam fuisse incarnationem Verbi diuini, vt diximus in Commentarijs nostris super Gen. c. 2. eamq; significationem propheticè reuelatam fuisse Adamo. Ideo potest dici secundo, quod D. Paulus accipit nomen Sacramentum extensè pro signo rei sacræ, cuius tamen non est causa, nec signum aliquod efficax. Non enim est matrimonium signum efficax respectu coniunctionis humanitatis ad Verbum, vel ecclesiæ ad Christum, sed si alio quo modo esset signum efficax, ita votum virginitatis posset esse signum coniunctionis ecclesiæ virginis ad Christum.

4. *Conclusio* Demum loquendo de facto, & de statu innocentiæ, qui fuisset futurus si Adam non peccasset. Dico, incertum esse an in illo fuissent sacramenta; quia non est nobis reuelatus modus prouidentiæ diuinæ, quem circa homines seruaturus esset Deus in illo statu, sed solum nobis constat si Adam non peccasset, generandos fuisse homines in originali iustitia, & gratia; ac perfecta naturæ integritate. sacramentorū autem institutio ex sola diuina voluntate pendet, quæ non est nobis nota nisi per reuelationem.

5. *Conclusio.* Cæterum si de rebus a deo reconditis, & incertis coniectare licet, dico loquendo de Sacramentis quatenus sunt signa efficacia gratiæ vnientis, & perficientis, & supposito si Adam non peccasset Christum fuisse venturum, vt diffuse ostendimus in prima parte Commentariorum in 3. sent. Dist. sub. d. 7. Credibilius esse nullum tunc instituendum Sacramentum antequam ipse in carne veniret. Tum quia pro illo statu non essent Sacramenta necessaria, vt causa gratiæ: quia in eo statu omnis gratia a Christo, & eius meritis diriuaretur: atq; adeo si aliqua sacramenta possent conferre gratiam, eam virtutem haberent à meritis Christi, est autem & ipsius Christi dignitati, & suo modo naturis rerum consentaneum, vt instrumentalis virtus ad gratiam efficiendam non conferatur instrumentis separatis, cuiusmodi sūt sacramenta, nisi per coniunctum organum diuinitatis, quæ est humanitas assumpta, ergo ante realem existentiam humanitatis, & vnionem eius cū Verbo, non tribueretur hæc virtus alicui sacramento: quia omnia huiusmodi sacramenta sunt instrumenta humanitatis. Nec etiam essent sacramēta pro illo statu instituenda, vt signa tantum, quia vti signis sensibilibus egenis, & vacuis, est imperfectio quædam pertinens ad legalem seruitutem, & puerilem pedagogiam, vt ex Paulo sumitur in epist. ad Galat. atq; adeo non indigerent homines in illo perfectissimo statu hoc imperfecto prouidentiæ genere.

6. *Conclusio* Dico postremo, post Christi incarnationem futurum fuisse tunc aliquod sacramentum, quod maxime videtur probabile de Sacramento Eucharistiæ, vt innuit Alex. loco supra relato ad quartum, quia hoc Sacramentum est per se maxime expetibile, & independens a peccato seclusa significatione passionis, quæ facile excludi posset manente reali præsentia Christi, & intima vnione, qua nos sibi coniungit per hoc Sacramentum, quæ est per se primo in illo intenta. *Alexan. de Ales.*

Ex alijs vero sacramentis constat Baptismum non fuisse necessarium: quia non fuisset necessaria regeneratio. Nam omnes nascerentur sine peccato in iustitia, vnde sicut nunc sunt natura filij iræ, ita tunc essent natura filij Iustitiæ, & filij Dei. atq; eadem est ratio de penitentia, & extrema vnctione, quæ peccatum, ægritudinem, & mortalitatē supponunt.

De confirmatione posset aliqua ratio institutionis assignari, quia abundantia Spiritus sancti, quæ per illud Sacramentum datur omni tempore, & absq; vlla occasione peccati optari maxime posset, tamen etiam negandum est hoc sacramentum futurum fuisse in eo statu, quia præsertim ordinatur ad profitendam fidem, superando difficultates, & pericula, seu persecutiones Tyrannorum, quæ in eo statu locum non haberent. Item quia homines in eo statu alijs medijs satis essent in gratia perfecti.

De Matrimonio fere eadem est ratio: Nam cū in eo statu futurus esset contractus matrimonij, & aptus esset ad significandum mysterium Christi, videtur facillime potuisse eleuari ad rationem Sacramenti, & ita facile credi posset ita faciendum fuisse, & ad perfectionem sine imperfectione pertinuisse: Nam vt inquit Alex. si incarnatio futura esset ad complementum vniuersi, etiam in statu primario secūdum hoc matrimonium fuisset sacramentum, hoc est, sacræ rei signum in statu innocentiæ. *Alex. de Ales.*

Et si dicas, te fateri quidem ad informationem summi illius matrimonij, quod æterni Verbi cum carne, & Christi cum Ecclesia, congruenter fuisse dispositum matrimonium illud esse in signum, at non ad obtinendam gratiam per illud quasi medium, atq; adeo non esse verum, & proprie sacramentum: dico quod hoc ipsum quod filij nascerētur in gratia, propter hoc ipsum sacramentum veniebat, quia matrimonium illorum erat benedictum a principio, & consecratum a Deo, & quidem ad hunc admirabilem effectum, vt qui videlicet nascerentur ipsi benedicti, & sanctificati prodirent. Fuisset quidem tam tectus ille status, vt qualis esset homo ipse tales generaret, Nunc autem filij seculi, etiam seculi filios sibi similes generant.

Et si vlterius dicas, non ergo per matrimonia collata fuisset gratia matrimonium contrahentibus, cum iam præsupponantur in gratia; sed veniebat illa benedictio solum in ipsam prolem. Dico hoc minime sequi: Non enim est recta cogitatio putare iam habentibus gratiam, gratiam conferri non posse, cum plura sint sacramenta, quæ requirunt hominem esse in gratia constitutum, vt sunt reliqua omnia præter baptismum, & pœnitentiam, satis autem magna cōfertur gratia, cum augetur iam accepta, & conseruatur.

De sacramento autem ordinis maior videri posset probabilitas, propter habitudinem quam habet ad Eucharistiam, sed hoc etiam incertum est; fingere vero alia sacramentorum genera, quæ tunc instituti possent, & voluntariū est, & præter omnem scientiam, quia in infinitum excogitari possunt. Nullum autem sacramentum institutum fuisset in illo statu significans efficaciter gratiam reparantem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in statu innocentiæ congruum fuerit sacramenta instituta ut sunt quædam cæremoniæ, sacra in quibus profitemur Deum Creatorem, & remuneratorem nostrum.

Hæc quæstio quærit, vtrum in statu innocentiæ futurus esset sacrificiorum, & oblationum cultus. De qua re duplex est sententia. Prima est negatiua, quæ est Soti in 4. d. 1. q. 2. art. 2. & Gabrielis eadem d. q. 2. Isti affirmant, & maxime Sotus, quod in statu innocentiæ non essent necessariæ aliquæ oblationes, vel sacrificia, quæ haberent rationem sacramenti: cuius fundamentum est: quia omnis finis, & ratio sacrificiorum in eo statu cessaret: quia tunc non essent peccata: atq; ita non essent necessaria sacrificia satisfactoria: neque esset varietas cultus, & religionis: quia omnes vno cultu, & vno ore colerent, & adorarent Deum, & omnibus esset notum omnes esse eiusdem Dei cultores, & amicos, ac iustos, quia omnes essent in iustitia procreati. Et confirmatur primo, quia vane offerruntur res sensibiles, nisi cessuræ sint in vsum ministrorum, & templorum, sed tunc non essent ministri, neq; templa, neq; etiam cuisquā aliqua re indigeret: quia omnia essent communia: ergo omnes oblationes tunc nullius essent momenti, atq; adeo nullius meriti, vel laudis. Confirmatur secundo, quia seclusa significatione vanum, & futile esset, huiusmodi sensibilia sacrificia facere, sed hæc significatio non esset necessaria in statu innocentiæ. *Sotus. Gabriel.*

Sed istæ rationes Soti non adeo me mouent, quin probabiliorem existimem oppositam sententiam, quam docet Alex. p. 4. q. 1. in 2. ar. 1. Durandus in 4. d. 1. q. 2. Card. Alanus lib. de sacramentis. c. 27. & Suarez Tomo 3. q. 61. ar. 2. disp. 3. sect. 1 & 2. imo D. Thomas. 2. 2. q. 85. art. 1. vbi absolute docet offerre sacrificium esse de lege naturæ: quia ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdā rebus sensibilibus vtatur, vt per earum oblationem subiectionem ad Deum significet, & diuinum dominium recognoscat, & similia repetit art. 4. Hoc autem rationale dictamen de offerendo Deo sacrificia, non oritur ex occasione aliqua orta ex *Alexan. de Ales. Durandus. Alanus. Suarez. D. Thomas.*

peccato,

peccato, sed ex subiectione, & illius recognitione, quam homo debet Deo propter supremum eius dominium. Quapropter

1. Conclus. Dico primo, quod cultus Dei externus per actiones corporis valde consentaneus esset hominibus in statu innocentiæ. Vnde probabile est de facto in eis fuisse, & longe probabilius futurum fuisse si homo non peccasset: probatur, tum quia hic cultus externus non est ex accidenti, seu per occasionem introductus ratione peccati; sed est per se debitus Deo, eo quod est author humanæ naturæ: quæ animo, & corpore constat. Tum quia est homini naturalis vita politica, & socialis. Ideo non satis est vt interius credat, & colat verum Deum, sed etiam oportet vt ore, & opere suam fidem, & religionem ostendat. Tum etiam quia naturale est homini, vti corpore, & animo in suis actionibus; ergo maxime in diuino cultu; huiusmodi autem rationes vim habent pro innocentiæ statu, eo quia & in eo statu homo constaret corpore, & anima, & per consequens vtriusque actibus deberet colere Deum authorem suum, & in eodem statu homines politice, & non solitarie viuerent, & vnus non cognosceret interiores actus alterius, nisi quatenus per exteriores manifestarentur.

2. Conclus. Dico secundo, quod eiusmodi cultus externus fuisset interdum publicus, & sollemnis totius ecclesiæ nomine exhibitus. Quia homo natura sua est politicum animal, ideo naturale est hominibus in vnum populum, vel Rempubl. congregari, esset ergo hic modus societatis in statu innocentiæ: nam per se bonus est, & humanæ naturæ conueniens, & non tantum occasione peccati, ergo homines sic congregati in vnum corpus politicum deberent etiam in vnum religionis nomen congregari. Nam in omni Republic. bene instituta primum ac præcipuum esse debet religionis negocium, ad cuius debitam constitutionem, ordinem, & conseruationem reliqua omnia referri debent: at non possunt homines congregari in vnum nomen religionis nisi medio aliquo cultu Dei externo, & sensibili, ac toti Reipublic. communi, vt constat ex D. Augustin. libro decimonono contra Faustum, capitulo vndecimo, quia homines non vident actiones animi, sed corporis.

D. August.

3. Conclus. Dico tertio, quod non solum fuisset in illo statu externus ac sensibilis Dei cultus, qui fit solis actionibus, & organis corporis humani, velut sunt orationes, & laudes, quibus Deum deprecamur, & laudamus, genuflexiones, & consimiles actiones, quæ non habent aliam materiam circa quam versentur præter nostri corporis membra, & eorum vsum; sed etiam qui fit aliquo vsu externarum rerum, quas illi offerimus, vel sacrificamus, velut quando cereos accendimus, vel thus, aut incensum adolemus in eius honorem.

Probatur: omni tempore fuerunt necessaria ad salutem fides, & opera protestantia fidem in his saltem in quibus inerat facultas operandi, & de fide quidem patet: quia sola cognitio naturalis non potest hominem sufficienter dirigere respectu finis supernaturalis, in quo salus eius consistit, propter quod requiritur fides, sine qua impossibile est placere Deo. Hebræ. vndecimo. De operibus etiam patet: quia fides sine operibus mortua est. Iacobi secundo. ergo semper necessaria fuit fides de mediatore, saluatore, ac remuneratore, & opera protestantia talem fidem, vt expresse docet Diuus Paulus ad Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum: quia est, & quia inquirentibus se remunerator est, opera autem protestantia talem fidem, siue essent sacrificia, siue oblationes, potuerunt dici sacramenta secundum extensam acceptionem sacramenti, secundum quam omne signum rei sacræ potest dici sacramentum.

Item in statu innocentiæ fuisset homo sensitiuus, & acquireret cognitionem per sensum, ergo congruum fuit institui aliqua signa sensibilia, videlicet oblationes, vel sacrificia: quibus duceretur in cognitionem effectuum supernaturalium Dei, scilicet quod sit saluator, & remunerator, & etiam propter humiliationem, scilicet vt illis se subijceret homo propter Dei reuerentiam, & similiter propter exercitium illius status.

Sotus. His rationibus respondet Sotus, & ad primam dicit, quod licet fides fuerit semper necessaria, atque etiam protestatio exterior illius, tamen dupliciter potest protestari, vno modo per virtutum officia, & exteriores laudes, altero modo per oblationes, & sacrificia, priori modo esset protestatio fidei in statu innocentiæ fuisset enim ibi educatio filiorum in Dei reuerentia, & honore; & obedientia filiorum erga parentes, atque obedientia omnium ad Deũ seruando præceptum abstinentiæ a fructu ligni scientiæ boni, & mali, sacrificia autem nulla ratione essent necessaria.

Ad secundam dicit, quod non valet consequentia, quia erudiri per creaturas de scientia supernaturali, atque exerceri, & humiliari sub illis, fuit nobis congruum in pœnam peccati: quia vt tangit Hugo libro primo, de sacramen. parte nona, capitulo secundo, & refertur a Magistro hac d. homo ante peccatum sine medio Deum videbat, id est, eum cognoscebat per influentiam diuini luminis sine corporalium rerum ministerio, per peccatum autem habet, inquit Hugo, vt nequeat diuina capere sine corporalium rerum adminiculo. Hugo.

Sed contra, homo non tantum accepit a Deo corpus, & animam, sed etiam res externas, quibus ad corporis conseruationem, & animi profectum, oblectationem, & exercitium vtitur, ergo non solum debet animo, & corpore Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili vsu Deum esse omnium Dominum protestaretur, eique gratias agit, iuxta illud 1. Paralipom. 29. Tua sunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. quæ ratio, & congruentia locum haberet in statu innocentiæ. Vsus etiam rerum sensibilium est per se decens, & honestus, & non includit imperfectionem statui innocentiæ repugnantem, & in eo statu seruaretur naturalis modus humanæ cognitionis, nedum quo ad naturalem cognitionem, sed etiam quo ad cognitionem supernaturalium, vt diximus in superiori articulo: & nulla est causa ad fingenda miracula, vel nouum prouidentiæ modum, atque adeo deberent tunc homines institui in rebus fidei per voces, & signa sensibilia, easque apprehendere per habitudinem ad illa: quia in vsu fidei a phantasmatibus dependerent.

Ad rationes Soti respondeo, ipsum supponere si Adam non peccasset, nulla fuisse futura hominum peccata, quod non solum incertum est, sed etiam minus probabile: nam per iustitiam originalem non magis confirmarentur homines in gratia, quam Adam ipse fuit in prima sui iustificatione confirmatus: Quod si peccarent, aliqui cessant omnes rationes Soti: nam pro illis possent offerri sacrificia, vel satisfactoria, vel deprecatoria à vitis sanctis, & iustis; possent etiam adeo multiplicari peccata, vt diuersi ritus religionis, vel veræ, aut falsæ ab hominibus instituerentur.

Sed demus Soto quod in illo statu nulla fuissent futura peccata, adhuc esset sufficiens ratio ad instituenda sacrificia, exhibitio diuini honoris, gratiarum actio, & causa etiam aliquid impetrandi a Deo: quamquam enim possent homines hæc omnia corde, & ore facere, decebat tamen vt etiam externis rebus hæc facerent, vt omnibus modis animi gratitudinem, & cognitionem ostenderent.

Quod vero de vsu templorum, & ministrorum obijcitur, valde accidentarium est, & extrinsecum, ad institutionem, honestatem, & vtilitatem sacrificij, vt in lege gratiæ, si solum sacrificium nude ac per se spectetur, oblatio quæ in eo fit non cedit in vsum templorum, & ministrorum: imò si tales essent homines, qui nulla re indigerent, purius, ac sincerius illud sacrificium offerre possent; præterquam quod sacrificia instituebantur eo modo, vt res penitus absumerentur, sicut fiebat in holocaustis, quæ tota absumebantur: deinde nescimus an etiam tunc futura fuissent templa, & ministri templorum, vt recte dixit Alanus vbi supra. Alanus.

Atque eadem ratione impertinens est, quod bona sint communia: quia sacrificia non habent honestatem ex eo, quod homo ex proprijs bonis aliquid amittit, vel consumit: vt videre licet in sacrificio Missæ, in quo offerendo fere nihil ex temporalibus bonis consumitur, & æque religiose fieri posset ex bonis communibus sicut ex priuatis, ergo propter has causas extin-

fecus non est negandum sacrificium in statu innocentiæ, cum per se, & intrinseca ratio eiuscum perfectione illius status non repugnet, sed maximam habeat congruentiam.

Ad secundam confirmationem distinguo, quod duplex est significatio, quædam moralis quatenus est signum interioris sacrificij, & hæc sola est de essentia sacrificij, quæ non repugnabat statui innocentiæ. Alia est significatio mystica, quatenus per sacrificium significatur aliquod supernaturale diuinum mysterium, & hæc non est de essentia, & necessitate sacrificij absolute, & simpliciter loquendo, atque adeo quamuis gratis concederemus Soto hanc significationem non fuisse futuram in statu innocentiæ, exinde non fit non fuisse futurum sacrificium: quamquam improbabile non est, potuisse esse tunc aliquam significationem mysticam alicuius diuini mysterij, vt bi gratia, Christi Domini, qui in eo statu venturus esset etiam si homo non peccasset, quia sicut hæc mysteria possent tunc significari ab hominibus per verba sensibilia, vel per scripta ita etiam per facta, & res externas. Cur enim hoc posterius repugnat perfectioni illius status potius quam illud prius?

Patet ergo probabilius esse affirmare vsum sacrificij potuisse habere sufficientem congruentiam in statu innocentiæ. An vero de facto futurus esset talis vsus sacrificij si homo non peccasset, non potest certa ratione affirmari, credibilius tamen est homines in eo statu vsuros fuisse aliquo sacrificio: Nam valde credibile est homines in eo statu facturos fuisse, quod magis congruum, magisque humanæ naturæ ac rectæ rationi esset consentaneũ. Atque adeo concludendum est in statu innocentiæ congruũ fuisse aliquod sacramentum institui, si sacramentum fuse pro sacra ceremonia, in qua profitemur Deum esse authorem, & remuneratorem nostrum, sumatur.

Imo si accipiatur sacramentum proprie prout a sacrificio distinguitur, dico probabile nihilominus esse, quod præter sacrificia fuisset etiam tunc aliquod sacramentum saltem ad gratiam augendam, quale omnino sacramentum futurum fuisse significat D. Augustin. decimotertio libro de Ciuitate Dei, capitulo 20. Etiam illum de fructu ligni vitæ, qui in illo statu fuisset vsurpatus, quod videntur tenere Alexand. & Durand. vbi supra. Neque ab hac doctrina dissentit Doctor noster sub. immo eius intentioni videtur valde consentanea, si eius verba recte perpendantur. Nam quærens an pro statu innocentiæ congruum fuerit aliquod institui sacramentum, inquit, quod non fuit congruum in statu innocentiæ institui sacramentum sicut post lapsum, quibus verbis non negat absolute non fuisse congruum institui sacramenta in statu innocentiæ, sed sicut post lapsum, idest, vt medicina contra morbum, quod magis explicans subdit, quod nullum sensibile fuit necessarium pro eo statu, tanquam conferens ad salutem remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet posset dici proprie medicina.

D. August.

Alex. de Ales.

Durand.

Resolute ergo & breuiter intentio Scoti tribus conclusionibus explicatur.

1. Conclusio Scoti. Prima Conclusio. In statu fœlici seu beatitudinis nullum sacramentum est necessarium. Probatur, quia vbi non est morbus non est necessaria medicina, sed in beatitudine nullus est morbus, sed perfecta sanitas, ergo non oportet ibi esse aliquod sacramentum, neque sacrificium. Secundo probatur, in quolibet statu post lapsum, necessaria sunt sacramenta, vt per sensibilia manu ducatur homo ad intelligibilia, & inuisibilia; sed in patria non indiget homo sensibilibus, vt cognoscat intelligibilia, igitur in patria nullum erit sacramentum.

2. Conclus. Secunda Conclusio. In statu innocentiæ non fuit congruum aliquod sacramentum institui, quatenus sacramentum est medicina contra peccatum; probatur, sacramentum vt sic est medicina contra morbum, sed ibi nullus esset morbus, ergo neque medicina sacramenti esset necessaria. Non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Matth. 9. quia & si tunc, scilicet in statu innocentiæ, homo non potuit nisi ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet posset proprie dici medicina curatiua, vel præseruatiua a morbo.

3. Conclus. Tertia Conclusio. Congruum fuit pro quolibet statu viæ post lapsum hominis aliquod sacramentum institui, probatur. In quolibet statu post lapsum fuit vulnus, & morbus in homine, igitur ad sanandum hominem aliqua oportuit institui sacramenta; probatur consequentia: nam in quolibet statu morbido necessaria est medicina, qualis est sacramentalis.

Secundo probatur, pro quolibet statu viæ post lapsum, congruum est hominem manu duci ad inuisibilia per aliquod sensibile, igitur congruum fuit sacramenta, quæ sunt sensibilia signa, institui, vt per ea homo lapsus manuducatur ad inuisibilem gratiæ effectum, quo eius lapsus, & salus reparatur, an vero plura, & quæ fuerint pro quolibet statu naturæ lapsæ sacramenta dicitur inferius.

ARTICVLVS VII.

Vtrum pro varietate temporis, & status cuiuscunque legis congruum fuerit extitisse varia sacramenta atque diuersa.

Pro explicatione huius quæstio. obseru. est primo, quod sacramentum vno modo distinguitur, quasi vox in significationes in sacramentum proprie, & improprie dictum, sacramentum proprie dicitur illud, cui competit definitio tradita a Magistro, & explicata per Scotum in præcedenti quæstione. Improprie vero dicitur sacramentum, quod est signum rei sacræ: atque adeo ita sacramenti diuisio, vt dicit Scotus, est aequiuoci in sua æquiuocata: quia hæc vox sacramentum non importat vnum conceptum communem sacramento improprie dicto, & proprie sumpto, sed significat sacramentum proprie dictũ & improprie acceptum diuersis conceptibus: sacramenta autem improprie dicta erant ceremoniæ veteris legis; veluti purgationes ab immunditijs, oblationes, sacrificia, genuflexiones, inclinationes, prostrationes ad terram, pectorum tunsiones, & his similia, quæ sunt signa sacra, & improprie sacramenta.

Secundo obseru. est, quod magna est differentia inter sacramenta improprie dicta, & sacramenta proprie accepta: quia sacramenta proprie sumpta conferunt gratiam tanquam signa efficacia, & certa ex opere operato, adeo quod in recipiente sacramentum, non requiritur de necessitate motus interior suscipientis, quantum est ex parte sacramenti, sed sufficit quod non ponat obicem. Sed sacramenta improprie dicta non conferunt gratiam per modum signorum efficacium, & ex opere operato, sed per modum meriti, & virtute boni motus interioris, quem faciebant homines, quod contingebat, quando faciebant purgationes, & genuflexiones, propter obseruantiam præcepti, & cum charitate.

Est differentia inter sacramenta propria, & improprie dicta.

Tertio obseruandum est, quod sacramentum proprie acceptum distinguitur velut superius in sua inferiora, quasi per sua membra. Nam potest vnum sacramentum tripliciter ratione ab alio esse diuersum, primo ratione signi sensibilis: quia habent diuersa signa sensibilia, sicut baptismus, & Circumcisio, vel baptismus, & Eucharistia: Aliud enim signum sensibile sunt species panis, & vini in sacramento Eucharistiæ, & aliud est aqua, & ablutio in sacramento baptismi. secundo ratione significationis, & hoc dupliciter, vel quia habet simpliciter aliam significationem, respectu alterius, & alterius signati; quemadmodum baptismus est sacramentum diuersum ab Eucharistia: Nam sacramentum baptismi significat gratiam inhærentem; sacramentum vero Eucharistiæ significat gratiam subsistentem, scilicet corpus Christi. Vel secundum quid seu imperfecte aliam respectu eiusdem signati, variatis secundum magis, & minus; & hoc pacto potest vnum sacramentum esse diuersum ab alio, licet eandem rem significet: quia vnum rem aliquam significat clarius, & perfectius, aliud vero eandem rem significat, sed imperfectiorem, & obscurius, sicut baptismus, & Circumcisio, quæ significant gratiam, qua deletur peccatum originale, sed baptismus perfectiorem gratiam significat, & clarius, quam Circumcisio.

Quo sacramenta proprie dicta sunt inter se diuersa.

His obseruatis est prima Conclusio. Non fuit necessariũ variari sacramenta improprie dicta secundum variationem legis

legis à Deo datæ. patet: quia multæ cæremoniæ, seu sacramenta impropriè dicta naturalis, & veteris legis possunt modo esse, & sunt in ecclesia, vt genuflexiones, inclinationes, prostrationes ad terram, & similia: non quia modo obligent tales cæremoniæ ex vi legis antiquæ, sed quia ab ecclesia institutæ sunt tanquam decentes cultum diuinum; hæc conclusio est Scoti in hac, q. sub litt. I.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio. Certum est secundum variationem legis, & status humani post lapsum, sacramentũ saltem illud quod erat medicina contra originale peccatũ, esse diuersum quatenus signũ erat sensibile. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. k. pro cuius explicatione obseru. est, quòd sacramenta sunt instituta ad curationem hominis, quantũ ad sanitatem spiritualẽ, & ad protestandum fidem, quã homo debet habere de Redemptore. Secundo obser. est, quod homo aliter habuit fidem de Redemptore in statu innocentiæ, & naturæ lapsæ: quia in statu innocentiæ non habebat aliquam fidem explicitam de Redemptore: quia manente illo statu non fuisset necessaria redemptio. In statu autem naturæ lapsæ oportebat habere fidem explicitam de Redemptore, quod homo debebat à Deo redimi, qualitercumque hoc esset; sed quod deberet habere talem, vel talem Redemptorem, vel talem modum redimendi communiter populus ignorabat, nec habebat de eo fidem explicitam; sed maiores, vt Patriarchæ de hoc habebant fidem explicitam. Quia nec tunc etiam ita, explicite habere non erat necessarium: quia nec erant ita corrupti homines per peccatum tunc, sicut postea fuerunt, vt scilicet esset necessarium eis magis explicite, scire modum Redemptionis, vt magis retraherentur à peccato, sicut fuit postea. & ideo tempore illo fuerunt sacramenta, scilicet oblationes, & decimæ, & immolationes significantes explicite, & indeterminate Redemptionem humanam. Postea vero tempore legis Moysi inualescente peccato oportuit magis in speciali habere fidem de Redemptore, & de modo redimendi, vt homo magis retraheretur à peccato. Et debuerunt etiam habere maiorem occupationem in vsu sacramentorum, vt minus possent vacare illicitis. & ideo tunc expressiora repræsentatiua Redemptoris, & modi redimendi sunt instituta: sicut immolatio agni, & multa alia cæremonialia. In lege autem gratiæ, in qua omnia sunt explicite, & in se explicita, sunt instituta sacramenta, quæ maxime explicite ea, quæ sunt fidei, protestantur.

Ex his potest formari talis ratio. Illa, quæ sunt instituta ad protestandum fidem, & ad curandum morbum humanum debent diuersificari, secundum diuersum statum modi humani & fidei, sed vt modo patuit in prædictis tribus statibus diuersificatus est morbus humanus, & explicatio fidei, ergo in prædictis tribus statibus sacramenta, quæ sunt contra morbum humanum, & protestatio fieri debuerunt diuersificari; hæc ratio concludit de sacramentis prout sunt medicinæ contra actuale peccatum: Nam valde probabile est & pium pro omni tempore humanæ naturæ destitutæ, fuisse diuinitus duo sacramentorum genera instituta: Vnũ pro paruulis in remedium contra originale peccatum, & aliud pro adultis ad acquirendum gratiæ perditæ donum, vel eius præhabitæ augmentum, & per consequens aliquo modo, vt in remedium contra actuale peccatum, vt diffusius explicabimus in q. vlt. huius dist.

Sed loquendo de sacramento propriè dicto, quod instituebatur vt medicina contra morbum originalis peccati, sacramentum legis naturæ, Moysis, & Euangelij formaliter, & secundum se accepta, videlicet vt talia signa sensibilia fuerunt formaliter, & realiter diuersa: patet, quia in lege Euangelij sacramentum, institutum contra originale peccatum est baptismus, in lege Moysi circumcisio, & in lege naturæ oblatio, vel aliquod sacrificium.

Tertia conclusio.

Tertia conclusio. Si sacramenta legis naturæ, Moysis, & Euangelij accipiantur virtualiter, videlicet, in ordine ad ipsorum signata, absolute loquendo diuersa non erant secundum speciem, quatenus erant medicinæ contra morbũ originalis peccati. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. k. §. Primum probatur. vbi habet hęc verba: Non quidem, quod significatio esset simpliciter alia & alia respectu alterius simpliciter: nam ex quo in qualibet lege fuit medicina contra eumdem morbum; non fuit simpliciter aliud, quod significabatur per tale sacramentum in alia, & alia lege. Hæc Scotus. probatur conclusio: omnia sacramenta, & alia quæcũq; signa sunt virtualiter eadem, quorum signata sunt eadem; sed illud idem, quod signat baptismus, videlicet remissionẽ culpæ originalis, & infusionem diuinæ gratiæ, signabat, & similiter vt baptismus efficiebat circumcisio; & aliud quodcumque sacramentum, seu sacrificium vt in remedium contra originalem maculam institutum. Hoc enim per baptismum, circumcisionem, vel quodcumque aliud sacramentum contra eumdem morbũ institutum figurabatur, quod eis mediantibus homo consequebatur. Sed hoc erat tunc sicut & nunc remissio culpæ originalis, & infusio gratiæ, ergo &c.

Quarta conclusio.

Quarta conclusio. Si sacramenta instituta contra morbum originalis peccati in lege naturæ, Moysi, & Euangelij accipiantur virtualiter, id est, in ordine ad ipsorum signata non absolute respectu effectus signati, sed secundum intensionem, aut remissionem clariorem, vel obscuriorem significationem, fuerunt aliquo modo diuersa. hæc conclusio est Scoti vbi supra, & probatur. quia baptismus, qui institutus est in lege Euangelij contra originale peccatum, est perfectius sacramentum, quam fuerit circumcisio, & sacramentum legis naturæ institutum contra eumdem morbum; quoniam sacramenta tanto sunt perfectiora, quanto perfectiorem significant effectum, qui ad ipsa sequitur, & confertur, sed diuina gratia per baptismum, & per illa significata perfectior datur baptismo mediante, quam illis mediantibus conferretur, licet forte culpa originalis æqualiter per omnia remittatur; atque adeo licet baptismus, circumcisio, & sacramentum legis naturæ, prout comparantur ad culpæ remissionem neutra perfectiora alijs possint dici; nec enim magis per baptismum, quam per circumcisionem, vel per aliud sacramentum peccatum originale remittitur, tamen vt ad gratiam comparantur baptismus est illis perfectior; quia maior per ipsum confertur gratia quam per illa, atque adeo est ab illis diuersus.

Quinta conclusio.

Quinta conclusio. Congruum fuit secundum variationem legis & status humani post lapsum sacramentum saltem illud, quod erat medicina contra originale peccatum, variari quatenus signum erat sensibile, non quidem significando effectum gratiæ diuersum, sed eumdem maiorem tamen siue minorem, clarius ve, siue obscurius. Probatur primo secunda pars conclusionis: quia lex posterior à Deo data semper fuit perfectior, sed lex perfectior requirit perfectiora adiutoria ad sui obseruantiam, igitur lex posterior debuit habere sacramentum efficiens maiorem gratiam, clariusque significans; consequentia patet cum minori, & maior probatur: quia sicut in naturalibus semper proceditur via generationis ab imperfecto ad perfectum, sic Deus ordinatissimus agens, authorque gratiæ & naturæ processit de imperfecto ad perfectũ, semper faciens legem posteriorem priori perfectiorem, clariusque significantem. Vnde D. Gregorius homil. 4. in Ezechielem dixit, quod in processu generis humani semper creuit notitia veritatis, Maiorem enim notitiam, & clariorem habemus de diuinis mysterijs in lege Euangelica, quam fuerit in lege Moysis. Ex quibus etiam probatur prima pars conclusionis, nempe quod congruum fuit variati sacramentum pro varietate legis, quatenus est signum sensibile.

D. Gregor.

Nam congruentius est ad significandum perfectiorem gratiam in lege perfectiori nouum signum imponi, & manifestius, quam antiquum remanere: Nam antiquum ex illa impositione, secundum illud significaret, quod prius significabat; igitur sicut rationabilius est in signis practicis institutis à nobis ad significandum perfectiorem effectum imponere nouum signum, quam antiquum permanere; sic fuit congruentissimum, secundum varietatem legis à Deo latæ post lapsum variari sacramentum, quatenus est signum sensibile.

Secundo probatur; sacramenta sunt signa protestantia fidem interiorem, sed fides processu temporis creuit in notitia, & numero credendorum, igitur in lege posteriori debuit institui signum, quod euidentius significaret signatum. Et confirmatur. Translato sacerdotio, legis translatio fit, vt D. Paulus dicit ad Hebræ. 7. sed vnaquæque lex proprium habuit sacerdotium distinctum à sacerdotio alterius legis, & sacerdotes offerunt Deo sacrificia, & dona pro peccatis, ergo debuit esse aliud, & aliud sacrificium, & per consequens aliud, & aliud sacramentum.

Contra hanc conclusionem arguitur. Tempore legis naturæ non fuit aliquod sacramentum, ergo pro tempore

cuiuscúque legis a Deo latæ, non fuit institutum diuersum sacramentum, consequentia patet, & antecedens probatur: quia non legimus de aliquo sacramẽto instituto a Deo pro tempore legis naturæ, at sacramentum non potest institui nisi a Deo, secundum eius definitionem, ergo &c. Et confirmatur ex D. Gregor. lib. 4. moralium, & ponitur de consecrat. dist. 4. Quod apud nos valet aqua baptismi hoc egit apud veteres vel sola fides pro paruulis, vel pro maioribus virtus sacrificij, ergo non fuit apud eos sacramentum, sed maior videtur esse necessitas pro aliqua lege ratio sacramenti contra morbum, quam aliquod aliud.

D. Gregor.

Præterea si in diuersis legibus deberent sacramenta diuersa institui, ergo mutata lege deberent & sacramenta mutari, sed hoc est inconueniens, ergo non fuit congruum in diuersis legibus diuersa institui sacramenta; probatur maior, quia sacramenta haberent esse conformia, atque adeo alia succedente lege, alia deberent succedere sacramenta; minor probatur, quia nomina, & verba semel imposita ad significandum semper retinent suam significationem, & ideo non debuerunt sacramenta mutari.

Ad primum inferius patebit questio. vltima huius distinctionis soluendo primum principale.

Ad secundum nego minorem, & ad probationem dico, quod est disparitas rationis: quia nomina solum sunt imposita ad significandum, & ideo non est inconueniens, quod semper maneant, sacramenta autem sunt instituta non solum ad significandum gratiam, sed etiam vt populus illius legis per talia signa, distingueretur a populo alterius legis, atque adeo si eadem remanerent sacramenta, iam populi diuersi non distinguerentur per illa, vt si nobis Christianis Circumcisio remansisset loco baptismi, non videremur distincti a Iudæis; quinimo esset occasio arbitrandi quod essemus in eadem lege.

Dico secundo, quod sacramenta a Deo instituta non abrogantur, sed implentur, verbi gratia, Circumcisio non fuit abrogata, quia non fuit instituta pro semper sed vsque ad baptismum, & ideo potius dicitur adimpleta, quam abrogata, sicut pragmatica Regis data ad certum tempus non dicitur abrogari adimpleto tempore, sed potius adimpleti.

QVAESTIO IV.

Vtrum sit possibile aliquod sacramentum quantumcunque perfectum habere causalitatem actiuam respectu gratia conferenda.

Haec quæstio sicut difficillima, ita celeberrima est, verum nimia opinionum varietate obnubilata, quam exagitant Alexand. de Ales, quarta parte, quæst. 5. membr. 3. artic. 5. D. Thom. in 4. distinct. 1. quæst. 1. & 3. & in 3. par. quæst. 62. articulo primo, & secundo, D. Bonauent. distinct. 1. articulo primo, quæst. 4. Richar. in eadem distinct. artic. 4. quæst. 2 Scotus hac distinct. quæst. 4. Durand. quæst 4 Gabriel. quæst. 1. Aureolus dist. 1. q. 1. art. 3. & 4. Sotus dist. 1. q. 3. art. 1. Canus in relectione de sacramentis in genere, par. 4 & cæteri Scholastici in 4. dist. 1. Titulus quæstionis ex sequentibus fiet clarus. Diuidimus autem hanc quæstionem in decem articulos.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richard. Scotus. Durandus. Gabriel. Aureolus. Sotus. Canus.

Primus Artic. Vtrum sacramenta gratiam, quam significant, efficiant & conferant.

Secundus Artic. Vtrum sacramenta sint causa gratię sine quibus non.

Tertius Artic. Vtrum sacramenta ex eo sint causa gratia, quia continent authorem gratia.

Quartus Artic. Vtrum sacramenta sint causa Physica dispositiue respectu gratia.

Quintus Artic. Vtrum sacramenta ex eo sint causa Physica gratia quia faciunt hominem gratum.

Sextus Articul. Vtrum sacramenta secundum potentiam obedientialem possint a Deo eleuari, ad effectum gratia.

Septimus Articul. Vtrum sacramenta sint causa Physica instrumentales attingentes gratiam.

Octauus Artic. Vtrum responsiones Thomistarum soluant rationes Scoti contra D. Thomam de efficientia Physica sacramentorum.

Nonus Artic. Vtrum sacramenta noua legis agant instrumentaliter ad gratiam.

Decimus Articul. Vtrum sacramenta noua legis sint causa morales efficientes gratiam.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacramenta nouę legis gratiam, quam significant efficiant, & conferant.

Massaliani hæretici, vt refert Damascenus in libro de hæresibus, docebant, sacramentis baptismi, Eucharistiæ, & alijs non iustificari homines, sed solis precibus. Massaliani, inquit, docent baptismum hominem non perficere, nec diuina sacramenta accepta animi sordes expiare, sed solas preces, quæ ab illis recte fundantur. Armeni quoque, & noui quidam Cathari, vt refert Alphonsus a Castro libro decimotertio, aduersus hæreses, verbo Sacramenta, negabant sacramenta gratiam conferre. Istum errorem tamdiu ab Ecclesia explosum recepit tutandum Martinus Lutherus: qui talia de sacramentis verba profert. Hæretica est sed vsitata sententia, sacramenta nouæ legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem. Et omnes fere huius temporis hæretici docent sacramenta non aliter valere ad gratiam conferendam, nisi vt obiecta, vel signa excitantia fidem, quam solam iustificare dicunt, & licet interdum vocent sacramenta causas, vel instrumenta iustitiæ, tamen ita loquuntur ad decipiendos homines, & ad occultandum errorem; quia re vera sentiunt, non aliter esse causas, quam concionem, vel aliud obiectum, quod potest fidem excitare. Addit præterea Lutherus etiam isto modo sacramenta non posse tollere peccata, sed tantum efficere, vt tegantur, vel non imputentur.

Damascen. *Alphons.*

Contra hunc errorem, vel potius hæresim validissime scripserunt Thomas Vualdensis, tom. 2. de sacrament. Roffensis in refutat. art. Luth. articulo primo, Ruardus in articulis Sorbonicis art. 1. Alanus, libro de sacramentis in genere. Echius hom. de sacramen. Clitou. in defensione Concilij Tridentini, contra Kemnitium circa sess. 7. Ossius in confess. capit. 37. & sequent. Lindanus lib 4. Panop. a principio, & diffuse, & doctissime Cardin. Bellarm. tom. 2. libro secundo.

Vualdensis. Roffensis. Ruardus. Alanus. Echius. Clitou. Ossius. Lindanus. Bellar.

Pro explicatione tamen quæstio. obseru. est, quod licet Doctores Catholici in re conueniant, quia omnes fatentur quod sacramenta nouæ legis sunt causæ gratiæ, tamen quo admodum dicendi differunt, & quomodo sacramenta gratiam efficiant diuersæ sunt opiniones, quæ sicut fidei non contradicunt, ita nec ad fidem pertinent: Nam licet ad quæstionem fidei pertineat, an sacramenta sint vere, & proprie causæ instrumentales iustificationis, vt vere ex eo quod quis baptizatur, sequatur vt iustificetur in quo conueniunt omnes catholici: quia hoc sufficit ad fidem, & ad legitimum sacramentorum vsum. Tamen an sacramenta sint causæ gratiæ Physicæ attingendo gratiam, an moraliter tantum, & rursum si Physicæ, an per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei motionem ista ad quæstionem fidei non pertinent.

Nam quemadmodum in miraculis Christi non requirebatur vt homines qui curandi essent scirent in quo genere causæ fimbria Christi sanaret, sed satis erat vt scirent, & crederent tactum illius fimbriæ adferre sanitatem, neque opus erat, vt ipsi Apostoli, qui manus imponendo curabãt, scirent quomodo id fieret. Ita quoque non est necesse, vt vel ministri, vel qui suscipiunt sacramenta, sciant quomodo sacramenta sint causæ iustificationis, sed satis est eos credere sacramenta causas esse.

Præterquam quod hoc est commune multis mysterijs fidei, vt tantum habeamus ex scripturis esse aliquid, & tamen ignoremus modum, vt Deum esse trinum, & vnum. Christum esse Deum, & hominem; Resurgere corpora eadem numero, Christum totum esse in Eucharistia, &cæt. Ita quoque in hac re satis est probari posse ex fide scripturarum, & Conciliorum sacramenta esse

causas

causas gratiæ, quod præstabimus in hoc art. & quomodo fiat licet difficillimum sit intelligere nedum explicare, tamen modum quem intellectu faciliorem, & naturæ sacramento non magis consentaneum existimamus alijs impugnatis, in vltimo art. c. huius quæstionis enucleabimus.

Conclusio. *Baptismus.*

Dico ergo primo. Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ, hæc conclusio est de fide, & fundamentum habet in scriptura. Nam de baptismo dicitur Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, & Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto non potest introire in regnum Dei. Hic locus aperte facit baptismum aquæ causam nouæ natiuitatis: id enim significat præposito, ex vt patet in omnibus similibus loquutionibus. Item Actorum 2. Pœnitentiam inquit B. Petrus, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritussancti, & Act. 22. Et nunc quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius, & ad Ephes. 5. Mundans, inquit D. Paulus, Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo vitæ, & ad Titũ 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Eucharistia *Cõfirmat.*

Et de Eucharistia, Ioan. 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Item qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. De confirmatione dicitur Act. 8. Imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritumsanctum, vbi D. Lucas loquitur de cõfirmatis ab Apostolis. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri, dixit Paulus Timotheo, de sacramento ordinis locutus, 1. Timot. 4. sicut & D. Augustinus obseruauit in lib. 4. noui, & veteris testamenti, c. 93. & 2. ad Timo. 2. Vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum meaũ. De pœnitentia Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Vnde sumpta sunt illa verba. Ego te absoluo. Quorum veritas requirit vt ipse sacerdos per illud sacramẽtum gratiam conferat, qua remittuntur peccata.

Ordo. *Pœnitentia.*

Extrema vnctio.

De extrema vnctione. Infirmatur quis in vobis? dicebat Iacobus, cap. vlt. inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei. Vbi per orationem fidei forma illius sacramenti significatur, non solum quia communi appellatione forma sacramenti solet vocari deprecatio, sed etiam quia illa forma fit per modum deprecationis.

Matrimonium.

Demum de sacramẽto matrimonij, D. Paulus ad Ephes. scribens. Viri, inquit, diligite, vxores vestras non vt vxores, aut carnem vestram tantum, sed sicut Christus ecclesiam suam, vt in vxore maritus ecclesiam spectet Christi sponsam, quibus verbis aperte indicatur, matrimonium esse verum nouæ legis sacramentum, atque adeo eiusdẽ rationis cum cæteris.

Dices ex his locutionibus ad summum colligi posse adhibitis sacramentis Deum dare gratiam, non vero ipsa sacramenta esse causas gratiæ. Respondeo hoc pro nunc satis esse, & quod ostendere volumus obiectio, autẽ attingit quęstionem aliam pertinentem ad modum, quo sacramẽta conferunt gratiam, quam nunc non disputamus, sed solum asserimus, ex prædictis testimonijs colligi simpliciter, & absolute sacramenta esse vocanda causas gratiæ, vt patet ex illis modis dicendi, per lauacrum, & ex aqua, & remitto, & similibus, quæ in proprietate sermonis causalitatẽ significãt.

Concilium Florent.

Secundo probatur hæc veritas ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. celebrato, vbi hæc verba habẽtur in decreto super vnione Armenorum. Illa (scilicet sacramẽta veteris legis) non causabant gratiam, sed eam solum per passionẽ Christi dandam esse figurabant. Hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. & Concil. Trid. sessi. 7. can. 6. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam significant, aut ipsam gratiam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Idem repetit can. 7. & 8. Præterea in symbolo Niceno, & Constãtinopolitano dicitur. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, quibus verbis significatur per baptismũ conferri remissionem peccatorum, & consequenter etiam gratiam, & idem traditur, in Concil. Mileuit. c. 2. & Arausicano 2. cap. 25. ac denique in Concil. Senonensi c. 10. error Lutheri anathemate damnatur.

Tridentin.

Concil. Mileu. *Arausic.* *Senonensi.*

D. Greg. *Hugo.* *Magister sent.*

Probatur tertio, ex D. Gregorio, Hugone, & Magistro sent. relatis vbi de definitione sacramenti ageremus, qui expressissime dicunt sacramenta nouæ legis causare gratiã, & specialiter Magister distinguit sacramenta nouæ legis a veteris legis sacramentis per hoc, quia illa scilicet veteris legis promittebant tantum, & significabant, nostra vero dant salutem, quæ verba accepit a D. August. super psal. 73. & referuntur tanquam veritas catholica, extra de baptismo, & eius effectu, c. Maiores. Probatur demum ex communi omnium Patrum, & Theologorum axiomate, scilicet sacramẽta nouæ legis efficiunt quod significant.

Conclusio 2. *Conc. Trid.*

Dico secundo, sacramenta nouæ legis conferre gratiã ex opere operato non ponentibus obicem, hanc conclusionem addo ad declarandum modum loquendi Theologorũ, quẽ sub eisdem verbis retinuit Concilium Tridentinum sessi. 7. can. 8. ad confusionem hæreticorum, qui illa verba irrident tanquam portentosa, & barbara, quod faciunt vt reiectis vsitatis verbis, rem etiam obscurent, & ad suos falsos errores peruertant. Theologi vero e contrario, vt fidei veritatẽ exacte declarent de verborum elegantia non sunt admodum solliciti, D. August. imitati in psalm 138. cui maluit dicere ossum ossi, quam os ossis, vt facilius intelligeretur. Melius est, inquit, vt nos reprehendant Grammatici, quam vt non intelligant populi, præterquam quod nulla est in hac locutione nouitas, nisi quod contra regulam grammaticæ operatum passiue accipitur, sed neque hoc est nouum. Nã etiam in Epist. ad Hebr. c. 13. contra regulam Grammaticæ passiue accipitur (promeretur) cum legimus. Talibus enim hostijs promeretur Deus.

In quolibet sacramento duo sunt opera.

Cæterum vt intelligamus quid sit opus operatũ, obseruandum est, quõ in quolibet sacramẽto duo sunt opera; vnum, quod Christus facit; alterum, quod homo, deinde quod Christi opus, & virtus in sacramento iustificat, & gratiam confert, nõ ipsum opus hominis, postremo qua de causa ecclesia doceat, quod sacramenta ex opere operato conferant gratiam non ponenti obicem. Et primum in omni sacramento baptismo, Eucharistia, pęnitentia, &c. est Dei siue Christi opus, ipse enim baptizat, consecrat, absoluit, sicut Ioan. 1. dicitur. Hic est qui baptizat. Sacerdos in administratione omnium sacramentorum est tantum minister. Ideo arguit Apostolus Corinthios, 1. Corint. 3. Nunquid in nomine Pauli baptizati estis, quasi dicat: Non, quicquid ergo in sacramento fit, quantum scilicet opus in se est, quod dicitur opus operatũ, hoc Dei, siue Christi opus est, ipse Deus solus baptizat remittit peccata & breuiter omnia sacramenta, quoad opus operatum sunt Dei opera, & viua, & virtuosa, quæ solus Deus facit, hic nihil facit homo.

Insuper fides, & pęnitentia quæ vt media in sacramento exiguntur, sunt hominis opera, idest, licet etiam a Deo donentur, non tamen sine consensu, & voluntate nostra sunt efficacia. Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, at sacramentum in se est opus Christi, fides opus hominis, dum Christus me baptizat, ipsa ablutio est opus operatum Christi, dum ego credo, quoniam Christus me baptizat, opus meum est; baptismus igitur in se ipso, & omne aliud sacramentum, sine respectu fidei meę est opus operatum vbi Christus sine, me operatur, fides mea in baptismo est opus operans ad hoc conducens, vt apprehendam opus operatum, idest, virtutem sacramenti, quã solus Christus operatur. Christus igitur baptizat, ego credo: effectus sacramenti baptismi est iustificatio, sed ad hunc effectum iustificationis in baptismo quis magis facit, Christus an fides mea? absque dubio Christus qui dat fidem, & etiam iustificationem.

Postremo quod sacramenta cõferant gratiã ex opere operato, sic volunt Doctores: quod sacramenta, quæ sint Christi opus: quia ipse baptizat &c. semper habent efficaciam, & gratiam conferunt non ponenti obicem per infidelitatem, vel impęnitentiam; licet vt fides hac sacramentorum apprehẽdatur semper fides, & pęnitentia exigitur. Nam sine fide impossibile est placere Deo: Attamen ne quis dubitaret fidem suam esse minus sufficientem, aut in sua dignitate consistere, vt vere baptizaretur & c. ideo transfertur virtus sacramenti in opus operatum, scilicet quod Deus facit, & Christus, & non in opus operãtis quod homo facit. Ob hoc ergo docent, & credunt Catholici quod sacramenta ex

Digitized by Google

opere operato, idest, ex hoc quod Deus, & Christus facit in sacramento, quia ipse est qui baptizat, non minister, conferant gratiam non ponenti obicem, idest, impedimentum est sine aliquo motu animæ in suscipiente. Ponere autem obicem est non habere rectam fidem in mẽte, aut mortale peccatum in voluntate sua, de quo non conteritur. Hæc duo impediunt ne sacramenta efficiant hoc, ad quod sunt instituta. Sine motu animi sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, idest, diuina virtute, quæ assistit sacramento, vt quæ in paruulis ratione nondum vtentibus, quando baptizantur illi nullum bonum motum animi habent. Innituntur enim fidei generali ecclesiæ, & speciali suscipientium, quos patrinos appellamus professioni.

Duplex modus obtinendi gratiam. In summa distinguunt Theologi duplicem modum obtinendi gratiam, priorem vocant ex opere operantis, qui est quando obtinetur gratia ex merito, vel ratione propriæ dispositionis præcise, vt est ab operante, in quo fortasse semper est aliquod meritum saltem de congruo, posteriorem vocant ex opere operato: qui est quando ratione operis externi, vel sacramenti applicati datur aliqua gratia vltra omne meritum operantis, tam de condigno, quam de cõgruo, vt ex Alex. Ales. D. Thoma, & alijs notauit Gabriel. in 4. dist. 1. q. 3. in principio, atque eodem sensu dicit D. August. lib. 4. de baptismo, cap. 24. Ipsum sacramentum per seipsum multum valere, & Cyprianus serm. de cœna Domini sacramenta quantum in se est sine propria virtute esse non posse. Quod vt exactius adhuc intelligatur

Gabriel. D. August.

D. Cyprian.

Quæ concurrunt ad hominis iustificationem. Obseru. est secũdo, in iustificatione quam recipit aliquis dum percipit sacramenta multa concurrere, nimirum ex parte Dei voluntatem vtendi illa re sensibili, ex parte Christi passionem eius, ex parte ministri potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis voluntatem, fidem, & pœnitentiam; denique ex parte sacramenti, ipsam actionem externam, quæ coniungit ex debita applicatione formæ, & materiæ. Cæterum ex his omnibus id, quod actiue, & proxime, atque instrumentaliter efficit gratiam iustificationis est sola actio illa externa, quæ sacramentũ dicitur, & hæc vocatur opus operatum accipiendo passiue operatum, ita vt idem sit sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis. Nam voluntas Dei, quæ sacramẽto vtitur, concurrit quidem actiue, sed est causa principalis. Passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non aũt effectiua cum non sit in actu, sed præterierit, licet maneat obiectiue in mente Dei. Potestas, & voluntas ministri concurrunt necessario, sed sunt causæ remotæ: requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem sacramentalem; quæ postea immediate operatur. Probitas ministri requiritur, vt ipse minister non peccet sacramenta ministrando, non tamen ipsa est gratiæ causa in suscipiente, nec iuuat suscipientem per modum sacramenti, sed solum per modum impetrationis, & exempli. Voluntas, fides, & pœnitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur, vt dispositiones ex parte subiecti, non vt causæ actiuæ. Non enim fides, & pœnitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramentis, sed solum tollunt obstacula, quæ impedirent ne sacramenta sua efficaciam exercere possent. Vnde in pueris, vbi non requiritur dispositio, sine his rebus sit iustificatio.

Cum igitur sacramenta sint causa gratiæ, aliquid gratiæ conferunt præter omne meritum operantis, conferunt igitur gratiam ex opere operato; requirunt tamẽ vt suscipiens non ponat obicem peccati mortalis, quia cum illo gratia esse non potest, & illud sine voluntate, & dispositione ipsius peccatoris expelli non potest. Et ideo non est contra virtutem sacramenti, quod ponenti obicem non conferat gratiam, sed potius commune est causis agentibus, vt propter resistentiam passi ab agendo impediantur.

Sacramenta non conferunt gratiã excitando fidem. Ex hoc sequitur sacramenta non conferre gratiam solum excitando fidem. Tum quia locutiones scripturæ, Conciliorum, & sanctorum plus significant: nam esse obiectum excitans fidem non satis est vt baptismus dicatur regenerans hominis, sicut Ioan. 3. dicitur, homo nasci ex aqua, & Spiritusancto, vbi particula, ex, vt dixi, causalitatem significat, sicut ibidem dicitur, quod natum est ex carne caro est. Tũ quia etiam concio excitat fidem, & imago, & exempla, seu bona opera aliorum: quæ non dicuntur conferre gratiam sicut sacramenta. Tum etiam quia sacramentalia, vt aqua benedicta, excitant fidem. Inde sequeretur posse ecclesiam instituere sacramenta, quæ sint causa gratiæ: quia potest instituere signa excitantia fidem. Tum demum, quia sacramẽta veteris non minus sanctificassent quam noua: quia etiam erant apta ad excitandum fidem. Et quamuis demus sacramenta excitare fidem, non tamen erit ad eis referendam iustitiam, quam ad exercendam iustitiam acquisitam, vel, cum si sacramenta iustificant, id non faciunt tantum excitando fidem, sed verum donum iustitiæ conferendo.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacramenta sint causa gratiæ sine quibus non.

De hac re fuit sententia Durandi in 4. distinct. 1. quæst. 4. Gabrielis eadem distinct. quæst. 1. art. 2. conclusione vlt. & Maioris eadem dist. q. 3. quod sacramenta sunt causa gratiæ sine qua non, & in hanc sententiam adducit Sotus omnes Doct. Scholasticos præter D. Thomam, immerito tamen, vt ex sequentibus apparebit, & legẽti Doctores erit perspicuum. Sed ante quam fundamenta huius opinionis statuamus, aduertendum est in gratiam Gabrielis, quod a quibusdam inter quos sunt Michael de Palatio in 4. dist. 1. disput. 4. & Maior loco supra relato, & Sotus, q. 2. artic. 1. ei imponitur quædam irrationabilis sententia, nimirũ, quod causæ naturales nullam efficientiam habẽt ad effectus producendos, respectu quorum causæ dicuntur, sed quod solus Deus ad præsentiam illarum producit effectus, & inde tantum sunt causæ sine quibus non, & propterea sacramenta dicuntur causæ efficientes, ita proprie sicut ignis dicitur causa caloris. Cæterum si legatur Gabriel, apparebit, quod iniuria tam improbabilis sententiæ eum incusant. Nã hæc quæ commemorauimus, non dicit asserendo, vt patet art. 3. q. 1. dub. 3. vbi ita scribit. Ad hæc respondendo ponã quendam modum, quem examinandum offero lectori; nihil asserendo, qui mihi videtur valde probabilis, & in sententia non discordare a sententia aliorum, & si parum in verbis distat, & parum in ita dicit. Hæc non scribo quidquam asserẽdo, sed tantum recitãdo, occasionem dare cupiens doctoribus, quorum in his informationem peto, & expecto; Interim non recedens a communi modo loquendi Doctorum. De sacramentis tamen resolute dicit cum Durando, quod sunt causæ sine quibus non.

Durand. Gabriel. Maior. Sotus.

Fundamentum huius sententiæ est, quod sacramẽta non producunt gratiam effectiue, nec aliquam dispositionẽ ad illam, sed solus Deus producit gratiam, & dispositionem, sacramenta ergo sunt tantum causæ sine quibus non.

Et confirmatur dupliciter, primo per simile de denario plumbeo facta tali ordinatione, quod qui illum reciperet, reciperet eleemosynam a Rege, ille denarius nõ est causa eleemosynæ Regis, sed Rex. Denarius autẽ est signum, & causa sine qua non. Secundo confirmatur authoritate D. Bernardi (quæ refertur etiam a Scoto in hac quæst. in argumento post oppositum) qui in sermone de cœna Domini dicit. Sicut instituitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per anulum; sic diuisiones gratiarum diuersæ sunt traditæ a sacramentis, vbi fit comparatio secundum omnem habitudinem, quam habent sacramenta ad gratiam, & non solum quantum ad significationem, sed neque liber, neque baculus, neque anulus præstant inuestituram, seu dignitatem, sed sunt causæ sine quibus non datur ab inuestiente, ergo &c.

D. Bernard.

Item sacramenta nouæ legis debent esse signa, & causæ, ergo sicut rebus sacramentalibus competit ratio signi, sic & ratio causæ, & non plus, sed res sacramentales non sunt signa gratiæ nisi ex pactione ordinationis, seu institutione diuina, vt patet ex definitione sacramenti allata ab Hugone, in qua dicit quod sacramenta ex institutione significat, ergo non sunt causa gratiæ nisi ex pactione, & ordinatione, & institutione diuina.

Et si dicatur, inquit Durandus, quod causa sine qua non, nihil facit ad effectum, & quo ad rationem causandi nihil plus habet super causas per accidens; sicut albedo domificatoris non est causa domus, nisi per accidens; nec pactio dat aliquid de ratione causæ, sed solum de ratione signi, vt patet in exemplo de denario plumbeo, quod autem est per accidens omittitur ab arte, nec ponitur in definitione vt dict.

ut dicitur 6. Meth. atq; adeo si sacramenta non essent nisi causa sine qua non, in definitione sacramenti nō poneretur ista causalitas, nec sancti suissent ita solliciti ponere illā causalitatem in definitione sacramenti.

Respondet, quod nullus Sanctus posuit in definitione sacramenti, quod esset causa gratiæ; sed solum magister sententiarum, qui accepit a D. August. ex lib. 2. de Doctrina Christiana, quod Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, & addidit de suo, quod sequitur, videlicet, vt imaginem gerat; & causa existat: Nullus autem potest melius exponere magistrum, quam ipse se ipsum. Ipse autem exponit seipsum in littera dicens, quod homo non quærit salutē in sacramentis, quasi ab eis, sed per illa a Deo, nec videtur valere illud, quod aliqui dicunt, quod in illis verbis magistri hæc præpositio, a, denotat principale agens, sed hæc præpositio, per, deno at causam instrumentalem: quia talis causa instrumentalis accipienda est de causa sine qua non, secūdum descriptionem B. August. dicentis, quod sacramentū est, in quo sub regumento rerum sensibilium diuina virtus salutem nostram secretius operatur.

Accidēs est duplex.

Et ad id quod dicitur, quod illud quod est per accidens dimittitur ab arte, nec debet poni in definitione, vel descriptione; respondet quod duplex est accidens. Vnum est accidens per accidens, quod est separabile, & nihil penitus facit; nec ad operationem rei, nec ad eius notificationem; sicut est de albedine respectu ædificatoris, de quo accidente procedit argumentum; Aliud est accidens proprium, vel ex natura rei, sicut risibile est proprium homini, vel ex ordinatione humana; sicut denarius plumbeus accipit rationē signi, & causæ sine qua non, respectu eleemosinæ Regis, vel ex ordinatione diuina, sicut res naturales accipiunt rationem signi, & causæ sine qua non respectu gratiæ, & tale accidens multum facit ad notificationem rei, & ideo debet poni in descriptione notificante rem præcipue quātum ad quid nominis, sicut est descriptio sacramenti. Hæc Durandus. eamdem sententiam tenet etiam Bassolus hac d. q. 1.

Bassolus.

Hæc opinio licet in sensu sit sana, tamen non debemus ea vti, neque suo modo dicendi. Siquidem habemus duo Concilia, Florentinum, & Tridentinum, quæ definiunt sacramēta continere gratiam, quod intelligi nequit nisi de virtuali continentia, non enim formaliter sacramenta gratiam continent, sed virtualiter, atque adeo illam causant, & conferūt. Causa autem sine qua non, non videtur quod contineat effectum, & causet illum, sicut v. g. cognitio est causa sine qua non dilectionis: quia iuxta D. August. nihil volitum quin præcognitum, sed neque continet, neque causat amorem: quia multa cognoscimus quæ odimus. similiter apertio fenestræ non continet lumen, neque formaliter, neque virtualiter. Præterea si sacramenta sunt tantum causæ sine quibus non, sequitur quod non sunt nisi mera signa gratiæ: Nā ille plumbeus denarius nullatenus causa, sed signum penitus regiæ promissionis, seu ordinationis esset, nec liber est causa, sed signum traditionis Canonicatus; ob idque hac ratione sacramenta nouæ legis a veteribus nihil distarent, quod est falsum, & contra Concilia Florent. & Triden. probatur consequentia: quia causa sine qua non, effectum non producit, nec dicitur absolute causa. Imo secundum Philos. 2. Phy. nisi ad aliquod causarum genus reducatur, videlicet nisi moueat, aut effectū recipiat, aut forma sit, aut finis nullatenus nisi per abusum est causa, nisi forte per accidēs. Adde, quod esse sine quo non, circuit omnes causas: nam omnes causæ sunt causæ sine qua non, Probo: quia per Arist. causa vniuersaliter est per cuius negationem negatur effectus; ergo omnis causa, est causa sine qua non; nec oportet distinguere causam sine qua non a causa per se: quia cuius negatio est causa negationis, eius affirmatio est causa affirmationis, 1. post. text. 30. ergo si aliquid sit causa sine qua non, cum eius negatio sit causa negationis effectus, ergo eius positio est causa positionis effectus, ergo quod est causa sine qua non, est causa cum qua fit: imo quia aliquid est causa, per quam fit, ideo illud est causa sine qua non: nisi enim aliquid faceret ad effectum non esset causa, quare hoc est magis causa illius sine qua non, quam quodcumque aliud extraneum ab isto. Sed sacramenta absolute appellantur causa gratiæ a Concilijs, & sacris Doctoribus, ergo non sunt tātum causa gratię sine qua non.

D. August.

1. Post. text. 30.

Neque obstat, quod Durandus obijcit Sanctos Patres in descriptione sacramenti vsos non fuisse voce causæ sicut fecit magister sent. Nam vt id concedamus, certe vocabulis vsi sunt, quæ tantundem valent, vt cum aiunt: mundat nos & abluit sacramento, sic etiam loquitur ipsa scriptura.

Ad fundamentum huius opinionis respondetur, quod licet sacramenta effectiue non producant gratiam; aut aliquam dispositionem ad illam, receptio tamē sacramenti est dispositio ipsa necessitans ad gratiam ex Dei ordinatione, quæ congrue gratiæ causa appellari potest: non enim omnis causa est illa generaliter loquendo, a qua profluit effectus, nam causa moralis habet rationem vere causæ, vt videbimus art. 10. huius quæst. & tamen ab ea non profluit effectus: imo finis est vere causa, & tamen a fine non profluit immediate effectus. Quapropter ratio causæ per se non est accipienda penes hoc, quod ab ipsa profluit effectus; sed satis est ad hoc quod aliquod sit causa per se, quod facit aliquid circa causam, quo facto ab ipsa profluit effectus; sicut illud quod per se facit aliquid circa ens, quo facto effectus effluit ab illo efficiente illud, dicitur causa per se, hoc modo dicitur, quod sol, & homo sunt causa per se hominis, non quod ab illis effluat anima, quæ est forma hominis, sed quod homo, & sol faciunt aliquid, quo facto Deus inducit formam hominis.

Hoc etiam modo incendiarius est causa per se combustionis domus, non quod combustio effluat ab eo, imo effluit ab igne: sed quia facit aliquid circa ignem sine quo impossibile esset, quod ab igne efflueret combustio; siue ergo aliquid sit illud, a quo effluit effectus, siue sit illud, quod facit aliquid in aliquo quo facto ab illo necessario sequitur effectus, omne tale est causa per se cum qua fit, non tantum sine qua non. imo quia aliquid facit ideo ipsum est causa sine qua non. Sacramenta ergo sunt causa gratiæ per se, non quod eorum causalitas sit per se, & primo in effectum gratiæ (sola enim causalitas diuina attingit per se, & primo ipsam gratiam) sed sunt causæ gratiæ per se: quia aliquid faciunt circam causam a qua profluit effectus, mouent enim virtutem diuinam ad agere, quia alias non ageret, nisi sacramenta ad sic agendum illam inclinarent, vt diffusius explicabimur art. 10. huius quæst.

Ad authoritatem D. Bernardi respondetur, quod tantum significare vult, quod sacramenta non producunt gratiam effectiue, non tamen vult dicere, quod sunt tantum signa, vt baculus &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacramenta ex eo sint causa gratiæ, quia continent Authorem gratiæ.

HAEc quæstio mouetur propter Henricum de Gand. qui quol. 4. q. vlt. nouum quemdam modum excogitauit, quo sacramenta nouæ legis possint vere dici causa gratiæ. Refert primo Henr. communem sententiam Doctorū, & ecclesiæ de supereminentia sacramentorum nouæ legis, quod habent adiutricem assistentem gratiam super sacramenta veteris legis, quæ illam non habebant, & quærit in quo eiusmodi supereminentia consistat; cum non possit cōsistere in creando aut causando ipsam gratiam virtute sita naturali. Vtrum nimirum consistat in creando ipsam supernaturaliter, & ad hoc habeant virtutem supernaturalem, secundum quod tenet communitas Doctorum, & in ipsis vniuersalis ecclesia, quod sacramenta nouæ legis nullo modo sunt effectiua gratiæ præsentis, sed tantum signa significatiua, vel figuratiua gratiæ futuræ, quæ significatio, quasi quędam de futuris erat instructio. sacramenta vero nouę legis non solum sunt significatiua gratię non dico futurę sed pręsentis, vt in hoc tantum ponamus differentiam sacramētorū veteris legis, & nouæ, sed simul sunt, & signa gratiæ pręsentis, & causa eius. Quę tamen duo, scilicet, esse signum, & causa gratiæ, Non bene, inquit, determinauit illa opinio aliquorum, quæ dicebat, quod sacramenta nouę legis non sunt causa gratię, per virtutem aliquam eis inditam ipsam creando; sed quia Deo assistente Sacramētis cum exhibentur gratiam creando confert. Sed hoc modo sacramentum non est causa gratię, propter quam fit, imo sine qua nō, & hoc non sicut sine qua non posset fieri, quemadmodum figura non possit imprimi ceræ a sigillo nisi esset mollis, nō tamen propter ipsam imprimitur: sed solummodo sine qua ordinauit, quasi ex quadam pactione siue statuto ne imprimens

Henricus.

mens eam imprimeret. Et sic quantum est ex se non agit, nisi quod gratiam præsentem esse significat; & secundum hoc in modo significandi differunt, solummodo sacramenta veteris legis, & nouæ: quod scilicet, illa significabant gratiam futuram, ista vero iam præsentem. Quod quia est nimis modicum præferre sacramenta nouæ legis sacramentis legis veteris.

Ideo est aliorum opinio, quod sacramenta nouæ legis aliquid operantur in creando gratiam non sicut per se agens, & per formam in se existentem, quemadmodum actione naturali calidum calefacit, & lucidum illuminat, sed sicut instrumentum motum ab agente per se, quemadmodum serra operatur in sectione lignorum regulari, quod non competit ei, nisi in quantum est artificialiter mota ab artifice.

Sed hoc inquit, Henric. stare non potest. Quoniam quandocunque aliquid cooperatur ad aliquem effectum, vt instrumentum in virtute principalis agentis, oportet quod habeat aliquam virtutem propriam in agendo illud, quemadmodum agit calidum in calido, præter hoc quod agit generando vt instrumentum in virtute agentis principalis; aut quod habeat in se aliquam dispositionem naturalem, qua attingit effectum in agendo, quemadmodum serra secundū suam formam siue figuram habet dispositionem, qua attingat ligna in diuidendo ea. Cum ergo sacramēta nouæ legis, non plus habeant propriam virtutem in agendo aliquid ad creādum gratiam, neq; dispositionem supernaturalem, qua attingunt gratiam creatam; quam sacramenta veteris legis, etiam supernaturaliter: quia quantuncumque esset supernaturaliter in esse productum; tamen aliqua creatura esset in natura sua, quæ nullo modo attingere posset ad purum non ens, quale est omne creabile. Nullo ergo modo penes iam dictum modum plus sunt causa gratiæ sacramenta nouæ legis, quam veteris.

His duabus opinionibus impugnatis suam explicans opinionem dicit, quod sacramenta nouæ legis nullo modo aliquid agunt ad gratiam creandam, neq; in creando attingūt eam plus, quam sacramenta veteris legis; sed solum dicuntur esse causa gratiæ præsentis, cuius sunt signa in hoc, quod sunt contentiua eius, quod est per se causa creatiua gratiæ, in quantum creat eam, id est sacramenta sunt instrumenta gratiæ: quia Deus vt speciali modo in illis existens efficit gratiam vt causa principalis. Nam licet Deus, qui est creator gratiæ per essentiam, & substantiam in omnibus sit, tamen quo ad aliquem effectum est in vna re, ita quod non in alia; secundum quod Deitas existens in carne Christi per gratiā vnionis ad tactum manus eius curabat leprosos, vt deitas dicatur illud egisse, non vt deitas tantum, sed vt existens in manu Christi, & per hoc quod illa existens in manu Christi curabat illum, sicut agens principale; dicitur quod curabat ipsum manus Christi, vt agens instrumentale. Vt secundum hunc modum dicamus, quod sacramenta nouæ legis, sunt causa gratiæ instrumentaliter, non quia aliquid agunt, in producendo gratiam, plus quam sacramēta veteris legis: sed quia Deus vt existens est in ipsis ad tactum eorum circa illos, quibus administrantur confert gratiam creando eam in ipsis; & per hunc modū dicuntur esse instrumenta creatiua gratiæ, in quantum. s. ad tactum eorum Deus existens in eis confert gratiam, & similiter vasa gratiæ, quatenus continent eum; qui est fons, & origo à quo emanat gratia, vt est in eis. Vnde & illud sacramentum nouæ legis, in quo Christus continetur corporaliter, habent sibi vnitam diuinitatē corporaliter, cuiusmodi est sacramentum altaris, præcipue dicitur sacramētum gratiæ, & contentiuum, & effectiuum. Alia vero sacramenta, in quantum aliquid virtutis eius participant in continendo. s. virtualiter, quod illud sacramentū præcipuum continet realiter, secundum quod aqua baptismi habet virtutem sanguinis Christi. Propter quod secundum quod dicit Apostolus. Quot quot baptizati sumus in sanguine eius baptizati sumus.

Et per hoc, inquit, plane differunt sacramenta nouę legis à sacramentis veteris legis: quoniam ad tactum sacramentorum veteris legis, aut non dabatur regulariter gratia à Deo, sicut contingebat in alijs sacramentis eius à circumcisione, aut si aliquando dabatur hoc non erat instrumentaliter ex parte tactus illorum, hoc est, ex opere operato, siue ex vi sacramenti, sed ex deuotione tangentis, hoc est, ex opere operantis. & ita dabatur à Deo non vt erat in illis sacramentis, sed vt erat in corde deuoti. In sacramento vero circumcisionis, & si regulariter ad tactum dabatur gratia à Deo, hæc erat solummodo, quasi ex sola pactione habita cum Abraham, ad cuius implendam Deus assistens sacramento dabat gratiam non vt existens in ipso, vel de ipso, & sic neq; illud sacramentum vllo modo dabat siue causabat gratiam instrumentaliter, sicut dant siue causant sacramenta nouæ legis.

Opinio Henr. in summa consistit in hoc, quod sacramenta nouę legis dicuntur causa gratiæ; non quod illam causent alio modo, quam sacramenta veteris legis: sed quia sunt cōtentiua illius, quod est causa gratiæ, siue realiter, vt sacramentum Eucharistiæ, in quo continetur realiter humanitas Christi vnita diuinitati, siue virtualiter, vt alia sacramenta. Hanc opinionem refert Scotus in hac q. sub litt. b. §. Ad primam ergo quæstionem: quam refellit in hunc modum.

Deus non est aliter secundum essentiam, præsentiam, & potentiam in sacramento, quam in alijs rebus ad aliquem effectum causandum, sed propter id quod Deus est præsens alijs rebus secundum essentiam, præsentiam, & potentiam, illæ res nō dicuntur esse causæ effectus sacramēti; sed Deus ad causandum sacramenti effectum est in illo ex determinatione voluntatis suæ: non quia sacramentum illam determinet; talisq. determinatio ecclesiæ manifestata, dicitur pactio vel promissio, ideo hæc opinio coincidit cum prima: videlicet quod sacramenta non habent aliquam virtutem supernaturalem; sed Deus ex pacto assistit illis ad causandum effectum, & ipsa sunt causa sine qua non, quam tamen opinionem ipse Henricus impugnat.

Nam (vt omittam Eucharistiæ sacramentum) Deum in reliquis sacramentis existere nihil aliud esse potest, quam virtutem diuinam ex promissione, & certa lege, ita adesse sacramentis, vt illis applicatis Deus gratiam efficiat. Quid enim aliud fingi potest? Nam Deus in ipsis sacramentis nullum effectum nouum operatur, ergo nec nouo modo in illis existit, præter quam per essentiam, præsentiam, & potentiam. Interrogo ergo an virtus diuina adsit prædicto modo sacramentis, vt per ipsa proprie ac physice operetur, vel vt ipse solus ad præsentiam eorum operetur, nam inter hæc duo non potest medium aliquod excogitari, & primū non admittit Henricus, ergo necesse est vt incidat in secundum; illud autem nihil aliud est, quam esse conditiones ad quarum præsentiam Deus operatur.

Nec obstat, quod dicit Henr. nimirum, aliud esse Deum assistere sacramento, & aliud esse in ipso: nam primum non sufficit vt sacramentum sit causa, secundum satis est. Nam in circumcisione (inquit) Deus assistebat sacramento: quia ad præsentiam eius dabat gratiam ex promissione sua, tamen non erat in ipso sacramento; In baptismo vero & assistit, & speciali modo est Deus, & ideo baptismus dicitur dare gratiam vt instrumentum. Hoc, inquam, non obstat: Nā hæc omnia in verbis constare videntur, de re autem ipsa nō explicat aliquid, quod mente concipi possit. Quid enim esse potest Deum esse in baptismo, nisi esse paratum ad efficiendum specialem effectum, in præsentia baptismi ex sua promissione? cum neque in illum aliquam rem influat, neq; illo vtatur specialiori modo, vt instrumento Physico secundum ipsum, licet enim insistens sacramētis causet effectum aliquem, ad quem causandum non existit, nec insistit alijs rebus vel corporibus; tamen ita intime, & perfecte insistit alijs corporibus, sicut sacramentis, & vniformiter, quantum est ex parte sui; sed per assistentiam vel insistentiam ipsius Dei in alijs rebus, non possunt dici alia res causare effectiue illud, quod Deus creat insistens eis, tunc enim corpus humanum posset dici efficere animam: quia Deus sibi insistēs creat eam, quod est falsum; ergo nec sacramenta per hoc, quod Deus eis insistit possunt dici efficere gratiam.

Nec valet exemplum, quod Henr. adducit de Christi manu mundante leprosum. Quia si Deitas sic institisset humanitati Christi, quod ad vnitatem suppositi non fuisset assumpta; nunquam manus Christi diceretur curare infirmos: quia diuinitas insistens ei curabat eos; sed pro tanto hoc conceditur: quia propter hypostaticam vnionem est communicatio idiomatum inter illa. Sed planum est, quod Deus, qui causat gratiam non insistit sacramento sic, quod sacramentum sit vnum oppositum cum Deo.

Exemplum etiam de vase propositum Henric. non concludit: quia vasi non debet attribui operatio locati vel contenti; sed sacramentum non dicitur causare gratiam, nisi per

modum

modum vasis iuxta opinionem Henr. quia est vas contentiuum gratiæ secundum eum, quia continet authorem gratiæ.

Præterea esse contentiuum gratiæ non est nisi dupliciter, vno modo per modum subiecti, & hoc est continere formaliter, & sic sacramentum non continet, & esto quod sic contineret, adhuc propter hoc non esset causa effectiua gratiæ, vel virtualiter, & hoc soli Deo conuenit. Postremo qualitercunque Deus insistat sacramentis, tamen non operatur gratiam in susceptione sacramenti ex natura rei, neque ex necessitate talis insistentiæ, sed vt dicit Scotus, ex pacto voluntatis suæ noto Ecclesiæ, quod sic ordinauerit, atq; adeo oportet, quod Henr. recurrat ad pactum, & talis insistentia nihil videtur facere ad gratiam, sed solum pactum, & diuina promissio, & tamen ipse improbat opinionem, de pacto, & diuina promissione.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacramenta sint causæ Physicæ dispositiua ad gratiam.

QVod sacramenta sint causa gratiæ omnibus Catholicis receptissimum est, quomodo vero gratiam efficiant, difficillimum, vt diximus est intelligere, ne dum explicare. Neque id mirum est: Nam si de rebus naturalibus, quas Deus fecit, quanquam sub sensum cadunt, non potest homo reddere rationem, vt ait Salomon, Eccles. 8. quanto magis exacta ratio reddi non poterit de rebus supernaturalibus, disputant tamen Scholastici de his rebus non inutiliter, vt ostendant varijs modis posse defendi id, quod fides docet, & probabiliter multa dicunt, cæterum ea vt dictum est supra, ad fidem non pertinent.

Omnium autem de hac re opinionũ diuersitas ad duas potest classes reduci: Nam aliqui sunt, qui negant sacramenta esse vere, & proprie gratiæ causam; aliqui vero id affirmant. Prioris classis sunt Durandus, Ocham, Gabriel, Maior, & quidam alij, qui dicunt sacramenta esse causas gratię, sine quibus non, quam sententiam in 2. art. reiecimus. Secũdæ Classis authores sunt, Alex. de Ales, D. Tho. D. Bonau. Richar. Hen. & Scotus, qui affirmant sacramenta vere, proprie, ac per se esse gratiæ causas, cæterum non omnes eodẽ modo, sententiam Henr. vidimus in superiori art. & improbauimus, in præsenti art. examinanda est sententia Alexan. quam fuit secutus D. Thomas in 4. d. 1 q. 1. art. 4. & q. 27. de veritate art. 4. ad 3. & eam sequuntur Paludanus in 4. d. 1. q. 1. Herueus, & Capreolus eadem d. & q. & Ferrariensis lib. 4. contra gentes, c. 57. in hanc sententiam citat Suarez Thomam ab Argent. in 2. d. 19. q. 1. ar. 3. & in 4. d. 1. q. 1. sed falso, quia in 2. de sacramentis non loquitur, & in 4. d. 2. q. 1. art. 1. concl. 3. oppositum docet.

Alexander. Alexander de Ales, p. 4. q. 5. in 3. art. 5. §. 1. dicit primo (sine præiudicio tamen melioris sententiæ, & præcise opinando) quod sacramenta sunt causa alicuius effectus in anima non solum disponendo sed efficiẽdo, efficiunt enim simpliciter characterizando, & ornando, vnde dicit, quod singula sacramenta aliquo modo ornant animam, vel imprimendo characterem, vel alio modo signãdo, & huiusmodi ornatus siue signationis sunt sacramenta causa efficiens, & §. 3. secũdo dicit (postquam impugnauit sententiam eorum, qui dicebant, quod sacramenta sunt tantum causa sine qua non) quod sacramenta sunt causæ, per modum materialis disponentis, vel efficientis large sumendo. Disponunt enim hominem, & aptiorem reddunt ad gratiæ susceptionem, & etiam gratiam infusam ad operandum expeditiorem, vnde sunt causa gratiæ non quantum ad esse, sed quantum ad in esse modo conuenientiori, seu conformiori, & quantum ad modum operandi expeditiorem, reddunt enim ipsum susceptibile magis conformine gratię, & ipsam gratiam expeditiorem in operando. Hæc Alex. Vult itaq; Alen. sacramenta nõ posse esse instrumenta Physica ad efficiendam gratiam, immediate, ac proxime illam attingendo, posse tamen esse instrumenta ad efficiendam aliquam dispositionem, vt characterem, vel ornatum, ad quem statim sequitur gratia.

D. Thom. Herueus. Paludanus. Capreolus. Ferrariensis. Hanc sententiam secutus est D. Thomas vbi sup. & ipsam defendunt Herueus, Paludanus, Capreolus, & Ferrariensis locis supra relatis. Vnde inquit D. Thomas, quod sacramenta nouæ legis causant effectiue gratiam, vel sunt causa per se eius effectiua, & oportet, quod omnes hoc ponant. Tum propter authoritates sanctorum August. & aliorum. Tum propter commune dictum, quod sacramẽta nouæ legis hoc efficiunt, quod figurant. Tum quia alioquin non essent sacramenta nisi causa sine qua non, quod non est dicendum. Tum quia causa sine qua non (quæ nihil potest facere ad effectum efficiendo, vel disponendo) nihil causalitatis habet supra rem, nisi sicut causa per accidens; sacramentum autẽ non est causa gratiæ per accidens. Tum quia non poneretur in eius definitione, cum tamen hic ponat magister in definitione sacramenti. Tum quia illud, quod est per accidens non pertinet ad artem, vt dicit Porphyrius, de specie Sãcti autem de Sacramentis tractantes præcise, vel præcipue tractant de causalitate eorum respectu gratiæ, patet, quia per hoc sacramenta nouæ legis à veteris distinguuntur. si autem & hæc, i. nouæ legis, & illa, id est, veteris legis tantum significarent gratiam, licet ista nouæ legis possent perfectius significare quam illa, tamen non esset distinctio in ratione causæ, & non causæ, non enim esset distinctio nisi per aliã, & aliam rationem significandi.

Efficiens dupliciter distinguitur. Secundo dicit D. Thomas, quod sacramenta nõ possunt esse causa principalis effectiua gratię, sed instrumentalis, ad cuius euidentiam dicitur, quod efficiens distinguitur dupliciter vno modo ex parte effectus, & sic distinguitur in dispositiuum, & productiuum, efficiens dispositiuum, est qđ inducit effectum præuium, id est, quod attingit dispositionem, qua subiectum disponitur ad principalem effectum; sicut mollificans ceram agit dispositiue ad sigillationem; efficiens vero productiuum est, quod attingit effectum principalem sicut imprimens sigillum facit sigillationem. Secũdo modo distinguitur efficiens ex parte efficientis, & illo modo distinguitur in agens principale, & instrumentale.

Instrumentum duplicem habet actionem. Cęterum instrumentum duplicem potest habere actionẽ, vnam ex propria natura, & aliam in quantum mouetur a principali agente, & quando habet secundam simul, habet etiam primam, nec habet secundam nisi habendo primam, & per secundam attingit ad aliquid, vltra illud ad quod attingit per primam. v. g. Malleus per actionem, quæ sibi cõpetit ex propria natura habet extendere ferrum; tamen secundum quod mouetur ab artifice facit clauem. Illud autẽ quod attingit per secundam actionem, & in quantum instrumentum est, & motum a principali agente, aliquando est terminus actionis principalis agentis, aliquando vero dispositio ad terminum actionis principalis agentis.

Ad propositum. In sacramento baptismi, (& sic in alijs intelligendum est suo modo) aqua per formam suam naturalem habet operationem propriam, scilicet, abluere, vel madefacere corpus. Vlterius autem in quantum est instrumentum diuinæ misericordiæ habet effectum vlteriorem, non quidem attingẽdo ad gratiam, vt ipsam creet in anima nec per se, nec etiam virtute principalis agentis: quia aqua creatura est, & creare nõ potest, nec principaliter, nec instrumẽtaliter, sed attingendo ad aliquam præuiam dispositionem, quæ in quibusdam sacramentis est character, nempe in Baptismo, & in alijs sacramentis imprimẽtibus characterem, qualia sunt Confirmatio, & Ordo. In sacramentis vero non imprimentibus characterem est aliquis ornatus animę proportionatus, id est, correspondens characteri.

Sacramenta ergo secundum hanc sententiam Alex. & D. Thomæ sunt causa gratiæ dispositiue: quia, scilicet, effectiue attingunt ad dispositionem ad gratiam, quæ est character, vel ornatus; non autem quod attingant immediate effectiuam ipsam essentiam gratiæ. In causando etiam istã dispositionem sunt causa effectiua nõ principalis, sed instrumentalis, vt scilicet, instrumentum Dei iustificantis. Et hæc sententia, inquit D. Thomas, est dictis magistri valde consentanea: qui dicit, quod homo non quærit salutem a sacramentis, sed a Deo per sacramenta. hęc enim prępositio a, denotat causam agentem principalem, sed prępositio, per, denotat causam instrumentalem.

Reijcitur sententia Alex. & D. Tho. Sed hanc opinionem impugnat Scotus in hac q. sub litt. A. §. Contra istam opinionem &c. quatuor rationibus. & primo sic: Creatura nullo modo creare potest, nec etiam instrumentaliter secundum D. Thomam 1. p. q. 45. art. 5. Sed character, vel ornatus non producuntur nisi per creationẽ, ergo sacramenta non possunt illos producere nec etiam, vt sunt instrumenta Dei, probatur minor; illud creatur, quod non educitur de potentia naturali subiecti, sed character,

& or-

Digitized by Google

& ornatus sunt huiusmodi: quia sunt formæ supernaturales, ergo creantur. Pro intelligentia maioris obser. est, quod aliquid educi de potentia alterius non est aliud, quam dependere in esse ab illo, sic quod impossibile est illud esse sine illo. Vnde quando dicitur, quod forma educitur de potentia materiæ, non est intelligendum, quod forma habeat esse de materia, seu quod materia causet formam; sed quod forma in essendo dependet a materia. i. non potest esse sine materia, & per hoc soluitur argumentum de creatione animæ: Nam quando anima creatur fit ex aliquo præsupposito, ergo non est ibi creatio: quia præsupponit corpus, quod est subiectum. Respondetur, quod non præsupponit illud tanquam id, de cuius potentia educatur: quia anima nullo modo dependet a corpore: nam anima prius natura est animatione, id est, prius natura habet esse, quam informet corpus, atq; adeo non educitur de potentia materiæ, secundo obser. est, quod illud quod est de potentia alicuius subiecti educibile est illi subiecto connaturale, & per hoc soluitur argumentum de habitibus infusis, qui licet ad eorū productionem præsupponant subiectum, nempe animam, non educuntur tamen de potentia animæ, quia gratia non est connaturalis ei cuius est gratia, & si dicatur, quod character educitur de potentia animæ obedientiali, contra anima secundum hanc potentiam obedientialem est in potentia ad quamcunq; talem formam, atq. adeo omnis forma talis posset educi de potentia animæ, similiter corpus secundum potentiam obedientialem est in potentia ad omnem formam, quæ potest informare materiam, ergo secundum hanc potentiam posset dici, quod anima educitur de potentia corporis, & per consequens non creatur.

Quid sit educi de potentia subiecti.

Secundo arguitur. Character seu ornatus producuntur in instanti: Sed sacramenta non possunt habere actionem suam in instanti, ergo nō possunt producere characterem, vel ornatum. Maior probatur tripliciter, & primo sic. Ille qui non ponit obicem simul recipit characterem, vel ornatum, & gratiam, sed gratia producitur in instanti, ergo & character, probatur maior: quia dispositio vltima, quæ necessitat ad aliquam formam, simul est cum ipsa forma, vt organizatio, quæ est dispositio vltima ad animæ infusionē, est in eodem instanti, in quo infunditur anima, ita ut in illo met instanti in quo corpus est debite organizatum, anima infundatur. sed character, vel ornatus secundum eos est dispositio necessitans respectu gratię, ergo est simul cum ipsa.

Secundo probatur eadem maior. Non est aliqua successio in formæ inductione nisi penes partes mobilis, vel penes partes ipsius formæ, hoc est, vel quia mobile habet partem, & partem, vel quia forma ipsa est diuisibilis, sed in productione characteris neutro modo potest esse successio, ergo &c. Maior patet ex Aristo. 6. Phys. & minor probatur: Quia character est in anima, quæ est indiuisibilis, & partes non habens: character etiam est forma indiuisibilis: quia alias sequeretur, quod secundum illam successionem partiū characteris fluerent partes gratiæ, atq; ita gratia non haberetur in instanti: assumptum patet, quia character est dispositio necessitans ad gratiam, ergo si habet aliam, & aliam partem, prius disponeret secundum istam partem, & post secundum illam, ergo disponeret prius ad partem gratiæ priorem, & post ad aliam partem, atq; ita Deus non produceret gratiam in instanti, consequentia patet, quia conditio necessitans ad formam est simul cum ipsa forma. Præterea quam, quod saltem aliquando est accidens characterem produci in instanti: nam cum character sit dispositio ad gratiam, saltem quando minima gratia producitur, minima dispositio sufficit, atque adeo quando ille, qui recipit sacramētum, recipit minimam gratiam, minimus character, vel ornatus producitur, ergo tunc non producitur successiue sed in instanti, quia non habet partes secundum quas possit esse successio.

Tertio probatur eadem maior. Instrumentum agit in virtute principalis agentis, ergo si sacramentum, quod est instrumentum Dei producit characterem in tempore, ex eo est: quia Deus, qui est agens principale non potest illum producere nisi in tempore, sed hoc est falsum, ergo &c. minor probatur ex duplici radice, primo quia Deus habet potentiam infinitam, & secundo, quia subiectum, quod est anima, est maxime dispositum, & summe capax illius dispositionis, quia non habet contrarium: ergo non stat ex parte Dei, neque ex parte animæ neque etiā ex parte ipsius characteris, quin producatur in instanti, atque sacramenta nō possunt habere actionem suam in instanti ergo &c.

Minor probatur: quia sacramenta constant ex verbis, quę non possunt habere esse nisi in tempore, ergo nec operari nisi in tempore, atque adeo non poterunt producere characterem, qui producitur in instanti. Sed dices, quod & si nō possint agere in instanti naturaliter, possunt tamen supernaturaliter, id est, quatenus mouentur a Deo supernaturali agente. Contra: Instrumentum secundum ipsos simul habet operationem sibi propriam ex forma sua, & operationem excedentem suam virtutem, quæ sibi conuenit ex motione, & in virtute principalis agentis, sicut malleus extendit ferrum ex sua duritie, & facit clauem in quantum mouetur a claustario, atq; ita de sacramento oportet, quod habeat simul operationes duas, vt aqua simul abluit, & ad characterem attingit, sed actio sacramenti propria cum sit corporalis est cum motu, ergo fit in tempore; aqua enim abluit in tempore, & mouetur in tempore, ergo attingit ad characterem in tempore, ergo sicut actione sua naturali non potest agere in instanti, ita nec actione supernaturali: cum secundum eos quando instrumentum habet actionem excedentem suam virtutem habet etiam actionem propriam, & naturalem.

Dices iterum, quod quamuis totum sacramentum sit ens successiuum, tamē aliqua syllaba. v.g. vltima syllaba verborum Baptismi profertur in instanti, & illa est quæ producit characterem. Contra, quia vnaquęque syllaba formatur cū motu aeris, ergo nulla profertur in instanti, quia quod fit cum motu non fit in instanti, sed in tempore, & esto quod illa syllaba proferatur in instāti, (quod tamē est mera fictio) quia formatio syllabæ, vt dictum est fit cum motu locali æris, & motus non est in instanti secundum Phil. 6. Phys.) & quod illa esset causa characteris; sequeretur maximum inconueniens, scilicet, quod illa sola esset sacramentum, vel q sub illa sola conferretur sacramentum, quod est falsum, probatur consequentia, quia nullo modo agent omnes aliæ syllabæ ad productionem characteris, ergo ipsa sola sufficit, atque ita ipsa sola est sacramentum, vel sub ipsa sola confertur sacramentum.

Et si dicas, quod non sequitur: quia licet vltima syllaba sit, quæ producit characterem, tamen producit in virtute præcedentium, sicut vltima gutta est, quæ cauat lapidem, in virtute tamen præcedentium, vt dicitur 8. Phy t. 23. Cōtra, quia vltima gutta aquæ est, quæ cauat lapidem, in virtute propria, & quælibet alia præcedens, quando cecidit in virtute propria fecit aliquid dispositionis ad effectum cauationis mollificando lapidem, ita ut per præcedentes guttas derelicta fuerit dispositio præuia ad illū terminum, vt in Sacramento præcedentes syllabæ nullam dispositionem producunt antequam vltima syllaba producat characterem; quia character non habet dispositionem, quia dispositionis daretur dispositio in infinitum, ergo vltima syllaba non producit characterem in virtute pręcedentium.

Tertio principaliter arguitur, aliquod est sacramentum, quod nullam habet causalitatem respectu dispositionis ad gratiam, ergo nullum sacramentum, consequentia patet, quia non est maior ratio de vno, quam de alio. Antecedens probatur de sacramento Eucharistiæ, & hoc siue loquamur de Sacramento pleno. f. Eucharistia iam consecrata, vel de ipsa consecratione sacramentali, quę est via ad sacramentū. Potest enim Sacramentum Eucharistiæ bifariam sumi, vno modo proprie, & in facto esse, scilicet pro sacramento pleno, atque ita non est aliud quam species panis, & vini, alio modo in fieri, pro ipsa consecratione, quæ est via ad hoc sacramentum, vt dicendo. Hoc est enim corpus meum, quę verba non sunt Sacramentum Eucharistię, sed verba sacramentalia, & forma Sacramenti, & primo probatur, quod Sacramentum Eucharistiæ acceptum primo modo non habet causalitatem respectu dispositionis ad gratiam, quia species illę panis, & vini nullam causalitatem habent respectu existentię corporis Christi, nec respectu dispositionis ad illum effectum, ita ut illę species non sunt causa existentię corporis Christi sub eis, nec etiam disponunt ad illam realem existentiam, vt de se patet.

Secundo probatur, quod nec etiam sumendo Sacramentum Eucharistię secundo modo, f. pro ipsa consecratione, non habet causalitatem respectu dispositionis, quia illa verba sacramentalia. f. Hoc est corpus meum, non habent causalitatem

Digitized by Google

falitatem respectu transubstantiationis in corpus Christi, & tamen transubstantiatio panis vere terminatur ad corpus Christi. probatur: quia nulla est potentia creata; quæ possit transubstantiare panem in corpus Christi; cum illa transubstantiatio non sit possibilis, nisi virtute Dei infinita, quod æque, vel magis patet, quam de creatione: atque adeo verba illa sacramentalia consecrationis transubstantiationem effectiue non attingunt, sic nec creationem; eiusdem enim virtutis est transubstantiare, & creare.

Item illa verba nullam dispositionem causant ad transubstantiationem: quia vel illa dispositio præuia esset in corpore Christi, vel in ipso pane: non in corpore Christi: Tum quia quando proferuntur verba adhuc non est præsens corpus Christi; Tum quia iam non esset dispositio: Nec in ipso pane: quia sequeretur, quod maneret dispositio illa post transubstantiationem panis, vbi subiectum non manet, vel quod simul essent panis, & corpus Christi, quod contradictionem inuoluit. probatur consequentia: quia in illo instanti, in quo transubstantiatur panis in corpus Christi non est amplius panis, sed corpus Christi, & tamen illa dispositio manet: quia cum sit dispositio necessitans ad transubstantiationem est in eodem instanti cum transubstantiatione, ergo dispositio illa erit sine subiecto, vel in illo instanti esset panis. Quia quando est dispositio est, & eius subiectum; atque adeo simul esset panis, & non esset, quod implicat contradictionem, non esset panis, quia in instanti transubstantiationis desinit esse; esset panis quia in instanti transubstantiationis est dispositio necessitans ad ipsam, quæ cum non possit esse sine subiecto de necessitate est etiam panis, ergo panis esset, & non esset.

Præterea videtur pura fictio, quod per ista verba. Hoc est corpus meum; magis alteretur realiter panis, quam per alia verba prolata, scilicet iste panis est albus, vel huiusmodi, cum sonus non habeat actionem aliquam ad causandum alterationem realem in pane. Item verba non possunt habere actionem suam nisi in tempore, sed in nulla parte temporis videtur, quod verba illa possint habere actione, ergo &c. Maior patet, & minor probatur: quia vel haberet in prima parte temporis, vel in secunda, vel in tertia, sed hoc est falsum, vt visum est, ergo &c.

Item potest sic formari ratio specialis. Verba sacramentalia, verbi gratia, Hoc est corpus meum, nunquam tangunt species panis, neque vini, neque corpus Christi, ergo sequitur quod illa verba nullam dispositionem possunt causare, antecedens patet: quia verba nunquam sunt cum speciebus panis & vini, neque cum corpore Christi, ergo nullam causalitatem habent circa illa; consequentia probatur per Philos. 7 Physic. tex. c. 14. vbi dicit, quod agens & patiens debent esse simul, & se tangere. Et si dicas, quod licet secundum propriam entitatem eorum nullo modo se tangunt, neque sunt simul, cæterum se tangunt & sunt simul, secundum species sensibiles.

Contra in instanti prolationis verborum sunt ibi species panis, & vini; & tamen illa verba nullo modo tangunt species panis, & vini, neque corpus Christi, patet per Philos. in lib. de sensu & sensato, vbi inquit, quod diffusio specierum cuiuslibet sensibilis fit in tempore; ergo diffusio verborum fit in tempore; nam quodlibet sensibile multiplicat suas species tantum, quantum virtus eius potest se extendere; at verba sunt quædam sensibilia: quia sunt sonus, ergo diffundunt, & multiplicant suas species, id est, similitudines in tempore, species vero panis & vini sunt ibi in instanti, quia transubstantiatio fit in instanti, ergo illæ species sensibiles verborum non attingunt species panis, & vini, nec corpus Christi; atque adeo post vltimum instans completæ prolationis verborum non erit adhuc facta transubstantiatio: quia nec dispositio præuia ad ipsam, cum illa nequeat causari nisi in tempore, ac proinde per totum illud tempus post vltimum instans prolationis verborum permanet panis, quod est contra communem opinionem de Eucharistia, & contra fidem vt patet ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. & can. 2.

Quarto principaliter arguitur, (& hæc ratio est specialiter contra ornatum.) Non est ponenda pluralitas sine necessitate, sed talis ornatus non est necessarius, ergo non est ponendus. Maior patet ex 1. Phy. tex. c. 50. contra Melissum, & Anaxagoram, 8. Physic. tex. c. 40. 1. Cœli. tex. c. 32. & 3. de anima, tex. c. 60. minor probatur, primo de sacramento Eucharistiæ: quia nulla talis dispositio causatur in speciebus panis & vini ad præsentiam corporis Christi sub illis, vt probatum est supra. probatur etiam in alijs sacramentis, quæ non imprimunt characterem: Nam si sacramenta, quæ non imprimunt characterem causarent, hunc ornatum, qui esset dispositio ad gratiam, sequeretur, quod si ille qui recipit sacramentum, poneret obicem gratiæ, quod postea recedente obice sacramentum causaret gratiam; sed hoc est falsum, ergo illud ex quo sequitur. probatur sequela illa sacramenta, quæ imprimunt characterem: propterea conferunt gratiam recedente fictione; quia imprimunt characterem, qui est vltima dispositio ad gratiam, ergo eodem modo alia sacramenta conferrent gratiam recedente fictione, quia relinquerent ornatum, qui est vltima dispositio ad gratiam; sed hoc est falsum: quia alias si aliquis fide confiteretur, sequeretur quod postea recedente fictione reciperet gratiam pœnitentiæ, sine noua confessione peccatorum, vel saltem sine confessione illius fictionis, quod est falsum. Nam in ficte pœnitente cessante fictione, nihil est quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ; alioquin non oporteret tale ficte confessum de eisdem peccatis alias confiteri, quod communiter non admittitur, ergo in tali sacramento nulla imprimitur dispositio, quasi necessitans ad effectum sacramenti.

ARTICVLVS V.

Vtrum sacramenta ex eo sint causæ Physicæ gratiæ quia faciunt hominem gratum.

D. Thomas non persistens in ea opinione, quam docuit in 4. sent. d. 1. & quam eum Doct. sub. improbauimus in superiori art. (Nam vt inquit Caie. quidquid D. Thomas in scriptis super sent. secundum aliorum opinionem vt probabiliorem dixit in summa Theologiæ, secundum propriam sententiam alius sensit.) Ideo 3. p. summæ, q. 62. art. 1. docet sacramenta esse causas gratiæ, per modum instrumenti Physici, & causæ naturalis, quam defendunt Caiet. ibi & Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. & fere omnes discipuli D. Thomæ huius temporis, qui licet omnes conueniant in eadem conclusione, in modo tamen illam explicandi inter se differunt. & primus modus est Magistri Soto asserentis, ideo sacramenta nouæ legis effectiue, concurrere ad productionem gratiæ, quia effectiue concurrunt ad nostram iustificationem, & efficienter faciunt hominem gratum, licet efficienter non attingant ipsam gratiam. D. Thomas. Caietanus. Sotus. Sotus.

Fundamentum huius sententiæ est, quod ad hoc quod aliquis sit gratus, ex natura rei no expostulat aliquam qualitatem; sed sicut Deus voluit, quod essemus ipsi Deo grati per gratiam, quæ est qualitas nobis inhærens, iuxta determinationem Concilij Tridentini; ita etiam posset facere, quod essemus illi grati absque illa qualitate: Nam esse Deo gratum nihil aliud est, quam esse Deo dilectum, & sicut inter homines aliquis est ab alio dilectus absque aliqua qualitate illi inhærente: quia ideo diligor à Petro, quia Petrus diligit me, & ego sum obiectum illius dilectionis, sub qua me prosequitur. Ita in proposito posset fieri inter nos & Deum; & sicut quando quis inter homines facit duos amicos, est causa amicitiæ illorum, ita cum sacramenta faciant homines amicos Dei, sunt causa illius amicitiæ, & quia talis amicitia non fit nisi mediante gratiæ qualitate, quæ à Deo fit per creationem, ideo sacramenta dicuntur causæ mediatæ illius gratiæ, immediatæ vero hominis grati. Vnde concludit Soto. Igitur qui sane intelligere cupit quomodo sacramenta conferant gratiam, id primum constituat fingendo nullam huiusmodi qualitatem esse necessariam: Nam profecto patres nunquam de illa disputare cogitauerunt, sicut olim Concilium Viennense reliquit sub opinione. Ratio itaque Soti potest esse talis, esse gratum Deo de se non requirit qualitatem: fieri enim potest sine illa, ergo possunt sacramenta efficere hominem gratum Deo etiam si non creent gratiam in illo, quamuis Deus statim sua propria actione, & creatione illam qualitatem infundat.

Sed hæc Soti sententia omnino improbabilis est. Nam dempta illa qualitate sacramentum multo minus attingit actum diuinæ voluntatis, quam illam qualitatem, nisi diuina voluntas se ipsam libere determinasset ex pacto, atque adeo vel esset recurrendum ad causam sine qua non, & eo maxime, quia Sotus dicit, quod sacramenta non attingunt qualitatem illam efficienter, qua homo est formaliter iustus, & gratus, atque adeo

Digitized by Google

adeo non videtur plus dicere, quam Durandus & Gabriel, quos impugnat; vel recurrendum est ad actionem sacramẽti in dictam qualitatem, ad modum causæ naturalis quã actionem ipse negat a sacramentis, uel alius est quærendus dicendi modus.

Præterea esto concedamus hominem posse fieri gratum Deo sine qualitate inhærente; tamen hoc posito multo esset impossibilibus, quod sacramenta essent Physice instrumenta ad efficiendum hominem gratum Deo: quia tunc solum fieret homo gratus, per extrinsecam beneuolentiam, & acceptionem ad supernaturalia dona, quæ denominatio nullo modo effectiue posset fieri a sacramentis: esset enim extrinsece ab actu Dei. & nihil in homine intrinsecum poneret: sacramenta autem nec possent efficere ipsum actum Dei, vt per se constat, neque denominationem ab actu illo desumptam, quia talis denominatio, vt dixi, nihil ponit in homine; efficientia autem realis necesse est, vt habeat aliquem effectum realem in subiecto circa quod fit: nam si nihil fit, nulla potest esse effectio.

Præterea concreta accidentalia non possunt aliter fieri, quam efficiendo formam in subiecto, vel vnionem eius, at si homo fieret gratus per extrinsecam acceptationem, sacramenta non possent efficere formam, qua homo gratus fieret, quia talis forma non esset aliud præter ipsum actum Dei, nec possent efficere vnionem, quia illa non esset realis, & Physica, sed solum per extrinsecam habitudinẽ, & denominationem, & confirmatur exemplo: nam quæ res non est causa efficiens, & productiua dilectionis meæ, per quam Petrus a me diligitur, nullo modo potest esse causa efficiens huius, quod est Petrum a me esse dilectum, similiter quæ res non est causa efficiens, & productiua albedinis, per quam paries est formaliter albus, nullo modo potest esse causa efficiens huius, quod paries est albus. similis ratio est in proposito, vt consideranti est perspicuum.

Præterea licet per intellectum cogitare possimus hominem Deo dilectum, & gratum remota qualitate gratiæ, re ipsa tamen certissimum est de facto hominem non esse Deo gratum nisi gratia mediante, quæ animæ inhæret, sed certissimum est qualitatem illam gratiæ prius quiddam esse, quam hoc quod est hominem esse gratum, quia causa formalis est prior suo effectu formali; sed sacramenta ex sententia Soti non efficiunt ipsam qualitatem gratiæ, quæ est causa huius, quod est hominem esse gratum. Quomodo ergo possunt sacramenta realiter, & Physice efficere hominẽ Deo gratum? nullo prorsus modo.

Et confirmatur, quæ res non est causa formæ aut dispositionis alicuius vltimæ ad formam, haud dici potest esse causa effectus formalis talis formæ, vt patet per inductionem in omnibus; sed sacramenta, opinione Soti, neq; gratiæ ipsius, neq; alicuius dispositionis ad gratiam sunt causa, ergo neque erunt illius opinione causa, quod homo sit gratus, quod est effectus formalis illius qualitatis, quæ est gratia, non possunt ergo sacramenta efficere hominem gratũ causalitate Physica nisi de facto possint efficere, vel qualitatem ipsam gratiæ, vel saltem realem eius vnionem ad animam.

Oxomensis. Quocirca Episcopus Oxomensis, q. 62. art. 3. & 4. explicans hanc Soti sententiam dicit, quod in ipsa gratia hæc duo distinguuntur, nimirum ipsa qualitas gratiæ, & vnio eius, seu inhærentia in anima, & quod solus Deus prius natura efficiat, per creationem qualitatem ipsam gratiæ secundum se præscindendo ab vnione, & subiecto, in qua actione sacramenta non possunt esse instrumenta: quia non possunt concurrere ad creationem, præter hanc vero actionem ponenda est ibi alia actio, per quam gratia vniatur animæ; & ad hanc possunt concurrere sacramenta, quia illa actio non est creatio, & hoc modo possunt efficere hominẽ gratum non creando gratiam, exemplum huius rei est in hominis productione seu generatione: nam ibi duæ actiones circa animam intercedunt, vna est creatio animæ, ad quam nulla alia causa præter Deum potest concurrere, altera est vnio animæ ad corpus, ad quam possunt aliæ causæ naturales cooperari.

Verũ hęc opinio stare non potest, & diffuse nomine sup-
Suarez. presso impugnatur a Francisco Suarez. 3. p. Tom. 3. q. 62. dispu. 9. sect. 1. Contra ipsam tamen ita argumentor: nam secundum hanc sententiam sequitur nõ solam formam, sed etiam vnionem formę ad subiectum prius natura fieri a solo Deo, quam a causa secunda, quod est aperte falsum, probatur consequentia, quia sicut forma est res creata, quæ a solo Deo habet dependentiam essentialem, ita vnio formę ad subiectum est res, vel modus creatus, qui etiam a solo Deo habet essentialem dependentiam, vnde cessante actione causæ secundæ, non sola forma, sed etiam ipsa vnio conseruatur a solo Deo, & e contrario a principio potuisset fieri vnio a solo Deo sine causa secunda, quamuis non possit fieri a causa secunda sine Deo, ergo est æqualis ratio essentialis dependentiæ a Deo in vnione, & in existentia formæ, ergo si propter hanc causam prius natura fit forma a solo Deo, quam a causa secunda, etiam vnio prius natura fiet a solo Deo. Quod autem hoc consequens falsum, & absurdum sit, patet: quia nihil relinquitur, quod possit fieri a causa secunda, & in proposito nihil est, quod possit facere sacramentum: nam si prius Deus gratiam creat, & prius se solo gratiam vnit, quid facient sacramenta? Dices. facere eamdem vnionem, quam prius natura fecit Deus, secundum nouam dependentiam, vel actionem, sed hoc vanum est, & absurdum, præter naturas enim rerum est, iterũ agere, quod actum supponitur; alias cur non ageret naturaliter quælibet res ad se ipsam efficiendã, vel conseruandã?

Præterea forma, quę in suo esse ex natura sua pendet a subiecto non potest ab aliquo agente effectiue subiecto vniri nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente, sed gratia est forma, quæ in suo esse ex natura sua pendet a subiecto, ergo non potest ab aliquo agẽte animæ vniri, nisi a quo in esse producitur: atque adeo sacramenta eleuari non possunt ad vniendam gratiam animæ, quin simul eleuentur ad efficiendam ipsam gratiam; sed gratiam ipsam etiam secundum Sotum efficere nequeunt, ergo nec illam possunt animæ vnire. maior patet: quia per actionem illam ita vnitur forma seu gratia subiecto suo, vt ab illo pendeat in suo esse, ergo eadem actione qua vnitur recipit suum esse. Minor etiam patet, quia gratia est forma accidentalis. quæ natura sua pendet a subiecto tam in fieri, quam in esse.

Dices, quamquam hoc sit verum considerato modo connaturali productionis talis formæ, nõ tamẽ repugnare Deũ se solo prius producere gratiam, deinde vero vnire illam per sacramenta. Contra, quoniam & si hoc a Deo effici possit, non tamen sine speciali miraculo, nimirum quod forma natura sua dependens a subiecto fiat sine dependentia ab illo: præterquam, quod illo miraculo posito, necessarium esset, vt actio vniens talem formam cum subiecto attingeret entitatem ipsam, seu existentiam talis formæ. In quo est differentia inter huiusmodi formam, & animam rationalem; quod anima, quæ prius natura creatur, quam vniatur, per solam rationem creatiuam accipit esse, per actionem vero vnitiuam, solum recipit vnionem, & informationem, ita ut illa actio vnionis non attingat ipsum esse, seu existentiam animæ, at vero gratia, & quælibet forma pendens a subiecto, etiam si fingamus miraculose prius creari independenter a subiecto, tamen cum subiecto vnitur, necesse est, vt hoc fiat per actionem, & efficientiam; quæ non solam vnionem, sed etiam entitatem, seu existentiam formæ attingat.

Et ratio differentiæ est: quia omnis forma debet necessario informare subiectum modo sibi connaturali, neque in hoc potest recipere varietatẽ, quia informatio est actus intrinsecus, & formalis: qui nec suppleri, nec variari potest si forma est in se eiusdem rationis: anima ergo, quia ex natura sua est forma independens, ex se habet talem modum informandi, vt ratione illius non sustentetur a materia in suo esse, sed solum vniatur illi ad componendum vnum totum. at vero gratia, & omnis alia forma, qua natura sua pendet a subiecto, quod informat, ex natura sua etiam postulat talem informandi modum, quo inhæreat subiecto, seu ab illo sustentetur in suo esse, & ideo necesse est, vt agens, quod attingit huiusmodi modum vnionis, attingat etiam ipsum esse talis formæ.

Ex his vlterius arguitur contra Sotum, si sacramenta possunt effectiue attingere vnionem gratiæ cum anima, possũt etiam attingere primam gratiæ productionem, tum quia sicut gratia est forma spiritualis, & supernaturalis, ita & vnio gratiæ ad animam, & sicut vnio illa fit in anima tanquam in subiecto, a quo pendet in fieri, & conseruari, ita etiam gratia ipsa fit in anima tanquam in subiecto, a quo secundum ipsum pendet in fieri, & conseruari, ergo est eadem vtriusq; ratio, quia non magis existentia gratiæ, quem unio fit per

crea-

Digitized by Google

creationem, tum quia vnio gratiæ ad animam talis est, vt per illam pendeat gratia ab anima tanquam a causa materiali non solum in vnione, & informatione, sed etiã in existentia sua secundum Thomistas, in quo differt multum inter vnionem hanc gratiæ, & vnionem animæ ad corpus; ergo si sacraméta possunt attingere illam vnionem gratiæ ad animã, possunt etiam attingere ipsum esse gratiæ, quia illud esse cõmunicatur ei in ipsa vnione, sed sacramenta ad esse gratiæ secundum Sotum non attingunt, ergo neque ad eius vnionẽ cum anima attingere queunt. Nam quomodo potest ignis calorem ligno vnire nisi calorem ipsum producat? ex eo.n. quod ignis calorem producit, ligno calorem vnit. ergo a simili quomodo sacramenta possunt gratiam animæ vnire, si gratiam ipsam non producunt, at per te gratiam non efficiunt; ergo nec illam animæ vniunt.

Neque exemplum, quod adducit Sotus quicquam ei suffragatur: Nam vt dictum est, non est simile de productione gratiæ & animæ, & præterea homo dicitur causa generans, & efficiens hominem: quoniam etsi animam rationalem, quæ est forma hominis non producat, producit tamen aliquid proxime antecedens, & necessario connexum cũ vnione animæ rationalis, & illo esse hominis, nempe vltimas ad animam dispositiones, & hac ratione dicitur hominem generare. At in proposito nihil Sotus antecedens ipsam gratiam per sacramenta produci ponit, siquidem ipse confutat opinionẽ illam a nobis etiam in superiori ar. impugnatam, quæ fingit dispositionem illam characteris, vel ornatus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sacramenta secundum potentiam obedientialem possint a Deo eleuari ad effectum gratiæ.

QVæstio quomodo sacramenta sunt proprie causæ instrumentales gratiæ sanctificantis, nõ solum alios Authores, sed etiam plures ex D. Thom. sectatoribus torsit, et ideo varie de hac re locuti sunt, etiam vidimus quid opinati sunt Herueus, Capreolus, Paludanus, Ferrarien. & Sotus, in hoc art. examinanda est quorumdam Thomistarum opinio, asserentium sacramenta esse proprie causas instrumentales Physicas gratiæ sanctificantis; & ad nostra vsq; tempora vnus ex duobus modis defendi solebat. Primus modus erat, sacramentis datam esse qualitatem aliquam superioris ordinis, quæ esset virtus instrumentaria ad gratiã efficiendam; sicut a multis Philosophis dicitur calor datus igni, vt sit illi instrumentum ad formam substantialem producendam, ita opinantur Paludanus, Capreolus, & Ferrar. locis supracitatis, sed hic modus dicendi nec Caietano, nec Soto probatur, & efficaciter impugnatur, & reijcitur a Doc. nostro sub. q. 5. huius dist.

Paludanus Capreolus. Ferrariens.

Secundus modus dicendi est, virtutem, quam habent sacramenta efficiendi gratiam, non esse rem aliquam, vel qualitatem inhærentem sacramentis, & permanentem in illis, sed esse quemdam artificiosum motum, quem Deus imprimit sacramentis, per quem illa eleuat ad supernaturalem effectum, & hunc motum vocant instrumentariam virtutẽ. Ita docet Sotus, & multi ex Thomistis, qui non aliter suã sententiam probant, quam exemplo instrumentorum artis, quæ ab artifice humano eleuantur per motum artificiosum ad proprium effectum perficiendum, non repugnat autem Deum simili modo operari.

Sotus.

Sed hæc sententia alijs Thomistis non placet, quia (vt dicunt) vel rem non explicat, vel falsa est; Nam quæro quid sit hic motus artificiosus, si enim nihil reale est receptum in sacramentis, quod sit veluti principium efficiẽdi gratiam, sed solum sit supernaturalis efficientia, & concursus Dei hoc modo non explicatur quomodo sacramenta sint causæ instrumentales Physicæ gratiæ sanctificantis, quia per illum motum intelligi potest Deum efficere gratiam tanquam per actionem, vel concursum suum, non autem potest intelligi, quod per illum efficiant sacramenta, quandoquidem neque est actio, neque aliquid illorum. Si autem per motũ artificiosum intelligat hæc opinio aliquid impressum, & inhærens sacramentis, sic est falsa: quia quicquid esse fingatur huiusmodi motus est quid imperfectius, quam quælibet qualitas, ergo natura sua non potest esse virtus ad agendum supernaturalem effectum, ergo nec per illum eleuari possũt sacramenta ad gratiam efficiendam. Neq; exemplũ sumptum ab instrumentis artificialibus ad propositum explicandum iuuat, quia hęc instrumenta artis mota ab artifice reuera nihil efficiunt proprie, & per se quod illorum formas, & virtutem superet, quia per se primo per eiusmodi instrumẽta solũ fit applicatio, vel expulsio alicuius corporis ab hoc, vel illo loco, & motus instrumenti directus, seu gubernatus ab arte solum ad hoc deseruit, vt hæc introductio, vel expulsio corporis in loco ordinate fiat, vt inde resultent diuersæ figuræ, per quas res artificiosæ constituuntur; vnde fit, vt hic motus non sit ratio, & principium agendi, sed tantum applicatio, & conditio requisita, vt possit per instrumentũ aliud corpus, hoc vel illo modo mouere, & ideo ex his instrumentis, & ex modo eorum non potest sumi argumentum ad instrumenta supernaturalia, nec ad virtutẽ eorum explicandã.

Caietanus 3. p. q. 13. & 62. parum ab hoc modo dicendi recedit, inquit enim, in vniuersum omnem rem creatam eleuari ad efficiendũ aliquid, vt instrumentũ Dei, non per aliquam rem, vel qualitatem, vel Physicum motũ, qui instrumento superadditur, sed solum, quia ita subordinatur diuinæ volũtati, vt per se ipsam, vel per suam actionem intimet diuinum imperium, per quod res omnis, vel effectus fieri potest, sed hæc sententia, vel rem non explicat, vel veram, et propriam efficientiam instrumentorũ tollit, quam assignare intendit. Nam interrogo quid sit intimare diuinum imperium, præsertim circa res, quæ cognitione carent, vel circa effectus denuo producendos? vel enim solum est ad præsentiam talis rei, vel actionis naturalis v. g. ablutionis in Baptismo, Deum imperio suo gratiam efficere, & hunc esse ordinem infallibilem ex Dei pacto, & promissione, & hoc modo negatur instrumentis vera actio, & efficientia, & incidit in opinionem asserentem sacramenta esse conditiones sine quibus nõ efficitur gratia, & ad quarum positionem statim fit, Deo sic disponente, & ordinante, quod tandem concessit Ferrarien. 3. contra gẽtes c. 102. Vel intimare imperium est vere exequi, & efficere supernaturale opus iuxta diuinum imperium, & in hoc sensu non explicatur res, sed petitur principium, per hunc dicendi modum, hoc enim est, quod inquirimus, quomodo efficiant absq; superaddita virtute. In hunc modum vsq; ad hæc nostra tempora explicabant Thomistæ quomodo sacramenta sint causæ instrumentales Physicæ gratiæ iustificantis.

Caietanus. *Ferrariens.*

Iam vero paucis ab hinc annis recentiores nonnulli docent posse assumi a Deo quamlibet creaturam, vt instrumẽtum ad quemlibet effectum etiam creationis, ratione cuiusdam potentiæ, quam vocant obedientialem, hanc vero potentiam dicunt non esse rem aliquam superadditam, sed esse ipsammet entitatem rei, quæ hoc ipso quod creata est, & subordinata primo agenti est in potentia obedientiali actiua, vt efficiat quicquid non implicat contradictionem respectu illius. Hanc vero potentiam dicunt esse non completam sed inchoatam quandam virtutem ad producendum quemcunq; effectum. Porrò affirmant quamcunq; rem assumptam, vt instrumentum ab intrinseco operari effectum, & ex suo aliquid ad ipsum conferre, non virtute mẽdicata, aut deriuata a principali agente, nempe a Deo, sed virtute natiua, quatenus talis natura creata est. Vocant autem virtutem inchoatam, quia nullus concursus naturalis debetur ei, vt agat; sed supernaturali concursu, & altioris ordinis completur, vt producat effectum sibi (vt vocant) non proportionatũ.

Hanc vero opinionem ea ratione præcipue authores illius excogitarunt, quod ipsis necessarium videtur sacramenta nouæ legis virtutem instrumentariam concedere, quæ Physice gratiam operetur, quæ meliori modo quam prædicto defendi non posset. Nam quod ex Thomistis nonnulli asserunt deriuari a Deo in instrumenta Physica qualitatem aliquam aut permanentem, aut transeuntem, qua eleuẽtur, aut instrumenta per solam Dei assistentiam, absq; vlla in ipsis mutatione eleuari, visum est his Doctoribus, & merito non habere firmum in Philosophia fundamentum. restat igitur, vt dicamus instrumentis esse natiuam quandam virtutem inchoatam, vt superius explicata est. Cumq; non videatur aliqua manifesta repugnantia, immo videamus in alijs rebus esse virtutem hanc, quam vocãt obedientialem in subiecto, vt recipiat formam supernaturalem; in forma vt informet duas materias simul; in corpore quanto, vt sit in duobus locis simul, non est cur negemus eãdem virtutẽ ad producendam gratiam, & alia quæ a solo Deo fieri possunt. Ita Suarez, tom. 1. disp. 3. sect. 5. & Tom. 3. disp. 9 sect. 1.

Suarez.

Cæterum hæc sententia meo iudicio nec in Philosophia, nec in Theologia firmum habet fundamentum. Primũ quidem non in Theologia: quoniam ad nullum mysterium fidei nostræ videtur necessarius concursus Physicus instrumenti, atq; adeo si salua, & integra reuerentia debita mysterij sine hac, vel alia instrumentaria virtute Physica Theologizare possumus, non est cur in has angustias studiosorum ingenia comprimamus, volentes enim mysteria fidei nostræ extollere, sine necessitate ea difficiliora reddemus. Nõ esse, autem necessariũ concedere aliquem concursum Physicum instrumenti cum Deo ad defendendam sacramentorum efficaciam patebit ex ijs, quæ dicemus in vlt. art. huius quæst. vbi ostendemus nec Conciliorum, nec scripturæ, nec patrum testimonia plus aliquid vel leuiter indicare, quam efficacitatem moralẽ in sacramentis ad producendã gratiã.

Quod autem hæc sententia cum vera Philosophia pugnet vt ostendam, obser. est primo, quod instrumenti cõpleta virtus ea dicitur, cui correspondet non solum aliqua ratio in effectum, sed adæquate totum, quod in effectu producitur, & secundũ omnem rationem, inchoata vero, cui nõ correspondet effectus secundum omnem rationem, sed secundum aliquam, quæ quidem virtus inchoata compleri debet aliquo proximo principio adiuuante, & cooperante; sicut intellectus adiuuatur specie intelligibili ad intelligendum quodcunque obiectum abstractiua cognitione, & obiecto ipso in cognitione intuitiua; completa virtus competit causæ, quæ totalis appellatur in suo ordine causandi, virtus autem inchoata causæ partiali.

Secundo obser. est, quod si talis virtus instrumentaria est in rebus, deberet esse natiua cuilibet rei, cum non esset ab extrinseco deriuata, dixi natiuam, non naturalem, ne forte aliquis diceret non esse appellandam naturalem, ex eo q̃d non habeat ordinem completum efficientis ad effectum naturalem, sed supernaturalem, ita ut referri, & compleri debeat concursu Dei supernaturali, atq; adeo ne sit contentio de nomine eam non dixi naturalem, sed natiuam. Id autem alicui natiuum dicitur, quod ex principijs proprijs ipsius oritur, quare multo magis hæc instrumentaria virtus debet nuncupari natiua: quia secundum istos ab ipsa natura substantiali re non distinguitur.

Tertio obser. est, Dei concursum necessarium esse omni agenti creato, atq; adeo quod instrumentaria virtus indigeat Dei concursu commune est virtuti completæ, id est totali, & inchoatæ. hoc est partiali, eo quod Deus sit prima omniũ causa, quę hoc ipso, quod prima est, vniuersali quadam virtute concurrere debet, concursus autem, quo Deus cum qualibet creatura ad effectum concurrit, quæ secundũ omnem rationem natiua sua virtute operatur, non est supernaturalis, quia est ad id, quod secundum omnẽ rationem natiua virtus creaturæ operatur. Nam creatura, quæ natiua sua virtute vim habet, vt concurrente prima causa aliquid operetur secundum omnem rationem, non potest dici instrumentum nisi latiori significatione, quatenus omnis causa secunda dicitur instrumentum primæ.

Quarto obser. est, quod causa, quæ propria, & innata virtute aliquid confert ad effectum, & ipsum producit secundum aliquam rationem est causa principalis respectu illius, quod producit, licet indigeat alia secunda causa, vel concursu primæ loco illius, aliqua, inquam, causa adiuuante, aut supernaturali, vt intellectus compleatur lumine gloriæ ad videndum Deum, licet lumen gloriæ non possit proprie appellari altera causa partialis visionis beatificæ: quia cum sit habitus se tenet ex parte potentiæ, sed tantum est quod potentiam perficit, & ad videndum habilitat, sed altera causa est diuina voluntas, vel essentia volens in ratione obiecti, aut alia secunda causa naturalis adiuuante quemadmodum intellectus specie intelligibili adiuuatur ad cognoscendum hoc obiectum, vel illud.

His obseruatis in hunc modum argumentor. *Si* talis virtus instrumentaria esset in rebus deberet esse natiua cuilibet rei, vt patet ex primo notabili, atque nulla virtus creaturis natiua esse potest ad quemlibet effectum, ergo neq; instrumentaria virtus obedientialis in eis reperitur. Minor probatur, quia virtus illa aut esset completa, aut inchoata, sed neutro modo virtus illa esse potest ad quemcunq; effectũ, ergo nullo modo neq; vt instrumentũ concurrere potest. minor probatur, & primum, quod non põt esse virtus completa ad operandũ: quia si à virtute natiua cuiusq; creaturę procedere: effectus quicũq; secundũ omnem rationem, nõ esset necessaria alia causa secunda, & proxima ad talem effectum, sed solum prima, cum vniuersali illa ratione, qua cũ creatura cooperatur, posita. n. causa creata alicuius effectus secundum omnem rationem, hoc est, posita causa totali nõ est altera proxima necessaria, atq; ita nulla talis creatura esset instrumentum, sed principalis causa, sicut sunt aliæ secundæ causæ, quæ sine concursu primæ nequeunt operari, atq; ita homo Deo concurrente posset producere asinum, patet, quia per te in qualibet creatura est virtus obedientialis completa ad omnem effectum. Quod est absurdum.

Neq; põt esse inchoata virtus, quoniã si creatura concurreret natiua sua virtute ad aliquã rationem in effectu concurreret ad illã, vt propria causa, licet indigeret secunda alia causa, aut concursu primæ loco illius, vt complete fieret effectus secundum omnem rationẽ, vt patet ex 4. notabili, sed hoc non potest craturæ concedi ad omnem effectum. Tum quia non apparet, quæ ratio producta in quouis effectu, tribuatur naturæ virtuti creaturæ, quæ dicitur assumi, vt instrumentũ. Tum quia si aliqua ei assignaretur, posset ei cõiungi causa alia secunda creata naturalis, quæ compleret efficacitatem eius ad quemlibet effectum non supernaturalẽ, secundũ substãtiã, vt ad restitutionẽ oculi, quia hic effectus naturalis est secundum substantiam, & solum ex modo producendi, quia cum a solo Deo producitur sine vlla causa naturali exigente, dicitur supernaturalis, quare si ad hunc effectum, & similes haberet quæuis creatura inchoatam virtutem natiuam, posset inchoata illa virtus compleri, alia secunda causa adiuuante creata, quia ille effectus secundum suam substantiam naturalis est, frustra. n. videtur inchoata virtus ad effectũ secundum substantiã naturalem, quę non possit alia causa secunda naturali compleri, vt integrũ effectum, & secundũ omnem rationem producat. Ad effectum aũt supernaturalem secundũ substantiã, vt ad gratiam producendã posset compleri per causam secundã creatam, quę esset forma supernaturalis, & qua cõpleretur efficacitas ipsius, vt effectũ integre produceret. Frustra. n. vr inchoata virtus natiua ad producendũ effectum supernaturalem secundũ substantiam, quæ non possit aliqua forma supernaturali cõpleri, q̃ si Deus suppleret vicem alterius secũdæ causę naturalis, aut supernaturalis complentis efficacitatẽ illam inchoatã; hoc non obesset, quo minus inchoata virtus creaturæ esset propria causa effectus cuiuscunq; secundum illã peculiarẽ rationem, sicut ẽt intellectus est causa propria visionis Dei secundũ rationem intellectionis, & vitalis, ẽt si eius virtus compleatur concursu peculiari ipsius Dei.

Et si dicas, in qualibet creatura esse virtutẽ inchoatã natiuam ad quemlibet effectũ, non quia illa possit cõcurrere ad quẽlibet effectũ, vt propria causa secundũ aliquam rõnem, sed quia ita ad omnẽ rationem effectus propria virtute concurrit, vt solo auxilio supernaturali Dei ipsi non debito concurrere possit, ideoq; inchoatam virtutem vocari, non quia quemlibet effectum secundum aliquam ipsius rationẽ producere possit, sed quia ei non est debitus concursus naturalis Dei, & solo supernaturali non debito potest operari.

Sed hoc nihil est. Tum quia vt sup. dicebamus, si quęuis creatura, natiua sua, & propria virtute aliquid põt conferre ad quẽlibet effectũ, nihil ei deesse põt quo minus sit causa propria talis effectus, & ei concursus naturalis Dei respondeat vt operetur, nã concursus respondens natiuę virtuti naturalis est, & talis virtus nõ obedientialis, vt ipsi loquũtur, sed naturalis dicenda esset, & effectus ipsi respõdens naturalis vocari deberet. Quare absq; fundamẽto diceretur virtus illa in creatura obedientialis, cũ vere esset causa secũda.

Et si iterũ dicas, virtutem illã obediẽtialẽ ideo esse instrumentariã, & Dei cõcursũ, quia ipsi cõfertur esse supernaturalẽ saltẽ ex parte modi, quia illa non est proportionata effectui, nec ex se æquatur illi, si aũt esset proportionata recte sequerentur ea, quæ hactenus intulimus. Cõtra, aut virtus illa ex eo dr̃ improportionata, & inadæquata effectui, quia non põt sine concursu primę causæ operari, & hoc nõ est satis, vt sit instrumentaria, hoc. n cõcursu egent oẽs causæ. aut quia virtus illa natiua inferior est, quã vt ei tanquã effectus respondeat id, q̃ debet produci, & hoc perinde est atq; negare virtutẽ innatã ad quẽlibet effectũ: nã virtus, quę ex se confert aliquid ad productionẽ effectus, non potest non esse proportionata, & adæquata ei, quod producit, si autem non est alicui quod producitur in effectu proportionata, & adæ-

& adæquata, ex se nihil conferre potest, atque adeo si defendere debemus virtutem instrumentariā in quauis creatura, non debet esse innata instrumēto, sed deriuata aliquo modo a principali agente, vel per qualitatem, vel per motum, vel per assistentiam: quod si hoc etiam modo defendi nequit vt vidimus, melius est tale genus instrumenti omnino negare, vt item Doctor. sub. artic. 9. huius quæstio. negabimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum sacramenta sint causæ Physicæ instrumentales attingentes gratiam.

IN hac re multi, & graues Theologi, imo omnes præter aliquos Thomistas negant sacramenta efficere gratiam, per veram & physicam efficientiam, licet in modo explicandi quomodo sacramenta gratiam conferant, multum inter se dissentiunt, vt partim vidimus in præcedentibus articulis, partim in hoc articulo præstabimus.

Altisiodor. Altisiodorensis lib. 4. summæ tract. 3. in principio dixit sacramenta non esse causas efficientes, sed quasi materiales gratiæ quam continere dicuntur, sicut vas continens medicinam non est causa efficiens sanitatem sed per modum materiæ. Hæc sententia vnum dicit quod est de fide certum, scilicet sacramenta continere gratiam: sub his enim verbis definitur in Concil. Florent. in decreto Eugenij, & in Trident. sessio. 7. can. 6. Cæterum hæc continentia non intelligitur de continentia formali, sed virtuali; nam ipsa qualitas gratiæ non adhæret sacramentis; Vnde ex hoc non potest inferri sacramenta habere rationem causæ materialis, & nō efficientis, imo totum oppositum. Tum quia continent gratiam virtualiter, nimirum ex Dei promissione habent virtutem ad conferendam gratiam. Tum quia dicuntur mundare, & sanare, quę efficientem potius quam materialem causam denotant. Tum quia per sacramentorum vsum, & applicationem datur nobis gratia, sed hic modus causandi, nullam similitudinem, vel proportionem habet cum genere causæ materialis, habet autem maximam cum causa efficiente.

Nec exemplum illud de vase, est ad rem. Tum quia medicina formaliter continetur in vase, gratia autem non est ita in sacramento; Tum etiam quia si vas comparetur ad sanitatem, quam efficit medicina, re vera non est causa materialis eius, neque vllo modo est causa per se, sed potest dici causa per accidens, quatenus est instrumentum ad applicādam causam per se efficientem sanitatem.

Albertus. Per hoc patet etiam improbatio Alberti Magni, qui in 4. dist. 1. art. 5. ad primum quo probat sacramentum non esse causam, dicit, quod sacramentum est causa vt disponens in subiecto, & dispositio, quæ est necessitans quantum est de se, non tamen sequitur quod semper operetur, sed sequitur quantum est de se quod semper operetur, & in responsione ad secundum quærēs ad quam causam reducitur ista dispositio, dicit quod ad materiam: quia quicquid est ante formam de dispositionibus materiæ, totum subijcitur formæ cum ipsa materia, Sicut patet in scuto quando dealbatur, asser cum albedine subijcitur auro, quod postea superducitur albedini, vel scuto albo. Nam licet verum sit quod sacramentum sit causa vt disponens eo modo, qui explicabitur a nobis art. 10. Falsum est, tamen quod huiusmodi dispositio reducatur ad genus causæ materialis. Nec exemplū de scuto albedine, & auro, est ad propositum, vt de se patet.

Gulielm. Gulielm. Parisiensis lib. de sacramentis in genere, c. 1. in fine, dixit sacramenta conferre gratiam per modum impetrationis: quia oratio ministri, vel ecclesiæ coniuncta sacramento impetrat gratiam suscipienti, sicut legimus Actorū 8. Apostolos præmisisse orationem ante manus impositionem: orauerunt (inquit) pro ipsis vt acciperent Spiritū sanctum. & infra. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Hæc sentētia duobus modis intelligi potest, primo quod effectus sacramenti per se pendeat ab oratione, & impetratione ministri, aut Ecclesiæ, & hoc sensu est falsa, & improbabilis: quia quod non est de substantia, & necessitate sacramenti, non est per se necessarium ad effectum sacramenti, nisi quatenus necessarium est, vt suscipiens non ponat obicem, sed oratio ministri non est per se de substantia sacramēti, vt per se constat, nec necessaria, vt sacramentum fiat; quia sufficit intentio faciendi sacramentum, & idem est de oratione, vel impetratione ecclesiæ. Alio modo potest intelligi, vt non sit sermo de personali (vt ita dicam) oratione, vel impetratione ministri, sed de sacramentali, ita vt ipsamet applicatio sacramenti dicatur quædam gratiæ impetratio: quia illa posita Deus promisit dare gratiam propter merita Christi, & hoc sensu est probabilis opinio, & coincidere videtur cum opinione Doctor. sub. vt videbimus in sequentibus.

Caietan 3. par. quæst. 62. artic. 1. Suarez tomo 3. disput. 9. sect. 2. & Valent. tomo 4. disp. 3. q. 3. puncto 1. docent sacramenta actione sua reali, & instrumentali causare gratiā, ita vt dicantur vera instrumenta per veram, & physicam efficientiam attingentia veram gratiæ productionem. Et Caietanus nititur probare hanc esse D. Thomæ opinionē: quia non perseuerauit in opinione quam docuit in 4. sent. supra relata, & impugnata a Doct. nostro sub. adeoque apud Caiet. sacramenta sunt causæ instrumentales physicæ efficientes gratiam, itaque attingunt quatenus sunt instrumenta Dei gratiam ipsam. *Caietan. Suarez. Valentia.*

Fundamenta huius sententiæ sunt: quia aliter non fit satis authoritatibus sanctorum, & Conciliorum asserentium quod sacramenta producunt gratiam, & efficiunt gratiam, quibus verbis manifeste denotatur, causalitas efficiēs respectu gratiæ. Nam D. August. hom. 80. in Ioā. quæ est, inquit, ista virtus aquæ tanta, vt corpus tangat, & cor abluat. Sed aqua non potest abluere cor, idest, animam nisi producendo gratiam, ergo sacramenta habent causalitatem physicā respectu gratiæ. *D August.*

Item Concilia Florentinum, & Trident. dicunt sacramēta gratiam continere, & conferre, quæ verba efficientiā indicant, & Concilium Moguntinum, c. 11. sic inquit. Doceāt pastores septem esse ecclesiæ sacramenta diuinitus instituta, per quæ velut apta instrumenta atque remedia suæ gratiæ munera nobis impartitur Deus, & infra dicit sacramenta esse sancta signacula, & efficacia signa, & Concil. Senon. c. 10. dicit sacramenta habere vim gratiam conferendi, & similia fere habet Concil Colon. p. 7. c. 1. Imo nec potest satisfieri authoritatibus scripturæ, quibus dicimur mundari, & sanctificari, & regenerari per aquam, aut per lauacrum regenerationis, & lauacro aquæ in verbo vitæ. Præterea ista causalis est vera: quia homo baptizatur est filius Dei, & habet gratiam, ergo baptismus est causa gratiæ. *Conc. Flor. Conc. Trid. Concil. Mogunt. Conc. Seno. Conc. Colon.*

Dicit insuper hæc opinio, quod instrumēta artis sunt proprie actiua, neque sibi assimilant effectum in quantū instrumenta, sed arti cuius sunt instrumenta, v.g. securis habet ex forma suę acutiei quod scindat, quod autem lectum formet habet ex arte. Ita baptismus abluit corpus per formā aquæ, sed quia est instrumentum Dei facit hominem Deo gratū ipsi Deo animam eius assimilando, iuxta illud 2. D. Petr. 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt efficiamini diuinæ consortes naturæ, & D. Paulus ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, vbi illa præpositio per, dicit causam instrumentalem, siquidem per instrumentum artifex operatur.

Et hanc Caiet. sententiam confirmant Theologi Salmāticenses hoc modo, eo pacto sacramenta, quę sunt instrumēta Dei separata, sanctificant, & iustificant, quo humanitas Christi, quæ est instrumentum coniunctum diuinitati sanctificabat, & iustificabat, sed Christi humanitas sanctificabat attingendo gratiam, vt causa instrumentalis physica, ergo idem faciunt sacramenta. Maior probatur. Nam Hebr. 10. dicimur sanctificati per oblationem corporis Iesu Christi, & 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato, & Apoc. 1. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Similia dicimus de sacramentis quod per illa sanctificamur, & iustificamur a peccatis. Minor vero probatur Matt. 9. Vbi Christus dixit Paralytico. Fili remittuntur tibi peccata tua. & infra: vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ait Paralytico. Surge tolle lectum tuum &c. quasi miraculo sanitatis confirmans prædictam iustificandi potentiam. *Salmanticenses.*

Præterea ad idem genus causæ pertinent agens, & instrumentum, quo agit: nam instrumentum non agit per virtutem suæ formæ, sed per motum, quo mouetur ab agente principali, a quo agente educitur de potentia ad actum, per quem motum est in instrumento virtus quæ-

dam intentionalis, siue instrumentalis. Sed Deus quamuis sit agens liberum imperio suæ voluntatis agens: quia tamē concurrit cum omni causa ad omnem effectum, & vere producit, habet rationem causæ naturalis; igitur & sacramenta, quæ sunt instrumenta quibus operatur ad sanctificandum, iuxta illud ad Ephes. 5. Mundans ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ, agent vt instrumenta Physica, non tamen per aliquam virtutem naturalem, vel gratuitā permanentem, & sacramentis tributam.

Præterea in definitione Sacramenti, quam assignat magister, ponitur causa, sic enim magister Sacramentum definit. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt eius similitudinem gerat, & causa existat, si ergo existit causa, videtur, quod Sacramenta sunt causæ naturales gratiæ.

Præterea ecclesia in quadam collecta rogans Deum sic ait. Perficiant in nobis Domine tua sacramenta, quod continent; quibus verbis petit ecclesia, quod sacramenta perficiant gratiam, vel ergo ecclesia petit possibile, vel impossibile; non est dicendum, quod impossibile petat, ergo possibile, sed sacramenta continent gratiam, & non formaliter, sed virtualiter sicut causa suum effectum, & illa petit ecclesia, quod perficiant, ergo sacramenta efficiunt gratiam. Et confirmatur: sacramenta sunt causa gratiæ, & per te non sunt causæ Physicæ, ergo erunt causæ per accidens. consequens est falsum ergo &c. Contra hanc sententiam militant omnia argumenta Scoti, quibus impugnat D. Thom. in hac & sequenti quæstione, & præcipuum est illud. Gratia creatione producitur, atqui sacramenta nullo modo possunt creare; etiam secundum D. Thomam, quia sunt creaturæ, ergo gratiam effectiue producere nequeunt.

Præterea gratia producitur in instanti, vt probatum est supra de charactere, & ornatu, & sacramenta sunt in tempore, nec permanentia, ergo non possunt efficere gratiam.

Item quando gratia producitur non est sacramentum, ergo non potest esse causa Physica efficiens gratiæ: consequentia patet, quia mouens & motum debent esse simul, & causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt. probatur antecedens, quia non potest conferri gratia nisi post quam prolata sunt verba, sed verbis prolatis iam non est sacramentum, ergo verum est antecedens, & cōfirmatur. Baptismus in ficto consequitur suum effectum recedente fictione, sed tunc sacramentū non est, ergo non agit vt causa Physica, quæ attingit effectum per vim sibi inditā, quando est, & quod dictum est de baptismo in isto casu, etiam de illo dicendum est, atq; etiam de alijs Sacramentis: nam lex non distinguit, neq; declarat modum, quo causant gratiam esse differentem.

Subinde si sacramenta essent causæ Physicæ instrumentales efficientes gratiam, haberent aliquam virtutem effectiuam gratiæ; sed non possunt illam habere, ergo &c. Maior conceditur, & minor probatur dupliciter, quia illa virtus deberet collocari in aliquo prædicamento, cum sit creatura, sed in nullo potest collocari, ergo &c. Secundo quia aut esset corporalis, aut spiritualis; non corporalis, quia virtus corporalis non potest rem spiritualem producere: nec spiritualis: quia spirituale in corporali subiectari non potest, cuiusmodi est sacramentum, ergo nullo modo potest esse talis virtus in sacramento, & per consequens sacramentum non potest effectiue gratiam producere. Hæc argumenta explicabuntur magis in sequenti ar. vbi ostendemus a Thomistis non solui.

Ad fundamenta pro sententia Caiet. respondetur, & ad primum dico, quod aqua abluit animam tanquam dispositio proxima, & immediata ad gratiam eo modo, quo meritum inducit beatitudinem, est autem meritū causa actiua moralis respectu præmij, vt Sotus etiam fatetur, vbi supra, ergo sacramentum etiam est causa actiua moralis respectu gratiæ; non autem causa Physic. sed contra hanc responsio-
Caietanus. Sotus. nē instant Caiet. & Sotus sacramenta nouæ legis efficiunt, ꝙ significant, ergo vere sunt causæ efficientes, & non tantū dispositiones mouentes Deum ad productionem illius. Respondeo, ꝙ efficere interdum accipitur pro modo causandi causæ efficientis, interdum extenditur ad modum causandi cuiuseūq; causæ, Dicimus enim quod albedo facit albū, & tamen albedo est causa formalis, sic etiam sacramenta dicuntur efficere gratiā, sed suo modo, id est, tanq; signa efficacia & causæ morales, vt dicit Scotus, & hæc responsio colligi-
tur ex D. Bonauent. D. Bonaui.

Sed cōtra. Sancti si vellent asserere, quod sacramēta sunt causæ efficientes naturales gratiæ, nullo modo potuissent verbis clarioribus id explicare, quam dicendo, quod efficiunt gratiam, quod producunt gratiam. Præterea si sacramenta non attingunt Physice gratiam, non sunt vere causæ gratiæ: atque ita non saluantur Concilia determinantia esse gratiæ causas.

Respondeo, quod si sancti vellent asserere, quod sacramēta producunt qualitatem, qua homo fit gratus, nullis verbis clarioribus hoc possent explicare, quam dicere, quod producunt gratiam, & tamen ipsi negant, quod qualitatem illam effectiue producant. Dico ergo, quod Concilia non volunt definire, quod sacramenta attingant actione sua ipsam gratiam, sed solum determinant, quod sacramenta sunt causa nostræ salutis cum quo stat, quod sint causæ morales, & per hoc patet ad aliud, quia non solum causa Physica est proprie causa, sed etiā causa moralis est vere, & proprie causa, vt explicabimus infra, neque Concilia definiunt modum quo sacramenta efficiunt gratiam, sed absolute asserunt esse gratiæ causas; nobis vero relinquūt inuestigandum, quomodo illam causent, & modus intelligibilior, facilior, atq; conformior scripturis Sacris, Concilijs, & Doctrinæ Sanctorū Patrum est modus Scoti explicandus in 10. ar. huius quæst.

Ad aliud ex Doctoribus Salman. dico, quod licet demus multa miracula facta a Christo Domino per contactum Physicum tangendo leprosos, vt Matth. 8. & mulierem inclinatam, Lucæ 13. In iustificatione tamē peccatorū quoniam voluntate atque imperio fiebat, nō erat contactus
vere Physicus, sed methaphoricus. vnde Concilium Trid. Conc. Trid.
sess. 6. c. 7. ponens quatuor iustificationis causas, finalem dixit esse gloriam Dei, & vitam æternam; efficientem ipsum Deum, meritoriam Christum Dominum, instrumentalem Sacramentum Baptismi, formalem autem charitatem. Audiamus verba Concilij. Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei, & vita æterna, efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat, signans, & vngens spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo patri satisfecit. Instrumentalis item sacramētum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquā contigit iustificatio. Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quibus verbis, & nullis alijs totam efficientiam iustificationis tribuit Concilium ipsi Deo: quia loquitur ibi de causa Physica, & naturali, Christo autem homini non tribuit Concilium esse efficiētem causam iustificationem sed dumtaxat meritoriā; atq; adeo humanitas Christi, vt instrumentum iustificationis non attingebat gratiā, vt causa Physica sed vt meritoria, & moralis; ergo multo minus attingūt illam sacramenta, quæ sunt instrumenta separata, concedo ergo quod eo modo sacramenta iustificant, & sanctificant, quo humanitas Christi, sed nego minorem.

Ad aliud dico, quod ad idem genus causæ spectāt agens principale, & instrumentum, sed nō eodem modo: quia principale agens efficienter attingit effectum, instrumentū vero minime: quia instrumētū presse sumptū, vt distinguitur à causa principali, non est actiuum, vt videbimus art. 9.

Ad quartum dico, ꝙ magister noluit significare sacramenta habere causalitatem Physicam respectu gratiæ, sed ideo posuit causā in definitione sacramenti: quia certitudinaliter, & efficaciter significāt gratiam, ex quo sunt dispositiones necessario mouentes ipsum Deum ex pacto, & promissione (vt dicit Concilium Triden. in supra relatis verbis) ad causandā gratiam. Contra Magister in hoc ponit differentiā sacramentorum nouæ legis, à sacramentis veteris legis, quia sacramenta illa erāt tātum signa gratiæ, nostra vero sacramēta non solum sunt signa sed et causæ gratiæ, ergo sacramentū est vere causa Physica gratiæ. Nego consequentiam, neque enim sacramenta nouæ legis, & veteris distinguuntur per illud, quod neutri illorum potest conuenire, scilicet, Physice causare gratiam: sed per hoc distinguuntur: quia nouæ legis sacramenta causant tanquam signum efficax, & tanquam dispositiones ex opere operato, obligantes
Deum

Digitized by Google

Deum ad causandam gratiam, vt dictum est supra, & clarius explicabitur infra, sacramenta vero legis veteris solum erant signa, loquendo de sacramentis improprie dictis. i. de cæremonijs legis illius, de quibus loquitur ibi magister.

Ad secundum dico, quod ecclesia non petit, nisi quod sacramenta perficiant gratiam eo modo quo possunt perficere, id est, tanquam dispositiones immediate ad gratiam, & tanquam causæ morales, & hoc modo etiam continent gratiam. Ad confirmationem nego consequentiam: quia sacramenta non sunt causæ per accidens, sunt enim causæ per se morales. Contra aquæ baptismi accidit, quod ordinetur ad gratiam, ergo est causa per accidens illius. Respondeo, quod aquę Baptismi secundum naturam suam accidit ordinari ad gratiam; cęterum quatenus instituta est a Deo ad gratiam conferendam, non accidit sibi ordo ad gratiam; sicut in incisione alicuius membri accidit sibi ex natura sua ordo ad sanitatem, tamen quatenus ordinatur ad sanitatem, non accidit sibi talis ordo, atq; adeo si definiretur incisio in ordine ad sanitatem, in eius definitione poneretur aliquid, quod significaret, vel exprimeret ordinem illum ad sanitatem, licet ille ordo accideret incisioni secundum se, & absolute consideratæ, & hoc modo sancti, & Doctores non curantes de baptismali ablutione, quantum ad naturam in se, & absolute considerata, non magis quam de natura balneationis cuiuscunque per se: quoniam vt sic accidit sibi ordo ad gratiam, considerant illam quatenus ex institutione diuina habet ordinem ad gratiam, & ideo sic definiunt, & differentias assignant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum responsiones Thomistarum soluant rationes Scoti, quibus impugnat D. Thomam de efficientia Physica sacramentorum.

QVatuor rationibus improbauit Doct. sub. efficientiam Physicam sacramentorum, quas soluere nituntur Thomistæ, & prima ratio fuit talis. Gratia creatione producitur, atqui sacramenta nullo modo possunt creare, etiam secundum D. Thomam: quia sunt creaturæ. ergo gratiam efficere nequeunt.

Pro solutione huius rationis multa dicit Soto, sed in summa respondet cum Caietano, quod sacramentum non attingit ad productionem qualitatis, quæ est gratia immediate: quia hæc causatur, vel concreatur a Deo, bene tamen Sacramentum attingit ad hoc, quod faciat hominem gratum, & hoc est esse causam gratiæ abstrahendo a qualitate: sicut inter homines, qui facit duos amicos dicitur illorum amicitiæ causa, ita sacramentum facit hominem amicum Deo, sed quia hæc amicitia non nectitur cum Deo nisi per infusionē gratiæ, ideo Sacramentum dicitur mediate causare gratiā; sicut in naturalibus licet homo non creet animam rationalem, nihilominus vere generat hominem, quia est causa vnionis animæ cum corpore.

Sed hæc solutio nulla est, & supra est improbata. Nam si propterea sacramenta sunt causa gratiæ: quia sunt causa vnionis gratiæ cum anima, eadem ratione homo diceretur causa efficiens animæ rationalis; quia est causa coniunctionis illius cum corpore, sed hoc est falsum, ergo &c. Sequela patet, quia vtrobiq; est eadem ratio, & minor probatur ex 2. Machab. ca. 7. Non ego spiritum, aut animam donaui vobis, sed mundi Creator. Præterea diuersa est quæstio vtrum homo producat animam, vel producat hominem animatum, ita diuersa est quæstio an sacramenta efficiant gratiam, aut efficiant hominem gratum. Concilia dicunt, quod sacramenta producunt gratiam. ergo & si dicamus quod sacramenta faciunt hominem gratū, si negemus tamen, quod gratiam producant, non satisfacimus dictis Conciliorum, quia ex tali solutione non sequitur, quod sacramenta producant gratiam, sicut non sequitur, quod homo producat

Caietanus. animam rationalem, ex eo quod producit hominem.

Respondet secundo Caietanus, quem sequuntur iuniores Thomistæ, quod argumentum Scoti falsum supponit, nempe gratiam creari: nam cum gratia sit accidens nō creatur, accidentia enim proprie nō creantur, sicut nec fiunt, nec producuntur, sed comproducuntur, ex qua solutione occasionem acceperunt quidam latissime disputādi: an gratia creetur, & tandem concludunt, quod non creatur, & consequenter dicunt, quod producitur effectiue a Sacramentis, & educitur de potentia obedientiali animæ. Sed hæc responsio est fere contra omnes Theologos antiquos, communiter asserentes gratiam a Deo per creationem produci. Quod pro nunc ita persuaderi potest.

Si gratia educitur de potentia obedientiali animæ, ergo gratia præfuit in potentia naturali animæ aliquo modo, & per consequens educitur de potentia naturali animæ, vltimum consequens est falsum apud omnes, ergo & primū antecedens; consequentia prima probatur, quia potentia obedientialis nihil absolutum addit supra potentiam naturalem, sed præcise respectum ad agens supernaturale, ita communiter omnes methaphysici, ergo educi de potentia obedientiali, nihil aliud est quam educi de potentia naturali per agens supernaturale, sed quod educitur de potentia naturali, præfuit in potentia naturali, ergo si gratia educitur de potentia naturali animæ, pręfuit in potentia naturali animæ, consequens est falsum, ergo & antecedens.

Præterea nihil est naturalis animæ, quam obedire Deo agenti supernaturali, ergo nulla potentia est naturalior animæ, quam potentia obedientialis, atque adeo si gratia educitur de potentia animæ obedientiali, educitur de potentia naturali. Pręterea si gratia educitur de potentia obedientiali, ergo inter animam, & gratiam est naturalis proportio ex natura animæ, & ex natura gratiæ, id est, secluso quocunque extrinseco, probatur sequela, quia inter subiectum, de quo educitur forma, & ipsam formam eductam ex illo est naturalis proportio, sed consequens est falsum, ergo &c. probatur minor, gratia & anima sunt ex natura rei alterius, & alterius ordinis, sed proportio est inter extrema eiusdem ordinis, ergo inter extrema alterius, & alterius ordinis non potest esse proportio. confirmatur: quia si gratia educitur de potentia obedientiali animæ, ergo anima ex natura sua appetitu naturali fertur in ipsam gratiam, patet sequela: quia gratia est forma educta ab illa potentia, ergo illa potentia naturaliter fertur in illam tanquam in suam perfectionem, & formam: consequens est falsum, quia si homo esset constitutus in puris naturalibus, non inclinaretur naturaliter in gratiam, sicut neque in visionem beatificam, & hoc argumentum efficax est contra Caiet. qui negat potentiam neutram inter naturalem inclinationem, & naturalem resistentiam. ergo si gratia educta de potentia obedientiali non dicit resistentiam naturalem, dicit inclinationem naturalem, & per consequens anima in puris naturalibus condita, naturaliter inclinabitur ad gratiam, quod Caiet. ipse non concedit.

Præterea gratia, etsi fiat in subiecto potente illam recipere a Deo, tamen non fit de potentia subiecti, nec educitur de natura ipsius, quia fit per actionem liberi agentis, scilicet Dei, ergo creatur: quia fit ex nihilo imo per eamdem actionem, qua fit à Deo in anima, potest fieri ab eo extra animam, ita ut a subiecto non dependeat, imo per eamdem actionem poterit ab anima peccante transferri ad animam iustificandam, atque ita non dependet ab ipsa natura subiecti. Sed de hoc satis, quia locus hic non proprius non est disputandi an gratia creetur, atque adeo ab hac quęstione supersedeo.

Tum etiam, quia Caiet. ipse in hac sententia non persistit. Sed propter reuerentiam inquit communis dicti, & opinionis asserentis, quod gratia creatur, aliter respondeo, & adducit primam responsionem, quam impugnauimus impugnando Sotum. Obseruandum est tamen, quod aliqui Thomistarum non reputant inconueniens creaturam aliquid creare in subiecto, licet extra illud non possit, & ideo concedunt sacramenta concurrere instrumentaliter ad gratiæ creationem, quia gratia in subiecto creatur. at Sotus hac d. q. 3. artic. primo, non audet concedere creaturam in subiecto creare, & multo minus, quod gratia creetur a sacramento, dicit tamen ex Caiet. sacramenta attingere immediate ad faciendum hominem Deo gratum abstrahendo qualitatem gratiæ, sicut supra dixit, si fingeretur amicitia sine qualitate eadem; sacramenta vero consecutiue sūt causa mediata, quod Deus faciendo hominem gratum concreet ipsam gratiam.

Sed contra hoc dictum Soti arguitur, effectus sacramenti est duplex, vnus est facere hominem Deo gratum, alter vero est ipsa gratia, qua sumus formaliter grati, sed gratia est prior effectus, & fieri gratum per illam est secundus, igitur si sacramentum potest in effectum posteriorem, *Sacramenti duplex est effectus.*

potest etiam in priorem,& immediatius; & e contrario, si non potest immediate in gratiam, neque potest facere hominem gratum, idque confirmatur ex reliquis accidentibus: nam prius est albedo in corpore, quam sit album, quia albedo est causa formalis albi, & qui non potest effectiue producere albedinem, non potest effectiue facere album, & e contrario, qui effectiue facit album, efficienter producit albedinem. Ita prius natura est gratia in anima, quā homo sit Deo gratus; ergo si sacramentum non potest in effectum priorem, qui est causa posterioris, nec etiā potest in posteriorem effectum. Solus Deus, vt aiunt Caiet. & Sotus, potest in effectum priorem, idest, gratiam producere, ergo solus Deus potest hominem gratum efficienter facere. Præterea si sacramenta actione physica attingunt gratiam, igitur vel concreant gratiam; aut re vera sunt causæ sine quibus non concreatur a solo Deo, & sic non transcendūt modum dicendi Durandi, & Gabr. supra relatum, & a Soto, Caietan. & a nobis impugnatum, vel sacramenta sunt vltima, & immediata dispositio ad gratiam reducendo ad genus causæ efficiētis, vt videbimus explicando opinionem Scoti.

Secundum argumentum Scoti est, gratia producitur in instanti, vt probatum est supra de charactere, & ornatu, at sacramenta operantur in tempore, nec permanentia sunt, ergo non possunt efficere gratiam.

Respondet Caiet. dupliciter, & primo dicit, quod licet sacramenta sint in tempore, & gratia producatur in instanti, nihilominus possunt illam producere: quia non producūt in toto illo tempore, sed in vltimo instanti prolationis verborum. Sed contra in vltimo instanti prolationis iam verba transierunt, ergo non possunt efficere gratiā: quia quod non est, non potest esse efficiens causa alicuius. Secundo videtur respondere Caiet. quod gratia producitur a sacramēto in tempore. Nam licet sacramentum sit instrumentum Dei, Deus tamen potest agere in tempore si vult, sicut patet quando aliquid localiter mouet. Sed contra gratia est indiuisibilis, ergo non potest produci in tempore, quia iam produceretur diuisibiliter, & pars post partem.

Istam solutionem Caietani explicat Sotus, dicens quod possumus considerare productionem hominis grati, & productionem ipsius gratiæ. Vnde sicut sacramenta dicuntur causa gratiæ: quia faciunt hominem gratum, licet nō producant ipsam qualitatem, sic etiam dicimus quod producunt gratiam in tempore, quia in toto illo tempore ablutionis, & verborum, v.g. homo fit gratus, quamuis ipsa gratia producatur a Deo in vltimo instanti prolationis, sed hæc explicatio non videtur intelligibilis: quia homo nunquā est gratus, quoad vsque gratiam recipiat; quia nō est effectus formalis sine causa formali, quomodo ergo potest fieri gratus in tempore, si gratia ipsa qua fit gratus producitur in instanti; alias sequeretur quod haberet gratiam, antequā habeat gratiam. Vidit Sotus hoc inconueniens, & vt vitaret illud, incidit in aliud maius, dicens quod gratia fit, antequam sit: ergo sequitur, quod gratia sit, antequam sit, quod mens non capit; consequentia probatur; quia quod fit indiuisibiliter est dum fit, alias fieret partibiliter, quod est falsum.

Tertia ratio Scoti est: quando gratia producitur non est sacramentum, ergo non est sacramentum causa efficiens gratiæ, consequentia patet; quia mouens, & motum habent esse simul, probatur antecedens: quia non potest producere gratiam nisi postquam prolata sunt verba, sed verbis prolatis iam non est sacramentum: ergo antecedens est verū, & confirmatur. Baptismus in ficto consequitur suum effectum recedente fictione, sed tunc sacramentum non est, ergo non agit vt causa physica, quæ attingit effectum per vim sibi inditam, quando est, & quod dictum est de baptismo in isto casu, etiam de illo dicendum est, quando est, atque etiā de alijs sacramentis. Nam lex non distinguit, neque declarat modum, quo causant gratiam esse differentem.

Huic rationi respondent Thomistæ, negādo quod sacramentum non sit quando producitur gratia: quia nondū sacramentum transiuit, quando producitur gratia: siquidē ipsa producitur in vltimo instanti prolationis verborum. Sed hæc responsio iam improbata est: præterquā quod licet syllaba vltima fieret in instanti, hoc non sufficeret quod sacramentum diceretur esse in illo instanti: nam sacramentum fit successiue, & de ratione eius qđ fit successiue est, quod fiat in tempore.

Ad confirmationem: quidam Thomistę conantur defendere effectum sacramenti, qui datur recedente fictione fieri effectiue, & physicè a sacramento præterito, ita Capreolus in 4. distinct. 13. quæst. 1. articulo tertio, & Sotus in 4. distinct. 1. quæst. secunda, articulo tertio & distinct. prima, articulo quarto, quæstio. 5. Cæterum hæc doctrina falsa est: Nam causa efficiens requirit realem existentiam, vt efficere possit quod patet ex communi consensu omnium philosophorum; nam cum efficere sit dare esse reale, per verā actionem, & realem influxum, nec mente concipi potest, quomodo talis actio sit, & pendeat ab eo, quod non est, at sacramentum præteritum non est, ergo &c. Præterea efficere aliquid includit dependentiam realem effectus a causa, depēdere autem realiter includit intrinsece, vt id quod dependet esse nequeat sine eo a quo dependet. Quod enim esse potest etiam alio non existente, non potest vere dici dependere ab illo, in quo namque consistet talis dependentia? Dicere ergo effectum dependere a causa, sine qua esse & existere potest, manifestam inuoluit contradictionem, loquendo de propria, & physica dependentia in genere causæ efficientis, atqui sacramentum præteritum nō existit, ergo &c. Præterea causa, vel instrumentum agere non potest sine virtute agendi, ac res, quæ non existit, nullam habet agendi virtutem: quia nihil est, ergo &c.

Capreolus. Sotus.

Alij vero dicunt effectum fieri proprie, & physice a virtute reali relicta a sacramento quod præterijt, & ratione illius tribui sacramento hanc efficaciam; Hanc autem virtutem dicunt esse characterem, in his, quæ imprimunt, in alijs vero dicerent fortasse, esse ornatum, vel aliquid simile. Sed hoc de ornatu improbabitur quæst sequenti, de charactere vero non est dubium, quin possit Deus si velit vti illo vt instrumento ad infundendam gratiam fictione recedente, tamen certum est, primo, & per se non infundi characterem ad hunc finem. Vnde sine fundamento diceretur Deum vti illo, vt instrumento. Item quando a principio simul infunduntur character, & gratia non fit gratia a charactere, sed vtrūque a sacramento immediate, ergo, quando gratia confertur post characterem propter priorem obicē, non est cur gratia fiat a charactere. Præterea si sacramētum aliquid relinquit virtute cuius recedēte fictione datur gratia, iam non esset instrumentum sacramentum quod præterijt, sed id quod perseuerat, in quo aliud quodammodo, seu virtute manet.

Quarta ratio Scoti est. Si sacramenta essent causæ instrumentales efficientes gratiam, haberent aliquam virtutem effectiuam gratiæ; sed illam habere non possunt, ergo &c. Maior conceditur, & minor dupliciter probatur. Primo quia illa virtus deberet collocari in aliquo prædicamento cum sit creatura, sed in nullo collocari potest, ergo &c. secundo quia aut esset corporalis, aut spiritualis, sed virtus corporalis non potest producere rem spiritualem, nec virtus spiritualis subiectari potest in re corporali, cuiusmodi est sacramentum: ergo nullo modo potest esse talis virtus in sacramento, atque adeo non potest sacramentum gratiā effectiue producere.

Huic rationi respondet Sotus negando minorem, & ad primam probationem dicit, quod virtus illa directe non ponitur in aliquo prædicamento: quoniam est incompleta, reductiue tamen ponitur in prædicamento virtutis perfectæ, scilicet gratiæ, ad quam ordinatur, sicut augmentatio reducitur ad prædicamentum quantitatis. Sed hæc responsio nulla est: ex eo enim augmentatio ponitur in prædicamento quantitatis; quia est acquisitio imperfecta illius quantitatis, vt ipse Sotus dicit, virtus autem sacramenti non est acquisitio gratiæ, nec attingit ad productionem illius, vt etiam ipse concedit, ergo non est eadem ratio vtrobique. Sotus.

Ad secundam probationem dicit, quod virtus illa non est aliqua qualitas, sed est motio, qua mouetur a Deo ad productionem hominis iusti. Contra motus non est forma actiua, ergo non sufficit sacramento, quod moueatur a Deo ad hoc quod dicatur gratiam efficere, nisi aliquam formam actiuam in se recipiat. Ex his ergo patet quomodo responsiones Thomistarum non euacuant rationes Doct. sub.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Vtrum sacramenta noua legis agant instrumentaliter ad gratiam.

Instrumẽtũ bifariam sumitur.

INstrumentum bifariam sumi potest, vno modo communiter, altero modo proptie; instrumentum communiter acceptum est, quod distinguitur cõtra causam principalem, quæ omnem causam superiorem excludit, cui subordinetur in agendo, quo pacto solus Deus est causa principalis, & sumendo hoc modo instrumentum, omnis causa secunda potest instrumentum appellari: quia omnis huiusmodi causa agit dependenter: quia in sua actione subordinatur Deo, qui est causa superior ac prima. Instrumentum vero proprie acceptum, illud appellatur, quod distinguitur cõtra causam principalem, quæ per propriam formam, & intrinsecã agit, licet in agendo subordinetur superiori agenti; & instrumẽtum hoc modo sumptum est illud, quod cum alteri in agendo subordinatur, non habet formam actiuam in suo ordine per quam agat, sed solum agit per actualem motionem alicuius mouẽtis, vt sunt instrumẽta artis, vt dolabra, securis, serra, & huiusmodi. Ex quo sequitur, quòd instrumentum communiter sumptum est actiuum, instrumentum vero proprie acceptum minime. Ita Scotus in hac q. sub. litter. f. §. Ad intellectum huius sciendum, &c.

Quot modis dicatur instrumẽtum.

Secundo obseru. est, quod instrumenta communiter accepta ideo actiua sunt, quia præuiam aliquam operationem habent, qua aliquid in effectu producere propria, ac naturali virtute possunt; vt Scotus in hac quęst. loco relato inductione demonstrat. Nam instrumentum communiter primo appellari solet causa secũda, etiam si principalis sit, quia cum sit subordinata Deo, qui est prima omnium causa, dici solet instrumentum illius, tametsi in se virtutem natiuam, habeat producendi suum effectum; ea vero sola ratione instrumentum dicitur, quia subditur motioni primæ causæ, & ab ea in operatione essentialiter pendet.

Secundo modo dicitur accidentaria aliqua forma instrumentum: quia vt propria causa producit vltimam dispositionem, quam statim, & naturaliter consequitur forma substantialis; tametsi ad productionem formæ substantialis tale instrumentum nihil operatur, sed ea ratione dumtaxat instrumentum dicitur: quia producit prçuiam dispositionem, quam sua virtute operatur, huiusmodi instrumenta sunt calor, ignis ad ignem producendum, calor animalis ad gignendas carnes, & alia id genus.

Tertio dicitur instrumentum pars aliqua operantis per quam proxime deriuat virtutem, & operationem, vt manus ad scribendum, oculus ad vidẽdum; tametsi in tali parte sit virtus propria, & innata, æqualis ad talem effectum. Sic Arist. 2. de anima, cap. 4. manum appellauit instrumentum coniunctum, temonem vero instrumentum separatum ad gubernationem nauis. & tex. 16. & inde, organa sensuum, & aliarum potentiarum instrumenta appellauit siue partes, per quas totum operatur tales operationes.

His tribus modis addit Scotus infra d. 6. q. 5. quartum modum; vt dicatur instrumentum agens attingens effectum principalem per formam, quam solum habet in fieri, vt color illuminatus, & species coloris in aere respectu immutationis oculi ad speciem, vel visionem coloris: color enim illuminatus attingit effectum principalem, nempè productionem speciei, vel visionis in oculo, non per formã, quam habeat in esse quieto, & in hoc distinguitur à causa secunda, sed per formam quam habet in fieri; color namq; agit per lumen, quod est forma ipsius coloris in fieri.

Quinto sunt instrumenta artis, quæ proprijssime dicuntur instrumenta, à quibus primo tractum est hoc vocabulũ instrumentum: quæ licet proprie non habeant virtutem ad operandum; nihilominus ex se, & propria natura aliquid conferunt. Ex his sequitur primo, quod aliqua sunt instrumenta, quæ non agunt, & huiusmodi sunt omnia instrumẽta artis; quia ex se nullam habent efficacitatem, vt statim probabimus, alia vero sunt instrumenta actiua; & hæc ea sunt, quæ habent præuiam operationem ad effectum principale, vel ipsum effectum principalem attingunt. Sequitur secundo, instrumenta non dici actiua ex eo, quod eleuentur ad effectum principalem, vt calor ignis ad ignem, & calor animalis ad carnem, sed ea solum ratione; quia sua virtute aliquid operantur præuium, quo posito sequitur effectus sine ipsorum concursu. Tertio, sequitur nullam rem assumi posse à Deo pro voluntate, vt instrumentum Physicum ad quemcumque effectum; sed debere esse instrumentum talis naturæ, & virtutis, vt habeat ex se præuiam operationẽ non quamcumque sed suapte natura requisitam ad effectũ, vel saltem debere natiua virtute aliquid efficere in illo, hoc est effectum secundum aliquam rationem debere; instrumento respondere, vt propriæ causæ natiua virtute operanti, vt docuit Scotus, q. 1. huius dist. sub litter. ll. §. Dico etiam, quod nec instrumentaliter: vbi postulat in vniuersum præuiam operationem in instrumento, non quamcunq; sed naturaliter requisitam ad effectum.

Prima conclusio.

His obseruatis sit prima conclusio. Instrumentum proprijssime acceptum non est actiuum, hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. f. §. Tertio modo dicitur. & probatur primo. Quia instrumẽtum, verbi gratia, serra, non habet in se nisi quantitatem, figuram, & motum localem; sed nullũ istorum est forma actiua, ergo &c. Probatur minor: quia motus non est forma actiua, neque figura, neq; quantitas: quia si essent formæ actiuæ Mathematicus considerans, quantum figuratum non abstraheret à motu, quod est falsum, vt docet Arist. 2. Physic. & 5. Meta. quia non abstraheret ab illis, quæ sunt causa motus.

Et si dicatur, quod durities serræ est forma actiua. Contra, si Deus auferret duritiem à serra, & illam in sua quantitate, & figura conseruaret, eodem modo lignum scinderet si super illud moueretur sicut prius. probatur: quia durities nullam actiuitatem tribuit serræ, sed tantum ei tribuit quãdam impassibilitatem, per quam resistit ligno ne corrumpatur ab illo, quod nihil est aliud, quam serram in sua quãtitate & figura conseruare; quo facto necessarium est, quod aliud corpus, quod à serra impellitur illi cedat; at non illi cederet, si serra in sua quantitate & figura haud conseruaretur; vt patet si serra esset mollis. Quocirca si Deus de potentia sua absoluta, conseruaret aliquod molle in eadem quantitate, & figura, si artifex moueret illud, æque diuideret sicut serra ferrea, & dura, & tamen in illo molli nulla esset durities causa actiua illius sectionis. Durities ergo non est forma actiua; sed ex eo apparet actiue efficere: quia durities est quædam impassibilitas resistens corrumpenti: manente autem quantitate corporis, & figura, non mutato alio, nec corrupto si localiter mouetur, oportet quod expellat aliud proportionatum quantitati suæ, & figuræ, quod non oporteret, si eius quantitas non maneret, sed cederet; sicut est de molli.

In quo consistit actiuitas instrumenti.

Vnde obseru. est, quod actiuitas instrumenti: vt puta serræ, in hoc consistit: quod agens mouens serram intendit inducere figuram nouam in corpore; hoc autem non potest, nisi per amotionem aliquarum partium ab alio corpore: si enim partes starent in eadem dispositione non haberetur noua figura, ergo agens intendit partem expellere de situ, vbi ante erat, & serram mouendo, expellit illam per serram: non quod serra ibi aliquid agat; sed agens principale mouẽdo serram ad illum situm, vbi est pars expellenda, & quia duo corpora non possunt esse in eodem situ, ideo serra expellit partem illam, non quidem actiue, sed quadam repugnantia formali: quia impossibile est duo corpora simul esse: imò repugnant in eodem situ.

Serra ergo primo recipit effectum. primum principalis agentis, scilicet motum localem ad situm, vbi est pars expellenda, & mediante motu recepto in serra artifex, mouet partem expellendam, itaque serra non mediat ibi in ratione, agentis inter artificem, & partem expellẽdam; sed tantum in ratione recipientis effectum primum principalis agentis, & in ratione cuiusdam incompossibilitatis respectu eius, quod agens intendit expellere, vt sic expulsio partium à corpore sit effectiue ab agente, siue ab artifice, à securi autem formalis repugnantia. Exemplum est ad hoc ignis expellit, frigus per calorem ibi calor non mediat inter ignem, & frigus expellendum in ratione agentis, sed tantum in ratione, formæ in expellendo incompossibilis, & repugnãtis.

Hoc supposito probatur: secundo conclusio sicut in alijs motibus, sic est suo modo in motu locali, sed in alijs motibus puta in motu ad formam, agens expellit formam actiue per se, & per principium suum intrinsecum; forma autem inducta ab agente non expellit formam illam actiue, sed formaliter propter incompossibilitatem; Nam actio agentis,

verbi

Digitized by Google

verbi gratia, ignis terminatur ad inductionem caloris, quo inducto propter incompossibilitatem, sequitur non esse frigiditatis, quod quidem est ab igne effectiue, formaliter vero ab ipsa caliditate; ergo sic erit in motu locali, quod corpus, quod mouetur non expellit aliud corpus ab illo vbi, siue è conuerso, vbi illud non expellit aliud corpus ab illo vbi actiue, sed tantum formaliter & incompossibiliter: quia eodem modo repugnant duo corpora respectu eiusdem vbi, sicut caliditas & frigiditas respectu eiusdem subiecti. Non est ergo in instrumento artis virtus actiua, sed tantum motus localis, qui est ab agente in instrumento, nec ex illo motu sequitur efficienter effectus artis; sed effectus artis, puta expulsio partium ab hoc situ, ad quem sequitur noua figura, est tantummodo effectiue ab agente. Imaginandum est ergo, quod in omni actione artis, vel instrumenti primus effectus agentis est motus localis ordinatus ad ulteriorem effectum; & motus iste localis recipitur in ipso instrumento, per quem acquiritur ipsi instrumento situs localis, & ex cõsequenti expellitur ab eodem situ aliud corpus; & eo modo quo agens inducens calorem frigus expellit, ita principale agens mouens instrumentum ad vbi; effectiue aliud corpus expellit, & sicut calor non expellit effectiue frigus, sed tantum formaliter, ita instrumentum motum ab artifice nõ expellit effectiue aliud corpus, sed dumtaxat formaliter.

Sed forte dicet aliquis, si instrumentum non est actiuum, quare diuersi artifices indigent diuersis instrumentis? Respondeo, quod diuersitas instrumentorum est propter diuersitatem formarum & figurarum.

Duplex genus formæ, quæ per artem inducitur. Vnde obseruandum est, quod formarum quædam sunt, quæ proprie & directe inducuntur per artem, & huiusmodi formæ acquiruntur per motum localem, & sunt in 4. specie qualitatis, cuiusmodi est forma domus, forma scamni, & forma sigilli in cera, & cætera huius generis. Quædam autem sunt formæ, quæ directe & proprie non inducuntur per artem, sed per naturam; pro tanto autem dicuntur induci per artem: quia ars respectu illarum habet applicare, actiua passiuis; sicut est de Alchymia, si enim Alchymista p diuersas, transmutationes inducat formam auri, hoc non est per se proprie, & directe, sed pro quanto applicat debita passiua debitis actiuis; sicut etiam omnes formæ naturales inferius, sunt à motu orbis secundum aliquos, pro quanto motus orbis applicat actiua passiuis: sic etiam Medicina inducit sanitatem, quæ vere & proprie est forma naturalis.

In proposito autem loquor de formis, quæ directe, & proprie sunt formæ artificiales, de talibus enim formis dico, quod ideo artifices indigent diuersis instrumentis, quia diuersas intendunt tales figuras & formas; & ratio est, quia motus localis variat situm ipsarum partium, variato autem situ partiũ variatur figura: probo, quia figura non est aliud, quam terminatio quantitatis, terminatio vero variatur ad variationem situalem partium quantitatis, & quia partes variant situm actiue ab agente, ex quadã autem repugnantia, & incompossibilitate ab instrumento, quod primo recipit motum localem ab agente; ideo alia, & alia variatio situs partium, exigit aliud & aliud instrumentum, propter hoc quia alius, & alius motus, qui facit alium, & alium situm partium recipi habet primo in alio, & alio instrumento; atque adeo quia diuersæ artes intendunt diuersas formas oportet habere diuersa instrumenta; sicut alia instrumenta oportet habere panificem ad mouendum ouum, fila, & alia ad comprimendum ea.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Sacramenta possunt dici causæ instrumentales gratiæ. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litter. f. §. Tenendo igitur. probatur: Nam cum instrumenta non aliter agant, nisi quia recipiunt primum effectum principalis agentis, qui non est aliud, quam motus localis; qui motus localis est iste, qui primo recipitur in ipsis sacramentis, possunt iure optimo sacramenta gratiæ instrumenta appellari: nam receptio illius est, quædam dispositio ordinata ad introductionem gratiæ.

Et si dicatur, quod non est simile: quia instrumenta, v. g. serra, ideo dicitur causa instrumentalis, quia recipit motionem ab artifice, quæ ordinatur ad incisionem ligni, & per motum quem recipit ab agente, propter quandam repugnantiam, & incompossibilitatem causat diuersum, siue alium, & alium situm partium, ad quem per modum sequelæ sequitur noua figura, non sic autem potest poni in proposito: quia sacramentum nullum effectum recipit à Deo ordinatum ad gratiam, per quem dici possit causari instrumentaliter.

Respondet Doct. quod licet sacramentum non recipiat in se aliquem effectum Dei ordinatum ad gratiam, sicut serra recipit motionem; tamen receptio ipsa sacramenti est effectus Dei ordinatus ad gratiam, atque adeo sicut totum illud, quod recipit effectum priorem, scilicet securis mota, potest dici instrumentum respectu illius effectus, nimirum sectionis ligni, ita & quodammodo iste effectus, scilicet motio, qua serra mouetur, potest dici instrumentum; vere enim potest dici, quod per motionẽ serræ lignum diuiditur. Sacramentum autem siue susceptio sacramenti, est effectus ille prior in proposito; & ideo sacramentum per sui susceptionem est causa instrumentalis gratiæ; sicut serra per motionem scindit lignum.

Posset etiam dici, quod sacramenta non agunt instrumentaliter ad gratiam, eo modo quo agunt instrumenta artis, per quæ proprie, & directe inducuntur artificiales formæ; sed sicut agit agens applicans actiua passiuis, vt dictum est supra, & ideo non proprie agunt instrumentaliter, vt in cõmuni vsu accipimus instrumentum, sed pro tanto Deus agit per ea, quasi per instrumenta: quia determinauit se ad conferendum gratiam ei, cui talia fuerint debite exhibita sacramenta. Sed prior solutio, quæ est Doctoris, magis sapit.

ARTICVLVS X.

Vtrum Sacramenta nouæ legis sint causæ morales efficientes gratiam.

PRo explicatione huius quæstionis obseruandum est primo, quod duplex est dispositio necessitans ad aliquam formam, prima est ratio recipiendi formam in materia, sicut calor in ligno est ratio recipiendi formam ignis, quę dispositio semper manet cum forma, ad quam disponit, qualis est etiam organizatio respectu animæ, & hęc dispositio, quę se tenet ex parte materiæ, reducitur ad genus causæ materialis: quia semper manet in materia, in qua recipitur forma. Secunda dispositio necessitans ad formam se tenet, ex parte causæ efficientis, neque manet cum forma ad quam disponit, neque est ratio recipiendi formam, qualis est motus respectu termini ad quem tendit, qui quidem motus se tenet ex parte causæ efficientis terminum motus; atq; adeo talis motus dicitur causa actiua, & effectiua sui termini; quia per ipsum acquiritur terminus. Sic Arist. 2. Physi. & 5. Meta. agens de causis per se dixit, quod motus est causa effectiua sanitatis, seu bonæ dispositionis; sic etiam merita dicuntur causa præmij: quia per merita acquiruntur præmia, suntque ipsa merita dispositiones necessitantes, siue obligãtes ad præmium conferendum ex ordinatione alicuius; quæ tamen non sunt ratio recipiendi ipsum præmium, cũ actus meritorum iam præterierint adueniente præmio. *Dispositio est duplex ad formam necessitans.*

Secundo obseruandum est, quod causa efficiens diuiditur in naturalem, & moralem; causa Physica seu naturalis illa est, quę effectum suum Physice attingit, per formam, & vim sibi à natura inditam, vt ignis calefacit calore; & ignit sua forma substantiali. Causa vero moralis illa est, quæ non attingit effectum suum Physice, sed moraliter per quandam virtutem motiuã, quæ ratio quædam est suadens, & inclinans, vt aliquid efficiatur; sicuti si ad meum consilium sequatur homicidium, ego sum causa moralis illius homicidij, vel si per meritum virtutis, & Doctrinæ Summus Pontifex, cuipiam conferret dignitatem Cardinalatus, meritum illud causa esset certe moralis tam insignis dignitatis, & præmij. Sic Arist. 5. Meta. c. 2. collocauit consiliatorem in genere causæ efficientis; atque etiam in 2. Physic. c. de causis, atque ita illo authore modus causandi moraliter reducitur ad genus causæ efficientis. Verum est tamen, quod cum dicitur causa moralis, illa determinatio moralis est conditio diminuens: quia illa re vera absolute non est causa, sed causa dicitur moralis: quia more hominum est receptum tale mouens, aut inducens, siue inclinans ad agendum, causam appellari. *Causa efficiens duplex Physica & moralis.*

Tertio obseruandum est, quod sicut causa naturalis diuiditur in principalem, & instrumentalem. ita similiter causa moralis diuiditur in principalem, & instrumentalem; Causa moralis principalis est illa, quæ virtute propria inclinat producentem, verbi gratia, redemptionis captiuorum causa principalis esset, qui daret pecuniam pro redimendis capti- *Causa moralis duplex.*

uis,

Digitized by Google

uis, vel consulens homicidium esset causa principalis homicidij. Causa vero moralis instrumentalis est, quæ virtute alterius inclinat, vt pecunia, vel etiam minister destinatus ad redimendum, causæ essent redemptionis instrumentales, ac etiam rationes ipsius consulentis homicidium, quæ mouent interficientem in virtute consulentis, sunt causæ morales instrumentales.

Res in sua causa bifariam continetur.

Quarto obser. est, quod dupliciter d. rem aliquam in sua causa contineri physice, scilicet & moraliter; physice continetur homo in virtute actiua naturali solis, & patris, quia sol, & homo generant hominem, moraliter vero continetur res aliqua in virtute suæ causæ siue principalis, siue instrumentalis, non per vim physicam, & naturalem virtutē talis causæ, sed eo modo quo inducens aliquam ad homicidium per pecunias, quas ei tribuit, ipse inducens, & eius pecunia continent moraliter homicidium; quia tam ipse, quā sua pecunia mouent alium ad homicidium. Sic etiam crumena continens pecunias pro redemptione captiui potest dici continere ipsam redemptionem moraliter, quoniam pecuniam continet, qua redimendus est captiuus, & ipsa crumena potest dici conferre moraliter ad redemptionem captiui.

Instrumentum bifariam consideratur.

Quinto obseru. est, quod instrumenta possunt considerari, vel in ordine ad agens naturale, vel in ordine ad agens supernaturale, & ratio est, quia cum instrumenta vt sic totam suam actiuitatem habeant a motione principalis agentis, cum agens principale possit esse naturale, & supernaturale, hinc prouenit quod instrumentum respiciat agens naturale, & supernaturale, ex quo infertur primo, quod cum agens naturale sit virtutis limitatæ, & determinatæ, quod ipsum instrumentum sic etiam determinati modi, & figuræ in ordine ad effectum intentum a principali agente: atque ita quis scribit calamo, & non malleo, & secat serra, & non calamo, quia virtus agentis principalis cum sit limitata operatur secundum quandam connexionem, seu naturalem proportionem in ordine ad effectū producendum. Tum etiam quia oportet quod instrumentum habeat operationem præuiam naturaliter requisitam, non enim sunt physica instrumenta, quæ non habent præuiam operationem naturaliter requisitā ad effectum, & loquor de instrumento actiuo. Secundo infertur, quod instrumenta in ordine ad agens supernaturale, licet respiciant virtutem illimitatam, & infinitam, nihilominus non possunt assumi secundum beneplacitum ipsius agentis, ad quemlibet effectum; atque ita Deus non potest assumere lapidem ad producendum hominem, vel ad creandum angelum, licet posset ad præsentiam lapidis hominem, vel angelum creare, sed tūc lapis non posset instrumentum appellari, nec forte posset Deus scribere malleo sicut calamo: ex quo infertur tertio, quod sicut in malleo non est aliqua virtus actiua respectu scripturæ, ita neque in calamo, sed tantum repetitur in calamo dispositio ad deferendum atramentum, & distribuēdum in alia, & alia parte.

Deus, Christi humanitas, & sacramenta quō se habeant respectu gratiæ.

Sexto obseru. est, quod iuxta ea quæ dicta sunt de causis naturalibus, & moralibus, atque instrumentis respectu suorum effectuum, possumus intelligere, quæ dicenda sunt de Deo, de Christi Domini humanitate, & de sacramentis nouæ legis respectu gratiæ conferendæ. Nam Christus Dominus sua merita, suamque iustitiam contulit nobis, Apostolus enim 1. ad Corinth. 1. testatur, quod Christus factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio. Iustitiam tamen suam, & sanguinis effusi pretium potissimum nobis cōmunicat per sacramenta; virtus enim & valor sanguinis Christi sacramentis susceptis applicatur. Sic igitur Deus respectu gratiæ conferendæ ad modum causæ naturalis se habet influendo, attingendoque vi, & efficacia potentiæ diuinæ ipsam gratiam. Humanitas vero Christi, & sanguis eius respectu gratiæ tanquam causa meritoria, seu moralis principalis se habent, vnde & humanitas Christi dicitur instrumentum diuinitatis coniunctum. Sacramenta autem respectu gratiæ vt causa moralis instrumentalis se habent, appellanturque instrumenta diuinitatis separata.

1. Conclusio

His obseruatis est prima Conclusio. Sacramenta nouæ legis sunt vere & absolute gratiæ causa, vereq; conferunt illā hæc conclusio est de fide, & consequenter omnium Theologorum, quam probauimus in 1. art.

2 Conclus.

Secunda Conclusio. Sacramenta non causant gratiā, aut aliquam dispositionem ad illam actione physica. Ex quo sequitur, quod quando Scotus dicit, quod receptio sacramenti est dispositio necessitans Deum ex pacto ad producendum gratiam, non debet intelligi, quod sacramenta per sui receptionem causent aliquam dispositionem realem in anima. Quod autem sacramenta non concurrant ad gratiæ productionem, vt instrumenta physica, probatur (supposito secundum D. Thomam, quod instrumentum vt operetur cum causa principali debet habere ex se præuiam aliquam operationem intentam ab agente, & distinctā a motione principalis agentis, sic enim ipse docet 1. par. quæst. 45. art. 5.) hoc supposito arguitur sic. Si sacramenta habent aliquam virtutem, quæ antecedenter se habet ad motionem principalis agentis, vel est naturalis, vel supernaturalis, sed neutrum horum potest dici, ergo &c. probatur minor, primo non potest esse naturalis: quia virtus naturalis debet habere operationem naturalem, sed operatio naturalis est circa aliquid præsuppositum, gratia autem habet esse protestationem, & producitur de nihilo, ergo per virtutem illam naturalem non possunt sacramenta attingere gratiam. Et si dicas quod possunt attingere illam per virtutem naturalē eleuatam, quæ eleuatio nihil est aliud quam virtutem illā ordinari ad talem effectum, & ad eum habere paratum diuinum concursum. Contra, talis eleuatio non extrahit illam virtutem a ratione accidentis, ergo illa virtus necessario requirit subiectum circa quod operetur; sed gratia a nullo subiecto ex quo præsupposito producitur, ergo &c. Præterea quis non videt hæc tantum esset verba. Nam Deum esse paratum concurrere cum instrumento, supponit instrumenti etiam cooperationem futuram, nunc autem quærimus vndenam sit futura hæc instrumenti operatio, primum quidem non ex eo, quod Deus sit cooperaturus, vtriusque. n. concursus supponit principium in vtroque. Deinde eleuatum esse ex sola Dei ordinatione quis non dicat esse tātum respectum rationis in instrumento, si nihil in se instrumentum recipiat? Quæ igitur in illo variatio est, vt assumitur, & concurrat ad effectum quando ex eo quod suapte natura habet non poterat concurrere?

D Thom.

Neque potest esse virtus supernaturalis: quia talis virtus si esset in sacramento, vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, vel extenderetur ad extensionem ipsius sacramēti, primum dari non potest: quia hoc solum animæ rationali est concessum. Tum quia forma supernaturalis nō potest subijci in materiali subiecto. Nec etiam potest dari secundum: quia forma supernaturalis non potest extendi, ergo &c. Præterea non est ponenda pluralitas sine necessitate, sed illa virtus, quæ antecederet motionem principalis agētis, non est necessaria, ergo non est ponenda. probatur minor: quia ad rationem instrumenti satis est, vt causet effectum intentum a principali agente, vel attingendo ipsum effectum, vel modificando actionem principalis agentis, sed ad ista non est necessaria aliqua virtus super naturalis, quæ antecedat motionem agētis principalis, ergo &c. quod autem sacramenta non causent aliquam dispositionem ad gratiam probatum est supr. art. 4.

3. Conclus.

Conclusio tertia, sacramenta nouæ legis vere, & proprie sunt gratiæ causa, ea ratione, qua sunt dispositiones necessitantes, siue obligantes Deum ad productionem gratiæ, eo modo quo meritum est dispositio obligans Deum ad conferendam gloriam. Hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub lit. D. §. Qualiter autem. probatur autem sic: omnis dispositio necessitans ad aliquam formam, quæ non est ratio recipiendi illam, potest dici causa actiua, & instrumentalis formæ productæ; sed sacramenta in eorum susceptione sunt huiusmodi, ergo sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ ea ratione, qua sunt dispositiones obligantes Deum ad producendam gratiam. probatur maior exemplis. Nam in more hominum receptum est, & ab omnibus conceditur, quod meritum est causa præmij, & tamen physice illud nō causat, sed tantum est dispositio necessitans Deum ex sua ordinatione ad præmium conferendum, quæ tamen dispositio non est ratio recipiendi præmium, cum merita transierint, quando præmium confertur. Item motus est causa termini, verè enim & proprie conceditur, quod per motum acquiritur terminus, & tamen motus non habet actionem ad causandum terminum, actionem, inquam, physicam; sed ipsemet motus est dispositio ad terminum: ergo sacramentum, vel sacramenti susceptio, ratione meritorum Christi, quæ in ipso continentur, & diuinæ institutionis, vere dicitur,

tur, estq. causa gratiæ ea ratione, qua est dispositio obligans Deum, vt conferat gratiam per sacramentum; ex quo etiam probatur minor, & eius consequentia, sicuti & absolute cōceditur meritum esse præmij instrumentalem causam.

Et si dicas, quod dispositio ad formam, & ipsa forma debent esse in eodem, sed sacramenta & gratia, ad quam sunt dispositiones, non sunt in eodem: quia sacramenta cum sint res sensibiles sunt circa corpus, gratia vero est in anima, ergo sacramenta non sunt dispositiones ad gratiam. *Dispositio est duplex.* Respondeo duplicem esse dispositionem, vnam, quæ est dispositio ex natura rei, quæq. est ratio recipiendi formam, alteram, quæ non est ex natura rei dispositio, sed ex beneplacito instituentis illam; prior dispositio, & forma debent esse in eodem, posterior vero non est necesse, quod sit in eodem subiecto cum forma ad quam disponit. In proposito autem sacramenta sunt dispositiones ad gratiam secundi generis, atque adeo non est necesse, quod sint in eodem subiecto cum gratia, id est, in anima; sed sufficit, quod sint in eodem supposito.

Secundo probatur conclusio. Instrumenta artis secūdum probabiliorem sententiam nullam actiuitatem habent, & nihilominus dicuntur causæ instrumentales effectus principalis agentis; ergo quamuis sacramenta non habeant virtutem actiuam Physicam ad gratiam, possunt vere dici causæ instrumentales illius.

Scoti sententia explicatur. Quocirca si volumus recte speculari, quid sit dispositio necessitans ipsum Deum ad gratiam cū Scotus dicat, quod non sunt sacramenta dispositiones naturales, neq; rationes recipiendi formam, quia sunt velut meritum obligans Deū ad conferendum gloriam, videtur mihi ex sententia Scoti nil aliud colligi, nisi quòd sacramenta sunt causæ obligantes & mouentes Deum ad producendam gratiam, quod idem est, quod esse causas morales. Et quod ista sit sententia Scoti inde facile suadetur, quod tota vis rationum illius in ista quæstione eo tendit, vt ostendat quo pacto reperiantur causæ efficientes in rebus, quæ actione Physica non attingunt effectum illum cuius causa esse dicuntur, supposito enim ex sacris litteris, doctrina ecclesiæ, & sanctorum, quod sacramenta vere, & propriè sunt causa gratiæ; supposito etiam ex 1.q. huius dist. quod sacramenta cum sint res creatæ, non possunt causare ipsam gratiam, actione Physica & reali, intentio Scoti in hac q. & in sequenti eo tendit, in eo quod versatur vt ostendat, quo pacto reperiantur in rebus causæ efficientes, quæ actione Physica non attingunt effectum illius, cuius vere & proprie causæ esse dicuntur, vt contingit in merito, quod est causa præmij, quod tamen præmium Physice non producit. Ex eo etiam suadetur sentētiam Scoti esse, quod sacramenta sunt causa morales gratiæ: quia ipsemet Scotus infra d.4. q.7. art. 1. sub litt. a & d.2.q.1. in secunda probatione primæ conclusionis. sub littet. f. aperte dicit, Deum causam esse principalem respectu gratiæ sacramentorum; Christi vero passionem causam esse meritoriam. Vnde; ibidem causa meritoria iuste Deum inclinat ad bonum illi conferendum, pro quo opus meritorium exhibitum est, quod tantum valet ac si diceret; causa moralis, aut meritoria, quæ idem sunt, non mouet Physice attingendo, sed quadam virtute incitoando principalem causam, vt producat effectum; idemque docet Scotus in hac quæst. Vnde constat opinionem Magistri Cano asserentis, sacramenta esse causas morales gratiæ à sententia Doct. sub. esse deriuatam, licet ipse Cano eam apertius explicauerit. Vnde frustra in relectione de sacramentis in genere par. 4. sentent. ante Scoti ab eo forte haud sane intellectam, improbauit.

Quarta conclusio. Albertus. D. Bonauē. Richardus. Aureolus. Thomas ab Argent. Quarta conclusio: sacramenta nouæ legis, iuxta Scoti sententiam vere efficiunt gratiam, tanquam causæ morales instrumentales. hæc conclusio est etiam Alberti in 4. d.1. art. 5. D. Bonauen. eadem dist. art. 1. q. 4. Richardi, art. 4. q. 2. Aureoli, q. 1. art. 4. & Thomæ ab Argent. d. 2. q. 1. art. 4. & probatur sic. Instrumentum coniunctum, & separatum sunt in eodē genere causæ, sed humanitas Christi, quæ est instrumētum coniunctum diuinitatis, est causa moralis efficiens respectu gratiæ, ergo similiter sacramenta sunt causæ efficientes morales, & instrumentales ipsius gratiæ; consequentia probatur: quia maior est nota cum minori: omnia quæ de sacramentis nouæ legis asseruntur, eadem affirmantur in sacris litteris de sanguine Christi: patet Epist. 1. Ioan. ca. 1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. & Apo. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. & c. 12. Vicerunt eum in sanguine agni. & ad Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo; igitur eodem sensu sacramē ta dici possunt lauare, mundare, & esse nostræ victoriæ, & remissionis peccatorum causas, quos sanguis Christi lauat, mundat, remittitque peccata. Siquidem pretium sanguinis Christi per sacramenta nobis applicatur, vt constat ex prænotatis in principio huius art. ergo quemadmodum asserere sanguinem Christi, vel passionē eius, esse veram causam nostræ iustificationis & gratiæ, verissimum est; ita quoq; est verum sacramenta esse causas instrumentales nostræ salutis, gratiæ, & iustitiæ. Siquidem sacramenta sunt instrumenta Christi ad eius redemptionem, gratiam, & gloriam complendam. Et confirmatur. sacramenta sunt instrumenta Christi Domini in quantum Redemptor, sed Christus Dominus vt Redemptor, fuit causa moralis principalis nostræ salutis & gratiæ. ergo sacramenta sunt causæ instrumentales morales nostræ salutis, & gratiæ. Maior patet, & minor probatur: Nā Christus Dominus, quatenus Redemptor, operatus est nostram salutem per modum meriti, & satisfactionis, sed modus meriti, & satisfactionis est modus moralis; ergo cum Christus Dominus vtatur sacramentis, tanquam instrumentis causæ moralis, ipsa sacramenta erunt instrumenta moralia.

Quod autem hæc conclusio sit de mente Scoti, probatur sic se habent sacramenta respectu gratiæ, quæ nobis confertur secundum Scotum; sicut se habet meritum respectu gloriæ, quæ nobis confertur per illud; sed meritum est causa moralis efficiens gloriæ, ergo & sacramentum. Maior est Scoti; & minor probatur, causa moralis est, qua mouet efficiētem ad aliquid operandum, vel per consilium, vel per preces, vel per pretium, & aliquo alio modo morali, sed merita mouent Deum ad conferendam gloriam, ergo sunt causæ morales efficientes gloriam, minor est de fide, ergo &c. Præterea sic se habent sacramenta respectu gratiæ, sicut se habet pretium applicatum respectu debiti soluendi; sed pretium est causa moralis solutionis, ergo & sacramenta sunt causæ morales efficientes gratiam.

Quinta conclusio. Sacramenta nouæ legis vere continent gratiam. *Quinta conclusio.* probatur: eo modo quo causa effectum suum causat continet illum, sed sacramenta vt probatum est causant gratiam moraliter, ergo moraliter continent illam, & conferunt digne suscipientibus illa. maior, & minor sunt notæ ex superioribus. Consequentia vero probatur: quia sicut crumena dicitur continere redemptionem captiui, quoniam pecuniam continet, sic sacramenta, quæ continent sanguinē Christi, vel meritum eius, continere dicuntur gratiam, & remissionem peccatorum, & sicut marsupium pecuniam administrans confert redemptionem, ita sacramentum cōfert gratiam pretium sanguinis applicans, & hæc est illa sacramentorū virtus, quæ adeo multorum ingenia torsit. Virtus enim redemptionis in marsupio est, in quo pretium redemptionis seruatur, & virtus sacramentorum meritum est sanguinis Christi, qui in sacramentis adhibetur, adeoq. virtus, quæ est in sacramentis, non est aliqua forma productiua gratiæ, sed est pretium sanguinis Christi, quod ipse voluit applicari per sacramenta, ac in ipsis contineri.

Constat igitur ex superioribus. hāc sententiam Doct. sub. ex eo esse verissimam, quod per illa melius saluantur omnes authoritates sacræ scripturæ, Conciliorum decreta, sanctorumque testimonia, quæ asserunt sacramenta id efficere, quod significant. Ponit siquidem Doct. sub. sacramenta esse causas gratiæ absolutas, per se, non per accidens, cum quibus sic, & non sine quibus non; Neque alius modus efficiendi videtur sacramentis tribui posse respectu gratiæ, quo vere causæ efficientes gratiæ dicantur, nisi sub ea ratione, qua dispositiones sunt obligantes, & mouentes Deum ad causandam gratiam modo superius explicato, & amplius explicando in solutione argumentorum. Vnde ipse ponit sacramenta esse causas gratiæ actiuas, quodammodo. id est, modo morali, & non Physico.

Falsitas Soti & Valentiæ. Ex quo patet, Sotum hac d.q. 3. art. 1. & Valentiam, to. 4. disput. 3. q. 3. puncto. 1. & fere omnes Thomistas, falso imponere Scoto, quod negauerit meritum habere causalitatem actiuam præmij. Scotus enim solum negauit merito causalitatem actiuam Physicam, & realem respectu premij, causalitatem vero moralem apertissime illi tribuit in ista. q. siquidem in ea exemplum de merito adducit, vt probet sacramenta quodammodo esse causas actiuas, siue instrumen

tales

Digitized by Google

tales gratiæ quodam modo, inquit Scotus, id est, modo morali, vt patet in exemplo de merito per illum adducto; Modus namque quo meritum causat præmium moralis est, vt cuiuis est manifestum.

Falsitas Caietani & Soti.

Similiter constat ex superioribus falso Caiet. 3. p. q. 62. art. 1. & Sotum vbi supra, aliosque post illos imponere Scoto, quod licet in verbis differat, in re tamen ponat sacramenta esse causas sine quibus non gratiæ. Cum Scotus asserat, & probet sacramenta esse causas actiuas & instrumentales gratiæ; & sub lit. l. in ista q. §. Ad illa, quæ adducuntur, &c. & sub lit. d. §. Qualiter autem, &c. asserat sacramentum non esse causam per accidens respectu gratiæ: imò asserit causam esse per se gratiæ cum ordinetur ad illam ex institutione diuina.

Deinum ex omnibus præmissis constat omnes opiniones præter eam, quæ est Caiet. adimere sacramentis actiuitatem Physicam respectu gratiæ, eam vero, quæ Scoti est, illis tribuere causalitatem actiuam moralem, vt supra explicatum est, quam ego vt veriorem, & probabiliorem, dictisq; sanctorum & Conciliorum decretis, nec non & litteris sacris magis consentaneam, rationiq. conformiorem amplector, atque defendo; Illud libenter repetens, quod est valde in hac difficultate notandum, videlicet omnes catholicos conuenire in eo, quod de fide sit sacramenta efficere, & causare gratiam, quod tamen illam causent mediate, vel immediate, non reputant contra fidem, vt patet in opinione Doct. irrefragabilis Alex. de Ales, ponentis characterem, & ornatū præuium; quam aliquando docuit D. Thomas, quam defendunt Herueus, Paludanus, & Capreolus, & quam S. Bona. hac d. art. 1. q. 4. dicit fuisse magnorum Magistrorum, Et si sacramenta non causant immediate gratiam, erunt causæ sine quibus non, in quam sententiam recident Caiet. & Sotus, si quidem vterque non timet dicere, quod sacramenta non sunt immediate causæ gratiæ, sed mediate.

Thomistæ contra Scotū.

Sed contra sententiam Scoti arguunt Thomistæ, & primo arguit Sotus: quia nec D. Thomas, nec aliquis sanctorum talem modum causandi in sacramentis agnouit, ergo iste modus gratis est excogitatus.

Ad hoc respondet Cano, quod hæc est opinio S. Thomæ pluribus in locis, s. 3. p. q. 48. art. 6. & q. 49. art. 2. & 59. art. 1. & 62. art. 5. Secundo possumus respondere, quod licet verbis expressis nullus sanctorum hoc dixerit, neque etiam dixit expresse, quod sint causæ Physicæ, omnes tamen concedunt, quod passio Christi fuit causa meritoria salutis nostræ: Causa autem meritoria est causa moralis; cum ergo sacramenta sint instrumenta passionis Christi, non est contra Doctrinam Sanctorum asserere, quod sint causæ morales, imò dictis eorum valde consentaneum.

Secundo arguit Sotus. Causa moralis non est instrumentum illius, qui producit effectum principalem, sed alterius qui mouet ipsum, vt patet in exemplo de illo, qui consulit homicidium: vbi rationes consulentis non sunt instrumenta interficientis, sed ipsius qui consulit, sacramenta autem sunt instrumenta, per quæ Deus producit gratiam; ergo nō sunt causæ morales. & confirmatur: quia preces, verbi gratia, D. Petri non sunt instrumenta, Dei sed ipsius Petri ad mouendum Deum, at sacramenta sunt instrumenta Dei mota ab illo ad causandum gratiam, & non mouentia ipsum Deum, ergo &c.

Respondeo, quod causa moralis est causa libera, seu quæ libere mouet: cum enim duo sint modi causandi, naturaliter, s. & libere, causa moralis continetur sub modo agendi, siue causandi libere; ideo causa moralis dicitur, & est quæ libere mouet, & libere causat effectum sine contactu Physico, cum distinguatur contra naturalem, propterea quod sacramenta causæ instrumentales sunt etiam respectu Dei.

Concilium Trident.

Sic Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. appellauit Christum Dominum causam meritoriā nostræ iustificationis, Baptismum autem causam instrumentalem ipsius iustificationis, non explicando cuius, & constat esse instrumentum efficiētis Dei, & merentis Christi, cuius merita cum sint Deo acceptissima, & applicata in sacramentis semper, sacramenta debent necessario debere suum effectum, quantum est ex parte sua semper. Igitur ad argumentum in forma nego maiorem: Quamuis enim Deus sit causa proxima efficiens gratiam per sacramenta, nihilominus tamen mouetur à meritis Christi ad causandam gratiam per sacramenta tāquam per instrumenta, quibus applicata sunt merita ipsius Christi, atq; ita Scotus in ista q. sub litt. f. dicit sacramentum esse

Scotus.

Dei instrumentum respectu gratiæ, non quidem Physice actiuum, sed moraliter, vt dictum est. Vnde sacramentū non solū est ratio motiua Deum ad causandam gratiam, sed etiā instrumentum: quia causa naturalis Physica non est instrumentum, quo mediante effectus producatur. Baptismus autem est instrumentum, quo Deus abluit animam, & inde etiam patet: quia aqua lauans corpus, non est causa motiua, sed vere efficiens, instrumentalis moralis tamen in sacramento baptismi.

Secundo respondetur: quod apud homines reperiri potest ista distinctio, non tamen apud Deum: quia Deus concurrit ad omnia opera creata. Vnde quamuis videtur contra rationem meriti, quod sit opus præmiantis, nihilominus opera nostra sunt opera ipsius Dei, iuxta illud Pauli ad Philip. 2. Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Vnde non est mirum si sacramenta, quæ sunt causæ morales, sint instrumenta per quæ Deus producit gratiam, quandoquidem passio Christi, quæ fuit causa virtutis sacramentorum, operata est ab ipso Deo.

Respondetur tertio, quòd apud homines contingit interdum causam moralem esse instrumentum, ipsiusmet qui operatur effectum principalem: sæpius enim homo imaginatur rationes, quibus seipsum mouet ad aliquid faciendum.

Tertio arguitur à Caiet. & Soto, vbi supra. Si sacramenta sunt causæ gratiæ: quia mouent Deum ad productionem illius, sequitur manifeste, quod tātum sunt signa gratiæ: atq; ita non distinguuntur à sacramentis veteris legis, quod est contra Concilium Florentinum, imò vt sic non saluatur sacramentum esse causam gratiæ, sed tantum dici, & in re non esse nisi signum infallibile.

Ad hoc nego consequentiam: quia signum nullo modo est causa significati, sed è conuerso significatum est causa signi, vt patet de igne & fumo, sacramenta autem non solum sunt signa gratiæ, sed causant eam suo modo, non enim solū causa Physica est proprie causa; sed etiam causa moralis est vere, & proprie causa, vt probatum est supra.

Quarto arguitur: si sacramenta non sunt causæ gratiæ, nisi quia sunt dispositiones, seu causæ morales mouentes Deū ad productionem illius, sequitur quod non sunt instrumenta, per quæ Deus producit gratiam, consequens est falsum: & contra doctrinam ecclesiæ, ergo &c. probatur sequela: quia instrumentum est per quod agens principale producit effectum, sed sacramenta sunt tantum dispositiones, & causæ morales mouentes Deum ad producendum gratiam. ergo Deus non operatur gratiam per sacramentum.

Respondetur negando consequentiā: quia secundū Scotum sacramenta sunt causa gratiæ, & eo modo, quo sunt causæ illius sunt instrumenta Dei; sunt autem causæ tanquā dispositiones mouentes Deū, & illo modo sunt instrumenta Dei, & vere dicitur Deus per illa producere gratiā, sicut dicimus in naturalibus, quod calor est instrumentum ignis ad generandum ignem; & tamen calor non attingit ad productionem formæ substantialis ignis.

Quinto arguitur authoritate D. August. lib. 83. qq. q. 53. vbi dicit, quod quædam Deus est faciens per se ipsum, quæ solo illo digna sunt, eique soli conueniunt; sicut est illuminare animas: cum ergo animæ illuminentur per gratiam, ipse solus per se ipsum efficit eam in anima, quod non esset verum si illius gratiæ esset sacramentum causa efficiens. *D. August.*

Respondeo, quod solus Deus per semetipsum illuminat animam effectiue sicut principalis causa, sed dispositiue etiā illuminat eas per aliud à se tanquam per instrumentum, vt dictum est de sacramentis.

Secundo arguitur. omnis causa debet esse vniuoca, vel æquiuoca respectu sui effectus, sed sacramentum nullo modo istorum est causa, ergo non est vere, & proprie causa gratiæ: maior patet, & minor probatur: quia sacramentum non est causa æquiuoca gratiæ: quia res sensibilis, quale est sacramentum, non est nobilior gratia; at effectus nobiliori modo est in causa æquiuoca, quam in se ipso, ergo &c. Nec causa vniuoca: quia talis causa cum suo effectu est eiusdem rationis & speciei; sacramentum autem & gratia non sunt eiusdem speciei, ergo &c.

Ad hoc dico primo, quod illa distinctio causæ, solum habet locum in causa Physica: modo sacramentū non est causa Physica, sed moralis. Dico secundo, quod sacramentum est causa æquiuoca; & cum dicitur, quod effectus est nobiliori

modo

modo in causa æquiuoca &c. dico, quod verum est de causa æquiuoca principali, non de instrumentali, non. n. oportet causam instrumentalem, siue sit instrumentum causæ vniuocæ, siue æquiuocæ esse nobiliorem suo effectu. Sacramenta autẽ non sunt nisi causæ efficientes instrumentales dispositiuæ ad gratiam, vt explicatum est supra, & quia sunt instrumenta causæ æquiuocæ, dicuntur etiã causæ æquiuocæ.

QVAESTIO V.

Vtrum possibile sit in aliquo sacramento esse aliquam virtutem supernaturalem.

PRo explicatione huius tituli obseruan. est primo, quod possibile bifariam sumitur, vno modo categorematice, altero modo syncategorematice categorematice dupliciter, primo, vt est differẽtia entis; velut cum dicimus, Petrus est possibilis, idest, Petrus est ens possibile, posteriori modo, vt est propositionis differentia, atque ita dicit præcise secundam intentionem, & facit propositionem modalẽ compositam, quæ non est proprie modalis propositio, sed simpliciter de inesse, vt dicendo Socratem currere est possibile, quæ propositio facit hunc sensum, hæc propositio, Socrates currit, est possibilis. Syncategorematice vero si possibile sumatur facit propositionem modalem diuisam, quæ proprie est modalis. In proposito sumitur possibile categorematice prout distinguitur contra impossibile, & hoc modo illud dicitur possibile, quod repugnantiam, vel contradictionem non inuoluit.

Secundo obseru. est, quod virtus sumitur dupliciter. Vno modo pro vigore, vel potestate alicuius, quemadmodum dicimus, quod tale vinum magnam habet virtutem, quod betonica talem habet virtutem: altero modo pro aliqua qualitate in anima existente, & sic est duplex, scilicet infusa a Deo, & acquisita, atque ita sumitur in proposito.

Tertio obseru. est, quod supernaturale tot modis dicitur, quot modis dicitur naturale, vt docet Scotus in 1. quæstio. prologi. In proposito vero sumitur a Theologis pro omni eo, quod fit a Deo immediate. Quid sit sacramentum dictũ est supra. Ex his patet sensus quæstionis, qui talis est, Vtrũ sit possibile, ita vt contradictionem, vel repugnantiam non includat in sacramentis esse aliquam virtutem, idest, aliquã qualitatem infusam immediate a Deo, atque adeo supernaturalem, resolutio quæstionis est negatiua, id est, quod non est possibile, imo contradictionem inuoluit, ponere in sacramentis qualitatem aliquam supernaturalem.

Hæc quæstio diuiditur in duas partes, in prima refertur opinio Alex. de Ales, p. 4. q. 5. in 3. art 5. §. 6. dicentis in sacramentis esse virtutem aliquam supernaturalem, per quam producunt gratiam dispositiue ad modum supra explicatũ. *Alexan. de Ales.* Quam secutus est D. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiũcula 1. & q. 6. de potentia. art. 4 & q. 27. de veritate, art. 4. ad quartum, & in 3. part. quæst. 62. art. 4. quæ sumatur duabus conclusionibus. *D. Thom.*

1. Conclusio Prima Conclusio. In sacramentis est aliqua virtus supernaturalis, per quam producunt gratiam dispositiue, atque adeo illa virtus non est tantum ordo ad effectum, idest, signi ad signatum, hoc est, non est entitas relatiua, sed forma absoluta, vt patet 5. Phys. tex. c. 10. ergo virtus illa, quæ est in sacramentis, est forma quædam absoluta, & supernaturalis quia & effectus ad quem disponit, vel efficit est supernaturalis, scilicet gratia.

2. Conclus. Secunda Conclusio. Hæc virtus, quæ est in sacramentis, non est in eis secundum esse fixum, sed in fieri, estque virtus transiens, & incompleta probatur, forma quæ est principium essendi semper proportionatur agenti, sed causa instrumentalis, cuiusmodi est sacramentum, agit per motum, ergo virtus per quam agit debet esse proportionata motui, atque adeo debet esse transiens, & incompleta: maior patet, & minor probatur ex differentia agentis principalis, & instrumentalis: quia agens principale agit per formam propriam, instrumentale vero agit quatenus motum a principali agente, vera est ergo minor, & prior consequentia: secunda autem probatur: quia motus est aliquod transiens, & incompletum, ergo si virtus actiua sacramenti est proportionata motui, debet esse transiens, & incompleta.

Et si quis obijciat, virtus supernaturalis non potest subiectari in corpore, ergo in aqua baptismi, v. g. non potest esse aliqua virtus supernaturalis. Respondet Alexander, quod virtus spiritualis nunquam est in corporali spiritualiter per naturam, potest tamen per virtutem supra naturam. *Alex.* Secundo respondet D. Thomas, quod virtus supernaturalis completa, & perfecta non potest esse in corpore, transiens vero, & imperfecta, qualis est ea, de qua loquimur, bene potest esse in corpore. *D. Thom.* Nam huiusmodi entia imperfecta, quæ solum habent esse in fieri, dicuntur in esse, quemadmodum intentiones, vt patet de virtute immutandi visum, quæ dicitur esse in aere, quatenus est instrumentum motum a corpore ad immutandum visum. Vnde in aere est quædã virtus, puta, lumen, quod vere dicitur species sensibilis ipsius lucis. Nam lux est quædam vera qualitas inhærens ipsi soli suo modo, quæ producit in aere lumen, quod est species lucis, & habet solum esse in fieri, quia non potest ibi esse nisi causa præsente: eodem modo species coloris dicitur intentio coloris existens in aere ad immutandum visum, & pari modo virtus spiritualis, quæ est in sacramento inquantum instrumentum est gratiæ, est in eo quasi in fieri, tanquã ens incompletum, siue intentionale.

Et hoc probat exemplis, primum est: quia sermo habet virtutem aliquam ab anima, per quam manifestat conceptus animæ, vt patet dicendo, homo est animal, huiusmodi oratio causat duos conceptus incomplexos, scilicet hominis & animalis; & vnum complexum, quod ex eo prouenit, quia in ea est quædam virtus, idest, quoddam principiũ formale agendi. Quare ergo non erit in sacramentis, quæ consistunt in verbis?

Secundum exemplum est desumptum ab instrumento artis. Nam etiam artis instrumentum quodammodo virtutem artificis continet, quæ est contra naturam suam v. g. in malleo ab artifice moto est quædam virtus artificis, qua mediante instrumentum agit ad effectum principaliter intentum. Eodem modo in sacramentis est virtus aliqua ab ipso Deo, qua attingunt ad effectum principaliter intentũ, scilicet ad gratiam.

Tertium exemplum desumitur ex motu cœli. Nam secũdum Philosophos in motu cœli est quodammodo virtus substantiæ intellectualis cœlum mouentis.

Quartum exemplum desumptum est ex semine animalis: Quoniam (vt docet Aristot. libr. 1. de animalibus, semen quod est corpus, continet virtutem animæ: quæ omnes virtutes sunt supra naturam continentium. *Ari.* Ad istum ergo modum habet aqua baptismi virtutem supra naturam suam quæ producit gratiam, atque ita in alijs sacramentis.

Quid autem D. Thomas intelligat per hanc virtutẽ non est omnium Thomistarum eadem sententia. Nam Paludanus in 4. dist. q. 1. & Capreolus mentem D. Thomæ explicant prout verba sonant, nimirum addi sacramentis virtutem quamdam realem, per quam possunt gratiam efficere: *Paludanus.* sed differunt inter se, quia Paludanus sentit qualitatem illã esse corpoream, & materialem, quod etiam sentire videtur Herueus in 4. dist. 1. q. 1. ad primum; Capreolus vero dicit qualitatem illam esse spiritualem; At Paludanus non consequenter loquitur, neque ad mentem D. Thomæ: *Capreolus, Herueus.* Nam omnis qualitas corporalis est improportionata ad producendã gratiam, vnde illa posita eadem difficultas superest, est ergo impertinens talis qualitas, nec etiam loquitur ad mentẽ D. Thomæ, qui 3. par. quæst. 64. art. 4. ad primum, qualitatẽ illam spiritualem appellat. Capreolus etiam non docet quo modo qualitas spiritualis possit inhærere in subiecto materiali, cum ex natura sua non possit habere habitudinem, & naturalem proportionem cum illo, & ideo non possit magis informare illud, quam possit aliqua potentia animæ ferri extra obiectum suum: quia magis intrinsecus est formæ ordo ad suum effectum formalem, & subiectum, quam sit potentiæ ordo ad suum actum, & obiectum. Secundo, quia nulla qualitas potest ex natura sua esse effectiua gratiæ habitualis, si autem non habet hanc virtutem connaturalem est impertinens, & nihil iuuare potest. assumptum patet: quia nec illa qualitas potest natura sua efficere gratiam nec per modum virtutis principalis, vel efficientis in genere causæ secundæ: quia non est tam perfecta sicut gratia: neque etiam potest efficere per modum agentis principalis partialis: quia gratia est altissima participatio diuinæ naturæ, & ideo in solo Deo potest esse tota virtus principalis ad efficiendum illam, adeo vt neque ipsa gratia possit hoc modo concurrere ad efficiendam aliam sibi similem: denique nõ

potest

potest concurrere, vt instrumentum connaturale: quia huiusmodi instrumentum, non agit nisi mediante aliqua actione præuia sibi, & effectui ex natura rei proportionata, quæ nulla hic fingi potest, vel non agit vt subtiliter docet Scotus.

Scotus. Præterea contra hunc modum sunt argumenta Scoti in hac quæstione. Nam illa virtus, supernaturalis si est in sacramento, aut est ibi indiuisibiliter, id est, tota in toto, & tota in qualibet parte, aut tota in toto, & pars in parte, hoc est diuisibiliter; non primo modo: quia inter omnes formas perficientes materiam sola intellectiua ponitur talis, quæ sic est in materia indiuisibiliter: quia tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis; nec secundo modo: quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis.

Item supposito, quod in sacramento requirantur multa verba; vel in omnibus syllabis esset eadem numero virtus, vel in qualibet syllaba distincta virtus. Primum dari non potest: quia cum illæ syllabæ proferantur, & desinant esse successiue; sequeretur, quod virtus illa migraret de syllaba in syllabam, quod est falsum: quia accidens non migrat de subiecto in subiectum; nec in qualibet syllaba est ponenda distincta virtus. Tum quia istæ syllabæ non sunt in eodem instanti, ergo non possunt producere effectum, scilicet gratiam; quia non posset assignari, quæ istarum virtutum esset principium creandi illum effectum, spiritualem in anima; Tum etiam, quia virtus sacramenti non esset vna, nisi per aggregationem, quod dici haud potest.

Deinde si sacramentum, verbi gratia, Baptismi haberet talem virtutem supernaturalem, vel produceretur à Deo in aqua ante ablutionem, vel in ipsa ablutione, sed neutrum istorum est dicendum. ergo &c.

Probatur minor, Non ante ablutionem: quia productio illius virtutis esset miraculum; sed in sacramentis non sunt concedenda miracula, ergo non producitur ante ablutionem: maior probatur, miraculum est id, quod fit supra naturam, & non sequitur aliquam dispositionem ordinariam, ex diuina ordinatione, sed huiusmodi productio esset supra naturam, vt patet; & non sequitur aliquam dispositionem ordinariam: nam quamuis sacramenta sint res ordinariæ, illa virtus non sequitur, sed antecedit sacramenta. Probatur minor principalis: quia si in sacramentis essent concedenda miracula, iam sacramenta non essent res ordinariæ, & communes omnibus hominibus: quia hoc est de ratione miraculi.

Neque producitur illa virtus in aqua in ipsa ablutione: quia instrumentum prius est idoneum ad aliquod opus, quam assumatur ad illud. ergo cum aqua Baptismi sit instrumentum Dei, si illa esset idonea per aliquam virtutem supernaturalem, prius debet habere talem virtutem, quam applicetur ad abluendum, sed non habet illam ante ablutionem, vt probatum est, ergo nunquam habet. antecedens probatur: quia ideo assumitur instrumentum ad aliquod opus perficiendum: quia est idoneum, ergo prius est idoneum ad aliquod opus, quam assumatur.

Subinde. Etiam si non ponamus istam virtutem in sacramentis, optime saluatur, quod fides docet de sacramentis, scilicet, quod sint causæ gratiæ. ergo superflue ponitur. antecedens patet ex superiori quæstione, & sequela probatur: quia in his, quæ ad fidem pertinent, non sunt ponenda plura, quam requirantur ad saluandam fidem; sicut stando in ratione naturali, frustra esset ponere plura, quam ratio naturalis postulet, ergo &c. Quapropter

Caietanus. Sotus. Caietanus 3. parte quæstione 62. articulo quarto, & Sotus in quarto distinctione prima, quæstione tertia, articulo quarto, negant in sacramentis hanc qualitatem, & exponunt D. Thomam per virtutem illam intellexisse motionem primi agentis, quod explicant exemplo instrumentorum artis. Nam duplex est (inquit Sotus) instrumenti motus, alter est eius proprius, alter vero artificis, & prior est materialis respectu posterioris, posteriorque priorem informat; enimvero si quis absque arte chordas lyræ tangat, nullam certe musicam, sed rudes tantummodo edet sonos illarum proprios; dum autem per artem mouentur recipiunt motum artis, qui est virtus faciendi musicam. Idem est de calamo, si moueatur ab illo, qui scribere nescit, tantum duceret ineptas lineas per proprium motum calami, dum autem mouetur ab illo, qui est scribendi peritus delineat characteres. Pari ergo modo in sacramento Baptismi, si quis puerum ablueret non intentione Christi, & motu ab illo instituto, tantum ablueret corpus motu proprio aquæ, quando vero aquam illam mouet intentione Christi, facit hominem Deo gratum; per virtutem ergo istam sacramenti, nihil aliud intelligit D. Thomas, inquiunt Caietanus, & Sotus, quam motum artificiosum illum, quem recipiunt ad proprium effectum perficiendum.

Refellitur sentent. Caiet. & Soti. Cæterum hæc sententia stare non potest. Peto enim, quid sit hic motus artificiosus; si enim nihil reale est receptum in sacramento, quod sit principium gratiæ effectiuũ; sed solum sit supernaturalis efficientia, & cõcursus Dei, hoc modo intelligi potest Deum producere gratiam, tanquã per actionem vel cõcursum suum, non tñ potest intelligi, quod per illum efficiat sacramentũ, quãdoquidem neq; est actio, neq; aliquid illius. Si autem per motum artificiosum intelligant isti aliquid impressum, & inhærens sacramento, hoc est falsum, & minus intelligibile; quia talis motus, vel esset alteratio, & hoc non: quia oporteret per illum aliquam qualitatem produci, quod etiam ipsi non admittunt; vel esset motus localis; & hoc non: quia motus ille non potest esse principium formæ absolutæ, cuiusmodi est gratia; Tum etiam: quia quidquid esse fingatur huiusmodi motus, est quid imperfectius, quam quælibet qualitas, ergo natura sua non potest esse virtus ad agendum effectum supernaturalem, ergo nec per illum eleuari potest sacramentum ad hunc effectum supernaturalem scilicet gratiam, efficiendum.

Exemplum autem illud sumptum, ex instrumentis rerum artificialium non est ad propositum: quia hæc instrumenta artis mota ab artifice, re vera nihil efficiunt proprie, & per se vt instrumenta sunt, vt inquit Scotus, vel si quid efficiunt, illud eorum formas, & virtutes non superat: quia per se primo per huiusmodi instrumenta solum fit applicatio vel expulsio alicuius corporis ab hoc, vel illo loco; & motus instrumenti directus, seu gubernatus ab arte solum ad hoc deseruit, vt hæc introductio, vel expulsio corporis in loco ordinate fiat, vt inde resultent diuersæ figuræ, per quas res artificiosæ constituantur. Vnde fit vt hic motus non sit propria ratio, & principium agendi, sed tantum applicatio, & conditio requisita, vt possit per instrumentum aliud corpus hoc, vel illo modo mouere, & ideo ex his instrumentis, & ex modo eorum non potest sumi argumentum ad instrumenta supernaturalia, nec ad virtutem eorum explicandam.

Caietanus. Ferrariensis. Ideo Caietanus 3. parte quæstione 13. articulo tertio, & Ferrariensis 3. contra Gentes, capitulo 56. explicant hanc virtutem, dicuntque sacramenta eleuari ad efficiendum, aliquid vt instrumentum Dei, non per aliquam rem, vel qualitatem, vel Physicum motum, qui sacramentis superaddatur: sed solum quia subordinatur diuinæ voluntati, vt per se ipsam, vel per suam actionem intimet diuinum imperium, per quod res omnis, vel effectus fieri potest.

Cæterum hæc sententia, vel virtutem hanc non explicat, vel tollit veram, & propriam efficientiam sacramentorum. Interrogo enim, quid sit intimare diuinum imperium præsertim circa res, quæ cognitione carent, cuiusmodi sunt sacramenta; vel circa effectus denuo producendos? Vel enim solum est ad præsentiam sacramenti, vel actionis naturalis illius, Deum imperio suo gratiam efficere, & tunc esse ordinem infallibilem ex Dei pacto, vel promissione; & hoc modo negatur sacramentis vera actio, & efficientia, quam isti sacramentis tribuere conantur, & incidunt in opinionem Durandi, & Gabrielis dicentium sacramenta esse conditiones, sine quibus non fit effectus, & ad quorum præsentiam statim fit, Deo ita disponente, & ordinante; quod Caietanus impugnat licet Ferrariensis, illud tandem concesserit, tertio contra Gentes, capitulo 102. Vel intimare imperium est vere exequi, & efficere supernaturale opus iuxta diuinum imperium; & in hoc sensu nõ explicatur res, sed petitur principium per hunc modum dicendi: Hoc.n.est, quod quæritur, quõ.s. sacramenta efficiant gratiã absq; superaddita virtute, & non põt Caie. recurrere,

nisi ad motum illum artificiosum, quem supr. imj ugnauimus.

Suarez Tomo 3. super tertia parte summæ D. Thom. c. 62. artic. quarto, in Commentario, quem secutus est Alexander Pesantius tertia parte quæst. 62. artic. quarto, disp. prima, & secunda, dicunt Diuum Thomam ger hanc virtutem intellexisse potentiam obedientialem actiuam intrinsecam. Non enim dixit Diuus Thomas hanc virtutem addi Sacramentis, sed esse in sacramētis. dicitur autem hæc virtus transiens: quia non censetur esse in potentia proxima nisi quando a Deo eleuatur, per specialissimum auxilium, & propterea dicitur non esse in aliquo determinato genere: quia non distinguitur a quacumque entitate rei: nam si esset specialis qualitas, cur non esset in determinato genere, & specie? denique dicitur illa virtus spiritualis non formaliter, sed causaliter: quia ad efficiendum spiritualem effectum eleuatur. Verum hanc potentiam obedientialem, atque adeo hunc modum dicendi impugnauimus articulo sexto superioris quæst. Patet ergo quomodo huiusmodi virtus non possit (etiam iuxta modum eam explicandi Thomistarum) vllo pacto poni in sacramentis.

Suarez. Pesantius.

In secunda parte huius quæstionis ponit Doctor sub. propria opinionem, quæ duabus conclusionibus explicatur. Prima Conclusio. In sacramentis nulla est virtus supernaturalis, quæ sit aliqua forma realis. probatur primo authoritatibus, quas maxime opinio Thomistarum pro se allegat, & prima quidem est D. August. super Ioan. tract. 80. & refertur in Decreto primo quæst. prima, ca. Detrahe. Vbi ita legitur. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. & sequitur. Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? & loquens de virtute Sacramenti subdit, aliud est sonus transiens, & aliud virtus manens. Ecce, quod circumstantia expressa verborum huius auctoritatis ostendit oppositum eius, quod Thomistæ intendebant, videlicet quod virtus Sacramenti cor abluens non sit virtus inhærens Sacramentis, sed sola virtus increata assistens: ait enim, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: Nam hoc quod dicit manens est contra opinionem dupliciter: Primo quia opinio ponit qualitatem illam, & virtutem esse in sacramentis tantum in fluxu, & in fieri, & authoritas dicit virtus manens: secundo quia isti ponunt virtutem illam formaliter inhærere Sacramentis, ergo oportet, quod transeat transeunte Sacramento, sed authoritas dicit, quod transeunte sono remanet virtus manens. Et confirmatur: Impossibile est accidens manere transeunte suo subiecto, sed per te Sacramentum est subiectum illius virtutis, & virtus illa inhæret sicut accidens in Sacramentis, ergo impossibile est quod transeunte verbo maneat virtus illa, ergo non est virtus manens, cuius oppositum dicit diuus Augustinus.

Sententia. Scoti. 1. Conclusio

D. August.

Et si dicas, quod virtus illa remanet in aqua, licet verbū transeat. Contra hoc est expresse præfata authoritas: ait enim, detrahe verbum, non manet aqua nisi aqua. Vnde secundum Diuum Augustinum, & secundum veritatem est falsitas Sacramenti respectu gratiæ infunditur in vtroque tam in elemento, quam in verbo.

Secunda authoritas est eiusdem D. August. contra Faustum. Virtus, inquit, quæ operatur in sacramentis iugiter manet, nam transeunt verba, transit ablutio corporalis, & manet iugiter virtus operans in Sacramentis. Vnde si per virtutem operantem in Sacramentis vis intelligere inhærentem, ecce quod authoritas ex alia parte expresse sonat oppositum, dicit enim quod illa est virtus iugiter manens.

D. August.

Tertia authoritas, est Diui Ambrosij libro quarto de Sacramentis, cap. quarto, & refertur de cons. dist. secunda, ca. panis, & cap. re vera, vbi loquens de sermone Christi, de quo antea dixerat, quod eo vtitur sacerdos, quando conficitur Sacramentum. inquit. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum, iussit Dominus, & facta est terra &c. & infra. Si ergo tanta vis erat in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur &c. Sed manifestum est quod tale verbum non est verbum creatum, sed increatum, ergo nec virtus operatiua talis verbi est creata, sed increata, non ergo virtus infusa.

D. Ambros.

Quarta authoritas est Diui Gregorij, & partim Isidori, & Hieronymi, & habetur in decreto primo, quæst. prima, cap. Multi sæcularium, quod cap. collectum est partim ex sententijs Gregorij, partim Isidori, & Hieronymi, vbi ita legitur: Sacramentum est sub cuius tegumento virtus diuina operatur sola, & intra effectum Sacramentorum virtus Spiritus sancti latens in eis operatur, quæ verba de virtute inhærente intelligi nequeunt: nam subditur. Diuina enim virtus est sola hæc non humana, quibus verbis apparet intentionem eius fuisse in Sacramentis non esse virtutem aliam, quam increatam, alias non diceret diuina sola: ergo &c.

D. Gregor.

Quinta authoritas est Hugonis libro primo de Sacramentis capitulo tertio, & quarto, parte nona, vbi loquens de Cataplasmate illo Isaiæ, quærit, quare voluit Deus, quod poneretur super locum vulneris, cum ficus illi haberent effectum oppositum curationis vulneris. Et respondet, quod ideo fecit, vt ostenderet, quod a solo Deo, & a nulla virtute in ficubus illis existente fuerit cura vulneris. & subdit Hugo, quod sic est de Sacramentis, quod Deus adhibet infirma ne spem nostram in creatura ponamus, sed salutem a solo Deo per gratiam etiam credamus.

Hugo.

Secundo probatur conclusio rationibus, quæ habentur in principio qua stionis pro parte negatiua, & prima est talis. Si poneretur talis virtus ad aliquod genus prædicamentorum pertineret, sed talis virtus non potest poni pertinere ad aliquod genus entis, ergo &c. Maior patet: quia omnis forma absoluta pertinet ad aliquod genus entis: omne enim ens reale creatum absolutum, vel respectiuum in aliquo prædicamento reponitur. Minor probatur inductiue, quia discurrendo per omnia genera non posset pertinere nisi ad genus qualitatis; sed nec ad illud pertinet, patet discurrendo per omnes eius species, non enim est habitus, vel dispositio, nec naturalis potentia, vel impotentia, nec passio, vel passibilis qualitas, neque forma, vel figura, ergo & cætera.

Secundo arguitur. Aut huiusmodi virtus si ponatur, est vna, aut plures in quolibet Sacramento, sed non potest poni vnica, tum quia vnum accidens non potest poni in diuersis subiectis, cuiusmodi sunt verba, & alia, quæ requiruntur communiter in quolibet Sacramento, Tum quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, sed si in quolibet verbo Sacramentali cuiuslibet Sacramenti esset eadem virtus, hoc necessario sequitur: quoniā si quodlibet verbum sacramentale est subiectum huiusmodi virtutis, ipsa virtus non potest manere in verbo, nisi ipso existente prolato, ergo primo verbo desinente, & alio succedente, virtus, quæ erat in primo verbo, migrauit ad secundum, atque ita vsque ad vltimum, quod est falsum. Nec possunt in Sacramento poni plures virtutes, quia tunc oporteret ponere in anima recipientis Sacramentum multiplicem effectum illis multis virtutibus correspondentem.

Præterea tertio si ponatur aliqua virtus supernaturalis in Sacramentis, ergo in verbis sacramentalibus alicuius Sacramenti esset aliquod accidens absolutum simpliciter perfectius omni perfectione intellectualis creaturæ, consequens est inconueniens, ergo & antecedens. consequentia probatur, quia omne accidens reale supernaturale est simpliciter perfectius quocunque accidente reali naturali, sed perfectio naturalis creaturæ intellectualis consistit in quantitate naturali scilicet in contemplatione substantiarum separatarum secundum Aristo. ergo illa virtus supernaturalis existens in Sacramentis esset ea nobilior, atque perfectior: maior probatur: quia in illud, scilicet in accidens supernaturale non potest causa naturalis; in istud autem, scilicet in accidens naturale potest, ergo istud est perfectius isto. consequentia probatur: quia ista impotentia non videtur esse nisi, propter eminentiam effectus, ergo &c.

Præterea illa virtus non posset tribuere efficaciam Sacramento ad producendam gratiam effectiue, vel aliquam dispositionem ad illam; probatur: quia tam gratia, quā dispositio producitur per creationem, vt dictum est; creatura autē, qualis esset illa virtus, nullo modo pōt creare, ergo super-

per-

perflue poneretur, & consequenter cum non sit necessaria, absurdum est dicere, quod toties generaretur, & corrumperetur, quoties recipitur sacramentum.

Postremo sacramenta ex se non possunt producere gratiam, nisi ex pactione, quam Deus fecit cum ecclesia; sed hęc pactio optime saluari potest per hoc, quod virtus diuina immediate producit gratiam sacramentorum, absque virtute illa intermedia, quam ponit S. Thomas, ergo non est ponenda: quia frustra fit per plura &c.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Virtus sacramenti est pretium sanguinis Christi, qui in sacramentis applicatur ex institutione diuina; sicut virtus redemptionis in crumena est pretium pecuniæ pro captiuo exhibendum. Probatur ex Scoto in 4. *Scotus.* dist. 2. sacramenta habent efficaciam à passione Christi tanquam à causa meritoria, & à Deo, tanquam à causa principali, sed efficacia sacramentorum est illorum virtus, ergo virtus sacramentorum est passio, vel sanguis Christi per sacramenta applicatus ex institutione diuina; sicut dicit Scotus in ista quæst. ad primum, quod virtus sacramenti ęst efficacia signi respectu signati.

Dicit etiam Scotus, quod si fiat altercatio propter authoritates sanctorum dicentium in sacramētis esse virtutem ad sanctificandum; possumus respondere, quod virtus vno modo est vltimum de potentia, vt dicitur 1. cœli, tex. c. 116. Vnde obseruandum est, quod vltimum de potentia est perfectissimum, ad quod aliquod potest attingere. Secundo obseruandum est, quod perfectissimum quod potest attingere signum practicum, est quod significet efficaciter, id est quod signum præcedat effectum, & effectus infallibiliter sequatur, & hæc est virtus, quam sancti ponunt in sacramentis; Non autem volunt asserere, quod in illis sit aliqua forma absoluta effectiua; sed est tantum relatio conformitatis signi ad signatum, quæ conformitas in sacramentis nihil est aliud, quam veritas & efficacia sacramentorum; ita quod conformitas veritatis, & efficacia idem important; conformitas autem non est forma absoluta, sed relatio signi ad signatum.

Si autem ista conformitas ponatur pertinere ad essentiam sacramenti, dicendum est, quod sacramentum non tantum includat rationem signi cum suis differentijs, sed etiam aliquam rationem conformitatis ad signatum, quæ dicitur veritas in signo; & istarū relationum, scilicet, signi ad signatum. & conformitatis seu veritatis ad signatum, vna accidit alteri, & quasi posterior fundatur in alia priori; relatio signi ad signatū, est prior; relatio vero conformitatis est posterior, atque ita relatio conformitatis in signo fundatur; & posset esse signum sine ea. Si vero ratio conformitatis non ponatur pertinere ad rationem sacramenti, sed sit accidens concomitans vt in pluribus; saltem ista ratio est illud vltimum de potentia signi practici, atque ita virtus.

D. August. Sed contra primam conclusionem arguitur primo. authoritate D August. Quæ est ista aquæ tanta, &c. Respondet Scotus, quod D. August. vult dicere. Quæ est ista virtus, id est, quæ est ista efficacia &c. adeo, quòd illa virtus est efficacia signi respectu signati, quæ efficacia non est forma realis absoluta, sed est veritas seu conformitas signi virtualiter præcedentis signatum.

Secundo arguitur. Medicina continet formaliter virtutem aliquam actiuam respectu sanitatis; sed sacramentum est perfecta medicina animæ, ergo habet in se virtutem aliquam supernaturalem respectu gratiæ. Respondet Scotus, quod si sanitas non posset induci, nisi ab agente voluntario, & ab ipso institueretur aliquod signum, quod esset efficax, seu dispositio necessitans ad inducendam sanitatem, tale signum esset medicina virtuosa, non tamen per aliquam formam absolutam, quæ esset principium sanandi, sed tantum per ordinem efficacem ad sanitatem; Sic sacramenta sunt efficacia ex merito Christi, & institutione diuina; Nam Deus virtutem suam applicauit, quibus voluit signis. Dico ergo ad minorem, quod sacramenta dicuntur medicinæ: quia applicatio illorum sufficit ad consequendam salutem, cuius salutis sunt causæ morales, non tanquam causæ Physicæ, atque adeo non sequitur, quod in illis sit ponenda aliqua virtus effectiua gratiæ.

Tertio arguitur. Noua relatio non aduenit alicui sine nouo fundamento absoluto; ergo relatio signi ad signatum non aduenit sacramento, puta aquæ & verbis, quibus conficitur Baptismus, nisi mediante aliquo nouo absoluto adueniente; sed illud nouum est aliqua forma absoluta, quæ est virtus supernaturalis, ergo sacramentum habet virtutem aliquam supernaturalem ad causandam gratiam. consequentia patet, & antecedens probatur ex 5. Physico. tex. 8. vbi dicitur, quod non est motus, neque mutatio ad relationem; nisi quia ad absolutum, sed aqua, & verba, in quibus conficitur baptismus habent nouam relationem ad gratiam, quam ante non habebant, ergo habent illam ratione alicuius absoluti. Respondet Doctor, distinguendo antecedens: Nam relatio realis intrinsecus adueniens non aduenit alicui, nisi mediante aliquo absoluto, verbi gratia, similitudo non aduenit albo, sine aliquo reali absoluto nouo producto in altero extremo; relatio vero rationis potest fundari, & attribui alicui, & esse noua, sine aliquo fundamento de nouo producto in ipso: Nam cum hæc tantum fiat per actum comparatiuum intellectus, non est opus ponere aliquid reale pro fundamento talis relationis, sed sufficit noua comparatio absoluti ad alterum per actum intellectus. In proposito autem relatio signi ad signatum est relatio rationis; & ideo argumentum nihil concludit; Denarium enim pretium esse incipit de nouo alicuius rei, & tamen nihil absolutum acquiritur de nouo in denario: quia esse pretium in denario, non est nisi relatio rationis; sicut etiam esse cognitum in obiecto cognito, non dicit nisi respectum rationis, sacramenta igitur ad gratiam non habent relationem realem causæ ad effectum; sed rationis tantum, scilicet, signi ad signatum. Vel potest dici, quod quoties sacramentum pro formali acceptum est nouum, totiens fundamentum est nouum: & tunc non est ibi noua relatio sine mutatione fundamenti; sed illa mutatio non est ad aliquod absolutum in fundamento, sed ad esse fundamenti.

Ad primum exemplum, quo Sanctus Thomas, confirmauit suam opinionem respondet Scotus in hac quęstione, sub litter. b. § Exēpla, quæ adducta sunt de virtute recepta in sacramento non concludunt. & ad primam dicit, quòd falsum est in sermone esse aliquam virtutem animæ: quia sermo non impositus ad significandum, non habet talem virtutem, siquidem non causat conceptum aliquem; sed per impositionem non recipit, nisi relationem rationis, ergo non habet aliquam virtutem realem animæ; Præterea Latinus, qui audit sermonem Græcum, nihil intelligit, ergo non habet in se aliquam virtutem animæ sermo Græcus: quia alias causaret conceptum cuicumque audienti. Et si quæras, quomodo ergo sermo audibilis est causa conceptus? Dicit Scotus, quod ille qui audit has voces, homo est animal, aduertit, quod sunt impositæ ad significandum hominem, & animal; atque ita excitatur memoria ad recordationem hominis, & animalis per species quas habet illorum.

Ex hoc sequitur primo, quod vox primo causat speciem sensibilem in organo potentiæ auditiuæ, quæ species multiplicata causat phantasma in organo phantasiæ, quæ vna cum phantasia causat notitiam phantasticam.

Secundo vox mediante phantasmate vna cum intellectu agente causat speciem intelligibilem, quæ recipitur in intellectu possibili.

Tertio vox mediante specie intelligibili, vna cum intellectu possibili causat conceptum rei significatæ per vocem.

Ex quo sequitur secundo, quod vox vel sermo non est aliquo modo causa immediata conceptus, id est, notitiæ rei significatæ per eam; sed immediate causatur à specie intelligibili illius rei. Vox autem est tantum signum rememoratiuum rei significatæ per eam.

Vnde sequitur tertio, quod quantumcunque sermo proferatur, si audiens non habeat in se speciem rei prolatæ, nullus conceptus causabitur in eo de re illa; Vnde per voces non intelligimus nisi res illas, quarum species habemus, sed quòd actualiter eas consideremus, hoc est propter collationem, signi ad signatum.

Ad secundum exemplum negatur, quòd in instrumento sit aliqua virtus realis: quia contra rationem videtur (inquit Scotus) asserere, quod talis virtus totiens causaretur ab artifice, quotiens mouet instrumentum, & totiens desinat esse, quotiens quiescit.

Digitized by Google

Ad tertium exemplum de motu cœli, dicit similiter quod in motu cœli, non est aliqua virtus Angeli motoris ad producendas substantias inferiores: quia motus non est formale principium producendi.

Ad quartum de semine dicit Scotus in 2. distin. 18. quod virtus animæ, quæ dicitur esse in semine, est forma substantialis seminis, vel aliqua qualitas consequens formam substantialem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in Circumcisione ex vi Circumcisionis conferebatur gratia?

PRO Explicatione huius tituli obseruandum est, quod Doctor in hac quæstione supponit Circumcisionem esse sacramentum proprie dictum, atque adeo esse signum efficax effectus sacramentalis; qui quantum ad propositum attinet sunt duo, scilicet remissio peccati, & collatio gratiæ.

Circuncisio tripliciter considerari potest.

Potest autem Circumcisio tripliciter considerari; Nam circumcisio determinabatur ad tria; scilicet ad distinguendum populum Dei à non populo, ad deletionem peccati originalis, & in remedium contra concupiscentiam, quæ est sequela culpæ originalis. Iuxta primam considerationem loquitur de ea D. Damascenus libro quarto orthodoxæ fidei, capitulo 26. vbi sic eam definit. Circumcisio est signum determinans Israel à gentibus, cum quibus conuersabatur. Penes secundam considerationem, ita definitur: circumcisio est signaculum curationis ab originali, at iuxta tertiã considerationem, in hunc modum describitur: circũcisio est abscissio superfluitatis concupiscentiæ, & hoc habetur ex parte à D. Damasceno dicente, quod peccatum est superfluitas concupiscentiæ, huiusmodi autem abscissio fuit circumcisio, quæ significabatur in abscissione superfluitatis inutilis in membro hominis, vt dicit Glossa ordin. in illud Roman. 4. signum accepit, &c. vbi inquit, circumcisio exterior dicitur signum interioris circumcisionis, tale scilicet, quod sit habens signaculum signatæ rei: vt sicut carne libidinis in circumcisione homo spoliatur, sic anima spolietur omnibus sordibus primæ natiuitatis.

Damascen.

Glossa ordi.

Secundo obseruandum est, quod conferre gratiam ex vi circumcisionis, vel ex opere operato, vt diximus supra articulo primo, quæstione quarta, nihil aliud est, quam eo ipso quod sacramentum recipitur gratiam conferre: Nuncupatur enim sacramentum à Theologis opus operatum: sunt enim sacramenta ex Christi meritis, quasi opus operatum secum habentia gratiam debitam meritis Christi, ex institutione diuina. Nec audiendi sunt Caluinus in Antidoto Concilij Tridentin. session. 7. capitulo octauo, & Kemnitius in examine Concilij Tridentini, reprehendentes nomen vt nouum; nec (quod valde miror) Dominicus Soto, qui in quarto distinctione prima, quæstione 3. articulo primo, reprehendit omnes Scholasticos affirmantes sacramenta nouæ legis, ex opere operato gratiam conferre; quod quidem verbum (inquit) barbarum est, cum operatum potius actionem, quam passionem significet, sicut & operari. Cæterum non est cur de nomine magna contentio fiat; nulla enim hic est nouitas (vt diximus loco supra relato) nisi quod contra regulam grammaticæ, operatum passiue accipitur, sed neque hoc est nouum: nam etiam in epistola ad Hebræos capitulo decimotertio, contra regulam grammaticæ passiue accipitur (promeretur) cum legimus: talibus enim hostijs promeretur Deus, sed de his hactenus. Circumcisionem ergo conferre gratiam ex vi circumcisionis siue ex opere operato, quod idem est, nihil est aliud, quam hoc ipso, quod sacramentum recipitur gratiam conferre. Diuiditur autem hæc quæstio in nouem articulos.

Sotus.

Primus articulus. Vtrum de potentia Dei absoluta possit peccatum originale dimitti, sine infusione gratia.

Secundus articulus. Vtrum Deus de potentia absoluta possit dimittere peccatum originale, sine infusione alicuius positiui repugnantis tali peccato.

Tertius articulus. Vtrum Deus de potentia ordinata possit delere peccatum originale, sine infusione gratia.

Quartus articulus. Vtrum cæremonia veteris legis alia à circumcisione essent meritoria.

Quintus articulus. Vtrum Circumcisio congrue instituta fuerit.

Sextus articulus. Vtrum præceptum circumcisionis omnes ab Abraham descendentes obligaret.

Septimus articulus. Vtrum esset de essentia circumcisionis, quod fieret in membro virili, octaua die, & petrino cultro.

Octauus articulus. Vtrum Circumcisio in determinato loco, & à determinato Ministro fieri debebat.

Nonus articulus. Vtrum Circumcisio, ex vi circumcisionis conferret gratiam.

ARTICVLVS I.

Vtrum de potentia Dei absoluta possit peccatum originale dimitti, sine infusione gratia.

Ocham. Bassolus. Rubion. Mayron. Richardus.

DE hac re tractat Ocham quolib. 6. quæstione 4. Bassolus in 4. distinct. 1. quæst. 4. Rubion eadem distinctione, quæstione 4. Franc. May. quæstione tertia, & ante eos Richardus in 4. distinct. 1. quæstione 3. articulo 6. Pro cuius explicatione obseruandum est primo, quod dupliciter accipi consueuit Dei potentia, dicitur enim potentia Dei absoluta, & dicitur potentia Dei ordinata: potentia Dei absoluta dicitur respectu cuiuscumque possibilis, non inuoluentis contradictionem; potentia vero Dei ordinata dicitur respectu regularum diuinarum, quæ nobis per scripturas, & traditiones diuinas sunt manifestatæ; Tunc enim Deus dicitur facere iuxta ordinatam potentiam, quando secundum tales regulas facit, & operatur. Neque tamen intelligendum est, quod potentia absoluta, & ordinata potentia, duæ sint res distinctæ in Deo, sed vna eademque causa, siue diuina voluntas; quæ quidem voluntas agens iuxta regulas à se præstitutas, & nobis per naturam siue scripturam manifestatas potentia ordinata nuncupatur, cum vero harum regularum tenorem transgreditur aliquid efficiens potentia absoluta vocatur. Idque dilucidius fieri potest Regis exemplo, qui iubens suspendi homicidam secundum ordinatam potentiam agere dicitur: quia agit iuxta leges à se constitutas; ipse vero Rex ob aliquas circumstantias eripiens homicidam aliquem à suspendio, secundum absolutam potentiam id facere dicitur: quia leges à se latas contra homicidas transgreditur, & non seruat.

Potētia Dei duplex.

Peccato originali etiam rectitudo naturalis repugnat.

Alex. de Ales. D. Bonau. Richardus. D. Thomas. Scotus.

Secundo obseruandum est, quod peccato originali non solum repugnat gratia, sed etiam iustitia originalis, atque rectitudo naturalis in qua primus homo conditus est iuxta sententiam Alexand. de Ales. secunda parte quæstione 96. membro primo, & D. Bonauenturæ in 2. distinctione 29. quæstione secunda, articulo secundo, & Richardi ibidem, quæstione prima, quamuis D. Thomas, prima parte quæstione 95. articulo primo teneat, quod primus homo fuit creatus in gratia gratum faciente, quemadmodum & Angeli; à quo non dissentit Doctor sub. Et licet Alexand. D. Bonauentura, & Richardus teneant, quod non fuit creatus in gratia, sed in puris naturalibus, vt dicit Magister, fatentur tamen quod habuit gratiam gratum facientem ante peccatum, & hoc contra aliquos, qui opinati sunt, Adamum nunquam habuisse gratiam.

Conclusio.

His obseruatis sit hæc conclusio Scoti. Deus de potentia absoluta potest delere culpam originalem absque gratiæ infusione. probatur. Quæcumque sibi inuicem repugnant circa idem illa inuicem se expellunt, ergo cui plura repugnant, circa aliquod subiectum illud potest per quodlibet illorum expelli ab illo subiecto, sed culpæ originali non tantum repugnat gratia habitualis, sed etiam iustitia originalis, & rectitudo naturalis, igitur peccatum originale potest Deus delere, sine infusione gratiæ conferendo homini solum iustitiam originalem, vel naturalem rectitudinem.

Maior quo ad primam partem patet: nam quia caliditas, & frigiditas in eodem subiecto sibi inuicem repugnát, ideo

se

Digitized by Google

se ab eodem excludunt, & quoad secundam etiam patet, quia flammæ cerei repugnant ventus, & aqua, igitur quodlibet istorum extinguit, & expellit flammam igneam à cereo. Minor probatur: quia iustitia originalis, vel naturalis rectitudo, non stat cum obliquitate peccati: Nam ad rectitudinem naturalem requiritur, quod habens illam non sit in peccato, non tamen quod sit in gratia, vel quod necessario habeat gratiam: nam si Deus creasset Adam in puris naturalibus absque gratia, & iustitia originali præscindendo omnem deformitatem peccati, habuisset Adam rectitudinem naturalem, ergo possibile est, quod aliquis habeat rectitudinem naturalem sine gratia, & originali iustitia. Et si dicas rectitudinem naturalem absque gratia non esse possibilem. Contra Magister, & Doctores supra relati tenent oppositum, id est, quod Deus condidit hominem rectum naturaliter, id est, in puris naturalibus. Idem autem probatur de possibili: quia si non posset dari rectitudo naturalis, quin daretur gratia, sequeretur, quod gratia esset forma naturalis naturæ constitutæ in rectitudine naturali, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur consequentia, quia illud dicitur naturale, quod consequitur naturam secundum se.

Et si dicas, quod Deus potest dare rectitudinem naturalem sine gratia simpliciter loquendo, & ante lapsum, cæterum post lapsum, siue post peccatum non potest homini rectitudo naturalis præstari absque gratia, hoc improbat
Scotus. Scotus duabus rationibus, & primo sic: rectitudo naturalis ante, & post lapsum est eiusdem rationis. ergo si ante lapsum poterat esse sine gratia, etiam post peccatum poterit esse sine gratia, & per consequens potest culpa remitti, esto quod Deus non infundat gratiam.

Item oppositum alicuius formæ præcedere in subiecto non facit oppositam formam habere aliquam separabilitatem, vel inseparabilitatem in aliquo; ex eo enim quod frigiditas in aqua præcessit caliditatem; non habet caliditas separabilitatem, vel inseparabilitatem ab aqua: sed quia est talis forma, & tale habens esse, ideo est separabilis, vel inseparabilis a quocunque, ergo hoc quod est culpam præcedere in aliquo non facit rectitudinem naturalem habere cum aliquo alio, puta cum gratia separabilitatem, vel inseparabilitatem.

Præterea secundo, qualemcunque Deus secundum formam absolutam potest hominem creare, talem secundum formam absolutam potest reparare post lapsum, sed Deus in pura rectitudine naturali potest hominem creare, ergo etiam post peccatum potest hominem secundum eamdem formam absolutam reparare, atque adeo etiam post peccatum potest esse rectitudo naturalis sine gratia. Maior probatur. Cuiuscumque formæ natura est capax ante lapsum, illius est etiam capax post lapsum, sed Deus potest imprimere naturæ quodcunque, cuius est capax, & ante lapsum natura absque gratia erat rectitudinis naturalis capax, ergo Deus potest illi imprimere rectitudinem naturalem sine gratia: maior patet, quia culpa non facit naturam esse aliam: Nam postquam homo peccat, in natura sua non est alius homo, sicut etiam Angeli tales sunt post peccatum secundum naturam, quales secundum naturam erant an-
D. Dionys. tequam peccarent: quia naturalia secundum Diuum Dionysium in eis remanserunt integra, quandoquidem culpa non facit naturam esse aliam. Minor quoad primam partem, & quoad secundam probatur: quia gratia non includitur in ratione formali rectitudinis naturalis, aut originalis iustitiæ, ergo potest rectitudo naturalis imprimi sine gratia.

D. Hieron. Sed contra maiorem propositionem arguitur ex D. Hieronymo dicente, Deus non potest de non Virgine facere Virginem, qui tamen a principio Virginem potest creare, ergo quamuis Deus ante lapsum posset hominem creare in rectitudine naturali, post lapsum tamen non potest illum in eadem reparare absque infusione gratiæ. Ad hoc respondet Scotus, quod argumentum nihil concludit contra ipsum: quia accepto quocunque absoluto importato per virginitatem, siue sit perfectio in mente, siue dispositio in carne, illud totum potest Deus reparare. Virginitas autem vltra hæc omnia dicit negationem actus præteriti, scilicet nunquam cecidisse mente, vel carne in carnis peccatum, quod est quoddam respectiuum. Scotus autem probat, quod quodcunq; absolutum potest Deus reparare in homine post lapsum, quod potuit in eo ante lapsum creare. Vnde D. Hieronymus optime dixit, neque enim Deus potest actum præteritum, quo omissa est virginitas facere, quod non præterierit. Vnde Aristo. 6. Ethic. cap. tertio, Aristoteles
commendat Agathonis Poetæ sententiam recte dicentis atque canentis. Hoc etiam ipse Deus soloque carere videtur, infectum vt faciat, quod factum est, atque peractum. & probat Scotus non esse potentiam etiam absolutam ad præteritum, ita ut possit facere actum, qui præterijt, non præterijsse tali ratione. Omnis factio latissime accepta, vel est entis de non ente, vt in creatione; vel non entis de ente, sicut in annihilatione: vel entis de ente sicut in generatione, & alteratione; igitur factio de non ente in non ens est impossibilis: quia nihil est. Probatur consequentia, quia præteritum non est ens, & ipsum non præterijsse est aliud non ens, igitur non potest ex præterito fieri, quod non sit præteritum. Præterea facere rem, quæ præterijt, non præterijsse, esset aliquid de nouo producere, sed producere rem de nouo non est facere illam nō præterijsse, ergo Deus de potentia absoluta non potest facere rem, quæ præterijt non præterijsse.

Contra, Deus post amissionem virginitatis non potest reparare virginitatis aureolam, ergo non potest reparare omne absolutum; antecedens patet: quia Deus non potest facere, quod post lapsum virginitatis homo habeat gaudium de nunquam cecidisse in carnis peccatum, ergo aureolam reparare non potest. patet, quia Deus non potest facere, quod homo habeat gaudium de aliquo falso, ergo non potest facere, quod aliquis gaudeat de non cecidisse, cum ceciderit.

Respondet Doctor Sub. & dicit, quod aureola virginitatis non est aliud, quam gaudium accidentale de nunquam cecidisse neque mente, neque corpore in carnis peccatum. Vnde obser. est. quod gaudium, & tristitia opponuntur; sicut enim tristitia est de aliquo nolito eueniente, ita gaudium est de aliquo volito eueniente; vt volo ex hoc loco discedere, & mihi accidit detentio, ideo in me tristitia sequitur; e contrario volo nunquam cecidisse in peccatum, & nunquam cecidi, sequitur gaudium. Dicendum est ergo, quod Deus omne absolutum separare potest, quod non præsupponit necessario aliquid, quod nequeat separari, in proposito autem aureola virginitatis præsupponit necessario non cecidisse in carnis peccatum; verum si quis cecidit non potest Deus facere, quod non ceciderit, atque adeo non potest gaudium de non cecidisse reparare.

Et si dicatur, quod de negatione non potest esse nec haberi gaudium, saltem multum excellens, & speciale; Respondetur, quod sicut affirmatio aliqua est fugibilis, & odibilis, ita eius negatio opposita est amabilis, cæterum cecidisse in carnis peccatum mente, vel corpore est odibile & fugibile, ergo sua negatio, puta non cecidisse, est amabilis, atque adeo sicut excellens odibile est in tale cecidisse peccatum, ita ex charitate amabile, & delectabile est nunquam cecidisse, ex quo sequitur, quod quis maius gaudium habet de nunquam cecidisse, quam cecidisse, & postea resurrexisse, sicut B. Virgo Maria, & B. Ioan. Bapt. Vnde B. Ioan. habet maius gaudium accidentale, quam habeant BB. Petrus & Paulus, qui non fuerunt Virgines. Quamuis ergo essentiale gaudium sit de bono positiuo, ituno maximo, nempe de diuina essentia, non est tamen inconueniens vltra illud addere aliquod gaudium accidentale de negatione, cui opponitur affirmatio odibilis. Ex hoc ergo patet falsum esse, non dari gaudium de negatione aliqua, atque adeo manet conclusio Scoti in sua vi, quod videlicet Deus de potentia absoluta posset delere peccatum originale sine gratiæ infusione, quod etiam vlterius probatur: quia gratia non opponitur formaliter originali peccato, neque in isto tempore dimittitur originale peccatum per infusionem gratiæ, nisi quia gratia æquiualenter includit in acceptatione diuina originalem iustitiam, quæ formaliter peccato originali opponitur, & hanc sententiam Doct. Sub. tenent Franciscus, Ocham, Basolus, & Rubion locis supra relatis.

Oppositam tamen sententiam videntur tenere aliqui, de quorū numero est Richar. hac d. ar. 6. q. 3. qui quatuor ra Richardus.
tionibus probant, quod Deus de potentia absoluta non pōt delere originale peccatū absq; infusione gratiæ, & ratio eorū prima est. Non pōt deleri de anima peccatū nisi fi. t munda

de immunda; sed hoc fieri nequit sine aliqua mutatione in anima; illa autem mutatio non potest esse ad relationem aliquam: quia vt docet Aristot. 5. Physicor. tex. capitul. 10. Ad relationem non potest esse motus nec mutatio, ergo erit ad aliquam formam absolutam peccato repugnantem, quæ non est nisi gratia; ergo non potest deleri originale peccatum, nisi gratia infundatur.

Arist.

Ad hoc concedo antecedens, & nego consequentiã: quia potest anima fieri munda de immunda per iustitiam originalem munditia opposita, quam priuat originale peccatum; siue talis iustitia sit donum naturæ superadditum, siue rectitudo naturalis, quæ omnem peccati deformitatem præscindit. Vel dicas, quod anima potest fieri munda eo modo, quo munditia dicit carentiam immunditiæ, esto quod Deus nullam gratiam ei infundat: quia potest tolli, vel remitti culpa, seu immunditia sine gratia; sicut enim potuit anima creari sine immunditia peccati, ita sine gratia.

Secunda ratio illorum est. Non potest de aliquo subiecto priuatio deleri, nisi inducatur oppositus habitus, sed peccatum originale priuatiue opponitur gratiæ, ergo non poterit ab anima deleri, nisi gratia infundatur.

Ad hoc nego minorem: quia peccatum originale non opponitur gratiæ priuatiue, sed iustitiæ originali; verum est tamen quod in acceptatione diuina gratia, æquiualet originali iustitiæ, nullo tamen modo originale peccatum opponitur gratiæ, vt proprie, & præcise priuatio illius; & si fiat sermo vniuersaliter de peccato, dico quod culpa, vel non est priuatio gratiæ: est enim priuatio rectitudinis, quæ deberet inesse actui, de qua concedi potest ratio, scilicet, quod à tali actu culpabili non potest tolli ipsa priuatio, quæ est culpa, nisi per habitum sibi priuatiue oppositum, videlicet conformitatem, seu rectitudinem ipsam actus, sed hoc non est contra propositum, posset enim carentia, seu priuatio illa rectitudinis sine gratia tolli; Vel si est priuatio, non est priuatio adæquata, sed cum hoc vel iustitiæ originalis, vel rectitudinis naturalis habitualis, vel actualis, & per quodlibet illorum potest tolli; atque ita non oportet quod gratia infundatur.

Tertio arguitur. culpa non potest deleri nisi tollatur deordinatio, vt non imputetur ad pœnam; si autem deordinatio eius maneret, necessario imputaretur ad pœnam: quia ipsam nocens non potest aliter ordinari, quam per pœnam inflictam, ergo culpa dimitti non potest, nisi deordinatio eius tollatur, sed illa non tollitur, nisi per gratiam; ergo &c.

Ad hoc dicit Scotus, quod dubium est vtrum possit non imputari ad pœnam deordinatione eius non ablata; sed hoc concesso, scilicet, quod possit non imputari ad pœnam, opposita deordinatio illa potest auferri, absque collatione gratiæ; sed de hac materia prolixior erit sermo, distin. 14. quæstione 1.

Arguitur quarto. Si culpa dimittitur, etiam offensa diuina relaxatur, ergo peccator reconciliatur Deo, & per consequens acceptatur à Deo, sed nullus acceptatur à Deo sine gratia, igitur neque peccatum originale potest deleri sine infusione gratiæ; & confirmatur: quia si nõ est inimicus, ergo amicus, & per consequens gratus.

Ad hoc concedimus quod diuina offensa dimittitur, & ille, cui dimittitur, Deo reconciliatur; non tamen inde sequitur, quod sit Deo acceptus acceptatione gratiæ specialis; homo enim in puris naturalibus Deo placet, & acceptus est, non quidem acceptus specialiter tanquam dignus vita æterna, etenim Deum huic reconciliari non dicitur, nisi Deum nolle vindicare culpam siue peccatum, acceptare vero plus dicit, scilicet ordinare hominem tanquam dignum vita æterna, quod exemplo fit manifestum, possum enim ego placari alicui, qui me offendit, vt illi inimicus non sim, neque vindictam expetam ab eo, absque eo, quod illum in amicum recipiam specialem, iuxta quam ordinetur à me ad aliquod speciale bonum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus de potentia absoluta possit dimittere peccatum originale, sine infusione alicuius positiui repugnantis tali peccato.

Difficultas huius artic. non est eadem cum præcedenti; Nam in superiori artic. quærebamus. vtrum Deus possit remittere culpam sine infusione gratiæ, in præsenti vero artic. plus quærimus, an scilicet Deus possit remittere culpam, sine infusione gratiæ, sine restitutione naturalis rectitudinis, & absque originali iustitia. Cui difficultati respondet Doctor. sub hac conclusione. Deus de potentia absoluta potest dimittere peccatum originale, absque eo quod conferat aliquod positiuum tali peccato repugnans. Probatur conclusio. Quicquid Deus extra se causat, libere causat sine dependentia ab aliqua creatura, quæ Deum ad causandum necessitet, ergo absque positione alicuius positiui potest se solo agere, quod mediante tali positiuo agit, atque adeo potest originale peccatum dimittere sine alicuius positiui collatione; probatur consequentia: quia per solam non imputationem diuinæ voluntatis potest Deus remittere culpam, quæ non imputatio nihil positiuum in homine ponit.

Conclusio Scoti.

Contra hanc conclusionem arguitur. primo sic bene sequitur, iste homo non habet iustitiam originalem, ergo caret iustitia originali, consequentia patet per locum à priuatiue oppositis; sicut bene sequitur, iste nõ videt, & natus est videre, ergo est cæcus; eodem modo sequitur, iste non habet iustitiam originalem, & natus est habere illam, ergo caret iustitia originali, ergo habet originale peccatum, ergo Deus non potest dimittere originale peccatum, non conferendo aliquod positiuum illi peccato repugnans.

Ad hoc respondetur, quod ille est iustitiæ originalis debitor, qui tenetur habere illam. Vnde non sequitur, iste propagatus est ab Adam, ergo est debitor originalis iustitiæ; sed debet addi, & Deus vult illum teneri ad iustitiam originalem, & tunc bene sequitur, ergo est debitor iustitiæ originalis; Cæterum cum hoc stare potest, quod Deus de potentia absoluta possit velle hominem aliquem ad iustitiam originalem habendam minime teneri, quo posito non sequitur, iste non habet iustitiam originalem, & natus est habere illam, ergo caret illa, ergo est in peccato originali: quia Deus noluit eum illam habere, neque illius esse debitorem.

Secundo arguitur. Homo non potest reconciliari Deo, nisi per mutationem ad nouam formam absolutam, scilicet gratiam, vel originalem iustitiam. ergo Deus non potest, remittere culpam originalem absque infusione gratiæ, vel alicuius positiui antecedens patet ex d. 17. primi libri, vbi probatum est, quod impius non potest iustificari, nisi per mutationem ad formam absolutam, quæ est charitas.

Respondetur, quod in iustificatione impij tres mutationes concurrunt, vna, qua fit de inimico non inimicus; alia qua fit de non digno dignus vita æterna; & tertia, qua fit de non potenti mereri potens mereri; In prima autem mutatione, quæ fit in iustificatione impij, cum sit priuatiua, non oportet, quod aliqua forma positiua de nouo acquiratur: Nam aliquem fieri de inimico non inimicum, ac per hoc non imputari ad pœnam æternam, non est aliqua forma positiua; atque ita per hanc primam mutationem potest homo Deo reconciliari, absque nouæ formæ acquisitione, & illi dimitti originale peccatum. Ad alias vero duas mutationes cum sint positiuæ, requiritur forma noua absoluta, atque ita arguebat Scotus in 1. distinct. 17. Neque enim peccator est nunc de nouo dignus vita æterna, neque nunc de nouo potest meritorie operari, nisi formam aliquam nouam habeat, qua sit dignus illa, possitque agere meritorie. Vnde constat, quod Deus de potentia absoluta potest remittere peccatum originale, non conferendo aliquod positiuum, quia non habere inimicum illum, in quo erat tale peccatum, & non imputare illi tale peccatum ad pœnam æternam, nullum ei conferendo positiuum. Posset etiam Deus de potentia absoluta se solo facere, quod ego essem dignus vita æterna, licet non possem ego dici dignus vita æterna, nisi per aliquod, quod nunc habeo, quod non habebam prius.

In iustificatione impij, tres mutationes concurrunt.

D. Gualter. Et si quæras vtrum, Deus de potentia absoluta possit alicui infundere gratiam, culpa aliqua ipsi non remissa? Ad hanc difficultatem respondent quidam quod non; quia impossibile est eundem hominem simul gratũ existere Deo, & non gratum, sicut impossibile est parietem illum esse simul album, & non album; sed quilibet homo existens in gratia est Deo gratus, & in peccato sibi non remisso existens est ipsi non gratus, ergo impossibile est Deum gratiam infundere Petro in culpa actualiter existenti, ergo &cæt.

Solutio. Hoc tamen non obstante dico, quod Deus de potentia absoluta potest Petro infundere gratiam aliqua culpa lethali eidem non remissa, quod in hunc modum probatur. Gratia non necessario infert gloriam; ergo Deus potest conferre alicui gratiam, cuius culpam præteritam, vel præsentem imputaret ad æternam debitam sibi pœnã, adeo quod illud peccatum Deus simpliciter, & totaliter remittit, pro quo nullam pœnam infligere statuit, ergo per oppositum illi culpa non remittitur, quæ ipsi ad pœnam perpetuam imputatur; atque adeo gratia potest dari cuilibet in culpa quacunque existenti præterita vel præsenti. Et confirmatur: quoniam nulla culpa mortalis repugnat formaliter magis gratiæ, quam aliqua venialis, nec per consequens est impossibilius gratiam existere cum peccato mortali, quam cum aliquo veniali, sed gratia potest esse, & de facto est cũ peccato quolibet veniali, ergo &c.

Vnde ad argumentum alterius sententiæ, cum dicitur quod idem homo non potest esse simul gratus, & non gratus, concedo vniformiter accipiendo illa, non autem difformiter: esse enim gratum potest esse a quiuocum ad esse gratia informatum, & ad esse ordinatum ad gloriã, atque adeo licet idem non possit esse gratia informatus, & non informatus, vel ad gloriam ordinatus, & non ordinatus, potest tamen esse gratus, hoc est, ad gloriam acceptatus, & nõ gratus, hoc est, nec gratia, nec aliqua forma alia accidentali informatus, sicut e conuerso posset esse gratus, quia tali forma informatus, & non gratus, quia ad gloriam non ordinatus, & quando subditur quod omnis gratia informatus est Deo gratus, si intelligatur quod est ipsi gratus: quia ad gloriam ordinatus, concedo ita esse de facto, non tamen ita necessario, quin aliter posset fieri absolute: concedo etiam illud aliud quod additur, scilicet omnem in peccato non remisso existentem esse Deo non gratum, potest tamen fieri Deo gratus, eique culpa remitti, hoc est, ad pœnam non imputari, absque gratia, & quacunque forma alia mediante.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus de potentia ordinata possit delere peccatum originale sine infusione gratiæ.

PRo explicatione huius difficultatis supponendum est, tanquam certum (inquit Scotus in principio huius quæst. sub litt. A.) quod Circumcisio antiquitus delebat originale peccatum, quod probatur authoritatibus, & ratione: prima authoritas est Glossæ ordin. super illud ad Romanos 4. Signum accepit Circumcisionis &c. vbi dicit fidelem salutiferæ curationis auxilium Circumcisio in lege contra originale vulnus præbebat, quod baptismus agere tempore reuelatæ gratiæ consueuit, & hæc authoritas desumpta est ex Beda venerabili, qui eo loci ita scribit, Circumcisio carnis lege præcepta est, quia non posset melius significari per Christum regenerationis authorem tolli originale peccatum. Cum per putium quippe omnis homo nascitur, quẽadmodum cum originali peccato, & octauo die lex circumcidi carnem præcepit, quia Christus die dominico resurrexit, qui post septimam sabbati octauus est, & circũcisus præputiatum gignit, traijciens in filium, quo ipse caruit, sicut baptizatus in filium, quem generat carne, reatum tamen traijcit originis, quo ipse iam liber est: si veteris populi temporibus Iudæus essem, quando aliud melius esse non possem, accepissem vtique circumcisionem. Quod signaculum iustitiæ fidei tantum illo tempore valuit, antequam Domini euacuaretur aduentu, vt infantem filium Moysi Angelus præfocasset nisi mater arrepto calculo circumcidisset puerum, & hoc sacramento imminentem perniciem depulisset, quibus verbis aperte insinuat Beda Circumcisionẽ deleuisse originale peccatum.

Glos. ordin.

Beda.

Secunda authoritas est D. August. ad Valerium lib. 2 de nuptijs, & concupisc. capit. 11. in fine, tom. 7. Ex quo, inquit, instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ tunc erat signaculum iustitiæ Dei ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati, sicut baptismus ex isto valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est. In quibus verbis, vt sapienter notauit Alexand. de Ales, par. 4. quæst. 4. mẽb. 7. art. 2. D. August. distinguit inter effectum, quem habuit circumcisio generaliter, & in paruulis, significans quod generaliter habuit effectum significationis, in paruulis vero habuit effectum innouationis. Vnde sic distinguendum est, valebat ad significationẽ purgationis, ex quo instituta est, & paruulis supple valebat sicut baptismus &c.

D. August.

Alexand de Ales.

Secũdo probatur ratione. Nullo tempore reliquit Deus genus humanum sine remedio necessario ad salutem, & potissime illos homines, quibus ipse dedit legem specialem, qua ad vitam peruenirent æternam, secus enim frustra data fuisset illa lex, si homines sub ea lege existentes vacarent remedio, sine quo vitam æternam consequi minime possent. Ex quo infertur, quod tempore Mosaicæ legis ad originalis peccati deletionem Iudæis circumcisio valebat, cum ad salutem pertingere nequirent absque originalis culpæ deletione, atque adeo in illa lege instituit Deus aliquod remedium, quo originis peccatum deleretur, Quod non videtur fuisse aliud ibi institutum, quam circumcisio iuxta illud Genes. 17. Masculus cuius caro præputij circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo &c. Vnde potest sic ratio formari. Lex data fuit Iudæis vt per obseruantiam illius consequerẽtur salutem, sed animæ salus haud consequitur sine originalis peccati remissione, ergo in lege Moysi originale crimen tollebatur.

Et si dicas, circumcisio non erat remedium legis Moysi, ergo & si in illa lege auferebatur originalis culpa, non sequitur quod auferretur per circũcisionem, sed per aliud remedium illius legis. antecedens patet: quia circumcisio fuit data Abrahæ per quadraginta annos ante legem Moysis. Concedo, quod fuit etiam remedium originalis peccatũ ante legem Moysis; ex hoc tamen non sequitur, quod non fuerit etiam remedium in lege Moysis: quoniam etsi fuerit instituta ante legem, tamen non fuit in lege euacuata, sed confirmata.

Hoc supposito circa propositam quæstionem est duplex modus dicendi. Nam quidam dicunt quod Deus de potentia ordinata potest delere originale peccatum absque gratiæ infusione: quia de facto in circumcisione Deus auferebat originale peccatum, & non conferebat gratiam, & hæc fuit opinio Magistri in 4. dist. 1. circa finem, & Glossæ in capit. Quod autem, de consecratione, distinct. 4. vbi dicitur in circumcisione tota in pœnã fuisse remissam, & hanc opinionẽ tenent propter authoritates sanctorum, qui videntur negare gratiam a sacramentis veteris legis, quas authoritates explicabimus infr. art. 9. huius quæst.

Magister.
Glossa.

Alij dicunt, quod in circumcisione principaliter intendebatur ablatio culpæ originalis, & ex consequenti gratia conferebatur, adeo quod pro tanto dicitur non conferre gratiã: quia non ex principali institutione, sed concomitanter conferebatur gratia, & hæc fuit sententia Varronis in 1. distin. 41. q. 2. adeo vt per circumcisionem auferebatur quidem peccatum, sed gratia haud conferebatur.

Varro.

Cæterum contra Magistrum ponit Doct. sub. hanc conclusionem. De potentia Dei ordinata non potest peccatum originale dimitti sine gratiæ infusione. Probatur, quia licet absolute loquendo sine contractione possit esse medium in specie humana inter filium regni, & filium gehennæ, scilicet homo in puris naturalibus, tamen secundum legem sapientiæ diuinæ post lapsum Adæ nullum est medium inter hominem Deo gratum, qui est filius regni, & peccatorem, qui est filius carceris, siue gehennæ; imo neque esse potest de potentia Dei ordinata, idest, legibus a sapientia, & voluntate diuina firmatis ordinatis; atque adeo neminem Deus liberat, neque secundum talem potentiam liberare potest a culpa, nisi cui gratiam confert, atque ita hæc prior sententia manifeste fidei principijs repugnat, & merito ab omnibus scholasticis reijcitur: Nam in adulto culpa mortali, vel originali, non potest de potentia Dei ordinata æterna pœna remitti: quia inimicus Dei non potest non carere visione eius. Rursus originalis culpa non potest remitti sine infusione

Conclus. Scoti contra Mag. S.

Digitized by Google

sione gratiæ, quia non remittitur nisi per veram Iustificationem, vt tradit Concil. Tridenr. sessio. 6. iuxta D. Paulum ad Roman. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Conc. Trid.

Et confirmatur, quia nullus potest habere spem de ingressu supernæ patriæ sine gratia; ergo paruuli Iudæorum, qui post circumcisionem statim moriebantur, habebant gratiam non aliunde quam ex circumcisione infusam, ergo in circumcisione infundebatur gratia, assumptum patet ex Beda super illud Lucæ, Postquam consummati sunt dies octo &c. vbi loquens de paruulis circumcisis Iudæorum dicit, quod ibant in sinum Abrahæ supernæ patriæ pacem fœlicem expectantes, sed si nullam habuissent gratiam, fuissent cum alijs paruulis, qui moriebantur ante circumcisionem. Verba Bedæ quæ habentur tom. 7. hiem. sunt hæc: fratres. debet fraternitas vestra: quia idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consueuit, excepto quod regni cœlestis ianuam nec dum intrare poterant, donec adueniens benedictionem daret qui legem dedit, vt videri possit Deus Deorum in Syon, tantum in sinu Abrahæ post mortem, beata requie consolati supernæ pacis ingressum spe fœlici expectabant.

Beda.

Idē cōfirmat & apertius Hayno episcopus Halberstat. super Lucam, his verbis. Illa circumcisio secundum legem omnia peccata mundabat, & originalia, & actualia, sicut modo facit baptismus in sancta ecclesia, quando baptizantur homines in nomine sanctæ Trinitatis. Tamen hoc distabat illa circumcisio ab ipso baptismate, quod modo facit sancta ecclesia; quod illi circumcidebantur post mortē carnis nullum intrabat in regnum cœlorum, sed in sinum, id est, in sequiem ibant, vbi erat Abraham, in superioribus locis inferni manebant, & præstolabantur aduentum filij Dei &c. & patum infra; iste autem baptismus tantam gratiam confert, vt si statim ille, qui baptizatur de fonte descendens mortuus fuerit, sine vlla dilatione temporum transeat in regnum cœlorum, ex quibus manifeste patet circumcisionem gratiam contulisse.

Haymo.

Contra etiam Varronis sententiam ponit Scotus hanc secundam conclusionem. In circumcisione principalius intendebatur gratiæ collatio, quam culpæ originalis deletio, probatur. Agens nobile, & ordinate agens per prius intendit formam principalem propositam, quam intendat expulsionem formæ contrariæ, sicut patet de igne, prius enim intendit inducere caliditatem, quam frigiditatem expellere, neque expelleret ab aqua frigiditatem nisi intenderet inducere caliditatem; quia agens intendens aliquid per se, & aliquid per accidens prius intendit illud, quod est per se, quā illud quod est per accidens, corruptio autem solum intenditur per accidens, inductio vero formæ per se, ergo agens prius intendit formam inducere quam oppositam corrumpere. Sed Deus in iustificando est agens nobilissimum, & ordinatissimum; ergo prius intendit iustificare, quod est gratiam infundere, quam culpam delere, nec delet culpam nisi quatenus proponit dare gratiam, ergo cum in circumcisione deleret culpam, sequitur quod principalius intendebat dare gratiam. Nam omne agens (vt inquit Scotus) secundum rectam rationem principalius intendit perfectionem, quam defectus carentiam siue imperfectionis, at Deus est agens secundum rationem rectissimam, ergo principalius in circumcisione gratiam intendebat, quæ hominem perficit. quam imperfectionis carentiam, idest, originalis peccati, neque illam carentiam imperfectionis intendebat, nisi propter gratiæ perfectionem.

Conclusio S. contra Varronem.

Et si dicatur, prius natura deletur peccatum originale, quam detur gratia, ergo prius intendit Deus delere peccatum originale, quam dare gratiam. Franciscus de Mayronis hac distinc. quæst. 4. negaret antecedens. Nam probat ibi quatuor rationibus quod in generatione naturali prius natura inducitur forma, quam expellatur contraria; cæterum admisso antecedente, negatur consequentia: quia illa, quæ sunt priora in intentione sunt posteriora in executione, vt constat ex physicis: homo enim primo intendit generare hominem, & tamen homo genitus est in executione postremus: multa enim antecedunt eius generationem; Vnde infertur quod agens naturale prius & principalius intendit producere formam substantialem, quam corrumpere præexistentem; ignis enim principalius intendit producere suā formam substantialem in ligno, quam corrumpere formam ligni, ideoque naturalia agentia, quasi de per accidens intēdunt corrumpere formam præexistentem in passo.

Franciscus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum cæremoniæ veteris legis aliæ a Circumcisione essent meritoriæ.

Sensus huius tituli est, an in alijs sacramentis veteris legis a circumcisione fuerit illa suscipientibus gratia collata, hanc difficultatem mouet Scotus in hac quæst. sub litt. I. §. Tertio propter confirmationem primæ opinionis &c. Cæterum non mouetur hæc difficultas de sacramentis legis naturæ: quia eo tempore vel non fuerunt alia sacramenta præter illud, quod fuit in remedium originalis peccati, vel si forte aliqua alia fuerūt idem iudicium de illis erit, quod de sacramentis legis Moysis.

Quapropter pro huius difficultatis explicatione obseruo. est primo, quod sacramentum (vt visum est supra) potest sumi proprie, & improprie; & quidē in lege veteri multa fuerunt sacramenta improprie dicta, videlicet purgatio, ab immunditijs secundum legem contractis, vt patet Leuitic. 5. de purgatione a tactu morticinij per aquam expiationis, & de purgatione, & lepra, & alijs huiusmodi, vt videre est etiam Num. 19. & Leuit. 14. Erant præterea in lege illa alia sacramenta etiam improprie dicta, plus tamen ad perfectionem accedentia, cuiusmodi erant hostiarum oblationes, quæ ad latriæ cultum pertinebant pro eo tempore, quo Deus volebat sic cultum sibi exhiberi, vtraque tamen & purgationes videlicet, & sacrificia, seu oblationes, atque vnctio sacerdotalis dicebantur cæremoniæ, & improprie sacramenta, sola vero circumcisio erat proprie sacramentum.

Secundo obseruo est, quod sacramentum conferre gratiā ex vi sacramenti, vel ex opere operato, nihil aliud est, quam eo ipso, quod sacramentum recipitur gratiam conferre: nuncupatur enim sacramentum a Theologis opus operatum: sunt enim sacramenta ex Christi meritis quasi opus operatum, secum habentia gratiam debitam meritis Christi ex institutione diuina. Gratiam vero ex opere operantis conferri dicunt Theologi, quando datur per modum meriti: quia operans opere suo meretur illam. Quando vero sacramentum ex vi sacramenti, seu ex opere operato confert gratiam, tunc non requiritur bonus motus interior, qui gratiæ sit meritorius, sed sufficit, quod suscipiens sacramentum sit ita dispositus, quod illi non ponat obicem, ita quod sacramenta ab alijs operibus differunt in eo, quod ipsa conferūt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem mortalis peccati, alia vero opera solum ex opere operantis conferunt gratiam, ita Scot. in hac quæst. sub litt. I.

His obseruatis sit prima Conclusio. Sacramenta veteris legis improprie dicta non erant signa efficacia respectu gratiæ, neque illam ex vi sua conferebant. Probatur, quia differentia sacramentorum veteris legis, & nouæ assignatur a Magistro post D. August. in titulo Psalmi 79. in hoc quod sacramenta veteris legis promittebant tantum, & significabant, nostra vero sacramenta dant salutem, quam differentiam Concilium Florentin. amplectitur dicens. Nouæ legis septem sunt sacramenta, quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis, illa enim non causabant gratiam, sed eā solum per passionem Christi dandam figurabant, hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Id ipsum definiuit Concil. Trident. sessio. 7. Vnde infertur opinionem Durandi hac dist. quæst. 7 non esse tenendam in eo quod asserit, quod vnctio sacerdotus in veteri lege conferebat gratiam ex opere operato: Nā eius oppositum docet communis sententia Doctorum, imo videtur decretum per supradicta Concilia, eamdem tamen sententiam ante ipsum videntur tenuisse Alex. 4. par. quæst. 3. memb. 3. art. 2. vbi docet illa sacramenta non esse tantum instituta ad significandum, sed ad significandum, & efficiendum, & D. Bonau. in 4. dist. 1. q. 5. art. 1. primæ partis, vbi dicit sacramenta illa dedisse gratiam ex opere operato, licet per accidens, scilicet ratione fidei, non autem per se.

1. Conclusio.

Magister D. August.

Conc. Flor.

Conc. Trid.

Durand.

Alex. de Ales.

D. Bonau.

Secunda Conclusio. Per sacramenta veteris legis improprie dicta suscipientibus conferebatur gratia per modū meriti. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. I. & est cōtra Magistrum sent. asserentem sacramenta veteris legis im proprie dicta non contulisse gratiam, etiam per modū meriti.

2. Conclusio.

Digitized by Google

riti. Sed probatur Scoti cõclusio.irrationabile videtur, quod Deus imposuerit alicui præcepta, nolens quod obseruans illa ex charitate aliquid gratiæ mereretur, sed de istis sacramentis impropriè dictis erant data præcepta in lege illa, ergo obseruantes eiusmodi præcepta ex charitate merebantur gratiam, vel eius augmentum si eam iam habebant. maior est manifesta, & minor patet Num. 15 & 19. & quandoq; videtur ex textu, quod sunt præcepta necessaria ad salutem. Puta. Qui prætererit se lustrari de aqua prædicta peribit anima illa de populo suo, quæ comminatio nunquam poni tur nisi ad designanda transgressionem peccati mortalis. Et confirmatur primo: quia nimis durum videtur, quod aliquis ex charitate, & obedientia Dei præceptum obseruet, & nihil mereatur. secundo confirmatur: quia transgrediendo præcepta illa peccabant homines mortaliter, ergo adimplendo illa merebantur gratiam, antecedens probatur: quia Nu. 15. & 19. dicitur de aqua lustrali; qui prætererit se lustrari &c. quæ comminatio non imponitur in scriptura nisi propter peccatum mortale, consequentia probatur, quia pronior est Deus ad miserendum, quam ad puniendum. vide Richardum hac d.art.3.q.4.

ARTICVLVS V.

Vtrum Circumcisio congruè instituta fuerit.

Manichei censuerunt non a Deo bono, sed ab alio suo malo Deo institutam Circumcisionem fuisse, quem errorem refellit B. August.li.6.contra Faustum Manichęũ. c.3. Pelagiani vero putauerunt totum ritum Circũcisionis fuisse inuẽtum quoddam humanum, idq; propterea, quod peccatum originale, in cuius remedium diuinitus institu a esse asseritur Circumcisio, non agnoſcebant, eos autem con-

D. August. futat quoq; D. August.lib.6.contra Iulianum c.3. Cęterum fuisse Circumcisionem conuenienter a Deo institutam, &

Alexan. de Ales. quo ad tempus, & quo ad ipsum ritum perspicue docet Alex.de Ales. 4.p.q.4.per multa membra, & post ipsum D.

D Thomas. Thomas 3.p.q.70. Postissimum autem discutiendum est, in hoc art.an Circumcisio rite instituta fuerit, quod sex conclusionibus præstabimus.

1. Conclusio Prima Conclusio. Circumcisio à Deo instituta fuit. probatur Gen. 17. vbi dixit Dominus ad Abraham: Tu custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod seruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos, infans octo dierum circumcidetur in vos &c. Et quamuis Deus dederit Moysi legem per angelum, Circumcisionem tamen, quia data fuit in re nedum peccati originalis, quod a solo Deo deletur, congruum fuit a solo Deo immediate institui, & non per ministrum, vt ostenderetur, quod deletio culpæ est a solo Deo tanquam a causa effectiua, & principali. ita Alexan. vbi supra m.3.art.1.

2 Conclusio Secunda Conclusio. Circumcisio instituta fuit, vt esset figura Baptismi. probatur ex D. Paulo ad Colos.2. vbi loquens de Baptismo ait. Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis in Circumcisione Christi consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum a mortuis. Vbi D. Paulus appellat Baptismum Circumcisionem, quod nõ faceret nisi Circumcisio esset figura illius. Et confirmatur

D. August testimonio D. August.lib 1.contra Cresconium.cap.31. vbi cum hæreticis differens dicit. Circumcisionem certe præputij in figura Baptismi Christi ab antiquis obseruatam esse, negare, vt arbitror, non audetis, & l.6. contra Iulianum c.3. Sacramentum, inquit, Circumcisionis in figura præcessisse Baptismatis, qui mediocriter sacris litteris eruditus ignorat? cum apertissime de Christo dicat Paulus. Qui est caput omnis principatus, in quo & Circumcisi estis circumcisione non manufacta &c. in quibus verbis aperte D. Paulus vocat Baptismum circumcisionem Christi nomine figuræ rem figuratam appellans. Idem docet Damasc.lib.4.de fi-

Damascen. de c.26.& Chrysost.hom.39.in Gen.

4 Conclusio. 3. Conclusio Alexan. de Ales. Tertia Conclusio. Circumcisio conuenienter fuit data Abrahæ, atque adeo conuenienter vsque ad ipsum dilata, hanc probat Alex.de Ales.p.4.q.4.in 2.art.3. primo ratione prærogatiuæ fidei eius, Gen.15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, quæ verba refert D. Paulus ad Roma 4.& ad Galat 3.& D.he bus.c.2. Quia igitur habuit prærogatiuam fidei conueniens fuit, vt ab eo discretio fidelium ab infidelibus inchoaret, secundo propter illius obedientiæ meritum: propter hoc enim data fuit illi circumcisio, vt probaretur illius obedientia, & obedientis meritũ augeretur. tertio quod ipse primus fuit de colentibus Deũ, qui separauit se a colentibus Idola, vt patet Gen 12. propter quod conueniens fuit, vt ab eo inciperet Sacramentum Circumcisionis, id est, distinctionis. ex his potest formari ratio ad conclusionem, Populus qui coli Deum debet habere aliquod signum sensibile, per quod distinguitur ab alijs populis infidelium, sed primus qui segregauit se, & familiam suam a consortio infidelium fuit Abraham, ergo conuenienter illi, & eius familiæ datum fuit signum Circumcisionis, per quod ab infidelibus distingueretur.

Quarta Conclusio. Non opportuit Circumcisionem vltra Abrahamum differri. hanc probat D. Thomas 3. p. q. 70. art. 2. ad secundum. Quoniam congruum fuit legem veterem dari aliquo tempore ante Incarnationem, quod tempus quantum fuerit sufficiens sola diuina sapientia ac prouidentia definire potuit. circumcisio autem fuit professio illius legis, vt constat ad Gal.5. debuit ergo & illa dari ante Christi aduentum, nec potuit conuenienter dari tardius, quam lex. Sed quare fuerit etiam conueniens dari ante legem (sicut de facto data fuit plusquam quadringentis annis ante Moysen propter quod dicitur non fuisse ex Moyse sed ex patribus Ioan.7.) reddit rationem D. Thomas: quia antequam daretur lex oportuit fidelem populum congregari, cui daretur, non congregatur autem nisi signo aliquo sensibili, iuxta doctrinam D. August. 19. contra Faustum cap. 11. 4 Conclusio D. Thomas.

Quinta Conclusio. Circumcisio conuenienter fuit data soli populo Israelitico. Probatur. illi populo debuit dari circumcisio, qui ab alijs distinguebatur per obseruantiam legis diuinæ, sed talis populus fuit solus Israeliticus, ergo illi soli debuit dari circumcisio: maior probatur, quia sacramenta, cuiusmodi erat circumcisio sunt signa per quæ distinguitur fidelis populus ab infideli. probatur minor: quia licet essent aliqui particulares fideles colentes Deum, vt erat Iob & forte multi alij, tamen in nullo alio populo, & Repub. fuit vera fides nisi in Israelitica. D August. 5 Conclusio

Sexta Conclusio. Circumcisio conuenienter fuit instituta, pro solis masculis populi Iudaici, hæc conclusio probatur ab Alex. vbi supra in 3. art. 2. §. 2. & a D. Thoma vbi sup. ad 4. primo quia data est in signum fidei Abrahæ, qui fuit rus erat pater credentium, secundo quia peccatum originale a patre trahitur, & non a matre, tertio quia illud signum præcipue dabatur ad distinguendum Dei populum, at in vnoquoque populo seu Repub. viri sunt capita familiarũ. Vir enim est caput mulieris. 1. Corint. 11. propter quod sufficiebat ad populi fidelis distinctionem signaculum datum viris, quarto quia circumcisio data fuit in signum distinctionis gentis Iudæorum, ex qua Christus debebat nasci, & quia propagatio, & genealogia per se attenditur penes mares, ideo eis data fuit non mulieribus. 6 Conclusio Alexan. de Ales. D.Thomas.

Insuper fuit congruè instituta circumcisio quantum ad actum, qui erat amputatio superfluitatis, per quod notabatur, quod venire debebat, qui amputaturus erat omnem superfluitatem peccati, & quantum ad modum actus: fiebat enim incisio circularis per quod notabatur, quod amputatio culpæ futura erat per vnam personam circularem, quæ esset vere Deus, qui est α, & ω, id est, principium, & finis, sicut idem punctus in circulo est principium, & finis. Item per personam, quæ esset Deus, & homo vbi per modum circuli creatura, per modum lineæ circularis a Deo sicut a principio vno egrediens per suum finem, qui est homo eidem principio quasi recuruata vnitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum præceptum circumcisionis omnes ab Abraham descendentes obligaret.

Hac difficultas tribus conclusionibus explicatur. Prima conclusio. Circumcisionis præceptum non omnes descendentes ab Abraham obligabat, sed solum illos, qui erãt de domo Abrahæ, vt Ismael, & Esau, quam diu Ismael 1. Conclusio

erat

erat de domo Abrahæ, & Esau de domo Isaac, sed descendentes ab illis non tenebantur. Prior pars huius conclusionis probatur. Nam Abraham obligatus fuit ex præcepto circumcisionis ad circumcidendum Ismael, quia illi verba generalia sunt, circumcidetur ex vobis omne masculinum, & quia tenebatur circumcidere omnem suam familiam, vt statim dicitur; Ismael autem quamdiu erat in patria potestate pertinebat ad familiam Abrahæ; atque idem a fortiori dicendum erit de Isaac, quod fuerit obligatus ad circumcidendum Esau, quia manifeste comprehendebatur sub verbis legis, atque eadem ratione, quamdiu Ismael, & Esau pertinuerunt ad familiam parentum suorum, obligati fuerunt eadem lege, quo ad filios suos, si forsasse Esau illo tempore eos habuit; Nam de Ismael constat multo prius fuisse a patre segregatum.

Probatur secunda pars, quoniam ex præcepto Dei separatus est Ismael a familia Abrahæ iuxta illud Gen. 21. Eijce ancillam, & filium eius; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ, vt ait Paulus ad Gala. 4. Quia in Isaac (inquit Deus) vocabitur tibi semen. Ideo lex circumcisionis neque eum amplius, neq; posteros eius Ismaelitas obligauit, & idem est de Esau, & filijs, seu posteris eius Idumæis postquam a familia parentis Isaac separati sunt ex Dei electione, seu reprobatione, iuxta illud Malach. 1. & ad Roman. 9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui, & posui montes eius in solitudinem, & hæreditatẽ eius in dracones deserti. Quoniam autem in filijs Iacob nulla facta est separatio, sed ex omnibus illis, & eorum posteris congregatus fuit populus Dei, ex quo Christus erat nasciturus, ideo omnes illos obligauit lex circumcisionis. Dicendum est ergo, quod illi, qui fuerunt de domo Abrahæ, vt Ismael, & alij tenebantur legi circumcisionis, sed alij qui non fuerunt de domo Abrahæ, sicut non tenebantur, quia patres conuertentes se ad alium ritum filios alienauerunt a domo Abrahæ; Vnde Genes. 25 duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi, ita non prohibebantur circumcidi, quia neque aliqua diuina lege positiua hoc erat eis expresse prohibitum: nullibi enim est talis lex, neque ex natura rei hoc erat intrinsece malũ, præsertim cum hoc fieret ad imitationem quandam vel parentum, quomodo ait Cyprianus serm. de ratione circumcisionis, filios Esau, & Ismaelis huius traditionis non fuisse expertes; vel illius populi, cui Deus magna beneficia concedebat, hoc enim modo, & Phœnices, & Arabes, & Aegyptij, & aliæ nationes circumcisione vtebantur, vt Cyprianus supra, & D. Hieronymus Hierem. 9. testantur, caterũ quia illi populi non vtebantur eo signo, vt re sacra sacramentum aliquod continente, neque ad profitendam aliquam legẽ, sed solum ex humana quadam consuetudine, ideo nõ astringebantur ex vi talis circumcisionis ad seruandam legem. Vt de Alex. vbi supr. memb. 4. art. 1. & D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. ad 3. D. Bonau. in dubijs circa litterã dub 4. & Durand. q. 6.

Cyprian. *D. Hieron.* *Alexan. de Ales* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Durand.*

2. Conclus. Secunda Conclusio. Seruos infantes, vel pretio emptos, & a parentibus separatos, vel domi ex ancillis Iudæis natos, imo & alios omnes pertinentes ad familiam Abrahæ, qui essent sub eius tutela, & cura, eo quod essent parẽtibus orbati, tenebatur Abraham circumcidere, & ratio est, quia hi omnes erant simpliciter sub potestate Abrahæ, eiusque voluntate, & arbitrio poterant gubernari, lege Caiet. Gen. 17. Lyranum Exodi 12. & Lyppomanum in catena Gen. 17.

Caiet. *Lyran.* *Lyppoman.*

3. Conclusio Tertia Conclusio. Seruos adultos vernaculos, idest, domi natos, seu emptitios, non potuit, nec debuit Abraham ad circumcisionem cogere, & primo quidem de mercenarijs conclusio est clara, ex 12. Exodi, vbi aperte supponitur non fuisse necessarium mercenarios esse circumcisos, & ideo prohibentur edere phase, & eadem ratio est de omnibus alijs famulis non seruis: nam hi omnes mercenarij dici possunt; Tum etiam quia nullum est expressum præceptum, quod huiusmodi adultos obligaret ad circumcisionem, aut quod Abraha facultatem tribueret ad cogendum illos vt circumciderentur, aut ad expellendum eos de domo si nollent circumcidi, hæc enim cum sint tam violenta, & grauia, nõ sunt asserenda sine expresso præcepto, ita sentit Alexã. vbi supra memb. 3 art. 2 ad 3. & D. Bonau. vbi supra. relinquitur ergo solum obligasse hoc præceptum ad circumcidendum adultos domesticos Abrahæ, seu alterius familiæ, si ipsi id peterent, vel consentirent; & idem dicendum est de filijs infantibus existentibus sub cura parentum; atque eodem modo exponendum est, quod dicitur Exodi 12. Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinũ eius, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Non est enim verisimile si aliquis paterfamilias gentiles voluisset ad Iudaismum transire, & pascha celebrare, necessarium illi fuisse, non solum se ipsum, sed etiam omnes domesticos suos etiam adultos circumcidere, eos cogendo si opus esset: hoc enim & per se est incredibile, & valde alienum ab ea voluntate, qua & fides, & eius professio suscipienda est; intelligendum est ergo debuisse circumcidere prius omne masculinum suum, quantum in ipso esset, seu quantum ab illius voluntate dependeret.

Alex. de Ales. *D. Bonau.*

Breuiter præceptum circumcisionis datum fuit non solum quantum ad illos, qui erant de stirpe Abraham, Isaac, & Iacob, sed etiam quantum ad omnes, qui ad populum illum qualitercunque pertinebant: quia circumcisio fuit signum distinguens populum Dei ab alijs, atque ita oportebat omnes qualitercunque pertinentes ad illum populum esse circumcisos, ex quo sequitur omnes infantes, qui absolute, & simpliciter essent in potestate Abrahæ, vt filios, seruos infantes, vel pretio emptos, & a parentibus separatos, vel domi ex ancillis Iudæis natos, imo & cæteros omnes pertinentes ad eius familiam, qui essent sub eius tutela, & cura eoque essent parentibus orbati, fuisse ex vi præcepti circumcidendos, quia verba præcepti id sonant, & nulla est conditio, quæ subintelligi necesse sit.

Secundo sequitur, non potuisse Abraham quemquam adultum ad circumcisionem cogere, sed solũ obligasse hoc præceptum ad circumcidendos adultos domesticos Abrahæ, seu alterius Iudaicæ familiæ, si ipsi id peterent, vel consentirent. Dices, ergo etiam Abraham non debuisset, nec potuisset cogere Ismael ad circumcisionem, si ille nollet cõsentire: quia iam eo tẽpore Ismael erat adultus, tredecim enim annos impleuerat, vt dicitur Genes. 17. Respondetur in primis non esse eandem rationem: quia illa lex directe data est Abraha, & filijs, ac posteris eius, vt patet ex illis verbis, hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te; nam illud pronomen vos, quod ibi sæpe repetitur, indicat legem illam directe datam esse Abrahæ, & posteritati eius; postea vero extensa est ad alios domesticos, quasi secundario, & ideo magis obligabat filios, quã seruos. Vnde omnes intelligunt pęnam illam impositam transgressori illius legis in illis verbis. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo, pęnam, inquam, illam solum ad filios Abrahæ, & Iudæorum pertinuisse, siue exponatur iuxta sensum D. Augustini de infantibus, & de pęna damni, quam patiebantur propter originale peccatum, non dimissum ob defectũ circumcisionis, siue iuxta alios, intelligantur de adultis, & de pęna mortis cuius essent rei propter transgressionem illius legis; alij enim adulti alienigenæ non incurrebant illam pęnam, sed solum posteri Abrahæ: hac ergo de causa potuit fortasse Abraham cogere filium Ismael ad circumcisionem sub pęna mortis: quia Deus lege sua illum immediate obligauit, & Abraham erat tunc supremus Rex, & Pontifex illius familiæ, ad quem spectabat diuinam legem exequi.

Potest etiam dici, nullum esse inconueniens concedere Ismael non fuisse circumcisum sine suo consensu, neq; fuisse cogendum sub pęna mortis si repugnaret: quia est valdè probabile pactum illud circumcisionis directe editum esse cum Abraham, & semine eius, quod in Isaac, & per Isaac propagandum, & congregandum erat in peculiarẽ Dei populum; ad Ismaelem autem non fuisse extensum, nisi quatenus tunc pertinebat ad domum, & familiam Abrahæ, & ideo non aliter fuit obligatus Abraham ad circumcidẽdum Ismael, quam cęteros adultos domesticos suos, secus autem est de Isaac respectu Esau; quia hic natus est post latum pręceptum circumcisionis, & potuit octauo die circumcidi, quando non oportebat eius consensum expectare.

Sed dices. Quomodo gentiles tempore legis Moysis poterant saluari si non circumciderentur: cum circumcisio instituta fuerit in remedium contra reatum originalis culpæ vt diximus supra. Respondet Abulensis Gen. 17. quod Gentiles bene viuentes non peccantes contra ius naturale, scilicet contra præcepta Decalogi, & non colentes Idola principaliter, & credentes vnum Deum verum esse bonorũ omnium remuneratorem, etiam si nescirent trinitatem perso- *Quo Gentiles saluabantur tẽpore legis sine circumcisione. Abulensis.*

narum

Digitized by Google

narum & alia, saluabantur, & isti exeuntes de corporibus si nullum peccatum puniendum habebant, in sinu Abrahæ recipiebantur, vbi nullus dolor, vel sensitiua afflictio est.

Secundo dicit, quod si Gentiles coluissent idola, & exercuissent omne genus peccati, si tamen ante mortem pœniteret eos talia contra verum Deum commisisse exeuntes de corporibus ad locum purgatorium ducebantur, vt inexpletam satisfactionem scelerum abundanter sustinendo complerent, atque ita satis probabile esse multos ex gentilibus tempore legis Mosaicæ, & ante legem saluatos fuisse, quia contritio non fuit tunc minoris virtutis quam modo sit. Si ergo nunc per eam a morte eripimur, ita & tunc. Sicut ergo Gentiles qui erant tempore legis Moysis, per opera cōtritionis, & quasdam cæremonias voluntarias expressiuas cultus diuini absoluebantur a peccatis actualibus, & merebantur vitam æternam, ita erat de peccato originis, scilicet quod per idem tolleretur originale, & actuale: patet, quia fœminæ Hebræorū sine circumcisione per fidem, & bona opera absoluebantur ab originali, & actualibus, & vitam merebantur æternam.

Quo tempore soluebatur peccatum originale in Gentilibus. Et si quæratur quo tempore soluebatur peccatum originale in gentilibus. Quidam dicunt, quod soluebatur, quando primo actualiter conterebantur de illo peccato, sicut peccata actualia soluuntur, quando primo de eis conterimur. Sed hoc falsum est: quia sic nullus gentilis saluatus fuisset, quod dissonat opinioni communi: consequentia patet, quia peccatum originale est, quod nos contrahimus, quia descendimus per propagationem seminalem ex Adamo faciente contra Dei mandatum, sed hoc non cognoscebant Gentiles, ergo nunquam cognoscerent originale peccatum, & cōsequenter nunquam de eo contererentur nec saluarentur. Nec erat necessarium ad salutem in illis, quod ista crederet, quia vt ait Apost. ad Hebr. 11. Oportet ad Deum accedentem credere, quia est, & quia remunerator est, ista duo sufficiebant ad salutem.

Dicendum est ergo, quod peccatum originale remittebatur in eis ad primam bonam eorum operationem in charitate: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Et sicut primus actus contritionis cadens super omnia peccata actualia præcedentia delet illa; ita prima bona operatio in charitate, cadens super peccatum originale delet illud, etiam si iste actus non sit contritio: quia isti Gentiles non putabant se aliquod tale habere, quod contritione delendum esset.

Ex quo infert, quod in multis Gentilibus, qui sunt in inferno fuit deletum originale peccatum: quia illi potuerūt facere aliquem bonum actum, per quem deleretur peccatum originale, & deletum fuit, postea autem redeuntes ad vomitum obligati fuerunt ad mortem æternam, quam incurrerunt, nunquam tamen rediit reatus, nec macula peccati, quia semel ista abolita fuerunt. *Attende de infantibus Gentilium.* Paruuli autem inter Gētiles morientes sine actu liberi arbitrij, quia non potuerunt habere aliquem actum bonum, per quem illa macula, & reatus tolleretur, morientes descendebant ad limbum puerorum, vbi absque sensuali pœna æternas tenebras patiuntur, non solum quantum ad locum, in quo sunt; sed maxime quantum ad animæ cognitionem, quia Deum non videbunt, nec lætabuntur in eo.

ARTICVLVS VII.

Vtrum esset de sententia circumcisionis, quod fieret in membro virili, octaua die, & petrino cultro.

PRo explicatione huius difficultatis obseru. est, quod in circumcisione quædam erant de essentia sacramenti, quædam necessaria ex præcepto, quædam vero de sollemnitate, & condecentia; quoad primum sit prima Conclusio. *1 Conclusio* De necessitate sacramenti erat, quod circumcisio fieret in parte corporis determinata, scilicet in præputio: patet, quia Dominus præcepit, quod fieret in membro tali Genes. 17. Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signū fœderis inter me, & vos: Si autem huius quærantur rationes inter eas quas assignat Alex. de Ales, vbi supra, memb. 6 art. 3 tres videntur esse præcipua: *Alexan. de Ales.* prima est, quia circumcisio erat in remedium peccati originalis, quod per actum carnalis generationis traducitur, quæ ratio sumpta est ex Hugone lib. de sacramentis, par. 12. c. 2. *Hugo.* quæ ratio cum alijs adiuncta probabilis est, tamen per se non est efficax, tum quia baptismus est etiam in remedium originalis peccati, tum maxime quia licet ex circumcisionis institutione consecutum sit, quod in ea deleretur originale peccatum, tamen non constat propter hunc finem esse primario institutam. Secunda quia circumcisio fuit signum fidei Abrahæ, qua credidit Christum ex se nasciturum, & ideo posita fuit in generationis organo: quoniam Christus ex Abraham secundum carnem producendus erat, & hoc est quod dicitur Genes. 17. Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & inter vos, fœdus enim præcipuum inter Deum, & Abraham fuit, quod Deus illi promisit Messiā ex eius semine venturum, ipse autem credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, illius scilicet qua credidit promissioni sibi factæ, ac semini eius, vt esset hæres mundi. Tertia ratio est quia in illo membro culpam inobedientiæ primus homo cognouit, atque adeo decuit vt in eodem membro signum obedientiæ acciperet.

2 Conclusio Secunda Conclusio. De necessitate præcepti erat quod circumcisio fieret die octauo per se loquendo, quod ideo dico, quia poterat interdum ex legitima causa differri, v.g. ob ægritudinem, aut aliud periculum: prima pars patet Genes. 17. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, ex quo sequitur quod illi, qui circumcidebant paruulum ante octauum diem, vel non circumcidebant in ipso die octauo, nulla legitima intercedente causa, peccabant mortaliter, tamen infans veram recipiebat circumcisionem. prima pars huius consectarij probatur, quia faciebant contra præceptū diuinum: secunda pars etiam probatur, quia non erat de essentia sacramenti, quod fieret die octauo, vt dictum est, ergo etiam si non fieret die octauo, erat verum sacramentū. Præterea Abraham veram recepit circumcisionem, & nihilominus 40. erat annorum quando circumcisus est, simile patet de Ismaele, qui erat 13. annorum.

Sed contra hanc conclusionem arguitur. Si esset de necessitate præcepti, quod circumcisio fieret die octauo, sequeretur quod paruuli, qui moriebantur ante octauum diem necessario damnabantur, quod est absurdum, & contra diuinam misericordiam. Pro solutione huius argumenti Magister sent. hac dist. in fine dicit, licet cum dubitatione, *Magister.* quod poterant pueri circumcidi ante octauum diem stante necessitate ita enim scribit; forte tamen sub lege ingruente necessitate mortis ante octauum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo fit in ecclesia de baptismo, oppositum tamen docet Hugo Victorinus libr. 1. de sacramentis, *Hugo.* p. 12. c. 2. quem sequuntur omnes doctores Scholastici. *Alexan. de Ales.* Alexand. vbi sup. memb. 6. art. 2. D. Thom. vbi supra ad 2. licet *D. Thomas.* in 4. dist. 1. q. 2. art. 3. non improbat sent. Magist. D. Bonau. *D. Bonau.* hac dist. par. 2 art. 3. q. 2. ad 5. & 6. & ratio est contra Magistrum: quia in tota scriptura non legitur aliquem fuisse circumcisum ante octauum diem, imo legitur oppositum: Nam super illum locum Salomonis Prouerb. 4. de se dicentis: Vnigenitus eram coram matre mea; dicit Glossa, *Glossa.* quod alius filius erat natus Bersabeæ, qui tamen non computabatur, eo quod non habuit nomen, quia fuit mortuus ante octauum diem, & non receperat circumcisionem, in qua nomen imponebatur: secundo probatur, quia Iudæi huius temporis neminem circumcidunt, ante diem octauum, & tamen exactissime dicunt se obseruare legem. Adde quod dies octauus, vt dicit Tostatus Gen. 17. *Tostatus.* erat cæremonialis, & consistebat in significatione, quæ mutatur modico mutato, sicut patet in figuris, quorum esse in indiuisibili est, atque adeo & si periculum mortis ante octo dies puero eueniret, non propter hoc circumcisio accelerari debebat.

Ad argumentum Magister sent. loco supra relato sentire videtur, paruulos absque circumcisione ante octauum diē morientes damnatos fuisse: nam de eis, inquit, sentiendum esse, quod sentitur de paruulis ante baptismum defunctis, quos perire constat. *Alphonsus.* Alphonsus a Castro relatus a Gregor. de Valentia tom. 4. disput. 4 q. 3. puncto 4. *Valentia.* sub finem libr. de hæresibus, verbo baptismus hæresi nona, probat erroneum atque temerarium esse asserere, quod potuerit etiam in necessitate ante octauum diem subueniri illis paruulis aliquo remedio, id confirmat ex illo loco Gen. 17. Masculus cuius præputij caro octauo die circumcisa non fuerit peribit anima eius de populo suo, idest, non annumerabitur Dei electis, & sanctis &c. Sic enim hunc interpretatur D. August. libro 16. de Ciuit. Dei, cap. 17. *D. August.* & alij patres. Vtrum hanc sen-

tentiam

tentiam apud Castrum ego reperire non potui, nisi forte sit in additionibus Francisci Feuard. quas ego non vidi, atque ita non erit opinio Alphonsi, sed Feuardentij. Huic sententiæ bene fauere videtur D. Thomas. 3. parte, quęstio. 70. articulo tertio ad 3. qui referens eorum opinionem, qui putarunt in necessitate potuisse paruulos circumcidi ante octauum diem, nullius omnino remedij quod potuerit illis in eo casu alioqui prodesse meminit; sed simpliciter asserit intelligendam esse, vt sonat illa scriptura, quæ dicit perituros fuisse illos paruulos, qui in octauo die non essent circumcisi. Licet art. 4. ad 3. insinuet fuisse quoque ante octauum diem aliquod remedium in necessitate, sicut ante institutam circumcisionem.

D. Thom.

Hugo.

Cæterum Hugo lib. 1. par. 12. c. 2. post medium, masculi, inquit, qui in morte præuenti ad octauum diem peruenire non potuerunt, & ob hoc sine circumcisionis sacramêto ab hac vita decesserunt sola fide parentum cum oblationibus, & sacrificijs non improbabiliter saluari æstimantur: quia aliter miserabilior esset sexus virilis, quam sexus fœmineus. Hugonem secuti sunt Alex. de Ales, ubi supra in 4. artic. 3. D. Bonau. hac dist. pat. 2. art. 3. q. 2. ad vltimum, Richard. in expositione litteræ Magistri, Durandus q. 6. num. 9. Maior. quæst. 5. Tostatus Genes. 17. & Richardus Taper in artic. 2. Louaniensi, dicit fidem parentum tempore legis veteris simpliciter, & absolute profuisse fœmellis ad salutem, & masculis etiam in necessitate ante octauum diem, si videlicet mors tunc immineret. Neque hoc fuisse mirum, cum illo tempore ante octauum diem non liceret eos circumcidere: Nunc autem quia in omni tempore paruulos baptizare licet, nunquam valet illis aliud remedium præter baptismū, extra casum illum peculiarem martyrij. Idem docet Alex. vbi supra ad primum. Ad argumentum ergo negatur consequētia, quia paruuli qui moriebantur ante octauum diem saluari poterant per sacramentum legis naturæ.

Alexan. de Ales. D. Bonau. Richardus. Durand. Maior. Tostatus. Richard.

Alex. de Ales.

Et si quæras habita præsumptione probabili de morte paruuli, supposito quod in fide parentum cum oblationibus purgatus esset, nihilominus vixisset vltra octauū diem, vtrum debuit die octauo, vel post in perfecta existens valetudine circumcidi, & videtur quod non: quia purgatus est ab originali, ex opposito est præceptum Domini. Masculus cuius præputij caro &c. Respondet Alexand. vbi supra, quod licet paruulus in casu proposito purgatus esset ab originali, si contingeret eum viuere vltra octauum diem, oportuit eum circumcidi causa obligationis legis: Institutio enim circumcisionis cum hoc quod fuit ad purgationem originalis, etiam ad ritum legis obligabat. Exemplum est de Beata Virgine, quæ non indigauit purgatione, siue purificatione, nihilominus ne solueret, quod obligabat lex, fecit secundum legis consuetudinem. Vnde Leuitic. 12. Cumque completi fuerint &c. dicit Glossa August. Cum tale aliquid nato ex Virgine Domino fieret, magis pro consuetudine legis, quam pro necessitate expiati peccati. Adde ex D. Bonauentura loco supra relato, quod currente circumcisione alia remedia non disponebant paruulum nisi cum hac conditione, quod ipse esset impossibilitas ad implendum mandatum de circumcisione, & ita propter impossibilitatē absoluebatur, etsi moriturus erat ante octauum diem disponebatur, & curabatur; sed victurus non curabatur quousque mandatum esset totum impletum.

D. August.

D. Bonau.

Circumcisio post octauū diem ex causa fieri poterat.

Obseru. est tamen, octauum diem non ita fuisse de necessitate sacramenti, quin etiam circumcisio data post octauū diem esset vere sacramentum: imo neque ita fuisse de necessitate præcepti, quin ex legitima causa posset absque peccato differri. Primum est certissimum ex sententia omnium Theologorum cum Hugone, Magistro, Alexan. D. Thom. & D. Bonauent. locis citatis, & constat in ipso initio institutionis: Nam Abraham iam senex, & Ismael 13. annorum, & omnes viri domus eius infantes, & adulti, cuiuscunque ætatis essent, dummodo octauum diem attigissent circumcisi sunt. Rursus Proselyti in quacunque ætate circumcidebantur, quando fiebant Iudæi, vt patet de Achior. Iud 14. & Exodi 10. datur generalis facultas, vt omnis alienigena, qui vult comedere Phase, circumcidi posset, & ideo D. Paulus circumcidit Timothæum, vt Iudæis satisfaceret Act. 16. Signum ergo est circumcisionem in quacunque ætate datā existimatam fuisse validam a Iudæis.

Secundum patet ex facto Iudæorum, qui per plures annos incircumcisi fuerunt, quam diu per desertum peregrinabantur, neque enim dicendum est eos tunc peccasse trāsgrediendo legem circumcisionis. Tum quia non est credibile Moysem, & alios viros sanctissimos, publicum illud, & generale peccatum esse permissuros; tum etiā quia propter illam causam Deus nunquam eos puniuit, aut reprehendit, cum tamen propter minora, & priuata peccata soleret id facere, & grauissime. Neque dicendum est illud factum esse ex speciali dispensatione diuina: quia nullibi de tali dispensatione constat; sed ipsa rationabilis causa sufficiens fuit ad excusandos illos ab obligatione; hæc autem causa fuit, quia semper erant quasi in continuo motu, quando eos oportuit proficisci iuxta motum columnæ, vt dicit Alexand. vbi supra, & ideo non poterant circumcidere infantes sine graui illorum detrimento. Idem ergo iudicium ferendum est de quouis simili casu, vel generali, vel particulari, & ratio est: quia lex positiua etiam diuina suauis est, & accommodata humanæ fragilitati, atque adeo non obligat cum tanto vitæ discrimine, nisi in ipsa lege exprimatur, vel ex eius fine satis certe colligatur hanc esse legislatoris intentionem, neutrum autem in præsenti locum habet, vt de se constat.

Ratio huius circumstantiæ diei octauæ litteralis fuit, quia ante illum diem propter ætatis teneritudinem non possent infantes sine periculo circumcidi, ab illo autem die iam erant sufficienter validi, seu consolidati, vt possent vulnus illud, & dolorem sine periculo sustinere, non debuit autem vltra differri, vel (vt quidam aiunt) ne nimium obduraretur caro, & dolor esset vehementior, vel certe, quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia; & ideo non debuit remedium animæ differri postquam iam caro erat idonea ad sustinendum illud, ita Tostatus vbi supra. Cyprianus sermon. de circumcisione dicit, ideo Deum octauum ad circumcisionem diem elegisse: quia septem dies temporalem, octauus spiritualem, & æternam vitam designare solet: quia septem diebus tota temporalis vita circumacta traducitur, octauus vltra est. Quod autem vltra temporalem vitam est spirituale, & æternum est. Circumcisio autem spiritualem significabat vitam, qua opera carnis amputanda erant. Alia causa fuisse creditur, quod octauus dies transacta iam hebdomade, primus sequentis hebdomadis dies erat, quo Christus erat resurrecturus, vt doceremur nouam post circumcisionem vitam instituendam esse, nosque cum Christo resurgere debere, & in nouitate vitæ ambulare, & omnes homines post septimam mundi ætatem, in octaua resurrecturi sunt, & ideo post octauam diem perfectio gratiæ, & gloriæ designatur, ita Cyprianus libro 3. epist. 8. Iustinus in Dialogo cum Triphone, Hieronym. Amos 5. & Oseæ 3. Ambros. lib. de Abraham Patriarcha capit. 11. August. serm. 15. de verbis Domini, & serm. 141. de tempore, libro 19. contra Faustum, cap. 29. & 2. libr. de gratia Christi, c. 31. & quis auctor fuit qq. veteris, & noui testamenti, quæstio. 29.

Tostatus. Cyprian.

Cyprian. Iustin. D. Hieron. Ambros. August.

3. Conclusio

Tertia Conclusio. Lapideus culter non erat de necessitate sacramenti, neque de necessitate præcepti, sed tantum de sollemnitate, & condecentia, ita Alex. vbi supr. memb. 6 art. 4. & D. Thom. q. 70. art. 3. ad 2. Probatur. Genes. 17. vbi fuit instituta circumcisio nulla fit mentio de cultro lapideo, vel ferreo, ergo non erat de necessitate sacramenti: probatur cōsequentia, quia ea quæ sunt de necessitate sacramēti, vel pręcepti in ipsa institutione sacramenti traduntur; erat igitur de sollemnitate, & decentia; ad significandum per cultrum lapideum, quod per petram, scilicet Christum erat redemptio facienda. & confirmatur ex antiquo Iudæorū ritu, qui nunc non dicuntur vti cultris lapideis, sed ferreis, in sollemnioribus autem circumcisionibus, inquit Durandus, vtebantur lapideo cultro, ob significationem; & ideo quod Sephora vxor Moysis vsa sit petra acutissima ad circumcidēdum Eliezer filium suum, non ob præceptum (ait Hugo) nec fortasse ob mysterium, sed ob festinationem, & timorem fecit, qui fortasse cultellum ferreum ad manum non habuit, & quia timebat ne infans, vt putat D. August. quæst. 11. in Exod. & lib. 4. de Baptismo, c. 24. aut fortasse, vt existimat D. Hieronymus ad Galat. 5. ne Moyses ipse ab Angelo interficeretur noluit differre, sed statim, quo instrumento potuit, filium circumcidit. Adde quod Hebræi respondere possent circumcisionem Eliezer non fuisse factam in lapide acuto, sed nouacula: nam quamquā littera nostra dicat. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium

Alex. de Ales. D. Thom.

Durandus.

Hugo.

D. August. D. Hieron.

Digitized by Google

tium filij sui, tamen in Hebræo ponitur, cor, vbi nos ponimus petram, & est dictio æquiuoca ad petram, & ad nouaculam quod patet etiam ex littera nostra: Nam psal. 51. qui incipit. Quid gloriatis in malitia, vbi littera nostra dicit. Sicut nouacula acuta fecisti dolum, ponitur in littera Hebraica; Cor, eadem scilicet dictio, quæ Exodi habetur, ex illo ergo loco non magis probatur factam esse circumcisionem lapideo, quam ferreo cultro. Vnde Iudæi cum exponunt particulam illam, non magis dicunt de nouacula acuta, quam de lapide acuto.

Quod vero Iosue 5. legitur, Fac tibi cultros lapideos, & circumcides secundo filios Israel, præterquam quod dici posset eo modo quo superius dictum est, scilicet quod secundum litteram Hebraicam ponitur ibi dictio æquiuoca, quæ non magis ad lapidem quam ad ferrum applicatur, dicendum est potius esse argumentum ordinario, & frequenti vsu non fuisse factam fieri circumcisionem illo instrumento; Tum quia si illud contentum fuisset in primo præcepto non oportuisset tunc specialiter exprimi; Tum etiam, quia hoc specialiter tunc factum est propter singularem significationem, & mysterium, vt notat Alex. vbi sup. memb. 6. artic. 4. ad significandum etenim post primam carnalem circumcisionem futuram fuisse secundum spiritualem per Christum dandam, & ideo in illa sola seruata est cultri lapidei cæremonia quæ postea non est seruata, neq; in vsum recepta: Nam vt dicit Andreas relatus ab Alex. Ipsi Iudæi non petrinis cultris, vt quidam putant, sed acutissimis nouaculis circumcidunt. Præceptum ergo illud Iosue 5. solū pro illa vice, & ob specialem significationem datū est. Adde ex Tostato Iosue c. 5. q. 8. quod ea quæ Iudæi in futurorum memoriam relinquebant lapidibus efficiebant, sicut patet de duodecim titulis erectis lapideis in monte Synai in die confirmationis legis ad recordationem 12. Tribuum Israel, idem patet in 12. lapidibus erectis in alueo Iordanis intra aquas. Idem in 12. lapidibus eductis de alueo Iordanis ad ponendum in Galgalis; & totum Deuteronomium Iudæi scripserunt in lapidibus calce litis, seu læuigatis. Deuter. 27. Ita in proposito ob significationem, & memoria hāc tātum vice lapideis cultris circumcisionem factam dicimus.

Alē & Alex.

Andreas.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum circumcisio in determinato loco, & a determinato ministro fieri debebat.

Locus circumcisionis.

Ex verbis quæ habentur Lucæ cap. 1. de circumcisione Ioan. Bapt. dicitur. Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum. Nonnulli colligunt more Iudæorum fuisse, vt pueri in synagoga circumciderentur interpretantes venerunt parentes eius in synagogam, vt puerum circumciderent. Nam quos alios posse intelligi venisse? & vtrumque parentem circumcisioni interfuisse manifeste constat ex eodem Luca describente nominis Ioan. impositionem: Nam cum vellent eum nomine patris sui Zachariam appellare, respondit mater eius, Nequaquam, sed vocabitur Ioannes, & nutibus, & signis interrogatus pater postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius, & non potuisse venire in domum suam vbi iā erant, & in synagogam vbi non erant. Denique etiam nunc eam inter Iudæos consuetudinem permanere, vt in synagoga circumcisio celebretur.

Alij domi factam fuisse malunt. Quibus assentior. Nam nullam alibi, quam in domo factam fuisse in scripturis legi, & quantum ad locum spectat nihil per legem circumcisionis præscriptum erat, vt constat ex Gen. 17. vbi Abrahamum domi circumcisum, & domi eundem Abrahamum filium, vernaculosque omnes suos circumcidisse legimus. Domi Sephoram filium, quem ex Moyse susceperat arrepto circumcidisse cultro, ne ab Angelo perimeretur, Exodi 4. Domi Iosue totum circumcidisse populum traiecto deserto, Iosue 5. constat.

Et Ioan. Baptista in domo patris sui circumcisus est non in synagoga, quod ex ipsomet loco Lucæ 1. probari potest, constat enim Elizabetham matrem Ioannis cum circumcideretur fuisse præsentem, cum responderat nequaquam, sed vocabitur Ioannes, at non poterat octo dierum puerpera exire domo, & in synagogam ire, cum in sanguine ex præscripto legis triginta dies esse deberet, Leuit. 12. Qui ergo dicuntur venisse vt puerum circumciderent? possumus intelligere amicos, atque cognatos, de quibus dicitur Lucæ primo. Et audierunt vicini, & cognati eius &c. Neque enim dubium est, quin aliqua celebritate amicis, cognatisque conuenientibus vbicunque tandem circumcisio fieret, fieri soleret, quemadmodum nunc, & apud omnes Iudæos, & apud omnes gentes quæ circumcidi tuntur fieri traditur. Possumus & aliter interpretari venisse, idest, ventum esse ad circumcidendum puerum, vt Hebræorum phrasis sit, qui tertia persona plurali vtuntur pro verbo in personali passiuo, fingamus ergo Latine dixisse, & ventum est ad circumcisionem pueri, non vtique significasse parentes, aut alios ex ipsa domo, aut ipsa aliquo, sed cæptum fuisse agi de puero circumcidendo. Demum Christus Dominus in Bethlehem circumcisus est; atque adeo quoad hanc circumstantialem nihil peculiare habemus de ritu circumcisionis.

Hebraism.

Quo ad ministrum, de hoc etiam nihil peculiare statutū fuit. Nam Gen. 17. solum dicitur. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, & nihil aliud in particulari traditur, neque ibi, neque in tota lege. Vnde interdum legimus viros circumcisionem effecisse, vt de Abraham in prædicto loco, interdum vero feminas, vt de Sephora Exodi 4. & de alijs 1. Machab. 1. & probabile est potuisse adultum se ipsum circūcidere: quia neque ex verbis legis, neque ex vsu potest aliud colligi, vt notauit Tostatus Iosue 5. quæst. 44. Nam Abraham se ipsū circumcidit, vt constat Gen. 17. quamuis de nullo alio id legatur. Item non solum a iusto, sed etiam a prauo ministro, non solum a fideli, sed etiam ab infideli dari poterat circumcisio, etiam quoad veram rationem sacramenti, dummodo fieret intentione consecrandi puerum, seu hominem circūcisum Deo, seu faciendi, quod Deus instituit, & præcepit Abrahæ, seu faciendi quod faciebant Iudæi, atque hoc sensu sapienter dixit Sebastianus Episcopus Oxoniensis super 3. par. D. Thom. q. 70. Circumcisionem quatenus fuit remedium, quo remitteretur originale peccatum, & professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in vsu omnium gentium, poterant enim hoc externum signum eligere inter alia; & sine dubio esset validum ad prædictum effectum, si ea intentione fieret; quamuis non fieret cum intentione se se obligandi ad Iudaismum, seu profitendi illam legem, seque illi populo adiungendi, quomodo de circumcisione loquitur D. Paul. ad Galat. 5.

Minister circumcisionis quis.

Tostatus.

Oxoniensis episcopus.

Quantum autem spectat ad nominis impositionē, quæ fiebat in ipsa circumcisione, dubitare primo quis posset, Nū ante, an postquam circumcisus puer esset, fieret nomnis impositio: Nam nomina infantibus in circumcisione imponi, patet ex circumcisione Ioan. Bapt. & Christi Domini, Lucæ c. 1. & 2. Sed an ante vel post circumcisionem, id non satis compertum habetur. Theophylactus quidē, Euthym. & Chrysostom. apud D. Thom. post circumcisionem posita fuisse putant. Id qua ratione factum in circumcisione fuerit, & in baptismo nunc fiat, diuersæ a diuersis authoribus rationes afferuntur. Theophylactus, qd tūc homines Deo nasci, & in eius populum referri censerentur. Alij quod nominum impositio dominij argumentum esset, ideoque solitos fuisse dominos, aut noua nomina seruis suis dare, aut mutare vetera, quemadmodum legimus Iosephum a Pharaone Saluatorem mundi lingua sua appellatum, Genes. 41. & Danieli, atque eius socijs nomina mutata; Daniclis primo. adnotauit hoc D. Chrys. in homil. de ferendis reprehensionibus, & conuersione D. Pauli, & Damasc. libr. 2. de fide, c. 30. In circumcisione igitur imponebantur nomina, eoque tunc infantes iugum, ac seruitutem Dei subire incipere viderentur.

Nominis impositio.

Theophyl. Euthymius Chrysost.

Chrysost. Damasc.

Secundo dubitari potest a quo fieret nominis impositio. Quidam dixerunt solitum fuisse nomen imponi a matribus, propter ea, quæ leguntur de Rebecca, & Lia, Gene. 29. & 30. & de matre Sapsonis, Iud. 13. Sed hoc non est generatim intelligendum: quia cum vir caput sit mulieris, & præcipuus in generatione filiorum, sicut ad eum præcipue spectat eorum gubernatio, ita & nominis impositio, neque verisimile est in lege veteri priuatum fuisse virum hoc iure: nullum. n. est fundamentum ad hoc asserendū, & præterea fuisset quidam abusus patriæ potestatis. Vnde Lucæ primo, cum Elizabeth vellet, vt nomen Ioannis filio suo imponeretur, idque cæteris cognatis nouum in ea familia videre-

A quo fieret nominis impositio.

Digitized by Google

videretur, innuebant patri eius, quem vellet vocari eum. & Matth. 1. dixit Angelus Iosepho. Et vocabis nomen eius Iesum: quia licet pater eius non esset, patris tamen munere functus erat. Per se igitur ad patrem pertinebat. Interdum vero potuit mater nomen eligere seu imponere, patre non repugnante, sed potius consentiente. Posset etiam & alia ratio assignari, vltra eam quam adduximus supra, cur in die circumcisionis imponeretur nomen: nimirum quia Abraham simul cum circumcisionis mandato nomen nouum a Deo accepit. Tum etiam quia cum ante circumcisionem infantes non essent Deo reconciliati, non censebantur habere esse perfectum, neque nomine digni, quæ ratio accommodari potest impositioni nominis, quæ nunc fit in baptismo, sicut & præcedentes.

ARTICVLVS IX.

Vtrum circumcisio ex vi circumcisionis conferret gratiam.

QVæstionem hanc valde difficilem reddunt varia dicta & sententiæ antiquorum Patrum, quia omnes fere, qui Augustinum præcessere longe aliter de circumcisionis institutione, quam Augustinus, & qui eum secuti sunt sensisse videntur. Conueniunt quidem omnes circumcisionē fuisse verum sacramentum: quia id satis aperte docet Paul. in epist. ad Roman. 4. Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, vbi genus sacramenti illi tribuit, scilicet esse signum, quod autem fuerit signum sacrum, & rei sacræ, ac iustitiæ, constat ex sequenti verbo, signaculum iustitiæ, non enim poterat esse sigillum iustitiæ nisi illam significaret. Quod autem fuerit signum circumcisionis spiritualis; atque adeo gratiæ dandæ per Christum, satis significauit Paul. 1. Coloss. 2 denique ex Gen. 17. apparet circumcisionem fuisse religiosam cęremoniam, & sacram: dicitur. n. fœdus, & pactum inter Deum, & Abraham, vt sim, inquit, Deus tuus, & seminis tui post te. & infra dicitur; vt sit in signum fœderis inter me, & vos; & infra. Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, habuit ergo ex diuina institutione actio illa, vt per eam peculiariter dicarentur homines Deo, & coniungerentur illi, erat ergo quid sacrū, & religiosum, & alioqui erat signum, vt ibidem dicitur, & Paulus confirmat & explicat, nihil ergo illi deerat ad rationem proprij sacramenti, & in hoc consentiunt, vt dixi, omnes patres scribentes contra Gnosticos, & Manichæos, qui circumcisionem detestabantur tanquam rem indecentem, & a malo principio profectam: different tamen tum in tradenda ratione institutionis eius, tum etiam in primaria illius significatione declaranda.

Iustin.
Irenæus.
Chrysost.
Cyrillus.
Origenes.
Theodoret.
Damascen.
Cyprian.
Ambros.
Hieron.
Tertullian.

Nam Iustinus Marty. in dialogo contra Triphonem, Irenæus lib. 4. contra hæreses, c. 30. Chrysost. hom. 27. in Gene. 39. & 50. in fine, Cyrillus lib. 1. in Ioan c. 21. Origenes hom. 3. in Gen. Theodoret. quæst. 67. in Genes. Damasc. lib. 4. cap. 26. Cyprian. lib. 1. ad Quir. cap. 8. Ambros. epist. 72. Hieron. in epistol. ad Galat. circa illa verba. Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt hi filij sunt Abrahæ. Tertullian. contra Iudæos, c 3. censent primariam rationem tradendi circumcisionem tantum fuisse ad consignandum peculiarem Dei populum, eumque a cæteris gentibus distinguendum, non vero in remedium originalis peccati. Vnde fit, circumcisionem fuisse quidem cæremoniam ab aliquam sanctificationem illorum hominum institutam: quia per eam dedicabātur homines specialiter ad cultum Dei, quæ merito dici potest quadam sanctificatio, non tamen institutam fuisse ad internam sanctificationem conferendam; Vnde fit non significasse gratiam, quæ in illa daretur, significauit tamē ex diuina institutione baptismum, & circumcisionem spiritualem per Christum conferendam, hinc censetur habuisse perfectam rationem sacramenti.

Cyprian.
Ambros.
D. August.

Cęterum Cyprianus de cardinalibus Christi operibus, cap. de circumcisione, Ambr. epist. 84. ad medium, si tamē eius est epistola: nam quidam dicunt eam esse Prosperi, & potissime D. August. lib. 3. contra Iulianum c. 18. libr. 5. c. 9. lib. 2. de gratia, & peccato origin. c. 30. & 32. libro secundo, de nuptijs, c. 11. & 12. lib. 4. de bapt cap. 24. libro 2. contra litter. Petilia. cap. 27. lib. 15. de Ciuit. cap. 16. & libro 16. cap. 27. lib. de pœnit. & medic. cap. 5. & lib. 5. hypogno. a medio, & Diuum August. secuti sunt posteriores Patres, Greg. 4. mo-

Gregor.

ral. c. 2. & 3. & habetur in c. Quod autem de consecrat. dist. 4. & apud Iuonem in decretis, par. 1. c. 29. Prosper dicta epistola, & lib. de promissionib. Dei, 1. p. c. 14. Isidor. lib. in Gen. cap. 13. Beda lib. 2. in Lucam c. 8. & homilia quadam de circumcisione tomo 7. & lib. variar. quæstionum, q. 15. tom. 8. Bernard. serm. 3. de circumcisione, ser. 2. de Assumpt. Virginis circa finem, & epist. 77. Rupert. Abbas, lib. 5. de operibus Trinitatis in Gen. c. 38. & Hugo Victorinus lib. 2. de sacramentis, par. 6. c. 3. Hi oēs docent circumcisionem institutā, fuisse datam populo Israelitico in remediū originalis peccati, ita vt remedium legis naturæ, quod de se insufficiens erat, quo ad externam cæremoniam, determinatū fuerit ad ritum circumcisionis pro filijs, & posteris Abrahæ. Hanc sententiam secuti sunt oēs Scholastici sine vlla opinionum diuersitate, Magist. in 4. dist. 1. Alex de Ales, p. 4. q. 4. memb. art. 1. §. 1. & sequentibus per totam illam quæst. D. Tho. in 4. dist. 1. & in 3. p. q. 62. art. 6. ad 3 & q. 70. art. 4. D. Bonauēt. Richard Scotus, Durandus, Paludan. Maior. Gabriel, & alij, dist. 1 & fundari potest hæc sententia in decreto Innocētij III. in cap. Maiores de baptismo, vbi primum dicit baptismа successisse circumcisioni, deinde comparat illa verba. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit &c. cū illis. Nisi quis renatus fuerit &c. deinde concludit plus conferre nunc baptismum, quam olim circumcisionem. Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamē perueniebatur ad regnum cęlorum, quod vsq; ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per sacramentum baptismi culpa remittitur, & ad regnū cęlorū peruenitur. Vbi quamuis pontifex non intendat hanc veritatē definire, tamen cum hac sententia vtatur, vt ostendat paruulos in lege noua esse baptizandos, sicut in veteri circumcidebantur, magnam certe huic sententiæ præbet authoritatem.

Iuon.
Prosper.
Isidor.
Beda.
Bernardus.
Rupertus.
Hugo.
Magist.
Alex. de Ales.
D. Thom.
D. Bonau.
Richardus.
Scotus.
Durandus.
Palud.
Maior.
Gabriel.
Innocent.

Vnde circumcisionem fuisse remedium ex diuina institutione, in quo peccatum originale remittebatur, adeo certum esse existimo, vt absque temeritatis nota negari nō possit propter cōem consensum tantorum Patrum, & Scholasticorum omnium, & maxime Innocentij III. Non tamen patribus alterius sententiæ contradicimus, qui directe contra Iudæos scribebant, qui suam spem totam in circūcisione ponebant, & ideo præcipue docuerunt circumcisionem nullam habuisse spiritualem efficaciam, vel vtilitatem. Ad hanc autem sanctorum mentem, & intentionem satis est, vt circumcisio vt erat peculiaris cæremonia Iudaica, nullā habuit specialem vim sanctificantem, atque adeo vt talis cęremonia non fuit ad hoc primario instituta, quod sine dubio patres docent, non tamen negant fuisse remediū contra originale ex diuina institutione, quatenus in ea Christi vēturi fides profitebatur, neque id explicant: quia ad eorū institutum non pertinebat. D. autem Augustinus locutus est contra Pelagianos negantes originale peccatum, & ideo clarius, & distinctius explicuit, quod in singulis ætatibus fuerit remedium ad huiusmodi peccatum tollendum.

Hoc ergo supposito, nimirum circumcisionem institutā fuisse in remedium contra originale peccatum quantū attinet ad præsentem quæstionem, an scilicet circumcisio gratiam conferret, fuerunt in primis quædam antiquorum opiniones, quas commemorat Alex. de Ales, 4. par. q. 4. memb. 7. art. 4. & D. Tho. 3. p. q. 62. art. 3 ad 3. & q. 70. art. 4. easque breuiter recensere sufficiet. Quidam enim dixerunt per circumcisionem auferri quidem peccatum originale, non tamen conferri gratiam; & hæc fuit opinio Magistri hac dist. circa finem, & Glo. in c. Quod aūt, de consecr. dist. 4 vbi insinuat in circumcisione solam pęnā fuisse remissā; sed hæc sententia manifeste repugnat principijs fidei, & ideo merito ab omnibus Scholasticis reiecta est. Nam manēte culpa mortali, vel originali, non potest æterna pęna remitti: quia inimicus Dei non potest non carere visione eius. Rursus originalis culpa non potest remitti dependentia Dei ordinata sine infusione gratiæ, vt ostendimus supra.

Alexan. de Ales.
D. Thom.
Magist.
Glossa.

Alij vero dixerunt per circumcisionem conferri quidē tunc gratiam quoad effectus priuatiuos, non quo ad positiuos, per effectus autem priuatiuos hic modus dicendi intellexisse videtur carentiam culpæ, aut reatus pœnæ; atque adeo circumcisio gratiam conferebat, quod attinet ad effectum remittendi peccatum, non aūt quod spectat ad effectus positiuos, per quos aut amicitiā Dei, aut acceptationem ad vitam æternam, vel internā animę renouationē, vel

sancti-

Digitized by Google

sanctificationem intelligebat. qui dicendi modus idem fere est cum præcedenti, atque adeo ex eisdem principijs, & rationibus rejcitur: quia non minus eum veris principijs fidei repugnat. Nam gratia per quam peccatum remittitur, non est tantum extrinsecus actus diuinæ voluntatis remittentis peccatum, vel acceptantis hominem ad gloriam, in quo possunt illi effectus aliquo modo distingui, sed intrinsecum donum animæ infusum, quo ab statu peccati ad statum gloriæ, & adoptionis filiorum Dei transfertur, vt dicitur in Concil. Trident. sessio. 6. cap. 3. 4. & sequentibus, impossibile est autem hanc gratiam animæ infundi, & carere suo effectu positiuo, ergo si peccatum originale remittebatur in circumcisione in ea infundebatur huiusmodi gratia, ergo perficiebat positiue animam efficiendo illam proportionatam ad gloriam, & supernaturalia opera; & dando illi ius ad hæreditatē gloriæ: atque adeo constituendo hominem amicum, & acceptum ad gloriam; adde quod prior est effectus positiuus gratiæ nempe facere hominem iustum, quam negatiuus, nempe expulsio peccati.

Conc. Trid.

3. Sententia

Tertia sententia est, in circumcisione fuisse datam gratiam, quę sufficeret ad remittendā culpam, non tamē quantum ad vim, & efficaciam reprimendi, & superandi concupiscentiam, & merendi vitam æternam, hanc sententiā quā docuit interdum D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. quæstiun. 3. impugnat, & merito ipsemet in 3. par. quæst. 62. art. 6. ad 3. & quæst. 70. art. 4. quia quælibet gratia quantumuis minima constituit hominem Deo gratum: hoc enim non habet ratione suæ intensionis, sed ratione suæ essentiæ, & ideo de se est sufficiens principium merendi gloriam: rursus talis gratia est ipsamet charitas, quæ est diuina amicitia, quæ Deum habet pro vltimo fine, eumque super omnia diligit, & ideo de se sufficiens est ad superandam cōcupiscentiam, quia amor Dei ex se est fortior, & potentior omnibus, & ideo dicitur, 1. Ioan. 3. Omnis qui in eo manet non peccat, & omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit; quando semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Hoc enim semen est gratia Dei, quam si homo seruare velit, atque eius inclinationem, & efficaciam sequi, non peccabit; est ergo quæcunque gratia vna cum auxilio Dei mouente de se efficax ad uincenda peccata, & superandas concupiscentias, præsertim quia semper habet adiunctum auxilium Dei sufficiens ad suum finem consequendum.

D. Thom.

4. Sententia D. Thom.

Quarta sententia est D. Thom. 3. par. q. 62. art. 6. ad 3. & q. 70. artic. 4. asserentis, quod in circumcisione secundum se nec originale peccatum remittebatur, nec gratia sufficiens conferebatur; sed fuit solum signum fidei iustificantis, quæ opinio potest multis modis intelligi. Primo intelligi potest, ante Christi aduentum nulli homini fuisse gratiam collatam, aut remissum peccatum nisi per propriam ipsius hominis fidem, aut dispositionem de se sufficientem ad obtinendam gratiam, & expellendum peccatum; quæ sententia si in vniuersum tam de paruulis, quam de adultis intelligatur, est valde temeraria: quia ex illa sequitur tam in lege naturæ, quam Moysis omnes infantes fuisse relictos sine remedio originalis peccati, atque ita omnes qui mortui sunt ante vsum rationis damnatos fuisse, quod impium est sentire, & contra ecclesiæ traditionem, & sensum. cæterum in hoc sensu a Diuo Thoma hæc sententia non asseritur.

Secundo potest intelligi, quod ante Christi aduentum nullum fuerit institutum externum remedium seu sensibile signum, in quo alicui daretur gratia vel remedium peccati præter meritum, vel sufficientem dispositionem eius, sed quod remedium originalis peccati fuerit eo tempore mere internum, atque in sola interiori fide, vel ipsiusmet hominis, cui remittebatur peccatum, si erat capax eius, vel alterius sub cuius erat cura, & potestate, si erat paruulus, positum fuerit, & in hoc sensu hæc sententia, quo ad tempus legis naturæ est quidem minus probabilis, sed non temeraria, neque omnino improbabilis, vt videbimus quæstio. sequenti. Verum quo ad circumcisionem videtur maiori censura digna, propter authoritates D. August. D. Greg. & aliorum, quos infra adducam, & præsertim propter authoritatem Innocentij III. in c. Maiores de baptismo, dicētis quod originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysteriū. Nihilominus quamuis in hoc sensu falsa sit hæc opinio, posset tamen a nota temeritatis excusari: Tum quia plura sanctorum testimonia illi fauere videntur: Tum quia non negat quin si simul cum fide interna hoc signum exhiberetur daretur statim gratia, & remissio originalis peccati, quamquam e conuerso solum externum signum sine fide nō sufficeret ad dictum effectum, cæterum neque in hoc sensu a D. Thom. vt credo, asseritur hæc sentētia quamquam Vasquez, 1. 2. q. 107. disp. 184. c. 4. contrarium arbitretur.

Vasquez.

Tertio modo intelligi potest in circumcisione datam esse gratiam, & peccatum originale remissum; atque ad hūc spiritualem fructum consequendum necessarium fuisse externum signum seu circumcisionem, non tamen sine fide interiori ecclesiæ, vel ministri; neque e contrario fidem internā suffecisse sine tali signo externo, effectum autē gratiæ fuisse tribuendum interiori fidei, vt propriæ causæ, externum autem signum tantum fuisse conditionem sine qua non, & sine dubio hic fuit sensus D. Thom. prout ipsum explicat Cano relectione de sacramentis, par. 5. & Sotus in 4. distin. 2. q. 1. art. 4. & Bellarm. tom. 2. libro 2. de sacramentis, capit. 13. in fine. Est ergo opinio D. Thomæ circumcisionem vi sua non iustificasse, sed iustificasse tantum quatenus fidei protestatio erat, & fidem applicabat; sentit itaque D. Thomas, & discipuli eius iustificatos esse veteres ex merito passionis Christi, vt nos iustificamur, verum hoc meritum nobis applicari per sacramenta, quæ vi sua gratiam conferunt, Hebræis autem per solam fidem, quæ tamen fides requirebat circumcisionis sacramentum, vt conditionem sine qua non operabatur, & in hanc D. Thomæ opinionem ex nostris descendit Ioan. de Bassolus hac distinct. quæstio. 4. Breuiter itaque opinio D. Thomæ, & discipulorum eius est, quod circumcisio vi sua, idest, ex opere operato gratiā non conferebat, sed virtute fidei passionis Christi, quæ applicabatur in circumcisione: Nam si ille qui circumcidebatur, habebat vsum rationis profitebatur in circumcisione fidem vnius mediatoris, & virtute istius fidei iustificabatur, non tamen virtute exterioris circumcisionis; si vero ille qui circumcidebatur vsum rationis non habebat profitebatur eiusmodi fidem ille, qui eum circumcidebat, pro illo qui circumcidebatur.

Cano. Sotus. Bellarmin.

Bassolus.

Fundamenta pro sententia D. Thomæ sunt potissimum quatuor; Primum sumitur ex authoritatibus scripturæ. Nā D. Paulus ad Roman. 4. Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei: quia videlicet iustitia proueniebat ex fide significata non ex circumcisionem illam significante, vt exponit Soto, distinct. 2. q. 1. artic. 4. Item ad Gal. 2. Si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Item ad Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, sed circumcisio erat opus legis, ergo non iustificabat. Item ad Gal. 2. Scientes autem quod non iustificabatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & ad Gal. 5. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium sed fides, quę per charitatem operatur, & tandem ad Galat. 4. vocat D. Paulus sacramēta veteris legis infirma, & egena, a quibus non excipit circumcisionem; ergo non conferebat gratiam, quia alias nō posset dici infirma, & egena.

Fundamēta pro sen. D. Thom.

Sotus.

Secundum fundamentum desumitur ex Concil. Florēt. in decreto Eugenij IV. vbi sic legitur. Septem sunt nouæ legis sacramenta, quæ multum differunt a sacramentis veteris legis: illa enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam esse figurabant, vbi expressissime definit Concilium, quod sacramenta veteris legis non causabant gratiam.

Conci. Flor.

Tertium fundamētum sumitur ex testimonijs sanctorū Patrum, quos supra retulimus, affirmantiū præceptum circumcisionis non accepisse Abraham in remediū peccati originalis, vt circumcisione ipsa expiaretur, sed in signum tantum iustitiæ, vt expiationis peccati. Vnde D. Ambros. epist. 77. super illa verba Gen. 17. Circumcidetur in vobis &c. notat. in signum dixit non in causam, & epist. 72. ad Irenæum signum, inquit, circumcisio corporalis, veritas circumcisio spiritualis, illa membrum amputat, ista peccatum. Et D. Augustin. epistol. 19. ad Hieronym. Si lex, inquit, non iustificabat, quanto magis illa, quæ significationis gratia data sunt, & iterum. Cur non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona fuisse: quia eis non iustificantur homines? vmbræ enim sunt prænunciantes gratiam, qua iustificamur. Et D. Hieronym. super illud ad Galat. 5. Neque circumcisio aliquid valet, circumcisio, inquit, vtilis fuit

Ambros.

August.

his, qui in lege vixerunt, non quia circumcisi erant: Sed quia credita sunt illis eloquia Dei, & addit, circumcisio vero tunc sicut cætera legis valuit.

Quartum fundamentum sumitur ex rationalibus, & prima est talis: si circumcisio esset causa gratiæ, vel hoc haberet ex se secluso merito Christi, quod est falsum: quia alias Christus gratis mortuus esset, vel esset causa gratiæ virtute passionis Christi futuræ, quod etiam est falsum: quia causa efficiens debet præcedere effectum, ergo si passio Christi fuit causa virtutis circumcisionis, debuit præcedere circumcisionem.

Præterea secundo, habenti gratiam patet ianua Regni cælorum, quia est hæres illius, sed circumcisio non aperiebat ianuam regni, ergo non conferebat gratiam; maior patet, & minor sumitur ex authoritate Bedæ super illud Luc. 2. Postquam consummati sunt dies octo &c.

Item sacramentum non causat nisi quod significat, sed circumcisio significabat tantum ablationem peccati per ablationem illius particulæ, & non aliquod positiuum, ergo nō causabat gratiam ex opere operato; Minor probatur: quia non erat ibi nisi ablatio partis a toto, & hæc sunt argumenta principalia Scoti.

Vasquez. His duas rationes addit Vasquez. *Si circumcisio conferebat gratiam ex opere operato, & non ex opere operātis, idē esset quod conferre gratiam non ex merito ministri, sed ex sola institutione Dei, qua operaliter facto promissa est iustificatio; ergo circumcisio facta ab infideli intentione faciendi id, quod faciebat synagoga Iudæorum gratiā contulisset, quod est falsum. Nam nisi fides ministri in ipsa circumcisione circumciso applicaretur, ex sententia omnium non iustificabat.*

Secundo arguit. Si circumcisio instituta esset in remediū peccati originalis eo loco Genes. 17. & testimonium illud masculis &c. de paruulis, & adultis intelligendum esset, sequeretur adultos tunc iustificatos fuisse per circumcisionē sicut nunc per baptismum ex opere operato, ita vt cum sola attritione etiam scita recipientes circumcisionem iustificarentur.

Præterea. Si circumcisio ex se instituta esset ad conferendam gratiam, eam conferret etiam adultis iam iustificatis, quare & eam contulisset Abrahamo, atqui Abrahamum non recepisse gratiam per circumcisionem satis constat ex D. Paulo ad Roman. 4. ergo &c.

Opin. Scoti. Oppositam sententiam docet Scotus in hac quæstio. sub littera K. §. Sed præter ista in illa lege &c quæ tribus cōclusionibus explicatur.

1. Conclusio Prima Conclusio. In circumcisione tollebatur peccatum originale. hæc conclusio probata est, artic. 3. & authoritatibus Diu. Augustin. D. Gregor. & Bedæ, quibus probabitur tertia conclusio. & hæc conclusio est communis consensus totius ecclesiæ.

2. Conclus. Secunda Conclusio. In circumcisione conferebatur gratia. probatur ijsdem authoritatibus ex quibus colligitur, qd in circumcisione auferebatur originale peccatum; peccatū enim non aufertur nisi per gratiam, ergo in circumcisione conferebatur gratia; minor probatur ex D. Paulo ad Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. & confirmatur: quoniam si puero auferetur peccatum originale, & non conferretur gratia, sequitur quod nullus esset ei locus deputatus si tunc moreretur, consequens est falsum, ergo & cōsequentia patet; quia non infernus, nec limbus puerorum: Nam hæc sunt loca deputata peccatoribus, nec limbus patrum, nec Purgatorium, neque Paradisus: quia hæc sunt loca deputata iustis, puer autem ille non esset peccator, quia peccatum non haberet, nec iustus; quia nec haberet gratiam, ergo in nullo locorum istorum deueniret. & hæc conclusio est communis consensus omnium Theologorū præter Magistrum, vt vidimus.

3. Conclus. Ale. d Ales. D. Bonau. Richardus. Durandus. Franciscus. Thomas ab Argen. Rubion. Gabriel. Tostatus. Sotus Suarez. Tertia Conclusio. Circumcisio causabat gratiam ex opere operato. hæc conclusio est contra D. Thom. eam tamen defendit Alex de Ales, par. 4. q. 4. memb. 7. art. 4. D Bonau. hac dist. q. vlt. Richard. art. 3. q. 6 Duran. q. 5. Franciscus de May. quæst. 2. Thomas ab Argent. q. 3. art. 3. Rubion. q. 5. artic. 2. Gabriel. q. 4. conclus. 3. Maior. q. 5. & Tostatus Iudic. c. 13. q. 41. Matth. 3. q. 46. & paradox. 5 c. 148. & 159. nec ab ea multum dissentiunt Sotus, in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. & Suarez tom. 3. disp. 5. sect. 1.

Et probatur primo: quia Gene. 17. legitur. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, ex his verbis similibus Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, colligimus baptismi necessitatem; Similiter & Eucharistiæ, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis &c. ex quibus etiam colligimus quod illa sacramenta gratiam conferunt ex opere operato, ergo a simili est colligendum ex loco Genes. supra citato de sacramento circumcisionis, cum enim de fide sit, quod per circumcisionem remittebatur originale peccatum iuxta illud Genes. supra citatum, delebitur anima illa de populo suo, (vt patet de baptismo, cap. Maiores, §. caute) & tantum valet sicut damnabitur iuxta sententiam Diu. Augustin. locis supra relatis. Sed circumcisus non damnabatur, vt habetur in dicto capitulo Maiores, igitur in præcitata authoritate implicite circumcisis promittebatur salus, sicut in Euangelio explicite baptizatis, eumdemque vigorem eadem verba exprimunt atque continent.

Secundo probatur authoritate D. Augustin. libro quarto, contra Donatistas, capit. 24. Cur, inquit, Abrahæ præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum sacramentum multum valebat. Ergo ex sententia D. August. sacramentum circumcisionis de se vel ex opere operato gratiam conferebat. *D. August.*

Tertio probatur ex eodem Diuo Augustino libro secundo de nuptijs, & concupisc. capitulo vndecimo, vbi postquam ex illo loco Genes. 17. Masculus cuius præputij caro &c. probauit peccatum originale; sic ait. Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis, & paruis originalis, veterisque peccati, sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, quæ quidem verba referuntur in can. de consec. distinct. 4. cap. Ex quo. Si autem circumcisio non deleret peccatum non diceretur valere ad purgationem in paruulis, sicut nunc valet baptismus, & confirmatur ex Glossa ordinaria super illud ad Roman. 4. Signum accepit circumcisionis &c. vbi dicit. Circumcisio conferebat hoc suo tempore, quod baptismus nostro. *Glossa ord.*

Ex his arguitur sic: eundem modum delendi peccatum, & causandi animæ sanctificationem, quem habet baptismus, tribuunt citatæ authoritates sacramento circumcisionis, sed baptismus ex opere operato delet peccatum, & confert gratiam, igitur & circumcisio, consequentia tenet a paritate rationis. minor est Concil. Tridentin. session. 7. can. 5. & deinceps; Maior colligitur ex modo loquendi sanctorum: nam tam expresse, & absolute dicunt, quod circumcisio valebat & remittebat peccatum, & causabat gratiam, sicut modo valet, delet, & causat baptismus. Adde, quod in libro decimosexto de Ciuit. capitulo 27. ita comparat circumcisionem baptismo, vt existimet perinde dictum esse de circumcisione, peribit anima illa de populo suo, ac si diceretur, qui non fuerit regeneratus peribit anima illa de genere eius &c. quod quidem verum non esset nisi eandem virtutem haberet circumcisio, quam habet baptismus. & libro secundo, contra literas Petiliani, capit. 72. dicit antiquum populum vsum fuisse circumcisione pro baptismo. *Conc. Trid.*

Quarto probatur ex D. Gregorio, libro quarto moralium, capitulo secundo, vel tertio, & refertur in canone. Quod autem, de consecrat. distinctio. quarta, vbi dicitur. Quod autem apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt mysterium circumcisionis; quibus verbis expresse dicit, quod circumcisio agebat id, quod baptismus agit, sed baptismus confert gratiam ex opere operato, ergo & circumcisio. *D. Greg.*

Quinto Beda in homilia de circumcisione Domini inter homil. hyemalis de sanctis tom. 7. & habetur in primo tomo Bibliothecæ homiliarum in die circumcisionis, ante medium illius de circumcisione sic ait. Scire enim debet vestra fraternitas: quia idem salutiferæ curationis auxiliū circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, qd nunc baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consueuit, excepto quod regni cœlestis ianuam nec dum intrare *Beda.*

pote-

potetant donec adueniens benedictionem daret, qui legem dedit, & paulo infra. Vtraque ergo purificatio, & circumcisionis videlicet in lege, & in Euangelio baptismatis tollendæ præuaricationis primæ, gratia polita est; idem de circumcisione tradit hic author. 1. lib. in Lucam, cap. 8. in illa verba cap. 2. Postquã consummati sunt dies octo; Eadem fere scribit *Haymo.* Haymo episcopus Halberstat. homil. super Lucam, quę habetur in dicto Tomo Bibliothecæ homiliarum post Bedam, & idem refertur in dicto cap. Maiores, nempe quod originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysteriũ, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnum celorum; vbi facta comparatione, & conuenientia circumcisionis, & baptismi, solum ponitur differentia quoad ingressum in regnum cœlorum. Igitur sicut baptismus tollit originale peccatum, & ex opere operato gratiam confert, ita circumcisio.

Bernard. Sexto idem docet D. Bernardus in epist. 77. ad Hugonẽ de Sancto Victore his verbis. At vero quis nesciat, & alia præter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem, & semini eius circumcisionis sacramẽtum in hoc ipsum diuinitus traditum est. In nationibus vero quotquot fideles inuenti sunt adultos quidem fide, & sacrificijs credimus expiatos, paruulis autem etiam solam profuisse, imo & sufficisse parentum fidem. & ser. 2. de assumptione B. Virginis, inquit. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, quippe cum & nunc in baptismate sola hanc maculam lauet gratia, & solam eam auferit olim petra circumcisionis, &c.

Rupertus. Isidorus. Septimo idem docuit Rupertus lib. 5. de operibus Trinitatis, c. 33. & Isidorus in Gen. c. 17. in fine explicantes illud. Peribit anima illa &c. in paruulis de pacto Adami ratione peccati originalis, a quo nisi regeneratio liberet, peribit anima eius &c.

Innocent. Postremo Innocentius III. in c. Maiores de baptismo, & eius effectu dicit, baptismum circumcisioni successisse, deinde locum illum Gen. 17. Masculus cuius præputij caro &c. explicat de adultis, & paruulis, sicut etiam illum Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & tandem assignans differentiam inter baptismum, & circumcisionem, inquit: quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamẽ perueniebatur ad regnum cęlorum &c.

Secundo principaliter probatur conclusio rationibus, & primo sic. Si circumcisio non conferebat gratiam ex opere operato, neque ex bono motu, & merito paruulorum, quẽ ipsi habere non poterant, igitur ex bono motu, & merito parentum atque fide; sed peto an id mererentur ex cõgruo, vel de condigno; non de condigno: quia nullus potest alteri mereri primam gratiam de condigno excepto Christo, vt *Alexan. de Ales. D. Thom.* docet Alex. de Ales, 3. par. quæst. 69. membr. 5. artic. 2. & D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 6. quia cum meritum de condigno innitatur iustitiæ, faciens quod necessario gratia detur necessitate immutabilitatis, non coactionis, iam illa gratia non esset gratia: quia ex iustitia debita, sicut gratia quę datur propter Christum, licet nobis sit gratia, ipsi tamen Christo debita est, sola enim gratia Christo collata sine meritis, fuit mera gratia, & summa, de quo lib. 3. sent. dist. 18. quod vero parẽtes circumcisi paruuli non mererentur de congruo gratiã patet: quia meritum de congruo non semper habet effectũ suum, vt constat ex Alex. vbi supra: quia licet sit dignitas in merente, non tamen est lex de acceptando: quia tunc esset meritum de condigno, de quo in 2. dist. 27. neque parentes aut alij credendi sunt semper fuisse in gratia, præterea cum nemo sit certus sine reuelatione de sua gratia, consequẽter neque certi essent de effectu remedij; ergo circumcisio per se ipsam, sicut dixit D. August. vel ex opere operato gratiã conferebat.

Secundo probatur conclusio. potuit Deus dare circumcisioni ex meritis Christi præuisis, quod dedit baptismo propter ipsa merita exhibita, sed pactũ de peccato originali delendo, & gratia conferenda factum fuit per illa verba. Delebitur anima illa de populo suo, cum circumcisione, & nõ cum fide, & merito; ergo circumcisio virtute sua, siue ex opere operato, idest, ratione sui, gratiam conferebat, & peccatum delebat. Et confirmatur, ista causalis est vera; quia iste infans fuit circumcisus est Deo gratus, & hæres regni; ergo cum circumcisione fuit Dei pactum, vt esset causa iustificationis vi sua, hoc est virtute ipsius operis.

Tertio probatur. circumcisio delebat adultis cum originali etiam actualia peccata, licet non tolleret totam pęnam illis debitam, sicut tollit baptismus propter satisfactionem Christi iam exhibitam; sed adultus accedens attritus putãs se contritum, consequeretur gratiam in circumcisione, quia fecit totum quod in se erat, ergo circumcisio cõferebat gratiam, ex opere operato. probatur consequentia, quia vt attrito conferatur gratia plus requiritur, quam quod applicet fidem suam informem per signum, quod de se non dat gratiam. Maior etiam probatur, quia gratia non compatitur se cum aliquod peccatum mortale, neque Deus dimidiatam tribuit veniam culparum, quem enim sanat perfecte sanat, vt docet Alex. 4. par. q. 4. memb. 7. art. 2. & D. Thom. 3. pa. q. 70. artic. 4. ad 5. Et confirmatur Pactum Dei cum circumcisione semper habet suum effectum nisi ponatur obex, vt patet. In attrito igitur vi sua habuit circumcisio virtutem conferendi gratiam. Confirmatur secundo. Illi attrito non fuit circumcisio solum signum iustitiæ fidei, cum per fidem informem iustitiam haud habuisset, neque illam assequi potuisset absque circumcisione, ideo circumcisio virtute sua illam operata est. *Alexan. de Ales. D. Thom.*

Quarto probatur. Peccator nõ iustificatur nisi aut per bonum motum proprium, aut suscepti sacramenti virtute, sed paruuli circumcisi in circumcisione iustificabantur, & non per bonum motum proprium, vt constat; ergo virtute sacramenti circumcisionis.

De modo autem quo circumcisio conferebat gratiã, theologizandum est sicut supra de sacramentis legis nouæ, & dicendum, quod circumcisio causabat gratiam per modũ causæ moralis. Cumque teneamus circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato, eam in hac parte a sacramẽtis nouæ legis non distinguimus. An vero circumcisio charactere imprimeret sicut baptismus, respondet Alex. citato mẽbr. 7. art. 1. quod non, quem sequitur D. Thom. 3. p. q. 72. art. 5. ad 3. cuius contrarium docet Scotus in 4. dist. 6. q. 9. ad 1. *Alex. de Ales. D. Thom. Scotus.*

Pro solutione argumentorum pro sententia D. Thomæ obser. est, quod in veteri lege erat vera gratia habitualis gratum faciens eiusdem rationis cum illa, quæ modo est in ecclesia. Abrahã. n. & alij patres veræ fuerunt in gratia, quod ex eo patet: quia alias non potuissent esse grati Deo. Cũ hoc verum etiam est, quod in veteri lege ex operibus legis non fuit remissio peccatorum perfecta, nec gratia perfecta, nec iustificatio perfecta; quod Paulus in epist. ad Roman. & ad Galat. & in omnibus suis epistolis intendit: quod ex eo constat si attendamus, quæ fuit illa gratia in qua a principio cõditi sumus. & quam primi parentes habebant: erat. n. adeo perfecta, quod per illam poterant ingredi regnum cęlorũ, & si non peccassent essent translati ad beatitudinem, quousque ergo homo redeat ad beatitudinem non est in gratia perfecta, atque adeo Adam licet per pęnitentiam restitutus sit in Dei gratiam, non tamen ad illam, a qua cecidit, & si gratia restituta Adæ non fuit perfecta, igitur nec illa, quæ fuit in veteri lege: quia non sufficiebat aliquem ad regnum cęlorum perducere. Ideo Baptista, inquit. Pęnitentiam agite, & appropinquabit regnum cęlorum; insinuans, quod nõdum erat apertum quousque Christus Dominus veniens illud aperiret, & si gratia veteris legis nõ erat perfecta, igitur nec remissio, nec iustificatio, nec reconciliatio: quia omnia ista sunt effectus gratiæ, & hoc est quod Paulus ait ad Hebr. 7. & 9. Nihil ad perfectum adduxit lex, & iterũ Parabola est futuri temporis iuxta quam nemo poterat perfectam facere conscientiã; significans quod lex gratiæ confert nobis perfectam gratiã talem, qualem amisimus, & a qua cecidimus; non tamen vetus, nisi imperfectã. Et ita intelligendus est Paulus quando dicit, quod illa lex non operabatur gratiam sed iram, idest, non operabatur perfectam gratiam, neque effectus eius erant perfecti, vt explicauimus. *In veteri lege erat vera gratia habitualis.* *In veteri lege non fuit gratia perfecta.*

Secundo obser. est, tria fuisse operũ genera in veteri lege, nempe moralium, iudicialium, & cæremonialium, moralia eadẽ ipsa fuerunt, quę in lege euangelica. s. decem præcepta Decalogi, iudicialia vero alia diuersa; cęremonialia, quæ numero quã plurima erant, vt esus agni paschalis, ablutiones, lotiones, & alia huiusmodi. Moralia vt cõmuniter tradũt Scholastici ratione operis non conferebant gratiã, sed tantũ per modũ meriti, sicut apud nos; dummodo ex fide Christ. formata procederent, alias essent opera moraliter bona, non tamen meritoria, neque apud Deũ grata, & hoc est qđ Paul. *Tria operũ genera in veteri lege.*

in Epist. ad Roman. & ad Gal. intendit, quod nullius opera legis valuerunt vnquam, neque valent sine fide Christi Deo placere, & quia illam gratiam in sua passione vniuersis meruit dicitur, nostra lex gratiæ, iuxta illud Ioan. Lex per Moysen data est, quæ scilicet tantum iubebat, non autem iuuabat, gratia vero, & illarum figurarum veritas per Iesum Christum facta est. Et idem omnino de iudicialibus sentiendum est. De cæremonialibus vero Scotus in hac q. sob litt. k. & Durandus q. 5. quos sequuntur moderni, tenent solam circumcisionem gratiam contulisse, sicut Baptismus cõfert, reliquarum autem cæremoniarum nullam talem habuisse virtutem, sed omnimode perinde ac reliqua opera si fierent in gratia illam per modum meriti augerent, & quando in peccato essent, tantummodo opera moraliter bona.

Scotus. Durandus.

Quod sit discrimen inter legẽ veterem, & nouam.

Tertio obser. est, vt loca frequentia scripturæ, & præcipue D. Pauli intelligamus, quibus latum discrimen assignat inter veterem, & nouam legem, quod posset quispiam arbitrari, (vbi Paulus ad Roma. 3. & ad Gal. 2. ait hominem non iustificari ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & vbi ait Ioan c. 1. Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est) hoc discrimen inter legem illam veterem, & hanc nostram constitui, quod scilicet illa non conferret gratiam, nostra vero illam efficeret, quod tamen falsum est: Nam hoc à lapsu primi hominis semper fuit commune omni legi, & sæculo, vt non nisi per vnicã fidem mediatoris implicitam, vel explicitam pateret vnquã vlli mortalium salus, iuxta illud Actuum 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus &c. & ad Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere &c. Quod Paulus ad Roma. 3. vsq; ad 8. & ad Gal. 2. vsque ad 5. constituere contendit, quare cum ait, arbitramur iustificari hominem per fidem, & non ex operibus legis, non intendit peculiare discrimen inter legem veterem, & nostram constituere, vt nõ nulli falso arbitrantur, dicentes de operibus legis antiquæ illic proprie habere sermonem, scilicet de ceremonijs, & obseruationibus legalibus, imo ut D. August. lib. de spiritu, & littera c. 14. plane docet, de omnibus operibus moralibus & præceptis Decalogi id intelligitur, cum enim populus ille se se de hoc iactaret, quod opera legis, quam diuinius susceperat, & virtute propria circumcisionis amicitiam Dei promeruisset, contendit aduersus illos probare, quod nullius gentis opera neque gentium, neque illorum, neq; ipsa circumcisio, nisi quatenus fide Christi innitebãtur digna erant gratia, & vita æterna apud Deum, & idem de operib. nostris dixisset, si per se considerentur absque fide Christi, & diuina ope. Itaque non constituebat differentiam inter legem, & legem, sed inter opera cuiuscunque legis, siue naturalis, siue scriptæ, quamuis diuinitus conditæ, siue humanæ, & fidem Christi, s. quod sola fides per Dei auxilium tribuit operibus omnibus, vt sint Deo grata, & vitæ æternæ accepta, denique errorem illum illic Paulus damnat, qui postea Pelagium excęcauit dicentem, posse hominem viribus naturalibus, & uiribus proprijs gratiam Dei promereri.

D. August.

Post Ade peccatum iustificatio hominis est per Christum.

Postremo obser. est, quod post quam Adam peccauit tota redẽptio, & iustificatio hominis innitebatur Christo, neque per alium redemptio potuit fieri, adeo vt si Adam etiã per mille annos lugeret suum delictum, non iustificaretur neque gratiam obtinuisset, quod verum esse patet ex illo Pauli. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ: & rursus, Quem proposuit Deus propitiatorem pro peccatis nostris. idem docet Concilium Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali. Ex quo colligitur, quod nullus homo potuit gratus esse Deo, neque medium habere vtile ad consequendam gratiam nisi per vnionem, & coniunctionem ad Christum Dominum, & eius passionem, & hæc est basis, & fundamentum differentiæ, quæ est inter veterem legẽ, & nouam: quia cum Christus Dominus nondum esset carni vnitus, tota vetus lex non poterat eum tangere nisi per fidem, & tanquam causa finalis, sed in lege noua est actualis, & realis coniunctio ad Christum Dominum, quia realiter est, & realiter tetigit aquas, & cætera sacramenta, & hunc in lege veteri tangimus Christum per fidem, & tanquam causam finalem, in lege autem Euangelica tangimus realiter, & coniunctione reali, & tanquam causam efficientem, ipso Domino dicente, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo: & qui mãducat hunc panem viuet in æternum. & hæc est præcipua differentia ex his quas Doctores Scholastici assignant inter sacramenta veteris, & nouæ legis.

Conc. Trid.

His obseruatis ad primum fundamentum D. Thomę ex authoritatibus sacræ scripturæ desumptum respondetur, & ad illud Pauli ad Rom. 4. respondet Alex. & Scotus, quod Abrahæ circumcisio non contulit gratiam ex opere operato, non ex defectu circumcisionis, sed ex parte circumcisi, qui iam gratiam habebat, determinabatur enim circumcisio ad tantum gradum gratiæ, quem Abraham iam attigerat, vel transcenderat; Baptismus vero cuiuscunque iustificato confert, vel auget gratiam. Abrahæ tamen gratia contulit circumcisio, siue auxit ex opere operantis: quia credo, inquit Scotus, quod actus circumcidendi se ex obedientia Dei, & ex charitate procedens ei fuit meritorius, sicut & immolatio Isaac. eodem modo respondet D. Bona. in explicatione litteræ Magistri p. 2. cub. 8. dicens, quod Abrahæ nihil intus contulit circumcisio, non quod esset in se inefficax, sed quia Abraham non indigebat, & per hanc solutionem S. Bona. q. vltima huius d. ad primum, & Scotus explicant Magistrum, quando dixit, quod in circumcisione solũ peccata dimittebantur, sed neque gratia adiuuans ad bene operandum, neque virtutum possessio in ea præstabatur: quia statim Magister subdit, vt in Baptismo, moxq; sub infert: quia quantumcunque per fidem, & charitatem ante habitam aliquis ad Baptismum accedit, vberiorẽ ibi recipit gratiam, non ita in circumcisione, igitur non fuit intentio Magistri, quod nullo modo daretur gratia in circũcisione, sed quod dabatur modica, & ad talem terminum, quem si habeat circumcisus, nihil ei conferebat.

Alexan. de Ales.

D. Bonau.

Vnde obser. est, quod circumcisio dabat determinatam gratiam, adeo quod si qui circumcidebatur non erat in gratia accipiebat gratiam. v. g. vt duo, si autem habebat gratiam vt vnum augebatur gratia illa vsque ad duo, si vero habebat gratiam, vt duo, vel vt quatuor non conferebat illi circumcisio aliquam gratiam, & hoc vult dicere Scotus illis verbis, ita ut non posset vltra illum gradum, nec inducendo, nec intendendo. Circumcisio ergo Abrahę tantum fuit signaculum iustitiæ, quam habebat, & nullam gratiam ei contulit ex opere operato, & per modum sacramenti, quia forte habebat maiorem gratiam, quam ipsa poterat præstare.

Contra ex hac solutione sequitur, quod circumcisio non erat proprie sacramentum, quod est contra te, probatur sequela, quia sacramentum est signum certum, & efficax gratiæ; sed circumcisio non erat signum certum gratię, quia gratiam semper non conferebat, ergo non erat proprie Sacramentum. Respondet Scotus, quod erat signum certum vel gratiæ, quæ tunc conferebatur, vel gratiæ, quam iam ille habebat, qui circumcidebatur, quemadmodum si B. Virgo haberet totam plenitudinem gratiæ, quam Deus statuit illi dare, si postea baptizaretur, nullam gratiam reciperet per Baptismum, & nihilominus Baptismus esset signum certũ gratiæ. non illius, quæ tunc cõferebatur, sed illius, quam B. Virgo habebat tunc temporis, quando baptismum recipiebat, uel illius quam contulisset, nisi plenitudinem gratiæ habuisset, vide Aureolum hac d. q. 3. art. 1.

Aureolus.

Dico etiam, quod D. Paulus ibi vult tãtum dicere, quod circumcisio non posuit Abraham in gratia Dei, sed quod ipse iam erat iustus ante circumcisionem, quod patet euidẽter ex contextu litteræ. Nam loquens Paulus de iustitia Abrahæ inquit, reputata est ei in circumcisione, an in præputio? non in circumcisione, sed in præputio, & signum circũcisionis accepit signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, quod dicebat Paulus ad reprimẽdam vesaniam Iudeorum existimantium solos illos iustificari, qui legem seruabant, & circumcisionem accipiebant, contra quod docet, quod ante circumcisionem iam Abraham erat iustus, non tamen negat, quod per circumcisionem acceperit augmentum iustitiæ. & si dicas erat signum iustitiæ. ergo non causa, nego consequentiam: quia Baptismus est signum gratiæ, atque etiam causa illius.

Ad secundam authoritatem dicitur, quod lex, & opera legis non causabant gratiam a se, sed a meritis Christi præuisis, & acceptatis, quia iustitia nõ erat debita legi, sed Christo, & Christus non gratis mortuus est, sicut non gratis laborat mercenarius, cuius ex parte est anticipata solutio: nam apud D. Paulum, idem est iustificari ex operibus, quod iustificari ex debito. Vnde Concil. Trid. sess. 6. c. 1. de iustificatione

Conc. Trid.

Digitized by Google

tione sic expressit. A potestate Diaboli, & mortis non modo gentes per vim naturæ, sed neque Iudæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysis inde liberari, aut surgere possent.

Theophilactus. Secundo respondeo cum Theophilacto, quod Paulus tantum significare vult, quod lex vetus cessauit in morte Christi: Agebat enim cum Galatis, quibus ipse iam Euangelium prædicauerat, partim autem cum Iudæis suæ legis amore detentis. Alij vero Doctores esse cupientes, inquit Theophilactus, docebant Iudæos circumcisionem esse retinendam, & legem esse seruandam; contra quos D. Paulus scripsit illam epistolam ostendens, vim legis cessasse per Euangelium: quia alias inquit Paulus, si adhuc per legem esset iustitia, gratis Christus mortuus esset. & per idem patet ad 3. & 4. authoritatem.

Ad quintam dico, D. Paulum hoc solum & præcise docere, quod apud Deum non est personarum acceptio, atq; adeo non valet aliquid circumcisio, id est, Iudęum esse, neq; præputium, id est, gentilem esse. Hoc, inquit, nihil prodest apud Deum, sed habere fidem, & charitatem. Hinc tamen nullo modo colligitur, sacramentum circumcisionis non fuisse gratiæ causam.

D. Hierony. Ad vltimam authoritatem dico primo cum D. Hieronymo, quod D. Paulus loquitur contra illos, qui post acceptam Euangelij gratiam ad Iudaismum reuertebatur, nam ante sufficientem Euangelij promulgationem diuitijs plena erant sacramenta veteris legis: quia circumcisio gratiam conferebat; & alia Christum venturum significabant; post autem sufficientem Euangelij promulgationem facta sunt infirma & egena. Dico secundo, quod D. Paulus non loquitur de sacramentis veteris legis, sed de impijs superstitionibus gentilium, vel de ritibus Iudæorum, nempe de obseruatione Neomeniarũ, & feriarum &c. Nam vt notãt *Chrysosto. Theophilactus. Anselmus.* Chrysostom. Theophilactus, & Anselmus, loquitur cum illis qui erant conuersi ex gentilibus, ad quos dicit, Tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt Dij seruiebatis, id est, antequam Deum cognouissetis per prædicationem meam seruiebatis Idolis. Nunc autem cum Deum cognoueritis, quomodo iterum conuertimini, ad egena, & infirma elementa. id est, secundum Anselmum ad impiam obseruantiam Solis, Lunæ, & Stellarum, Cœli, ac terræ? quæ quidem sunt infirma quantum ad vos, quia nequeunt vos adiuuare, & egena, quantum ad se, quia nihil habent nisi ex Dei dispositione; His tamen post nostram conuersionem vultis denuo seruire sicut antea. Nam dies obseruatis dicentes, non proficiscar hodie, quia posterus dies est; &c. vide Anselmum. Ecce ergo quod non loquitur de circumcisione, neque de sacramentis veteris legis.

Vel si sit sermo de sacramentis veteris legis, id est, de ritibus Iudęorum, sensus est. Quomodo postquam vobis veritas illuxit conuertimini iterum ad elementa, id est, ad carnalia legis mandata, quę sunt diuini cultus Iudæis exordia, quibus denuo vultis seruire, sicut quondam eis seruierunt Iudæi, sed iam ab eorum seruitute sunt liberati. Illi desierũt eis seruire, & vos qua ratione vultis iterum eis seruire? quæ scilicet elementa, id est, carnalia legis præcepta, prius fortia, & velut quandam firmitatem dantia steterant, dũ Iudæos adhuc comprimerent, & cohortarentur ad iustificationem fidei, & ad maiorem Dei notitiam paulatim promouerẽt; & erant ditia dum locupletarent eos, dando quandam ipsis apud homines iustificationem, vt non punirentur, vt nihil mali paterentur. Hæc namque erant illis quædam diuitiæ, quæ præparabant illos ad veras diuitias, ad fidem scilicet, & iustificationem, nec non & ad hæreditatem in supernis accipiendam; sed nunc infirma & egena sunt hæc elementa: quia postquam veritas aduenit iam neminẽ ad eius susceptionem præparant, iam neminem ad Dei cultum constringunt, iam nihil præfigurant, nihil cultoribus suis prosunt, nihil conferunt, & his ita destitutis, & inanibus elementis vultis denuo seruire, sicut ante veritatis aduentum Iudæi quondam illis seruierunt. Nam obseruatis, id est, obseruare disponitis dies. id est, sabbata, & menses, id est, primũ & septimum mensem, & exordia mensium. id est, neomenias; & tempora, sicut quando Iudæi ter in anno ad templũ conueniebant, ac solemnitates agebant, & annos, sicut septimum, & quinquagesimum annum; ex quibus patet D. Paulum vel tantum loqui de gẽtilium impijs superstitionibus, vel de Iudæorum ritibus, qui post Euangelium promulgatum infirma, & egena sunt elementa. Vide Magistrum super epist. ad Gal. c. 4. & Caiet. ibidem.

Ad tertium fundamentum dico, quod eodem modo militat Concilium contra D. Thomam, sicut contra Scotum, Nam sicut Concilium dicit, quod sacramenta veteris legis non causabant gratiam, ita dicit quod illa sacramenta significabant gratiam dandam esse per Christi passionem, ergo eodem modo colligere possumus, quod circumcisio non significabat gratiam tunc dari, sed postea dandam esse per Christi passionem, quod est contra D. Thomam, qui docet, quòd circumcisio significabat gratiam, quæ tunc dabatur per fidem. Nam q. 70. art. 4. tenet, quod in circumcisione cõferebatur gratia, quantum ad omnes effectus gratiæ excepto ingressu Regni cœlorum.

Respondetur ergo primo ex Scoto, quod sacramenta legis veteris dicuntur non conferre gratiam; quia circumcisio dabat paruam gratiam respectu Baptismi; quod enim est paruum respectu alterius magni reputatur pro nihilo, vt dicitur 2. Physic. tex. c. 56. Quod parum distat tanquam nihil distare videtur. Sic Ecclesiastes, id est, respectu æternorum, omnia creata dixit esse vanitatem. *Scotus.* Eamdem differentiam, & responsionẽ affert Victoria, vt legitur in summa sacramentorum penes gratiam perfectam, quæ prestatur per sacramenta nouæ legis, quæ non dabatur per sacramenta veteris legis. *Victoria.*

Secundo respondetur ex Alex. m. 7. art. 2. ad 1. vbi exponit illud Pauli. *Ale. ã Ales.* Ex operibus legis non iustificatur, &c. quod opera legis dicuntur ea, quæ cum lege instituta atque terminata sunt, & idem dicit Glossa ordinaria; *Glossa ordi* Ita dico, quod sacramenta veteris legis, de quibus loquuntur Concilia, sunt illa, quæ præcisè ad eamdem legem pertinebant, in ea instituta, & cum ipsa terminata. Circumcisio autem non fuit præcisè veteris legis, quod etiam Christus Dominus Ioan. 7. asseruit dicens. Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse, sed ex patribus, ergo circumcisio fuit ante legem instituta, atque ita non fuit præcisè sacramentum legis veteris; atque adeo Concilia non militant contra nostram sententiam.

Tertio respondetur (& hæc responsio est explicatiua secundę) quod circumcisio potest considerari bifariam, primo vt sacramentum legis veteris, & hoc modo simpliciter verũ est, quod non magis habuit virtutem ad conferendam gratiam, quam alia vetera sacramenta; *Circumcisio bifariã considerari potest.* secundo potest considerari, vt habet conuenientiam, cum sacramento legis naturę, & idem munus ac officium obtinebat, simul cum propria institutione, & hoc modo habuit eamdem vim conferendi gratiam, quam habuit sacramentum legis naturæ. Modo Concilium non negat vim conferendi gratiam omnibus sacramentis, quæ fuerunt ante Christi incarnationem, sed solũ veteris legis sacramentis, atque adeo hæc definitio non obstat, quominus sacramentum legis naturæ hãc virtutem habuerit, & consequenter etiam circumcisio, vt eam rationem participauit; & confirmatur hæc responsio; quia ex illa generali doctrina Concilij non solum colligitur, sacramenta vetera non dedisse gratiam, sed etiam in eis datam non fuisse, ergo necesse est aliquo modo excipi circumcisionem, in qua secũdum omnes Theologos dabatur gratia. ergo etiam si dicamus circumcisionem sub ea ratione etiam dedisse gratiam ex opere operato, non est contra definitionem Concilij.

Respondetur quarto. Concilium non esse locutum de gratia, quæ dabatur in circumcisione, quia alias non diceret, quod significabat gratiam dandam esse, sed tunc dari. loquitur ergo de gratia plena & perfecta, quæ erat danda per Christi passionem; in quo sensu lex Euangelica dicitur lex gratiæ: Nam vt tetigimus supra in primo notabili, gratia perfecta & plena ea dicitur, quæ remedium præstat contra omnem indigentiam vitæ spiritualis, v.g. Baptismus est regeneratio in vita spirituali, quæ respondet natiuitati naturali, & sic de alijs sacramentis. Sensus ergo Concilij est, quod sacramenta veteris legis non causabant istam plenam gratiam, sed solum significabant dandã esse per Christi passionem; & colligitur hanc esse mentem Concilij ex verbis, quæ sequuntur scilicet, Horum quinque scilicet sacramentorum; primum ad spiritualem vniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo vltima ad totius ecclesiæ regimẽ, multiplicationemque ordinata sunt: Per Baptismum enim renascimur in vita spirituali, per confirmationem vero augemur

Digitized by Google

gemur in gratia, & roboramur in fide. Renati vero, & roborati nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia, quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiã spiritualiter sanamur. Hæc Concilium. ex quo patet quod omnia sacramenta nouæ legis simul plenam causant gratiã absolute, singula vero causant plenam gratiam ad aliquam indigentiam particularem, quod non reperitur in sacramẽtis veteris legis: quia non causabant plenam gratiam in cõmuni, neque in particulari.

Potest etiam dici, quod Concilium loquitur de iustificatione perfecta, quæ sufficeret ad faciendos beatos decedentes ex hac uita sine aliquo reatu proprio delictorum, quod non contingebat per gratiam, quam cõferebat circumcisio, quia nulli veterum tantam gratiam est per illam præstita, quæ sufficeret ad regni celorum consecutionem, antequam ipsius ianuam Christus passus reseraret, & quidem Conc. Flor. sic esse exponendum ex eo constat: quia dixit sacramẽtis veteris legis non dedisse gratiam, sed eam solũ per Christi passionem dandam esse figurasse: Gratia enim per passionem Christi danda erat veteribus, quæ sufficeret ad consecutionem regni cælorum, quam circumcisio, & veteris legis sacramenta non præstabant.

Ad tertium fundamẽtum ex authoritatibus sanctorum. Ad D. Ambrosium dico, quod fœdus illud, de quo loquitur Deus Gen. 17. est promissio facta Abrahæ, quod ex semine eius nasciturus erat Christus in remedium totius mundi, in cuius fœderis signum dedit illi circumcisionem, notat igitur Ambros. in signum dixit non in causa, id est, non putetis, quod circumcisio fuerit causa, quod Christus nasceretur ex Israel, sed fuit signũ liberæ promissionis factæ Abrahæ. vbi D. Ambros. non loquitur de gratia iustificante, quæ in circumcisione conferebatur, sed de promissione Abrahæ facta de Messia.

Secundo dico, quod si loquitur de gratia iustificante, est intelligendus sicut locus ille D. Pauli ad Roman. 4. s. quod accepit circumcisionem in signum iustitiæ, quam ipse Abraham habebat, non in causam: quia non est iustificatus per circumcisionem, sed ante illam erat iustus, non tamen negat, quod per circumcisionem acceperit augmentum gratiæ; vel tertio, vt dicit Scotus non contulit illi gratiam, quia maiorem habebat, quam circumcisio præstare poterat.

Ad D. August. dico, quod ibi nihil aliud intendit, nisi quod nullum opus est alicuius valoris apud Deum secluso merito, & fide Christi, & ideo dicit, si tota lex non iustificabat, supple, secluso merito, & fide Christi, quãto magis pars ipsius legis, scilicet circumcisio non iustificabit secluso merito, & fide Christi.

Ad B. Hieronymum dico, quod loquitur de circumcisione post Euangelij promulgationem, quam tunc temporis dicit non habere valorem, & illam esse illius mentem colligitur ex verbis ipsius, quæ sequuntur: dicit enim. Nec vos moueat, quod Sephora tollens calculum petreum circumcidit: nam nunc Paulus non tam circumcisionem non prodesse, quam nihil valere in Christo Iesu testatus est: nam postquam Euangelium radicauit in toto orbe superflua est circumcisionis figura. Hic autem non loquitur de circumcisione ante Euangelium, sed post, & ideo dicit, quod circũcisio valet sicut cætera opera legis, id est, sicut cætera valuerunt vsque ad Euangelium, & ibi cessauerunt, sic etiam circumcisio.

Ad quartum fundamentum ex ratione desumptum dico ad primam, quod erat causa in ratione passionis futuræ. Ad improbationem distinguo. Causa est duplex. s. Physica, & moralis. Item causam præcedere effectum contingit dupliciter, scilicet in reali existentia, vel exhibitione, & in acceptatione diuina: dico ergo, quod passio Christi fuit causa virtutis circumcisionis, per modum causæ moralis, quæ sufficit, vt præcedat in diuina acceptatione.

Causa est duplex.

Quare circumcisio nõ aperiebat ianuam.

Ad secundam dico, quod licet verum sit circumcisionẽ non aperuisse ianuam, hoc tamen non fuit ex circumcisionis defectu, quod scilicet gratiam non conferret, sed quia cucurrit tempore, quo precium humanæ salutis solutum non erat, & quod hoc sit verum, probat Scotus ex eo, quod postquam pretium fuit solutum per passionem Christi, & nondum obligabat Baptismus, hoc est, ante plenam Euangelij promulgationem, si aliquis moreretur circumcisus, & non baptizatus; ad quem. s. Euangelij promulgatio nõdum peruenerat, esset illi aperta ianua celi. Item si paruulus circũcisus statim moreretur per biduum, aut triduum post mortem Saluatoris, aut ante plene promulgatum Euangelium ad sinum Abrahæ descendere non debebat, cum per passionem Redemptoris omnes inde educti fuissent, nec ad incendia gehennæ, aut purgatorios ignes, aut limbum paruulorum, cum nullum haberet peccatum, & si aliquis baptizatus similiter moreretur ante passionem esset illi pro tunc clausa ianua regni cœlestis, sicut patet de Ioan. Baptista quẽ a Christo baptizatum tradunt Theologi, & tamen ad sanctorum limbum descendit: quoniam ante Christi passionẽ decessit. lege Abulensem paradoxa. 5. cap. 158. & 159.

Abulensis.

Ad tertiã dico, quod Baptismus quantum ad actum exteriorem, non significat nisi quandam ablutionem immunditiæ corporalis, & tamen nullus negat esse aliquem effectum positiuum illius. Similiter circumcisio quo ad actum exteriorem per illam præputij ablationem significabat purgationem aliquam, cum hoc tamen significabat gratiam in esse, vel in fieri. Vnde obser. est, quod licet omnia sacramenta significent gratiam, cum hoc tamen stat, quod habeant alia significata, propria, & proxima, quę significata sũt ipsius gratiæ effectus, nam duplex est sacramentorum significatũ; vnum remotum, & principale, & illud est gratia. alterum proprium, & proximũ, qui sunt ipsius gratiæ effectus, v. g. Baptismus principaliter, & remote gratiam significat, proprie autem, & proxime ablutionem animæ a peccato, quæ quidem ablutio est vnus de gratiæ effectibus: siquidẽ gratia plures habet effectus. Vnde constat, quod sacramenta ex parte significati proximi possunt adinuicem distingui, non tamen ex parte significati remoti; atque adeo gratia sacramentalis, seu quæ datur in sacramentis eadem est realiter, & essentialiter siue specifice, cum gratia gratum faciente, tamen differt ratione: quia habet particulares effectus, ad quos Deus auxilio speciali concurrit, vt docet S. Bona. hac d. q. 6. effectus Baptismi, qui est remissio originalis peccati, & peccatorum actualium, & pœnarum eis debitarum diuersus est ab effectu confirmationis, qui est robur in fide, atque ita de alijs effectibus aliorum sacramentorũ, de quibus inferius agendum est. Ad maiorem ergo argumenti dicit Scotus, quod Sacramentum magis proprie significat illum effectum in anima, ad quem in Sacramento gratia cõfertur, quam ipsam gratiam, effectus vero gratiæ proprius tam in circumcisione, quam in Baptismo est ablutio animę a peccato, licet concomitetur alius effectus, qui est acceptatio ad vitam æternam. & ad minorem dicimus, quod circũcisio significabat tanquam significatum proprium, & proximum ablutionem animæ a peccato, remote vero significabat gratiam, quam ex vi sua præstabat.

Duplex est sacramentorum significatum.

D. Bona.

Ad argumenta Vasquez: ad primum concedo totum id quod infert, cuius oppositum non probat. Non enim necesse est fidem Ministri circumciso applicari, sed Synagogæ, & legis Moysis.

Ad secundum, etiam & tertiam concedo, quod infertur, & nullum sequitur inconueniens, & ad tertium specialiter dico, quod, & si Abrahæ circumcisio gratiam non contulit, non fuit, vt diximus, ex defectu circumcisionis, sed quia erat in statu gratiæ vltra quem circumcisio gratiam augere non poterat, cum esset determinata ad certum gradum gratiæ: vel dicas quod etsi circumcisio non contulit Abrahæ primam gratiam, quia iam iustificatus erat, contulit nihilominus gratiæ augmentum, & hoc non negat D. Paulus ut diximus supra. Et hæc quidem de circumcisione dicta sufficiant, qui plura de ea scire desiderat legit Alex. de Ales. D. Thomam; D. Bon. Richardum, & cæteros scholasticos locis supra citatis.

QVAESTIO VII.

Vtrum in tempore legis naturæ fuit aliquod Sacramentum correspondens circumcisioni.

PRo huius tituli explicatione obser. est primo, quod post lapsum Adæ tria tempora distinguũtur a Doctoribus: primum fuit legis naturæ, quod communiter a lapsu Adæ vsque ad Moysem durauit, dixi communiter, quia circumcisio, quæ in lege scripta permansit, multis annis legem antecessit a diebus Abraham, cui præcepta fuit, ideo proprie tẽpus hoc legis naturæ solum vsque ad mysterium circumcisionis extenditur. Illud enim proprie tempus legis naturæ

Tria tempora distinguuntur post Adæ lapsum.

ap-

appellatur in quo tantum uigebat lex naturalis in mentib. hominum scripta, & nulla fuerant a Deo data specialia præcepta, quibus peculiaris cultus, aut determinatæ cęremonię ordinatie, & regulariter hominibus præciperentur.

Secundum tempus fuit legis scripræ, quod a Moyse vsque ad Christum numeratur. tertium est Euangelicæ legis seu gratiæ, quod a Christo Domino ad vltimum vsq; Iudicij diem protenditur. Subdistinguitur tamen tempus legis naturæ in tempora duo, quorũ alterum ab Adam durauit vsque ad Abraham, quando videlicet Deus circumcisionẽ Abrahæ iniunxit, quæ ab ipso Abraham vsq; ad Christum durauit. Alterum vero legis naturæ tempus durauit ab Abraham vsq; ad Moysem, qui post quadringentos, & eo amplius annos, a circumcisionis institutione legem Dei tulit Hebræis. Vnde quæstio Scoti proposita intelligenda est de tempore lapso a peccato Adæ, vsque ad circumcisionem Abrahamo mandatam.

Nullus fuit saluus post Adæ peccatum sine fide Mediatoris. Magister. Doctores. Secundo obser. est, quod post Adæ peccatum nullus vnquam fuit saluus salute gratiæ nisi per fidem explicitam vnius Dei, & implicitam saltem Mediatoris, seu Redemptoris hominum peccato subiectorum, vt tradit Magister cum Doctoribus Scholasticis in 3.d.25. & ibi Scotus q.1. atque ita dicitur a Doctoribus, quod fides antiquorum, & nostra est eadem, videlicet identitate specifica eiusdem fidei infusæ, & identitate eorumdem credibilium explicite tamen, vel implicite de quo latius in 3.sent. loco supra citato.

Quare tempus ab Adã vsq; ad Moysem appelletur legis naturæ. Tertio obser. est, quod tempus lapsum ab Adam vsq; ad Moysem appellatur tempus legis naturæ, non ideo, quod illi qui tunc vixerint solum seruauerint tanquam necessaria ad salutem præcepta legis naturæ, vt quidam falso putauerunt, sed ideo tempus legis naturæ nuncupatur: quia illa præcepta, quæ tunc seruabantur tanquam necessaria ad salutem, non erant illis tradita per legem aliquam scriptam, sicut tpe legis Moysis in monte Syna Iudæis tradita sunt.

D. Thomas. Quarto obser. est, quod circa hanc propositam quæ. tres sunt opiniones: prima est S.Thomæ. 3.p.q.61.art.3. ad a. & q.70.art.4. qui vtranq; partem probabilem esse iudicat. secunda est D.Bonauen. in 4.d.1.p.1.ar.a.q.1. & a & Richar. eadem d.ar.5.q.1.& 2. *D. Bonauẽ. Richardus.* Qui defendunt sola fide parentum nullo exterius adhibito signo homines tunc a peccato purgari, adeo quod volunt illum actum solum fuisse internæ fidei, sic tamen, quod per fidem non intelligatur sola credulitas intellectus, sed aliqua alia moralis actio interior a fide manans, qua parens filium suum Deo offerret, vel salutem spiritualem ipsius deprecaretur, vel aliquod simile. tertia opinio fuit Alex. de Ales. p.4.q.2. in 5. artic. primo, quem secuti sunt Scotus hac q. Durandus quæst. sexta, & Gab. q.a. dub.1. & cæteri Theologi in 4. ij affirmant in lege naturæ fuisse aliquod Sacramentum proprie dictum, excepto Durando, qui negat illus sensibile signum fuisse Sacramentum. *Alexan. de Ales. Scotus. Durandus. Gabriel.* Vnde nos pro ampliori huius difficultatis explicatione diuidimus hanc quæstionem in quatuor articulos.

Primus Articulus. Vtrum ante circumcisionem datum esset paruulis remedium aliquod contra originale peccatum.

Secundus Art. Vtrum ad tollendum peccatum originale infantium in lege naturæ sufficiens fuerit interior fides parentum, vel fuerit præterea necessaria aliqua actio exterior.

Tertius Art. Vtrum in lege naturæ fuerit institutum aliquod verum sacramentum, quo peccatum originale deleretur.

Quartus Art. Vtrum in lege naturæ, & in lege Moysis fuerint alia sacramenta præter id, quo peccatum originale remittebatur.

ARTICVLVS I.

Vtrum ante circumcisionem datum esset paruulis remedium aliquod contra orig. peccatum.

HAEc quæstio specialiter intelligitur de infantibus, quia de adultis non est dubium, quin saltem per conuersionem in Deũ ex vera fide per charitatem operãtem possent iustificari, & ab originali peccato facilius, quã ab actuali liberari. Et ratio dubitandi est, quia fuit quorundã sententia, dicentium ante tempora scriptæ legis, nullũ fuisse a Deo institutum remediũ, quo peccatum originis paruulis remitteretur, & eos toto eo tempore fuisse omni remedio ad id peccati delendum plane destitutos. Quæ opinio fundamentũ habere potuit, quia in tota antiquitate fere nulla est mentio huius remedij, saltem ante D. Augu. in scriptura. n. nihil de eo legitur, nec aliquis Sanctorum Patrum ante August. huius remedij meminit.

Tum quia ipse D. Aug. in li. de bono perseuer. c.12. & lib. de nat. & grat. ca 8. Dicit esse aliquos paruulos, quos Deus saluare noluit, neq; de remedio illis prouidere, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt paruuli, qui in vteris matrum moriuntur a principio mundi vsq; ad finem. & non sunt pauci, sed in multitudine ẽt pene infinita, & tamen omnes illos reliquit sine remedio, non solum in lege naturæ, & veteri, sed ẽt in lege gratiæ: quia in eis est sufficiens causa suæ damnationis. s. originale peccatum. Quid ergo si aliquis idẽ dicat de omnibus illis paruulis: qui in lege naturæ mortui sunt: quia in illis etiam fuit sufficiẽs causa damnationis, & materia in qua ostendi posset diuina iustitia, præsertim cum Paulus Actorum 17. ætatem illam vocet Tempora ignorantiæ, quæ despexit Deus. *D. August.*

Cæterum hæc opinio nullo modo mihi probabilis videtur, quoniam aduersatur D. Augu. li. 5. contra Iulianũ. c.9. vbi ait. Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidẽ eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos fuisse paruulis suis, quãuis quid illud esset, aliqua necessaria causa, scriptura latere voluerit: nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtiq; sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis iam tempore nascẽtibus paruulis offerebantur sacrificia pro peccatis. Hæc August. similia habet li. a. de Nuptijs & concupiscentijs, c.11. et li. a. de pecc. meri. & remiss. c.9. Quem postea secuti sunt D. Gre. Beda, & Hugo de Sancto Victore locis infra citandis, & videtur esse sententia Innocentij 3. cap. Maiores de Bap. vbi cum docuisset Baptisma prodesse nũc paruulis, sicut eis Circumcisio prius conferri poterat, postea quasi generalẽ reddens rationem subiungit hæc verba. Absit. n. vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem. Quæ verba & generalia sunt, & de omnibus tẽporibus æque procedũt. *D. Gregor. Beda. Hugo. Innocentius*

Secundo hæc sententia cum omniũ Thelogorum consensu aperte pugnat. tertio, quia nulla authoritate aut ratione comprobatur, & certe verisimile non est tanto tempore diuinam prouidentiam tam humanæ salutis amantẽ paruulis subsidium ad vitam æternam necessarium denegasse.

Omnino ergo affirmandũ est in lege naturæ fuisse aliquod remedium ad infantiũ salutem a Deo institutum. Ita docent oẽs Theologi in 4. d.1. & 2. absq; vlla controuersia. Alex. de Ales. p.4.q.2. in 5. ar.1. & D. Tho. 3.p.q.70. art.4. ad a. ait, quod probabile est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maxime in necessitate siue in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei, sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant. Solutio ergo huius difficultatis duab. cõclusionibus explicatur. *Alexan. de Ales. D. Thomas.*

1. Conclusio Prima conclusio. In omni tempore necessaria fuit ad salutem culpæ originalis deletio. probatur, peccatum originale priuat hominẽ gratia, & visione diuina, igitur vt aliquis saluetur, & consequatur illam, oportet, quod peccatum originale ab illo deleatur.

2. Conclusio Secunda Conclus. Nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio ad salutẽ necessario. probatur. 1. ad Thim. 2. Deus vult oẽs homines saluos fieri. s. antecedẽter: quia regulariter dat omnib. omnia ad salutẽ sufficientia, & necessaria, vt comuniter docent oẽs Doctores. hæ duæ cõclusiones sunt Scoti in hac q. sub litt. a, §. Respondeo &c.

Ad fundamentũ contrariæ sententiæ respondeo, id temporis quidẽ non legimus fuisse ex lege diuina aliquod certum, & definitũ signum externũ, sed fuit, & Deus pro sua benignitate, quibus voluit gratis, & liberaliter parentib. patefecit signum fidei, & religionis sacramentum, quo infantes munirent, vt eos a peccato originis mundarent.

Et licet sine iniustitia potuerit Deus permittere omnium illorum paruulorum damnationem, eosq; sine remedio relinquere, non tamen est consentaneum diuinæ prouidentiæ, neque illi generali voluntati, qua vult omnes homines

saluos

saluos fieri, vt Innocentius supra relatus significat, nam illa voluntas saltem est antecedens, ergo ad illam spectat vt Deus det omnibus sufficientia media ad salutem, modo accõmodato iuxta singulorum capacitatem, atq; adeo sic in illa generali voluntate paruuli comprehenduntur, debuit Deus in omni lege aliquod remedium eis prouidere, nam hoc postulat mortalitas, & fragilitas humanæ naturæ, ex qua tanta certitudine, ac necessitate sequitur multorum mors ante adultam ætatem, vt non possit censeri hominibus sufficienter prouisum, nisi etiam infantium ante vsum rationis morientium ratio habeatur.

Nec verò simile est de infantibus, qui in vtero moriuntur: quia pro illo statu non censentur capaces remedij, quod per homines, & modo accommodato hominibus applicari possit, cum nondum in hanc lucem sint editi, & vix cadant sub cognitionem humanam. Nam vt inquit Alex. loco citato. *Ale. ã Ales.* Paruulus dum est vna caro, per quandam continuationem cum matre, subiacet legi originalis peccati, quod per carnem contractum est, vt duret ratio iustitiæ manente illa continuatione; Cum iam separantur, vt non sint vna caro quodammodo, tũc conuenienter datur remedium in signo sensibili, quod contingat natum siue nascẽtem; vt sicut quodammodo (sicut dicit August. ad Dardanum) *D. August.* nemo renascitur proprie antequam nascatur, & intelligitur de hoc, quod est per Baptismum Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c. ita nec mundabatur ab originali adhibito signo sensibili cum fide antequam nasceretur.

Negandum est ergo Deum aliquem reliquisse sine remedio ad salutem, iuxta sui status capacitatem. Nam licet non de singulis in particulari prouiderit, vt eis efficaciter applicaretur remedium generaliter omnibus prouisum, tamen quantum in ipso est, omnibus prouidit. Præuidens autem in quibusdam futurum esse impedimentum, ne eis possit remedium ad salutem applicari: id permittere voluit; & hoc sensu dixit D. August. quosdam sine remedio reliquisse, hęc enim permissio, seu voluntas non repugnat vniuersali, ac sufficienti gratiæ, quam de se omnibus obtulit, & ideo esse potest accommodata ad manifestationem diuinæ iustitiæ, secus vero est de voluntate relinquendi, aliquod genus hominum sine sufficienti remedio pro aliquo statu, id enim quamuis ex rigore iustitiæ fieri posset, non esset tamen consentaneum generali voluntati, qua Deus omnibus hominibus redemptionem, ac salutem obtulit.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad tollendum originale peccatum infantium in lege naturæ sufficiens fuerit interior fides parentum, vel fuerit præterea necessaria aliqua actio sensibilis exterior.

DE hac re tres sunt opiniones. prima est aliquorum putantium tempore ante circumcisionem institutam paruulos à peccato originis mundari solitos, ex hoc solũ, quod piorum parentum filij essent, & ex pijs parentibus nascerentur; Hoc enim erat fide parentum saluos fieri. Verum hæc opinio communi doctrinæ Scholasticorum repugnat, qui docent fide parentum paruulos saluari, quatenus ea fides aliquo actu externo referebatur, & dirigebatur in paruulos.

Secunda opinio fuit aliquorum, qui docuerunt ante circumcisionis legem infantes à peccato originis purgari sola interiori parentum fide, nullo signo exterius adhibito, & ij sunt bipartiti: nam quidam sentiunt illum actum solum fuisse internæ fidei, ita tamen vt per fidem non intelligatur sola credulitas intellectus, sed aliqua alia moralis actio interior à fide manans; qua parens filium suum Deo offerret, vel salutem spiritualem ipsius deprecaretur, vel aliquid simile. ita sentit D. Bonauent. hac d. p. 2. art. 2. q. 1. & 2. & Richardus *D. Bonauẽ. Richardus.* eadem d. art. 5. q. 1. qui dicit, quod sicut peccatum originale in paruulo est non ex actione propria, sed aliena, rationabile fuit vt ei posset subuenire fides aliena: quia cum non habeat vsum rationis non potest sibi propria fides subuenire. Et quia dirigens suam fidem ad salutem paruuli eis subueniebat per modum meriti de congruo, & meritum proprie loquendo in actu consistit, ideo non sufficiebat ad remittendum originale peccatum fidei habitus, sed requirebatur ad hoc fidei actus, & quia directio actus fidei ad paruulum est per intentionem, & ideo requirebatur intentio applicans illum actum ad paruuli mundationem. Ita Richardus.

Quidam vero alia via defendunt eamdem sententiam dicentes per interiorem fidem parentum fuisse paruulos iustificatos ex vi diuinæ promissionis, & quasi ex opere operato; Vnde consequenter negat fuisse tunc institutum aliquod sacramentũ in remedium paruulorum: quia non erat signum sensibile, sed actus mere interior, quod si interdum adiungebatur exterior, id erat accidentarium: nam ex vi solius interioris actus, esset iam collatus effectus. ita docuit D. Thomas *D. Thom.* in 4. d. 1. q. 2. art. 6. quæstiun. 1. & 2. & eam late defendit Sotus *Sotus.* in 4. d. 2. q. 1. art. 4. circa medium.

Et probatur primo hæc sententia authoritate D. Greg. 4. *D. Grego.* Moralium. c. 2. & 3. vbi dicit, quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc apud veteres egit vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahę stirpe prodierant mysterium circumcisionis, vbi vt differentiam aliquam constituat inter paruulos, & adultos intelligere necesse est, cum dicit solam fidem sufficisse pro paruulis, excludere omnem actum externum, alioqui nulla esset differentia, atque eodem modo loquitur Beda *Beda.* lib. 2. in Lucam. c. 8. & Bernardus *Bernardus.* epist. 77. & Hugo *Hugo.* lib. 1. de sacramentis p. 2. c. 3. & 6. & p. 9. c. 5. qui addit fuisse quidem in ea lege aliquod sacramentum pro paruulis, illud tamen fuisse deuotionis, non necessitatis.

Secundo arguit Sotus (& hoc argumentum videtur sibi insolubile) si tunc temporis esset aliquod sacramentum, vel esset ex diuina institutione, vel ex humana, non ex humana: quia hoc est contra rationem sacramenti, ergo ex diuina; sed hoc est falsum: Tum quia illud sacramentum esset tunc vnũ in toto orbe, sicut nunc Baptismus, & in lege Moysis circũcisio: quia non est ratio quare Deus instituat vnum sacramentum in vna parte, & aliud in alia. Tum secundo: quia præceptum esset in toto orbe suscipiendi tale sacramentum, quia omne remedium necessarium ad salutem est sub præcepto, vt patet de circumcisione & Baptismo, sed vtrumque horum est falsum, ergo illud ex quo sequitur. probatur minor, quo ad primam partem. Idem sacramentum, quod erat probabile in lege naturæ mansit in lege veteri pro fœminis; sed pro fęminis in lege veteri, non erat aliquod signum sensibile determinatum; ergo nec pro omnibus paruulis in lege naturæ; patet minor: quia Iudęi huius tẽporis non vtuntur signo sensibili determinato in sanctificationem pro fœminis, & tamen exactissime dicunt se legem Moysis seruare: probatur secunda pars minoris, atque etiam prima: quia si esset vnum sacramentũ, & sub præcepto non posset diuulgari per vniuersum Orbem nisi scripto, atq; ita illa lex non esset dicenda lex naturæ, sed scriptura, sicut lex Moysis, quod est falsum.

Tertio arguitur. Secundum commune dictum Theologorum pueri saluabantur in lege naturæ, in fide parentum ergo non erat aliquod sacramentum; probatur consequentia: quia iam non dicerentur saluari in fide parentum, sed per illud sacramentum, quemadmodum in lege noua dicuntur saluari per Baptismum, & in lege veteri per circumcisionem.

Tertia sententia, quæ est alijs longe probabilior est, hoc *Tertia op.* remedium paruulorum in lege naturæ non fuisse positum in solo interiori actu, sed debuisse applicari per actum aliquem externum, qui esset veluti exterior professio interioris fidei. Hæc est Communior sententia Theologorum. Alex. de Ales. Durandi, Palud. Maioris, Gabriel. Adriani. q. vltima de Bap. ad 2. Armachani lib. 8. de quęst. Armen. c. 27. & Doct. nostri sub. in hac q. sub lit. b. §. Et magis probabile est, &c. *Ale. ã Ales. Durandus. Palud. Maior. Gabriel. Adrianus. Armachan. Scotus.* probatur primo ex D. August. li. 19. contra Faustum c. 11. dicente: In nullum nomen religionis possunt homines colligari, nisi aliquorum signorum velut sacramentorum visibilium consortio colligantur.

Secundo probatur. Ecclesia est, & fuit semper visibilis, & sensibilis (vt latissime & doctissime probat Nicol. Sand. *Nico. Sand.* in lib. de visibili ecclesiæ monarchia, & etiam nos in 2. p. 3. sent. in quæst. de Ecclesia) & non inuisibilis vt hæretici fabulantur, ergo semper habuit visibilia & sensibilia signa, & sacramenta, quibus membris suis erat manifesta, quibusue ad inuicem membra illius sibi, & suo capiti colligabantur. Et confirmatur. Pro statu toto naturæ lapsæ congruunt homini sensibilia signa respectu spiritualium, vt supra probatum

Digitized by Google

tum est, ergo consentaneum rationi est, aliquod sacramentum sensibile suisse institutum à Deo contra originale peccatum, per quod quidem sacramentum fidem protestabantur Mediatoris pro paruulis quidem adulti; pro seipsis vero adulti per aliquod sacrificium.

D Cyprian. Tertio probatur authorit. D.Cypriani lib.de card.Christi operibus.cap.de circumcisione, vbi ita scribit: sanè originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis huius successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint donec ad rem ipsam ventum est, quæ figuratū operiebatur velamine. Vbi aperte dicit illa remedia habuisse significationem sensibilem, & statim illa vocat sacramenta, & rationem reddit, cur externis actionibus fieret, scilicet ad præfigurandam Christi mortem, & diuinam sententiam ab initio in peccatum prolatam.

Argum Soti soluuntur. Alexan. de Ales. Ad argumenta Soti respondetur, & primo ad Auth. D. Greg. respondet Alex. de Ales. vbi supra, quod dictum D. Greg. non est intelligendum de habitu fidei, vel de motu interiori, sed de actu aliquo exteriori in signo demonstrato, *Scotus.* quod explicans Scotus in respon. ad 1. inquit, quod D Gre. non intellexit solam fidem, pro solo habitu fidei, nec pro solo actu interiori ipsius, sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem mediatoris, illeque actus sufficienter habere potuit sacramenti rationem, atque ita distinguitur sola fides, id est, fides sine sacrificio, contra fidem in sacrificio protestatam. Primum posuit Diuus Gregor. sufficere pro paruulis. secundum vero, id est, fides cum sacrificio posuit fuisse necessarium pro adultis. Et subdit Scot. quod protestatio exterior pro paruulis facta cum signo sensibili, potuit esse inuocatio Dei super paruulum, vel ipsius oblatio ad Deum. Quod autem fidei professio, seu protestatio, fides *D August.* appelletur Author est Diuus Augustin. dicens sacramentum fides est, ac per hoc cum respondetur paruulum credere, qui fidei nondum habet effectum respondetur fidem habere, propter fidei sacramentum. hactenus Diuus *Canus.* August. relatus a Magist. Cano in relect. de Sacrament. in genere, & eadem loquendi forma habetur de sponsalibus, ca. Cum apud, & c. Tuæ fraternitati, & 27 q.2. dicitur, sufficiat ad matrimonium solus consensus, videlicet quibuslibet signis expressus, distinguitur; ergo ibi consensus non interior contra exteriorem, sed generaliter nutibus expressus, contra expressum, per verba, atque ita fides est professio, & sacramentum fidei conferebat paruulis salutem in lege naturæ.

Iv. Verum Sotus dicit, quod hæc Glossa aduersatur textui: quoniam D. Grego. intendit ponere differentiam inter paruulos, & adultos, per hoc quod paruuli iustificabantur per solam fidem sine applicatione rei exterioris, adulti vero per sacrificia, non videtur ergo differentia inter paruulos, & adultos, si vtrobique fides requirebatur cum signo exterioris deuotionis.

Dico, quod Glossa non aduersatur textui: quia ibi Greg. non ponit differentiam inter paruulos, & adultos nisi per hoc, quod paruuli iustificabantur sine sacrificio, adulti vero sacrificio mediante, cum quo tamen stat, quod esset necessaria res sensibilis, dummodo illa non esset sacrificium. Dico secundo, quod differentia, quam constituit D.Grego. inter paruulos, & adultos hæc est, quia enim paruuli non habebant nisi originale peccatum, illis sufficiebat Sacramentum fidei ad salutem. Adultis vero, propter actualia peccata necessaria erant sacrificia, per quæ Deo satisfacerent saltem ex opere operantis, vt etiam docet D. Thomas *Thomas* in 4.d.1.q.2.q.3.

Alexan. de Ales. Dico tertio cum Alexand. quod differentia erat in hoc, quod adultus in hoc onerabatur, quod ipse crederet, & offerret, non sic autem in paruulo, per alium enim credebat, & per alium signum deuotionis exterioris offerebatur. Marci vltimo, qui vero non crediderit Glossa. Paruu- *…essa.* li per alios credunt sicut ab alijs peccatum contraxerunt. Et ita pro paruulis sufficiebat sola fides aliena (ita ut non excludatur signum exterius, sed fides propria) vt sic intelligatur sola fides parentum ad differentiam propriæ fidei, quæ in adultis exigebatur. & eadem est responsio ad omnes anthoritates Patrum.

Ad secundum dico, quod illud signum sensibile erat institutum a Deo, & vnum in toto orbe, & sub præcepto. & ad probationem primæ partis minoris, concedo maiorem, & ad minorem dico, quod dupliciter possunt dici determinatæ res, quæ in Sacramentis requiruntur, primo determinatione in esse naturæ, ita ut secundum naturam suam sint determinatæ speciei, cuiusmodi Baptismi materia est determinata, quia semper debet esse aqua, hoc autem modo forma Baptismi non est determinata: quia potest fieri verbis Latinis, Græcis, & Hebraicis, quæ secundum naturam sunt diuersa, hoc etiam modo in matrimonio non sunt res determinatæ, quia potest consensus exprimi per verba, & per nutus, vel signa, quæ secundum naturam suam sint diuersæ, habent tamen vnam, & eamdem significationem, & hoc modo forma Baptismi, & Matrimonij sunt determinatæ. Dico ergo ad minorem, quod pro fœminis Iudeorum, & pro paruulis legis naturæ requirebantur res sensibiles determinatæ secundo modo, id est, determinatam significationem habentes, & hoc sufficit, vt sacramentum dicatur vnum, vt patet in Baptismo, & Matrimonio.

Secundo dico ad minorem, quod non est curandum de ritibus, qui a Iudæis huius temporis seruantur, quia nec legem integre seruant, nec etiam intelligunt, siquidem modo Messiam expectant, & fere omnes in lege Moysis hæretici sunt. Ad secundum probationem minoris dico falsum esse, quod non poterant diuulgari nisi in scripto, quia diuulgari potuit per traditionem factam per viros sanctos, qui omni tempore docebant illos, sicut fuit diuulgatum præceptum fidei, & charitatis, ad quod omnes homines tenebantur. Nam sicut ipse Sotus d. prima, quæst. *Sotus.* secunda, artic. tertio, censet præceptum supernaturale fidei, spei, & charitatis reuelatum primo Parenti a Deo, fuisse transfusum toto orbi viua voce ipsius Adæ per familiam Seth, & Enos verum Dei cultum profitentium, ita & nos ponimus Sacramentum in lege naturæ contra originis peccatum a Deo institutum, fuisse transfusum ad posteros viua voce ipsius Adæ.

Ad tertium dico, quod illud dictum Theologorum, scilicet paruuli illius temporis &c. ortum habuit ex dictis D.Greg. atque ad eo eamdem recipit interpretationem. secundo dico, quod dicebantur saluari in fide parentum: quia signa externa, quibus parentes fidem protestabantur pro paruulo, non erant determinata nisi tantum, quo ad significationem, vt diximus, & ideo illud remedium sumpsit nomen a significatione, quæ erat eadem, non autem a materiali, quod non erat idem sicut in Baptismo, & circumcisione, quam differentiam volunt Theologi significare per illud dictum.

Et si quæras quorum, vel cuius erat fides? Respondet *Alex. de Ales.* Alexand. vbi supra, quod principaliter parentum propinquorum, vel remotorum: per eos enim contractus est morbus, & ita per eos magis congruit remedium, si tamen simile fuit tunc ei, quod nunc est, potuit subuenire fides aliena cum deuotione exteriori necessitate ingruente, hoc tamen non inuenitur expressum, sed potest argui ex hoc, quod dicitur, quod pro paruulis sola fides, & non determinatur parentum, licet illa magis congruat: vnitas enim spiritus, de qua loquitur August. plus extenditur, quam vnitas carnis.

Et si quæras iterum, an vtriusque parentis fides requirebatur. Respondet Alexand. quod offerentis fides sufficiebat siue esset de propinquis parentibus, siue de remotis, vel etiam si non crederet, & in fide ecclesiæ offerret, videtur sufficere, sicut modo non credens seruata forma ecclesiæ intendens facere, quod facit Ecclesia, baptizaret.

ARTICVLVS III.

Vtrum in lege naturæ fuerit institutum aliquod verum Sacramentum, quo peccatum originale deleretur.

EX dictis in præcedentibus articulis hæc per se clara, & certa colligere possumus. Primum est, hoc paruulorū remedium non potuisse adhiberi, per propriam actionem ipsorum paruulorum: quia agimus de statu eorum ante vsum rationis, in quo non sunt capaces humanarum actionum. Secundum est, hoc remedium debuisse applicari per aliquam humanam actionem parentum,

seu

seu eorum, quarum paruulorum cura incumberet. Tertium est, huiusmodi remedium positum fuisse in aliqua actione, vel professione fidei, & cultus religiosi quo paruulus dicaretur Deo, & cultui eius manciparetur ex fide, & intentione parentis, vel eius per quem remedium applicabatur. Quartum est, remedium illud constitisse in actione aliqua externa, & sensibili. Igitur inquirendum restat an actio illa exterior & sensibilis, qua fides profitebatur & paruulo in remedium contra originis peccatum applicabatur, habeter veri sacramenti rationem.

Durandus. Et mouetur hęc quæstio specialiter propter Durandum, qui in 4. d. 1. q. 8. etsi dicat hoc remedium paruulorum in aliqua sensibili actione positum fuisse, in quo conuenit cum Doct. nostro sub. negat tamen illud fuisse verum sacramentum. & fundamentum eius est: quia sacramentum esse debet ceremonia aliqua determinata ad significandam gratiã, quæ sub tali opere, vel cæremonia datur ex diuina promissione; sed hoc remedium paruulorum non erat cæremonia determinata à Deo, nec erat proprie instituta ad significandam gratiam; sed solum erat quædam actio meritoria de congruo, ratione cuius Deus dabat gratiam, & ita non aliter significabat illam: quam alia opera meritoria illam significarent; ergo illa actio non magis erat sacramentum, quam sint cætera opera meritoria.

Præterea, & est secundum argumentum principale Scoti, Sacramentum non potest institui, nisi à Deo immediate, sed non legitur Deum tempore legis naturæ, saltem vsq; ad Abraham instituisse aliquod sacramentum, ergo non est asserendum tempore illo aliquod sacramentum fuisse contra originale, vel actuale peccatum.

Præterea si tempore legis naturæ fuisset tale sacramentũ, ex attrito fecisset cõtritum, esseτque generale pro omnibus.

Contra Durandum. Cæterum Durandi fundamentum supponere videtur per huiusmodi actum fuisse iustificatos paruulos vere, ac proprie ex merito operantis ecclesiæ, & non ex opere operato, & ex meritis Christi, sicut nunc iustificamur in Baptismo, & olim in circũcisione, quod omnino falsum est: quia vel hoc esset ex merito de condigno, & hoc non: quia nullus hominum præter Christum meretur alteri primam gratiã habitualem immediate, & sine vlla dispositione recipientis. Nec de congruo: tum, quia alias non quæcumque fides sed viua, & charitate formata esset necessaria ad huiusmodi effectum, quod est valde absurdum. Tum etiam, quia hoc solum non sufficit: quia per se loquendo non est infallibilis effectus huius meriti: gratia autem in illo remedio legis naturæ infallibiliter dabatur. Et si dicat, illi merito fuisse adiunctam promissionem diuinam, primum oportet, vt illã ostendat; deinde posita tali promissione sub conditione talis operis habentis meritum, vel valorem ex sanctitate ecclesiæ vix deerit aliquid ad meritum de condigno, quantum cadere potest in persona creata respectu alterius.

Præterea vel Durandus intelligit proprie, & in rigore illam gratiam datam esse paruulis propter meritum ecclesię, vt propriæ causæ, & veluti pretio, quo (vt ita dicam) obtinebatur à Deo gratia illa; & hic sensus est nimium falsus; primo quia neque hoc est necessarium, neque vlla ratione constat, neque est consentaneum ordini legis diuinæ, iuxta quem nullus meretur alteri, primam gratiam sine proprio motu illius, nisi solus Christus, cuius meritum fuit semper propria, & sufficientissima causa huius effectus, & ideo nulla ratione tribui potest merito ecclesiæ. Vel intelligit illam actionem fuisse necessariam, vt applicationem meriti ecclesiæ, seu vt actualem impetrationem. Contra: quia peto an illa actio fuerit necessaria ex institutione Ecclesiæ, vel ex institutione diuina; si dicatur primum, sequitur ergo quod Ecclesia potuit instituere, quod illa applicatio sui meriti nõ fieret per aliquam specialem actionem circa paruulum factam, sed vel per orationem sacerdotis, vel per sacrificium generale publicum, vel per quamcumque actionem generalem externam virtutis, verbi gratia, per eleemosynam, vel per aliquid simile, quod videtur absurdum, & præter communem sensum omniũ. Si dicatur secundum, scilicet actionem illam externam fuisse ex institutione diuina, sequitur actionẽ illam nihil aliud fuisse, quam conditionem, seu causam moralem, ad cuius præsentiam mouebatur Deus ad conferendam gratiam propter merita ecclesiæ; sed sic non sequitur actionem illam non habere actionem sacramenti; præsertim cum multo verius, magisq; consentaneum sit fidei, dicere, respexisse Deum in illa institutione ad meritum Christi, quam ad meritum ecclesiæ, sicut absque dubio, ex communi omnium sententia asserendum est. & sic patet: quomodo Durandi opinio nullum solidum habet fundamentum.

Dicendum est ergo, in statu legis naturæ institutum à Deo determinatum signum sensibile sub certa quadam cęremonia sẽsibili a Deo definita, vt ea facta seu applicata paruulis illis originale peccatum remitteretur. vnde fit hoc signum fuisse vere, ac proprie sacramentum. Ita docet Scotus in hac quæst. sub litt. a. Quæ sententia quatuor conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. Post lapsum in omni tempore legis naturæ, vsque ad circumcisionem Abrahæ iniunctam atque præceptam, fuit aliquod sacramentum efficax contra originale peccatum. Probatur, quia Deus non deficit in necessarijs ad salutem, ex primo at. sed in omni tempore fuit necessaria ad salutem deletio peccati originalis, ergo omni tempore legis naturæ ante circumcisionem fuit aliquod sacramentum institutum à Deo contra originale peccatum. *1. Conclusio* Secundo probatur. In lege scripta fœminæ iustificabantur, secundum communiter Doctores per remedium legis naturæ institutum contra originale peccatum, ergo illud remedium erat sacramentum. probatur consequentia; Tale remedium æquiualebat circumcisioni; sed circumcisio ex opere operato conferebat gratiam: quia proprie erat sacramentũ, igitur etiam remedium legis naturæ, quia ex opere operato conferebat gratiam, erat proprie sacramentum.

Probatur tertio. Adulti & paruuli in lege gratiæ, & scripturæ non iustificantur absque opere sacramentorum, igitur neque in lege naturæ. probatur consequentia: quia alias melioris essent conditionis paruuli in lege naturæ, quam in lege gratiæ. Præterea quarto. In lege naturæ erat sacerdotiũ Melchisedech, sed sacerdotium nunquam fuit in aliqua lege institutum, nisi ad sacramentorum administrationem, sine quibus nec religio, nec sacerdotium est, ergo in lege naturæ erat cõtra peccatum aliquod remedium, quod proprie erat sacramentum. Deinde in lege naturæ fiebant sacrificia pro peccatis, vt patet sub. c. t. ergo negari non potest, quod in lege naturæ fuerint aliqua sacramenta, maxime contra originale peccatum paruulorum, in quibus deleri nõ poterat per actum ipsorum proprium, sicut in adultis potuit deleri per proprium bonum motum internum; ergo oportebat deleri in paruulis per actum aliquem aliorum circa ipsos, vel ad ipsos relatum.

Præterea in lege naturæ erant fideles ab infidelibus separati: ergo indigebant sacramento sensibili, iuxta sententiam D. Augustini. 11. contra Faustum. In nullum nomen religionis siue verum, siue falsum coadunari homines possunt, *D. August.* quin aliquorum signorum, vel sacramentorum sensibilium consortio colligantur.

Secunda conclusio. Tale sacramentum contra originale *2. Conclusio* fuit illo tempore institutum à Deo. probatur: Non poterat esse certum, quod alterius actus relatus ad paruulum sufficeret illi ad gratiam, nisi hoc esset institutum à Deo, ergo tempore legis naturæ erat à Deo institutum aliquod signum certum, & efficax deletionis originalis peccati. probatur antecedens: quia nullus potest esse certus, quod per aliquod attingat ad salutem; nisi etiam sit certus quod Deus illud acceptet tanquam sufficiens ad salutem; ergo oportebat, quod parentes paruulorum certi essent, quod tale signum institutum erat à Deo cõtra originale peccatum, tanquam certum signum, & efficax ad deletionem illius.

Tertia conclusio. Sacramentum legis naturæ peccatum *3. Conclusio* originale paruulorum delens non erat aliquod sacrificium, sed fides, verbo, vel facto aliquo protestata: patet, quia cum esset opus sacramento, & sacramentum sit signum sensibile, necesse erat fidẽ aliquo signo exteriori protestari; dicit enim D. Paulus. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Quarta conclusio. Huius sacramenti nõ erat definita ver- *4. Conclusio* borum forma, sed pręcipiebatur tantum, vt supra paruulum verbo aut facto fides Mediatoris futuri inuocaretur, fortassis in hunc modum. Futurus Mediator te saluet. Perspicua est conclusio. Illius enim sacra scriptura meminisset sicut & circumcisionis mentionem fecit; quæ tempore eiusdem legis fuerat tradita Abrahæ. Quod autem fides Mediatoris (vt dictum est) esset necessaria, constat aperte: quia peccata

nun-

nunquam fuerint remissa, nisi propter merita vnius mediatoris. Vnde Iob.capit.19. Scio quod redemptor meus viuit &c. Quibus verbis fidem vnius mediatoris se habuisse declarat. Hinc sequitur, quod in lege naturæ sufficiebat actus alicuius infidelis intendentis facere super paruulum, quod fidelium congregatio faciebat: quia & si illius sacramenti non esset verborum forma definita, sed actus fidei exterioris internam fidem exterius explicans, atque adeo cum infidelis interiorem fidem non haberet, non posset exteriori actu verbo, vel facto fidem quam non habebat vere explicare, poterat tamen ecclesiæ, & fidelium fidem protestare atque etiam paruulo applicare, intendens namque facere quod ecclesia faciebat.

Soluitur argumentum Durandi.

Ad fundamentum Durandi negatur minor: Nam hoc remedium erat aliqua cæremonia sensibilis ad sanctificationem paruulorum ordinata; erat enim ad remedium peccati originalis instituta, & peccatum non deletur sine hominis sanctificatione, quæ sanctificatio per hoc remedium necessario significabatur; quia ad hoc a Deo institutũ erat, vt intelligerent homines adhibita tali cæremonia exteriori hominem interius sanctificari a Deo, atque adeo per huiusmodi cæremoniam gratia significabatur, & consequenter etiam significabatur, vel explicite, vel saltem implicite venturus mediator, in cuius fide, & spe meritorum eius, illa gratia obtineretur: atque ita nihil in eo opere seu remedio deerat ad veram rationem sacramenti.

D.Thom.

Ad secundum respondet Scotus, quod potuit Deus tale sacramentum reuelasse alicui patrum illius temporis, quo cum tunc frequentius loquebatur, licet cui, & quando scriptura non referat, quæ ab Adam vsque ad Abraham satis succincte pertransit, sicut D.Thomas, 2.2.quæst.2, articulo septimo, ostendit exemplo Iob, & Sybillarum, & aliorum, quod semper fiebat quibusdam proceribus aliqua reuelatio expressa Christi, vbi lex naturæ seruabatur. Et grauis quidem eorum est error, qui de sacramentis nihil decerni posse credunt nisi quod sacris litteris traditur: multa enim verbo tenus, & in noua, & in antiqua lege tradita sunt, quæ scripto non fuere mandata, quod idem disertissime tradit de tempore legis naturæ disertissimus idem & doctissimus Pontifex Augustinus. Steuchus libro primo, de perenni philosophia, capitulo secundo. Quod si in lege Mosaica, & Euangelica, quæ litteris exaratæ fuerunt non opus est ad expressam scripturam expendere omnia, multo minus oportebit cum de sacramentis legis naturæ disputatur, vbi traditiones diuinæ scriptæ non sunt, dogmata nostra in litteris sacris expressa habere; sed satis erit si clarissimorum virorum testimonijs confirmentur, aut certe magnis alioqui persuadeantur argumentis; qualia ex parte sunt, quæ nos attulimus hic, quibus probatur sacramentum in lege naturæ a Deo fuisse institutum contra originale peccatum, quod licet scriptum non sit, non est tamen minus exploratum, quam si fuisset scriptum.

Augustin. Steuchus.

Secundo respondet Scotus expresse haberi ex scriptura, quod tempore legis naturæ placuit Deo sacrificium, quod quidem non esset nisi a Deo sacrificia instituta fuissent: imo fatui reputarentur, & præsumptuosi, si talia sacrificia absque diuino præcepto, vel reuelatione fecissent. Id vero constat Genes.4. de oblatione Abel, & Cain, & Gen.8. de oblatione Noe postquam exiuit de arca, & Genes.14. de oblatione Melchisedech, qui cum sacerdos esset Dei excelsi obtulit Deo panem, & vinum. Potuitque aliquod determinatum sacrificium tunc esse sacramentum: Neque enim cõtra rationem sacrificij est, quod ipsum, vel eius oblatio sit sacramentum, vt patet in venerabili sacramento Eucharistiæ; quod & sacramentum summum est, & sacrificium, atque adeo habemus ex diuina scriptura, licet indistincte, aliquod fuisse sacramentum institutum a Deo in lege naturæ.

Ad tertium dico, quod sacramentum veteris legis fiebat ex attrito contritum, & quod fuit generale ab ore Adami ad ora filiorum sine scripto descendens, qui sunt illius obliti, sicut & fidei, & aliorum necessariorum ad salutem, & sicut pro se ipsis veri Dei cultum reliquerunt, ita etiam & prædictum pro paruulis remedium, seu sacramentum reliquerunt, & obliti sunt, vnde non est mirum si de illo nõ extet memoria.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in lege naturæ, & in lege Moysis fuerint alia sacramenta præter id quo peccatum originale remittebatur.

Antiqui Doctores, qui de lege naturæ tractant, non in singulari, sed in plurali definiunt in illo statu sacramẽta fuisse, ita enim loquuntur Hugo de S.Victore, D.Tho. Scotus, Richardus, Paludanus, & alij artic. præcedent. citati. Quapropter de statu naturæ loquentes.

D.Thom.

Dico primo, in lege naturæ fuisse cultum Dei externum per sacrificia, oblationes, & alias similes ceremonias. In hac assertione conueniunt fere omnes Doctores supra citati, quamuis videantur differre: quia aliqui sentiunt hunc cultum fuisse necessarium ad salutem, alij vero tantummodo voluntarium, quod significat D.Thom. in 4.dist.1.q.1.ar.2. quæstiun.3. & Hugo lib.1. de sacram.p.11.c.3. & p.12.ca.3. vbi differentiam constituit inter sacramenta legis naturæ, & veteris, quod illa fuerunt voluntatis, hæc necessitatis; illa ex voto, hæc ex præcepto, & Anacletus Papa, epist.2.c.2. sic dicit, Abraham, & antiquos patres ante Aaron obtulisse sacrificium spontanea voluntate. Idem docet Alexã. de Ales, p.4.q.2.memb.3.art.2. Sed intelligendum est esse voluntarium, quo ad determinationem, & modum cultus, vt ait D.Tho.1.2.q.103.art.1.

Hugo. *Anacletus.* *Alexan. de Ales.*

Dico secundo. In statu legis naturæ cõi, & ordinaria lege, non fuerũt aliquæ ceremoniæ q̃ haberent propria ratione sacramentorum, præter illud quod fuit in remediũ paruulorum. hæc assertio intelligenda est de sacramẽtis in propria, & presla significatione acceptis: Nam late loquẽdo de sacramentis, patet in eo statu plura fuisse sacramenta. Nam Hugo lib.1.p.1.c.3. dicit quod sub lege naturæ tria erant sacramenta, Decimæ, oblationes, & sacrificia; Decima in portionibus, oblationes in rebus, sacrificia in animalibus, & Alex. de Ales, vbi supra, nam dicit plura fuisse sacramento tẽpore legis naturæ, quam illa tria, quæ enumerat Hugo, & inter sacramenta illius status connumerat ordinem, pœnitẽtiam, & coniugium, seu matrimonium, licet dicat ordinem non fuisse proprie sacramentum. Nam licet fuerit quædam potestas a Deo ordinata ad offerendum aliquid in significationem, vt ad offerendum illud, quod erat in figura Eucharistia; nõ tamen fuit distincta a potestate terrena. Vnde Genes.14. Melchisedech Rex Salem. dicit Glossa Hieron. Aiũt Hebræi oẽs primogenitos a Noe vsque ad Aron Pontifices fuisse, & Gen.25. in illa verba. Vende mihi primogenita, dicit Glossa Isidori. Primogenita vestis erat sacerdotalis, qua induti maiores natu, cũ benedictione patris victimas Deo velut Pontifices offerebãt. Item Gen.27. Vestibus Esau valde bonis dicit Glossa. Pontificalibus. Ordo aũt prout proprie sumitur attẽditur in consecratione personæ, qua distinguitur, & segregatur in sorte Dei; Vnde veritas ordinis non est ex dispositione oblationis, sed ex potestate cõsecrationis.

Hugo. *Alexan. de Ales.* *D.Hieron.* *Isidor.*

De pœnitentia etiam dicit quod in lege naturæ non erat proprie sacramentum: Nam licet natura tũc dictaret, quod homo deberet pœnitere de peccatis, non tamẽ fuit institutũ aliquid exterendum tunc ad significationẽ remissionis quã tum ad sacramentum pœnitentiæ, propter quod nõ proprie, & plene fuit sacramentum; vnde nec ordo, nec pœnitentia secundum quod tunc exercebantur, habebant plenum esse sacramenti, sed in quadam indeterminatione currebant secundum quod decuit illam legem. Et idem dicit de coniugio. Vnde secundum Alex. tametsi tempore legis naturæ plura videantur fuisse sacramenta, quæ tamen tunc tẽporis proprie sacramenta dici meruerunt non nisi tria fuere, s. decimationes, sacrificia, & oblationes, quæ tamen nec proprie erant sacramenta sumendo sacramentum in propria, & stricta significatione, nisi quatenus sumebantur in remedium originalis. Nam vt inquit idem Alex. q.2.memb.3.art.2. ante legem plura offerebantur in remedium originalis [illegible], quæcunque tamen offerebantur, in fide venturi [illegible]. Vnde fiebant oblationes in signum venturi [illegible] reparatio humani generis. Hæc aũt [illegible] fuit immolatione Dei facta in [illegible] neris, quod significatũ fuit in sacramento [illegible] fuit aũtem hæc reparatio [illegible] crificio cuiuscunque, sed Dei [illegible] ficiens ad redemptionem, quod [illegible] oblatione decimæ. Numerus e[illegible]

Digitized by Google

ctus perfectionis, quo significatur perfectio Deo attribuenda.

1. Conclusio Si autem fiat sermo de tempore legis veteris, Dico primo, de fide certum esse præter circumcisionem in lege veteri fuisse plures cæremonias sacras, atque sensibiles, ad aliquam cultorum Dei sanctificationẽ ordinatas, vt ex Exod. & Leuit. constat.

2. Conclusio Dico secundo, certum esse illas cæremonias non solum dedisse sanctificationem legalem, sed etiam significasse gratiam per Christum dandam, licet probabilius sit non fuisse demonstratiuas gratiæ præsentis, quæ per eas, vel in eis daretur, excepta circumcisione, atque adeo non est de fide certum, an illæ cęremoniæ fuerunt propria, & vera sacramenta simpliciter, & vniuoce, an vero tantum secundum quid, ita vt hoc ipso, quod dicuntur sacramenta vetera illa sit conditio diminuens: pendet enim hoc ex vera definitione sacramenti, de qua nihil hactenus definiri est de fide.

3. Conclusio Dico tertio, hæc sacramenta præter circumcisionem ad tria capita reuocari posse. Quædam enim instituta fuere ad consecrandos sacerdotes, & Pontifices: Alia vero ad quemdam vsum, & participationem rerum sacrarum, seu recognitionem beneficiorum Dei, vt agnus Paschalis; Alia denique ad expiationes, & purificationes legaliũ irregularitatum, vel peccatorum. Et ita fuerunt in illa lege sacramenta, quæ fuere figuræ quatuor nostrorum sacramentorum; Nã circumcisio fuit figura baptismi: Agnus paschalis Eucharistiæ, sacerdotium legale nostri sacerdotij, & expiationes omnes sacramenti pęnitentiæ. Matrimonium vero non fuit tunc sacramentum: quia nondum facta fuerat coniunctio verbi cum humanitate, nec data gratia, quæ concupiscentiam superet. Nec nostrum sacramentum matrimonij habuit tunc specialem figuram: quia per ipsum matrimonij contractum semper fuit aliquo modo adumbratum. De

Alex. de Ales confirmatione autem, & extrema vnctione, dicit Alex. de Ales, quæst. 2. memb. 1. in solut. argumentorum, nõ habuisse proprias figuras, & ratio est, quia vnctio extrema præfigurabat gratiam, qua inuncti erimus vt Reges in futuro; illa vero quæ est in confirmatione signat gratiam, qua vncti sumus in præsenti ad robur Spiritus sancti, & quasi Reges sumus in præsenti. Toto autem tempore legis naturæ, & Mosaicæ regulariter si dabatur gratia non dabatur ad omnimodam confirmationem, & descendebant omnes ad limbum, & ad hoc designandum non erant inspirata signa tempore legis naturæ, nec instituta tempore legis scriptæ confirmationis, aut extremæ vnctionis.

Dubium. Sed dubium est, an hæc sacramenta vetera fuerint illo tempore hominibus necessaria ad salutem, & an in illis data fuerit gratia. Quoad primum dico, si est sermo de necessitate, quæ antecedit institutionem, non fuisse necessaria, fuisse tamen valde vtilia, si vero est sermo de necessitate, quæ consequitur institutionem, dicendum est, illa non fuisse necessaria necessitate medij: quia non habebant aliquem effectum ad salutem necessarium, fuisse tamen necessaria necessitate præcepti, non quidem omnibus hominibus, sed his tantum, qui erant de populo Israel, quibus erat circumcisio imperata. Nam circumcisio erat veluti ianua illorum sacramentorum: quia non licebat illis vti, nisi hominibus circumcisis, vt constat Exod. 12. vbi in particulari est sermo de agno paschali; est autem eadem ratio de cæteris sacramẽtis, vt constat ex discursu Exodi, & Leuitici, & ex Act. 16. & 21. non obscure colligitur. Intelligendum autem est de viris: nam fęminæ non poterant circumcidi, pertinebant tamen ad illum populum ratione originis, & parentum, & hoc ipso erant capaces sacramentorum. E contrario vero omnes circumcisi tenebantur ad legem seruandam, iuxta illud Pauli ad Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se: quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ; quod intelligendum est de his, qui vtebantur circumcisione: quatenus erat professio illius legis: Nam aliæ gentes, quæ tantum propter quandam imitationem Abrahæ, vel consuetudinem circumcidebantur non propterea tenebantur ad alia sacramenta illius legis obseruanda, vt de Aegyptijs, Moabitis, & alijs notat D. Hieron. Hieremiæ 1. Circa illa

D. Hieron. verba: visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium. Sacramenta igitur vetera erant Iudæis necessaria necessitate præcepti; ita enim in lege præcepta erant: Alijs vero nationibus nullo modo erant necessaria nisi ex suppositione, si vellent circumcidi, & illam legem profiteri.

Quoad secundum est triplex opinio duæ extremæ, & vna media; prima opinio extrema est; in vsu sacramentorum veteris legis nullam fuisse datam gratiam, etiã ex merito operantis, quamquam iusti essent, & in charitate, & ex charitate illa susciperent. Quæ opinio tribuitur Magistro sent. in 4. dist. 1. *Magister sent.*

Secunda sententia extreme contraria est, in sacramentis antiquis datam fuisse gratiam, non solum ex merito operantis, sed etiam preter illud. Ita sentit Hugo lib. 1. de sacramen. p. 9. c. 1. & par. 11. c. 5. & p. 12. cap. 4. & 12. & in summa sent. tit. 4. cap. 1. Quibus locis etiam de sacramentis legis naturæ loquitur, non tamen expresse declarat in eis datã fuisse gratiam vltra meritum operantis; sed solum dicit illa sacramenta fuisse sanctificantia, & adiuuantia ad obseruanda præcepta. *Hugo.*

Eandem sententiam tribuũt quidã Alex. Alen. eo quod 4. par. q. 3. memb. 3. artic. 2. dixerit, vetera sacramenta non esse tantum instituta ad significandum, sed etiam ad efficiendum. Cæterum hæc non fuit sententia Alex. Nam quæst. 1. memb. 7. & quæst. 2. memb. 4. art. 3. & quæst. 3. memb. 4. art. 1. dicit, quod sacramenta tam legis naturæ quam legis Moysis conferebant gratiam ex deuotione suscipientis, & si sacramenta legalia quoquo modo ex opere operato iustificabant, hoc erat quantum ad diminutionem reatus, non autẽ quantum ad diminutionem culpæ, circumcisione excepta; Iustificabant nempe apud homines, quia eiusmodi sacramenta suscipientes pęnas a lege statutas contra non suscipiẽtes euadebant, at non iustificabant ex se apud Deum nisi ex dispositione & charitate suscipientis, vide Alex. quæst. 2. memb. 4. art. 1. D. Bonau. in 4. distin. 1. p. 1. quæst. 5. visus est quibusdam hanc 2. tenuisse sententiam, & quia dicit, illa sacramenta dedisse gratiam ex opere operato, per accidens tamen; sed si recte intelligatur non fuit Doctor Seraphicus illius sent. Nam hoc solum intendit ibi D. Bonau. nẽpe quod sacramenta vetera per se non iustificabant, coniuncta tamẽ cum fide, & deuotione conferebant gratiam, & si quæratur ratio responsio patet, inquit: quia sacramenta nostra iustificant ratione operis operati, illa autem operis operãtis: quia causalitas sacramentorum non est aliud, quam quædam efficax ordinatio ad recipiendum gratiam ex pactione diuina; hoc autem fuit solum in sacramentis nouæ legis, & non veteris, nisi in circumcisione: quia ibi fuit pactio. *Summa.* *Alex. de Ales.* *D. Bonau.*

Hanc eandem sententiam partim limitat, partim clarius explicat Durand. in 4. distinct. 1. quæstio. 5. Distinguit enim duplicia sacramenta veteris legis, quædam impropria, vt erant sacrificia quædam, & oblationes, quæ licet essent meritoriæ ex opere operantis, tamen in eis non conferebatur specialis gratia: quia non suscipiebantur, vt sacramenta. Alia vero erant sacramenta proprie, quæ per sacerdotes applicabantur fidelibus, & hæc, ut quæ, quædam ordinabantur ad effectum, ad quem non erat gratia necessaria, vt erant illa, quæ solum ordinabantur ad legales expiationes, & de his etiam negat contulisse aliquam gratiam: quia nec ratione effectus, nec ratione significationis illam postulabant. Alia vero (inquit) erant sacramenta ordinata ad actus, qui sine gratia non possunt conuenienter exerceri, vt consecratio, seu ordinatio Pontificis, & Sacerdotis; & de his dicit contulisse gratiam ex opere operato; & non adhibet aliam probationem nisi: quia Deus non deficit in necessarijs. *Durandus.*

Paludanus in 4. dist. 1. q. 5. num. 52. indicat matrimoniũ etiam in lege naturæ ex opere operato contulisse gratiam; dicit enim fuisse sacramentum, & æquiparat illud cum sacramento ordinato ad remissionem peccati; & ibidem ait in illo stato fuisse etiam sacramentum pęnitentiæ contra actuale peccatum, de quo eodem modo loquitur, quo de remedio originalis peccati. *Paludan.*

Gulielmus de Rubione in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. concl. 2. & 3. & dist. 14. q. 1. art. 2. dixit, in lege veteri fuisse sacramentum pęnitentiæ remittens peccata actualia ex opere operato, quod probat ex illo Diui Pauli ad Hebræ. 9. vbi habetur quod summus sacerdos intrabat tantum semel in anno illam partem tabernaculi, quæ dicebatur sancta sanctorum, vbi sanguinem quorumdam animalium pro peccato populi, & proprio offerebat; & illa dies vocabatur festum expiationis. primam autem partem tabernaculi, quæ dicebatur absolute sancta, sacerdotes omnes intrabant quotidie ad sacrificiorum officium consummandum; sed prædicta sacrificia, cum essent quædam sensibilia, & mate- *Rubion.*

ralia

Digitized by Google

nalia signa ad remissionem peccati actualis ordinata, per cõsequens vera sacramentà poterant nuncupari; cum sacramẽtum non sit aliud, quam inuisibilis gratiæ visibilis forma, atq; per quodcunque remittitur culpa mortalis infunditur gratia supernaturalis, ergo si per sacrificia prædicta remittebatur culpa actualis mortalis, per ipsa etiam aliquo modo conferebatur gratia diuinalis.

Quod autem tale sacramentum posset sacramentum pœnitentię appellari, d.14 ita probat, omne sensibile signum ad remissionem culpæ actualis diuinitus institutum est pœnitentiæ Sacramentum, sed tale sacrificium a Pontifice in festo expiationis semel in anno in secũda parte Tabernaculi, quę dicebatur sancta sanctorum oblatum erat sensibile, quia visibile signum ad remissionem culpæ actualis tam Pontificis offerentis, quam etiam ipsius populi, diuinitus institutum, nec enim Pontifex Mosaicus obtulisset huiusmodi sacrificium ad peccatorum suorum, & populi veniam obtinendam, nisi tale ad hoc fuisset diuinitus institutum, vt patet Exod.30.& Leuit.16. Quod autem per huiusmodi sacrificium peccata dimitterentur patet ex D. Paulo ad Heb. 9. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis &c.

Tertia sententia media est, in illis sacramentis veteris legis nullam fuisse datam gratiam ex opere operato, ita docent Alex. de Ales, & D. Bona. locis supra citatis. Diuus Tit. p.3.q 62.art.6.& in 4.d 1.q.1.art.5. Richar. eadem d.ar.3.q.4.& Doctor Sub.q 6. sub litt. I, § Tertio propter confirmationem, & ibidem Gab. Maior & cæteri Scholastici, & in hunc sensum facile potest exponi sententia Magistri, & hæc vtique sententia, vt communior, & probabilior tenenda est.

Alexan. de Ales. D Bonauẽ. D Thomas. Ricardus. Scotus. Gabriel. Maior.

Ad fundamentum prę sentent. Durandi, dico, nullius esse momenti. primo quia non constat sacerdotem Leuiticum, & ministeria eius fuisse adeo perfecta, vt necessarium simpliciter fuerit illa in gratia perficere. Deinde quicquid de hoc sit, sufficiebat iustitia, quæ per meritum, & dispositionem operantis comparari poterat, neque enim illa lex adeo perfecta fuit, vt oportuerit meliori, & vtiliori modo hominibus prouideri.

Paludanus autem, & Rubion, falsum supponunt: non enim ante legem Euangelicam fuit penitentia sacramentũ, sed tantum fuit necessaria pro illo statu in adultis pœnitentia virtus. atque adeo sicut illud sacrificium culpam ex se non remittebat, sed ex cõtritione offerentis, vel eorum pro quibus offerebatur, ita neque ex se gratiam conferebat sed ex opere operantis, vt optime docet Alex. de Ales locis supra citatis. Ad illud D. Pauli ad Heb.9. dicit Alex. quod sanguis hircorum, vel cinis vitulæ (sicut dicit Apost.) valebat ad emundationem carnis: quia mundabat ab aliqua irregularitate, vel liberabat a debito, sed non propter hoc ipsum opus operatum sanctificabat animam. nec est ista sanctificatio descendens mediante anima in corpus, sicut est cum dicitur. Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti. ibi enim mediante anima sanctus templi transfertur ad corpus. Similiter dicendum est de eo quod dicitur Num.19. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illa de medio ecclesiæ; illa enim expiatio fiebat ab immunditijs legalibus exterioribus.

Alexan. de Ales.

DISTINCTIO II.



Continuatio.

Iam ad sacramenta nouæ legis accedamus &c. Hæc est secunda dist. in qua Magister ex quo in communi de sacramentis tam veteris, quam nouæ legis verba fecit, accedit ad noua legis sacramenta, de quibus agere intendit.

Diuisio.

Circa quod tria facit. primo numerum sacramentorum nouæ legis, & eorum efficaciam ostendit. secundo quando, & ad quod coniugium institutum sit. tertio de vtilitate Baptismi Ioannis differit. Breuiter sententia Magistri tribus conclusionibus explicatur.

1 Conclusio

Prima Conclusio. Numero septenario nouæ legis sacramenta clauduntur, quorum primum Baptismus, alterum confirmatio. tertium panis benedicti s. Eucharistia, quartum pænitentia. quintum extrema vnctio, sextum ordo, tandem Matrimonium. Horum autem aliqua dimittunt peccata, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptismus: alia in remedium tantum sunt, vt coniugium, quod non est sic intelligendum, quod ibi non conferatur gratia, sed quia gratia, quæ ibi confertur principalius ordinatur ad præseruandum a peccato futuro, quam ad purgandum a peccato iam commisso; alia gratia, & virtute nos fulciunt, vt Eucharistia, & ordo, quæ omnia a Christo Domino instituta fuere, qui venire distulit, donec homo de insufficientia legis naturæ, & legis scriptæ conuinceretur, quibus haud iuuari poterat.

Et si dicas, cum in sacramentis gratia consistat, & salus nostra, cur non statim post lapsum fuerunt instituta? Iam rationem vnam intellexisti, altera vero est: quia a Christi passione, & morte vim suam sortita sunt.

Secunda Conclusio. Coniugium ante peccatum, sive in statu innocentiæ ad generationis officium fuit institutum, at post peccatum in sacramentum, & in remedium contra carnalem concupiscentiam. de quo suo loco infra dicemus. *2. Conclusio*

Tertia Conclusio. Baptismus Ioannis exterius corpus lauabat, sed interius gratiam non conferebat. Hanc Magister insinuans dicit, quod Baptismus Ioannis præparabat siue disponebat homines ad Christi Baptismum. idcirco ipse dicebat: Baptizo vos in aqua tantum, medium autem vestrum stetit quem vos nescitis &c. Igitur Baptismus Ioan. erat via & dispositio ad pœnitentiam, nec non ad Christi Baptismum. Hinc patere potest differentia inter Ioãnis & Christi Baptismum: nam ille Ioan. fiebat in aqua solum, & homines ad pænitentiam præparabat, at Christi Baptismus in aqua, & Spiritu sancto, & in ipso peccatorum conferebatur remissio. *3. Conclusio*

Habebat tamen Ioannis Baptismus vtilitatem triplicem; quarum prima est: quia ad Christi Baptismum præparabat; altera desumitur a nominatione: nam Ioannis Baptismus dictus est eo, quia nihil ibi gerebatur, quod Ioannes non faceret. tertio quantum ad genus vtilitatem præstabat, quia quodammodo sacramentum dici poterat, quatenus Christi Baptismum significabat, in quantum vero fuerat institutum ad assuefaciendum ad Christi Baptismum, tũc sacramentale, non sacramentum nuncupandum. Insuper quatenus ad Christi nunciationem erat institutum, quia sic baptizando, Christi denotabat aduentum, nouæ legis fuit initium.

Et si quæras sub qua forma Ioannes baptizaret? dicendum est, quod in nomine Christi venturi baptizabat. Si iterum quæras an baptizati a Ioanne iterum forent baptizandi Baptismo Christi. Magister distinguendo respondet, quod ponentes spem in Baptismo Ioannis, & perfectam fidẽ de diuinis personis habentes, non iterum erant baptizandi, sed per manuum impositionem Apostolorum confirmandi. Illi vero qui nec spem in Ioannis Baptismo ponebant, nec diuinarum personarum fidem perfectam habebant, tales iterum baptizandi erant. Quæ in parte Magistri dictum nõ probatur, nec tenetur. Nam baptizati baptismo Ioannis adhuc Baptismo Christo erant baptizandi. Tum propter generale præceptum quo omnes obligabantur ad Christi Baptismum. Tũ quia medicina præparatiua suscepta, superest curatiuam recipere medicinam, ut quia Ioannis Baptismus præparatorius, & Christi erat curatiuus. Hinc fit quod Ioannis Baptismo baptizati adhuc Christi Baptismo essent baptizandi, sed de hoc latius in quæst. & Hæc breuiter Magister in hac 2. dist. Circa quam quærit primo Scotus. *Forma baptismi Ioan.*

QVÆSTIO I.

Vtrum Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam a Passione Christi.



Titulus huius quæst. est ex se clarus, & explicatione non eget. Nam sacramentum habere efficaciam nihil est aliud, quam habere veritatem, & certitudinem infallibilem, & conformitatem ad rem significatam, scilicet ad gratiam: Adeo quod sensus tituli est, an quod est esse signû certum, & efficax gratiæ habeant sacramenta nouæ legis a Christi passione, Diuidimus autem hanc quæst. in articulos quinque.

Primus Art. Vtrum in lege noua debuerint institui specialia sacramenta.
Secundus Art. Vtrum sacramenta nouæ legis fuerint conuenienter in numero septenario instituta.
Tertius Art. Vtrum sacramenta nouæ legis fuerint omnia a Christo Deo instituta.
Quartus Art. Vtrum sacramenta nouæ legis habeant a Deo instituente efficaciam vel a Christi Domini passione
Quintus Art. Vtrum in institutione sacramentorum nouæ legis concurrant misericordia, & veritas.

ARTICVLVS I.

Vtrum in lege noua debuerint institui specialia sacramenta.

Ratio dubitandi est: Quia Matth. 19. inquit Christus Dominus. Si uis ad vitam ingredi, serua mandata, ex quo verbo Domini patet, quod ad vitam æternam habendam sufficit obseruantia mandatorum; igitur nulla est necessitas sacramentorum. Item. Inconueniens est in lege libertatis instituere aliquid, quod debeat hominem redigere in seruitutem, sed lex euangelica est lex perfectæ libertatis. Ad Gal. 5. Vos autem fratres in libertatem vocati estis, & ad Roma. 6. & 11. Sacramenta autem redigunt hominem in seruitutem, vt patet per illud Apost. ad Gal. 3. cum essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes: sub elementis, inquam, id est, sub sacramentis sensibilibus, & confirmatur ex Hugone lib. 1. de Sacram. p. 11. c. 4. Primo, ante legem paruulos consilio enutriuit, post sub lege exercitatos præcepto tentauit, nouissime sub gratia perfectos in libertate spiritus ambulare permittit. igitur non videtur, quod in tempore legis gratiæ sint onerandi fideles onere sacramentorum. *Hugo.*

Cæterum dicendum est congruum fuisse legem euangelicam perfectissimis Sacramentis adornari, & non tantum congruum, sed etiam necessarium. pro cuius explicatione obseruandum est, quod iuxta sanctorum patrum, & scholasticorum doctrinam tres fuerunt principales rationes, propter quas instituta fuerunt nouæ legis Sacramenta. Prima ratio fuit propter deuotionem, eo quod signa sensibilia habent prouocare ad feruorem, & teneritudinem deuotionis, propter quod instituta sunt sanctorum imagines, pectorum tunsiones, & vocalis oratio, propter hoc etiam Eucharistiæ sacramentum, multis concurrentibus orationibus, cantibus, & alijs, quæ mentalem deuotionem efficacter promouere queunt, conficitur, atque adeo cum ad legem Euãgelicam sit deuotio feruentissima exhibenda, congruũ fuit instituere sensibilia signa, per quæ habetet fidelium deuotio excitari. *Rationes propter quas sacramentum fuit institui congruum fuit.*

Secunda ratio est, ex ratione maioris humiliationis: nã sicut homo ceciderat per superbiam, sic oportebat, quod releuaretur per humiliationem, non fuisset autem perfecta, & condigna humiliatio tantum in mente, ergo oportebat cã foris exhibere effectu sensibili, vt qui per superbiam erexerat se contra superiorem, per humiliationem subderet se creaturæ inferiori.

Tertia ratio est causa maioris exercitationis, multa enim mala docuit otiositas, exercitia autem mentalia non sufficiẽter mentem occupant in præsenti vita, & hoc propter naturæ imperfectionem, in qua sensitiua magis trahit ad se intellectiuam, quam e conuerso, vt ergo sensitiua, quæ vt plurimum in homine dominatur, habetet vbi posset salubriter exercitari, congruum fuit inuenire sensibilia signa, vnde in talibus sensibilibus signis in sacramento Eucharistiæ consistit homo, dum pro maiori parte occupatio fidelium spiritualis, atque ita in alijs sacramentis, antequam procedatur ad formam, multiplicantur sensibilia signa, vt ritus, orationes, cantus &c. vt excluso otio animæ inimico populus in talibus spiritualibus actionibus occupetur.

His possunt alias tres adiungi rationes. prima est causa eruditionis. Nam sacramenta sign ficant effectum gratiæ interiorem, vnde & multi propter inexperientiam non aliter intellexissent ablutionem interiorem, quæ fit per Baptismum, nisi per exteriorem corporis ablutionem.

Secunda est ratione compositionis. Homo enim cum ex duplici natura componatur, scilicet corporali, & spirituali, & vtraque fuerit per peccatum vitiata, congruum fuit instituj medicinam duplicem, vnam quidem, quæ animæ respondet, nimirum gratia ipsa, quæ est effectus sacramenti: Alteram vero quæ correspondet corpori, vt signa ipsa sensibilia, cuiusmodi sunt ablutio tactus, & huiusmodi.

Tertia ratio est assuefactio ipsa, eoque homo assuefactus est sensibilibus ratione conditionis humanæ in acquirendo scientiam, acquirimus enim scientiam per sensus, vnde deficiente sensu deficit scientia secundum illum sensum, vt docet Phil. 1. post. congruum ergo fuit signa aliqua sensibilia instituere, vt per ea sicut per magis nota sensibus deueniremus facilius in eruditionem, & cognitionem effectus interioris, quæ est gratia.

Secundo obser. est, quod necessitas est quadruplex. Est enim quædam necessitas ex parte efficientis, quædã ex parte finis: alia ex parte subiecti, vel materiæ, & quarta ex parte formæ. Non fuit necessarium sacramenta nouæ legis instituj necessitate efficientis: quia non fuit Deo necessarium talia sacramenta instituere ad fundandam legem Euangelicam, quin aliter potuisset, & æque bene ex parte sua sine talibus signis: nec etiam necessitate finis, nam finis sacramentorum est gratia, & gloria, quæ non habent necessariã habitudinem ad hæc sensibilia signa: quasi lex euangelica non aliter perduxisset ad gratiam, & gloriam, siue perduceret potuisset, quam per signa huiusmodi sensibilia: nec etiã necessitate subiecti: quia sacramenta ista non mediante necessario inter hominem, & gratiam, neque est hominis ad hæc sensibilia signa necessaria habitudo, sed necessaria fuit necessitate formæ, quæ necessitas duobus modis attendi potest, vno modo absolute ex parte formæ in se, alio modo ex parte impermanentiæ formæ, nimirum si forma debeat dici permanente. quem admodum, quod dentes anteriores sint incisiui, hoc non est absolute necessarium formæ hominis, sed ipsius formæ hominis permanentia: quia non posset aliter homo diu permanere, & hoc secundo modo necessarium fuit aliqua sacramenta instituj in lege Euangelica, ad hoc quod posset lex dici permanere, quia nulla lex potest dici permanere, sine aliquibus sensibilibus signis, vt inquit D. August. lib. 19. contra Faustum ca. 11. In nullum, inquit, nomen religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligentur. *Qua necessitate necessaria fuit sacramenta nouæ legis institui.* *D. August.*

His obseruatis probatur conclusio proposita. s. quod fuit congruum legem Euangelicam perfectissimis sacramentis adornari, quæ est Scoti in hac qu. est. sub lit. a, §. Respondeo hic &c. & primo sic lex perfectior debet habere perfectiora sacramenta, sed lex euangelica est perfectissima omniũ, ergo debet habere perfectissima sacramenta: maior patet, & minor probatur Lex Euangelica est vltima, quam beatissima Trinitas dare disposuit homini pro statu viæ iuxta illud Matth. 26. Noui, & æterni testamenti, id est, post quod nullum est aliud futurum, ergo est perfectissima omnium. probatur consequentia, ordina e agens procedit de imperfecto ad perfectum, sed Deus est agens ordinatissimus, ergo procedit de imperfecto ad perfectum, at in processu ab imperfecto ad perfectum posteriora sunt perfectiora, ergo lex euangelica est omnium perfectissima.

Præterea secundo illa lex omnibus est perfectior, quæ proximior est perfectissimo statui ipsius hominis, id est, beatitudini, at lex euangelica est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia proximum perfectissimo est perfectius: minor probatur ex D. Paulo ad Roma. 13. Nunc autem propior est nostra salus, quam cum credidimus: quia eius obser-

obseruatores immediate ingrediuntur in vitam æternam, iuxta illud Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum.

Præterea in hac lege Dei filius persoluit humani generis redemptionem, & obsequium exhibitum magis acceptatur, quam præuisum, & exhibendum, igitur præ cæteris legibus lex euangelica debuit habere perfectissima sacramenta.

Iterum. Perfectissima causa meritoria alicuius effectus plus impetrat exhibita, quam promissa, sed passio Christi est causa meritoria totius nostræ salutis, & gratiæ in lege euangelica exhibita, ergo congruum fuit, vt per istam passionem conferret Deus legi Euangelicæ pręstantiora sacramenta. min. probatur ex illo Ioan. 1. Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Maior etiam patet: quia causa meritoria iuste inclinat Deum ad conferendum bonum illi, pro quo talis causa meretur, talisque causa exhibita plus impetrat, quam promissa. Igitur per passionem Christi exhibitam, legisque nouæ confirmatiuam, congruum fuit adiutoria maxima ad gratiam qualia sunt sacramenta hominibus conferre ad legis euangelicæ obseruantiam, quæ lex perfectissima est.

Horum autem sacramentorum perfectio quantum ad intensionem consistit in perfecte significando, & vere, efficaciterque gratiam perfectam causando: Perfectio enim sacramenti consistit in significando perfecte, & in causando efficaciter gratiam perfectam, lex igitur euangelica debuit habere perfectissima Sacramenta, quia est lex charitatis, & gratiæ, iuxta illud supra citatum. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ideoq; d. 1. q. 4. a nobis definitum est sacramenta esse vere causas gratiæ, eamq; vere continere, atq; conferre non ponentibus obicem.

Hugo. Alexan. de Ales. Ad rationes dubitandi in principio positas respondeo, & ad primam dico, secundum Hugonem relatum ab Alex. de Ales. p. 4. q. m 2. art. 2. §. quod tria sane sunt, quæ ab initio, siue ante aduentum Christi, siue post ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, scilicet fides, sacramenta fidei, & opera bona. quæ tria ita cohærent, vt effectum salutis habere non possint si simul non fuerint, & intelligitur hoc de adultis: patet igitur, quod ad salutem sunt necessaria hæc tria in adultis; sacramentis enim reparantur defectus, operibus progreditur in merito, fide gratificatur vtrumque. Quod igitur dicit Dominus, si uis ad vitam ingredi &c. intelligitur quantum ad progressum in merito proprio, ingredi enim in vitam (vt dicit interlin. Matth. 19.) est ingredi viam, quæ ducit ad vitam; vera via ducens ad vitam est progressus in merito. *Glossa Interlin.* Præterea adimpletio præceptorū quodammodo sicut adminiculum sibi datū concernit exercitium sacramentorum, vt enim dicit Hugo lib. 1. p 9. ca. 8. *Hugo.* Quia homo infirmus erat venerunt sacramenta media inter præcepta, & promissa, quæ illum adiuuarent ad præcepta perficienda, & ad promissa obtinenda, vnde ad obseruantiam mandatorū requiritur exercitium sacramentorū.

Ad secundam dico, quod præcepta sunt in seruitutem timentibus, sed sunt in libertatem amantibus. quia ergo lex euāgelica est lex amoris, ideo dicitur lex libertatis: nō quia præcipiebat: sed quia non ad timorem, sed ad amorem trahebat. Apost. autem loquitur ibi de sacramentis antiquæ legis, quæ sine dubio redigebant in maximam seruitutem, & per hoc patet ad confirmationem. Nam intentio Hugonis est comparare legem legi, & distinguere legem a lege, & hoc differentia sacramentorum generaliter. Vnde non est eius intentionis tollere sacramenta tempore legis gratiæ; sed ostendere differentiam inter illa, quæ sunt legis Moysis, & legis Christi in hoc, quod illa fuerunt data in onus, hæc in perfectionem gratiæ, siue in libertatem spiritus. spiritus enim liber efficitur gratia collata in sacramentis.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacramenta nouæ legis fuerint conuenienter in numero septennario instituta.

DVobus modis circa sacramentorum numerum erratū fuit. primo per defectum, & hoc modo lapsi sunt hæretici huius temporis, ex quibus alij duo, alij tria, alij quatuor, vel quinque sacramenta admittunt, vt constat ex Lindano in fine Panopl. & alijs recentioribus. *Landanus.* Cōmunis tamē fere sententia sectatiorum est, sacramenta nouæ legis duo tantum esse, nempe Baptismum, & Eucharistiam, vt refert Valentia. Tom. 4. disp. 3. q. 6. puncto 2. *Valentia.*

Alius error esse potest per excessum asserendo, scilicet plura esse sacramenta, quam septem, in quem videntur aliqui scholastici inclinasse asserendo dari plura sacramenta, quam septem specie distincta, vt v. g. plura sacramenta ordinis, plura sacramenta Eucharistiæ, vnum in pane, aliud in vino, vel vinum permanens, aliud in vsu consistens, vel plura etiam Baptismata, vnum aquæ, aliud sanguinis: Martyrium enim cum gratiam conferat ex opere operato sacramentum esse videtur, de quibus opinionibus in proprijs locis dicendum est. Authores enim earum cū catholici sint septenarium sacramentorum numerum confitendū esse docent, secundum tamen rationes genericas esse explicandum Cæterum doctrina catholica, vtrunq; vitat extremum. Vnde in hoc art. est prius veritas fidei stabilienda, & deinde explicandæ sunt congruentiæ, quas Doctores afferunt de septenario sacramentorum numero.

Quocirca obset. est primo, quod in lege Euangelica pauciora debuerunt institui sacramenta, quam potuerunt, vt docet D. August. libro 19. contra Faustum, cap. 13. *In lege Euāgelica pauciora debuerūt institui sacramenta quam in lege veteri. D. August.* Ablata sunt, inquit, veteris legis sacramenta, quia impleta per Christum, & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tempore diuturniora. hoc idem dicit ad Inquisitiones Iaun. libro primo, capitulo primo, & de vera relig. capitulo 17. Huius autem assignari potest ratio quadruplex: prima est, quia lex noua est lex spiritualis non carnalis. Vnde ad Samaritanam illam dixit Iesus. spiritus est Deus, & eos, qui adorant in spiritu, & veritate oportet adorare. & subdit. Venit hora quando veri adoratores &c. & Apost. ad Roman. 7 Lex spiritualis est, ego autem venundatus sum sub peccato. Ex hoc ergo quod lex est spiritualis debuit separari a corporalibus cæremonijs, quæ in lege veteri, quæ carnalis erat, erant innumeræ, atque adeo sacramenta in noua lege debebant esse numero pauciora.

Secunda ratio est, quia lex noua est lex verę libertatis authore Diuo Iacobo cap. primo & iugum suaue, & onus leue Matth. 11. ergo debet esse vsui facillima, & per consequens facillima sacramenta, quæ in lege veteri difficillima erant. Vnde reconciliatio fiebat maxima cum difficultate: nam oportebat animalia interficere, & sanguinem in faciē aspergi, & alia multa, quæ erant grauissima ad seruandū.

Tertia ratio est, quia lex noua est lex veritatis, & ideo sacramenta eius non possunt esse signa falsa, sed debuerunt habere annexam veritatem, vt non sint signa prognostica tātum, & tenebrę futurorum, sed demonstratiua, & quasi effectus pręsentium, & ideo fructu salubertima. Ratio autem huius est, quia sacramenta efficaciam habent ex Christi passione, quæ in lege veteri signabatur, vt futura, in noua autem lege est iam exhibita.

Quarta ratio est, quia lex noua non est lex instituta ab homine, siue a solo homine, vel a creatura aliqua promulgata, sed a Deo homine Christo, scilicet instituta, ac pronūciata, & ideo nō immerito tēpore debet esse diuturnior.

Secundo obset. est, quod etsi huius septenarij numeri sacramētorum præcipua sit causa diuina volūtas Christi, qui tot instituit sacramenta, attamen cum rationabilis sit illa voluntas, rationes aliquot huius numeri sapienter assignant Doctores, quas infra explicabimus, interim dico, quod non debebat vnum tantum institui Sacramentum: quia instituta sunt sacramenta ex bona parte in medicinam, & remedium, multi autem sunt hominum defectus in peccatis, & alijs quibusdam; ideoque decuit plura etiam esse sacramentorum remedia, quorum multitudinem præuidisse in spiritu Dauid creditur cum diceret Psal. 106. Misit verbum suum, & sanauit eos, & de interitionibus eorum liberauit eos, cumque instituta sunt sacramenta, vt d. 1. quæst. 3. diximus, ad exercitium, & eruditionem, non poterat hoc in vnico Sacramento præstari, & confici commode. Sed neque nimiam sacramentorum decuit instituere multitudinem, alias enim Euangelium legis Mosaicæ, grauitatem ęquare videretur. Moyses autem, & manus graues habuit, & legem accepit scriptam in tabulis lapideis, lex ea erat multi oneris, & timoris, quam etiam Patres portare non potuerunt Act. 15. Vnde & pondus in ea erat immensum, & importabile legum, & typicorum sacramentorum,

vicissim Euangelica lex nostra lex est veræ, & perfectæ libertatis, iugumque suaue, & leue onus, vt diximus supra.

Sunt ergo nouæ legis sacramenta numero septem, scilicet baptismus, quo spiritualiter homines regenerantur; Confirmatio, in qua datur singulare quoddam gratiæ spiritualis robur ad vincendas tentationes; Eucharistia, cuius vsu spiritualiter quasi alitur, atque nutritur anima per gratiæ incrementum; pœnitentia, per quam gratia tribuitur remissionis peccatorum; extrema vnctio, in qua delentur peccatorum reliquiæ; ordo in quo confertur spiritualis quædam gratia, & potestas ad ecclesiasticas functiones ministrorum ecclesiæ, deinde matrimonium, in quo etiam datur diuinitus gratia peculiaris coniugibus ad prolem sanctè tum procreandam, tum etiam educandam in ecclesia ad Dei cultum.

Probatur autem hæc veritas ex definitione Concilij Florent. in decreto Eugenij, quam Græci, & Armeni facile cum Latinis receperunt, idem definit Trident. sessio. 7. can. 1. & in capit. Ad absolendam de hæret. damnantur, qui de ecclesiæ sacramentis aliter sentiunt, quam catholica ecclesia Romana tradit, quæ in hac doctrina errare non potest, cum ad præcipua fidei fundamenta pertineat; quæ definitio in scriptura fundamentum habet, in qua partim hæc septem ecclesiæ sacramenta expressa sunt, & partim insinuata, vt in seq. art. explicabimus.

Quo ad secundum. Multæ a sacris Doctoribus rationes seu congruentiæ assignantur, propter quas septem sacramenta, & non plura, neque pauciora fuerunt a Christo Domino instituta. Et primum, numerum septenarium, & perfectissimum esse numerum, & vetam designare quietem: quia numerus est vniuersitatis, constat tum ex D. August. libro primo de Ciuit. Dei, cap. 13. & ex Gen. cap. 2. vbi legitur Deum post rerum omnium creationem die septima requieuisse, atque ob id sacramentis etiam numerus hic conueniens erat: quoniam cum in ijs gratia, & dona Spiritus sancti conferantur, dona quoque illa septem esse agnoscuntur, iuxta illud Esaiæ 11. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & bonitatis, & replebit eum spiritus timoris Domini; sic & Ioan. Apocal. 3. septem commemorantur spiritus, hoc est, septem dona spiritus, essentialiter enim Spiritus sanctus vnus est, dicente Paul. Ephes. 4. Vnum corpus vnum spiritus. Septem etiam ecclesijs scripsit Ioan. quamuis vna sit ecclesia. Numerus tamen ille sanctus ei placuit propter septem dona, propter septem sacramenta; propterea quod hunc numerum primum hoc honore Deus dignatus est, quod non primo, non secundo, aut sexto, sed septimo die requiescere voluit, eumque sanctificare: conuenienter itaque hoc numero septem sacramēta celebrauit, & instituit Dominus Iesus, vt sic nos sanctificemur etiam, & sacrum illum donorum Spiritus sancti septenarium percipere mus in hac quoque vita, atque dein de etiam perficeremur gloria.

Insuper quamuis in vno sacramento plures virtutes dari queant, & de facto dentur a Deo, tamen pulchrum est quod videmus singula sacramenta singulis attribui virtutibus; sunt autem virtutes principales septem, quapropter decuit etiam totidem instituere sacramenta. Virtutes Theologales, tres, fides, spes, charitas. Virtutes Cardinales quatuor, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia. Vnde fidei tribuitur baptismus, eo quod in illo fidei initium est, cum ianua sit, qua & in ecclesiam, & ad cætera sacramenta patet ingressus. Vnctio spem manifestat: nam qui illam in vltimo vitæ suæ termino suscipit, testimonium dat spei suæ, quam habet erga Deum, & meritum ecclesiæ, cui innixus iam parit aditum. Sacramentum Corporis Christi summæ charitatis, & dilectionis est arcanum quoddam mysteriū, Hilario teste. Confirmatio fortes nos reddit, & confirmatos ad agonem spiritualem, Pœnitentia iustitiam operatur, vt qui in peccatis iniuste egerat, rursus hic opus exercçat iustitiæ. Ordo prudentiam requirit: quoniam ordinatus hoc modo claues debet habere scientiæ, vt sic officium suum prudenter exequatur. Matrimonium temperantiam desiderat cibi, & potus, & operum coniugalium: siquidem ibi peruersa, & praua hominum concupiscentia honestate nuptiarum excipitur.

Deinde cum sacramēta, vt diximus, sint a Christo Domino instituta vt homini sauciato tanquam medicinæ adhibenetur, eius quoque morbis curandis septenarius sacramentorum numerus bene conuenit. Primo est quidam morbus hæreditarius in omnibus hominibus, ipsum scilicet peccatum originale promanans ex Adam, & Eua; (Christum hic excipimus, & eius sanctissimam matrem.) Vnde Paulus ait ad Roman. 5. in Adam omnes peccasse, & contra hunc morbum institutus est baptismus.

Altera ægritudo est peccatum actuale post baptismum, huic curando Christus instituit pœnitentiam, dedique Apostolis suis, & eorum successoribus clauium potestatem. Tertius morbus non adeo grauis est: peccatorum venialium, cum enim nihil coinquinatum sit intraturum in regnum cælorum, ideo vt totus vndique purgetur homo etiam a leuioribus peccatis, Christus morituris ordinauit sacramentum vnctionis. Quartus in homine defectus magnus, & morbus est inscitia eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, huic quoque vt mederetur Dominus instituit ordinem, vbi intellectum suscipit presbyter quomodo absoluat, aliosque viam doceat fœlicitatis. Quinta ægritudo est exacerbata ista malignitas voluntati nostræ congenita, sive fastidium nobis ingeri, & nauseam omnis boni faciendi. Contra eam nobis Christus proposuit corporis sui participationem, qua quisquis vtitur sæpius, huic nimirum adueniet amor quidam priorum operum cum ardore animi, quod matri Sancti Augustini euenisse legimus. Sextus languor in nobis est infirmitas perseuerandi in fide, illamque intrepide confitendi etiam coram persequentibus. Vt huic quoque succurreret Dominus proposuit confirmationis sacramentum, quo Christiani confortantur, vt firmiter, & constanter Christum confiteamur, quod Petrus fecit in die Pentecostes coram Iudæis, qui antea ad vocem vnius ancillulæ exhorrescens eam sustinere non potuit.

Septima infirmitas est inordinata intentio, & feruens ista concupiscentia ad opera carnis, in quibus omnium maxime stimuli peccati originalis sese aperiunt, & manifestant, quibus tamen coercendis Christus ordinauit coniugij sacramentum, omnia hæc magis patebunt infra in singulorum sacramentorum pertractatione. Multæ aliæ a Doctoribus congruentiæ assignantur, quas lector apud Alex. Alen. quarta parte, quæst. 5. memb. 7. artic. 2. Richard. hac dist. artic. 1. quæst. 4. & Aureolum in 4. dist. 2. q. 1 art. 2. videre poterit.

Secunda maxime omnium est recepta, quam assignat Scotus in hac q. sub litt. b. §. Secundum scilicet perfectio &c. quam etiam Concil. Florent. amplexum est, & sumpta est ex proportione inter corporalem, & spiritualem vitam, quæ enim est inter perfectionem sacramentorum nouæ legis quoad extensionem. Nam finis sacramentorum est vita spiritualis animæ & ideo ex necessitate, vel vtilitate finis recte sumitur sacramentorum numerus: necessitas autē ex parte huius finis recte per dictam proportionem explicatur. In corporali enim vita quædam sunt necessaria singulis personis, quædam vniuersæ toti naturæ: Nam sicut in vita naturali hominis primum est generatio, deinde sequitur nutritio, & roboratio, & sanitatis perditæ reparatio; & hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam particularem. In vita enim corporali quædam sunt per se requisita ex intrinseca conditione naturæ, alia ex accidenti. Per se namque primum est necessaria est productio, sive generatio, deinde augmentum vsque ad perfectum, & virilem statū. Tertio nutritio continua ad conseruandum corpus. Quarto ex accidenti propter occurrentem corporis ægritudinem necessaria est medicina, quæ vim habet curandi corpus, & expellendi morbum, quo expulso necessarium est aliquod remedium vt conualescat corpus, & amissas vires recuperet. Ita spiritualiter oportuit adiutorium esse aliquod pertinens ad generationem spirituale, deinde vero aliquod pertinens ad nutritionem, aliud ad roborationem, & aliud ad reparationem post lapsum; & quia vita ista spiritualis via quædam est ordinans vt bene viuens in ea, ex ipsa sine impedimento ad vitam beatam transeat, ad quam præparat, ideo quinto requiritur adiutorium, quo ex hac vita migrās finaliter præparetur ad beatitudinis statum: hæc ergo quinque requiruntur tāquam adiutoria necessaria personæ cuicunque pro se.

Præter hæc vero ad conseruationem, & gubernationem totius naturæ, & ad bonum communitatis obseruantis hanc legem necessaria est potestas propagandi genus humanum

per

August.

Sacramentis septē dona spiritus correspondent.

Sacramenta septem virtutibus congruunt.

Sacramenta vniuersos morbos hois tollunt.

Alex. d Ales.

Aureolus.

Conci. Flor.

per coniunctionem maris, & feminæ licitam, & conuenienti modo factam, quę spirituali bono pręsupponitur, quemadmodum natura gratiæ præsupponitur. Requiritur etiam potestas gubernandi Rempubl. & continendi homines in officio, ac iustitia, atque ita multiplicatio spiritualis viuentium in ista lege, sicut & in politia naturali requiritur aliquod pertinens ad communitatem, quo aliquis constituatur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium communitati.

Hæc igitur omnia in vita spirituali sunt, & propter ea in lege Euangelica, quæ perfectissima est, congruum fuit septem adiutoria perfectissima intensiue, & extensiue quæ septem sunt ipsius legis sacramenta institui, & legis Euangelicæ obseruatoribus conferri. Hæc autem sunt: Baptismus ad regenerandos homines in spirituali vita; Confirmatio ad dandum augmentum, & robur ac virilem statum; Eucharistiam ad conseruandam, & nutriendam charitatem, & ita hęc tria sacramenta sunt bona per se ordinata ad bonum singulorum. Pœnitentia vero addita est occasione actualis peccati ad curandam spiritualem ægritudinem, si post generationem spiritualem contingat illam incurrere; adiuncta vero est extrema vnctio, quasi ad instaurandas vires, & reliquias ægritudinis prorsus curãdas propter finalem pręparationem. Ordo vero, & Matrimonium ad bonum totius communitatis ordinata sunt: hoc propter propagandos homines spiritualis vitæ capaces; ille vero ad ministeria spiritualia exercenda, & ad illos spiritualiter regendos.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramenta nouæ legis fuerint omnia à Christo Deo instituta.

RAtio dubitandi est: quia verum ac proprium sacramentum, (de quo solum agimus) oportet vt sit certum, atque infallibile signum gratiæ, vel præsentis, vel saltem futuræ; sed nullus potest imponere signum certum gratiæ nisi Deus, quia solus ipse potest illam dare, aut promittere, atq; adeo solus ipse potest sacramenta instituere; & propter hanc rationem negauimus supra distinct. 1. quæst. 3. artic. 4. potuisse Deum communicare creaturæ facultatem instituendi sacramenta.

Verum circa hanc rem prima sententia est hæreticorum huius temporis, qui solum duo sacramenta dicunt esse à Christo instituta: quia de his tantum existimant fieri mentionem in scriptura, & reliqua, quæ in scriptura non sunt expressa, vocant traditiones humanas. Sed si quis recte consideret, isti non negant Christum instituisse omnia sacramenta, quæ in lege noua esse existimant; sed errant circa numerum sacramentorum, contra quorum errorem disputatum est art. præcedenti.

Secunda sententia est quorundam catholicorum, qui negant Christum immediate instituisse omnia sacramenta, præsertim confirmationem, & extremam vnctionem; sed quia huiusmodi opiniones commodius tractabuntur disputando de singulis sacramentis, nunc illis prætermissis breuiter est definienda veritas, quę duabus conclusionibus explicatur à Doct. nostro sub. in hac q. sub. litt. c. §. Secunda conclusio hic declaranda, &c.

Prima conclusio. Omnia sacramenta à Christo immediate instituta. Prima conclusio. Omnia sacramenta nouæ legis sunt instituta tempore ipsius legis Euangelicę. hanc conclusionem probat Scotus singulis authoritatibus; & primo de baptismo patet: quia fuit institutus à Christo viuente: quia discipuli eius baptizabant, vt patet Ioan. 3. Præcepitq. eis vt illũ publice prædicarent, vt patet Matth. vltimo. Ite docete omnes gentes baptizantes eos &c. De Eucharistia patet Ioann. 6. eius prædicatio diffusa; institutio vero illius in cęna constat Matth. 26. Confirmationis vero institutio patet Ioann. 20. Accipite spiritum sanctũ &c vel Actorum 2. in die Pentecostes, quando factus est repente de cœlo sonus, &c.

Pœnitentia dicitur, quòd fuit instituta Iacobi 1. vbi dicitur. Confitemini alterutrum peccata vestra; sed hoc non videtur probabile, ex contextu litteræ: quia statim sequitur. Orate pro inuicem, vt saluemini; manifestũ est etiam quod per talia verba non intendebat D. Iacobus aliquod sacramentum instituere, vel promulgare: maxime quia apud D. Iacobum non erat authoritas instituendi aliquod sacramẽtum. Melius ergo dicendum est fuisse institutum Ioan. 20. vbi dicitur. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Promissum vero fuit hoc sacramentum Mat. 16. per illa verba. Tibi dabo claues regni cœlorum, & hoc quantum ad personam D. Petri specialiter: Vniuersaliter vero omnibus Apostolis Matth. 18. Quæcunque ligaueritis super terram &c. Ista enim potestas non erat principaliter, id est, vt causa principalis dimittendi peccata: quoniam vt sic est Dei proprium, sed dimittendi ministerialiter, & arbitrandi de dimissione peccati arbitrio approbato à Deo, sic autem arbitrari est in foro pœnitentiæ soluere, vel ligare.

De extrema vnctione etiam dicitur, quod Iacobi 5. fuit instituta vbi dicitur: Infirmatur quis in vobis &c. Sed licet ibi D. Iacobus promulgauerit illud sacramentum, melius est tamen dicere, quod fuerit instituta à Christo: legimus enim Marci. 6. quod Apostoli vngebant oleo multos infirmos & sanabantur; constat autem quod non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui vnctionem illam efficacem instituerat.

De Matrimonio apparet Matth. 19. vbi Christus dixit. Non legistis quia masculum, & fœminam fecit eos, supple Deus, qui per os Adæ supple dixit. Quam ob rem relinquet homo patrem, & matrem suam &c. vbi Christus approbat & ratificat id, quod Deus in statu innocentiæ per os Adæ publicauit. Ordinis vero sacramentum institutum est Mat. 26. vbi habetur. Hoc facite in meam commemorationem, & Ioann. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: Hæc enim duo pertinent ad ordinem sacerdotalem. Potestas enim respectu corporis Christi veri; & potestas respectu corporis Christi mystici, vt dicetur in materia de ordine sacro, d. 24.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Omnia sacramenta nouæ legis instituta sunt à solo Deo. probatur eademmet ratione, qua probauimus supra q. 3. sacramenta à solo Deo fuisse instituta: solus enim ille potest signum certum alicuius effectus instituere, qui potest effectum ipsum causare, vel quia habet dominium super illum, qui potest effectum causare; sed solus Deus potest causare gratiam, quæ est effectus sacramentorum, & nullus habet dominium super Deum, qui possit illum compellere ad gratiam causandam, ergo solus Deus potest instituere sacramenta, quæ sunt signa certa gratiæ.

Duobus modis potuit Christus sacramenta instituere. Pro ampliori tamen huius conclusionis intelligentia obseruandum est, quod Christus potuit dupliciter instituere sacramenta, scilicet immediate, id est, quod ore proprio determinauerit materiam & formam sacramenti; & mediate, hoc est, quod ipse dederit authoritatem Apostolis instituendi sacramenta.

Hoc supposito, dico primo, quod est de fide omnia sacramenta nouæ legis fuisse à Christo Redemptore nostro instituta immediate, vel mediate, ita quod si aliquis dixerit aliquod ex sacramentis nouæ legis, non esse à Christo institutum, esset hæreticus, patet ex Concil. Florent. in decreto Eugenij 4. & ex Trident. sess 7. can. 1. *Concilium Florent. Concilium Trident.*

Dico secundo, quod est etiam de fide quinque sacramenta, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Ordinem esse à Christo immediate instituta; probatur, quia colligitur expresse ex authoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ sunt claræ in littera Scoti; & ab hac conclusione nullus catholicorum dissentit.

Sed dubium est, Vtrum sit de fide, quod confirmatio, & extrema vnctio sint immediate à Christo instituta, sicut reliqua sacramenta, vel sit contra fidem dicere, quod sunt instituta ab Apostolis ex Christi commissione. *Durandus. Sotus.* Durandus in 4. d. 2. q. 1 num. 7 & Sotus d. 1. q 5. art. 2. conueniunt in hoc, quod non est hæresis manifesta dicere, quod hæc duo sacramenta non sint à Christo Domino instituta immediate. *Alc. & Alen.* quinimo Alex. Alen. p. 4. q. 9 m. 1. asserit sacramentum confirmationis fuisse institutũ Spiritus sancti instinctu in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi; quem secutus est D. Bonauent in 4. d. 7. art. 1. q 1. & 2. *D. Bonauẽ. Hugo.* Hugo etiam de Sancto Victore lib. 2 de sacramentis p. 15. c. 2. tenet vt refert Sotus, sacramentum extremæ vnctionis fuisse institutum à D. Iacobo, cuius sententiam secutus est Magister sent. in 4. d. 23. *Magis. sent.*

Conueniunt etiam Durandus & Sotus, quia vterq; dicit sacramenta nouæ legis fuisse à Christo immediate instituta; differunt tamen, quia Durandus non alia firmitate,

quam

Digitized by Google

quam probabilitatis putat esse certũ. Sotus vero dicit adeo esse certum, quod sunt a Christo Domino immediate instituta, vt sit temerarium oppositum asserere. Ratio primi est: quia vt inquit D. Paulus, Fundamentum aliud nemo potest ponere nisi Christus Iesus; sacramenta autem sunt ecclesiæ fundamenta, ergo nullo modo potest dici, qđ sint instituta ab alio, quam a Christo: secũdo, solus Deus potest tribuere virtutem sacramentis, ergo frustra commisit alteri institutionem sacramenti, atque adeo (inquit Sotus) temerarium est oppositum asserere: quia nulla ratio id suadere potest.

Conc. Trid. Mihi autem plusquam temerarium videtur propter authoritatem Concilij Trident. sessio. 7. can. 1. dicentis, si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, &c. aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum, anathema sit. Nam his verbis non tantũ vult dicere Concilium, quod sacramenta sunt de iure diuino, ad quod sufficeret quod essent instituta ex diuina commissione, sed docere, atque definire intendit, quod Christus Dominus fuit sacramentorum institutor; atque adeo contra Concilij definitionem videtur esse asserere, aliquod ex septem sacramentis nõ fuisse immediate a Christo Domino institutum. Sed de hoc erit sermo diffusior distin. 7. huius 4.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacramenta nouæ legis habeant a Deo instituente efficaciam, vel a Christi Domini passione.

Efficacia sacramenti quid sit. PRo explicatione huius tituli obseru. est primo, quod sacramentum habere efficaciam est ipsum habere regulariter effectum significatum concomitantem, atque ita ab illo efficaciam habet, a quo prouenit quod effectus concomitetur.

Secundo obseru. est, quod ista effectus concomitantia potest esse ab aliqua causa dupliciter, vel tanquam a causa efficiente, quæ scilicet effectum ipsum sacramenti efficienter producit, vel tanquam a causa meritoria, quæ scilicet mereretur quod talis effectus concomitetur sacramentum.

Tertio obser. est, quod homini per peccatum Dei inimico constituto disposuit Deus non remittere illud peccatum, neque illi aliquod præstare adiutorium ad illius remissionem, siue ad beatitudinis assecutionem, nisi per oblationem aliquam sibi gratius acceptam, quam illud hominis peccatum sibi fuisset ingratum, atque displicens. Nihil autem potuit inueniri gratius beatissimæ Trinitati, quam fuerit illi displicens, & ingrata tota culpa, & offensa generis humani, nisi aliquod fuisset obsequium personæ magis dilectæ, quã tota communitas humani generis, quæ Deum per vniuersalem offensam offendit, fuerat, vel debat Deo chara esse si non offendisset; talem personam, tamque dilectam non potuit humanum genus habere ex se: quia totum fuit Deo inuisum, & inimicum de vna perditionis massa. Disposuit igitur beatissima Trinitas, cuius natura bonitas, & opus misericordia est, egeno generi humano personam tam sibi dilectam præstare, ipsamque ad id inclinare, vt pro toto genere humano ipsa offerret obsequium potentissimo, & beatissimo Patri misericordiarum. Talis persona fuit Christus dominus, cui non ad mensuram Deus dedit charitatis spiritum, atque gratiam, vt Ioan. 3. dicitur.

Obsequium vero ab illo pro genere humano Patri diuino oblatum illud fuit, in quo diuinissima eius charitas illuxit mors, videlicet ipsius sacratissima. Vnde beatissima Trinitas nullum adiutorium pertinens ad salutem contulit homini viatori nisi in virtute oblationis huius a Christo Domino in cruce peractæ. Persona quidem Deo patri dilectissima, maximæque charitatis, & excellentissimæ. Hinc, & pater cælestis nihil vnquam mortalibus contulit adiutorij ad salutem nisi ob meritum huius oblationis a Christo Domino in cruce peractæ, propter eandemq; præfiguratam in sacrificijs, & oblationibus patrum antiquorum, ab ipsisque implicite, vel explicite creditam, & patres illi, & illorum sacrificia Deo grata fuere. Hic enim odor suauitatis sacrificiorum erat patrum antiquorum, quem odorabatur pater cęlestis, sicque agnus ille prędicatur occisus ab origine mũdi Apocal. 13. & Hebr. vltimo, Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula fuisse, fore, atque esse ab Apostol. prædicatur.

His obseruatis prima Conclusio Scoti est. Sacramẽta nouæ legis habent efficaciam a solo Deo tãquam a causa principali efficiente. hæc conclusio probatur dupliciter, primo sic. Solus Deus instituit sacramenta nouæ legis; sed sacramentorum efficaciam nullus efficit, nisi sacramentorum institutor, ergo a solo Deo habent sacramenta efficaciam, tanquam a causa principali, & efficiente. *1 Conclusio*

Secundo probatur. Solus Deus potest producere gratiã efficienter, ergo a solo Deo habent sacramenta efficaciam tanquam a causa efficiente; probatur consequentia: quia sacramenta habere efficaciam nihil aliud est, nisi habere regulariter effectum significatum concomitantem. Sed quia posset quis dicere, quod licet solus Deus possit gratiam efficienter producere, potest tamen determinari ab aliqua creatura, vt gratiam producat, atque ita posset dici quod sacramenta ab illa creatura habeant efficaciam, Contra hoc arguit Scotus. Solus Deus determinat se ad causandum effectum sibi proprium, at effectus significati per sacramẽta soli Deo sunt proprij, ergo solus Deus potest determinare se ad causandum effectus sacramentorum concomitantes regulariter sacramenta. Maior probatur: nam si Deus posset ab alio determinari ad causandum effectum sibi proprium, iam respectu illius esset causa secunda, quod est plusquam falsum. Præterea primam causam non determinat nisi causa secunda, sed non datur causa secunda gratię, ergo nulla creatura determinat Deum ad producendum gratiam, probatur minor: quia gratia a solo Deo producitur.

Secunda Conclusio Scoti. Sacramenta habent efficaciam a Christi passione tanquam a causa meritoria; probatur, gratia non confertur nobis nisi ex merito passionis Christi, ergo & efficacia, quam habent sacramenta prouenit meritorie a Christi passione. probatur consequentia: quia efficacia sacramentorum est conferre gratiam recipientibus: antecedens declaratur, quia vt diximus in tertio notabili, postquã homo factus est Deo inimicus, disposuit Deus non remittere offensam illi; nisi per aliquod obsequium magis gratum, quam offensa erat inuisa. Huiusmodi vero obsequium non potuit præstare nisi persona talis, quæ esset magis dilecta Deo, quam fuerat diligenda tota communitas hominũ, si culpam non commisisset, quam quidem personam genus humanum ex se habere non potuit: quia totum erat inimicum, & de massa perditionis. Et ideo placuit Deo ex sua liberalitate dare generi humano talem personam, quam inclinauit vt offerret obsequium pro genere humano; Manifestum est autem, quod huiusmodi persona erat Christus Redemptor noster, & tale obsequium est etiam illud, in quo maxima apparet charitas Christi, qualis est offerre se vsque ad mortem inclusiue pro iustitia, ergo non confertur nobis gratia, nisi ex merito passionis Christi: quia Christus per suam passionem a Deo acceptam, meruit vt talia sacramenta, qualia fuerunt vetera ipsam passionem suam antecederet, quodque nouæ legis sacramenta ipsam passionem concomitarentur, vel etiam subsequerentur, & quod diuersimode virtutem, & efficaciam haberent. Ex his breuiter potest sic formari ratio ad conclusionem. Nullum adiutorium ad salutem pertinens disposuit beata Trinitas homini præstare post Adæ peccatum nisi in virtute, & merito passionis Christi, vt constat ex tertio notabili. Sed sacramenta nouæ legis sunt adiutoria perfectissima ad consecutionem salutis, seu beatitudinis, ergo suam virtutẽ, & efficaciam habent a Christi passione tanquam a causa meritoria. *2. Conclusio*

Tertia Conclusio. Solus baptismus habet a Christi passione totalem efficaciam, cætera vero sacramenta partialẽ tantummodo licet principalem, probatur conclusio. Illud sacramentum habet efficaciam suam totam a Christi passione, cuius effectus nullam exigit dispositionem, nec aliquod meritum in recipiente ipsum, & e conuerso illam sacramenta non habent a Christi passione efficaciam suam totam, quorum effectus nunquam sine aliqua dispositione præuia aliquo modo meritoria ipsa recipientium conferuntur; sed effectus baptismi in recipiente ipsum dispositionem aliquam non supponit; cuius contrarium est de effectu quocunque cuiuslibet alterius sacramenti, cum nullus ipsum consequatur nisi deuote, & digne recipiat sacramentum, & ad eius effectum recipiendum cum diligentia se disponat. *3. Conclusio*

Vndo

Digitized by Google

Vnde sicut prima causa quorundam effectuum est causa totalis, vt angelorum, & omnium aliorum, quæ effectiue tantummodo sunt ab ipsa; aliorum autem ad quæ concurrunt causæ secundæ, dicitur esse causa effectiua partialis, licet magis principalis; ita est de Christi passione comparata ad omnia ecclesiastica sacramenta; quod videlicet alicuius efficaciæ est causa meritoria totalis, vt cuiuscunq; cuius effectus confertur homini solo Christi passionis merito absq; quocumque alio mediante; Nullum autem aliud sacramentum est tale, nisi solus baptismus, per quem paruulis absq; eorum actu aliquo confertur gratia & remittitur culpa. omnia autem alia sunt ad quorum effectum recipiendum oportet concurrere aliquem actum proprium recipiētis ipsum; qui tamen actus non est sufficiens ad merendum totaliter, nec etiam principaliter, sed minus principaliter huiusmodi effectum.

Sacramenta principalius habent à Deo efficaciam. Ex his sequitur, quod omnia sacramenta principalius, & perfectius habent efficaciam à Deo quam à Christi passione, vel quocumque alio. probatur: quoniam sacramenta ab illo principalius habent efficaciam, à quo principalius est ipsorum effectus; sed constat quod omnium sacramentorū effectus principalius sunt à Deo, cum sint ab ipso causaliter, & effectiue; quomodo non sunt nec esse possunt à Christi passione magis, quam ab aliqua creatura, ergo &c. Et confirmatur: quia efficacia, seu effectus omnium sacramentorum, est à Deo effectiue totaliter, à Christi autem passione nō nisi meritorie partialiter, excepto effectu baptismi. Quoniam non magis Christi passio est totalis causa meritoria efficaciæ, seu effectuum aliorum sacramentorum; quam æternorum præmiorum, quæ mediantibus illis sacramentorum effectibus habitis in præsenti, conferuntur homini in sequenti; sed illorum præmiorum Christi passio non est causa totalis meritoria, licet partialis principalis. Nam licet decedentibus post baptismum Christus totaliter meruerit præmium, cum eis conferatur absque aliquo proprio meritorio actu ipsorum; non autem alicui adultorum per contrariam rationem: quia videlicet omnes tales aliquem actum proprium meritorium habuerunt mediante alicuius sacramentorum effectu, quem perceperunt, & de tali quolibet intelligendum est illud D. August.

D. August. Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te; nullum enim adultum saluare Deus statuit sine ipso adhoc aliqualiter, licet minus principaliter meritorie operante, ergo hoc est: quod nulli talium Christus sua morte meruit totaliter, conferri præmium sempiternum, nec per consequens effectum alicuius sacramentorum aliorum à Baptismo.

Et si dicas. Nullus videtur sibi ipsi posse mereri gratiam: alias iam non esset gratia si homini ex suis proprijs meritis conferretur: tunc enim magis debitum, quam gratia diceretur. Respondeo, quod nullus potest sibi ipsi ex se mereri gratiā principaliter, nec de condigno, sed bene minus principaliter & de congruo. Potens enim sibi mereri, quod maius est, & quod minus; sed quilibet ex bonis operibus. potest sibi mereri gloriam, quæ longe est perfectior, & salubrior, quam sit gratia ipsa, ergo &c. Vel etiam posset dici, quod nullus ex se aliquo modo sibi mereri potest gratiam nec gloriam, sed tantum ex diuina clementia statuente eius actus bonos aliquos acceptare, vt dignos de congruo gratia in præsenti, & gloria in futuro Christi passione principaliter mediante.

Contra secundam conclusionem arguit Scotus quadrupliciter, & primo sic. Causa in actu & effectus in actu simul sunt, & non sunt. 5. Meta tex. c. 2. & 2. Physi. tex. cap. 27. *Arist.* sed passio Christi non est in actu, ergo non potest tribuere efficaciam, quam actu habent sacramenta. Respondet Scotus, ꝙ Arist. loquitur de causa efficiente naturali, non autem de causa meritoria, seu morali cuiusmodi est passio Christi, vt autem aliquid sit causa meritoria, non requiritur quod in re actu existat, sed sufficit quod sit in acceptatione præmiantis; atque ita passio Christi existit in acceptatione diuina, sicut patet apud nos, qui multa bona conferimus propter obsequium præteritum, sed manens præsens in memoria nostra; si etiam tale obsequium est futurum, multa etiam concedimus: quia est præsens in opinione nostra.

Secundo arguitur. Si sacramenta nouæ legis haberent efficaciam à passione Christi, haberent illam aut ab ea tanquam à præuisa futura, aut exhibita, sed neutro istorum modorū illam habent, ergo &c. probatur minor; Non tanquam à præuisa futura; quia tunc sacramenta veteris legis potuissent habuisse efficaciam à Christi passione, consequens est falsum, quoniam secundum sanctos illa sacramēta gratiam non conferebant, sed illam promittebant tantum. Neque tanquam à passione exhibita: quia tunc Baptismus, & Eucharistia non haberent per illam efficaciam: quia instituta fuere ante Christi passionem exhibitam, & tamen habent efficaciam à Christi passione.

Respondetur, quod omnia sacramenta nouæ legis efficaciam habent a passione Christi, vt exhibita non quidem in actu exteriori, sed actu interiori: Nam ab instanti conceptionis Christus Dominus meritum habuit suæ passionis, in illoq. interiori actu tanq meriti principaliter cōsistit. Ideoq. quod tempore vitæ suæ instituit, potuit etiam tunc habere efficaciam à passione volita perfecte ab ipso Christo, in qua quidem volitione principalis erat oblatio, Deoq; gratissima, nec; dici potest passionem illam sic fuisse acceptam ante incarnationem; quia licet Deus eam præuiderit acceptaueritque; tamen ante incarnationē haud oblata fuerat actu interiori, neque exteriori, sicut post incarnationem: Christus enim Dominus ab ipsa conceptione meruit, quicquid per totam vitam meruit, ita quod per vitæ discursum, aut mortem nihil meruit amplius, quod ante non meruerit, vt docet Magist. sent. post D. Grego. lib. 3. d. 18. *Magis. sent.* Licet autem totum Christi meritum fuerit ab ipsa conceptione, non tamē totus illius effectus: quia apertio ianuæ paradisi requirebat solutionem pretij, suæque passionis satisfactionem; aliud enim est mereri, aliud satisfacere: quia satisfactio proprie respicit actum exteriorem pœnalem; sed de his latius in 3. sent. loco citato in prima parte diximus.

Respondetur secundo etiam ad mentem Scoti: quod omnia sacramenta nouæ legis Christo Domino viuente minorem efficaciam habuerunt, quam post eius passionem, & tamen non fuit inconueniens, quod instituerentur ipso viuente; erant enim instituta non pro tunc; sed vt pro tempore mortem ipsius sequente principalem efficaciam habitura. Ita quod tenendo, quod ab instanti incarnationis Christus meruit, quicquid meruit: quia tunc obtulit passionem suam actu interiori pro nobis, nosque ab vtero Virginis redemit; dici potest, quod sacramenta respectu gratiæ, quam conferunt à sua institutione, semper eamdem contulerunt, nec vnquam maiorem, vel minorem. Tenendo autem, quod ex tota Christi vita sit facta, & integrata vna oblatio ad nostram redemptionem, dici potest quod sacramenta viuente Christo minorem efficaciam habuerunt, quam post mortem illius, & minorem gratiam contulerunt.

Tertio arguitur. Si sacramenta nouæ legis haberent efficaciam à Christi passione, haberent ab illa aut tanquam à causa principali efficiente, aut tanquam à causa meritoria, sed neutro modo istorum potest dici, ergo &c. probatur minor, non tanquam à causa principali efficiente: quia nihil potest esse causa efficaciæ sacramenti, nisi quod potest esse causa principalis effectus signati per sacramentum, sed huiusmodi causa non potest esse nisi solus Deus, patet: quia solus Deus est causa efficiens gratiæ: sed neque tanquam causa meritoria: quia respectu gratiæ nulla est causa meritoria: si enim ex meritis, iam non esset gratia, vt arguit D. Paulus Roman. 9.

Respondetur, quod passio Christi est causa meritoria efficaciæ sacramentorum: & ad illud Apost. dico, quod illud dictum intelligendum est, quod gratia non habet causam meritoriam de condigno in illo cui gratia confertur, potest tamen habere causam meritoriam de cōgruo in eodem, & de condigno meritoriam extrinsecam tamen, id est, in altero: & eo maxime si illa causa meritoria extrinseca gratuite sit data illi (hoc est, si talia merita sint illi gratis applicata, sicut applicantur hominibus merita Christi) pro quo est causa meritoria, vt sit ei talis causa; qualis Christus Dominus est gratiæ nostræ.

Et si dicas, quod gratia quæ sic datur, s. ex meritis alterius gratis alteri applicatis, est debita illis meritis, licet non sit debita meritis suscipientis gratiam, atque adeo non potest dici gratia, verbi gratia, gratia quæ mihi datur ex meritis Christi gratis mihi applicatis, licet non sit debita meis meritis, quia nulla sunt in me merita de condigno ad primam gratiam, est tamen debita meritis ipsius Christi, ergo non potest appellari gratia.

Respondet Doct. sub. quod possumus dicere in vniuersis

Dei

Dei operibus non fuisse aliquod opus meræ gratię, nisi sola Incarnatio filij Dei: quia ad illam nulla merita præcesserũt: Neque enim ex aliquibus meritis Deus præordinauit filij sui incarnationem, sicut enim diximus in 1. part. 3. sent. distinct. 4. & dist. 18. respectu incarnationis Christi nulli potuit esse meritum: quia incarnatio Christi Domini, & eius passio est causa gratiæ omnibus hominibus, iuxta illud Io. 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, & consequenter causa meriti, atque ita incarnatio filij Dei non potuit esse ex merito, alioquin meritum præcederet causam
D. August. suam. Vnde bene dixit D. August. 3. de Trinit. cap. 19. In rebus per tempus ortis &c. Et in Enchirid. dicit, quod nullis præcedentibus meritis ille homo copulatus est Deo; quod si tempus incarnationis aliqua merita præcesserunt, B. Mariæ Virginis, & sanctorum Patrum, illa tamen non fuerunt absolute merita incarnationis, sed fortasse accelerationis il-
Alex. de Ales. lius, vt incarnatio a Deo ordinata adimpleretur. Ita Alex.
Bonau. 3. par. q. 8. memb. 3. & S. Bonau. lib. 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1. &
Richardus. Richard. eadem dist. p. 2. q. 1. & Gabr q. 3. dicunt quod Pa-
Gabriel. tres Sancti, imo Beatissima Virgo, nec de condigno, neque de congruo meruerunt incarnationem filij Dei, sed tãtum meruerunt de congruo ipsius accelerationem. Dicendum est ergo, quod si in hoc rigore sumatur gratia, idest, quod nullam habuerit causam meritoriam, nullum opus Dei est puræ gratiæ nisi incarnatio filij Dei: quia omnia alia opera proueniunt hominibus a Christi passione, incarnatio vero non fuit facta propter meritum alicuius personæ.

Quarto arguitur. Si sacramenta efficaciam haberent a Christi passione hoc fuisset maxime a vulnere lateris illius, sed ab illo vulnere non potuit aliquod sacramentum habere efficaciam, ergo a nulla alia Christi passione. proba-
August. tur sequela ex D. August. 15 de Ciuit. Dei, capit. 26. dicente quod ostium in latere arcæ Noe est vulnus lateris Christi, ex quo sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur ad Christumque ingrediuntur. minor autẽ probatur: quia illud vulnus inflictum fuit corpori Christi iam mortui, vt patet Ioan. 19. Ad Iesum autem cum venissent, & vidissent eum iam mortuum non fregerunt eius crura, sed vnus militum &c. sed corpus Christi post mortem non potuit esse causa meritoria alicuius gratiæ, ergo &c.

Respondetur, quod sacramenta nõ fluxerunt ab illo vulnere tanquam a causa meritoria, sed ab operibus, quæ Christus fecit, & a passionibus quas sustinuit tempore vitæ suæ.
Error Petri Ioan. Quidam vero Petrus Ioan. volens sustinere, quod Christus viuus receperat illud vulnus dixit, quod Euangelista posuit illa verba per recapitulationem, non eo ordine quo gestum fuerat, at in Clement. de summa Trinit. & fide Ca-
Conc. Vien. thol. definitur quod Euangelista rectum ordinem tenuit, & quod Christo mortuo vulnus lateris fuerit inflictum. Cum que igitur Christus mortuus esset, quãdo recepit illud vulnus, homo non erat, neque mereri poterat, existens iam extra statum viæ, & diuinitati corpori coniunctæ repugnabat mereri.

Dicuntur autem sacramẽta fluxisse ex latere Christi propter quandam similitudinem, & expressionem illorũ, quæ inde fluxerunt ad sensibilia, quæ sunt in quibusdam sacramentis. Sanguis enim specialiter assimilatur speciei vini sub qua est sanguis in Eucharistia, aqua etiam specialius assimilatur aquæ materiali baptismi, quæ duo sunt principalia sacramenta, vt dicitur extra de celebr. Missarum, cap. In quadam, vbi & docetur, quod ex latere Christi fluxit verus sanguis, & vera aqua, non phlegma vt quidam dixerũt, in quibus videlicet aqua, & sanguine, duo maxime sacramenta redemptionis, & regenerationis relucent.

Posset etiam dici, quod si Christus meruit aliquid ex ipso vulnere, hoc fuit ratione voluntatis, & acceptationis ipsius Christi adhuc viuentis, & acceptantis vulnus illud præuisum, atque ita a passione Christi ratione illius vulneris possunt sacramenta habere efficaciam, sicut a causa meritoria.

Andr. Vega Vnde Andreas a Vega, libro 7. in Concil. Trident. capit. 18. dicit, quod opera, & passiones Christi vsque ad mortem fuerunt nobis causa iustificationis meritoriæ, & satisfactoriæ, quæ vero a passione vsque ad resurrectionem ab eo gesta, atque perpessa sunt, meritoria quidem non fuerunt, satisfactoria tamen fuerunt: quia fuerunt voluntaria omnia, a voluntate, qua Christi anima, & prius, & tunc illa volebat pro salute nostra perpeti, & facere, & tempus satisfaciendi, vt patet in animabus Purgatorij, non tantum protenditur vsque ad mortem, sed etiam vsque ad beatitudinem, & quoad aliquid vsque ad resurrectionem suam voluit esse Christus propter nos viator, &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum in institutione sacramentorum nouæ legis concurrant misericordia, & veritas.

Haec difficultas tribus conclusionibus explicatur. Pri- *1. Conclusio*
ma Conclusio. In collatione sacramentorum concurrunt misericordia, & iustitia ex parte Dei acceptantis passionem Christi pro humani generis satisfactione: Quia est opus maximæ misericordiæ tanta remedia conferre homini inimico, maximæ etiam iustitiæ opus est, propter tam gratum obsequium tam dilectæ personæ, tantum remedium illis conferre, pro quibus illa persona obtulit illud obsequium. Iustum enim est obsequium acceptare tam dilectæ personæ pro illo, pro quo offertur obsequium, atque etiam est iustum propter istud obsequium talia remedia conferre hominibus, qualia sunt sacramenta. Concurrunt etiam misericordia, & iustitia ex parte Christi offerentis: maxima enim Christi misericordia fuit offerre se morti pro inimicis Trinitatis, quam ipse summe diligebat; Fuit etiam iustitiæ supremæ adimplere ordinem Dei, quo decreuerat non aliter conferre beatitudinem hominibus quam per Christi Domini passionem; Adimplere enim ordinem institutum a Deo iustissimum est. Fuit etiam opus iustitiæ, tam respectu Dei, quam hominis lapsi: neque enim videretur talis persona maxime diligere Deum, & proximum, nisi vellet obsequium tale exhibere pro tanto bono communi, nempe beatitudine hominis, ad quam Deus prædestinauerat eum, disposueratque illum non aliter peruenturum ad illam quam per illud obsequium.

Secũda Conclusio. Quamuis Christi passio sit causa me- *2. Conclusio*
ritoria respectu efficaciæ, tam sacramentorum veteris, quã nouæ legis, maiorem tamen efficaciam habet respectu sacramentorum nouæ legis, & gratiæ nunc conferendæ, quam respectu sacramentorum veteris legis, & gratiæ, quæ tunc præstabatur. hoc est, maiorem gratiam conferunt sacramenta nouæ legis, quam conferrent veteris legis sacramẽta. Probatur: quia passio Christi Domini erat tunc promissa, modo vero exhibita; atqui iustum est, vt propter exhibitam passionem, maiorem gratiam, & perfectiora gratiæ adiutoria nobis conferat Deus, quam propter illam exhibendã. Iuste enim & obsequium exhibitum acceptat Deus ad maius bonum, quam solum præuisum: Nam beata Trinitas modo gratiam confert propter Christi Domini passionem exhibitam, a nobisque creditam, vt exhibitam, tunc autem contulit propter eam a se ipsa præuisam, ab illisque fidelibus præcreditam vt exhibendam.

Tertia Conclusio. Causa propter quam circumcisio non *3. Conclusio*
aperiebat ianuam cęlorum, baptismus autem sic, non est, quia baptismus conferat maiorem gratiam, quam circumcisio: quia quamuis homines illius legis habuissent maiorẽ gratiam, tamẽ fuisset eis clausa ianua cęli: Certum est enim D. Virginem Christi Domini matrem non solum habuisse maiorem gratiam omnibus iustis veteris legis, sed etiam quam habuerunt simul omnes Angeli, & homines, & tamẽ si ante Christi mortem obijsset, non fuisset ei cęli ianua reserata. Est ergo ratio discriminis: quia tunc applicabatur pretium redemptionis soluendum, modo vero solutum, atque adeo gratia, quæ conferebatur patribus veteris legis quantumcunque magna non conferebatur illis, vt efficax ad finem gratiæ scilicet ad beatitudinem antequam redemptionis pretium esset solutum, si autem minima gratia nunc cõfertur in virtute illius pretij iam soluti, talis gratia confertur disponens sufficienter ad beatitudinem, sic etiã nos maius bonum præstamus propter obsequium nobis exhibitũ, quam propter speratum, & exhibendum.

Sed dubium est, in quo genere causæ passio Christi sit *Dubium*
causa efficaciæ sacramentorum. Respondeo, & primum dico certum esse quod sacramenta habent a Christi passione efficaciam iuxta illud D. Pauli ad Roman. 5. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, & Apoc. 1. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, sacramenta; ergo, per quæ recõciliamur Deo, & a peccatis lauamur, habent virtutẽ a Christi pas-

Digitized by Google

ſti paſſione: quia paſſio Chriſti fuit cauſa huius reconciliationis, & mundationis.

Dico ſecundo, certum etiam eſſe apud omnes Doctores Scholaſticos: Chriſti paſſionem cauſam fuiſſe meritoriam, ſalutis noſtræ, atque etiam ſatisfactoriam. meritoriam quidem: quia per paſſionem meruit nobis Chriſtus gratiam & gloriam: ſatisfactoriam: quia ſatisfecit pro omnibus peccatis.

Id vero eſt dubium, an Chriſti paſſio ſit noſtræ ſalutis & efficaciæ ſacramentorum cauſa efficiens, vel meritoria tantum. Hæc quæſtio maximam habet connexionem cum illa, in qua quærebamus an ſacramenta ſint cauſæ efficientes gratiam. Quapropter D. Thom. 3. p. q. 62. art. 5. & 64. art. 3. & ibi Caiet. & Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 3. & q. 5. art. 3. qui tenent, quod ſacramenta ſunt cauſa efficiens gratiæ, tenent, quod paſſio Chriſti non tantum ſit cauſa meritoria, ſed etiã efficiens virtutis ſacramentorum. Fundamentum primum deſumunt ex multis locis diuinæ ſcripturæ, ex quibus volunt colligere, quod Chriſtus eſt operatus ſalutem noſtram non ſolum meritorie, ſed etiam efficienter: primo ex illo Matth. 9. Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata; & Ioan. 1. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. & ex illo Apoc. 1. Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; ſed habere poteſtatem dimittendi peccata, facere gratiam, & à peccatis lauare, denotant cauſalitatem cauſæ efficientis; cum ergo Chriſtus hæc omnia fecerit per paſſionem ſuam, ſequitur quod paſſio eius eſt cauſa efficiens ſalutis noſtræ, & efficaciæ ſacramentorum.

Thomas. aiet. otus.

Secundũ fundamentum eſt. Sacramenta, & paſſio Chriſti ſe habent ad Deum, tanquam inſtrumentum ſeparatum & coniunctum, nam ſacramenta ſunt inſtrumentum ſeparatum, paſſio vero coniunctum; ſed ſacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales efficientes gratiam; ergo à fortiori paſſio Chriſti, quæ eſt inſtrumentum coniunctum operatur efficienter gratiam, & ſacramentorum efficaciam.

otus. urandus. Scotus vero Doct. ſub. in hac q. & in 3. d. 19. Durandus in 4. d. 1. q. 1. & omnes qui tenent, quod ſacramenta non ſunt cauſæ efficientes gratiæ ad modum cauſæ naturalis; tenent etiam quod paſſio Chriſti non eſt cauſa efficiens ſalutis noſtræ & efficaciæ ſacramentorum, ſed cauſa meritoria tantum.

Præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt, quod ſolus Deus poteſt producere gratiam effectiue, efficacia autẽ ſacramentorum eſt, quod gratia concomitetur ſemper ſacramentum, niſi ſit obex ex parte ſuſcipientis, ergo ſolus Deus poteſt tribuere efficienter ſacramento efficaciam, & per cõſequens paſſio Chriſti non poteſt eſſe cauſa efficiens, ſed tantum meritoria illius efficaciæ.

Secundo, paſſio Chriſti nunc non eſt ergo, non poteſt eſſe cauſa efficiens virtutis, quam actu habent ſacramenta; probatur ex Ariſt. 5. Meta. cauſa in actu, & effectus in actu ſimul ſunt, & non ſunt. *iſtot.*

Opinio Scoti mihi videtur verior. Ideo ad primum fundamentum D. Thomæ reſpondeo, ꝙ illæ authoritates tantum probant, quod Chriſtus fuit Author ſalutis noſtræ, & ꝙ per paſſionem ſuam reconciliati ſumus Deo, & mundati à peccatis, quod nos concedimus; negamus tamen quod inde neceſſario ſequatur paſſionem Chriſti fuiſſe cauſam efficientem ſalutis noſtræ & efficaciæ ſacramentorum.

Secundo reſpõdetur, ꝙ duplex eſt cauſa efficiens, ſ. Phyſica, & moralis, cauſa Phyſica eſt quæ per virtutem propriã attingit effectum, adeoque effectus prouenit efficienter ab illa cauſa. Cauſa vero moralis eſt, quæ inclinat cauſam naturalem, vt producat effectum, velut qui aliquem deprecatur vt aliquid efficiat, preces ſunt cauſa moralis effectus producti. Dico ergo, quod ſi ex illis authoritatibus colligatur paſſionem Chriſti eſſe cauſam efficientem, colligitur quidem eſſe cauſam moralem, non tamen eſſe cauſam efficiẽtem ad modum cauſæ naturalis. Et per hoc patet ſolutio ad ſecundum diſtinguendo minorem, de cauſa naturali, & morali, & concedendo quod ſacramenta ſunt cauſæ morales, inde tamen non ſequitur, quòd paſſio Chriſti ſit cauſa efficiens, niſi etiam moralis.

Secundo dubitatur. Cum non ſolum paſſio Chriſti, ſed tota vita eius, & ſingulæ eius actiones fuerint cauſæ meritoriæ ſalutis noſtræ, cur potius ſalus noſtra & virtus ſacramentorum, tribuitur paſſioni, quam reliquis actionibus Chriſti. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod tota vita Chriſti ſimul cum eius paſſione cõputatur pro vnica actione completa, pro qua actione ſic integra decreuit Deus remittere offenſam generis humani; & ideo Chriſtus conformando ſe diuinæ determinationi, quamuis quodlibet eius opus eſſet ſufficiens pro redemptione totius mundi; non obtulit tamen tãquam plenarium meritum, niſi totam vitam ſimul cum paſſione; atque ita in paſſione fuit precium perſolutum, quapropter ſacra ſcriptura tribuit redemptionem noſtram paſſioni Chriſti; & ſacramenta dicuntur accipere virtutem ab illa, non ideo quia reliquæ actiones Chriſti nõ fuerint neceſſariæ, ſicut paſſio; ſed quia in paſſione fuit opus redemptionis expletum.

QVÆSTIO II.

Vtrum baptizatus Baptiſmo Ioannis tenebatur baptizari Baptiſmo Chriſti.

CIrca ſecundam partem diſt. Magiſtri, in qua agit de Baptiſmo Ioannis, quærit Doct. ſub. hanc quæſt. Quid ſit baptiſmus explicabimus ſequenti diſt. Pro nunc autem obſeruandum eſt, quod Baptiſmus eſt primum omnium ſacramentorum, & velut aliorum ianua; ita vt qui baptizatus non eſt, nullius alterius ſacramenti percipiendi capax eſſe queat. cap. Veniens. de Presbyt. non baptizat. atque adeo ordinatus quiſpiam in presbyterum, & non baptizatus, Presbyter futurus non erit; Ideoq; adulti olim ante baptiſmum nec confeſſione, nec abſolutione indigebant. Sacramentum autem hoc ſucceſſit circumciſioni, & præcipue peccatum aufert originale. Præparauit illud Ioann. Domino ſicut in ſpiritu præuidit Zacharias eum præceſſurum, & præparaturum ipſi vias ſuas. Sic enim prior incepit baptizare Ioan. vt promptiores fierent homines ad baptiſmum Chriſti, baptiſmus enim Ioann. fuit præludium quoddam ad Chriſti baptiſmum, de quo intelligitur titulus huius quæſt. de quo diſputant Doctores Scholaſtici in 4. d. 2. Alex. de Ales. p. 4. q. 6. per totam, D. Thomas 3 p. q. 38. Toſtatus in Matth. to. 1. c. 3. à quæſt. 36. vſq; ad 51. & Bellar. lib. 1. de Baptiſmo. c. 19. vſque ad c. 23. circa quem quæruntur ſeptem. *Alexan. de Ales. D. Thomas. Toſtatus. Bellarmin.*

Primus art. Vtrum Baptiſmus Ioannis fuerit inſtitutus à Deo.

Secundus art. Vtrum Baptiſmus Ioannis fuerit conuenienter inſtitutus.

Tertius art. Vtrum in aliquo tempore fuerint ſimul Baptiſmus Ioannis & Chriſti Baptiſmus.

Quartus art. Vtrum Baptiſmus Ioannis fuerit ſacramentum.

Quintus art. Vtrum Ioannes baptizauerit ſub aliqua determinata forma.

Sextus art. Vtrum Baptiſmus Ioannis conferret gratiam.

Septimus art. Vtrum baptizati Baptiſmo Ioan. eſſent neceſſario baptizandi Baptiſmo Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum Baptiſmus Ioannis fuerit inſtitutus à Deo.

VT hanc difficultatem examinemus occaſio nobis præbita eſt à Chriſto, qui Matth. 23. ex principibus ſacerdotum, & ſeniorum quæſiuit. Vnde nam eſſet Baptiſmus Ioannis, è cœlo, an ab hominibus, merito igitur & nos hic quærimus, quis illum baptiſmum inſtituerit. Senſus autem tituli eſt, An Baptiſmus Ioannis quo ad ritum, & modum baptizandi fuerit à Deo inſtitutus, & Ioanni traditus ac inſpiratus, an vero fuerit humanum inuentum.

Quidam dixerunt, quod non fuit à Deo; quia ſacramentum, quod à Deo inſtituitur, non denominatur ab aliquo puro homine, licet per purum hominem miniſtretur, vt patet de Baptiſmo Chriſti, qui miniſtrabatur per Petrum, & Paulum, & cæteros; & tamen non vocabatur Baptiſmus Petri, & Pauli, aut aliorum. Vnde Apoſ. arguit Corinthios: quia quidam eorum dicebant, Ego ſum Pauli, alij ego ſum Cephæ, alij ego ſum Apollo, ſcilicet, quia ab iſtis baptizati fuerant, 1. Corint. 1. at iſte baptiſmus vocabatur Baptiſmus Ioannis, ergo non erat à Deo, ſed ſolum à Ioanne.

Præterea, omnis doctrina, quæ de nouo procedit à Deo confirmatur aliquibus miraculis, patet de lege Moyſi: quia

quando

quando Moyses debuit loqui populo, significans illis quod Deus vocaret eos, vt essent populus eius, & daret eis legem ostendit miracula. Exod. 3. & 4. & in nouo testamento Christus prædicans nouam doctrinam nouis, & inaudita miracula faciebat, vt patet ex toto processu Euangeliorum; & quando misit Apostolos, & discipulos ad prædicandum dedit eis potestatem faciendi miracula; sed Ioannes nullum fecit miraculum, vt patet Ioan. 10. ergo baptismus per eum introductus non fuit à Deo.

Cæterum dicendum est Baptismum Ioannis à Deo duxisse primam originem, vt constat ex Luca c. 3. dicente. Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ; quibus verbis satis indicatur hoc fuisse verbum Domini factum super Ioannem, scilicet vt ad baptizandum, & ad baptismum prædicandum exiret, quod clarius explicuit ipsemet Ioannes dicens, Ioan. 1. Qui misit me baptizare, ille mihi dixit &c. Ex præcepto ergo Dei baptizauit, hoc ergo modo baptismus ille à Deo traxit originem: Nam qui Ioanni dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, non fuit alius nisi Deus (sum enim illa diuina reuelatio) Idem ergo Deus illum ad baptizandum misit, vt recte exponit

Cyrillus. Cyrillus lib. 2 in Ioann. c. 2. & 3. dicens, hæc dixisse Ioannem, ne sua sponte præcurrere videretur, cuius non fuit voluntatis, sed diuinæ dispensationis minister fuit.

D. August. & D. August. lib. 4. de bapt. cap. 22. dicit eumdem Dominum Ioanni dedisse munus baptizandi, qui ab eodem baptizatus est. Quod per communicationem tantum Idiomatum intelligendum est, (vt ipse diserte explicuit tract. 5. in Ioann.) baptizatus enim fuit Dominus in humanitate, non est autem verisimile per humanitatem misisse Ioannem ad baptizandum, sicut Apostolos postea misit, vt ex verbis Euangelij satis constat.

D. Bonau. Fuit ergo, vt inquit D. Bonauent. hac d. artic. 2. quæst. 1. Baptismi Ioannis Deus principalis institutor; sed Ioannes fuit administrator plenarius, & præcipuus: plenarius quia nihil ibi fiebat, quod per ipsum non fieret, totum enim administrabat, quoniam tantum exterius lauabat: præcipuus vero quia Deus per ipsum instituit, eo ei officium baptizandi commisit, vt nullus baptizaret eo baptismo nisi ipse; vel aliquis eius authoritate, & inde est quod nominabatur à

D. Thomas D. Bonauē. Richardus. Ioanne, & cessauit Ioanne cessante, ita D. Thom. 3. p. q. 38. art. 2. & D. Bonau. hac d. art. 2. q. 1. & Richardus art. 2. q. 2. & fere omnes.

Sed difficultas est. Vtrum ille baptismus ita duxerit à Deo originem, vt ab illo fuerit immediate institutus, an solum quia ipse misit Ioann. ad baptizandum illi committens, vt suo arbitrio baptismum institueret. Hæretici enim huius temporis priori modo explicant institutionem huius baptismi, vt illum nostro baptismo similiorem efficiant. Non nulli vero Catholici, vt ab illis omnino dissideant, docent proximum institutorem huius baptismi fuisse Ioannem; cuius arbitrio, & voluntati ritus ille baptismi a Deo commissus est, quod confirmant ex appellatione: quia in scriptura ille baptismus frequenter vocatur baptismus Ioannis, fuit ergo Ioannes non Minister solum, sed institutor illius baptismi; illa enim denominatio non solet ministris attribui; hac enim ratione baptismus Christi nunquam appellatur baptismus Petri, aut Pauli; quam differentiam in-

D. August. Alexan. de Ales Bellarmin. Medina. ter baptismum Christi, & Ioan. indicauit D. August. lib. 5. de bapt. c. 13. & hanc fuisse antiquorum opinionem refert Alexand. 4. p. quæst. 6. m. 8. quam tradit etiam Bellarmin. libro 1. de Baptism. capit. 20. & Medina. 3. parte quæstione 38. artic. 2.

Nihilominus dicendum est, ritum huius baptismi immediate esse a Deo institutum, & Ioanni traditum; Hæc est

Ale. d Ales. expressa sententia Alex. de Ales loco proxime relato; vbi opinionem antiquorum explicans dicit esse intelligendam, quod Ioannes fuit institutor baptismi ministerio, Dominus autem authoritate; Nam cuius præcepto res fit, eius authoritate fit, nec ille, qui authoritate, & præcepto superioris facit rem, vsurpator dicendus est, & licet Dominus esset institutor authoritate, non tamen ab eo denominabatur, sed à Ioanne: quia quicquid in illo fiebat à Ioanne fiebat, & quia soli Ioanni officium baptizandi concessum erat; eamdem sententiam sequitur D. Thomas. 3. p. quæstio. 38.

D. Thomas. Sotus. articulo 2. & Sotus in 4. d. 2. quæst. 2. artic. 1. & probatur ex verbis illis Ioannis. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit &c. Ex quo verbo constat ex peculiari Spiritus sancti inspiratione fuisse Ioannem ad baptizandum missum, atque adeo a Deo accepisse baptismum.

Nec valet si quis dicat accepisse quidem à Deo Ioannem reuelationem, seu præceptum baptizandi, non autem modum, & ritum baptismi: quia cum Euangelista dicat, qui misit me baptizare in aqua, illo verbo satis totum baptismi ritum expressit: quia, vt infra videbimus, nihil aliud erat de necessitate illius baptismi, quam externa ablutio. Quinimo etiam si aliquid aliud ad ritum illius baptismi pertinuisset, totum id foret intelligendum sub illo verbo esse comprehensum; sicut cum dicimus Christum misisse Apostolos ad baptizandum illa voce complectimur totum id, quod ad baptismum Christi perficiendum necessarium est. Quocirca si alternando vocatur Ioannes institutor il-

Ale. d Ales. D. Thom. lius baptismi, intelligendum est quia fuit primus promulgator: ita loquitur Alex. de Ales 4. p. q. 6. mem. 5. cum dicit, quod Ioannes fuit dispensator, & institutor baptismi, & D. Thom. in 4. d. 2. q. 2. art. 1.

Ad primum alterius opinionis, respondetur negando similitudinem, & disparitas rationis consistit in tribus. primo quia Baptismus Ioann. nullum effectum præstabat, quem Ioannes præstare non posset, cum enim spiritualem non conferret effectum, nihil in eo augebatur, quod ipse non faceret, & ideo quamuis ille non esset institutor illius baptismi, tamen erat in executione non solum erat Minister, sed veluti causa principalis, ideo ab ipso Ioanne denominabatur. In baptismo enim Ioannis vt dicit Alexan. vbi supra vnum tantum fiebat, scilicet ablutio exterior; in baptismo Christi ablutio exterior, & interior, ablutio interior, quæ erat principale, propter quod fiebat, non erat à Petro, & ideo baptismus accepit nomē à solo Christo, qui solus cōfert effectum baptismi. Vnde quicquid fiebat in Baptismo Ioan. ab ipso erat, non similiter quicquid fiebat in Baptismo Petri à Petro. Secunda ratio discriminis est, quia D. Ioanni fuit commissa institutio sui baptismi: quia non solum in executione erat minister, sed primus promulgator, & veluti causa principalis. Tertia: quia solus ille fuit Minister illius. Nemo enim alius baptizauit illo baptismo; Institutio autem baptismi Christi non fuit Apostolis commissa; nec vnus aut alter tantum baptizauit, sed omnes discipuli, & ideo nulla fuit ratio propter quam posset appellari Baptismus Petri, vel Pauli.

Ad secundum dico, quod Ioannes non confirmauit baptismum suum, nec etiam aliquam doctrinam miraculis: quia satis magnam authoritatem, & sufficientem dabant non existente aliquo miraculo: Vnde quando Iudæi miserunt ab eo, Cur baptizaret si non erat propheta, neque Elias, neque Christus, confirmauit officium suum non quidem miraculo, sed authoritate Sacræ scripturæ dicens. Ego vox clamantis in deserto. Ioan. 1. c. nam si diceret; Ex eo quod sum vox clamantis sicut dixit Isaias, competit mihi baptizare. Conferebat etiam Ioanni authoritatem austeritas vitæ eius: quia vt ait Chrysostom. super Matth. mirabile erat in humano corpore tantam patientiam videre: Nam putabant, quod non posset esse nisi a Deo, atque ita credebant omnia, quæ ipse faciebat a Deo esse. Attestabantur etiam ea signa, quæ præcesserunt in natiuitate eius, quæ Iudæi videntes admirati sunt, & posuerunt omnes in corde suo dicentes. Quis putas puer iste erit? Lucæ 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum Baptismus Ioannis fuerit conuenienter institutus.

RAtio dubitandi est, quia ille baptismus nec pertinebat ad legem veterem, neque ad nouam, ergo inconuenienter fuit institutus. prima pars antecedentis probatur: quia non inuenitur in scripturis in lege veteri, secunda pars etiam probatur: quia solus Christus fuit institutor, & legislator nouæ legis, baptismus autem ille fuit introductus a Ioanne, ergo non pertinet ad legem nouam. Consequentia probatur: quia omnis ritus sacramentalis ad aliquam pertinet legem; sed Ioannes non introduxit nouam legem; ergo inconueniens fuit, quod nouum ritum baptizandi introduceret.

Item

Digitized by Google

Item Ioannes fuit missus ad perhibendum testimonium de Christo iuxta illud Ioan.1. Hic venit in testimonium, vt testimoniũ perhiberet de lumine, & Lucæ 1. Tu Puer Propheta altissimi vocaberis. sed Prophetę, qui fuerunt ante Ioannem nunquam introduxerunt aliquem nouum ritum præter illa, quæ erant in lege Moysi, vt patet ex eorum libris, & gestis; ergo nec Ioan. debuit introducere nouum ritum. s. baptismum.

Præterea vbi est alicuius rei superfluitas non oportet addi, sed potius tolli, sed Iudæi abundabant in ritu baptizandi, & superfluebant, ergo non debuit dari nouus baptismus per Ioannem. Minor patet, quia Marci.6. dicitur, quod Pharisæi, & omnes Iudæi nisi crebro lauent manus non manducant tenentes traditiones seniorum; & cum a foro venerint, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa, quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum, ergo inconueniens fuit q̃d Ioan. baptizaret.

Ceterum dicendum est, quod Ioannis baptismus fuit conuenienter institutus, & quod propter multa Ioannes baptizauit, & conueniens fuit quod baptizaret propter multa, vt docet D. Thom. vbi supra art. 1. ex D. Bonau. art. 2. q. 2. Primo & præcipue ad ostendendum Christum sic enim ipse dixit Ioa. 1. Ego nesciebam eũ, sed vt manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizãs. Erat enim modus valde conueniens ostendendi populo Iesum esse Messiam baptismo. Tum quia baptizare erat insolitum, & propter rei nouitatem omnes ad eũ confluebant, pro vt innuitur Matth.3. & Marci.1. cum dicitur. Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, quibus verbis innuitur, quod præcipua causa exeundi ad eum erat, vt baptizarentur ab ipso, atque ita baptizando magis poterat congregari populus, ad ostendendum ei Christum, & hoc innuit Iosephus 18. Antiquitatum dicens, quod Ioannes docebat homines per baptismum in vnum conuenire: in quo innuit, quod ad baptismum Ioannis speciali modo homines conueniebant, siue congregabantur. Tum quia baptizando nõ solum Ioannes ostendebat toti populo Iesum esse Messiam sed etiam singulos in hoc instruebat: cum enim Ioannes singillatim baptizabat quoslibet, annunciabat illis de Iesu q̃d esset Messias, quem iam toti populo ostenderat Ioan. 1. sic dicit Chrysost. super Ioannem, quod Ioannes annunciabat singulis de Christo, dum baptizando per singulos discurrisset. Tum demum: quia non solum annunciabat Iudæis sigillatim de Christo, sed etiam per formam ipsius baptismi quem Iudæi fructuosum credebant ostendebat eis Messiã, cum baptizaret singulos in nomine Messiæ siue in nomine venturi, sicut dixit Paulus Act. decimonono, scilicet quod Ioannes baptizauit in eum, qui venturus est. Fuit ergo conueniens baptisma Ioannes ad ostendendum Christum.

D. Thomas. D. Bonau. Iosephus. D. Chrysost.

Secundo conueniens fuit Ioannem baptizare, vt posset ab eo Iesus baptizari, vt sic in se ipso Christus baptismũ cõsecraret. i. sanctificando aquam in qua baptizabatur. Sic ait D. Aug. super Ioan. & in ipso baptismo Ioan. manifestatus est Christus à Patre corã vniuersa multitudine, quę ad Baptismum Ioannis confluebat, & ipse Ioannes cõmodius hoc modo potuit Christum prædicare omnibus, qui ad baptismum accedebant, vt Chrysostom. notauit homil. 16. in Ioann. & latius homil. 10. in Matth. & Cyrillus in Ioann. cap. 26. & Augustinus tracta. 4. in Ioann. qui alias rationes adducunt.

D. August. Chrysost. Cyrillus. August.

Tertio quia Ioannes debuit ostendi excellentior omnib. Patribus prioribus veteris testamenti, ideo fuit conueniens ipsum introducere aliquem ritum admirandum, per quem ad ipsum omnes concurrerent; quia illud in prioribus seculis nunquam vidissent, & hoc cõueniebat valde ad manifestationem Christi, quia sic pluribus, quam alias manifestaretur.

Quarto quia Ioannes per baptismum suum assuefaciebat homines ad baptismum Christi, vt testatur D. Greg. in quadam Hom. per illum enim baptismum præparabantur ad baptismum Christi tam assuetudine, qua de Christi baptismo, neque mirarentur, neque ab illo abhorrerent, quã etiam ipsius Ioannis doctrina, qui a se baptizatos de Christi baptismo & dignitate dirigebat mentes ad Christum vt videre est apud Matth. capit. 2. & Ioann. capitulo primo. Nam vt dicit D. Gregorius, Ioannes ideo baptizauit vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum Dominum nascendo præuenerat, baptizando quoque baptizaturum præueniret.

D. Greg.

Quinto quia inducebat homines ad pœnitentiam, atque ita preparabat illos ad digne recipiendum baptismũ Christi, quod probatur ex Beda super primum cap. Ioann. dicente. Quantum Catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit Baptismus Ioannis ante baptismum Christi, idest, quod sicut doctrina fidei præparat Catechumenos ad suscipiendum digne & vtiliter baptismum instruendo ipsos in articulis fidei, & inducendo illos ad peccatorum detestationem, sic etiam baptismus Ioãnis D. Bonau. addit aliam rationem quia scilicet ille baptismus, Christi baptismum figurabat.

Beda. D. Bonau.

Ad primam rationem dubitandi respondetur, quod baptismus Ioannis pertinebat ad nouam legem non tanquam pars illius, sed tanquam dispositio ad illam: fuit enim ille baptismus præparatorius ad baptismum Christi, vt dictũ est, & ideo conuenienter institutus fuit.

Ad secundum dico, quod Ioannes non fuit sicut cæteri Prophetæ, quia nõ solum fuit Propheta sed plus quam Propheta, vt dixit Christus Matth. 11. fuit enim ipse finis legis Moysi, & principium Euangelij, vt ait D. Chrysostom. & ideo magis pertinebat ad eum verbo, & opere inducere homines ad legem Euangelij, quã ad prophetas veteris testamenti. Et quia illi erant tanquam Magistri obseruatorum veteris testamenti, & in lege Moysi traditum fuerat, vt nihil liceret addi Deut. 12. ideo non decebat, quod illi introducerent aliquos ritus obseruationum. Ioannes autem nõ fuit tanquam Magister, vel prædicator veteris testamenti, sed tanquam annunciator latoris noui testamenti, & dispositurus ad illum Lucæ. 1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius, & iterum. Ipse præcedet eum in spiritu, & virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam: & ideo non solum licuit Ioanni Christum præire ad testimonium perhibendum, sed etiam nouum ritũ introducere, vt per nouũ ritum ad nouitatem disponerentur.

D. Chryso.

Ad tertium dico, quod baptismus Ioan. non fuit aliquid additum ad baptismata pharisæorum, sed fuit potius nouus ritus, quia baptismata Pharisæorum erant inutilia, & omnino superflua, & curiosa, baptismus autem Ioannis erat valde vtilis, quia non inducebat ad solam munditiam carnis, sicut baptismata pharisæorum, sed potius ad munditiam spiritualem: quia erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum Matthæo tertio, & Marci. primo. Ideo illud debuit introduci, & illa cessare, vel omitti tanquam inania.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in aliquo tempore fuerint simul Baptismus Ioannis, & Christi Baptismus.

IOannem baptizare incœpisse anno decimoquinto Imperij Tiberij Cæsaris ex Lucæ Euangelio non obscure colligi potest. Nam Lucæ tertio asseritur anno decimoquinto Tiberij factum esse verbum Domini super Ioannem, vt ad prædicandum, & baptizandum exiret. Baptismum vero Ioannis non durasse nisi per annum & paulo amplius ex eo patet quia Baptismus Ioannis durauit vsque dum missus fuit in carcerem vt patet ex Ioanne tertio. Nam in eo loco sic dicitur. Erat autem & Ioannes Baptizans in Aenon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur; nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem; vbi ponderanda est illa particula enim redditur enim causa quod Ioannes baptizaret. quia non erat missus in carcerem, nec potuit baptismus ille durare vltra vincula Ioannis, atque ita cum illius vita simul extinctus sint, vt late docet Diuus Augustinus, tract. quarto, in Ioannem, & ratio est quia solo eius ministerio nitebatur, & sicut Ioanni nullus successit in mu-

D. August.

in munere præcursoris ita neque in ministerio baptizandi illo baptismo.

Ex his sequitur, baptismum Ioannis pro aliquo tempore simul currisse cum Christi baptismo, quod manifeste patet ex verbis Ioan. c. 3. Venit Christus in Iudæam & ibi baptizabat, erat autem & Ioannes baptizans, & cap. 4. in initio. Vt ergo cognouit Iesus, quod audierunt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes &c. atqui certum est Christum non habuisse discipulos nec baptizasse per illos, donec baptizatus fuit a Ioanne. durauit ergo baptismus Ioannis aliquo tempore post quam baptizatus est Christus.

Præterea Christus neque primus fuit, neq; vltimus à Ioanne baptizatus, quia vt conuenienter posset Ioannes testimonium de Christo reddere, oportuit, vt prius ad baptismum populi multitudo conflueret; neq; etiam vsque in finem differre baptismum suum decebat Christũ; quia oportuit, vt adhuc Ioanne docente, & baptizãte manifestaretur, & inciperet docere ac baptizare Christus vt nulla inter eos videretur esse contentio. Hoc autem insinuauit Lucas illo verbo. Cum baptizaretur omnis populus Iesu baptizato, &c. Nam in hoc verbo continetur vna cum alijs accessisse Christum ad baptismũ, atq; adeo venisse ante ipsum alios, aliosve post ipsum.

Vnde obser. est, quod Christus antequã baptizaretur sẽper mansit in Nazareth, & erat ibi subditus Ioseph. & Mariæ Lucæ 2. mansit autem ibi vsque ad tempus, quo Ioãnes cępit baptizare, vt colligitur Matth. 2. Tunc Christus iuit de Galilæa. s. de Nazareth, ad Ioannem vt baptizaretur ab eo, Matt. 3. Et erat Christus ipsa die annorum 29 & 13. dierum insuper. Vnde dicebatur incipiens quasi annorum 30. quando baptizatus est Lucæ 3. & ipsa die qua baptizatus est, vel sequenti, Christus iuit in desertum & incępit ieiunare 40. dierum Matth. 3. & 4. & Marc. 1. Postquam vero ieiunauit oportet dicere quod Christus reuersus fuit ad Iudæam ad locum vbi erat Ioannes baptizans, & non dum habebat aliquos discipulos; sed quadam die cũ transiret Christus coram Ioanne, & duobus discipulis eius, dixit Ioannes de Christo. Ecce Agnus Dei &c. & audientes hoc illi duo discipuli Ioannis secuti sunt Christum. Et ille conuersus, & videns eos sequentes se dixit. Quid quæritis? illi autem dixerunt. Rabbi vbi habitas? ille dixit. Venite, & videte, & venerunt ad locum, & manserunt ibi die illo. Erat autem vnus istorum duorum Andreas frater Petri, qui prius fuerat discipulus & auditor Ioannis, de his Ioan. 1. & hæc contigerunt postquã Christus ieiunauit quadraginta dies, quia certum est ante baptismum Christum non habuisse discipulos, & tamen ea die qua baptizatus est iuit in desertum & cępit ieiunare, vt dictum est. Postquam autem venit Andreas ad Christum mansit cum eo die ipso. Deinde reuersus inuenit fratrem suum Simonem & dixit ei Iesus. Tu vocaberis Cęphas. sequenti die iuit Iesus de Iudæa in Galilæam & inuenit Philippum, & dixit ei. sequere me, & ipse Philippus adduxit Nathanael ad Christum, & sic habuit tunc Christus istos discipulos. Petrum, & Andream, Philippum, & Nathanael, qui cum illo profecti sunt in Galilæam, vt patet Ioan. 1. Die autem tertio postquã Nathanael venit ad Christum factæ sunt nuptiæ in Cana Galilaę, & ad illas nuptias vocatus est Iesus, & discipuli eius, vbi conuertit aquam in vinum Ioan. 2. Post hæc descendit Christus, & Mater eius, & discipuli eius cum eo de Cana Galilææ in Capharnaum, quæ etiam erat in Galilæa, & mansit ibi paucis diebus Ioã. 2. atque ita omnia, quæ narrata sunt, facta fuerunt inter diẽ 13. anni trigesimi Christi, qui erat dies sextus Ianuarij, & diem Paschæ Iudæorum, quod Pascha solet accidere circa finem Martij, vel principium Aprilis, atq; ita essent ad plus tres menses ad complendum omnia ista; Nam Christus baptizatus est die Epiphaniæ, vt tenet tota Ecclesia, & sequenti die Christus iuit in desertum, & inchoauit ieiunium suũ, computando ergo 40. dies à die Epiphaniæ, perueniet numerus ad 18. vel 15 diem Februarij, tempus ergo quod manet à 15. Februarij vsque ad principium Aprilis vel quasi, quo tempore solet accidere pascha Iudæorum fuit, in quo accesserunt ad Christum discipuli supra nominati, & redijt in Galilæam, & fuit in Cana Galilææ in nuptijs, descendit que in Capharnaum, & mansit ibi diebus paucis propter propinquum Pascha, quod Pascha fuit anni 31. Christi, & in quo Christus iuit in Hierusalem & euertit cathedras vẽdentium columbas & nummulariorum effudit æs. Ioan. 2. & fecit multa alia miracula in festiuitate propter quæ multi crediderunt in eum, inter quos crediderit in Christum homo phariseus nomine Nicodemus princeps Iudæorum qui venit ad Christum nocte, & disputauit cum eo de baptismo, quomodo oportet hominem nasci denuo Ioan. 3.

Hoc toto tempore Ioannes Baptista adhuc prædicabat & baptizabat, quia nondum fuerat missus in carcerem, & baptizabat in Aenon iuxta Salim: quia erant ibi aquæ multæ. Ioan. 3. Tunc autem Christus manebat in Iudæa, & discipuli eius baptizabant multos, venientes ad Christum inchoantes baptismum noui testamenti, & tunc quidam de discipulis Ioannis dixerunt ei, quod Christus baptizaret, atq; etiam Ioannes tunc multa dixit in laudem Christi Ioan. 3. Cæterum dum hæc fierent incipiebat crescere quædã inuidia, ex discipulis Ioannis & Pharisæis: quia maior turba sequebatur Iesum, quam Ioannem, & quod plures baptizaret, quam Ioannes, atque adeo Christus ne inuidię daret locum recessit à Iudæa, & secunda vice venit in Galileã Ioan. cap. 4. Hoc autem fecit vt Ioannes maneret solus in Iudæa baptizans, & ipse esset ab eo elongatus in Galilæa, atq; ita non posset simultas & inuidia locum habere. Et cũ iret Iesus in Galilæam transiuit per quandam Ciuitatem Samariæ nomine Sichar, & ibi cum sederet ad fontem habuit longum colloquium cum Samaritana, mansitq; in ea Ciuitate diebus duobus Ioan 4. & inde recedens iuit in Galilæam, & receperunt eum Galilæi, qui viderant miracula, quę fecerat in die Paschæ. Hæc omnia omiserunt tres Euãgelistæ, Matthæus, Lucas, & Marcus, & suppleuit ea Ioannes ad preces Asianorum, cum illi omisissent gesta vnius anni Christi, & amplius. Nam illi solum narrant ea, quæ Christus fecit ex tempore, quo Ioãnes incarceratus est, qui fuit incarceratus in tempore azymorum anni 31. Christi, & Pascha 31. eiusdem, omiserunt tres Euangelistæ, & est plus quam vnus annus ex quibus omnibus manifeste patet, concurrisse simul pro aliquo tempore Baptismum Ioannis cũ Christi baptismo.

Ratio autem huius fuit, vt inquit Chrysostomus, quia si statim postquam Christus incępit baptizare cessasset Ioannes a baptizando putarent homines, quod nollet baptizare, eo quod esset iratus contra Christum eoq; officiũ baptizandi exerceret, quemadmodum discipuli ipsiusmet Ioannis fuerunt irati: Secunda ratio est: quia Deus suauiter disponit omnia, ergo & paulatim debuit cessare Ioannis baptismus.

Sed contra istam conclusionem sunt duo argumenta. Primum Christus non baptizauit nisi postquam baptizatus fuit à Ioanne, sed baptismus Ioãnis cessauit statim ac Christus baptizatus est, ergo baptismus Ioannis & baptismus Christi non fuerunt simul. Minor probatur ex D. Augu. super Ioan. dicente baptizatus est Christus, & cessauit baptismus Ioannis. D. August.

Secũdum argumentum. Baptismus Ioãnis erat dispositio & figura baptismi Christi, ergo debuit cessare adueniente baptismo Christi, nam existente forma cessat dispositio, & existente veritate debet cessare vmbra siue figura.

Ad primum nego minorem, & ad probationem dico, verum esse, quod postquam Christus baptizatus est cessauit baptismus Ioannis, non tamen statim, sed post aliquod tẽpus, Nam hoc verbum cessauit dicit actum, vt erat in propinquitate ad non esse. Nam reuera baptizato Christo baptizauit Ioannes, sed quia iam cęperunt homines adhærere baptismo Christi, dicitur ab August. cessare. Vnde baptizato Christo cœpit desinere, sed posito Ioanne in carcere omnino desijt.

Ad secundũ dico, quod baptismus Ioannis adhuc disponebat, vt baptismus Christi reciperetur tanquam verus & sanctificans, quod non fuit factum plene statim ac Christus baptizare cœpit, vmbra etenim non statim cessat existente veritate, sed veritate manifestata. Vnde Glossa super illud Ioann. erat Ioannes baptizans dicit. Christo baptizato adhuc baptizat Ioannes, quia adhuc permanet vmbra, nec debet Præcursor cessare donec veritas manifestetur, ita Alex. de Ales vbi supra m. 9. artic. 2. & D. Thomas vbi supra artic. 5. Glossa. Alex. de Ales. D. Thom.

Sed dubiũ est an pro illo tempore, quo ille baptismus

durauit

durauit, fuerit necessarius Iudæis, non quidē necessitate medij: nam hoc modo satis ex dicendis constabit non fuisse necessarium cum nihil contulerit necessarium ad salutem; sed necessitate saltem præcepti:. Elias Cretensis super ora.1. Na*Elias Cret.* zianz.§. Idcirco Iesus baptismi aqua tinguitur significat debuisse eo tempore diuinum præceptum, sicut erant alia legalia. Verius tamen contrarium apparet, & ideo dicendū est, neque hoc modo fuisse necessarium, vt bene docuit Pa*Paludanus. Tostatus.* lud.in 4.d.2.q.2.art 2.& Tost.in Matth.p.1.super c.3.q.51. Quia huiusmodi præceptum non continetur in præceptis legis nouæ, nec veteris, vt per se notum est, neq; sine certa ratione aut authoritate affirmandum est, cum ex voluntate Dei pendeat, & confirmatur ex Lucæ.7. vbi sic dicitur, Pharisæi, & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsis non baptizati ab eo; fuit ergo ille baptismus in consilio nō in præcepto, vnde statim, & inferius c.20 reprehendit Christus Pharisæos, quod Ioanni fidem non adhiberent, quodque in eum essent blasphemi, quod autem ab eo baptizari noluerint nunquam eos reprehendit tanquam alicuius pręcepti transgressores, signum ergo est non fuisse in pręcepto. Congruentia vero esse potest: quia ille baptismus non erat res adeo vtilis, & necessaria, vt oporteret stricte mandari.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Baptismus Ioannis fuerit Sacramentum.

PEtilianus Donatista censuit vnum esse baptismum Christi, & Ioannis, distinguebat enim tres gradus huius baptismi ac dicebat Ioannem baptizasse aqua, Christum spiritu, paraclitum igne, sed hæc tria ad vnum & eundem baptismum pertinere, refert & refellit hunc errorem D. Au-*D. August.* gust. lib. 2. contra literas Petiliani c.32.34.& 37.

Hæretici nostri temporis contendunt baptismum Ioannis eundem habuisse effectum quem habet Christi baptismus, & eodem modo contulisse gratiam, hoc excepto discrimine, quod vt inquiunt baptismus Ioan. contulit gratiā in virtute Christi, non dum omnino exhibiti, idest, passi in Cruce pro nobis, baptismus autem noster in virtute Christi iam exhibiti; Item quod vberiorem propterea gratiā cōfert baptismus noster: ita scripsit Caluinus lib.4. Inst. c. 15. sect.7.& 8. & in antidoto Concilij Triden. & Kemnitius in examine Can.1. sess.7. Concilij Trid. relati, a Bellar. lib. 1. de Bap. c. 19. & à Valent. Tom. 4. disp. 4. q. 4. puncto 1. Vnde *Bellar. Valentia* consequenter dicerent Ioannis baptismum proprie ac vere fuisse sacramentum. Nam cum ex fide certum sit, Baptismo & cæteris etiam sacramentis nouæ legis proprium esse habere omnino hunc effectum, qui est gratia, consequenter sequitur vere fuisse sacramentum.

Cęterum hæc sententia quatenus dicit baptismum Ioannis contulisse gratiam, hæretica est: quoniam vt 6. art. ostendam, baptismus Ioannis non habuit hanc efficaciam quā ex fide certa asserimus esse in baptismo Christi. Quatenus vero hæc sententia dicit baptismum Ioannis fuisse proprie sacramentum est multum improbabilis eam tamen ex catholicis docuerunt Magister in 4.d. 2.& multi Scholasticorū & D. Thom. in 4.d.2.art.1.q.2 licet postea contrariū docuit. 3.par. quæst.38. artic.1. ad primum. & Tostatus vbi supra quæstio. 40.

Vnde pro huius difficultatis resolutione obser. est, quod de sacramenti quidditate duplex est opinio, altera est Thomistarum asserentium quod ad rationem Sacramenti non requiritur quod gratiam conferat, sed satis est quod illam significet. Altera vero est Scoti dicentis, quod illa solum vere & proprie sunt Sacramenta, quæ gratiam conferunt.

Secundo obser. est, quod Sacramentum bifariam sumi potest: vno modo fuse, extendendo nomen Sacramenti ad omne signum rei sacræ, altero modo presse pro vt Sacramētum restringitur ad id, quod est sacræ rei signum, & causa.

1. Conclusio His obseruatis sit prima Conclusio. Baptismus Ioannis non fuit Sacramentum veteris legis. hæc conclusio est fere communis sententia omnium Theologorum, & probatur authoritate Iustini Martyris, q.36. ad Orthodoxos: baptisma (inquit) Ioannis præuium erat legi gratiæ, & ideo supra legem erat, idest, præter obligationem legis, vel etiam aliquo modo perfectior veteribus vmbris, quia propinquius ad Christum disponebat. Item Gregorius Nazian. orat. 36. in sancta lumina dixit, Ioannē nō baptizasse iudaico more, & D. August. lib. 5. de Bapt. paruul. c. 9. Nulli hominum, inquit concessum est ante Ioannem illo baptismi genere baptizare, & tamen vsus Sacramentorum veteris legis pertinuit ad plurimos præcedentes Ioannem.

Præterea Sacramenta veteris legis ea sunt, quæ in veteri lege continentur, & per Moysem à Deo data fuerunt, atqui Ioannis Baptismus nullo modo continebatur in lege veteri, nec fuit per Moysem traditus, nec præceptus, nec obseruatus. Vnde ipsimet Iudæi cum viderent illum ritum esse præter legem Moysis interrogabant; quid ergo baptizas si tu non es Christus? corrigendus ergo est Origenes lib. 5. in epist. ad Roma. c. 6. vbi dicit Christum fuisse baptizatū non eo baptismate, quod in Christo est, sed eo quod in lege est, vbi baptismum Ioannis vocat baptismum in lege. & infra subdit, baptismus Ioannis expletio erat veterum non inchoatio nouorum. Sed re vera ille baptismus nō fuit proprie in lege veteri, licet potuerit hoc modo appellari propter quandam similitudinem: quia erat baptismus inefficax & in aqua solum.

Secunda Conclusio. Ioannis baptismus non fuit Sacramentum nouæ legis, hæc conclusio est de fide & probatur *2. Conclusio* primo: quia sacramenta nouæ legis tantum sunt septem à Christo instituta, ille autem baptismus nullum ex his septē fuit, maxime enim fuisset baptismus Christi, quod dici non potest secundum fidem, quia differebant primo in ritu ex parte formæ, quæ rei essentiam constituit. Secundo in efficacia, quia gratiam non conferebat. Tertio consequenter in significatione: quia baptismus Christi significat gratiam pręsentem, quæ per ipsum datur, baptismus autem Ioannis vel non significabat gratiā, vel non vt a se conferendam. Quarto in origine: quia noster Baptismus institutus est à Christo Deo homine, ille autē à Deo vt sic inspiratus est: atq; hinc fit vt ille baptismus non potuerit esse professio, neq; omnino Sacramentū nouæ legis, sicut est noster baptismus: quia nec fuit institutus ab authore huius legis vt sic, neq; etiam tempore huius legis; Nam antequam hæc esset inchoata, ille incępit, & extinctus est, antequā illa fuerit tradita. Hinc fit 6. quod per illum baptismum non imprimebatur character indelebilis, sicut imprimitur per nostrum: quia per illum non regenerabantur homines neque profitebantur aliquam legem, neq; efficiebantur membra alicuius Ecclesiæ, nec deniq; fiebant capaces aliorum sacramentorum magis quam antea essent.

Tertia Conclusio. baptismus Ioannis non fuit proprie sa-*3. Conclusio.* cramentum. Hæc conclusio est cōmunis fere consensu omnium Theologorum, ratio tamen non ab omnibus efficax redditur. prima esse solet, quia omnia sacramenta spectant ad veterem vel nouam legem, necesse est. n. sacramentū ad legem aliquam diuinam pertinere: quia a solo Deo institui potest lex autem diuina positiua nulla est præter veterē aut nouam, baptismus autem Ioannis non fuit sacramentū veteris legis nec nouæ. Ita Bellar. vbi supra. Quæ ratio efficax *Bellar.* esset si probaretur de ratione sacramenti esse, vt sub aliqua lege comprehendatur, quod prædicta ratione non fit, nec videtur necessarium, quia non est de ratione sacramenti vt eius vsus præcipiatur sicut multi de cōfirmatione, & extrema vnctione putant. Tum quia præceptum est quid extrinsecum & posterius ratione sacramenti, nisi forte intelligat ad sacramentum pertinere quod sit ceremonia stabilis, quę pro statu alicuius legis permaneat, quo sane sensu intellecta hæc ratio non est reijcienda: quia licet de ratione sacramenti non sit, vt singulis sit in præcepto, est tamen, vt permanentem habeat institutionem, atque vt hoc modo ad aliquam legem, seu statum alicuius legis pertineat, baptismus autem Ioan. non fuit institutus vt cum aliqua lege duraret, sed solum vt præambulum quoddam, & dispositio remota ad introductionem nouæ legis.

Alia ratio adduci solet, quia ille baptismus non fuit per se institutus ad significandum, sed ad disponendos homines ad pœnitentiam. Verum hoc imprimis videtur gratis dictum. Cur enim ille baptismus non fuit propter aliquam significationem sicut alia sacramenta vetera? Deinde non poterat ille baptismus deseruire ad excitandos, & præparandos homines, nisi haberet aliquam significationem: quia non potuit excitare, nisi tanquam signum, sicut vox non potest hominem excitare si non significaret. Denique omnes sancti dicunt Ioannem baptismo suo Christum baptismum prænunciasse.

Potissima ergo ratio probans Ioannis Baptismum non fuisse proprie sacramentum hæc est. Sacramentum est sacræ rei signum & causa, sed Ioannis baptismus non fuit sacræ rei signum & causa, ergo non fuit proprie sacramentum. Nam sacramentum proprie est signum sensibile efficax ex opere operato gratiam causans, vt diximus supra.

Conclusio

Quarta conclusio. Baptismus Ioannis fuit improprie sacramentum, prout sacramenti nomen extenditur ad omne signum rei sacræ. probatur: quia expresse repræsentabat Christi baptismum: qui est res sacrans suscipientem. Quapropter Iustinus, q. 37. appellat illum præludium, seu proœmium Euangelicæ gratiæ. Rabanus lib. 2. de inst. cleric. c. 26. vocat veluti catechismum ad Baptismum Christi, atque eodem modo Beda super Ioan. cap. 3. indicat, & Hieronym. Mat. 1. Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 57 appellat introductionum ad perfectionem. Alex. de Ales. vbi supra memb. 2. & D. Thomas. 3. p. q. 38. art. 1. ad 1. vocant, quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi: denique solum fuit cæremonia quædam externa ad prouocandos homines ad virtutem; quod non satis est ad rationem sacramenti proprie sumpti; quamuis sufficiat ad rationem sacramenti fuise accepti.

Iustin. Rabanus. Beda. Hieronym. Cyrillus. Alex. Ales. D. Thomas.

Ita Alex. vbi supra D. Bonauent. hac d. art. 2. q. 2. Richar. d. 2. art. 2. q. 1. Durandus. q. 3. Palud. q. 2. art. 2. & Marsilius. q. 2. art. 2.

Alex de Ales. D. Bonau. Richardus. Durandus. Paludan. Marsilius.

ARTICVLVS V.

Vtrum Ioannes baptizauit sub aliqua determinata forma.

HAEretici huius temporis, qui affirmant Baptismũ Ioannis, & Christi omnino eiusdem rationis fuisse, quem errorem tribuit etiam Donatistis D. August. lib. 2 contra litteras Petiliani. capit. 32. Consequenter affirmare debent habuisse Baptismum illum eam dem formam, quam habet noster Baptismus: quamquam Donatistæ re vera non affirmabant Ioannem baptizare sub forma Trinitatis, vt ex August. constat. Vnde necesse est eos negasse hanc formam re esse de essentia baptismi Christi, vel certe imperite secum pugnasse, & in eodem errore versantur huius temporis Hæretici, vt referunt Canisius lib. de Sancto Ioanne c. 9. & Bellarmin. lib. 1. de sacra. Bapt. c. 19.

D. August. Canisius Bellarmin.

Cæterum hæc sententia hæretica est, vt ex supra dictis constat, & ex infra dicendis magis apparebit. Vnde incipiendo ab ijs, quæ certa fide tenemus. Dico primo circa materiam Baptismi Ioannis certa fide constat, quasi materiam remotam fuisse aquam naturalem: Nam vt constat Matt. 3. & Marci. 1. Ioannes in Iordane baptizabat aqua ipsius fluminis, quæ naturalis erat. & Ioan. 3. dicitur. Erat Ioannes in Ænon baptizans iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Aquæ autem simpliciter dictæ naturales aquas significant, Vnde Act. 1. dixit Christus. Ioan. quidem baptizauit aqua, quod ipsemet Ioannes testatus fuerat Matth & Lucæ. 3. & Marc. & Ioan. 1. dicens: Ego baptizo in aqua.

Materia remota baptismi Ioan. aqua naturalis.

Secundo dico, certum esse quasi materiam proximam, vel essentiam illius baptismatis constituisse in ipso vsu; fuisse nempe ablutionem illam, vt nomen ipsum baptismi præsefert; & in his duobus absque vlla controuersia habuit similitudinem ille baptismus cum baptismo à Christo instituto; & in hoc sensu dixit Tertullianus lib. de bapt. cap. 4. Nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tyberi tinxit, scilicet, quo ad similitudinẽ materiæ; tractat enim ibi de similitudine, quæ est inter naturales aquas, propter quam qualibet ad baptismum sufficit.

Materia proxima baptismi Ioan. ablutio exterior. Tertullian.

De forma autem etiam inter catholicos est controuersia, duplex enim est opinio. Prima est Ioannem baptizasse sub hac forma. Ego te baptizo in nomine Christi venturi, vel baptizo te in fide venturi, ita sentit Hugo de Sancto Victore lib. 2. de sacra. p. 6. cap. 6. Magister hac d. c. vltim. Alex. de Ales. parte quarta, quæst. sexta, memb. tertio, artic. primo. D. Thomas 3. p. quæst. 38. artic. 6. ad 5. D. Bonauent. circa litt. Magist. dub. 5. & Richard. ibidem, & est fere communis opinio. Cui fauere videtur D. Hier. circa illa verba Ioehel secundo: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, vbi sic inquit, Vnde & in actibus Apostolorum, qui baptizati erãt baptismate Ioannis in eum, qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Iesu &c & D. Ambrosius li. 1. de spiritu S. c. 7. Ioannes quidem in aduenientis Iesu non in suo baptizabat nomine, & ideo spiritum nesciebant (loquitur de illis de quibus est sermo Act. 19.) quia nec baptismum in Christi nomine sicut Christus baptizare solebat acceperũt. Deniq; August. in lib. 9 noui testam. q. 29. dicit Baptismum Ioannis non fuisse sine Saluatoris mentione; & fundari potest hæc opinio in verbis Act. 19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesu. vbi Beda in eadem est sententia, & Echius de sacramentis hom. 7. nu. 4. & Tost. in Matth. p. 1. c. 3. q. 42. & 43.

Quanã fuerit baptismi Ioan. forma. Hugo Magister. Alex. de Ales. D. Thomas D. Bonau. Richardus. D. Hierony. D. Ambros. D. August. Beda. Echius. Tostatus.

Secunda opinio negat Ioannem baptizasse sub aliqua forma verborum. Hanc sententiam tenent Durandus in 4. d. 2. q. 3 Gabriel eadem d. q. 2. art. 1. & Sotus eadem q. 2. art. 1. Primum fundamentum huius sententiæ est, quia ex scriptura hoc non colligitur, & alioqui non erat necessaria hæc forma ad finem illius baptismi, assumptum probatur: quia si ex aliquo loco scripturę colligeretur Ioannem baptizasse in nomine venturi, maxime ex illo Act. 19 sed ex illo non colligitur, ergo &c. Maior est fundamentum oppositæ sententiæ, & minor probatur: quoniam D. Paulus non dicit, quod Ioannes vtebatur tali forma, sed quod inter baptizandum instruebat eos, qui ad baptismum veniebant de fide vẽturi.

Durandus. Gabriel. Sotus.

Secundum fundamentum est, Ioannes in suo baptismo non vtebatur forma aliqua falsa, sed si baptizasset in nomine venturi, vteretur forma falsa, ergo &c. probatur minor; quia quando Ioannes baptizabat, Christus non erat venturus, siquidem iam venerat.

Tertium fundamentum est. Ioannes eadem forma baptizauit Christum, qua baptizauit & alios; atqui Christum nõ baptizauit in nomine venturi, ergo nec alios; probatur maior, quia Ioannes semper fuit vsus vnico baptismo, sed non fuisset vnus baptismus, si formæ essent diuersæ; ergo eadem forma baptizauit Christum, & alios; minor probatur: quia nullo modo poterat dici Christus venturus, siquidem erat præsens.

Quartum fundamentum est, Ioannis baptismus non conferebat gratiam, ergo non dabatur sub aliqua certa forma, probatur consequentia, forma ponitur in sacramentis, vt exprimat effectum interiorem, qui in Dei virtute causatur; sed in baptismo Ioannis nullus effectus interior causabatur à Deo, ergo non erat opus ista forma: in nomine venturi.

Doctor noster subtilis in hac quæst. sub lit. a. in nullam partem inclinat, sed dubius permansit. ait enim, potest intelligi Ioannem baptizasse, vel in aliqua forma propria, scilicet in nomine venturi, vel absque aliqua forma. Quapropter dico primo certum esse, Ioannem non baptizasse sub illa forma. Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti. hæc concl. est Scoti loco super relato, § Vno modo &c. & sub lit. b. §. si dicatur. & colligitur ex Act. 19. vbi baptizati baptismo Ioannis, negant se nomen Spiritus sancti audiuisse, ergo signum est in illo baptismo non fuisse solitam fieri Trinitatis inuocationem. & confirmatur ex D. August. lib. 2. contra literas Petiliani c. 32. dicentis. Ioannes dedit aquam sine nomine Trinitatis, sicut ipse professus est dicens: Ego baptizo vos in aqua &c. & quamuis hæc verba sint Petiliani, & non Augustini; tamen quia Augustinus illa admittit, sententiam approbare visus est.

Scotus. D. Aug.

Dico 2. vtramq. sententiam sustineri posse: prima propter reuerẽtiam, & authoritatem virorum tantæ grauitatis, secundam vero propter rationes adductas. Tenendo igitur primam sententiam. Respondetur ad primum neg. minorẽ, & ad probat. dico, quod licet illud nõ dicat D. Paulus expressis verbis colligitur tñ, siquidẽ D. Hier. & Ambr. quibus est adhibenda fides in scripturarũ interpretatione, illud colligunt.

D. Hieron. D. Ambr.

Ad secundum nego minorem, & ad probationem dico, quod quamuis Christus esset natus nihilominus dicebatur venturus, quia erat Messias promissus in lege, quem omnes homines vulgari sermone vocabãt venturum; imò hic fuit mos Ioannis, vt Messiam Christum vocaret vẽturum, quod inde colligere licet, quod ipse duos ex discipulis suis misit ad Christũ, qui dicerent, Tu es qui venturus es? & alibi ipse ait. Qui post me venturus est fortior me est: si venturus idẽ esset, quod nasciturus, stulta esset discipulorũ Ioannis interrogatio: siquidẽ eum præsentẽ habebant. Secundo rñdetur, ed quis tunc venerat Dñs; quẽ antea quoq. in vtero matris agnouerat Ioãnes, quoad personã tñ; nõ tñ adhuc inceperat opus redẽptionis; venerat tn personam, sed nondũ vsurpauit officium

Digitized by Google

officium personæ suæ, neque adhuc prædicare, & miracula cœperat exercere. dicebatur itaque venturus ad prædicandum, & baptizandum in Spiritu sancto, quod patet ex verbis Ioannis dicentis, qui post me venit ante me factus est, quæ verba non possunt intelligi nisi de Christo venturo ad prædicandum.

Ad tertium sunt qui dicunt Ioãnem baptizasse Dominũ non suo, sed Christi baptismo, hoc est, in nomine trium personarum, atque in eius rei signum dicunt visibiliter ibi sanctam apparuisse Trinitatem Deum patrem in voce, Deũ filium in humana natura, & Deum Spiritum sanctũ in specie columbæ. Hinc decuisse dicunt: vt quia Paulus affirmat Christum in omnibus primatum tenere, ad Coloss.1. illum quoque primum omnium suo esse baptismo baptizatum, sicque impleuisse prophetiam Dauidis. Tu confregisti capita draconis in aquis, psal.13. Ita sensisse videtur Damascen. lib.4. de fide, c.10. qui ideo dicit. Quintũ est Domini baptisma, quo & ipse baptizatus est. *Damascen.*

D. August. Cæterum D. August. & cõter Doctores putant Ioannẽ suo baptismo baptizasse Christum, & non baptismo Christi, sed qua forma fit vsus aiunt, non esse scriptũ. Vnde quidam concedunt, quod Ioannes vsitata sua formula baptizãdo Christum vsus est, atque adeo illum baptizasse in nomine venturi, quia licet non esset venturus, quo ad præsentiã corporalem, & iam venerit, quo ad personam, erat tamen venturus quo ad prædicationem, & baptismum, & quo ad opus redemptionis, ita Echius loco supra citato. Hæc tamẽ solutio mihi non placet: quoniam ideo baptizabat Ioannes in nomine venturi, vt venturus ille, s. Christus in cuius nomine baptizabat, manifestaretur in Israel, vt ipse Ioannes testatur, at si baptizaretur Christus in nomine venturi, iam non manifestaretur Christus, sed occultaretur: quia homines qui viderent eũ baptizari in nomine venturi, putarent, quod alius esset vẽturus, in cuius nomine baptizabatur. Dico ergo, quod non fuit seruata eadem forma in Christo, & in alijs, quia erat diuersa ratio vt dictum est: nec tamen sequitur, quod essent duo baptismata Ioannis: quia non fuit ibi institutus nouus ritus baptizandi, sed tantũ fuit dispensatum in forma; qua vero forma Ioannes Christum baptizauit. Franciscus Maronius in 4 dist.2. (relatus a Briãsone, in 4.q.3. corol.3. & ab Echio vbi supra) dicit reuelatũ fuisse Ioanni diuinitus, vt hac vel consimili forma vteretur. Ego, Domine, mi creator totius mũdi, baptizo te in hac aqua, simulque humiliter oro vt omnes quotquot tuum sunt suscepturi baptismum per gratiam tuam a peccatis omnibus expurgentur. *Echius.* *Francisc. de Mayro. Brianson. Echius.*

Ad quartum nego consequentiam, & ad probationem dico, quod licet forma non esset necessaria in baptismo Ioannis ad manifestandum effectum interiorem: quia nullus erat, tamen necessaria ad manifestandum, & commemorandum Christum populo Israelis: nam clarum est quod illi, qui subijciebantur baptismo Ioannis in nomine venturi, ẽt ipsi venturo subijciebantur in voto, vt ei actu subijcerẽtur: quando eum agnoscerent. Quando ergo dicitur quod in baptismo Ioannis nihil conferebatur præter ipsam corporalem ablutionem, verum est per modum effectus inducti p sacramentum sine opere principali ministri, scilicet quia gratia non conferebatur; sed conferebatur aliquid per modum doctrinæ, s. cognitio Messiæ, & ita erat tanquam effectus baptismi, quia erat præcipuus finis, quem Ioannes intendebat in baptismo, & iste effectus erat vltra ablutionem corporalem: atque adeo necessaria fuit certa forma verborum, per quam expresse signaretur Messias, vel ostenderetur; atque ita quando dicitur quod in baptismo Ioannis nihil conferebatur, quod per hominem fieri non posset, dẽt intelligi de effectu qui sequitur directe ex sacramẽto, secus est de effectu, qui sequitur modum instructionis, & iste effectus non fuisset in baptismo Ioan. nisi a Deo fuisset institutus, sicut est de sacramentis veteris legis; quæ signant aliquid factum ex eo, quod a Deo instituta sunt.

Tenendo autem secundam sententiam respondetur ad primum fundamentum, quod inde solum colligitur quod Ioannes hortabatur eos, qui baptizabantur, vt crederent in Christum venturum, vt inquit D. Chrys. hom.4. in Matth. *Chrysost.*

Ad secundum dico, quod etsi in illo baptismo nõ esset aliqua forma, nihilominus ritus ille baptizandi habebat expressiorem similitudinem, cum baptismo Christi, quã quæcunque alia figura legis veteris.

Cæterum vt dicam quid sentiam circa hanc difficultatẽ, mihi magis placet secunda opinio; pro qua est optima coniectura; quia postquam Ioannes aliquo tempore baptizauit, miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem interrogantes, an esset Christus, ergo signũ est illũ non fuisse solitũ baptizare in nomine Christi venturi. *Sentẽtia Authoris.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum baptismus Ioannis conferret gratiam?

RAtio dubitandi est, quia Marci, 1. dicitur, quod Ioãnes erat prædicans, & baptizans in deserto baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sed remissio peccatorum non fit sine gratia. ergo conferebatur gratia in eo, item baptizati a Ioanne confitebãtur peccata sua, vt patet Matt. 3. & Mar. 1. at confessio peccatorum ordinatur ad eorũ remissionem, ergo remittebantur in baptismo, sed hoc non fit sine gratia, ergo illa ibi conferebatur.

Præterea baptismus Ioannis propinquior erat baptismo Christi, quam circumcisio; atqui per circumcisionem tollebatur peccatum originale, & conferebatur gratia, vt diximus supra; ergo a fortiori per baptismum Ioan. tollebatur originale, quod sine gratia fieri non poterat.

Hæretici huius temporis contendunt baptismum Ioan. non minus contulisse gratiam, quam nostrum. Qui sanè cõsequenter videntur loqui, de nostro. n. baptismo dicunt nõ conferre gratiam nisi excitando fidem; quis aũt neget etiã baptismum Ioan. potuisse excitare fidem? & hæc videtur esse antiquiorum hæresis Donatistarum, vt colligitur ex D. August. lib.2. contra Petilianum, cap.32. *D. August.*

Dicendum est tamen baptismum Ioannis non habuisse virtutem conferendi gratiam, neque adhuc finem fuisse institutum, hæc assertio est de fide, & probatur primo ex scriptura sanctorum expositionibus adiunctis. Nam Matt. & Luc.3. & Mar.1. & Io.1. differentiã constituit ipse Ioannes inter suum, & Christi baptisma dicẽs. Ego baptizo in aqua, qui aũt post me venturus est fortior me est, ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, q.d. ego solũ baptizo in aqua. i. baptismus meus ex viribus suis nihil confert, nisi quod aqua confert. Quæ differentia ita sumenda necessario est, vt intelligatur baptismus Ioannis non contulisse gratiam, & spiritum; Nam cum vterq; baptismus, Ioannis, & Christi sit in aqua, certe cum inter eos constituatur differentia, & Ioan. baptismus esse in aqua dicitur, necessario intelligendum est esse tantũ in aqua; baptismum aũt Christi hẽre vtrũque. s. aquã, & spiritum, vt dicitur Ioã.3. Vnde elegãter Richa. Victor. tract. de baptis. Christi. Ioannes baptizat in aqua solũ sicut homo, Iesus in aqua, & Spiritu sancto sicut hõ Deus; baptizare in aqua, & spiritu, est omni sorde peccati mũdare, insuper gratiã infundere. Idem docent Origen. to.8. in Ioã. Cyrill. lib.2. in Ioan. c.26. & lib.2. c.57. Chrysost. hom.10. 11. & 12. in Matt. vbi expresse dicit in Christi baptismo dari Spiritus sancti gratia; Ioannis aũt baptisma hoc dono caruisse, cãdem sent. tradutit Ambros. præfatione in psal.37. & Greg. hom.7. in Euangelia, vbi dicit. Ioannes non in spiritu, sed in aqua baptizat: quia peccata soluere non volebat. Idem frequenter docet D. August. contra Petilian. lib.2. c.32. & pluribus alijs in locis. *Rich Vict.* *Origenes. Cyrillus. Chrysost.* *Ambros. Gregor.* *August.*

Secundo probatur ex testimonio Dei per Ioannem: Nã dixit Ioanni. Super quẽ videris Spiritũ sanctum descendẽtem, & manentẽ super eũ, hic est qui baptizat in Spiritu sancto Ioã.1. q.d. Nemo poterat baptizare in Spiritu sancto, nisi ille super quẽ descenderit Spiritus sanctus, & ille fuit Iesus, ergo Ioannes non baptizabat in Spiritu sancto, at nulla gratia est nisi a Spiritu sancto. 1. Corin.12. Diuisiones gratiarum sunt, vnus aũt spiritus? qui diuidit singulis prout vult; ergo qui non baptizat in Spiritu sancto, non põt dare gratiã, atq; ita Ioannes baptizans non conferebat gratiam.

Tertio patet ex testimonio Christi. A[ct.]1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies, ergo baptismus Ioannis non erat in Spiritu sancto: quia alias non differret baptismus Ioan. quem iam susceperant Apostoli a baptismo Spiritus sancti, quo baptizandi erant, ergo Spiritum sanctum non conferebat Ioannes, & consequenter nec gratiam.

Denique hæc veritas definita est in Concil. Trid. sessio. septima, can. primo, de baptismo his verbis. Si quis dixerit *Conc Trid.*

baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit, vide Alexã de Ales, par. 4. quæstio. 6. memb. 4. D. Thom. p. 3. q. 38. art. 3. & Richard. in 4. dist. 2. artic. 2. q. 3.

Alex. de A. D. Thom. Richard.

Ad primam rationem dubitandi respondetur communiter ab Alex. D. Thoma, & Richard. locis citatis, quod in illis verbis non vnum, sed duo baptismata indicantur; aliud est enim baptizare, aliud est baptismum prædicare, Ioannes ergo vnum baptismum dabat, & alium prædicabat, non ergo baptismus a Ioanne datus, sed prædicatus dicitur esse in remissionem peccatorum: dabat enim baptismum suum, prædicabat autem baptismum Christi, qui dicitur dari in remissionem peccatorum. Hanc expositionem attigit D. Gregor. homil. 20. in Euang. & Beda super Marcum, quæ confirmari potest testimonio eiusdem Ioan. apud Ioannem, capitul. primo. Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, esse duplex baptisma, aliud datum a Ioanne, aliud prædicatum.

D. Gregor. Beda.

Cæterum hæc responsio non videtur probanda: Nam certum est ipsummet baptismum Ioannis dici in scriptura baptismum pœnitentiæ, vt constat ex verbis D. Pauli. Act. 19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum. cum ergo dicitur Ioannem prædicasse baptismum pœnitentiæ, non est sensus prædicasse baptismum Christi, sed suũ, prius enim quam illum daret oportebat prædicando homines ad eum suscipiendum inuitare; dicebatur autem Ioan. baptismus, baptismus pœnitentiæ: quia Ioannes omnes quos baptizabat ad pœnitentiam admonebat, & non baptizabat nisi eos, qui quasi tunc incipiebant pœnitentiam ab ipso, vt inquit Tostatus vbi sup. q. 58.

Tostatus.

Ideo, secunda responsio, & facilis est Ioannẽ prædicasse pœnitentiam, & baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non vt hæc per ipsum baptismum obtineretur, sed per pœnitentiam in cuius quasi testimonium baptismus ille dabatur, & ideo dictus est baptismus pœnitentiæ; quia erat protestatio quædam de pœnitendo: nam omnes qui veniebant ad baptismum Ioannis protestabantur quod pœniterent deserendo vitam veterem. Dicebatur ergo Ioannes baptizare in remissionem peccatorum: quia inducebat homines ad pœnitentiam, per quam peccata remittuntur. Vel quia baptismus ille erat initium remissionis peccatorum, & gratiæ conferendæ in baptismo Christi, adeo quod nõ erat ille baptismus in remissionem peccatorum effectiue, sed inchoatiue iuxta illa verba D. Hieron. in Marcum. Quod cõsummatur per spatium inchoatur per paranymphum. erat Christus sponsus, & Ioan. Paranymphus, scilicet amicus sponsi, sicut ipsemet Ioannes dixit Ioan. 3. & sic remissio peccatorum, quæ per Christum consummanda erat, inchoaretur per Ioannem non tanquam ipse aliquid de illa faceret, sed quod disponeret homines ad illam, vel per baptismum suum illam significaret, Ioannes enim prædicatione, & baptismo suo, inuitabat homines ad pœnitentiam, & remissionem peccatorum, quæ per Christum consummatur.

D. Hieron.

Potest etiam dici, quod remissio peccatorum non refertur ad baptismum, sed ad pœnitentiam, per quam conferebatur remissio peccatorum. In quocunque enim statu, & lege semper per pœnitentiam peccata remittuntur; & patet iste sensus ex ordine literæ, quia dicitur quod fuit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, idest, prædicabat baptismum pœnitentiæ, quæ pœnitentia confert remissionem peccatorum. Vnde in baptismo Ioannis tria fuerunt: primum baptismus ipse in se: secundum humilitas, & deuotio suscipientis: tertium pœnitẽtia, quam faciebant ex Ioan. prædicatione. Quoad primum sané ipse baptismus aquæ non conferebat gratiam, reliqua autem, scilicet humilitas, deuotio, & pœnitentia suscipientis, possent quidem gratiam mereri, non autem ipse in se baptismus.

Ad secundum dico, quod confessio fit ad remissionẽ peccatorum; cæterum confessio illa, quæ fiebat in baptismo Ioannis ad remissionem peccatorum, non erat tanquam tunc peccata remitterentur, sed quod postmodum per Christi baptismum remittenda essent. Vel dicebantur confiteri peccata, idest, confitebantur se peccatores: quia alias non baptizarentur. Vel baptizabantur confitentes peccata sua, hoc est dicentes se peccatores esse, & peruerse vixisse, velle autem nunc & desiderare remissionem peccatorum, & vitæ mutationem. Hanc autem confessionem, quam faciebãt Iudæi ad Ioan. baptismum accedentes existimo fuisse propriam, & vocalem manifestationem peccatorum, quæ vnusquisq; commiserat. & distinctam fuisse actionem a susceptione illius baptismi non dubito, quicquid dicat Caiet. super Euangelia: quia verba Euangelistarum sunt satis aperta. Quod vero illa non tantum fuerit confessio peccatorum in genere, (vt quidam putant,) sed in specie, sententia est D. Basilij, lib. 1. de bapt. par. 2. aliquantulum a principio, & in regulis breuioribus, 288. & Chrysost. hom. 3. imperfecti, & Tertullian. lib. de bapt. cap. 20. quos sequitur Iansenius, capit. 13. concordiæ & Canisius, lib. 1. de corrupt. ver. Dei. c. 8. Quia aliud est se agnoscere peccatorẽ, quod oẽs homines habẽt, aliud peccata sua confiteri, quod difficilius est: illa vero confessio nec sacramentalis erat, vt per se notum est, nec a Ioanne exigebatur; sed vel ex quodam feruore veræ pœnitentis animi, vel ex quadam consuetudine, quæ in illa lege erat huiusmodi confessiones faciendi proficiscebatur, vt late, & bene explicat Iansenius vbi supra.

Caiet.

D. Basilius. Chrysost. Tertull.

Iansenius.

Canisius.

Ad tertium dico, quod baptismus Ioannis propinquior erat baptismo Christi, quam circumcisio in similitudinem operis, quia vterque baptismus erat in aqua, & quasi eodẽ modo ministrabatur vterque. Cæterum quantum ad effectum, circumcisio erat propinquior Christi baptismo, quia similabatur ei in conferendo gratiam. Ratio autẽ; quia per circumcisionem conferebatur gratia, & non per baptismũ Ioannis, fuit: quia circumcisio erat instituta in remedium originalis peccati, quod non poterat tolli nisi per gratiam, ideo oportebat per circumcisionem gratiam conferri. Baptismus autem Ioannes non fuit institutus in remediũ originalis peccati, sed solum vt quoddam præparatorium ad Christum, ideo non oportebat, vt per ipsum gratiã conferretur, imo quodammodo rationi repugnabat, cum ordinaretur ad Christum, per quem gratia conferenda erat.

ARTICVLVS VII.

Vtrum baptizati baptismo Ioannis essent necessario baptizandi Christi baptismo.

DE hac re fuit sententia Magistri sententiarum in hac d. quod baptizati baptismo Ioan. quidam in illo baptismo spem ponebant non referentes illum ad baptismũ Christi, nec fidem habebant Trinitatis, quemadmodum illi, qui dixerunt Act. 19. Neque si spiritus est audiuimus. Quidam vero erant, qui spem in Ioannis baptismo non ponebant, & fidem Trinitatis habuerunt. Hoc supposito ponit duas conclusiones.

Magist.

Prima Conclusio. Baptizati baptismo Ioannis si spem ponebant in illo, aut non credebant patrem, filium, & Spiritũ sanctum tenebantur baptizari baptismo Christi; hæc conclusio vera est, quia non negat necessitatem baptismi.

1. Conclusio

Secunda Conclusio. baptizati baptismo Ioannis si nõ ponebant spem in illo baptismo, & credebant in patrem filium, & Spiritum sanctum, non tenebantur baptizari baptismo Christi; adeoque illi, qui habebant fidem Spiritus sancti, nec errabant ponendo spem in baptismo Ioannis, nõ erant rebaptizandi baptismo Christi necessario. Et si quæratur a Magistro. Cum baptismus Ioannis non conferret gratiam, sine qua homines saluari non possunt, quomodo excusabat a necessitate baptismi Christi, per quem gratia conferebatur? Respondet, quod sufficiebat impositio manuũ Apostolorum ad consecutionem gratiæ.

2. Conclusio

Alex. de Ales. p. 4. q. 6. memb. 7. non asserendo, sed probabiliter opinando defendẽs magistri opinionẽ, inquit. Quod illi qui habebant fidem Spiritus sancti, nec errabant ponendo spem in baptismo Ioannis, si manuum impositione receperunt Spiritum sanctum, non erant necessario rebaptizandi baptismo Christi, si enim habebant fidem, & cũ hoc acceperunt Spiritum sanctum, ita scilicet quod acceptio Spiritus sancti euidenti signo in eis cõcurit, quis nõ diceret eos gratiam habere sufficientem ad salutem? Nã impositio manuum Apostolorum, vel erat baptismus flaminis, vel erat præcise confirmatio: si n. ad manuũ impositionem in signo aliquo sensibili descẽdebat Spiritus sanctus, sicut descendit in forma ignis ad impositionem manus a Paulo, & Barnaba erat baptismus flaminis, quando vero nullum tale apparebat

Alexan. de Ales.

Digitized by Google

rebat signum, erat sola confirmatio; Atque adeo sicut ante passionē Christi simul cucurrerunt Circuncisio, & Baptismus, & vterq; efficaciam habuit, similiter (inquit Alex.) post Christi passionem per aliquod tempus simul cucurrerunt baptismus fluminis, & flaminis, baptismus flaminis fiebat per impositionem manus Apost. & baptismus Ioannis erat fluminis quia erat in aqua, & ex tali baptismo Ioannis præcedenti, & baptismo flaminis cōsurgebat vnus integer baptismus Christi. Nam baptismus Christi integratur ex aqua & Spiritu; quod bene protestabatur Ioannes dicens. Ego baptizo in aqua, ille autem baptizabit in Spiritu sancto de tali autem qui sic esset baptizatus baptismo Ioan. & post a baptismo flaminis per manuum impositionem, (dicit Alexan. iuxta sententiam Magistri) quod non erat postea baptizandus baptismo Christi. Adeo quod secundum Alex. baptizati baptismo Ioannis, qui fidē Trinitatis habebant, nec in ipso Ioan. baptismo spem ponebant si per impositionem manuum Apost. recipiebant Spiritum sanctum i. baptizabantur baptismo flaminis, Christi baptismo fluminis non erant necessario baptizandi, & sic intelligit Magister.

Probat autem Magister suam sententiam quadruplici ratione. & primo sic. Act. 8. cap. habetur quod Apostoli in Samariam venientes eos qui baptizati fuerunt á Philippo non rebaptizabant, sed tantum manum imponebant, & accipiebant Spiritum sanctum. Non enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Iesu, & baptismus sine collatione Spiritus sancti in nomine Iesu Christi erat baptismus Ioānis. ergo baptizati baptismo Ioānis non erant rebaptizandi. Minor patet, quia baptismus Christi non dabatur in nomine Iesu, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tum quia in baptismo Christi dabatur Spiritus sanctus quem ibi dicit scriptura illos non accepisse.

Præterea Act. 19 interrogauit D. Paulus quosdam Ephesios baptizatos a Ioanne si Spiritum sanctum accepissent credentes? qui responderunt nec si Spiritus sanctus est, se audiuisse; & rursus interrogauit. In quo ergo baptizati estis? dixerunt in Ioannis baptismate, & ita tum sequitur. His ergo auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Tota ergo causa quare baptizati sunt est, quia non crediderunt in Spiritum sanctum, ergo si credidissent in Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum, quando baptizati sunt Ioannis baptismo, non fuissent baptizati à Paulo baptismo Christi. Et cōfirmatur ex D. Hieronymo super 2. cap. Iohelis, vbi dicit. Quia Spiritum sanctum nesciebant cum baptismum a Ioāne receperunt, iterum baptizati sunt baptismo Christi ecce

D. Hieron. aperte D. Hieronymus assignat caussam propter quam sūt baptizati, quia non crediderunt in Spiritum sanctum, ergo à contrario sensu baptismo Ioannis baptizati, & fidem Trinitatis habentes non erant Christi baptismo baptizandi.

D. Ambros. Et confirmatur etiam ex D. Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto. c. 3. vbi dicit non fuisse in illis iteratum baptisma, sed nouatum: quia vnum est, inquit, baptisma; quasi dicat fuisse demum absolutum & perfectum illud baptisma Ioannis supplēdo in baptismo Christi, quod in illo prius defuerat, nempe fidem & doctrinam Trinitatis, quasi cum hæc adhibentur non sit vllum discrimen inter illa baptismata.

Præterea Apostoli sunt baptizati baptismo Ioannis saltē Andreas, & ceteri qui fuerunt discipuli Ioannis, vt docet

D. Chrys. Chrysost. hom. 1. Tom. 2. sed non legitur baptizatos esse baptismo Christi, ergo signum est quod baptizati Ioannis baptismo habentes fidem integram Trinitatis, qualem Apostoli habebant, non tenebantur baptizari baptismo Christi.

Deinde in receptione Sacramentorum id quod semel tribuitur non est iterandum, sed caute supplendum si quid omittatur, vt habetur extra de Clerico per saltum promoto. c. 1. & de sacramentis non iterandis. c. 1. sed in baptismo Ioānis dabatur ablutio exterior, ergo si deficiebat interior, illa erat tantum supplēda & exterior nō iteranda; suppliebatur autē manuum impositione, hac enim dabatur Spiritus sanctus, quo interius abluitur anima a sordibus peccatorum.

Subinde in baptismo Ioannis fuit debita materia & forma, atq; ita verum baptisma; atq; adeo non iterandum; antecedens patet de materia, quia aqua; & etiam de forma, quia eadem qua Apostoli baptizabant; baptizabant enim in nomine Christi; Ioannes in nomine venturi, hic autem erat Christus iuxta illud Pauli Act. 19. Venturi. i. in Christi, ergo sicut baptismus discipulorū Christi sufficit ita & Ioan.

Magistri sententia non sequitur. Ceterum hæc sententia Magistri nullo modo tenēda est, quia aperte contradicere videtur verbis Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c. ex quibus verbis manifeste colligitur, quod sine baptismo Christi nullus potest saluari, ex opinione autē Magistri sequitur, quod sine Christi baptismo saluari poterant, esto, quod copiam baptismi haberent, quod nullo modo sustineri potest. Contra fundamentum

D. Bonaue. Magistri arguit D. Bona. hac d. art. 2. q. 3. Si ratio, propter quā illi sunt baptizati, est quia fidem non habebant, ergo sufficiebat illis, quod instruerentur in fide, & hæc instructio excusaret a baptismo, sed ibi legitur, quod Paulus instruxit eos in fide, antequam baptizarentur, ergo non sufficiebat baptismus Ioannis cum fide Trinitatis, sed erat Christi baptismus necessarius.

D. Durand. Secundo arguit Durandus. baptizati a Ioanne, qui habebant fidem integram Trinitatis non recipiebant baptismū Christi; sed baptismus Christi semper fuit necessarius, ergo non excusabatur ab illo baptizatus baptismo Ioannis, etiā si fidem integram haberet. probatur maior, quia fides recipientis non facit esse baptismum id, quod baptismus non est: cum ergo baptismus Ioannis non esset ex se Sacramētum nouæ legis, Fides, Spes, & deuotio suscipientis non potuit facere quod reciperent verum Sacramentum baptismi, erant ergo omnes tales baptizandi baptismo Christi cum baptismus sit Sacramentum necessitatis, sicut patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c.

Refellitur expositio Alex. Explicatio etiam Alex. stare non potest: quia Baptismus flaminis non sufficit ad salutem nisi quando non est copia baptismi fluminis: est enim flaminis Baptismus, cum quis credit in Christum, & vellet baptizari sed tempore præuentus moritur antequam baptismum consequatur aquæ: adeo qui aquæ Baptismum habet in voto, & sic verum est, quod baptismus flaminis mirabiliter administratur (vt inquit D. August. lib. 4. de Bapt.) cum aquæ baptismum non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. Cum ergo Baptismus Ioannis, vt diximus, gratiam non cōferret, nec; characterem imprimeret, sed esset solum in aqua, sequitur quod quantumuis quispiam spem suam in illo non collocaret, & fidem certam haberet Christi, in quem suam iactaret spem, non posset per solam illam fidem, & spem vllo modo characterem Christi recipere, imo nec gratiam, nisi adiuncto proposito recipiendi baptismum Christi, quem tunc in Spiritu sancto baptizaturum prædicabat Ioannes.

Præterea in omnibus Sacramentis hoc est generale, quod quando omittitur aliquid quod est de substantia Sacramēti, non solum oportet supplere id, quod omissum est, sed totum Sacramentum innouari, est autem de necessitate Baptismi, quod non solum fiat in aqua, sed etiam in Spiritu sancto: quia dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c. Baptismus autem Ioannis erat solum in aqua; ergo in baptizatis a Ioanne non solum oportebat supplere quod deerat, collationē Spiritus sancti, quę fiebat per impositionem manus Apostolorum, sed oportebat Baptismo Christi rursus baptizari. & confirmatur: quia principale in quolibet Sacramento est forma eius, in qua si erretur Sacramentum non confertur, sed oportet innouari, Baptismus autem Ioannis differebat valde à baptismo Christi in forma: quia Baptismus Ioannis erat in nomine venturi, vel absque vlla forma, Baptismus autem Christi erat in nomine totius Trinitatis, vel in nomine Christi, atque ita non conueniebat forma Baptismi Ioannis Baptismo Christi; atque adeo oportebat baptizatos à Ioanne rursus baptizari Baptismo Christi, tanquam si prius baptizati essent baptismo Christi, & errassent in forma.

Item esto quod super baptizatos à Ioanne imponerent Apostoli manus & reciperent per hoc Spiritum Sanctum, tamen per nullum illorum recipiebant characterem. Non quidem per baptismum Ioannis: quia ille non potest facere Christianum cum non sit a Christo, sed a Ioanne. Non etiā per collationem Spiritus sancti impositis manibus Apostolorum: quia aut illa impositio manus pertinebat ad confirmationem, quod communiter tenetur, & tunc non poterat ibi conferri character Baptismi, cum per vnum Sacramentum non conferatur character alterius, cum Sacramenta inter se sint distincta: si autem illa impositio manuum non pertinet ad cōfirmationem, sed solum sit quasi supplemento collationis Spiritus Sancti, qui non est datus in Baptismo Ioannis, non poterat ibi conferri character: quia dare Spiritum sanctum

Digitized by Google

tum sanctum est date gratiam,character autem non est effectus gratiæ,vel Spiritus sancti,sed Sacramenti; & tamen character est necessarius,quia per illum est homo Christianus,ergo baptizati baptismo Ioannis erant adhuc baptizandi baptismo Christi.

Quapropter aliter dicendum est cum Doct.nostro sub. in hac quæst.ac cæteris Theologis,nempe,quod baptizati baptismate Ioannis erant Christi Baptismo rebaptizandi. Pro cuius ampliori explicatione obser.est,quod dupliciter intelligi potest Ioannem baptizasse,vno modo in forma Baptismi Christi,quam potuit scire a Discipulis Christi, vel ab alijs videntibus illos baptizare; alio modo potest intelligi Ioannem baptizasse,non in forma baptismi Christi,sed vel in aliqua alia forma propria.s.in nomine venturi,vel absq; aliqua forma.

Secundo obser.est,quod refert iterum baptizari, & iterato Baptismo baptizari,nam iterum baptizatur,qui post primam ablutionem secundo abluitur, siue prima ablutio fuerit verum baptisma,siue non,sed tantum exterior ablutio: cæterum iterato baptismo baptizatur, qui post verū baptisma receptum secundo baptizatur: ex quo sequitur, quod licet baptizati Baptismo Christi post Baptismum Ioannis baptizabantur,non tamen iterato Baptismo,quia Baptisma non iterabatur:quia primum Baptisma.s.Ioannis non fuit verus Baptismus,sed præparatio ad verum baptisma.

1.Conclusio Scoti. His obseruatis sit prima Conclusio. Si Ioannes aliquem baptizasset in forma Baptismi Christi talis non esset iterum baptizandus.hæc conclusio est Scoti in hac q.sub.litt.a,& probatur,quia talis non diceretur proprie baptizatus baptismo Ioannis,sed Christi,igitur non esset iterum baptizandus.antecedens probatur:quia modo baptizatus à Petro, vel Paulo,non dicitur baptizatus baptismo Petri,vel Pauli, hunc enim errorem reprehendit Apost.1. Corint.1. dicens Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? consequentia probatur:quia Sacramētum Baptismi reiterabile non est.

Scotus. Sed dicet forte quispiam,quod Magister loquitur iuxta sensum huius conclusionis, nempe de baptizatis a Ioanne vtente forma Christi in baptizando;sed hoc non potest stare,inquit Scotus in hac,q.sub litt.b,quia infidelitas suscipiētis baptismum non est causa sufficiens,quod oporteat eum alias baptizari,dum tamen adsit intentio suscipiendi illud, quod confert Ecclesia:& si ergo à Ioanne baptizatus non habuisset fidem Trinitatis,dum tamen intenderet recipere istum baptismum,quem Ioannes intendebat dare, qui sic intelligendo poterat esse verus Baptismus Christi,quia collatus in forma Christi,non erat iste postea baptizandus,cuius oppositum dicit Magister.

2.Conclusio Secunda Conclusio. Baptizatus baptismo Ioannis in propria forma baptismi Ioannis.s.in nomine venturi,vel absq; aliqua forma,erat iterum baptizandus baptismate Christi. hæc Conclusio est Scoti,vbi supra,& probatur,quia vniuersaliter omnes baptizati Ioannis baptismo, post sufficientem Baptismi Christi promulgationem tenebantur ad Christi baptisma suscipiendum: ergo rebaptizandi erant, cōsequētia probatur,quia cum baptismus Ioannis esset quædā præparatio ad baptismum Christi sicut ad medicinam sanatiuam,ideo sicut infirmus accepta præparatione indiget medicina sanatiua, ita baptizatis baptismo Ioānis necessarius est Christi baptismus. Dixi autem post sufficientem promulgationem baptismi Christi: quia circumcisi ante promulgationem per Circumcisionis Sacramētum sine baptismo saluabantur,vt dicemus q.vlt.d.3. Non fuerunt autem circumcisi baptizati Ioannis baptismo deterioris conditionis non baptizatis,ergo saluari poterant sine baptismo Christi sicut cæteri.antecedens probatur primo authoritatibus, deinde rationibus.

D. August. Prima authoritas est D August.super Ioan.tract.5.& refertur de conse.d.4.c.Aliud est. Si quos baptizauit Ioannes iterum sunt baptizandi:plane iterum,sed non iterato baptismo:& infra,ergo baptizabant discipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas inter discipulos eius, si quos ergo baptizabat Iudas non sunt iterum baptizati,& quos baptizauit Ioannes iterum baptizati sunt, plane iterum,sed non idem erat baptismus: quos enim baptizauit Ioannes baptizauit Ioannes,quos autem baptizauit Iudas Christus baptizauit, & iterum qui baptizati sunt a Ioanne non eis sufficit, baptizati sunt enim baptismo Christi: quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis; qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt, qui acceperunt baptismum Ioannis baptismum Christi quæsierunt.

Item lib.5.de baptismo contra Donatistas. Christus,inquit,tali baptismo mundat Ecclesiam,quo accepto alterum non est necessarium,Ioannes autem tali baptismo perfungebat,quo accepto esset baptisma Dominicum necessarium.

Secundo probatur ratione Præceptum diuinum de suscipiendo Christi baptismo fuit generale obligans omnes,sed baptizatus a Ioanne non impleuerat illud præceptum, ergo talis Ioannis baptismate baptizatus tenebatur postea baptismate Christi baptizari.probatur maior ex illo Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti.& Mar. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit &c.& Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. hoc in loco Christus secundum omnes expositores loquitur de suo baptismo, & comprehēdit baptizatos etiam Ioannis baptismo,ergo tenebantur baptizari baptismo Christi: patet quia baptizati baptismo Ioānis,non erant baptizati baptismo Christi, quem Dominus dicit necessarium esse ad salutem.

Præterea verisimile est multos ex ijs Iudæis qui initio Apostolicæ prædicationis Hierosolymis conuertebantur ad fidem Christi fuisse antea a Ioanne baptizatos: dicit enim Marcus,c.1.quod egrediebatur ad Ioannem omnis Iudææ regio & Hierosolymitę vniuersi,& baptizabantur ab eo:& tamen omnes sine discrimine cum conuertebantur statim baptizabantur baptismo Christi vt constat ex actibus Apostolorum,vbi c.2.quærentibus Iudæis à Petro, & reliquis Apostolis. Quid faciemus viri fratres? respondit Petrus, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi,quibus verbis baptismum Christi proponit omnibus vt necessarium;quanquam dubitari nō possit,quin multi ex illis essent baptismo Ioannis abluti.

Item baptismus Ioannis non fuit baptismus,quia deficit forma,quæ est essentialis Sacramento,quia ideo non præstabat gratiam ex opere operato,& per consequens non sufficit vt sacramentum ad salutem.

Deinde præceptum generale de baptismo congruū fuit omnes ad hoc obligare;quia rationabile fuit omnes obligari ad hoc quod essent membra Ecclesię,& ad suscipiendum signum illud commune omnibus ingredientibus Ecclesiā.

Subinde congruum est quod suscepta medicina præparatiua,suscipiatur medicina curatiua, & quod dispositione inducta inducatur forma principalis, sed Ioānis baptismus erat sicut dispositio,& medicina mere pręparatiua ad Christi baptismum,vt per ablutionem illam homines præpararentur ad facilius suscipiendam ablutionem Christi efficaciter salutiferam; ergo rationabile, & congruum fuit quod baptizatus Ioannis baptismo,baptismum Christi postea susciperet,& hanc rationem innuit Ioannes Baptista. Ioan.1. Ego baptizo vos aqua in præsenti, medium autem vestrum stetit quem vos nescitis,ipse baptizabit vos in Spiritu sancto,ergo illi met qui baptizabantur a Ioanne in aqua tantum,baptizandi postea erant baptismo Christi in aqua, D.Chrys. & Spiritu sancto,sic innuit Chrysost.super Matth.cap.3.homil.4.& confirmatur ex Act.19.vbi Paulus quosdam Ephesios Ioannis baptismo baptizatos iterum baptizauit in nomine Christi. Vnde inquit Chrysost.locn citato. Ergo Paulus Christi secutus exemplum baptizabat eos,qui baptismate Ioannis fuerant baptizati, quoniam & Christus iterum baptizauit eos,qui a Ioanne erant baptizati:sicut sermo demonstrat dicens. Ego quidem vos baptizo in aqua ille autem vos baptizabit in Spiritu. Nec videbatur iterum baptizare,sed semel. In quo enim amplius erat Christi baptismus quam Ioannis? In hoc nouum baptisma videbatur non iteratum hæc Chrysost.

Ad fundamenta pro opinione Magistri respondetur, & ad primum dico,quod baptizati a Philippo baptizati sunt baptismo Christi,& ideo non erant rebaptizandi, in quo baptismo.s.Christi dabatur Spiritus sanctus in remissionē peccatorum,non autem ad robur, qui est Sacramenti confirmationis,quod dabatur tantum per Apostolos, qui fuerunt Episcopi. Philippus autem qui baptizauit Samaritanos,non fuit ille Apostolus,sed vnus ex septem Diaconibus qui non habuit officium confirmandi,quod est tātum Episcoporum munus. Quod vero dicitur quod nondum in quemquam illorum venerat Spiritus sanctus, intelligendum est

Digitized by Google

dum est in signo visibili ad robur, quamuis venerit inuisibiliter, sicut & nunc in baptismate, & ideo missi sunt Petrus, & Ioannes vt per manus impositionem confirmarēt, atque ita acciperent Spiritum sanctum visibiliter in dono linguarum: adeo quod non colligitur Samaritanos nō fuisse baptizatos baptismo Christi propterea quod ibi dicatur, quod erant baptizati in nomine Iesu: Nam similia verba habentur Act. 19. Quoniam Paulus baptizabat eos, qui baptizati erant baptismo Ioannis, vbi aperte loquitur scriptura de Christi baptismo; Dicebantur ergo baptizati in nomine Iesu; vt intelligamus esse baptizatos baptismo Christi, non Ioannis.

Ad secundū dico, quod ex illo loco colligitur quidem baptizatos a Ioanne non habentes fidem esse baptizandos baptismo Christi, non tamen colligitur, quod ratio propter quam erant baptizandi, esset: quia non habuerunt fidē: sed quia non receperunt Christi baptisma. Vnde etiam si fidem habuissent quando a Ioanne sunt baptizati, nihilominus baptizabantur a Paulo baptismo Christi. Et si quæras, si causa propter quam sunt baptizati nō est: quia fide carebāt, quor sunt interrogantur a Paulo antequam eos baptizaret si crederēt? Respondeo, quod ratio est; quia nullus debet baptizari baptismo Christi si est adultus, nisi prius instruatur in fide iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ ad fidem conuersos prius instituit in fide, quam baptizet, Paulus ergo interrogauit eos de fide, vt si illam non haberent institueret eos.

Ad primam confirmationem dico, quod D. Hieronym. in hoc, quod dicit baptizati sunt: quoniam Spiritum sanctū nesciebant, implicitis verbis vult dicere, quod ideo sunt baptizati: quia non receperant baptismum Christi, quod ita explico: Nam illi qui dixerunt. Neque si Spiritus sanctus est audiuimus, in hoc confitebantur non recepisse baptis. nū Christi, qd tripliciter probo, primo: quia baptismus Christi dabatur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti; secundo: quia homines adulti, quales illi erant, non baptizarētur baptismo Christi, quin prius instruerentur in fide sanctissimæ Trinitatis; tertio: probatur ex verbis Pauli, quæ sequuntur. In quo ergo bapt zati estis, q. d. si non auditis Spiritum sanctum, ergo non estis baptizati baptismo Christi; siquidē baptismus Christi datur in nomin patris, & filij, & Spiritus sancti: quia ergo dicebant se non audiuisse Spiritū sanctum, in hoc confitebantur non recepisse Christi baptismum, atque adeo sunt baptizati a D. Paulo & hæc vult dicere D. Hieron. non autem causam fuisse quod fidem non haberent. Conceditur, ergo quod baptizati baptismo Ioannis non habentes fidem Trinitatis baptizandi erant, & causa iam dicta est. Sed non sequitur a contrario sensu quod habentes fidem, & baptizati baptismo Ioannis non sint iterū baptizandi, quoniam vt inquit Doctor, sub. iste modus arguendi non tenet nisi in causis præcisis, quod non est in proposito: Nam indeletis non erat causa præcisa rebaptizationis baptismo Christi; sed quia baptismus Ioannis non erat baptismus Christi, ad quem omnes generali præcepto de necessitate salutis tenebantur, Ioannis baptismus etiā non conferebat fine qua non est salus, ergo erant rebaptizandi Christi baptismo: quia Ioannis baptismate gratiam non receperant.

Ad secundam confirmationem dico, quod sensus verborum D. Ambros. est, quod cum duæ possent reddi causæ, Cur ij baptizati deberent rursum baptismo Christi, qui sine instructione de Christo, & Spiritu sancto Ioannis baptismo baptiz. ti erant. (Actor. 19.) Vna, quia non fuissent ita vt oportebat in doctrina Christi necessaria eruditi; altera, quia reuera differebat etiam, quo ad substantiam cæremonia illa Ioannis a Christi baptismo. qui propterea omnibus necessarius erat: reddidit tantum Ambr. solius iuxta institutū disputationis suæ in illo loco priorem illam causam, seu tamen non excludit posteriorem. Nam quod illi denuo in illis non fuisse iteratum, sed inchoatum baptisma, sensus est, nō accepisse illos prius eūde baptismum Christi, quoad substantiam, qui postea secundo iteratus fuerit, sed alium diuersum baptismum nouum, atque ita patet locum illū magis pro nobis facere.

Ad tertium dico, quod Apostoli omnes baptizati fuerūt Christi baptismo, vt docet D. August. ep. st 108. ad Seleucianum, & Nicolaus de Lyra super 3. cap. Ioannis, de quo latius dist. 4. q. 6. erit sermo.

D. August. Nicolaus de Lyra.

Ad quartum dico, quod maior est vera, quando aliquid sacramenti confertur, in baptismo autem Ioannis nihil sacramenti baptismi conferebatur; ablutio enim exterior sine determinatis verbis, & intentione determinata prolatis nihil est omnino sacramenti baptismi; sicut neque alia quæcunque ablutio, siu balneatio. Vel dicatur quod maior non est vera de his, quæ in sacramento ita connexa sunt, quod neutrum sine alio concomitantem possit effectum habere sacramenti, sic autem se habent in baptismo ablutio, & forma verborum. Vnde si hodie aliquis ablueret pueū, & die crastina diceret formam verborum non esset puer baptizatus nisi iteraretur ablutio.

Et si quæras, vbi ergo habet veritatem illa maxima; Vbi omissum est aliquid, caute supplendum est.

Respondet Scotus, quod non potest habere locum in sacramento vere vno: quia cum duo concurrant ad illud sacramentum, verba videlicet, & ablutio, alterum sine altero nihil est sacramenti: quia alterum sine altero, neque efficit gratiam. Ideoque exponenda est maxima illa, de diuersis sacramentis ordinatis, qualia sunt ordinatio in subdiaconū, diaconum &c. & de talibus loquuntur prædicta cap. supra citata, de clerico per saltum promoto, & de sacramentis non iterandis. Si quis enim per saltum ordinatur diaconus, non prius suscepto subdiaconatu, non oportet quod post subdiaconatum susceptum ordinetur iterum diaconus. Habet etiam locum prædicta maxima in venerabili sacramēto Eucharistia, quod vere vnum est vnitate integritatis, non indiuisibilitatis. Si enim, verbi gratia, contingat, quod sacerdos sumpta hostia consecrata, reputans se consecrasse calicē, sumat aquam, quam primo in calicē posuit; tunc id solum quod omissum est, debet suppleri, & aliud non iterandum. Debet enim tunc sacerdos caute apponere vinum cū aqua, & consecrare iterum, & sumere sanguinem, ne mutilū maneat sacrificium. Ad consecrandum autem vinum in tali euētu, sumere debet a verbis illis. Simili modo, &c. vsque ad Vnde, & memores nos serui tui &c. exclusiue, & statim sumere dicens. Sanguis Domini nostri Iesu Christi, &c. Nec obstat, quod sacerdos sumpserit aquam, & non sit ieiunus in tali casu; quia magis ligat præceptum Dei de integro sacrificio faciendo, & quod integre Eucharistia sumatur; quam præceptum ecclesiæ de sumēdo illam a ieiuno. Quæ omnia licet videre apud Scot. infr. dist. 8. quæst. 3. & Ange. ū in summa verbo Missa. §. 16. & probantur per maximam supra citatam Iuris Canonici dicentis, si aliquid in sacramento omittitur caute supplendum est. Sunt que contra D. Th. 3. p. q. 83. art. vlt ad 4. dicentem, quod in tali casu est etiam alia hostia consecranda, & sumenda, sed de his latius in materia de Eucharistia loco citato.

Scotus. Angelus. D. Thoma

Ad vltimum dico, quod falsum est in baptismo Ioannis fuisse formam debitam, nam necesse est in forma implicari Trinitatem, quam non importabat nomen venturi, (si tamen Ioannes vsus est forma) ideo non fuit forma Christi. Discipuli autem baptizabant in nomine Christi, & in hoc nomine implicabant Trinitatem: quia qui dicit Christum dicit eum, qui vnctus est, id est, filium, & eum qui vnxit, id est, patrem, & eum quo vnctus est, id est, Spiritum sanctū, de quo magis infra. Vnde licet idē sit Christus, & qui venturus erat, non est tamen eadem forma baptizare in nomine venturi, & in nomine Christi.

Scotus.

DISTINCTIO III.



Post hæc videndum est quid sit baptismus, & quæ sit forma &c. Præmissis ad sacramenta quibusdā necessarijs in superiori distinct. nunc in hac tertia determinat Magister de sacramentis & primo de baptismo qui omnium sacramentorum ianua existit: circa quod tria facit, primo quidditatem, formam, & institutionem baptismi exprimit, secundo eius materiam & modum subdit, tertio eius efficaciam, & effectum aperit. Comprehenditur tota hæc tertia distinctio tribus conclusionibus.

Prima Conclusio. Baptismus est exterior ablutio corporis sub

1. Conclusio

ris sub debita forma verborum, idest, cum expressa inuocatione sanctissimæ Trinitatis. Hanc Magister insinuans definit baptismum dicens, quod baptismus est exterior ablutio corporis cum forma præscripta verborum: Nam accessus verbi ad elementum facit sacramentum, vt inquit D.
D. August. *August. tract. 18 in Ioan. Verbo baptisma consecratur, detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbũ ad elementum, & fit sacramentum, atque adeo in duobus consistit sacramentum baptismi, scilicet in verbo, & elemento; cætera vero ad decorem, & honestatem pertinent, quæ si desint non ideo minus est verum sacramentum, & sanctum si verbum sit ibi & elementum.*

Forma autem verborum est inuocatio sanctissimæ Trinitatis, quam tradidit Christus in Euangelio, Matth. vlt. cum dixit. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. Legitur tamen in actib. Apost. c. 8. 10. & 19. Apostolos baptizasse in nomine Chri-
D. Ambros. *sti; cæterum in hoc nomine vt exponit D. Ambros. libro 1. de Spiritu sanct. c. 3. tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim cum Christum dicis, & pater a quo vnctus est, & ipse qui vnctus est, & Spiritus sanctus per quem vnctus est.*

Vnde hac occasione quærit Magister si vna persona tantum nominetur, vt si diceretur in nomine patris tantum, vel Spiritus sancti tantum, esset verum baptisma, sicut cũ dicitur in nomine Christi. Respondet ex D. Ambros. quod si vna persona tantum nominetur, & fides Trinitatis in corde teneatur, plenum esse sacramentum, e conuerso autem si tres nominentur, & non recte de aliquo illorum sentiatur vacuum fieri mysterium Trinitatis: atque adeo, quia scriptura dicit quosdam baptizatos in nomine Christi, & in Spiritu sancto quia tota Trinitas in quolibet illorum nominum intelligitur si adsit fides, & intentio faciendi quod facit ecclesia, est verus baptismus; at si fides desit, & ecclesiæ intentio irritum est sacramentum. Tutius est tamen tres nominare personas dicendo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: nam hoc determinatum est, nec dici debet in nominibus; quia forma debita non seruaretur, & hoc est ideo: quia vna est inuocatio, & confessio trium personarum.

Deinde quærit Magister, quando baptismus sit institutus. Circa quod variæ sunt opiniones. Quidam enim dicũt quod sit institutus, quando Dominus dixit Nicodemo. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c. Alij dicunt institutionem baptismi factam post resurrectionem, cum Dominus dixit Apostolis. Ite docete omnes gẽtes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti; sed hoc non videtur verum, quia etiam ante passionem Domini, & ipse Dominus & Apostoli baptizabant, vt patet Matt. & Luc. 10. Has opiniones Magister dimittendo fatetur Saluatorem suo baptismo hoc instituisse sacramentum, idest quando a Ioan. in Iordane baptizari voluit, vbi tota Trinitas innotuit: quia pater in voce; filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ apparuerunt; tunc enim contactu suæ mundissimæ carnis Christus vim regeneratiuam contulit aquis, vt qui postea in eo mergerentur inuocato nomine Trinitatis a peccatis purgarentur.

2. Conclusio. *Secunda Conclusio. Materia baptismatis debet esse aqua pura, & vtile est puerum mergi, sub triplici mensura. Hanc Magister insinuans dicit, quod materia sacramenti est aqua, quod ostẽdit factum Christi, quia ipsemet in aqua baptizatus est; & verbum Christi quod dixit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c & passio Christi, quia de latere eius manauit aqua, quæ significauit baptismum, & sãguis, qui significauit Eucharistiam. Est autem aqua conueniens materia huius sacramenti propter sui copiam, & communitatem: quia hoc sacramentum commune est. Tum etiã propter conuenientiam signi ad signatũ: quia sicut aqua abluit exterius sordes corporis; sic baptismus interius mundat sordes animæ.*

Postea quærit Magister an vna, vel trina immersio fieri debeat, & respondet quod potest fieri vna, vel trina secundum diuersas locorum consuetudines: quia vna immersio vnitatem Trinitatis, trina vero Trinitatem personarum designat, & triduanam Christi sepulturam exprimitur. Subdit autem quod peccat semel immergens nisi vel consuetudo ecclesiæ obstet, vel semel esse tantum mergendũ doceat, & asserat. Demum quærit an circumcisio amisit vim suã; & respondet quod in morte Christi vim suam amisit, sicut omnia legalia terminata sunt, & non ante.

Tertia Conclusio. Causa institutionis huius sacramenti est expiatio a macula peccati. Hanc Magister insinuans dicit, quod causa institutionis baptismi est innouatio hominis, qui per peccatum vetus fuerat, & hæc mundatio interior est res sacramenti huius. Vltimo dicit, quod nec baptismus, nec circumcisio regni cœlestis ianuam aperuit, sed hostia Saluatoris quæ si oblata fuisset tempore circumcisionis illius temporis homines regnum cœlorum intrassent. demũ concludit quod res huius sacramenti est iustificatio a peccatis; hæc breuiter Magister in hac 3. dist. Circa quam monet Doct. sub quatuor quæstiones. 3. Conclusio.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitio baptismi, quam ponit Magister, baptismus est tinctio, idest ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta, sit propria baptismi definitio.

PRo explicatione huius tituli obseruan. est, quod baptismus dicitur a verbo Græco baptizo, id est, abluo, siue lauo. Vnde baptizare idem est quod lauare, quod proprie conuenit aquæ, cũ alij liquores tingant, seu maculent, vt vinum, oleum, sanguis &c. Vnde baptismus vocatur ablutio. Vnde Iudith c. 12. scribitur, descendebat in vallem Bethuliæ, & baptizabat se, atque ita baptismus loquendo secũdum vim vocabuli, nihil dicit nisi lotionem, sicut apud Iudæos erant baptismata corporum, & vasorum, idest, ablutiones. Baptizare, ergo idem est quod lauare, atque adeo ab eo, quod est lauare, oritur lauacrum, & lotio: idcirco baptismus lauacrũ regenerationis, & renouationis ab Apost. ad Titum 3. vocatur. *Baptismus vnde dicatur.*

Secundo obser. est, quod significata baptismi secundum Damasc. sunt nouem. Vnde baptismi nouem dicuntur. Primus est diluuij tempore Noe, secundus est maris rubri, de quo Apost. 1. Corint. 10 omnes baptizati sunt in nube, &c. Tertius est lustrationis, qui fiebat ex aqua, & cineribus vitulæ rufæ, combustæ, & Christi passionem significabat. Quartus Ioannis, de quo diximus præcedenti d. Quintus est baptismus Christi passiue, quando fuit baptizatus a Ioãne. Sextus baptismus est pœnitentiæ, qui est purgatiuus a culpa, & nõ a pęna. Septimus baptismus est linguis igneis quem receperunt Apostoli in die Pentecostes, & iste purgat a culpa, & pęna, & etiam a pęnę sequela. Octauus baptismus sanguinis dicitur, & est perfectissimus qui homines ad cęlos euolare facit. Nonus dicitur fluminis, qui fuit institutus a Christo, & a culpa purgat, & a pęna, de quo est sermo in hac quæstione. *Baptismi significata sunt nouẽ. Damascen.*

Tertio obseru. est, quod & si plures, vt dictum est, sint baptismi modi, communiter tamen doctores loquuntur de tribus, scilicet de baptismo flaminis, sanguinis, & fluminis: baptismus flaminis, vel pęnitentiæ dicitur contritio cordis, aut præparatio sufficiens ad gratiæ infusionem. Baptismus sanguinis est martyrium pro Christo seu iustitia susceptum voluntate propria, & dicitur martyrium baptismus sanguinis, licet non semper fundatur sanguis martyrio: quia tamẽ semper vita extinguitur in martyrio, hinc sanguinis effusio sumi solet, pro quocunq; tormento suscepto pro Christo.

Quarto

Digitized by Google

Baptismi quinque assignantur definitiones.
Dionysius.

Quarto obseru. est, quod quinque in vniuersum circumferuntur apud sacros Doctores de sacramento baptismi definitiones. Prima est Dionysij, lib. Ecclesiast. Hierarchiæ, capit. 2. par. 1. dicentis, baptismus est regenerationis sacramentum, secundum quod primitus subsistit anima, spiritualiter formans animales motus ad opportunitatem diuinorum eloquiorum, & actionum, & ad cœlestis quietis anagogē iter faciens, quæ est penes causam finalem, secundum quod subiectum quod est anima, vel homo, & esse accipit spirituale, & motum spiritualem disponente baptismo secundum suam veritatem.

D. August.

Secunda est D. Augustini super Ioan. tract. 15. Baptismus extinctio in aqua verbo vitæ sanctificata, quæ est penes causam formalem, quatenus respicit materiā, qua anima, vel homo abluitur.

Damascen.

tertia est Damascen. lib. 4 de fide c. 10. Baptismus est principium alterius vitæ, per quod fiunt primitiæ spiritus regeneratio, sigillum, custodia, & illuminatio mentis, quæ respicit etiam causam finalem, sed differenter a definitione Dionysij: finis enim dupliciter potest attendi, vel quatenus efficitur ab agente, & secundum hoc accipitur definitio Damasceni qua tanguntur effectus Spiritus sancti, quibus anima quodammodo perficitur per baptismi sacramentum, definitio vero Dionys. determinat finem, secundum quod subiectum, quod homo, vel anima accipit esse spirituale, vt diximus supra.

Hugo.

Quarta est Hugon. de Sancto Victor. lib. 2. de sacrament. par. 6. capit. 2. Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbū Dei; quæ est penes causam materialem. Nam licet in ea tangatur finis, hoc tamen non est nisi secundum quod materia disponitur, vt talis finis quantum est de ipsa consequatur.

Magist.

Quinta est Magist. sent. hac dist. baptismus est tinctio, id est, ablutio corporis exterior facta sub forma verborū præscripta, quæ respicit causam formalem. Tinctio enim seu ablutio dupliciter attendi potest, vel respectu subiecti, & dicitur ablutio, vel respectu materiæ, & dicitur tinctio; Vnū est respectu eius quod abluitur, aliud respectu eius quo abluitur, & in hoc differt hæc definitio Magistri a definitione B. Augustini, in alijs autem illæ duæ definitiones conueniunt, nisi in hoc quod verbum, quo fit sanctificatio sub duplici forma notificatur. In definitione enim Magistri verbum designatur in respectu ad institutionem, cum dicitur forma verborum præscripta, idest, instituta ad hoc. In definitione vero Augustini designatur in comparatione ad animam, ad cuius vitam spiritualem disponit.

Baptismus significat sacramentum.

Quinto obseru. est, quod hoc nomen baptismus ex vsu omnium Doctorum impositum est ad significandum aliquod sacramentum speciale legis Euangelicæ, quod consistit in quadam ablutione facta sub certa forma verborum significante ablutionem animæ a peccato.

Sexto obseru. est, quod cum dicitur sacramentum baptismi, est constructio intransitiua, ita quod est sensus. Sacramētum baptismi, idest, sacramentum quod est baptismus, sicut in benedictione aquæ dicitur creatura salis, idest, creatura quæ est sal, & non quod creata sit a sale.

Baptismus est terminus secundæ intentionis.

Septimo obseru. est, quod iste terminus baptismus est terminus secundæ intentionis; nam de principali significato importat relationem rationis, idest, relationem signi ad signatum, verba autem, & ablutio fundamentaliter, seu materialiter baptismus appellatur; cæterum formaliter baptismus importat relationem verborum, & ablutionis ad deletione peccati originalis, & gratiæ infusionem, & talis relatio appellatur baptismus pro per se significato, seu pro formali, ablutio vero, & verba vocantur baptismus, pro denominato, seu fundamento. Quilibet enim terminus secundæ intentionis concretiuus habet semper duo significata, formale, scilicet & est respectus rationis, & materiale, & in proposito est ablutio, & verba.

Octauo obser. est, ex dictis supra, dist. 1. q. 2. ad hoc quod aliquid sit definibile proprie quinque conditiones requiruntur, prima quod sit ens positiuum, secundo quod sit ens per se vnum, tertia quod sit ens reale, quarta quod non importet conceptum simpliciter simplicem, sed sit compositū realiter, vel conceptibiliter, quinta quod sit vniuersale. His obseruatis patet titulus quæstionis, quam diuido in tres articulos.

Primus Artic. Vtrum sacramentum baptismi definiri possit.

Secundus Artic. Vtrum verba & exterior ablutio sint vnū totale fundamentum baptismi pro formali.

Tertius Artic. Vtrum definitio baptismi a magistro assignata sit bona definitio.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacramentum baptismi definiri possit.

Definitio est duplex.

PRo explicatione huius difficultatis obseru. est, quod duplex est definitio quidditatiua, scilicet pure quidditatiua, & per additamentum. Definitio pure quidditatiua ea est, quæ simpliciter datur per illa, quæ sunt de quidditate definiti, adeoque in eius definitione nihil ponitur, quod non spectet ad eius conceptum formalem, & est definitio quæ datur simpliciter per genus, & differentiam.

Definitio autem quidditatiua per additamentum est illa in qua vltra genus & differentiam definiti, ponitur aliquod quod non est de quidditate definiti; & hoc secundo definitionis genere definiuntur omnia accidentia siue absoluta, siue respectiua: quoniam nullus terminus connotatiuus sicut accidens potest definiri definitione quietante intellectum, nisi in eius definitione ponantur talia connotata, ex quo sequitur quod nullum accidens, siue in concreto, siue in abstracto potest definiri definitione quietante intellectū nisi per additamentum, hoc est, nisi in eius definitione ponatur fundamentum, & connotatum, atque adeo licet albedo habeat proprium genus, & differentiam, definitio tamē ex illis constituta non quietaret intellectum, quia adhuc staret dependentia ad subiectum, secundo sequitur, quod sola substantia est quæ definitur, definitione non data per additamentum. Cum ergo definitur baptismus, quod est ablutio corporis exterior &c. definitur baptismus pro per se significato siue pro formali, estque definitio per additamētum; quoniam ablutio non est de quidditate illius respectus rationis.

Definitio pure quidditatiua est duplex.

Secundo obseru. est, quod duplex est definitio pure quidditatiua; quædam est cuius omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, sed non vt genus, & differentia, vt definitiones generum generalissimorum, quæ dantur per ens, & modum intrinsecum ipsorum, alia est quæ datur per genus, & differentiam, & de illa communiter dicitur, quod sola species definitur.

Definibile definitione pure quidditatiua quot conditiones requirat.

Tertio obseru. est, quod ad hoc quod aliquid sit proprie definibile definitione pure quidditatiua quinque conditiones requiruntur, vt docet Scotus in 4. dist. 1. q. 2. artic. 1. prima quod sit ens positiuum, & per hoc excluduntur non entia, priuationes, & negationes: secunda quod sit ens per se vnum, & per hoc excluduntur entia per accidens, vt homo albus, homo niger, & huiusmodi; tertia, quod sit ens reale, idest, cui non repugnet habere verum esse extra causam, & intellectum, & per hoc excluduntur entia rationis, cuiusmodi sunt secundæ intentiones, quæ solum definiuntur definitione data per additamentum, quarta quod sit vniuersale, & per hoc excluduntur omnia singularia, quorum differentiæ non possunt dici quidditates, cum de ratione quidditatis sit, quod sit communicabilis, quinta quod sit compositum realiter, vel conceptibiliter, idest, quod non sit ens simpliciter simplex, & per hoc excluduntur cōceptus simpliciter simplices, vt ens differentiæ vltimæ, & etiam propriæ passiones.

Concl. Scot.

His obseruatis respondetur ad difficultatem vnica conclusione. Sacramentum baptismi definiri potest definitione quidditatiua per additamentum, scilicet eo modo quo dictum est supra dist. 1. quæstio. 2. sacramentum posse definiri. Probatur, sacramentum baptismi non est purum nō ens: quia non est pura negatio, neque priuatio, neque ens impossibile siue includens rationem in se falsam, ergo sibi cōpetit prima conditio, probatur antecedens; Quod non sit purum non ens sicut negatio, vel priuatio patet, quod autē non sit ens impossibile probatur: quia nulli sensibili repugnat ex institutione diuina significare efficaciter alienā; nēpe effectum Dei, scilicet ablutionem animæ a peccato, ergo non dicit rationem in se falsam. Item baptismus est ens per se vnum, quantum ad illud quod principaliter significat, quod est relatio signi ad signatum, nempe relatio verborū & ablutionis ad deletionem originalis peccati, & gratiæ infusionem.

Et si dicatur baptismus consistit in verbis, & ablutione, sed ex

Digitized by Google

sed ex istis duobus non potest fieri aliquod per se vnum. Respondetur quod verum est, baptismum pro fundamento vel pro substrato constare ex verbis & ablutione, & sic non esse quid per se vnum, neque definiri; Ceterum baptismus pro per se significato seu pro formali, cum importet relationem signi ad signatum est ens per se vnum, & diffinibile.

Si iterum dicatur Baptismus pro formali cum sit terminus connotatiuus aliquid connotat atque adeo nō erit ens per se vnum; Respondetur quod talis connotatio non impedit quin sit ens per se vnum, & quin sit definibile: quia omne relatiuum connotat suum correlatiuum, & suum fundamentum; & cum hoc stat, quod relatiuum definiatur: nec impedit, quod in fundamento sint plura connotata: quantum vt dictum est d. 1. q. 2. vna relatio rationis potest fundari in quantumcunque distinctis in re, bene verū est quod talis connotatio impedit, quod relatiuū non possit habere definitionem primo. i. pure quidditatiuam: quia nihil habet definitionem primo nisi substantia, quæ non definitur per aliquod additum, neque sicut correlatiuum additur in definitione correlatiui; nec sicut subiectum in definitione accidentis. tales enim habent definitionem, sed non primo, vt patet 7. Met. t. c. 18. § Illud autem palam.

Præterea baptismus habet genus, & differentiam, quia est signū ex institutione diuina efficaciter significans ablutionem animæ à peccato, ergo Baptismus non dicit conceptum simpliciter simplicem, atque adeo sibi competit 4. conditio. Item baptismus est vniuersale ad omnia baptismata, est enim species huius generis, quod est sacramentum.

Sola ergo, tertia conditio, scilicet quod oportet definibile esse ens reale excludit à sacramento baptismi, quod non habeat omnino perfectam definitionem; nihilominus tamen habet definitionem eo modo, quo secundæ intentiones s. genus, species, & c. vel quæcunque relatio rationis definiuntur; & hoc sufficit (inquit Scotus) vt habeatur vera scientia per definitionem baptismi, licet enim definitio baptismi non explicet quidditatem alicuius rei existentis extra animam, explicat tamen conceptū realem baptismi.

ARTICVLVS II.

Vtrum verba et exterior ablutio sint vnum totale fundamentum baptismi pro formali.

HÆc quæstio petit dificultatem illam de sacramentorum constitutione an. s. materia & forma sacramentorum sint partes componentes, & cōstituentes sacramentum. De qua re duplex est opinio, prima est quæ in vniuersum negat formam sacramenti esse partem sacramenti,
Sotus. ita sentit tractans de baptismo Sotus d. 3 art. 1. vbi consequenter dicit baptismum supponere pro ablutione, imo totam significationem baptismi in ablutione positam esse, atque idem docet agens de sacramento pœnitentię d. 14. art. 1 atque eadem est ratio de cæteris sacramentis, quæ in vsu consistunt; & de Eucharistia est multo maior: quia materia eius est permanens, vnde d. 8 art. 1. de illo sacramento tractans dicit formam tantum esse quoddam sacramentale. Fundamentum eius præcipuum est: quia in artificialibus materia est tota substantia rei, & pro ea supponunt nomina huiusmodi res significantia.

Secunda sententia est materiam, & formam sacramentorum non semper esse partes sacramenti, sed interdum esse, interdum non esse, iuxta varias rationes, & significationes sacramentorum: sacramentum enim est illud in quo inest significatio sacramentalis hęc autem interdum est in toto composito, ex materia & forma, vt in baptismo, confirmatione, extrema vnctione in quibus materia, & forma sunt partes componentes sacramentum. Interdum vero significatio est in sola forma, vt in absolutione sacerdotis. & tunc illa est totum sacramentum, materia vero solum concurrit, vt quid prærequisitum; è contrario autem aliquando est significatio tota in materia, forma vero solum se habet vt efficiens respectu materiæ, & tunc nō est pars sacramenti, sed sola materia est totū sacramentum, vt in Eucharistia videre licet. Hæc sententia est Scoti, hac dist. et q. et
Scotus. d. 8. q. 1. & 2. & d. 14. q. 4. Vnde in præsenti quest. loquens de sacramento baptismi, refert duplicem opinioné de fundamento relationis. quā pro formali importat baptismus.

Prima opinio dicit quod ista duo. s. ablutio exterior, & verba sunt vnum fundamentum totale, in quo illa relatio baptismi fundatur, & si dicitur vnum accidens cuiusmodi est illa relatio non potest esse in duobus subiectis, quemadmodum sunt verba, & ablutio; respondet quod hoc non inconuenit in relatione rationis.

Secunda opinio asserit fundamentum totale relationis illius esse solam ablutionem exteriorem verbis illis tamen circumstantionatam nēpe Ego te baptizo &c. et quod fiat a Ministro iuxta ritum ecclesię baptizare intendente; adeoq. baptismus nihil est aliud quam ablutio, & ipsa ablutio est totale fundamentum illius relationis, cætera vero omnia quæ in baptismo sunt necessaria, requiruntur tanquam conditiones. & circonstantiæ determinantes ablutionem, vt possit esse fundamentum.

Pro istarum opinionum explicatione obser. est primo, quod ad sacramentum baptismi sunt necessaria ablutio in aqua, verba, & intentio Ministri itaque si aliquod istorum deficiat non erit sacramentum.

Secundo obser. est, quod baptismus sicut omnia alia sacramenta est signum gratiæ, vnde ex his omnibus quæ ad baptismum requiruntur, illud erit baptismi sacramentum, quod gratiam quę est baptismi effectus significat: quapropter si ablutio sola exterior significat ablutionem animæ, sola erit baptismus at si non ipsa sola sed aggregatum ex ablutione, & verbis significat animæ ablutionem hoc aggregatum dicitur baptismus.

Tertio obser. est, quod illud dicitur significare in quo fundatur significatio, sicut illud dicitur esse album in quo fundatur albedo, vnde si significatio fundatur in sola ablutione exteriori, ipsa sola interiorem significabit ablutionem, & sola erit baptismus, si vero significatio fundatur in illo aggregato ex verbis, & ablutione, illud significabit ablutionem interiorem, & erit baptismus.

His suppositis, prima opinio asserit aggregatum, ex verbis, & ablutione esse significationis fundamētum, idest hoc aggregatum est id, quod significat animæ ablutionem; at secunda opinio dicit, quod fundamentum significationis, est sola ablutio exterior, non vt ablutio solum, sed vt comitata verbis cum debita intentione prolatis, idest ista ablutio exterior sic cōmitata, est id quod significat ablutionem animæ interiorem. Vnde secūdum primam opinionem sequitur aggregatum ex ablutione, & verbis esse baptismi sacramentum, verba autem, & ablutionem esse partes sacramenti; iuxta vero secundam opinionem solam exteriorem ablutionem esse sacramentum, verba vero neque esse sacramentum neque sacramenti partem sed solum comitari id quod est sacramentum.

Si autem quæratur quæ istarum opinionum sit probabilior dicit Scotus in hac quæst. sub litt. d. § Iterum dnorū &c. quod prima videtur probabilior: quantum si verba nō essent fundamentum significationis, vel pars fundamenti non possent esse signum, neque pars signi, atque adeo non viderentur necessaria ad baptismum, probatur consequentia: quia cum baptismus sit signum illud tantum est de eius ratione, quod est signum, vel pars signi. Et si dicas quod & si verba non requirantur, tanquam signum, nō tamen inde sequitur non esse necessaria; quantum requiruntur, tanquam determinatio ablutionis, quæ est signum, & cum sola ablutio exterior optime possit significare interiorem ablutionem frustra diuideretur hæc significatio in ablutionem, & verba; atque adeo videtur quod secunda opinio possit sustineri. Quapropter si teneatur secunda opinio potest baptismus in hūc modum definiri baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua simul verba certa cum debita intentione proferente, significans efficaciter ablutionem animæ à peccato; si vero teneatur prima opinio ita baptismus definiri potest. Baptismus est sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistēs in ablutione hominis aliqualiter cōsentientis, facta ab alio in aqua abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. Et aduertit Scotus, quod istæ duæ definitiones conueniunt in hoc, quod ablutio, & verba, & intentio Ministri sunt necessaria, differunt tamen quia in prima definitione ponitur sola ablutio in recto, & cætera in obliquo, vt intelligatur, quod sola ablutio est fundamentum relationis, verba autem, & alia sunt

circun-

circumstantiæ ablutionis. In secunda vero definitione nec ablutio per se, nec verba per se ponuntur in recto, vt intelligantur conuenire ex æquo ad rationem baptismi tanquam partes fundamenti significationis.

Vtraque istarum opinionũ defendi potest tum propter argumenta, quæ quælibet pro se affert, tũ etiam, quia quæstio videtur de nomine, neque enim in re differunt istæ opiniones, cum vtraque fateatur ea requiri ad sacramentum baptismi, quæ fides necessaria esse docet, vt sunt ablutio in qua determinata verba, & intentio ministri. Quod autem prima opinio sit probabilis, sic probo, Verba sunt forma baptismi, sed forma est pars compositi, ergo verba sunt pars baptismi, atque adeo baptismus resultat ex aggregato verborum, & ablutionis: secundo, verba sunt signa, ergo sunt partes baptismi, patet antecedẽs, & sequela probatur: quia baptismus, vt dictum est, nihil est aliud quã signũ quoddã.

Sed sustinendo secundam opinionem respõdetur ad primum, quod verba non sunt forma proprie, vt docet Scot. q. seq. art. 1. Vnde non sequitur, quod talis forma sit pars baptismi, sed propterea verba dicuntur forma, quia determinant ablutionem, vt sit baptismus.

Ad secundum dico, quod antecedens potest bifariam intelligi, vno modo quod verba sint signa gratiæ, alio modo, quod sint signa ablutionis exterioris. i. quod significent, qđ illa ablutio exterior, sit baptismus, si intelligatur primo modo nego antecedens, si vero secundo modo, concedo, sed ex hoc non sequitur quod verba sint sacramentum, vel pars sacramenti: quia sacramentum non est nisi id quod significat gratiam.

Secundam opinionẽ probant primo: quia forma nequit esse pars materiæ, sed verba in baptismo sunt forma, ergo verba nequeunt esse pars materiæ si essent fundamentum significationis: quia materia est illud, in quo aliud recipitur, ergo non sunt fundamentum significationis, & consequenter baptismus supponit pro ablutione tantum secũdo, frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora &c. sed sola ablutio exterior potest significare interiorem, ergo significat, atque ita sola erit sacramentum baptismi.

Ad primum istorum nihilominus sustinendo primã opinionem respondetur distinguendo maiorem; de forma in ordine ad materiam, cuius est forma, concedo quod forma nequit esse pars materiæ; in ordine tamen ad aliud cuius non est forma, nego. Anima. n. rationalis, quæ forma corporis est; vt subiectum materiale se habet respectu gratię, atq; ita licet verba respectu ablutionis, cuius sunt forma, nũ possint esse materia; respectu tamen significationis habent rationẽ materialis subiecti: quia significatio fundatur in verbis, & etiam in ablutione. Vel potest etiam secundo responderi, quod verba sunt forma improprie, atque adeo non est inconueniens, quod sint velut pars materiæ.

Ad secundum respondetur, quod maior est vera quando per pauciora ita bene põt aliquid fieri, sicut per plura, non tamen quando ita bene fieri nequit per pauciora, sic dico quod licet sola exterior ablutio possit significare interiorẽ animæ ablutionem, clarius tamen & distinctius ablutio interior significatur per verba, & ablutionem, simul exteriorẽ,

D. August. quam per solam ablutionem, dixit. n. B. August. lib. 2 de Doctrin. Christ. c. 1. quod verba inter homines obtinuerũt principatum in significando.

Si autem quæratur a me, quæ istarum opinionum sit pro-

D. Bonau. D. Thom. Sotus. Maior. Paludan. Scotus. Bassolus. Tataretus. Nisa. Gabriel. babilior, & magis ad mentem Scoti. Dico quod secunda opinio, quam sequitur D. Bonau. hac d. q. 1. & S. Thom. 3. pa. q. 66. art. 1. & Sot. d. 3. art. 1. q. 1. Maior. d. 2. q. 1. & Palud. d. 3. q. 1. art. 1. est minus probabilis. Prima vero est probabilior, vt docet hic Doct. noster sub. Bassolus hac d. q. 1. art. 1. Tataretus hic, & Nicol. de Nisa. tract. 6. par. 3. qu. 1. & Gabr. hac d. quæst. 1.

Cæterum Sotus vbi supra contra sent. Scoti sic arguit, baptizare idem est quod abluere, ergo baptismus est idem quod ablutio. consequentia patet, & antecedens probatur ex illo Eccle. Qui baptizatur a mortuo, & tangit mortuum, quid proficit lauatio eius, vbi baptizate accipitur pro lauate; & confirmatur, quia baptismus est nomen verbale Græcum, quod apud Latinos idem significat, quod ablutio.

Præterea Scotus definit baptismum dicens, baptismus est ablutio, sed hic significatur eadẽ res per subiectũ, & prædicatum, ergo baptismus ẽt secũdum Scotũ pro sola ablutione supponit, & consequenter sibi est contrarius asserens, quod baptismus supponit pro aggregato ex verbis, & ablutione.

Ad primum dico, quod verbum baptizo ex sua prima significatione idem significat quod abluere quacunque ablutione, ex vsu tamẽ accommodatione idem significat, quod conferre sacramentum baptismi. Dico ergo quod ablutio sola est baptismus primo modo, quod probat locus sacræ scripturę, at vero ablutio sola non est baptismus secũdo modo, sed pars baptismi: quia sacramentum est id, quod impositũ est ad significandum, in sacramẽto aũt baptismi significatio non est in altera parte tantum, sed in toto cõposito ex materia, & forma; ablutio. n. habet quidẽ significationẽ sacramentalem, cæterũ verba non solum significant, verum ẽt expressius, & verius significant, nã ad hoc addita sunt, vt determinent, & perficiãt significationem; vt ex natura, & modo significandi ipsorum verborum satis aperte constat.

Ad secundum dico, quod ex dictis in littera Scoti patet, quõ non est sibi contrarius, duplicem refert opinionẽ, & secundum alteram dicit, quod baptismus est sola ablutio, vt argumentum probat, tamen secundum alteram, & probabiliorem dicit baptismum esse sacramentum ablutionis animę a peccato consistens in ablutione, & in verbis certis, &c. atq; adeo non est sibi contrarius.

ARTICVLVS III.

Vtrum definitio baptismi a magistro assignata sit bona definitio.

Aristot. 7. Met & 1. post. inquit, quid nominis, & quid rei esse principium artis, & scientiæ, & Marcus Tull. 1. officiorum in hoc Panetium admiratur, qui nõ præmisit definitionem, inquiens, omnis enim quæ a ratione de re aliqua sumitur institutio, debet a definitione proficisci. Vt ergo intelligatur quæ res est de qua disputatur, quemadmodum Theologũ in philosophia educatũ decet, videndum est quid sit baptismus, & an recte sit a Magistro definitus. Arist. Tullius.

Pro cuius explicatione obser. est, in quolibet sacramento tria reperiri, sacramentum tantum, rem tantum, rem & sacramentum simul. In sacramento baptismi res tantũ est gratia baptismalis, res autem, & sacramentum est character, sacramentum tantum est id quod definitur, nam constat duo priora, scilicet gratiã baptismalẽ, & characterẽ non significari baptismi nomine, significat ergo hæc vox baptismus id, quod in hoc sacramento est signum sensibile externum, efficax gratiæ quam significat.

Hoc vero signum quod baptismi nomine significatur, ait Magister hac d. esse exteriorem corporis ablutionem factã sub præscripta forma verborum. Hugo vero de Sancto Victore, libro secundo, de sacrament. par. 6. capitulo secundo, dixit baptismum esse aquam diluendis criminibus sanctificatum per verbum Dei; & licet D. Thom 3. part. quæst. 66. art. 1. existimet Magistrum differre ab Hugone dicente baptismum non esse ablutionem sed aquam; existimo tamẽ in re non fuisse diuersitatem, sed solum in modo loquendi, qui proprior, & rigorosior est apud Magistrũ, & Scholasticos. Non dubito tamen quod Hugo intellexerit aquam quidem ad vsum non applicatur non esse sacramentum. Nam & res per se satis clara est, & ex verbis eius satis aperte colligitur, dum ait: aqua enim sola elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum. Constat autem verbum non accedere ad elementum, nisi quatenus ad vsum applicatum, in quo incipit sacramentum, in quo sacramentum perficitur non in ipso elemento, quomodo autem definitio Hugonis intelligatur, vide Alex. de Ales, p. 4 q 8. memb. 1. Magister. Hugo. D. Thom. Alexan. de Ales.

Hoc supposito ratio dubitandi est: quia baptismus, & ablutio aut sunt duæ voces synonymæ, aut comparantur sicut totum, & pars materialis eius; atqui in neutro sensu potest baptismus dici ablutio, ergo &c. explic. maior ant. certe: Nã hæc duo verba baptizo, & abluo synonyma sunt, & tantum differunt, quia abluo est Latinum, baptizo vero Græcum, quod ecclesia Latina retinuit pp antiquitatem; sicut ergo ablutio significat actionem abluendi, ita baptismus significare videtur actionem baptizandi, ac si diceretur baptizatio, sed in Græco nõ est vsus huius vltimæ vocis, sed loco illius est vox baptismus, in hac ergo significatione illæ duæ voces sunt synonymæ, non ergo potest vna per alteram definiri, alioquin idem per idem definiretur.

Digitized by Google

Et si dicatur, quod hæc vox ex primæua significatione translata est ad significandum totum sacramētum integrū, quod ad regenerationem fidelium est a Christo Domino institutum. Contra in hac significatione ablutio est pars sacramenti: quia totum sacramentum constat materia, & forma; ablutio vero, vt dicemus inf. q. 3. est materia huius sacramenti; at pars non prædicatur de toto, & maxime pars materialis, ergo baptismus non potest dici ablutio.

Præterea ablutio corporalis transit, baptismus autē permanet, ergo baptismus non est ipsa ablutio, maior patet, & minor probatur, quia cum aliquis baptizatus recipit sacramentum baptismi, & quamdiu est baptizatus habet sacramentum, sicut quamdiu est homo albus habet albedinem, sed semel baptizatus semper est baptizatus, igitur semper habet sacramentum baptismi.

Pro solutione supponendum est quod diximus in superiori art. 5. de fundamento relationis, quæ est significatio illius signi sensibilis baptismi, duplicem esse opinionem, primam dicentem quod ista duo videlicet ablutio exterior, & verba sunt vnum fundamentum totale, in quo fundatur illa relatio baptismi, & secundam asserentem quod fundamentum totale illius relationis est sola exterior ablutio circumstantionata tamen cum verbis illis. Ego te baptizo & cæt.

1. Conclusio Quo supposito respondetur ad quæstionem per sequentes conclusiones. Prima Conclusio. Si teneamus primam opinionem definitio Magistri non est bona, probatur conclusio argumento principali; pars non prædicatur de toto, sed in definitione Magistri prædicatur pars de toto baptismo, ergo definitio non est bona: maior est nota; quia manus, imo neque corpus, vel anima non prædicantur de homine: homo enim non est corpus, anima, vel manus: Minor etiam constat: quia prædicatur ablutio de baptismo, sed ablutio est pars baptismi; ergo pars prædicatur de to-
D. August. to: minor patet ex D. Augustin. & refertur, 1. quæst. prima, capit. Detrahe. Accedit (inquit Augustin.) verbum ad elementum, & fit sacramentum, igitur ex verbis, & elemento, quo fit ablutio, constat sacramentum baptismi tanquam ex partibus.

Præterea secundo. Quando definitur accidens in concreto, debet poni totale subiectum a parte prædicati, veluti si dicamus sapiens est suppositum habens sapientiā; si enim in ista definitione poneretur tantum pars subiecti a parte prædicati, velut si diceretur, sapiens est anima habens sapientiam, non esset bona definitio. Baptismus autem est accidēs in cōcreto: quia baptismus nō est significatio in abstracto, sed significans in concreto, ergo cum iuxta hanc primam opinionem ablutio sit pars fundamenti, in quo significatio fundatur recte infertur Magistri definitionem non esse bonam: quia non ponit fundamentum totale a parte prædicati; sed solum fundamenti partem dicēs. Baptismus est ablutio, &c. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litter. B. §. Si primum istorum &c.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Si teneamus opinionem secundam, quod ablutio scilicet sit totale fundamentum, optima est definitio Magistri. probatur: quia totale fundamentum, & nō pars illius prædicatur de suo toto. ergo est bona, idque docet Scotus aliquanto obscurius, vbi supr. §. Si autem secundum poneretur. Cum dicit, secundum istum modū potest poni ablutio in recto, vt intelligatur solam ablutionem esse totale fundamentum significationis, & reliqua omnia esse circumstantias determinātes ablutionem, vt possit esse fundamentum. Vnde concludit Scotus infra sub litt. E. §. patet ergo solutio quæstionis, quod definitio Magistri est bona iuxta secundam opinionem de fundamanto baptismi, eamque communiter recipiunt Doctores.

Sed dices, ergo frustra tradit Scotus aliam definitionem baptismi iuxta secunda opinionem, si definitio Magistri est bona. Respondeo, quod definitio Scoti non est frustra: quia est explicatio definitionis Magistri, atque adeo cum definitiones baptismi assignatæ ab Scoto sint explicationes traditæ definitionis a Magistro, & potissime secunda, vt ipsemet Scotus fatetur, si a nobis petatur baptismi definitio sufficit Magistri definitionem assignare: ex quo sequitur, quod illæ definitiones Scoti potius sunt appellandæ compendium, & summa eorum quæ in materia baptismi tractantur, quam definitiones comatæ, & sufflarcinationes, vt
Sotus. immerito eas appellat Soto distinct. tertia, artic. 1. quæstio. prima, & post eum Valentia. tom. 4. disput. 4. quæst. prima, *Valentia*
puncto 1.

Ad primam rationem dubitandi, respondet primo Richardus in 4. dist. 3. art. 1. q. 1. ad 2. quod de re artificia a bene prædicatur materia de toto, cum sit tota materia artificiati, sicut arca non tantum est lignea, sed lignum, vt patet 2. Phys. tex. 13. sacramentum autem assimilatur rei artificiatæ. *Richardus.*

Sed contra hanc responsionem arguit Scotus, dicēs hoc nihil est: quia pars materiæ non prædicatur de artificiato; nō. n. domus est lapides, sed ad esse domus requiritur aliud cum lapidibus &c. vult dicere Doctor, quod etsi responsio Richardi vera sit, non tamen videtur recte applicari; quia quando res artificiales illo modo definiuntur, nō pars materiæ, sed tota materia, quæ subest propriæ formæ artificiali, constituēda est loco generis, vt possit de re artificiali prædicari; Vnde in exemplis de arca, & statua; lignum, & æs sunt tota materia, atque adeo recte potest dici arca est lignum, & statua est æs, secus autem est de parte materiali; Non enim recte dicitur domus est fundamentum, aut lignum, sed dicetur esse hæc omnia sub tali figura, in sacramē to autem propria forma quasi artificialis est significatio, cuius integra materia est compositum ex ablutione, & verbis, vt dictum est, atque hoc sensu ablutio est pars materiæ, ergo in nullo sensu vere potest dici quod baptismus sit ablutio, quia vt dictum est prius nihil ponitur in concreto in definitione accedentis concreti nisi illud, de quo accidens prædicatur in recto, nullum autem accidens prædicatur de parte sui subiecti.

Dicendum est ergo sustinendo definitionem Magistri, quod ablutio non est pars fundamenti relationis, quam includit baptismus, sed est totum fundamentum licet remotum: quia & alia requiruntur, scilicet verba & intentio ministri, itaque inter ablutionem, & relationem signi mediāt aliquæ relationes rationis, scilicet ad verba, & ad ministri intentionem, quæ sunt circumstantiæ determinantes ablutionem, vt possit esse fundamentum significationis. Et ad probationem minoris, ex D. Augustin. dicitur, quod inde nihil aliud colligitur, nisi quod verba sunt adeo necessaria sicut ablutio. Et hoc sustinendo secundam opinionem de fundamento significationis. Si vero teneamus primam quam probabiliorem esse diximus, dicendum est, vel quod argumentum concludit contra Magistrum, vt dicit hic Doctor sub. & Marsilius in quarta quæst. 3. articulo primo, cō- *Scotus. Marsilius.*
clusione 2. vel dicendum est verum esse in rigore, & proprietate terminis, & seclusa figura, qua per synecdochen pars sumitur pro toto. Baptismum non posse dici ablutionem, vt argumentum probat, sicut non potest dici quod baptismus sit hæc verba, Ego te baptizo, quia sicut non est vna pars, ita neque altera, sed compositum ex vtraque. Neque aliter Magister locutus est, non enim dixit baptismum esse simpliciter ablutionem, sed esse ablutionē sub præscripta forma verborum, quibus verbis significare voluit baptismum esse quid constitutum ex ablutione, & verbis.

Ex quibus intelligitur prædictam definitionem datā esse modo physico, (vt ita dicam) per partes physicas, quales esse possunt in baptismo; Nec refert quod hæ partes cōparatæ ad significationem sint veluti materia integra eius, quia explicato integro subiecto, & reali fundamento significationis, virtute subintelligitur relatio signi in eo fundata, præsertim cum ad nominis descriptionem non sit necesse omnia explicari; Vnde sicut baptismus supponit pro illo composito ex ablutione, & verbis; ita potest commode per illas duas partes definiri.

Sed contra vtramque opinionem arguitur: ens rationis non prædicatur de ente reali, sicut nec ens reale de ente rationis, ergo male dicitur baptismus est ablutio, seu ablutio est baptismus, patet: quia baptismus pro formali est ens rationis, ablutio vero est ens reale, antecedēs patet; quia alias ens rationis esset ens reale, & e conuerso. Ad hoc respondetur distinguendo antecedens; ens rationis in abstracto concedo quod non prædicatur de ente reali; hæc. n. prædicatio esset falsa, vox est significatio; Ens autem rationis in concreto bene prædicatur de ente reali: quia connotat aliquod reale: hæc enim prædicatio est vera, vox est signum; & similiter de ente rationis prædicatur ens reale in concreto, nomen enim est vox significatiua, baptismus aūt, vt dictū est, est accidens in concreto: quia non est significatio sed signū,

& ideo

& ideo de baptismo potest ablutio prædicari.

Ad secũdum principale dico, quod baptismus bifariam consideratı potest, vno modo, vt est habens modum substã|tiæ quæ est, vel ut est habens modum substantiæ quæ fit, & hoc secundo modo consideratur, & definitur a Magistro. Cum ergo dicitur, quod baptismus semper manet, dico qđ in baptismo sunt signum, siue operatio exterior, & effectus interior, siue significatum, scilicet impressio characteris. Quo ad opus siue ad signum exterius, baptismus non semper manet; sed bene quantum ad effectum interiorẽ, siue significatum. Vnde reuera non manet simpliciter semper, sed quantum ad aliquem effectum, scilicet quantũ ad characterem. Cum autẽ probatur, quod perpetuo manet per hoc, quod quamdiu aliquis est baptizatus habet sacramentum baptismi, sicut quamdiu est aliquis albus, habet albedinem. Dico quod non est simile: quia albus præsentialiter, vel actualiter denominatur ab albedine, quæ actualiter, & præsentialiter inest; sed baptizatus præsentialiter a baptismo non denominatur, qui actualiter fit, sed qui aliquando infuit, sicut filius in humanis dicitur genitus, non a generatione, quæ actualiter, & præsentialiter fit, sed a generatione, quæ aliquando infuit.

QVÆSTIO II.

Vtrum forma baptismi præcisa sit hæc. Ego te baptizo in nomine patris, et filij, etc.

Titulus huius quæstionis explicatione nõ indiget, quid enim sit forma, & quot modis vsurpetur in sacramentis explicabitur in primo art. Quapropter hanc quæstionẽ pro lucidiori explicatione in 14. articulos diuidimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum verba tam in sacramento baptismi, quam in alijs sacramentis sint forma.

Bellarm. Svpponendum est contra hæreticos huius temporis de necessitate, sacramentı esse determinatã formã verborũ. Nam Martinus Lutherus (vt refert Bellar. lib. 1. de sacramentis in genere c. 21.) in lib. de captiuitate Babylonica, c. de baptismo excogitauit, non requiri certa verba in sacramentis. Vnde ita scribit: Quocunque modo tradatur baptismus modo non in hõis nomine, sed in nomine Domini tradatur, vere saluum faciet; imo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius minister nõ det in nomine Domini vere baptizatũ esse in nomine Domini. Vnde secundum Lutherum si quis dicat. Ego te baptizo in nomine Lutheri, & Catharinæ vxoris eius, vel etiam in nomine Diaboli, erit verus baptismus, modo qui suscipit accipiat in nomine Domini. Et quamuis postea Lutherus in 1. homil. de baptismo hunc errorem retractauerit, tamen Ioannes Brentius magis probasse videtur priorem Lutheri sententiam, & eundem errorem secutus est etiam Zuinglius in lib. de vera, & falsa religione, c. de baptismo. Statuẽdum est ergo pro certo de necessitate baptismi esse determinatam formam verborum.

Secundo obseru. est ex Concil. Florent. quod sacramenta nouæ legis tribus perficiuntur, s. rebus tanquã materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Conci Flor.

Tertio obseru. est, quod forma capitur dupliciter, vno modo proprie prout est altera pars compositi, & sic nulla verba quæcunque sint illa dicuntur forma alicuius sacramenti: quia cum sacramentum pro formali sit relatio rationis, verba pars eius essentialis esse nequeunt, si etiam sumatur sacramentum in concreto, vt baptismus, verba nõ sunt forma proprie loquendo: quoniam cum omne concretum dicat duo vnum pro formali, & alterum pro connotato id dicitur forma eius, quod formaliter constituit illud, vt album dicit parietem pro connotato, & albedinem pro formali, forma albi, est albedo, quæ formaliter facit albũ. Ita in proposito forma, quæ constituit sacramentum in esse sacramenti formaliter, est relatio signi ad signatum: quia per ipsam sacramentum formaliter dicitur sacramentum, & fundamentum seu connotatum vocatur materia, & in baptismo sunt ablutio, & verba, quæ ad gratiam, & ad deletionem originalis culpæ dicunt relationem rationis, quæ dicitur significatio, & ista relatio proprie est sacramenti forma, non solum istius nimirum baptismi, sed etiam cuiuslibet, verba autem, & ablutio in proposito appellantur materia. Forma bifariã sumitur.

Alio modo sumitur forma analogice, & improprie. Vnde obseru. est, quod quandocunque in fundamento alicuius sacramenti plura concurrunt inæqualiter, & vnum se habet, vt prius & determinabile, & aliud vt posterius, & determinatio, tunc illud quod habet rationem determinatiui dicitur esse forma respectu alterius per quandam analogiam, & illud quod se habet vt prius, & determinabile, dicitur esse materia.

Item quandocunque in fundamento alicuius sacramenti plura concurrunt inæqualiter, & vnum est principalius, & actualius, & alterum se habet vt potentiale, tunc illud quod est actualius se habet vt forma; illud vero quod se habet vt potentiale, se habet vt materia.

Item quandocunque in fundamento alicuius sacramenti plura concurrunt inæqualiter vnum spiritualius alio, id qđ est spiritualius dicitur esse forma, quod vero minus spirituale dicitur esse materia. In proposito in sacramento baptismi duo sunt, scilicet verba, & ablutio, & nullum istorũ dicitur proprie forma, vel materia, sed solum per quãdam analogiam. Hæc Scotus in hac q. sub litt. A. §. Hic primo videndum est, & Aureol. dist. 3. q. 2.

His obseruatis sit prima Conclusio, significatio est proprie forma in baptismo. probatur: quia significatio constituit baptismum sicut albedo constituit album, ergo &c. 1. Conclusio

Secunda Conclusio. Proprie loquendo materia baptismi est aggregatum ex verbis, & ablutione secundum probabiliorem opinionem, vel ablutio comitata verbis secũdum alteram opinionem minus probabilem. probatur: quia sicut corpus est materia albedinis: quia in se habet albedinẽ, ita significatio quæ est forma baptismi, est in illo aggregato, vel in ablutione comitata verbis; ergo aggregatum illud, vel ablutio est proprie loquendo, forma baptismi. 2. Conclusio

Tertia Conclusio. Verba non sunt proprie forma baptismi, probatur: quia verba non constituunt baptismum, sed significatio, vt dictum est, ergo non sunt proprie forma. 3. Conclusio

Quarta Conclusio. Verba respectu ablutionis analogice forma dicuntur, nempe propter habitudinem quam habẽt ad ablutionem; explicatur conclusio secundũ vtramque opinionem, primum si dicamus quod aggregatũ ex verbis, & ablutione, est totale fundamentũ baptismi, & quod baptismus pro vtroque supponit, verba dicuntur forma baptismi pro- 4. Conclusio

propter tres causas; primo, quia sicut forma spiritualior est quam materia; ita verba sunt spiritualiora, quam ablutio; secūdo, quia sicut forma est pars actualior, & principalior, quam materia, ita verba sunt pars principalior, quia principalius significant gratiam quam ablutio: Nam secundum *D. August.* D. Augustin. libro secundo de Doctrina Christia. capit. primo. Verba inter homines obtinuerunt principatum in significando, & similem sententiam dicit 15. de Trinitate; tertio, quia sicut materia determinatur per formam, ita ablutio determinatur per verba, vt pertineat ad sacramentum baptismi, quæ vtique ad baptismum non pertineret si per verba non determinaretur. Nam de ratione formæ est quod det certitudinem, & limitationem materiæ, quæ quantum est de se spargitur secundum Boetium de vnitate, & vno, idest, de se est illimitata, & indeterminata, ita aqua est quid dam indifferens ad multa, determinatur autem, & limitatur ad esse, fundamentum habitudinis, quam importat for- *D. August.* maliter baptismus per verba iuxta illud dictum D. August. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: ergo verba habent rationem formæ.

Si vero dicatur quod ablutio sola est baptismus, verba dicuntur forma duplici de causa: primo, quia determinant ablutionē, ad hoc quod sit baptismus; secūdo, quia sunt magis spiritualia quam ablutio. Istæ omnes conclusiones sunt Scoti in hac quæst. sub litt. A. & B. Ex quibus constat, qua ratione verba in baptismo, & alijs sacramentis forma appellentur.

Sotus. Contra primam, & secundam conclusionem Scoti obloquitur Sotus. Nam duo dicit Doct. sub. Alterum quod forma baptismi proprie loquendo est significatio, alterum vero quod verba dicuntur forma impropriè, vtrūque reprehendit Sotus in quarta, distinctio. tertia, quæstio. vnica, articulo quinto, in principio illius articuli. Et primo dicit, quod primum assertum non est multum Theologicum, & ratio est, quoniam significatio non est forma, de qua in præsentiarum loquimur, secundo dicit, quod verba propriissime dicuntur forma: quoniam sicut in naturalibus materia determinatur per formam, ita ablutio determinatur per verba, igitur verba propriè dicuntur forma.

Refellitur Sotus. Cæterum hæc motiua Soti friuola sunt, atque nullius momenti; Nam propriè loquendo significatio est forma baptismi: quoniam significatio est id, per quod constituitur in esse sacramēti formaliter; sicut albedo est id per quod paries constituitur in esse albi, quæ quidem significatio in illo est, quod denominatur baptismus, quemadmodum albedo in eo est, quod denominatur album, atque adeo valde Theologice dicitur significatio forma baptismi: quoniā Theologice loquendo baptismus est sacramentum; sacramentum autem secundum D. Thomam, & Scotum, ac etiā ipsum Sotum constituitur in genere signi; ergo non parum Theologice dicitur, quod significatio est forma baptismi, & quamuis in præsentiarum non agatur de significatione, sed de verbis ad examinandum tamen, quo nam pacto verba sint forma, necessum fuit intelligere, quid sit forma propriè, atque etiam explicare quid sit forma impropriè. Vnde rectè dixit Scotus, quod verba impropriè sunt forma baptismi. Et ad rationes Soti respondeo, quod licet verba habeant hanc formæ proprietatem (cuius etiam meminit Scotus) desunt tamen verbis aliæ conditiones, seu proprietates, cum neque constituant baptismum in esse sacramenti; neque sint in eo, quod denominatur baptismus sicut in subiecto. Nihilominus tamen etiam nos libenter fatemur, quod verba absolute loquendo sunt forma baptismi, quod vel ex communi vsu loquendi totius ecclesiæ satis probatur.

Et si dicatur forma alicuius compositi est in materia cōposita, at huiusmodi verba non sunt in aqua, nec in ablutione, vt patet, ergo non sunt forma baptismi: Respondetur quod argumentum procedit de forma propriè dicta, verba autem impropriè sunt forma vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc verba. Ego te baptizo in nomine patris, &c. sint necessaria forma baptismi necessitate ministri.

In sacramētis duobus modis est PRo explicatione tituli obseru est, quod in sacramentis aliqua sunt necessaria necessitate sacramenti, aliqua vero necessitate præcepti; necessarium primo modo est illud, sine quo non est sacramentum, vt aqua in baptismo; secūdo modo necessarium est illud, quod minister tenetur seruare in sacramenti ministratione sub pœna peccati mortalis, & hoc modo tenentur curati seruare ritus, & extremonias, quæ in manualibus suæ diœcesis habentur. *aliquid necessarium.*

Secundo obseru. est, quod ignorantia est multiplex, quædam est ignorantia supina siue crassa, & est quando quis negligit scire illud, quod scire tenetur, & ista non excusat a toto peccato, licet a parte excuset, quemadmodum de curato dicunt aliqui, si nesciret formam absolutionis. Alia est affectata, & est quando quis nedum negligit scire, sed affectat nescire, & vult scire ea ad quæ tenetur, vt quis tenetur scire an bene, vel male operetur, & si negligat scire, vel affectet nescire est ignorantia affectata, verbi gratia, quando aliquis vir probus vult aliquem nequam corrigere, & ipse non vult audire, vt nesciat, talis dicitur habere ignorantiam affectatam, & hæc similiter non excusat. Alia est ignorantia peruersa, vt quando quis negligit scire, & affectat nescire illud ad quod tenetur, & vltra hoc veritatem impugnat, defendens non esse peccatum quod committit; & talis ignorantia est pessima, & a peccato excusat minime. Alia est ignorantia iuris, & est quando aliquis scit se fecisse talem actum, ignorat tamen an sit peccatum, vel non, quia nescit an sit præceptum prohibens illum actum. Alia est ignorantia facti, & est quando aliquis nescit se aliquid fecisse, quod tamen fuit peccatum. Alia est ignorantia inuincibilis, & est ne scientia eorum, quæ quis non potest, vel tenetur vincere, verbi gratia, eorum quæ quis non tenetur scire, vel si tenetur scire adhibitis diligentijs requisitis non potest. Et hæc duobus modis in aliquo prouenire potest, priori modo absque culpa illius, sicut in pueris, & furiosis: amentes enim habent talem ignorantiam, sed non ex culpa, & hæc ignorantia excusat a toto peccato, posteriori modo potest cuiusmodi ignorantia prouenire ex ignorantis culpa, sicut in ebrijs, & de ista dubitatur an excuset, de qua dicemus infra. Alia est ignorantia simplex, quando scilicet quis facit, quod in se est, vt sciat illud, quod scire tenetur, & tamen non potest scire, & hæc absque dubio excusat. *Ignorantia est multiplex.*

Tertio obseruan. est, quod quodam tempore apud Græcos seruata fuit hæc forma baptizandi, baptizat te Ioannes, vel Paulus in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, Amen. in qua forma tria exprimebantur, scilicet minister, verbi gratia, Petrus, vel Paulus, actus baptizandi in indicatiuo, scilicet baptizat, & persona baptizati in secunda persona, scilicet te. Verum stante illa forma baptizandi ortum fuit schisma, & diuisio inter baptizatos eiusmodi forma; Nam aliqui gloriabantur esse baptizatos a Petro, alij a Paulo, alij ab Apollo, &c. quasi Petro, & Paulo ascriberetur baptismus; atque adeo D. Paulus, 1. Corinth. 1. tedarguit eos, & istam eorum contentionem dicens. Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab ijs, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Vnde pro huiusmodi schismate tollendo, rixa, & contentione sedanda, oportuit quod ecclesia apponeret remedium, atque adeo ordinauit, quod deinceps persona baptizantis haud nominaretur; secundo quod non exprimeretur actus baptizandi in indicatiuo, sed modo deprecatiuo, vel optatiuo; tertio qd persona baptizati non exprimeretur in secunda, sed in tertia persona; & demum quod forma baptismi esset talis. Baptizetur seruus Christi in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. *Forma qua in primitiua ecclesia Græci vtebantur.*

His obseruatis loquendo de forma baptismi necessaria ex parte ministri sit hæc prima conclusio. Hæc forma, Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti est de necessitate præcepti in ecclesia Romana. Probatur, illud est de necessitate præcepti, quod ecclesia præcipit esse seruandum, sed hæc forma est huiusmodi, vt habetur extra de baptismo, & eius effectu, capitul. Si quis, vbi sic legitur. Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus. Ergo ista forma est de necessitate præcepti in ecclesia Romana. Ex hac conclusione infertur *1. Conclusio*

quod

Digitized by Google

quod minister, qui ex officio tenetur baptizare, qualis est sacerdos curatus, (& dico eum ex officio incumbit, quia huius sacramenti potest esse minister, & laicus, & mulier, sed non ex officio) peccat mortaliter si non seruat istam formam, quamvis Ecclesiæ præceptum ignoret, quia tali ignorantia non excusat, quia tenetur scire ea quæ ad suum officium sunt requisita. ita Scotus in hac quæst. sub litt. C. § si quæratur de forma, secundo modo &c.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Aliquando ecclesia Græca loco illorum verborum. Ego te baptizo vtebatur illis verbis, baptizetur seruus Christi in nomine patris &c. hoc autem faciebat ad tollendas diuisiones, & rixas, quæ inter baptizatos oriebantur in primitiua ecclesia, vt refert D. Paulus 1. Corint. 1. Nam cum minister diceret. Ego Paulus te baptizo, existimabant baptizati, baptismum habere virtutem, & efficaciam, ab illis qui baptizabant; atque ita gloriantes se dicebant. Ego sum Pauli, ego sum Apollo, &c. Ad tollendam igitur occasionē huius erroris, non dicebant Græci. Ego te baptizo, sed baptizetur, in optatiuo, vt intelligeretur baptismum nullam a ministro habere virtutem; dicebant etiam, seruus Christi, ad denotandum quod baptismus a Christo haberet efficaciam. Hoc tamen inconuenienter ponitur, inquit Scotus, quoniam ille qui baptizatur non est seruus Christi quando baptismum recipit, sed potius per baptismum Christi seruus efficitur, atque adeo melius exprimeretur baptizatus nomine proprio, scilicet baptizetur Petrus, vel Ioannes; quia ante baptismum non est seruus Christi specialiter virtute Christianitatis, sed ad talem seruitutem per baptismum deputatur. ita Scotus vbi supra, §. si quæras de forma necessaria ministro apud Græcos, &c.

3. Conclusio Tertia Conclusio. Quamdiu Ecclesia Romana, quæ est omnium ecclesiarum magistra permisit Græcos vti ista forma non solum licite vtebantur illa, quinimo si in Concilijs illius ecclesiæ decretum esset, quod talis forma seruaretur tenerentur Græci necessario illam seruare, sicut stante ista permissione Ecclesiæ Romanæ, quod alicubi fiat trina immersio, & alicubi vna in illa ecclesia, quæ determinauit trinam immersionem esse seruandam, ita obseruandum est, & est de necessitate ministri præceptum, & morem suæ ecclesiæ seruare, & non seruando peccaret mortaliter. Ita Scotus vbi supra sub litt. D. §. de hac forma potest dici.

4 Conclusio Quarta Conclusio. Si ecclesia Romana prohibuit Græcis vti illa forma, peccarent vtendo illa. probatur: quia ecclesia Romana cum sit omnium ecclesiarum caput, habet authoritatem super omnes ecclesias, & Christianos; & maxime circa ea quæ ad fidem spectant.

5. Conclusio *Conc. Flor.* Quinta Conclusio. Non est certum, an ecclesia Romana prohibuerit Græcis illam formam. probatur: quia non inuenitur talis prohibitio. Imo in Concilio Florent. in decreto Eugenij IV. de baptismo Græcorum sic legimus. Nō tamen negamus, quin & per illa verba baptizetur talis seruus Christi in nomine patris, &c. vel baptizetur manibus meis talis seruus Christi, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma, quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum.

Obseru. est tamen, quod quando Concilium Florentin. dicit satis esse ad essentiam sacramenti, vt actus ministri baptizantis cum inuocatione Trinitatis exprimatur, intelligi debet vt actus exprimatur, & eius applicatio ad recipientem: quia non satis exprimitur actus nisi exprimatur subiectum, in quod terminatur. Et ex hoc sequitur quod non est audiendus Alexand. de Ales, parte quarta, quæstio. octaua, membr. tertio, articulo tertio, in fine illius artic. qui dubitat an Græci illa forma baptizent, eo quod (inquit) sit ab ecclesia Romana reuocata, ex eo quod Romana ecclesia, quæ est caput ecclesiarum, imo ipsa ecclesia instruendo aliam, illam ex consequenti reuocauit; quia est contra Concilium Florentinum.

ARTICVLVS III.

Vtrum si aliquis Latinorum vteretur forma Græcorum verum efficeret sacramentum.

Huic difficultati respondet Innocentius III. in capit. 1. de bapt. relatus ab Adriano 104. quæst. 1. art. 3. dub. 2. & a Soto distin. 3. art. 5. q. 1. inquiens, quod si quis apud nos baptizaret sub hac forma baptizetur, vel baptizat te Christus, vel Petrus, vel sacerdos se demonstrato, vel baptizeris a Christo, vel a tali homine, non baptizaret, quia non seruaret formam Latinam, verumtamen in alia prouincia, quæ nostram formam nunquam recepit, vere baptizaret, & alludit ad Græcos vere baptizantes. Vnde tria in hac responsione dicit Innocentius. Primum quod apud Græcos idem est dicere seruus Christi, ac si diceretur baptizeris in Christo, vel baptizet te Christus. Secundum quod non esset baptismus si quis diceret. Ego Petrus, aut ego sacerdos baptizo te, vel baptizetur seruus Christi a me Petro sese designando. Tertium quod si Latinus vteretur forma Græcorum, nō baptizaret. *Innocent.* *Adrian.* *Sotus.*

Primum Innocentij dictum vtique verū est. Nam Græci non intendunt dicere baptizetur seruus Christi a me, alias pariter dicerent. Ego te baptizo, sed baptizetur seruus Christi ab ipso Christo; quare similiter dicere possent baptizet te Christus: neq; obstat illa forma per tertiā personam: Nā si per passiuum quis dicere potest baptizetur seruus Christi a Christo Iesu, vt intelligunt Græci, cur non poterit verbum vertere in vocem actiuam; præsertim cū in confirmatione Constantini Imperatoris, vt habetur in prologo ante synodum Nicenam vsus est Siluester illa forma. Signet te Deus sigillo fidei in nomine patris, & filij, &c. qua vtique ratione, & in sacramento pœnitentiæ absoluit te, vel absoluit te Christus vere absolueret, quamuis peccaret. Præterquam quod si expressio solius ministri sufficit exercentis actum, ego te baptizo, cur non sufficiat expressio Christi qui per suum ministrum baptizat.

Sed contra. hæc forma videtur excludere actionem ministri, quasi ipse non baptizet, quam equidem actionē Christus ministris tribuit dicens, baptizantes eos, &c. sicut & actionem remittendi peccata pariter adscribit tanquam ministris, Ioan. 19. Quorum remiseritis peccata, &c. ergo forma hæc non est legitima.

Præterea in verbo baptizo intelligitur non solum ablutio interior, verum & exterior illam significans, iuxta verbum D. August. Qua est ista virtus aquæ tanta &c. & contra literas Petilian. c. 49. Sacerdos, inquit, exterius tāgit corpus, Christus interius abluit, ergo necessarium est personā ministri, vel exprimere, vel subnotare, quod ea forma non contingit. *D. August.*

Respondetur quod vtraque ablutio fit a Christo per ministrum, & a ministro vice Christi, quare non solum est verum, quod Christus baptizat interius, sed etiam exterius. Nam cum Ioan. 3. affirmatum esset, quod Christus baptizaret, statim c. 4. declarat Euāgelista, quod ipse nō baptizabat, sed discipuli eius. baptizat ergo Christus exterius per discipulos, & vicissim internam gratiā mediante actione discipulorum infundit. August. ergo hoc dumtaxat vult dicere, qđ Christus per se quidē tangit cor, non aūt per se corpus. Breuiter igitur si quis in forma actionē ministri excluderet dicens, baptizet, vel abluat te Deus, vel Christus; quem ego nullatenus baptizo, aut quē ego non absoluo profecto non baptizaret, quia aduersaretur intentione Christi, & ecclesiæ, sed si illa non fiat exclusio sufficiens est forma exprimēdo solū Christum, qui intelligitur per suum ministrum baptizare, atque ita patet primum dictum Innocentij verum esse.

Secundum vero eius assertū falsum est quoniā ea forma dicendo nempe. Ego Petrus, vel ego sacerdos baptizo te, & baptizetur seruus Christi a me Petro in nomine patris &c. nihil sane de essentia formæ variatur, imo quamuis baptizans crederet illā esse necessariā formā, ita quod sine illa expressione ministri baptizantis forma nō esset sufficiens, illa ignorantia non tolleret veritatem sacramenti: quia licet esset cōtra scientiā ecclesiæ; potest tamen cum illa ignorantia stare legitima intentio faciendi, quod facit ecclesia.

Tertium et dictum eiusdē Innocentij, qđ est respō[illegible] ad dif-

Digitized by Google

ad difficultatem est falsum, & ideo merito ab Adriano loco supra relato reprehenditur. Nam cum ea seruantur quæ sunt de essentia sacramenti fit sacramentum, at in illa Græcorum forma ea omnia seruantur quæ sunt de essentia sacramenti, ergo ea vtens verum efficit sacramentum. Maior patet; & minor probatur, quia alias nec illis, nimirum Græcis, esset sacramentum, sed baptismus in illa forma apud Græcos est vere sacramentum; ergo & apud nos, si quis ea forma baptizaret, esset vere sacramentum: Nam quidquid est sacramentum apud aliquos, est etiam sacramentum apud omnes: quoniam ecclesia nequit formas apud diuersas particulares ecclesias quantum ad suam essentiam variare; atque adeo nec quantum ad hoc, quod teneat in vno loco, & non in alio, sed vbicunque exprimitur actus baptizandi cum persona baptizati, & inuocatione Trinitatis, vt habetur in Concilio Florentin. vbi supra fit baptismus, ergo &c. Nec caret tamen Latinus forma Græcorum vtens.

Sotus. Etsi quæras quo genere peccati? respondet Sotus vbi supra, quod re vera genere suo esset peccatum mortale; Nam postquam Ecclesia dicitur illos tolerare, signum est grauẽ esse errorem credentium nos perperam baptizare, atque adeo qui apud nos vteretur illa forma intendens illum errorem, grauissimo delinqueret peccato, quinimo si quis eumdem errorem non intenderet, sed pro libito suo vellet vti illa forma, vix posset propter scandalum, & suspicionem eximi a mortali, quamuis fortasse secluso scandalo (inquit Sotus) in secreto non esset grauius quam veniale; Nihilominus ecclesia grauiter sacerdotem ob suspicionem puniret.

Sed dubium est, an forma nostra sit conuenientior quã forma Græcorum. Pro solutione huius difficultatis supponendum est, primo vt de fide certum, formam, qua Græci vtuntur, esse sufficientem, nam licet multi dubitauerint de veritate baptismi, sub hac forma traditi, vt refert D. Tho. in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. quæst. 2. ad 1. adeo vt Alex. de Ales, 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. in fin. & Siluest. verbo Baptismus, primo, in fine dicant talem baptismum esse sub conditione iterandum, tamen post Concilium Florentin. certum est, illam formam esse sufficientem, & quidem merito: nam Ecclesia Græca habet vsum illius formæ antiquissimum. Vnde credibile est a Sanctis Patribus, & Episcopis Catholicis illum accepisse. Nam forma illa tradita est a sanctis congregatis in Concilijs, in quibus ordinata creduntur inspirata a Spiritu sancto. Neque est credibile totam illam ecclesiam caruisse vero baptismate, alioqui reliquis sacramentis omnibus, verisque sacerdotibus, ac Episcopis caruisset, quod est absurdum, & contra id, quod vniuersa Ecclesia Romana sentit. Nam quando Græci ab schismate ad obedientiam Romanæ ecclesiæ redeunt, nec baptizantur iterum, nec si Sacerdotes, vel Episcopi sint iterum ordinantur, ac consecrantur, sed in suo gradu, & ordine recipiuntur, ergo hæc omnia vere, & rite apud illos perficiuntur, atque adeo cum hæc omnia pendeant ex veritate, & sufficientia illius formæ baptismi, dicendum necessario est, illam formam esse sufficientem, & consequenter in illa contineri Christi institutionem, atque adeo in substantiali sensu esse eandem cum nostra.

D. Thom. Alexan. de Ales. Syluester.

Hoc supposito dico, quod forma nostra ab illa Græcorũ in tribus distinguitur. primum in expressione personæ baptizandæ, videlicet, vt ad quem dirigitur sermo, quia nos determinamus secundam personam, ipsi vero hoc determinant in tertia dicentes, baptizetur seruus Christi.

Secunda differentia est in expressione baptizantis: Nam in forma nostra baptizans exprimitur in prima persona determinando se; in forma vero Græcorum non determinatur, sed simpliciter, & indistincte dicitur, baptizetur seruus Christi, non a me, nec a te.

Tertia differentia est: quia nos vtimur verbo indicatiuo, ipsi vero vtuntur alio modo, vtpote optatiuo, vel deprecatiuo. Ratio autem huius diuersitatis est indeterminatio scripturæ: quia in forma baptizandi scriptura exprimit tres personas distincte, & ordinate; sed personam baptizantis, vel baptizati, & actum non sic determinate exprimit, sed innuit exprimendum dicens. Baptizantes eos &c. Quapropter patres, & Doctores sequentes, secundum diuersas considerationes formas diuersas instituerunt. Vnde Græci in exprimendo actum baptizandi, intelligere potuerũt, quod hoc fieret ad maiorem euidentiam significationis, atque adeo cum actus exercitus satis exprimat actum, qui fit ex parte nostra, voluerunt in actu baptizandi exprimere actum, qui fit ex parte Dei, sed quia ille non est a nobis, nec a potestate nostra, sed ab inuisibili operatore, ideo actum illum exprimunt in tertia persona, & sub modo deprecationis, vel optationis.

Et quoniam qui baptizatur frequenter caret intellectu, ideo non ad ipsum dirigunt sermonem, sed in tertia persona eum exprimunt, volentes per hoc etiam vitare schisma quod fuit in primitiua Ecclesia, vt diximus supra, & ideo dicunt. baptizetur seruus Christi, scilicet ab eo qui baptizat interius.

Latini autem considerauerunt, & intellexerunt, quod verbum baptizandi exprimitur in forma ad determinationem intentionis, & quoniam intentio melius exprimitur per verbum indicatiuum, & distinctius per primam, & secundam personam, quæ sunt certæ, & præsentes, & demonstratæ; ne intentio euagetur, ideo vtuntur hac forma. Ego baptizo te. Et iterum: quia indubitanter verum est hominem baptizari sub forma verborum præscripta, ad maiorem certitudinem fidei exprimendam verbo indicatiui modi, qui certioris, & plenioris est expressionis, & personis determinatis, scilicet prima, & secunda voluerunt, & debuerunt vti.

Ex his patet, quod conuenientiorem, & magis laudabilẽ formam tenemus nos Latini, quam Græci: præterea forma ista, qua nos vtimur, instituta fuit a Domino. Dominus. n. dans formam baptizandi insinuauit actum baptizandi debere exprimi actiue, & non passiue, dicens. Baptizantes eos, omnis baptizans debet his verbis vti, sicut Dominus instituit.

Rursus baptizantes vicem Domini gerunt in hac parte, & in eius persona baptizant, sed constat si Dominus ipse baptizaret hac forma vteretur, qua nos vtimur, & propter hoc forma hæc recta, & certa est. & indubitanter creditur, quod ab ore Domini per Apostolos ad Romanam ecclesiam fuerit deriuata; qua semper Christi instituta sine erroris fermẽto seruauit.

Vnde breuiter ad difficultatem dicendum est, quod licet expressio ministri non sit de essentia formæ quam determinauit Christus in baptismi institutione; sed bene expressio actus baptizandi, & personæ baptizandæ sunt de essentia formę, modus autem exprimendi minime. Vnde Græci personã qua baptizatur, exprimunt in tertia persona, & in nominatiuo casu, nos autem in secunda persona, & in casu accusatiuo. Actum baptizandi ipsi exprimunt per modum deprecatiuum, vel optatiuum, & in tertia persona. Nos autẽ per modum indicatiuum, & in prima persona, & quamuis, vt diximus, rationem habeant congruam, quare sic exprimant. Nos tamen nostri modi exprimendi rationem habemus conuenientiorem, præterquam quod modus noster exprimendi est tutior, quia traditus nobis a Sancta Romana Ecclesia, pro qua orauit Christus vt non deficiat fides eius, cum dixit Petro. Ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua Luc. 22.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc verba. Ego te baptizo in nomine patris, &c. sint forma necessaria necessitate sacramenti.

DVobus modis potest contingere error circa huius formæ necessitatem. Primus error est hæreticorum huius temporis (vt quidam referunt ex Breuiario, & alijs) qui negant hanc formam esse sufficientem nisi catechismus præcedat seu doctrina, quia baptizandus instruatur, quia Christus Dominus Matth. vltimo, antequam diceret. Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, præmisit, docete oẽs gentes, vnde colligunt illã doctrinã esse de essentia baptismi, nõ minus quam cætera verba. Sed hic error sufficienter refutatur ex eo, quod in sacramentis nouæ legis non est simpliciter necessariũ verbum concionatorium, sed consecratoriũ, vt optime ostendit Suar. tom. 3. disp. 2. sect. 3. Suarez.

Secundus error extreme contrarius esse potest hanc formam aliquid continere superfluum, aut substantiæ sacramẽti contrarium; hic error tribui potest Græcis, qui prout colligitur ex capit. vlt. de bapt. quod sumptum est ex Concilio Later. sub Innoc. III. capitulo quarto, qui aliquando ita adhærebant suæ formæ, qua dicũt, baptizetur N. seruus Christi in nomine patris &c. quod rebaptizare auderẽt Latinos Conc. Lat.

bapti-

Digitized by Google

baptizatos illis verbis: ego te baptizo &c. existimantes esse contra veritatem huius sacramenti, quod in hac forma exprimatur persona Ministri, & actus baptizandi pro ut ab illa procedit, quia per huiusmodi formam tribuitur hoc sacramentum Ministro tanquam authori eius. Refert & damnat hunc errorem Concilium Later. sub Innocen. III. c. 4. vbi non damnatur forma baptizandi Græcorum, quæ non differt à nostra quo ad substantiam, vt in Concilio Florent. sess. vltima declaratum est, sed damnatur error Græcorum, qui nostram formam damnare audebant sine vlla ratione vel causa.

Fuerunt etiam de hac forma non leues antiqui errores. Primus fuit quorundam, qui tempore Apostolorum baptizabant in nomine trium principio carentium, idest, trium patrum, vel in nomine trium filiorum, aut trium paracletorum, qui error refertur, & damnatur can. 48. vel 49. Apostolorum, vbi ita legitur: Si quis Episcopus aut Presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, sed in tribus sine initio principijs, aut in tribus filijs, aut in tribus paracletis, abijciatur.

Can. Apost.

Secundus fuit Marcinitarum, qui fuerunt discipuli cuiusdam Marci magicæ artis periti, qui circa tēpora Apostolorum fuit, de quo mentionem facit Irenæus lib. 1. aduersus hæreses. c. 8. & Eusebius lib. 4. Hist. eccles. c. 31. Hic Marcus inter aliquos, quos docuit errores, dixit quod is, qui in lege, & à prophetis prædicatus est Deus, non esset Pater Domini nostri Iesu Christi, qa ille, vt dicebat, notus esset, hic autem ignotus, quapropter ab hoc errore discipuli huius Marci procedentes sic baptisma conficiebant. In nomine ignoti patris, & in veritate Matris omnium, & in nomine descendentis Iesu, ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutum, huiusmodi hæretici etiam Gnostici sunt appellati.

Irenæus. *Eusebius.*

Tertius fuit Cataphrygum, & Paulianistarum, qui non baptizabant in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vt habetur 1. q. 1. cap. Paulianistę: quapropter in Cōcilio Niceno can. 19. præceptum, est vt cum ad ecclesiam catholicam aliqui ex illis redierunt, rebaptizarentur: qm̄ verā baptismi formam non tenuerunt. Idem testatur Innocentius I. in epist. 22. cap. 5. & Concil. Laodicense can. 8.

Innocentius I. *Concil. Laodicen.*

Quartus fuit aliquorum Arrianorum, qui batizabant in nomine patris per filium in spiritu sancto, refert Nicephorus lib. 13. c. 35. quemdam Epm̄ Arrianū noīe Deuteriū baptizare voluisse, sed diuino miraculo statim aquam euanuisse in detestationem Arrianæ hæresis, quam Episcopus ille prædictis verbis, formæque mutatione profiteri intendebat.

Nicephorus.

Alios item Arrianos non seruasse formam veram baptismi patet ex Concilio 1. Arelatensi can. 8. vbi iubentur interrogari Arriani cum ad Ecclesiam redeūt, sub qua forma verborum à suis baptizati sint: non enim eodem modo omnes baptizabant, multi quoque eorum catholicos rebaptizabāt, vt diuus August. testatur lib. de heresibus c. 49.

Concilium Arel. *D. August.*

Quintus error fuit quorumdam Eunomianorum, qui non baptizabant in nomine trium personarum, sed in domini morte, vt refert Socrates lib. 5. cap. 23. Hic error refertur, & damnatur in can. 50. Apostolorum, vbi ita legitur. Si quis Episcopus aut Presbyter nō trinam mersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus in morte mea baptizate, sed Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, &c. Verum quod ibi dicitur de trina mersione, non est sic accipiendū vt sine ea verus baptismus esse non possit, quātum siue semel, siue bis, siue ter mergat verus erit baptismus, si reliqua ad baptismum necessaria adsint, vt infra explicabimus. Horum omnium errorū nullum aliud potest esse fundamentum; nisi hoc solum, quod vnusquisque hæreticus iuxta suam falsam fidem, baptismi formam sibi confingebat.

Socrates. *Can. Apost.*

Præter hos errores, fuit aliquorum veterum sententia, qui dixerunt non esse de necessitate huius formæ explicitam trium personarum inuocationem, sed satis esse implicitam, qualis in hac forma continetur. Ego te baptizo in nomine Christi, de cuius probabilitate erit sermo infra in hac q. art. 11. Vnde pro explicatione huius difficultatis obser. est, quod si subtrahitur aliquid de essentia formæ non remanet baptismus. In hac autem forma duæ partes considerari possunt, prima est expressio, seu inuocatio sanctissimæ Trinitatis. s. in nomine patris, & filij, & spiritus sancti; secunda est expressio actus baptizandi, & personæ baptizatæ, eo quod ad illam terminatur baptizandi actus. s. ego te baptizo; In prima exprimitur principalis baptizās, & sanctificatur elementum, atque adeo tota illa pars est de essentia formæ, vnde si de hoc subtrahatur aliquid non remanet virtus baptismi. In secunda autem parte sunt aliqua pertinentia ad essentiam formæ, s. expressio actus baptizandi, & personæ baptizatæ, vnde si aliquid eorum subtrahatur, non remanet baptismi virtus, expressio autem Ministri non videtur de essentia forma, quam Christus tradidit in baptismi institutione, quia à Ministro baptismus nō habet virtutem. Vnde Græci personam Ministri non exprimunt, & tamen vere baptizant. exprimimus tamen in baptizando personam Ministri ecclesiæ authoritate ad maiorem expressionem. Vnde si baptizans eam non exprimeret nō propter hoc tolleretur virtus baptismi, sed grauiter peccaret: quia institutio ecclesiæ obligat baptizantem.

Secundo obser. est, quod in ista forma Ego te baptizo in nomine patris, & filij, &c. quædam sunt verba minus principalia, & sunt illa in quibus explicatur Minister baptizās, persona baptizata, & actus baptizandi; quædam vero sunt verba principaliora, vt sunt illa, quibus explicantur diuinæ personæ. s. in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Vnde loquēdo de verbis minus principalibus sit prima Cōclusio.

De necessitate sacramēti est necessario exprimenda persona quæ baptizatur, & actus baptizandi. Probatur, quia sic exprimitur Marci vlt. per illa verba Baptizantes eos, nam illud participium baptizantes, explicat actum baptizandi; & illud pronomen eos personam quæ baptizatur, hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. e. & est de fide, quam insinuat Concilium Florent. in decreto Eugenij illis verbis, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum; sentit ergo vtrumque esse necessarium. Clarius Alex. 3. in c. 1. de bapt. vbi sic inquit. Si quis puerū in aqua immerserit in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non est puer baptizatus, est ergo necessaria prolatio illius verbi, baptizo, quatenus per illud exprimitur, seu significatur actus baptizandi; & eadē est ratio de persona qua baptizatur, nā illum fuisse sensum illorum verborum Christi. s. baptizantes eos, docuit traditio, & usus ecclesiæ; & ita in vtraque forma tam Græcorū quam Latinorum hoc obseruatum est. Est autem personæ baptizatæ necessaria expressio, tum quia non potest actus baptizandi practice significari, vt hic, & nunc in particulari exercitus, nisi aliquo modo exprimatur persona, cui applicatur baptismus. Nam si tantum diceret Minister. Ego baptizo in nomine patris, &c. nec significaret determinatum actum baptizandi, (determinatur .n. à subiecto, cui applicatur) nec satis indicaret actum prout hic, & nunc exercetur. Tum etiam ut in forma indicetur distinctio, quæ necessaria est inter baptizantem, & baptizatum, sicut inter generantem, & genitum, prout dicitur in cap. Debitum, extra de bapt.

Prima Cōclusio. *Concil. Florent.*

Secunda Conclusio. Non est de necessitate sacramenti, quod exprimatur persona baptizans, hoc est, persona Ministri, & est certa Conclusio, quæ probatur, nam in primis constat non esse necessarium exprimere personam Ministri per illud pronomen ego, patet quia pronomen ego includitur in illo uerbo primæ personæ baptizo, ex quo sequitur, quod si aliquis diceret baptizo te, quamuis non diceret Ego, uere baptizaret. probatur quoniam in uerbis Christi Matt. ultimo non exprimitur Minister. Item Græci uere baptizant, & tamen in sua forma non exprimunt personā Ministri; dicunt .n. baptizetur; & potest sic ratio confirmari, quod est de necessitate sacramenti ubique est necessarium, sed apud Græcos non est de essentia baptismi exprimere personam Ministri per illud pronomen ego, ergo nō est de essentia sacramenti apud aliquem; minor patet, quia Græci uere baptizant, & maior probatur: quia sacramentum est idem apud omnes, ergo quæ sunt de essentia sacramenti, sunt eadem apud omnes.

Secūda Cōclusio.

Confirmatur secundo ex c. Retulerunt de Consecrat. d. 4. ubi Zacharias Papa respōdet, quod ille qui baptizat dicendo, baptizo te &c. uere baptizat, & tamen non ponebat illud pronomen ego in forma baptismi, ergo non est de es-

sentia

sentia sacramenti, peccaret tamen Minister Latinus, qui non diceret, ego te baptizo, quoniam non obseruaret formam ab Ecclesia traditam, an autem peccaret mortaliter: dicit Sotus quod non, nisi fortasse graue suboriretur scandalum, quod raro, vel nunquam contingeret.

Sed contra primam Conclusionem arguitur. Christus Dominus Matth. vlt. exprimens formam baptismi non expressit istam: Ego te baptizo &c. sed baptizantes &c. ergo hæc non est expressa forma baptismi. consequentia probatur, quia forma sacramentorum habetur a Christo qui instituit sacramenta. Contra secundam arguitur ex cap. Si qs de Bap. & eius effectu, vbi Alexander 3. inquit. Si quis puerum ter in aqua immerserit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen, & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris &c. non est puer baptizatus. ergo de necessitate sacramenti est exprimere Ministrum per illud pronomen ego.

Ad primum dico, quod Christus expressit ea verba formæ, quæ exprimunt actum baptizandi, personam baptizatam, & tres personas sanctissimæ Trinitatis, in quarum nomine baptisma confertur, fuit autem in potestate Ecclesiæ determinare, quibus verbis secundæ vel tertiæ personæ indicatiui, vel optatiui modi exprimerentur, & ille, qui sacramentum suscipit, & ipse actus baptizandi, & quidem Ecclesia Latina elegit exprimere suscipientem in secunda persona, & actum per verbum indicatiui modi, idq; rationabiliter, vt ostenderet Ministrum vere conferre sacramentum Ecclesia autem Græca aliter elegit, & rationabiliter pro tẽpore illius schismatis vt supra dictum est, vt tolleretur schisma gloriantium de Ministris baptizantibus.

Ad secundum dico, quod ibi Papa solum determinat, ꝙ de necessitate sacramenti est exprimere actum baptizandi aliquo modo, non tamen quod sit de necessitate sacramenti exprimere actum baptizandi per illa verba: Ego te baptizo, adeo quod non ponit Pontifex vim in pronomine ego, sed in actu baptizandi, qui necessario est exprimendus. colligitur autem hanc esse Pontificis sententiam, quoniam ab eo non petebatur vtrum pronomẽ ego esset de essentia formæ; sed vtrum sufficeret baptizare puerum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti sine expressione actus baptizandi; colligitur,
Glossa. secundo ex Glossa illius cap. quæ sic exponit textum, ex cap. Retulerunt, vbi dicitur. Si quis ita dicit Baptizo te in nomine Patris, & Filij, &c. baptizatus est: quia ex quo baptizare intendit, & pronomen ibi non ponitur. colligitur tertio ex vsu Ecclesiæ, quæ non rebaptizat Græcos, qui ad obedientiam Latinæ Ecclesiæ redeunt. qui tamẽ vt dictum est, in forma baptismi Ministrum non exprimũt.

3. Conclusio Tertia Conclusio. Non est de necessitate sacramenti, quod actus baptizandi exprimatur verbo indicatiui modi, dicendo baptizo, neq; est de necessitate sacramenti quod persona baptizata exprimatur pronomine secundæ personæ. s. re. Probatur, Græci vere baptizant, vt patet ex Concil. Flor. supra citato, & tamen non exprimunt actum baptizandi per indicatiuum, neq; personam baptizatam per pronomen secundæ personæ, vt patet ex forma illorum; ergo neutrũ est de sacramenti necessitate, ex quo infertur, quod si aliquis Latinus vteretur forma Græcorum verum conferret baptisma, quamuis peccatum admitteret contrauenens Ecclesiæ præcepto, vt diximus supra. istę conclusiones sunt Scoti vbi supra, & in responsione ad 2. & 5. principale.

Sed contra hanc tertiam conclusionem arguunt quidam ex cap. supra citato. primo de baptismo, & eius effectu, si qs puerũ in aqua immerserit &c. quibus verbis affirmat puerum non esse baptizatum, nisi Minister dixerit ego te baptizo, ergo videtur quod actus baptizandi exprimi debeat indicatiuo modo, & persona baptizata per illud pronomen secundæ personæ te. Dico dictum Alexandri 3. intelligendum esse ita nimirum, quod quantumlibet quis ter mergatur in aqua non credatur baptizatus, etiam si talis immersio sit facta in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nisi cum hoc etiam exprimatur actus ipse baptizationis. siue autem exprimatur actus ipsius baptismi in indicatiuo modo, siue in optatiuo, de hoc nõ definit ibi Põtifex: quia nec de illa re quæstio ibi agebatur; ad quod maxime aspiciendum
D. Hilarius est. Quoniam B. Hilarius dicit ex circumstantia scripturarum pendere sæpe numero verum illarum sensum, quod si verba illa essent omnino exacta, & necessaria, vt a Pontifice ibidem describuntur, esset etiam necessario illud pronomen semper exprimendum, quod haud esse necessarium supra ostendimus ex Glossa & ex cap. Retulerunt, & quod dictum est de verbo exprimente actum, idem est dicendũ de pronomine exprimente personam.

ARTICVLVS V.

Vtrum sit res licita variare formas Sacramentorum.

IN hoc art. agimus de variatione formæ, quæ attẽditur ex parte intentionis Ministri. Nam in mutatione formarũ Sacramentorum duo possunt considerari, vnum ex parte mutantis, aliud vero ex parte formæ mutatæ, & quidem ex parte mutantis consideratur intentio, quam habet in tali mutatione, an videlicet intendat errorem aliquem inducere; ex parte vero formæ, quæ mutatur, consideratur sensus, quem faciunt verba mutata, an videlicet tollatur debitus sensus verborum formæ.

Quocirca obser. est primo, quod tribus modis potest se habere Minister in hac mutatione, primo vt bona fide operetur nullam existimans mutationem efficere, sed ex imperitia ita corrumpat, vel mutet verba: quia putat ita solere proferri, quod etiam potest contingere ex naturali linguæ impedimento, vt si non possit aliter verba proferre, & in hoc casu loquitur Zacharias Papa, vt videbimus infra. *Ministertribus modis potest se habere in mutatione formæ sacramentorum.*

Secundo fieri potest, vt Minister sciens, & videns voluntarie faciat huiusmodi mutationes, non animo introducendi nouum ritum, sed vel ex indiscreta deuotione, aut potius superstitione, vel ex alio vano motiuo.

Tertio modo fieri potest, quod Minister non solum ex certa scientia mutationem efficiat, verum etiam per eam intendat nouum ritum & errorem in Ecclesia introducere.

Secundo obser. est, quod in Ministro cuiuslibet sacramẽti requiritur necessario intentio faciendi, quod facit Ecclesia ita quod si proferat debitam sacramenti formam, & non habeat Ecclesiæ intentionem nullum erit sacramentum; ex quo infertur quod si in forma sacramenti aliqua fiat a Ministro mutatio, cum qua mutatione non possit stare intentio Ecclesiæ, nullum erit sacramentum. *In Ministro requiritur necessaria intentio.*

Tertio obser. est, quod est regula generalis in omnibus sacramentis, quod si minister habeat intentionem faciendi sacramentum, quamuis sciens & videns aliter proferat verba, quam communiter proferri solent in Ecclesia, ita tamen vt in eis non mutetur sensus verborum mutationem esse accidentalem atq; adeo sacramentum esse validum, licet in ea actione minister peccet vt infra videbimus, ita sentiunt omnes Theologi, & ratio est: quia iuxta Conc. Florent. omne sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & ministro debita intentione operante, quibus concurrentibus necessario fit sacramentum. *Regula tenenda.*

His obseruatis sit prima Conclusio. si Minister bona fide operetur, nullam existimans mutationem efficere, sed ex imperitia corrumpat, vel mutet verba, verum efficit sacramentum. probatur ex cap. Retulerunt, vbi Zacharias Papa dicit illam corruptionem formæ baptismi: In nomine Patrias, & Filias, & Spiritu sancta non esse contra substantiam sacramenti, si ex ignorantia facta sit. 1. Conclusio

Secunda Conclusio, si Minister sciens, & videns non animo inducendi nouum ritum, sed vel ex indiscreta deuotione, vel potius superstitione, aut ex alio vano motiuo formã sacramentalem mutet, ita tamen quod non mutetur sensus verborum formæ, verum efficit sacramentum. probatur. sacramẽtum tribus perficitur. s. materia, forma, & ministro debita intentione operante; sed in eo casu omnia ista concurrunt, nam supponimus adhiberi veram materiam, & ministrum habere intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, & ex parte formæ non est defectus essentialis, quia manẽt verba cum eodem sensu, (vt etiam in casu supponitur.) ergo verum efficitur sacramentum. 2. Conclusio

Tertia Conclusio. quamuis Minister sacramenti per mutationem formæ intendat inducere errorem, dum tamen intendat id facere, quod Ecclesia facit, & mutatio non sit tanta, quin legitimus formæ sensus seruetur sacramentum erit verum, & ratum: patet nam tunc cuncta seruantur, quę sunt de substantia sacramenti. Græci namque quam conficientes in fermentato errant, tenentes quod sic Christus confecerit, & quod in azymo non liceat conficere, & tamen vere conficiant, ergo idem erit de mutatione formæ si maneat 3. Conclusio

Digitized by Google

neat illius legitimus sensus.

Præterea hæretici semper in illo versantur errore, quod sua Ecclesia sit vera, & Catholica, cuius quidem Ecclesiæ intentionem habent dum sacramentum conficiunt, & tamen si secundum veritatem proponant in genere facere, quod facit Ecclesia Christi, vere sacramentum conficiunt, sicut Lutherani v.g. quamuis credant Christum non esse in sacramento altaris si tamen consecrantes id facere intendat, quod vera Christi Ecclesia profitetur, vere quidem consecrant. Nam esto quod Minister intendat introducere nouũ ritum, Ecclesiæ contrarium, potest tamen intendere facere sacramentum iuxta Ecclesiæ Christi intentionem: quoniã hæ duæ intentiones non sunt contrariæ, probatur hoc inductione siue exemplis. Nam Græci intendunt plures ritus vt essentiales, qui re vera non sunt necessarij, putant enim panem fermentatum esse de essentia Eucharistiæ, & similiter verbum illud, quod pro vobis tradetur, esse de essentia formæ, qua corpus Domini consecratur, & illã formam baptismi. Baptizetur seruus Christi, ita vt in ea non exprimatur persona ministri, esse essentialem; & hæc non obstant quo minus & intendant facere sacramentum a Christo institutum, & re vera faciunt quia in re ipsa vera materia, & vera forma vtuntur. Similiter Donatistæ intendebant de necessitate sacramenti esse, vt Minister sit fidelis vel iustus, & hunc ritum volebant in Ecclesia introducere, & nihilominus verum baptisma conficiebant, vt D. August. contra illos scribens tamquam indubitatum vbiq; supponit. Rursus inter catholicos sępe est quæstio, an aliquod verbum sit de essentia sacramenti necne, vt v.g. in forma sanguinis de verbis illis, qui pro vobis, & pro multis &c. si quis ergo opinetur esse essentialia, & hoc modo intendat illis conficere sacramentum, quamuis contingat re ipsa non esse de essentia, non propterea non conficiet, quia illa priuata opinio, & intentio non excludit absolutam, & generalem intentionẽ conficiendi, sicut Christus instituit, & alioquin non impedit, quo minus sufficiens materia, & forma applicentur.

D. August.

Item formæ sacramentorum & eorum ministri habent virtutem ex institutione Christi, & non ab Ecclesia, ergo q mutat sacramenti formam etiam animo inducendi errorẽ, vtendo tamen forma sufficienti, ea.s. in qua licet mutata sit uetur legitimus formæ sensus, & cum intentione faciendi quod Ecclesia facit, & Christus instituit, verum conficit sacramentum.

Quarta Conclusio. Si minister habuerit animum inducẽdi errorem, ita vt illum inducat in forma, qua confert sacramentum, nullum conficit sacramentum. patet, quia tūc forma non est sufficiens. cum non habeat eundem sensum cũ forma consueta & instituta. hæc cõclusio est definita in can. supracitato Retulerunt de consecr. d.4. vbi Zacharias Papa dicit, quod si ille sacerdos baptizãs: In nomine Patria, & Filia, &c. voluit inducere errorem, aut hæresim non valebat baptismus, quia tunc non seruaret Ecclesiæ intentionem, cũ Ecclesia non intendat baptizare nisi In nomine Patris, & Filij &c. hæc concl. est communis sententia omnium Theologorum, Alex. de Ales. p.4. q.8. m.3. art.3. D. Thomæ 3. p. q. 60. art.7. ad 3. D. Bon. in 4. d 3. p.1. art.2. q.2. ad 4. Richar. art. 2. q.3. ad 5. & Scoti hac d. & q. sub litt. F.

4 Conclusio

Alex. de Ales. D. Thomas. D. Bonau. Richardus. Scotus.

Ceterum aliqui existimant tertiam conclusionem esse cõtra Doct. sub. quia loco proxime relato dicit, quod si formã varians intendit vti verbis illis, quibus vtitur variando formam, tamquam forma Ecclesiæ, quod est dicere clatiorib. verbis, si aliquis variando formam intendat ducere populum in errorem, nullum confert sacramentum. & D. Tho. loco supra citato idem asserere videtur, vbi ait, quod ille, q de industria corrumpit verba sacramentalia, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia, ac proinde neq; videtur conficere sacramentum, & eadem q. att.8. dicit S. Thomas, quod ille qui intendit per mutationem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perficere sacramentum, quia non videtur habere intentionem Ecclesiæ.

Verum enimuero, neq; Scotus, neq; D. Thomas videntur mihi negasse, quin vbicumq; interfuerit intentio faciẽdi, quod facit Ecclesia, & legitimus sensus verborum formæ seruetur, vere perficiatur sacramentum. Cum hæc sit constantissima veritas, quam D. August. contra Donatistas vbiq; confirmat, & præcipue lib.6. de Bapt. contra illos. c.25 & refertur de consecr. d.4. cap. Si non sanctificatur: aut enim baptismum Christi, idest verbis Euangelicis consecratum, vbiq; cum dem esse, ideoq; ab hæreticis baptizati, rebaptizandi non sunt. Vnde in Concil. Florent. vt supra est relatũ, decretum est tribus sacramentum perfici, s. rebus tanquam materia, & verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Augu.

Concil. Flo.

Quod vero Scotus tertiæ conclusioni non sit contrarius, inde facile colligimus: quia ipse dixit, quod varians formã intendens inducere errorem nullum confert sacramentum, eoq; illi deficiat intentio vtendi forma Ecclesiæ, & per consequens non videtur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia; hoc est enim quod Scotus sentit in verbis supra citatis rectè intellectis. Negat namq; ob id sacramentum perfici, quia non adest Ecclesiæ intentio, ergo a contrario sensu si illa adesse constaret, etiam hæreticus verum perficeret sacramentum, dummodo seruaret formæ legitimũ sensum: simili modo videtur intelligẽdus S. Thomas, cum in vtroq; loco supra citato propterea negat perfici sacramẽtum, quia Ecclesiæ intentio non videatur adesse; Aliud est igitur cum quis hæresi, vel errore infectus est, sacramentũ ministrare; aliud vero in ipsa administratione suum errorẽ interserere; Vnde licet esset hæreticus Arrianus qui crederet filium Patre minorem, si tamen id non poneret in forma, sed intenderet id, quod Ecclesia intendit, & baptizando nostra vteretur forma, verum conferret sacramentum; ceterum si in forma errorem suum poneret, non baptizaret: qa coherere nequeunt, vt quis dicens, baptizo te: In nomine Patris, & Filij minoris, quod tunc habeat intentionem Ecclesiæ, illiusq; confessionem profiteatur. sic in Concil. Trid. sess.7. can.4. de baptismo dicitur. Si quis dixerit baptismũ, qui etiam datur ab hæreticis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia non esse verum baptisma, anathema sit.

Conc. Trid.

Similiter si hæreticus Lutheranus vel Caluinista credẽs corpus Christi non re, sed in figura esse in sacramento altaris, intendens errorem illum dicerct. Hoc quodammodo est corpus meum; certe non consecraret: quia Ecclesiæ intẽtioni aduersatur: Nam Minister qui intendit introducere errorem Ecclesiasticæ traditioni contrarium, non potest in tendere facere quod facit Ecclesia; secus si nostra vteretur forma id intendens, quod Christi Ecclesia intendit. Tunc enim vere conficeret. Alias sequeretur, quod nullum sacramentum ab hæretico perfici posset, quia nullus habet intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, a qua discedit, cum putet illam errare. Potest tamen habere intentionem faciẽdi id quod Christus fieri instituit, & facit Ecclesia Christi, & hoc sufficit, idque tenent communiter omnes Theologi, vt Palud. hac d. q.1. & Adrian. in 4. in materia de baptismo. Alphons. a Castro contra hæreses lib.3. verbo Baptismo hæresi.6. & lib.6. verbo Eucharistia hæresi.2. & alij doctores.

Palud. in. Adri. aut. Castro.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sit de essentia formæ Baptismi ponere in singulari illam particulam in nomine.

Diximus in forma baptismi esse quædam verba minus principalia, vt porte quæ explicant ministrum baptizantem, personam baptizatam, & baptizãdi actum, vt sunt ista, ego te baptizo, quædam principaliora, vt sunt illa, quib. explicantur personæ Trinitatis, diuinæ, nempe: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de quibus in sequentibus erit sermo, an præcise necessariæ sint ex parte sacramenti, ita quod si contingat in prolatione eorum mutatio aliqua, sacramentum sit nullum.

Pro cuius explicatione notat Doct. sub. in hac q. sub litt. F. §. Ad cuius intellectum &c. quod secundum Arist. 5. Phy. t.7.9. & 18. quadruplex est mutatio, videlicet, secundũ substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi. Similiter ergo in verbis prædictis potest fieri quadruplex variatio, nempe secundum substantiam, alia verba proferendo pro illis, vel aliud verbum pro isto. Secundo penes quantitatem, addendo scilicet vel subtrahendo, apponendo, vel post ponendo, vel interponendo. Tertio secundum qualitatem auferendo aliquam requisitam terminationem ad cõgruam locutionem. Quarto secundum vbi, ipsa verba transponendo.

Arist. Mutatio est quadruplex

Prima

Mutatio secundum substantiam bifariam fieri contingit. Prima mutatio secundum substantiam potest fieri dupliciter, vno modo si ponatur alia vox idem significans,& sub eadē ratione,vt si loco patris poneretur Abba, quod apud Hebræos idem significat,vel alia vox habens aliud significatum simpliciter,& hoc dupliciter,vel omnino disparatū, vt si loco patris poneretur lapis,vel significās idē in re, sub alia tamen ratione, & hoc dupliciter, vel quia exprimit tres personas distinctè, & explicitè sub alijs tamen rationibus significatas, qua significentur per hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus sanctus , vt si loco eorum poneretur genitor,genitus, & Spiratus; ista enim nomina significant personas sub ratione proprietatum;nō autem sub ratione subsistētium,& hypostasium;vel qua significat implicite tres personas,& hoc dupliciter,vel tamquam in toto collectiuo,quomodo significat eas hoc nomen Sancta Trinitas,vel vt in quodam importante personas per correspondentiam effectus ad causam,& sic importantur per hoc nomen Christus. Hoc enim nomen significat filium , secundū naturam humanam,qui vnctus est,& dat intelligere patrē a quo vnctus est,& Spiritum sanctum,quo vnctus est. Potest itaq; fieri variatio secundum substātiam quinq; modis: primo ponendo aliud nomen secundum vocem tantum, sed idem penitus significans. Secundo ponendo aliud nomē aliud habens significatum omnino disparatum. Tertio ponēdo nomina significantia tres personas non sub ratione personarū & hypostasium,sed sub ratione proprietatum vt sūt ista nomina genitor,genitus,& spiritus. Quarto ponendo nomen significans tres personas collectiue, vt istud nomen Trinitas. Quinto,& vltimo ponendo nomen connotās personas secundum habitudinem effectus ad causam, vt hoc nomen Christus,& de singulis erunt singulæ difficultates.

Sed primo examinandū est an sit de essentia baptismi ponere in singulari illam particulam in nomine. Pro cuius resolutione obser.est,quod hæc particula in nomine duplicē habet significationem:primo idem significat, quod in fide, vt inquit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis. p. 6. c. 1.& ratio est,quia nomen idem est quod fama; fama vero est opinio quæ habetur de aliquo;opinio autem, quam nos habemus de Deo est fides. Inde nomen in proposito idē est quod fides. Secundo idem significat quod in virtute, in authoritate, & potestate vt Mar. vlt. dicitur. In nomine meo dæmonia eijcient. &c. & hoc modo accipitur nomen sæpius in scriptura vt in psal. 53. Deus in nomine tuo saluū me fac,& in psal. 19. Nos autem in nomine Domini inuocabimus, & hoc modo id quod legatus Papa facit in eius potestate,aut ordine dicitur fieri in nomine Papæ.

Secundo obser.est,quod de essentia huius formæ est, vt in ea non solum Trinitas personarum,sed etiam naturę vnitas significetur,quod fit per particulam illam in nomine, q; colligitur ex verbis Christi adiuncta Ecclesiæ & Sanctorū intelligentia: non.n. sine mysterio existimatur dixisse Christus in nomine,& non in nominibus,sed vt indicaret vnam esse trium personarum virtutem substantiam & maiestatē, quæ vno illo nomine significatur. Vnde D. Hier. Matt. 28. *D. Hieron.* Baptizantes,inquit,in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt quorum vna est diuinitas,vna sit largitio,nomenque Trinitatis vnus Deus est,& clarius super ad Ephes. 4. circa illa verba,vnus Dominus,vna Fides,vnum Baptisma. Nō baptizamur,inquit,in nominibus Patris,& Filij,& Spiritus sancti,sed in vno nomine,quod intelligitur Deus. Eodē modo D. August. contra Maxim. cap. 32. In nomine,inquit, *D. August.* non in nominibus, quia hi tres vnum sunt, & hi tres vnus est Deus. Diuus Ambrosius. 2. de sacramen. cap. 7. In vno *D. Ambros.* nomine baptizare nos iussit dicens. baptizantes eos,in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti; Noli mirari quia dixit vnum nomen, vbi est vna substantia, vna diuinitas, vna maiestas. Idem late atq; ex professo docet lib. 1. de Spiritu sancto c. 14. ex hoc & alijs scripturę locis ostendens vno triū personarum nomine, vnam dominationem significari, & *Gaudentius.* Gaudentius trac. 14. de promissione paracleti sic scribit. Cū baptismi opus in Trinitate decerneret celebrandum , nō ait in nominibus,sed in nomine, Pater enim Deus est,& Filius Deus est,& Spiritus sanctus Deus est,sicut Sanctarū Scripturarum testimonijs dilectioni vestræ sæpius approbaui, ac propterea vnum est Trinitatis nomen,cuius vna virtus, atq; diuinitas permanet in omnia sæcula. Ratio vero est,qa non minus est de necessitate salutis vnius diuinitatis, quam trium personarū professio,nec potest esse vera , ac perfecta huius mysterij professio sine fide huius diuinitatis.

His obseruatis sit hæc conclusio. Hæc forma; Ego te baptizo, in nominibus Patris,& Filij,& Spiritus sancti nō est sufficiens ad hoc sacramentum constituendū. Hæc conclusio est contra Marsilium,in 4. q. 3. art. 4. dicentem , quod si aliquis ex ignorantia diceret in forma baptismi in nominibus credendum est,quod esset baptismus , si autem ex certa scientia id faceret certum est,quod non esset sacramentum. Nihilominus nostra Conclusio certa est, quam communiter tenent omnes Theologi,& probatur,quia per talem mutationem destruitur vnitas formæ, ergo nullum erit sacramentum,consequentia patet,& antecedens probatur ex vtraq; significatione illius particulæ in nomine;quia siue significet fidem,siue potestatem,falsum erit dicere in nominibus:quia non est nisi vna fides,& vna potestas diuina, atque adeo si quis baptizaret, In nominibus Patris , & Filij, & Spiritus sancti,accederet ad errorē Zuinglij qui (vt refert Ioānes Echius hom. 10. de baptismo) baptizabat in nominibus Patris,& Filij,& Spiritus sancti, qui est manifestus Arrianismus. Nomen enim potestatem, & authoritatem significat in scriptura. Mar. vlt. In nomine meo dæmonia eijcient, &c.& Ioa. 5. Ego veni in nomine Patris mei: vt autem est vna Deitas trium personarum, ita vnum nomen,vna virtus,vna potestas. *Conclusio.* *Marsilius.* *Echius.*

Et confirmatur. Nam si per vocem illam in nominibus indicetur tantum ipsa nomina relatiua,seu proprietates triū personarum,quamuis non admitteretur potius error in forma taceretur tamen mysterium vnitatis trium personarū in Deitate,& ita non sufficienter explicatur in hac forma fides vnius Deitatis in tribus personis: Si aurē vox illa in nominibus indicet absolutum nomen,seu perfectionem,continebit forma error vnitati Dei contrarium,atq; eadem ratio est de quacumque simili mutatione , vel additione facta huic formæ,ratione cuius aut inæqualitas inter personas,aut distinctio in natura significetur.

Si quis autem loco illius vocis, in nomine, diceret in virtute,vel aliquid simile,quo vnitas in natura trium personarum significetur forsasse forma esset valida : quia res significata videtur esse eadem quamuis vocibus diuersis: grauiter tamen peccaret,& non careret forma aliqua dubitatione: quia illæ voces non sunt omnino synonymæ:nam illud in nomine,plus cōplecti videtur, quam si dicas in virtute , vel in maiestate,vel Deitate Patris,&c nam hoc totum illa voce comprehenditur,& præterea inuocatio, & professio fidei vnius Dei,atque Trini.

Et si dicas si aliquis baptizaret,& diceret, Ego te baptizo in nomine Patris,& in nomine Filij,& in nomine Spiritus sancti,verus esset baptismus,ergo si diceret , In nominibus Patris,&c. antecedēs patet,quia ibi nihil ponitur repugnās vnitati formæ, non enim multiplicatur fides, potestas, vel maiestas aut Deitas,sicut dicendo Pater est Deus,Filius est Deus,Spiritus sanctus est Deus,non multiplicatur Deitas. consequentia probatur, quia nomen in singulari pluries repetitum æquiualet plurali,ergo si possumus dicere , in nomine,& in nomine,etiam dicere possumus in nominibus.

Respondetur negando consequentiam,&c ad probationem dico falsum esse antecedēs in nominibus essentialibus Dei, & ratio est,quoniam cum essentia diuina sit vna,quando in singulari repetitur pluries,vt dicendo Pater est Deus, Filius est Deus,Spiritus sanctus est Deus , non significamus quod sint plures essentiæ, sed quod sit vna pluribus communicata,si autem in plurali sumatur essentia, iam significarentur plures essentiæ. Ad propositum ergo dico , quod potestas,quæ significatur per illam particulam in nomine , est essentialis,& ideo quando in singulari dicimus,in nomine,& in nomine, significamus,quod eadem est potestas in tribus personis, quando autem dicimus in nominibus,significamus plures potestates,quod est falsum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum variatio formę per terminos synonimos destruat Sacramentum.

IN hoc art. non solum loquimur de verbis principaliorib. sed etiam de verbis minus principalibus, atq; adeo dubium est primum, vtrum illud verbum baptizo, possit mutari in aliud, vt dicendo, ego te abluo , vel intingo , vel immergo

Ale. d Ales. mergo, de qua re duplex est opinio, prima Ale. de Alès p. 4. q. 8. m. 3. art. 3. §. 1. in quæst. de immutatione, & variatione formæ, quem sequitur Gabriel. d. 3. q. vnica art. 3. dub. penultima; & Glossa super cap. Multi, de consecra. d. 4. qui dicit, quod si verbum baptizo mutetur in aliud non erit baptismus. Fundamentum huius opinionis est, quia nomina & verba, quę ponuntur in sacramentis, non possunt mutari in alia, quæ non significent idem, & eodem modo; sed hæc verba abluo, intingo, & immergo, non significant idem, quod baptizo, & eodem modo, ergo verbum baptizo non potest mutari in illa: minor probatur, quia illa verba significant quamcumque ablutionem, baptizo autem solum significat ablutionem sacramentalem. *Gabriel.* *Glossa.*

Caiet. Secunda opinio est Caiet. 3. p. q. 60. art. 7. qui non solum dicit, quod verbum baptizo mutari potest in verbum abluo, quinimo inquit, audeo dicere minoris curæ fuisse, hoc verbum baptizo introducere apud Latinos, quoniam si diceremus ego te abluo, melius intelligeret populus, quod importat baptismus. (In hoc tamen libere magis, quam cōueniat loquitur Caiet. contra ecclesiam vniuersalem) eamdem opinionem sequitur Sotus d. 3. q. vnica art. 5. ad 1. & Suarez tom. 3. disput. 2. sect. 4 & disp. 21. sect. 2. Quæ opinio mihi etiam videtur verior, & probabilior, & probatur primo, illud verbum baptizo præcise ponitur ad significādum actum baptizandi, sed actus baptizandi significatur eodem modo per illud verbum abluo, sicut per illud verbum baptizo, ergo erit verus baptismus, maior patet, & minor probatur: quia baptismus est ablutio, atqui ablutio ita vere explicatur, per verbum abluo, sicut per verbum baptizo, ergo vera est minor. *Sotus.* *Suarez.*

Præterea non minoris necessitatis est exprimere personam baptizatam, & diuinas personas, quam actum baptizandi, sed diuersimode exprimi potest persona baptizata, vt patet, atque etiam personæ diuinæ possunt nominari nominibus diuersarum nationum, ergo verbum baptizandi, qui explicatur per verbum baptizo, poterit per alia verba explicari.

D. Hierony. Et confirmatur: quia D. Hieronymus super Matth. pro verbo baptizantes, semper legit intingentes, ergo si verbum baptizo mutetur in verbum intingo, nihilominus erit verum sacramentum: probatur consequentia: quia ex D. Hieronymo idem significant. Ad hæc cum Apost. ad Ephes. 5. baptismum appellet lauacrum aquæ, nullus recte dubitare potest, quin pro baptizo dicere liceat lauo.

Ad argumentum primæ opinionis respondeo, quod minor est falsa, & ad probationem dico, quod baptizo idem significat, quod immergo, intingo, lauo, atque abluo, vt in-*Calepinus.* quit Calepinus, & etiam in vsum est iam receptum apud nos, vt baptizatus dicatur, qui ioco in aquam immittitur. Ex quo sequitur, quod si quis diceret, ego te balneo, vel ego te in aquam conijcio talis non videretur baptizatus; quia hæc verba diuersam habent significationem ab illis, de quibus loquimur, & ideo inquit Soto, quod qui sic baptizarentur essent sub conditione rebaptizandi. *Sotus.*

Secundo dubium est, an quando inter idem idioma ponuntur alia, quam ea quibus ecclesia vti consueuit easdem tamen res significantia, ita vt sit mutatio idiomatis, scilicet vnius linguæ in aliam; vel secundum aliquam partem, vel secundum totam formam; pro solutione pono hanc conclusionem. Quādo variatur forma in terminos synonymos dummodo non varietur sensus, manet sufficiens forma, & verum conficitur sacramentum: Probatur, quia ea tantum mutatio verborum formæ impedit sacramentum, quæ est substantialis, atqui ea est substantialis variatio, quæ sensum substantialem formæ variat, variato autem substantiali sensu formæ, non manet eadem forma sacramenti; cæterum quando mutatio verborum substantialem formæ sensum non variat, verum efficitur sacramentum atque adeo variata forma in terminos synonymos substantiali sensu formæ permanente verum conficitur sacramentum.

Ex hoc sequitur primo, quod mutatio idiomatis, scilicet, vnius linguæ in aliam, de qua certa fide tenendum est esse accidentalem tantum, nō impedit sacramentum, alioquin oporteret sacramenta conficere in ea lingua, seu idiomate, quo Christus locutus est, quod aperte constat esse hæreticum, si autem verba, quæ Christus protulit Hebraice, vel Syriace, possunt Græce vel Latine prolata ad sacramenta conficienda sufficere, eadem ratione quolibet genus linguæ, vel idiomatis sufficiet: quia nō est maior ratio de vno quam de alio, & ratio generalis omnibus est supra dicta, quia retinetur idem sensus, Vnde si quis Hispane diceret, este es mi cuerpo, vel Italice, questo e'l mio corpo, aut idiomate mixto, Hoc est il mio corpo; vel hyspanice, este es corpus meum, verum esset sacramentum, probatur, quia seruatur idem orationis sensus, atq; adeo sufficiens sacramenti forma seruatur, quamuis nomina varientur; accidit enim formæ sacramenti esse Gręcam, Latinam, vel Hebręam, aut ex his mixtam; mixtio enim idiomatum vt recte Caiet. obseruauit. 3. p. q. 60. art. 7. etiam si in eadem numero forma fiat, non est contra substantiam sacramenti, dummodo singulæ voces eiusdem significationis sint cum verbis formæ, & in vnam orationem coniunctæ eumdem sensum referant. *Caiet.*

Et si dicas ecclesiæ vsum, vel præceptum efficere posse, vt vnum idioma potius, quam aliud sufficiat.

Dico, ecclesiam quidem posse præcipere, vt hoc vel illo idiomate vtamur in cōficiendis sacramentis, & tunc forma in illo idiomate erit necessaria necessitate præcepti, & Ministri, ita quod Minister male faciet, & peccabit, qui tale præceptum fuerit transgressus alio idiomate vtendo; non potest tamen ecclesia efficere, vt ea solū de causa sacramentum nullum sit, si idem sensus formæ retineatur: quia in his, quę sunt de substantia sacramentorum, nihil potest immutare, neque aliquid vt essentiale præscribere, quod iuxta Christi institutionem essentiale non sit.

Secundo sequitur, quod si in sacramenti pęnitentiæ forma dicatur. Remitto tibi peccata, pro absoluo te, verum cōficitur sacramentum pœnitentiæ, patet eadem ratione qua ostendimus verum confici sacramentum baptismi si dicatur abluo te, pro baptizo te; peccaret tamen Minister, qui sic verba formæ variaret; quia vt dicit Scotus in hac quęst. sub litt. g. § De istis quinque &c. Ecclesia Romana ordinauit, quod officia ecclesiastica dicantur, & sacramenta ministrentur in Latino grammatico, & hoc rationabiliter, quia distinctius potest scribi, & proferri; venialiter tamen dummodo alias vel ex contemptu, vel ratione scandali culpa non fiat mortalis.

Tertio sequitur, quod si aliqua Respub. imponeret noua nomina rebus idem significantia, quod formæ sacramentorum ecclesiæ significant, liceret cum illis sacramentum conficere. Vnde si statueret quod a. significaret patrem b. filiū, & c. spiritum sanctum, liceret tunc baptizando dicere, ego te baptizo in nomine a. b. & c. probatur: quia seruaretur idem orationis sensus, quem faciunt verba formæ sacramenti baptismi.

Quarto sequitur, quod si ex accōmodatione vsus duo nomina eamdem haberent significationem, per vtrumque vere fieret sacramentum, vt si quis absoluendo nobilem diceret, ego absoluo vos, vel absoluens Summum Pontificem diceret, absoluo sanctitatem vestram, (quamuis ridiculus esset, qui tali reuerentia vteretur) vere tamen absolueret; sicut è conuerso si Episcopus diceret. Nos te absoluimus; quorum ratio est, quod vbique idem est verborum sensus, eadem etiam forma manet, idemque sacramentum cum enim vsus accomodatio vim in sęcularibus sermonibus obtineat, iuxta illud Horatij in arte poetica, quē penes (vsum scilicet) arbitrium est, & vis, & norma loquendi; non est cur non eamdem quoque vim in sacramentis retineat. *Oratius.*

Quinto sequitur, quod si quis baptizando diceret, ego te baptizo in authoritate, vel virtute patris, & filij, & spiritus sancti, non esset certum sacramentum, vt notat Innocentius in capitulo primo de baptismo, quando vox in nomine plus significat quam authoritatem, vel virtutem, quoniam vt diximus supra ex Hugone, significat etiam fidem Trinitatis; vel certe quia non constat, an ex institutione diuina debeat etiam fides secundum illam interpretationem Hugonis ea voce significari; rebaptizandus esset sub condictione, qui ante baptizatus fuisset in virtute, vel in authoritate Patris, & filij & spiritus sancti, vt notat Sotus vbi supra. *Innocētius.* *Sotus.*

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum variatio formæ per alia verba idem significantia sub diuersa tamen ratione, impediat sacramentum.

SEnsus tituli est, an si loco illorum verborũ, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ significant personas diuinas sub ratione subsistentium, siue hypostasium, ponantur Genitoris, geniti, & spirati, quæ significant easdem personas sub ratione proprietatum personalium conficiatur verum baptismi sacramentum.

De hac re fuit opinio Glossæ in cap. Multi sunt. d. 4. de cõsecratione, dicentis, quod si quis baptizaret in nomine genitoris, nati, & Sancti Flaminis, vere baptizaret: quia, inquit, non refert vtrum ex æquipollentibus quis dixerit aliquid tale verb. oblig. quæ extrinsecus etc. si sub vna fit, cer. pa. sacramentũ.

Caietanus. Victoria. Quam sententiam secuti sunt Caiet. 3. p. q. 66. art. 5. & Victoria in Summa sacramentorum de bapt. §. 14. dicentes, quod si quis baptizaret dicendo, Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & spirati, verum conferret baptismi sacramentum.

Caietani motiua. Procuius probatione præmittit Caietanus, quod licet verum sit Christum instituisse, vt personæ diuinæ inuocarentur in forma baptismi, non tamen instituit, vt inuocarentur nominibus significantibus ipsas diuinas personas ex vi ipsorum nominũ, sed ex vsus accõmodatione, ex quo sequitur quod si diuinæ personæ inuocentur nominibus significantibus ipsas diuinas personas, ex vsus accõmodatione cuiusmodi sunt, genitor, genitus, & spiratus verum erit sacramẽtum. Assumptum probat Caiet. primo quia illa nomina pater, Filius, & Spiritus sanctus, quæ habentur Matth. vlt. nõ significant diuinas personas nisi ex vsus accõmodatione; ergo Christus nõ arctauit nos ad inuocationem Trinitatis, nisi sub nominibus quæ significant diuinas personas ex vsus accõmodatione, huiusmodi sunt genitor, genitus, & spiratus, ergo, &c. probat antecedens, quia Pater, & Filius de se quemcumq; Patrem, & Filium significant.

Secundo quia in cap. A quodam Iudæo, assignans Nicolaus Papa rationem propter quam valet Baptismus in nomine Christi dixit, quia Christus idem significat quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sed hoc non significat ex vi ipsius nominis, sed tantum ex vsus accommodatione, ergo Christus non arctauit nos ad inuocationem Trinitatis nominibus, quæ significarent ipsas diuinas personas, nisi ex accommodatione.

D. Ambros. Præterea arguit tertio, ex D. Ambrosio, qui lib. 1. de Spiritu sancto. c. 3. eamdem rationem assignans dicit, quod in nomine Christi intelliguntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nimirum Pater vngens, Filius vnctus, & Spiritus Sanctus, quo vngitur, sed distinctius intelliguntur diuinæ personæ in nomine genitoris, geniti, & spirati, ergo à fortiori erit verus Baptismus in tali forma.

Concil. Flo. Quarto arguit ab authoritate Concilij Floren. vbi in decreto Eugenij 4. de forma baptismi sic dicitur. si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum inuocatione Trinitatis, perficitur Sacramentum, sed in nomine genitoris, geniti, & spirati fit inuocatio Trinitatis, ergo perficitur sacramentum.

Quinto arguit sic, forma baptismi a Christo instituta est quædam protestatio fidei Trinitatis, sed ex vsu communi Ecclesiæ Sancta Trinitas laudatur, confitetur, & inuocatur per hæc nomina, genitor, genitus, & spiratus, ergo fit protestatio fidei Trinitatis sicut Christus instituit.

Vltimo arguit. Qui baptizaret in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti, vel in nomine Patris, & Filij, & Spiritus paracleti, verum perficeret sacramentum baptismi, & nihilominus hæc nomina Iesus Christus, & Spiritus paracletus non significant diuinas personas nisi ex vsus accõmodatione; ergo etiam qui baptizaret in nomine genitoris, geniti, & spirati verum perficeret sacramentum, probatur consequentia: quia vtrobiq; est eadẽ ratio. Hæc sunt motiua Caietani audacter asserentis cõtra omnes Theologos haud annullari sacramentum baptismi si quis diceret. Ego te baptizo in nomine genitoris geniti, & spirati.

Cęterum hæc singularis Caietani opinio reijcienda est tanquam falsa; neq; eius argumenta quicquam probant cõtra vniuersalem Theologorum sententiam, vt videbimus.

Vnde contra Caietanum sit hæc conclusio. si in forma baptismi fiat variatio secundum substantiam ponendo alia verba idem significantia sub diuersa tamen ratione, vt si loco illorum verborum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quę significant personas diuinas sub ratione subsistentium, & hypostasium, ponantur hæc verba genitoris, geniti, & spirati, quæ easdem personas significant sub ratione proprietatum personalium, non conficitur baptismi sacramentum. *Cõclusio contra Caietanum.* hæc conclusio est communis sententia omnium Theologorum præter Caietanum. Alex. de Ales. p. 4. q. 8. m. 2. art. 3. §. 1. *Alex. de Al. Altisiod.* Altisiodorensis, lib. 4. summæ fol. 253. colum. 1. vbi agit de forma totali baptismi. *Albert.* Alberti magni in 4. d. 3. art. 2. in respõsione ad quæstiunculam 4. *D. Thom.* D. Tho. 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. & in 4. d. 3. art. 2. quæst. 2. ad 5. *D. Bonau.* D. Bonauent. d. 3. p. 1. art. 2. q. 3. *Richar.* Ricar. eadem d. art. 2. q. 3. *Durandus.* Durandi eadem d. q. 2. *Marsilius.* Marsilij, q. 3. art. 4. & *Gabriel.* Gabriel. q. vnica. art. 3. dub. 1. qui ait hanc esse opinionem omnium Theologorum. & D. Bona. reddit rationem qui mutantur inquit nomina principalia in non principalia; quod magis explicans *Scotus.* Scotus in hac quæst. sub litt. H §. de nominibus significantibus proprietates &c. dicit nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti significari proprias personarum proprietates atq; adeo personas ipsas, nomine vero genitoris, &c. significari actus notionales non vero personas, sed solum connotari illas. Et probatur conclusio: quia diuinæ personæ sunt inuocandæ nominibus significantibus ipsas secundum rationem personæ, sed genitor, genitus, & spiratus non significant diuinas personas secundum rationẽ personæ, sed secundum proprietates, ergo talis baptismus erit nullus. Maior patet ex verbis Christi Matth. vlt. Baptizantes eos. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Præterea sacramenta habent efficaciam ex institutione diuina, sed Christus Dominus instituit personas diuinas nominari nominibus significantibus easdem personas sub ratione subsistentium, & non sub ratione proprietatum, ergo qui sic mutaret contra institutionem Christi faceret, atque adeo non conficeret sacramentum.

Et confirmatur conclusio ex cap. in Synodo de Consecr. d. 4. vbi sic legitur. In Synodo Anglorum decretum, & iudicium firmissime præceptum, & demõstratum esse dignoscitur, vt quicumq; sine inuocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si lotus in fonte baptismatis quis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Et ex cap. Si quis de Bapt. & eius effectu. vbi dicitur. Si quis puerum ter in aqua merserit, & non dixerit, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non est baptizatus.

Solutio motiuũ Caiet. Ad motiua Caiet. respondetur, & ad primum dico, quod non solum Christus instituit nominibus, quæ ex vsus accõmodatione significarent diuinas personas, sed etiam voluit, quod talia nomina significarent ipsas sub ratione personæ, illa autem nomina genitor, genitus, spiratus, nec ex accõmodatione quidem vsus significant primario, & formaliter diuinas personas prout sunt in se, id quod requiritur, vt supra probatum est, & infra explicabimus magis, sed secundum actus notionales, seu secundum originis ordinem, qui est inter personas, quam rem non satis perspicaciter aduertit Caietanus dum laborat probando, quod illa verba ex accõmodatione vsus significent personas saltem materialiter, vel de connotato, quod non negamus, sed contendimus non satis id esse ad expressam significationem personarum nisi etiam ex accõmodatione vsus, valeant tantum vt formaliter, & primario personæ ipsæ significentur quatenus sunt in se, quo pacto significantur ex accomodatione vsus per hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Secundo dico, quod illa nomina Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in quibus Christus instituit formam baptismi non ex accõmodatione vsus, sed proprie significant diuinas personas ex Christi impositione: Nam quamuis ex se indeterminate significent quemcumq; Patrem, & Filium, tamen Christus imposuit illa nomina ad significandum determinate personas diuinas, atq; adeo habenda sunt tamquã nomina propria personarum, licet enim secundum hominũ institutionem nomen illud pater sit commune nomen, quo significatur omnis qui genuit filium, specialiter tamen in diuinis, ac proprie significat illam personam quæ est pater, idq; non ex accõmodatione vsus, vt Caiet. existimat, sed ex autho-

Digitized by Google

Scotus.

authoritate scripturæ, & Christi institutione. Nam sicut Iudæis (inquit Scotus) datum erat aliquod nomen significans essentiam diuinam, sub propria ratione, quod ipsi vocabãt Tetragramaton s. יהוה ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia personas sub proprijs rationibus; si etiam non sic dederit bene tamen probabile est in aliqua inuocatione nomen personæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis personæ. Petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis citius impetraretur, quam si loco nominis proprij, poneretur nomen significans proprietatem suppositi. & secundum vtramq; viam patet solutio ad primum motiuum Caiet.

Ad secundum nego quod baptismus datus in nomine Christi sit verus vt dicam infra art. 11. nego etiam rationẽ illam sufficere.

Ad tertium, Respondeo quod D. Ambros. non adducit illam opinionem probando, quod nunc valeret baptismus in nomine Christi, sed tantum vult ostendere, quod tempore Apostolorum congrue dispensauit Deus in forma communi baptismi, & ratio est, quia in nomine Christi intelliguntur inquit D. Ambros. omnes diuinæ personæ. quod si hæc solutio non placet assignabo aliam infra in 10. art.

Ad quartum, ex Concil. Florent. dico. Concilium intelligendum esse, de inuocatione Trinitatis, quæ fit per hæc nomina, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Ad quintum, Concedo quod forma baptismi est protestatio fidei Trinitatis, nihilominus ipsa protestatio facienda est eo modo, quo Christus fieri instituit, scilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ad vltimum dico, quod illa nomina Iesus Christus, & Spiritus paracletus significant diuinas personas sub ratione personæ, & ideo nego consequentiam. Fateor enim quod si daretur baptismus, in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus Paracleti esset baptismus, quamquam peccaret sic baptizans; & ratio est; quia secunda persona proprio suo nomine exprimitur. Nam Iesus est nomen secundæ personæ, sicut Filius, sed addit incarnationem, quia Iesus est nomen Dei hominis, non sic Filius. Nec vitiat nomen proprium, tertiæ personæ, quod est Spiritus; si adiungatur paracletus, quod a Domino adiunctum fuit si tamen limitaretur nomen Christi. dicendo inquantum homo non esset verus baptismus. quia non significaretur secunda persona Trinitatis, vt persona diuina, sed vt homo est.

ARTICVLVS IX.

Vtrum varietur forma si ponatur nomen collectiuum significans diuinas personas.

Sensus tituli est, an in forma baptismi, significatio & expressio trium personarum indiuiduæ Trinitatis debeat esse distincta, & expressa, per illa verba, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & ratio dubitandi, est propter

Caietanus.

varietatem sententiarum. Nam Caietan. 3. par. quæst. 66. artic. 6. affirmat valere baptismum. Si quis tantum diceret, in nomine sanctissimæ Trinitatis, cuius primum argumẽ-

Concil. Flo.

tum desumitur ex Concilio Florent. sub Eugenio. 4. vbi in Decreto, de forma baptismi, hæc formalia verba habentur, si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentũ.

Secundum argumentum desumitur ex cap. à quodam Iudæo vbi Nicolaus Papa interrogatus an baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi inquit. Si baptizati sunt, in nomine Trinitatis, non sunt iterum baptizandi.

Ambros.

Tertio ex Diui Ambrosij libro 1. de Spiritu sancto. cap. 3. vbi de forma Baptismi, inquit, vna persona prolata si integra sit intus fides plenum est sacramentum; ergo a fortiori omnibus personis prolatis, in nomine Trinitatis plenum & integrum erit sacramentum.

Præterea si per aliquam rationem dicendum esset, quod in nomine Trinitatis non datur verus baptismus; maxime propter illam: quia Christus voluit quod personæ distincte nominarentur, sed hoc est falsum ergo & illud ex quo sequitur. probatur minor, quia illa nomina Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quibus Matth. vltimo nominantur diuinæ personæ non significant ipsas personas diuinas distincte, sed confuse, ergo Christus non obligauit nos ad inuocandum personas distincte, antecedens probatur: quia Pater, & Filius, non magis significant Patrem, & Filium, in diuinis, quam quemcunque alium Patrem, & Filium.

Sententia Caiet. reijcitur Conclusio.

Cęterum hæc sententia Caietani, reijcienda est quippe, quæ noua est, & contra omnes Theologos. quare sit hæc conclusio. si fiat mutatio in forma baptismi ponendo aliud nomen collectiue diuinas personas significans, vt si dicatur. Ego te baptizo in nomine Trinitatis, non conficitur sacramentum. hæc conclusio est communis sententia omnium Theologorum, Alexander de Ales, 4. par. qu. 8. m. 3. artic. 3. § 2 D. Thomæ 3. par. quæst. 66. artic. 5. ad 2. Diui Bonauenturę in 4. d. 3. par. 1. artic. 2. quæst. 2. Richardi eadem d. artic. 2. quæst. 3. ad 10. Scoti in hac quæst. sub lit. H. §. De nomine Trinitatis patet &c. & omnium aliorum. & probatur ex Domini mandato, Ecclesiæ, & Patrum. Nã Matth. 28. hanc formam ita expressam præscripsit Dominus illis verbis. Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. quod valde mirũ est, quo ausu quis dicat, ausiso nomine Trinitatis, cum personæ implicite denotentur confici sacramentum, ac si inter expressissimam illam prolationem, & generalissimam Trinitatis vocem nihil intersit; præsertim cum ex illis verbis omnes colligunt Christum instituisse, vt diuinæ personæ inuocarentur distincte, at in Trinitatis nomine, non inuocantur distincte, sed confuse ergo non seruatur Christi institutio, atque adeo nullus erit Baptismus.

Alexan. de Ales
D. Thom.
D. Bonau.
Richardus.
Scotus.

Secundo idem probatur ex authoritate Ecclesiæ, & Summorum Pontificum. Nam Concil. Florent. cum requirit, vt exprimatur actus baptizandi, cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione perspicuum est (si locus ipse inspiciatur) nomine Trinitatis ibi intelligere ipsas personas distincte significatas. Nam paulo ante ibi definitur formam baptismi continere expressa illa significatione Trinitatis. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quare cum Concilium definiat necesse esse, vt sic Trinitas exprimatur, expressam illam significationem requirit.

Concil. Flo.

Item Zacharias Papa de consecrat. d. 4 canon. in Synodo probans decretum cuiusdam Concilij Anglicani super hac re editum sic inquit. Si quis vnam de Trinitate personã in baptismo non nominaret illud baptisma verum esse nõ posset & supra ita legitur Perfectus Christianus nemo est nisi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus, ergo qui baptizatur in nomine Trinitatis, non est perfectus Christianus, & consequenter non recipit sacramentum baptismi; quia alias esset perfectus Christianus.

Sed videamus lepidam Caietanus Glossam, si quis nec implicite quidem (inquit Caietanus) vnam personam nominet, illud Baptisma verum esse non posset. Pontifex ait non esse verum Christianum, nisi qui baptizatur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & quod si vna prætermittatur persona, non est verum baptisma, vbi plane docet singulatim singulas Trinitatis personas necessario exprimendas, & Caietanus dicit sat esse implicite nominare, quasi velit Papam ibi intelligere, si quis Trinitatem explicite, vel implicite non nominauerit &c. quæ glossa certissime pugnat cum ipsa mente, & oratione Pontificis. Definit enim baptismum tum esse nullum cum contingit aliquam personam nominare, vel etiam aliquas, & aliam quandam ex tribus non nominare, at cum aliqua persona nominatur ipse Caietanus fatetur, implicite nominari hoc ipso reliquas omnes personas, ergo Pontifex ibi plane censet baptismum tum etiam esse nullum, cum tantum vna, vel altera persona nominatur explicite, etiam si alia nominetur implicite, atque adeo non totum loquatur in casu, quo ne implicite quidem nominatur vna aliqua persona sicut vult Caiet.

Alio modo respondet Adrianus in 4. in quæst. de Baptismo artic. 4. vbi dicit Pontificem loqui tantum in casu quo minister vnam tantum esse personam, vel alteram crederet, atque ita baptizaret, ea intentione vt baptismus valeret hoc ipso solum, quod vni vel altera persona nominaretur, & non ex vi etiam alterius vllo modo, nec neque expresse, neque implicite nominatæ, si vero esset omnino talis persona alia esse negaretur ab eiusmodi Ministro. Cęterum nec huiusmodi interpretatio potest esse legitima. Nam primum absolute, & simpliciter Pontifex id; pronunciat

runciat de baptismo quod ita daretur, a quouis omnino Ministro quantumcumque fideli; & dicat illum ideo esse nullum: quoniam vna aliqua persona non nominatur: id quod etiam accidere potest siue Minister credat omnes personas, siue neget aliquam. Neque vllum est in illo Canone indicium, quod propter defectum intentionis improbet Pontifex talem baptismum, sed proprie improbat ob defectum formæ.

Nam quod ad confirmationem suæ definitionis subiũgit. Perfectum Christianum non esse, qui aliquam de Trinitate personam non confitetur, id eo pertinet vt ostendat nisi omnes tres personæ distincte exprimantur non fieri in forma baptismi tam perfectam, & absolutam confessionem fidei de sanctissimæ Trinitatis mysterio, quam omnino requirit ad veritatem baptismi, eo quod est peculiari ratione sacramentum fidei.

Præterea nullam esse Adriani interpretationem ex eo patet, quoniam non obstante illo priuato errore posset in eiusmodi Ministro nihilominus præponderare generalis intentio faciendi, quod facit vera Ecclesia, atque ita valeret tunc ille baptismus, si in eo casu nihil deesst, alioqui ad intentionem formæ, vt patet ex his, quæ docuimus supra artic. 5. conclus. 3. atque adeo non debuisset: nec potuisset absolute Pontifex improbare tanquam inualidum eiusmodi baptismum propter defectum intentionis in Ministro ita hæretico, sicut interpretatur Adrianus. & tamen illud baptisma Pontifex nullum esse definit.

Præterea Pelagius Papa de Consecrat. dist. 4. cap. Si reuera ad Gaudentium Episcopum sic dicit. Si reuera hi de hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodo in nomine Domini baptizatos se fuisse forsitan confitentur, sine cuiusque dubitationis ambiguo eos ad Fidem Catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Vbi similiter contra Glossas falsas Caiet. & Adriani diligenter obseruandum est, ideo Pontificem improbare baptismum in nomine Domini solummodo administratum: quoniam non sit datus in nomine Trinitatis, idest, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et confirmatur ex capit. Multi eadem, distinct. & ex capit. Quamuis, ac etiam ex cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Catholica.

Athanas. Tertio probatur Conclusio authoritate Sanctorum Patrum. Sanctus Athanasius sermone 3. contra Arrianos probat plane vacuum, ac inutile fuisse baptisma ab Arrianis datum, quia non illud etiam in nomine Filij dabant eo sensu quo debebant. Saluator enim, inquit, non quouis modo baptizandum præcipit, sed primum dixit, Docete, ac deinde baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptismatis integra imitatio perficeretur.

Basil. Item Sanctus Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 12. Neminem, inquit, ad errorem impellat illud Apost. quod nomen Patris, ac sancti Spiritus in baptismatis mentione sæpe omittit, neque ob id putet nominum nomenclaturam non necesse esse obseruate. & infra, separatio, inquit, Spiritus in baptismate à Patre, & Filio periculosa est baptizanti, & inutilis baptismum suscipienti.

Fulgentius. Item Fulgentius. Ministerium Redemptionis nullo modo habetur si Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomen subtrahatur.

Damascen. Item Damascenus lib. 4. de fide. Quicumque non in sanctam Trinitatem baptizati sunt hos oportet rebaptizari: baptizari in sanctam Trinitatem, & baptizati inuocando ipsam Trinitatem.

Didimus. Item Dydimus in libro 2. de Spiritu sancto. Si quis, inquit, ita baptizare conetur, vt vnum ex prædictis nominibus mittat, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sine perfectione baptizabit, idest, non vere, hoc enim in hac materia significat apud Doctores sine perfectione, vt etiam do-*D. Thomas.* cet D. Thomas, vbi supra ad 7. quem frustra aliter interpretari conatur ibi Caietanus.

Caietani argu soluũtur Ad argumenta Caietani respondetur, & ad primum dico, quod vbicumque dicitur baptismum valere in nomine Trinitatis, debet intelligi nomine Trinitatis distincte inuocato, vt intelligit Glossa de Consecrat. dist. 4. cap. Si reuera, *Glossa.* capit. Multi, & cap. Si quis puerum de Baptismo, & eius effectu, & quod sic intelligendum sit Concil. Florent. patet ex supradictis. Quod autem in nomine Trinitatis tantũdem significet, atque, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, patet ex suprarelatis canonibus, vbi perspicuũ est, hoc sonare modum illum, quo breuitatis, & compendij causa, à Pontificibus, & Patribus dici solet in nomine sanctissimæ Trinitatis. Maxime vero id patet in cap. Quãuis, & cap. Multi sunt, vbi Zacharias Papa ex Euangelio confirmat formam debere esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et per hoc patet etiam ad secundum.

Ale. de Ale. Ad tertium Alexand. de Ales, vbi supra adducit tres responsiones: prima est, quod verbum D. Ambrosij intelligendum est in casu scilicet, quando sacerdos deficit, vt si fuerit morte præuentus vel alio impedimento, vel quando puer moritur, verbi gratia, inquit Richardus ad 5. si post *Richardus.* nominationem Patris moreretur puer ante subiunctionem Filij, & Spiritus sancti, pie credendum est quod Deus supplet, vnde talis debet in Cœmeterio sepeliri, si autem antequam omnia verba complerentur impediretur baptizãs ita vt complere non posset, puer iterum esset baptizandus, præsupposita hac conditione, si tu non es baptizatus, eodem modo etiam respondet. D. Bonauent. vbi supra ad. 1. *D. Bonau.* & est eius secunda responsio.

Certum inquit Alex. quia hoc præsumitur ex diuina misericordia, quod in tali casu summus Sacerdos supplet, quod deficit, non tamen certum est vtrum baptizatus sit. Ideo potest aliter dici, quod in baptismo non sufficit prolatio verborum, nisi adsit fides. Vnde Diuus August. super Ioann. *D. August.* Vnde est hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluatur, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. ad hoc igitur quod forma baptizandi plene obseruetur requiritur fides cum verbis expressis: potest autem esse plena fides, & si verbis non confiteatur. Vult igitur D. Ambrosius, inquit Alexander, quod, quando creduntur tres personæ, licet non proferatur nisi vna, est plenum sacramentum quantum ad illam plenitudinem, quæ est ex fide. Vnde dicit plenum esse fidei sacramentum, non dicit plenum est sacramentum; quasi diceret licet requiratur in sacramentis fides, & confessio fidei secundum quod dicitur Roman. 10. Corde creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, nihilominus si fide perfecta sit in corde licet non sit confessio fidei in plena distinctione personarum, nihil deperit ipsi sacramento propter defectum fidei. Ita vt breuiter sensus Diui Ambrosij, est quod est plenum sacramentum idest plena fides eius, qui sacramentum administrat, non autem quod sacramentum sit integrum.

Tertio dicit Alex. quod quidam dicunt, quod ibi ponitur signum pro signato, Vnde cum dicitur plenum est fidei sacramentum, hoc est, plena est fides, quæ designatur per ipsum sacramentum.

Prior responsio non videtur vllo pacto admittenda: quia talis puer non magis est baptizatus, ac si in illo non esset sacramentum inchoatum, atque ideo idem iudicium est de illo, sicut de illis, qui sine baptismo discedunt, nec oportet recurrere ad diuinam misericordiam: quia sine baptismo nullus saluatur iuxta illam sentent. Saluatoris Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit. &cæt. secunda etiam & tertia responsio, non videntur nisi merum diuerticulum. Nam Diuus Ambrosius, videtur de sacramenti plenitudine sermonem habere.

Ideo salua reuerentia D, Ambrosij licitum est nobis in hac parte ab eius sententia discedere, & oppositam amplecti, quam omnes sequuntur: Tum quia est confirmata pluribus sanctorum authoritatibus ac Summorum Pontificum decretis. Tum etiam quia ratio, quam Diuus Ambrosius adducit solutionem patitur. Inquit enim quod sufficit nominare vnam personam: quia in vna persona intelliguntur omnes, quod nos negamus: nam licet in patre aliquo modo intelligatur Filius ad quem refertur, non intelligitur tamen Spiritus sanctus præterquam quod non sufficit ad formam baptismi implicita personarum expressio, sed necessaria est explicita vt diximus supra.

Ad vltimum dico, qui illa nomina Patris, & Filij significant diuinas personas distincte; nam licet de se quemcumque Patrem, & Filium significent, ex Christi tamen impositione præcise diuinas personas significant. Contra inquit Caie. qn Christus instituit sacramentum baptismi, non erat eiusmodi vsus accommodatio; Hoc illi negamus, imo erat Christo frequẽtissime in vsu, vt qñcũq; loquebat de prima

persona

Digitized by Google

persona diuina, semper illam appellabat Patrem, vt patet in pluribus locis Euangelij. Cuiusmodi sunt illud Matth. vlt. Confiteor tibi Pater &c. & infra nemo nouit filium nisi pater, & Ioan. 6. Hæc est voluntas Patris mei qui misit me; & infra. Quæ audiui à Patre meo, &c.

Baptismus collatus in nõe vnius personæ tm̃ est nullus.

Ex his sequitur, quod baptismus datus in nomine solius vnius personæ diuinæ erit nullus: quia si non sufficit baptizare in nomine Trinitatis, quod nomen omnes personas diuinas significat, à fortiori non sufficit tantum vnam personam nominare, licet oppositum dicat B. Ambros. vt patet in 3. argumento, Caietanus, cuius authoritati iam satisfecimus.

ARTICVLVS X.

Vtrum in primitiua Ecclesia fuerit datum baptisma sub hac forma: ego te baptizo in nomine Iesu Christi.

Armachan. Canus.

Sotus. Suarez.

DE hac re fuit sententia Armachani lib. 8. de quæstionibus Armenorum, c. 3. & Cani lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. ad 7. argum. quam probabilem existimant Sotus hac d. q. vnica. art. 6. & Suarez tom. 3. q. 66. art. 6. disput. 21. sect. 3. Hi asserunt nunquam Apostolos baptizasse sub tali forma, quorum fundamenta sunt ista.

Si ex aliquo loco colligeretur Apostolos vsos fuisse tali forma, maximè ex illo Actuum 2. 8. & 10. vbi legitur Petrum iussisse baptizari quosdam in nomine Domini nostri Iesu Christi, sed ex istis locis non colligitur, ergo &c. probatur minor: quia nihil aliud colligitur, nisi quod baptizabantur in virtute, & authoritate Christi, quod patet ex similibus locis diuinæ scripturę, vt ex illo, in nomine tuo laxabo rete; In nomine tuo saluum me fac. In nomine tuo inimicos nostros ventilabimus cornu; & pluribus alijs locis. & confirmatur: quia quamuis colligeretur, quod baptizabant in nomine Christi, non tamen sequitur, quod prætermittebant formam ordinariam à Christo institutam; sed poterant baptizare hoc modo, Ego te baptizo in nomine Patris, & filij eius Iesu Christi, & spiritus sancti, ergo nunquam Apostoli baptizauerunt tantum in nomine Christi.

Præterea, si ex illis locis colligitur Apostolos baptizasse tantum in nomine Christi, sequitur quod nunquam Apostoli baptizauerunt sub forma Christi instituta, sed hoc est falsum, ergo &c. consequentia patet: quia nullibi legitur Apostolos baptizasse nisi in illis locis; sed inde colligis, quod baptizabant in nomine Christi, ergo non manet locus ex quo possimus colligere, quod baptizabant sub alia forma: minor probatur: quia est maximum inconueniens dicere, quod Apostoli nunquam fuerint vsi forma à magistro suo instituta. Hanc sententiam attigisse videtur Alex. de Ales 4. p. q. 8. m. 3. art. 3. §. 2. Vbi inquit, quod si quæratur in qua forma baptizabant discipuli? dici potest sanè quod in nomine Trinitatis; & in fine illius quæstiunculæ; Ad hoc autem inquit, quod Magister in sententijs dicit. Respondeo, quod discipuli baptizabant in nomine Trinitatis exprimendo personas distinctè.

Alex. Ales.

Magister. Alexan. de Ales. D. Thomas. Bona. Albertus. Richardus. Scotus.

Cęterum oppositam sententiam docent Magister hac d. Alex. de Ales. vbi supra, & in quæst. de comparatione diuersarum formarum. D. Thomas. 3. p. q. 66 art. 6. ad 1. Albert. in 4. d. 3. art. 2. quæstiuncula D. Bonauent. eadem d. p. 1. art. 2. q. 2. ad 3. Richardus ar. 2. q. 3. ad 10. Scotus hac q. sub lit. h. § De quinto &c. & omnium recentiorum à quorum sententia minimè recedendum est.

Conclusio prima.

Sit ergo hæc prima conclusio. Tempore primitiuæ ecclesiæ datum fuit verum baptismum, idque licitè sub hac forma. Ego te baptizo in nomine Iesu Christi, sine expressione Patris & filij, & spiritus sancti; Hæc conclusio est cõmunis sententia omnium Theologorum cum Docto. nostro sub. & probatur: Nam Actuum, 2. 8. & 10. legimus Petrum iussisse baptizari quosdam in nomine Domini nostri Iesu Christi: Nam Act. 2. dicitur, baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. & Act. 8. dicitur. In nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres, & cap. 10. in fine legitur. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. & confirmatur ex cap. A quodam Iudæo de Consecratio. d. 4. Vbi de baptizatis à quodam Iudæo ita legitur. A quodam Iudæo nescitis vtrum Christiano, an pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de ijs sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus baptizati sunt (vnum quippe idem est sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizãdos, vbi manifestè dicit Papa Nicolaus, quod Apostoli tantum baptizabant in nomine Christi.

2. Conclusio.

Secunda conclusio. Apostoli in primitiua ecclesia baptizauerunt in illa forma. Ego te baptizo in nomine Iesu Christi, ex diuina dispensatione, & reuelatione. patet, quia Apostoli, imò nec tota ecclesia non potuerunt authoritate propria sacramenta instituere, vel formas institutas mutare, vt constat ex superioribus; Vnde non baptizassent in nomine Christi, nisi ex dispensatione, & reuelatione diuina; Cuius dispensationis ratio fuit, inquit Alex. loco citato, eo quod in primitiua ecclesia Christi nomen odiosum erat incredulis, & erubescibile infirmis; ideo statuerunt Apostoli vt in nomine Christi baptizaretur, vt increduli ad inuocationem nominis Christi videntes Spiritum sanctum, scilicet in signo visibili descendere super baptizatum, ad amorem illius nominis, & venerationem allicerentur; quo facto redierunt ad formam sibi traditam à Domino: cessante enim causa debuit effectus cessare, adeo quod baptismus sub ea forma in primitiua ecclesia dispensatoriè fiebat, & ob causam necessariam, & ad tempus; similiter & virtus collata fuit verbis dispensatoriè, & ad tempus, id est, instante causa necessitatis, qua cessante, & virtus ad tempus data & propter causam specialem cessauit, ita Alexander, vbi supra locis citatis, & D. Bonauentura, vbi supra ad tertium.

Alex. Ales.

D. Bonau.

Soluuntur argumenta Armachani.

Ad fundamenta Armachani respondetur, & ad primum dico primum, esse falsum quod inde non sequatur intentum nostrum: quoniam si propterea, quod hæc particula in nomine idem significat, quod in virtute, vel authoritate, non potest colligi ex illis locis, quod baptismus dabatur sub hac forma in nomine Christi, sequitur quod neque ex verbis Matth. vltimo. Baptizantes eos in nomine patris, & filij &c. colligi posset, quod baptismus esset dandus sub hac forma. In nomine patris & filij &c. sed hoc est falsum, ergo illud ex quo sequitur, consequentia patet, quia eodem modo interpretari potest illa particula in nomine. Ad probationem vero concedo, quod alio loco adducta non sunt intelligenda sicut nos exponimus de baptismo in nomine Christi: Est enim diuersa ratio, quia in actibus Apostolorum agitur de sacramentis, quæ constant verbis, & ideo verba, quæ ibi reperiuntur intelligenda sunt esse formam sacramenti, de quo loquitur scriptura: alias non possemus colligere ex Matth. vltimo, quod verba, quæ ibi ponuntur, sint forma baptismi: quia eodem modo posset hic locus interpretari; Dico secundo, quod debet nobis sufficere authoritas Papæ, qui ex illis locis colligit Apostolos baptizasse sub hac forma. In nomine Iesu Christi.

Ad confirmationem dico eodem modo, primo ex authoritate Papæ, qui dicit, quod tantum in nomine Iesu Christi baptizabant Apostoli, atque adeo non aliam personam diuinam nominabant: quia in Christo tota Trinitas intelligitur. Nam vt dicit D. Ambrosius, citatus à Papa intelligitur cum dicitur Christus pater, à quo vnctus est, & ipse qui vnctus est, & Spiritus sanctus per quem vnctus est.

Secundo dico, quod prætermissa authoritate Papæ ex illis locis etiam colligitur, quod baptizabant tantum in nomine Christi: quoniam quando scriptura loquitur de sacramentis, non solum debemus intelligere quod verba, quæ ibi ponuntur, sunt forma sacramenti, sed quod nulla alia verba sunt forma, nisi aliud ex traditione Apostolorum acceperit ecclesia; alias eadem ratione possemus dicere, quod in forma baptismi tradita Matthæi vltimo, possemus addere nomen Beatæ Mariæ, dicendo in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & Beatæ Mariæ. Accedit etiam in confirmationem nostræ sententiæ communis consensus omnium Doctorum, qui ex illis locis colligunt Apostolos baptizasse in nomine Christi.

Ad secundum nego consequentiam, & ad probationem dico, quod licet nullibi legatur in scriptura, quod

Digitized by Google

Apostoli obseruauerint formam ordinariam baptismi, non tamen quod sub illa non baptizauerint; & argumentum ab authoritate negatiue infirmissimum est. Dico secundo, quod licet in scriptura non legatur, legitur tamen in historijs authenticis. Vnde Abdias Episcopus Babyloniæ refert, quod D. Thomas Apostolo baptizauit Regem Indiæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Abdias.

ARTICVLVS XI.

Vtrum si quis modo baptizaret sub ea forma, qua baptizabant Apostoli, esset verum baptisma.

Hugo. Adrianus. Caietanus. Glossa.

DE hac re tres sunt opiniones, prima est Hugonis de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis p. 6. cap. 2. Magistri hac dist. Adrian. in 4. q. 2. de Baptismo. Caiet. 3. p. q. 66. art. 5. & Glossæ in c. a quodam Iudæo vbi ita scribit. Dicit ergo Gratianus concessum fuisse Apostolis baptizare in nomine Christi, propter nomen Christi amplificandum, hoc est abrogatum per contraria hic signata infra cap. in Synodo, & c. Si non sanctificatur. Hoc non credo verum, inquit Glossa, cum hoc cap. Nicolai posterius sit. Dico ergo, quod non debet quis baptizari in nomine Christi, si tamen baptizatur valet baptismus. Idem dicit in cap. Multi de consecrat. d. 4. vbi inquit: Non prohibet baptizare in nomine Christi, sed reprehendit illos, qui dicebant, quod debet baptizari tantum vna immersione & tantum sub vna forma verborum, scilicet in nomine Christi. eadem sent. videtur fuisse Bedæ, in cap. 10 Actorum circa illa verba: iussit illos baptizari in nomine Domini Iesu; eamdem sententiam docet Bernardus epist. 340. ad Henricum, vbi etiam approbat Baptismũ datũ sub hac forma, Baptizo te in nomine Dei & sanctæ Crucis, quem quidam contulit ex imperitia.

Beda.

Bernardus.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ est decretũ Nicolai Papę, quod habetur in cap. A quodã Iudęo, vbi de baptizatis ab illo Iudæo inquit, si baptizati sunt in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi sicut in actibus Apostolorum legitur, rebaptizari non debent, atqui si verum baptismum non recepissent essent rebaptizandi, ergo verũ sacramentum receperunt.

Secundo, Apostoli baptizauerunt in nomine Christi, ergo si modo daretur baptismus in nomine Christi verum esset sacramentum. probatur consequentia, quia Apostoli sub illa forma verum conferebant sacramentum. Si dicatur qd Apostoli sic fecerunt ex diuina reuelatione, & dispensatione, vt nomen Christi redderetur amabile, quæ tamen dispẽsatio iam cessauit si quidem cessauit ratio dispensationis nã cessante causa cessat effectus. Contra si Apostoli vtebantur illa forma ex dispensatione; sequitur, quod baptismus datus tempore Nicolai in nomine Christi, non fuisset verus: sed hoc est falsum, quia Papa dicit esse verum sacramentũ, ergo & illud ex quo sequitur, probatur consequentia: quia Nicolaus vixit post Domini ascensionem per quingentos, & plusquam quinquaginta annos, ergo si aliqua est data dispensatio Apostolis, iam cessauit, atque ita baptizati tempore Nicolai, in nomine Christi, non receperunt verum sacramentum; non enim verisimile est licentiam illam Apostolis concessam perdurasse vsque ad tempora Nicolai. Multoque minus credibile est Iudæum illum, de quo Nicolaus consultus fuit, huiusmodi dispensatione vsum fuisse; nisi alicui fortasse placeat quod Marsilius dixit, Nicolaum habuisse specialem reuelationem huius dispensationis.

Marsilius.

Præterea qui baptizatur in nomine Christi, baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed qui baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vere baptizatur, ergo qui baptizatur in nomine Christi vere baptizatur, minor patet, & maior probatur: quia in hoc nomine Christus includuntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ergo, &c. antecedens probatur ex Diuo Ambrosio libro primo de Spiritu sancto. cap. 3. dicente, quod Christus idem est quod vnctus, in quo includuntur vngens, qui est Pater, vnctus qui est Filius, & ille quo vngitur, qui est Spiritus Sanctus.

D. Ambros.

Ale de Ales. Albertus. D. Thomas. D. Bonau.

Secunda opinio opposita est Alexandri de Ales 4. par. loco supra citato Albert. D. Thom. D. Bonauentu. & locis citatis, Durandi, Paludani, & Gabr. hac d. qui concorditer tenent, quod Baptismus collatus sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Christi, non esset sacramentum. Probatur hæc sententia primo ex Beato Fulgentio dicente, Mysterium illud redemptionis nullo modo habetur, si Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomen subtrahatur, sed baptizando tantum in nomine Christi subtrahitur nomen Patris, & Spiritus sancti, ergo nõ habetur integrum baptismum; probatur minor, quia Christus non est nomen Patris, & Spiritus sancti, sed nomen Filij solius.

Durandus. Paludan. Gabriel. Fulgentius.

Secundo probatur hæc sententia ex decretis Pontificum, & primo ex cap. Si reuera de consecrat. dist. 4. vbi Pelagius Papa scribens Gaudentio Episcopo inquit. Si re vera hi de hæreticis, qui in locis ditioni tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan cõfitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam Fidem venientes, in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Nec valet responsio Caiet. quod hic non irritatur baptismus datus in nomine Christi, sed datus in nomine Domini, quoniam nullibi legitur baptisma fuisse datum in nomine Domini, sed bene in nomine Christi, at quoniam Christus appellatur Dominus, accepit Papa hoc nomen Domini pro nomine Christi.

Caietanus.

Secundo probatur ex cap. Multi sunt de consecr. eadem d. vbi idem Pelagius Gaudentio dicit, Multi sunt qui in nomine solummodo Iesu Christi, vna etiam immersione se asserunt baptizare. Euãgelicum vero præceptum ipso Deo, & Domino Saluatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere, dicẽte Domino discipulis suis. Ite baptizate omnes gẽtes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nec valet responsio. Glossæ dicentis, quod non prohibet papa baptizare in nomine Christi, sed reprehendit eos qui dicunt non esse baptizandum nisi vnica immersione, & sub vna forma verborum, scilicet in nomine Christi. quoniam non solum prohibet, sed irritat baptismum factum in nomine Christi. Nam dicit Pontifex quod illi qui baptizabant in nomine Christi non adimplebant præceptũ Euangelij de baptismo.

Glossa.

Tertio probatur ex capitulo In Synodo Anglorum, vbi dicit Papa Zacharias. Perfectus Christianus nemo est nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus, & infra. Hoc quoq; obseruare in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, vt qui vel vnam de Trinitate personã in baptisma non nominaret, illud baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est: quia qui vnam ex sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest, sed in nomine Christi non nominantur Pater, & Spiritus sanctus, ergo non est verus baptismus.

Respondetur, quod nominando Christum nominantur omnes personæ, quia intelligitur Pater vngens, Filius vnctus, & ipsa vnctio, qui est Spiritus sanctus. Contra aliud est nominare personas, aliud est quod personæ in aliquo nomine intelligantur. Vnde licet sit verum, quod in nomine Christi, quodam modo intelligantur diuinæ personæ per correspondentiam effectus ad causam, tamen non nominantur proprie, & distincte, vt oportet; & probatur: quia enim Diuus Ambrosius dixit, quod in nomine cuiusque personæ diuinæ intelligantur omnes personæ, & tamen per nomen vnius non nominatur alia: quia nomine Patris, non nominatur Filius, licet ibi intelligatur. Cęterum decretum Pontificis dicit, quod si aliqua persona non fuerit nominata, non erit verus baptismus; ergo baptismus tantum in nomine Christi collatus est nullus: quoniam licet in nomine Christi intelligantur omnes personæ diuinæ, non tamen nominantur, quod esse necessarium ex Domini præcepto docet Zacharias Pontifex.

Quarto, probatur ex capitulo Si quis extra de Baptismo, & eius effectu, vbi dicitur, si quis puerum ter in aqua immersum in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, & nõ dixerit. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non est vere baptizatus.

Tertio, principaliter probatur hæc sententia rationibus. Christus instituit, vt baptismus daretur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed qui baptizatur in nomine Christi, non baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ergo & cætera. consequentia patet.

Digitized by Google

patet, quia non est baptizatus iuxta Christi institutionem, a qua sacramenta habent efficaciam; minor probatur: quia Christus non est Pater, nec Spiritus sanctus, sed vnctus à Patre, & Spiritu sancto, ergo qui in nomine Christi baptizat, non baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in nomine qui vnctus est a Patre, & Spiritu sancto.

Præterea ex Christi institutione colligitur, quod diuinæ personæ sunt nominandæ distinctè, in hoc autem nomine Christus non nominantur distinctè, sed implicite, & valde confuse, ergo non seruatur Christi institutio baptizando in nomine Christi, atque adeo nullus est baptismus; probatur minor dupliciter: primo quia cum ratio, quam nomen Christus importat, sit opus ad extra, & opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, sequitur manifestè quod hoc nomen Christus non significat diuinas personas quatenus distinctæ sunt, sed quatenus sunt vnum. Secundo probatur: quia vnctus ex se non magis significat patrem æternum vngentem Christum Dominum quam quemcumque alium prophetam, vel sacerdotem, nec etiam importat determinate Spiritum, quo vnctus sit, ergo nomen Christus nimis implicite significat diuinas personas.

Præterea hoc nomen Trinitas clarius significat diuinas personas, quam hoc nomen Christus, & tamen secundum communem, & probabiliorem opinionem baptismus datus in nomine Trinitatis est nullus, hac solum ratione, quia nomine Trinitatis non inuocantur personæ diuinæ distinctè; ergo à fortiori baptismus datus in nomine Christi erit nullus: quia minus distinctè inuocantur diuinæ personæ hic, quam ibi: probatur maior: quia nomen Trinitatis est impositum ad significandum diuinas personas; nomen autem Christi non fuit impositum, nisi ad significandũ personam Saluatoris, alias autem personas dat tantum intelligere per correspondentiam effectus ad causam.

Richardus. Scotus. Tertia opinio est Richardi in 4. d. 3. ar. 2. q. 3. ad 10. & Scoti in hac quæst. sub litt. I §. sed an modo esset baptizatus, &c. qui neutram partem audent definire, sed dicunt, quod si aliquis modo esset baptizatus in nomine Christi, tutius esset eum sub conditione rebaptizare. Ratio autem Scoti est: quoniam Apostoli verum conferebant sacramentum ex dispensatione Dei, & non legitur vbi dispensatio sit reuocata, ergo videtur quod nunc datetur verus baptismus sub tali forma. Ex altera tamen parte videtur quod iam dispensatio cessauit, quia cessauit ratio dispensationis, cum nomẽ Christi sit plene exaltatum, & diuulgatum, propter hanc rationẽ Doctor. sub. neutram partem determinat, sed dubius remanet.

Vnde ad hanc difficultatem his conclusionibus respondendum existimo. *1. Conclusio* Prima Conclusio. Baptizans nunc in nomine Christi tantum, peccaret mortaliter. hæc conclusio est Scoti vbi supra, & probatur. legem superioris nemo potest dispensare nec simpliciter, nec ad tempus, sed sic est quod lex de baptizando est sub tali forma. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, instituta à Christo; ergo nullus inferior Deo potest eam reuocare, atque adeo baptizans sub nomine Christi tantum, peccat mortaliter. Et si dicas quod Christus dispensauit in tali forma in primitiua Ecclesia. Dico quod verum est, ea ratione, vt nomen Christi clarificaretur in orbe, verum illo tempore dispensationis diuinæ transacto, sola forma illa manet, quæ ab initio instituta est à Christo Domino, & promulgata Matt. vltimo, quoniam causa cessante, cessat etiam effectus, vt dictum est supra.

2. Conclusio Secunda Conclusio, opinio secunda videtur mihi verior, tum propter rationes quibus fulcitur, tum etiam quia à tẽpore Nicolai nusquam legitur baptismum datum in nomine Christi tantum; quinimo prohibetur talis baptismus in cap. Si re vera; & in cap. Multi. Si autem verus esset baptismus, qui modo daretur in nomine Christi, non est dubiũ, quin in aliqua prouincia, vel natione baptizarentur aliqui in nomine Christi, maxime cum accipere possent exemplũ ab Apostolis; qui in nomine Christi baptizauerunt, & à Nicolao Papa, qui tale baptismum videtur approbare.

Præterea forma tradita semper manet forma nisi fiat dispensatio ab institutore, sed sic est quod talis forma: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fuit instituta à Christo; nec facta fuit dispensatio nisi pro aliquo tempore, quo cessante dispensatio cessauit, & forma pro illo tempore instituta, ergo baptizans sub nomine Christi tãtum, nihil facit.

Tertia Conclusio. Nihilominus non auderem adeo intrepide secũdam opinionem defendere, quod si aliquis mihi offeretur baptizatus in nomine Christi, determinarem esse iterum baptizandum sine conditione, sed tutius mihi videretur eum sub conditione baptizare dicendo. Si baptizatus es non baptizo te, si non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *3. Conclusio.*

Ad primum argumentum primæ opinionis varie à Doctoribus respondetur. alijs tamen omissis, respondet primo Gabriel, art. 3. dub. 1. quod decretum Nicolai referendum est ad tempus Apostolorum, ita vt dicere voluerit tũc temporis valuisse baptismum, ita vt sit sensus, verus erit baptismus; in nomine Christi sicut in actibus Apostolorum legitur &c. concurrente nempe eadem necessitate, & causa, quæ tunc legitur concurrisse. ita etiam Decretum Nicol. interpretatur Duran. hac d. q. 1. nu. 9. *Gabriel. Durandus.*

Secunda responsio est, quod Nicolaus fuit illius opinionis, a cuius sententia licitum est nobis discedere adhærendo Sanctorum dictis, & aliorum Pontificum decretis, quæ efficacius vrgent. Nam in illo capitulo inter respondendũ admiscuit opinionem suam, quod scilicet valeat baptismus in nomine Christi, at illud propriè ac præcise in illo decreto definiuit, de quo in primis consulebatur, nempe valere baptismum non obstante, quod cõferatur ab aliquo Iudęo, si cætera non defuerint. id vero certum est: quia baptismus non pendet ex fide, aut conditione Ministri. Et habemus passim alia exempla, in quibus Pontifices, & Concilia, definiunt id tantum, quod præcipue quæritur, non autem alia de quibus propriè non dubitatur.

Tertia responsio est, quod licet Papa determinet ibi de fide tamquam Papa, & non tamquam Doctor, non est tamen de fide, quod baptismus in nomine Christi sit verus: quia in illo cap. non petebatur a Papa, quod determinaret de forma baptismi, sed de ministro, nimirum an baptizatus a Iudæo esset rebaptizandus, & tatio dubitationis illorum erat. non quia in hac, vel illa forma Iudæus baptizaret, sed quia timebant an Iudæus esset, & dubitabant an infidelitas Ministri irritum faceret sacramentum baptismi. Ad quod respondet Papa, quod nihil obest sacramento quod Minister sit infidelis, & hoc est de fide tenendum ex illo decreto. si verum sit quod Papa ibi determinet de fide, q̃d dico quia Epistolæ illa ex quibus Gratianus refert se sumpsisse illa decreta non leguntur integræ in tomis Conciliorum, atq; adeo ex illis decretis, vt sunt apud Gratianum, habemus quidem eos Pontifices docuisse necessariam esse trium personarum inuocationem, & non satis esse Christi vel vnius personæ appellationem, non vero satis constat eos pontificia authoritate definiuisse hanc inuocationem debere esse explicitam, & non satis esse implicite contentam in nomine Christi; atque ita dicendum puto de hoc Nicolai decreto; Verum si de fide definiat id tantum definit q̃d de Ministro ab eo petebatur: quod autem addit. Si in nomine Christi baptizati sunt obiter dicit, quia hoc ab illo nõ petebatur, & ideo non est de fide. aliàs si omnia, quæ in illo decreto habentur, essent de fide, sequeretur de fide esse, quod Apostoli baptizauerunt tantum in nomine Christi; quæ licet sit opinio multum probabilis, non est tamen de fide, cuius oppositum sit hæresis, imo Sotus in 4. dist. 3. artic 6. Bell. libro primo de baptismo. cap. 3. & Suarez tomo. 3. disputat. 21. sectio. tertia, oppositum vt probabilius sustinent. *Sotus. Bellar. Suarez.*

Ad secundum argumentum nego consequentiam propter rationem ibi assignatam: ad improbationem dico primo, quod forsitan vsque ad illud tempus currebat eadem ratio, quæ tempore Apostolorum vrgebat, vt baptizaretur in nomine Christi. Secundo dico, quod Nicolaus fuit opinionis illius.

Sed dubium est, qua ratione colligitur Apostolos habuisse talem dispensationem; Dico quod ex hac ratione colligi potest. Quia Christus præcepit baptizari, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; at nemo facere potest contra Christi institutionem nisi ex Dei dispensatione, ergo Apostoli aliter baptizantes, quam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, id faciebant ex speciali dispensatione Dei. Et si quæratur quando cessauit talis dispensatio: Dico quod de tempore certo reuocationis illius

Digitized by Google

non potest nobis constare: quia non est locus expressus in diuina scriptura, nec in aliquo Concilio, nec indeterminatione pontificis, vbi talis dispensatio legatur reuocata. Nihilominus certum est nobis iam esse reuocatam. Si quidem a tempore Nicolai talis baptismus non solum non est auditus in ecclesia, quinimo prohibetur in capitulis citatis pro secunda opinione; si autem hæc dispensatio non esset reuocata; non est aliqua ratio propter quam baptismus in nomine Christi fuisset ab Ecclesia reiectus.

Ad tertium nego maiorē, & ad probationem dico, quod licet in nomine Christi aliquo modo includantur pater & spiritus sanctus, includuntur tamē implicite, & confuse, quod non sufficit ad veritatem baptismi, quia iuxta Christi institutionem personæ diuinæ sunt inuocandæ distincte. Dico secundo, quod licet Pater & spiritus sanctus includantur in nomine Christi, quatenus vngentes ipsum; tamen Christus non est nomen patris, & spiritus sancti, sed nomē eius, qui vnctus est à Patre, & spiritu sancto.

Ad illud D. Bernardi dico, quòd sententia eius durior est, ac difficilior. Nam sine dubio hæc forma, baptizo te in nomine Dei, & Sanctæ Crucis, nullo modo est sufficiens

Marsilius. nisi per Deum intelligamus patrem, est filium, & spiritum sanctum, vt Marsilius exponit, & addas non sufficere, vt ab audientibus intelligatur, nisi in ipsa forma exprimatur, vt satis dictum, & probatum est.

Concludendum est ergo cum Doct. nostro sub. quod si aliquis modo de facto ostenderetur baptizatus, tantum in nomine Christi esset sub conditione, saltem baptizandus modo supra explicato, & vniuersaliter in omnibus dubijs, quantum ad materiam & formam sacramentorum sunt tres maximæ vel regulæ. Prima est. Si possibilitas adest via tutissima est eligenda. Secunda si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima est tenenda. Tertia est ista, cessante impossibilitate caute est supplēdum, quod impossibilitas pro-

Tataretus. hibebat. Exemplificat Tataretus ponendo casum, quod aliquis commiserit furtum, & habeat vnde restituat. Via securior est illi restituere, cuius est debitor, non autem eleemosynas facere; si autem non potest restituere, cui est debitor: quia forte mortuus est, via tutissimæ propinquior est, reddere suis hæredibus. Si autem non habet hæredes, debet consulere maiores; & post consilium debet facere eleemosynas, vel orare pro salute animæ eius, si eleemosynas facere non potest.

ARTICVLVS XII.

Vtrum variatio formæ secundum additionem, vel diminutionem impediat sacramentum.

IN hoc art. agimus de mutatione formæ secundum quantitatem: nam additio, & diminutio quantitati congruūt. fit autem huiusmodi mutatio, quando additur, vel tollitur

Ale. 8 Ales. aliquid ab illis verbis. Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti.

Pro cuius explicatione obseruan. est secundum Alex. de Ales p. 4. q. 8. m. 3. art. 3. de mutatione, & variatione formæ baptismi. §. 1. Quod secundum additionem potest, fieri mutatio multipliciter; quia potest fieri additio in principio, in medio, & in fine: In principio, vt si diceretur. Ego vero baptizo &c. in medio sic. Ego baptizo te in nomine Patris Beatæ Mariæ, & filij, & spiritus sancti; in fine, & Beatæ Agnetis.

Secundo obseruandum est, quod circa additionem duo consideranda sunt, vnum ex parte addentis, aliud ex parte additi. Si enim illud, quod addens addit intendat esse de essentia forma, volens baptizare in forma alia, quam ecclesia baptizet tollitur virtus baptismi, quia ad hoc, quod virtus baptismi remaneat requiritur, quod baptizans intendat illud, quod facit ecclesia vt infra diffusius explicabitur. Si autem addens non intendat mutare ecclesiæ formam, & illud quod addit non est corruptiuum formę, non tollitur propter hoc baptismi virtus.

Tertio obseruandum est, quod ad hanc mutationem spectat etiam interpositio, quæ in collatione sacramenti maxime attendenda est: nam cum actus baptizandi, verbi gratia, sit vnus, si fiat interpositio talis; quod corrumpat integritatem actus, maxime si corrumpat continuitatem intentionis baptizantis, non manet virtus baptismi, si autem interpositio sit modica, ita quod non discontinuet intentionem baptizantis, neque actum, & interpositum non sit corruptiuum formæ, non impeditur baptismi virtus.

Quarto obseruandum est, quod forma verborum in tribus consistit, in significatione, integritate, & ordine, quæ tria oportet obseruare. Significatio vt si in pluribus linguis baptizetur, vt si institutio facta fuerit in Hebræo, & debeat fieri in Latino, debet fieri translatio de verbo ad verbum, non transferendo nomen æquiualens tantum, vt si loco patris diceretur gignens non esset baptismus, vt diximus sup. Integritatem similiter seruare oportet, vt si committatur dictio vel syllaba, nisi ab ignorante linguam non est baptismus secundum aliquos, ordinem etiam obseruari oportet, vt scilicet tali ordine proferantur, quo à Deo instituta fuerunt, verbis enim tali ordine prolatis & nō alijs dedit Deus virtutem sanctificandi, si autem corrupte proferantur aliqua verba ex sola ignorantia linguæ, baptismus est. Sed de hoc explicatius infra.

His obseruatis sit prima conclusio. Si mutatio fiat præponendo, vt si dicatur. Ego te baptizo in nomine Beatæ Mariæ Patris & filij, & spiritus sancti. non est sacramentum, ita etiam si in medio, vt si dicatur. In nomine Patris & Beatæ Mariæ, & filij &c. non est baptismus; quia integritas forma non seruatur, cui data est virtus. Non enim in nihil dictum est, in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, cum eo quod præcessit, scilicet ego baptizo te. Si vero ponatur in fine, & dicatur. Ego te baptizo in nomine Patris & filij, & spiritus sancti, & Beatæ Mariæ: dicunt quidam, quod si addatur ex sola deuotione nec intendatur, quod sit de essentia formæ erit baptismus, si vero credat illud esse de essentia formæ, & propter hoc sic proferat non erit baptismus. Cæterum quia in nomine idem significat, quod in virtute, vel in authoritate, aut in fide, virtus autem baptizandi est penes Trinitatem non penes creaturam; in nomine, id est, in virtute alicuius creaturæ non baptismus, Vnde cum dicitur in fine, & Beatæ Mariæ repeti videtur in nomine, atque adeo datur intelligi, ex vi verborum quod in virtute Beatæ Maria conferatur baptismus, quod falsum esse constat. Si autem adderetur in fine, & Beata Maria te custodiat &c. cum nulla fieret ipsius formæ variatio esset vere sacramentum. 1 Conclusio

Secunda conclusio, si aliquid additur repugnans istis verbis, nō est verus baptismus, vt si dicatur. Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & filij minoris. Si vero id, quod additur consuetæ formæ sensum non variat, verum conficitur sacramentum. Patet: quia sicut cum substantialis formæ sensus variatur, non conficitur sacramentum, ita cum formæ substantialis sensus seruatur verum conficitur sacramentum. 2 Conclusio

Vnde sub forma hac si quis baptizaret. Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis & filij sapientis, & spiritus sancti illuminantis, vel diligentis verum sacramentum conferret, quia istæ additiones non mutant sensum formæ consuetæ. Similiter si sacerdos diceret ego Franciscus te baptizo &c. Similiter si diceret accipite & comedite cum reuerentia, Hoc est enim corpus meum, quod traxi de Virgine, vel quod pro vobis tradetur, dummodo illud, quod addit, non intendat esse de essentia formæ, istæ additionis non impediunt consecrationem: quia formæ sensus non variatur, sed integer manet.

Tertia conclusio, si addatur aliquid quod diminuant significatum illorum verborum nullus est baptismus, vt si apponatur aliqua conditio, quæ non existat, verbi gratia dicendo, si ego sum Episcopus ego te baptizo; vel si apponatur conditio aliqua impossibilis propositionem falsificans, vt si dicatur, si ego sum omnipotens baptizo te &c. vel si apponatur aliqua disiunctio, velut si dicatur. Ego te baptizo in nomine Patris, vel filij, vel spiritus sancti. Quia disiunctiua non ponit determinate alteram partem, non est verus baptismus. probatur: quia vbi non manente forma baptismi, non manet baptismus, sed in his euentis, non manet forma baptismi, ergo nec baptismus. probatur minor, vbi destruitur sensus formæ, non manet ipsa forma; at vbi fit additio verbis formæ repugnans non manet sensus formæ, ergo &c. 3 Conclusio

Quarta

Digitized by Google

4. Conclusio Quarta Conclusio, si in medio formæ interponatur aliquid, quod non destruat formæ vnitatem, nec quo ad actus integritatem, nec quo ad intentiones baptizantis continuationem, verus est baptismus, conclusio patet: quia manet forma, ergo & baptismus manet. Vnitas autem formæ debita quando destruatur, vel interrumpatur, & quando non ex alijs humanis actibus iudicandum est: quando enim ex communi sermone, propter alicuius impertinentis interpositionem, non iudicatur quin possit sermo præcedens continuari, non est interpositio talis, qua sermo interrũpi iudicetur, ita similiter in formis sacramentorum iudicandũ est: nam quando pars formæ prolata potest cum sequenti continuari, non iudicatur actus interruptus, neque baptizantis intentio non continuata. Vnde si quis diceret: Ego te baptizo, & statim baptizans tussiat, vel dicat: recedite hinc, B. siue serua candelam, vel accende candelam, & immediate subiungat, in nomine Patris & Filij &c. vel si dicat. Hoc est enim (tacete) corpus meum, non obstante tali interpositione manet debita formæ vnitas, & per consequens verum sacramentum.

5. Conclusio Quinta Conclusio, si id quod interponitur destruat formæ vnitatem, & quo ad actus integritatem, & quo ad continuationem intentionis baptizantis, non manet sacramentum, patet, quia non manente forma, sacramentum non manet, atque adeo si interpositio continuationem orationis dissoluat, ita ut sensum orationis tollat, vt si quis diceret. Ego te baptizo, & interponeret narrationem longam, vel vadat ad aliquod negocium peragendum, & postea subiũgat in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti Amen. nullum esset sacramentum, quia per eiusmodi interpositionẽ amittitur sensus orationis inceptæ, & formæ vnitas, & continuitas dissoluitur; atque adeo propter talem interpositionem necessarium est de nouo incipere orationem, & eamdem continuare, & complere.

6. Conclusio Sexta Conclusio, si aliquis diceret subtrahendo, Ego te baptizo nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non esset sacramentum; quia nihil est dicere nomine Patris, vel oratio redditur ambigua, si autem non scienter, sed ex linguæ defectu inaduertenter, aut ex idiomatis proprietate, in qua idem significaretur, per illam particulam in nomine, & per illam nomine absq; præpositione in, sicut idem valet, ego baptizo, & baptizo, pie credi potest, quod esset baptizatus ita Gab. ex Altense.

Gabriel. 7 Conclus. Septima Conclusio, si quis dimitteret coniunctionem, &, dicendo. Ego te baptizo in nomine Patris, filij spiritus sancti Amen. esset baptizatus, quicquid dicat Gabriel, dicendo, quod nihil fieret, quia, vt inquit, ad denotandum personalem distinctionem inter patrem, & filium requiritur cõiunctio copulatiua: quoniam posset coniunctio subintelligi, nec formę sensus destruitur.

8. Conclusio Octaua Conclusio, si baptizans aliquod ex illis verbis, Patris, & filij & spiritus sancti subtrahat, non efficit Sacramentum: patet, quoniam cum necessario requirantur in forma baptismi, alicuius illorum verborum subtractio, destruit sensum forma, & per consequens non manet forma, atque adeo nec sacramentum.

Nona Conclusio, si subtrahatur, per syncopam aliqua syllaba, quæ non destruat sensum verborum formæ, est verus baptismus probatur: quia Deus noluit obligare homines ad proferendum verba in sacramentis, nisi illo modo, quo sufficiunt ad exprimendum conceptum loquentis, ablata autem per syncopam aliqua syllaba, bene intelligitur conceptus loquentis, vt si quis diceret ego te baptizo in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Secus autem esset si syllaba subtracta impediret ne audiens perciperet loquentis conceptum, vt si quis diceret. Ego te baptizo in nomine patris, & filij & spiritus sancti, Tunc enim cum non seruetur forma, non confertur baptismus.

Cauenda est tamen syncopatio magis in verbis sacramẽtalibus, quam in alijs verbis propter reuerentiam Sacramenti inquit, Scotus, cuius sunt omnes istæ conclusiones, in hac quæst. sub art. 11. & n. Hoc tamen, inquit, auderem dicere, quod non vitans eam peccet mortaliter, si non vitat non ex contemptu, sed ex quadam infirmitate, vel inconsideratione humana, quæ non præcauet omnibus quantum potest.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum variatio formæ secundum terminationem impediat sacramentum.

IN hoc art. agimus de mutatione penes qualitatem, quæ fit cum verba corrupte proferuntur, & ratio dubitandi est, quia verbum corruptum, vel nullius est intellectus, vel nõ est illius cuius est, si integritate sua proferatur, vt patris, patrias enim alterius est significationis, quod patris, vel nullius, sed virtutem significandi non contulit Deus nisi habẽtibus intellectum suæ impositionis ergo &c. Item duplex intentio requiritur in sacramentis, scilicet intentio Ministri, & Verbi, intentio autem verbi est significare illud, ad quod institutum est, sed non est baptismus si deficiat intentio ex parte ministri, ergo similiter non erit si deficiat intentio ex parte verbi, imo potius videtur, quod requiratur intentio verbi, quam ministri, quia verbum est de substantia Sacramenti, non sic minister: Patrias enim non intendit significare, quod patris, sed illud ad quod significandum imponitur.

Pro explicatione huius difficultatis obser. est, quod orationes quandoq; significant ex veritate impositionis, sicut quæ integre proferuntur, interdum ex accõmodatione vsus, sicut quando corrupte proferuntur, dummodo corruptio non tollat aptitudinem significandi illud, ad quod impositum est. v.g. perfecte, & integre sermones pronuncians denunciat illis, quod significant veritate institutionis, sed paruulus balbutiens id significat ex accõmodatione vsus. Illum enim eumdem intellectum, quem instituet in ipso sermone integro, accõmodat vsus termini corrupti neque est necesse, vt verba sic corrupta per se sumpta habeant in rigore illam significationem, quam habent non corrupte prolata, sed satis est, quod ex modo, quo hic, & nunc proferuntur iuxta communem concipiendi modum, talem sensum generent in audientibus, sicut in prædicto, exemplo vox patrias per se sumpta in rigore longe aliam significationem habet, quam vox patris, tamen posita in illa oratione, & accõmodata illi actioni, iuxta communem modum concipiendi idem significat, atque eumdem sensum reddit, & hoc satis est, vt illa mutatio accidentalis censeatur.

Secundo obser. est, quod multum interest an corruptio fiat in principio dictionis, vel in fine, quoniam quando corruptio in principio dictionis contingit, frequentius est mutatio substantialis, & omnino formæ sensum mutat vt si loco patris, dicatur Matris, vbi solum prima littera dictionis mutatur, quod sæpe fortasse est in aliquibus vocibus Latinis, ut Apis, & Lapis. nam in alijs fieri potest, ut maior sit mutatio in fine dictionis facta, vt si pro baptizo, dicatur baptizor, & sic de alijs Quapropter communis sensus, & modus concipiendi potissimum est consulendus. ac fortasse magis confert obseruare an corruptio talis sit, vt cum illa verba non habeant alium legitimum, & cohærentem sensum præter sensum formæ, nam tunc regulariter eumdem sensum retinent, atq; ita corruptio erit accidentalis. & eiusmodi est illa, in nomine patrias &c. Quando uero per corruptionem transeunt uerba in aliam significationem ualde diuersam legitimam, & cohærentem orationi, qua resultat ex uerbis sic corruptis, tunc regulariter est mutatio substantialis, uel ut minimum reddit formam ualde dubiam, ut patet in illis mutationibus in nomine matris &c. vel ego baptizor, & sic de alijs. uide Alex. de Ales ubi supra. Alexan. de Ales

1. Conclusio His obseruatis sit prima Conclusio. si hæc mutatio non impediat quo minus intelligatur conceptus baptizantis, hoc est, si sit talis incongruitas in fine alicuius dictionis, quæ nõ prohibeat quin possit capi conceptus significatus per uerã baptismi formam uerum confertur baptisma. probatur ex cap. Retulerunt de consecrat. d. 4. ubi Papa refert de sacerdote, qui propter linguæ Latinæ imperitiam baptizauit in nomine patria, & filia, & spiritu sancta, quod si hoc fecit ex imperitia linguæ Latinæ non intendens errorem inducere, uere baptizauit, & ratio est, quia percipitur uerus sensus ab audiente sic corruptæ formæ prolationem. Experimur enim audientes quosdam illiteratos incongrue loquentes, quod concipimus, quod dicere uelint, etiam quo ad singula uerba, quia ex accõmodatione usus, ex qua significatio uerborum oritur, uerba corrupta, & integra idem significant

ficant, ex quo sequitur, quod si sacerdos ex imperitia sermonis, vel ex linguæ defectu diceret, hoc est corpu meum, vel hoc est corpum meum, vel corpus meus, vere conficeret. Ita etiam si quis non posset pronunciare corpus, vel patris ita vt diceret orpus vel patis, quamuis corpus non significet, corpus secûdum primariam institutionem, tamen orpus significat corpus secundum accommodationem nô potentis pronunciare, atque ita dicendum est de patis, atque adeo si quis consecraret dicendo, hoc est orpus meû, si nô posset aliter pronunciare, vere consecraret, & similiter si quis baptizaret in nomine patis, & fili, & Spiritus sancti, vere baptizaret.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Si esset talis corruptio, quod non remaneat significatio nec secundum primariam impositionem, nec secundum vsus accommodationem, ita vt conceptus baptizantis intelligi minime possit nullus est baptismus, velut si quis diceret. Ego te baptizo in nomine pa, & fi, & Spu sa, vel si quis diceret, ego te baptizo in nomine matris &c. vel ego baptizor te in nomine patris, &c. patet: quia iam illa non erit forma baptismi, siquidem aut nihil significat, aut est alterius significationis a formæ institutæ a Christo significatione, atque idem est iudicium, si quis baptizando diceret. Ego te baptizo in nomine patrium, filiû, & Spiritum sanctum: quia audiens non perciperet quid baptizans dicere velit. ita Scotus in hac q. sub litt. O. §. de tertia, &c.

Ad rationem dubitâdi nego, quod sermones corrupti nullum intellectum faciant; significant enim ex vsus accommodatione, ex quo etiam habent intentionem proferêdi illud idem quod denotaret sermo cum integritate prolatus.

Et si dicas oratio constat ex suis dictionibus, nec est oratio eadem, quæ prius, si subtrahatur dictio vna, similiter est de dictione respectu syllabarum, & de syllabis respectu litterarum, igitur subtracta littera vna, vel non est dictio, vel non est eadem quæ prius, sicut patet de hac dictione lapis a qua si prior littera subtrahatur iam non est eadem dictio, & diuersum habet significatum, nam prius significabat corpus inanimatum, nempe lapidem; & postea corpus animatum, scilicet animal quoddam, quod appellatur apis, sed si nô est eadem dictio, quæ prius, ergo nec oratio cuius erat pars integralis erit eadem, atque adeo subtracta syllaba deperit oratio, vel non est illa, quæ prius.

Dico, quod licet ex subtractione litteræ, vel syllabæ fiat aliqua materialis variatio in oratione, non fit tamê variatio quantum ad intellectum orationis, & dico intellectum accommodatum, cum enim dicitur in nomine patria, & filia, & Spiritu sancta, constat quod hic est quædam materialis variatio, nihilominus secundum accommodationem vsus idem significat, quod ipsa integrè, & incorrupte prolata.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum transpositio verborum variet formam sacramenti.

IN hoc art. agitur de mutatione, quæ spectat ad prædicamentum vbi. Et ratio dubij est: quia ad veritatem, & integritatem formæ non requiritur nisi intellectio, & numeratio formæ, sed idem est intellectus, & numeratio eadem cû dicitur, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti baptizo te, & cum dicitur Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti; quia secundum philosophum, lib. 2. Perihe. nomina, & verba transposita idem significant, & eadem est confessio fidei, ergo transpositio verborum non variat formam sacramenti.

Ex altera parte videtur quod non solum requiratur in forma sacramenti, (& maxime huius, quod est necessitatis) numerus dictionum, sed etiam ordo, ergo si ordo peruertitur non est forma conueniens, & confirmatur: quia ordo est de institutione formæ, & ordo vnicus, ergo ille est obseruandus, atque adeo illo non obseruato, non videtur esse baptismus.

Pro solutione obseru. est, quod si transpositio fiat talis, qđ sensum quem ex vi ordinis verborum habet mutet, impeditur sacramentum; si autem talis transpositio sensum orationis non variet, & ex certa malitia non fiat, non tollitur baptismus. Hoc supposito sit prima Conclusio. si hæc muta-

1. Conclusio tio destituat sensum formæ, quem habet ex vi ordinis verborum, nullus est baptismus, vt si dicatur. Ego patris baptizo, te in nomine filij, & Spiritus sancti; patet, quia talis variatio aufert conceptum formæ, vt instituta est, idest, quem habet ex sua institutione. Nam ex vi istius ordinis verborû sensus est. Ego qui sum patris, baptizo te &c. vnde illa particula in nomine, non applicatur patri, sed tantum filio, & Spiritui sancto, atque adeo non est ibi baptismus.

Secunda Conclusio. Quando transpositis terminis substâ 2. Conclusio
tialis formæ sensus seruatur, verum conficitur sacramentû; patet, quia seruatur forma sufficiês, cum maneat sensus formæ consuetæ, & per consequens erit verum sacramentum; Vnde si dicatur patris, & filij, & Spiritus sancti in nomine baptizo te, vel in nomine filij, & patris, & Spiritus sancti baptizo te, erit verus baptismus, quoniam etsi congruum sit in prolatione personarum seruare ordinem earum secundû originem, sitque hoc necessarium ex parte ministri, non videtur tamen omnino necessarium ex parte sacramêti: quia personæ diuinæ quocunque ordine nominatæ sint, sunt vnû efficiens principale in baptismo, & vt sic inuocantur. hæc cô
clusio sicut præcedens est Scoti in hac quæst. sub litt. P. §. de Scotus.
quarta &c.

Oppositum tamen huius secundæ conclusio videtur tenere Alex. de Ales. vbi supra: nam dicit quod si quis dice- Alex. de Ales.
ret. In nomine patris baptizo te, & filij, & Spiritus sancti, non esset baptismus: quia hac prolatione, inquit, insinuatur non esse fides, & virtus vna, qua baptizaretur. Præterea in personis est ordo naturæ, qui designatur in forma illa, & virtus vna, ergo non præsumitur baptismus fieri, vbi in verbis ordo ille non obseruatur, & diuersitas siue diuisio virtutis insinuatur. Vnde si diceretur baptizo te in nomine spiritus sancti, filij, & patris, non esset baptismus: quia de institutione formæ est ordo sicut & numerus. Cæterum tenenda
est sententia Scoti, quæ est etiam D. Bonau. hac d. p. 1. art. 2. D. Bonau.
q. 3. ad 4. Nam si huiusmodi transpositio fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione, non impedit sacramentû: quia ordo intelligitur in illis verbis, scilicet quod filius a patre procedat, atque ita non oportet exprimere ordinê sicut nomina personarum.

Ex hoc sequitur primo, quod si sacerdos dicat, hoc meum est corpus, vel hoc est meum corpus, vere conficeret sacramentum, nec amplius peccaret quam venialiter, nisi ex côtemptu, vel ratione scandali non fuerit culpa mortalis.

Secundo sequitur, quod licet sacerdos ex industria corrûperet fines vocum in forma sacramenti, adhuc vere sacramêta conficeret. probatur: quia quandocunque minister seruat sufficientem formam sacramenti animo faciendi, quod ecclesia facit, & Christus faciendum instituit, vere conficit sacramentum; sed qui ex industria corrumpit fines terminorum, ita se habet si Theologus sit, & huius opinionis, ergo vere conficit sacramentum: consequêtia probatur; quia sensus formæ substantialis manet illæsus cum tali variatione: balbutiêtes enim in Comœdijs ex industria non mutât orationis sensum; eundem enim concipiunt sensum audientes verba integra, & corrupta, ex accommodatione vsus. Peccaret tamen minister, ita de industria corrumpens formæ terminos, & grauiter quidem non tamen mortaliter, vt ego quidem sentio, nisi vel ex contemptu, vel ratione scandali. Quod probo generaliter hac ratione. Quoniam charitas Dei, vel proximi non violatur, peccatum mortiferum non committitur; sed in prædictis variationibus non violatur diuina charitas, quia non agitur contra primæ tabulæ præceptum, siquidem seruatur sensus formæ a Christo Domino institutæ, neque agitur contra præceptum secundæ tabulæ, cum proximus non lædatur, quandoquidem verum recipit sacramentum, sed neque sacramento grauis irrogatur iniuria, ergo in prædictis variationibus peccauit minister venialiter tantum, nisi alias vel ex contemptu, vel ratione scandali fieret culpa lethalis, quia ista peccata in genere sunt sacrilegij, quod est religioni contrarium, eo enim res sacratissima violatur, ex quo fit in genere suo esse mortale; ratione tamê leuitatis materiæ; quia leuis corruptio est, vel quia deliberatio non fuit plena, vel ex negligentia leui, potest culpa tâtum esse venialis.

Cum enim hac triplici de causa genus omne peccati, etiâ si naturali iuri, aut diuino sit aduersum fiat veniale: nulla est causa quare in præsenti materia idem non accidat. Vbi autê de industria tanta fieret, vel mutatio, vel corruptio, vt sacramenti integritas variaretur, nec legitimus sensus formæ maneret

neret

neret, absq; dubio mortale sacrilegiū esset, imo ēt si fieret ex notabili negligentia, vix posset a mortali excusari, fieret nāque grauis iniuria rei sacræ, poterit tamen negligentia esse tam modica, videlicet tam præcipitata prolatio, vt grauior culpa non esset, quam venialis, imo potest casus tam repētinus accidere, quo ministri animus diuellatur ab eo, quod agit, vt etiam si formam Sacramenti prætermittat, nullum comitterur peccatum.

Et si quæras. An si quis loco meum, mutata m, finali dicat meun, per n, vel si pro est velocitate linguæ. dicat es, fiat consecratio, dico quod sic, & nullus est admittendus scrupulus: Nam ex accommodatione vsus seruatur legitimus sensus formæ, nec Deus, vt inquit Scotus, voluit omnino determinare hominem ad verba in sacramentis vltra illum modum, quo verba sufficiunt ad exprimendum conceptum. Et Hispani, vt inquit Sotus d. 1. q. 1. art 8. difficile pronuntiant m, in fine dictionis, vel t. post s, etiam in fine dictionis, & tamen conficiunt, imo quamuis non adhibeatur diligentia proferendi m, finalem in prædicta dictione, vel si forte non proferatur t, in verbo est, nullam profecto existimo culpam incurri: neque n. aquila capit muscas, neq; Deus Optimus Maximus tam obseruator est minutiarum istarum. Sed neque omittere particulam enim, inter consecrandum corpus etiam ex negligentia quantumuis crassa, & supina, erit culpa plusquam venialis, vt asserit Sotus vbi supra, qui idem dicit esse iudicandum, de similibus variationibus, & corruptionibus parui momenti.

Scotus. *Sotus.*

Ad rationem dubitandi dico, quod transpositio, quæ mutat sensum orationis impedit Sacramentum, & cum dicitur quod nomina, & verba transposita idem significant, dico quod propositio Philosophi est vera absolute de nominibus transpositis. s. quantum ad conceptum simplicem terminorum, sed non sequitur, quod conceptus totius orationis, ex talibus nominibus, sic, vel sic transpositis, sit idem, forma autem non tantum consistit in significatione incomplexorum, sed in significatione totius orationis, qui tamen conceptus orationis totalis ad veritatem sacramenti requiritur. Ad aliud dico, quod ordo verborum seruandus est, quando non seruatus non retinetur legitimus formæ sensus, alias non est facienda vis in transmutatione, dummodo intellectus formæ nullo modo varietur.

QVÆSTIO III.

Vtrum sola aqua naturalis pura sit materia baptismi conueniens.

LOquitur Scotus in hac quæstione, quemadmodum & alij Theologi de materia baptismi eo modo quo locutus est supra de eiusdem baptismi forma; nempe metaphorice, & non proprie, nam capiendo materiam, & formam proprie pro altera parte compositi substantialis; In sacramentis non est assignare, neque materiam, neque formam, cum sacramentum non sit compositum substantiale per se vnum, sed vel operatio quædam circumstantionata verbis, & intentione &c. aut aggregatum ex his, vel species sacramentales permanentes, vt in Sacramento Eucharistiæ; sed hic capitur materia metaphorice.

Et hoc dupliciter: Nam quia Sacramentum est signum sensibile, duo in eo considerantur, s. sensibile aliquod, quod significat effectum sacramentalem, & ipsa significatio propter quam sensibile signum, est impositum ad significandū pro primo supponit nomen sacramentum, & secundum dicit de formali, atq; ita primum. s. signum sensibile, est materiale, vel substratum, secundum, id est, significatio est formale, & sicut in composito substantiali materia substat formæ, & forma dat esse specificum composito, sic in importatis, per terminos connotatiuos, significantes substantiam, et accidens sibi inhærens, significatum substantiue est materia, siue subiectum denominatum a forma accidentali, quā dicit pro per se significato, & formale est forma accidentalis subiecto inhærens, vt patet de calido, albo, iusto, studioso &c. Et hinc generaliter significatum substratiue, per quoscunq; terminos connotatiuos dicitur materia, & significatum formale dicitur forma, atq; ita loquendo de sacramentis, omnia sensibilia in sacramentis res, operatio, & verba; vt in baptismo aqua, lotio, & verba, dicuntur materia, & ipsa significatio forma, cæterum in hac significatione non loquuntur communiter Doctores de materia, & forma sacramentorum.

Alio modo, quia in sacramentis est res aliqua sensibilis, vel corporea, quam D. August. & Hugo nominant elemētum, & verba sine quibus elementum non est sacramentū saltem in alijs ab Eucharistia, iuxta illud D. August. tract. 8. super Ioan. & refertur. 1. q. 1. detrahe, Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Elementum quia magis materiale vel corporale, dicitur materia, & verba quia magis spiritualia dicuntur forma, vt explicauimus supra, & ita communiter accipiunt Doctores materiam, & formam in Sacramentis.

D. August. Hugo.

Verum, quia in re sensibili duo frequenter sunt, operatio transiens, & res in qua fit operatio permanens, vt aqua, oleum, Chrysma &c. operatio, vt lotio, vnctio, dicitur materia propinqua, aqua, oleum, chrysma &c. materia remota, ratio patet, quia in rebus illis, vt permanentibus non est sacramentum sine operatione accedente, ideo Baptismus nō dicitur aqua sed lotio in aqua, vtramq; materiam tangit titulus quæstionis, quam in sex articulos diuidimus.

Primus Art. Vtrum aqua sit conueniens materia baptismi.

Secundus Art. Vtrum ablutio sit materia baptismi.

Tertius Art. Vtrum aqua artificialis possit esse materia baptismi.

Quartus Art. Vtrum aqua pura sit necessaria materia baptismi.

Quintus Art. Vtrum immersio sit de essentia baptismi.

Sextus Art. Vtrum trina immersio sit de essentia baptismi.

ARTICVLVS I.

Vtrum aqua sit conueniens materia baptismi.

DE materia baptismi non pauci errores extiterunt, vel adhuc etiam existunt. Primus fuit error Manicheorū, qui teste D. August. lib. de hæres. c. 46. baptismum in aqua non putabant adhibendum. quod videlicet aquam, vt res ceteras corporales non Deus, sed diabolus procreasset, qui fuit etiam error quorundam priscorum hæreticorum, qui Gnostici sunt appellati; hi enim negabant aquam sensibilem esse necessariam ad baptismum conficiendum, ita refert Irenæus lib. 1. contra hæreses c. 18. quos secuti sunt Seleuciani apud D. August. hæres. 59. & Pauliciani apud Euthymium 2. parte panopl. tit. 21. quos refert solis verbis baptizasse.

Errores de materia Baptismi. August. *Irenæus. Euthymius.*

Magis verecundi fuerunt Marcionistæ, qui & si crederent aquam esse opus mali principij, id est, Diaboli, non Dei boni, tamen eam adhibebant in baptismo ob Christi præceptum. Refert Theodoretus lib. 1. Fabul. hæret. se vidisse senem quemdam Marcionistam, qui fatebatur in misterio aquam adhibendam, & tamen ita illam oderat, vt faciem suam mallet proprio sputo, quam aqua abluere, ne videlicet creatore indigere videretur. Qui omnes consequenter asserunt in illis verbis Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. aquam metaphorice sumi, fortasse pro illa aqua de qua dicit idem Christus statim ca. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei &c. & Ezechielis. 36. Effundam super vos aquam mundam, quibus locis aqua gratiam significat.

Theodoretus.

Secundus error fuit Iacobitarum, qui materiam baptismi ignem esse asserebant, hi enim candenti ferro charactere Crucis baptizatorum frontibus inurebant, vt referunt Prateolus verbo Iacobitæ, & Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia hæresi 113. Non videntur autem hi hæretici negasse materiam aquæ, sed cum illa ignem coniunxisse, fortasse vt vtrumq; locum scripturæ proprie intelligerent, nempe illum Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & illum Matth. 3. vbi Ioan. Baptista dixit de Christo. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne. Hic error fuit etiā (vt refert Castro de hæresibus libro 3. verbo Baptismo hæres. 1.) Seleuci, & Hermiæ Galatarum, qui omnino aquam ex baptismo excludebant, idq; ob authoritatem scripturarum, quæ vbicumq; comparant baptismum Ioannis cum Christi baptismo, semper affirmant Christum baptizaturum Spiritu sancto, & igne Matth. 3. Lu. 3. Ioan. 1. Marci 1. Act. 1.

Prateolus Sanderus. *Castro.*

Ter-

Digitized by Google

Tertius error fuit flagellantium negantium iam nunc baptismum esse ex aqua conficiendum, sed ex proprio sanguine flagellis ex proprio corpore excusso, & ideo sectatores huius hæresis flagellantes sunt appellati, quia passim oberrabant se ipsos virgis, & nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, concidentes. quis autem eorum primus author fuerit ignoratur, sicut etiam vix coniectari potest, quo fundamento moti fuerint ad errorem adeo perniciosum confingendum, tanquam crudelem baptismum introducendum.

Alphonsus. Nisi dicatur vt dicit Alphonsus a Castro vbi supra hæresi 9. esse motos quadam allegoria, scilicet quando Christus aquam in vinum conuertit, significauit fore aliquando in ecclesia baptismum aquæ in baptismum sanguinis commutandum; quod non solum hæresis sed potius inepta, aut dementia dici deberet, quia hæc allegoria fundamentum non habet, & repugnat legi a Christo latæ: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & illi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, quæ lex sicut ecclesia, & Euangelium, perpetuo duratura est, sicut Christus subiunctis verbis significauit dicēs. Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.

Thomas Vualden. Quartus error est Ioannis Vuicleph. qui (vt refert Thomas Vualdens. tom. 2. de sacramētalibus, cap. 101.) verba illa. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto dicit significare passionem Christi propter aquam, quę exiuit de latere Christi pendentis in cruce, atque adeo aquam in illis verbis Christi metaphorice sumi, quemadmodum Matth. 3. Ioannes Baptista ignem per metaphoram intellexit, cum dixit. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.

Bellarm. Quintus error est Lutheri, qui in symposiacis, idest, conuiualibus colloquijs, c. 17. interrogatus. Num deficiente aqua liceat baptizare in lacte aut cereuisia, primum respōdit (vt refert Bellarm. libr. 1. de baptism. c. 2.) iudicio diuino id esse committendum, quibus verbis ostendit se non habere pro certo id, quod ex scripturæ, & totius ecclesiæ sententia certissimum est, nempe aquam veram, & naturalem requiri ad veritatem baptismi, tanquam eius necessariam materiam. Deinde addidit, quicquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptum ad baptizandum; at certe balnea vini, & lactis, nedum cereuisiæ fieri posse nemo dubitauit vnquam.

Conc. Trid. *Conclusio.* Aduersus hæc omnia deliramenta statuit Concil. Tridēt. sessio. 7. can. 2. aquam veram, & naturalem requiri ad baptismum. Vnde sit hæc conclusio. Aqua est materia remota, & mediata baptismi; Hæc conclusio certa est de fide, & definitur in Concil. Lateran. in cap. Firmiter de summa Trinit. & fide Cathol. & in Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. & in Concil. Trident. loco supra citato, & probatur ex scriptura, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c. in quibus verbis aqua propriè, & non metaphorice sumitur, vt constat primo ex regula interpretandi scripturam, nimirum quod proprietas verborum seruanda sit vbi aut eundem necessitas non cogit metaphorice interpretari, aut sufficiens authoritas non obligat, vel saltem facultatem non concedit ita interpretandi, alias nihil firmum, & stabile possemus ex scripturis habere, hoc autem maxime necessarium est in illis locis, in quibus, vel præcepta tradūtur, vel instituuntur sacramenta, quæ sunt & animarum medicinę, & ecclesiæ fundamenta.

Cōc. Later. *Conci. Flor.*

Item Act. 8. postquam Philippus Eunuchum catechizauerat dum irent per viam venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus, ecce aqua, quis prohibet me baptizari? intellexerat ergo baptismum in aqua sensibili sibi esse necessarium, quam intelligentiam veram esse confirmauit Philippus dicens, si credis ex toto corde licet, & infra descenderunt vterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum.

Item Act. 10. inquit Petrus. Nunquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? denique hanc conclusionem aperte confirmant verba D. Pauli, ad Ephes. 5. Mundans eam. s. ecclesiam, lauacro aquæ in verbo vitæ.

2 Conclusio *Alex. de Ales.* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Scotus.* Secunda Conclusio. Non desunt congruentiæ, quare sacramentum baptismi institutum sit in aqua naturali. Nam vt docent Alex. de Ales, p. 4. q. 8. memb. 3. art. 2. §. 1. D. Thom. in 4. dist. 3. q. 3. & 3. p. q. 66. art. 3. D. Bonauent. eadem d. p. 2. art. 1. q. 1. & Scot. in hac q. sub lit. B. §. Quare autem sic, &c. Aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & cōmunis, quæ quidem proprietates optime baptismo congruunt. Nam baptismus est ad reprimendum æstum concupiscentiæ, & hic effectus significatus per frigiditatem, secūdo baptismus est ad mundandam animam a peccato, flectendo inobedientię rigorem per gratiam lauantem, & hic effectus per aquā significatur, quæ cum sit fluida inter omnes liquores magis mundat. Vnde Hugo lib. 2. p. 6. c. 14. In solo, inquit, elemento aquæ sacramentum baptismi conferri institutum est; quia hæc sola plenam, & perfectam mundationem habet, alij liquores omnes aqua purificantur, & si quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aqua abluitur, & emundatur &c. tertio baptismus est ad illustrandum mentem claritate fidei, & hic effectus significatur per tertiam aquæ proprietatem, quæ est lucida, & transparens, per ipsam enim trāsit lumen, & illud sibi quodammodo incorporat. Vnde conuenit vt per ipsam virtutem verbi Deo agente transeat lux gratiæ ad animam; non quod sit gratia in baptismo sicut in subiecto, sed ratione virtutis communis, vt ex virtute verbi vitæ conferatur per gratiam vita spiritualis baptizato, si digne suscipiat, quarto baptismus est necessarius ad introducendum in viam salutis, & hoc significatur per quartam proprietatē aquæ, quæ necessaria est omnibus hominibus, & brutis. ideo dicit Philos. lib. de animalibus, quod aqua est principium animalium, quinto: quia lex illa cuius baptismus est initiatiuus est communis omnibus ad salutem, & hoc significatur per aquæ communitatem, fuit ergo necessarius baptismus in aqua, qua abundant pauperes, & diuites, vt nullus propter materiæ defectum se excusare posset, atq; adeo debuit institui in aqua naturali. *Hugo.* *Arist.*

Neque potest esse solidum fundamentum ad excludendam aquam a baptismo, eoque in scriptura gratiam soleat nomine aquæ appellari: quoniam etsi verum sit propter metaphoram, & analogiam: quia sicut aqua corpus, ita gratia animam mundat; in ea tamen metaphora adumbratam esse gratiam baptismalem dandam per veram, & sensibilem aquam, docet D. Cyprian. epist. 65. vbi varia Esaiæ loca in hunc modum exponit, & D. Hieron. epist. 83. ad Oceanum post medium, vbi varia congerit mysteria in aquis facta ob significationem huius sacramenti, & D. August. contra Fulgentium Donatistam non longe a fine, vbi inter alias adducit figuram aquarum, quas sanauit, & fœcundauit Elisæus, 4. Reg. 2. Videri etiam potest Cyprian. epist. 76. Basil. hom. 13. quæ est exhortatoria ad baptismum Iren. lib. 3. contra hęreses, c. 19. ac denique Innocent. in c. In quadam de celebrat. Missarum, vbi definit, & aquam, quæ de latere Christi manauit fuisse veram, & naturalem aquam, & in illa significatam fuisse aquam baptismi. *Cyprian* *D. Hieron.* *D. August.* *Basilius.* *Irenæus* *Innocent.*

Neque testimonia a Seleucianis allata concludunt, Nā non docent discrimen esse inter baptisma Ioan. & Christi, quod vnum esset in sola aqua, alterum in solo spiritu vel igne, sed quod vnum esset in sola aqua, alterum non in sola aqua, sed in aqua, & spiritu, vt dicitur Ioan. 3. Vnde 1. Ioan. 5. Hic est qui venit per aquam, & sanguinem, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.

Quod autem additur de igne Matt. 3. & Luc. 3. non significat aliquem ignem elementarem, vt stulte putarunt Iacobitæ, sed ignem quemdam cœlestem, & diuinum: nam ideo coniungitur cum Spiritu sancto, potest autem ille ignis, vel significare visibilem Sancti spiritus missionem, quando in linguis igneis in die Pentecostes missus fuit super Apostolos, iuxta illa verba Christi Domini. Act. 1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies, sicut exposuerunt ibi Hierony. & Beda lib. 1. in Lucam c. 9. Cyril. Hierosol. catec. 3. & Euthy. Matth. 3. & Lyranus. Quæ expositio non placet Alphonso a Castro, nec alijs recentioribus, si ad solam illam visibilem missionem Spiritus sancti coarcletur: quia Ioannes generatim locutus est, & prædicatio eius ad omnes se extendit, & ad omnia tempora. Vel potest ille ignis significare ignem purgatorij, quo Christus in futuro sęculo purgabit suos electos, vt D. Hieron. docet in c. 3. Matth. & Beda in cap. 3. Lucæ, & idem fortasse est sensus Hilarij can. 2. in Matt. qui de igne iudicij vltimi hoc interpretatur, potest autem intelligi tam de igne iudicij vniuersalis, quam particularis vniuscuiusque, adeo quod sensus sit, ille vos baptizabit, idest, purgabit nunc quidem Spiritu sancto in baptismo, postea vero *D. Hieron.* *Beda* *Cyrill Hierosol.* *Lyranus.* *Alphonsus.* *D. Hieron.* *Beda.* *Hilarius.*

etiam

Digitized by Google

D. Hieron. etiam in iudicio. Nam vt D. Hieron. notat in eamdem quoque sententiam dixit Apost. 1. Corint. 3. Vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit &c. & hæc interpretatio vt recte est Alphonsus. notauit Alphonsus a Castro, plane congruit cum illo textu; subiungit enim Ioan. Baptist. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

D. Anselm. D. Anselmus per illam particulam, & igne, intelligit metaphorice significari sacramentum confirmationis, quod est veluti consummatio baptismatis Christi, & in eo datur plenitudo Spiritus sancti, & ideo ab effectu metaphorice significatur per ignem: quia Spiritus sanctus ignis consumens D. Chrysost. est. D. Chrysost. vero intelligit idē significare nomine ignis, quod nomine Spiritus sancti, sed illa repetitione, & metaphorica significatione ait indicatam esse abundantiam gratiæ baptismalis, & efficaciam eius: quia & animam sanctificat, & sordes eius consumit, & vim bene operandi præstat.

Author im perfecti. Beda. Potest denique per ignem æstus tribulationum intelligi qui nullo baptizato deest, vt exponit Author operis imperfecti in c. 3. Matt. & Beda in c. 3. Luc.

ARTICVLVS II.

Vtrum ablutio sit materia baptismi.

AQuam ex diuina institutione esse propriam baptismi materiam satis perspicue in superiori articulo ostensum est, quod de materia remota necessario intelligendum Duplex est materia baptismi. est. Nam duplex est materia baptismi, scilicet remota, & proxima, materia proxima est illa, quæ immediate ad baptismū spectat, remota vero dicitur illa, quæ mediante alio ad baptismi sacramentum pertinet. In præsenti artic. agimus de materia proxima, quæ est ablutio ipsa; Est autem duplex Ablutio est duplex. ablutio, vt notat Scotus in hac quæst. sub litt. A. quædam formalis, quæ proprie non est aliud quam contactus ipsius aquæ ad corpus, alia est ablutio effectiua, quæ est ab abluente, idest, ab aliquo alio, qui aquam infundit, & applicat.

Quid requiritur ad ablutionem. Vnde pro explicatione huius artic obseruan. est, quod ad hoc quod fiat ablutio ad baptismum necessaria requiritur physicus contactus aquæ ad corpus baptizati, cum quadā successione, seu successiua essusione partium aquæ per partes corporis. Hoc ita explico. Nam in primis quod requiratur contactus, certum est ex ipsa vocis significatione; Nemo enim vnquam dixit aquam, quæ non tangit corpus, abluere illud, & ideo solet interdum a patribus hæc ablutio vocari tinctio seu tactus vel contactus aquæ. Deinde quod etiam sit necessarius successiuus contactus per corpus constat ex ipsa vocis significatione, & communi modo concipiēdi omnium, aqua enim in vase existens propter solum contactum Scotus. non dicitur abluere illud, oportet ergo quod per corpus diffundatur, & successiue contingat, vt bene notat Scotus, vnde fieri potest vt illa motione, atque adeo ablutione finita, aliqua pars aquæ adhæreat corpori, & contingat illud, cum tamen iam illud non abluat; ergo ablutio non consistit in quolibet contactu, sed oportet quod sit in fieri, & ideo necesse est vt successiue fiat: quia per motum localem fit.

Secundo obseru. est, necessarium esse vt hic contactus fiat per corpus liquidum; Nam gelu, verbi gratia, non potest abluere: quia est corpus durum licet possit paulatim contingere corpus; necessarium est ergo quod fiat contactus cum quadam facili diuisione corporis abluentis, ita vt facile cedat ad contactum alterius, & ideo oportet, quod tale corpus sit liquidum, quod totum ex ipso vsu, & experientia patet.

Tertio obseru. est, non esse necessariam passionem aliquā physicam in corpore baptizati, vt ablutio fiat: quia in primis non est necessaria emundatio aliqua corporalis, nec separatio alicuius impuræ substantiæ a corpore baptizati, vt statim dicam. Deinde non est necessaria aliqua alteratio: nā licet hæc naturaliter consequatur, verbi gratia, frigefactio, vel humefactio, tamen est per accidens ad rationem ablutionis vt sic. Vnde si per potentiam Dei fingamus impediri, ac suspendi omnem huiusmodi actionem, nihilominus intelligitur manere vera ablutio, & ad baptismum sufficiēs. Rursus non est necessaria motio localis corporis baptizati: nam licet interdum possit fieri, quādo baptismus fit per immersionem, tamen per se non est necessaria: satis enim est quod aqua moueatur contingendo corpus baptizati; nulla ergo passio propria, ac physica talis corporis est necessaria ad hanc ablutionem. Solus enim contactus, de se nullam passionem dicit receptam in corpore baptizati; sed denominationem tantum extrinsecam, seu relationem quandam, ex tali approximatione corporum resultantem.

Ex his infertur ablutionem hanc, vt dicit, effectionē huius contactus aquæ ad corpus habere actionē actionis, prout autem dicit aquam ipsam quasi receptam in corpore seu contingentem illud vt si se habet ad modum passionis, & in hac vltima ratione seu consideratione, consistit ratio ablutionis, & materia proxima huius sacramenti iuxta illud D. D. August. August. tract. 80. super Ioan. Quæ est tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat.

Quarto obseru. est, quod necessario distinguere oportet inter effectum ablutionis, & ablutionem ipsam sæpe enim vulgari sermone ablutio sumitur pro ipsa sordiū depositione, nec censetur quis vere ablutus etiam si aquam cōtigerit, si mundatus non sit, tamē hic potius est effectus ablutionis proprie dictæ, & præsertim prout nunc loquimur de ablutione; qui effectus non est ad baptismum necessarius: Nam si quis aqua tingitur, etiam si per eum contactum, nullam corporis munditiam assequatur, nec sordes aliquas deponat, nihil obstabit, quo minus fiat baptismus, quia non carnis depositio sordium, sed contactus aquæ in verbo vitæ illum perficit; & hoc est quod dicit Scotus in hac q. sub litt. Scotus. B. cum inquit. Nec oportet quod sit ibi ablutio prout distinguitur contra lotionem, & includit amotionem sordium a corpore per contactum aquæ, vel sufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua alio hoc agente; quod nihil aliud est, nisi quod oportet illum contactum, corporis fieri ab alio causante eiusmodi contactum, & isto modo intelligendo ablutionem, & lotionem, lotio est materia proxima quasi per se fundamentum, vel pars fundamenti ipsius significationis, aqua autem est materia remota, quæ applicatur corpori in ipsa lotione, & huius (inquit Scotus) non est probatio alia, nisi quia sic institutum est a Christo Domino, vt patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. &c. & Matth. vlt. Baptizantes eos in nomine patris &c.

His obseruatis sit prima Conclusio. Ablutio est materia 1. Conclusio proxima baptismi. probatur: Nam aqua est materia remota, cum enim hoc sacramentum non sit permanens, sed in vsu consistat, non potest aqua per se sumpta esse materia proxima sacramenti: quia vt sic, & quieta manens (vt sic dicam) non significat, nec est instrumentum gratiæ conferendæ; ergo materia proxima consistit in aliquo vsu aquæ, sed non est in alio nisi in ablutione, vt constat ex verbis Christi. Matthæ. vltimo, Baptizantes eos, &c. & ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ &c. & ex vsu, & traditione ecclesiæ, ergo &c.

Ex hac conclusione sequitur, quod non vrget nos illa du- Gloss. bitatio Gloss. 1. quæst. 1 cap. detrahe, Ne forte asinus bibat sacramentum, quæ vere (inquit Scotus) est dubitatio asinina; quia illa ablutio non durat nisi in fieri, & quantumcunque aqua posset bibi, vel huc, vel illuc transfundi, ipsa tamen ablutio non: hæc conclus. est Scoti in hac quæstio. sub litt. A.

Secunda Conclusio. Non quælibet ablutio est materia ba- 2. Conclusio ptismi, sed illa quæ fit ab alio homine proferente verba, quibus constat forma baptismi; scilicet ablutio effectiua, adeo quod ipsa verba, & ablutio effectiua ab alio faciunt ipsum totum fundamentum significationis, quæ est formaliter baptismus.

Tertia Conclusio. Ablutio formalis, ipse videlicet forma- 3. Conclusio lis contactus aquæ ad corpus, non est materia proxima, seu fundamentum immediatum, huius sacramenti. probatur: quia solus contactus corporis ab aqua, quæ est quasi ablutio formalis non est instituta tanquam signum, vel pars signi, sed ipsa lotio effectiue facta ab aliquo abluente, istę Cōclusiones sunt Scoti vbi supra, & patent ex tertio, & quarto notabilibus.

Ex his concludi potest in quo formaliter ablutio, quæ est proxima materia baptismi cōsistat, an scilicet in actione, vel in passione. Sotus hac d. art. 1. dicit in passione cōsistere, seu in receptione aquæ in corpore hominis baptizati: nam aqua vt sic recepta ordinatur ad sanctificationem animæ; ergo ipsa receptio est proximum instrumentum sanctificationis; ergo est materia proxima sacramenti. Vnde concludit hanc

Digitized by Google

hanc ablutionem in passione consistere, & in hanc suam *Richardus.* sententiam citat Richardum & Scotum. at Richardus d. 3. art. 1. q. 2. sentit ablutionem vtramq; rationem actionis, & passionis includere, sicut iustificatio, & ablutio interior, quæ per exteriorem significatur, & efficitur, vtrumq; requirit, scilicet infusionem & receptionem gratiæ; quem se- *Aureolus.* quitur Aureolus eadem d. q. 3. in fine. Scotus vero (inquit *Suarez.* Suarez) potius sentit ablutionem cõsistere in actione: quia sacramentum est actio facta ipsius ministri, ergo & baptismus ex parte materiæ proximæ, erit lotio vt facta a Mini- *Sotus.* stro. Ceterum Scotus aliter sentit, vt recte inquit Sotus, nam infra d. 6. q. 2. sub lit. d, §. Ex isto, ita scribit. Ex isto videtur sequi corollarium, quod sacramentum baptismi magis est baptizatio passiua, quam actiua: quia plurificata baptizatione actiua non plurificatur, passiua, nec baptismus: quia passiua est vna. Istud autem illatum videtur probabile: quia baptizatus proprie suscipit sacramentum; suscipit autem proprie ablutionem passiuam, & non actiuã, nisi dicat vt idem realiter hic Scotus: nam sicut actio & passio secundum Phylos. 3 Phy. idem sunt motus diuersas connotantes relationes, vt motus ad calorem est actio, quatenus procedit ab igne, & passio quatenus in aqua recipitur, ita ablutio prout est a baptizante est actio, prout autẽ in baptizato recipitur, est passio; tamen baptismus potius est ablutio, quatenus passio recepta in homine, qui abluitur, quandoquidem in ipso recipitur sacramentum. Vnde, quando Scotus hic dicit, quod materia baptismi est ablutio effectiua, debet exponi actiuum pro passiuo, id est, ablutio effecta ab aliquo abluente, non enim ipsa ablutio passiua simpliciter (quam Scotus ablutionem formalem appellat) sed ablutio effecta ab aliquo abluente est materia baptismi.

ARTICVLVS III.

Vtrum aqua artificialis possit esse materia baptismi.

Ratio dubitandi est: quoniam aqua artificialis, qualis est illa, quæ ex herbis, & floribus per hominis industriã distillatur, vt est aqua Cichoreæ, Intybi, & rosarum, est eiusdem speciei cum aqua naturali, ergo eodem modo potest esse materia baptismi: antecedens probatur: quia ex accidentibus cognoscitur substantia rei, vt dicitur in proœmio 1. lib. de anima, sed aqua artificialis, & naturalis habẽt eadem accidentia, nempe humiditatem, perspicuitatem, frigiditatem, & similia, ergo, & eamdem substantiam.

Præterea aqua artificialis est aqua elementaris, ergo est conueniens baptismi materia, consequentia patet, & antecedens probatur; quia si aqua artificialis non esset elementum aquæ esset corpus mixtum, consequens est falsum, ergo & antecedens, minor probatur, aqua artificialis est subtilior aqua naturali, at non esset subtilior si esset corpus mixtum, ergo non est corpus mixtum, & per consequens est elementum.

Item ex corpore mixto potest per artem aquæ elementum fieri, sed aqua sic facta est artificialis, ergo aqua artificialis potest esse baptismi materia. probatur maior, elementa, quæ sunt in corpore mixto possunt ab inuicem separari, sed per artem potest aliquis applicare actiua passiuis, ad talem separationem efficiendam, ergo per artem potest ex *Arist.* corpore mixto fieri aqua elementaris, probatur maior ex Aristo. 1. de Generat. dicente, quod miscibilia possunt a mixto separari. & confirmatur per illud Exod. 7. de Ranis vbi dæmones per artem adhibuerunt actiua passiuis ad producendum statim ex aqua fluuij Ranas, ergo æque possibile est ẽconcesso per artem adhiberi actiua passiuis, vt fiat separatio elementi a mixto: maxime cum resolutio sit facilior quam generatio, vel compositio.

His tamen non obstantibus dicendum est solam aquã elementarem simplicem esse materiam necessariam, & sufficientem ad hoc sacramentum conficiendum, ita vt necessarium est, quod aqua retineat substantiam elementi aquæ: nam hæc est, quæ proprie & simpliciter aqua vocatur, & hæc est propria aqua vsualis, qua homines ad abluẽdum corpus vtuntur, & ideo in hac baptizatus fuit Chri- *1. Conclusio.* stus, eamq; suo tactu sanctificauit. Vnde sit hæc prima Conclusio.

Conci. Flo. *Conci. Tri.* Sola aqua naturalis est cõueniens baptismi materia, probatur ex Concilio Florent. dicente materia sacramenti baptismi est aqua vera, & naturalis; nec refert an frigida sit, an calida. Hæc Papa Eugenius in decreto, & in Concil. Trident. sess. 7. can. 2 de baptismo dicitur, si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque adeo verba illa Domini nostri Iesu Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. ad metaphoram aliquam detorserit anathema sit. ex quo infertur, quod aqua quælibet artificialis, non est materia conueniens baptismi. Vnde baptismus collatus cum rosacea, vel cum alia qualibet aqua artificiali, sacramentum non esset, quia tales aquæ nõ sunt eiusdem speciei cum aqua elementari, seu naturali.

Secunda Conclusio. Aqua artificialis quæcumque non *2. Conclusio.* est conueniens materia baptismi. Hæc conclusio sic probatur. Christus Dominus instituit baptismi materiam esse aquam, vt patet Ioan 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Sed aqua artificialis non est aqua nisi improprie, ergo aqua artificialis non est conueniens materia baptismi. Minor probatur: quia aquæ artificiales, sunt humores, & succi, qui sunt corpora mixta, sicut & ipsæ herbæ ex quibus distillantur, ergo non sunt aqua nisi improprie, & æquiuoce.

Et si dicatur, aqua artificialis est aliquando subtilior, quam naturalis, ergo non est mixta. Respondetur, quod *Subtilitas duplex est.* duplex est subtilitas, quædam est subtilitas simplicitatis, & hac subtilitate negatur, quod aqua artificialis sit subtilior, quam aqua naturalis, alia vero est subtilitas virtutis penetratiuæ, & de hac verum est, quod aqua artificialis est subtilior, sed ex ista nõ sequitur, cum aqua artificialis sit mixta

Et si iterum dicas aqua naturalis, & artificialis, conueniunt in qualitatibus, nimirum in frigiditate, humiditate, & perspicuitate, ergo sunt eiusdem speciei. Respondet Scotus, quod similitudo qualitatis in duobus non est ratio sufficiens ad identitatem specificam inter illam, ita vt, non sequitur istæ aquæ conueniunt in qualitate, ergo sunt eiusdẽ speciei, atque adeo ex qualitatibus consequentibus totam speciem, vna qualitas similis non cõcludit identitatem substantiæ secundum speciem, sed bene dissimilitudo qualitatis a tota specie, est sufficiens ad concludendum diuersitatẽ specificam inter aliqua duo. In proposito autem aquæ artificiales habent a tota specie aliquam qualitatem dissimilem aquæ elementari, vt patet de aqua rosacea, quæ corpus exsiccat, & restringit propter quod permixta est cum sicco; aqua vero naturalis effectiue est humida, sapore etiam, & odore distas qua naturali distinguitur. Præterea aqua artificialis non generatur secundum debita media, & distinctũ processum naturæ, quemadmodum generatur aqua naturalis, ergo differunt specie: antecedens probatur: quia impossibile est toti naturæ creatæ ex vno generare aliud, nisi seruando determinatum processum per media determinata: Tota enim natura creata non posset ex aceto generare vinum statim, sed oportet redire ad materiam primam cõmunem eis, quæ est aqua, quæ attracta in stipite vitis, tandem in vua, in vinum conuertitur, & sic non potest fieri ex vino acetum nisi fiat aqua, vt docet Aristoteles. 8. Meth. t. *Aristo.* c. 14. & patet ad sensum, quod ita fit, sed istæ aquæ artificiales ex quocumq; sint, fiunt non seruato processu naturæ, per media determinata, & ad aquæ generationem ordinata.

Item aqua artificialis vniuersaliter fit per actionem ignis decoquentis, & resoluentis, ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute actiua ad corrumpendum, vel conuertendum, quæcumque mixta in aquam elementarem, & confirmatur per Phylos. 4. Methcororum sciant (inquit) *Aristo.* artifices Alchimiæ speciem rerum mutare non posse, vnde, & videtur posse dici, quod aurum artificialiter factum non est verum aurum naturale, licet multas cõditiones habeat auro similes. Propter quod vniuersaliter concedi potest, quod aquæ illæ, quæ dicuntur artificiales non sunt conuenientes materia baptismi: quia non sunt in specie aquæ elementaris. Hæc Scotus in hac quæst. sub lit. d, §. Quod autem in quæstione &c.

Ad rationes dubitandi, ad primam nego antecedens, & ad probationem dico, quod non sufficit similitudo in aliquibus accidentibus ad cognoscendam identitatem substantiæ: nam homo, & Simia conueniunt in plurimis accidentibus, & tamen sunt diuersa specie, atque ita etsi aqua artificialis habeat similitudinem cum aqua naturali in aliquibus accidentibus, habet tamen alia accidentia a tota specie dissimilia, ex quibus cognoscitur distinctio substantiæ:

dissi-

Digitized by Google

dissimilitudo enim vnius qualitatis a tota specie sufficiens est ad arguendum diuersitatem specificam inter aliqua, vt dictum est supra; secunda ratio soluta est per distinctionem de duplici subtilitate, simplicitatis, & virtutis penetratiuæ; priori simplicitate aqua est simplicior vino, & oleo; secunda vero oleum, & vinum simpliciora sunt aqua; ita etiam artificialis aqua est aqua naturali simplicior simplicitate secunda, id est, virtutis penetratiuæ, aqua vero naturalis est aqua artificiali subtilior subtilitate simplicitatis; subtilitas autem conueniens aquæ elementari, est subtilitas simplicitatis eo modo, quo elementum est simplicius mixto.

Ad tertiam concedo, quod esset possibile applicari corpori mixto agens aliquod naturale per artem, virtute cuius illa aqua resolueretur in aquam naturalem, ita quod possibile esset, Angelum bonum, vel malum adhibere aliqua actiua mixto, vt passo, per quæ resolueretur ab eo aqua elementatis, & tunc illa aqua esset conueniens materia baptismi, & diceretur quidem aqua artificialis, non quia per artem esset producta, sed quia ars applicauit causa naturalem producentem. Non enim negaui (inquit Doct. sub. in respons. ad 3.) aquam artificialem esse elementarem ex eo, quia ars ibi concurrit, applicando scilicet agens naturale producens illam aquam: quia vt sic ars non concurrit producens terminum, scilicet aquam, sed vt adhibens actiuum passiuo.

Et si dicas; aquæ omnes quas communiter artificiales vocamus, vt aquæ rosarum, cichoreæ, graminis, &c. etiam deducuntur virtute agentis naturalis, nempe ignis applicati per artem, ergo erant aquæ naturales, & veræ: nego consequentiam, quoniam quamuis sit possibile, quod aliquod agens naturale resoluat aliquod mixtum in aquam naturalem. Impossibile est tamen quod idem agēs limitatū cuiusmodi est ignis habeat virtutem resoluendi immediate in aquam naturalem: quia agens naturale non potest habere virtutem transmutandi sine formis intermedijs, sicut nec etiam corrumpendi.

Ad confirmationem eodem modo respondeo, quod possibile est corpus mixtum resolui in aquam naturalem virtute alicuius agentis naturalis applicati per artem, negamus tamen quod hoc contingat in aquis, quas communiter artificiales appellamus: Nam si aliquid naturaliter resoluitur in elementa, aut in aliud mixtum transmutatur, oportet prius ordine naturæ peruenire ad materiam secundum Arist. 8. *Arist.* Met. text. c. 14. talis autem resolutio non fit in mixto de quo fit artificialis aqua: herbæ enim & rosæ per distillationem desiccantur, & non resoluuntur in materiam primam, vt apparet, atque adeo sequitur, quod illa aqua non est in specie aquæ naturalis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aqua pura sit necessaria materia baptismi.

VIdetur quod non, quia aqua vsualis, qua vtimur communiter ad communem substentationem est materia baptismi, sed hæc non est pura, ergo materia baptismi non est solum aqua pura, minor dupliciter probatur, primo *Arist.* ex Arist. a. Metheor. cap. r. vbi dicit quod aqua naturalis est subtilior, quam vsualis; ergo aqua vsualis non est pura: probatur consequentia, quia ibi Arist. comparat aquam puram ad vsualem tanquam res diuersas. secundo probatur per experientiam. Nam quando aqua vsualis decoquitur, videmus in fundo vasis manere terram, & separatam ab aqua, quod etiam contingit si diu in vase maneat, ergo non est aqua pura.

Præterea baptismus fuit institutus in aqua, quæ ex latere Christi fluxit, vt habetur capit. In quadam extra de celebratione Missarum. vbi inter alia ita legitur. Et ex istis (nempe humoribus) Ioannes expressit quæ magis mysterio congruebant, ex elementis aquam, & ex humoribus sanguinem, in quibus duobus duo maxima sacramenta, redemptionis videlicet, & regenerationis elucent; sed aqua, quæ inde fluxit non fuit aqua pura elementaris, ergo non solum aqua pura est materia baptismi. Minor probatur, quia in corpore Christi non erat aqua pura, & naturalis, atque ita non potuit inde exire nisi aliquis humor, qui haberet similitudinem aquæ, nam in corpore mortuo non statim est aliquis humor, qui sit aqua elementaris, neque per vulnerationem ex[it] aliquis humor, nisi qui tempore operationis erat in corpore, sed tunc non erat in corpore aqua pura, ergo &c.

Pro solutione obseru. est, quod tribus modis potest esse aqua impura, primo per iuxta positionem alicuius corporis, cuiusmodi est aqua turbida ex admixtione terræ; secundo potest esse impura per alterationem a sua dispositione naturali, manente tamen aqua in sua specie; & hoc dupliciter, vno modo sic, quod per transmutationem tendat in aliud elementum, vel in aliquod corpus mixtum, & hoc modo glacies, nix, & grando dicuntur aqua impura, alio modo quando aqua alteratur secundū aliquod accidens tātum, vt aqua calefacta, dulcis, vel amara; tertio modo pōt esse aqua impura per additionem, & hoc dupliciter, vno modo quando id, quod additur, non est tantæ quantitatis, quod mutet speciem aquæ, nec aqua recedit a sua natura per accidentia disponentia ad corruptionem, vt aqua maris, quæ alteratur per admixtionem vaporum terrestrium adustorum, quæ permixtio secundum Philos. in Metheoris, est causa salsedinis, & lixiuium, quod est aqua colata per cineres; alio modo quando id quod additur transmutat aquam in aliā speciem, vt accidit, quando alij humores admiscentur, ex quibus resultat aliquod tertium ex illis genitum, cuiusmodi sunt corporis humani humores, vt sunt vrina, saliua, sudor, & lachrimæ. *Aqua potest dici pura trib. modis.*

1. Conclusio Hoc supposito sit prima Conclusio. Aqua impura primo modo, scilicet aqua turbida, vel lutosa dum tamen sit fluida, est conueniens materia baptismi; probatur, quia baptismus est ablutio facta in aqua, sed in aqua lutosa potest fieri ablutio; igitur potest esse conueniens materia baptismi.

Et si dicas, aqua turbida non abluit corpus, imo illud inquinat, ergo in tali aqua non potest fieri ablutio, quæ sit materia baptismi. Respondeo, quod dupliciter potest fieri ablutio in aqua, vel per amotionem sordium corporis, vel per infusionem seu contactum aquæ fluidæ super illud corpus, quæ communiter dicitur lotio, siue mundetur corpus, siue non, & ideo quamuis in aqua lutosa non possit fieri ablutio mundatiua corporis, potest tamen fieri ablutio communiter dicta per infusionem aquæ super corpus baptizati, & hæc sufficit ad baptismum.

Ex quo infertur, quod aqua terræ imbibita, ex qua resultat lutum, vel cœnum, vel aqua adeo immixta farinæ vt fiat massa; non est conueniens materia baptismi, quia cœnū, vel massa non dicitur abluere corpus super quod infunditur.

Secundo infertur, quod aqua lana, vel linteum, aut spongia imbibita antequam exprimatur licet contingat carnem nō est materia baptismi; quia talis contactus non est lotio; solū in contactus aquæ fluidæ liberæ, id est, sine medio contingētis cutis, vel separantis inter cutem, & aliud corpus est lotio siue ablutio, quæ est materia proxima baptismi. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. F. §. & prima quidem impuritas &c.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Aqua impura primo modo secundi modi. s. per alterationem, manente tamē aqua in sua specie, sic tamen quod per alterationem tendit in aliud elemētum, vel in aliud corpus mixtum, non est materia conueniens baptismi, & ideo in niue, gelu, & grandine non pōt fieri baptismus; quia in illis ablutio fieri non potest, ex illis tamē liquatis potest fieri baptismus; ex quo sequitur quod in aqua palustri, quæ a solis calore incipit inspissari, & ad generādos limos deduci, potest fieri baptismus; patet, quia est vera aqua naturalis, & in ea potest fieri ablutio, quæ est ad baptismum necessaria. sed dubiū est, an liceat baptizare in aqua reliquata a sale, & videtur quod sic, sicut de aqua maris. Dicit tamē Aureol. hac dist. q. 3. quod ad hoc quod esset materia cōgrua oporteret, quod per eleuationes, & ventositates transmutaretur ad speciem aquæ, sicut contingit quandoque nauigantes per ventationes, & exaltationes multas reducere ad dulcedinem aquam maris, & reddere eam potabilem, & ratio eius est, quia maior videtur mixtio in aqua ex sale liquata, quam in aqua maris.

3 Conclusio Tertia Conclusio. aqua impura secundo modo, secūdi modi, scilicet quando est alterata secundum aliquod accidens tantum, est conueniens materia baptismi, & ideo potest fieri baptismus in aqua calida, vel frigida, dulci, vel amara, minerali, vel fluuiali.

Quarta Conclusio. Aqua impura primo modo tertij modi, scilicet quando id, quod additur non est tantæ quantitatis, vt mutet aquæ substantiam est conueniens baptismi mate-

Digitized by Google

materia, & ideo in aqua maris (quamuis sit alterata, per admixtionem vaporum adustorum, qui sunt salsedinis causa) potest fieri baptismus.

An in lixiuio possit fieri baptismus.
Aureolus.

Sed dubium est de lixiuio, an in eo possit fieri baptismus, Aureolus vbi supra dicit, quod non: quia inquit, non est aqua simplex eo quod per actionem naturalem caloris existentis in cineribus fit transmutatio aquę in speciem aliam, quam quidem docent operationes oppositæ cineris, & aquæ, S. Thomas, 3.p.q.66.art.4.ad 4. & Richardus hac d. art.3.q.3. docent oppositum nimirum, quod in lixiuio potest fieri baptismus, sicut in aquis transeuntibus per venas sulphureas, quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quandam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora, vnde etsi per quamdam apparentiam misceâtur eo modo, quo miscentur illa, quorum minimæ partes secundum sensum sunt iuxta se inuicem positæ, & actualiter alteratæ saluis eorum essentijs, hæc mixtio tamen proprie dicitur confusio, & in aqua sic mixta potest fieri baptismus: quia salua manet species aquæ, & ideo quamuis aqua lixiuij, per suam colationem per cineres, & aliquæ aliæ aquæ propter earum transitum per venas sulphureas habeant aliquam admixtionem, tamen quia in eis salua manet species aquæ, in eis potest celebrari baptismus.

D. Thomas Richardus.

Sed contra hoc posset instare Aureolus: quod non est idem de aquis sulphureis, & lixiuio: quia aqua transiens per venas sulphureas, non admiscetur substantiæ sulphuris, sed recipit tantum quoddam accidens: nempe caliditatem, odorem, & saporem, sicut quando ignis calefacit aquâ non miscetur substantia ignis, sed recipit accidens quoddâ, scilicet calorem, & ex eo non mutatur species. Item ex caliditate aqua non perdit colorem, nec amittit nomen, atq; adeo in aqua calida, vel salsa potest fieri baptismus. sed oppositum accidit de cineribus, quia substantia cinerum commiscetur cum aqua, & ideo lixiuium est quid mixtum ex diuersis substantijs, perdit etiam colorem naturalem, nomen aquæ, & definitionem; non enim amplius vocatur aqua sed lixiuium, ergo mutatur natura, & species, atque adeo videtur, quod in lixiuio baptismus fieri non possit, cû mutet nomen, colorem, & proprietates, & certe hæc opinio Aureoli non caret apparenti probabilitate, quam sequitur Palud. hac d.q.3. & Rubion eadem d.q.2.art.1.concl.4 Sotus etiam hac d.q. vnica art.4. inquit, quod tantum posset commisceri substantia cinerum cum aqua, tantisq; exustionis fieri, vt lixiuium alia sit species, quam aqua. Ego autem connumerarem lixiuium inter ea, de quibus erit sexta Conclusio, & idem facerem iudicium de lixiuio, sicut de illis.

Paludanus Rubion Sotus.

5 Conclusio

Quinta Conclusio. Aqua impura secundo modo tertij modi non est materia baptismi conueniens: patet, qui humores naturaliter resoluti per digestionem, quales sunt saliua, vrina, & sudor, ac etiam lachrimæ, sunt extra speciem aquæ, atq; ita non potest in eis fieri baptismus, cuius materia est aqua vera, & naturalis; de saliua patet extra de baptismo, & eius effectu cap. Non vt apponeres vbi Innocentius 3. Molosien Episcopo ait. Postulasti vtrum paruuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos propter aquæ penuriam, & absentiam sacerdotis, aliquorû simplicitas in caput, & pectus, ac inter scapulas pro baptismo saliuæ conspersione liniuit. Respondemus, quod cum in baptismo duo semper, videlicet verbum, & elementum necessario requirantur, iuxta quod de verbo veritas ait. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangeliû omni creaturæ, & baptizate omnes gentes in nomine Patris & filij &c. eademq; dicat de elemento. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & c. dubitare non debes illos verum non habere baptismum, in quibus non solum vtrumque prædicto rum sed eorum alterum est omissum. De vrina etiam patet: quoniam cum vrina sit sanguinis colatura, & in vesica debito modo cocta, cum habeat vim nutriendi, quam non habet simplex elementum secundum Philos. 2. de Gener. non manet salua species aquæ, atq; adeo vrina, sudor, & lachrimæ non sunt debita materia baptismi.

Innocent.

Idem puto dicendum de aqua fluente ex putatione vitis: existimo enim non esse vere aquam, sed humorem distillantem ex vite, & idem iudicium fero de aqua ex ligno viridi per actionem ignis exeunte, non enim per naturales transmutationes, sed immediate ab igne producitur, vel ma gis educitur, atq; adeo non veram aquam sed ligni humorem existimo, præterium cum elementa non sint formaliter in mixto.

Sexta Conclusio. in alijs decoctionibus, & admixtionib. in quibus non apparet euidenter, quod sit alterata species aquæ, vt in brodio carnium, vel piscium, ceruisia, & medone, scilicet aqua cum melle admixta, farinata &c. non est ita manifestum, an possit baptismus conferri: quoniam non est manifestum, quod sit ibi aliquod actiuum corrumpens speciem aquæ. istæ Conclusiones sunt Scoti in hac q. sub litt. I, Sotus vero hac d.q.1. art 4 ad 2. dicit, quod in brodio carnium, vel piscium potest baptismus conferri, nisi tanta fuerit carnium, vel piscium resolutio facta, vt brodiû plus habeat illius pinguedinis, quam aquæ, ita vt non maneat aqua vera. Idem tenet Angles in floribus 4.q. de baptismo art 2. corollario 4. In ceruisia autem communiter tenetur, quod non potest conferri baptismus. 6 *Conclusio*

Sotus.

Angles.

Cæterum (vt docte hic adnotat Scotus) inquirere quæ alteratio transferat aquam a specie sua, & quæ non, ad Theologum minime pertinet, qui materiam baptismi decernit eam esse, quæ ex sacris litteris colligitur, sed neque ad Canonistam decernentem materiam baptismi ex determinatione ecclesiæ, pertinet vero ad Physicum ista inquisitio, cui nosse incumbit differentias specificas rerum. Si tamen aliquando collatus fuerit baptismus in aliquo liquore, de quo dubitatur esset ne aqua vera, vtendum est remedio iam tradito in fine superioris proximæ quæstionis artic. 1. in fine. *Scotus.*

Ad primum in oppositum dico, quod aqua vsualis est impura per iuxta positionem alterius corporis, quia terram habet admixtam, de qua impuritate ibi loquitur Aristot. hæc tamen impuritas non tollit ab aqua, quin possit esse materia baptismi, vt dictum est supra, atque adeo pro regula generali habendum est, quod si impuritas aliqua, vel alteratio variat speciem aquæ, non potest in ea conferri baptismus. si vero non variat speciem aquæ, poterit in ea conferri baptismus, dummodo per eam possit fieri ablutio.

Ad secundû respondet Innocentius ibi, quod illa aqua, quæ fluxit de latere Saluatoris non fuit phlegma, sed vera aqua, quod probat primo ex verbis Euangelistæ, & qui vidit testimonium perhibuit veritati, quod si non fuisset vera aqua, sed phlegma, ille qui vidit, profecto nô aquam sed phlegma dixisset. secûdo probat a posteriori per materiam sacramenti baptismi. Nec in hoc inquit verum regenerationis sacramentum fuisset ostensum, cum per sacramentum baptismi, non regeneremur in phlegmate sed in aqua. tertio quia si non fuisset vera aqua, per hoc probari non posset, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua cum vino, si de latere Christi non aqua, sed phlegma cum sanguine fluxisset. quarto probat per figuram, quæ præcessit super hoc in veteri testamento, non enim fuisset vera figura, quando Moses virga percussit silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manauit.

Et ad probationem respondet ibi, vel quod illa aqua fuit ibi creata de nouo miraculose, vel fuit resoluta de elementis componentibus corpus Christi. Ex quo patet, quod Innocentius sub dubio reliquit, vtrum illa aqua, quæ exiuit de latere Christi, fuerit naturalis, vel miraculosa.

Sotus vero loco supra citato ad 3. dicit, quod non fuerit de nouo creata, validissimum est argumentum, quia non fuisset testimonium veritatis corporis Christi; nam etiam in phantastico miraculose potuisset aqua creari, veluti & in aere, atque adeo exitus ille aquæ nullum præberet documentum solidi corporis. Vnde existimat Sotus cum Diuo Thoma, miraculum non fuisse illud, vt aqua crearetur, sed potius, quod exiret de corpore mortuo, vnde annuit, quod de viuente sine miraculo posset exire: poterat enim siue in stomacho, siue in venis existere, sicut viuens sudorem emisit quasi sanguinis guttas; sanguinis autem fortassis citra miraculum manare è corpore potuit tam recenter defuncto, vigente adhuc in eodem sanguine calore, vt exiliret. Amputato namq; hominis capite sanguis cû impetu prosilit. *Sotus.*

Sed quicquid sit de illa aqua, an scilicet fuerit naturalis, vel miraculosa, atque adeo naturaliter per resolutionem elementorum, vel miraculose per nouam creationem fluxerit: quia fluxit sicut sibi placuit, vel etiâ non fuerit vera

aqua:

Digitized by Google

aqua: nihil colligitur contra nos: quoniam sacramentũ baptismi non dicitur fluxisse à latere Christi: quia ibi sit institutum; sed propter similitudinem aquæ inde fluentis ad aquam veram, quæ est materia baptismi. Concluditur ergo quod baptismus non potest fieri nisi in aqua visuali: quia Christus hoc instituit.

ARTICVLVS V.

Vtrum immersio in aqua sit de essentia baptismi.

Duplex est genus ablutionis. *Pelagius Papa.* *Gratianus.* *Iuo.*

DVplex est ablutionis genus, vnum est per aspersionẽ, seu infusionem aquæ, alterum est per immersionem in aqua, in hoc art. quærimus, an immersio sit de essentia baptismi, vel sufficiat aspersio, siue infusio aquæ super baptizatũ; & ratio dubitandi est: quia Pelagius Papa in epist. ad Gaudentium, prout refertur a Gratiano in cap. Multi sunt, de cõsecrat. dist. 4. & ab Iuone in suo decreto, 1. par. c. 161. dicit esse p æceptum Euangelicum baptizãdi trina mersione cum inuocatione Trinitatis, vbi vtrumque coniungens indicat eiusdem esse necessitatis vtrumque ergo sola immersio est ablutio ad baptismum sufficiens. Nihilominus dicendum est, quamcunque ablutionem, siue per aspersionem fiat, siue per infusionem, vel per immersionem sufficere ad sacramentum constituendum, atque adeo immersio non est de essentia baptismi, sed sufficit aspersio, vel infusio aquæ super baptizatum.

Et probatur primo exemplo Apostolorum, qui vt legitur Act. 2. & 4. vna die baptizauerunt tria millia hominum, & alia die quinque millia; sed non poterant vna die tãtum numerum baptizare per immersionem, præsertim cum illi homines essent adulti, non poterant ab Apostolis immergi in aqua, atque extrahi; ergo baptizabãt per aspersionem aquæ super baptizatos, aut per aquæ infusionem super capita illorum.

Secundo probatur conclusio ex vsu ecclesiæ: Nam pueri qui propter periculum imminens in domo parentum baptizantur non immerguntur, & nihilominus sunt vere baptizati.

Tertio probatur ratione. De substantia baptismi solũ est, quod ablutio fiat, sed per aspersionẽ, vel infusionem aquæ potest fieri ablutio, ergo aspersio, vel infusio aquæ super baptizatum sufficit ad baptismum. maior patet: quia materia proxima baptismi, vt ostensum est supra, est ablutio, sed ex institutione Christi nihil aliud institutum est, nisi quod hæc ablutio fit in aqua, quod vero hoc, vel illo modo fiat, non est a Christo præscriptum, vt patet ex illis verbis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & ex illis baptizantes eos in nomine patris, &c. ergo nullus particularis modus ablutionis est de essentia baptismi; probatur etiã minor, quia vt ablutio fiat ad baptismum necessaria nihil aliud requiritur nisi physicus contactus aquæ ad corpus baptizati, cum quadam successione, vt explicatum est supra, sed hoc fieri potest per aspersionem, vel infusionem aquæ, ergo per aspersionem, vel infusionem aquæ potest fieri baptismus, & per consequens non est necessaria immersio.

Sed dubitare quis posset quanta ablutio sit necessaria ad materiam baptismi: Nam dictum est supra necessariam esse aliquam successionem, seu effusionem aquæ per corpus baptizati; dubitatur ergo quanta debeat esse eiusmodi successio. Vbi duo quæri possunt, primum per quot partes corporis esse debeat hæc ablutio; secundum in qua aquæ quantitate.

Circa primam interrogationem. Dico primo, quod non oportet vt totum corpus abluatur, nam hoc in baptismo adultorum non fit nec decenter fieri potest. Item quando ablutio fit per aspersionem constat non attingi omnes partes corporis. Item sine ablutione omnium partium potest esse ablutio sufficiens, vt totus homo simpliciter dicatur baptizatus.

Dico secundo, quod nõ est satis, vt quælibet minima pars corporis tingatur aqua: quia si digito, v. g. attingat illam, nõ dicetur homo simpliciter ablui, quamuis aliquam partem digiti aquæ immergat.

Durandus. Hoc assertum videtur esse contra Durand. in 4. dist 6. q. 1. nu. 16. quatenus argumentatur per contactum cuiuscunq; partis posse hominem mundari a peccato originali; quia in qualibet parte corporis etiam minima est tota anima. Quæ tamen ratio est valde infirma: quia ad valorem baptismi nihil refert, quod tangatur pars in qua est anima: quia hæc ablutio quæ est materia sacramenti, licet effectiue sit ablutio animæ, tamen formaliter esse debet ablutio corporis, atque adeo hoc in primis est considerandum, an scilicet ablutio sit talis, vt simpliciter dici possit hominis ablutio. Vnde a fortiori non satis erit, quod aspersio aquæ vestes hominis tangat, si non attingat ipsum corpus: quia illa nullo modo potest dici ablutio corporis.

Dico tertio, quod necesse est vt corpus ipsum in aliqua principali parte saltem mediocris quantitatis aqua tingatur, quod magis explicabimus inf. dist. 4. q. 3.

Dico quarto, quod nõ potest mathematice (vt ita dicam) præscribi quanta debeat esse hæc pars: quia nec reuelatũ est, neque habemus aliam certam regulam ad id definiendum, præter illam, nimirum, eam ablutionem esse necessariam, quæ sufficiat ad denominandum hominem simpliciter ablutum, seu baptizatum.

Dico quinto, quod in praxi id obseruandum est, vt securior pars quoad fieri potest eligatur, vnde si baptismus fieri potest in capite, illa est certissima, & sufficientissima materia quia illa pars præcipua est, & ab ea maxime potest totus homo denominari ablutus; quod si hoc commode fieri non potest, propter aliquod graue nocumenti periculum, si ablutio fiat in scapulis, aut in pectore, vel in humeris erit satis certa, & indubitata materia. Interdum vero solet occurrere necessitas baptizandi puerum in pede propter periculum mortis, & tunc etiam licite id fit: tamen quia res est dubia si infans euadat periculum, & perfecte nascatur iterum abluendus est sub conditione, vt docet Scot infr. distinctio 4. quæst. 3. *Scotus.*

Ex his facilis est responsio ad posteriorem interrogationem de quantitate aquæ: Nam ea aqua quantitas necessaria est, quæ ad abluendam, & contingendam sufficientem corporis partem satis fuerit. Quo circa cum hic contactus successiue fieri debeat, parua quantitas aquæ sine dubio sufficiet, quia successiue fieri potest per magnam corporis partem.

Obseruat tamẽ Sotus hac d. q. 1. art. 7. quod si baptizatus aspergatur tenuissimis guttis aquæ, ita quod talis aspersio non possit dici ablutio, ille talis non recipiet verũ baptisma, probatur: quoniam baptismus est ablutio, ergo si per aspersionem non fiat ablutio non erit baptismus. *Sotus.*

Et si dicatur, Apostoli, vt dictũ est, baptizauerũt tot millia hominum per aspersionem, igitur non cadebat supra singulos tanta copia aquæ vt sufficeret ad ablutionem; imo credibile est aquam non contigisse aliquos nisi super vestes eorum. Dico quod falsum est: quoniam Apostoli non aspergebant illos adeo temere, vt dubij manerent an aqua eos tetigisset, nimirum eo modo, quo populus aspergi solet diebus dominicis aqua benedicta, sed baptizandi transibant coram Apostolis, atque ita super singulos eorum poterant mittere aquam sufficientem ad ablutionem.

Ad rationem dubitandi; ad Pelagium dicendum est per se ac directe solum intendere docere ad baptisma conficiendum non satis esse proferre formam in nomine Christi, seu in nomine Domini, sed necessariam esse expressam Trinitatis inuocationem, vt patet etiam ex cap. Si reuera de consec. dist. 4. quia vero eo tempore mos erat tres personas in tribus mersionibus inuocare, ideo Pontifex obiter vtrumque coniunxit in priori capite, quamuis non sit æqualis vtriusque necessitas, & ideo in fine absolute concludit baptismum datum sine expressa inuocatione Trinitatis esse inualidum, illũ vero qui datur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti esse validum, nullamque adhibet limitationem, neq; ibi mentionem facit trinæ immersionis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum trina immersio sit de essentia baptismi.

RAtio dubitandi est ex canone Pelagij supra relato, & ex canone 50. Apostolorum, & habetur de consecrat. dist. 4. capit. Si si quis presbyter, vbi ita legitur. Si quis presbyter aut Episcopus non trinam mersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte deponatur, igitur non est verus baptismus collatus sub vna mersione. probatur consequẽtia, quia alias

non esset Episcopus deponendus propter ea quod sub vna immersione baptizaret.

1. Conclusio Sed nihiluminus dico primo, quod trina immersio non est de essentia baptismi, probatur ex vsu ecclesiæ: nã in multis prouincijs non est in vsu conferre baptismum nisi vnica immersione, ergo trina immersio non est de essentia baptismi, & confirmatur primo ex Concil. Tolet. 4. c. 5. & refertur *Cõci Tolet.* de consecr. dist. 4. cap. Propter vitandum &c. vbi sic legitur. Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem; ergo trina immersio non est de essentia baptismi.

D Gregor. Confirmatur secundo ex D. Gregor. lib. 1. epist. episto. 41. vbi scribens Leandro Hispaniarum Episcopo sic ait. De trina mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quã quod ipsi sensistis: quia in vna fide nil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertio mergimus triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertio infans ab aquis educitur resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri neque istud aliquid obsit baptizandos semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Hæc Gregor. & refertur de consecrat. distinct. 4. cap. De trin. Nam quidam in baptismo ter immergebãt, quidam semel, vtrique in forma ecclesiæ. Quærebatur quid iuris esset. Et respondet D. Gregor. quod bona est vtraque consuetudo: quia trina mersio, & eleuatio mortem Christi significat, & resurrectionem tertia die, & trinitatem personarum, qua in vna substantia consistunt; vna vero immersio vnitatem substantiæ designat.

2. Conclusio Dico secundo. In qualibet ecclesia seruanda est consuetudo ecclesiæ matricis. Hæc conclusio definita est in Concilio 4. Tolet. capit. 5. & ratio est: quoniam qui alium ritum in baptizando seruaret, esset occasio scandali. Hispania autem, inquit, *Castro.* Alphonsus a Castro libro 3. contra hæreses verbo Baptismus hæresi 2. ad tollendas occasiones hæresum, quæ ex trina mersione oriebantur elegit in illo Concilio vnicam mersionem, ne videlicet quispiam putaret triplicem esse diuinarum personarum substantiam, sicut trina est mersio. Vnde colligitur trinam, vel vnam mersionem esse de necessitate præcepti, quo ad baptizantem, ita vt si non semel immergeret sed ter, vbi semel immergendi esset consuetudo baptismum quidem conficeret, sed sic conficiendo grauiter peccaret. Nam consuetudo, quæ non obuiat iuri naturali, *Leo IX.* vel constitutioni, est seruanda, prout docent Leo X. epist. 1. *Nicol. I.* ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum, & Nicolaus I. epist. 2. ad Plotium, & refertur in I. p. decreti, dist. 12. cap. 3. sub his verbis. Scit Sancta Romana ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco, & tempore consuetudines, si illis canonica non obsistat authoritas, pro qua eis obuiare debeamus; Vnde nil iudicamus eis debere, vel posse resistere.

Dubium. Sed dubium superest, an scilicet, quando baptismus fit per immersionem necessariam sic vt immersioni emersio succedat, & casus vulgaris est, si quis puerum in flumen proijciat. *Gabriel.* Gabr. in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. circa finem, qui refert Hol*Holcot.*cot, & *Panormit.* Panormit. in cap. Vt non apponeres de baptismo, tenet non requiri emersionem, atque adeo in eo casu verum perfici sacramentum, licet grauiter peccet qui sic baptizat, propter homicidium quod committit, eandem sententiam *Petrus de Aliaco.* tenet Petrus de Aliaco in 4 quæst. 2. & Summa Rosella ver*Rosella.*bo baptismus; & ratio eorum est; quia non refert, quod immersioni non succedat emersio, quia totum hoc est accidentarium dummodo seruetur ratio ablutionis prout seruari potest.

Richardus. Richardus vero in 4. dist. 4. art. 4. casu secundo, quem se*Scotus.*cuti sunt Scot. dist. 5. q. 3. Palud. dist. 6. q. 1. art. 3. Marsil. q. 4. *Paludanus.* art. 4. dub. 8. Scot. dist. 3. quæst. vnica, art 8. circa finem, Sil*Marsilius.*uester, verbo Bapt. 4. §. 10. & baptism. 5 §. 1. Angelus, verbo *Scotus.* Baptism. 4. in principio. Armilla, verbo Baptism. numero 30. *Siluester.* docet de ratione ablutionis esse, vt immersioni succedat e*Angelus.*mersio; Nam oportet in ablutione, quæ fit per immersionẽ, *Armilla.* vt corpus prius aqua tingatur, seu cooperiatur in toto, vel in parte, & postea discooperiatur, hoc autẽ non fit quando baptizandis proijcitur in aquam, atque adeo illa non est ablutio, sed potius suffocatio, quæ sententia vt probabilior tenenda est, vt diffusius explicabitur infra, dist. 5. quæstio. 3. art. 1.

Ad rationem dubitandi, ad Pelagium iam dictum est in superiori art. Nam eius verba non sic accipienda sunt, vt sine trina immersione verus baptismus esse non possit, quoniam siue semel, siue bis, siue ter mergat, verus erit baptismus, si reliqua ad baptismum necessaria adsint. Vnde illud verbum positum in Canone Pelagij, scilicet Euangelicum præceptum, non est referendum ad immersionem, sed solũ ad formam baptismi, ita quod sit sensus, quod iuxta Christi præceptum tenetur baptizare in nomine Trinitatis, quando autem dicit Pontifex trinam etiam mersionem, nõ intelligit, quod trina mersio sit de præcepto Domini, sed quod sit consona ipsi præcepto, quod colligitur ex eo quod Papa confirmat suam sententiam ex verbis Christi Matt. vltimo, ex quibus non colligitur, quod trina immersio sit de essentia baptismi, sed quod baptismus detur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Vel dicatur cum D. Tho. 3. par. q. 66. *D. Thom.* art. 8. ad 2. quod Pelagius intelligit trinam immersionem esse de præcepto Christi nõ in se, sed in suo simili, scilicet propterea, quia Christus voluit, quod baptismus daretur, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti; sed prior responsio magis sapit.

Ad aliud nego consequentiã; quoniã illud capitulũ loquitur de baptismo, qui ab hæreticis conferebatur sub vna immersione, & in nomine mortis Christi solum, & non in nomine patris & filij, & Spiritus sancti: putabant enim Christum Dominum purum esse hominem, & non Dei filium nisi propter meritum, quod præcipue fuit in morte Christi, quod reprobatum fuit per illud cap. in primitiua ecclesia, & institutum, vt daretur trina mersione, vt non solũ verbis, sed etiam facto expressior fieret significatio sanctissimæ Trinitatis. Adeo quod in eo Canone directe damnatur error eorum, qui baptizabã in nomine Christi mortui pro nobis; & ad hunc ritum magis introducẽdum vtebantur vna mersione tantum. Contra hos ergo docetur inuocandã esse Trinitatem & additur ter esse mergendum, tum propter cõsuetudinem illius temporis, tum in detestationẽ illius erroris; quod vero hæc sit intentio canonis, patet ex ratione quã subdit dicens. Non. n. dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.

QVÆSTIO IV.

Vtrum institutio baptismi enacuet circumcisionem.

SEnsus huius tituli clarus est, & explicatione non indiget. Diuiditur autem hæc quæstio in decem articulos.

Primus Artic. Vtrũ baptismus fuerit institutus ante Christi Domini passionem.

Secundus Artic. Vtrum baptismus institutus fuerit, quando discipuli Domini baptizare cœperunt.

Tertius Artic. Vtrum lex obliget statim vt est sollemniter in curia promulgata.

Quartus Artic. Vtrum statim ac fuit institutus baptismus tenebantur homines baptizari.

Quintus Artic. Vtrum baptismus sub consilio fuerit vsque ad sollemnem Euangelij promulgationem.

Sextus Art. Vtrum circumcisio fuerit sub precepto usque ad Christi Domini mortem.

Septimus art. Vtrum circumcisio a Christi Domini passion usq. ad sollemnẽ Euãgelij promulgationẽ utilis fuerit.

Octauus Art. Vtrum ex eo circumcisio fuit enacuata quod susceptio baptismi fuit in precepto.

Nonus Art. Vtrum post tertium Conciliorum Apostolorum circumcisio cœpit esse mortifera.

Decimus Artic. Vtrum Petrus reprehensibilus fuit, & vere fuerit a Paulo reprehensus.

ARTICVLVS I.

Vtrum baptismus fuerit institutus ante Christi Domini passionem.

CErtum est baptismum institutum fuisse in lege noua, id est, in lege Euangelica, quod quidem tam verum est, quam rationabile; verum quidem sicut patet ex multis

Digitized by Google

multis testimonijs noui testamenti, & Christi, & Apostolorum, quibus baptismi necessitas probatur, quod non esset, nisi in illa lege esset legitime institutus, vt patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. quod confirmant Conciliorum decreta: dicitur enim in Concilio Triden. sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum, anathema sit. Sed dubium est quo tempore fuerit Baptismus a Christo Domino institutus.

Conc. Trid.

Magister.

De qua re duplex est opinio. Primam refert Magister hac d. 3. tacito nomine authoris, quæ asserit baptismum fuisse institutum post Christi Domini passionem. Probatur primo ex D. Leone epist. 4. c. 3. vbi de institutione baptismi dicit. Ipse Dominus Iesus Christus postquam resurrexit a mortuis discipulis suis tradidit formam, & potestatem baptizandi dicens. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c. Sed baptismus constat ex materia, & forma, ergo si post resurrectionem tradita est forma baptismi, non erat sacramentum baptismi institutum ante Christi passionem, & confirmatur ex eodem Leone eadē epist. c. 6. & refertur de Consecrat. d. 4. c. Si quis. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismi.

D. Leo.

Probatur secundo. Baptismus statim ac institutus est conferebat gratiam, sed non conferebat gratiam ante passionē, ergo non fuit ante passionem institutus: probatur minor ex D. Chrysost. hom. 28. in Ioan. super illa verba cap. 7. vbi dicitur. Nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus, vbi Chrysost. dicit, quod ante Christi resurrectionem non dabatur Spiritus sanctus in Sacramentis. Hoc idem affirmat Rupertus lib. 3. in Ioan. circa finem, vbi negat baptismum quo baptizabant Apostoli ante passionem fuisse baptismū nouæ legis, aut habuisse efficaciam gratiæ, quam accepturus erat baptismus a passione Christi, antea autem non dabatur spiritus: quia nondum erat Iesus glorificatus, & tandem concludit non fuisse baptismū in spiritu, sed in aqua tantum; atque adeo non fuisse baptismum Christi, sed quādam dispositionem, & præparationem ad illum.

D. Chrysost.

Rupertus.

Postremo probatur ista opinio: quia nullibi in Euangelio expressior fit mentio de institutione baptismi quam Matth. vlt. cum dicitur: Baptizantes eos in nomine Patris &c. Ergo si ex aliquo Euangelij loco colligenda est baptismi institutio, maxime ex illo colligi debet: antecedens patet quia in nullo alio Euangelij loco traditur expresse forma baptismi.

Ale. de Ales.

Huius opinionis videtur fuisse Alex. de Ales. p. 4. q. 8. m. 2. art. 3. vbi inter alias distinctiones quas ponit in summa, dicit, materialiter quidem instituisse Christum baptismum in Iordane, quando baptizatus fuit, non vero formaliter, vsque ad resurrectionem, cuius distinctionis sensus esse videtur, materiam huius sacramenti esse designatam, & quasi consecratam, quando Christus baptizatus fuit, tūc enim collata fuit virtus regeneratiua aquis, formam vero non fuisse traditam a Christo donec Apostolis dixit. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij &c. Vnde fit ante Christi passionem nec baptismum Christi fuisse institutū, quo ad efficaciam, & virtutem, neque fuisse ministratū: quia neutrum horum fieri potest sine forma. Hanc sententiam indicat etiam D. Thomas 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. vbi docet, quod licet Sacramentum Eucharistiæ sit posterius baptismo in præceptione, est tamen prius in intentione, & ideo prius institutum fuit quam baptismus, & in eam inclinat Canus li. 8. de locis c. 5. dum negat Apostolos ante Christi passionē baptizasse in nomine Trinitatis, quando baptizabant Ioan. 3. & 4.

D. Thomas.

Canus.

Secunda opinio est fere omnium aliorum Theologorū. D. Thomæ, 3. p. q. 66. art. 2. D. Bonauen. hac d. p. 2. ar. 1. q. 1. ad vltimum. Richardi eadem d. ar. 5. q. 1. Palud. d. 2. q. 1. ar. 1. conclusione 2. Soti hac d. q. vnica art. 2. & Doctor. nostri Sub. it itaque quæ sub lit. a. q. quatuor cōclusionib. explicatur.

D. Thomas.
D. Bonau.
Richardus.
Paludanus.
Sotus.
Scotus.

Conclusio

Prima Conclusio. Sacramentum baptismi non fuit institutum, quando Christus Dominus fuit a Ioanne baptizatus. probatur: quia Christus Dominus non fuit baptizatus baptismo suo, sed baptismo Ioannis, sed bene tunc aquam dedicauit ex contactu suæ mundissimæ carnis tanquam sui baptismi idoneam materiam: quia in legislatore Christo confirmatus est vsus aquæ, id est, vt mysterium. hæc cōclusio est Scoti vbi sup. obser. est tamen: quia communiter dicitur, quod Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim contulit aquis, quod non est intelligēdum, quod Christus a Ioanne baptizatus aliquam vim de nouo aquis inhærentem tribuerit. tum quia, cum plures aquas tetigerit, vt quando puer lauabatur, aut ipsemet suas lauabat manus, pluries illam tribuisset virtutem, & si dicatur, quod præcise virtutem illam tribuit aquæ Iordanis, ergo sequitur quod in solis Iordanis aquis esset baptismus celebrandum, & si dicatur iterum, quod virtus illa deriuatur ad cæteras aquas. Hoc nihil est: quoniam in talibus deriuatio fit tantū in continuis; multæ autem sunt aquæ, quæ non sunt continuæ aquis Iordanis & per consequens non omnis aqua naturalis pura esset baptismi congrua materia, cuius oppositum superius conclusum est. Illa ergo sanctificatio nihil aliud fuit, nisi ordinatio seu designatio, qua Christus Dominus designauit, quod in aqua cum verbo fiat baptismus, & hoc ex pacto diuino, voluit enim Deus, & nobiscum pepigit fœdus, quod in tali elemento debite applicato baptizando per gratiam assistere pro suum baptismum in Iordanis alueo, nisi obex nostra ex parte prius iniret.

Quomodo Christus vim contulit aquis.

2. Conclusio

Secunda Conclusio. Sacramentum baptismi non fuit institutum per verbum illud dictum Nicodemo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. probatur, quoniam generale præceptum omnibus necessarium, & solemne, quale est Sacramenti baptismi, non decuit institui coram priuata persona, & in conclaui, maxime cum per Nicodemum tale baptismi præceptū non erat promulgandū. hæc conclu. est Scoti vbi sup.

3. Conclusio.

Tertia Conclusio. Sacramentum baptismi non fuit institutum Matth. vlt. per illa verba, Baptizantes eos &c. quia discipuli Domini ante illius passionem baptizabant baptismo Christi, postquam Christus baptizatus fuit a D. Ioan. sicut Ioan. 3. legimus. Dicunt discipuli Ioannis ad ipsum. Rabbi cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, & omnes veniunt ad eum: & ca. sequenti dicit Euangelista. Quāquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius: ex quo manifeste conuincitur baptismum fuisse a Christo Domino institutum, ante tempus illud, quo discipuli baptizabant, licet tēpus institutionis præcisum non legatur in scriptura Euangelij. Verba autem illa, Baptizantes eos &c. dicta fuerunt Apostolis post Christi Domini passionem, & resurrectionē. Conclu. est Scoti vbi sup.

4. Conclusio

Quarta Conclusio. Sacramētum baptismi institutū fuit ante Christi Domini passionem hanc conclusionem aliqui moderni censent esse dogma fidei, quod tamen non credo verum, quātum attinet ad circumstantiā temporis, de qua agimus: quia neq; est res definita ab ecclesia, neq; tam aperte colligitur ex scriptura, quin de ea re sint variæ sanctorū Patrū expositiones, vt præter citatos videre est apud Theophilactum 3. & 4. Ioannis. Tertullianum lib. de baptismo. c. 11. Qui dicunt Apostolos ante Christi mortem non baptizasse baptismo Christi, sed Ioannis, est tamen hæc sententia probabilior, & scripturis conformior, quæ manifeste probari potest ex locis pro 3. conclusione adductis ex Euangelio D. Ioannis, vbi dicitur, quod Discipuli Christi baptizabant, neque dici potest, quod baptizabant Ioannis baptismate, id enim refellitur a D. August. in præcitata verba. cap. 3. Ioannis tract. 13. dicens: Baptizato autē Domino baptizabat nō eo baptismate, quo ille ãne baptizatus est: Sed Christus baptizatus est Ioannis baptismo, ergo Christus non non baptizabat baptismo Ioannis, sed suo.

Theophilactus.
Tertulian.

D. August.

Secundo probatur ratione, Christus non dicebatur baptizare, quando baptizabat Ioannes, dicebatur autem baptizare, quādo discipuli eius baptizabant, ergo discipuli Christi non baptizabant baptismo Ioan. patet consequētia: quia alias etChristus diceretur baptizare, qū baptizabat Ioānes.

D. August.

Probatur etiā ex D. August. super Ioan. tract. 5. & refertur de Consecrat. dist. quarta cap. Aliud est, Baptizabant discipuli Christi, & ibi adhuc erat Iudas inter discipulos eius, si quos igitur baptizauit Iudas, non sunt iterum baptizandi, & quos baptizauit Ioannes sunt iterum baptizandi, ex qua authoritate colligitur primo, quod discipuli Christi non baptizabāt baptismo Ioānis, sed baptismo

Digitized by Google

Christi, siquidem a Ioanne baptizati, erant iterum baptizati, & baptizati a discipulis Christi non erant iterum baptizati: colligitur secundo quod baptismus est institutus ante passionem: quia Iudas non fuit cum discipulis Christi post passionem, nam antea se suspendit.

Probari etiam potest ex æmulatione, quam discipuli Ioannis habuerunt, eo quod Christus baptizaret, & plures ad eum, quam ad Ioannem accurrerent, vt patet Ioan. 4. Nam si Christus, & discipuli eius baptismo Ioannis baptizassent, nulla fuisset contentionis, aut inuidiæ occasio; potius n. discipuli Ioannis gaudere debuissent, eo quod Christus baptismum Magistri eorum approbasset, eoque vteretur.

Ad argumenta opinionis contrariæ respondetur, & ad primum dicit Sotus vbi supra, quod forsitan Christus vsq; ad illud tempus non tradiderat formam baptizandi in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & idem videtur dicere Glossa illius capitis, sed Christus præceperat discipulis suis, quod vsque ad illum diem baptizarent in nomine ipsius Christi, vt intelligeretur se esse illum venturum, in cuius nomine Ioannes baptizabat.

Sotus. *Glossa.*

Sed hæc responsio non placet: quoniam nullum habet in scriptura fundamentum, neque oportebat statim in initio institutionis vti dispensationibus. Ideo verisimilius est Christum a principio institutionis tradidisse formam perpetuo duraturam, alioqui re vera non plene instituisset sacramentũ. Dicendum est ergo cum D. Bonauent. quod Christus nõ solum instituit baptismum, sed etiam insinuauit antequam institueret, etiam institutum denique illum stabiliuit, & confirmauit. Insinuauit quando fuit a Ioanne baptizatus, instituit quando ipse, & discipuli eius baptizabant, confirmauit, & approbauit post resurrectionem, quando dixit Apostolis. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c. Vnde ad D. Leonem dicentem Matth. vltim. Christum tradidisse baptismi formam, dicimus quod ex hoc non negat S. Leo ante resurrectionem formam baptismi a Christo institutam fuisse, sed propterea tunc dicit esse traditam: quia tũc Christus illam confirmauit, quam ante iam instituerat. Vel tertio respondetur, quod D. Leo loquitur ibi de traditione sollemni, & obligatoria: quia ante passionem non obligabat baptismus, neque erat in præcepto, neque erat in sua plenaria potestate; quia cœlum non reserauit nisi post Christi passionem.

Reijcitur Sotus. *D. Bona.*

Ad confirmationem respondeo eodem modo, quod sicut Christus Matt. vlt. confirmauit baptismum verbo, ita facto illum instituit, & confirmauit, quando ex latere eius fluxit aqua, propterea quod dicitur tunc fuisse stabilitum, seu sancitum baptismum, non quod ante institutus non esset, sed quia illo facto confirmatus est, & stabilitus in sua plenaria potestate. Vel potest dici, secundo: quod ea solum ratione dicitur tunc fuisse institutum baptismum, quia tunc fluxit aqua ex latere Christi, quæ erat materia iam instituta sacramenti baptismi.

Ad secundum nego minorem, & ad probationem ex D. Chrysost. dico, quod in primitiua ecclesia dabatur Spiritus sanctus dupliciter. s. inuisibiliter eo modo, quo datur nobis per dona charitatis, & gratiæ; dabatur etiam visibiliter per dona linguarum, sanitatum, & huiusmodi, ac etiam in forma visibili, sicut in die Pentecostes. Dico igitur, quod Chrysost. propterea dicit, quod non dabatur Spiritus sanctus ante passionem, quia non dabatur visibiliter in signo sensibili, quamuis daretur inuisibiliter per dona gratiæ, & charitatis, & sic intelligenda sunt illa verba Ioan. 7. & etiam authoritas Ruperti Abbatis.

Ad tertium dico, quod quamuis in nullo alio loco tradatur expressius forma baptismi, quam in illo Matt. vlt. sufficienter tamen colligitur ex cap. 3. & 4. Ioan. Baptismum fuisse institutum ante Christi passionem, & etiam formã eius, vt etiam docet Magist. hac dist.

ARTICVLVS II.

Vtrum baptismus fuit institutus quando discipuli Domini baptizare cœperunt.

Magister. D Thomas. Sotus Glossa.

DE hac re est duplex opinio. Prima est Magist. sent. hac distinct. dicentis, quod baptismus fuit institutus, quando Christus fuit baptizatus a Ioanne, eamdem sententiã tenet S. Thom. 3. p. q. 66. art. & Sotus vbi supra, & Glossa super caput. Per aquam de consecr. dist. 4. & probatur primo ex Beda super 3. cap. Luc. vbi dicit. Tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. *Beda.*

Secundo ex D. August. in quodam sermone de Epiphania. Ex quo (inquit) Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua, sed aqua non habet virtutem regenerandi, nec abluit peccata nisi in baptismo; ergo ibi est institutus baptismus, vbi Christus mersus est, & tetigit aquas, quæ omnia facta sunt, quando baptizatus est a Ioãne. *D. August.*

Tertio probatur ex D. Ambros. lib. de sacramentis, & refertur de consecr. dist. 4. cap. per aquam, vbi dicit. Cum Christus formam baptismatis daret venit ad Ioãnem, vbi inquit Glossa. Formam, id est, institutionem factam eius exemplo: post enim dedit præcepto. *D. Ambros.*

Præterea sacramenta ex sui institutione habent, quod cõferant gratiam, vnde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum; hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus, ergo tunc vere baptismus institutus fuit, quãtum ad ipsum sacramentum. Minor patet ex illo Bedæ in homil. Epiphaniæ: tactu mundissimæ suæ carnis &c.

Altera opinio est D. Bonau. hac d. p. 2. artic. 1. q. 1. ad vlt. & Richard. ead. d. art. 5. q. 1. Qui dicunt baptismum esse institutum quando Christus cœpit baptizare per discipulos, vt dicitur Ioan. 3. & 4. & potest addi congruẽtia, quia sicut Christus Dominus Eucharistiæ sacramentum instituit conficiendo, & offerendo; ita instituit sacramentum baptismi cũ primum vel ipse manibus suis aliquem baptizauit, vel discipuli eius aliquem mandato eius baptizauerunt. *D. Bonau. Richardus.*

Dicendum est ergo in primis, certum esse Christũ Dominũ non instituisse baptismum suum antequam ipse baptizatus fuerit a Ioanne, & in hoc conueniũt omnes Theologi, quia vt constat ex Luc. 3. & Act. 1. Christus Dominus nõ cœpit prædicare ante baptismum suum, ergo neque antea inchoauit legis nouæ, aut sacramentorum eius institutionẽ. Rursus ex superiori art. constat, quando Ioã. 3. & 4 Apostoli baptizabant, iam baptismum fuit esse institutum, quia vt ostẽdimus, baptizabant baptismo Christi, illud autem tẽpus nõ multum abfuit a baptismo Christi, quia nondũ Ioannes fuerat missus in carcerem, sed baptizabat, vt constat ex citatis locis Ioan. *1. Conclusio*

Secundo dicendum est, baptismum fuisse institutum ante illud tempus, quo discipuli baptizabant, atque adeo infra paucos menses post Christi baptismum, quamuis præcise dies & hora institutionis ignoretur, quia nihil de ea re scriptum est, neque aperte traditũ in euangelio. ita Scot. in hac q. sub lit. A & Gab. hac d. q. vnica, art. 3. dub. vlt. *2. Conclusio* *Scotus. Gabriel.*

Tertio dicendum est, quod etsi nõ possit ex Euãgelio certe definiri dies, & hora, in qua Christus baptismũ instituit, & Apostoli, cum non fuerint authores, sed ministri baptismi necessarium sit sacramenti institutionem eorum ministerium antecedere, quia minister non potest tradere sacramentum, nisi ritus eius traditus illi sit ab instituente, cũ hoc tamen stare põt, quod sit institutus, quando cœpit Christus baptizare. Ioã. 3. & 4. c. Quia etsi ex illis locis non colligitur tempus determinatũ, i. mensis & dies, quo baptismus sit institutus, potest tamen colligi tunc baptismum institutũ fuisse, quando incœpit eius ministerium, eodem enim tempore quo institutus fuit potuit ministrari. *3. Conclusio*

Et probatur hęc sñia ex D. Aug. tract. 13. in Io. in illa verba, c. 3. Post hæc venit Iesus in Iudæam terrã, & ibi morabatur cum discipulis suis & baptizabat, vbi dicit baptizatus autẽ Dominus baptizat non eo baptismate, quo baptizatus est, baptizatus, est enim a seruo ostendens humilitatis exemplũ & perducens ad baptismum Domini, hoc est suum. *D. August.*

Item colligitur contra D. Thomam, quod baptismus non est institutus, quando Christus a Ioanne baptizatus est: quoniam institutio requirit impositionem talis cæremoniæ ad significandum, & conferendum sacramentalem effectũ, hęc autem impositio requirit in primis absolutam, & efficacẽ Christi voluntatem, qua decreuerit vt ex eo tempore ablutio exterius facta cum tali inuocatione Trinitatis, haberet talem significationem, & efficaciam. Deinde necessarium etiam videtur, quod Christus hanc suam voluntatem exterius manifestauerit, atque de ea re stabilem legem tradiderit, quia institutio hæc debet esse exterior, & sensibilis, quia est respectu ecclesiæ visibilis; Non constat autem Christũ, aut illa hora, aut illa eadem die, qua baptizatus est, &

habuisse

Digitized by Google

habuisse prædictam voluntatem, & illam stabili lege declarasse; quin potius cum nondum prædicationem suam inchoasset, nec discipulos haberet, non videtur verisimile. Opinio itaque D. Bonauenturæ mihi videtur verior, a qua non dissentit Doct. sub.

Ideo ad argumentum D. Thomæ ex Beda & D. Augustino respondeo, quod per virtutem regeneratiuam aquæ nolunt intelligere, quod baptismus tunc institutus sit, sed quod aqua designata est futura baptismi idonea materia.

Ad D. Ambrosium dico, quod ibi accipit formam pro signo sensibili, quemadmodum accipitur in illa definitione sacramenti, cum dicitur, sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma. q.d. Ambrosius, quod tunc dedit formam baptismi, id est, tunc insinuauit baptismum; quare reijcienda est explicatio Glossæ.

Baptismi institutio in noua lege rationabilis fuit.

Ad rationem neganda est minor, & ad probationem iam dictum est. Baptismi autem institutio in noua lege rationabilis fuit. primo, quia principale sacramentum legis gratiæ, per quod intratur ad eius obseruantiam, debuit esse nouum, & isti legi proprium, vt dictum est d. 2. q. 3. huiusmodi fuit sacramentum baptismi, ergo debuit esse nouum & in ista lege institui. Secundo: quia sacramentum baptismi habet conditiones legi Euangelicæ valde correspondentes: debuit enim primum legis nouæ sacramentum esse euidens in sua significatione: quia lex noua est lex veritatis euacuans omnem vmbram, & obscuritatem scripturarum; atque adeo baptismus in significatione debuit esse euidens, euidenter nimium significando originalis culpæ deletionem.

Secundo in gratiæ collatione esse debuit copiosum: quia lex noua appellatur lex gratiæ, iuxta illud Ioannis primo, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, atque adeo nouæ legis sacramenta in collatione gratiæ, debent esse copiosa, & huiusmodi est sacramentum baptismi.

Tataretus.

Tertio debuit esse facile, quia de Christi lege dicitur Math. 18. Iugum meum suaue est & onus meum leue. Ideo dicit Tataretus, & communiter Theologi, quod propter Pueri periculum, potest baptizans aquam calefacere: quia Christi onus est suaue.

Quarto debuit illud sacramentum esse commune: quoniam Deus ad legem Moysi elegit vnum populum tantũ, sed ad nouam legem vniuersos populos, totumq. Orbem, iuxta illud psa. In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. & Christus Dominus discipulis suis dixit; Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ Marc. vlt. Et hæc quatuor inueniuntur in vno scilicet, in ablutione cum verbis; quia hoc euidenter significat mundationem animæ, qui est effectus principalis; & dat gratiam copiose. Vnde in psal. 22. dicitur. Super aquam refectionis educauit me. est etiam facilis: quia nullo modo periculosa sicut sicut circumcisio, & est communis omni sexui, & ætati.

ARTICVLVS III.

Vtrum lex obliget statim vt est solemniter in curia promulgata.

Lex nõ obligat nisi fuerit promulgata.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, (vt communis sententia habet) nullam legem obligare, donec sufficienter sit promulgata, vt patet in can. in istis. d. 4. vbi dicitur leges tunc instituuntur, quando promulgantur: nam vltimus actus perficiens legem est promulgatio, vt dicit Angelus in Summa verbo lex, Vnde si nõ sit sufficienter promulgata, non erit ita sufficienter instituta, vt vim obligandi habeat; vt constat ex cap. Cognoscentes extra de constitutionibus, vbi habetur, quod ignorãtes legem nullum incurrunt detrimentum.

Angelus.

Et ratio est: quia voluntas & Regis imperium non potest esse humanarum actionum regula antequam promulgetur, eo quod ignoratur, & omnis regula media scientia habet applicari; vt autem legislatoris voluntas sufficienter proposita censeatur, non sufficit quæcumque propositio; sed ea necessario requiritur, qua Rex ipse, vel Princeps loquitur, vt Princeps. Nam quamuis, verbi gratia, Pontifex in senatu coram Cardinalibus, & Rex coram suis senatoribus, dicat hanc esse voluntatem suam, non satis videtur vt legem constituat; quia nondum vt Princeps plebi imperat, & voluntatem, & imperium suum proposuit, iam enim moribus receptum est, vt nondum Rex intelligatur legem ferre, donec eam publica, & solemni ceremonia in curia sua publicari faciat; nec satis est eamdem imprimi aut scribi donec solemniter, vt dixi proponatur. Quod obseruant Summi Pontifices in curia Romana, qui & si canones & leges imprimi faciant, non intelliguntur tamen de Sede Petri tanquam Iudices & Pontifices loqui in legibus ferendis, donec ad valuas Basilicæ Apostolorum de vrbe Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ solemniter publicentur, & exemplar vnum legis in columna illius Campi, & aliud ad valuas D. Petri per aliquantulum temporis affigantur. Et si accidat interdum vt in legibus, & bullis impressis dicatur publicatæ tali die, & tamen nunquam solemniter fuerint promulgatæ, vim legis haud habebunt.

Quando lex irritatoria ligat.

Secundo obseruandum est, quod sententia communis etiam tenet, quod lex Pontificia, vel Imperatoria alicuius facti irritatoria, statim post ipsius in curia promulgationẽ, vigorem habet vt obliget, si in tali lege dicatur, vt iam inde à principio obliget, velut si Pontifex dicat, ex tunc omnia irritamus, vel ex tunc inhabiles reddimus; Vnde tale factũ post promulgationem etiam ab ignorante legem inuincibiliter irritum erit & nullum, atque adeo ab illa hora omnes contractus irritantur & sunt inualidi, quod ex iure c. Cum singula de prępub. clarissime colligitur; vbi Papa dicit, quod quicunque duas præbendas habuerit, ex tunc non faciat fructus alterius earum. Quare tenetur clericus à tempore latæ legis omnes fructus perceptos restituere. Si tamen pœna aliqua contrarium facientibus imponeretur in tali lege non ligaret ignorantes; quia absurdum esset, quod ignorantes obligarentur ad pœnam, vt constat in Glossa secunda de hæreticis, & per Doctores in capit. 2. de constitutionibus.

Glossa.

Lex quando incipiat obligare.

Tertio obseruandum est, quòd si in lege Pontificia, vel Imperatoria præcipiente, vel prohibente aliquid, certum tempus præfigatur, quo elapso debeat obligare, obligabit quidem post tempus illud lapsum, & non antea: si vero in lege Pontificia & Imperatoria certum tempus non præfigatur post cuius lapsum habeat obligare, non obligabit nisi duobus elapsis mẽsibus post talis legis generalem promulgationem in Consistorio, vel in Curia factam; quamuis antea notitia habeatur de tali lege, quia videlicet aliquis audiuit talem legem in Consistorio, vel in Curia fuisse promulgatam. Quod satis probatur per authen. vt nouæ factæ constitutiones, §. Sancimus, vbi habetur quod Romanorũ Imperatorum leges post duos menses valere incipiant in Repub. atque tractari, ergo ante illos elapsos non obligabit; probatur etiam ex eo, quod beneficium iuris non est auferendum, vt constat ex Cano: de his d. 8. §. Si quis condemnatus, ff. de re iudicata, & c. Indultis de regulis iuris. Sic tenet Ioann. de Turrecremata. d. 4. c. in istis; & Paulus de Lazaris in prœmio Clem. Antonius de Butrio in c. Si quando de constitutionibus, & Nauar. in manu. c. 27. nume. 44. Quam opinionem defendit ipsemet Nauar. lib. 1. Consiliorum de constitut. consil. 1. q. 4. nu. 17. contra Panorm. Imolam, & Felinum. Tum quia in Authen. vt nouæ factæ constitut. tam in nigro, quam in rubro expresse habetur, talem legem post duos menses, & non aliter valituram, & consequenter ante duos menses illam non ligaturam. Tum quia & si bona pars causæ, quare datur dilatio duorum mẽsium sit, ne ignorantes obligentur; tamen non est sola, quia etiam datur, ne alios liget antequam alios, & vt omnes incipiat eodem tempore ligare, & vt tollatur confusio, rixa, & imparitas subditorum, dum alij ante alios ligantur. Tum etiã, quia sicut scientia legis donec promulgetur non ligat, ita pari fere ratione scientia promulgatæ legis donec labatur tempus tacite constitutum ad ligandum non debet ligare.

Ioann. de Tur. cre.
Paulus de Lazaris.
Antonius.
Nauarrus.

Addit tamen Nauarr. hanc sententiam attento iure scripto esse veriorem opposita; cæterum de consuetudine & stylo videtur in vrbe seruari, vt transgredientes legem Papæ publicatam etiam ante duos menses puniantur, non solum quia confitentur, vel probantur sciuisse illius promulgationem; sed etiam quia non probant iuste ignorasse, præsupponendo, quod præsumantur scire, quæ consuetudo & stylus ait Nauarr. restringi forte posset ad forum tantum exterius, & ad Vrbicolas.

Lex nõ obligat nisi recipiatur.

Quarto obseruandum est, quod lex non obligat nisi recipiatur. Nam si recepta à maiore parte Ciuitatis, cuius altera pars eam transgreditur, non fuerit, minime obligat: leges

Digitized by Google

ges enim confirmantur cum moribus vtentium approbantur *D. August.* prout ait D. August. & sic dicitur in iure ciuili, in §. leges. 4. d. l. de qq. ff. de ll. quod ipse leges nulla alia ex causa nos tenent, quam pro iudicio populi receptæ sunt, & sic ait *Nauar.* Nauar. in c. 3. nu. 21. quod lex antequam recipiatur saltem per maiorem partem Ciuitatis, cuius pars est, transgressorem non ligat: quoniam promulgata videtur cum conditione si recipiatur saltem per maiorem partem, vt singulariter *Dominicus.* dixit Dominicus in d. §. leges. per recentiores receptus, & *Felinus.* profundius doctissimus Felinus, & hoc probant prædicti Doctores. Nam præsumitur legislatorem ferre illam sub conditione si fuerit recepta, & in hoc nullam inuenio difficultatem, sed difficultas est, Vtrum primi nō recipientes peccent? Ad quod respondeo quod sic, nisi aliqua rationabili, & iusta causa excusentur. Siquidem omnes tenentur præpositis suis obedire, & non est in potestate subditorum leges à superioribus latas non recipere. Ceterum quamuis qui a principio legem rationabilem, & iustam promulgatam non seruant peccent, tamen si superiore id sciente, & potente cogere ad seruandum illam non cogit nec reclamat, non seruantes videntur à peccato excusari, & quod videatur superior eam tollere iuxta Glossam celebrem in c. 1. de *Felinus.* Tregua, & Pace, & vt Felinus tradit in d. cap. de Tregua, & Pace, lex quæ decennio non est recepta non ligat, contra Abbatem, qui existimabat spatium quadraginta annorum esse necessarium, quam Felini opinionem vt magis veram, *Couarruuias* & communem libenter recipit Couaru lib. 2. variarum ca. 16. num. 6. Neque ob id intelligas legem non habere vim obligandi antequam populus eam recipiat. Nam licet Princeps sæcularis authoritatem condendi leges habeat a Reput. eo tamen ipso, quod Princeps est, potestatem habet a Republ. sibi tributam, qua cunctos populos sibi subiectos per leges à se latas obligare potest, eosque compellere ad earū obseruantiam, si iustæ, & rationabiles fuerint; alias potestas condendi leges videretur in populo remanere, cum reuera ex quo populus in Principem eam transtulit, ei soli conueniat. Quod à fortiori procedit in constitutionibus, & legibus Papalibus, cum Papa non a populo, sed ab ipso Christo Domino habeat huiusmodi potestatem. Cum quo tamen stat, quod si debito tempore transacto à legis publicatione populus eam non seruat, sed contra eam agit minime obligabit. Nam renuente populo legis receptionem sciē te Principe, & tacente per aliquos actus contrarios rema- *Glossa.* net lex inermis, prout ait Glossa in c. 1. de Tregua, & pace.

His obseruatis, licet omnes scribentes in hoc conueniāt, quod quando legislator statuit, quod lex in singulis locis promulgetur, & aliter non obliget, talem promulgatiōnē necessariam esse vt habeat vim legis: quia alioqui non censetur habere rationem imperij respectu inferiorum, cum princeps non alio modo velit imperare, quam a die talis *Conc. Trid.* publicationis, quemadmodum fuit lex lata in Concilio Trident. sess. 24. decreto de reformatione matrimonij. cap. 1. vbi præcipitur, vt lex illa quæ irritat contractum Matrimonij clandestine factum publicetur in singulis Parochijs, & post publicationem, non nisi elapsis triginta diebus incipiat obligare, ex quo effectum est vt lex ista in Gallia, & in Germania vim nullam habeat irritandi matrimonia, quia nondum in Parochijs publicata fuit. Est tamen difficultas virū quando Princeps nihil statuit circa publicationem, necessarium sit legem in singulis Ciuitatibus promulgari, an vero statim post promulgationem in curia vim legis incipiat habere.

De qua re triplex est opinio, quidam enim opinantur nullam legem, nec Ciuilem, nec Pontificiam vt habeat veram rationem legis aliam ex se postulare promulgationem, quā in curia Principis, aut Pontificis. Hanc sententiam docet Vas- *Vasquez.* quez. 1. 2. disp. 156. a. 2. quam ita probat; quoniam vt præceptum aliquod superioris obliget subditos satis est proponi tamquam imperium, & præceptum, hoc autem vere contigit promulgatione facta in vna sola Ciuitate, ergo ex eo tempore lex vim habet obligandi; quod si ad aliquorum notitiam non peruenerit, hoc non tollet veram rationem legis, & imperij, sed subditus excusabitur ab obseruatione illius.

Sotus. Secunda sententia est Soti lib. 1. de iustitia, & iure qu. 1. articulo 4. Qui distinguit de lege Pontificia, & Ciuili, Nam cum primum dixisset sufficere promulgationem in curia, vt lex promulgata veram vim habeat obligandi, tandem de legibus ciuilibus subiungit, non satis esse si promulgentur in curia Regis, vt vim habeat obligandi, si Rex legem ferat à multis regnis suæ ditionis obseruandam, vt si Rex Philippus legem ferat, qua velit obligare Hispanos, Italos, & Belgas, qui imperio suo parent, non sufficeret eam legem Toleti promulgare, aut Matriti, vbi curia eius esset. Porro quam late patens debeat esse promulgatio, hoc est, in quot Ciuitatibus Prouinciarum fieri debeat arbitrio prudentis reliquit, qua in re laudat definitionem Imperatoris in Authentico, vt nouæ const. vbi statuitur vt leges promulgentur in locis Metropolitanis.

De legibus autem Pontificum, quæ non reuocatoriæ seu irritatoriæ sunt, sentit solam publicationem factam in Pontificis curia sufficere, vt constitutio veram habeat vim legis, & quoslibet subditos scientes ligare possit, quam sententiam tradit etiam Silvest. verbo Lex. q. 6. Ioannes Andreas super *Syluester* dicta. 6. lib. decret. tantum Panormit. in c. nuuerit. de sent. exc. *Ioannes Andreas* Ioānes Menachius in regula generali de regulis iuris, Ludo *Panorm.* uicus Gomezius in proœmio regularum Cancellariæ. q. 2. §. *Ioan. Men.* 4. pro ista, & summa Rosella verbo Lex. *Lud. Gome.* *Summa Rosella*

De legibus autem irritatorijs seu reuocatorijs priuilegiorum vel alterius legis docet non habere effectum etiam si promulgetur in curia donec promulgatio fiat in propria *Conc. Trid.* diœcesi priuilegiati, quod confirmari potest ex Concilio Trident. sessio. 24. de Reformatio. cap. 1. vbi matrimonia clandestina irritans decernit, vt huiusmodi decretum in vna quoque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die publicationis, in eadem Parochia factę numerandos.

Tertia sententia tenet vniuersaliter legem promulgatam in curia non ligare prouinciales, hoc est, subditos extra prouinciam, vbi est curia, degentes, etiam post duos menses à publicatione facta in curia, donec per Metropolitanos, vel Episcopos, aut Gubernatores prouinciarum in earum Metropolibus promulgetur. Quod probatur primo, quia hoc expresse habetur in prædicta authen. Vt factæ nouæ constitutiones, nimirum quod lex noua non obliget prouinciales nisi post duos menses à publicatione in eorum prouincijs facta, & iure canonico non est expressum contrarium, ergo illi standum est & ratio aperta est, quia cum lex vniuersalis sit regula ad omnes pertinens, requiritur, quod omnibus proponatur sufficienter, quod per solam promulgationem in curia nō fit: Nam absurdum videtur legem aliquā censeri debite promulgatam, cum eius notitia moraliter haberi non potest. Ad mores enim potentia Metaphysica, vel Physica non pertinet. Sed moralis.

Et confirmatur: quia si præcedente sufficiente promulgatione in sui defensionem quis alleget se legem nescire, ius eius excusationem non admittit, quia non præsumit legem ab aliquo ignorari; ergo secundum ius illa censebitur sufficiens promulgatio, quando sic fuerit promulgata, vt moraliter loquendo ad notitiam deuenire possit, aliter enim ius non præsumeret ab aliquo posse ignorari.

Præterea Ioannes Andreas (super Glossam datæ sexti) *Ioannes Andreas.* communiter receptus tenet id, quod dicimus esse verū de lege Imperatoris, & eadem ratio, vel maior videtur de lege Papæ, quia hæc extenditur ad omnes Christianos, & consequenter ad multo plures prouincias, quam lex Imperatoris, atque ita durius esset, quod hæc ligaret antequam publicaretur in Prouincijs, quam illa. & confirmatur: quia leges Papæ multo grauiores, quam ciuiles reputantur, sed leges Ciuiles in qualibet Ciuitate publicantur, ergo a fortiori leges Papæ, vbi enim maius viget periculum, ibi cautius est agendum.

Item in cap. Cum infirmitas, de pœnitentijs, & remissionibus significatur constitutionem etiam factam in Concilio generali non ligasse ante publicationem eius à prælatis factam: Nam ita legitur. Si quis autem Medicorum huius nostræ constitutionis postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, trāsgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter.

Præterea durum videtur dicere omnes leges quæ passim motu proprio Pontificis Max. sunt Romę ligare post duos menses a publicatione in curia facta, vltimos quoq; cultores Septentrionis, & Occidentis, Æthiopes, item & Indos.

Præterea cum lex in Curia est sufficienter promulgata ibi existentes non obligat nisi duobus elapsis mēsibus, quod

signum

Digitized by Google

signum haud obscurum est legem minime obligare prouincias nisi facta in illis publicatione; Illud enim spatium in curia existentibus datur, vt illi, & ipsi, & alij in prouincia Curiæ existentes legem exactè scire possint; quia in spatio illo satis in tota prouincia promulgari potest; ergo nec in alijs prouincijs obligabit, nisi facta in ipsis debita publicatione. Vnde optime Caietanus 1.2.q.90.art.4.ait neminē lege aliqua obligari, nisi sibi sufficienter promulgata fuerit, sic quod moraliter loquendo sufficienter eius notitia ad eum peruenire potuerit; ait enim sic. Intēdit Author, quod absentes à promulgatione obligantur, vel quia per alios promulgatio ad eos peruenit, vel per alios deuenire potuit, sed ex parte absentium consequutum est, vt nescirent, vel quia noluerunt, vel neglexerunt facere, quod in eis erat ad sciendum, alioquin absentes nescij promulgatæ legis vi non ligantur. Ex quibus colligitur non sufficere promulgationem legis in curia, nisi ad alias regni partes saltem principalia regni, oppida deferatur, vt cunctos Regis subditos obliget.

Caietanus.

Idque expressis verbis Caiet. deducit ibidem inquiens. Propter quod si Romæ noua lex promulgatur, & nec curia ipsa procurat, vt promulgatio ad Ecclesias cathedrales deueniat, nec Prælati, qui ibi sunt non insinuant suis Ecclesijs, accusari nec apud Deum, nec apud homines ignorantiæ possunt absentes nescij. Hæc Caiet. Vnde sequitur, secundum ipsum non sufficere promulgationem legis in Curia; nisi ad singulas diœceses saltem Metropolitanas deferatur, vt cunctos subditos obliget: Nec solum excusantur à legis transgressione ignorantes eiusmodi legem ignorantia iusta & inuincibili; sed etiam quia secundum rei veritatem lex illa ob promulgationis debitæ defectum eos minime ligauit. Ex quo sequitur, quòd licet ipse sciam pontificias sanctiones promulgatas esse Romæ, non teneor existens Florentiæ ad earum obseruantiam, donec promulgatio fiat in Ciuitate Metropoli.

Nauar. Et confirmatur hæc sententia: quia Nauar. lib. 1. Conciliorum. Concil. 1. q.4. nu.19. in fine affirmat, quod iure scripto attento hæc sententia est verior opposita; licet attento stylo, & consuetudine ecclesiæ, curiæque Romanæ quo ad leges Papæ opposita magis seruetur.

Scotus. Sed quicquid sit de hac, hæc tertia sententia, quæ est Scoti in hac quæst. sub litt. h. §. Secundum autem tempus, quā

Caiet. Medina. sequuntur Caiet. & Medina. 1.2.q.90. art 4. & Doctores super capit. Cognoscentes de constitutionibus, probabilior mihi apparet. Ex qua sequitur primo. Sufficientem legis promulgationem non fieri in instanti, nec paruo tempore, sed in temporis spatio, quo possit ad notitiam omnium deuenire. Secundo sequitur posse accidere, quod lex sit sufficienter promulgata respectu quorundam, & respectu aliorum, non sit satis proposita, quod ex Scoto vbi supra apertissime deducitur, cum inquit aliquos legem Euangelicam obligasse in die Pentecostes, alios vero ad vnum mensem, alios ad quatuor annos, alios vero ad decem, secundum quod ordine temporis illa lex proponebatur nunc his, postea alijs.

Sotus cōtra scotum. Sed contra hanc sententiam arguit Sotus vbi supra & primo sic, lex generaliter promulgatur: Non enim dicitur, præcipimus Ciuibus illius Vrbis, sed vniuersis sub ditione nostra degentibus, ergo ex tunc obligat vniuersos.

Præterea. Dum concionatur, verbi gratia, aut aliqua persona priuata admonet me talis politiæ, tunc iam deinceps non excusarer ne ignorantia; & tamen nuncius ille non me obligauit, ergo promulgatio solemnis, quæ prædixerat me obligauerat.

Deinde si non statim à promulgatione solemni essent vniuersi lege ligati, sequeretur, quod neque ignorantes propriè dicerentur excusari: excusatio enim est ab obligatione, quam quis habet, sed secundum contrariam opinionem ignorantes nondum obligantur, ergo &c.

Postremo si nullus tenetur ad legem, quousque illius notitiam haberet; sequeretur quod qui legem aliquam ignoraret inuincibiliter, nunquam teneretur ad illam; consequens est falsum, ergo & antecedēs; probatur sequela; quæro enim, quando lex incipiat obligare hominem illum? nō quando venit in notitiam illius: quia lex ante erat promulgata solemniter, & promulgator non est legis institutor, sed nec quando lex est promulgata per vos: dicitis enim legem non obligare quoadusque in notitiam veniat subditorum, ergo talis ignorans nunquam tenebitur ad legem illam.

Ad primum dico, quod quamuis in legis promulgatione, vel potius institutione dicatur, Præcipimus vniuersis sub nostra ditione degentibus, intelligitur postquam ad eorum notitiam lex illa peruenerit, alioquin esset iniusta; nam vt constat, obligaret ad impossibile, ideoque vt lex obliget subditos, & sufficienter promulgata censeatur, in singulis diœcesibus, ciuitatum promulgari debet solemniter: quia lex iusta neminem obligat ad impossibile; cumque impossibile sit ignorantes inuincibiliter legem illam seruare, impossibile erit etiam ad eam obligari; atque adeo ignorantes inuincibiliter legem, dicuntur excusari à legis obseruantia, non quia teneantur ad illam, sed potius quia non tenentur, vt in responsione ad tertium magis patebit.

Ad secundum distinguo consequens, & dico, quod promulgatio solemnis obligat ad legem pro illo tamen tempore, quo illius notitia ad subditum peruenit, vel peruenire potest, non potentia logica vel physica; sed politica & morali; nam absurdum videtur legem aliquam censeri debite promulgatam, cum eius notitia moraliter haberi non possit, & per hoc soluitur ratio Vasquez. Nam falsa est minor, vt patet ex dictis.

Ad tertium nego consequentiam. Nam excusari Latinè idem significat, quod à crimine obiecto purgari, sic ignorantes inuincibiliter legem excusari dici possunt, si illis obijciatur legem talem non custodisse, purgando se à tali crimine dicendo, quod ad illam legem non tenebantur: quia probant se ignorasse illam; atque adeo ignorantes inuincibiliter legem, dicuntur excusari à legis obseruatione, non quod teneantur ad illam, sed potius: quia non tenentur; vt constat exemplo legis ieiunij, à qua dicuntur excusari, qui 21. annos non habent, propterea, quod ad talem legem non tenentur, neque obligantur.

Ad vltimum nego consequentiam, & ad probationem dico, quod lex incipit hominem obligare ex eo tempore, quo legis notitiam potuit habere, facta solemni promulgatione legis; Tunc autem lex dicitur sufficienter promulgata, quando illius notitia potest ad omnes deuenire vt ex D. Thoma ostendit Caiet. vbi supra. Vnde quando lex in prouincia promulgatur cuilibet de prouincia promulgatur, absentibus tamen postquam ad eorum notitiam talis lex peruenit vel peruenire potuit, censentur promulgari: facta enim in prouincia promulgatione; non est postea vnicuiq; homini promulganda, sed per famam veridicam, & testimonium bonorum, deuenit, vel deuenire potest in notitiā singulatum à promulgatione legis illius absentium, ex quo tempore obligantur ad legem, quod si ipsi propter culpam suam legem ignorant, nihilominus obligantur, & tenentur ad obseruationem illius. Ex quo infertur Sotum sentire contra D. Thomam, & Caiet. cum dicit, quod tunc lex incipit obligare, cum primum publico edicto à principe ponitur; & non quando venit in notitiam subditorum. Neque Promulgator legis est dicendus legis institutor, quia Sancti Apostoli fuere legis Euangelicæ promulgatores, & tamen nemo hactenus dixit, illos fuisse talis legis Authores, vel institutores.

ARTICVLVS IV.

Vtrum statim ac fuit institutus baptismus tenebantur homines baptizari.

PRo explicatione huius art. obseruandum est, quod Baptismi institutio præcessit promulgationem eius: Neq; enim lex aliqua promulgatur, nisi primo à legislatore determinata, instituraque sit, à quo firmitatem habet. Vnde apud Romanos olim, primo lex à Magistratu Domi priuatim scribebatur, et de ea cū viris prudentibus consulebatur, ne lex absurdi, vel incommodi aliquid contineret; Deinde Magistratus in Comitijs Curiatis, vel Centuriatis, vel Tributis; populum aut Plebem rogabat his verbis. Velitis, Iubeatis, hoc vel illud constitui? Populus, vel Plebs si improbabat, respondebat. A. id est, antiquo, quasi diceret antiqua probo, noua non item; si autem probabat respondebat, V.R. id est, vti rogas, q.d. probo, & decerno vti rogas; & hæc apud scriptores Romanos dicebatur rogatio legis Postea Magistratu rogante, Populo vel Plebe iubente, vel decernente hoc vel illud statui debere, lex ipsa scripta promulga-

Baptismi institutio præcessit promulgationem.

Digitized by Google

mulgabatur tribus nundinis, hoc est, publice proponebatur. Nam vt ait Festus promulgari idem est, quod proponi; vt proposita in publico loco, legi posset ab ijs, qui in Vrbem ex agris, vel ex rusticis tribubus, ac municipijs veniebant. Ex quo patet, quod legis institutio semper promulgationem illius præcedebat. Sic Christus Dominus prius sacramentum baptismi instituit, postmodum autem per se, vel per suos Apostolos promulgauit.

Secundo obser. est, quod leges tunc instituuntur cum promulgantur formaliter loquendo, vt habetur cap. In istis. d. 4. quoniam tunc ex ipsa promulgatione incipiunt habere rationem legis, & subditos obligare, ad quorum notitiam per talem solemnem promulgationem perueniunt.

Tertio obser. est, quod post quam baptismus fuit institutus potuit promulgari dupliciter, vno modo per modum consilij tamquam bonus, & vtilis, altero modo per modum præceptum, hoc est tamquam necessarius, & obligans.

Quarto obser. est, quod promulgatio facta de consilio diuino obligat ad non contemnendum; qui enim consilium contemnit, contẽnit consulentem in quantum consulentẽ; promulgatio autem per modum præcepti obligat non solũ ad non contemnendum, sed etiam ad obseruandum si est affirmatiuum, vel cauendum si est negatiuum.

Quarto obser. est, quod non est par ratio de consilio, & præcepto diuino, & de consilio, & præcepto humano: quoniam loquendo de consilio, aut præcepto hominis superioris seu prælati licet interdum tam consilium, quam præceptum superioris contemnere, id est irrationabile, & infructuosum iudicare, sed non licet dum est prælatus contemnere non obseruando: quia dicitur Matth. 23. super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, &c.

1. Conclusio. His obseruatis sit prima Conclusio. Non tenebantur homines ad baptismum, licet iam esset institutus ante ipsius promulgationem. probatur. Nulla lex etiam positiua diuina obligat ante ipsius promulgationem, sed baptismus est de lege positiua diuina, ergo non obligauit homines ante ipsius promulgationem. Probatur maior. Ioan. 15. vbi Christus Dominus dicit. Si non venissem, & locutus eis nõ fuissem peccatum non haberent. Quibus verbis non de omni Iudæorum peccato Christus Dominus loquitur, sed de solo infidelitatis peccato, quo noluerunt credere ipsum esse verum Deum. Dixitque illos fuisse excusandos si de illa re

Scotus. non fuissent ab eo plene edocti. Vnde infert Scotus in hac. q. sub litt. C. quod nullus tenetur ad aliquod præceptum diuinum, nisi per aliquem idoneum testem, & authenticum sibi promulgetur, vel fama veridica, & testimonio bonorũ cui debet quilibet rationabiliter credere: quod intelligendum est de lege positiua diuina, quę non est nota in corde, vt est lex naturalis. Et ratio est in promptu: quia cum lex positiua sit regula habens vim directiuam, numquam suum sortiretur effectum, si hominibus non innotesceret, quomodo enim diriget ignorantem?

Præterea de ratione legis est habere vim obligandi cunctos Principi subiectos, at sine debita promulgatione neminem obligare potest: non enim sola legis institutio, & determinatio à Principe facta subditos obligare potest, nisi eis per præconem sufficientem fuerit intimata.

Præterea lex a Principe sancita existentes in eius curia non obligat, nisi sufficienter fuerit promulgata, ergo nec alios longe existentes, donec eis debite, & legitime proponatur; non enim isti sunt peioris conditionis, quam illi, ergo legis promulgatio per necessaria est, vt obligationem illam obseruandi patiat.

Præterea probatur conclusio. Pręceptum diuinum est obseruandum, nisi certo constet esse reuocatum a Deo; sed circumcisio in cuius locum succedebat baptismus erat de præcepto diuino, vt patet Gen. 17. ergo erat seruanda etiã baptismo instituto, nisi certo constaret ipsam fuisse a Deo per baptismum reuocatam, sed hoc constare non poterat, nisi per authenticam baptismi promulgationem, ergo baptismus non obligabat ante eius promulgationem. hæc conclus. est Scoti vbi supra.

2. Conclusio. Secunda conclusio, Antequam baptismus promulgaretur vt obligans de præcepto fuit congrue de consilio promulgatus. probatur dupliciter, & primo sic. lex gratiæ quæ perfectissima est, ad quam pertinet baptismus, non decuit imponi hominibus de repente, & præcipitanter, sed suauiter per gradus. Hoc autem fit si primo sub consilio hominibus promulgetur, igitur baptismus congrue fuit prius sub consilio promulgatus hominibus, probo minorem; Nam quamdiu lex non vrget, sed est sub consilio suauiter alliciuntur homines, vt postea suscipiant libenter eius obligationem.

Secundo probatur. Nam lex diuina non erat subito repellenda quasi mala; sed lex circumcisionis erat lex diuina, ergo non debuit de repente repelli, per subitam præcepti baptismi impositionem, sed prius debuit baptismus currere sub consilio, vt Synagoga, & circumcisio cum honore sepeliretur, vt ostenderetur fuisse bona pro tempore suo, & non mala, velut Idololatria. Si.n. Synagoga subito repelleretur, videretur reiecta quasi fuisset mala. hæc cõclusio est Sco. vbi supra litt. D. §. secundo dico, &c.

Tertia Conclusio baptismus fuit aliquando sub pręcepto promulgatus, probatur ex Actis Apostolorum in multis locis, & Marci vltimo. vbi dicitur. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; & ratione suadetur; quoniam si baptismus numquam fuisset promulgatus sub præcepto, numquam fuisset necessarius ad salutem, est autem necessarius, vt docet fides, ergo fuit aliquando promulgatus sub præcepto: quia alias numquam habuisset lex Euangelica firmitatem, vel necessitatem saltem quantum ad illud sacramentum. Conclusio est Sco. vbi supra. 3. Conclusio

Quarta Conclusio. Promulgatio diuini Consilij licet non obliget ad ipsius consilij obseruantiam, obligat tamẽ ad hoc quod non contemnatur. probatur: quoniam qui consilium contemnit, iudicando ipsum esse irrationabile, & infructuosum contemnit consulentem, prout consulens est. at nemo potest vel debet Deum contemnere prout consulens est, sine grauissimo peccato mortali. ergo nec eius consilium. Vnde infert Scotus vbi supra sub litt. E. quod nolens seruare cõsilium diuinum Euangelicum, quasi illud contemnens tãquam irrationabile, & infructuosum lethaliter peccat, & subdit. Videant mordentes paupertatem Euangelicam; ne forte cum eam nolint seruare: quia non est necessarium, cõtemnant illam, quia tales contemnentes contemnunt Christum, qui illam seruare suasit tamquam meritoriam ad vitam æternam, vt habetur in 6. Decretalium, de verborum significatione, & in Clementinis, vbi paupertas fratrum minorum tamquam vtilis, & meritoria commendatur. 4. Conclusio

Quinta Conclusio. Promulgatio præcepti diuini obligat non solum ad non contemnendum, sed etiam ad illud seruãdum, si est affirmatiuum, vel ad cauendũ si est negatiuũ. 5. Conclusio

Sexta Conclusio. Licitum est aliquando subditis contemnere consilium, & præceptum sui superioris, & Prælati, iudicãdo illud irrationabile esse, & infructuosum; probatur. Nullus tenetur de suo superiori opinionem falsam habere; sed consilium, vel præceptum prælati, potest interdum esse in se irrationabile, & infructuosum; ergo tunc subditus non tenetur reputare consilium eius, siue præceptum esse rationabile, & fructuosum, sed potest reputare contrarium sicuti est, atque ita contemnere non approbando; ex quo infert Scotus, quod tunc rationabiliter, & vtiliter laborãdum est ad talis consilij, siue præcepti reuocationem, vel correptionem, vel ad amotionem talis Prælati sic præcipientis, ita Scotus vbi supra sub litt F. 6. Conclusio

Septima Conclusio. Quamuis Prælati præceptum contemni possit ad modum explicatum cõclusione sexta. tamẽ non est licitum subditis, prælati præceptum contemnere dũ Prælatus est, non obseruãdo, illud probatur ex cap. 23. Matth. Vbi Christus Dominus dixit. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, &c. Quibus verbis vult habere Scotus q; licet præceptum Prælati sit irrationabile, & pro tali merito quandoque haberi possit, tamen tenetur subditus illud obseruare. Quod cum grano salis intelligendum est, ita vt per præceptum irrationabile intelligatur non illud, quod est cõtra rationem rectam; illud enim, & si prælatus præcipiat, non est faciendum. Sed si per pręceptum irrationabile intelligatur præceptum inutile, quod nulli vtilitati seruit, vt si præcipiatur subdito amphoram aliquam decies implere aqua, & iterum aquam in terra sine vlla vtilitate effundere, huiusmodi præceptum etiam si irrationabile sit, & inutile merito censeatur, dicitur esse necessario seruandum. Cęterum non arbitror ita illud esse necessarium, vt si ex industria dimittat secluso scandalo mortaliter peccet: Multa.n. 7. Conclusio

Prælati

Digitized by Google

Prælati imprudentes, & minus docti præcipiunt sub obedientiæ mandato, quæ leuissima sunt, & inutilia, quæ non seruare multoties secluso scandalo non erit culpa.

Non potest tamen subditus sine culpa mortali, legem iustam, aut præceptum superioris iustum contemnere iudicando illud iniustum, aut grauiter indignando illi; dicit n. *D. Hierony.* Esaias, Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarũ in dulce, & dulce in amarum; at secundum D. Hieronymum in Prouerb. vbicunque ponitur væ, in sacris litteris denotatur culpa mortalis in eo, quod sequitur; Qui vero rem iustam dicit iniustam, bonum dicit malum, & lucem tenebras, & qui legi iustæ indignatur, dulci amarum miscet, ergo sic faciens culpam incurrit lethalem. Licet autem subditus possit prælatum, quatenus talis persona est, vt puta Ioannes, aut Petrus, sine peccato mortali contemnere, parum illum existimando, & male de illo iudicando, cum malam eius vitam, & perditos mores intuetur, cæterum non potest illũ quatenus Prælatus est sine peccato contemnere, quia talis contemptus nõ in personam, sed in dignitatem fertur; cum vero omnis dignitas & prælatio à Deo instituta sit; iuxta Apostolum ad Roman. 13. quisquis illam contemneret, Deum eius institutorem contemnere videretur.

Promulgatio ergo Baptismi per modum consilij obligauit omnes ad non contemnendum, non tamen ad suscipiendum ipsum, ante eius debitam promulgationem. Promulgatio vero illius sub præcepto obligauit omnes ad quos legitime peruenit ad illum suscipiendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum Baptismus sub consilio fuerit vsque ad solemnem Euangelij promulgationem.

PRo explicatione huius quæstionis obseruandum est, quod Baptismus duo tempora habuit: Vnum quo erat sub consilio, scilicet ab eius institutione vsque ad solemnem promulgationem post Christi Ascensionem factam; Alterum quo erat sub præcepto, quod incepit in die Pentecostes, quia vsque ad illum diem Apostoli non prędicauerunt publicé, iuxta illud verbum Christi. Vos autem sedete in illa Ciuitate donec induamini virtute ex alto Lucæ. 24.

Secundo obseru. est, quod Euangelium fuit prædicatum ante Christi Domini passionem, vt videre est Matth. 10. & Lucę 9. & 10. Vbi legimus Christum Dominum misisse discipulos suos ad prædicandũ; tunc lex Euangelica non prædicabatur tanquam necessaria de præcepto, sed tanquã vera & vtilis, post Resurrectionem vero Domini Euangelium fuit etiam prædicatum, vt constat ex cap. vlt. D. Matth. Lucæ & Marci, quæ quidem prædicatio secunda, appellatur solemnis: quia tunc Euangelium fuit promulgatum, & prædicatum tanquam necessarium ad salutem toto orbi. Quare certum est apud omnes Doctores, quod à prima Euangelij prædicatione baptismus non fuit sub præcepto; sed tantum sub consilio vsque ad Christi Domini mortem. Sed controuersia est, an Baptismus sub consilio perdurauit, vsq; ad solemnem Euangelij promulgationem, vel statim post Christi mortem fuerit in præcepto.

D. Thomas. Richardus. Sotus. Et certe D. Thomas, 1. 2. q. 103. art. 3. & 3. p. q. 66. art. 2. & Richardus in 4. d. 1. q. vlt. & d. 3. art. 5. q. 3. Quos sequitur Sotus in 4. d. 3. q. vnica art. 2 & lib. 2. de Iust. & iure. q. 5. art. 4. censent quod Baptismus, & tota lex noua cępit esse in pręcepto, statim post Domini mortem.

Fundamenta huius sententiæ hæc sunt. Lex euangelica cępit obligare, quando lex vetus vim obligandi amisit, sed lex vetus amisit vim obligandi in morte Christi, ergo tunc lex noua accepit vim obligãdi. Maior probatur: quia Deus nunquam reliquit cultores suos absq; lege, ergo quando lex vetus cessauit noua incepit. Minor vero est manifesta ex verbo illo Christi Domini. Ioan. 19. Cõsummatũ est; in quo verbo ostenditur continuum vtriusque testamenti; nempe cõsummationis veteris, & obligationis noui testamenti. Et confirmatur ex D. Paulo ad Roman. 7. vbi ex eo, quod sumus liberati à peccato infert, quod sumus pariter & à iugo legis absoluti; cum ergo in morte liberi facti simus à peccato, sit vt tunc fuerimus etiam liberi à lege; quod etiã secundo confirmatur exemplo, ibi adducto à D. Paulo: ait enim, quod sicut mulier in morte viri a lege matrimonij fit libera, ita synagoga in morte Christi à legis obligatione.

Secundo probatur, ex eodem D. Paulo loco supra citato, vbi inquit. Itaq. fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo, vbi D. Paulus manifeste docet duo Primum, quod per corpus Christi, id est, per Christi mortem homines liberati sunt a iugo legis. Secundo docet, quod per eandem mortem copulati sumus Christo resuscitato, at coniunguntur Christo per legem eius, ergo legis nouæ obligatio cępit in die resurrectionis; atq; adeo si in morte Christi lex vetus euacuata est, & vtilitas circumcisionis euanuit vt ex verbis D. Pauli patet, ex tunc cępit baptismus esse necessarius, alias nullum tunc permansisset remedium necessarium ad peccatum originale delendum.

D. August. D. Hierony. Tertio probatur ex eo, quod D. August. & D. Hieronymus in hoc vnanimes sunt, quod lex vetus in Christi passione primum fuit mortua tam virtute, quam obligatione. & quod tunc lex noua cępit obligare, ergo aliud asserere præsumptum est inire cum ambobus Patribus sanctis. & si dicatur; si lex vetus consummata fuit in morte Domini, & tũc noua cępit obligare, ergo obligatio nouæ legis non cępit post resurrectionem sed ante illam; respondet Sotus vbi supra, quod Sancti articulum cessationis veteris legis, & obligationis alterius non constituerunt in puncto, sed totum mortis triduum pro vno reputauerunt articulo. Vnde (inquit Sotus) dicere possumus, quod lex vetus non cessauit, vsque ad Resurrectionem Dñi, & inde lex noua cæpit obligare.

Probatur quarto: si per aliquam rationem baptismus nõ obligasset sub præcepto à die Resurrectionis, id esset maxime, quia tunc non erat solemniter promulgatus, sed hæc ratio non probat ex tunc non fuisse sub præcepto baptismũ, ergo &c. probatur minor: quia illi Iudæi, qui notitiam habebant Sancti Euangelij tenebantur Euangelium profiteri, sed professio illius fit in baptismo, ergo tenebantur illi ad baptismum. Et addit Sotus, quod Christus viuens instituit legem, quæ protinus se mortuo obligaret.

Scotus. Rubion. Gabriel. Suarez. Aureolus. His tamen non obstantibus sententia Doct. sub. est tenenda; qui docet Baptismum non fuisse in præceptum ante solemnem prædicationem illius; quam sententiam sequuntur Aureolus hac d. q. 4. Rubion eadem d. q. 3. art. 2. Gabriel d. 1. q. 4. & Suarez Tom. 3. disp. 27. sect. 4. Quæ sententia duabus conclusionibus explicatur. Prima conclusio. *1 Conclusio* A passione Christi vsq; ad Euangelij solemnem promulgationem baptismus non fuit sub præcepto, sed sub consilio, sicut & ante passionem a tempore suæ institutionis. Probatur. Nullus aliter se habet nunc, quam prius ad aliquã legem: nisi quia est sibi aliter promulgata; quia vt supra diximus, de ratione legis est debita eius promulgatio, vel saltem necessaria conditio, nec ante eam obligat quempiam; sed post passionem Christi antequam Apostoli baptismum prædicarent, non fuit baptismus aliter populo promulgatus quam antea; ergo non aliter obligabatur aliquis post passionem ad baptismum, quam antea; ergo si ante passionem etiam iuxta sententiam Sancti Thomæ baptismus erat sub consilio, similiter post passionem ante promulgationem solemnem.

Et confirmatur: quia baptismus non prius cępit esse necessarium medium ad salutem, quam fuerit necessarius ex præcepto, sed præceptum non cępit obligare ante sufficientem promulgationem; quia hoc est de intrinseca ratione præcepti seu legis, siue sit de essentia, siue necessaria conditio ad obligationem eius (hinc parum refert) ergo nec cępit baptismus habere necessitatem medij, vsque ad eandem promulgationem. Maior declaratur: quia licet necessitas medij, & præcepti sint aliquo modo diuersæ, tamen in his medijs externis, quæ natura sua non sunt media, sed solum ex institutione; non potest esse necessitas medij, nisi ex necessitate præcepti oriatur: quia si non sit datum pręceptum de illorum vsu, omittere illa nullum erit peccatum. poterit ergo aliquis saluari, etiamsi illa omittat, quia salus solum per peccatum impeditur. ergo sine pręcepto non potest intelligi necessitas simpliciter in huiusmodi medio, at præceptum necessario promulgationem, requirit adhoc quod habeat vim præcepti, & obliget, ergo &c.

Ad hanc rationem respondet Sotus distinguendo maiorem: si n. inquit, intelligatur, quod nullus ante promulgationem legis aliter se habet ad legem, quantum ad vinculũ obligandi, est falsa: Nam statim, vt lex à Principe proponitur obligat, si vero intelligatur, quod nemo constituitur in culpa antequam legem sciat, si per ipsum non fiterit, quo minus illam audiret, est vera illa maior: quia illi qui de lege

nihil

Digitized by Google

nihil audierunt, eam non seruantes non peccant, non ex eo, quod non sint ligati, sed ex ignorãtia inuincibili, qua a culpa excusantur.

Cęterum hæc solutio facile ex dictis art. 3. diluitur, vbi ostendimus de ratione legis esse promulgationem talem, vt moraliter loquendo ad aures subditorum eius notitia peruenire potuerit; quocirca licet lex promulgata in Curia principis vim obligatiuam habeat, cæterum non obligat quempiam nisi ei debite promulgata fuerit. Vnde nullus ad legem aliquam aliter se potest habere quam prius quo ad adstringi, & ligari ea, nisi sibi aliter promulgata fuerit. Et quamuis cum lex promulgatur non instituatur, non tamen obligat ex eo puncto, & momento, quo instituitur, sed cum promulgatur, quia vt diximus art. 4. institutio legis promulgationem eius præcedit.

Pręterea secundo. Nullus potest obligari ad impossibile, sed si baptismus obligaret ante illius promulgationem authenticam obligaret ad impossibile, ergo nullus tenebatur ad baptismum antequam sibi esset soléniter promulgatus, vel fama veridica, vel testimonio bonorum, cui rationabiliter erat credendum, annunciatus, & consequenter nõ simul cœpit obligatio baptismi, per omnes prouincias, quia non simul in omnibus fuit solemniter promulgatus, vel annunciatus fama veridica, & testimonio bonorum. Maior est D. Hieron. in epist. ad Damasum, vbi ait, execrantur eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquod homini præceptum esse, & mandata non a singulis posse seruari. Minor vero probatur: quia cum voluntas non feratur in incognitum, vt ait D. August. impossibile est homini legem illã seruare, cuius notitiam non habet, neq; obligat hominem notitia quælibet ad legem seruandam, sed authentica, & rationabilis: quia qui cito credit leuis est corde. Eccl. 19. quod & Christus Dominus apertissime docuit Ioan. 15. cum dixit. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.

D. Hieron. *D. August.*

Probatur tertio. Tunc leges instituuntur cum promulgantur, vt habetur cap. In istis d 4. Ergo baptismus nõ fuit de præcepto institutus usque ad promulgationem solemnẽ illius. probo consequentiam, quia leges tunc instituuntur cum promulgantur, quia tunc ex ipsa promulgatione incipiunt subditos obligare, ad quorum notitiam per talem solemnem promulgationem perueniunt. Neq; ista verba Decreti citati exceptionem vllam admittunt.

Item quarto, lex vt author est Arist. 10. Ethic. ca. 9. vim habet cogentem, & necessitantem; sed necessitare, & ad opus impellere non potest legislator, nisi præcipiendo aut prohibendo per suæ legis promulgationem, ergo lex baptismi non obligauit, vsq; ad ipsius promulgationẽ solẽnẽ.

Postremo arguitur ex ipsius legis natura, lex est mensura & mensura nostrarum actionis, sed lex nõ potest esse mensura nisi subditis applicetur per ipsius legis promulgationem, ergo lex baptismi non obligauit antequam per promulgationem subditis proposita fuerit, atq; adeo ante promulgationem qua subditis lex talis innotescit non obligat de præcepto; sed tunc præcipitur quando promulgatur, ergo, &c. Maior patet, & minor probatur. Nam qui regula vititur ipsam intueri necesse habet. Vnde in l. leges. C. de legibus dicitur leges sanctissimæ quæ constringunt hominum vitas intelligi ab hominibus debent, & in Authen. vt factæ nouæ Constitutiones, &c. dicitur. Tunc valere leges iubetur cum in commune factæ sunt manifestę. Ideinq; habetur in iure Canon. vt patet extra de postulatione Pręlatorum cap. ad hæc. & de Constitutionibus cap. Cognoscentes, & hæc ratio sumpta est ex D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4.

Et confirmatur, quia illi qui habent notitiam alicuius legis canonicæ vel Ciuilis antequam promulgetur cuiusmodi sunt secretarij, non tenentur ad illam quoad vsque edicto tepto sit publicata, ergo a fortiori qui non habent notitiam legis, non tenentur ad illam, sed præceptum baptismi non simul venit in notitiam omnium, sed successiue, ergo non tenebantur homines baptizari, quoad vsque haberent notitiam baptismi per authenticam prædicationem.

2 Conclusio Secunda Conclusio Baptismus cępit esse in præcepto a solemni prædicatione Euangelij vsq; ad mundi huius consummationem. Et si quæratur quando cœpit hæc solemnis prædicatio Euangelij? respondit Scotus in hac q. sub litt. H §. secundum autem tempus, &c. quod Hierosolymis cępit in die Pentecostes, etenim vsque ad diem illum Apostoli non prædicauerunt publice, iuxta illud Saluat. Lucæ 24. Vos autem sedete in Ciuitate donec induamini virtute ex alto. In die autem Pentecostes Spiritu sancto accepto solẽniter prædicauerunt, quo die appositæ sunt Domino animæ circiter tria millia, & baptismum susceperunt, vt patet Act. 2. Apud alias vero Vrbes, Prouincias, & nationes, nõ simul cœpit obligare præceptum de suscipiendo baptismo, sed secundum varietatem temporum, quibus apud illas solemniter, & authentice lex Euangelica fuit prędicata, seu promulgata. Nam iuxta Esaiæ vaticinium. c. 2. Exibat lex de Syon, & verbum Domini de Hierusalem, sicq; aliquibus Ciuitatibus cepit tempus obligationis baptismi post mensem à Festo Pentecostes, aliquibus vero post annum, non nullis autem post decem annos, & sic deinceps prout eis solemniter, & authentice per Apostolos, aliosve Dei Ministros prædicabatur seu annunciabatur.

Scotus.

Ad argumenta pro sententia D. Thomæ respondetur, & ad primum dico, quod maior est falsa: quoniam secundum Scotum: circumcisio amisit vim obligandi, quando baptismus fuit institutus, vt sequenti art. explicabitur, & tamẽ tũc baptismus non obligat, sed tantum erat in consilio; & ad illud ex D. Ioan. & ex D. Paulo dico, quod nihil aliud colligitur nisi quod mors Christi fuit causa consummationis veteris legis, & nouæ legis confirmationis, quæ tamen veteris consummatio, & nouæ confirmatio non fuit in morte ipsa Domini, sed post Euangelij promulgationem authenticam. *Scotus.* Nam vt docet Scotus, lex vetus in morte Domini expirauit causaliter, non tamen pro tunc, sed pro tempore promulgationis Euangelicæ legis; & sicut Soto extendit tempus obligationis baptismi, & Euangelicæ legis vsque ad Resurrectionem Domini, non mirum si nos extendamus vsq; ad solemnem Euangelij promulgationem.

Et per hoc patet ad secundum: Cum enim Paulus significat mortuam fuisse legem veterem per mortẽ Christi, nõ est necesse ita intelligi, vt in eodem momento, in quo mortuus fuit Christus, mortua etiam fuerit lex vetus: sed quia ex morte Christi manauit ablatio veteris legis. Vnde tunc posita fuit sufficiens causa talis effectus, quamuis non statim, sed paulatim seu opportuno tempore illum effecerit, vt lex illa sepeliretur cum honore. Sicut etiam sacrificia illius legis ablata sunt per sacrificium legis nouæ, & sacerdotium vetus, per sacerdotium Christi, & per mortem eius, vt significatur ad Hebræos 7. & 9 & tamen nec sacerdotiũ nec sacrificia vetera omnino extincta fuere in morte Christi; alioqui vsus talis sacrificij, & omnes cęremoniæ, & sacrificia legis veteris fuissent superstitiosa, & sacrilega ab instanti mortis Christi, quod tamen verum non est. Dicuntur ergo hæc omnia euacuata per mortem Christi, quia tunc consummata sunt omnia, & confirmatũ testamentum nouum ex quo ortum est, vt vetus cessaret, modo tamen conuenienti, & tempore opportuno.

Cum ergo dixit Christus in Cruce consummatũ est, Scotus in hac q. sub litt. n. ad 1. Richar. bifariam explicat, primo vt verbum Christi referatur ad ea, quæ de ipso erant scripta iuxta illud Lucæ. 18. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consũmabuntur omnia, quæ scripta sunt de filio hominis per prophetas: secundo si verbum illud referatur ad legem veterem, debet intelligi, quod consummata, & abolita est lex illa antiqua in morte Christi, sicut in sua causa: quia Christi mors erat causa confirmationis legis Euangelicæ, sed illa non fuit confirmata tamquam necessaria ad obseruandum ante prædicationem eius publicam, quæ non incępit in morte, sed in Pentecoste, tempore enim intermedio sederunt in cęnaculo nemini solemniter vel publice prędicantes.

Ad tertiũ, dico, quod D. August. & D. Hieron. dicentes legem veterem mortuam fuisse in Domini morte, intelligendi sunt quod tunc fuit mortua causaliter, licet non pro illo tempore, sed pro tempore publicationis huius causæ, & legis Euangelicæ: quia vt diximus lex non obligat ante sui debitam promulgationem.

Ad quartum nego minorem, & ad probationem dico, quod illi Iudæi habentes notitiam sancti Euangelij tenebãtur profiteri Euangelicam legem esse veram, & vtilem, nõ tenebantur tamen baptizari: quia lex de baptismo non obligabat vsq; ad solemnem prædicationem illius.

Et ad id quod dicit Soto, quod Christus viuens instituit legem, quæ protinus se mortuo obligaret. dico, hoc esse voluntate

luntate

luntarie dictum, & absq; vllo prorsus fundamento: Nam in moralibus moraliter est loquendum, at cęteræ leges promulgantur, & obligant simul; ergo voluntarie, & libere dictum videtur, quod Christus instituerit legem, quæ protinus se mortuo sine alia promulgatione obligaret, & confirmatur, cęterę leges voce præconia promulgantur, vt obligent, ergo, & lex Euangelica voce debuit præconia promulgari, & non facto illo, nempe Christi Domini morte. Sicq; Apostoli in festo Pentecostes voces diuersas intonantes illam promulgare cęperunt; Quod si iam sine tali promulgatione, lex obligabat Euangelica, quid opus erat tam solemni promulgatione? Vt quid Christus Dominus ascendens in cœlum mandauit Discipulis dicens. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ? nisi quia promulgatio vsque ad tale tempus Hierosolymis facta, nō erat sufficiens ad homines totius vniuersi obligandos, donec per Apostolos facta esse promulgatio illis in præcipuis orbis Prouincijs. & ex his facile patet ad ea, quæ contra Doctor. nostrum sub. congerit Vasquez. 1. 2. disp. 181. & Medina. 12. q. 103. art. 3.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Circumcisio fuerit sub præcepto vsque ad Christi Domini mortem.

OBseruandum est, quod Scotus quantum ad circumcisionem distinguit quatuor tempora. Primum in quo erat necessaria. Secundum in quo erat vtilis, sed non necessaria. Tertium in quo non fuit vtilis, nec necessaria, sed licita tamen. Quartum vero in quo fuit illicita, & mortifera. Primum tempus circumcisionis fuit à sui institutione vsq; ad baptismi institutionem, & sic pręcessit tempus baptismi. Secundum tempus circumcisionis concomitabatur primū tempus baptismi, quo erat sub consilio vsque ad solemnem Euangelij promulgationem, sub quo etiam circūcisio erat sub consilio. Tertium vero tempus quando scilicet nec erat vtilis, nec necessaria licita tamen, cucurrit cum secundo tempore baptismi, quando erat sub præcepto. Quartum vero tēpus circumcisionis, & secūdum baptismi cucurrerunt simul saltem post concilium tertium habitum ab Apostolis Hierosolymis post. 14. annos a passione Christi, & hoc quātum ad Gentiles conuersos ad fidem; sed quantum ad Iudæos cōuersos secundum tempus baptismi, quo erat sub pręcepto nec à principio fui, nec post illud tertium Apostolorum Cōcilium exclusit omnino circumcisionem tamquam illicitā, nec alia legalia, sed multo post licite seruabantur vt infra explicabimus. Nam post illud Concilium Paulus Timotheū circumcidit, & ipse post quatuor annos ab eodem Concilio transactos purificatus est, secundum legem, & tota multitudo conuersa in Iudæa seruabat legem vt dicitur Act. 21. quod nos iterum infra dicemus. Ita Scotus in hac q. sub littera H. §. sed quoad tum ad circumcisionem.

Secundo obser. est, quod D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3. ponit legalium etiam quatuor tempora. Primum tempus fuit in quo lex vetus, & circumcisio vsque ad mortem Christi permanebat in præcepto, & habebat vim obligādi. Secūdum, in quo non fuit necessaria nec vtilis tamen licita, scilicet a morte Christi, vsq; ad diuulgationem Euangelij. Tertium tempus habuit quo fuit licita cōuersis ad fidem ex Iudęis, & etiam ex gentibus habitantibus cum cōuersis ex Iudęis, ne esset scandalum, & schisma inter eos, tamen illicita erat pro illo tempore alijs quam conuersis ex Iudæis, & habitantibus cum ipsis, & durauit illud tempus vsq; ad subuersionem Hierosolymæ, & dispersionem Iudæorum inter gentes, quando iam nullus de conuersis potuit scandalizari de contrario, atq; ita per magnum tempus post promulgationem Euangelij. Quartum tempus habuit quo simpliciter fuit illicita, & mortifera omnibus post illud tempus dispersionis. De baptismo autem dicit, quod habuit vnum tempus consilij, & hoc fuit tempus ab institutione eius vsque ad Christi mortem; ita quod pro illo tempore simul currebat apud Iudæos circumcisio sub præcepto, & baptismus sub consilio: secundum tempus habuit, quo fuit sub præcepto a morte Christi, & deinceps.

Ita quod D. Thomas, & Scotus in tribus dissentiunt. primo quod D. Thomas asserit, quod lex vetus vsque ad mortem Christi permanebat in præcepto, & habebat vim obligandi: Scotus vero docet quod circūcisio post institutionē baptismi extincta est quantum ad vim obligandi, & perseuerauit tantum sub consilio. Secundo D. Thomas inquit, quod baptismus statim a Christi morte, cępit esse sub præcepto. Scotus autem docet baptismum perdurasse sub consilio vsque ad promulgatum Euangelium. Tertio docet D. Thomas, quod statim a Christi morte circumcisio, & tota lex extincta est, ita quod non solum non erat necessaria, sed nec etiam vtilis, at Scotus docet circumcisionis vtilitatem haud extinctam esse in morte Christi, sed permansisse vsq; ad sufficientem Euangelij promulgationem.

In superiori art. 2. controuersia examinata fuit. In præsenti autem art. prima explicanda est, quæ est quando circumcisio vim obligandi amiserit. De qua re D. Thomas loco supra citato, & Richardus in 4. d. 3. art. 5. q. 3. & d. 1. q. vlt sentiunt circumcisionem etiam post institutum baptismum nō minus sub præcepto fuisse, quam antea, quam sententiam sic probant Thomistæ. *D. Thomas. Richardus.*

Primo ex D. Paulo ad Rom. 7. & ad Hebræos 7. & ex alijs locis, in quibus dicitur, quod in morte Christi liberati sunt homines a iugo legis, & quod mors Christi fuit causa consummationis legis veteris, ergo vsq; ad illud tempus lex obligabat, probatur consequentia: quia si ante mortem erat lex consummata non diceretur consumata per mortem Christi.

Secundo probant ex D. D. August. & Hieron. qui, vt ait Sotus, in hoc conueniunt, quod circumcisio erat obligatoria vsque ad mortem Christi.

Tertio. Reliquæ cęremoniæ veteris legis obligatorię fuerunt vsque ad mortem Christi, ergo, & circumcisio. antecedens, inquit Sotus, est de mente Scoti, & probatur sequela, quia circumcisio non erat minoris necessitatis, quam reliquæ cęremoniæ legis, ergo si reliquæ cęremoniæ vsque ad Domini mortem durauerint, ergo & circūcisio obligabat.

Quarto arguitur. Si post institutionem baptismi circumcisio non obligaret vsque ad Domini mortem hoc esset maxime, quia baptismus erat remedium sufficiens, contra originale peccatum, sed hæc ratio est insufficiens, ergo dicendū est, quod circumcisio obligabat vsq; ad Domini mortem, probatur minor quia sanctificati ab vtero, vt Hieremias, & Ioannes Baptista, tenebantur circūcidi, & nihilominus erāt mundati a peccato originali, ergo etiam si baptismus præstaret remedium cōtra peccatum originale, nihilominus erat circumcisio necessaria.

Et confirmatur: quoniam vt inquit Vasquez, & si cessasset obligatio circumcisionis quo ad deletionem originalis peccati, & gratiæ collationem, quia idem effectus melius p baptismum obtineretur. nihilominus negare non potuit Scotus circumcisionem non solum in remedium peccati originalis, sed etiam ad distinguendum populum fidelem Iudæorum fuisse institutam, ac proinde concedere debuit hac ratione obligationem illius mansisse, quam diu & lex lata per Moysem illi populo peculiari permansit, etiam si ratione remedij peccati iam deinceps non obligaret; atque certissimum est, neque ipse Scotus negat, obligationem legis Mosaicæ non cessasse, nisi post mortem Christi, ergo &c. *Vasquez.* *Scotus.*

His tamen non obstantibus standum est in sententia Doct. sub. Ideo contra sententiam D. Thomæ sic arguitur ex Scoto in hac q. sub litt. F. §. Contra primum arguitur &c. Consilium de perfectiori remedio contra morbum peccati relaxauit præceptum de priori remedio: sed consilium baptismi fuit consilium perfectioris remedij contra morbū peccati, ergo relaxauit præceptum prioris remedij, puta circumcisionis, & consequenter sustulit eius necessitatem. Maior probatur: quia dum contra eundem morbum duplex habetur remedium, quorum vtrumque est sufficiens ad tollendum morbum, vno adhibito reliquum non est necessarium, alioquin illud non esset sufficiens. Item sublato morbo non est necessitas remedij ad eius ablationem, sed adhibito sufficienti remedio morbus tollitur, ergo posito illo, aliud quo ad necessitatem euacuatur, & per consequens præceptum de alio relaxauit. frustra enim esset præceptum de remedio non necessario.

Minor probatur. quia baptismus est perfectius remediū contra peccatum, quam circumcisio, vt apud omnes est in confesso. Scotus autem sic probat. Quando sic se habēt duo præcepta quod vnum illorum reuocat alterum, tunc ad positionē vnius p modū cōsilij tollitur alterius necessitas, sed

præceptum baptismi reuocat præceptum circumcisionis, ergo consilium de baptismo tollit necessitatem circumcisionis, & consequenter circumcisio non erat necessaria, quando baptismus sub consilio erat: maior patet: quia consilium illius præcepti per quod alterum reuocatur est licentia, de non obseruando præceptum illud, quod reuocandum est: patet, quia consilium diuinum de non nubendo, vel contrahendo posuit antiquum præceptum de nubendo, vel cõtrahendo sub non præcepto, ita vt aliquis potest nubere, vel non nubere, sine transgressione præcepti.

Et confirmatur, si currente baptismo sub consilio scilicet ante passionem Iudæus credens ad prædicationem Christi vel Petri baptizasset paruulum suum, & eum non circumcidisset, si paruulus moreretur fuisset saluus: quia in baptismo recepisset gratiam. (a prima enim institutione baptismus contulit gratiam) ergo circumcisio non erat necessaria. Et si prima consequentia huius argumenti negetur; quoniam licet paruulo, baptismus sufficeret, pater tamen illius peccaret non circumcidendo, ergo manebat adhuc circumcisio sub præcepto. Contra hoc arguitur. Ideo pater tenebatur circumcidere paruulum, vt illi de remedio prouideret cõtra originale peccatum, sed poterat pater ante diem octauum, in quo præcipiebatur fieri circumcisio, paruulum baptizare per quod mundus maneret ab originali reatu, ergo non tenebatur postea illum circumcidere, quia pater credebat sufficere paruulo baptismum ad purgationem originalis peccati.

Sotus. Bassolus. Huic argumento respondet Sotus lib. 2. de Iust. & iure. q. 5. art. 4. & est responsio Bassolis hac d. q. vnica. art. 3. dicendo consequentiam esse falsissimam, solum enim tenet vbi res sunt sibi contrariæ, vel secum pugnãt, vt patet in Virginitate, & Matrimonio, nam cui præcipitur Virginitas interdicitur matrimonium, quocirca consilium Virginitatis tollit nuptiarum præceptum, at vbi res vtraq; secum patitur aliam, consequentia est nulla; Nam orationis consilium in quadragesima præceptum ieiunij non tollit.

Sed tantum abest quod Sotus hac responsione Doct. sub. argumentum soluat, quod magis vim eius se minime percepisse ostendit. Nam male consequentiam negat, vbiq; n. & in quacumq; materia verum est, quod quando præceptũ est alicuius actus prohibitio, consilium de vno, est licẽtia de non seruando alterum, quoad necessitatem præcepti, vt patet in Virginitate, & Matrimonio; & exemplum illud de ieiunio, & oratione in quadragesima non est ad propositũ; non enim præceptum de ieiunio est, prohibitio actus orandi, ita vt consilium de oratione sit licentia de non seruando ieiunio. at præceptum de baptismo erat prohibitio circumcisionis, atq; adeo consilium de baptismo erat licentia de circumcisione non seruanda ex præcepto & necessitate. Si autem præceptum de ieiunio esset prohibitio præcepti de oratione; sicut præceptum baptismi est circumcisionis prohibitio, consilium de ieiunio esset licentia de non seruando præceptum orationis, ex necessitate præcepti. Tenet ergo consequentia Scoti in præceptis repugnantibus: quemadmodum est præceptum de matrimonio, & Virginitate, circumcisio autem fuit vmbra, & figura baptismi, repugnat autem vmbram esse cum luce, atq; ita sicut præceptum de baptismo tollit præceptum de circumcisione; ita consilium baptismi tollit necessitatem circumcisionis; tenet etiam in alijs, quæ non repugnant, vt si confessarius præciperet pœnitenti quod ieiunaret 8. diebus, & postea daret consilium quod loco ieiunij daret eleemosynam, non est dubium, quod hoc consilium tolleret ieiunij necessitatem, & nihilominus ieiuniũ, & eleemosyna, non repugnant.

Ad confirmationem dicit Sotus, quod nec illa consequentia valet: quia & si paruulus esset tunc saluatus, peccasset tamen pater ipsum non circumcidendo, non quidẽ propter necessitatem gratiæ filio conferendæ sed propter necessitatẽ implendæ legis. Quemadmodum, & Scotus ipse probe cõcedit, quod etsi puer Hebræus ante octauum diem per remedium legis naturæ in mortis periculo adhibitum obtineret gratiam, nihilominus si in 8 esset superstes erat vt legis circumcidendus; sicut, & si quis modo per baptismum flaminis Spiritus sancti gratiam reciperet, nihilominus habẽs copiam aquæ tenetur ipsa tingi, & ablui. Sed ad replicam contra hoc responsionem factam ab Scoto, Sotus non respondet, sed neque hæc responsio fundamentum veritatis habet: qua enim lege baptizato paruulo, si pater credat baptismũ efficacem ad delendum originale, & a Deo loco circumcisionis institutum teneretur Pater Filium circumcidere? Et cum dicit quod baptizatus baptismate flaminis tenetur suscipere aquæ baptismum; & circumcisus recipiendo legem Euangelicam tempore, quo eum obligabat tenebatur baptizari. Dico, quod non est par ratio; quia baptismus aquæ est generaliter institutus a Christo sub præcepto tãquam porta, per quam quis in familiam eius intrat, & adscribitur; & similiter circumcisio tempore quo currebat in ordine ad Iudaicum populum: erantq; veluti signa exteriora, quibus à cęteris distinguebantur, quocirca baptizatus baptismo flaminis interiori, tenebatur baptismo aquæ baptizari, & ille cuius peccatum originale per remedium legis naturæ erat ablatum, tenebatur circumcidi, vt sic ille in Ecclesiam legis Euangelicæ; hic vero in Synagogam intraret; at in nostro casu sufficienter esset adscriptus ad familiam Christi per baptismum; & a cęteris distingueretur, ac proinde ad circumcisionem nullatenus teneretur.

Impugnata sent. D. Thomæ opinio Scoti duabus conclusionibus explicatur. Prima conclusio, circumcisio fuit necessaria, & vtilis ab eius institutione tempore Abrahæ vsq; ad tempus illud in quo baptismus cępit esse in consilio. probatur ex Gen. c. 17 Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima eius, &c. & confirmatur, quia fuit à Deo instituta in remedium contra originale peccatũ, sine qua descendentes ab Abraham non consequebantur salutem, illiq; & toti suæ posteritati fuit præcepta, ergo fuit vtilis, & necessaria, & sub præcepto. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. H. §. Primum tempus &c. 1 Conclusio.

Secunda Conclusio. circumcisio fuit vtilis, quamuis non necessaria toto illo tempore, quo baptismus fuit sub consilio, hæc conclusio patet ex impugnatione sententiæ D. Thomæ. Nam illo tempore baptismus, & circumcisio currebant sub disiunctione, vt liceret Iudęis, quod vellent eligere. Nã & proficiebat Iudæo circumcidi si vellet, & similiter illi licebat, imo laudabile erat baptismum suscipere; suntq; id cõgruentissimum quod tempore duarum legum intermedio simul currerent sub disiunctione baptismus, & circumcisio: & probatur adhuc cõclusio. lex circumcisionis erat. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit &c. sed qui recipiebat baptismum ante Christi mortem nõ peribat si moreretur sine circumcisione, ergo non erat circumcisio necessaria. Probatur consequentia: quia si esset necessaria nõ saluaretur, nullus enim potest saluari sine eo, quod est ad salutem necessarium. 2 Conclusio.

Et confirmatur: quia ratio finalis est, anima legis, adeo vt secundum regulam finalem de regulis iuris in 6. certum sit illum committere in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem, neq; minus aspicienda est ratio legis, quam ipsa lex, quia vt dicit D. Hilarius, & refertur de verborum significatione cap. Intelligentia. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dictorum, seu dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, & D. Hieron. super 1. c. epist. ad Galat. & refertur à Gratiano, 1. q. 1. cap. Marcion. Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Et Doctores communiter aderunt vim legis cessare, vbi tota legis ratio cessauit. Sed habito baptismo tota circumcisionis ratio cessabat, quia originale erat deletum, habebatur gratia, signumque populi Dei distinctiuum, fideique protestatiuum sacramentum: ergo ex mente, & fine intento a legislatore baptismi consilium circumcisionis obligationi opponebatur, ita vt eam tolleret, & sub consilio circumcisionem relinqueret. D. Hilarius. D. Hieron.

Et confirmatur iterum: quia vt sapienter dicit Scotus, neque Thomistæ negant, paruulus baptizatus ante Christi passionem, sine circumcisione saluaretur, ergo non erat tũc necessaria circumcisio, antecedens patet: quia baptismus a sua institutione fuit sacramentum nouæ legis conferens gratiam, consequentia vero probatur; quia cum pateret salus sine circumcisione, vis illius præcepti Gen. 17. Masculus cuius præputij caro &c. cessabat. hæc conclusio est Scoti, vbi supra §. secundum tempus &c. Scotus.

Ad argumenta Thomistarum respondetur, & pro solutione primi obser. est, quod cęremoniæ, & sacrificia legis veteris, erant figuræ cęremoniarum, & sacrificiorum Euangelicæ legis, atque etiam figurabant verum sacrificium offerendum

Digitized by Google

ferendum à Christo in ara Crucis. Vnde sicut adueniente luce expellitur vmbra, sic etiam adueniente aliquo sacramento legis nouæ amittebat vim obligandi illud sacramentum, vel sacrificium legis veteris, quod erat vmbra sacramenti, vel sacrificij noui.

Ex quo sequitur primo, quod Circumcisio amisit vim obligandi ante passionem: quia ante passionem fuit institutus baptismus, cuius circumcisio erat vmbra, & figura.

Secundo sequitur quod tota lex non amisit vim obligandi ante mortem Christi, quia licet ante eius mortem essent adimpletæ illæ cęremoniæ, in quarum locum erant illa sacramenta instituta, remanebant adhuc adimplendæ illæ cęremoniæ, quæ figurabant mortem Christi.

Hoc supposito dico ad argumentum, quod quamuis ante mortem Christi circumcisio amiserit vim obligandi; adhuc tamen homines erãt sub iugo legis. Tum quia lex non erat totaliter sublata, tum quia aliquæ cęremoniæ erant adhuc obligatoriæ, illæ scilicet quæ adimplendæ erant per Christi mortem. Dico secundo, quod ante mortem Christi nondum erant homines liberi à iugo circumcisionis, quoniam adhuc tenebantur ad ipsam vel ad baptismum. Dico tertio quod per mortem liberati sumus à iugo circumcisionis antequam mors esset exhibita actu exteriori. Dico quarto quod lex Mosaica fuit consummata in Domini morte ad sensum explicatum in superiori art.

Ad secundũ dico, quod Hieron. & August. non dicunt, quod circumcisio fuit obligatoria vsq; ad Christi mortem, sed dicunt quod amisit vim obligandi per mortem Christi, non sunt tamen intelligendi, quod amiserit vim obligãdi in ipsa hora mortis Christi.

Ad tertium patet solutio ex responsione ad primum. concedo enim cum Scoto quod cętera legalia habuerunt vim obligandi vsque ad promulgationem Euangelij. cum enim lex Euangelica non cęperit obligare ante ipsius promulgationem solemnem lex vetus adhuc nondũ cessauerat, sed nego postea consequentiam: quia baptismo per modum consilij suscepto, cessabat tota ratio circumcidendi, & si non cessabat tota ratio legis veteris, quousque tam ipse baptismus, quam lex Euangelica sub præcepto promulgaretur; atque adeo circumcisio vim obligandi amisit ante Christi mortẽ, non quia minoris esset necessitatis, sed quia institutus erat baptismus, cuius ipsa erat vmbra, & figura.

Ad quartum nego minorem, & ad probationem dico, quod non est par ratio, quoniam sanctificatio in vtero non erat remedium commune, & institutum a Deo loco circũcisionis, sicut baptismus; sed erat gratia specialis collata sanctificatis, ex qua non colligitur, quod liberaret à præcepto circumcisionis sicut colligitur ex baptismo consulto. Et si dicas, etiam contritio est remedium commune contra peccatum actuale, & nihilominus iustificatus per contritionem tenetur confiteri ex eo quod confessio est in præcepto; ergo etsi baptismus sit remedium commune, nihilominus circũcisionis præceptum erat necessarium, & adimplendum. Dico, quod est etiam disparitas rationis: quia contritio non est instituta loco confessionis; imo necessitas confessionis est imposita post remedium contritionis; ex quo manifeste colligitur, quod per contritionem non tollitur confessionis pręceptum, baptismus autem est institutus post circumcisionẽ, & loco circumcisionis, & ad eumdem effectum, ex quo recte colligitur, quod tollit necessitatem circumcisionis.

Ad confirmationem ex Vasquez. patet ex superius dictis: quicquid enim efficiebat circumcisio multo perfectius efficiebat baptismus: Nam non solum baptismus delebat originale peccatum, & gratiam conferebat, sed consignabat baptizatum, & ad Christi familiam adscribebat; ad quid ergo opus erat circumcisione? Præter quam quod ex sententia Vasquez sequeretur, quod puer baptizatus, & non circumcisus si moreretur damnaretur, quoniam non suscepisset circumcisionem, ad quam suscipiendam vt distinctiuam tenebatur; nullus enim saluari potest sine eo quod est ad salutem necessarium. consequens tamen est contra veritatem, & contra omnes Theologos.

ARTICVLVS VII.

Vtrum circumcisio à Christi Domini passione vsq; ad solemnem Euangelij promulgationem vtilis fuerit.

DE hac re est controuersia inter D. Thomam & Scotum. Nam D. Thomas 1. 2. q. 103 art. 3. in 3. p. q. 66. art. 2. quem sequitur Richar. in 4. dist. 1. q. vlt. & d. 3. artic. 5. qu. 3. docet, a passione Christi vsque ad solemnem Euangelij promulgationem circumcisionem fuisse licitam quidem, sed minime necessariam, neque vtilem, quia in morte Domini legalia sunt consummata, vt constat ex cap. 19. Ioan. quando morte imminente dixit Iesus: Consummatum est, ergo post Domini mortem legalia non erant necessaria, imo neque vtilia. Et si quæratur, quodnam esset remedium pro paruulis contra originale peccatum a Christi Domini passione vsque ad promulgationem Euangelij. Respondet Richar. vbi supra ad 2. quod non erat circumcisio, sed fides parentum sicut tempore legis naturæ. *D Thomas. Richardus.*

Hanc opinionem ita probant Thomistę, & specialiter Sotus lib. 2. de iust. & iure. quæst. 5 artic. 4. & in 4. d. 3. quæstio. vnica. artic 2. quem omnes Thomistæ recentiores sequuntur. Ex pluribus locis sacræ Scripturæ, & ex multis dictis Sanctorum colligitur circumcisionem expirasse in morte Domini, sicut & veterem legem, sed quod mortuum est nõ potest vitam conferre, ergo circumcisio post Domini mortem non conferebat vitam gratiæ, nec vtilis erat. *Sotus.*

Præterea; adueniente luce, & veritate aufertur vmbra, & figura Christi, & mortis eius, ergo post Domini mortẽ in qua legalia mortua sunt remansit mortua circumcisio, & per consequens inutilis.

Item si post Domini mortem circumcisio vtilis fuisset, ea ratione esset vtilis, quia baptismus non erat sufficienter promulgatus de præcepto; sed hæc ratio non est sufficiens, ergo dicendum est tunc circumcisionem non fuisse vtilem. probatur minor: quia si ratio illa sufficeret, sequeretur inde, quod si modo esset adhuc Iudæus aliquis in orbe, qui inuincibiliter Euangelij promulgationem ignoraret, saluari posset per circumcisionem, & legis veteris obseruantiã, cõsequens est falsum, ergo & antecedens; Probatur minor ex cap. Maiores de baptismo, & eius effectu vbi dicitur. (§. ad id autem taliter.) Absit vt in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & circumcisionem cum baptismo seruandam; ex quo patet legalia tam esse prorsus inutilia ad salutem, quod Scotus etiam infra fatetur.

Postremo post Domini mortem circumcisio erat signũ falsum, ergo non erat vtilis, probatur consequentia: quia Deus non vtitur signis falsis ad conferendam gratiam; antecedens vero probatur: quia erat figura Christi morituri; sed Christus non erat amplius moriturus, ergo erat signũ falsum, & mendax.

Contra hanc sententiam arguit Scotus in hac q. sub litt. F. §. contra secundum, quatuor rationibus, quarum prima est talis. Nullus aliter se habet nunc quam prius ad aliquã legẽ, nisi quia est sibi aliter promulgata, vt diximus supra, sed post Christi passionem Iudæus non se habuit, aliter ad circumcisionẽ, quam antea, ergo si antea erat sibi vtilis, & fructuosa, ergo & postea ante Euangelij promulgationem: Imo si argumentum factum conuincit, secundum D. Thomam necessaria poni debet, Nam si ante Christi mortẽ erat circumcisio necessaria; & baptismus vt deduximus vsq; ad diem Pentecostes non obligauit, nec Iudæus aliter se habuit ad circumcisionem illo medio tempore inter passionẽ, & solemnẽ promulgationẽ factã in die missionis Spiritus sancti, sequitur, quod sicut ante passionẽ ponitur à D. Tho. vt necessaria: similiter & post passionem erit vt talis ponẽda. *Scotus.*

Et confirmatur, quia lex obligans non tollitur per obligationem alterius legis ipsam reuocantis, nisi illa alia lex debite promulgetur ex supradictis; sed leges de circumcisione lex de baptismo erat reuocatoria, ergo non sustulit obligationem, quæ ex lege circumcisionis oriebatur, nisi cũ debite promulgata fuit; sed promulgatio debita baptismi nõ fuit facta ante prædicationem Apostolorum in die Pentecostes; ergo vsq; tunc non cessauit obligatio circumcisionis.

Confirmatur secundo, quia baptismus non erat sub præcepto ante promulgationem Euangelij post aduentum Spiritus sancti factam, ergo non reuocauit legem circumci-

cumcisionis vsque tunc quia præceptum de circumcisione non reuocabatur nisi per præceptum de baptismo; fuit ergo vtilis circumcisio vsque ad præceptum de baptismo. Baptismus autem ante promulgationem solennem Euangelij non fuit sub præcepto.

Et si dicas, quod hoc argumento probatur contra Scotũ, quod circumcisio post passionem Domini fuit necessaria, atque etiam post baptismi institutionem: quia antequam instituer etur baptismus circumcisio erat necessaria; & per institutionem baptismi non est aliter promulgata lex de circumcisione, ergo vsque ad passionem, atque etiam vsque ad Pentecosten fuit circũcisio necessaria: quia subdito lex circũcisionis non erat aliter promulgata vsq; ad diẽ Pentecostes.

Respondeo negando, quod per institutionem baptismi, non sit lex circumcisionis aliter promulgata. Quemadmodum enim promulgatio baptismi sub præcepto fuit promulgatio circumcisionis abolitæ tanquam inutilis, ita promulgatio baptismi sub consilio fuit promulgatio circumcisionis tanquam non necessariæ, atq; adeo argu. non concludit contra Scotum; sed bene contra D. Thomam.

Secundo arguitur ab eodem habent baptismus, & circũcisio vim obligandi, & medendi, seu curandi; sed circumcisio habuit vim obligandi vsque quo reuocaretur authentice; ergo per idem habuit vim medendi vsque ad illam reuocationem, sed per solam mortem Christi non est aliter reuocata quam prius: quia nulla lex fuit illi populo aliter promulgata, nec reuocatio circumcisionis prædicata; ergo sicut ex hora institutionis baptismi, vsque ad mortem Christi fuit circumcisio vtilis, & fructuosa, ita & post mortem Christi, vsque ad solennem Euangelij prædicationem: Maior huius argumenti probatur: quia cætera sunt manifesta. Nam Beda super Lucam, & Ioan. 3. super illa verba. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Qui (inquit) nunc per Euangelium suum clamat terribiliter, & salubriter. Nisi quis renatus fuerit &c. (terribiliter dictum propter arctam obligationem, salubriter propter efficacem medelam) ille dudum clamabat per Moysen. Masculus cuius caro præputij circumcisa non fuerit, &c. igitur circũcisio, & baptismus ab eodẽ summo Deo habuerunt vim obligandi & medẽdi.

Tertio arguitur. A morte Christi vsque ad promulgationem Euangelij Iudæi tenebantur circumcidere pueros suos; quia nullo modo constabat eis de reuocatione circũcisionis magis, quam ante mortem Christi; at conferebant illam paruulis suis non nisi vt vtilem, & necessariam ad salutem: quia tenebantur in ea spem ponere sicut prius, ergo si illa in morte Christi euacuata est quo ad fructum, tenebatur Iudæus de necessitate habere falsam opinionem de circumcisione, cum teneretur in illam spem collocare: cum ignorabant reuocationem; sed hoc est falsum, quia Deus neminem obligat necessario ad decipiendum, ergo &c.

Huic argumento respondent Thomistæ, in hoc casu teneri Iudæum circumcidere paruulum non quidem ex vi præcepti, sed per ignorantiam, & conscientiam erroneam, quod sic declarant: nam si lex præcipiens circumcisionẽ sic haberet, vt omnes posteri Abrahæ circumciderentur vsque ad punctum temporis, quo Messias passus fuerit, nemo asseuerare posset post illud tempus legem obligare, at qui tempus ignorarent teneri tamen possent circumcidi propter ignorantiam. Sed certum est legem veterem non fuisse institutam nisi vsque ad illud tempus, in quo Christus dixit, Consummatũ est, ergo tunc expirauit circumcisio, & tota lex vetus. Ad id vero, quod in argumento dicitur, Deum nullum decipere, nec obligare ad decipiendum, seu vt decipiatur, dicunt ex Adriano, quod de per se, & ex solo Dei præcepto nullus obligatur credere aliquod falsum, sed de per accidens, & ex aliquo adiuncto non inconueniens, verbi gratia. Nullus tenetur credere de hostia non consecrata, quod sit consecrata, tamen si credat sacerdotem cum intentione consecrandi super debitam materiam formam protulisse, tenetur credere eã esse consecratã; ita in proposito, ita Med. 1. 2. q. 103. art. 4.

Sed hæc responsio facile reijcitur negando minorem primæ responsionis, non enim lex vetus instituta vsque ad debitam Euangelij promulgationem, quæ non incœpit in morte Christi, sed in die sancto Pẽtecostes, cum vero Christus in cruce dixit: Consummatum est, expirauit circumcisio, & tota lex vetus in sua causa; mors enim Christi fuit causa confirmationis legis Euangelicæ, & antiquationis legis veteris, vt diximus supra.

Alter respondet Sotus lib. 2. de iust. quæst. 5. art. 4. & Capreolus, vt videbimus infra in responsione ad quintum Scoti, quod est tale. Nusquam homo relictus fuit sine remedio certo, id est, de quo non esset certus, quod esset certum remedium contra originale, sed in illo tempore post passionem ante promulgationem Euangelij, nullum fuit aliud remedium certum nouiter datum Iudæis, nullum nec promulgatum, ergo remansit idem remedium quod prius, & æque certum, atque adeo remansit circumcisio vt fructuosa, & vtilis, aut necessario fatendum est illo medio tempore homines remansisse sine certo, & efficaci remedio ad salutem. Et confirmatur. Nam si Iudæus, qui ignorabat Euangelium inuincibili, & inculpabili ignorantia applicasset puero circumcisionem, consecutus fuisset salutem, aut puer ille sine remedio possibili damnaretur, non ob malitiam, aut negligentiam humanam; sed quia nullum erat a Deo remedium ad id sufficienter concessum, quod contra statutam Dei dispositionem militat, & contra eius diuinam prouidentiam.

Huic argumento respondent Thomistæ supra relati dicentes nunquam genus humanum relictum esse sine remedio certo contra originale peccatum, nec medio illo tempore inter passionem Christi, & Euangelij promulgationẽ. Nam qui legis Euangelicæ notitiam habebant, poterant vti baptismo in remedium peccati, qui vero illam ignorabant, vti poterant circumcisione, non tanquam sacramento veteris legis, sed quasi remedio legis naturæ, quod non cessauit vsque ad promulgationem sufficientem Euangelij.

Sed contra hanc responsionem arguitur. Non minus abolita sunt sacramenta legis naturæ per mortem Christi, quã veteris legis, ergo si illa per mortem Christi fuerunt euacuata, similiter & illa, consequentia patet, & antecedẽs probatur, quia sacramenta legis naturæ etiam præfigurabant Christum venturum, ergo illorum significatio erat falsa. Vel aliter: sacramenta veteris legis per eos cessauerunt quo ad efficaciam, quia præfigurabant Christum venturum, qui tamen venerat, sed sacramenta legis naturæ eodem modo præfigurabant Christum, ergo similiter per eius mortem cessauerunt, vel si sacramenta legis naturæ sacramenta, quo ad vtilitatem manserunt vsque ad Euangelij promulgationem, pari modo, & sacramenta veteris legis potuerunt quo ad vtilitatem, & efficaciam permanere.

Respondent Thomistæ, quod sacramenta legis naturæ abstrahebant a Christo venturo, aut iam nato, sicut & fides Iudæorum de Christo iam nato, atque adeo excusaretur signum circumcisionis a mendacio etiam si ex se signum esset Christum venturum, & ille iam venisset, quia tale signum quatenus esse poterat signum legis naturæ, abstrahebatur à repræsentatione Christi venturi, aut iam præteriti. Sed hæc solutio parum valet: quia pari ratione dicerem sacramenta vetera abstraxisse pro tempore natiuitatis Christi a Christo vt venturo, vel vt iam nato, sicut & sacramẽta legis naturę, ergo sicut illa propter illam abstractionem permanere poterant, ita & ista.

Præterquam quod ego non satis intelligo, quomodo Iudæi ignorantes Christi aduentum, & institutionem baptismi, & abrogationem circumcisionis possent vti remedio circumcisionis abstractæ a Christo venturo, vel iam præterito, cum eorum credulitas ferretur semper in Christum vẽturum, quare si eo remedio ex hac falsa fide vterentur, non video qua ratione vtile esse posset paruulis eorum: eis enim medio hoc signo applicarent falsam fidem, ac proinde inutilem. Quis enim dicat applicationem falsæ fidei vtilem futuram ad conferendam gratiam? Deinde si remedium circumcisionis Iudæis familiare, & determinatum fuit ad iustificandos paruulos suos, & adhuc putabant vtilem esse circumcisionem, relicto communi signo nemo assumeret aliud peculiare propria sua voluntate electum.

Secundo respondent, quod postquam Christi Euangelium est sufficienter promulgatum, non remansit remedium vllum præter Euangelica sacramenta, ante vero ideo erant remedia legis naturæ: quia duo continebant, vt puta protestationem Christi venturi, & protestationem fidei diuinæ, & pro hac secunda parte inquiunt, licita remedia erant ante claram Euangelij lucem; sed hoc responsum iam improbatum est. Præterea sicut distinguitur in sacramentis legis naturæ illam duplicem protestationem, ita & in eisdem prout erant legis veteris potest distingui, & asserere mansisse illa sacramenta post mortem

rem Christi vsque ad Euangelij promulgationem sub ratione secundæ protestationis,& non primæ:quia nulla est maior ratio de illis,quam de istis. Certe non video quomodo circumcisio fuerit vtilis, & proficua vsq; ad mortem Christi,& deinceps vsque ad promulgationem Euangelij fuisse inutilem;cum lex Euangelica aliter illo tempore non fuerit promulgata quam antea.

Scotus. Dicendum est ergo cum Doct. sub. circumcisionem etiã post Domini mortem vsq; ad solemnem Euãgelij promulgationem vtilem fuisse,qua fuit sententia *D. Bonau.* D. Bonauen. hac d.p.2.q.2.ad 1.& *D. Bern.* D. Bernardi epist.77.ad Hugonem de sancto Victore,vbi tractans illud Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. probat non statim obligasse baptismum, nec statim euacuatam fuisse virtutem circumcisionis & sacrificiorum,quoad vsq; Euangelium promulgaretur: ita enim scribit. Satis profecto ex his quantum reor apparet, quod damnatio non baptizatorum,& frustratio circumcisionum, & euacuatio sacrificiorum,quæ fotte contra originale peccatum ritus obseruauit antiquius generaliter iam tunc minime cæperit;quando Nicodemo clam dictum est Nisi quis renatus fuerit,&c.sed nec quando Apostolis palam iniunctum est. Ite & docete omnes gentes baptizantes eos ,&c. Math.28.Sed ex eo tempore tantum cuiq; cœpit antiqua obseruatio non valere,& non baptizatus quisque noui præcepti reus existere,ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam. Sane paruulis,& necdum ratione vtentibus,quia sola nocere creditur peccati cõtagio,non etiam mandati præuaricatio, tamdiu credendũ est antiqua valuisse sacramenta,quam diu palam interdicta non fuisse constiterit. An vero vltra, penes Deum est ,non meum definire. Hactenus D. Bernardus.

Conc. Trid. Deinde Concilium Trident. sess.6.cap.4.describens iustificationem impij dicit esse translationem ab eo statu in quo quis nascitur filius primi Adami,ad statum gratie adoptionis filij Dei per secundum Adamum, & statum subiurgitur. quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis,aut eius voto fieri nõ potest,sicut scriptum est.Nisi quis renatus fuerit ,&c. sensit itaque concilium antequam promulgaretur Euangelium potuisse aliquem transferri de statu, in quo nascitur filius primi Adæ ad statum filiorũ Dei sine baptismo,& sine eius voto quia votum baptismi non videtur necessarium , nisi postquam hoc sacramentum obligare cœpit;hoc autem fuit post tempus promulgationis , cum ergo homo numquam fuit relictus sine remedio certo,& pro illo medio tempore non fuit aliud certum remedium , pro his qui ignorabant institutionem baptismi,quam circumcisio;ergo adhuc illis *Andreas Vega.* erat circumcisio vtilis , vt docte satis deducit Andreas de Vega. lib.5.super Concilium.c.3.

Ad argumenta pro sententia D. Thomæ responderur ,& ad primum dico,quod ex illis Sacræ scripturę,& Sanctorũ testimonijs solum colligitur circumcisionem, & legem antiquam in morte Domini spirasse tamquam in causa,vt supra dictum est,non tamen pro illa hora mortis Dominicæ , sed pro tempore promulgationis authenticæ Euangelicæ legis,ideoque lex vetus,& circumcisio vtilis mansit,vsque ad solemnem Euangelij promulgationem. Nam vt dicit D. *D. Bonau.* Bonauen. vbi supra ad 3.& 4. Impletio, & institutio fuerũt causa cessationis,& euacuationis , sed causa ista non ponebat effectum nisi clarescceret,veritas enim excludit vmbrã tantum dum clarificatur,quia nullus tenetur ad incognitũ, atque ita non faciebat actu cessare , nisi prius pateret sacramenti vtilitas,& necessitas,sed hæc non fuit indicta in aperto nisi post passionem,quando promulgatum fuit in die Pẽtecostes Euangelium.

Ad secundum, nego consequentiam,& ad minorem dico quod lex vetus erat vmbra,& figura mortis Christi quatenus per mortem Christi nouum testamentum erat introducendum per promulgationem solemnem, atque adeo illinc vsque lex vetus vtilis mansit : quia non erat omnino euacuata.

Ad tertium nego minorem,& ad probationem dico , ꝙ non est admittendus talis casus. Neq; enim videtur probabile ex multis retro sęculis aliquem Iudæum talem ignorantiam Euangelicæ legis habuisse, iuxta verbum D. Pauli ad Roman. 13. sed dico. Numquid non audierunt? & quidem : In omnem terram exiuit sonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.

Secundo dico quod si daretur talis Iudæus ignorans promulgationem Euangelij inuincibiliter, qui tamen legem naturæ,& Mosaicam seruaret, Deus illi assisteret, illustraretque illum interius, vt gratiam suam adsequeretur , non per legis Mosaicæ obseruantiam,vel circumcisionem , quæ iam cessauere, sed per fidem infusam explicitam eiusdem de vno vero Deo,& Christo eius implicita saltem,atque ita posset saluus esse,vt diximus in 2. p.3. sent. d. 25. in illa quæst. an in omni hominum statu necessaria fuerit fides explicita Iesu Christi. Tunc autem in tali casu non curreret baptismus cum circumcisione,neq; lex cum Euangelio.

Ad vltimum nego antecedens,& ad probationem dico,quod circũcisio erat etiam signum Christi nascituri ex semine Abrahæ,& tamen Christo nato non erat signum falsum,sed gratiam conferebat;ita etiam mortuo iam Christo non erat signum falsum,sed vtile,& gratiam cõferebat. Dico secundo,quod dupliciter poterat circumcisio tunc applicari. Vno modo tamquam signum Christi venturi, & sic esset tunc signum falsum , altero modo tamquam signum demõstratiuum non prognosticum,sed tamquam sacramẽtum salutiferum,& hoc modo non erat falsum,sed verum, & gratiam conferebat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Circumcisio ex eo fuit euacuata , quod susceptio baptismi fuit in præcepto.

Ostendimus hactenus obligationem legis Mosaicæ, quod attinet ad cęremonialia , & iudicialia cessasse aduentu Christi non quidem ante passionem eius,sed post illam,restat vt de omnimoda euacuatione circumcisionis , scilicet,& quo ad necessitatem,& vtilitatem dicamus . Verum in primis reijciendus est error Ebionis, & Cherinthi , *Epiphanius Irenæus. Augustin.* & Nazareorum, qui teste Epiphanio hæresi. 18. & 28. & Irenæo libro 1.cap. 26. & Augustino lib.de hæresibus hæresi 8.& 9. dicebant legem veterem numquam cessasse nec antiquatam esse . Contra quos pugnat Concilium Apostolorum celebratum Hierosolymis Act.15.& D. Paulus in epist. ad Galatas.

Fundamentum huius erroris forte fuit , quia Christus Dominus Math.5.dixit: Non veni soluere legem sed adimplere,sed circumcisio erat in lege veteri præcepta , Gen. 17. ergo Christus illam non euacuauit baptismum instituẽdo,& confirmatur quia Genes. loco citato fuit circumcisio data Abrahæ in fœdus sempiternum, ergo per baptismi institutionem,eiusque promulgationem non fuit circumcisio euacuata, & consequenter nec lex vetus: Et confirmatur iterum,quia Christus in seipso illam suscepit.

Præterea nullus inferior habet authoritatem reuocandi legem a superiore institutam , sed certum est Deum instituisse legem Mosaicam , & circumcisionem , & non inuenitur vbi eam reuocauerit etiam in nouo testamẽto, imo Christus toto tempore suæ vitæ mortalis illam seruauit , etiam ante vltimam cęnam comedẽdo agnum Paschalem, ergo neque lex Mosaica , neque circumcisio euacuata est per baptismi institutionem,aut per modum præcepti promulgationem . Item discipuli non habebant authoritatem reuocandi legem,ergo,&c.

Pro huius difficultatis solutione obseru.est , quod inter Diuum Hieronymum , & Diuum Augustinum non parua,neque vulgaris olim dissensio fuit de legalium cęremoniarum post Christi mortem cessatione. Nam Diuus Hie- *D. Hieron.* ronymus in magnis commentarijs episto. ad Galat. quæ habentur in 6. tomo, & in epist.88. quæ est 11. inter epistolas Augustini , dicit primo cęremonias omnes legis antiquæ in ipsa morte Christi ita cessasse, vt deinceps mortiferę essent , hoc est , sine peccato seruari non possent, vt enim ait in illa epistola , hoc genus operis non est ex illis de quibus dicunt Philosophi siue feceris , siue non feceris, neque iustitiam habebis , neque iniustitiam , ęquale opus est sputa proijcere , purgare nares, &c. Vnde in prędicta Epistola post medium contra Augustinum, qui dicebat paulum visum fuisse sacramentis veteris legis,vt doceret non esse perniciosa ijs , qui ea vellent sicut à parentibus acceperant custodire , ita scribit : si hoc verum est , in Cherinthi , & Ebionis hæresim dilabimur credentes in Christum , propter hoc si lumi anathematiz-

zati sunt, quod legis ceremonias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non amitterent. & tandem contra sententiam Augustini hæc verba subdit. Ego e contrario loquar. & reclamante mundo libera voce pronuntiē, ceremonias Iudæorū perniciosas esse, & mortiferas Christianis. & quicumq; eas obseruauerint siue ex Iudæis, siue ex Gentilibus eum in baratrum Diaboli deuolutū.

Secundo docet Hieronymus licitum fuisse Apostolis vti ceremonijs antiquæ legis, ita vt non collocarent in illis spē, sed illis viterentur simulatione quadam, vt Iudæis viderentur Iudæi, eosque lucrifacerent, id quod fecisse Apostolos dispensatione quadam testatur idem Hieronymus in commentarijs prædictis, & in epist. illa 88.

D. August. Secundo obser. est, quod D. August, epist. 19. duo potissimum habet. Vnum est legales quidem ceremonias in ipsa morte Christi. ita cessasse, vt esset lethale illis vti quacumq; ratione post sufficientem Euangelij prædicationem, nisi gratia sanitatis corporalis quis circumcisione indigeret. Alterū est ita has legales ceremonias cessasse morte Christi, vt iam deinceps non obligarent, assumi tamen pro aliquo tempore possent donec Euangelium plantatum, & diuulgatum sufficienter esset. In quibus duobus vniuctie intellectis Hieronymus, & Augustinus plane conueniunt. Nam quamuis dicat Hieronymus à tempore mortis Christi ceremonias esse mortiferas, hoc tamen intellexit, si assumerentur ex opinione, vt essent ad salutem necessariæ hoc est, præceptæ, alia tamen ratione assumi potuisse vsq; ad tempus etiam promulgati, & plantati Euangelij non inficiatur.

Dissensio vero inter Hieronymum, & August. in duobus alijs fuit Primum quia Hierony. concedebat ceremonias illis assumi potuisse illo tempore inter mortem Christi, & Euangelij plantationem, nū quia crederentur esse necessariæ, sed animo simulandi Iudaismum, vt ideo Apostoli Iudæos lucrari possent. At vero Augustinus contra existimabat tali animo simulandi non potuisse assumi eiusmodi ceremonias: quia in illis esset mendacium, quod quidē in rebus non minus peccatum est, quam in verbis.

Deinde dissentiunt Hieronymus, & August. circa reprehensionem qua Paulus Petrum obiurgauit, de quo erit sermo in vltimo art. huius quæst. His obseruatis, ex quibus colligitur legalia post promulgatum Euangelium omnino cessasse, respondetur ad quæst. sequentibus conclusionibus.

1. Conclusio Prima Conclusio. Lex vetus cessauit quo ad efficaciam, & virtutem atq; vtilitatem post sufficiētem Euangelij promulgationem, quæ cepit in die sancto Pentecostes, a quo etiam cepit secundum tempus baptismi, quo scilicet cœpit esse sub præcepto. Hæc cōclusio est Sco. in hac q sub litt. H.

D. Bernar. § Tertium tempus. & probatur ex D. Bernardo epist. 77. ad Hugonem dicente. Ex eo tempore tantum cuiq; cepit antiqua obseruatio non valere, & non baptizatus quisq; noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam &c. quibus verbis aperte fatetur antiqua sacramenta non cessasse, & fuisse inutilia nisi post Euangelij promulgationem.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Circumcisio fuit licita gentibus à prædicatione authentica Euangelij vsq; ad tertium Concilium Hierosolymitanum post Domini passionem anno 14. vel 15. celebratum. hac conclusio est Scoti vbi supra. § sed quantum ad gentiles &c. & probatur. quia in illo concilio proposuit Paulus quæstionem, an essent Gentiles circumcidendi, & determinatum est non esse inquietandos, & circumcidendos Gentiles, ergo vsq; ad illud tempus licebat gētibus conuersis circumcidi, vel saltem non erat illis circūcisio mortifera, atq; adeo à promulgatione Euangelij, præceptū Euangelij, quamuis euacuauit circumcisionem, quoad necessitatem, & vtilitatem, remansit tamen licita vsq; ad prænatum tertium concilium.

3. Conclusio Tertia Conclusio. Circumcisio fuit licita Iudæis etiam post illud tertium concilium, de quo dictum est præcedenti conclusione, vsq; ad initium Imperij Neronis. quod fuit 20. anno post Christi Domini passionem. hæc conclusio est Scoti vbi supra in fine illius §. vbi inquit. Sed quantum ad Iudæos conuersos secundum tempus baptismi, nec post Cōcilium illud tertium Apostolorum exclusit omnino circumcisionem tamquam illicitam, nec alia legalia, sed multo post tempore licite seruabantur. Vnde obserua quod Apostoli post passionem Christi fecerunt in Hierusalem quatuor cōcilia, primum fuit quando elegerunt Matthiam in Apostolum, & erant in eo tam discipuli, quam Apostoli, ideo fuit solemnis electio. & tunc temporis Iacobus erat Episcopus in Hierusalem. Secundum, in quo elegerunt septem Diaconos ex discipulis, inter quos vnus fuit Stephanus. Tertiū concilium fuit, quando Paulus venit ad Seniores Hierusalem de quo Act. 15. Quartum fuit, in quo Iacobus & alij consuluerunt Paulum de purificatione. Act. 21. Hoc supposito probatur conclusio, quia tunc temporis Paulus seruauit legalia, vt habetur Act 21. quod non fecisset si mortiferum esset. Nam Paulus purificauit se secundum legem. cum.n. Paulus conuenisset Hierosolymis cum senioribus, & dixissent ei Iudæos vehementer de ipso conqueri, quod discessionē a Moyse doceret. hoc ei seniores præbuerunt consilium. Huc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cū illis, & impende illis, vt radant capita, & scient omnes quia quæ de te audierunt (nempe te docere discessionem a Moyse) falsa sunt, sed ambulas. & ipse custodiens legem. Quorū consilio acquieuit Paulus, & vt narrat Lucas Act. 21 Postera die (inquit) purificatus cum illis intrauit in templum annuntians expletionem dierum purificationis donec offeretur pro vno quoque eorum oblatio. Hæc autem purificatio facta fuit circa 20. annum a passione Christi; nam facta fuit ante captionem Pauli in Hierusalem per 7. dies, sicut patet Act. 21. Quod fuit circa principium regni Neronis: quia anno 3. regni Neronis venit Romam secundum Magistrum Historiarum, & Nero cępit regnare circa vigesimum annum post Christi passionem, ex quibus patet qđ eo tempore, quando erat sufficienter promulgatum Euangelium, ex hoc Diui Pauli facto legalia licita fuere, & ibidem Iacobus dixit. Vide quot millia hominum in Iudæa crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis? ergo stante tanta publicatione Euangelij ibi, & in ipso Paulo, & in Iudæis cōuersis approbatur obseruatio legis; & ibi Paulus inter tot Christianos opus legis impleuit, ergo non erat illicita, & mortifera illo tempore, vbi satis sufficienter erat Euangelium promulgatum, vt Hierosolymis post vigesimum annum a Christi morte, atque adeo lex Mosaica statim a publicatione Euangelij solemni fuit euacuata tantum, quoad necessitatem, & vtilitatem, sed mortifera non fuit, etsi mortua.

Ad argumentum in oppositum respondeo prænotando, quod præcepta veteris legis erant triplicis generis, nempe moralia, iudicialia, & ceremonialia. In primo genere erant præcepta Decalogi. in secundo omnes leges datæ a Deo ad pacem Reipub. conseruandam. In tertio erant illæ ceremoniæ, quæ ad cultum diuinum pertinebant, vt sacrificia, purificationes, & similia. Hoc supposito, dicit Scotus, in responsione ad primum principale, quod quantum ad quodlibet istorum potest intelligi verbum Christi: Non veni soluere legem sed adimplere: quia Decalogus simpliciter manet, sed perfectius exponitur, quam Iudæi intelligant; vt patet Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis non occides. Ego autem dico vobis, qui dixerit fratri suo Raccha, reus erit gehennæ ignis. Item Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quicumq; viderit mulierem, &c.

Iudicialia etiam manent non quidem in se, sed in æquipollentibus quantum ad finem: Nam finis iudicialiū erat conseruatio pacis, seu pacifica hominum cohabitatio, & hoc melius obseruatur per Euangelicos mores, quam per iudicialia legis præcepta, melius enim pax conseruatur si non odias percutientem quam si oculum pro oculo, & dentem pro dente exigas a conciue iuxta legem talionis.

Ceremonialia præcepta etiam manent non in se, sed in suis significatis; vmbra enim transijt, & veritas successit, adueniente autem veritate rei significatæ, vmbra illam significans, & adumbrans non manet in se, igitur non venit Christus soluere legem, vel circumcisionem, quantum ad fructum illius, ad quem instituta erat, imo illum copiosius perfecit, remedium instituendo in Euangelica lege longe illa perfectius.

Et si dicas in aliquibus Reipubl. aliqua præcepta iudicialia veteris, legis seruantur atque etiam Eucharistia habet aliquas ceremonias illius legis, cuiusmodi sunt thurificationes, ergo adhuc lex vetus manet in se. Respondetur negando consequentiam, & ratio est, quia istæ cæremoniæ seruantur in Ecclesia non quia præcepta erant illius legis, sed quia Ecclesia, vel Respublica illas instituit tamquā si

nullibi

Digitized by Google

nullibi instituta fuissent. Sicut verbi gratia, si Rex Gallorum statueret in suo Regno aliquam legem, quæ habetur in Regno Hispaniæ, tunc illa lex non obligaret Gallos, eo quod esset lex Hispaniarum, sed quia fuit a suo Principe instituta. Vnde quamuis liceat Regibus, vt docet Scotus vbi supra, aliquas illarum iudicialium leges in sua Repu. statuere, si sibi vtiles videantur, illæ tamen leges ligabunt subditos non authoritate legis Mosaicæ, quæ iam per Euangelicam legem abolita est, sed authoritate Regis, qui tunc tales leges instituit.

Ad primam confirmationem dico, quod fœdus illud sempiternum potest exponi in se, vel in æquiualenti, videlicet in baptismo, vel in suo significato; Vel magis ad literã: quod fuit fœdus sempiternum inter Deum & Abraham, & semen eius specialiter, id est, post quod non erat aliud futurum; quia post circumcisionem nullum speciale signũ fuit datum semini Abrahæ; cum tamen esset futurum aliquod fœdus inter Deum, & genus humanũ vniuersum, in quod fœdus commune melius esset semini Abrahæ transire, quã remanere sub signo lędens specialis, cum sit melius partem esse in toto optime constituto, quam esse distinctam a cæteris partibus etiam aliqualiter sanam. ita Scotus vbi supra. Posset etiam dici, quod vox Hebræa gholam, quam vulgatus vertere solet æternum, non semper significat tempus nunquam terminandum, sed sæpe denotat finitum quam longissimum; & eodem modo intelligi debet scriptura ibi de lege lata per Moysen, quod attinet ad cæremonialia, & iudicialia, eodem pacto loquitur, & eadem voce vtitur.

Ad secundam confirmationem dico, quod non oportuit Christum Dominum, quamuis esset legislator statim à sua natiuitate legem suam ferre, ideoque in suæ ætatis initio, lex prior adhuc durauit, sicut & ea, quæ fuerunt legis naturæ, obseruanda fuerunt circa Moysen, vsque ad tempus legis lationis ipsius in monte Syna: eodemque modo dici potest de comestione paschalis agni in vltima cœna, quia in morte Christi causaliter expirauit lex vetus, licet non pro tunc, sed pro tempore pu[illegible] tionis huius causæ, & promulgationis legis euangel[illegible], atque adeo vsq; ad mortem licite potuit Christus cæremonialia illa præcepta seruare.

Ad aliud dico, quod circumcisio quantum ad Gentiles conuersos reuocata fuit in illo 3. Concilio, de quo Act. 15. idque authoritate diuina. Nam legimus ibi dixisse D. Iacobum. Visum est Spiritui sancto & nobis, &c. Quantum vero ad Iudæos; fuit etiam circumcisio diuina authoritate reuocata, licet tempus reuocationis determinatum non habeamus explicitũ in scriptura diuina, est enim de fide, quod iam legalia veteris testamenti cessauerunt, vt dictum est supra ex cap. Maiores de Bapt. & eius eff. ẽtu, contra Cherintum, & Ebionem docentes in ipso initio ecclesiæ, quod lex vetus simul seruanda erat cum euangelio, de qua re lege Alphonsum à Castro lib. 9. contra omnes hæreses verbo, lex, hæresi prima, & Eusebium Cæsariensem lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 21. *Alphonsus. Eusebius.*

ARTICVLVS IX.

Vtrum post tertium Concilium Apostolorum circumcisio cepit esse mortifera.

INcertum valde est, nec firma aliqua ratione constare potest, quo tempore ceperint omnino cessare legalia, ita vt deinceps non tantum mortua; sed mortifera etiam iudicarentur. *D. Thomas.* D. Thomas vbi supra existimauit, quod post promulgationem Euangelij fuerit mortifera Iudæis seruantibus eam. Nonnulli recentiores putant ætate Ignatij discipuli Apostolorum cæremonias legis hoc modo cessasse. Scribit enim in epist. 8. hæc verba. Ad hæc contestor Episcopo, & presbyteris in Domino, si quis cum Iudæis celebrat pascha (hoc est, eodem die) aut symbola festiuitatum eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius. Cæterum an eo tempore cæteræ omnes legales cæremoniæ cessauerint, an aliquando post tempore sicut fieri potuit, certò constare nequit. Hoc tamen certum est nunc temporis, & multo antea non licuisse cæremonias, legis Mosaicæ assumere, aut illis vlla ratione vti.

[illegible] Vnde pro huius difficultatis explicatione obseruandum est, quod circumcisio, & reliquæ cæremoniæ Mosaicæ, trifariam seruari potuerunt; primo ad significandum res futuras, quæ illis figurabantur. Secundo potuerunt seruari ablata omni significatione futurorum ad sepeliendum cum honore synagogam. Nam vt inquit D. August. epist. 19. sicut defunctorum corpora necessariorum officijs deducenda erant quodam modo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose, non autem deferenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus projicienda. In quibus verbis cum inquit. Necessariorum officijs recte exprimi sacramenta illa, rite seruata fuisse à Iudæis, vt paulatim ab eis tanquam à necessarijs honorifice sepelirentur; ne si statim relinquerentur, gentibus viderentur execranda semper fuisse. Tertio poterant vti talibus cæremonijs materialiter sine respectu ad synagogam, neque ad significationem, sicut qui modo auferret præputium sanitatis gratia, vel aliquo honesto fine. *D. August.*

Hoc supposito sit prima conclusio. Postquam Euangeliũ cœpit solemniter promulgari, circumcisio non fuit vtilis, hæc conclusio est certa de fide, & est communis sententia omnium Doctorum & in superiori art. satis probata est. *1. Conclusio*

Secunda conclusio. Non fuit vtile vti cæremonijs legis, & circumcisione ad significandum res futuras postquam Euangelium cœpit solemniter promulgari. probatur. Quoniam qui cæremonijs vteretur ad res futuras significãdum, vteretur illis tanquam falsis, ergo non erat licita obseruantia illarum ad res futuras significandas; consequentia patet, & antecedens probatur: quia tunc nihil erat futurum liquidem Christus, natus, passus, mortuus, & resuscitatus erat, atque etiam lex noua instituta. *2 Conclusio*

Tertia conclusio. Postquam Euangelium cœpit solemniter promulgari, licitum fuit aliquo tempore vti legalibus ablata significatione futurorum ad sepeliendam cum honore synagogam. probatur, quoniam Apostoli seruabant legalia, vt patet ex pluribus locis Actorum, & maxime, cap. 10. & 21. *3. Conclusio*

Quarta conclusio. Postquam euangelium fuit per totum orbem sufficienter promulgatum, illicitum fuit seruare legalia propter honorem synagogæ. Hæc conclusio est expressa sententia D. Augustini epistol. 19. ad Hieronymum, & probatur ex capit. Maiores supra relato, atque etiam ratione, quia illud tempus, in quo facta fuit euangelij sufficiens promulgatio, sufficiens fuit ad sepeliendum cum honore synagogam. Ex quo sequitur, quod nostris temporibus hæreticum esset seruare legalia propter honorem synagogæ. & hæc certa sunt apud omnes. *4. Conclusio* *D. August.*

Sed dubium est an nostris temporibus liceat vti circumcisione materialiter, hoc est, neque propter obseruantiam legis, neque propter honorem synagogæ, sed propter alium honestum finem. Caietanus 3. p q. 37. art. 1. respondet quod sic: quia actus circumcisionis ex suo genere non est malus, ergo potest fieri bonus; antecedens patet: quia actus malus ex suo genere non potest rectus fieri ex adiuncto bono fine; at potest homo se licite circumcidere ob sanitatem; non igitur est ex suo genere mala circumcisio voluntaria; consequentia probatur: quia sicut actus, qui ex suo genere non est malus fit malus per malum finem; ita bono fine adiuncto fit bonus, ergo si actus circumcisionis materialiter sumptæ ex suo genere est bonus, adiuncto bono fine non erit malus: nam bonum adiunctum non malo actui non habet vnde reddat actum illum malum, sed potius habet vnde reddat bonum. Ex quo sequitur, inquit Caietanus, Indos Christianos, qui appellantur Presbyteri Ioannis, licite nunc, & laudabiliter circumcidere filios suos ad imitandum Christum non in obseruãtia legis, sed in dolore quem pertulit; alias oporteret damnare totam illam patriam Christianam, & morem antiquum tot ecclesiarum, quod præsumptuosum iudicare videtur. *Caiet.*

Cæterum quamuis non sit omnino improbabilis Caiet. opinio: quoniam quemadmodum abscindere carnem illam circumcidendo pro sanitate nullum est peccatum; ita illi Indi si pro imitatione Christi circumciduntur, non censentur legis Mosaicæ obseruatores; si vero volunt imitari Christum, vt circumcisum sub lege Mosaica culpabiliter circumcisionem obseruant. Nihilominus est vrgens argumentum aduersus eos, quod admoniti ab Ecclesia Latina, nolunt dimittere talem ritum; & puniretur apud eos, qui dimitteret, ergo existimant circumcisionem esse necessariam, saltem existimant se teneri, fortasse consuetudo habet

bet vim legis circa hoc. Sed mirum est profectò, quod cum Christianos videant nullibi facere, tam mordicus teneantur. Fortè excusantur ignorantia inuincibili; vtinam ita sit; quia in grauibus erroribus detinentur. Extat libellus authore Damiano Gois Lusitano illorum ritus referens, & defendens; & in eorum patrocinium est argumentum, quod Ecclesia Romana scit, & eos non damnat, quin potius admittit illos ad communionem, & habet illos vt Christianos.

Cæterum quicquid sit de Indis cum dicat diuus Paulus, quòd multa licent, quæ non expediunt, non est licita apud nos circumcisio, nec aliqua cæremonia legis vllo fine: quoniam occasio esset, quod Iudæi conuersi libere obseruarent legem Moysi: dicerent enim, quod non circumciduntur propter legem, sed propter imitationem Christi, vel alia ratione; & ideo Ecclesia non permittit vllo modo circumcisionem, sed iustissime punit eos; Nam qui probatur seruasse legalia continuo punitur vt hæreticus, & apostata, quicumque fine legem seruauerit. Imò videtur hæc opinio Caieta. falsa: quia Christus non assumpsit circumcisionem, nisi vt cæremoniam legalem, velle ergo cōformari Christo in vsu circumcisionis, est re ipsa velle conformari illi in vsu cæremoniæ legalis, quod non magis licet in circumcisione, quam in omnibus alijs cæremonijs legis, quas Christus seruauit. atque ita posset sub hac ratione, hoc est, vt se Christo cōformaret, quis totam Mosaicam legem obseruare, quod ab ecclesia damnatum est. Quod si quis in ea actione, vel passione consideret solum id, quod materiale, & corporale est; vanum est & superstitiosum velle in hoc conformari Christo abscindendo vel minimam corporis sui partem; sicut nemini licet, vel manum sibi perforare, spineam coronā capiti infingere, vt Christo conformetur.

5. Conclusio Quinta conclusio. Circumcisio cœpit esse illicita & mortifera gentibus post illud tertium Concilium, de quo in superiori art. fecimus mentionem; prob. quia ibi decretū fuit legalia à Gentibus non esse obseruanda; & hoc fuit quando Paulus ascendit Hierosolymam ad seniores super illā quæstionem consulens, de qua habetur Act. 15. Vbi primo allegat Petrus factum Cornelij, de quo habetur Act. 10. & deinde Iacobus tanquam Episcopus in Hierosolymis profert sententiam dicens. Ego iudico non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, & scribere ad eos, vt abstineant se à cōtaminationibus. &c. & de illis quatuor. s. contaminationes simulacrorum, fornicatio, sanguis, & suffocatum: duo priora. s. abstinere ab idololatrijs, seu immolatis, & fornicatione erant necessaria, & ideo specialiter scribēda: quia de illis minus gentes curabant. Duo alia. s. abstinere à suffocato & sanguine non erant necessaria, sed bene cōgruebāt, vt gentes conuersæ ab ipsis abstinerent: quæ licet nō essent illicita obseruari, nisi secundum legem Moysi, gētibus tamen prohibebantur nō tanquam illicita, & mortifera, sed propter suauem conuictū cum Hebræis: ne. s. Iudæis essent abominabiles, qui talibus cibis, grauiter offendebantur, & ideo congruebat, vt gentes conuersæ ab ipsis abstinerent; sicut in societate bene decet vt homo abstineat à quibusdā, quæ sunt abominabilia socijs, licet non sint simpliciter illicita; ergo sm tempus baptismi, id est, postquam baptismus fuit in præcepto, à principio fuit totaliter licit circumcisionē illicitam, atq; mortiferam, quantū ad gentes conuersas, vel saltem post tempus tertij Concilij Hierosolymis, in quo seniores decreuerunt, legem non debere imponi gentibus conuersis 14. vel 15. anno post Christi passionem, ita Scotus in hac q. sub litt. l. §. sed quantum ad gentiles.

6. Conclusio. Sexta conclusio. Non constat ex sacris litteris, quando circumcisio cœpit illicita, & mortifera esse Iudæis; probatur, qa Historia sacra nō perducit ecclesiam vltra quintū Neronis annum, i. non recenset ecclesiæ successum vltra trigesimum annum à Christi passione. atqui toto illo tempore Iudæi cōnerali legem licite seruabant, ergo ex scriptura non constat, quando Iudæis cœpit esse illicita circumcisio. Credit tamen

Scotus. Doct. sub. in hac. q. sub litt. m. §. & si quæras, quando fuit &c. Licuisse Iudæis legalia seruare vsq; ad euersionem Hierosolymorum, & dispersionem Iudæorum inter gentes: tunc. n. gentibus forte se cōformabant inter quas dispersi erāt, sicq; paulatim abolita est inter eos obseruantia legalis, sepultaq; omnino cum honore synagoga, & lex antiqua Mosaica.

Vel etiam credibile existimat Scotus, quod Deus per Apostolos vel successores eorum prohibuit obseruationem legalium, licet in sacra scriptura non habeamus tempus determinatum huius prohibitionis: quia sacra historia vsque ad tale tps non protenditur. Id. o. esse verum probat ex cap. Maiores de baptism. & eius eff. vbi Innocentius iij. dicit. Absit vt in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perpetam affirmabat, legem cum Euāgelio, & circumcisionem cum baptismo seruandam. Tenet igitur ecclesia hæresim esse dicere legalia simul currere, cum lege Euangelica; sed nō videtur, quod ecclesia iudicaret id, hæresim esse ex sola omissione Iudæorum dispersorum non seruantium legem Moysi; sed id fuisse videtur propter aliquam reuocationem legalium simpliciter à Deo factam per Apostolos, vel successores eorum aliquo tempore determinato.

Sed contra hanc conclusionem arguitur; quia ad Galat. 2. legimus, D. Paulum reprehendisse Sanctum Petrum in Antiochia, eo quod obseruabat legalia, sed hoc contigit paulo post illud Concilium tertium, ergo legis obseruatio Iudæis non fuit licita, vsque ad initium Imperij Neronis & deinceps, sed mortifera; probatur minor: quia Paulus reprehendit Petrum, cum ipse Petrus iret Romam versus anno 4. Claudij Imperatoris, qui erat annus 15. vel 16. à Christi passione. Nero autem regnare cœpit circa secundum annum à passione Domini, maior autem constat ex 2. ad Galat. vbi dicit D. Paulus. Cum venisset Cephas in faciem eius restiti: quia reprehensibilis erat, & reddens causam quare erat reprehensibilis dicit: Prius enim quam venissent, quidam à Iacobo, Petrus edebat cum gentibus; cum autem venissent subtrahebat se ab illis timens eos, qui ex circumcisione venerant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, & sequitur reprehensio Petri; sed cum vidissem, quod non recte ambularet ad veritatem Euangelij dixi Cephæ coram omnibus. Si tu Iudæus cum sis gentiliter & non Iudaice viuis, quomodo gentes cogis Iudaizare? Quæ reprehensio facta est anno supra commemorato; ergo non licuit Petro seruare legalia, nec Paulo purificari, nec Timotheum circumcidere, & vniuersaliter non licebat Iudæis post illud. 3. Concilium seruare legalia; falsum est ergo Iudæis licitum fuisse ea seruare vsq; ad euersionem Hierosolymorum; atq; adeo etiam Iudæis post 3. illud Concilium legalia mortifera fuerunt: alias falsum diceret Paulus, Petrum in illo facto vere reprehensibilem fuisse.

Respondeo, quod Petrus non fuit reprehensus à Paulo, eo quod legalia obseruasset. Cum enim Paulus sæpius his etiam vsus esset: Nam post illud factum circumcidit Timotheum (responsio enim Petri facta fuit cito post 3. Concliū Barnaba adhuc existente cum Paulo in Antiochia post eorum reuersionem de Hierusalem, vt dicit Magister historiarum; quando scilicet Petrus pergens Romam transiuit per Antiochiam, Paulus autem circumcidit Timotheum post separationem eius à Barnaba, quando assumpto Sylla profectus est ad visitandum fratres, quibus prius prædicauerat, vt patet Act. 16. post illud etiā tempus bene ad quatuor annos Paulus purificatus est secundum legem, & tota multitudo cōuersa in Iudæa legem obseruabat Act. 21.) Qua fronte ergo ausus fuit Paulus legalibus vti, quorum obseruantiā in Petro reprehendit? vel qua fronte in Petro ausus fuisset reprehendere id, quod ipse sæpius fecisset? Nō fuit ergo Petrus reprehensibilis: quia sic obseruabat legem. s. discernēdo cibos: quia nō fuit hoc magis mortiferū, quam circumcisio, purificatio, & cætera legalia. Sed in eo reprehensibilis fuit: quia his cæremonijs alioqui eo tempore permissis intempestiue, & cum aliorū damno vsus fuerit. Nā facto Petri Gentiles cū quibus Petrus antea versabatur, & manducabat videntes eū ab ipsis discedere, & cum Iudæis tm̄ manducare, putabant necessarium esse ritū Iudaicum sectari: propterea dixit Paulus Petro. Si tum cum Iudæus sis, gētiliter viuis, & non Iudaice quo cogis gentes Iudaizare? hoc est; si tu cū natione Iudæus sis, non seruas cæremonias Iudaicas, & more etiam gentilicio, hoc est, absq; cæremonijs Iudaicis cum gentibus conuersis ad fidem viuis (hoc autem dixit; quia antequam venirent Iudæi missi à Iacobo, vsu gentiliū vtebar, hoc est, sine Iudaicis cæremonijs) quare nunc postquam venerunt Iudæi Hierosolymis Antiochiam exemplo tuo inuitas gentiles conuersos ad seruandū has cæremonias tanq̃ necessarias, dum ab eorum conuictu te separans, & Iudaicū ritum coram illis assumis. & in hoc fuit Petrus reprehensione dignus, non quod legalia seruasset, quæ pro illo tempore licita erant, vt superiori art. ostensum est. concl. 3.

Magister.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Vtrum Petrus reprehensibilis fuit, & vere fuit a Paulo reprehensus.

NOn defuerunt hæretici, qui ex D. Petri reprehensione ausi sunt notare Apostolos, quod tunc aliquid eis deesset ad perfectam rerum nostræ religionis notitiam; & quod Paulus aliam formam Euangelij superinduxerit præter eam, quam Petrus & cæteri Apostoli prædicauerant, ita ausus fuit asserere Marcion hæresiarcha, vt refert Tertul- *Tertullian.* lianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, c. 23. qui eius procacitatem eleganter retundit, eodem cap. & lib. 4. aduersus eundem Marcionem, c. 2.

Secundo, Porphyrius, vt testatur D. Hieronymus in *D. Hierony.* epist. 89. ad August. inter epistolas Hieronymi, inter epistolas vero August. 11. Paulum petulantiæ arguebat, quia in Principe Apostolorum illud notasset, quod ipse frequenter fe- *Erasmus.* cisset. Cæterum Erasmus in notationibus illius Epistolæ Hieronymi, nescio qua ratione dicat, se ignorare quem errorem circa legem secutus fuerit Porphyrius, cum neque in legem, neque in Euangelium crediderit; Cuius ignorantiæ *Mari' Vict.* optime occurrit Marius Victorius in annotationibus illius epistolæ 15. ostendens ex ipso Hieronymo palam constare errorem Porphyrij eum fuisse, quod Paulum argueret; quia in Petro ipse fuerit ausus reprehendere id, quod ipse sæpius aperte fecisset.

Tertio, Iulianus Apostata non in Paulum, sed in Petrum *Cyrillus.* conuicia iactare non dubitauit, vt scribit Cyrillus lib. 9. contra Iulianum sub finem, eo quod varius fuit nunc moribus gentilium, nunc vero moribus Iudæorum viuens: quem optime refellit Cyrillus loco citato.

Quidam vero vt Petrum Apostolorum Principem à reprehensione D. Pauli vindicent, affirmant Cepham illum fuisse vnum ex septuaginta discipulis, quem Paulus ad Ga- *Clem. Alex.* lat. 2. reprehendit, quod ex Clemente Alexandrino apud *Eusebius.* Eusebium lib. 1. hist. c. 14. confirmant; atque etiam quia in epistolis, quæ dicuntur esse Martialis, Author illarum Cephas nominatur. Is ita scribit. Seruus Dei, & Apostolus Martialis Cephas omnibus fratribus &c. Quibus addi potest, quod Paulus loquens in ea epist. ad Galat. cap. 1. & 2. de Petro Principe Apostolorum, non appellat eum Syriaco nomine Cepham, sed nomine Latino, & Græco Petrum, illum vero quem reprehendit modo dicto, Cepham appellat; Vnum autem ex septuaginta discipulis Cepham appellatum fuisse docent Dorotheus, & Hippolytus antiqui authores, qui no- *Dorotheus. Hippolytus. Oecumenius.* mina septuaginta duorum discipulorum litteris mandantes, nominant Cepham, quem Episcopum fuisse asserunt. Oecumenius etiam in Acta Apostolorum, quem refert, & sequi- *Gregorius Ederus.* tur Gregorius Ederus in Oeconomia, nonnullos ex septuaginta duobus recenset, inter quos nominat Cepham cognomine Petri. Sixtus quoque Senensis li. 2. Bibliothecæ Sanctæ *Sixtus Senē.* ait Cepham fuisse vnum ex septuaginta duobus Christi discipulis, & hunc fuisse eum, quem Paulus palam reprehendit, tuetur Oecumenius in collectaneis Epistolæ ad Galatas, *Oecumenius. Theophilactus. Cameratus. Pintus.* & refert Theophylactus in commentarijs in eandem epist. & nostra hac ætate eius patrocinium susceperunt Bartholomæus Cameratus in tract. de ieiunio, c. 6. & Hector Pintus in c. Danielis, & certe qui hanc sententiam, quæ probabilis quidem est & pia, & magnorum virorum authoritate, & antiquitate roborata, sequeretur, nulla esset difficultas in hoc articulo proposita: Nam facile admitti posset, quod Cephas ille erat quidem vir magnus, & Episcopus, & vnus ex septuaginta Christi discipulis, sed propter imprudentem simulationem incidit in errorem, in quem nō videtur probabile Apostolorum principem incidisse. Non videtur verisimile post aduentū Spiritus sancti in Apostolos in eum illud incidisse Ecclesiæ columnam, & in re graui ad fidem pertinente nempe de cessatione legalium cū peccasse, cui Christus Ecclesiam suam commiserat, quem pastorem vniuersalem, atque summum Doctorem, & Magistrū constituerat, & Vicarium suū in terra reliquerat; cui dixerat: ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Insuper cū ipse se excusasset atque defendisset a culpa, quam ei obijciebant Iudæi, quod cum Cornelio homine gentili comedisset, & communicasset, quam ille diluit, docens id ex Dei præcepto fecisse, vt in Actis Apostolorum cap. 11. legimus, qui fieri poterat, vt se a gentium consortio, & cibis abstraheret?

Præterquam, quod si verba Pauli perpendere quis voluerit, & ordinem litteræ limitato iudicio obseruare, cum Capham, qui dedit Paulo manum societatis, videbit non obscure Apostolum non fuisse, loquitur enim Paulus ibi de Petro Apostolorum Principe, & de Capha, vt de viris diuersis: ita enim ait. Cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dederunt mihi, & Barnabæ dexteras. obserua. Cum vidissent, inquit, in tertia persona, quod creditum est mihi Euangelium sicut & Petro, Iacobus, Cephas, & Ioannes dederunt mihi dexteras; Nonne ostendit hæc oratio Cepham hunc alterum à Petro fuisse, quemadmodum Iacobus, & Ioannes alij à Petro erant? Quorsum enim esset contextio hæc, si Petrus Apostolus & hic Cephas, qui Paulo dedit manum idem essent? Germanus sensus est. Cum Iacobus Apostolus, & Cephas, atque Ioannes discipuli Christi vidissent delegatam mihi esse prouinciam prædicandi Euangelium apud gentes, quemadmodum Petro Apostolo apud Iudæos, dederunt mihi dexteras, quod symbolum est societatis, Nonne vides nullum horum trium esse Apostolorum Principem, sed illos esse cum eo, & fide, & amicitia coniunctos? Hæc adduxisse volui, vt ostenderem hanc sententiam non esse ita commentitiam, & friuolam, vt dixerat Medina. 1. 2. q. 103. art. 3. ad vlt. arg. *Medina.*

Verum enimvero indubitanter asserendum est, Cepham illum, qui dicitur a Paulo reprehensus, verè fuisse Principem Apostolorum, in cuius sententiæ confirmationem scribit Hieronymus in magnis Commentarijs epist. ad Galat. c. 2. *D. Hierony.* hæc verba: Autem nescio cuius Cephæ ferunt nomē, nisi eius qui & in Euangelio, & in alijs Pauli epistolis, & in hac quoque ipsa modo Cephas, modo Petrus inscribitur, & infertur. Si propter Porphyrij blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita erant de scripturis emendanda diuinis, quæ ille, qui non intelligit, criminatur. Idem cum B. Hieronymo sentit D. Augustin. *D. August.*

Quæ vero adducebantur in confirmationem prioris sententiæ parū momenti habent. primum quidem quod Martialis ille, vel quicumque alius ex septuaginta discipulis Cephas cognominatus fuerit, primum est, vt intelligamus de hoc fuisse locutum Paulum in epist. ad Galat. siquidem & Petrus Princeps Apostolorum primum dictus est Cephas, cum antea Simon vocaretur, quo etiam nomine appellat ipsum Paulus in epist. ad Galat. c. 2. paulo ante cum inquit, & cū cognouissent gratiam Dei, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas & Ioannes &c. Quæ verba nō nisi de Cepha Principe Apostolorum, quem columnam ecclesiæ appellant, intelligi possunt. Cum autem paucis interpositis in eodem capite dicat Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, de eodem Cepha, cuius paulo ante meminerat plane intelligit. Aut cur obiecto turpiter possumus de alio Cepha, cuius nullam antea fecerat mentionem, dictum fuisse?

His ita præmissis status controuersiæ est, an Petrus seruando legalia vel separando se à Gentilibus vere deliquerit, vereq. fuit reprehensibilis, & a D. Paulo vere, & ex animo reprehensus, & dato quod deliquerit, quo genere peccati, & quomodo.

Vnde obseruandum est primo, quod de hac re non parua fuit inter D. Hieronymum, & B. Augustinum concertatio, vt testantur epistolæ aliquot vltro, citroq. missæ, quæ concertatio quantum ad præsens negotium attinet, duplicem continet quæstionem, alteram de cessatione legaliū: an s. post Christi mortem licitum aliquando fuerit obseruare legis cæremonias; alteram de intellectu eius, quod dicit Paulus se in faciem restitisse Petro; videlicet vtrum Petrus tanquam obnoxius errori alicui, aut lapsui, vere & ex animo sit a Paulo reprehensus, an tantum secundum simulationem quandam & compositionem. In quo ad primam quæst. August. contendit legalium obseruationē mox post Christum mortuū illo duntaxat tempore, quo gratia Euangelij nondum diuulgata erat fuisse licitam Iudæis, modo ne spem salutis in eis collocarēt, dissensit siquidem in hoc temporis sententiā, vt legalia ante Euangelium fuerint viua, mox à morte Christi mortua quidē, sed nō mortifera; cum Euangelio diuulgato eadē omnibus fuerint mortifera tā Iudæis, quā Gētibus.

Hie-

Digitized by Google

Hieronymus vero duplicem tãtum faciens temporis differentiam, alteram ante mortem Christi, alteram post mortem Christi, prorsus contendit à morte Christi per quam facta est legis impletio, legis cęremonias non solũ mortuas, sed & mortiferas fuisse. Proinde nunquam nisi per dispensationem, id est, nisi per quandam simulationem, siue per quã dam dissimulationem potius, qua occultabant suam sententiam, se se ad captum, & imbecillitatem Iudæorũ accõmodantes, obseruasse Apostolos legis cæremonias, præsertim vbi iam docti essent, quod per mortem Christi sublata esset lex. Conficitur ergo vtrumq; & Hieronymus, & Augustinus Apostolos mox à Christi morte vere exercuisse ceremonias & sacramenta legis; sed Augustinus contendit illos ea seruasse animo legis obseruandæ. Hieronymus vero non nisi per simulationem quandam Oeconomicam siue dispensatoriam, quod non est vere obseruare legem, sed ob aliam aliquam causam, quàm obseruãdæ legis id exercere, quod lex iubet. ceterum de hac controuersia, quid sentiendum sit, dictum est in superioribus.

Quo ad reprehensionem Petri. Hieronymus sicut Paulum, ita & Petrum liberat ab omni peccato. Petrum negat aliquid egisse, quod reprehẽsionem Pauli merebatur, quippe cum Paulus ipse aliquoties legis ceremonias exercuerit, ob Iudæorum seditionẽ vitandam. Quare sentit reprehensionem Pauli accipiendam esse non ex animo, sed ex composito factam; Vnde illa verba D. Pauli: Restiti in faciẽ, interpretatur ad hunc modum, Restiti ei iuxta faciem. id est, nõ ex animo, sed ex composito, & communi consilio, ita vt in faciem, idem sit, quod secundum apparentiam iuxta illud. 2. ad Corint. 10. Quæ secundum faciem sunt videte, id est, videte, quæ habent offensionem potius, quam rem & in eadẽ epist. c. 2. Vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde, quod constat esse hypocritarum; Verba vero illa (quia reprehensibilis erat) legit, reprehensus erat, & non dicit reprehensus à me, sed reprehensus simpliciter, haud dubium quin ab alijs, secutus Oecumeniũ, qui ita scribit. Reprehensus, inquit, erat non iusta de causa, neq; a Paulo, qui dispensationem nouerat; sed ab his, qui ignorabant Oeconomiam, ita quod sensus est: quia reprehensus erat, id est, quia cęperant eum iam Gentes reprehendere, quod non satis cõstans sibi, modo gentibus se admiscẽs, videretur significare legem non esse necessariã, modo ab eisdem se segregans videretur significare sine legis obseruatione gentes fugiẽdas, tãquam adhuc immundas. Illa autem verba, Et cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatẽ Euangelij, &c. refert præcise ad Iudæos, & non ad Petrum, ita vt sit sensus. Cum vidissem quod Iudæi, quorũ causa Petrus simulabat, se seruare legem non recte ambularẽt in viam veritatis, sed in legis necessaria obseruatione nimis pertinaciter insisterent; ex composito disputaui aduersus Cæphã, & aduersus eius simulationem, tanquam vergentem in offendiculum gentium; non vt Petrum arguerem, sed vt hi, quorum causa ea simulatione vti cogebatur, corrigerentur, & gentiũ scandalum tolleretur. Ita vt sicut in Petro erat simulatio seruandæ legis, ita in Paulo erat simulatio correptionis, & hanc vtriusq; simulationem Hieronymus dispensationẽ appellat, vocat etiam prudentiam in hoc adhibitam cum à Petro, tũ à Paulo, vt clam, recteq. prodesset audientibus; eamdem rẽ Chrysostomus Oeconomiam vocat; vocat etiã gnomin, & synesim, quæ sunt species prudentiæ. Neuter tamen neq; Petrus, neq; Paulus dicendus est verus hypocrita, cum defuerit voluntas in vtroque, & intentio simulandi, in qua formalis ratio hypocrisis consistit.

Oecumeni⁹.

Chrisostom.

Sentẽtia ergo D. Hieronymi est. Paulum restitisse Petro, & eum reprehendisse non ex animo, sed secundum faciem publicam, vt inquit ille; hoc est, sicut Petrus non ex animo, sed ex composito & per simulationem se à gentibus separabat, quasi adhuc seruaret legem Moysis, ita etiam Petrum, & Paulum ex composito inter se simulasse dissidium, quo vtilitati discipulorũ vtrorũq; ea arte consuleret, & ita dissensiones ortæ inter conuersos ad fidẽ ex Iudaismo, & ex Gentilismo componerentur. Hanc Hieronymi sententiam ex antiquioribus tradiderunt etiam Origens, Didymus, Apollinaris. Eusebius Emissenus, Theodor⁹ Heracleotes, Chrysostomus, Theophilactus, Oecumenius in epist. ad Galat. & Ioannes Cassianus lib. 17. Collationum. cap. 20. Ex nostris vero Scholasticis hanc sententiam Hieronymi pro viribus defendit Adrianus in 4. q. 1. de baptismo.

Origens. Didymus. Apollinaris. Eusebius. Theodorus. Chrysostom. Oecumeni⁹. Ioã Cassia. Adrianus.

Ex altera parte D. Augustinus existimat Petrum serio reprehensum fuisse à Paulo, quia re vera dignus erat vt reprehenderetur, vt patet in epist. 19. hoc autem docet Augustinus, ne cogatur in Paulo mendaciũ concedere, non tantum in rebus per simulationem, sed etiam in verbis. Contendit itaq. Augustinus Ambrosium secutus, qui & ipse in hoc à Græcis dissentit, Petrum peccasse, non quia obseruabat consuetudinem Iudæorũ, sed quia gentibus volebat imponere, atque huius suæ sententiæ potissimum producit authorem Paulum; qui dicit se in faciem Petro restitisse Antiochiæ. Item Petrum fuisse reprehensibilem, rursus Petrum non recte ad Euangelij veritatem ambulasse, deniq; Petrum coegisse gentes vt Iudaizarẽt, ex quibus in ea epist colligit hoc modo. At enim satius est credere Apostolũ Paulum aliquid non vere scripsisse, quam Apostolum Petrum aliquid non recte egisse? quasi dicat, minime. Putauit enim Augustinus necesse esse alterum illorum concedere, nempe aut Petrum dignum fuisse reprehensione, aut Paulum in sua epist. mentitum, fuisse cũ dixit, reprehensibilis erat, &c. Satius igitur est secundum August. admittere aliquid in Petro reprehensione dignum, quam aliquod in scriptura Pauli mendaciũ. sic enim totius scripturę fides periclitaretur, atq; adeo si fiat rationum comparatio magis videtur Augustini, quã Hieronymi sententia probabilis. Quapropter ex Scholasticis Augustino omnes adhærent (excepto Adriano, quem pro Hieronymo retulimus) D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 4 ad 2. Caiet. & recentiores Thomistæ ibidem. D. Bona. in 4. d. 3. p. 2. art. 3. q. 2. Richard. d. 1. art. 6. q. 4. Durand. eadem d. q. 6. nu. 7. & 8. Palud. q. 6 art. 5. concl. 4. Gabriel. q. 4. art. 3. dub. 3. Maior. q. 2. §. circa illud. Sotus lib. 2. de Iust. q. 5. art. 4. ad 3. & pro sententia D. August. quod attinet ad modum obseruandi legales cæremonias refertur à Caietano, & Soto definitio Concilij Floren. tamẽ nec in decreto Eugenij, quod est post Concilium, nec in litteris vnionis eam inuenire potui, Scotus in hac q. sub lit. k. §. Ridco, quod de isto facto Petri &c. Salua, inquit, reuerentia aliorum teneo cum Paulo, & Augustino, eo quod D. Paulus dicit aperte D. Petrum fuisse reprehẽsibilem, neq; ad veritatem Euãgelij ambulasse, atqui D. Paulus non est mentitus, ergo Petrus fuit reprehensione dignus, probatur minor ex D. August. in epist. ad Hieronymum, & refertur in canone dist. 9. cap. 5. Si ad scripturas, inquit, diuinas admissum fuerit aliquod mendacium; quantumcumque paruum, seu officiosum, nihil remaneret in eis solidæ veritatis, qua conuincatur aduersarius: quicquid. n. contra ipsum allegatum fuerit, respondebit illud mendaciter esse dictum iocose, vel officiose, vt est illud aliud, quod conceditur ita esse dictum. Vnde dicit ibidem Augustinus. Ego his solis libris scriptorum, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq. deferre, vt nullũ eorum authorẽ in scribendo aliquid errasse firmissime credã. Cum ergo Paulus ad Galat. quæ est pars scripturę Canonicæ, hoc scribat. in faciẽ eius restiti, &c. necesse est dicere ista verba esse simpliciter vera, vel totius scripturæ authoritas auferetur. Dicendum est ergo Petrum vere fuisse reprehensibilem; & vere & ex animo a D. Paulo reprehensum.

D. Thom. Caiet. D. Bonau. Richardus. Durandus. Paludanus. Gabriel Maior. Sotus.

Scotus.

Reliquum est vt videamus, qua ratione fuerit Petrus re vera dignus reprehẽsione, cum tamen alioqui licitum esset vti cęremonijs legis pro eo adhuc tempore, donec cum honore sepelirentur. August. locis allegatis cui adhæret Scotus in hac q. sub litt. l. § quæ tenonum est & admittit quidem in Petro peccatum aliquod reprehensione dignum, verũ epist. 19. inquit, cum non peccasse, quia vteretur cęremonijs legis, sed quia intempestiue tunc illas adhibuisset, ideoq. reprehensum fuisse, idq. expressit his verbis, quapropter nõ ideo Petrum emẽdauit, (.s. Paulus) quod paternas traditiones obseruaret, quod si facere vellet nec mendaciter, nec incõgrue faceret, quamuis enim iam superflua, tamen solita, non nocerent; sed quoniam gentes cogebat Iudaizare, quod nullo modo possent, nisi ea sic ageret tanquam adhuc etiam post Domini aduentum necessaria saluti forent, quod vehementer post Apostolatum Pauli veritas dissuasit.

Quare Scholastici citati pro sentẽtia D. August. plane cõcedũt peccatum aliquod in Petro, nullus tñ dixit peccatum illud fuisse mortale, sed potius veniale, non ex genere: quia re vera vsus cęremoniarũ non erat illi omnino prohibitus; sed quia incaute, aut intẽpestiue vsus fuit cęremonijs legis. Scotus vero in hac quæst. sub litt. l. §. Vel ergo diceretur &c. varios modos assignat, quibus põt intelligi peccasse Petrũ.

Scotus.

Primo

Primo reprehensibilis fuit: quia se subtraxit à Gentilibus in cibo, & potu, cum quibus antea communicabat, vt legem obseruaret. Secundo: quia prius non seruans legem in hoc coram gentibus, postea venientibus Iudæis legem in hoc seruabat, primum faciendum non erat, quia fuit sibi prius dictum à Deo Act. 10 de Cornelio, quod Deus purificauit, &c. & iuxta vtrumque modum potest multipliciter dici reprehensibilis.

Primum poterat dici reprehensibilis; quia potius debebat se gentibus conformare, inter quos tunc erat, quam se
D. Ambros. ab illis subtrahere, iuxta sententiam D. Ambrosij dicentis, Ad quamcumque ecclesiam veneris illi te conforma, ergo reprehensibilis fuit in ecclesia gentium non se conformare modo viuendi eorum. Secundo: quia exemplo suo præbebat gentibus occasionem existimandi, vel quod legalia essent illis simpliciter necessaria, vel saltem necessaria, vt admitterentur ad Iudæorum consortium; & sæpe inferiores faciunt aliqua difficilia, ne à superiorum communione excludantur, & ad istum intellectum videntur posse referri illa verba Pauli, Gentes cogis Iudaizare. Tertio: quia suo exemplo ostendebat Petrus laudabilius esse seruare legalia, quam non seruare, quæ omnia repugnant euangelicæ libertati. Quarto, quod attinet ad secundum, quia simulabat non reputans corde esse faciēdum, quod fecit in opere; ex eo enim, quod fecit in absentia nunciorum Iacobi; apparuit, quod non sentiebat abstinendum esse à Gentibus conuersis ad fidem; at postmodū segregans se ab illis, ostendebat, quod esset ab illis abstinendum, & ad istum intellectum potest referri illud dictum Pauli, simulationi eius cōsenserunt cæteri. Quinto: quia Petrus non vtebatur authoritate Prælati. Nam ex metu Iudęorum, qui venerant à Iacobo segregauit se à gentibus; at cū esset superior illis nuncijs magis debebat ipse veritatem constanter tenere in opere, & eos adducere ad rectitudinem suam, quam propter eorum timorem flecti ad illud, quod erat eis placitum, vel magis acceptum; & talis remissio, vel tepiditas Prælati est pro tempore reprehensibilis; & ad istum intellectum potest referri, quod ait Paulus. Segregabat se ab illis timens circumcisos. Non enim erat ibi vere timor: quia simpliciter licitum erat Iudæis non seruare legem, & maxime quando erant inter gentes, & hoc debuit Petrus exemplo suo ostendere nuncijs illis, tanquam suis inferioribus.

Dicendum est ergo cum D. August. quod Petrus peccauit, venialiter tamen, quod si aliquis dicat D. Petrum non peccasse: quia id fecit propter vitandum scandalum. Dicit Scotus quod non; quia non erat ibi materia scandali perfectis, neque paruulis; sed tantum Pharisæis: de quo scandalo non esse curandum docet Christus Matth. 15. Cum eum dixissent discipuli. Scis, quia audito hoc verbo Pharisæi scandalizati sunt, s. de comedendo absq; lotione manuum. Respondit. n. quod intrat in os non coinquinat hominem, &c. Quasi diceret non curetis de illo scandalo. Sinite illos cæci sunt, & duces cæcorum; tale autem scandalum fuisset hic: quia ex genere actus nullus debuit scandalizari, nisi male sentiens de libertate euangelica. Nec per similem rationem de scandalo vitando potest excusari Paulus in circumcidendo Timotheum, vel purificando se: quia nullum illicitum est committendum propter scandalum quodcumque vitandum. Vnde extra de regulis iuris. Qui scandalizauerit. Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Ad minus hoc verum est, pro veritate vitæ in præceptis negatiuis semper, & pro semper; & in affirmatiuis pro tempore, pro quo sunt adimplenda pro hoc vide lectiones nostras de peccatis lect. 8.

Breuiter ergo Paulus inter Iudæos seruauit legalia etiam multo tempore post tertium Concilium, & hoc fuit licitū, Dum tamen ipse non poneret in eis spem; licet non esset vtile nec necessarium. Inter gentes autem gentibus se conformauit; quia licuit sibi legem non seruare pro illo secundo tempore baptismi. Petrus autem in Hierosolyma seruās legem non peccauit; quia licuit Iudæo, & inter Iudæos legem seruare tunc. In Antiochia autem inter gentiles conuersos non seruans legem, non peccauit, sed se conformans eis in cibis & potibus non peccauit, sibi enim licuit non seruare legem. Peccauit autem postea segregans se ab eis in cibis & potibus propter aliquam quatuor rationum prædictarum, vt verba Pauli prædicta saluentur.

DISTINCTIO IV.



HIC dicendum est aliquos suscipere sacramentum, &c. Postquam hactenus determinatum fuit de Baptismo quantum ad ea, quæ sibi conuenire dicebantur, consequenter in hac præsenti dist. 4. agit Magister de eodem, quantum ad suscipientes, & diuiditur hæc dist. in tres partes: In quarum prima declaratur in quotuplici discrimine sint accedentes ad baptismi sacramentum. in altera quorundam error excluditur. & in tertia, quomodo per Baptismum paruulis gratia conferatur. Breuiter sententia Magistri tribus conclusionibus explicatur. Cōtinuatio. Diuisio.

1. Conclusio. Prima conclusio. Accedentes ad Baptismum in triplici sunt differentia. Probatur. Nam quidam sacramentum, & rem sacramenti suscipiunt: Alij vero sacramentum, sed non rem sacramenti: & alij demum rem, sed non sacramentum. Illi rem & sacramentum suscipiunt, qui ab originali macula mundantur, vt adulti cum fide baptizati, & etiam paruuli; quamuis quidam perperam sint opinati, quod paruulis in baptismo non dimittatur peccatum, nisi sint ex electis, & prædestinatis, innitentes illi verbo D. Augustini libro 2. de Baptismo. paruul. Sacramenta in solis electis efficiunt, quod figurant; non intelligentes illud ita accipiendum esse, quod in electis sacramenta efficiunt ad salutem, in alijs ad remissionem efficere. quare & electis, & paruulis sacramenta prodesse haud est negandum, licet in solis electis loquendo de adultis ad salutem efficiant, quod figurant, & paruulis quo ad peccati remissionem, illis erga ad salutem, & istis ad remissionem efficiunt, quod patet ex ipsomet D. Augustino, qui euidenter in suo Enchiridion cap 43. dicit à paruulo recenter nato, vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. Illi vero sacramentum & non rem suscipiunt, qui ficte ad Baptismum accedunt, aut sine fide; Quod authoritatibus Sanctorum Patrum confirmatur. & primo ex D. Hieronymo in Ezechielem, cap. 16. dicente. Sunt lauacra Gentilium, & Hæreticorum, sed non lauant ad salutem. In ecclesia etiam, qui non plena fide accipiunt baptisma, non spiritum sed aquam suscipiunt. Secundo ex D. Augustino lib. de pænitentiæ medicina, cap. 2. & refertur de Consecrat d. 2. cap. Omnis qui; omnis, inquit, qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pæniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Item Iudæis omnibus communia erant: sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ est virtus sacramentorum; ita & nunc communis est baptismus omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est ipsa gratia. ficte ergo accedentes, licet sacramentum suscipiant, non tamen rem sacramenti. D. August. D. Hierony. D. August.

Sed contra hoc videtur sentire D. Augustinus lib. 1. de bapt. contra Donatistas, capit. 12. Vbi videtur dicere, quod ficte accedentes in ipso momento, quo baptizantur consequuntur remissionem omnium peccatorum, licet statim redeant ipsa peccata post baptismum; & confirmatur ex D. Paulo ad Galat. 3. Quot quot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Verba D. August. sunt hæc. His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia spiritus sancti disciplina effugiet fictum, aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur, vt etiam illud verum sit. quot quot in Christo baptizati estis, Christum induistis. D. August.

Sed

Digitized by Google

Sed huic obiectioni occurrens Magister, inquit primo, D. August. ibi esse locutum conferendo, & inquirendo, non determinando neque asserendo, quod patet ex eo, quod addit ibi, Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Verba autem D. Pauli ad Galat. in hunc modum sunt explicanda, Qui in Christo, id est, in Christi conformitate baptizantur, scilicet, vt moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ, induunt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. Vel dici potest, quod duobus modis Christum induere dicimur, vel assumptione
D. August. *sacramenti, vel rei perceptione, vt patet ex D. Augustino, libro 1. de bapt. contra Donat. capit. 24. primo modo bonis & malis potest esse commune, vt secundo modo proprium est bonorum & piorum. Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem, & sic absoluitur secundum membrum diuisionis.*

Quod attinet ad tertium, illi recipiunt rem & non sacramentum, qui pro Christi nomine sanguinem fundunt; & illi qui cum fide & contritione conuertuntur ad Deum non habentes copiam baptismi.

Nec obstat, quod legitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fue-
D. August. *rit ex aqua &c. & quod scribit D. August. de fide ad Petrũ. c. 3. Ex illo tempore, quo Saluator dixit. Nisi quis renatus fuerit, &c. absque sacramento baptismi, præter eos qui in ecclesia sanguinem fundunt, aliquis vitam æternam accipere non potest. Quoniam, vt inquit Magister, hæc testimonia, & cætera eiusmodi intelligenda sunt, quando aliquis habet copiam baptismi, & non vult baptizari.*

Secunda conclusio. Baptismus effusi sanguinis valet in
2 Conclusio *casu sine baptismo fluminis. Hanc Magister insinuans remouet errorem quorundam dicentium, nullum adultũ per fidem, & charitatem posse iustificari sine baptismo, nisi sanguinem pro Christo fundat, quod probant authoritatibus D. Augustini, quibus respondens Magister dicit, quod authoritates intelligendæ sunt, si adsit tempus & contemptus baptismi, si autem fidem habeant, & contritionem & baptizari voluerint, & tamen præuenti morte nequeant baptizari, Tunc omnipotentis Dei benignitas supplet, quod sacra-*
D. August. *mento defuerat. Nam D. August. super Leuit. cap. 84 docet inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, & profuisse sine visibilibus sacramentis.*

Cæterum quamuis (vt dictum est) quidam sine visibili possint sacramento saluari, non propter hoc est visibile sacramentum contemnendum: quoniam sacramenti contemptor inuisibiliter sanctificari non potest.

De paruulis autem, quibus fides aliena subuenit, dicit secus esse, quàm in adultis; Non enim tantum valet fides aliena in paruulo, quantum propria in adulto: paruulis enim non sufficit fides ecclesiæ, sine sacramento: Vnde si fuerint absque sacramento defuncti, etiam cum ad baptismum deferuntur damnantur, & numero infidelium adscribuntur, si autem baptizantur fideles propter fidei sacramentum appellantur, quæ omnia authoritatibus confirmat.

Deinde quærit, quid vtilitatis subsequens sacramenti susceptio conferat ipsis iam per fidem & contritionem sanctificatis, videtur enim nihil conferre, nihilque præstare, atque adeo superflua videtur. Respondet, superfluam minime esse dicendam, imò valde vtilem ipsis esse talem baptismi receptionem: Nam licet per fidem, & contritionem iustificentur, & à peccati macula purgentur, nec non à debito æternæ pœnæ absoluantur, nihilominus teneri dicuntur ad satisfactionem, ad quam in Ecclesia pœnitentes obligantur: per susceptionem autem baptismi obligatio hæc, seu satisfactio remittitur, & à peccatis, quæ iterum post conuersionem attraxerunt, mundantur, & gratia & omnis virtus in eis augetur, & fomes in eis debilitatur magis, & intra Ecclesiam numero, & iudicio Ecclesiæ collocantur. Sanctificatis ergo valde vtilis est ipsa baptismi receptio.

Sed cum in baptismo remittantur peccata, & pœnæ reatus soluatur, cur pœnalitates ex peccato consecutæ non tollantur? Respondet Magister, quod pœnalitates post baptismum ex duplici ratione remanent. Prima est, ne talis ablatio pœnalitatum finale baptismi præmium videretur, & non regnum æternum, vt ergo in hac vita studiose quæratur altera vita, quæ erit à pœnis omnibus libera, & aliena; ob id pœnalitates remanere dicuntur. Altera ratio, vt baptizatis pugnandi materia, & vincendi tribuatur: non enim aliquis vinceret nisi pugnaret, nec pugnaret si in in baptismo omnes tollerentur pœnalitates, ratione ergo finis, & exercitij non tolluntur in baptismo pœnalitates.

Et si quæras iterum. Cum tamen rei baptismus ille sit sacramentum, & signum cum prius iustificati postea baptizantur? Respondet, quod signum est remissionis prius factæ; veluti in non perfectis iustificationis faciendæ, si tamen non adsit impedimentum. Vnde non est inconueniens, quod res præcedat, quando quod sacramentum, & interdum longe post sequatur; veluti in fictis, qui postea pœnitent.

Tertia Conclusio. Non tantum prodest paruulis aliena fides, quantum fides propria adultis, & contritis. 3 Conclusio
Hanc Magister insinuans quærit, verùm paruuli in baptismo recipiant gratiam: de adultis namque digne suscipientibus non videtur dubium; at de pueris sic: quia gratia datur ad voluntatis præparationem, sed paruuli actu voluntatis vti non possunt. ergo &c. Ex altera parte, si gratiam non reciperent non saluarentur. ergo dicendum est, quod gratiam per baptismum consequantur. Et ad instantiam respondetur. Paruulos in baptismo gratiam non suscipere duobus modis considerari posse. Vno modo quantum ad vsum in actu; altero modo quantum ad habitum, seu in habitu, priori modo in vsu non recipiunt, at posteriori modo sic: Cuius rei signum illud extat, quod cum deuenerint ad perfectam ætatem habitu existente in via naturæ dicentur vti posse, nisi aliud obstet, & impediat, quod peccando euenire posset.

Hæc breuiter & summariè est sententia Magistri in hac dist. Circa quam Doctor, iuxta diuisionem illam Magistri de accedentibus ad sacramentum Baptismi, tria principaliter quærit.

Nam primum membrum: nimirum suscipere rem & sacramentum certum & indubitatum est, quod conuenit paruulis, qui cum baptizantur rem & sacramentum suscipiunt.

Secundum nempe suscipere sacramentum, & non rem certum est, quod tantum conuenit adultis.

At tertium membrum vtrisque potest conuenire: Nam & paruuli & adulti possunt sanguinis baptismo, vel flaminis baptizari. Iuxta ergo hanc diuisionem primo quærit de paruulis; secundo de adultis; & tertio, simul de vtrisque. Quantum ad paruulos tria quærit.

Primo vtrum paruuli sint baptizandi.

Secundo vtrum paruuli baptizati recipiant effectum baptismi.

Tertio vtrum paruulus existens in vtero matris possit baptizari.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

Vtrum paruuli sint baptizandi.

CErta catholicæ ecclesiæ fides est baptismi participes esse posse omnes homines, cuiuscumque vel sexus, vel conditionis, vel ætatis sint; modo sint certe homines, & hãc vitam viuãt: nam omnes illi per lauacrum regenerationis, id est, per Baptismum spiritualiter a Christo regenerari possunt, qui peccatum originale ab Adamo per generationem naturalem contraxerunt, eoq; modo spiritualiter in Adamo mortui sunt, omnes autem omnino homines eiusmodi peccatum originale sic contraxerunt, vt patet ex D. Paulo ad Roman. omnes in Adam peccauerunt &c. assumptum etiam patet ex D. Paulo ad Roman. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, imo multo magis, inquit ibi Apostolus. Gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi abundauit, & 1. ad Corint. 15. sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. ergo &c.

Error Cataphryganum *Alphonsus.* Dixi posse omnes participes esse baptismi, qui vitã hanc viuunt, vt remouerem insanum quorundam hæreticorum veterum errorem. s. Cataphryganum, qui mortuos baptizabant, vt refert Alphonsus de Castro in summa de hæresibus verbo Baptismus hæresi. 3. Qui fuit etiã error Marcionistarum, vt ex Theophylacto refert idem Castro, qui id asserebant explicantes illud. 1. ad Corint. ca. 5. Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? *Theophilactus* Mos est, inquit, Theophilactus Marcionistis hæreticis, cum aliquis apud eos sine baptismo decesserit, eius, qui vita functus esset, feretro viuum aliquem submittere hominem. Proinde feretrum ipsum adeuntes a mortuo sciscitantur, vtrum ei libeat baptizari, mox q; qui latitat viuus de loco inferiori respondens, se velle, inquit, asserentemq; de mortui loco baptizabant. Hi itaq; prauæ huius consuetudinis insimulati Apostolum dictitant eam rem iniunxisse. Producuntq; dementes illi, & vesani id dictum videlicet Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Hæc Teophilactus. Hunc errorem recte redarguit Castro ex eo, quod in hac solum vita tempus est acquirendi per media diuinitus instituta salutem æternam: post illam enim vbi ceciderit lignum ibi erit. Eccl. 11. Suscipere ergo baptismum potest tantum homo adhuc viuens in terris, neque enim vel Angelus, vel immũdorum spirituum, vel mortuorum quispiam baptizari potest; nisi forte qui mortuus est reuiuiscat, sicut legitur mortui hominis caput locutum esse, & petijsse baptismum, vt *Echius.* refert Echius hom. 11. de baptismo. Hoc cum ita sit, sequitur infantes secundum fidem Catholicam baptizari posse, vt declarat Scotus in hac quæstione, quam pro ampliori explicatione in duos partimur articulos.

Primus Articulus. Vtrum baptizare infantes sit præceptum.

Secundus Art. Vtrum paruuli sint baptizandi.

ARTICVLVS I.

Vtrum baptizare infantes sit præceptum.

FVit quorundam hæreticorum sententia, nedum nõ esse necessarium, sed nec etiam expedire infantes baptizare ante annos discretionis, ita sentiunt Lutherani, vt referunt moderni Authores, & in eundem errorem inclinat Ludo- *Viues.* uicus Viues in Scholijs ad August. 1. de Ciui. c. 27. Eidemq; *Erasmus.* fauet Erasmus, qui præfatione in Matth. dixit, si in infantia aliqui baptizentur, cum peruenerint ad vsum rationis dandam esse liberam facultatem, vt vel in religione Christiana permaneant, vel si malint aliam eligant.

Io. Vuald. Ioannes Vuiclef, vt testatur Thomas Vualden. tom. 2. ca. 96. deinde Zuuinglius lib. de vera, & falsa religione aperte negat baptismum esse necessarium ad salutem, quod nihil sit nisi externum symbolum. Martinus Bucerus in cap. 3. Matth. idem docet, sed alio fundamento, nimirum, quia pueri prædestinati etiam sine baptismo saluantur, non prædestinati autem etiam cum baptismo damnantur. Ioannes Caluinus in antidoto Concilij ad 6. sess. cap. quinto, & lib. 4. instit. c. 16. §. 24. & 25. docet, paruulos fidelium etiam sine baptismo esse sanctos, & membra ecclesiæ, & si moriantur saluari, ita refert Bellar. libro primo, de baptismo capitulo quarto. *Bellar.*

Contra hos errores dico primo. Non solum esse licitum, verum etiam magis expediens infantes baptizare antequã *1. Conclusio* possint ipsi libere consentire. est conclusio certa de fide tradita in Concilio Trid. sess. 7. can. 13. vbi anathemate dam- *Conci. Trid.* nat eum, qui dixerit præstare omitti eorum baptisma, quã eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiæ, idemq; supra docuit sess. 5. in decreto de peccato originis §. si quis paruulos recentes ab vteris matrum &c. fundamentum præcipuum sumitur ex ecclesiæ consuetudine, nam quod vniuersa ecclesia seruat, semperque seruauit in his, quę ad animarum salutem spectant non solum licitum est, (cum errare non possit in moribus, regitur enim ab Spiritu sancto, qui non permittit eam errare in re graui, & ad salutem spectante) verum etiam valde expediens.

Dico secundo, quod si necessitas vrgeat, ita ut infans sit *2. Conclusio* in probabili mortis periculo certum est baptizare puerum esse in præcepto; Tum ex generali lege charitatis, qua tenemur subuenire proximis extreme indigentibus, præsertim in spirituali necessitate; tum ex lege pietatis, qua parentes tenentur filijs prouidere, tum etiam ex lege iustitiæ respectu pastorum ecclesiæ, qui ex officio tenentur sacramenta subditis ministrare temporibus opportunis, & maxime in necessitatis articulo; nam sine baptismo saluari non possent.

Dico tertio. Extra casum necessitatis nullum extare diui- *3. Conclusio* num præceptum, quod obliget ad baptizandos hos infantes filios Christianorum ante vsum rationis, neque enim scriptura, neque traditione ostendi potest de hac re positiuum præceptum, neque est etiam naturale, quod ex alijs principijs fidei sequatur. Et si dicatur, quod ipsa quotidiana necessitas, & morale periculum, quod est in illa tenera ætate videtur esse sufficiens causa, vt ex vi institutionis baptismi orta sit hæc obligatio. Dico hanc quidem rationem ostendere rem esse valde conuenientem, non tamen simpliciter necessariam: quia illa necessitas non est tanta, vt ex illa oriatur morale periculum moriendi sine baptismo, præcipue cum hoc sacramentum possit tanta facilitate administrari, vt rarissime possit aduenire casus, in quo moraliter ob acceleratam infantis mortem dari non possit.

Dico quarto, Ecclesiastico iure necessarium esse bapti- *4. Conclusio* zare hos infantes ante vsum rationis: quoniam licet de hac re non sit ius canonicum scriptum; tamen recepta ecclesiæ consuetudo sufficiens videtur ad hoc ius introducendum; cuius indicium esse potest, quod si quis fidelium vellet contra hanc consuetudinem agere, magnum scandalum in alijs generaret, nisi euidens aliqua necessitas ad baptismum differendum cogeret. Quo circa & Pastores ecclesiæ tenentur adhibere curam, vt hi paruuli mature baptizentur, & parentes etiam tenentur eos ad baptismum offerre, quod si ipsi negligentes sint, vel etiam si sint inuiti, Pastores ecclesiæ eos debent obligare, & cogere, vel si opus sit etiam ipsis inuitis filios baptizare: quia neque eorum consensus est simpliciter necessarius, neque habent ius differendi filiorum baptismum contra legem, seu consuetudinem ecclesiæ. Et si quæratur pro quo tempore vrgeat hæc obligatio?

Dico primo, expectandum esse, vt infans sit perfecte natus ex vtero matris: nam qui omnino natus non est, ita ut *1. Conclusio* aqua contingi nõ possit, nullo modo baptizari potest: Quia vt recte dixit Diuus Augustinus libro sexto contra Iulia- *D. August.* num cap. quinto, nec per se ablui potest, vt per se constat, nec per matrem; cum re vera sit persona ab illa distincta, & animam habeat propriam, & distinctam, peccati macula affectam.

Dico secundo, eum qui nasci incipit non debere integre *2. Conclusio* baptizari, donec integre, & perfecte nascatur: quia ordinarie non renascitur, nisi qui iam semel natus est, vt August. dixit epist. 57. hoc autem intelligendum est extra casum ne- *D. August.* cessitatis. Tunc enim & ad reuerentiam sacramenti, & ad corporale commodum ipsius infantis pertinet, vt aliquantulum differatur baptismus, & commodius tempus expectetur, propter necessitatem baptizari potest,

Digitized by Google

& debet infans, ante perfectam natiuitatem ex vtero, vt explicabimus infra q.3.huius dist. post perfectam vero natiuitatem corporalem non potest certior regula assignari, quam vt baptismus non nimium differatur hac causa contra ecclesiæ consuetudinem, quanta vero possit esse dilatio, & quando sit nimia censenda, prudenti arbitrio relinquendum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum paruuli sint baptizandi.

POtest hæc quæstio duplicem habere sensum primũ an omnes homines ante vsum rationis sint capaces baptismi, secundum an sit necesse, vel expediens infantes ante vsum rationis baptizare.

Epiphanius. D. August. Circa primum fuit hæresis Hierarchitarum, vt referunt Epiphanius hæresi 67.& D. Augu. hæresi.47. qui negabant paruulos pertinere posse ad regnum cœlorum: quia nulla possunt habere merita, quibus illud assequantur, nec posse vllum certamen subire, Apostolus autem ait non fore coronandum nisi, qui legitime certauerit, ex quo errore aperte consequitur hos infantes non esse capaces baptismi, quia si non sunt capaces effectus cur erunt Sacramenti?

Apertius docuit hunc errorem Petrus Brusius, & quidã Henricus, a quibus orti sunt hæretici dicti Petrobrusij, & Henriciani, vt videre est apud D. Bernardum epist. 240.& *D. Bernar.* ser.66.in Cant.& hos postea secuti sunt Anabaptistæ, quorum *Castro.* parens fuit Balthasar quidam Pacimontanus in partibus Germaniæ superioris, vt refert Castro lib.3. contra hæreses, verbo Baptismus. hæresi quinta, hi contendunt infantes baptizari non posse, quoniam non possunt credere, ac proinde postmodum esse rebaptizandos, si forte prius in infantili ætate baptizati sunt, & propter hanc causam huius factionis homines Anabaptistæ, hoc est rebaptizantes appellati sunt.

Conc. Mile. Cõci Aphr. Conc. Late. Conc. Vien. Conc. Trid. Sed hic error condemnatus fuit in Conci. Mileui.2 & postea in Concilio Aphricano can.76 & habetur in cap. Placuit de Consecr.d.4.& in Concilio Later. sub Innocent.3.ca. Maiores de baptismo, & eius effectu, in Concil. Vienen. sub Clemente V. & habetur in Clementinis de summa Trinit. & fide cath.§.1.& postremo in Concilio Triden. sess.5. in decreto de peccato originali c.4. vel §. si quis paruulos &c. & sess.7.can.12.& 13.

Est ergo hęc conclusio de fide tenenda, nimirum homines post natiuitatem ex vtero materno statim sunt capaces baptismi, etiam si rationis vsum non habeant, qua licet nõ sit in sacra scriptura expressa, possunt tamen ex illa varia argumenta sumi ad eam confirmandam. Nam Act. 16. legimus baptizatam fuisse Lydiam, & domum eius, & 1. ad Corint.1. ait Paulus se baptizasse Stephanæ domum, nomine autem domus tota familia intelligi solet, in qua continẽtur etiam infantes, & quamuis his locis non fiat eorum mẽtio, nec constet aliquos in illis familijs fuisse, satis tamen est esse potuisse, & locutiones scripturæ esse generales, & neminem excludere.

Probari item potest ex ipsa baptismi institutione, & ex illis verbis Ioã.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. quibus significatur omnem hominem, qui tingi potest aqua, sub Spiritus sancti seu Trinitatis inuocatione posse spiritualiter renasci, atq; adeo esse capacem baptismi, vbi etiam ponderari solet Christum passiue potius, quam actiue esse locutum, quia ad hanc natiuitatem spiritualem nulla est simpliciter necessaria humana actio (præsertim in his, qui non sunt capaces eius) sed sufficit passio, seu ablutio aquæ in verbo vitæ.

D. August. Et confirmatur, quia eiusmodi verba Christi Domini nõ sonant præceptum, sed medium, vt D. August. demonstrat lib.1. de peccat. merit. & remiss. c.30. vbi hunc locum accurate expendit, & patet etiã ex ratione, quæ redditur; quod natum est ex carne caro est, & oportet vos nasci denuo. Indicat enim Dominus homines nasci carnales, & peccatores, atq; adeo seruos peccati, & proinde necesse esse remedium contra hęc mala, quod remedium deinceps erit baptismus. Idem apertissime conuincitur ex figura ænei serpentis, quã ibidem Dominus ponit; vult enim ita esse remedium cõtra mortem æternam renasci per fidem, & baptismum suum, vt olim fuit serpens æneus remedium vnicum contra morsum serpentium, itaq; illud. Nisi quis renatus fuerit &c. Simile est ac si quis diceret. Nisi comedas non viues, vel nisi pharmacum sumas non conualesces, ista enim non tã præceptum, quam medium necessarium significant, atq; adeo etiam in infantibus hoc medium est necessarium ad salutem, & per consequens illius sunt capaces; nam etiam paruuli possunt esse participes vitæ æternæ, & regni cęlestis, vt patet Matth 19.& Lucæ 18. vbi cum adducerentur ad Christum paruuli, qui non poterant ipsi ad eum venire, benedicebantur ab eo &c. & Talium est, inquit, regnum cœlorum. Tum Mat.18. Non est, inquit, voluntas ante patrẽ vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Quo ad secundum quæstionis intellectum. Fuit etiam error Pelagij, qui teste D. August. epist.91.& 93. negabat baptizari paruulos tanquam baptismo non egentes, eo quod originali peccato carerent, qui error damnatus iam olim fuit in Conci. Mileuit. cui & August. interfuit, & deinde in Conc. Rom. fuit etiam hæresis tempore D. Bernardi, quæ dicebat non licere infantes baptizare, refert eam, & refellit S. Bernard. vbi supra, eadem est hæresis Anabaptistarũ affirmantium non licere baptismũ tradere nisi adultis, qui baptismum per se flagitant. Eundem errorem obiter docuisse videntur Erasmus loco citato in superiori art. vbi docet homines in infantia baptizatos, vbi adoleuerint interrogãdos esse an habeant ratum, quod ipsorum nomine in baptismo promissum est, & si ratum non habeant esse liberos dimittendos. Ludouicus etiam Viues loco supra relato docet olim neminem consueuisse baptizari nisi adultæ ætatis, qui per se peteret baptismum, & intelligeret quid sit baptizari. *D. August. D. Bern.*

Verum hæc hæresis damnata est in his omnibus Concilijs, in quibus superior hæresis fuit damnata: nam prima hęresis est huius secundæ fundamentum. Est ergo conclusio de fide, quod pueri infantes ante vsum rationis sunt baptizandi, probatur primo ex Concilio Mileuit. cap. placuit, & refertur de consecrat. d.4. cuius sunt verba. Placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, anathema sit. Secundo probatur ex cap. Maiores de baptismo, & eius effectu, vbi Innoc. tertius 3 refert errorem quorumdam hæreticorum asserentium paruulos inutiliter baptizari, & contra eos determinat dicens, Cum circumcisio tam adultis, quam paruulis ex præcepto Domini conferretur, nec Baptismus, qui loco illius successit, & generalior extitit, minoris videatur effectus, tam adultus, quam paruulus est conferendus. probatur tertio ex Conci. Trid. sess.5.cap.4. vbi dicitur. Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a parentibus baptizatis orti, anathema sit. Probatur 4. ex traditione Apostolica, cuius testes sunt Dionysius cap.7. de ecclesiastica hierarchia, vbi ita scribit. Diuini nostri Iudices. Apostoli probauerunt infantes recipi ad baptismum, quibus verbis aperte colligitur Ecclesiam traxisse ab Apostolis consuetudinem baptizandi paruulos. Idem docuerunt Clemens Romanus lib.6 Constitutionum Apostolorum cap.15. vbi ad hanc rem affert locum illum ex Euangelio, Sinite paruulos venire ad me. Gregorius Nazian. oratione in sanctum lauacrũ Origenes in c.6. ad Romanos, Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi mystagogica. 1. Cyprianus lib.3. epist.8. August. lib.10. in Gen. c.33.& lib.4. de Bapt. contra Donatistas & lib.1. de peccatorum meritis c.24 & 26.& alibi, legendus est Alphonsus a Castro lib.3. aduersus hæreses. verbo Baptismus hæresi.5. vbi adducit hęreses, quæ asserunt paruulos non esse baptizandos, easq; impugnat pluribus Conciliorũ decretis. legendus est etiam D. August. per tres libros de baptismo paruulorum ad Marcellinum, atq; etiam in libris contra Iulianum Pelagianum, & in epist. ad Bonifacium, vbi hanc catholicam veritatem ex professo contra hæreticos docet. *Conc. Mile. Innocen. Conc. Trid. Dionysi. Clemẽs. Greg. Na. Origenes Cyrillus. Cyprian. August. Castro. D. August.*

Sit ergo hæc conclusio de fide. paruuli sunt baptizandi, probatur ex D. August. de fide ad Petrum dicente, firmissime tene, paruulos, qui sine sacramento baptismi de hoc sæculo transeunt æterno supplicio puniendos, quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt. Probatur etiam ratione. Baptismus est remedium institutum a Deo contra peccatum originale, sed paruuli habent originale peccatum, ergo debent recipere baptismum, vt a peccato originali mundentur. Maior est de fide. atque etiam minor, & probatur ex Diuo Paulo ad Romanos quarto, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, in *Conclu. D. Aug.*

quo

Digitized by Google

quo omnes peccauerunt, & oppositum asserere est hæresis Pelagianorum dicentium, paruulos non habere originale peccatum, & consequenter non esse illis baptismum conferendum ad remissionem peccati, licet eorum aliqui concederent posse ipsis dari, vt Regnum cœlorum ingrediantur, contra quem errorem scripsit D. August. multis in locis & maxime in lib. de baptismo paruulorum, seu de peccatorum meritis, & remiss. & in supracitata epist. 23. ad Bonifacium, atq; etiã damnatus fuit in Concilijs quam plurimis, & nouissime in Concilio Trident. sess. 5.

Sed contra hanc conclusionem arguitur primo. Baptismus est remedium contra peccatum, at paruuli peccatum non habent, ergo remedio baptismi non egent. probatur minor, quia paruuli non habent rationis vsum, & voluntatis, & secundum D. August. lib. de vera religione, peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum.

Respondet Scotus negando minorem, & ad probationẽ dicit, quod illa authoritas D. Augu. est intelligenda de peccato actuali, siue de peccato personæ, non autem de peccato originali, seu naturæ, quod paruuli generatione contractum habent. priori modo peccatum, quod in nobis originis dicitur in primo parente fuit voluntarium, quia in eo fuit peccatum actuale, & personale, non tamen oportet quodcumque peccatum esse voluntarium voluntate illius in quo est.

Secundo arguitur ex illis verbis D. Matth. vltimo. Qui non crediderit condemnabitur, sed paruulus non potest credere, ergo per baptismum non potest saluari, atq; adeo frustra baptizatur. Respondet Scotus bifariam, & primo dicit, quod illud testimonium D. Matth. intelligi debet de adultis, vt constat ex præcedentibus, nimirũ, qui crediderit &c. Hæc enim verba nisi de adultis intelligi nequeunt: nam paruuli non possunt habere actum credendi, cum vsum rationis non habeant.

Secundo dicit, quod qui non crediderit actu, vel habitu condemnabitur: quia iuxta D. Paulum ad Hebræos 11. Sine fide impossibile est placere Deo, & quamuis paruuli nõ possint habere actum credendi, possunt tamen habere habitum fidei, & hunc habent paruuli baptizati, ideoq; non condemnantur.

QVÆSTIO II.

Vtrum paruuli baptizati recipiant effectum baptismi.

IN hac quæstione tractat Scotus de effectu baptismi. Vnde obser. est primo, quod varij fuerunt hæreticorum errores, & penè extremi circa effectus baptismi: nam quidam dixerunt baptismum esse inutilem, & nullius efficaciæ ad delenda peccata, huius erroris primus author fuisse creditur Gaianus, vt colligitur ex Tertulliano lib. de baptismo in principio, quem imitati sunt Manichæi ex D. August. hæresi 46. & Arcontici ex Epiphanio hæresi. 40. & Messaliani, seu Massaliani, hos enim, vt diuersos numerat Damascen. sunt tamen ijdem apud Theodoretum lib. 4. hæret. Fabul. circa finem, & lib. 4. hist. c. 10. & habetur etiam li. 7. Tripar. c. 11. cuius erroris nullum potest assignari fundamentum.

Tertulian. D. August. Epiphan. Damascen. Theodoret.

Secundus error est, peccata non tolli per baptismum, sed solum tegi, tolli autem peccata tandem per mortem, hæc fuit hæresis antiquissima Origenistarum: nam Proclus quidam Origenista, vt refert Epiphanius hæresi 64. ex Methodio martyre de resurrectione, dixit nunc quidem sopiri peccatum, sed non radicitus tolli, huius erroris meminit D. August. varijs locis contra Pelagianos, specialiter lib. 1. contra duas epist. Pelagian. c. 13. vbi non refert aliquem hæreticum hoc docuisse, sed potius Pelagianos ipsi Augustino imputasse, eumq; reprehendisse, quod ipsum docere existimarent. Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Ab eo tamen errore se omnino alienum ostendit August. tum ibi, tum etiam lib. 3. c. 3. Eiusdem erroris meminit etiam D. Greg. lib. 9. Registri epist. 39. dicens Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius?

Epiphanius Methodius. D. August. D. Gregor.

Hunc tamen errorem hoc nostro sæculo reuocauerunt omnes Lutherani, vt refert Bellar. lib. 1. de Bap. c. 13. eumdẽ docet Caluinus teste eodem Bellar. fundamentum horum hæreticorum est, quia Baptismus non tollit concupiscentiam; quæ tamen peccatum est, de quo dicitur ad Roma. 7. Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, & infra. Non enim, quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, ac tandem vlterius. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem lege peccati.

Bellarmin.

Cęterum hallucinantur prorsus, nam concupiscentia non est vere, & proprie peccatum, licet sit peccatorum fomes, & ad hunc sensum radix peccatorum appellari solet, quemadmodum, vt etiam dixit D. Paulus: Radix omnium malorũ est cupiditas, atq; adeo quatenus baptismus non aufert hãc radicem, potest dici non tollere radicitus peccata, quia non tollit radicem illorum, & hoc ad summum probat hæreticorum fundamentum.

Cæterum non ita ipsi sentiunt, sed quod de facto non tollitur per baptismum quicquid habet rationem culpæ, & peccati, qui sensus planè hæreticus est. Ideo contra hunc grauissimum, & perniciosissimum errorem, statuit Concilium Trident. sess. 5. decretum, quo affirmat per baptismum tollire ipsa id omne, quod habet in homine rationem peccati. his verbis. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.

Conc. Trid.

Tertius error extremè contrarius est baptismum delere omnia peccata, non tantum iam commissa, sed etiam, quæ post baptismum susceptum committuntur. Hunc errorem ex Luthero, Caluino, & Kemnitio refert Bellar. libro 1. de Bapt. c. 18. Qui tamen hæretici non videntur loqui de vera peccatorum remissione, sed de occultatione, seu non imputatione peccatorum. Fundamentum autem eorum præcipuum est, quia peccata remittuntur per solam fidem, & Baptismus solum deseruit ad excitandam fidem, quæ nõ minus excitari potest per memoriam baptismi suscepti, & addunt quædam loca scripturæ in quibus saluari, & mundari dicimur per Baptismum. 1. Petri 3. Saluos nos fecit baptisma. ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. & ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Cæterum hic error damnatus est in Concilio Trident. sess. 7. can. 10. his verbis. Si quis dixerit peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit. Testimonia autem scripturæ solum probant Baptismum cum confertur perfectè mundare hominem, & constituere illum in statu salutis, ita ut si nõ ponat impedimentum infallibiliter æternam salutem consequatur ratione baptismi suscepti.

Bellar.

Conc. Trid.

Secundo obser. est, quod veri effectus baptismi apud catholicos tres sunt, primo enim baptismus tollit ac delet omnem culpam, & pęnam. Secundo confert ex opere operato gratiam, & dona diuina, quibus verè, & formaliter iustifica tur homo. Tertio imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest, ad hos reuocantur illi quos Patres enumerant, & maxime Nazian. orat. in sanctum lauacrum, & Chrysost. hom. 1. ad Neophytos, vt quod faciat animam pulchrã, Deo dilectam, splendentem, quod eam obsignet regio sigillo, quod faciat hæredem Dei, quod aperiat regnum cęlorum, & similia. lege Alex. de Ales. 4. p. q. 8. m. 8. per totum

Veri effectus Baptismi.

Nazianze. Chrysosto.

Ale de Ale.

Tertio obser. est, quod paruulus est viator carens vsu rationis propter ætatis defectum, illi autem baptizati dicũtur, qui quæ ablutionẽ receperunt cum illis verbis, Ego te baptizo in nomine patris &c. debite & recta intẽtione prolatis.

Quarto obser. est, quod licet in baptismo deleatur peccatum, & infundatur gratia, prius tamen natura peccatum originale deletur, quam gratia infundatur, licet Deus prius, et principaliter intendat dare gratiam, quam deletionem peccati originis, quod enim est prius in intentione, est posterius in executione. Sensus ergo quæst. est vtrum paruuli vsu rationis carentes baptizati, i. aqua sub forma verborum prescripta abluti, recipiant in baptismate gratiam. Diuiditur hæc quæstio in duos art.

Art. primus. Vtrum paruuli per baptismum recipiant gratiã
Art. secundus. Vtrũ paruulis in baptismo cõferãtur virtutes.

ARTICVLVS I.

Vtrum paruuli per Baptismum recipiant gratiam.

Conclusio. CONclusio est de fide certa, quod paruuli in Baptismo gratiam recipiunt, quæ est ipsius sacramenti baptismi effectus, & probatur primo ex cap. Placuit de Consecrat. d. 4. vbi dicitur. Si quis dixerit pueris non baptizari in remissionem peccatorum, anathema sit; sed peccatorum remissio non fit nisi per gratiam, ergo pueris in baptismo confertur gratia.

Secundo probatur ex cap. Maiores extra de Bapt. & eius effectu, vbi postquam Innocentius determinat, paruulos esse baptizandos dicit, quod eis remittitur culpa, & deducuntur ad regnum cælorum, sed nullus perducitur ad regnum cælorũ sine gratia, ergo pueris in baptismo confertur gratia.

Tertio probatur: quia licet olim fuerit dubitatum, an gratia, & virtutes infusæ sint habitus, & qualitates nobis inhærentes, & ab Innocent. 3. in cap. Maiores, & a Clement. V. in Concilio Viennen. in Clementinis. 1. de summa Trinitate, & fide Catholica, hoc non fuerit de fide definitum, sed solum probabilius existimatum; iam tamen de fide certum est, baptismum nobis conferre hunc effectum, præsertim si abstrahamus a nominibus qualitatis, & habitus, & loquamur de iustitia inhærente, & de gratia, & donis, seu de fide, spe, & charitate, sic enim de fide est, sacramenta nouæ legis gratiam conferre non ponentibus obicem semper, & omnibus ex opere operato, vt supra late dictum est, & definiunt Concilium Florentinum sub Eugenio, & Trident. Conci. Flor. Conc. Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de Sacramentis in genere. Sed Baptismus est Sacramentum nouæ legis, ergo &c.

Deinde Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. definit iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, & charitatis, quæ in cordibus eorum diffunditur, atque ipsis inhæret simul cum fide, & spe; nam hæc omnia simul infusa accipit homo, qui iustificatur cum remissione peccatorum, & ibidem definit causam instrumentalem huius iustificationis esse Baptismum. ergo definit baptismum conferre gratiam &c. deniq; definit iustificationem non tantũ esse remissionem peccatorum, sed etiam internam hominis renouationem, & sanctificationem hominis per gratiam, et totũ id conferri per baptismũ, ergo vtrũq; est de fide certũ.

Præterea Christus ait Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. non potest intrare in regnum cælorum, at nemo ingredi potest in regnum cælorum, nisi per gratiam Dei, oportet igitur in baptismo conferri gratiã, iuxta illud Pauli ad Roman. 3. Gratia Dei vita æterna. Item regeneratio ex Spiritu sancto vtique est ex gratia ipsius, alias enim quam differentiam statuisset Ioannes inter Baptismum suum, & Christi? sic autem ait. Ego baptizo in aqua, ille autem baptizabit in Spiritu sancto. Ita & Paulus ad Titum 3. prædicat inquit, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ. ideoq; & D. Ambros. Baptismum vocat lauacrũ D. Ambrof. D. August. gratiæ. lib. 2. super Lucam. Imo D. August. lib. 5. q. 11. 12. 13. & 25. contra Donatistas multum, & vehementer, huic innititur, quod ad ipsum sit discrimen Baptismi Ioannis a Baptismo Christi, quoniam hic gratiam confert, & in eodem quoque lib. August. Baptismum vocat sacramentum gratiæ D. Ambrof. c. 21. Et D. Ambros. ser. 41. Baptismum quo nos baptizamur maioris facit, quam illum quo baptizatus est Christus, ait enim, quod salua pace dixerim, licet vtrumque baptisma sit Domini, tamen gratius puto hoc esse, quo nos abluimur, quam illud quo Saluator baptizatus est. Ibi enim tanquam incredulis fidem voluit signis corporalibus persuadere, hic tanquã fidelibus, gratiam spirituali virtute conferre. Item Paulus ad Galat. ait. Quicunq; in Christo baptizati estis Christum induistis, & Christum induere sine gratia Dei, quomodo cuiquã contingere possit: & cum ad Ephes. inquit, quia mundauit ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ, quo pacto purgare queat illa animam nisi per gratiam?

D. August. Postremo D. August. in Enchiridion ait. A paruulo recẽter nato vsq; ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a baptismo, ita nullus est, qui non moriatur peccato, sed nullus moritur peccato nisi recipiendo gratiam, ergo paruuli Scotus. baptizati gratiam recipiunt: Sentit ergo, inquit Scotus in hac q. sub litt. a. §. ad quæstionem &c. fides docet paruulis dimitti peccatum originale in Baptismo, ita fides eadẽ docet gratiam etiam in baptismo paruulo infundi, Deus enim, vt dictum est in quæst. de Circumcisione, nulli culpã dimittit nisi gratiam infundendo, neq; per statum naturæ lapsæ aliquem liberat a perditione, nisi quem ordinat ad hoc, vt sit filius regni.

Secunda Conclusio. Nedum paruulis cõfertur gratia in 2. Concl. Baptismo, sed ẽt fides, & spes: quia licet Deus de potentia absoluta posset dare gratiam sine fide, & spe ponendo quod sint qualitates absolutæ simpliciter distinctæ, tamen quia Dei perfecta sunt opera Deute. 32. & qñ hominem sanat totaliter sanat. Ideo conceditur, quod non infundit gratiam paruulo sine fide, & spe. hęc conclusio est Scoti vbi supra. §. ad primum argumentum.

Et probatur ex D. August. epist. 23. ad Bonifacium, & re- D. August. fertur de Consecrat. d. 4. ca. Nihil. Paruulum, inquit, & si nõ fides illa, quæ in credentium voluntate consistit (s. actualis) iam tamen ipsius fidei Sacramentum fidem facit (per quod s. habitus infunditur) nam sicut credere respondetur, ita ẽt fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo, at non possunt dici fideles secũdum fidem acquisitam siquidem adhuc vsum rationis non habẽt, vt addiscere possint; Christiani igitur sunt, & fideles per fidem infusam in baptismo ab Spiritu sancto.

Præterea Christus in Euangelio Mar. vlt. Qui non crediderit, inquit, condemnabitur, itaq; cum non damnentur paruuli baptizati, sed beentur, fidem quoq; habeant oportet, quia sine fide impossibile est placere Deo, placent autem paruuli Deo, imo & nos si salutem speramus a Deo, oportet, vt efficiamur sicut paruuli, alias non intrabimus in regnum cælorum: nam fide adempta paruulis, non haberent vitam spiritualem, cum iustus ex fide viuat.

Insuper, & rationi contrarium hoc esset, vt in paruulo sit gratia Dei, & non fides: quando enim ita comparatum est, quod fides sit substantia, & fundamentum spiritualis ędificij, quomodo gratia, & charitas esse poterunt sine fundamento fidei?

Sed contra primam conclusionem, arguitur supponẽdo, quod gratia in baptismo sine fide non infunditur: quia vt inquit, D. Paulus ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo, & esse in gratia Dei. Hoc supposito tanquã certum, arguitur, paruuli in baptismo nõ recipiunt fidem, ergo nec gratiam, consequentia ex supposito patet, & antecedens tripliciter probatur, primo ex D. Pau. ad Ro. 10. fides est ex auditu, sed paruulus per auditũ nequit fidem suscipere, ergo non possunt recipere fidem in baptismo. Secundo probatur ratione, habens aliquẽ habitum põt illo vti cum voluerit, & exire in actum illius, sed paruulus baptizatus, cum peruenerit ad vsum rationis, non potest vti habitu fidei. i. non põt exire in actum credendi articulis fidei, nisi instruatur in fide, ergo non recipit in baptismo fidem. Tertio probatur. Qui habet aliquem scientiæ habitum aliter se habet ad actum illius scientiæ, quam ille, qui non habet talem habitũ; sed puer baptizatus, quando venit ad vsum rationis, non se habet aliter ad actũ credendi, quam alius homo non baptizatus, ergo in baptismo non recipit fidem. Probatur maior, quia habitus inclinat ad operandum faciliter, prompte, & delectabiliter, ergo ille, qui habet habitũ, aliter se habet ad actum, quia operatur facilius &c. Minor ẽt probatur: quoniam si puer baptizatus nutriatur inter infideles, & ei proponatur articuli fidei, non magis credet illis, quam alius nõ baptizatus, & ẽ conuerso si puer non baptizatus nutriatur inter fideles eodem modo credet articulis fidei, sicut faciet baptizatus, ergo puer baptizatus non se habet ad actum credendi, aliter quam non baptizatus, & per consequens fidem non accipit in baptismo.

Et si dicas verum esse, quod ille, qui habet habitũ acquisitum alicuius scientiæ, aliter se habet ad actum illius scientię, sed non ille, qui habet habitum infusum, fides autem, quæ in baptismo confertur est infusa, atq; adeo mirum non est, quod puer baptizatus non se habeat aliter ad actum credendi, quam non baptizatus. Contra si Deus alicui infunderet habitũ Geometriæ posset assentire veritatibus geometricis sibi occurrẽtibus, quẽmadmodũ alius, qui haberet Geometriã acquisitã, ergo a simili si baptizatus hẽret fidẽ infusam posset assẽtire veritatib. fidei sibi occurrẽtib. sicut ille q hẽt fidem acquisitã: nam sicut habens habitu Geometrię infusũ

occur-

Digitized by Google

occurrentibus sibi rationibus terminorum geometricalium posset ex illo habitu assentire veritatibus geometricis, ita ex fide infusa si adesset, posset habens eam assentire occurrentibus rationibus terminorum, atque ita apprehensa ratione mortui, & resurrectionis posset aliquis assentire huic veritati. Mortui resurgent, cuius oppositum experimur. Et confirmatur. Nullus operatur facilius contra habitum quam secundum habitus inclinationem; sed paruulus baptizatus si nutriatur inter infideles, facilius dissentit articulis fidei, quam assentiat, ergo non habet habitum fidei: maior probatur: quoniam habitus dat aliquam facilitatem, & delectationem in opere ex 2. Ethic. ergo nullus operatur facilius contra habitum, quam iuxta inclinationem habitus.

Secundo arguitur. Nullus a Deo recipit gratiam nisi aliquo modo cōiungatur illi, sed coniunctio hominis ad Deū fit per fidem, quam non habet paruulus, ergo non datur illi gratia in baptismo. Maior probatur, quia homini actualiter auerso, & omnino indisposito Deus non dat gratiam; sicut nec membrum a me separatum viuificatur ex me. minor autem est manifesta.

D. August. Præterea D. August. super illud Ioan. 14. & maiora horū faciet. Quod ex impio, inquit, iustus fiat in illo, sed non sine illo Christus operatur; sed puer cum non habeat vsum rationis, non potest Christo cooperari, vt iustificetur, imo quandoque pro posse renititur, ergo non iustificatur per gratiam, ergo &c.

Item D. Paulus ad Rom. 4. inquit ei qui non operatur: credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secūdum propositum gratiæ Dei, sed puer non est credens in eum, qui iustificat impium, ergo non consequitur gratiam iustificantem.

Pro primi argumenti solutione obser. est, quod fides infusa, vel ponitur, vt causalitatem aliquam habeat respectu actus credendi, vel nullam habet causalitatem respectu actus: si primo modo, hoc potest bifariam intelligi; vno modo, quod præcisam habeat respectu actus causalitatem, ita ut nullus alius habitus possit ad actum credendi effectiue concurrere, vel non præcisam, ita ut talis causalitas respectu actus credendi, possit etiam competere fidei acquisitæ: si primo modo cum actus non posset esse talis sine ea, qualis est ipsa posita, tunc posset forte certitudinaliter fides infusa cognosci, per hoc quod aliquis cognosceret talem conditionem suo actui inesse, quæ non posset in esse sine fide infusa, & maxime si fides infusa in ratione habitus, sit præcisa causa actus. Si autem secundo modo, id est, si nullam habeat causalitatem respectu actus, manifestum est, quod ex actu non potest perpendi fides inesse, cum habitus regulariter ex actibus cognoscatur; si etiam habeat causalitatem aliquam, sed non præcisam, non potest simpliciter cognosci fidem infusam ex actibus inesse, neque ex aliqua cōditione ipsius actus. Et hunc modum dicendi tenet Doct. Sub. nam apud ipsum actus credendi causatur a duobus habitibus. s. ab habitu infuso, & a fide acquisita: quia nullus vnquam exit in actum credendi, per fidem infusam sine fide acquisita, licet è conuerso sine fide infusa per solam fidē acquisitam possit quis in actum credendi exire.

Ex quo sequitur, quod nihil est in actu, nec pertinens ad actum, in quo distinguatur habens fidem a non habente, atq; adeo non potest esse notum per rationem naturalem fidem infusam inesse, sed hoc est tantum creditum atq; ita potest dici generaliter, quod nulla virtus supernaturalis potest probari inesse, neq; ex actu aliquo; neq; ex aliqua conditione actus; sed nec forte in vniuersali potest probari per rationem naturalem aliquem virtutem supernaturalem inesse. De istis autem dictum est amplius in 2. p. 3. lib. in materia de virtutibus dist. 23.

Secundo obser. est, quod quemadmodum in rebus corporeis duplicem videmus qualitatem. v. g. si de calido loquamur, ignis calidus est, & Sol, ferrum quoque calidum est, & vinum. Ignis autem formaliter calidus est calefaciēs, & adurens, quicquid attingit: Sol calidus quoque est, sed non proprie in sua substantia, sed per radiorum reflexionē tantum: siquidem aerem hunc medium non calefacit, verum vbi ex opposito montis radij eius reflectuntur, ibi calefacit. Vinum quoq; virtute calidum est, quantumuis in vase, aut vitro proprie frigidum existat, id autem vbi biberis, ibi nimirum incalesces, & calidam vini vim senties. Sic piper, vrtica, & alia multa, quæ proprie calida non sunt, sed virtualiter tantum, & ea sanè qualitas virtualis non agit nisi excitata: Ita in anima quoq; fides gemina est, alia propria & formalis, fides. s. acquisita, & cū puer pronunciat aliquē articulū fidei tunc remanet nonnihil adhærens in anima eius, quod si eumdem rursus ingeminet, iterum aliquid amplius relinquitur adhærens animæ, id tam diu facit donec assuescat, vt tandem perfecte calleat; neq; id multū est diuersum ab eo, cū candelę in ceram intinctæ parantur: semper. n. plusculum aliquid adhæret filo, donec in iustam candelæ magnitudinem accrescat, ita in anima quoq; se res habet. Et sicut fides hęc acquisita ex multo, & frequenti exercitio nascitur, ita ipsa quoque inclinat ad huiusmodi operationes. Alia longe res est de fide infusa a Deo, ea n. fides nobilis, & efficax est instar caloris solaris, & hæc fides cum nō sit nata ex operationibus, ita etiam non inclinat ad illas a se ipsa, non minus quam nec vinum aquam calefacere potest, aliunde eam excitari oportet, id autem fit per fidem acquisitam. Sic ergo in baptismo infunduntur paruulo gratia fides, & spes, quamuis operationem nullam in eo habeant, quamdiu rationis vsum non habet, animam autem eius exornant, perficiunt, & Deo beneplacitā reddūt, imo paruulum quoque ipsum quasi incorporant Christo Domino, vt amplius sit filius lucis, & vitæ æternæ. Cęterum accedente iam rationis vsu in paruulo, cum istam paulatim fidē addiscere, & amare Deum incipit, tunc sanè virtutes illæ infusæ excitātur, vt iā paruulus iste multo sit prōptior ad discēdam fidem, ad diligendum Deum, quam si virtutes infusas non haberet.

His obseruatis, ad arg. nego antecedens, & ad primā probationem dico, ꝙ D. Paulus loquitur ibi de actu fidei adultorū, qui regulariter non habent fidē. i. fidei actum sine prędicatione rerū fidei. ad alias duas probationes dico, ꝙ fides infusa inclinat, vt cōcurrentibus alijs necessarijs actus fidei eliciatur, sed fides infusa non sufficit sine acquisita ad producendum fidei actum regulariter: fides enim, vt inquit Diuus Paulus, prouenit ex auditu, ideoque licet paruulus in baptismo recipiat habitum fidei infusum, non producet actum fidei circa aliquem articulum, nisi prius instruatur in illo.

Ad improbationē de habitu Geometriæ, dico, quod est grande discrimen inter habitū Geometriæ, & habitū fidei infusū, quia habitus Geometriæ est de veritatibus naturalibus, habitus vero fidei est de supernaturalibus, & non demonstrabilibus per naturalem rationem, ideoq; similitudo non valet.

Ad confirmationē dico ex Scoto infra d. 6. q. 10. quod habitus infusus non dat facilitatem ad actū sicut acquisitus, vt patet in nouiter conuerso, cui non est facile post conuersionem actus bonos elicere, sed difficile quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat habitum acquisitum.

Ad secundum argumentū respondet Alex. de Ales. p. 4. *Ale. de Al.*
quæst. 8. m. 7. art. 2. in quæst. qua quærit, an requiratur fides in offerente paruulum, vel in suscipiente ipsum, & m. 8. art. 3. §. primo, Quod Paruulus coniungitur Deo per fidem parentum. Sed contra pone parentes hæreticos, vel infideles; dicitur adhuc quod per fidem ecclesiæ. Sed hæc responsio non placet Scoto: nam si parentes essent infideles, & nullus in ecclesia fidem haberēt, puer in baptismo reciperet gratiam, dummodo Minister intenderet facere, quod Christus faciendum instituit. Sed diceret Alexand. quod casus implicat: nam si nullus in ecclesia esset fidelis, nulla esset ecclesia, cum ecclesia sit fidelium congregatio, & quamuis ecclesia militans possit in aliquibus deficere, generaliter tamen deficere nequit, iuxta illud Matth. vltimo. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationē sæculi. Vnde sicut species semper saluatur in aliquo indiuiduorum, sic fides in aliquo fidelium, & hoc diuina prouidentia faciente, nec vnquam fuit postquam incæpit ecclesia, quin semper aliquis, qui Deo placeret esset, sic nec vnquam erit.

Scotus tamen ita respondet ad argumentum, quod de facto nulli datur gratia nisi per aliquam causam meritoriam primæ coniunctionis illius cum Deo, & sic puer in baptismo Deo coniungitur per causam meritoriam extrinsecam, videlicet per Christi meritum, quod extrinsecum est ipsi puero, cum non sit in ipso; præter meritum

Digitized by Google

autem Christi non est necessaria alia causa meritoria intrinseca in recipiente, qua Deo coniungatur antequam gratiam recipiat.

D. August. Ad tertium dico, quod sicut dicit D. August. in lib. de charitate, nemo ex aqua, & spiritu sancto renascitur nisi volens, quod non de paruulis, sed de adultis intelligendum est, & similiter de adultis est intelligendum, quod homo non iustificatur a Christo sine homine ipso; quod autem paruuli baptizandi prout viribus possunt reluctantur non eis imputatur, qui in tantum nesciunt quid faciunt, vt nec facere videantur, vt dicit D. August. in lib. de præscientia Dei ad Dardanum, & est epist. 57.

Ad quartum dico cum D. August. quod Mater ecclesia paruulis aliorum pedes accõmodat, vt veniant, aliorũ cor vt credant, per aliorum linguam, vt confiteantur, atq; ita pueri credunt non per actum proprium, sed per fidem ecclesiæ, quæ eis communicatur, & huius fidei virtute conferuntur eis gratia, & virtutes.

ARTICVLVS II.

Vtrum paruulis in baptismo conferantur virtutes.

THomistę realiter distinguentes gratiam a charitate, per virtutes (cum quæritur, vtrum pueri in baptismo consequantur gratiam, & virtutes) intelligunt fidem, spem, & charitatem; at iuxta Scoti sententiam, non distinguentis gratiam a charitate, licet per virtutes intelligi etiam possint, fides, & spes, tamen in hoc articulo intelligimus virtutes morales, ita ut sit sensus, an paruulis in baptismo morales virtutes infundantur. Sed quia hanc quæstionem satis diffuse explicauimus in 2. p. 3. d. 36. q. vnica artic. 12. Ideo pro nunc breuiter dicimus, quod in baptismo nedum infunduntur virtutes Theologicæ, sed etiam morales, quia in donis Spiritus sancti continentur virtutes morales, vt diximus in 3. vbi supra, at secundum D. August. de baptismo paruulorum Dona Spiritus sanctis in eis infunduntur. *D. August.*

Et si quæras, quid prosunt eis virtutes morales? Dico quod non prosunt eis pro illo tempore, seu dantur eis ad ornamentum animæ, ita ut qui animam intuitiue videret, pulcherrimam eam videret.

QVÆSTIO III.

Vtrum paruulus existens in vtero matris possit baptizari.

Ale. de Al. D. Thomas D. Bona. Richardus. DE hac re tractant Alex. de Ales. p. 4. q. 8. m. 7. art. 1. § 2. D. Thomas. 3. p. q. 68. art. 11. D. Bona. in 4. d. 6. p. 2. art. 1. q. 1. Richar. eadem d. art. 2. q. 1. & d. 4. art. 2. q. 3. ad 1. & cæteri scholastici locis citatis. Pro cuius explicatione obser. est, quod paruulus potest quadrupliciter sumi, primo modo dicitur paruulus propter carentiam iniquitatis. Vnde Apostolus malitia paruuli estote. ex quo sequitur primo, quod Christus erat (in hac significatione) ita paruulus in Cruce, sicut in vtero matris suæ Virginis gloriæ. secundo sequitur, quod Virgo gloriosa erat ita paruula, quãdo concepit Christum, sicut erat, quando concepta est in vtero matris suæ. tertio sequitur, quod Ioannes Baptista erat magis paruulus quando baptizauit Christum, quam dum fuit conceptus: quia conceptus fuit in originali peccato. quarto sequitur quod impossibile est aliquem hominem saluari de potentia Dei ordinata nisi sit paruulus, accipiendo paruulum in hac significatione, id est, pro carentia malitiæ, & iniquitatis, iuxta illud Saluatoris Matth. 18. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Secundo modo sumitur paruulus pro carentia elationis, & in hoc sensu humilis dicitur paruulus, iuxta illud Matth. 18. Sinite paruulos venire ad me; & iterum nisi quis humiliauerit se sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cœlorum. Tertio modo sumitur paruulus propter defectum perfectæ quantitatis, velut sunt illi, qui nondum attigerunt 25. annum; quia secundum Philosophum vsque ad illam ætatẽ possunt homines crescere. Quarto modo sumitur paruulus propter defectũ discretionis, & est homo, qui nunquã vsus est libero arbitrio, vt sunt paruuli existentes in vtero Matris, & immediate nati, vsq; ad 6. annum, & etiam fatui, & perpetuo amentes: nam amentes perpetui inter infantes

Paruulus sumitur quatuor modis.

computantur, & in hac quarta significatione sumitur hic paruulus. Hoc notato clarius est titulus quæstionis, quæ pro clariori explicatione diuiditur in tres articulos.

Primus Art. Vtrum puer in vtero matris ex eo baptizari nequeat, quia non habet plene esse distinctum a causa sui morbi.

Secundus Ar. Vtrũ puer in vtero matris existens nequeat baptizari, quia aqua tingi non potest.

Tertius Art. Vtrum paruulus existens in vtero matris possit saluari in voto parentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum puer in vtero Matris existens ex eo baptizari nequeat, quia non habet plene esse distinctum a causa sui morbi.

Alexan. de Ales. D. Bonau. RAtio quare non potest puer in vtero materno baptizari, est diuina institutio, vt docent Alex. de Ales. & D. Bona. locis supra citatis, ratio autem diuinæ institutionis assignatur congruitatis non necessitatis: quia posset vtiq; aliter esse, si Deus vellet, & secundum diuersos plures & diuersa congruentiæ assignantur.

Vnde quidam dixerunt, quod ratio sumitur ex parte æquitatis diuini iudicij, quæ nec paruulum nec adultum iustificat sine aliquantula pœna, & ideo debuit circa paruulũ aliquid fieri pœnale ad hoc vt iustificaretur, & illud dicunt fuisse omni tempore. Sed ista ratio non videtur conueniẽs: quia non est generalis: nam tempore legis naturæ (vt dicit Greg.) iustificabantur in sola fide parentum. Præterea esto, ꝙ paruulus baptizaretur in aqua calida siue tepida, potius ei esset solatium, quam pœna: atq; ita hæc ratio non sufficit.

Damascen. Ideo fuerunt alij, qui dixerunt, quod ratio sumitur ex parte Sacramenti: quia enim in originali peccato, & est caro infecta, & anima deformata; ideo sacramentum baptismi duo habet, s. aquam, & spiritum, vt dicit Damas. & quodammodo est ibi purificatio, & regeneratio carnis, & spiritus, & ideo non tantum præsupponit natiuitatem in vtero, quæ est in infusione animæ, verum etiam natiuitatem ex vtero, quæ est in egressu. Et ista quidem ratio bona est, sed particularis, inquit, Alex. quia nõ valet ad remedium legis naturæ, quod non respiciebat paruuli carnem.

Fuerunt alij, qui sumpserunt rationem ex parte culpæ: quia enim culpa originalis contracta est ex carne infecta, & ex carne parentum secundum actionem generationis, totum tempus generationis, & cibationis ex illa carne infecta, vt puta in sanguine menstruo, est corpus deputatũ peccato non remedio. Atq; adeo necesse est paruulum a carne matris antea separare, & totam generationis actionem consummari, quã superueniat benedictio: quoniam illud totum est tempus maledictionis. Et illa quidem ratio bona est, nisi etiam repugnaret sanctificationi, quæ fit in vteris matrum, sicut patet de Hieremia, Ioanne Baptista, & alijs, qui in vtero matris sanctificati fuere, in qua sanctificatione datur gratia mundans a peccato originali.

Quarto dixerũt alij, quod ratio est ex parte gratiæ: quia enim gratiæ est dare esse ordinatum, & gratiæ regenerare; & esse ordinatum præsupponit esse distinctum, & renasci præsupponit nasci, ideo necesse est, quod ante baptismum paruulus nascatur, vt sit perfecte natus secundum carnem: sic autem distinctus non est ex vtero materno: quoniam quamdiu est in ventre coniungitur matri per vmbilicum, vnde recipit alimentum. Et hæc etiam ratio bona est (inquit Alex.) maxime quia consonat, & ortum habet a verbis sanctorum. Tamen adhuc per istam rationem posset ostendi, quod paruulus non potest, nec debet sanctificari in vtero, sicut nec baptizari.

Petr. de Tarant. Hunc quartum dicendi modum secutus est Petrus de Tarant. in 4. d. 6. & in proble. 2. q. 1. in solur. 2. arg. cuius sententiam refert Scot. in hac quæst. sub litt. c, §. dicitur, quod non &c. ratio eius est, quia non potest aliquis mundari a corruptione, quamdiu coniunctus est causæ talis corruptionis, sed puer in vtero matris est coniunctus causæ suæ corruptionis qua corruptio est originale peccatum, cuius immediata causa est mater, ergo nõ potest ibidem per baptismum mundari. Contra hunc modũ dicendi arguit Doc. Sub. tribus rationibus & prima deducit ad hoc incõueniẽs, quod paruulus numquam posset ab originali peccato mũdari.

Digitized by Google

dari. & ratio est talis. Puer existens in propria carne potest baptizari; ergo etiam existens in carne, vel vtero matris. probatur consequentia: quia caro pueri, est magis causa corruptionis, idest, peccati originalis, quam caro matris: nam in illo instanti, quo anima informat corpus, est puer in originali peccato, ergo caro pueri est causa immediatior originalis peccati, quam caro matris; igitur si puer potest baptizari existens in propria carne, poterit etiam baptizari existens in vtero matris, vel si in vtero matris baptizari non potest, quia coniunctus est causæ suæ corruptionis, sequitur quod paruulus existens in propria carne, quæ est immediatior suæ corruptionis causa, nunquam posset per baptismum mundari ab originali peccato, quod est contra fidem.

Secundo arguitur. Puer existens in vtero matris licet sit coniunctus localiter matri est tamen personaliter ab illa distinctus, quia habet aliud corpus, & aliam animam; sed distinctio personalis sufficit ad distinctionem secundum peccatum, vel gratiam: quia peccatum, & gratia insunt personæ: & non insunt illi, qui est in tali, vel tali loco; ergo propter distinctionem personalem solum, potest paruulus esse in gratia, licet mater sit in peccato, & e conuerso, ergo poterit etiam paruulus baptizari in vtero matris, & a peccato mundari, si ratio Petri esset sufficiens.

Baptismus est triplex. Est tertia ratio, pro cuius clariori intellectu obser. est primo, quod triplex est baptismus, scilicet fluminis, seu aquæ, flaminis, qui etiam cōtritionis baptismus appellatur, & sanguinis, de primo dicitur Ioan. 3. Venit Iesus in terram Iudeæ, & baptizabat; & iste proprie dicitur baptismus, qui est vnicus in essentia, & specie atoma, iuxta illud D. Pauli ad Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, quem locum de vnitate specifica interpretantur ibi Chrysosto. & serm. 11. & Hieron. qui ex eo loco arguit Valentinum, & alios hæreticos, qui duo vel plura baptismata posuerunt. *Chrysost. Hieron.*

De secundo dicitur Ioan 12. Baptismo habeo baptizari &c. & Marc. 10. Potestis bibere calicem, quem ego biturus sum, & baptismo, quo ego baptizor baptizari? & Lucæ 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur. De tertio autem legitur Act. 1. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

Primus ille fluminis communis est, atque est hoc ipsum sacramentum, de quo in præsentiarum agimus. Baptismus autem flaminis est, cum quis credens in Christum, & vellet baptizari, præuentus vero tempore moritur antequam baptismum consequatur aquæ; is sic baptizatur in spiritu; atque hoc illud est, quod B. August. ait lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap 22. hoc modo baptizatum esse latronē; & refertur de consecrat. dist. 4. c. Baptismi vicem, vbi ita legitur. Baptismi uicem aliquan to implere passionem de latrone illo, cui non baptizato dictum est. Hodie mecum eris in paradiso, non leue documentum, idem B. Cyprian. assumit. Quod etiam atque etiam considerans inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus. Corde creditur ad iustitiā, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratū est. Sed tunc impletur inuisibiliter cum mysteriū baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Hactenus D. Augustin. Inuisibiliter ergo perficitur baptismus, quando mysterium baptismi non excludit contemptus, sed tempus necessitatis; vt si forte Iudæus iam iam baptizandus moreretur in via, eius quidem anima baptizaretur in spiritu, & saluaretur, iuxta illud Saluatoris Ioan. 11. omnis qui venit, & credit in me, non morietur in æternum. *Aug. ast.*

Sed dices, D. August. illud de latrone retractat: imo sanè reuocauit ille tantum exemplum, sed non mutauit sententiam, alias enim vult latronem baptizatum esse, vt in lib. de origine animæ; alibi videtur velle ei tribuere baptismū sanguinis. Hoc ipso etiam flaminis baptismo baptizatus est Imperator Valentinianus, frater Imperatoris Gratiani, qui etiā ipse præmatura morte præuentus, antea mortuus est, quam baptizaretur, de cuius morte pulchrum habet homil. B. Ambros. lib. 5. epist. Is enim iam iam baptizaturus erat cum, & tunc erat in itinere, quando mortuus est Imperator. Inter *D. Ambr. l. 5.* alia verba sic dicit. Ventrem meum doleo, (vt prophetico vtar eloquio) quoniam quem in Euangelio eram generaturus amisi; sed ille non amisit gratiam, quam poposcit, atq; in hoc casu verum est illud D. August. supra relatum. Baptismus inuisibiliter administratur, cum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Obserua tamen quod licet baptismus hic flaminis sufficiens sit ad salutem, si quis habere nequeat baptismum fluminis; tamen si eum consequi posset debet illo ipso baptizari propter verba Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Nam etsi in eo non sanctificet baptismus, separat tamen fideles ab infidelibus, ideoque & Ioānes Baptista quantumuis sanctus dicebat ad Christum. Ego debeo a te baptizari, sed de hoc erit sermo diffusior inf. q. 6. huius dist.

Tertius baptismus sanguinis est, quādo aliquis pro Christi nomine, & fidei professione occiditur, is nimirum in sanguine suo baptizatur, sicut ait D. August. libr. 13. de Ciuit. c. 7. Quicunque etiam (inquit) non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Hoc baptismate baptizata est sancta Emerentiana iuxta sepulchrum sanctæ Agnetis, & sic mulier. Blasij, ita baptizati sunt paruuli innocentes ab Herode interfecti, nec dum circumcisi, & innumeri martyres qui in momento baptizati sunt in sanguine proprio, nondum perfecti in fide; atque adeo Glossa quædam dicit baptismus sanguinis solus est, qui nos mundiores, & purgatiores efficit, quā baptismus fluminis. Quod quidem verum est: quoniam quamuis infans baptizari non possit adhuc omnibus membris constitutis in vtero matris sacramentali baptismo fluminis, vt in sequenti artic. demonstrabimus, attamen si homo quispiam infidelis ob odium nominis Christi, (Quod nunc a Turcis in Pannonia, & per Germaniam non raro factum est) matrem grauidam vna cum fœtu occideret, paruulum illum esse baptizatum in vtero matris in sanguine suo pie credendum est, ita docet Scotus in hac quæst. sub litt. C. §. de secundo patet, licet oppositum doceat Alexā. de Ales, par. 4. q. 8. memb 9. artic. 5. § 1. vbi dicit baptismum aquæ extensiue excedere in effectu baptismum sanguinis: quia plurib. personis prodesse potest, scilicet paruulis, & adultis, cum tamē baptismus sanguinis solum prosit adultis, quem secuti sunt Armachanus lib. 8. de quæst. Armen. c. 27. & Adrian. in 4. q. vlt. de baptismo ad 3. qui licet non omnino rem definire audeant, tamen probabile esse censent, Innocentes martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos, & si fortasse aliquis ex eis non fuerant circumcisi, eos etiā non fuisse saluos, sed in peccato originali decessisse. Sotus etiam citat Bonauenturam in eadem sententiam, quod baptismus sanguinis non prosit paruulis, sed ille nihil de hac re aperte locutus est. *D. August. Scotus. Alex. de Ales. Armachan. Adrian. Sotus.*

Cæterum sententia Scoti est mihi certa, neque existimo posse sine temeritate negari, quam tradidit etiam D. Thom. 2, 2. quæst. 124. art. 1. ad primum, & quol. 6. art. 4. & Richar. hac dist. art. 2. quæst. 3. vbi hoc extendit ad illos infantes, qui in vteris maternis simul cum matribus interficiuntur. quē secuti sunt Gabriel, & cæteri Scholastici in 4. dist. 4. Caiet. 2. 2. loco citato, & Sot. dist. 3. art. 11. & ratio est ad hoc: quoniā causa propter quam tyrannus matrem interficit, est eadem propter quam necaret, & ipsum paruulum; nempe fides Christi; atque ita decet vt paruulus ille viuat, & saluetur. *D. Thom. Richardus. Gabriel. Caiet. Sotus.*

Secundo obser. est, quod D. August. ad Fortunatum pulchre comparat istos baptismos inter se dicens baptizatus cōfitetur fidem suam coram sacerdote; martyr coram persecutore; ille post confessionem aspergitur aqua, hic aspergitur sanguine; ille manus impositione Pontificis accipit Spiritū sanctum; hic templum efficitur Spiritus sancti: baptismum hunc habuit Abel ab origine mundi, & omnes qui in occisione gladij propter Deum, & iustitiam mortui sunt; atque hoc est quod ait Petrus 1. Epistol. c. 3. Si quid patimini propter iustitiam beati. *D August.*

Tertio obseru. est fuisse antiquorum Theologorum sententiam martyrium ex se siue ex opere operato nō dare gratiam, sed tantum ex opere operantis; nec dare vllum gradū gratiæ præter eum, qui respondet merito charitatis ipsius martyris, atque adeo secluso merito, seu dispositione charitatis, vis sua sine speciali priuilegio non sufficere ad supplendam vicem baptismi aquæ ita sentit Alex. de Ales, loco supra citato, vbi aperte negat posse martyrium dare adulto *Martyrium an ex opere operato conferat gratiam. Alexand. de Ales.*

primam

Digitized by Google

primam gratiam: qui sane consequenter loquitur, cum ibidem neget posse martyrium dare infantibus effectũ gratiæ; *D. Bonau.* eandem sententiã docet D. Bonau. in 4. dist. 4. 2. p. dist. art. 1. q. 2. vbi negat posse baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut remittere culpam mortalem, quamuis de paruulis nihil expresse loquatur; itanc sententiam *Paludanus* secuti sunt Paludan. dist. 4. q. 3. art. 1. *Canus.* Canus relectione de pœnitentia, p. 3. *Sotus.* Sotus, & Martinus *Ledesma.* Ledesmius in 4. dist. 3. q. vnica, art. 11.

Cæterum probabilior est ea sententia, quæ docet martyrium ex opere operato conferre primam gratiam, ita vt si quis ad martyrium accedat adhuc in peccatis existens, tamẽ sine affectu ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etiam ante baptismum aquæ, vel etiam sine aliqua actuali displicentia de peccato commisso, is virtute martyrij ex opere *Scotus.* operato iustificabitur, & saluabitur. ita docet expresse Scotus in 4. dist. 14. q. 1. sub litt. V. §. sed nec debet requiri necessario &c. quem sequuntur Ioan. Maior. Gabr. & alij in 4. distinct. 4. & Bellarm. lib. 1. de Bapt. 6. c. Sed de hoc erit sermo diffusior in 2. p. huius 4. dist. 14. q. 1. art.

D. Bonau. Quarto obseru. est, secundum D. Bonau. hac d. part. 2. art. 1. q. 3. ad 4. quod in martyrio deponitur vita carnis, & vita illa est in sanguine, vt dicitur Gen. 9. & ideo martyrium dicitur baptismus sanguinis: quia omne genus martyrij ibi habet finem; Nam ab alijs omnibus legimus sanctos interdũ liberatos præterquam a pœna gladij, vbi sanguis funditur. Ideo dicitur Hebr. 11. In occisione gladij mortui sunt. & hoc ideo, quia hoc genus martyrij est immediate a mala hominis voluntate, sed alia genera pœnarum sunt a creaturis operantibus naturaliter: & quia martyr Deo obtemperat, congruum est vt ei ad manifestationem diuinæ bonitatis obediant cætera per naturam operantia in testimonium suæ virtutis. Mala autem voluntas, quæ contra Deum nititur, & Domino resistere vult, iusto Dei iudicio sinitur male agere cum vult, & ideo nec est congruum vt martyri subijciatur, nec vt a malo prohibeatur. Vel ideo Deus cæteros martyres huic pœnæ subiacere disposuit, vt nullus euadat. Magis enim congruebat de hac, quam de alia; quia ab hac vnigenitum non eripuit, quid ergo mirum est si alios non eripit, ne forte seruus videatur maior Domino suo? sed prima ratio videtur melior inquit D. Bonauent.

His obseruatis patet tertia ratio Scoti, quæ est talis. Si nõ posset cum tali coniunctione ad matrem stare gratia in paruulo, sequeretur, quod puer non posset in vtero matris baptizari baptismo flaminis, vel sanguinis, consequens est falsum, ergo & antecedẽs, probatur minor. primo de baptismo flaminis. Quia Hieremias, & Ioannes Baptista sanctificati sunt in vtero matris baptismo flaminis, & Beatissima Virgo Maria, fuit sine originali concepta, & quod fuerit in vtero sanctificata, hoc firmiter tenet ecclesia; secundo probatur de baptismo sanguinis. Quia puer existens in vtero matris occisæ propter Christum, baptismo sanguinis, fit Deo gratus, & saluus: nam qui persequitur matrem grauidam eadẽ de causa persequitur paruulum in vtero eius, ergo si mater occiditur pro iustitia, similiter & paruulus. Et confirmatur: quia si paruulus occideretur extra vterum haberet baptismum sanguinis, si pro iustitia, vel fide occideretur etiam nõ baptizatus; ergo eodem modo rationabile est, quod Deus non contemnet eum pro simili causa in vtero matris passũ, atque adeo si paruulus in vtero matris existens potest baptismo sanguinis, vel flaminis, idest, Spiritus sancti gratia baptizari, non obstante quod sit coniunctus causæ suæ corruptionis, eadem ratione poterit baptismo fluminis per gratiam ab originali peccato mundari. ratio ergo quare paruu- *-nsos* lus in vtero matris existens baptizari non possit, ea non est, quæ a Petro de Tarantasia est assignata.

ARTICVLVS II.

Vtrum puer in vtero matris existens nequeat baptizari, quia aqua tingi non potest.

PRo explicatione huius difficultatis obser. est, quod puer potest esse in vtero matris altero ex duobus modis, primo modo secundum omnes partes corporis, ita vt nulla illarum appareat extra vterum matris. Secundo modo potest esse in vtero matris, secundum aliquas corporis partes, & secundum aliam partem, vel alias extra vterum. Hoc supposito respondetur ad quæst. per tres conclusiones.

Prima Conclusio. Si puer est in vtero matris secundum omnes partes corporis, ita vt nulla illarum appareat extra vterum, nullo modo baptizari potest. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litter. A. §. Si primo modo; & probatur primo ex D. Paul. 1. ad Corint. 15. Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale; ergo prius oportet nasci carnaliter, quam spiritualiter renasci. *1. Conclus.*

Probatur secundo ex D. Isidoro dicente. Qui natus secũdum Adam non est, renasci per baptismum non potest. Præterea baptismus est ablutio, sed puer sic in vtero matris existens ablui non potest, ergo nec baptizari, minor patet: quia ab aqua non potest tingi. *D. Isidor.*

Præterea sacramentale remedium respicit ecclesiæ operationem, & operatio ecclesiæ non se extendit ad paruulum nisi extra vterum. Ideo nullo tempore nec fide parentum, nec aliquo sacramento iustificatus est paruulus antequam natus, quantum est de lege communi; quia Deus decreuit saluare puerum per sacramentum, vel aliquid, quod sit in loco sacramenti.

Vnde notat Alex. de Ales 4. par. quæst. 8. membr. 7. art. 1. *Alex de Ales.* § 2. quod triplex status distinguitur in homine post animæ infusionem; primus est in vtero, secundus extra vterum in statu infantiæ, tertius in statu ætatis adultæ. In primo statu manifestus est Deo; In secundo manifestus est nobis; In tertio manifestus est sibi. In primo igitur statu cum soli Deo sit notus, potest per eius voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiæ. In secundo statu quo notus est Deo & ecclesiæ, remedium potest habere a Deo cooperante adiutorio alieno non suo. In tertio statu cum sit notus omnibus modis, Deo, sibi, & ecclesiæ, remedium potest habere, & sibi potest omnibus his modis adiuuari, vt non tantum Deus sua virtute faciat, sed adiuuet fides aliena quantũ ad sacramentum, & fides, & deuotio propria. Prima sanctificatio est per diuinam voluntatem, & pertinet ad singulare priuilegium; secunda vero est per legem datam, sicut pater in circumcisione, atque etiam in baptismate, cum dictum est. Nisi quis renatus fuerit &c. Ioan. 3. Tertia est per legem inditam, quam Deus indidit, vt ad Deum recurrat homo petere veniam pro offensa. Paruulus igitur dum est in vtero matris non est susceptibilis sacramenti baptismi, nec per se, quia nondum notus est militanti ecclesiæ, cuius mẽbra bona, vel mala sacramenta administrant, nec possunt circa eũ ministerium exercere: nec per matrem baptizari potest, cũ sit persona ab illa distincta, ablutio matris non potest ablutio filij reputari, vt bene notauit D. August. lib. 6. contra Iulianum, c. 1. & c. 7. & refertur in c. Si quid, de consecr. distinctio. 4. & ideo in Concilio Neocæsari. cap. 6. dicitur. Baptismum mulieris prægnantis non communicari, nec prodesse filio; oportet ergo vt prius aliquo modo egrediatur ex vtero. *D. Aug.* *C. at. M*

Ex hoc infert Scotus duo corollaria. Primum, si paruulus aliquo corio inuolueretur, vel inuolutus esset ex toto in secundina, poneretur que in aqua; si aqua illum non tangeret non esset talis puer baptizatus si tamẽ aqua corpus pueri tangeret, esset puer baptizatus. Secundum corollariũ est, quod si puer præcipitaretur de ponte in fluuium, vel projceretur in puteum, non erit baptismus: quia illa proiectio non est ablutio secundum communem modum loquendi, sed potius est præcipitatio, & interfectio pueri, sed de hoc dubio erit sermo inf. dist. 5. q. 3.

Secunda Cõclusio. Si extra vterum matris appareat pars aliqua pueri principalis, vt caput, vel facies, seu pectus, potest paruulus baptizari in illa parte, & verum recipiet baptismi sacramentum. hæc conclusio est Scoti, vbi supra, §. si secundo modo. Et probatur: quia ad integritatem baptismi sufficit, quod pars principalis corporis abluatur aqua; sed caput est pars corporis principalis, quia in illo vigent omnes sensus, ergo simpliciter talis puer erit baptizatus, si caput eius aqua abluatur, probatur maior: quia in die Pentecostes non est verosimile cum fuerint tunc baptizati tria millia hominum, quod quilibet illorum fuerit ablutus, quo ad totum corpus, sed tantum quoad caput vel faciem per aspersionem aquæ, vel infusionem. Ex quo infert Scotus, quod puer illo modo baptizatus in vtero, si postea omnino nascatur non est iterum baptizandus simpliciter, neque *2. Concl.*

sub con-

sub conditione, quia verum suscipit baptismum.

3 Conclusio Tertia Conclusio. Si appareat extra vterum aliqua pars minus principalis, vt manus, vel pes, debet puer baptizari in illa parte, si puer fuerit in articulo necessitatis. hæc conclusio est Scoti vbi supr. §. Si autem apparet. & probatur; quia in ipso egressu a ventre matris multoties moriuntur infantes, atque adeo si expectaretur vniuersalis egressio antequam baptizaretur, vel aqua tingeretur, frequenter paruuli morerentur sine baptismo. sed procuranda est salus animæ, quæ condita est ad imaginem Dei, quantum fieri potest, & maxime placet Deo zelus animarum; ergo non existente totali egressione si timetur de periculo mortis fundenda est aqua baptismalis cum inuocatione Trinitatis secundum formam ad hoc institutam, & baptizandus est puer.

Præterea anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: Non enim anima rationalis quæ est susceptibilis gratiæ est actus alicuius partis corporis determinata; sed est perfectio totius, & dicitur esse vbique tota in corpore suo, vt

D. August. dicit D. Augustin. in lib. de anima, & spiritu, sicut Deus, inquit, est totus in toto orbe sic anima vbique tota in toto corpore, ergo si vrgeat necessitas in qualibet parte corporis baptismus potest conferri, & talis puer si postea ex vtero mortuus extrahatur, vel nascatur sepeliendus erit in loco sacro, vel in terra benedicta, si tamen nascatur viuus, & superuixerit, sub conditione debet baptizari; quoniam non est adeo certum, quod ad integritatem baptismi sufficiat ablutio facta in parte corporis minus principali, vt docetur in cap. De quibus extra de baptismo, & eius effectu, atque adeo est pie credatur, quod summus sacerdos suppleat, quod impotentia impediret, existente anima rationali in toto illo corpore; tamen si nascatur postea, & viuat, non est dissonum a salute ipsius, nec fit iniuria sacramento, si postea a sacerdote illo modo, quo constitutum est baptizaretur, vt dicatur: Nō te rebaptizo si baptizatus es; sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te, &c. secundum quod ordinatum est a Papa Alexandro III. in supradicto c. de quibus.

Obseruatamen, quod cum dicitur debere hominē prius nasci ex vtero, vel omnino, vel ex parte, quam baptizetur, non oportet intelligi de propria natiuitate, quæ fit per vterum; quacunque enim fieri possit ratione vt abluatur, id satis erit ad valorem baptismi, etiam si propria natiuitas humana, & naturalis non præcedat: quia substantia sacramenti subsistit in ablutione sub debita forma verborum. Vnde si mortua sit mater habens infantem in vtero, & aperiatur, ac detegatur puer illa non est propria, & corporalis natiuitas. & tamen circa illum puerum perfici potest baptismus; nec solum potest, sed etiam debet, quando mater prius mortua est.

Sed dubium est de muliere parturiente, quæ est in articulo mortis; adeo quod totaliter iudicio medicorum desperatur de eius vita, vtrum debeat scindi, vt puer viuus extra-

Alex. hatur, & baptizetur. Respondet Alex. de Ales, vbi supr. § 4. quod non. Tum quia incertum est, si puer viuus posset haberi vt baptizetur; & certum est quod mulier prægnans occideretur; Tum quia non sunt facienda mala vt veniant bona, & quamdiu vita durat nemo est Dominus eius, vt possit illam violenter auferre propter salutem alterius. Tum

August. quia vt dicit D. August. tenendum est certum, & dimittendum incertum, at planum est, quod ibi esset peccatum homicidij, & in ordine charitatis præponenda est salus propria alienæ; ergo non est secanda mulier, dum adhuc superest vita, ex qua sectione fiat mors, vel mortis acceleratio; sed secus esset si posset fieri sectio sine mortis periculo.

Sed si mater alias esset morte digna, & iuste esset ad illam damnata; si fingatur casus, in quo eo tempore quo differtur supplicium credatur prius moriturus paruulus, quam ad partum, vel natiuitatem perueneri, an eo in casu posset ma-

udan. ter scindi propter infantis salutem? Paludan in 4. dist. 6. q. 1. dicit, quod regulariter differendum est supplicium matris vsque ad partum propter bonum prolis, vt habetur in l. prægnante. ff. de pœnis. Sed de casu proposito dubitat Paludan.

rez. quia, inquit, hoc non est iure expressum. Suarez vero tom. 3. quæst. 68. art. 11. in Commentario existimat quod tunc liceat anticipare supplicium, quantum fieri possit seruato iuris ordine, & iustitiæ, quia tunc nulla fit iniuria, & cedit in maximum spiritualle bonum prolis: nam illa dilatio quæ in fauore conceditur, non est propter matrem, sed in filij vtilitatem, si ergo non solum cesset hæc vtilitas, verum etiam credatur cadere in maximum detrimentum prolis, non est necessarium, nec legi consentaneum in tali casu differre supplicium.

Sed contra primam cōclusionem arguitur. Donum Dei perfectius est quam Adæ peccatum, vt patet ad Roman. 5. Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia; sed paruulus in vtero matris inficitur peccato Adæ, ergo potest perfici dono Dei, atque ita recipere baptismi sacramentum: consequentia patet, quia vt dicit D. Paulus, præstantius est donum Dei, quam peccatum, ergo si peccatum potest inficere puerum in vtero, a fortiori baptismus poterit eum mundare per gratiam.

Præterea paruulus existens in vtero potest liberari a seruitute corporali ergo & a seruitute spirituali peccati, igitur poterit existens in vtero baptizari; consequentia est nota, & antecedens probatur: quia partus sequitur ventrem, vt patet in l. partum C. de rei venditione, ergo si mater libertate donatur a domino, puer in vtero matris existens liber etiā erit a seruitute temporali, instituta de ingenuis, cum ancilla prægnans manumittitur, puer etiam cum matre manumittitur, eo quod partus est pars viscerum; ergo a simili si mater pueri baptizatur, cum per baptismum a seruitute peccati, liberetur seruus illius particeps liberationis efficitur.

Tertio arguitur ex D. Paulo ad Roman. 11. Si radix sancta & rami; sed mater, se habet ad filium, quem habet in vtero, sicut radix ad ramum, ergo si mater fiat sancta per baptismum, & filius erit sanctus, per ipsius matris baptismū, atque ita erit baptizatus.

Ad primum dico, quod Deus potest per suum donum iustificare puerum nondum natum. Sic sanctificauit Hieremiam, Ioannem Baptistam, & sanctissimam Virginē ab originali præseruauit; sed non per baptismi sacramentum, quia dum puer est in vtero matris non est huius sacramenti capax, vt de se patet. Et cum dicitur, quod potentius est donū Dei, &c. dico, quod donum Christi potentius est quantum ad sufficientiam, quam delictum Adæ, non tamen quoad efficaciam: non enim gratia transit in omnes sicut culpa; sed hoc est propter indispositionem suscipientium; paruuli autem in maternis vteris, vt iam ostensum est, non sunt dispositi, ad suscipiendum donum gratiæ per baptismi aquæ ministerium.

Ad secundum dico, quod non est simile de temporali, & spirituali seruitute; Nam quoad temporalem seruitutem filius dum est in vtero matris non est distinctus a matre; neque enim dominus dominium habet in puero, nisi quia habet in matre: Nam filius dum est in vtero matris non reputatur distinctus a matre secundum leges ciuiles, & ideo dicitur partus viscerum pars, non quia simpliciter sit pars, sed quia non potest peti per interdictum de liberis exhibēdis, & ideo quoad hoc dicitur pars viscerum in naturalibus, & non dicitur esse omnino pars, sed quodam modo, propter quandam colligationem fœtus cum matre, ratione cuius quicquid fit de matre fit etiam de filio. Quamuis si libera conceperit, & deinde ancilla facta pariat, puer nascitur liber, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in vtero est. Non est autem simile de seruitute, vel libertate spirituali, quæ respicit distinctionem personarum: paruulus autem in vtero existens, tam distinctus est personaliter a matre, quam cum est extra vterum; atque adeo nihil illi prodest matris baptismus, nisi sibi applicetur in propria persona: est enim baptisma personale beneficium, nec personam egreditur, secus est de manumissione.

Ad tertium. Concedo quod fructus inquantū est aliquid arboris sequitur conditionem arboris; prout tamen est in se aliquid, potest habere conditiones in se oppositas arbori, nā fructus potest esse mollis, & arbor dura; sic in proposito gratia & peccatum respicit personam in se non vt coniunctam, vel distinctam localiter respectu alterius personæ, & ideo gratia potest competere matri baptizatæ & non paruulo, qui est in vtero eius. Apostolus autem c. 11. reprehendit Romanos ab insultatione Iudæorum, dicebant enim Iudæos esse ramos excisos, & Gentiles insertos, propter hoc dicit Apostolus aliquos Iudæos bonos esse, & non excisos, sed naturales ramos, sic dicendo. Si radix sancta est, id est, Patriarchæ qui fuerunt quasi radices plebis Iudaicæ, & rami, scilicet sūt sanctificati de Apostolis, qui fuerunt Iudæi; atque adeo auctoritas D. Pauli non est ad propositum.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum paruulus existens in vtero matris possit saluari in voto parentum.

HAec quæstio mouetur propter Gersonem, & Caietanum, qui opinantur paruulos iam natos si facultas baptizandi non suppetat, posse nihilominus salutem consequi per votum, & fidem parentum; qui scilicet cum inuocatione Trinitatis, adhibito ipsis etiam signo crucis, eos offerant in illa necessitate Deo; ita scribit Caiet. 3.p. q.68. art.2. & in art.11. simile votum, & fidem parentum dicit fore satis his paruulis, qui in vteris maternis moriuntur, si videlicet cũ inuocatione saltem Trinitatis offerantur a parentibus Deo, ita vt quemadmodum adultus saluatur per votum baptismi, quando non habet copiam illius; ita etiam paruulus cuius nulla pars corporis est extra vterum, potest saluari per baptismum in voto parentum, hoc est, per fidem parentum facta oblatione prolis ad Deum cum inuocatione Trinitatis, quamuis hanc opinionem non defendat intrepide, sed eam sub correctione relinquat; quæ fuit etiam opinio Gersonis in sermone de B. Virgine, par.3 consideratione 2. in tomo 3. suorum operum; quatenus scribit debere parẽtes fundere, preces pro filijs infantibus si forte casu aliquo mortui sint ante baptismum, vt Christus in eis gratiam suppleat: quia non est omnino ablata spes, quamuis absque reuelatione, nulla possit esse certitudo.

Gerson.

Fundamenta Caietan.

Primum fundamentum Caiet. est: quia valde consonum est diuinæ misericordiæ, vt nullus sit status hominũ, in quo sibi sit impossibile saluari, sed esset impossibile saluari puerum, qui intra vterum matris moritur, nisi illis subuenire posset fides parentum ad modum explicatum, ergo dicendum est, quod saluantur in fide parentum.

Secundum fundamentum. Paruulo intra vterum existenti applicari potest baptismus sanguinis, ergo & baptismus flaminis, qui est votum baptismi, consequentia patet a paritate rationis; & antecedens probatur: quia si mater prægnãs pro Christo moritur, etiam paruulus qui in vtero existit inter martyres computatur, ergo &c.

Reijcitur sententia, Caietani.
Castro.
Suarez.

Verum quamuis hæc opinio præseferat speciem pietatis, omnino tamen reijcienda est. Imo Castro lib.3. contra hæreses, verbo Baptismus hæresi 9. sententiam Caietani vt hæreticam damnare videtur, vt refert Suarez tom.3. disputatio, 27. sect.3. & re vera est valde aliena a sensu, & dogmatibus ecclesia, ideo vt minimum est temeraria, & errori proxima, & ob eam caussam Pius V. hanc Caietani sententiam in editione illa Romana operum D. Thomæ, iussit prætermitti, sed extat tamen in prioribus editionibus, atque adeo a nobis impugnanda est. Et primum, & præcipuum fundamentum contra Caiet. sunt verba Christi Domini Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. quæ non licet vnicuiq, proprio sensu, & arbitrio interpretari, sed iuxta proprietatem verborum, & iuxta ecclesiæ sensum, & sanctorum patrum, quorum nullus addidit exceptionem illam, quam Caietanus contra verborum vim adiunxit, faciens ex propositione absoluta conditionatam: Nam Christus absolute dixit. Nisi quis renatus fuerit &c. ipse vero addidit conditionẽ si fuerit possibile absque vllo testimonio, vel authoritate. Nec maius pondus authoritatis habet alia interpretatio de baptismo in voto respectu paruulorum, nullus enim sanctorũ agnouit votum baptismi nisi in adultis. Est ergo lex lata a Christo simpliciter, & absolute intelligenda, vt verba sonãt: atqui per eam plane excluduntur a regno cœlorum omnes paruuli, qui sine baptismo moriuntur, ergo &c

D. August.

Vnde D. August. lib. de natura, & gratia, c.8. tractans de paruulo in eo loco nato, & mortuo vbi baptizari non potuit sic, inquit. Absoluat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini regnum cœlorum. Sed non absoluit eum Apostolus dicens. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & similem doctrinam habet in lib. de bono perseuerantiæ, cap.12. Nec refert quod directe scribit contra Pelagium: Nam licet directo modo, & ratione; tamen in hoc conuenit sententia Caietani cũ sententia Pelagij, quod absoluit huiusmodi infantem, eique regnum cœlorum aperit; & hoc est quod simpliciter damnat August. docens esse verbis Christi contrarium.

Caietanus conuenit cũ Pelagio.

Vnde lib.1. de anima, & eius origine, cap.9. & libr.2. c.11. & 12. refert sententiam cuiusdam Vincentij Victoris, qui cum non negaret peccatum originale in paruulis (in quo a Pelagio differebat) nihilominus his paruulis, qui morte præueniuntur priusquam baptizentur in Christo ausus fuit eis promittere non solum paradisum, verum etiam regnum cęlorum, & ideo aiebat, pro eis orationes assiduas, & sacrificia sanctorum sacerdotum iugiter esse offerenda; & subdit August. illum hæreticum plus fuisse ausum, quam Pelagium. Nam hic non est ausus promittere paruulis non baptizatis regnum cęlorum; sed nescio quam aliam æternam vitã, seu fœlicitatis locum. Vincentius autem etiam regnum cœlorũ eis concedere ausus est, contra regularem legem Christi ait August. concludens, nunquid in hac causa erroris audaciã, temeritatem, præsumptionem habere quisquam posset ampliorem? & ideo lib.3. c.9. ita definit. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes morte præuentos antequam baptizentur peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. In quibus verbis iam non cõtra Pelagium; sed contra Caietanum scribere videtur. Non enim dicit. Noli docere infantes carere originali peccato; sed noli docere stante lege Christi posse illis remitti sine baptismo.

Idem repetit in lib. de fide ad Petrum, cap.27. & refertur de consecrat. dist.4. cap. Firmissime, §.2. firmissime tene, & nullatenus dubites non solum homines iam ratione vtẽtes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti de hoc sæculo transeunt sempiterno igne puniendos; quia etsi propriæ actionis peccatũ nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt. Hoc etiam aperte confirmat D. Ambros. libr.2. de Abraham. c.vii. Vbi tractãs verba Christi. Nisi quis renatus &c. Vtique, inquit, nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate: Nemo ascendit in cęlum nisi per sacramentum baptismi, & quia omnis ætas peccato est obnoxia, ideo omnis ætas est huic sacramento idonea. Sic etiam Isidor. libro 2. de diuinis officijs, c.24. de baptismo. Paruulis, inquit, baptismus proficit, vt a peccato originali abluantur, quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt, qui si priusquam ex aqua, & Spiritu sancto regenerentur transierint, procul dubio a Saluatore nostro Christo alienati sunt, testante Domino. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Atque in eandem sententiam subscribit B. Gregor. libr.7. epist.53. versus finẽ. Vbi respõdet huic quæstioni sibi propositæ de paruulis morte præuentis ante baptismum susceptum, dicitque esse rem certam eos non ingredi regnum cęlorum ex lege a Christo lata; atque idem tradit Innocentius III. in cap. Maiores, de baptismo, & Concilium Constantiense sessio.15. absolute damnat erroris, dicere paruulos posse sine baptismo saluari, & Concil. Trident. sessio.5. can.3. definit peccatum originale non posse paruulis remitti per aliud remediũ præterquam per meritum Christi applicatum per baptismi sacramentum rite collatum, & cap.4. dicit; Necessarium esse hoc peccatum regenerationis lauacro expiari, & sessio.6 cap.4. clarius docet post Euangelium promulgatum neminem iustificari posse sine lauacro regenerationis, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit. & sessio.7. can.5. absolute definit baptismum esse ad salutem necessarium.

D. Ambros.
D. Isidor.
D. Gregor.
Innocent.
Conc. Const.
Conc. Trid.

Hoc idem ratione probatur; quia aut illa fides prodesset paruulis per modum sacramẽti, aut per modum meriti, sed vtrumque est falsissimum, ergo &c. probatur minor: non per modum sacramenti, quia in lege Euãgelica nullum est sacramentum contra originale peccatum, præter baptismũ; nec per modum meriti: quia iustificationem alterius nullus potest mereri de condigno, nisi solus Christus.

Præterea. Cum Deus velit nullum hominem perire; si hoc remedium esset vtile, nam est dubium, cum illud manifestasset Ecclesiæ, ne tot animæ damnarentur, ergo cum Deus hoc remedium non reuelauerit, signum est nihil prodesse.

Postremo, sanctificatio in vtero non fit nisi ex specialissimo Dei priuilegio, vt de Hieremia, & Ioanne Baptista tenet Ecclesia, sed si hoc remedium prodesset paruulis in vtero, iam sanctificatio non esset speciale Dei priuilegium, ergo nihil prodest.

Ad primum fundamentum Caiet. dico ad minorẽ, quod

non est

Digitized by Google

non est illis paruulis impossibilis salus propter defectũ misericordiæ diuinæ: nam iam Deus instituit remedium generale sacramenti baptismi, ad quod si peruenirent saluarentur. Si tamen sine baptismo moriantur, non est Deo imputandum: quia illos non occidit, imo vellet illos saluari. Agentia autem naturalia sunt causa mortis talium paruulorum & licet Deus concurrat cum agentibus, propterea non est Deo imputanda mors paruuli, nam secundum legem ordinatam tenetur concurrere cum agentibus naturalibus, secundum illorum exigentiam.

Ad secundum nego antecedens, & ad probationem dico verum esse, quod paruulus saluaretur, non tamen propter mortem matris, sed propter mortẽ ipsius paruuli, qua mediante esset baptizatus in suo sanguine.

QVAESTIO IV.

Vtrum adultus non consentiens possit recipere effectum baptismi.

Adultus a quo dicatur. Brulifer. ADultus (vt scribit Brulifer) ille homo est secundum Iurisconsultos, qui compleuit 25. annos: omnia vsque ibi crescit, & tunc adultus dicitur, at secundum Theologos adultus est viator rationis vsum habens, per quem discernere potest inter bonum, & malum; dicitur habens vsum rationis ad differentiam fatuorum, & ratione carentium, cognoscens ergo peccatum quod commisit, & habens ætatem ad cognoscendum iustum, vel iniustum contra legem Dei, adultus dici debet.

Adulti sunt in triplici statu. Secundo obseru. est, quod adulti possunt considerari in triplici statu. In primo sunt illi qui nunquam habuerunt, neque habent vsum rationis. In secundo vero sunt illi qui aliquando habuerunt rationis vsum, sed postea illum non habent. In tertio autẽ sunt illi, qui actu habent vsum rationis.

Tertio obseru. est, quod inter eos quibus baptismus conferri potest, quidam sunt adulti, qui ratione vti possunt, alij infantes. Suppono enim solos homines viatores esse capaces baptismi; quoniam ergo de infantibus iam disputatum est, incipit modo Scotus de adultis tractare. Et supponit omnes qui baptizati non sunt absolute loquendo esse capaces baptismi, quantum est ex parte ipsarum personarum: Nam de omnibus generatim dixit Christus. Prędicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Marc. vltim. Sicut enim omnes homines, sunt capaces euangelicæ prædicationis ac fidei, ita etiam baptismi, & ideo Matt. vlt. generatim etiam dictum est. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos: sicut enim omnes ex Adamo generati sunt; ita & in Christo regenerari possunt, quæ regeneratio in lege noua non nisi per baptismum fit, iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Hac ergo capacitate supposita, quærit Doc. sub. quid præter eam (quam personam seu remotam appellare possumus) requiratur ex parte baptizati, vt baptismus adulto collatus verum sit sacramentum, & quid etiam necessarium sit, vt digne suscipiatur, & conferatur, & hoc in præsenti ac duabus sequentibus quæstionibus, quæ correspondent secundo membro diuisionis, a Magistro assignatæ: nimirum de recipiente sacramentum, & non rem sacramenti. Præsens autem quæstio diuiditur in quinque articulos.

Primus Artic. Vtrum in adulto, qui baptizatur, requiratur intentio recipiendi baptismum.

Secundus Artic. Vtrũ ex parte baptizati requiratur actualis intentio recipiendi baptismum.

Tertius Art. Vtrum fatui, & amentes si baptizentur vere sacramentum recipiant.

Quartus Art. Vtrum adultus non consentiens contrarie baptismi sacramentum recipiat.

Quintus Artic. Vtrum adultus non consentiens negatiue sacramentum baptismi recipiat.

ARTICVLVS I.

Vtrum in adulto, qui baptizatur, requiratur intentio recipiendi baptismum.

DE hac re sunt duæ sententiæ extremæ: Nam quidam dixerunt satis esse quod non dissentiat, quamuis non consentiat, sed neutro modo se habent, ita quod in suscipiente sacramentum iuxta hanc sententiam, non requiritur interior consensus, seu intentio suscipiendi sacramentum, sed satis est, quod non habeat contrariam voluntatem, vt si Gentilis, seu infidelis adultus, qui nihil vnquam de baptismo cogitauit, vt illum aut velle, aut nolle potuerit dormiens baptizetur, sacramentum erit validum. Imo addunt quidam si adultus ita dissentiat, quod voluntate sua repugnet, si tamen exterius ei applicetur materia, & forma baptismi: verũ fieri sacramentum.

Caietan. Hanc sententiam quoad primam partem defendit. Caietan. 3. par. q. 68. art. 7. qui motus videtur primo ex verbis Innocentij I. I. in cap. Maiores de baptismo, vbi sic, inquit, tũc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit obsistentem; sed in homine neutro, qui non habet consensum, nec dissensum non est contraria obsistens volũtas, ergo in tali homine imprimitur character baptismi; secundo quoniam ea quę sũt de necessitate baptismi sunt omnibus communia, sed in paruulis non est necessarius consensus, ergo nec in adultis; probat minor, quia non habent vsum rationis, nec possunt habere consensum; tertio, quia Concil. Florent. tribus tantũ *Conc. Flor.* dixit perfici sacramenta, materia, forma, & ministro habente debitam intentionem; si autem intentio suscipientis esset necessaria debuisset quatuor numerare. quarto quia ad hoc quod aliquis adoptetur in filium non est necessarius cõsensus illius, qui adoptatur, ergo neque ad hoc quod baptizetur. sequela probatur: quia per baptismum adoptãtur homines in filios Dei; antecedens probatur, etiamsi ille qui adoptatur ignoret adoptionem vere manet adoptatus per solam adoptantis voluntatem.

Quo autem ad secundam partem defendit hanc sententiam Glossa in cap. Solet, verbo Implorandum de consecr. *Glossa.* dist. 4. vbi sentit contrariam voluntatem recipientis non obstare veritati sacramenti, vbi ita scribit. Hæc quæstio videtur alibi determinata, vt 1. quæst. 1. § ecce nam etiam mutus, qui baptizatur, vt 45. d. de Iudæis. Ad hoc dico, quod si baptizans intendit baptizare, qualemcunque intentionem baptizatus habeat recipit sacramentum, &c. & in eadẽ sententia fuit Glossa in cap. Maiores de baptismo, verbo Perdurare, vbi ait, quod si quis ore consentiat, quamuis toto corde dissentiat, & nolit sacramentum, nihilominus sacramentum recipiet: quia Ecclesia illud dare intendit, & ita interpretatur capitulum, Sicut fictus 1. quæst. 1. & cap. Solet de consecr. distinct. 4.

Secunda sententia in altero extremo est, ad valorem baptismi non solum requiri consensum hominis baptizati; sed etiam oportere illum esse omnino spontaneum, nulla vi, aut necessitate extortum; atque ita nec simpliciter, nec secundum quid inuoluntarium. Ita videntur sensisse quidam, quos Cy- *Cyprianus.* prianus epist. 66. post medium, alias lib. 4. epist. 12. refert dixisse eos, qui toto tempore vitæ baptizari noluerit, si in mortis articulo ipsis etiam petentibus baptizentur, baptismum esse inualidum: quia iam non tam voluntate, quam necessitate baptizari videntur. Hi autem hæretici multo maiori ratione asseruissent, si quis baptizetur ob timorem violentæ mortis, vel exilij, aut alterius similis pœnæ, non manere baptizatum, etiam si interius baptizari velit: quia ille baptismus non est plene voluntarius.

Sententiam Glossæ Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 7 *Sotus.* dicit esse temerariam, quod non diffiteor, si vt sonat intelligatur, dixi si intelligatur prout sonat: quia in alia Glossa marginali ita exponitur, vt non sit sensus tale sacramentum verum esse, sed solum in foro ecclesiæ solum præsumi, quando suscipiens exterius protestetur velle se suscipere sacramẽtum; Quod quidem in se verum est, vt notauit etiam Sco- *Scotus.* tus in hac quæstio. sub litter. D §. Nec oportet hic; quia licet postea neget se interius consensisse, non est ei adhibenda fides.

Cæterum si Glossæ illæ hunc sensum intendebant, nec verbis suis satis explicarunt, nec veram differentiam assignarunt inter dantem, & recipientem sacramenta: Nam in illo dicunt requiri intentionem dandi; in hoc autem negant requiri intentionem recipiendi. Vnde si loquantur in re ipsa, hoc posterius falsũ est, vt videbimus, si vero in foro ecclesię, nulla est differentia: Nam etiam sacramentum datum a ministro, qui exterius protestatus est velle se dare sacramentum, ratum habetur in foro ecclesiæ, etiam si ille postea neget

se ha-

Google

se habuisse intentionem dandi, vt in matrimonio constat, & eadem ratio est de alijs; quod intelligendum est, quando ex signis, & coniecturis exterioribus non potest satis probari humano modo, & morali defectus interioris intentionis.

Sententiam vero Caiet. Sotus dicit esse falsam, & secunda nedum est falsa, & erronea, sed etiam hæretica, vt videbimus art. 4. vbi secunda opinio impugnabitur. Vnde contra

Conclusio. sententiam Glossæ, & Caiet. sit hæc conclusio. In adultis vt baptismus sit validus necessarius est voluntatis cõsensus, & intentio suscipiendi baptismum, ita quod si homo qui nec habet assensum, nec dissensum baptizaretur, baptismus esset nullus. hæc conclusio est communis sententia omnium

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richardus. Scotus. Durandus. Conc. Cart. Conc. Arau. Theologorum, Alex. de Ales, 4. p. q. 8. memb. 7. art. 2. §. 1. D. Thom. 3. p. q. 68. art. 7. D. Bonauent. in 4. dist. 4. art. 2. q. 1. Richard. dist. 6. art. 2. q. 3. Durand. dist. 4. q. 7. & fere omnium Scholasticorum. & probatur primo ex Concilio Carthag. 3. cap. 34. vbi sic dicitur. Aegrotantes si pro se respondere nõ possint, cum voluntatis eorum testimonio hi, qui sui sunt dixerint, baptizentur. Et in Concil. Arauf. 1. capit. 12. Similiter dicitur. Obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet. In quibus Concilijs aperte supponitur voluntatem adulti esse necessariam, vt sacramentum recipere possit.

Innocent. Idem clarius docet Innocen. 3. in cap. Maiores. §. Item quæritur de baptis. vbi inquit. Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti. & paulo post inde probat, eum qui contradicit susceptioni sacramenti, etiam si inuitus baptizetur, non recipere sacramentum: quia plus est (inquit) expresse contradicere, quam minime consentire. Quod ergo in fine totius capitis concludit. Tunc sacramentum esse validum, cũ obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem, iuxta præcedentia intelligendum est, nam per voluntatem contrariam intelligit non solum positiuum dissensum; sed etiã carentiam consensus. Quia enim quæstio proposita fuerat de illo, qui inuitus baptizatur, ideo de hoc express. respondet, iam vero declarauerat solam carentiam consensus obsistere sacramento, eo vel maxime, quod moraliter loquendo carere consensu, & habere obicem dissentientis voluntatis pro eodem accipitur. Nam adultus qui non consentit, resistere censetur, & inuitus pati.

Secundo probatur ex capit. Cum pro paruulis, de consecrat. dist. 4. vbi dicitur. At si pro eo qui potest respondere alius respondeat, non itidem valet, ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter mouet, ætatem habet ipse pro se loquatur. Ioan. 9. & sũt

D. August. verba D. August. lib. 4. de baptism. cap. 24. vbi ait. Ideo sufficere vt pro paruulis alij respondeant: quia ipsi respondere non possunt; sed si non esset illius, qui baptizatur consensus necessarius sufficeret, quod alius responderet pro ipso, ergo &c. Verba Canonis sunt hæc. Cum pro paruulis alij respondent, vt impleatur circa eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem: quia ipsi respondere non possunt, at si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet, &c. & notat quod ibi Glossa destruit textum, nam illud itidem exponit pro tantum, ita vt sit sensus, non tantum valet, & hoc quo ad præsumptionẽ, quod explicans marginalis quædam Glossa, inquit, subaudi, quia non præsumitur tantum valere, quoad remissionẽ peccatorum. Sed hæc Glossa destruit textum expresse. Nam D. August. rationem differentiæ assignat inter paruulos, & adultos, dicens: ad hoc quod sacramentum sit validum non easdẽ conditiones requirere debet in omni subiecto, sed iuxta vniuscuiusque capacitatem, quia ergo paruulus non est capax propriæ voluntatis, voluntas Christi seu ecclesiæ ei sufficit, secus vero esse debitũ in adulto, qui capax est propriæ voluntatis, & eãdem Doctrinam habet idemmet Au-

D. August. gust. lib. 7. de bapt. c. 53.

Tertio probatur ratione: Si ille qui baptizatur nec consentiens, nec dissentiens verum reciperet sacramentum, sequeretur, quod contra voluntatem suam esset compellendus seruare fidem Christianam; hoc autem est absurdissimum, & contra verba Christi. Iugum meum suaue est, & onus meum leue, ergo & illud ex quo sequitur.

Nec decreta, quæ pro se Glossa adducit, quidquam iuuant. Nam in priori, ex cap. de Iudæis, dist. 45. nõ est sermo de suscipiente sacramentũ sine vllo interiori cõsensu, sed de illo, qui per vim adducitur vt consentiat. In cap. autẽ. Sicut fecti. 1. q. 1. vbi dicitur sacramentum cum fictione esse validum, non est sermo de ficta voluntate recipiendi sacramentum, sed de obice, seu fictione contraria effectui sacramẽti, quo sensu dicere solemus sacramentum incipere habere effectum recedente fictione, de qua fictione erit sermo in sequenti quæst. In posteriori vero capite, nempe in cap. Solet de consecr. dist. 4. quod ex D. August. sumptum est libr. 7. de bapt. c. 53. Potius aperte dicitur ad veritatem sacramenti requiri, vt absque simulatione recipiatur; est autem proprie simulatio, quando aliquis ore aliquid profitetur, & contrarium habet in corde.

Ad fundamenta Caiet. Ad primum respondeo, quod intellectus illorum verborum pendet ex præcedentibus, vbi iam dixerat Papa, esse necessarium consensum illius, qui baptizatur, & hoc idem vult dicere in illis verbis, quæ a Caiet. citantur. Non enim verba Pontificis, vt sonant, accipienda sunt, sed iuxta quemdam modum loquendi moralẽ, & vsitatum, vt. s. non habere obicem contrariæ voluntatis, ibi sit consentire, vel consensisse in baptismum; & quod ita intelligi debeant verba Pontificis apparet ex casu speciali, quẽ ibi Pontifex determinat. Quæstio, n. erat an amentes possint baptizari sine consensu. Respondet Pontifex non posse, si antea non consenserunt in baptismo; posse autem si consenserint, & huius rationem subiungit. Quoniam tunc, inquit, characterem imprimit sacramentalis operatio, quando nõ inuenit obicem contrariæ voluntatis, quasi diceret, quando quis consentit, vel ante consensit, sicut fieri potest in illo casu. Quare recte retorqueri potest hic Canon contra Caiet. Si enim ad suscipiendum baptismum satis est omnino vt voluntas non resistat, non requisiuisset Pontifex in amentibus consensum saltem antecedentem.

Ad secundum dico. In baptismo aliqua requiri tanquam necessaria, & essentialia ipsius sacramenti, & hoc in omnibus baptizandis, aliqua vero requiruntur tantum, vt dispositiua suscipientis baptismum, quæ non sunt omnibus similiter necessaria; Velut in adulto ratione vtente est necessarius aliquis consensus, velut dispositio subiecti, qui in paruulo, vel in carente ratione non exigitur proprius cum illum nequeant præstare, sed sufficit eis consensus ecclesiæ, vel etiã ipsius Christi Domini.

Ad tertium dico, Concil. Florent. non numerare suscipiẽtem, & intentionem eius: quia hæc non in omnibus sacramentis, nec semper sunt necessaria. Ad conficiendum enim sacramentum Eucharistiæ, non requiritur suscipiens ex vi sacramenti, & in paruulis non est necessaria propria, & formalis intentio. Præterquam quod in sacramentis, quæ consistunt in vsu suscipiẽs quodammodo includitur in materia, quatenus hæc consistit in passione aliqua, quę circa suscipiẽtem exercetur; huiusmodi autem susceptio, est quædã professio, & inchoatio nouæ vitæ, & Religionis, & quidem propria hominis, vt homo est, atque adeo debet esse voluntaria eo certe modo, quo esse debet, & potest, considerata tũ personę suscipientis baptismum conditione, tum etiam ipsa res, & natura baptismi, vt. s. si quis fuerit adultus, velit hanc professionem Christianæ religionis facere propria sua voluntate; si autem paruulus, qui voluntatis propriæ vsu caret, velit hoc voluntate interpretatiua, idest, aliena, eorum ad quos negotium baptismi, & spiritualis salutis, quæ in ipso datur propriè spectat, qui sunt Christus, & ecclesia.

Ad quartum nego consequentiam: quia est dispar ratio baptizati, & adoptati: Nam ex eo quod quis adoptatur in filium naturalem sine consensu, nullum sequitur inconueniens sibi, nec alijs; Si enim postquam resciuit se esse adoptatum displicuerit sibi adoptio, poterit illã renunciare, ex hoc autẽ quod aliquis baptizaretur sine consensu, possunt sequi maxima inconuenientia: Nam in primis ipse baptizatus velit nolit compellendus est ad obseruantiam Christianæ legis, ex quo etiam sequeretur maxima iniuria fidei; blasphemaretur enim fides ab homine, qui contra suam voluntatẽ ad illius compellitur obseruantiam.

ARTICVLVS II.

Vtrum ex parte baptizati requiratur actualis intentio recipiendi baptismum.

PRo explicatione tituli obser. est, triplicem esse intentionem, nimirum habitualem, virtualem, & actualẽ; actualis in- *Intentio triplex.*

Digitized by Google

lis intentio dicitur, quando baptizandus actu habeat talem intentionem recipiendi baptismum, quæ quidem actualis intentio non requirit, vt quidam scrupolosi faciunt, vt dicamus ore, aut corde illa verba formalia, intendo hoc facere, aut volo hoc facere; sed tantum requirit vt homo sit præsens animo, & attente faciat, quod facit, & hanc intentionē *Caietanus* Caietanus appellat in actu exercito. Virtualis dicitur cum actualis intentio in præsenti non adest ob aliquam euagationem mentis, tamen paulo ante adfuit, & in virtute illius fit operatio. Habitualis dicitur inclinatio quædam seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, vt si quis toties voluisset baptizari, vt habitum genuisset. Vnde in proposito ille habet intentionem actualem, qui actu considerās de Baptismo vult baptizari; ille vero virtualem, qui dum baptizatur distractus est à consideratione baptismi, præcessit tamē in eo actualis intentio, quæ mouit ipsum ad suscipiendū baptismum, cuiusmodi est ille, qui venit ad Ecclesiam vt baptizetur, & dum actu baptizatur distrahitur a consideratione baptismi. Ille autem intentionem habet habitualem, qui aliquando voluit baptizari, non tamen est motus ex illa voluntate ad recipiēdum baptismum, quinimo cessauit illa volitio, nec habuit postea nolitionem contrariam, ille si baptizaretur sine noua voluntate, v.g. si baptizetur dormiens, diceretur habere intentionem habitualem, quia vult baptismū velut in habitu.

1. Conclusio Hoc obseruato sit prima Conclusio. Non est necessaria ex parte baptizati intentio actualis. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub lit. F. §. Si quis autem, & est communis cōsensus omnium Theologorum probatur, quia noluit Deus hominem ligare ad impossibile vel secundum statum huius vitæ ad nimis difficile, at quinō distrahi nimis videtur difficile homini pro statu isto: quia secundum D. Aug. 3. de libe- *D. August.* ro arbitrio, nō est in potestate nostra, quin visis tangamur ergo noluit Deus salutem hominis ponere in ista conditione, si non distrahatur, atq; adeo noluit Deus baptizandum ligare, quod in suscipiendo baptismum non distrahatur, & per consequens quod actualiter intendat.

Interdum tamen in suscipiente actualis intentio requiritur per accidens, scilicet ad remouendum prohibens. vnde si in accedente ad baptismum est actu, vel habitu intentio non recipiendi baptismum: quia vt dictum est in superiori art. huiusmodi intentio sacramēti susceptionem prohibet, necessariū est intentionē illā expelli per contrariam intentionem in actu volendi recipere baptismum ad hoc vt sacramentū recipiat. Similiter si prius numquā actualiter consensisset, necesse foret, vt tunc actualiter cōsentiret, quia sine consensu actuali præsenti vel præterito in habente vsum rationis non suscipitur sacramentum. Item interrogatus tenetur pro se respō- *Magister.* dere vt vult Magister cap. vlt. huius dist. Si adultus est de- *D. August.* bet respondere pro se ipso, vt etiam docet D. Augu. vt diximus supra ergo tunc tenetur habere actualem consensum baptismum recipiendi; quoniam tunc obijcitur sibi baptismus, & tunc vel consentit, vel dissentit, secundum impedit, ergo primum requiritur.

Secunda Conclusio. Alex. de Ales. S. Thom. D. Bona & *2. Conclusio* Durandus non explicant an sufficiat habitualis intentio vel non, at Sotus in responsione vltimi argumenti, d. 5. q. vnicæ *Sotus.* art. 7. dicit, quod non sufficit intentio habitualis ex parte baptizati, vt dictum est (inquit) d. 1 q. 5. art. 8. vbi tamen nihil dicit de intentione baptizandi, sed de intentione baptizantis. verum quicquid ipse dicat.

Sit tertia Conclusio. Intentio habitualis sufficit ex parte *3. Conclusio* baptizati ad baptismum suscipiendum. hæc cōclusio est Sco- *Scotus.* ti vbi supra sub litt. G. §. & si quæras, & Richardi d. 6. art. 2. *Richard.* q. 3. & probatur ex c. Ægrotantes de consecr. d. 4. Cuius sūt verba: Ægrotantes qui pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur. quæ verba desumpta sunt ex Concilio Carth. 3. c. 34. quorum ver- *Conc. Cart.* borum sensus est. si constiterit eos habuisse intētionem seu volitionem baptismi, baptizentur, quæ verba referuntur ēt in Concilio Africano in hunc modum. Cum voluntatis eo- *Conc. Afri.* rum testimonium hi, qui suis periculo proprio afficere dixerunt, & eodem modo legitur in Carthaginensi recentioris editionis. ergo sufficit intentio habitualis ex parte baptizati. probatur cōsequentia: quia hic dr̄ sufficere habuisse intentione Baptismi, & non explicatur, quod debuerit esse intentio virtualis, ergo sufficit intentio quæcumq; s. habitualis.

Probatur secundo ex mente omnium Doctorum. Nam omnes dicunt, quod si amēs antequā inciderit in amentiam volebat baptizari verum recipit sacramentum baptismi, vt etiam definiuit Inno. 3. in c. Maiores. §. item quæritur. de baptismo. sed ille non habet intentionem virtualem; sed tantum habitualem, ergo secundū Innocentiū III. & secūdum omnes Doctores sufficit intentio habitualis ex parte baptizandi. Minor probatur, quia ille habet intentionem virtua- *Sotus.* lem, etiam secundum Sotū. d. 1. q. 5. art. 8. q. ex volitione præcedenti mouetur ad recipiendum baptismum. Nam virtualis intentio (inquit) est, quando præcessit intentio actualis, quæ mouit potentias ad agendum, qui quidem motus cessante priore intentione semper durat, nisi per contrarium actum interrumpatur. Sed iste non mouetur ad recipiendū baptismum ex volitione præcedenti, vt supponimus, ergo non habet intentionem virtualem, sed tantum habitualem. Præterea habens consensum habitualem licet vtens ratione recipit sacramentum: quia non videtur propter aliquam conditionem minus capax, si vtatur ratione, quam si prius vsus est ratione, nunc vero non vtatur, sed in tali non vtente ratione, prius tamen vsus ratione sufficit habitualis consensus, patet ex cap. Maiores, vbi Pontifex respondens ad quæstionem, qua quærebatur an dormientibus, & amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur vt excitati à somno, vel ab ægritudine liberati non sint denuo baptizandi; partem affirmatiuam asserit cum moderamine quod sequitur. Dormiētes autem, & amentes si priusquam amentiam incurrerent, vel dormirent in cōtradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare & si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi: Vnde tales in articulo necessitatis consueuit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. ergo, & in vtente ratione sufficiet etiam habitualis cōsensus.

Contra, habitualis intentio non sufficit in baptizante, ergo nec in baptizando, antecedens supponitur & consequentia probatur quia sicut baptizare est actus humanus, ita & baptizari, ergo si intentio habitualis non sufficit in baptizāte ex eo quod baptizare est actus humanus, etiam non sufficit in baptizando. Ad hoc nego consequentiam. & ad pro- *Richardus.* bationem nego antecedens: quia vt inquit Richardus, maior actualitas requiritur in agente, quam in patiente, cum res agat per suam actualitatem, & patiatur per suam passibilitatem, præterquam quod paruuli, qui non habent vsū rationis recipiunt baptismum. & tamen non possunt habere actum humanum. Et valde miror de Soto viro alias doctissimo, qui d. 5. q. vnica art. 7. in fine dicit, stupidum esse dicere, quod baptizari non est actus humanus, & tamen paulo inferius assignans discrimen quare baptismus possit recipi a dormiente non autem conferri, dicit quod baptizare est actus humanus, & baptismus collatus a dormiente, non esset actus humanus, ergo baptizari in paruulis nō est actus humanus secundum doctrinam Soti, quia alias differentia assignata esset nulla.

Sed dices, si baptizari non est actus humanus, ergo non requiritur aliqua intentio ex parte baptizati, probatur sequela: quia actus non humani sunt illi, qui fiunt sine intentione, & sine deliberatione. Nego consequentiam, quoniam etsi non requiratur tanta intentio, quanta sufficeret vt receptio baptismi sit ex parte baptizati actus humanus, vt bene probat argumentum, requiritur tamen intentio aliqua ad faciendam ipsam voluntariam propter rationes assignatas in superiori articulo.

Et si iterum dicas, præceptum diuinum non adimpletur nisi per actū humanum, sed baptizari est præceptū diuinum, ergo non adimpletur nisi per actum humanum. sūt vltra omnes qui vere baptizan ut adimpleat præceptum baptismi, ergo baptizari est actus humanus in omnib. qui baptizantur, antecedens patet: quia alias tenet. iterum iterū baptizari, vt adimpleret præceptum, quemadmodum iustificatus per contritionem confiteri tenetur propter præceptum confessionis. Ad hoc nego antecedens vltimæ consequentiæ, & ad probationē nego sequelā: Nā quāuis non adimpleuerint præceptū baptismi, qui sunt baptizati, tamen postq tā baptizati sunt, non est tāamplius eis impositū baptismi præceptū, q̄a nō imponitur nisi illis, q nō sunt baptizati, & est manifestū, q̄a paruuli q baptizātur nō adimplēt

præceptum baptismi, quia præcepta nec ponuntur, nec adimplentur nisi ab illis, qui habent vsum rationis, & nihilominus postea non tenentur iterum baptizari, hac so'um ratione: quia præceptum baptismi non imponitur nisi illis, qui non sunt baptizati.

ARTICVLVS III.

Vtrum fatui & amentes si baptizentur verè sacramentum recipiant.

Amētes sūt in duplici differentia. Amentes in duplici sunt differentia: nam quidam eorū sunt perpetui, & ij sunt in duplici differentia: nam quidam sunt, qui non vtuntur, nec vnquam vsi sunt ratione, vt amens, vel fatuus à natiuitate; quidam vero sunt, qui non vtuntur ratione, sed aliquando sunt vsi: & istorum quidam sunt perpetui nulla habentes lucida interualla; in quibus. ſ nullus apparet rationis vsus; Alij vero sunt, qui etsi à natiuitate, vel ex sana mente in amentiam inciderunt, per lucida tamen interualla interpollatam habent amentiam. Sunt insuper aliqui, qui etsi non omnino sanæ mentis existant, eatenus tamen ratione vtuntur, vt de sua salute cogitare valeant, atq; adeo sacramenti virtutem intelligere.

Secundo obser. est, non oportere, quod voluntas seu consensus recipiendi baptismum sit actualis, sed satis esse, quod aliquando præcesserit, & moraliter duret, nec retractata sit, vt ex Concilio Carthag. 3. can. 34. Araus. 1. can. 12. & ex cap. *Cōc. Carth. Cōc. Araus.* Maiores, ostendimus in superiori art. cæterum duobus modis potest contingere hominem baptizari, cum hac sola habituali, aut virtuali voluntate, ex præcedente actuali volun *Dupliciter accidit homini baptizari cū virtuali, vel habituali volūtate.* tate relicta; primo vt cum baptizatur ratione vti possit, & sciens, & videns baptizetur, & non resistat, quamuis actu non consentiat, & tunc baptismus sine dubio est validus, & quo ad forum ecclesiæ semper talis iudicatur: quia illa permissio, & non repugnantia exterior, est sufficiens indicium interioris consensus; imò videtur esse quædam virtualis voluntas. tamen re ipsa, & coram Deo necesse est, vt positiuus consensus aliquando præcesserit, & retractatus non sit; quoniam sola illa non resistentia, & carentia contrariæ voluntatis non satis est, vt actu sit voluntarius, sed solum vt sit permissus vel neuter, seu nec voluntatis, nec inuoluntarius, quod non satis est ad valorem baptismi, vt diximus in 1. art. contra Caiet.

Secundo modo contingere potest, vt is qui baptizatur, quamuis adultus sit, & aliquando ratione vsus fuerit, tamē quando baptizatur illa non vtatur, vel ex impotentia habituali, vt qui est amens, vel phreneticus, vel actuali, vt si sit dormiens, vel omnino distractus, & non considerans, quid circa ipsum fiat; & in his omnibus euentis re ipsa necessaria est, & sufficit positiua voluntas præterita, & non retractata, vt constat, ex his quæ docet Doct. in hac q. sub litt. b. §. De secundo. Quod vero spectat ad ecclesiæ forum necessarium est in his euentis, vt de priori voluntate data sint sufficientia indicia, de quibus constet saltem aliquo fideli testimonio, nam oportet vt illa voluntas ecclesiæ aliquo modo constet, vt patet ex cap. Ægrotantes. de consecrat. d. 4.

1. Conclusio. His obseruatis sit prima conclusio. Idem iudicium est de adultis, qui nunquam rationis vsum habuerūt, quales sunt amētes, vel fatui à natiuitate, atq; de pueris respectu baptismi; hoc tamen discrimine, quod si speratur adultū aliquando esse curandum, & ratione vsurum, expectandum est tale tempus, vt maiori cum reuerentia & vtilitate sacramentum suscipiat; si tamen desperetur illum peruenturum ad vsum rationis, statim est baptizandus. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub lit. b. § de primo breuiter &c. probatur: quia ad baptismum non est necessarius vsus rationis, vt patet in paruulis, quibus isti amentes, quo ad hoc omnino similes sunt, cum non habeant actualia peccata, sed tantum origina le, ergo per baptismum possunt. & debent ab illo mundari, prob. cōsequētia: quia Deus nulli præclusit remediū salutis.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Amentes qui ex sana mente in amentiam inciderunt secundum eam volūtatem iudicandi sunt, quam dum sanæ mentis existerent habuerunt, hoc est illo temporis articulo, quo rationis vsum amiserunt: De illis. n. iudicandum est, ac si præsens esset illorum voluntas, quam habebant respectu baptismi dum mentis compotes erant; ideoq. de istis idem erit iudicium, atq; de alijs, qui sani sunt mente, & vsum rationis habent. Vnde si tūc appa ruit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet in sutia vel amentia constitutis sacramentum exhiberi, etiam si tunc actu renituntur. Verū si talis adultus speretur venturus ad vsum rōnis, expectandum erit tempus, quo vtatur ratione, si vero desperetur venturus ad vsum rōnis est baptizandus, quia alias esset in periculo damnationis, dummodo quando dementiā incurrit fuerit in voluntate se baptizandi, quam non mutauit per oppositum actum. Sin vero dum sana mente pollebat, nulla in eo apparuit talis voluntas, nequaquam est baptizandus. hæc conclusio est Scoti vbi supra, § De secundo, & probatur primo ex Innocentio, 3. in cap. Maiores, & ex D. August locis citatis in super. art. & 4. Confess. c. 4. vbi de quodam amico suo refert, saluum factum esse per baptismū, quem in phrenesi absq; vllo sensu recepit, & multis verbis conatur ibi August. ostendere eū vere esse baptizatum.

Secundo prob. ratione: quia supponitur talis nunc habitualiter consentiens, vel dissentiens, secundum quod se habuit in sanitate ante istud impedimentū immediate, i. si tūc actualiter consensit, iudicatur nunc habitualiter consentiēs, & si tunc actualiter dissensit, nūc iudicatur habitualiter dissentiens; & notanter dixi immediate, ita quod inter illum actum. s. consentiendi, vel dissentiendi, & istud impedimentū non interuenerit motus voluntatis oppositus, adeo quod si immediate postquam habuit actum consentiendi incidit in amentiam iudicandus est habitualiter consentire, si vero postquam habuit dissentiendi actum, immediate amiserit vsum rationis iudicandus est habitualiter dissentire.

Vnde pro clariori intelligentia obser. est; quod si adultus rōne vtens habuisset aliqū baptismi contrariam voluntatē, & ā ante somnum, siue phrenesim, vel amentiam, illā correxisset deliberans baptizari, non impedit contraria volūtas præuia post correcta: quia immediate ante priuationē rōnis illam contrariam nō habuit: dicitur. n. immediate dissentire ante priuationem vsus rōnis, qñ inter illum dissensum non interuenit consensus illi contrarius; Vnde ille actus dicitur in proposito immediatus ante vsus rōnis priuationē, inter quem, & illam non interuenit actus contrarius, etiam si ille diu ante priuationē vsus rationis cessasset. Vnde generaliter non vtens ratione, qui in aliqñ vsu est, iudicatur cum non vtitur ratione habitualiter consentiens, vel dissentiens, (vt dicit Scotus) sm quod habuit se actualiter in sanitate an *Scotus.* te illud impedimentum vsus rōnis immediate, vt dictū est, atq; ita vniuersaliter habitualiter se habens potest recipere, vel non recipere sacramentū, sicut potuit prius qñ actu sic, vel sic se habuit, quod intelligas de actu positiuo: qm si tm negatiue dissenserit, ita quod ante impedimentū rōnis, nunquam respectu baptismi, actū positiuum habuerit; tunc aut semper priuatus fuit actu rationis, sicut infantes fatui, vel amentes à natiuitate, & tunc si baptizatur recipit sacramentum, & characterem; si vero prius vsus fuerit ratione, nihil recipit, quia si fuisset in statu illo, in quo vsus fuit ratione baptizatus, nihil recepisset: defecisset enim consensus actualis, & habitualis.

Ex quo sequitur primo, quod si in aliqua prouincia, in qua nihil auditum esset de fide, esset aliquis infidelis qui nuoquam de baptismo cogitauit, neq; vllam habuit baptismi voluntatem, nec contradictionem, & in amentiam incideret, si tota illa prouincia audiēs prædicatores fidei legem susciperet Euangelicam baptizaretq. omnes infantes, non esset baptizandus nisi fuisset perpetuo à natiuitate amens.

Sequitur secundo, quod si in aliqua ciuitate in qua vt supra nihil auditum esset de fide, fuisset aliquis qui de baptismo nunquam vt supra cogitauit, nec habuit contradictionem, & incideret in amentiam, si tota illa ciuitas fidē Christi susciperet, atq; adeo Tyrannus Christi inimicus vrbem incendio inflammaret, tamen ille amens non esset Christi martyr, nisi perpetuo à natiuitate amens fuisset; Tunc enim censendum esset de illo vt de puero, sicuti diximus in prima conclusione. Alioqui eum habens sanam mentem, nullam cognitionem nec affectum habuerit fidei, censetur fuisse in contradictione: quia nemo nisi volens censetur de statu suæ vitæ disponere: & quoniam ille in peccato tunc esset, contra ius naturæ fit, vt quamuis tota ciuitas occideretur pro Christo, priuilegio ipse non gauderet martyrij: imò periret.

Et si quæras, quid de re sacramenti? an scilicet, in tali impedimento rationis baptizati, qui recipiunt sacramentum, & characterem; recipiant etiam rem sacramenti, & gratiam &

& virtutes &c. Respondet Gabriel, quod sicut creditum est, quod paruulo in baptismo originale peccatum dimittitur, sicut habetur in ea. Maiores de baptismo, ita creditũ est sibi gratiam infundi, quia Deus pro statu naturæ lapsæ, nu littemittit culpam, nisi cui dat gratiam; & sicut dictum est de paruulis, ita per omnia dicendum est de fatuis, & amentibus à natiuitate. De his vero, qui post vsum rationis in amentiã inciderunt, dicendum est sicut de consensu habituali; nimirum si immediate ante impedimentũ vsus rationis aliquis talium fuit dispositus ad recipiendam gratiam, quia non posuit obicem, & breuiter quemadmodum tunc talis fuit sic dispositus, quod tunc si baptizatus fuisset rem & sacramentum recepisset, etiam & nunc tali existente impedimento, quod est defectus vsus rationis: si alias rite baptizatur, recipit sacramentum & rem; si vero tunc non recepisset, nec modo recipit.

Sotus. Sotus tamẽ d.5.q.vnica art.12.dicit, quod si aliquis amẽs esset, qui dum habuit sanam mentem voluit quidem baptizari, sed tamen cum voluntate permanendi in peccato mortali, nullo modo esset baptizandus, at si de facto baptizaretur, an saltem reciperet sacramentum, videtur dicere, quod non; cuius contrarium ego existimo verius, nam complacẽtia de peccato, licet impediat effectum sacramenti scilicet, gratiam, sacramentum tamen non impedit, dummodo ad sit voluntas suscipiendi sacramentum, vt clarius explicabimus in sequenti quæstione; cæterum vt notat Gabriel valde cauenda sunt peccata mortalia, ne si quis in mortali inciderit in amentiam, vel mentis insaniam, aliudue periculũ; sibi non esset via salutis. *Gabriel.*

Sed quærit hic Scotus, An expediat tales baptizari: multa.n. licent, quæ non expediunt, 1. Corint.6. respondet, Si speretur tales redituri ad vsum rationis, magis expedit tempus expectare, quo vtantur ratione; puta de dormiente tempus vigiliæ, & de furioso tempus lucidi interualli; si vero non speretur, puta de eo, qui incidit in perpetuũ impedimẽtum vsus rationis, vel si immineat mortis periculum, eum expedit baptizare: quia alias exponeretur periculo damnationis, & hoc si sit capax baptismi, nempe si non fuit dissentiẽs contrarie, vsq; ad horam impedimenti vsus rationis.

Conclusio Tertia conclusio. Amentes habentes lucida interualla, si dum habent lucidum interuallum voluntatem habent baptismi, baptizari possunt in amentia, si periculum tunc mortis timeretur; nam alias expectandum est rationis lumen: si autem in eis nulla eiusmodi voluntas apparuit, non sunt dum mente capiuntur baptizandi.

Conclusio. Quarta conclusio. Qui amentes dicuntur ex eo, quod sanæ mentis omnino nõ existunt, ita vt eatenus ratione vtantur, vt de sua salute cogitare valeant, atq; adeo sacramenti virtutẽ intelligere, non debent inuitè, sed spontaneè baptizari.

Alex. de Ales. Et si quæras. Si baptizetur actu amens, qui prius contradixent, & postea ab infirmitate liberatus in receptũ baptismum consentiat, an reputandus sit baptizatus? Respondet *c. 3 Ales.* Alex. de Ales. q.8.m.7 art.2. §. 3. quod talis pro baptizato haberi non debet ratione consequentis consensus, sed est de nouo baptizandus; quia consensus conuenienter præcedit ad ratificandũ, & non conuenienter sequitur. Consensus.n. dẽt præcedere in adulto, vel ad minus, quod non dissentiat, Talis autẽ ante amentiam omnino dissensit, & contradixit, atq; adeo non suscipit sacramentum, nec fuit baptismus, sed quod ab initio non fuit, ex post facto non ratificatur, ergo talis non est baptizatus, licet consensus sequatur.

Et si dicas, quod fictus baptizatus manente fictione non recipit baptismum ad salutem, recedente autem fictione volens, & approbans quod factũ est, reputandus est baptizatus ad salutem, vnde voluntas sequens facit eum esse baptizatum. Similiter videtur in proposito. Dico quod non est simile: quia fictus accedens ad baptismũ suscipit sacramentum baptismi, non rem; vnde recedente fictione, & existente pœnitentia de fictione, gratia cum charactere habet efficaciam baptismatis; at non est ita de amente, in quo non præcessit aliqua voluntas recipiendi baptismum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum adultus non consentiens contrarie Baptismi sacramentum recipiat.

Non consentire duplex. PRo explicatione huius difficultatis obser.est, quod adultus potest non cõsentire altero ex duobus modis, primo modo negatiue se habendo, id est, neq; consentiendo, neq; dissentiendo, sed habendo se negatiue, id est suspendendo actum voluntatis; secundo modo potest non consentire contrarie se habendo, id est habendo positiue dissensum, quo non vult baptizari.

Secundo obser.est, quod non consentire contrarie bifariã contingere potest, videlicet simpliciter, & secundum quid; simpliciter non consentit contrarie, qui non vult baptizari, producendo positiuum actum nolitionis baptismi. Secundum quid autem contrarie non consentit, qui vellet non baptizari, si posset effugere tale incommodum, quod sibi timet euenturũ si non baptizetur, & quia illud effugere non valet nisi baptizetur, ideo vult baptizari. *Non consentire contrarie bifariã contingit.*

Tertio obseruandum est, ex Alexandro de Ales. 4. parte, quæstione 8. membro 7. articulo secundo, §. 1. & ex D. Bonauẽ. in 4. d. 4. art. 2. q. 1. quod duplex est coactio, scilicet suf ficiens, quam Richardus d. 6. art. 3. q. 2. absolutam appellat, & inducens, quam Richardus vocat conditionalẽ, sufficiens & absoluta coactio esset si aliquis manibus pedibusq; ligatis immergeretur; Inducens vero & cõditionata, si cum minis & flagellis ad baptismum induceretur, ita vt magis vellet se subijcere sacramento ecclesiæ, quam morte petire. *Coactio est duplex. Ale. 3 Ales. D. Bonau. Richardus.*

His obseruatis sit prima conclusio. Adultus ratione vtẽs non consentiens contrarie simpliciter etiã si baptizetur, non recipit sacramentum Baptismi. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. c. & d. §. de tertio membro, & sic probatur, oportet, & probatur. Nullus ascribitur familiæ Christi inuitus, sed suscipiens baptismũ ascribitur familiæ Christi per baptismum; ergo non manet adscriptus famliæ Christi si baptismum suscipiat inuitus. *1. Conclusio*

Maior probatur, ex capitulo 23. Prouerb. vbi Deus prius exigit cor ab eis, qui suæ familiæ sunt adscribendi. Fili (inquit) præbe mihi cor tuum, nolens aliquem omnino inuitum adscribi familiæ suæ. Vnde infert Scotus, quod si talis non consentiens reclamat, signo exteriori suum dissensum manifestans; non cogetur ab ecclesia ad obseruantiam religionis Christianæ; si vero non reclamet talis non consentiens cogetur ab ecclesia ad obseruantiam Christianæ legis: quia ecclesia iudicat de manifestis; Qui tacet vero præsumitur consentire, vt patet de regulis iuris in 6. Qui tacet consentire videtur. Neque potest de hoc argui ecclesia, quod iniuriam irroget tali non reclamanti: quia nanus malum est tali, quod inuitus seruet legem Christianam, quam quod permittatur impune contra illam agere; minus enim malum est aliqua bona facere etiam inuite, malique deuitare, quam libere & impune agere mala, & bona dimittere; iuxta illud D. August. Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit. Cæterum quoad Deum non oportet distinguere, de reclamante siue protestante signo exteriori, suum dissensum; & de non reclamante, quia tam re ipsa, si est dissensus omnino, idem est quoad Deum. & confirmatur conclusio ex capitulo Maiores, §. Item quæritur de baptismo, vbi dicitur, quod ille qui nunquam consensit, sed penitus contradixit, nec rem, nec characterem sumpsit sacramenti. *D. August.*

Secunda conclusio. Adultus ratione vtens non consentiens contrarie, secundum quid, simpliciter autem consentiens baptizari eo modo, quo ecclesia facere intendit, nõ est, qui consentit, non tantum in illam ablutionem tantum in quoddam balneum, sed in ablutionem eo modo, quo illam intendit facere Ecclesia, talis vere sacramentum baptismi suscipit. hæc conclusio est Scoti vbi supra sub litt. e. §. Si autem secundum quid. & probatur: quia talis consentit simpliciter: quia simpliciter est volens, licet secundum quid sit nolens: Nam qui, et aliquod incommodum fugiat, vult aliquid, simpliciter vult illud, licet secundum quid nolit illud; Quemadmodum proijciens merces in mari, vt submersionem, vel naufragium fugiat, simpliciter vult proijcere merces; nam potentiam suam motiuam ad proijciendum voluntas mouet imperando, & ipsa se ipsam libere mouet, quia cogi non potest; atque adeo simpliciter volens proijcit, et secundum quid nolens, hoc est, sub conditione nolens: quia nollet proijcere, si alio modo posset saluare vitam, & naufragium fugere. *2. Conclusio*

Et de talibus, inquit Scotus, loquitur Concilium Toletanum. 4. cap. 56. relatum in capitulo Maiores extra de baptismo & eius effectu. Vbi sic legitur. Is qui terroribus, atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, *Concilium Tolet.*

baptismi suscipit sacramentum, talis (sicut & is, qui ficte ad baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad obseruantiam fidei Christianæ. In quo casu debet intelligi decretum Concilij Toletani, vbi dicitur, quod qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisibuti: quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis Domini extitisse participes, oportet etiam fidem, quam necessitate susceperunt seruare, ne nomen Domini blasphemetur, & ne fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur. & idemmet decretum refertur c. de Iudæis. d. 45.

Ex dictis infert Scotus, quod quia simpliciter dissentiens non recipit sacramentum; si postea consentiret simpliciter baptizandus esset: qui vero simpliciter consentit, licet secundum quid dissentiat, cessante illo dissensu secundum quid, non est iterũ baptizandus, quia verum recepit Baptismi sacramentum. Tales autem sunt qui coacti aliquibus minis, & terroribus baptismum suscipiunt, alias non suscepturi. Qualiter vero isti possint consentire in suscipiẽdum Baptismum eo modo, quo confertur ab ecclesia, qui tamen nollent suscipere si possent euadere tormenta, quia non credunt baptismũ aliquid valere; ostẽdit Scotus aptissimo exemplo. Vt si aliquis nõ credens verba incantationis posse habere aliquẽ effectum, qui tamen, se incantari concedat, i. permittat incantatorem verba incantationis super eum dicere ea intentione, qua solet ea dicere dum incantationem efficit, dicens in corde suo, valeant, quantum valere possunt. eiusmodi homo vere diceretur incantatus, & si per talem incantationẽ diceretur aliquis diabolo consecratus, talis incantatio esset consecratio illius diabolo, itaq; ille esset diabolo cõsecratus.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Si aliquis coactione sufficienti, vel absoluta immergitur, seu baptizatur, quantumuis abliens eum baptizare intendat, & seruet debitam formam verborum, nec rem nec characterem suscipit sacramenti. hæc conclusio est Alex. Bona. & Richar. locis citatis, & est eadem cum prima conclusione Scot. & probatur ex cap. Maiores, supra relato; Tum quia nullo modo fuit in eo consensus nec voluntas, imò fuit omnino repugnans.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Si aliquis coactione inducente, vel cõditionata, vtpotè qui minis, & flagellis ad baptismum inducitur, ita quod magis vult se subijcere sacramento ecclesiæ, quam morte perire, si intendat quod circa eum fiat tam exterius, quam interius illud, quod circa illos, qui simpliciter & voluntarie baptismum suscipiunt ministerialiter facit ecclesia, vere recipit baptismi sacramentũ. hæc concl. est Alex. D. Bona. & Richar. vbi supra, & est eadem cum secunda cõclusione Scoti. & probatur ex d. cap. Maiores. vbi dicitur, quod is, qui terroribus atq; supplicijs violenter trahitur, & ne detrimẽtum incurrat, Baptismi suscipit sacramentũ, talis (sicut & is, qui ficte accedit ad Baptismum) characterem suscipit Christianitatis impressum: quia vt dicit ibi Glossa, coacta voluntas est. 15. q. 1. c. merito quæritur; atque ita coactio conditionalis non impedit sacramentum Baptismi.

Glossa.

Ex hoc sequitur, quod consensus vi, vel metu extortus nõ impedit sacramenti receptionem, & quidem si metus sit ab intrinseco, siue absq; vlla iniuria vel actione humana incussus, res est manifesta, et oppositum dicere est error quorundam hæreticorum, quos refellit D. Cyprianus lib. 4. epi. 12. quia etiam pœnitentia in articulo mortis ex metu concepta, potest esse vera pœnitentia, & sufficiens ad salutem, alias omnes qui pœnitentiam differunt, vsq; ad finem vitæ essent extra statum salutis, quod est hæreticum vt latius dicemus in materia de pœnitentia. Et confirmatur. Nam votum factum ex huiusmodi metu ab intrinseco prouenienre est validum: quia est voluntarium simpliciter, licet sit inuoluntarium secundum quid, ergo similiter baptismus.

D. Cyprian.

Item si metus sit ex extrinseca vi, nempe si sit per iniuriã illatus, est etiam res certa, & definita ab Innoc. 3. in cap. Maiores, & prius tradita in Concilio Toletano. 4. c. 56. prout habetur in cap. de Iudæis, d. 45. & ratio est: quia ille consensus est simpliciter, & absolute voluntarius. ergo sufficit ad valorem Baptismi, atque adeo talis Baptismus censetur in prædictis decretis imprimere characterem indelebilem, ratione cuius, qui sic baptizatus est, subditus manet iurisdictioni Ecclesiæ, & cogi potest ad seruandam fidem.

Sed dubium est, si ille, qui sic cogitur non cõsentit interius, quod aliquid fiat in eo nisi solum ablutio exterior, nõ intendẽs nec in generali, nec in speciali, nec in actu, nec in habitu, sed actu renuens, vt in eo fiat interius, quidquid fit, quod in illis fit, qui simpliciter, & voluntarie, & tamen ecclesia baptismum recipiunt; an recipiat characterem baptismalem. Alex. de Ales. & D. Bonauen. locis citatis respondent, quod non, cum nullus dicatur baptizatus esse, qui consentit tantum immergi ad locum: quibus subscribit Richardus, vbi supra, & addit, quod quia ecclesia talem præsumeret consentire interius propter consensum exteriorem, talis cogi debet ad fidei Christianæ obseruationem. Sed hoc videtur durũ, cum si nõ recipit baptismi characterem, recedente fictione esset rebaptizandus, quod videtur esse contra determinationem ecclesiæ, in cap. Maiores, vbi dicitur, quod talis compellendus est ad fidem, & si recideret ac relaberetur, hæreticus diceretur, nec esset vnquam talis postea rebaptizandus, ergo Ecclesia supponit, quod receperit characterem Baptismi, alias clauderetur ei via salutis. Et præterea posset fraus fieri in Ecclesia frequenter, posset enim quilibet dum cogeretur ad fidem seruandam, dicere, non consensi. Ideo dicunt alij, quod talis non esset baptizatus, nec rebaptizandus; nec tamen clauderetur ei via salutis, quia Deus in hoc euentu suppleret. Sed Aureolus in 4. d. 4. q. 2. art. 1. non videt, quare oporteat, quod Deus suppleat, cum hoc fuerit in hominis potestate. Ideo dicit, quod tantum est priuilegiũ baptismi, quod habens consensum saltem interpretatiuũ, hoc est, quia consentit exterius, vel non reclamat, quantumcũq; intra se dissentiat, recipiet perfecte characterem licet non recipiat gratiam, nec virtutes, quas tantum recipit recedente fictione; atq; adeo dicit, quod ad recipiendum characterem sufficit in adultis consensus saltem interpretatiuus.

D. Bonau. & Richar.

Alex. de Ales. D. Bonau. Richardus.

Aureolus.

Cæterum hæc sententia Aureoli est contra communem sententiam Theologorum; Nam si adultus vtens ratione baptizetur sciens, & videns, nec; resistens, si actu interiori non consentiat, quamuis quo ad forum ecclesiæ baptismus ille reputetur validus: quia illa permissio, & non repugnantia exterior, est sufficiens indicium interioris consensus; imò videtur esse quædam virtualis voluntas; tamen re ipsa, & corã Deo, necesse est, vt non sit actualis dissensus imò quod positiuus consensus saltem aliquando præcesserit, & retractatus non sit: quoniam sola illa non resistentia, & carentia contrariæ voluntatis non est satis ad valorem baptismi, vt dictum est in primo art. atq; adeo multo minus, vbi adest actualis dissensus: nam vt dicit Scotus, non oportet distinguere de reclamante, siue protestante signo exteriori, suum dissensum, & de non reclamante: quia in rei veritate si est dissensus, omnino idem est quo ad Deum, atque adeo characterem baptismi non suscipit; at si ipsum suæ fictionis pœniteat, (si ecclesia præsumens ipsum baptizatum non permittat ipsum iterum baptizari) Deus qui est summus sacerdos, nec habet potentiam suam sacramentis alligatam supplebit, quod efficeret Baptismi sacramentum saluo semper iudicio meliori, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ censura. at si ecclesia non contradicat, est simpliciter baptizandus: quia nunquam fuit baptizatus.

Reiicitur Aureolus.

ARTICVLVS V.

Vtrum adultus non consentiens negatiue sacramentum Baptismi recipiat.

PRo explicatione huius tituli, & clariori intelligentia eorum, quæ dicta sunt in hac quæst. obseruandum est, quod adultus ratione vtens, tripliciter potest se habere respectu Baptismi; quia aut est volens, aut nolens, aut sub actu neutro, nec volens videlicet, neque nolens; si est volens simpliciter nihil habens de inuoluntario, aut vult debita intentione, aut tantum de more, primo modo volens est baptizatus; secundo modo non. Si autem est nolens, aut simpliciter nihil habens de voluntario, aut aliquid habens de voluntario, vult siquidem baptizari, vt possit euadere periculum, nollet autem si aliter mortem euadere posset. Exemplum. Rex Hispaniarum clamat, quod omnis non baptizatus egrediatur suum regnum. Samuel Iudæus nollet abire inde, si permitteretur in pace non vellet esse baptizatus; sed quia non potest aliter gaudere

suis

Digitized by Google

suis bonis, vadit ad baptismum, talis non vult simpliciter pure baptizari, plus tamē habet de volito, quam de nolito. 3. Ethic. taliter volens, si debita intentione recipiat, non derisorie, baptizatur. Si autem est simpliciter nolens, nihil de voluntario habens nullatenus baptizatur.

Si autem nec est volens, nec nolens, aut non est volens, nec nolēs actu, sed habitu, aut nec actu, nec habitu; si primo modo est volens, s. habitu, qualis esset ille, qui de baptismo prius cogitans, tunc consensit, & voluit baptizari, talis vtiq. potest baptizari; licet quando actu baptizatur, non sit volēs actualiter, neq; nolens. Si autem sit nolens in habitu, qualis esset ille, qui prius quam baptizaretur vltimo cogitans de baptismo noluit actu elicito baptizari, talis licet actu non nolens non potest baptizari: Si autem aliquis reperiretur, qui nullo modo, actualiter videlicet nec habitualiter, voluisset, nec noluisset: qualis esset ille, qui nunquam de baptismo cogitasset, nec circa ipsum aliquem actum volendi, vel nolendi habuisset, talis etiam non est capax baptismi. & si forte baptismi sacramentum reciperet, nullum tamen eius effectum, cum ad baptismum deuotionem aliquam non haberet.

1. Conclusio Hoc supposito sit prima conclusio. Adultus rōne vtens, non consentiens solum negatiue, si tamen virtualiter cōsentiat, verum sacramentum Baptismi suscipit, v. g. adultus, qui non consentit, nec dissentit actualiter, quia est distractus à consideratione baptismi, consentit tamen virtualiter: quia quando veniebat ad ecclesiam vt baptizaretur, volebat baptizari. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. f. §. si quis. & probatur: quia Deus nullum obligat ad impossibile, vel nimis difficile, secundum statum huius vitæ, sed non distrahi actualiter, vel semper de baptismo cogitare dum suscipitur est nimis difficile, ergo sufficit consensus & volitio virtualis ad vere suscipiendum sacramentum baptismi.

D. August. Maior est nota, & minor probatur ex D. August. lib. 3. de libero arbitrio dicente. Non est in voluntate nostra, quin visis tangamur. Et confirmatur: quia Deus noluit obligare hominem ad hoc, quod in susceptione sacramenti Baptismi non distrahatur; sicut vniuersaliter est in alijs sacramentis. Vnde sacerdos etiam in consecrando Eucharistiam vere cōsecrat distractus, dum tamen prius induendo se, intenderit celebrare Missam secundum morem ecclesiæ. Sufficit enim in consecratione in principio Missæ intendere cōsecrare, celebrare, vel aliquid simile. Item adimplens præceptū de dicendis horis crebriter est distractus; hoc tñ non obstante, si à principio habuit animum dicendi satisfaciendi præcepto; habere. n. perpetuo actuale propositum non est in potestate nostra, vt inquit D. Augustinus, & docuit illum experiētia, qui equum lucratus fuisset, si non cogitasset de alio à Deo dicendo orationē dominicam, & tñ inter dicendū ingenue confessus est, se cogitasse, an simul frenū cum sella haberet.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Adultus non consentiens, neq; dissentiens actualiter neq; virtualiter, consentiens tñ habitualiter: quia prius habuit volūtatē baptismi, & post talē cōsensum, non habuit dissensum contrariū, verū suscipit sacramētum, hæc concl. est Scoti vbi sup. sub litt. g. & h. & prob. iste consensus habitualis sufficit homini, qui postq̄ habuit assensum incidit in amentiā, ergo ēt sufficit vtenti rōne; prob. consequentia: quia vtens rōne non est deterioris conditionis, quā sit amēs, propterea quod rōne vtatur: ergo si talis cōsensus habitualis sufficit amenti, sufficiet ēt adulto ratione vtenti.

3. Conclusio Tertia cōclusio. Si detur adultus rōne vtens, qui mere negatiue se habeat ad baptismū, i. omnino nō cōsentiens, neq; dissentiens tā actualiter, quā habitualiter, non reciperet sacramentum baptismi. hæc conclus. est Scoti vbi supra. §. De secūdo licet difficile, &c. & prob. quia oportet hoiem rōne vtentē aliquam deuotionem habere ad sacramentū ad hoc, quod illi valeat, aliter n. videretur contēnere illud. Casus tñ (inquit Scotus) videtur difficilis, præcipue, si prius aliqñ de baptismo cogitasset: q̄m vel tunc placuisset sibi baptizari, vel non placuisset, imò displicuisset, & sm illum modū iudicaretur talis habitualis cōsensus, vel dissensus esse in posterū.

Contra secundam conclusionem arguitur. Baptismus est quoddam matrimonium spirituale, ergo non contrahitur à dissentiēte, antecedens probatur: quia in baptismo anima desponsatur Deo fide mediante. Desponsabo te mihi in fide. consequentia probatur: quia matrimonium carnale non contrahitur à dissentiente, ergo nec spirituale.

Præterea, si baptizans intentionem non habeat baptizādi Baptismus est nullus; ergo si baptizandus non habet intentionem & consensum Baptismi, Baptismus erit nullus; probatur consequentia: quia magis nocet baptizato malitia propria, quam malitia ministri baptizantis.

Deinde in Baptismo fit votum abrenunciandi Satanæ, & adhærēdi Deo; sed votum factum à dissentiente est nullum, ergo baptismus receptus à non consentiente est nullus.

Postremo. Sic patrinus respondet pro paruulo ad illam interrogationem, vis baptizari? volo; Ita adultus pro se ipso respondet, sed si Patrinus non consentiat, paruulus pro quo respondet non erit baptizatus, ergo adultus non cōsentiens, non recipit sacramentum Baptismi. Videtur enim conferri baptismus in virtute responsionis illius, qua ad interrogationē illam. Vis baptizari? respondet Patrinus, volo. & subiūgit sacerdos. Et ego te baptizo in nomine patris &c. quod autem fit sub conditione, si conditio non existat nihil est.

Ad primum dico, quod per baptismū magis proprie adoptatur homo in filium Dei, quam cōtrahat matrimonium. *Baptismus est adoptatio in filium Dei.* In adoptione autem, licet nullum actum habeat adoptatus, solus adoptantis sufficit actus, atq; adeo non est simile de matrimonio & baptismo; In matrimonio. n. requiritur consensus vtriusq; personæ, & ideo requiritur vsus rationis ad matrimonium contrahendum: nam nullus potest fieri contractus absq; vsu rationis, atq; adeo paruulus non pōt contrahere matrimoniū; In baptismo autem cum sit magis adoptatio in filium Dei, quā matrimonij contractio, & in adoptione solus actus sufficiat adoptantis, esto quod nullus sit actus in adoptato, potest paruulus non habens vsum rationis, & qui habitualiter tantum consentit in filium adoptaris & per consequens non oportet in Baptismo baptizandum velle actualiter baptizari, sed satis est, quod velit habitualiter. Præterquam, quod consequentia est nulla: quia in contractu difficili matrimonij requiritur consensus liber, alias erit illegitimus: secus est in isto contractu facili, & ad salutem necessario.

Ad 2. dico, quod in ministro baptismi duplex potest esse malitia: prima inquantum ipse est Minister, quæ fit qñ ipse ministrans non intendit dare sacramentū baptismi, & tunc dicitur, quod talis malitia sacerdotis impedit sacramentum Baptismi, adeoq. si sacerdos nō intendat dare Baptismum, paruulus nō est baptizatus. Alia est malitia in sacerdote ministrante sacramentū, quæ conuenit ei inquantum est persona, vt superbia, luxuria, & sic de alijs; & talis malitia non impedit sacramentum dummodo sacramentum dare intendat. *In ministro Baptismi duplex pōt esse malitia.* Ex his sequitur, quod non est simile de intentione baptizantis, & baptizandi: nam intentio per se conuenit agenti: cū in agente per rōnem necessario requiritur intentio agendi, cum omne agens propter finem, agat ex intentione finis. Suscipienti aūt non ita per se conuenit sicut agenti, & conferenti: quoniam in suscipiente quatenus suscipiens est non est necessaria intentio recipiendi, atq; adeo maior intentio simpliciter requiritur in baptizante, quam in suscipiente Baptismum, de quo infra d. 6. q. 5. & 6. agendum.

Ad 3. dico, q̄ consequentia est nulla: quoniam votū illud, quod faciunt adulti, non est de essentia baptismi, sed de solemnitate; atq; adeo non sequitur, quod quicquid ad votū illud requiritur, requiratur etiam ad sacramentū Baptismi.

Ad 4. dico, quod ex dictis in ista quæst. constat, qualis cōsensus sit necessarius ad susceptionē baptismi. Vnde ad formam argumenti concessa maiore, nego minorem: quia licet Patrinus, vel Matrina non consentirent in baptismum paruuli, adhuc maneret baptizatus, si minister sacramenti vere intenderet paruulum baptizare; quia patrini non sunt de essentia, sed de solemnitate sacramenti baptismi; similiter adultus licet nō respondeat pro se ipso, verum potest sacramentum suscipere, si consentiat, vt dictum est supra, est tamen consuetudo ecclesiæ laudabilis, quæ nullum adultum baptizat, nisi pro se ipse respondeat, hoc tamen ad solemnitatem Baptismi pertinet, non ad essentiam.

QVÆSTIO V.

Vtrum adultus fictus recipiat effectum Baptismi.

PRo explicatione huius tituli obser. est, quod tota intelligentia huius quæstionis pendet ex intelligentia illius vocis fictio; dicit autē Scotus quod fictus dicitur, qui aliud prætendit exterius, & aliud habet interius, s. qui dem ōstrat *Scotus quid sit fictus & fictio.*

Digitized by Google

se aliquid velle, quod non vult, ex quo sequitur, quod fictio est exterior simulatio, seu opere ipso exhibita, qua aliquis in baptismo exterius profitetur se aliquid velle, quod re vera interius non vult.

Magister.

Secundo obseruandum est, secundum Magistrum in hac distinctione, quod Baptismum suscipientes sunt in triplici differentia: quidam enim suscipiunt sacramentum, & non effectum ipsius siue rem sacramenti; quidam autem suscipiunt effectum, siue rem, & non sacramentum; quidam vero rem & sacramentum suscipiunt. Res sacramenti de qua in præsenti quæst. loquimur siue sacramẽti effectus est gratia, sacramentum autem est baptismus, id est, ablutio facta sub forma præscripta verborum &c. atq; adeo potest ab aliquo recipi sacramentum, & non res, vt si fictè quis ad sacramentum accedat, id est, sine debita dispositione. Nam talis recipit quidem sacramẽtum, sed non gratiam. Potest etiam aliquis recipere rem sacramenti, & non sacramentum, vt potè si baptizetur baptismate sanguinis, aut flaminis, quia recipere aquæ sacramentum non potuit, talis enim recipit gratiam. Sacramentum autem & rem suscipiunt, qui digne ad sacramentum accedunt, & sine obice illud suscipiunt.

Duobus modis pôt quis ficte accedere ad Bapt.

Tertio obseru. est, quod potest quis duobus modis fictus accedere ad sacramentum Baptismi, priori modo simulando se velle recipere sacramentum, quod tamen re vera suscipere nõ intendit, posteriori modo dicitur fictus vel simulator, qui suscipiendo sacramentum ostendit se dispositum cum tamen non sit, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritũ, de quo nullo modo conteritur, vel attritur, & isto secundo modo communiter loquuntur Sancti, & Doctores de ficte baptizato.

Quæ fictio est sacramẽto contraria.

Quarto obser. est, quod prior fictio est ipsi Baptismo contraria, posterior vero solum effectui baptismi contrariatur; prior est in voluntate, & tũc est quando quis recipit baptismum sine intentione, & voluntate recipiendi sacramentũ, & multo magis si habet voluntatem nihil agendi, sed vel decipiendi, aut illudendi, seu irridendi sacramentum. posterior fictio est etiam in voluntate, & potest redundare in intellectum; non tamen excindit voluntatem suscipiendi sacramentum, sed illam potius supponit, & formaliter consistit in carentia dispositionis necessariæ ad recipiendum sacramenti effectum.

Indispositio duplex negatiua, & contraria.

Quinto obseruandum est, quod posterior fictio duobus modis haberi potest, primo mere negatiue, siue inuoluntarie, vt si quis careat dispositione necessaria ex ignorantia, vel inaduertentia inculpabili, secundo contrarie, seu voluntarie, vt cum quis vult baptismum suscipere cum voluntaria adhæsione ad aliquod peccatum mortale, aut absq; necessaria displicentia illius; quando fictio contingit priori modo consistit formaliter in aliquo peccato habituali gratiæ contrario, & nullo modo retractato, quando vero est posterioris generis, supponit habituale peccatum non retractatũ, & aliquod addit actuale, saltem ipsam indignam & voluntariam baptismi susceptionem.

Quid propriè sit fictio in sacramento Baptismi.

Postremo obseruandum est, quod fictio in sacramento Baptismi est peccatum, quod in ipsa receptione cõmittitur, atq; ita fictio est mala dispositio, qua aliquis ad baptismum accedit, quæ interdum est peccatum commissionis, aliquando vero omissionis. Commissionis peccatum est, quando suscipiens baptismum actualiter peccat, vt si quis baptizaretur vt vasa ecclesiæ surripere posset, siue vt adulterium, vel fornicationem cum aliqua committere valeret, vel si baptismum suscipiat complacens sibi in aliquo peccato mortali, omissionis vero peccatum erit si de peccatis præteritis nullam habeat displicentiam. Ex his patet titulus quæstionis. Quam diuidimus in quatuor articulos.

ARTICVLVS I.

Vtrum fictus ad baptismi sacramentum accedens sit Baptizatus.

Pro solutione huius difficultatis obseruandum est, iuxta doctrinam Alex. in. de Ales. 4. p. q. 8. memb. 7. art. 2. §. 1. quod fictionis triplex est modus, est enim, inquit, triplex fictio: in rationali, vt cum quis non credit, in concupiscibili cũ non conteritur, & in irascibili, cum contemnit.

Alex. de Ales.

Triplex fictionis modus.

Primus ergo modus fictionis est per infidelitatem, quæ potest esse vel contra sacramentum, vt si quis non credat Baptismum esse alicuius valoris, neque aliquid facium, & ideo nolit re vera baptizari, sed ludere & simulare; vel potest esse soli effectui sacramenti contraria, vt si quis sit infidelis in alijs rebus fidei, non tamen in ipso baptismo, vel etiam si sit infidelis in baptismo, vt si velit baptizari non credens baptismum aliquid esse, volens tamen accipere quicquid ille sit.

Secundus modus fictionis dicitur esse, quando quis indeuote accedit, hoc est, quando quis suscipit sacramentum cum voluntate adhærente alicui peccato.

Tertius modus fictionis dicitur esse per contemptum ipsius sacramenti, qui tantus esse potest; vt excludat intentionem suscipiendi sacramentum, atq; ita sit fictio contraria veritati sacramenti, vt si quis velit exterius baptizari, non tamen verum sacramentum suscipere, solum vt illudat sacramento, & in irreuerentiam eius; aliter tamen potest hæc fictio esse contraria effectui tantum, vt si quis velit suscipere sacramentum sine debita dispositione: quia pro nihilo ducit illam inuitam facere sacramento, neque in hoc vult recognoscere dignitatẽ sacramẽti, ad illud se digne præparando.

Secundo obseru. est, quod isti tres modi fictionis reduci possunt ad illos duos, quos tangit Doct. in hac q. sub litte. a. Nam dupliciter aliquis potest ficte sacramentum Baptismi recipere: Vno modo: quia est fictus fictione, quæ impedit recipi sacramentum, vt si ostendat se velle recipere ablutionem baptismalem, eo modo & fine quo sibi ecclesia intẽdit conferre eam, & tamen habet contrarium in animo: quia videlicet non vult eam nisi derisorie & sicut alibi se balnearet propter complacentiam, vel immunditiam corporis remouendam, & talis licet baptizetur materialiter, nullo tamen modo formaliter Baptismi sacramentum recipit: imò prædicta fictione recedente est iterum baptizandus.

Scotus.

Alio modo pôt. quis ficte baptizari fictione quæ non impediat sacramentũ, sed aliquem eius effectum, vt omnis ille, qui vel nõ habet rectã fidem, vel quocumq; dũ baptizatur est actualiter in peccato mortali: quia aut nõ dolet de pꝫterito, sed cõplacet in eo, aut est in proposito cõmittẽdi in futuro.

His obseruatis sit prima conclusio. Fictus primo modo, vel per infidelitatẽ baptismo contrariam, vel quia simulat se velle suscipere sacramentum, quod tñ suscipere non intẽdit, non recipit sacramentum baptismi. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. a. §. Vno modo, quando ostendit, &c. patet, ex q. præcedenti: quia talis fictus simpliciter est nolẽs respectu ablutionis sacramentalis, licet sit volẽs respectu ablutionis simplicis, & si talis postea recederet a fictione, esset baptizandus. Ecclesia tñ iudicaret eum non reclamantẽ cõsensisse in ablutionẽ sacramẽtalẽ, & cogeret eũ ad obseruantiã fidei Christianæ: quia præsumeret partẽ meliorẽ; quũ signa magis prætendunt eã. Et prob. per simile de ficto cõtrahente matrimonium: Nam si ficte promittat aliquis ducere Virginem in vxorem, & dicat verba requisita, tamen interius habeat nolle, & talis est vere fictus, & nullo modo contrahit matrimonium, Ecclesia tamen coget eum ad standum cum ea, & ad seruandam præcepta matrimonialia.

1. Conclu.

Scotus.

Et si dicas si ecclesia cogat illum, sequitur quod cogat aliquem ad peccandum mortaliter: quia ad cognoscendum vxorem, quam scit non esse suam, & per consequens peccabit ex certa malitia.

Rñdet Tataretus, quod talis non debet ecclesiæ obedire; & si dicatur, quod tũc ponet scandalũ in ecclesia; dicit, quod nõ; & si iterũ dicatur, quod tenetur obedire ecclesiæ, rñdet, quod magis tenetur obedire Deo, et Xpi pꝫceptũ obseruare.

Tataretus.

Sed tu dicas, quod ecclesia coget eum ad cohabitãdum, non ad petendũ, vel reddendum debitum (vel vt dicit Doctor) adulterium cõsensum matrimonialẽ in eam, sed de hoc erit sermo in materia de sacramento matrimonij, in 3 Tom.

Secunda

Digitized by Google

Secunda Conclusio, fictus infidelis infidelitate non repugnante baptismo vere suscipit sacramentum; adeo quod fictio infidelitatis, hoc est, infidelitas non impedit susceptionem sacramenti. hæc conclusio est Alex. de Ales, & Scoti loco supra relato, & probatur ex D. Gregorio lib. 1. epist. 51. & refertur de consecrat. d. 4. c. ab antiqua, vbi scribens Quirino Episc. inquit: ab antiqua patrũ institutione didicimus vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cũ ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ reuocentur. Nam Arrianos occidentalis Ecclesia per manus impositionem, orientalis vero chrismate reconciliat. Monothelitas vero, idest qui dicunt tantum vnam voluntatem esse in Christo, scilicet humanitatis non diuinitatis de fide interrogat, & tunc baptisma quod apud hæreticos receperunt eis proficit ad salutem. Hoc autẽ non esset si recta fides esset de necessitate baptismi, ergo recta fides non requiritur ex necessitate ad receptionẽ baptismi.

D. August. Secundo probatur ex D. August. lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 14. Non interest (inquit) cum de sacramenti integritate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum; interest quidem plurimum ad salutis viam, sed nihil interest ad sacramenti rationem.

Et confirmatur ex cap. Maiores de baptismo, & cap. de Iudæis, d. 45. vbi definitur, quod ille qui per vim, & coactus baptizatur, si baptismo consensit, est cogendus ad seruandã fidem absolute, & sine vlla limitatione, ergo etiam si cum incredulitate, & infidelitate ad baptismum quis accedat, si tamen baptizari vult, baptismũ recipit, & verũ sacramẽtũ.

Et confirmatur secundo, ex praxi Ecclesiæ; quia si fictus huiusmodi supponat se operationi sacerdotali consentiens in id, quod facit Ecclesia, & abluatur secundum formam Ecclesiæ, constat, quod nullo casu consequenter iterum baptizatur; imo quemlibet admissum voluntarie baptizatum cogit ad seruandam fidem, etiam si constet fuisse infidelem, vel hæreticum cum baptizatus est; nec permittit illum iterum baptizari; sed si non suscepisset sacramentum baptismi, iterum esset baptizãdus, ergo talis recipit baptismi sacramẽtũ.

Præterea fictio siue infidelitas est mortale peccatum; sed recepto baptismate si pœniteat de peccatis mortalibus baptismus iam habet effectum, nec iteratur, ergo fictio siue infidelitas non impedit susceptionem sacramenti.

Conclusio Alex. de Ale. Tertia Conclusio, fictio infidelitatis impedit susceptionem rei sacramenti, id est, gratiæ. hæc conclusio est Alex. & Scoti vbi supra, & probatur, quia sine fide impossibile est placere Deo Hebr. 11. & Roma. 3. iustitia Dei per fidem Iesu Christi, &c. quod ipsum passim probat in eadem epist. ad Roma. c. 11 & etiam in epist. ad Galat. & definitum diserte hoc est in Concilio Trident. sess. 6. c. 6. & 7. & confirmatur ex illo Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. ex quibus verbis patet, quod baptismus, qui sufficit ad salutem, requirit fidem; sed illa sola sufficit ad salutem in qua suscipitur res sacramenti, idest, gratia ergo &c.

Conclusio Quarta Conclusio, fictus secundo modo, idest, qui ostẽdit se esse dispositum ad receptionem gratiæ, & sacramenti, & tamen non est dispositus suscipiens baptismum, verum recipit sacramentum si intendat eum recipere, eo modo, quo in Ecclesia confertur, hæc concl. est Scoti vbi supra. § Alio modo. & probatur ex cap. sicut ficti. 1. q. 1. vbi dicitur, quod ficti non ficte suscipiunt sacramentum, quantum ad substantiam ipsius sacramenti. vbi sic legitur. sicut ficti veraciter non ficte recipiũt, nec eorum baptisma reprobatur: sic & illa quæ schismatici, vel hæretici, si non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia cum ad nos veniunt, non emendamus, sed proprie approbamus.

Conclusio Quinta Conclusio fictus hoc secundo modo non recipit effectum Baptismi, idest, gratiam. hæc conclusio est Scoti vbi supra, & probatur ex D. August. lib. de pœnit. c. 2. dicentis omnis qui suæ voluntatis iam arbiter est constitutus, cũ accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare, sed fictus modo prædicto ad baptismum accedens non habet displicentiam veteris vitæ, ergo non potest nouam vitam gratiæ inchoare. *August.*

Præterea idem D. August. lib. 1. de baptismo contra Donatistas c. 12. & refertur de consecr. d. 4. c. 42. Tunc (inquit) valere incipit baptismus ad salutem cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante peccatorum ablutione non sinebat fieri, ergo illa fictio impediebat peccatorum ablutionem, atque adeo gratiam. Et confirmatur: quoniam secundum D. August. Deus non iustificat nolentem, qui enim creauit te sine te (inquit D. Aug. tract. 72. in Ioan.) non iustificabit te sine te; sed talis fictus obicem ponit suæ iustificationis, nolens auerti ab infidelitate, vel peccato, quod tunc actu committit, vel nolens habere displicentiam præcedentium peccatorum, quæ ante commisit, ergo nõ recipit in baptismo gratiam iustificantem, quia vt dicitur sapientiæ primo. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.

Et si dicas, ergo talis fictus manet perplexus omni salutis via sibi præclusa, itque adeo saluari non poterit. probatur: quia nullus saluari potest sine gratia baptismali; sed ille non potest illam recipere. quia non potest iterum baptizari, ergo non potest saluari.

Respondet Scotus vbi supra § Respondeo, quod talis baptizari non potest: quia Deus instituit baptismum irreiterabilem; ne si baptismus posset sæpius iterari, daretur hominib. sæpius occasio delinquendi propter plenam peccatorum remissionem tam pœnæ, quam culpæ, quæ in baptismo confertur; quod autem in baptismo fiat condonatio omnis pœnæ docet D. Ambrosius super epist. ad Rom. cap. 11. & refertur de consecr. d. 4. cap. Si pœnitentia, vbi dicitur gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, vel planctũ, vel aliquod opus, sed omnia gratis condonat; sed cum nulli hominum, quotiescumque labenti præcluserit Deus in hac vita salutis viam: quia non ad maiorem miserationem voluit Deus quemlibet hominem obligare erga proximum, quã ipse erga hominem sibi subditum habere voluerit, & Petro quærẽti Matth. 18. quoties deberet dimittere fratri peccanti in ipsum septies, an pluries? respondit clemẽtiæ Rex. Non tibi dico septies, sed septuagies septies: imo secundum D. August. in homi. Millies millies, & vniuersaliter quoniescumque peccauerit, & recognouerit parcendum est illi. Sic ergo misericors Deus instituit aliud remedium quoties cũque peccanti in hac vita; sacramentum videlicet pœnitentiæ; Ideoque dicit Scotus quod tali ficto patet via salutis per veram pœnitentiam de tali fictione; iuxta D. August. sententiam de baptismo paruulorum, cap. 12. ita dicentis. Tũc valere incipit baptismus ad salutem, cum illa fictio veraci cõfessione recesserit, quæ corde in malitia perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri. *D. Ambros.* *D. August.*

Et si iterũ dicas, Baptismus expellit peccata, quæ insunt baptizato; ergo nullum peccatum illius, qui baptizatur impedit effectum baptismi, & per consequens fictus recipit baptismi effectum, consequentia videtur manifesta, & antecedens probatur: certum est enim baptismum expellere peccata, atqui non potest expellere illa, quæ iam sunt dimissa, ergo expellit illa quæ insunt baptizato. Et cõfirmatur, quia culpa originalis, quæ proprie, & immediate opponitur gratiæ baptismali non impedit quin baptizatus recipiat graciã baptismalem; ergo multo fortius videtur, quod nec culpa actualis, quæ non ita primo, & immediate sibi opponitur.

Respondet Scotus, (& est responsio ad tertiũ principale) quod peccatum potest inesse dupliciter, vno modo quantum ad reatum, ideo quia non est remissum, altero modo quo ad complacentiam, primo modo peccatum dicitur esse in habitu, secundo modo dicitur esse in actu, quamuis prius perpetratum sit. Tunc enim peccatum est, cum voluntas actualiter vult peccatum, baptismus autem expellit peccatũ, quod inest primo modo, si de illo habeatur aliqua displicẽtia; illa vero quæ insunt quantum ad complacentiam, vel quæ in ipsa receptione baptismi committuntur, baptismus non expellit, atq; adeo fictio non expellitur: quia in baptismo committitur, & inuenit obicem contrariæ voluntatis.

Ad confirmationem dico, quod licet originale peccatum non impediat gratiam baptismalem, quin habeat effectum in baptizato, tamen actuale impedit in adulto non contrito, vel saltem non attrito, sed hoc est quia baptizandus ponit obicem gratiæ, scilicet voluntatem permanendi in peccato, quod non facit paruulus, purgandus ab originali. Vnde proprie loquẽdo nec originale, nec actuale impedit gratiam baptismalem, quin habeat effectum in baptizato, sed potius ipsa voluntas inordinata ipsius baptizandi.

Gratia quo modo sit fortior peccato. Et si dicas, gratia fortior est quolibet peccato, quia gratia natura aliqua est culpa vero defectus, vel priuatio modi, speciei, & ordinis, ergo expellit quodcumque peccatum, atque

Digitized by Google

atque adeo etiam peccatum fictionis. Respondeo, quod re vera gratia est fortior quolibet peccato proprie loquendo, quando scilicet non inuenit obicem in voluntate, vnde qđ non expellat peccatum, hoc facit voluntas resistens, & impediens. Possumus de gratia, & culpa dupliciter loqui, vel prout ad inuicem comparantur, vel prout comparantur respectu subiecti, primo modo fortior est gratia, quia illa actiua tantum, culpa tantum passiua, quia culpa non est aliqua natura, atque ita nullam habet actionem proprie loquendo. Secundo modo fortius dicitur in quod liberum arbitrium magis consentit gratiæ, e contrario in ficto nõ cõtrito fortior est culpa quam gratia eadem ratione.

Et si iterum dicas. D. Paulus ad Gal. 3. sine vlla exceptione dicit. Quicumque baptizati estis Christum induistis, sed Christum nullus induit nisi per gratiam eius, ergo omnes baptizati recipiunt gratiam, etiam ficte accedentes. Respondet Scotus dupliciter, primo negando minorem: quia non solum per gratiam induunt homines Christum in baptismo sed etiam per characterem Christianitatis. Vnde ficti induunt Christum in baptismo. Nam quamuis non recipiant gratiam, recipiunt tamen characterem, quo mediãte Christi familiæ ascribuntur, itaque in baptismo duplex communiter datur indumentum, scilicet charitas vel gratia; & character, primum indumentum est specialiter filiorum, secũdum potest dici commune omnibus de familia.

Secundo respondet, quod aliud est baptizari in Christo; aliud vero in Christi nomine baptizari, in Christo baptizãtur, qui virtutem Christi, id est, gratiam recipiunt. In Christi vero nomine baptizantur, qui sacramentum sine gratia recipiunt. D. ergo Paulus dicit, quod Christum induunt illi, qui in Christo baptizantur; ficti autem non in Christo, sed in nomine Christi baptizantur, atque adeo non induunt Christum per gratiam.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad suscipiendum Baptismum, & gratiam eius sit necessaria aliqua dispositio.

IN hac quæstione est sermo præcise de adultis. Nam infantes non sunt capaces propriæ dispositionis, & per infantes intelliguntur omnes, qui numquam ratione vti potuerunt etiam si grandioris ætatis sint; & è conuerso adulti dicuntur omnes, qui aliquando habuerunt vsum rationis; quamuis contingat esse amentes, vel furiosos eo tempore, quo baptizantur.

Item etsi in titulo dicatur ad suscipiendum baptismum tamen quæstio mouetur præcise de effectu gratiæ sanctificantis, & remissionis peccati, nam de effectu characteris certa res est, nullam postulare dispositionem præter voluntatem suscipiendi sacramentum, quia vt diximus quæst. præcedenti, hæc voluntas sufficit ad veritatem sacramenti, at non potest esse verum sacramentum baptismi, quin conferat effectum characteris, ac proinde non potest maior dispositio requiri ad effectum characteris, quam ad veritatem sacramenti. Ceterum in hac quæstione supponitur verum sacramentum suscipi, & consequenter hominem accedere cum sufficienti voluntate recipiendi sacramentum, atque ita recipere characterem eius; id autem quod inquirimus est, an ad recipiendum vlteriorem effectum alia dispositio necessaria sit.

Vnde obser. est, quod duplex potest in homine adulto attendi dispositio ad effectum baptismi. Vna ex parte intellectus, altera vero ex parte voluntatis: hæc quæstio tota est de dispositione voluntatis. Nam inter catholicos, imo etiam inter hæreticos nulla controuersia est, quin ex parte intellectus sit necessaria fides quoniam sine fide impossibile est placere Deo, vt dicit D. Paulus ad Hebræos 11. est enim omnis iustitiæ fundamentum. Controuersia solum est an ex parte voluntatis aliqua alia dispositio requiratur. Lutherani negant: quia putant fidem sufficere ad omnem iustitiã Quod confirmant in proposito ex verbis Christi Domini Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. In quibus præter baptismum nihil aliud ad salutem postulatur, nisi fides.

Secundo obseru. est, quod adultus potest ad baptismum accedere duobus modis; priori modo cũ solo originali pec-

D. Thomas catorinam non admittimus sententiam D. Thomæ asserentis teneri hominem quam primum peruenit ad vsum rationis conuerti ad Deum, Ideoq; vel statim peccare mortaliter, si quod tenetur facere omittat, vel iustificari si faciat qđ tenetur. sed credimus illud naturale præceptum non statim vrgere, & obligare, sed aliquod tempus esse admittendũ, pro quo possit conuenienter, & humano modo impleri, itẽque post impletum illud præceptum (quod sine fide impleri potest) non statim sequi iustificationem, atque adeo posse hominem aliquo tempore esse in peccato originali, prius quam vel illius remissionem obtineat, vel mortaliter peccet, licet forte moraliter vix casus contingat. Altero modo potest adultus accedere ad baptismum cum peccato originali, & actuali.

His obseruatis de hac re fuit sententia Gabrielis in 2. d. 32. q. 1. Vbi distinguit inter effectum remissionis peccati originalis, & infusionem gratiæ, ac remissionem peccatorũ actualium, & ad primum effectum dicit sufficere voluntatem suscipiendi baptismum, ad alium vero requirit aliquã aliam dispositionem. Vnde infert si quis accedat ad baptismum cum intentione suscipiendi illum, & cum complacẽtia alicuius peccati mortalis consequi remissionem peccati originalis nõ vero gratiam, & remissionẽ peccati mortalis. Gabriel.

Ceterum cum peccati originalis remissio sit ablatio veræ culpę, atque adeo reconciliatio in amicitiam, Dei hac distinctione Gabrielis nihil excogitari potest improbabilius magisq; doctrinæ Catholicæ contrarium. Nam constat peccatum originale non remitti sine infusione gratiæ, vt fere apertis verbis definit Concilium Trident. sess. 6. vbi docet peccatum in quo homo nascitur filius Adæ, non remitti, nisi per iustificationem, quæ est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, quam translationem dicit fieri in baptismo per infusionem gratiæ, & donorum, tamquam per formalem causam. Atque hinc fit peccatum originale numquam dimitti, sine alijs peccatis mortalibus, vt plane supponit Cõcilium in tota illa sessione, & ideo indifferenter loquitur de remissione peccatorum, quæ hominem constituunt Deo inimicum, inter quæ computatur peccatum originale: nam est vera mors animæ; vt idem Concilium definit sess. 5. can. 2, & ideo cap. 5. eiusdẽ 5. sess. cõcludit. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet &c. anathema sit. Nulli ergo remittitur peccatum originale, nisi cui diuina gratia confertur; diuina autem gratia nullum peccatum mortale secum admittit, ergo remissio omnium peccatorum mortalium necessario coniuncta est cum remissione peccati originalis ratione diuinæ gratiæ, & iustitiæ. Sicut enim est certum vnum peccatum mortale nõ remitti sine alio, quia nullum remittitur sine infusione gratiæ, cui quodlibet peccatum mortale repugnat, ita non remittitur peccatum originale sine mortalibus: quia tam cõstituit hominem Deo inimicum, tamquam per diuinã gratiam, & sanctitatem tollendum est, sicut mortale.

Refutatur Gabrielis sententia. Conc. Trid. Originale non remittitur sine aliis peccatis mortalibus.

Repugnat igitur catholicæ doctrinæ, quod Gabriel ait de remissione originalis peccati sine mortalibus, & sine infusione gratiæ, & consequenter etiam repugnat aliquam dispositionem sufficere ad remissionem peccati originalis sine mortali; quando illa duo connexa sunt. Nec; vllum est inconueniens illud quod infert, aliquem esse vere baptizatum cui non sit remissum peccatum originale, imo hoc est necessario fatendum, de ficte sacramentum baptismi suscipiente, propter obicem quem posuit, vt docet Maior hac d. q. 2. sub finem: quoniam licet ille sit regeneratus in Christo, quoad veram sacramenti susceptionem, & quo ad impressionem characteris, non tamen necesse est, vt suscipiat omnes effectus huius regenerationis, si ex parte subiecti nõ est sufficiens dispositio. Maior.

2. Sententia

Secunda sententia fuit quorumdam scholasticorum, qui solum requirunt ex parte voluntatis, vt actualiter non sit affecta alicui peccato mortali, & quod velit subdi baptismo, & recipere illud, hanc sententiam videtur docuisse Caietanus 3. p. q. 86. art. 2. dub. 4. circa solutionem ad primũ. Vbi dicit in baptismo non requiri propositum emendæ, in qua ratio formalis pœnitentiæ consistit, sed baptismum inquantum includit voluntatem suscipiendi ipsum in remissionem omnium peccatorum includere sufficiens propositum emendæ: quia qui vult subijcere se baptismo, & fatetur Caietanus.

se pec-

Digitized by Google

se peccasse,& detestatur priorem vitam moriendo illi, & subijcit se Deo, vt nouum Christi membrum. Sentit ergo Caietanus ipsam voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtualem pœnitentiam, & cõsequenter esse sufficientem dispositionem ad iustitiam, per baptismum obtinendam.

Scotus. Eadem sententia solet tribui Doct. nostro sub. quatenus infra.d.14.q.4.art.3.sub litt. D. dicit, non requiri nisi voluntariam susceptionem baptismi sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia,& sine actu, vel voluntate peccati mortalis.

Ceterum quod spectat ad Caiet. non existimo ipsum docuisse non esse ad baptismum necessariam aliquam pœnitẽtiam actualem, expresse enim ibi affirmat requiri detestationem vitæ prioris, sed explicat ea re Caiet. pęnitentię modum, qui in baptismo certe sufficiat. Nam per propositum emendæ (vt reor) intelligit propositum resarciendi iniuriã Deo factam per proprium actum: Nam dicit in hoc proposito sępe enim formalem rationem pœnitentiæ, constat autem rationem formalem obiecti pœnitentiæ esse resarcire iniuriam Deo factam: Huiusmodi autem propositum re vera non est ad baptismum necessarium quia ibi non oporte vt homo intendat, quod in se est facere ad compensandã diuinam iniuriam, sed solum consequi remissionem culpæ per baptismalem gratiam. Nam si displicentia peccatorum est ibi necessaria, non tam est ad satisfaciendum Deo, quã vt subiectum sit conuenienter dispositum, ad effectum gratiæ,& remissionis peccati. Et quoad hoc verum est, quod Caiet. ait voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtuale propositum emẽdæ pro peccatis, quo ad culpam,& quo ad pœnam ratione tanti beneficij, quantum est baptisma. Quod intelligendum est, quando illa voluntas est ita efficax, vt secum afferat reliqua omnia necessaria ad hoc beneficium obtinendum. Atque hunc

D. Ambros. sensum consonat locus Ambrosij, quem Caiet. adducit. Nã solum ibi negat non requiri satisfactionem pro peccatis remissis in baptismo: quia omnia integre,& gratis remittuntur, quoad culpam,& pœnam,& consequenter etiam negabit voluntatem satisfaciendi formaliter proprie loquendo; non tamen inde sequitur non esse necessariam displicentiã peccatorum, vt conuenientem dispositionem ad iustitiam.

Vega. Quam haud etiam negat Scotus, vt late ostendunt Ve-
Corduba ga lib 9.in Triden.c.15.& lib 13.c.33.& 34.& Corduba lib. 1 Theolog.quæst.q.2. expresse enim Scotus in hac q. sub littera C.D & E. dicit, esse fictum ad recipiendum effectum baptismi, qui accedit cum peccato mortali, vel actu præsente, vel præterito, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur; Nec docet cõtrarium d.14. loco supra relato: Nam semper requirit ad effectum sacramenti, quod non sit actu, vel voluntate peccatum mortale: sed quam diu peccatum prius commissum nullo modo displicet, potest dici esse in uoluntate, quamuis non sit in actu.

Cuiuscumq; tamen sit hæc secunda sententia, in hũc modum impugnatur. Velle recipere baptismum in remissionẽ peccatorum, non est idem quod pœnitere veteris vitæ; sed necessarium est pœnitere veteris vitæ ad consequendũ gratiam baptismi, ergo qui tantum vult baptizari in remissionẽ peccatorum absq; alia displicentia, non recipit gratiam ba-

D. August. ptismi: Minor est sententia D. August. lib. de Medicina pœnitentiæ.cap.2. omnis qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est eum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare. & Maior probatur. quia manifestũ est aliquem posse habere illũ actum, volo baptizari in remissionem peccatorum, absq; eo quod sibi peccata displiceant. Nam inter homines hoc quotidie contingit: multi enim qui alios offenderunt petunt sibi iniuriam condonari, quibus tamen non displicet iniuria commissa: ergo non est idem velle baptizari in remissionem peccatorum,& pœnitere veteris vitæ.

Conc. Trid. Præterea Concilium Tridenr. sess. 6 c 6. tractans de modo præparationis ad iustificationem, postquã dixit ꝙ initiũ talis præparationis incipit à timore diuinæ iustitiæ, subdit. Ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod,& detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quã ante baptismum agi oportet,& sess.4.cap.1. docet pœnitentiam esse necessariam ijs qui volunt ablui sacramento Baptismi, sed velle ablui baptismo, est idem quod velle recipere baptismum in remissionem peccatorum, nisi adsit pœnitentia,& dolor de peccatis;& cõfirmatur ex verbis, quę subsequuntur, vbi explicans quæ sit illa pœnitentia, inquit, vt peruersitate abiecta,& emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio,& pio animi dolore detestarentur.

His opinionibus explosis vt vera de hac re habeatur sententia, pono tres conclusiones. Prima conclusio. Ad suscipiẽ- *1. Conclusio*
dum digne sacramentum Baptismi est necessaria fides, & displicentia peccatorum. Probatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ numquam adultum aliquem baptizat, quin prius instructum in fide,& moribus Christianis; ergo non est licitum baptizare contra Ecclesiæ consuetudinem cum infidelitate,& complacentia peccatorum ratio huius conclusionis est: quia accedens ad Baptismum sine fide, vel cum proposito peccati facit iniuriam sacramento: quia impedit effectum illius.

Secunda Conclusio. Si cõtingeret hominem adultum ac- *2. Conclusio*
cedere ad baptismum sine peccato mortali; cum solo originali, non esset illi necessaria pœnitentia aliqua, sed sufficeret voluntas, ac propositum profitendi,& seruandi legem Christi. Probatur: quia illi non est necessaria pœnitentia, cum per voluntatem suam non se auertit à Deo, neq; conuertit ad creaturam, ergo sufficit voluntaria acceptatio gratiæ, hanc vero habet hoc ipso, quod voluntarie acceptat baptismum; nam qui vult caussam, vult effectum eius, cui quantum est in se obicem non ponit. Item pœnitentia proprie est de peccatis ab ipso pœnitente commissis; est enim retractatio,& displicentia propriæ voluntatis; sed hic homo, de quo loquimur, propria voluntate non se auertit à Deo, & conuertit ad creaturam, ergo non est illi necessaria pœnitentia, quatenus proprie significat displicentiam prioris vitæ, aut propositum satisfaciendi Deo pro culpa commissa.

Probatur secunda pars, scilicet, quod sit ei necessaria volũtas ac propositum profitendi,& seruandi legem Christi: quia Deus non iustificat adultum nisi cõsentientem, vt diximus in superiori art. concl.4. cum enim hæc iustitia includat veram ac propriam amicitiam inter Deum,& hominẽ, vtriusque etiam voluntarium consensum postulat, si homo capax illius est,& potens ad præstandum illum, ergo necessaria est aliqua dispositio, qua huiusmodi homo amplectatur baptismum,& baptismi effectum, cuiæ quidem dispositio necessaria, aut est imperfectus amor Dei; aut (quod fere idem est) propositum obediendi Deo in omnibus saltem spe retributionis, vel ob timorem pęnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorum seu cuiuscumq; virtutis, quælibet autem ex his videtur apta dispositio iuxta necessitatem talis subiecti & aliqua huiusmodi videtur necessaria: Nam sicut in eo, qui peccauit, requiritur detestatio prioris vitæ,& propositum recte viuendi in futurum, ita in eo qui non peccauit requiritur aliqua voluntatis conuersio ad Deum, vel saltem ad obedientiam eius, seu mandatorũ obseruationem: etenim hæc non exigitur tantum ratione peccati commissi, sed per se ad instituendam nouam vitam,& conuenienter voluntarie amplectendã ipsam iustitiam. Alexand. de Ales vbi sup. dicit, quod adultus nõ habens peccatũ actuale, sed originale tantum, non tenetur dolere super eo nisi ratione status: nam contritio proprie est cõtra illud peccatum, quod actualiter gessit; originale vero peccatum aliũde est contractum. Conuenit autem dolere de hoc, quod habet huiusmodi peccatum, per quod posset separari æternaliter a visione Dei,& hoc est ratione status in quo est: quia iam habet vsum rationis,& fidem.

Tertia Conclusio. In adultis qui cum peccato originali *3 Conclusio*
habent coniunctum aliquod peccatum mortale, necessaria est aliqua displicentia peccatorum, ad recipiendam gratiã baptismi. Conclusio hæc est iam certa de fide, eamque docent omnes scholastici, in 4.d.4.& 5 & est apertissima sen-
tentia Scoti in hac q. locis supra relatis,& probatur primo *Scotus.*
ex testimonijs scripturæ, quibus vtitur etiam D. August. in lib. de fide & operibus cap.4.& sequen. Nam ei, qui peccauit mortaliter, pœnitentia est medium ad salutem necessarium, iuxta verba Christi Lucæ 13. Nisi pęnitentiam egeritis omnes simul peribitis,& Ioan. Bapt. præparans viam ad baptismum Christi initium fecit a prædicatione pœnitentiæ,& baptismum dabat in remissionem peccatorum Mat-
th.3.& Lucæ.3. vt optime tractat Chrysost.hom.11.in Mat *Chrys.*
th.& ideo Petrus Act.2.dicebat; pœnitemini & baptizetur vnusquisq; vestrum. Item ob eamdem caussam Apostolus ad Hebræos.6. baptismum appellat pęnitentiam.. E. D. Petrus epist.1.

Digitized by Google

epist.1.cap.3. Saluos (inquit) nos fecit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, id est, non tantum qua ratione ablutio est corporis, sed etiam vt ex penitentia cordis responderur simul illi interrogationi, an sit animus renunciare Diabolo, & pompis eius; iuxta expositionem D. August.

D. August. Conc. Cart. Conc. Aqu. Conc. Trid. Secundo probatur ex Concilijs Carthag.4. c.85. Aquisgran.1. sub Ludouico pio Imperat. c.114. & Trident. sess. 6. cap.6. Vbi ad modum præparationis ad iustificationem pertinere definitur, vt quis moueatur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet, & sess. 14. c.1. docet pœnitentiam omni tempore fuisse necessariam ad salutem, his verbis. Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quo vis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria, illis etiã qui baptismi sacramento ablui petiuissent, vt peruersitate abiecta, & emendata tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur, &c.

Clem. Rom. Dionysius. Tertullian. Greg. Naz. Basilius. Chrysost. Ambrosius. Augustinus Tertio probatur ex Patribus, qui secundum fidei traditionem idem docuerunt Clemens Roma. lib.5. const. Apos. c.16. Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarch. c.2. Tertull. in lib. de Corona militis, & in lib. de baptismo sub finem. Gregor. Nazianz. orat. in sanctum lauacrum Basilius lib.1. de Bapt. Chrysost. hom.21. ad populum Antiochenum. Ambros. lib. de his qui mysterijs initiantur, sed audiamus D. Augustinũ tribus in locis, primo in lib. de vera, & falsa pœnitentia. ca. 18. Baptismus (inquit) sine pœnitentia numquam profuit ei, qui peccauit spontanee. Deinde in lib. de Pœnitentiæ medicina c.2. vbi habet illam sententiam, omnis qui voluntatis suæ factus est arbiter, cum accedit ad sacramenta fideliũ nisi cum veteris vitæ pęniteat, nouam inchoare non potest, & infra. Ab hac penitentia soli, qui baptizantur pueri immunes sunt. Idem docet 3. serm. 11. ad fratres in eremo. O compunctio sancta, sine qua adultis non prodest baptismus.

Quarto probatur ratione: Nam quem peccatorum non pœnitet, in eo affectus ad peccandum viget, ergo non est idoneus ad effectum baptismi percipiendum nempe gratiam, quam Deus non dat, nisi illam quis quodam modo acceptauerit, detestando contrarium statum peccati. itaque impediret talis sacrilege sacramenti effectum, ac proinde peccaret illud sine pœnitentia suscipiendo. Item qui baptismum suscipit nouam vitam profitetur, ergo necesse est, vt à veteri vita per pœnitentiam recedat.

Ex his sequitur, quod si ille, qui baptizatur, haberet se negatiue circa peccata actualia, id est, nec haberet complacentiam, nec displicentiam, iste non cõsequeretur baptismi gratiam. probatur manifeste ex authoritate D. Aug. supracitata, vbi dicitur. Nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare, sed non penitet veteris vitæ eum, qui se habet negatiue, ergo non inchoat vitam gratiæ in baptismo: probatur minor; quia pęnitere veteris vitæ est habere detestationem illius, sed ille qui se habet negatiue, non detestatur vitam veterem, nec alium actum positiuum habet, ergo non pęnitet eum veteris vitæ.

D. August. Sed contra hanc tertiam cõclusionem videtur esse D. August. lib. de falsa & vera pœnitentia. c.8. vbi ita scribit. Pęnitentia baptizandis nõ est necessaria; sed baptizatis de maioribus, & minoribus peccatis pęnitendum est. Item D. Ambrosius super epist. ad Roman. c.11. & refertur in cap. sine penitentia. de consecr. d.4. sine pęnitentia (inquit) sunt dona, & vocatio Dei: quia gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, nec requirit planctum, vel opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonat, ergo non requiritur aliqua displicentia ad consequendam gratiam baptismi. *D. Ambros.*

Ad hoc dico, quod D. August. loquitur de baptismo præcise considerando id, ad quod fuit per se institutus: Nam baptismus primo, & per se ordinatus est ad tollendum originale peccatum; hoc ergo sensu vere dicitur baptismum per se non requirere pęnitentiam, quod autem cum hoc sint cõiuncta mortalia, quæ simul tollantur, est per accidens. Et hunc esse Augustini sensum constat: quia statim subdit adulto sine pęnitentia non prodesse baptismum; constat etiã ex ratione quã subdit. s. quia ad tollendum originale peccatũ, quod non est propria voluntate contractum, non est necessaria pęnitentia, & eamdem doctrinam repetit alijs in locis supra citatis.

Ad D. Ambr. dico, quod illa verba intelliguntur de satisfactione exteriori: idest, non requiritur aliqua pęnitentia, & satisfactio exterior in baptismo, sicut in sacramento pęnitẽtiæ: quia baptismus delet peccata quantum ad culpam, & pęnam: nec obstat quod ibi expresse dicitur, quod sufficit sola fides, ex quo verbo videtur, quod præter fidẽ nõ sit necessaria aliqua displicentia; dico enim quod illa dictio sola non excludit interiorem pęnitentiam, sed solam exteriorẽ de qua loquebatur.

Præterea arguitur secundo, baptismus minorem requirit dispositionem in suscipiente, quam sacramentum pęnitentiæ, sed ad consequendum effectum pęnitentiæ sufficit minima displicentia peccatorum, ergo ad suscipiendum effectum baptismi nulla displicentia requiritur, sed sufficit non habere complacentiam, & velle baptizari in remissionẽ peccatorum. probatur minor: quia sufficit attritio, quæ est minima displicentia.

Attritio duplex. Ad hoc dico primo quod minor est falsa; & ad probationem dico, quod duplex est attritio, vna quæ existimatur cõtritio; altera vero quæ est nota esse attritionem, & hæc secũda est minor displicentia, quam prima: dico ergo secũdum opinionem communem, quod ad consequendam gratiam in sacramento penitentiæ requiritur attritio existimata contritio, & nõ sufficit attritio nota, atq; ita falsa est minor, quę dicit sufficere minimam displicentiam peccatorum in sacramento pęnitentiæ. Si tamen concedamus, quod in sacramẽto pęnitentiæ sufficit attritio nota: distinguo maiorem, per se verũ est, quod requiritur minor dispositio in baptismo, quia per se institutus est contra peccatũ originale, de quo non est necessaria aliqua displicentia ad consequẽdã gratiã in baptismo. Per accidens vero contingit requiri eamdẽ dispositionẽ in baptismo, quæ requiritur in sacramento pęnitentiæ: quoniam contingit peccatũ originale coniũctũ esse cum mortalibus, quæ sine aliquo dolore non delentur.

Et si dicas, quãdocunq; baptismus non inuenit obicẽ causat effectum suum, sed ille cui non placent peccata quãuis non displiceant, non ponit obicem, maxime si vult baptizari in remissionem peccatorum ergo iste homo consequitur gratiam. Nego minorem, nam quamuis ille non cõplaceat in peccatis, tamen obicem ponit, eo quod accedit ficte, deberet n. habere displicentiam peccatorum, quam non habet.

ARTICVLVS III.

Vtrum non contritus accedens ad baptismum recipiat effectum baptismi.

PRobatum est in superiori art. dolorem aliquem esse necessarium ad baptismi gratiã consequendã, in hoc autẽ art. examinandũ est, quantus dolor, quantaue displicentia peccatorum sufficiat, & est sermo in hoc art. solũ de homine adulto, qui hẽt peccata mortalia, præter originale: nã de habẽte tãtũ originale peccatũ iã dictũ est in superiori art.

De hac re variæ referuntur snīæ, quæ in ad duas reduci possunt. Quidam. n. existimant, requiri contritionẽ; quidã vero dicunt attritionem sufficere. Qui dicunt requiri contritionẽ in duplici sunt differentia: alij dicunt simpliciter & absolute esse necessariã: Alij vero q̃ per se loquẽdo necessaria est contritio ad effectũ baptismi, tamen ex accidẽti pp ignorantiam inuincibilem põt minor dispositio sufficere, nimirũ attritio existimata contritio. Priorem sententiam docet Gabriel in 4. d.4. q.2. concl.4. & d.14. q.2. & Marsilius in 4. q.2. in principio. eos secutus est Petrus Soto lec.4. de baptismo, & lec.7. de pęnitentia, & videtur fuisse sententia Alex. de Ales. p.4. q.8. m.7. art.2. §.2. & D. Th. 3. p. q.68. art.6. ad 3. & q.69. art.1. ad 2. & q.86. art.2. ad 1. & in 4. d.4. q.2. art.1. quæstiũcula.2. & super ad Rom. 11. circa illa verba Sine pęnitentia sunt dona Dei; vbi dicit in baptismo non requiri externam confessionem, sed internam contritionem. *Gabriel. Marsilius. Petrus Soto. Alex. de Ales. D. Thomas*

Conc. Trid. Fundamentum huius sententiæ sumi põt ex Conc. Trid. sess.6. c.6. & 7. vbi describens primam iustificationẽ adulti, quæ fit per baptismũ ponit oẽs actus, quibus necesse est disponi eum, qui per baptismum iustificandus est, & inter eos ponit amorẽ Dei, & dolorem de peccatis; sed hi actus sunt, qui cõtritionẽ perficiũt, ergo iuxta Cõcil. doctrinã cõtritio est necessaria dispositio ad iustitiã baptismalẽ obtinendam.

Nauar. Corduba. Posteriorem sententiam docent Nauarrus in summa. c.1. nu.39. & Corduba lib.1. Theolog. quæst. q.2. ad 3. satis tamen de sua sententia dubitans. Fundamẽtum prioris partis

est idem

Digitized by Google

est idem, quod præcedentis sententiæ posteriorem autem partem probant: quia alias numquam baptismus primam gratiam conferret, quod est inconueniens, vt videbimus.

Qui dicunt attritionem sufficere sunt etiam bipartiti. Nã Sotus in 4. d.6. q.1. art.7. docet, quamcumq; displicentiã peccatorum absolutã cum proposito emendæ, etiam si naturalis sit & viribus naturę concepta esse sufficientem dispositionem ad effectum huius sacramenti, eamdem sententiam repetit lib.2. de natura, & gratia c.15. vbi significat etiam si dolor sit conceptus ex motiuo humano, qualis est metus infamiæ, aut mortis, sufficere cum hoc sacramento ad iustitiã. quem secutus est Valentia tomo 4. disp.4. q.3. puncto 1. Fundamentum esse potest; quia qui sic est dispositus non ponit obicem sacramento: quia non habet voluntatem affectam alicui peccato, sed sacramentum dat gratiam nõ ponẽti obicem, ergo &c. Et confirmatur, quia minor dispositio sufficit cum sacramento baptismi, quam pęnitẽtiæ, vt significat Cõcil. Trid. sess.14. c.2. vbi pp hanc causam dicit sacramẽtũ pęnitẽtiæ vocatũ esse à Patribus laboriosum baptismũ: quia nimirũ maior dolor in sacramento pęnitentiæ requiritur, quã in sacramento baptismi; sed in sacramento pœnitentiæ sufficit attritio sup.naturalis, ergo ĩ baptismo sufficiet naturalis.

[Ca]nus. Canus vero in relectione de pęnitentia, par.3. docet per se loquendo, requiri, & sufficere quamcumq; attritionẽ veram, etiam si naturalis sit, tamen ex accidenti, & ob ignorantiam inuincibilem posse interdũ obtinere effectũ sacramẽti sine tali dispositione vera, sed solũ existimata. Quacũq; n. ratione homo accedit bona fide ad Baptismũ (inquit) est satis dispositus si talem se existimat, vt consequatur baptismi effectum, quamuis re vera dispositus non sit.

Cæterum. Vt de hac re dicã, quid sentiam, respondeo ad difficultatem quatuor cõclusionibus. Prima Conclusio. Ad effectum baptismi obtinendum non est necessaria pęnitentia, quæ sit contritio. Quidam fundare conantur hanc conclusionem in Concil. Trid. sess.6. c.6. & 7 vbi idcirco de industria à patribus dictum esse videtur, quod ante baptismũ in adultis requiratur non odium absolute, sed aliquod odiũ & detestatio peccati, quo dicendi modo indicant satis fore si excludatur affectus ad peccatum per qualẽcumq; displicentiam; sed magis confirmatur ex eodem Concil. sess.14. Nam in c.1. loquens de pęnitentia indifferenter, prout communis est ad contritionem, & attritionẽ, dixit necessariã fuisse omnibus hominibus etiam illis, qui sacramento baptismi ablui petiuissent; sed in c.4. loquens de contritione dicit, fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso, quibus verbis aperte indicare videtur ante baptismum contritionis motum non esse necessarium, & in eodem met cap.4. significat ad comparandã iustitiam cum sacramento pęnitentiæ non esse necessariam contritionem, sed attritionem sufficere sed in sacramẽto baptismi facilius venia conceditur, vt idem Cõcilium tradit, ergo si contritio non est necessaria in sacramento pęnitentiæ multo minus est necessaria in baptismo. *[Con]clusio*

Præterea si contritio in suscipiente baptismum necessario requiritur, talis non iustificaretur baptismo fluminis, sed flaminis, atq; adeo baptismus aquæ nũquam primam gratiam conferret: nam semper adultus ad baptismi sacramentũ iustificatus accederet, contritio. n. non est sine gratia Dei.

Item baptismus est sacramentum regenerationis, sed per generationem accepit homo suum esse naturale totum, ergo, & per baptismum suum esse spirituale, dũmodo nõ ponat obicem complacentiæ peccatorum; atq; adeo hoc sacramentum vt suum effectum conferat, non supponit peccatũ remissum, & hominẽ iustificatũ: quomodo. n. ordinaretur ad dandã vitã spiritualẽ, si prius sẽper illã ad necessariã supponeret? at illã supponeret, si necessario cõtritionẽ supponeret. Nam peccati remissio, & gratiæ vita statim per cõtritionem datur, vt modo ex materia de pęnitentia supponimus.

[Con]clusio Secunda Conclusio. Ad consequẽdam gratiam baptismi sufficit habere attritionem: etiam si cognita sit, nec est necesse vt existimetur contritio, de priori parte nulla est difficultas, nã sequitur euidenter ex præcedenti conclusione: quia non est necessaria contritio, ergo sufficit attritio, consequentia patet, quia omnis displicentia peccati, vel est attritio vel contritio; antecedens probatur. quia per baptismum confertur gratia, dummodo suscipiens non ponat obicem complacentiæ peccatorũ, sed attritus non ponit obicem, neq; cõplacet in peccato. ergo non est necessaria contritio, sed attritio sufficit. hæc cõclusio quo ad hanc primam partem est Scoti in hac q. Rich. eadẽ d. art.3. q.1. Durandi eadẽ d. q.2. & Pal. eadẽ. d. q.1. & quo ad secundã partẽ docet eã Sotus locis supra citatis, & Corduba. dicta. q.2. qui refert Turrecr. in c. Si quotiescumq; de consecr d.2. & in eodẽ sensu videntur illã intellexisse Scotus Rich. Dur. & Palud. locis citatis, & colligitur ex D. Th. q.68. art.4. vbi dicit peccatoribus esse dandũ baptismũ, etiam si maculã, & reatũ pręsentis peccati habeãt, quia est ad hoc specialiter institutus, vt per ipsum peccatorũ sordes mundentur, iuxta illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, sed clarius hoc docet q.79. art.3. ad 2. vbi dicit rectè accedere ad hoc sacramentum illum, qui habet etiam conscientiam peccati mortalis, habere autẽ conscientiam peccati mortalis non solum est hominem cognoscere se aliquando peccasse, nam in hoc sensu non solum ad baptismum, sed etiam ad Eucharistiam potest homo conscius peccati mortalis commissi digne accedere, quod tamẽ ibi negat D. Th. differentiam in hoc constituens inter baptismum, & Eucharistiam, ergo habere cõscientiã peccati mortalis est existimare seu recognoscere hominem nondum sibi esse remissum peccatum, qui autem habet hanc conscientiam necesse est, vt existimet se non esse cõtritũ, ergo iuxta sniam D. Th. cũ hac existimatione, & cõsciẽtia põt qs digne accedere ad hoc sacramentum, & consequi effectum eius. *Scotus. Richardus Durandus Paludanus. Sotus. Corduba D. Thomas.*

Et confirmatur ratione. Nam ob id pęnitentia requiritur ad baptismũ vt se moueatur affectus à peccato, ne. s. amplius vigeat, sed hoc per notã attritionẽ de peccatis fieri põt ergo attritio nota ad baptismi effectũ consequẽdũ est satis.

Tertia Conclusio. Hæc attritio sufficiens ad effectũ baptismi non est necesse, quod sit supernaturalis obiectiue. i. non est necesse, quod de peccatis quis doleat quatenus sũt offensa Dei; sed sufficit qualiscumq; pęnitentia imperfecta, quæ tñ absolute remoueat affectũ ad peccatum. i. faciat vt non amplius vigeat. Qualis est illa pęnitentia, quæ est de ipsis peccatis in se sub quacumq; ratione, quis illa detestetur, siue ea ratio sit quatenus sunt offensa Dei, siue vt habẽt reatum pęnæ æternæ, siue vt habent ignominiam, siue ob quẽcumq; alium eiusmodi respectum, quę pœnitentia solet nominari attritio, vel contritio imperfecta. Hæc conclusio est mihi certa, & valde consona his quæ docet Doc. noster sub. infra d.14. q.2. sub litt. m. & n. et q.4. sub litt. D. & C. Nam quod quidam vrgent generales scripturæ sententias de necessitate pęnitentiæ; intelligi illæ debent nisi sacramentum, & maxime baptismi suppleat perfectam illam pęnitẽtiam. Alioqui, & si ad casum baptismi illas sententias accõmodate velint: non modo probabunt requiri ad baptismum pęnitentiam de peccatis, quatenus sunt offensa Dei, sed etiam pęnitentiam absolute perfectam, quæ. s. sit dolor super omnia. Nam eiusmodi quoq; pœnitentiam absolute requirit scriptura, Deinde attritio illa qualiscumq; etiam, est absolute pœnitentia quędam. Itaq; possumus generales illas scripturæ sententias interpretari, vt sit sensus; necessariam esse pęnitentiam de peccatis perfectam, atq; adeo vt sunt offensa Dei (id enim pertinet ad contritionem perfectam) si eam non supleat sacramentum, vel qualemcumq; si suppleat. *3 Conclusio* *Scotus.*

Quarta Conclusio. Ad consequendam gratiam baptismi sufficit habere dolorem in cõmuni de peccatis commissis, ita quod non est necessarium in hac pœnitentia expresse dolere de singulis peccatis, sed satis fuerit dolere de aliquib. in specie, & de reliquis in confuso, & in genere, ita Sotus, & Nauar. locis citatis concedunt, & probatur, ex illa authoritate D. Aug. iam citata, in qua dicit quod sufficit pęnitere veteris vitæ. ergo nõ est necessarium inuestigare singula peccata, & de singulis dolere ex qua authoritate posset forte nõ improbabiliter colligi, nec de illis quidẽ peccatis in specie necesse esse, vt aliqs in baptismo doleat, sed satis fore si doleat in genere de omnib. vt nimirũ facit is, q vult rectè suscipere baptismũ in remissionẽ peccatorũ, quẽadmodũ in Ecclesia datur ex intẽtione Christi Dñi. Nã & hoc opinatur Caie. 3. p. q.68. art.2. circa responsionẽ ad 1. satis esse in adultis, vt rectè suscipiãt baptismũ, Neq; tñ vt aliq interpretantur negat Caie. ad baptismũ necessariã esse aliquã pęnitentiã actualẽ, vt diximus supra. Obseruandũ aũt est ad hanc pœnitentiã quã diximus in baptismo satis esse, pertinere quoq; propositum vitandi de cętero peccata: Id autem patet; qm vt in baptismo relinquit quis pristinã vitã; ita etiam inchoat, & profitetur nouam; quare vtrumq; necessarium est, vt & de pręteritis *4 Conclusio* *Sotus. Nauarus. D. August.* *Caietanus.*

teritis doleat, & nouam vitæ rationem sibi proponat.

Ad fundamentum prioris sententiæ dico, vt optime notauit Vega lib. 6. in Trident. c. 28. 29. & 30. Concilium in illis capitulis nihil de contritione agere, sed solum de attritione. Nam in illo c. 6. initium illius dispositionis post actum fidei ponit in timore diuinæ iustitiæ, & addit actum spei in Christum, cum autem peruenit ad amorem nullam mentionem fecit dilectionis Dei super omnia, qui est amor perfectus ad contritionem spectans, sed solum ait: Illumq; (s. Deum seu Christum) tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, quæ verba significant sermonem esse de amore imperfecto: quia incipere diligere non est perfecte diligere: & deinde statim subdit. Ac propterea statim mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet. In quibus verbis duo notanda sunt. primum est, quod dicit odium aliquod, quod diminuit de odio, vnde non exigit summum odium, summamque detestationem, qualis est contritio. Secundum est quia dicit per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet. Pœnitentia autem quam agere oportet ante baptismum non est contritio, sed attritio tantum. Tandem in omnib. testimoniis quæ ibi Concilium adducit nullum est, quod de contritione aut de amore Dei super omnia loquatur, sed solum de pœnitentia in genere.

Sed contra hoc arguitur ex c. solet etiam. de consecr. d. 4. vbi de dispositione, quæ requiritur ex parte baptizati D. Aug. lib. de vnico baptismo. c. 53. dicit, quod baptismus non prodest ad salutem iis, qui caruissent charitate, qua catholicæ inserer entur Ecclesiæ, sed charitas non consequitur per solam attritionem, ergo non sufficit attritio ad gratiam baptismi consequendam.

Respondeo, quod ibi charitas non accipitur pro habitu infuso, quo homines mundantur à peccatis, sed pro intentione pia, & humili recipiendi baptismum in salutem animæ: Loquitur. n. ibi D. Aug. de illis, qui ficte, aut iocose baptizantur, de quibus dicit, quod sine charitate. i. sine intentione prædicta, baptismus non prodest illis ad salutem.

Item attritio est dolor de peccatis, propter inferna tormenta, aut propter aliud incommodum temporale, sed huiusmodi dolor non sufficit ad consequendam gratiam in baptismo, ergo non sufficit attritio ad consequendam gratiam baptismalem: maior est nota, & minor probatur. Nullus potest reconciliari Deo nisi pœniteat eum offensæ, contra ipsum Deum commissæ; sed eum, qui dolet de peccatis propter inferni tormenta, non pœnitet offensæ contra Deum commissæ, sed potius de damno, quod propter peccatum incurrit; ergo dolor de peccatis propter inferni tormenta non sufficit in baptismo ad consequendam gratiam illius. Ad hoc nego minorem, & ad probationem dico minorem esse falsam. Nam ille qui dolet de peccatis propter inferni tormenta, licet non doleat ea ratione, qua Deum offendit, nihilominus dolet de peccatis ipsis: non. n. solum dolet de inferni tormentis, quæ timet, sed de peccato: quia fuit causa illius damni.

ARTICVLVS IV.

Vtrum qui ficte accedit ad sacramentum Baptismi, recedente fictione Baptismi effectum recipiat.

EST communis sententia omnium Theologorum, quod homo, qui ficte baptizatur, non recipit gratiam in baptismo, at si postea fictionem tollat, statim effectum baptismi consequitur iuxta ea quæ habentur in cap. Tunc valet e. de conse. d. 4. sed difficultas consistit, quomodo baptismus potest habere effectum suum in illo, qui cum baptizatus fuit non recepit gratiam baptismi fictione recedente. Pro cuius explicatione oportet videre primo quid sit fictio illa, quæ impedit effectum baptismi, nimirum an sint peccata commissa, vel aliquid aliud, secundo quomodo fictio illa sit tollenda, & denique tertio cum baptismus iam non sit quomodo possit effectum aliquem causare.

1 Conclusio. Quo ad primum sit prima conclusio. Peccata mortalia ante baptismum commissa non sunt fictio. probatur. fictio impedit effectum baptismi, sed peccata mortalia ante baptismum commissa non impediunt effectum baptismi, ergo non sunt fictio; probatur minor: quia baptismus expellit illa peccata, & mundat animam ab illis: ergo illa peccata non impediunt effectum baptismi.

Præterea probatur ex nominis significatione: quia fingere est ostendere exterius id, quod interius non habetur, vt si aliquis homo ostendat se Petrum diligere, quem tamen non diligit; nullus autem qui debite baptizatur ostendit se non habere peccata, si habeat illa, ergo habere peccata non est fictio. Probatur, quia omnes qui baptizantur profitentur se baptizari in remissionem peccatorum: sequitur ex hac conclusione euidenter, quod fictio est peccatum, quod ipsa receptione baptismi committitur. probatur. quoniam peccata præterita non sunt fictio, nec etiam illa quæ post baptismum committuntur possunt esse fictio, ergo fictio est peccatum quod in ipso baptismo perpetrarunt.

Secunda Conclusio. Fictio est dispositio mala, qua aliquis accedit ad baptismum. probatur, sola fictio impedit effectum baptismi, ergo omne quod impedit effectum baptismi est fictio. Tunc vltra peccata ante baptismum non impediunt effectum baptismi, vt dictum est; sed mala dispositio impedit effectum baptismi, ergo mala dispositio est peccatum fictionis. probatur minor: Nam si ille, qui baptizatur accederet bene dispositus consequeretur gratiam baptismi, ergo propter malam dispositionem non consequitur gratiam baptismi. 2 Conclusio

Tertia Conclusio. Hæc mala dispositio aliquando est peccatum commissionis, interdum vero omissionis. hæc conclusio patet ex vltimo notabili posito pro explicatione tituli quæst. 3 Conclusio

Quod attinet ad secundum, s. quomodo fictio sit tollenda est opinio Palud. in 4. d. 4. q. 5. dicentis, quod si ille, qui ficte fuit baptizatus, habet postea dolorem illum, quem suscipiendo baptismum debuisset habere, s. attritionem, statim per virtutem suscepti baptismi dimittitur ei peccatum fictionis, atq; alia si post baptismum commisit, ita quod fictio secundum eum tollitur per baptismum susceptum. Fundamentum eius est: Attritio sufficiebat quando homo ille fuit baptizatus ad consequendam gratiam in remissionem peccatorum omnium, quæ erant in anima; ergo etiam attritio sufficit postquam ille homo est baptizatus, probatur consequentia: quia baptismus potest habere eundem effectum. Paludanus

Sed contra Palud. sit hæc conclusio. Peccatum fictionis non potest deleri per baptismum. hæc conclusio est communis sententia omnium Theologorum, & probatur baptismus, non potest delere illud peccatum, quod fuit causa fictionis, quando baptismus fuit receptus a ficto; ergo nec etiam poterit illud delere postquam receptus est. probatur consequentia: quoniam postquam baptismus receptus est non habet maiorem efficaciam; ergo si quando receptus fuit non potuit delere peccatum fictionis, nec postquam receptus est poterit illud delere. Ratio huius conclusionis est: quoniam omnia peccata, quæ homo committit intra iurisdictionem Ecclesiæ pertinent ad sacramentum pœnitentiæ, peccatum autem fictionis committitur intra iurisdictionem Ecclesiæ; quoniam committitur in ipsa receptione baptismi, in qua homo non submittitur Ecclesiæ iurisdictioni. Contra Paludan.

Ex hac conclusione sequitur, quod peccatum fictionis est delendum per contritionem, vel confessionem, probatur: quoniam non sunt alia remedia contra peccata præter baptismum. & Pœnitentiæ sacramentum, ergo si illud peccatum non deletur per baptismum erit delendum per pœnitentiæ sacramentum, atque adeo per contritionem, vel confessionem, probatur ex D. August. lib. 1. de Bapt. contra Donatistas c. 12. & refertur de Consecr. d. 4. c. Tunc valere. Tunc valere (inquit) incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit. Corollarium D. Aug.

Sequitur secundo, quod peccatum fictionis, & omnia alia peccata post baptismum commissa necessario sunt confitenda: probatur euidenter: quia omne peccatum mortale, quod per baptismum non deletur, necessario est confitendum. 2. Corollarium

Ad fundamentum Palud. nego consequentiam; & ratio est: quia attritio sufficit, quando homo baptizatur ad consequendum per baptismum remissionem peccatorum eorum, quæ ante baptismum commisit; Fictio autem non committitur ante baptismum, sed in ipso baptismo, atq; adeo postea per baptismum deleri non potest sola attritione.

Quo ad tertium, quomodo baptismus causare possit effectum, postquam iam transijt, diuersæ sunt opiniones, Scotus tamen in hac q. sub litt. C. D. E. & F. tangit triplicem modum dicendi. Primus modus dicendi qui est secundus relatus ab Soto, existimat quod quando ille homo delet fictionem per pœnitentiam; datur illi gratia maior, quam solet dari virtute pœnitentiæ tantum, & quod pœnitenti de fictione illa, perfecte infunditur gratia, quam virtute pœnitentiæ præcise infunderetur: includit. n. in se gratiam baptismalem, & pœnitentialem, & quamuis tota illa gratia detur virtute pœnitentiæ; nihilominus baptismus dicitur habere ibi effectum suum, propterea quod gratia, quæ illi homini datur, æquiualenter continet gratiam baptismalem. Scotus

Et si

Etsi contra hunc modum dicendi arguatur, quod tunc sequeretur, quod homo ille habuisset commodum de peccato fictionis, quod est absurdũ; sequela probatur, quia si non fuisset fictus, & post baptismum debite susceptum similia peccata commisisset, & pœniteret de illis, non consequeretur tantam gratiam, quantam modo recipit: quia fuit fictus, ergo habet commodum de peccato fictionis: antecedẽs probatur; quia non consequeretur maiorem gratiam, sed illam præcise, quæ virtute pęnitentiæ conferri solet. Tu autem dicis illum, qui tunc fuit fictus in baptismo habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam.

Respondetur dupliciter, & primo negatur consequẽtia, & ad probationem dicitur, quod licet verum sit antecedẽs, consequens tamen non sequitur; quinimo patitur talis homo maximum detrimentum. Nam toto illo tempore postquam ficte baptizatus est, vsque ad pęnitentiã est filius diaboli, & gehennę, & omnia opera eius sunt nullius valoris; si aũt non fuisset fictus, fuisset filius Dei, & Regni, quoad vsque peccaret mortaliter, & opera eius bona fuissent meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, atque ita maiorem gratiam haberet, quam consequitur, dum de fictione pœnitet.

Secundo respondetur ẽt negando consequentiam, & ad probationem negatur antecedens; & ratio est: quia oĩs qui resurgit a peccato mortali per pęnitentiã recuperat tantam gratiam, quãtam amisit qñ cecidit, & aliquid amplius, atq; adeo cum ille, qui non fuit fictus receperit in baptismo gratiã baptismalẽ, quãuis postea per peccatũ mortale amittat illã, nihilominus qñ resurgit ab illo peccato per pñiam, recipit totã gratiam, q̃ amisit. i. eam quam in baptismo recepit, & per peccatũ mortale amisit, & aliquid amplius per pęnitentiam; Ille vero qui fuit ficte baptizatus; qñ per pœnitentiam tollit fictionem, recipit gratiam, quæ illi data fuisset in baptismo, & etiã aliquid amplius per pœnitentiam; ex quo sequitur, quod ille, qui fuit fictus, non recipit maiorem gratiam, quando tollit fictionem, quam consequeretur, si non fuisset fictus, atque ita non habet commodum de fictione.

Secundus modus dicendi, (qui est tertius relatus ab Scoto) dicit, quod qñ recedit fictio nulla gratia datur p̃p baptismum; sed solum per pñiam; nec tñ virtute pęnitentiæ datur maior gratia ea, quæ solet conferri his, qui post baptismum peccant mortaliter: & agunt pñiam. Quia non vr̃ rationi cõsentaneum, quod si duo hoĩes habeant æqualẽ contritionẽ, ęqualium peccatorũ, alter maiorẽ gratiã recipiat propterea quod ficte fuit baptizatus; & alter qui debite fuit baptizatus recipiat illã minorem, cum tñ non habeat minorẽ cõtritionem, nec peccatum eius sit grauius. Praterquã quod ille lapsus post baptismũ, etsi quantum ad aliquid grauius peccauerit q̃ fictus; tñ fictus quãtum ad aliquid grauius peccauit: quia sacro irreuerentiam fecit. Nihilominus adhuc baptismus dr̃ habere effectum suum: quia homo ille fit filius Dei recedente fictione eo modo, quo factus fuisset si baptismum debite suscepisset; atque ẽt quia non est amplius obligatus ad suscipiendum baptismũ. Cæterũ pęnitẽs de fictione gratiã recipit tm̃ virtute pęnitentiæ: atque adeo illa verba, quæ dicuntur de effectu baptismi, quem sortitur penitẽs de fictione; intelligenda sunt non quod virtute baptismi pęnitens de fictione aliquam recipiat gratiam: quia susceptio eius mortua fuit, & mortuus reuiuiscere non põt: sed quia vt diximus, pęnitens de fictione efficitur filius regni, & absolutus est a præcepto de baptismate recipiendo, quoniã præceptum illud iam impleuit.

Ex quo sequitur, quod actualiter peccans mortaliter in alio siue in illo actu, potest implere præceptum affirmatiuum, etiam in illo actu, contra illos qui dicunt pœnitentiam a confessore iniunctam, & in peccato mortali factam non valere, de quo erit sermo in materia de pœnitentia.

Tertius modus dicẽdi, qui est primus, quẽ refert Scotus censet, quod ablata fictione, baptismus delet oĩa illa peccata, quę ante baptismum sunt commissa: ita quod ad hoc vt ille hõ, qui ficte fuit baptizatus gratiã consequatur, debet habere contritionẽ peccati fictionis, & aliorũ, quæ post baptismum commisit, & statim dimittit illi Deus oĩa peccata, fictionem quidem, & illa quæ post baptismum cõmisit per contritionem; alia vero quæ ante baptisma sunt commissa, per ipsummet susceptum baptismum, ita quod fictio quæ gratiam baptismalem impediuit per veram pœnitentiam dimittitur, qua fictionis culpa dimissa baptismus hẽt effectũ suum respectu omnium peccatorum præcedentium baptismum, quæ non impediebant baptismi effectum, v. g. baptizatur aliquis habens 7. peccata mortalia: qui venit ad baptismum attritus de sex peccatis tantum; & cum septimi cõplacentia, vel absque vlla attritione, vel displicentia de tali peccato, illud 7. peccatum fuit tantum fictio, & in causa quare non recepit effectum baptismi.

Dicit ergo Scotus, quod ad hoc, qđ talis fictus possit habere gratiam baptismi oportet eum habere contritionem de septimo illo peccato, & de indispositione, qua ad sacramẽtũ accessit, quibus peccatis virtute pœnitentiæ dimissis, Deus sex alia peccata, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, non ratione contritionis, quæ necessaria non est de illis, sed virtute iam suscepti baptismi. Et hic modus dicẽdi, qui cõior, & probabilior, & cui magis Scotus adhæret in hunc modum probatur. Sicut Deus signo suo nempe sacrõ primo astitisset ad causandum, vel dandum effectum eius, idest, gratiam, qñ sacrm̃ suscipiebatur nisi fuisset impedimẽtum, nempe fictio in suscipiente; ita paratus est semper post signi, idest, sacri susceptionem, assistere ei, qui illud suscepit ad causandum effectum eius, quando cessat impedimentũ; atque adeo ablata fictione, baptismus eundem habet effectum, quẽ habuisset, nisi fictio fuisset apposita; sed si fictio non intercessisset omnia peccata ante baptismum commissa sustulisset, & gratiam contulisset, ergo ablata fictione omnia peccata delet, & gratiam confert.

Ex hoc modo dicendi sequitur primo, quod nõ oportet dicere characterem in ficto aliquid operari ad gratiam, sed solum quod Deus ex eodem pacto assistit etiam postea ei, qui suscepit baptismum ad causandum effectum, quam cito obex tollitur.

Secundo sequitur, quod peccata ante baptismum commissa dimittuntur quantum ad culpam, & pœnam; probatur, quoniam peccata quæ baptismus delet, delet quo ad culpam, & pœnam; sed baptismus delet ista peccata, ergo dimittuntur quantum ad culpam, & pœnam.

Tertio sequitur, quod peccata ante baptismum commissa non sunt confitenda: probatur, quoniam illa non per pœnitentiam, sed per baptismum remittuntur; atque illa peccata, quæ per baptismum remittuntur non pertinent ad pęnitentiæ sacramentum, ergo peccata ante baptismum commissa, ad pęnitentiæ sacramentum non pertinent: probatur secundo, quando aliquis actu baptizatur non tenetur confiteri peccata, ad eorum remissionem obtinendam, ergo nec postquam baptizatus est, tenetur confiteri peccata ante baptismum commissa, probatur consequentia: quoniã eundem effectum, & eandem virtutem habet baptismus ablata fictione, quam habuisset si fictio non fuisset apposita.

Sed contra hunc modum dicendi arguitur. Illa fictio deletur per pęnitentiam; sed non dimittitur aliquod peccatum mortale nisi dimittantur omnia: quia vt dicit D. Augu- D. August.
stin. Impium est a Deo dimidiam sperare veniam, ergo per pęnitentiam delentur omnia peccata, etiam quæ commissa fuerunt ante baptismum, & non per baptismum fictione recedente, sed per pęnitentiam.

Præterea nullum peccatum, quod post baptismum inest homini, potest deleri absque pęnitentia: quia secundum
Diuum Hieronymum pęnitentia est secunda tabula post Hieron.
naufragium, sed alia peccata, quæ non fuerunt causa fictionis insunt homini ficto post baptismum, ergo non delentur nisi per pœnitentiam, & si fingas illa deleri per baptismũ, quando tollitur impedimentum effectus baptismi: quare non potest etiam illa fictio quæ fuit causa impedimenti tolli, quando cessat impedimentum per ipsum baptismum? Item recedente fictione iam baptismus non est, ergo nõ potest aliquid in anima causare, & per consequens non potest aliqua peccata delere recedente fictione.

Ad primum respondent aliqui, & dicunt, quod quando dr̃, per pęnitentiã delentur omne peccatum; alias venia esset dimidiata, quod hoc esset verum, nisi alia causa potior, & fortior superueniat. In proposito autem alia causa fortior, & potior superuenit, scilicet gratia baptismalis; atque adeo sex illa peccata delentur per gratiam baptismalẽ, quæ pęnitentiam, & effectum eius præuenit, & non per pęnitentiam.

Contra hanc responsionem arguit Scotus. Pœnitẽtia præcedit gratiam illam baptismalem natura, ergo illa peccata

Digitized by Google

non dimittuntur per gratiam baptismalem, consequentia probatur: quia prius naturaliter tollitur fictio, quam per baptismum aliquid causetur, sed in illo priori oportet habere veram pœnitentiam, quia fictio non tollitur nisi vera pœnitentia, secundum D. August. at vera pœnitentia, plene reconciliat Deo, quantum ad omnia, ergo pœnitentia præcedit gratiam baptismalem, atque adeo baptismus non potest præuenire effectum pœnitentiæ, quantum ad aliquid delendum in anima, imo pœnitentia præuenit quantum ad omnia.

Ideo aliter respondetur, quod vnum peccatum mortale non dimittitur absque alijs, atque ita ficto baptizato, & postea pœnitenti, omnia simul peccata dimittuntur a Deo; nō tamen dimittuntur omnia virtute pœnitentiæ, sed illa, quæ ante baptismum inerant, & non fuerunt causa fictionis, dimittuntur a Deo virtute baptismi; fictionē vero, & alia peccata, quæ post baptismum sunt commissa dimittit Deus virtute pœnitentiæ: Nam pœnitentia non dimittit nisi illa peccata, quæ per se sunt pœnitentiæ obiectum, de quibus s. pœnitens penitet, cuiusmodi sunt omnia illa peccata, quæ sunt commissa post baptismum, vel in ipsa susceptione baptismi; atque adeo dicendum est, quod illa sex delentur, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam per baptismū, nec de eis oportet habere contritionem, nec confessionem, nec satisfactionem, sed solum de illo septimo, quod fuit causa fictionis, quod quidem per pœnitentiam deletur.

Ad secundum similiter respondetur, quod peccata quæ insunt post baptismum non delentur absque pœnitentia, ratione tamen pœnitentiæ solum illa delentur, quæ sunt pœnitentiæ obiectum, idest, illa de quibus pœnitens conteritur: illa videlicet, quæ commissa sunt post baptismum, & quæ in ipso baptismo fuerunt causa fictionis; alia vero delentur ratione baptismi suscepti, & pœnitēti de fictione datur gratia per pœnitentiam: quia prius naturaliter tollitur fictio, quā baptismus operetur; datur etiam gratia baptismalis, per quā habet deletionem omnium peccatorum; atque ita iuxta hunc modus dicendi constat quo pacto post baptismum possit fictus gratiam baptismalem habere: Nam recedente fictione per pœnitentiam, cum baptismus susceptus non fuerit opus mortuum, quia fuit opus Dei, & non nostrum, per ipsū baptismum delentur omnia illa peccata, quæ non fuerunt causa fictionis, & de illis non est necessaria alia pœnitentia, neque confessio, fictio autem ipsa quia nō præcessit, sed fuit cum baptismo, atque solum illud peccatum quod fuit causa fictionis delentur per pœnitentiam, & de illis debet fieri confessio, & satisfactio.

Suarez. Sed contra hanc responsionem, & modum dicendi instat Suarez tom. 3. disp. 28. sect. 5. Nam ex hac Scoti sententia sequi videtur aliquod peccatum ante baptismum cōmissum esse necessario confitendum, probatur: quia dicit Scotus, qd si aliquis, quando baptizatur habet complacentiā alicuius peccati ante baptismum commissi, illud peccatū nō deletur postea recedente fictione per baptismum, sed per pœnitentiam. ergo si vera est sententia Scoti, aliquod peccatum ante baptismum commissum, est necessario confitendū: & ratio Scoti est: quoniam illud peccatum impediuit effectū baptismi, quando baptismus receptus est, ergo etiam impediret effectum baptismi postquam baptismus receptus est, atque adeo deleri non poterit per baptismum. Quapropter hic modus dicendi a Suarez impugnatur. Ceterum gratis, & sine summa ratione. Nam in peccato ante baptismum commisso, v.g. adulterio possumus considerare ipsum peccatum commissum in quo dicitur homo esse, quoad vsque sibi dimittatur, & hoc non impediuit effectum baptismi: quoniā si baptizatus non fuisset fictus, hoc peccatum adulterij per baptismum sibi fuisset dimissum, ergo peccatum adulterij nō impediuit effectum baptismi; ex quo sequitur, quod illud adulterium non est confitendum.

Possumus ē. considerare complacentiā illius peccati, quā ille habuit, quādo fuit baptizatus, & hæc fuit fictio, quæ impediuit effectum baptismi, quæ postea non deletur per baptismum, sed per pœnitentiam, & ideo est cōfitenda. Scotus igitur qn̄ dicit, quod peccatū illud, quod fuit causa fictionis non deletur per baptismū, non est intelligendus de ipso peccato adulterij, sed de complacentia adulterij: Nā illa, & non adulterium commissum impediuit effectum baptismi. Præterquam quod baptismus delet solum peccata cōmissa ante baptismum, non peccata commissa post baptismum, vel etiā ipsam baptismi receptionē concomitantia. Modo peccatum illud septimum, v.g. adulterium, in quo baptizandus cōplacet actualiter, est peccatum concomitans baptismi receptionem. cum (vt supponit Scotus) durat vsque ad instās in quo consummatur baptismus inclusiue. atque ē. post baptismū perfectum: Nam etsi adulterium, v.g. quoad actū, seu quoad substratum non duret, permanet tn̄ quoad voluntatem, & complacentiam, atque adeo inter peccata post baptismū commissa computandum est: quia iam non est tantum præcedens, vel concomitans, sed ē. subsequens, & ideo subiectū iā est clauibus ecclesiæ, & extra efficaciā baptismi, oportet ergo illud peccatum confiteri, atque de illo conteri.

Ad tertium respondeo, quod sacramenta dicuntur causa gratiam, ea ratione qua mouent Deū vt causa morales ad producendam gratiam. Baptismus itaque quando receptus fuit obligauit Deū ex pacto ad hoc quod gratiā conferret ablata fictione; atque adeo gratia, quam Deus confert, ablata fictione est effectus baptismi iam præteriti.

QVAESTIO VI.

Vtrum iam iustificati teneantur ad susceptionem baptismi.

PRo explicatione huius tituli obser. est, quod iustificatio, vt docent patres in Concil. Trid. sessio. 6. c. 4. est trāslatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statū gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, quæ descriptio non ad omnem iustificationem impij se extendit, sed solum ad primam omnium iustificationē; atque adeo hæc trāslatio post Euangelium promulgatum fieri non pōt sine lauacro regenerationis, aut eius voto, vt ibi Concilium determinat. Iustific. in gratia pr.

Secundo obser. est, quod non solum per sacramentum baptismi, verum etiam per martyrium, & contritionem interdum consequitur homo remissionem peccatorum, & iustificatur per gratiam, qn̄ non adest copia baptismi. De martyrio probatur ex illis verbis Christi Domini Matth. 16. Qui perdiderit animam suam ꝑ me inueniet eam. i. qui mortuus fuerit ꝑ Christum saluabitur. Et de contritione patet testimonio Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur. Petit ergo quæstio, vtrum illi, quibus iam sunt peccata dimissa, per contritionem, vel martyrium; si martyr ad hanc lucem rediret; vel per circumcisionem tempore legis scriptæ, vel per gratiā Spiritus sancti, vt patet de sanctificatis in vtero matris, teneantur postea recipere sacramentum baptismi.

Martyr. & contr. appell. bapt. D. Tho. Tertio obser. est, quod contritio & martyriū appellantur baptismata ea ratione, vt inquit S. Tho. 3. p. q. 66. art. 11. quia supplent vicem baptismi, atque conueniunt cum baptismo in causando effectum principalem iustificationis, s. gratiam, non tamē imprimunt characterem. Vnde dicere quod per baptismum flaminis, vel sanguinis non iustificatur homo, neque consequitur salutem sine baptismo fluminis realiter suscepto hæreticum est, vt docet Alphonsus a Castro cōtra hæreses verbo baptismus, hæresi 10. Castro.

Quarto obser. est quod horum trium baptismatum, s. flaminis, sanguinis, & fluminis; solus baptismus fluminis. i. aquæ est sacramentum, quamuis Ioan. Maior. in 4. dist. 4. q. 3. sub finem, absque vllo fundamento dicat martyrium esse sacramentum, nec tamen sequi sacramentorū incrementū vltra numerum septenarium, quia inquit, ad baptismum attinet. Probatur tamen assumptum. Nam si præter baptismū fluminis essent alia sacramenta baptismi, sequeretur qd in lege noua essent plura sacr̄a, quam septem, quod est falsum, & contra Conc. Trid. sess. 7. can. 1. de sacr̄is in genere vbi dr̄. Si quis dixerit sacr̄a nouæ legis non esse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora q̄ septem, anathema sit: nec valet Maioris responsio, quæ cōfirmari potest ex sacr̄o ordinis: Nam quamuis non sint plura sacr̄a quam septem in lege Euangelica, nihilominus sūt plures ordines, quorum singuli sunt sacramenta partialia; ergo etiam esse possunt plura baptismata, quorum singula sint sacramenta: Non valet inquā responsio, & nulla est confirmatio; Nego enim paritatem rationis: nam quilibet ordo partialis continetur sub sacramento ordinis, baptismus autē fluminis, & sanguinis non continentur sub sacramento baptismi aquæ, quod est vere sacramentum, ergo essent distincta, & separata sacramenta, atque adeo plura quam septē. Solutio Maioris. Conc.

& con-

& confirmatur ex eodem Concilio in eadem sessio. can. 2. de baptismo, cuius sunt verba. Si quis dixerit aquam verã, & naturalem non esse de necessitate baptismi, anathema sit, ex quo sequitur, illud non esse sacramentum baptismi, cuius materia non est aqua, & proinde baptismata flaminis, & sanguinis non esse sacramenta baptismi, quia materia illorum non est aqua; ex his patet titulus quæst. quam diuido in duos articulos.

Primus Articulus. Vtrum baptismus sit ad salutem necessarius.

Secundus Art. Vtrum iustificati teneantur baptizari.

ARTICVLVS I.

Vtrum baptismus sit ad salutem necessarius.

[...]ũ dicitur aliquid ad salutem necessarium.

PRo explicatione huius artic. obser. est, quod illud dicitur necessarium esse ad salutem, sine quo gratia, qua salus est animæ, haberi non potest. Dupliciter autem est aliquid necessarium ad salutem, primo necessitate finis, & est illud sine quo gratia consequi non potest, quamuis illud non sit in præcepto, & hoc modo baptismus est paruulis necessarius ante vsum rationis, quia sine illo gratiam assequi non possunt, & tamen illo tempore non habent præceptum aliquod: quia pro ea ætate nõ sunt capaces præcepti. Aliud dicitur necessarium necessitate præcepti, & est illud quod homines facere tenẽtur, ne gratiam amittant, quamuis gratia ipsa alijs medijs consequi possit, & hoc modo est necessarium ad salutem honorare parentes: Nam quamuis homo sit in gratia, occurrente tamen præcepti materia, gratiã amitteret, nisi præceptum adimpleat, & de vtraque necessitate agendum est in hoc artic. & primo videndum est an baptismus sit de necessitate præcepti; secundo an baptismus sit necessarius necessitate finis.

Quoad primum est vnica Conclusio de fide tenenda; baptismus est necessarius necessitate præcepti. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub liter. A. & probatur. Si baptismus non esset de necessitate præcepti, sequeretur: quod illi qui sunt in gratia ante baptismum, non tenerentur baptizari, sed consequens est falsum, & contra fidem, ergo & antecedens; probatur minor: quoniam Nicodemus quando accessit ad Christum iam erat in gratia, vt dicit D. August. super Ioan. tract. 11. & nihilominus dixit ei Christus, esse necessariũ baptismum, ergo qui sunt iustificati tenentur baptizari.

Conc. Trid. Probatur secundo ex Concil. Tridẽt. sessio. 7. can. 5. de baptismo. Si quis dixerit baptismum liberũ esse, hoc est, nõ esse ad salutem necessarium, anathema sit. vbi licet non aperte declaret, an de necessitate medij vel præcepti loquatur, tamen etiam si sit sermo de necessitate medij, in illa omnino continetur necessitas præcepti, vt alias dicemus, & cũ Concilium negat baptismum esse liberum, manifestum est libertatem ibi opponi præcepti obligationi. Si n. non esset de necessitate præcepti lib[...]tum esset hominibus baptizari postquam iam iustificati sunt, ergo est de necessitate præcepti.

D. August. Et confirmatur: quia oppositum conclusionis est hæresis Manichæorum, & Massilianorum: qui vt August. in libr. de hæresib. c. 36. & 79. refert, negabant esse aliquod præceptum de baptismo. In quo errore fuerunt quoque Caiani hæretici. teste Tertullian. in lib. de baptismo. Tertullian.

Præterea qđ scriptura sacra sic ab hominibus requirit, vt sine eo neget salutem obtineri posse, id præcepto diuino imperatum est hominibus; sed scriptura sacra hoc modo baptismum requirit, ergo &c. Maior probatur: quoniam si aliquid ad salutem necessarium est, quod non idem esset diuinius præceptum; non esset satis hominibus seruare omnia præcepta diuina, vt vitam æternam consequerentur, quod est contra id, quod dixit Saluator Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ergo quicquid ad salutem necessarium est, id est præceptum diuinitus, quod quidem de his necessarijs ad salutem intelligendum est, quæ in actu, seu in vsu quodam consistunt, cuiusmodi est etiam baptismus: nam de habitibus, licet aliqui (vt gratia, & Theologicæ virtutes) ad salutem sint necessarij, non tamen propriè dantur præcepta, sed de actibus, quibus consequimur eiusmodi necessarios habitus. Minor est manifesta ex illo loco Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. vbi eodem plane modo baptismus requiritur ad salutem, quo requiritur penitentia apud Lucam, cap. 13. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, de qua dubium nõ est, quin sit præceptum.

Sed contra hanc conclusionem arguitur. Quoniam si ex aliquo loco scripturæ colligeretur baptismi præceptum, maxime ex illo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c. sed ex illo non colligitur, ergo ex nullo, probatur minor: quia alias sequeretur, quod baptismus esset necessarius ab eo tempore, quo illa verba dicta sunt, consequens est falsum: quia illa verba dicta sunt ante passionẽ. & baptismus ante passionẽ non fuit in præcepto, ergo & illud ex quo sequitur. Ad hoc nego minorem, & ad probationem nego sequelam: Nam quamuis ex illo loco colligatur præceptum baptismi pro aliquo tempore, alias illa verba essent falsa; tamen non colligitur esse præceptum, pro illo tempore: quoniam adhuc non erat promulgata sub præcepto lex euangelica.

Potest etiam dici, quod quando Christus præcepit Apostolis vt baptizarent omnes gentes, implicite alijs præcepit vt baptizarentur, sicut præcipiendo Apostolis, vt alios docerent, præcepit alijs, vt audirent, & crederent; & quando præcepit Apostolis vt peccatores absoluerent, præcepit implicite peccatoribus vt absoluerentur.

Ex hac conclusione sequitur primo, hoc præceptum baptismi omnibus hominibus positum esse, & quantum est ex se, ex quo positum est, omnes obligare, qui sunt capaces præcepti, quod patet ex generalitate verborum Christi. Nisi quis renatus fuerit &c. Et baptizate omnes gentes.

Secundo sequitur, hoc præceptum quantum est ex se obligasse etiam illos homines, qui eo tempore viuebãt, quo Christus hanc legem tulit, quantumuis essent iusti, & sancti; obligauit itaque Apostolos, & Beatissimam etiam Virginem: quia omnibus necessarium fuit veiri ecclesiæ pro[...]t a Christo instituebatur, & subdi iurisdictioni eius, & fieri capaces aliorum sacramentorum eius, & ideo omnibus est impositum hoc præceptum, quamuis iam non esset illis necessarius baptismus ad peccati remissionem.

Sequitur tertio obligare hoc præceptum infideles omnes; est enim a Christo datum, qui potestatem habuit excellentiæ ad obligandum omnes, & verba legis ad omnes diriguntur.

Sequitur quarto. Nullum hominem proprij arbitrij capacem posse iuste aliqua humana potestate impediri quo minus baptizetur si velit. Itaque & filius inuito patre, & seruus inuito domino, & quilibet priuatus homo inuito suo principe, seu Republ. baptizari potest, & grauiter contra præceptum Christi delinquit, qui eum tentat impedire, ipseque ius habet se defendendi si potest; imo & Ecclesia habet etiam potestatem defendendi illum ex vi illorum verborum. Docete omnes gentes, bãptizantes eos. & illorum. Pasce oues meas.

Quoad secundum, an scilicet baptismus sit necessarius necessitate finis, est opinio Caiet. 3. par. q. 68. art. 2. asserentis, Caietan. quod si non adsit copia baptismi, sufficit pro paruulis baptismus in voto parentum, explicans autem quale debeat esse votum hoc; dicit quod pater debet munire paruulum morientem signo crucis cum inuocatione Trinitatis & offerre illum Deo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, quo facto paruulus ille saluabitur, & idem tenet de morientibus in vtero matris, de cuius opinione iam dictum est supra art. 3. q. 4 huius dist.

Primum fundamentum Caietan. est. Quia fides non erat maioris virtutis tempore legis scriptæ, quam tempore legis euangelicæ, sed tempore legis scriptæ, quando paruuli non poterant circumcidi ante diem octauum, sufficiebat illis ad salutem fides parentum applicata per signum legis naturæ; ergo sufficit illa fides tempore legis euangelicæ, quando non adest copia baptismi.

Secundum fundamentum. Quando nõ est copia baptismi, adulti iustificantur per baptismum in voto susceptũ, sed paruuli non sunt deterioris conditionis, ergo etiam illis sufficit baptismus in voto. Tunc vltra ipsi non possunt habere actũ propriæ voluntatis, ergo sufficit illis votum parentum facta super eos inuocatione Trinitatis cum signo crucis.

Tertium fundamentum. Deus nullum hominem in hac vita reliquit sine remedio salutis, sed illi paruuli, quibus nõ potest adesse copia baptismi, non habent remedium baptismi, ergo habent aliud remedium, nempe illud, quod erat fidelium tempore legis scriptæ, & tempore legis

Digitized by Google

naturæ, scilicet fides parentum applicata paruulis per aliqđ signum externum, cuiusmodi est inuocatio Trinitatis cum signo crucis.

Nihilominus opinio ista est plusquam falsa, & nullo modo sustineri potest. Tollere enim videtur necessitatem baptismi sine quo dixit Christus Nicodemo neminem posse intrare in regnum Dei. Impugnatur autem hæc opinio his argumentis, quibus impugnauimus illam de morientibus intra maternum vterum. Quibus addimus oppositum sententiæ Caiet. bis conclusum, & definitum esse in Cōcil. Florē.

Conc. Flor. Nam primo in instructione data Armenis sic legimus, cum propter hominem mors introierit in vniuersos nisi ex aqua, & Spiritu sancto renascamur, nō possumus, vt inquit veritas, in regnum cælorum introire: secundo in definitione de libris Canonicis adhuc apertius. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per sacramentū baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per 40. aut 80. dies, seu aliud tempus iuxta quorundam obseruantiam sacrum baptisma differendum, sed quam primum fieri potest debet conferri, ita tamen quod mortis imminente periculo mox sine vlla dilatione baptizentur etiam per laicos. Quo magis miror Caiet. qui illud legerat contrarium huius tenuisse, & eo maxime quia iam olim hoc definierant Concilia Episcopalia approbata a Sede Apostolica, vt refert D.

D. August. August. lib. 2. cōtra duas epist. Pelagianorum, vbi refert verba Innocentij rescripta Concil. Carthag. & Mileuit. Sunt autem verba Innocentij, & Zosimi Papæ ista. Mortis trāsmissæ ab Adam chirographo, nullus omnino natorū antequā per baptismum liberetur non tenetur obnoxius. Illud vero quod eos fraternitas vestra asserit prædicare paruulos æternæ vitæ præmijs, etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuum est; & vt agnoscas quanto in pretio fuerint Augustino definitiones Sedis Apostolicæ, illis positis ita subdit. In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est catholica fides, vt nefas sit de illa dubitare. Hæc D. August. epist. ad Optatum, & subscribēs his verbis addit præuaricatorem esse Ecclesiæ Romanæ, quicunque ab illa sententia deuiat, & lib. 3. contra Iulianum, c. 1. & 12. commemorat. Pelagium timore suæ damnationis damnasse eos, qui dicunt infantes, etsi non baptizentur habere vitam æternam, & asseuerat Ecclesiastici iudicij, hoc est Palestini Concilij condemnationem non potuisse aliter euadere.

Innocen. 3. Addere etiam possumus Innocent. 3. cap. Non vt apponeres, de baptismo, & eius effectu, vbi licet tantum definierit paruulum nō habere verum baptismum, qui propter aquæ penuriam, & absentiam sacerdotis a quibusdam simplicibus saliuæ liniebatur aspersione, cum esset in articulo mortis constitutus, tamen cum ea definitione respondet quærētibus, an eiusmodi paruulus habendus sit pro Christiano, liquet profecto constantissimum fuisse non solū Innocētio, sed ēt alijs eo tempore, nec que christianos, neque saluos fore censendos paruulos, qui decedebant sine baptismo.

Leo I. Leo etiam huius nominis primus epist. 82. Inter cæteros errores Pelagianorum, & Cælestianorum hunc quoque cōputat. Paruulos sine baptismo decedentes sine cunctatione ad regnum cœlorum, vel ad vitam æternam venire.

Postremo. Idem comprobare possumus ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ nunquam ad se spectare credidit paruulos decedentes sine baptismo, nunquam pro eis aliquas preces, vel laudes, aut gratiarum actiones fudit, nūquam admisit ad ecclesiasticam sepulturam, & semper putauit necessarium esse paruulis baptismum ne perirent. Legat

D. August. studiosus lector D. August. epist. 105. & libr. 6. Hypognosticon ad finem, lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, c. 10. libro 1. de peccat. mer. & remiss. c. 22. & 27. & lib. 3. c. 4. & in libris contra duas epist. Pelagianorum in epist. ad Renatum de origine animæ, & de bono perseuerantiæ, cap. 12. legat etiam

D. Gregor. D. Gregor. 15. Moralium, c. 12. & lib. 7. Registri epist. 53. le-

Magister. gat Magist. hac dist. 4. D. Thom. 3. p. q. 68. art. 2. D. Bonauen.

D. Thomas. memb. 4. dist. 4. & 6. qui addit expresse, paruulum qui defer-

D. Bonau. tur ad baptismū si casu aliquo moritur sine illo non cōsecu-

Richardus. turum beatitudinem. Richard. dist. 6. art. 2. q. 1. vbi paruulis intra vterum matris mortuis nihil profuisse fidem parentū

Tho. Vuald. distincte affirmat. Thomam Vualdensem, qui lib. de sacramentis, c. 99. hoc certum esse, & ex fide tenendum probat, & Hugonem de Sancto Victore in hanc sententiā allegat;

Et Eckium, qui etsi in centurijs eludet opinionē Gersonis, *Eckius.* & proclamatam eam referat in Concilio Constantiensi, neque tamen damnatam. Et quis scit, inquit, si forte exaudiat Deus? imo quis non sperare valeat, quod orationem humilium, & sperantium in se exaudiat? Veruntamen in Enchiridio tit. de baptismo puerorum contra errores Zuinglij, tet asserit pueros mortuos sine baptismo damnari de lege cōi, & homi. 8. de baptismo, docet paruulos sine mora statim esse baptizandos, ne sine baptismo morientes damnētur. Denique omnes Scholastici, quos mihi contingit legere exceptis Caietano, & Gersone, stant pro hac sententia.

Ad fundamenta Caiet ad primum dico nullam esse consequentiam: quia non est paritatis; Tunc enim prohibuerat Deus paruulis circumcisionem ante octauum diē, ex quo sequitur manifeste, quod permittebat illis ante diem octauum remedium legis naturæ: Nunc autem Deus nulli prohibet sacramentum baptismi: Non enim ipse Deus abscondit aquam vt paruulus baptizari non possit, & ideo nō sequitur quod aliud remedium permittat loco baptismi.

Ad secundum concedo maiorem, & minorem, & ad cōsequentiam dico, quod si ipsi paruuli possent habere votū baptismi iustificarentur per illud, sicut adulti iustificantur, cæterum eiusmodi votum paruuli habere non possunt: quia hoc haberi non potest sine propria voluntate, qua homo in Deum conuertitur, & petit veniam suorum criminum, & ideo nego quod sufficiat illis votum baptismi parentum.

Ad tertium dico, quod si argumentum aliquid concluderet, etiam concluderet quod paruuli possent saluari sine fide parentum ipsis applicata: quia mori possunt vbi non sit pater, nec mater, nec alius homo, qui illis possit applicare fidem. Dico ergo, quod Deus nemini abstulit remediū baptismi: quinimo pro omnibus hominibus baptismum instituit. Vnde non est contra Dei misericordiam, quod paruuli moriantur sine baptismo, siquidem iam Deus instituit remedium sufficiens, ad quod si peruenissent saluarentur, si aūt non perueniant culpa est aliorum agentium, quę ipsum paruulum ad baptismum non sinunt peruenire. Vnde absit vt quenquam destitutum omni remedio credamus. Possunt paruuli siue in vteris maternis periclitantes, siue alibi, vbi eis conferri nequit baptismus per sanguinis baptismū saluari: & hactenus valere apud Deū possunt parentū preces, & aliorū iustorum, vt qui scdm naturalē cursum morituri erant sine baptismo, siue intra vterū matrū, exeāt in hāc lucem, & superuiuāt, quousque gratiā baptismi participēt.

Et in hunc finem religiosissimum esset admonere parentes, vt pro filijs adhuc in vteris maternis inclusis iugiter orent, & sanctis, & pijs viris, amicisque spiritualibus id ipsū obnixe commendent. Nullam enim Deus sanxit legem, vt moriantur aliqui sine baptismo intra matrum suarum vterum. Quinpotius, & hoc antecellit lex Euangelica legē veterem, quod sacramentum habet, quo possit periclitāti paruulo, certe & facillime subueniri, quacūq; die, & hora, vel scdm minimā sui corporis particulā egressus fuerit in hac vita, dummodo tanta sit, quæ ablui possit, & aqua tingi.

Sed dices, etiamsi Deus instituit baptismum; qui est sufficiens remedium omnibus qui baptizantur, tamen bene nouit aliquos paruulos morte præueniendos ante baptismū. Quare illis non dedit aliud remedium, per quod saluarentur? Ad hoc respondet D. August. libr. 1. de bapt. paruulorū, *D. August.* c. 21. Non est alia causa, nisi quod Iacob dilexit, Esau odio habuit. Dominus est, nec licet luto dicere figulo, cur me fecisti sic. Potest enim figulus ex eadem massa aliud quidem vas in honorem, & aliud formare in contumeliam. Ideo dicamus cum Apostolo. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, &c.

Hac igitur opinione reiecta sit prima Conclusio. Baptis- *1. Conclus.* mus est necessarius ad salutem necessitate finis vel in re, vel in voto susceptus: ita quod nullus potest iustificari, nisi recipiat baptismi sacramentum, vel saltem habeat votum, & desiderium illius. hæc conclusio est de fide, & probatur ex Concil. Trident. sessio. 6. cap. quarto, vbi dicitur, quod iusti- *Conc. Trid.* ficatio impij est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Iesum Christum, Saluatorē nostrum, quæ quidē translatio post Euangeliū promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.

Ex quo

Ex quo sequitur quod nullus homo iustificari potest per contritionem, vel martyrium, nisi habeat votum baptismi; probatur ex verbis Concilij, quibus expresse dicitur, quod nullus homo potest iustificari, nisi baptizetur vel habeat votum baptismi, si autem per contritionem, vel martyrium iustificarentur homines sine voto baptismi, iam verba Concilij essent falsa.

Sed dubium est, si aliquis homo inuincibiliter ignoraret baptismum, seruaret; ius naturæ, & cum speciali auxilio Dei conuerteretur ad Deum per fidem implicitam credendo, vt inquit Paulus, quia est, & quia remunerator est, videtur quod iste iustificabitur: quia facienti quod in se est Deus gratiam non denegat, & tamen iste non habet votũ baptismi: quia ignorat baptismum, ergo sine baptismo in re, vel in voto potest aliquis iustificari.

Sotus. Huic dubitationi respondet Sotus in 4. dist. 5. q. vnica, artic. 2. & dicit quod iste homo iustificabitur; & dicit hanc esse opinionem D. Thomæ; concedit etiam, quod in casu saluaretur sine voto baptismi, & ad Concilium dicit, qd quando Patres dicũt nullum posse iustificari sine baptismo in re vel in voto, intelligendos esse nisi ignorantia excuset, quam solutionem colligit ex verbis, quæ in eodem Concilij loco habentur, verba sunt, post Euangelium promulgatum, glossat Sotus, in eo tempore, & loco, in quo Euangelium fuerit promulgatum; secundo respondetur, & melius a Vega libr. 5. in Concil. Trident. c. 13. Verum esse absolute quod nullus potest saluari sine baptismo in re, vel in voto, & quãdo dicis in casu posito, Iste homo saluaretur, concedo, & tamen non haberet votum baptismi, explicite concedo, sed implicite nego. Contra, iste nullam habet notitiam baptismi, quomodo ergo potest habere votum illius? Respondeo, quod ipsum opus conuersionis in Deum includit voluntatem, & desiderium generale faciendi omne illud, quod Deus vellet ipsũ hominem facere ad consequendam salutem, vnde cũ opus baptismi sit vnum ex illis, quod Deus vult illum facere si adesset copia, sequitur quod in illo desiderio generali includitur, votum baptismi implicite.

Vega.

2. Conclusio. Secunda Conclusio. Quando adest copia baptismi non sufficit votum illius ad consequendam gratiam, probatur: quia si quando adesset copia baptismi sufficeret votũ illius, sequerẽtur duo incommoda, primum quod liberũ esset hominibus eligere baptismum, vel votum illius ad salutẽ consequendam, secundum, quod baptismus non esset necessarius ad salutem, si quidem quando adest copia baptismi homines possent iustificari sine baptismo. Vtrumque hoc est contra Concil. Trident. sessio. 7. can. 5. vbi dicitur. Si quis dixerit baptismum esse liberum, idest, non necessarium ad salutem, anathema sit.

Sed contra hanc conclusionem est vnicum argumẽtum. Multi ex catechuminis antequam baptizentur per uotum baptismi sunt in gratia, & tamen habent copiam baptismi, ergo quamuis sit copia baptismi, sufficit votum illius ad consequendam salutem, minor probatur: nam baptizari posset quotidie catechumini ab illis a quibus in fide instruuntur. Maior probatur ex capit. Apostolicæ de presbytero non baptizato, vbi citatur Ambros. qui dicit Valentinianum consequutum esse gloriam, qui tamen mortuus est catechumenus. Ad hoc nego minorem: Non enim habent copiam baptismi, qui licite baptizari non possunt; id enim possumus quod iure possumus. Catechumeni autem non possunt licite baptizari, quoad vsque plene instruantur in fide: quia ecclesia prohibet illis baptismum; & ideo toto illo tempore quo sibi baptismus prohibetur, censentur catechumeni non habere copiam baptismi.

Ex hac conclusione sequitur corollariũ, quod valde quietabit conscientias hominum scrupulosas, sequitur, inquam, quod ille qui probabiliter credit se esse baptizatum, quia se videt esse scriptum in libro baptismi, & cognoscit patrinos, qui eum tenuerunt in baptismo, & tandem nullum dubiũ habet probabile, per quod sub conditione possit baptizari, esto quod re vera homo iste non sit baptizatus, eo quod in baptismo fuit aliquis defectus essentialis, ratione cuius baptismus fuit nullus, si iste postea habeat scrupulum, timens se non esse baptizatum, propter quod vellet iterũ baptizari si sibi permitteretur. Dico quod iste saluabitur per contritionem. & votum baptismi: quia non habet copiam baptismi; Nam quamuis habeat aquam, & ministrum, ecclesia tamẽ prohibet illi baptismum sub irregularitatis pœna. Hoc corollarium expresse definitum est in c. Apostolica de presbytero non baptizato, vbi dicit Innocẽtius. Presbyterum, quẽ sine vnda baptismi clausisse extremũ diem significasti: quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauit ab originali peccato solutum, & æternæ gloriæ gaudium assecutum esse asserimus indubitanter.

ARTICVLVS II.

Vtrum iustificati teneantur baptizari.

Ratio dubitãdi est: quia vigor singularis priuilegij semper transcendit beneficium commune, & in sanctificatione datur gratia curans sicut in baptismo, & maior, & efficacior. Sed ordo non est a maiore perfectione ad minorem, sed e conuerso, ergo sanctificatus non tenetur baptizari.

Præterea non legitur de Apostolis, neque de B. Virgine, quod fuerint baptizati, ergo iustificati non tenentur baptismum suscipere.

Item baptizatus baptismate sanguinis non tenetur ad baptismum fluminis, ergo neque baptizatus baptismate flaminis tenetur ad illud, consequentia patet; quia æqualiter ista duo baptismata dicuntur supplere baptismum fluminis, & antecedens etiam patet; quia baptizatus baptismo sanguinis statim euolat.

Deinde. Nullus tenetur recipere sacramentum frustra; quia in operib. Dei nihil est frustra; sed baptismus receptus a iustificato frustra recipitur, ergo &c. minor probatur: quia illud dicitur fieri frustra, quando non consequitur suum effectum, sed baptismus in iustificato non consequitur effectum suum, qui est ablutio animæ a peccato; iã enim prius est ablutus, ergo &c.

Subinde. Nullus tenetur ad irrogandum sacramento iniuriam; sed existens in gratia videtur sacramento irrogare iniuriam si baptismum suscipiat, ergo iam iustificati non tenentur baptizari: minor probatur, quia cum sacramentum sit signum gratiæ, videtur ille, qui iam habet gratiam quantum in se est esse causa falsitatis in signo sacramenti, quod significat gratiam dari per illud, ergo &c.

His tamen non obstantibus sit hæc conclusio. Ab eo tempore, quo sacramentum baptismi cœpit esse sub præcepto obligans, & obligat omnes homines, quãuis iustificatos ad susceptionem illius. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. A. Alex. de Ales, p. 4. q. 8. memb. 7. art. 1. § 6. D. Bonau. in 4. dist. 6. p. 2. art. 1. q. 2. Rich. dist. 4. art. 1. q. 3. & atque cõis sententia omnium doctorum. & probatur, lex vniuersalis obligat oẽs ad obseruantiam illius, sed lex baptismi est lex vniuersalis, ergo obligat, oẽs quantũuis iustificatos; Maior est manifesta: quia lex vniuersaliter promulgata, i. in cuius promulgatione, nec aliqua exceptio personæ, vel circumstantiæ nec persona accepta, vel circumscriptio circumstantiæ fit obligat oẽs; sed lex baptismi fuit in hunc modũ promulgata iuxta sententiam Domini Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & Matt. vlt. Euntes docete oẽs gentes baptizãtes eos &c. Sed qui non sunt baptizati licet iustificati sint non sunt renati ex aqua, & Spiritu sancto, ergo non possunt intrare in regnum Dei, nisi suscepto baptismo. Conclusio. Scotus. Alexan. de Ales. D. Bonau. Richard.

Fuisse autem congruum omnes Christianos teneri ad baptismum sic probat Scotus. Quia congruum est eos oẽs, qui religionem aliquam profitentur cõuenire in vno signo omnibus communi, per quod ab alijs alterius religionis distinguerentur, vt supra ex D. August. dictum est, dist. 1. q. 3. & maxime in illo signo, quod est ianua per quam intratur ad obseruãtiam talis legis, & religionis, sed talis est baptismus per cuius receptionem legi Christi homines adstringũtur, & ipsius familiæ, ergo congruum fuit omnes Christianos teneri ad baptismum etiam iustificatos.

Secundo probatur. Quilibet viator tenetur esse membrũ militantis ecclesiæ, non tantum in scientia diuina, i. in notitia articulorum fidei, sed etiam quantum ad notitiã aliorum membrorũ quantum in se est, hoc est, debet cognoscere, & scire, quæ sint ecclesiæ militantis commẽbra; quia tenetur cũ alijs membris cõicare in his, quæ pertinent ad obseruantiã legis, & eos non scandalizare; sed si non acciperet sacramentum baptismi, per quod s. dm Ecclesiæ iudicium fit ecclesiæ mẽbrum, non esset aptus ad cõionem cum alijs mẽbris in multis actibus ad ecclesiam pertinentibus; actiue etiam alia membra scandalizaret: quia haberent occasionem iudicandi

candi ipsum communitatem contemnere, & signum illud spernere, in quo cæteri conueniunt. ergo quilibet quamuis iustificatus tenetur baptismum recipere.

Tertio probatur sic: qui potest ex actu facili magnam gratiam acquirere, videtur contemnere illam non acquirēdo, vel saltem non cam ita appreciari, quantum est appreciabilis, si actum illum negligat; sed quātumuis iustificatus per actum facile, scilicet per susceptionem baptismi potest magnam gratiam acquirere; ergo non suscipiens baptismum etiam iustificatus videtur contemnere gratiam, & per consequens alios scandalizat, præbens eis occasionem iudicandi ipsum contemnere gratiam; probatur minor, quia quantumuis iustificatus suscipiens baptismum de communi lege habet augmentum gratiæ per ipsius baptismi receptionem, ergo &c.

Debet ergo iustificatus baptizari. Tum propter bonum obedientiæ: quia Deus præcepit, vt omnes, qui nascuntur renascantur aqua; Tum propter humilitatem: quia debet se reputare peccatorem, & indigere Christi redemptione. Tū demum propter vnitatem vt ab alijs membris Christi non discordet. Non ergo baptizatur propter hoc, quod sanctificatio non sufficiat, sed propter rationes prædictas: propter quarum exempla danda fuit Christus circumcisus, vt scilicet obediret legi, subiecit se signo peccatoris, quo non ipse se peccatorem, sed alios peccatores se profiteri doceret, postremo vt Patribus non esset dissimilis. Sanctificatus ergo non recipit baptismum in remedium; quod si faceret esset inordinatio, vanitas, & contemptus; sed in signum, quod habet tria bona coniuncta, scilicet obedientiam, humilitatem, & vnitatem, quantum ad vnitatem characteris. Ita Alexan. & post eum D. Bonau. locis supracitatis. *Ale de Ale. D. Bonau.*

Ad rationes dubitandi respondetur, & ad primā in qua dicitur quod sanctificatio transcendit &c. dico, quod quamuis hoc verum sit quantum ad gratiam, quæ delet culpam, & habilitat ad bonum, tamen non transcendit quantum ad characterem: quia illum non imprimit, & ideo ratione illius adhuc baptismus debet recipi.

Ad secundam dicit Scotus, quod Glossa super illud Ioā. 13. Qui lotus est non indiget vt pedes lauet; videtur dicere, quod Apostoli fuerunt baptizati; idque dicit Scotus probabile esse: quia cum baptismus sit ianua sacramentorum, sine quo alia sacramenta imprimentia characterem non habent suum effectum. Vnde extra de presbytero non baptizato, cap. Si quis, & cap. Veniens, præcipit quod baptizetur, & iterum ordinetur. ex hoc infert Doctor, quod Apostoli fuerūt baptizati: quia Christus Dominus fecit illos sacerdotes conferens eis in vltima cęna potestatem conficiendi suum corpus dicens. Hoc facite in meam commemorationem, atque ita in illa die ordinati sunt sacerdotes. ordo autem sacerdotij saltem de congruo præsupponit baptismū, vt docent præcitata capita; Post resurrectionem etiam contulit Christus discipulis potestatem absoluēdi a peccatis, vt patet Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. *Glossa.*

Quod autem dixit Scotus, ordinem sacerdotij de cōgruo pra supponere baptismum, & non de lege, & de necessitate, potest esse ex duplici causa: Vna quod vbi supra Innoc. in cap. Veniens, dicit fuisse quorumdam sententiam, quod ille non baptizatus, erat vere ordinatus: quia non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etiam si sacramentum non habeat, habet vtique fundamentum propter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus 1. Corint. 3. & patum infra, & sicut coniugij sacramentum, & Eucharistiæ possunt recipi a non baptizatis, ita & ordinis, atque ibi Innocentius hanc sentētiam non dicit hæreticam, neque falsam; sed esse asserendū, quod tutius erat vt baptizatus iterum ordinetur; vocauitq; casum ipsum dubitabilem, atque adeo Scotus moderate locutus fuit, dicens saltem de congruo.

Potuit esse alia ratio huius moderationis: quia loquebatur de Apostolis, quos Christus ex authoritate excellētiæ, quam habuit, potuit ante baptismum ordinare, ac proinde baptismus ad ordines non fuit simpliciter necessarius, licet sit quo ad alios ordinatores, & ordinatos necessarius.

Quod vero Apostoli exciperentur a præcepto baptismi non videtur esse aliqua ratio dispensationis cum illis, neque aliqua necessitas, vel vtilitas, quæ ex tali dispensatione consequerentur; siquidem neque illi Deo gratiosiores essent, eo q̄d baptizati non essent, neque per hoc ad docendū efficaciores; imo vt videtur minus efficaces: quia minus valet Magister moralis, qui non vult opere implere quod docet, iuxta D. Gregorij sententiam in quadam hom. & Christus Dominus antequam legē baptismi alijs imponeret baptismum ipse suscepit a Ioan. Bapt. iuxta illud Act. 1. Cæpit Iesus facere, & docere. *D. Greg.*

Etsi quæras a quo Apostoli baptizati fuerunt. Respondetur vt ex Euodio notat Nicephor. lib 2 hist. c. 3. & Euthym. Ioan. 3. a Christo ipso fuisse baptizatum Petrum, a Petro autem Andream Iacobum, & Ioannem, & ab his deinceps reliquos Apostolos, & a Petro, & Ioanne septuaginta duos discipulos. *Niceph. Euthym.*

Quod autem Ioan. 4. dicitur Christum ipsum non baptizasse, intelligi id debet ordinarie; Nam quod vnum aut alterum extraordinarie baptizaret, non est inconueniens, vt in illum locum Ioannis interpretatur Euthymius.

Etsi quæras quo tempore fuerunt Apostoli baptizati, dico quod ex illo loco Ioan. 13. Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, non absurde colligi potest, ante passionem Christi Apostolos baptizatos fuisse. Asserit etiam Sotus, distinct. 5. q. vnica, art. 2. Ioannem Baptistam Christi baptismum suscepisse; Quod idem sensit Author operis imperfecti in Matt. homil. 4. & indicat D. Hieron. in 3. caput Matth. & docuit etiam D. Thom 3. p. q. 38. art. 6. ad 3. *Sotus. Chrysost. Hieron. D. T.*

Idem quoque dicendū est de B. Virgine, videlicet a Christo baptizatam fuisse Christi baptismate, vt his verbis notat Euthymius vbi supra. Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, & Virginem matrem baptizauit, Petrus vero reliquos Apostolos. Nisi forte, inquit Doctor, dispensatum est cum illa ea ratione: quia fortasse habuit in conceptione filij Dei eam gratiæ plenitudinem, ad quam Deus disposuit illam peruenire. In quibus verbis apparet Scoti deuotio in gloriosissimam Virginem procurantis ei tribuere, quicquid honoris (saluis diuinis eloquijs) potest attribui, ideoque sub dubio ponit, an in cōceptione filij Dei habuerit illam gratiæ plenitudinem, ad quam Deus disposuit ipsam peruenturam. hoc autem non asserendo dicit. *Scoti deuotio in B. Virginem.*

Atque adeo crediderim ego cum Patre doctissimo Vega lib. 10. in Concil. Trid. c. 2. vt etiam nos diffusius explicabimus in 1. p. 3. sent. dist. 14. quod B. Virgo toto tempore vitę suæ profecit in merito merendo gratia augmentum, & gloriæ, & est pro illa sententia D. August. dicens apud Magist. in 3. dist. 36. Charitas plenissima, quę non possit augeri, quā diu homo viuit in nemine est, quod videtur esse contra Almayn. in 3. dist. 3. q. 2. dicentem Beatissimam Virginem in conceptione filij tantam recepisse perfectionem, quantam poterat recipere, alias mentitus fuisset Angelus dicendo. Aue gratia plena. Sed circumspectius consideranti apparet oppositum: quia alias auferentur B. Virg. occasiones magnę merendi nutriendo Christum Dominum, & ei compatiendo Quis namque neget ipsam sanctiorem, & gratiorē Deo fuisse postquam filium Dei concepit, & peperit, nutriuit, & patienter tulit in cruce mori? Si fieri potest vt vnus sit gratior apud Deum vno tempore, quam alio, nescio quemadmodum possit quis credere tam parui apud Deum fuisse tanta illa, & tam præexcellentia obsequia, vt non eam post ipsa multo habuerit chariorem, & gratiorem; neque apparet ratio, neque priuilegium, quare cum esset mere viatrix in termino fuerit merendi, sed de hoc fusius diximus in 3. vbi supra. Demum fuisse Apostolos Baptismo Christi baptizatos asserit D. Augustin. epist. 108. ad Seleucianum, & refertur de consecrat. distinct. quarta, cap. Quando ab Hierosolymis. *Vega. D. August. Almayn. D. August.*

Ad tertiam dico, quod si baptizatus baptismo sanguinis sit postea nobiscum viator, tenebitur baptizari baptismo fluminis. atque ita de quibusdam legitur, quod facti sunt bis confessores, quia bis sustinuerunt supplicia pro fide, quæ tamen mortem illis non intulerunt, si tamen per martyrium, mors fuerit secuta, cum sacramenta non habeant locum nisi pro statu viæ, vt dictum est supra, absolutus erit talis sic baptizatus a præcepto viatoris, quale est baptismi præceptum. Si tamen aliquis martyr vt sancta Emerentiana suscitaretur a Deo baptizari teneretur, primo quidem ratione præcepti, secundo vt per signum distinctiuum characteris esset membrum ecclesiæ militantis, & conueniret cum alijs fidelibus membris eiusdem ecclesiæ.

Ad quar-

Digitized by Google

Ad quartam dico, quod nullus frustra recipit sacramentum: quia gratia saltem ibi augetur, nisi peruenerit ad terminum, ad quem Deus ipsam peruenire determinauit, & si non prius peruenerit, additur ibi meritum obediendo præcepto diuino, nec etiam est frustra post plenitudinem gratiæ, si quis eam haberet addere opera meritoria, quæ licet non essent meritoria gratiæ, essent tamen meritoria gloriæ. Vel dicas, quod non est frustra, quia non recipitur ad idem, ad quod præcessit sanctificatio.

Ad quintam dico, quod talis existens in gratia baptismũ suscipiens nullam iniuriam irrogat sacramento, neque est causa alicuius falsitatis in signo sacramenti: quia illi confertur gratia de nouo, atq; ita est signum practicum verum, etsi in eo esset gratia perfecta præexistens, adeo quod nullam de nouo reciperet gratiam, adhuc sacramentum esset signum practicum verum, non quidem gratiæ, quæ tunc conferretur, sed illius, quæ iam inerat. Et si dicas, saltem tũc baptismus non habet suum significatum, s. ablutionem animæ à peccato; Dico quod talis ablutio significatur, vel tunc fieri, vel tunc inesse, vel quod fieret quantum est ex parte sacramenti, si aliquod peccatum inesset, a quo anima esset abluenda.

QVAESTIO VII.

Vtrum omnes baptizati recipiant æqualiter effectum baptismi.

Baptismus remittit omnia peccata quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. Conc. Flor.

PRo explicatione tituli obser. est primo, quod per baptismum remittuntur omnia peccata quantum ad culpam & pœnam, & hoc expresse est definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenij 4. Huius, inquit, sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, quo ad culpam; quod attinet vero ad pœnam propriè dictam (quatenus s. distinguitur a penalitatibus naturã corruptam consequentibus, quales sunt passibilitas corporis, ægritudines, dolores, fames, sitis, mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum, quas ipsa experientia notum est non auferri per Baptismum) patet ex eo, quod hac ratione negat baptizatis imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante baptismum commissis, ac etiam de Consecrat d. 4. cap. Per baptismum, sub his verbis, quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, totum aboletur, & quasi factum nõ sit habetur, sed si peccata essent punienda post baptismum non haberentur tanquam non facta, atq; adeo delentur per baptismum quantum ad culpam, & pœnam, & nouissime hoc definitum est in Concilio Trident. sess. 5. can. 5. quo ad culpam his verbis, si quis per Iesu Christi Domini gratiã, quæ per Baptismum confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dici tantum radi, aut non imputari, anathema sit. & quo ad pœnam in eodem met Canone, in illis verbis: Innocentes immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur: loquitur enim de baptizatis. & expressius sess. 6. ca. 14 dicit in sacramento pœnitentiæ non semper totam pœnam temporalem remitti, vt in baptismo fit, quod latius repetit sess. 14. c. 8. vbi in hoc constituit magnam differentiam inter iustificationem, quæ per baptismum, & per sacramentum pœnitentiæ fit.

...me, Trid.

Baptismo infunduntur gratia, & virtutes theologicæ. Conc. Trid.

Secundo obser. est, quod in baptismo infunduntur gratia, & virtutes Theologicæ in habitu, & de gratia quidem habetur expresse ex Concilio Trident. sess. 6. can. 11. vbi dicitur, quod nullus iustificari potest nisi per habitum gratiæ infusum, sic enim loquitur. Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorũ remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atq; illis inhæreat &c. sed in Baptismo iustificantur homines, ergo per habitũ gratiæ animæ infusum, quod etiam habitus aliarum virtutum infundantur est communis sententia omnium Doctorum, quæ tanquam verior, & probabilior amplectitur in Clement. extra de summa Trinit. & fide catholica, non est tamen ibi de fide definitum, imo in cap. Maiores de baptismo, & eius effectu, relinquitur disputationi Doctorum, vtrum virtutes infundantur in baptismo. Cæterum videtur modo de fide tenendum, quod baptismus infundit gratiã, & supernaturalia dona, s. fidem, & spem: nam in Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. definitur, iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, s. charitatis, quæ in cordib. eorum diffunditur, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret simul cum fide, & spe: nã hæc omnia simul infusa accipit homo, qui iustificatur cum remissione peccatorum. Verba Concilij sunt ista. Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio sequitur, quæ non est solum peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, & parum infra. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorũ hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitas. & ibidem definit causam instrumentalem huius iustificationis esse baptismum. ergo definit Baptismum conferre gratiam, dona, & iustitiam inhærentem.

Tertio obser. est, quod non est adeo certum inter Doctores, vtrum virtutes cardinales infundantur in Baptismo, vt etiam annotauimus supra: nam quidam tenent, quod sic, & quidam oppositum, verum hic non est proprius locus huius disputationis, sed spectat ad 3. lib. sent. & nos eam ibi diffuse examinauimus d. 36. q. vnica art. 12. in 2. parte.

Postremo obser. est, quod triplex causa concurrit ad gratiam baptismi conferendam, videlicet Deus, qui est causa principalis, Christi passio, quæ est causa meritoria, & ille qui suscipit Baptismum, qui est causa materialis, atq; etiam ipsum sacramentum, quod est causa instrumentalis: atque ita ex parte cuiuslibet causæ istarum potest inquiri an semper detur æqualis gratia suscipienti baptismum, verũ quia vna cum Baptismo concurrit Deus, vt causa principalis, & passio Christi, vt causa meritoria, & ex altera parte, vt causa materialis concurrit tantum suscipiens sacramẽtum; Ideo hæc quæstio duobus modis examinari potest, vno modo ex parte Sacramenti, altero modo ex parte suscipientis, atq; adeo eam diuidimus in duos articulos.

Primus Art. Vtrum in Baptismo ex parte sacramenti detur semper æqualis gratia.

Secundus Art. Vtrum ex parte suscipientis Baptismum detur vni maior gratia, quam alteri.

ARTICVLVS I.

Vtrum in baptismo ex parte sacramenti detur semper æqualis gratia.

Richardus.

RIchardus in 4. d. 4. art. 3. q. 3. in corpore quæst. & in responsione ad vltimum, inquit, quod effectus baptismi est duplex, quidam est sacramentum, & res simul, sicut character, de quo dicetur d. 6. alius est effectus sacramenti, qui est res tantum, & iste est multiplex, nam quidam est gratia, quidam remissio culpæ, & quidam repressio fomitis, quantum ad primum effectum baptismus est æqualis in omnibus, quia de lege communi omnes in baptismo æqualem gratiam recipiunt, & maxime loquendo de paruulis: quia in ipsis nulla præcedens dispositio requiritur, sed pro dispositione est in eis fides ecclesiæ, atque adeo cum omnes paruulos, qui baptizantur, æqualiter recipiat fides Ecclesiæ, & meritum passionis Christi, a quo efficaciã habet baptismus, sequitur, quod omnes paruuli in baptismo æqualem gratiã recipiunt de lege communi. Si autem sit sermo de adultis, inquit, non est in omnibus æqualis effectus baptismi, quo ad gratiam, quia adulti non omnes æqualiter ad gratiæ susceptionẽ se disponunt, ab eadem autem virtute est effectus maior in materia magis disposita, atq; adeo non omnes adulti in baptismo æqualem gratiam recipiunt.

Quantum vero ad secundum effectum, qui est remissio culpæ, baptismus æqualis est in omnibus paruulis: quia nõ est maius peccatum originale in vno, quam in alio, nec magis ad pœnam obligatur vnus, quam alius. Cæterum de adultis siue comparentur inter se, vel cum paruulis, dicit quod in illis non est æqualis effectus baptismi, in paruulis enim delet solum originale, & pœnam eis debitam, in adultis vero delet originale, & actuale, & remittit obligationem pœnæ debitæ tam originali, quam actuali in vno etiam adulto plura delet peccata, quam in alio, quia plura inuenit.

Demum quo ad tertium effectum, qui est repressio fomitis dicit, quod in adultis non est æqualis: quia non omnes æqualem gratiam recipiunt, in paruulis autem æqualis est,

est, quantũ est ex parte gratiæ, quia æqualem gratiam recipiunt; repressio enim fomitis est per characterem, & gratiam. Nec est, inquit, intelligendum, quin postea venientes ad ætatem adultam, & in æquali gratia remanentes, inæqualiter concupiscere possint; sed hoc est ratione complexionis, quamuis enim phlegmatico, & sanguineo detur æqualis gratia concupiscentiam reprimens, tamen magis vigebit concupiscentia in sanguineo, quam in phlegmatico cæteris paribus.

Cæterum hoc vltimum dictum Richardi de fomitis repressione dicit Scotus esse sane intelligendum: Nam cum fomes sit in carne, vel in potentia aliqua corporali, non potest formaliter minui per gratiam, quæ est in anima: quia inter fomitem, & gratiam non est formalis repugnantia: cum non sint nata fieri circa idem. Dicitur ergo fomes, vel concupiscentia diminui quantum ad effectum, quem in anima causare consueuit, scilicet peccatum: nam iuxta gratiæ augmentum fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum. Hocque declarat Scotus aptissimo exemplo. Si enim lapillus alligetur pennis aquilæ paruulæ, crescente postmodum aquila, & eius virtute motiua, licet non minuatur lapilli grauitas per virtutem motiuam aquilę, cum non sint oppositæ, neque in eodem virtus motiua aquilæ, & lapillus, seu lapilli grauitas; dicitur tamen grauitas lapilli minui quoad effectum, quanto enim maior est virtus in alis aquilæ, tanto minus lapillus impedit volatum. Ita in proposito remittitur fomes in baptismo quoad effectum, id est, effectus fomitis remittitur: quia quanto aliquis recipit maiorem gratiam in baptismo, tanto minus iste fomes inclinat hominem ad peccandum, & quanto minorem recipit gratiam, tanto magis inclinat ad actus vitiosos.

1. Conclusio Hac Richardi sententia explicata respondeo ad quæstionem tribus conclusionibus. Prima Conclusio gratia quæ datur in baptismo semper est æqualis quantum est ex parte ipsius sacramenti. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. A. §. Aliquam enim gratiam. Declaratur conclusio: quia Deus fortè determinauit gratiam baptismalem ad certum, & determinatum gradum, ita quod nulli suscipienti baptismum conferatur vnquam minor, vel maior gradus gratiæ; & ille confertur semper ex vi sacramenti sine obice sacramẽtum suscipienti, & ex vi sacramenti nunquam maior gradus cõfertur. Ita quod disposuit Deus regulariter conferre sacramento mediante aliquam gratiam, ita quod nulli minorẽ, quæ dicitur conferri virtute baptismi; & sicut determinatio illa vniuersalis quantum ad istum gradum est vniformis, ita est effectus æqualis. Ex hoc probatur sic conclusio. Ab eadem causa, & æqualiter se habente æqualis producitur effectus, sed baptismus habet semper æqualem virtutem, ergo quantum est ex parte ipsius sacramenti, semper causabit æqualem gratiam.

Præterea quodlibet sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione, ergo ex parte sacramenti hic effectus semper est æqualis. Antecedens probari potest ex Concil. Trident. sessio. 7. can. 7. de sacramentis in genere deficiente sacramentum conferre gratiam ex certa, & statuta lege sic enim inquit. Si quis dixerit non dari gratiã per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus anathema sit. eadem est autem ratio de gratia, & de tanta gratia per illam legem definita. Item quia sicut significatio sacramentorum debuit esse determinata, ita & efficientia quantum est ex parte sacramenti. Denique quia ad conuenientem modum prouidentiæ spectat, vt singulæ causæ habeant certus effectus. Conc. Trid.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Posset Deus ex beneuolentia speciali, aliquibus in baptismo maiorem gratiam conferre, quam aliis hæc conclusio est Scoti vbi supra. §. Verumtamen, & probatur, prædestinatis ad maiorem gloriam rationabiliter potest maior gratia conferri, quam prædestinatis ad gloriã minorem; sed Deus prædestinauit electos ad gloriæ gradus diuersos, antequam determinaret gradum illum gratię, qui conferendus erat virtute baptismi, ergo potuisset Deus determinare, quod omnibus baptismum suscipientibus certus gratiæ gradus daretur ipsius baptismi virtute, & vltra talem gratiæ gradum posset dare ex beneuolentia speciali maiorem gradum gratiæ eis, qui ad maiorem gloriam essent prædestinati, ita quod haberet ille duplicem gratiam, vnam ex vi sacramenti baptismi, illam scilicet quam determinauit se Deus operari, siue creare infallibiliter, & regulariter baptismo mediante, quæ quidem gratia, quæ virtute baptismi confertur, etiam ex parte causæ principalis, nempe Dei, est semper effectus regulariter æqualis simpliciter; supponitur enim quod de lege communi prima gratia non datur maior absque omni differentia extra causam principalem; & alteram ex speciali beneuolentia diuina, quæ licet non sit effectus baptismi sicut prima, dicitur tamen effectus: quia concurrit ad eandem gratiam numero constituẽdam in baptizato, cum illo gradu priori, & concomitanter se habet cum effectu sacramenti, licet non propter hoc proprie sit effectus.

Tertia Conclusio. Quamuis passio Christi, quoad sufficientiam æqualiter sit Deo oblata pro omnibus, quoad efficaciam, tamen potuit Christus illam efficacius offerre pro prædestinatis ad maiorem gloriam, vt maior gratia illis conferretur. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litter. B. §. De secundo. & probatur, Christus obtulit se Deo per mortem, vt diuina prædestinatio adimpleretur in hominibus, ergo potuit offerre passionem suam efficacius, & plenius pro prædestinato ad maiorem gloriam, vt illi maior gratia in baptismo conferretur. 3. Conclusio

Pro ampliori huius conclusionis intelligentia obseruan. est, quod passio Christi fuit Deo per Iesum Christum oblata dupliciter, scilicet actu interiori, & actu exteriori; Actu interiori obtulit Christus passionem, & mortem suam Deo patri ab instanti suæ conceptionis; Actu vero exteriori obtulit eam Deo patri tempore suæ passionis, & mortis, quando actualiter patiebatur in ara crucis.

Secundo obseru. est, quod passio Christi potest considerari, vt præuisa, vel vt exhibita, atque ita potest considerari passio Christi oblata, vel quatenus præuisa, vel quatenus exhibita.

Tertio obseruan. est, quod Christus potuit communiter nosse omnia, quæ Deus nouit scientia visionis, & per consequens nouit omnes electos, & ad quem gradum gloriæ fuerint electi. Dicit ergo Doctor sub. quod passio Christi, ratione cuius datur nobis gratia in baptismo, potuit efficacius operari in vno, quam in alio ad gratiam; quia efficacius potuit Christus obtulisse, nedum actu interiori, sed etiam exteriori Deo patri passionem suam pro vno, quam pro alio: quia Christus cum nouerit omnia notitia visionis in verbo, saltem omnes electos, & futuram ipsorum gloriam maiorem, vel minorem, quam Deus eis dare disposuerat; potuit efficacius, vel specialius offerre propriam passionem pro illo, cui disposuerat Deus conferre maiorem gloriam, quam pro illo, cui minorem gloriam dare Deus decreuerat, vt tanta gratia tantæ gloriæ correspondens conferretur, atque ita potuit in baptismo conferri adhuc maior, vel minor gratia ex merito passionis Christi.

Secundo dicit Doctor, quod passio Christi, quoad executionem, seu exhibitionem efficacius operatur pro nobis, quam pro patribus, qui vel legis naturæ sacramentum, vel circumcisionem recipiebant: quia obsequium exhibitum, & datum ordinatur ad maius bonum retribuendum, quã solum præuisum, sed nobis datur gratia ratione passionis Christi exhibitæ per baptismum, patribus autem dabatur ratione passionis præuisæ per sacramentum legis naturæ, vel per circumcisionem, ergo passio Christi efficacius operatur pro nobis, qui sumus in lege Euangelica, quam pro patribus in lege Moysi, atque adeo maior gratia datur nobis per baptismum, quam dabatur patribus per circumcisionem propter inæqualem applicationem causæ meritorię ad nos, & ad illos.

Tertio dicit Doctor, quod forte etiam baptizatis ante passionem minor cõferebatur gratia, quam baptizatis post passionem, propter diuersam causæ meritoriæ applicationem: nam pro illis passio Christi erat tantum exhibita actu interiori; pro istis vero, & interiori actu, & exteriori.

Postremo dicit Scotus. An propter specialem oblationẽ in voluntate Christi sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nũc baptizatis, id est, an de facto propter diuinam prędestinationem, & specialem Christi oblationem detur aliquibus baptizatis gratia inæqualis dubium est; fuisse tamen possibile constat ex dictis.

Ex his apparet, quam falso Sotus, & posteriores Thomistæ di- Defectus Sot.

Digitized by Google

Deletur Sot.

stæ dicant Scotum asserere, quod in Baptismo maior gratia confertur illi, qui ad maiorem gloriam prædestinatus est, & quod Christus Dominus passionem suam non equaliter pro omnibus obtulit, atq; adeo per idem sacramentum, virtute eiusdem passionis maior gratia illi confertur, qui ad maiorem gloriam est prædestinatus; sed falso hoc imponit Scoto Dominicus a Soto d.6 q.vnica art.6. Quia Scotus tantum asseruit possibilitatem huius sententiæ: de facto autem esse dubiam dixit, arguere autem de posse ad esse, non decebat Sotum, qui Logicam scriptis suis explicauit: quia nulla est consequentia, est autem valida de esse ad posse. Sed non est inusitatum Thomistis quibusdam, falsas sententias falso adscribere Doct. Sub.

Loquitur itaq; Scotus de possibili, & non de facto, neq; assignat pro ratione maioris augmenti gratiæ prædestinationem; sed liberalitatem diuinæ voluntatis; neq; intentionem Christi se Deo Patri offerentis, & si exemplum posuit Scotus in prædestinatis: at Sotus arguit contra Scotum, quasi totam rationem talis collationis maioris gratiæ attribuat prædestinationi, quod ipsum perperam facere videbit cæcus; quare hoc notato corruunt omnes Soti rationes contra Doctorem Sub. Præter quam quod aliquibus dantur maiora auxilia, quam alijs ad consequendam gratiam, vt patet de D.Paulo, atq; hoc ortum habet a diuina prædestinatione, ergo etiam diuina prædestinatio potest esse causa, vt aliquibus in Baptismo detur maior gratia, quam alijs. Verũ quicquid dicat Sotus, sententiam Scoti prius docuisse videntur. Alex.de Ales.p.4 q 8.m 8.art.3.§.3. in solutione argumentorum, & D Bonauent. hac d.p.2.art.2.q.3. & eam secuti sunt Palud.in 4.d.4.q.1. vbi agens de Baptismo dicit, paruulos, qui eum solo baptismo morituri sunt, recipere inæqualem gratiam: quia sunt ad inæqualem gloriam prædestinati. Bassolus eadem d.q.1.art.3.& Gabriel.d.4.q.2.art 2.concl.7.& Eckius de Sacramento Bap.hom.13.nu 4.

Alex.de Ales. D. Bonauent. Paludan. Bassolus. Gabriel. Eckius.

ARTICVLVS II.

Vtrum ex parte suscipientis baptismum detur uni maior gratia, quam alteri.

Ratio dubitandi est, quia effectus baptismi magis dependet a conferente, quam a suscipiente, sed ministrorum inæqualitas nihil facit ad inæqualitatem effectus baptismi. ergo multo minus faciet inæqualitas suscipientium, & per consequens ex parte suscipientium baptismum, non datur vni maior gratia, quam alteri. probatur maior, quia effectus vniuersaliter magis dependet a causa efficienti, quam a materia, sed Minister baptismi se tenet ex parte causæ efficientis, & suscipiens baptismum ex parte materiæ, in qua recipitur forma. ergo &c.

Conclusio

Hoc tamen non obstante sit hæc conclusio. Ex parte suscipientis baptismum datur alicui in baptismo maior gratia, quam alteri. Probatur: quia actus actiuorum sunt in patiente disposito 2.de anima t.c.24. id est, formæ recipiuntur in subiecto secundum dispositionem illius, sed aliqui suscipientes baptismum sunt magis dispositi, quam alij; ergo in magis disposito perfectior recipitur baptismi effectus. probatur minor: quia ille qui cum maiori deuotione accedit ad baptismum est magis dispositus, & dignus est maiori gratia propter suam deuotionem, quam ille, qui accedit cum minori deuotione. ergo ex parte recipientis potest dari maior gratia in baptismo. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. d, § De tertio dico, & est communis cõsensus omniũ Theologorum, Alex.de Ales D.Bonauen.& Richar. locis citatis in superiori art. S.Thomæ.3.p.q.69.art.7. & Soti vbi supra.

Scotus. Alex.de Ale. D.Bonau. Richardus. S.Thom. Sotus.

Ex hac conclusione sequuntur duo corollaria. Primũ quod omnes paruuli recipiunt in baptismo æqualem gratiam, quantum est ex parte sui: cum enim non habeant vsum rationis, non potest aliquis illorum cum maiore deuotione, vel dispositione, quam alius ad sacramentum accedere.

Secundum corollarium est, quod paruuli quantum est ex parte sui regulariter loquendo non recipiunt tantã gratiam in baptismo quantam adulti cum baptizantur sine fictione, quia adultus baptizatus sine fictione suscipit sacramentum cum bono motu, & aliqua deuotione, quam paruulus non habet cum baptizatur, imo nec regulariter potest habere, cum non vtatur ratione.

Et si dicatur, contingere potest, quod adultus toto tempore, quo baptismum suscipit venialiter peccet, ergo propter talem indispositionem, quam paruulus nõ habet dum baptizatur non recipiet tantam gratiam, quantam paruulus in baptismo. Respondet Scotus, quod peccatum veniale non impedit gratiæ infusionem, imo neque simul cum eo actũ meritorium habere, quia anima pluribus actibus, non potest simul æque perfecte esse intenta, actus bonus cum quo concurrit veniale est minus intensus, & ideo minus meritorius, quam foret sine illo veniali. atq; adeo si adultus non ponat obicem peccati mortalis dum baptizatur volens baptismum recipere, aliquem bonum motum habet, & dispositionem, quam non habet paruulus, ac proinde, etsi venialiter peccet dum baptizatur, tamen maiorem gratiam in baptismo recipiet, quam paruulus.

Et si dicas propter peccatum veniale meretur homo punitionem, ergo peccans venialiter dum baptizatur non meretur, atq; ita maiorem gratiam non recipit in baptismo. Pro solutione huius obiectionis obser. est, actuale peccatũ veniale non esse obicem ad effectum sacramenti suscipiendum: quod de Eucharistia docuit D. Thomas 3.p. q.79.ar. 8. Vnde a fortiori idem diceret de cæteris sacramentis, quæ nymus digna sunt, & de sacramento baptismi affirmat Scotus in hac quæst. sub litt.e, §. Respondeo. Ratio est: quia veniale peccatum non habet formalem repugnantiam cum gratia, neque cum gratiæ augmento, nec reddit sumptionẽ sacramenti ita indignam, vt ea de causa habeat mortalem malitiam, vnde sequitur, quod potest aliquis habere attritionem, vel contritionem mortalis peccati, & concomitanter admittere veniale peccatum, quod non obstabit, quo minus per sacramenti sumptionem, si tantum habuit attritionem, vel statim iustificetur, si habuit contritionem.

D Thom. Scotus.

Quæ doctrina verissima est, quicquid opinatus sit Caiet. 3.p.q.79.art.1. vbi specialiter de Eucharistia dicit, non solũ propter veniale peccatum, sed etiam propter actualem distractionem impediri, ne augmentum gratiæ cõferat, quod ad cætera sacramenta ampliauit Petrus Soto lect 9. de sacramentis in genere, & lect.8. de confessione, & fundari potest hæc opinio, quia videtur absurdum, quod homo dum actu peccat, & offendit Deum fiat sanctior, & Deo gratior. Cæterum Scoti Doctrina apud me certa est: quia & nititur nulla ratione aut authoritate nititur, & est minus rigida, & præter humanam fragilitatem, & cum hoc penderat ex Christi Domini voluntate, & institutione pro potius credendum est, sese in hoc humanæ fragilitati accommodasse. Neq; est inconueniens diuersis titulis seu actibus esse simul augmentum in diuina amicitia, cũ aliqua leui offensione Dei: quia hæc (vt dixi) non sunt formaliter repugnantia, & in merito ex opere operantis, potest interdum accedere per duos actus concomitantes quorum vnus non sit circumstantia alterius, vt notat hic Scotus. Intelligendus est ergo Doctor Sub. vel de eodem actu sub diuersis rationibus: quia dum actu suscipiendi baptismum veniale peccatum immiscetur actualiter, non est meritorius, sed ante vel postea v. g. volo dare eleemosynam propter Deum, dum marsupium aperio & do eleemosynam interuenit vanagloria propter videntes me præstare eleemosynam, pro illo tunc vanægloriæ non continuatur meritum bonæ intentionis: atq; ita veniale peccatum, & meritum non sunt reputanda pro eodem actu, vel saltem habenda sunt pro eodem actu, vt sub diuersis rationibus, vt loquitur Alex.de Ales 2. p.q.124. m.8. §.7. Ita ut cum sacramenta in eo ab alijs operibus differant, quod sacramenta conferunt gratiam ex opere operato; alia vero opera tantum ex opere operantis; baptismus cum sit opus Dei habet effectum suum etiam in peccante venialiter toto tempore quo baptizatur, quia vt dicit Doct. peccatum veniale nõ impedit gratiæ infusionem, atq; ita talis sacramentalem recipit gratiam: obex enim peccati mortalis est, quod impedit effectum sacramentorum, id est, gratiam sacramentalem per sacramenta recipi, non autem obex peccati venialis. Scotus autem de gratia conferenda propter bonum motum suscipientis baptismum, vltra gratiam sacramentalem tractat in præmissis, quæ non ex ui sacramenti, sed ex dispositione suscipientis, & ordinatione, & liberalitate Dei confertur.

Caietanus. Petr. Soto. Ale.de Ale.

2 Conclusio

Secunda Conclusio. Aliquando datur maior gratia vni paruulo, quam alteri in baptismo propter maiorem deuotionem actualem Ministri baptismi, vel assistentium, vel parentum ipsius paruuli. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt.d, §. potest tamen in parentibus &c. & eam docent

Scotus.

Bassolus,

Bassolus. Gabriel. Eckius.

Bassolus, & Gabriel locis citatis, & Eckius, tom. 3. homiliarum in die Sancti Nicolai, & probatur: Nam preces, & merita ministri, & aliorum possunt alijs mereri gratiam, & alia bona extra sacramentum; ergo possunt eandem gratiam mereri in susceptione sacramenti, consequentia patet: quia minister non est deterioris conditionis, propterea quod sacramentum administret, neque alij similiter: antecedens vero probatur ex authoritate, & vsu ecclesiæ, quę nos docet, & exhortatur orare pro existētibus in peccato mortali, non esset autem orandum pro peccatoribus nisi orationes fidelium peccatoribus essent proficuæ; ergo orationes iustorum merentur peccatoribus gratiam: atque ita fertur communiter quod preces B. Stephani fuerunt meritoriæ conuersionis B. Pauli. Hoc tamen meritum ministri, & aliorum de congruo esse videtur. Concordant siquidem omnes Theologi, quod purus homo alteri non possit mereri primam gratiam ex condigno vt videre est apud Alex. de Ales, 3. parte, quæstio. 69. memb. 5. art. 2. § 4. & apud S. Thom. 1. 2. q. 114. artic. 6.

Ex hac conclusione sequitur primo. Bonum esse parentes quamplurimum, & maxime pie pro filijs suis orare, patrini quoque qui & ipsi non secundum fauorem, sed probitatem sunt eligendi, multum deuote pro paruulo Deū orare tenentur.

Secundo sequitur. Quod non semper recipiunt paruuli æqualem gratiam in baptismo cum propter orationes ministri melioris, & parentum, & assistentium, paruulus maiorem gratiam recipiat, quam si alius baptizetur absque merito talium; & hoc modo forte parentes B. Nicolai, inquit

Scotus.

Scotus, orationibus suis meruerunt illi abundantiorem gratiam; quæ erat in eo etiam paruulo principium tam mirabilis effectus, vt duobus diebus in hebdomada vnica tantum lactatione contentus maneret, atque ita quoad hoc magis optandum est puerum baptizari a bono sacerdote, quam a malo: quia orationes sacerdotis boni, quas multas facit, ante & post baptismum, magis exaudiuntur, & valent illi pro quo fiunt, quam orationes mali. Hanc sententiam Scoti am-

Caietan.

plectitur Caietanus, tertia parte, quęstio. 64. articulo primo, vbi cum Scoto adnotat illum gratiæ gradum, qui additur ex merito, vel impetratione ministri, non esse proprie effectum sacramenti ex opere operato, sed concomitanter dari cum effectu sacramenti, atque ita effectus sacramenti

Gabriel.

formaliter non augetur. Idem etiam docet Gabriel, vbi supra.

Sotus.

Sed contrarium de paruulis tenet Sotus, distinctio. sexta, quæstio. prima, articulo sexto, vbi dicit, quod minister in baptismo potest mereri adulto gratiam, quia potest mereri bonum motum voluntatis illius, per quem disponatur ad maioris gratiæ consecutionem; paruulis autem gratiam mereri non potest minister: quia iam gratia daretur paruulis non propter aliquod meritum ipsorum, sed solum propter merita ministri, hoc autem est falsum: quia nullus præter Christum potest alteri mereri gratiam de condigno, ergo propter merita ministri nulla gratia datur paruulo in sacramento baptismi: sed ad hoc iam responsum est: Non enim minister meretur gratiam de condigno, sed de congruo.

Tertio sequitur, paruulos etiam qui statim a baptismo decedunt non ęqualiter esse beatos: cum enim inæqualiter sint a Deo donati, inęqualem quoque a Deo recepturi sunt beatitudinem, & hoc est, quod Propheta Zacharias inquit, capitulo quarto. Exæquabit gratiam gratiæ, hoc est, gratiam præsentis vitæ adæquabit gratiæ gloriæ futuræ.

Ad rationem dubitandi in principio articuli positam, dico, quod baptismus magis dependet a ministro quoad hoc vt sit sacramentum: quia in eo simpliciter requiritur intentio saltem virtualis conferendi sacramentum, prout confert ecclesia Christi; non sic in suscipiente; quia vel non requiritur vt in paruulis, & in his qui ratione vti non possunt, vel sufficit tantum habitualis vt in adultis.

Cęterum quoad hoc quod baptismi effectus, idest, gratia maior, vel minor recipiatur magis dependet a baptizato.

QVAESTIO VIII.

Quæritur quid faciendum sit de paruulo exposito.

EST autem paruulus expositus, qui in aliquo loco dimittitur, ac si patrem & matrem non haberet, vt sunt illi, qui ponuntur ad portas ecclesiarum, vel deferuntur ad Xenodochium, vel potius ad Brephotrophiū, idest, domū spuriorū, & illegitimorum. Hoc dubium mouet etiam Richar. hac d. art. vlt. q. 1. sub hoc titulo. Vtrum infantulus qui inuenitur expositus, & a quo, vel a quibus sit expositus penitus ignoratur, nec cum eo signum inuenitur, seu testimonium, quod sit baptizatus, baptizandus sit absolute, vel sub conditione. Huic dubitationi respondet Scotus duabus conclusionibus. Richardus.

Prima Conclusio Si constent indicia certa, quod non est talis paruulus baptizatus, v. g. si reperiatur paruulus cum a le apposito, vt solent mulierculæ apponere ad collum paruuli, vel cum scriptura dicente, quod talis non est baptizatus, talis paruulus est absolute baptizandus, hæc conclusio est manifesta, neque indiget probatione. 1. Conclus.

Secunda Conclusio, si non inueniantur cum paruulo talia signa, neque ex vicinia, neque ex testimonio fide digno possint haberi, quæ indicent puerum esse baptizatum; talis paruulus est baptizandus. Tutius erit tamen vti illa forma conditionali, cap. de quibus extra de baptismo, & eius effectu vbi Alexander III. ita definit. De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis. Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo, &c. & rationabiliter inquit Richard. tum propter reuerentiam sacramenti, tum ad vitandum præiudicium irregularitatis, quam incurreret paruulus si bis absolute baptizaretur; & de hoc casu loquitur Leo Papa Reoni Rauennati Episcopo epist. 37. cap. 1. & refertur de consecr. dist. 4. c. Cum itaque. Nam quibusdam erat dubium vtrum essent baptizati vel non: quare quærebatur quid esset faciendum de his, Respondet Pontifex quod si nulla indicia, vel nemo habetur de baptismo eorum, debent baptizari: Quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur. 2. Conclus. Alex. III. Leo Papa

Idem repetit scribens ad Rusticum epist 90. alias 92. cap. 16. & refertur de consecrat. dist. 4. cap. Si nulla. Si nulla, inquit, extant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur, ne manifeste pereant. In quibus quod non ostenditur gestum ratio non sinit, vt videatur iteratum; Idem etiam definiuit Gregorius III. epist. 4. ad Bonifacium, & habetur de consecrat. dist. 4. cap. paruulos, vbi ita legitur. Paruulos qui a parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint ignorant hos vt baptizare debeas secundum patrum traditionem; si non fuerit qui testificetur vt ratio poscit. vide cap. Placuit de infantibus ex Concil. Carthag. 5. c. 6. de consecrat. dist. 4. Grego. 3.

Si ergo aliquis puer inueniatur sine signo, & non appareat an sit baptizatus, vel non; In tali casu duo facere debet curatus: primo debet inuestigare per viciniam, vtrum aliquis sciat an puer sit baptizatus, vel nō. Si autem nullam potest habere de hoc certitudinem, debet secundo baptizare puerum sub conditione, iuxta formam traditam ab Alexandro III. vbi supra.

QVÆSTIO IX.

Vtrum paruuli Iudæorum, siue infidelium inuitis parentibus sint baptizandi.

PRo tituli explicatione obseru. est primo, quod per paruulos intelligimus filios infidelium, qui nondum peruenerunt ad vsum rationis, quoniam postquam ad vsum rationis peruenerunt, iam sunt iudices suimet in his quæ sunt iuris diuini, & naturalis, atque adeo si baptizari velint, licite possunt a quocunque baptizari contra voluntatem parentum, & hoc est certum apud omnes Doctores. Qui sint paruuli.

Secundo obseruan. est, quod duplex est via, qua comprehendi potest pueros vsum rationis habere aut non habere, non enim par est omnium in eadem ætate vigor mentis, & intel- Duplex via ...

intellectus: quoniam inueniuntur aliqui infantes quinque aut sex, aut septem annorum, qui ratione, & iudicio pares sunt multis, qui octo, aut decem, aut etiam 12. annos excedunt. Et similiter multi sunt impuberes, qui multos puberes prudentia superant & actu: quamobrem prima via inuestigandi in pueris vsum rationis, est experientia. Altera via est, qua non quid exacte verum sit deprehenditur, sed quid communiter, & quid in pluribus contingat. Hac via secantur anni in ætates. Est enim prima ætas pueritia, tum adolescentia, deinde iuuentus, virilitas, & senectus. prima ætas 14. annis concluditur, quæ adhuc diuiditur in infantiã, quæ vsque ad septem annos procedit, & reliquum pueritiæ fluxum. Iurisconsulti, qui leges suas aptant ad ea, quæ frequentius accidunt, ad excludendas, & semouendas lites & controuersias crebrius hac secunda via vtuntur. Vnde regulæ iuris, Intra infantiam pueros nihil prorsus agere posse, super illam ætatem agere quidem posse, sed authoritate maiorum, vt parentum aut tutorum, intra pubertatem idest, annos 14. non condere testamentum, & alia huius modi.

At Theologi qui tractant ea, quæ ad Deum pertinent, & maximi momenti, & pendentis in casu proposito secundũ priorem viam incedere debent, videlicet ab experientia. Quæ tentandi sunt à maioribus, & prudentibus, qui eos intersogent de re præsenti, hoc est, de negotio in quo vsus rationis quæritur, & à responsionibus eorum iudicent, quid sapiant. Vnde recte Caiet. in hunc modum scriplit. Iudicium de in tio discretionis, debet à parentibus, & confessore fieri. A parentibus quidem; quoniam continua conuersatione experiuntur an filius, seu filia, discernere sciat panẽ, verbi gratia, materialem, à spirituali, & cum deuotione præparare se ad Sacramẽtum. à Confessore verò; quoniam in ipsa confessione, potest aduertere quantum discretionis, aut deuotionis possit inesse.

Tertio obseruo, quosdam esse infideles subditos Ecclesiæ directe ratione potestatis, & iurisdictionis spiritualis, cuiusmodi sunt omnes apostatæ, qui post susceptum Baptismum defecerunt à fide, siue in hæresim inciderint, siue in Iudaismum, aut Paganismum declinauerint: & de his nulla est controuersia quin Ecclesia habeat ius baptizandi eorum infantes etiam si parentes renitãtur. Nam ipsos etiam parentes potest ad fidem seruandam cogere, & pœna etiam mortis afficere, si pertinaces fuerint; ergo multo magis potest eos priuare potestate, quam in filios suos habent. Alij verò sunt infideles, qui nunquam baptizati fuerunt; qui non sunt directe subiecti spirituali iurisdictioni Ecclesiæ, & hi sunt in duplici differentia; quidam enim sunt subditi Ecclesiæ, seu Principibus Christianis quoad iurisdictionem seu dominium temporale: alij vero sunt qui nullo modo, nec spiritualiter, nec temporaliter subiiciuntur Ecclesiæ, & de vtrisque est præsens dubitatio, & quæstio, quam vt exactius explicemus secamus in tres articulos.

Primus Articulus. Vtrum filij infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

Secundus Articulus. Vtrum sit contra ius naturæ filios infidelium inuitis parentibus baptizare.

Tertius Articulus. Vtrum infideles adultos licitum sit ad Baptismum compellere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum filij infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

De hac re sunt tres opiniones. Prima est D. Thomæ 3. p. q. 68. art. 10 & Richardi in 4. d. 6. ar. 3. q. 3. hi tenent nullo modo paruulos infidelium inuitis parentibus posse baptizari. Secunda opinio est Durandi in 4. dist. 4. quæst. 6. qui ait, si parentes infidelium sunt Christianorum mancipia, possunt; sin minus, nequaquam: quia Baptismus nullum sortietur effectum. Tertia opinio est Scoti in hac quæst. qui ait paruulos infidelium Christianis Principibus subditorum posse inuitis parentibus baptizari dummodo hoc caute fiat: ne scilicet post Baptismum parentibus reddantur, sed religiose nutriantur, & ne parentes hoc timentes trucident paruulos, vt à Christianis non baptizentur, quod quidem dicit licere nõ cuilibet, sed principi, qui est Minister iustitiæ diuinæ.

Vnde ad difficultatem sequentibus conclusionibus respondetur. Prima conclusio: Nunquam est licitum baptizare paruulos infidelium inuitis parentibus, aut auctoribus infidelibus, ita vt post Baptismum relinquantur sub cura, & potestate ipsorum, aut etiam periculum sit, ne ad eorum curam, & potestatem redeant: id patet, quia facile peruerterentur ab ipsis, & parentes eos inducerent, & assuefacerent ad suos errores in fidei Christianæ contemptum: atque adeo postquam essent adulti contumneret fidei Christianæ Sacramentum, quod ignorantes, & inuitis parentibus suscepissent, quod esset ad Sacramenti fidei dehonorationem: & in hac conclusione nulla est controuersia.

Secunda conclusio: si paruuli à cura, & potestate parentum, aut tutorum infidelium, quacumque ratione sic abstracti sunt, vt non sit periculum vt ad illos redeant, & ab eis peruertantur, licet ipsis illis etiam inuitis, idest, parentibus baptizare, modo idonea adhibeatur cautela, ne possint ad infideles redire, & reuerti; ita notauit Caietanus 3. par. q. 68. art. 10. & Sotus, dist. 5. quæst. 1. art. 7. neque de hoc est etiam controuersia: atque; hinc colligit Caietanus recte solitum esse fieri, vt paruuli Aethiopes, qui ad nos adducuntur baptizentur, & erudiantur inter Christianos; quorum magnum (inquit Caiet.) chaos inter nos & illos populos interest, vt ii, qui semel huc venerint non soleant eò remeare.

Tertia conclusio. In eminenti periculo mortis possent omnino, & deberent paruuli baptizari etiam inuitis parentibus, in quorum potestate & cura essent: & ratio est: quoniam in casu tantæ necessitatis spiritualis paruulorum, non possent parentes recte vrgere suum ius paternũ vsque; adeo, vt Baptismus illis admunistrari per contrariam voluntatem parentum non deberet, neque in hoc casu quemquam puto Doctorum huic conclusioni repugnaturum.

Quarta conclusio. Etiam extra casum huius extremæ necessitatis propter solam vtilitatem spiritualem, quam ex Baptismo statim collato paruuli cõsequuntur, posset fine controuersia baptizari altero parente inuito, modo alter siue pater ille sit, siue mater, cõsentiat, de patre hoc patet in cap. Ex literis extra de cõuersione infidelium, vbi dicitur quod quidam Iudæus conuersus ad fidem vxore sua in Iudaismo relicta petebat in iudicio, vt eorum filius quadriennis assignaretur eidem per ipsum ad fidem quam susceperat perducendus. Mulier respondebat, quia cum puer infans existeret: magis indiget materno solatio, quam paterno, qui sibi ante partum fuerat onerosus, dolorosus in partu, & post partum laboriosus, vnde potius cõiunctio viri, & mulieris dicitur matrimonium, quam patrimonium, & ideo apud ipsam debebat potius remanere; Quæsitum fuit ab Argentin. Episcopo à Gregorio 9. quid iuris esset, cum filius in potestate patris consistat, cuius familiam sequitur, & non matris; & in tali ætate apud suspectas personas aliquis remanere non debeat, quæ vitæ ipsius insidientur, & pueri post triennium a; nd patrem nõ sit suspectum, alit debeant, & morari; & si apud matrem maneret posset illi sit habere ad infidelitatis errorem; & ideo propter fauorem fidei rescondet Papa, puerum tam patri assignandum: Nam filius conditionem patris, vel matris conuersi ad fidem sequi debet. De matre autem in Concilio Toletanu 3. cap. 14. & Tolet. 4. cap. 62 vbi dicitur. Filij autem qui ex talibus nati existunt; idest, ex mulieribus Christianis fidem atque conditionem matris sequantur; similiter & hi, qui nati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris Christianam religionem sequantur non Iudaicam superstitionem. Imo ferunt quod Iulius III. Pont. & Maximus statim puerum quemdam Iudæum baptizari coactis reclamantibus; Idem referunt quidam itaenidie Gregor. 13 nempe puerum Iudæum, quem auus eius paternus baptizari volebat baptizaretur inuita matre Iudæa, quæ defuncto patre superstes erat.

Quinta conclusio. Paruulos eorum infidelium, qui mancipia Don. inorum fidelium sunt, possunt inuitis parentibus ab eorum cura abstrahi, & baptizari, adhibita cautela ne ad eorum curam redeant, & ab illis peruertantur, ita sentit Doct. noster sub. in hac quæst. sub litt. a. Durandus dist. 4. quæst. 6. Gabriel eadem d. q. 2. art. 3. dub. 5. Eckius hom. 11.

Caietanus.

Infideles non multi ecclesiæ.

Thomas. Richardus.

Durandus.

Scotus.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Caietanus. Sotus.

Tertia conclusio.

Quarta Conclusio.

Concilium Tolet.

Quinta conclusio.

Scotus. Durandus. Gabriel. Eckius.

hom. 11. de Baptismo. Probatur conclusio ex D. Augustino ser. 6. de verbis Domini. *D. August.* Quando dominia sunt subordinata parendum est dominio superioris, inferioris præcepto contempto, & cum Deus, qui est Dominus vniuersalis secundum legem naturalem, & Euangelicam omnium paruulorum, præcipiat paruulos sibi per Baptismum consecrari, quamuis pater infidelis, qui est Dominus particularis, velit oppositum; Princeps, qui est minister iustitiæ poterit illos auferre, & Deo cõsecrare. Si illud iubet (inquit D. August.) potestas quod non debes facere, hic sane contemne potestatem, timendo potestatem maiorem, & declarat in exemplo de curatore, & proconsule, de Proconsule, & Imperatore, de Imperatore, & Deo. ergo siquis habet regere Rempub. magis debet quantum in se est cogere vnumquemq; subdi Domino superiori, quam inferiori, imo superiori, contempto inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori: sicut ergo Imperator deberet sententiare aliquem obedire debere Proconsuli contempto præcepto Curatoris, idest, inferioris proconsule, si cõtradiceret Proconsuli: ita etiam si essent ab eodem dominia ordinata, scilicet quod aliquis esset seruus Titij, & Titius Petri, magis deberet Imperator cogere seruum seruire Petro: quia superior est Titio, quam Titio, si Titius vellet vti seruo illo contra dominium Petri. Ergo maxime debet Princeps zelare pro dominio seruando supremi Domini, scilicet Dei, & per consequens non solum licet, sed debet Princeps auferre paruulos à dominio parentum volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus, & honestissimus Dominus; & debet eos applicare cultui diuino.

Sed proh dolor, plerique iam Principes gaudent quidẽ magnas exactiones à Iudæis recipere, & vsuras contra Deũ & præcepta diuina permittere. Atqui in hac pia cura, & sancta solicitudine auferendi à Iudæis liberos, & baptizandi, quis est obsecro, qui aliquid agat? In promptu causa est: quoniam lucrosa res non est, alias Cõlibarij, qui in omnibus abblandiuntur Principibus, & stipendia sua volunt, quam optime promereri, iam dudum rem hanc persuasissent principibus, & impetrassent. Verum quid hic cogites? Profecto nisi quis rem hastis gerat argenteis parum promouerit. Transeat hic error cum alijs infinitis.

Durandus. Est etiam pro hac conclusione alia ratio, quam Durãdus adducit: quia Dominus fidelis potest simpliciter alijs de causis paruulos illos à cura, & potestate parentum abstrahere proposito sibi simul hoc optimo fine; vt scilicet à parentibus abstracti baptizentur, & educantur Christiane, quod si non consueuit Ecclesia id facere causa est, quia difficile est adhibere sufficientem cautelam, ne tales paruuli reuertantur ad parentes infideles; & ne parentes prius, hoc cognoscentes occiderent pueros suos.

Sexta conclusio. Sexta conclusio. Possunt similiter inuitis parentibus paruuli infidelium baptizari, & à paterna cura ob eum finem abstrahi, contra quos competit Christianis ius belli iusti, hoc etiam probat recte Durandus tali ratione: quoniam vt aliæ res sic etiam liberi istorum possunt iure belli a Christianis simpliciter capi, ergo poterunt etiam abstrahi ab eis ad eum rectissimum finem, vt baptizentur, & erudiantur Christiane, & confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ baptizare solet paruulos bello iusto captos.

Septima conclusio. Septima conclusio. Paruuli infidelium non subditorum Principibus Christianis, cum quibus nullum est nobis bellum inuitis parentibus baptizari possunt. Ratio est, quia si integrum esset expoliare patrem infidelẽ potestate patria, volentem suos paruulos occidere; multo magis profecto licebit, si velit eos spiritualiter occidere. Dices minime licet: quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona, & malum quidem est expoliare patrem infidelẽ potestate, quæ illi iure naturali competit. Hæc tamen responsio non tollit vim conclusionis: quia ordo charitatis est in præcepto, & quando non patet alia via salutis æternæ, quam priuando proximum re aliqua temporali, possumus illum re illa priuare animo compensandi plusquam æquiualens, tũc enim nulla fit iniuria. Et cum paruulis infidelium, alia via salutis non pateat, nisi eripiendo illos à patria potestate animo recompensandi iniuriam consecrandoq; illos Deo per Baptismum; non erit profecto facere malum; & cum ordine charitatis præferre teneamur vitam spiritualem, salutemque æternam temporalibus bonis, inter quæ connumeratur patria potestas.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit contra ius naturæ filios infidelium inuitis parentibus baptizare.

De hac re est duplex opinio. Prima est D. Thomæ, & Richardi locis citatis in superiori art. qui dicunt esse contra ius naturæ paruulos infideles inuitis parentibus baptizare. *Opinio D. Thomæ, & Richardi.* Fundamenta huius sententiæ possunt esse ita. Primo iure naturę competit parentibus cura nutriendi filios, & instruendi in moribus, sed qui contra voluntatem patris baptizat filium, priuat patrem iure suo, ergo nõ potest quis licite baptizare filium inuito parente. consequentia patet: quia illicitum est quicquid fit contra ius naturæ.

Secundo arguitur. Ecclesia nunquam consueuit baptizare filios infidelium subditorum inuitis parentibus, ergo nõ est licitum; probatur consequentia: quia si esset licitum Ecclesia baptizaret illos, maxime qui sunt in periculo mortis, ne damnarentur.

Tertio arguitur ex Concilio Toletano 4. c. 56. & refertur in cap. de Iudeis, d. 45. cuius sunt verba. *Concil. Tol.* De Iudæis præcipit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales, inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ, &c. Sed paruulis qui contra voluntatem parentum baptizantur infertur vis ad credendum, ergo licite baptizari non possunt contra voluntatem parentum: probatur minor: Nam sicut adulti ordinãtur in Deũ per propriam volũtatem; ita paruuli ordinantur in Deum per voluntatem parentum; ergo sicut infertur vis ad credẽdum adulto, qui contra voluntatem propriam baptizatur; ita infertur vis paruulo, qui contra voluntatem patris baptizatur.

Quarto arguitur: aut filij postquam baptizati sunt tradentur parentibus: & hoc non est licitum, vt dictum est, quia fieret iniuria fidei: aut separarentur à parentibus, & hoc etiam non est licitum: probatur, quia Princeps non potest eis auferre alia bona, ergo nec filios.

Quinto arguitur ex D. Paulo 1. Corint. 5. dicente, quid mihi de his, qui foris sunt iudicare? q. d. Prælati Ecclesiæ solum habent potestatem spiritualem super fideles; sed paruuli infidelium sunt extra Ecclesiam; ergo Ecclesia non potest eos baptizare.

His tamen non obstantibus est opposita sententia Doct. sub. quæ vnica conclusione explicatur. *Scoti opinio Conclusio.* Princeps Christianus potest paruulos infidelium sibi subditorum inuitis parentibus baptizare, etiam si paruuli non sint in extrema necessitate constituti; neq; iure dominij, neq; iusti belli possint à parentibus abstrahi, neque parentum alter consenserit, dummodo Christianis nutriendos tradat. Probatur conclusio. Nulla fit iniuria parentibus, si ipsis inuitis authoritate Principum baptizentur eorum filij; ergo licite baptizari possunt, consequentia patet, & antecedens probatur: Nam quamuis parentes habeant dominium super filios nihilominus maius dominium habet Deus: ergo cum Deus velit paruulos baptizari: quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & Apostolis præcepit. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. nulla fit iniuria parentibus si contra voluntatem illorum baptizentur. & confirmatur ratione posita ad 5. conclusionem in superiori art. Respondet Caietanus huic argumento, quod voluntas diuina est adimplenda seruato iure naturę. *Caietanus.* Vnde quia est contra ius naturæ auferre filium à patre, ideo licite baptizari non possunt ipsis inuitis: quamuis sit voluntas diuina quod baptizentur.

Sed contra hanc responsionem dupliciter arguitur, & primo sic. Non obstante iure naturæ, quod habent parentes in filios si vellent ipsos occidere possumus eos liberare à manibus eorum ne occidantur: Sed Pater qui non vult filium baptizari, vult animam filij perire; ergo non obstante iure naturæ potest filius à potestate Patris liberari, & cõtra eius voluntatem baptizari. Secundo parentes non habent ius nutriendi filios contra ius diuinum; sed qui non vult filium suum baptizari facit contra ius diuinum, ergo parentes non habent ius supra filios ad hoc, vt non baptizentur, & consequentur nulla fit eis iniuria, si cõtra voluntatem ipsorum baptizentur.

Etsi

Et si dicas, legẽ gratiæ fundari in naturam, & nõ destruere neq; inuertere debitum ordinem naturæ, sed perficere, sed auferre à parentibus filios, est contra legem naturæ. Ergo, &c. Contra lex gratiæ non destruit nec inuertit legem naturæ de actibus virtutum: Nam lex naturalis quæ prohibet violari torum alienum, per legem Euangelicam perficitur prohibentem etiam alieni tori concupiscentiam: at lex naturalis de conseruatione dominiorum interdum per Euãgelicam legem inuertitur, & destruitur. lege enim naturali matrimonium consummatum est insolubile, & tamen si alter coniugum conuertatur ad fidem, & infidelis nolit cum conuerso habitare, poterit fidelis matrimonium contrahere, atq; ita infidelis amittit dominiũ in corpus cõiugis p legẽ gratiæ dicẽte Apost. 1. Corin. 7. Si infidelis discedit discedat. Nõ. n. seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.

Item in Matrimonio rato si alter coniugum religionem solemniter profiteatur manens in sæculo amittit dominiũ in corpus illius. Deinde infideles subditi Regibus Christianis lege naturali sunt domini bonorum suorum, & tamen compelluntur soluere decimas de prædijs, quæ à Christianis emerunt, vt constat cap. de Terris extra de decimis. ergo similiter in proposito.

Secundo probatur Conclusio. quoniam etsi Pater in Filium potestatem habeat, ea tamen non debet abuti contra Deum, & æternam saluẽ filij: quoniam lex charitatis non disrumpitur. Ergo cum Iudæus contra filij sui salutem non vult eum baptizari, merito paterna potestate priuandus est, eo quod ordinationi Dei resistit, qui habet, vt omnes homines baptizentur. Matth. vltimo.

Deinde tertio quamuis & hoc patris est, vt educet liberos, idq; ex lege naturæ, ea tamen educatio fieri debet in disciplina, & correptione Domini Ephes. 6. hoc est iuxta expositionem Glossæ, vt crescãt paruuli in ijs, quæ ad Deum pertinent. Quod si iam velit Pater filium aduersus huiusmodi ordinationem educare, tunc sane sua abutitur potestate, eaque merito priuandus est: quoniam Deo vtiq; magis oportet obedire, quam hominibus. Paulus etiam vbi supra filijs iniungit, vt obediant parentibus suis in Domino, vnde satis constat parentes quoq; potestate sua non nisi in Domino vti debere. ergo cum Iudæi illa abutuntur aduersus Dominum, merito auferenda est ab eis.

Præterea quarto, si aliquid obstaret nostræ sententiæ illud esset maxime, quod, pater non potest priuari potestate paterna: quæ sibi competit iure naturæ: est enim de lege naturæ, quod filij sint sub potestate patris, vt constat instituta de potestate patria. §. 1. vbi ita legitur. Filius ex te, & ex tua vxore natus sub tua est potestate, sed oppositum est iam supra probatum ergo, &c. & confirmatur: quia Ecclesia præcipit paruulos infidelium reluctante patre baptizari, vt constat cap. Iudæi 28. q. 1. ex Conc. Tolet. 4. Cuius verba sunt. Iudæi, qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo Ciuitatis ipsius, vt si cum eis manere cupiunt Christiani efficiantur. quod si admoniti noluerint separentur: quia non potest infidelis in eius permanere cõiunctione, quæ iam in Christianam translata est fidem; filij autem qui ex talibus nati existunt fidem atq; conditionem matris sequantur, similiter & ij, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris Christianam sequantur religionem, non Iudaicam superstitionem.

Præterea tenent aduersarij, quod si filij infidelium inuitis parentibus de facto baptizentur recipiunt characterem baptismalem, vereq; esse baptizatos. contra ad hominem argumentor, & confirmo conclusionem. Quod iure naturæ, est nullum, & irritum, & iure Euangelico, vel Ecclesiastico non confirmatur tamquam licitum, semper est illicitum, & si fiat non tenet, vt patet de contractu simoniaco illis verbis prohibito. Quod gratis accepistis gratis date, & de contractu matrimonij inter fidelem, & infidelem, qui quidem cõtractus propter solam prohibitionem a Deo factam, sunt nulli. Quare si Deus, & Ecclesia vt dicũt Doctores alterius opinionis prohibẽt infideliũ filios inuitis parentibus baptizari, si de facto baptizentur, non recipient characterem.

Et confirmatur, quia si Ecclesia expresse diceret. Nolo paruulos inuitis parentibus baptizari, si de facto baptizarẽtur non imprimeretur character; quia deficiente voluntate Ecclesiæ, & parentum, nõ esset interpretatiua volũtas paruulorum, quæ requiritur ad baptismum; ergo cũ Ecclesia hoc nolit, vt dicunt Doctores alterius sententiæ, nõ recipiẽt characterem, quod est contra eorum opinionem.

Ad primũ fundamentũ oppositæ sñiæ dico. quod quãuis iure naturæ competat parentibus educatio prolis; tñ qñ pater male vtitur iure suo, & facit iniuriã proli: quia ei nõ prouidet de medio necessario ad salutem, potest iustissime iure suo priuari atq; adeo proles iuste ab eo auferri potest. Nam quamuis maritus iure diuino habeat dominium super corpus vxoris, quando tamẽ male vtitur iure suo, potest Iudex iure vxorem protegere, atq; eã a potestate mariti liberare.

Ad secundum nego consequentiam: nam quamuis per se sit licitum; per accidens tamen non expedit propter multa inconuenientia, & scandala, quæ interdum sequerẽtur, fuit tamen factum aliquando, vt colligitur ex cap. de Iudæis. d. 45. tñ postea prohibitũ pp inconuenientia, quę sequebãtur.

Ad tertiũ nego minorẽ, & ad probationẽ dico, ꝙ illi vis infertur, q cogitur facere cõtrariũ ꝙ ipse vellet. Dico igitur ꝙ paruulus, qui cõtra volũtatẽ patris baptizatur, nõ cogitur facere oppositum eius, quod ipse vellet. nam si haberet vsũ rationis credendum est, quod vellet baptismum: quia sibi ad salutem est necessarius. Quod si dicas: Pater non vult baptismum in casu posito; ergo nec filius. probatur consequẽtia, quia filius ordinatur in Deum per voluntatem patris, vt dictum est, ergo tunc temporis credendum est paruulum velle ordinari in Deum, & velle baptismum, quando pater eius vult ipsum ordinare, & baptizare, & tunc temporis credendum est paruulum non velle ordinari in Deum, & nõ velle baptismum, quando pater ipsius non vult ipsum baptizare. Nego hoc secundum membrum consequentiæ: & ratio est, quoniam ideo paruulus ordinatur in Deum per voluntatem patris, quia paruulus ipse non habet vsum rationis. Vnde tunc temporis credendum est voluntatem patris, quia paruulus ipse non habet vsum rationis. Vnde tũc temporis credendum est voluntatem paruuli consentire cũ voluntate parentis; quando parens vult illud, quod paruulo est vtile, & ad salutem necessarium; nam hoc est quod paruulus vellet si haberet vsum rationis, & non esset in aliquo errore: & tunc credendum est paruulum non consentire cum voluntate Patris, quando pater prohibet paruulo id, quod est sibi vtile, & ad salutem necessarium, atq; ita credendum est paruulum non consentire cum voluntate parentis, quando illi prohibet sacramentum baptismi. Nam quando de opposito non constat in bonam partem volũtas paruuli est interpretanda.

Ad quartum dico, quod postquam paruuli sunt baptizati non sunt reddendi parentibus infidelibus & quando dicis, quod fieret illis iniuria. nego: & ad probationẽ dico, qd etiam alia bona possunt illis auferri, qñ cũ illis bonis vellẽt alios damnificare, & sic etiam possunt illis auferri filij: quia faciunt illis maximum damnum prohibendo illis baptismum: qui est illis ad salutem necessarius.

Ad vltimum dico, Ecclesiam non habere potestatem super infideles ad coercendum, & expugnandum illos ratione infidelitatis, habet tamen potestatem ad liberandum innocentem à potestate infidelium, & cum paruulus sit innocens poterit illum a parentibus infidelibus liberare consecrando illum Deo per baptismum, vt supra explicatum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum infideles adultos licitum sit ad baptismum compellere.

DE hac re duplex est opinio 1. est D. Th. vbi sup. art. 8. & *Opinio D. Thomæ, & Richardi.*
Rich. loco supra relato, q negãt id fieri posse, ꝙ probãt ex c. de Iudæis d. 45. vbi ita legitur: Pręcipit Sãcta Synodus nemini deinceps ad credẽdũ vim inferri; cui. n. vult Deus miseretur, & quẽ vult indurat. Non. n. tales inuiti saluãdi sunt, sed volẽtes, vt ĩtegra sit forma iustitię, sicut. n. homo ꝓpria arbitrij volũtate serpẽti obediẽs perijt; sic vocãte gratia Dei proprię mẽtis cõuersione homo qsq; credẽdo saluat, ergo nõ vi, sed libera arbitrij volũtate, vt cõuertãtur suadẽdi sũt, nõ penitus impellẽdi; & sunt verba Concilij Tolet. 4 ca. 56.

Alterã, & cõtrariã sñiam docet Scot. in hac q. sub litt. A. §. *Opinio Scoti.*
imo ꝙ plus est, &c. q probat trib. rationib. & primo sic. Minus malũ esset, vt tales infideles nõ possent impune legẽ suã illicitã seruare, q̃ posse eã libere seruare, & impune vti superstitionibus suis vt sacrilegis institutis, ergo prudenter fieret si à maiori malo ad minus adducerẽtur, esto quod ex cordenõ conuerterẽtur, nec fidem sincero animo susciperent.

Secunda ratio est: quia saltem sperari posset futurum, vt eorum filij post tertiam, aut quartam generationem essent sinceri Christiani, quod commodum non videtur esse negligendum. Et si dicas secundum Prophetiam Esaiæ 9. quẽ refert D. Paulus Rom. 10. Reliquiæ Israel conuertentur in fine: atq; adeo non oportet Iudæos totaliter cogere ad baptismum suscipiendum, & relinquendum legem suam. Respondet Sco. Non dubito quin vera sit prophetia Christi, quam refert D. Ioan. c. 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo illum suscipietis; ergo ad minus ex verbo Christi erũt peruertendi, quia adhærebunt illi pessimo Antichristo, de quo est sermo Christi prædictus, ergo non conuertentur in fine reliquiæ Israel, sed magis peruertentur. Et si dicas, quod visa destructione Antichristi illi, qui sibi adhæserant conuertentur. Dicit Scotus, quod pro tam paucis, & sic tarde conuertendis, non oporteret tot Iudæos, in tot partibus mundi, tantis temporibus sustinere in lege sua persistere, quia finalis fructus de eis Ecclesiæ est, & erit modicus, vnde sufficeret aliquos paucos in aliqua insula sequestratos permitti legẽ suã seruare, de quibus tandem illa Prophetia Esaiæ impleretur. Præterquam quod et si impleri oporteat scripturam, quę dicit, Reliquiæ Israelis saluæ fient, atq; adeo semper erunt aliqui ex Iudæis reliquijs vsq; ad Antichristi aduentũ. Necessarium tamen non foret ferre nos vsurarios istos, & blasphemos Iudæos in totius viciniæ perniciem. Aut si maxime tolerandi sint inter nos Iudæi, sicut id ipsum, & leges ciuiles, & sacri Canones permittunt; attamen vsura ferenda nõ est, quia isti vniuersam hominum fæcem, lusores, fures, gnatones, & bonorũ suorum obliguritores, sustinent, fouent; imo non raro istorum omnium sunt authores. Vide consiliũ Fratris Bernardini de Bustis (quod habetur si recte recolo in 2. parte suorum sermonum.) contra Iudæos, & similiter Alexandrum de Neuo, qui abunde tractant quomodo Iudæi habendi sint inter Christianos.

Tertia ratio, quam Scotus pro sua sententia adducit, est factum Sisebuti Regis, quod commendat Concilium Toletanum supra relatum. Nam religiosissimus Rex à Concilio appellatur, qui tamen, vt ibidem commemoratur, Iudæos compulit ad suscipiendum baptismum. Verba Cõcilij sunt hæc in præcitato 56. capite. Qui autem iampridẽ ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti, &c. quibus verbis approbat eum tamquam principem religiosum: quia infideles cogit ad fidem. Hæc Scotus.

Cæterum pro conciliatione istarum opinionum obseru. est, quod minæ, & terrores fieri possunt, vel ad mortem corporalem inferendam, vel præcise ad mortem ciuilem, vt est
1. Conclusio exiliũ. Hoc supposito sit prima Conclusio. Non potest Princeps Christianus primo modo infideles ad baptismum per minas & terrores mortis corporalis compellere, hæc conclusio definita est, in cap. de Iudæis. d. 45. ex Concil. Tolent. 4. vbi ita habetur. Præcipit sãcta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri, & in hoc sensu vera est sententia D. Th. & in hoc sensu Conc. Tole. non recipit, imo reicit illud, quod Catholicus alioqui Rex Sisebutus Iudæos sub pœna capitali coegerat ad fidem; eos tamen qui sic susceperant fidẽ, tolerabat, vt deinceps in pietate, & religione Christiana educati constanter permanerent.

2. Conclusio Secunda Conclusio. Princeps Christianus potest cõpellere infideles ad baptisinũ per minas, & terrores mortis ciuilis, & ad cõseruandum postea susceptum. v.g. Potest Princeps fidelis præcipere, vt quilibet infidelis aut baptizetur, aut ciuilem mortem patiatur exulando à ditionibus suis; & in hoc sensu vera est sententia Scoti. Quod factum est in Regnis Hispaniæ tempore Ferdinandi Regis, qui ante annos centum Iudæos, qui non baptizarentur, iussit excedere ex Hispania. & probatur conclusio per legem cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide Cathol. vbi Christianissimi Imperatores præceperunt cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit Imperium in tali volumus religione versari, quam D. Petrum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat. Et confirmatur: quia certum, & infallibile est illud Christi verbum in Parabola, cũ ait: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare. Principes ergo non violenter quidem cogere: quoniam Deo coacta non placent obsequia, id quoq; libertatem impugnaret arbitrij, siquidem nemo saluatur inuitus, sed alias minis, & terroribus, vel quouis modo eos possunt ad fidem inducere.

Nam cum in doctrina præcipit hoc Paulus Timo. Prædica, inlla, opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Quanto magis qui gladii portat non temere vtiq; eo debet vti ad honorem, & gloriam Dei, atq; ad salutem animarum. Hinc D. August. ad Vincẽ- D. Aug. tium epist. 42. ait. Harum legum (imperialium contra hæreticos) terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij gratias dicant Domino, quod vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum trãstulit. Quamuis autem hic August. loquatur de hæreticis, tamen eadem quoq; ratio est de Iudæis non quidem cogendis, sed diuerso modo adducendis.

Sed dubium est, an si de facto baptizarentur filij infide- Dubium. lium inuitis parentibus, vere maneant baptizati. de hac re est duplex opinio. prima est Durandi hac q. 7. asserentis, ꝙ Opinio Durandi & si infideles sunt serui Christianis possunt eis auferri filij, & Chatarini. contra voluntatem ipsorum parentum baptizati, & verum sacramentum recipiunt, quia, inquit, cõcurrunt omnia, quę sunt de necessitate sacramenti, videlicet forma, materia, intentio ministri, & voluntas habentis curam paruuli, quę est eius voluntas interpretatiua. Si autem parentes infideles talium paruulorum sint liberi quamuis subditi sint Principibus Christianis. si quis inuitis parentibus eorum filios baptizaret talis baptismus erit nullus. eãdem sñiam secutus est Chatarinus in opusculo de infantibus Iudęorũ baptizãdis.

Primum fundamentum Durandi est: quia de necessitate baptismi est cõsensus formalis, vel interpretatiuus baptizati, sed paruuli in casu posito, non habent consensum formalem vt patet: quia non habent vsum rationis; nec interpretatiuum, quia consensus interpretatiuus est cõsensus parentum, ergo non manent baptizati. & confirmatur. Quod est de necessitate sacramenti in vno recipientium, est de necessitate sacramẽti in omnibus, sed in adultis est necessarius consensus, ergo & in paruulis, atq; adeo baptismus collatus paruulo contra voluntatem parentis est nullus.

Secunda opinio opposita est Scoti in hac q. Caie. & Soti; nimirum si de facto filius cuiuscumq; infidelis contra vo- Opinio Scoti & Caie. luntatem parentum baptizetur, est vere baptizatus. Fundamentum huius sententiæ est, quia in paruulis nulla intentio necessaria est suscipiendi baptismum, nec propria, nec parentum, nec alterius, sed sufficit illis voluntas Christi, de voluntate propria certum est apud omnes, & de parentũ, vel aliorum voluntate patet ex D. August. epist. 23. vbi ait esse validum baptismum illorum infantium, quos parentes in- D. Aug. fidelium offerunt baptizandos, etiam si ipsi non intendant, vt ad vitam regenerentur æternam, sed vt sanitate aut aliquod temporale commodum accipiant. Non enim (inquit) illi non regenerantur, qui non ab eis hac intentione offerũtur, celebrantur enim per eos necessaria mysteria, & infra: offeruntur quippe paruuli ad recipiendam spiritualem gratiam, non tamen ab ipsis quorum gestantur manibus (quãuis & ab illis, si fideles sunt) quam ab vniuersa societate sanctorum, & infra. Illud autem nolo te fallat, vt existimes reatus vinculum ab Adam tractum aliter non posse disrumpi, nisi paruuli ad recipiendã gratiã Christi a parentibus offerantur. & postea subdit exempla, quibus confirmat baptismum posse esse validũ sine voluntate parentum. Atq; idem est ẽt si adsit contraria voluntas nam hoc ipso ꝙ voluntarius cõsensus parẽtis nõ est necessarius, vt baptismus sit validus, nõ põt cõtrarius dissensus obstare, quin baptismus datus validus sit: quia eo dissensu nõ obstante possunt applicari eius ministeria vt August. dixit. & cõfirmari põt ex vsu Ecclesiæ quæ numquam permisit baptismum iterari propter hunc solũ defectũ, & põt ad hoc rõ adduci. Nam sicut paruulus contrahit originale peccatum absq; consensu proximi parẽtis per solum Adæ cõsensum; ita poterit iustitiã Christi participare per voluntatẽ Christi, & media ab eo instituta sine voluntate proprij parentis. Deinde si aliquis homo inueniret in deserto loco paruulũ morti propinquũ, deberet eũ baptizare, & vere erit baptizatus secũdũ oẽs Doct. & tamen nullus est ibi q possit cõsensũ præstare pro paruulo, ergo in paruulis nullus cõsẽsus reqritur ad suscipiendũ baptismũ.

Ad fundamentum Durandi respondeo distinguẽdo maiorẽ, quia vel est sermo de adultis, vel de paruulis, de adultis concedo, in paruulis vero nego, nec ipse Durandus probat maiorem nisi tantum de adultis. Ad confirmationem distinguo etiã maiorẽ; aliqua. n. requirũtur in baptismo, tãquam

quam necessaria ex parte ipsius sacramenti,& Ministri cuiusmodi sunt materia, forma, & intentio: & hæc concedo quod tam in adultis,quam in paruulis semper sunt necessaria. Alia vero sunt necessaria in baptismo tamquam dispositio subiecti,cuiusmodi in proposito est consensus baptizati,& hæc sunt diuersa secundum diuersitatem subiecti; in adultis enim est necessarius consensus: quia cum libertatē habeant,non nisi libere sunt admittendi in familia Christi: in paruulis vero,non est necessarius consensus: quia libertatem non habent,nec consensum præstare possunt.

Rursus circa hanc materiam superest vnum dubium,an parentes infideles peccent possidendo filios,nam si ipsis inuitis licet eos baptizare,videtur quod iniuste eos possideāt atque adeo quod possidendo peccent. Dico quod nequaquā eos iniuste possidere;quia iure naturæ possident; sed indigne;digni enim sunt vt filijs priuentur. Quemadmodum qui canonice electus est in Abbatem, Guardianum. Priorem,&c.ineptus tamen ad officium iuste quidem possidet, quia canonice electus,verum indigne;quia dignus est, vt dignitate priuetur.

DISTINCTIO V.



OST hæc sciendum est Sacramentum Baptismi à bonis, & à malis ministris dari: Sicut a bonis, & à malis sumitur, &c. *Hac est distinctio quinta. In qua Magister postquam determinauit de baptismo secundum se,& per comparationem ad suscipientes determinat de eodem per comparationem ad ministros conferentes,& diuiditur in tres partes.in quarū prima determinat,à quibus possit conferri baptismus. In secunda ostendit quomodo sortitur efficaciam sacramenti,cū sacramentum suscipit hæreticus,vel schismaticus. In tertia vero declarat quæ potestas sit collata hominibus. Breuiter tota hæc distinctio tribus conclusionibus explicatur.*

Conclusio. *Prima Conclusio.Vnum verum baptisma à bonis, & à malis ministris dari potest,& æque sanctum est ab vtroq; Nec enim peior baptismus dicitur dari à bono,quam à malo,nec maius nec minus,sed æquale munus,quia non est hominis sed Dei munus. Probatur Conclusio authoritate D.* D. August. *Augustini tract.5.super Ioan.vbi ita ait. Baptismus talis est,qualis ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur Idem repetit August. sub alijs verbis pluribus in locis,nimirum de vnico baptismo contra Donatistas.c.11.lib.3.contra Crescon.c.6.& diffuse super Ioan.tract.5.& 6 & in lib de fide ad Petrum.c.4.Idem* Isidorus. *docet Isidorus lib.5.capitularium c.4.& refertur de consecrat.d 4.c.Romanus Pontifex,vbi ita legitur.Romanus Pōtifex non hominem iudicat,qui baptizat,sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi,licet Paganus sit qui baptizat,ex quibus testimonijs perspicue cernitur baptismū verum bonis & malis.& ipsum tamen æque sanctum esse. & munus eius æquale in bonis siue a bonis,siue malis baptizentur;quia in nomine Christi ministerium in baptismo habent,licet sibi Christus potestatem retinuerit principalem, & hoc ne tot baptismata viderentur, quot homines.& ne homo in hominē spem poneret Vnde non dicitur baptismus Petri,vel Pauli,sed Christi quod diuersis authoritatibus confirmat quæ patent in littera.*

2. Conclusio *Secunda Conclusio Quamuis hæreticus seu schismaticus solum recipiat sacramentum,non tamen illius virtutē & incrementum accipit supponendo,quod extra Ecclesiam Catholicam hoc sacramentum acceperit,at diceres quid hoc in casu agendum? Respondetur debere ad Ecclesiam reuerti,non iterum vt baptismum accipiat:quia integrum sacramentum iam accepit si in nomine Trinitatis prius baptizatus fuit.Sed vt in societate Catholica vitam accipiat: Nam baptismus extra Ecclesiam Catholicam prodesse non potest sicut nec eleemosyna.*

Tertia Conclusio.Iuxta sententiam Magistri Deus nobis potuit conferre baptizandi potestatem sicut,& creatura potentiam creandi hanc conclusionem Magister insinuans quærit quæ sit illa potestas quam Christus potuit dare hominibus,& non dedit.& dicit existimasse quosdam talem fuisse potentiam dimittendi peccata,contra quos sic arguit. Potestas quæ Deus dimittit peccata est idem quod Deus.ergo non potuit creaturæ hanc conferre potestatem:nam Deus seipsum dedisset.& Creatura Creator esset eff.Cta.Deinde si potestas dimittendi peccata potuit,& potest Creaturæ communicari.ergo.& potestas creandi. 3. Conclusio

Pro dilucidatione huius difficultatis obser.est plura esse genera potestatum,quorum vnū,nec dedit, nec dare potuit Christus.alterum & potuit,& dedit:cætera potuit.sed dare voluit:Vnde circa baptismum sex annotari possunt potestates.Prima est authoritas,quam Deus à se ipso non aliūde habet potestatem interius à culpa mundandi. Secunda est cooperationis,vt homo diuinitus accepta potentia in tali actu esset cooperator.Tertia est excellentiæ, vt secundum abundantiorem gratiam existentem in baptizante, maiorē conferret gratiam baptizato. Quarta est inuocationis,vt in nomine Petri posset homo baptizari,sicut in nomine Trinitatis.Quinta est institutionis,vt sicut Christus potestatem habuit baptismum instituendi in aqua,ita alius haberet in aqua,vel alibi. Sexta ministerij,vt per hominem exterius,& verbū,& elementū posset ministrari.Primā nec dedit nec dare potuit,vltimā dare potuit,& dedit de intermedijs dicūt Doctores quod tertiā dare potuit,sed non dedit. ne spes in homine poneretur:quartā vero,& quintā minime dedit;ne tot essent baptismi,de potestate aūt cooperationis extat controuersia non leuis:Nam Magister dicit in textu quod illā dare potuit: attamē hic cōmuniter negatur,nec eius opinio probatur. At quia D.Aug.hoc dicere videtur propterea obser.est,pcooperari alteri.Stat dupliciter: vel p modū vere efficiētis vel per modū disponētis,primo modo Deus dare nō potuit,qa creatura capax nō fuit,nec hoc modo B. Aug. intellexit Secūdo vero modo dare potuit,vt homo gratiā secū in actū interiorē baptizato obtineret,nō ipsam efficiendo, sed impetrādo:sicut dedit hominibus virtutē faciendi miracula nō q ipse ea efficeret sed qa virtute sibi à Deo data quotiēs vellet impetraret.& hæc de hac tota distin.5.pauca sufficiant.Circa quam quærit primo Scotus. Plura sunt genera potestatum.

QVAESTIO I.

Vtrum malitia ministri impediat conferri verum Baptismum.



RO explicatione tituli obser.est,quod triplex est malitia,sicut triplex est bonitas.Est.n. bonitas naturæ,bonitas moralis, & bonitas meritoria,ita per oppositum est malitia naturæ,malitia moralis,& malitia demeritoria. Ille aūt dr̄ habere naturæ bonitatē,qui oīa requisita ad suas naturales operationes exercendas habet,vt qui habet brachia, crura, pedes,& manus,& p oppositū ille dr̄ habere malitiā naturę qui nō hēt oīa requisita,ad naturæ operationes exercendas vt qui esset cœcus,surdus,mancus,claudus,&c.Bonitas aūt moralis dr̄ bonitas ex circūstantijs,quæ sunt,quis,cui,cur, quomodo,qn̄,& vbi.Nā ad operationē bonā moraliter,requiritur primo quis,id est,vt operans sit viēs rōne,equus.n.trahendo lapides pro Ecclesia construenda:non dr̄ bene agere moraliter;qa caret rōne.Secūdo requiritur cui;qa nō sufficit dare eleemosynā,sed oportet videre cuinā nō debeo dare diuiti.Tertio requiritur cur,id est,pp quē finem, vt do eleemosynā pp Deū.Quarto requiritur quomodo,id est, modus operādi,vt si do viro panē pau,eri pp Deū,& proijciā Malitia est triplex sicut bonitas.

Artt.super Quart.Sent.Scot.Par.I. S 2 panem

panem illum in caput eius, nō datur quomodo requiritur. Quinto requiritur quando, id est, tempus. Sexto vbi, nam actus bonus debet fieri in debito loco, & tempore. Actus ergo bonus moraliter requirit ista sex conditiones vel circumstantias: & per oppositum malitia moralis est actus, cui vna vel altera istarum circumstantiarum deficit.

Bonitas tandem meritoria ea dicitur, quæ vltra moralem bonitatem addit, quod actus fiat in gratia, & ex gratiæ seu charitatis inclinatione; ita quod omnis actus bonus moraliter, qui fit in gratia, vocatur bonus meritorie, & per oppositum actus, qui sunt peccata sunt mali malitia demeritoria, & de ista malitia principaliter quærit quæstio nostra, quam pro abundantiori doctrina in duos secamus articulos.

Primus art. Vtrum mali Sacerdotes baptizantes verum baptismum conferant, & rem Sacramenti.

Secundus art. Vtrum hæretici baptizantes verum baptismum conferant, & rem sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum mali Sacerdotes baptizantes verum Baptismum conferant, & rem Sacramenti.

DE hac re fuit error quorumdam dicētium ministrū Sacramenti si sit præscitus, siue reprobus nihil efficere, sed necessarium esse, quod sit prædestinatus, ita fertur docuisse Vuicleph, & colligi potest ex Vualdensi tom. 2. de Sacramentis c. 14. Cęterum hæc hæresis vana prorsus est, & absque vllo fundamento, vt ex dicendis in hoc art. sole clarius apparebit.

Secundus error de hac re fuit, Ministrum existentem in peccato mortali non conferre sacramentum. Hunc errorem inno minato Auctore refert D. Thomas. 4. contra Gentes. c. 77. & D. Bernardus. ser. 66. in Cant. Videntur autem Donatistæ auctores huius erroris, quanto ex D. August. colligi potest lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 20. vbi refert, hoc fuisse apud illos receptum, & generale principium. Conscientia sancte dantis attēditur, quæ abluat accipientes. Idē colligitur ex lib. 2. contra Parmen. c. 10. & ex lib. 2. cōtra Cresco. c. 27. & 28. In eumdem etiam errorem fuisse Luciferianos colligitur ex D. Hieron. in dialogo contra illos non longe a principio, sic enim aiebant. Qui ipse peccator est, quomodo potest peccata dimittere, quomodo sanctum sacrilegus facit? Præterea eumdem errorem secuti sunt hæretici dicti Apostolici qui licet antiquiores sint, tamen tempore D. Bernardi rerum pullulasse dicuntur, quos prædicto sermone refellit. Refert etiam D. Antoninus. 4. p. Theolog. tit. 11. c. 7. §. 2. Pauperes de Lugduno eumdem secutos esse errorem; & de Albanensibus refert idem Prateolus verbo Albanenses, & de aliquibus hæreticis huius temporis idem referunt Hosius in Confe. l. c. 29. & Lyndanus dialogo 2. sui Dubitantij.

D. Thomas. D. Bernard. D. August. D. Hieron. D. Antoninus. Prateolus. Hosius. Lyndanus.

Tertius error esse potest, habitualem fidem, vel sanctitatem ministri non requiri ad veritatem sacramenti, necessarium tamen esse, vt saltem ipsum opus administrandi sacramentum recte, & sine peccato exerceat: quia sacramentum principaliter esse debet opus Dei, peccatum vero ita cū Deo pugnat, vt non possit Deus esse auctor illius, ergo si ipsum met opus, quo fit sacramentum, peccatum sit, non potest esse aptum ad constituendum sacramentum. Hunc errorem refert Suarez. to. 3. disp. 13. sect. 4. suppresso nomine auctoris. Fundamenta omnium istorum errorum afferemus in fine art. & soluemus.

Suarez.

Pro solutione quæstionis obseru. est, quod est quoddam opus, quod habet virtutem a charitate, vel voluntate interna suorum, quoddam quod habet ab institutione diuina. Primum opus est virtutis, & vitij, & a Deo pensatur secundū qualitatē voluntatis. Secundum est opus sacramenti & ideo pensatur secundum meritum, & dignitatē Christi instituentis, & tale semper remanet efficax, & impollutum, nec pōt aliquo modo pollui sicut nec meliorari, habet enim virtutem a Christo non a ministro, sicut semen iactum in terram æqualiter fructificat siue sit bonus qui seminat, siue malus, ita & hic.

Duplex est opus.

Hoc supposito sit hæc Conclusio. Malitia ministri nullo modo minuit baptismi veritatem, & efficaciam, quin a quocumque ministro conferatur, dummodo cætera quæ sunt nec ssaria teneat, verus fit baptismus, & obicem non ponentibus gratiam conferat. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub littera A, quæ a priori non aliter probari potest: quia sic placuit Christo Domino instruere, vt malitia ministri nec impediret sacramentum nec eius effectum.

Conclusio

Probatur tamen prima pars primo per illud quod habetur apud Ioan. 4. videlicet, quod discipuli Christi baptizabāt inter quos erat Iudas, tunc quamuis nō esset proditor tamē fur, & latro; nec tamen de baptizatis ab ipso legitur, quod rebaptizati vnquam fuissent. Præterea hoc ipsum expressius confirmat dictum Ioan. Bapt. Vidi spiritum descendentē quasi columbam de cœlo, & mansit super eū, & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris spiritum descendentem, & manētem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, hæc ille in Euangelio Ioan. cap. primo. Ex quibus verbis patet eū, qui baptizat esse Christum filium Dei. Nam quamuis minister exterius corpus abluat, Christus tamen est, qui interius mundat animam. Nam vt inquit Alexāder de Ales 4. p. qu. 8. m. 6. artic. 2. §. 1. Deus baptizat siue mundat, & Ministri similiter, sed Deus solus conferendo gratiam mundantem, & sanctificantem cum ministro; et cooperando in ministerio. Vnde & authoritas est a Deo, & ministerium, eo modo quo dicitur esse ab eo, quod per aliud operatur. Est igitur Deus in sanctificando tota causa, & est in ministerio prima causa. Vnde dicit Hugo. Solus Deus sanctificat, & benedicit: quoniam per ipsum quædam sanctificatio, & benedictio est, quæ & ipsa a Deo est, qui est author in dono, & per Deum, qui cooperator est in ministerio. *Deus* ergo est author gratiæ sanctificantis, & est cooperator in ministerio, quia per ipsum ministrum operatur: atque adeo quicquid est ibi sanctificationis a Deo est: propter quod a quocumque fiat plenum habet effectum. Quia hic est solus qui baptizat in Spiritu sancto, reliqui autem vt ministri. Hic est, inquit, qui baptizat in Spiritu sancto, cum tamen ipse tunc non baptizaret, sed potius a Ioanne baptizabatur, per quod innuere volui ipsum Christum esse, qui semper baptizat, quantumlibet varietur minister. Si ergo ille est, qui baptizat, quid malus minister poterit obesse? Nam & Paulus ait, Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Vnde concluditur quod nihil potest obesse minister malus cum Dominus, qui baptizat, sit bonus.

Alexan. de Ales. Hugo.

Hoc etiam B. Augustinus elegantissime comprobat dicens. si superbus fuerit minister cum Diabolo computatur sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum est, per lapideum canalem transit aqua ad areolas in canali lapideo nihil generatur, sed hortus fructus plurimos affert.

D. August.

Et lib. 10. de vnico baptismo sic ait. Cum tantum valeat baptismus per hominē contemptibilē quā tū per Apostolū datus, ita nec illius, nec illius sed Christi esse cognoscitur.

Item inuenimus dictum ab Apostolis & gloriam meam, quamuis vtique in Domino, & ministerium meum, & prudentiam meam, & Euangelium meum, quamuis vtique a Domino impartitum sit, atque donatum; baptismum autē meum nemo eorum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gratia, nec ministrā omnes æqualiter, nec ęqualiter prudentia, vel scientia omnes sunt præditi, & in Euangelizando alius alio melius operatur, & ideo dici potest alius alio doctior in ipsa salutari doctrina. Alius autem alio magis minusue baptizatus dici non potest, siue ab inferiore, siue a maiore baptizetur.

Et Zacharias Papa Bonifacio Episcopo scribēs ait. Enim uero quosdam baptizatos absque interrogatione Symboli ab adulteris presbyteris, & indignis lassus es. In his dilectio non teneat antiquum morem Ecclesiæ: quia quisquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis huius gratiæ donum percepit, & teneatur quod Apostolus ait. Vnus Deus, vna Fides vnum Baptisma. Ephes. 4.

Zachar. Papa.

Probatur postremo ex Concil. Trident. sess. 7. can. 12. de sacramentis in genere. vbi dicitur. Si quis dixerit ministrū in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent seruauerit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit.

Secunda

Digitized by Google

Secunda pars conclusionis, scilicet quod minister quantumuis iniquus, nedum sacramentum, sed etiam conferat effectum sacramenti suscipienti, dummodo non ponat obicem, probatur. quia gratia sacramentalis non datur propter merita Ministri, sed Christi, vt habetur de Consecrat. d. 4. cap. Romanus Pontifex, & sequitur hæc secunda pars ex principijs fidei. Nam regula fidei est sacramentũ dare gratiam non ponentibus obicem, vt patet ex Concil. Trident. sess.7.can.6.& 7. de sacramentis in genere, sed sacramenta data ab iniquis ministris sunt vera sacramenta, ergo conferunt gratiam non ponentibus obicem.

D. August. Item D. Augustinus contra epist. Parmeniani lib.2.ca.10. omnia, inquit, sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, sicut & verbum Dei. Vnde dictum est, quæ dicunt facite; quæ autem faciũt facere nolite.

Hæc Conclusio est contra Vualdenses dicentes omnem potestatem tam laicalem, quam Ecclesiasticam amitti per peccatum mortale. Quam hæresim Ioannes Vuicleph post aliquot annos, sicut & cęteras Vualdẽsium hæreses suscitauit. Ioannem Vuicleph imitatus est in hac parte Ioannes Huss. Hi duo dicunt eum, qui culpæ mortalis est reus, non esse Regem, neq; Comitem, neque Ducem, neq; Papam, nec Episcopum, nec aliquid huiusmodi, & si aliquid huiusmodi, & si aliquid dicitur, & vocatur, asserunt æquiuoca denominatione vocari, sicut homo pictus dicitur homo, q̃uis nihil verum humanum habeat. Cęterum hæc sententia

Conc. Cõst. damnata merito fuit in Concilio Constantiẽsi. Nam ex 45. articulis Ioannis Vuicleph in illo Concilio sess.8. damnatis quartus sic ait. Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. Et 15. articulus illius est iste. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Qui duo articuli vna cum alijs vna data sententia damnati sunt, & in eodem Concilio sess.15. damnati sunt aliqui articuli Ioannis Huss, quorum vltimus eãdem habet sententiam, & sub eisdem verbis, quibus prolatus est 15. Ioan. Vuicleph. Contra hunc errorem scripsit tã

Th. Vuald. pie, quam docte Thomas Vualden. in suo primo tomo doctrinalis fidei antiquę lib.3. per tria capita eiusdem libri, videlicet 81.82.83. & Alphonsus a Castro lib.12. aduersus hæreses. verbo potestas. & lib.3. verbo baptismus hæresi.5. *Alphonsus.*

Sed contra hanc conclusionem arguitur ex scripturis sacris. Nam Ecclesiast.34. dicitur ab immundo quis mundabitur? & infra in eodem cap. Qui baptizatur a mortuo, q̃d proficit lauatio eius? sed malus mortuus est, ergo non prodest eius lauatio. atq; adeo non dat verum baptisma. Nec obstat quod in nostra translatione habetur, & iterum tangit eum; illa enim est translatio 70. quam ponit Augustinus. Item Numer.19. quicquid tetigerit immundus, immũdum faciet.

D. August. Item Psal. 140. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, & similia, quæ latissime prosequitur D. Augustin. scribens contra Donatistas.

Præterea ad collationem huius sacramenti sunt necessaria minister debitus, materia debita, & debita forma verborum; sed si defuerit materia debita, vel forma verborum debita, non est baptismus, igitur si minister debitus defuerit non erit baptismus, sed vt dicit D. August. relatus a Magistro i littera, iustos oportet esse p quos baptizatur, ergo &c.

Præterea, oratio amittit virtutem suam ex vitio orantis; quare non similiter verba sacramentorum ex malitia ministrantis? Eccles.15. non est speciosa laus in ore peccatoris.

Item omnis potestas à Domino Deo est, Deus autem dona sua nõ præstat peccatoribus, & sceleratis, ergo homo peccati reus, nullam habet potestatem, atque adeo sacramenta ministrare non potest.

D. Ambr. Contra secundam partem arguitur testimonio D. Ambrosij lib. de his, qui initiantur. c.4. Non sanat, inquit, baptismus perfidorum, sed polluit.

Ad primum dico, quod ab immundo non mundatur q̃s ea ratione, qua immundus est, sed in ministerio baptismi non est transfusio virtutis baptismalis à ministro ratione qua talis est. Præterea nec baptizatus mundatur ab homine malo, sed a Deo, qui purgat animam. Non enim Minister sacramenti mundat virtute sua, sed virtute Christi, qui per illum operatur non vt immundus, seu peccator est, sed vt homo est, quo vtitur vt instrumento suo, & ideo potest minister sanctitatem, quam ipse non habet, alteri dare, q̃a non vt principalis, sed vt instrumentalis causa operatur.

Ad secundum dico, quod si per mortuũ intelligitur peccatum, vt videtur sonare nostra translatio, quæ dicit. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio illius? plana est responsio: nam baptizari a mortuo, & mundari a peccato, & iterum tangere mortuum est recidiuare in peccatum; & tali non prodest lauatio prima, cum iterum polluatur per recidiuum. Vnde particula illa à mortuo non significat habitudinem ad causam efficientem seu ad ministrum, sed ad terminum à quo, ita vt sensus sit, qui baptizatur, vt mundetur ab immunditia, quam contraxit ex contactu mortui, & iterum tangit mortuum, nihil ei prodest lauatio; & iste est verus sensus literalis illius loci, quod patet ex eo, quod statim exemplum prædictum accõmodat sapiens ad eos, qui nunc de peccatis dolent, & paulo post ad ea redeunt. dicens. Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Si vero per mortuum intelligatur peccator baptizans, secundum quod videtur alta translatio dicere, ita vt à mortuo dicat habitudinem ad causam efficientem, vel ad ministrum, tunc intelligendum est quando baptizatus imitatur eum, lauacrum enim tunc non prodest ei ad salutem, & hoc manifestatur per nostram translationem, in qua dicitur, & iterum tangit mortuum, idest, imitatur malum ministrum.

Ad tertiũ dico, quod Num.19. loquitur de immundis secundum ritum legis, vt qui immundus erat ex contactu morticini, vel ex aliquo alio contraxerat immunditiam immundum fecit, quod tetigit secundum legem, & debuit expiari aqua lustrationis, non autem loquitur de immunditia peccati.

Ad quartum de oleo peccatoris. dico sermonem ibi esse de oleo adulationis, & applicari etiam potest ad oleum turpis voluptatis, de quo legi potest D. August. epist. 120. de gratia noui testamenti. c.31. *D. August.*

Ad quintum dico, quod duplex est debitum, vnum congruitatis, alterum necessitatis. Minister debet esse iustus debito congruitatis. Vnde vbi dicitur iustos oportet esse per quos baptizatur; subditur, iustos oportet esse tanti Iudicis ministros. Sed debitum respectu formæ, & materiæ est debitum necessitatis, & ideo non est simile de debito materiæ, & formæ verborum, & iustitię ministrorum, quia in his est debitum congruitatis, in illis necessitatis.

Ad secundum nego similitudinem: quia virtus data est a Saluatore ipsis verbis sacramentalibus; non verbis in oratione prolatis, sed potius virtus, & efficacia orationis est a fide, & deuotione orantis Iacobi.1. Postulet in fide nihil hæsitans, &c. & ratio est pius affectus in Deum directus secundum D. Augustinum.

Ad septimum, nego minorem. Falsum est enim quod Deus non concedat peccatoribus bona sua. Nam Hieremiæ 27. dixit Dominus. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei, in super & bestias agri dedi illi, vt seruiant illi &c. ecce Nabuchodonosor malus dicitur Rex. Item Iob.13. Regnare facit Dominus hypocritam propter peccata populi; ecce hypocritã regnantem a Deo non solo permittente, sed etiam faciente. Rursum B. Petrus in sua prima epist. Canonica. c.2. ait. Serui subditi sint in omni timore Dominis non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Ecce B. Petrus vocat discolos Dominos. Item Iudas Apostolus erat, & peccator tunc erat, sic enim ait Dominus Ioann.6. Non ne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus est. Ecce peccator est Iudas, & tamen Apostolus est: quoniam a Domino electus est. Postremo Cayphas etiam cum esset Põtifex anni illius prophetauit. Erat Pontifex, & sententiam mortis aduersus Christum dicebat. Possibile est ergo, vt quis sit peccator, & sit Papa, aut Episcopus, aut Sacerdos, aut Rex, aut aliquid huiusmodi.

Ad vltimum dico, malum ministrum non posse dare baptismum in sanctificationem his, qui eo animo, & spiritu ab eo baptizantur, vt cum eo in errore conueniant, vt videbimus in sequenti artic.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæretici baptizantes verum baptismum conferant, & rem sacramenti.

IN superiori art. egimus de probitate ministri siue de malitia, quæ spectat ad voluntatem, cuius oppositam probitatem Donatistæ Pauperes de Lugduno, seu Vualdenses, Vuiclephitæ, & Hussitæ adeo necessariam in ministro existimauerunt, vt crediderint non esse efficax ministeriũ nisi minister prædestinatus sit, vel sit probus, vel saltem exterius probus appareat; ita vt Donatistæ dixerint sacramenta à manifestis peccatoribus haud valide ministrari, cæteri vero nec etiam à reprobis occultis valide administrari posse. In præsenti autem art. agimus de malitia intellectus; nempe de infidelitate, vel hæresi. Nam fuit quorumdam error, asserentium fideles etiam si iusti non sint posse quidem sacramenta conficere; non tamẽ hæreticus aut schismaticus, quæ sententia solet tribui D. Cypriano, non tamen fuit ipse primus eius author, sed Agrippinus prædecessor eius in Episcopatu Carthaginensi, vt refert Vincentius Lyrinensis in commonitorio vbi dicit, Agrippinũ censiste immutare antiquum morem rebaptizando eos, qui ab hæreticis fuissent baptizati. Cyprianus vero illam sententiam acriter defendit, eamq; ita alijs Aphricæ Episcopis persuasit, vt coacto Concilio illam definierit, seruata tamen pace cum Ecclesia Romana. de qua re videatur D. August. lib. 2. de baptismo. c. 7 & lib. de vnico baptismo. c. 13.

Vincentius.

D. August.

Fuit etiam alius error, dicentium hæreticos aut malos Ministros posse quidem dare sacramentum, non tamen effectum sacramenti: quia qui sanctus non est alium sanctificare non potest, & hoc maxime videntur significasse Luciferiani ex verbis, quæ refert D. Hieron. in dialogo contra illos citatis in superiori art. 1. Qui ipse peccator est, quomodo potest peccata dimittere, quomodo sanctũ sacrilegus facit?

1. Conclusio

Sed contra omnes istos errores sit hæc prima Conclusio. Quacumq; malitia Minister sit malus siue hæresis, siue schismatis, si facit quod Ecclesia facere intendit, seruata debita forma, & materia, verum confert sacramentum. hæc conclusio est de fide, quam docet Scotus in hac q. sub litt. A. quæ non habet, inquit Doct. nisi rationem vnam propter quid. s. quia ita placuit Christo instituere, vt malitia ministri non impediret sacramentum, nec eius effectum, & ita sic instituerit colligit D. August. ex verbis Ioan. Bapt. super quem videris spiritum descendentem, hic est qui baptizat, quæ scribuntur Ioan. 1. Nam cum hæ res non sint ex his quæ consistant in physica rerum natura, sed ex institutione pendeant, ideo ad illam necessario recurrendum est. Non enim est dubium quin potuerit Christus Dominus ita instituere sacramenta, vt ad eorum valorem, & veritatem, tamquam necessariam conditionem postularent ministri sanctitatẽ, aut fidem: Nulla enim in hoc est repugnantia. Certum maxime expediens fuit sic non instituere, sed absolutam potestatem dare suis ministris ad conficienda sacramenta promittendo illis suum necessarium concursum independenter ab eorum malitia vel bonitate.

D. August.

Quod autem baptismus sic fuerit instituendus probant ex congruentia plures rationes, quas tangit Scotus loco supra citato, & prima est. Quia Christus Dominus ex determinatione suæ voluntatis determinauit se ante omnem cõditionem ministri ad assistendum suo signo sacramentali, causandumq; significatum illius, & effectum; ergo malitia ministri non impedit sacramentum neq; illius effectum.

Secunda ratio est, quia si à bonitate ministri penderet veritas sacramenti, & illius effectus: cum nullus sit certus de bonitate alterius, non posset aliquis esse certus, de eo, quod baptizatus esset, quod maximum esset inconueniens; & hac ratione vtitur sæpe D. August. vt lib. 1 cõtra litteras Petil. c. 3. & lib 2. c. 5. & alibi sæpe. Et si dicatur hanc rationem esse probabilem de peccatoribus occultis, non vero de publicis, & manifestis, & præsertim si sint hæretici, & schismatici, & ab Ecclesia præcisi; nam eum horum malitia nota sit, & facile vitari possint, & statim potest Ecclesiæ constare sacramenta ab eis data irrita esse. Respondet D. August. Si hæc potestas ministrandi sacramenta non pendet ex gratia, vel fide in ipsis peccatoribus occultis, neq; etiam debuisse pendere ex fama vel notitia talis defectus in ministro existentis. Tum quia hæc notitia est valde accidentalis, & extrinseca; Tum etiam quia, quod defectus sit occultus sæpe aggrauat malitiã propter simulationẽ, & hypocrisim.

D. August.

Et si dicas. Nullus est modo certus de baptismo à se vere suscepto: quia nescit homo suam dispositionem, qua baptismum suscepit, neq; scit intentionem Ministri, a quo baptismum suscepit rectam fuisse, & sufficientem; ergo adhuc homo non manet certus de baptismo a se suscepto. Respõdet Scotus, quod bene potest homo posse certitudine sufficienti, quod ipsemet intendebat baptismum suscipere, quando fuit baptizatus; (loquimur enim de adulto) idoue sufficit ex parte eius, de intentione etiam ministri potest sufficientem certitudinem habere: quia probabiliter præsumi potest quod ministri talem exercentes actum, intendant facere illud ad quod talis actus secundum se ordinatus est, & hoc sufficit. Non sic autem posset haberi certitudo de bonitate, vel sanctitate Ministri. *Scotus.*

Tertia ratio est, ex parte suscipientis; quoniam omnino iniustum est alterum pro iniquitate alterius puniri; quando ille alter nullo modo communicat iniquitati illius ita vt possit sibi imputari; sed ille baptizandus disponit se ad gratiam quantum potest; si ergo malitia ministri impediret, ille puniretur propter culpam alienam nullo modo sibi imputandam: quia nullo modo communicat iniquitati illius.

Quod autem hæc conclusio sit de fide probatur: quoniã vt inquit D. August. lib. 1. de baptismo. c. 7. post mortẽ Cypriani hæc veritas definita fuit in plenario Concilio. Non explicat tamen quodnam illud fuerit. Ideo nonnulli coniectantur fuisse Concilium quoddam Capuense, sic enim de illo dicitur in Concilio Carthag. 3. c. 38. & Concilio Aphricano. c. 15. Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, vt non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes. De qua Synodo Capuensi nihil aliud scriptum reperio, constat autem non fuisse vniuersalem totius Ecclesiæ: quia post Concilium Nicenum primũ, nullum aliud vniuersale congregatum est, vsq; ad Concilium Ephesinum, quod fuit tertiũ generale, præter Constantinopolitanum primum; at tertiũ est Concilium illud Capuense, & Carthag. etiam tertiũ ante Concilium Ephesinum celebrata fuisse; sed fortasse illa Synodus Capuensis fuit nationalis totius Aphricæ, & ideo appellata fuit plenaria Synodus in illis Concilijs. *D. August.*

Vnde non videtur August. de hoc Concilio locutus, sed de aliquo alio vniuersali totius Ecclesiæ, quia lib. 1. de Bapt. ca. 18. vocat illud vniuersale totius orbis. lib. autem 2. c. 9. dicit fuisse congregatum antequam ipse nasceretur. Vnde probabile est illud fuisse Nicænum primum: quia ante Augustinum natum, nullum aliud Occumenicum Concilium celebratum fuit. Quod autem Concilium Nicænum hoc ita diderit colligi potest ex D. Hieronymo in dialogo contra Luciferianos circa finem, vbi dicit. Concilium Nicænum recepisse omnes ab hæresi resipiscentes in suo gradu, idest, baptizatos, vt vere baptizatos, & ordinatos similiter in ordine suscepto. *Concil. Ni.* *D. Hieron.*

Eandem doctrinam tradit Concilium Carthag. 1. cap. 1. vbi hoc sensu dicit rebaptizationes esse prohibitas cõtra Donatistas. Idem clarius definitur in Concil. Aurelia. 1. c. 8. & Concilio Constantien. sess 8. vbi damnatur art. 4. Vuicleph. & art. 18. Ioan. Huss, in quibus prædictus error continebatur. Extant etiam determinationes Pontificum S. Stephani Papæ, & martyris, vt refert Eusebius lib. 7. hist. ca. 2. Sericij in epist. 1. ad Himerium. Innocentij 1 in epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ. Leonis epist. 77. ad Nicetam. Anastasij 2. in epist. ad Anastasium Imperatorem, ac deniq; Concilij Tridenti. sess. 7. can 4. de Bapt. sub his verbis. Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptisma, anathema sit. *Conc. Car.* *Conc. Aur.* *Concil. Constant.* *Stephan. Papa* *Sericius Papa* *Innoc. Papa* *Leo P.* *Anastas. Papa* *Conc. Tri.*

Secunda Conclusio, Minister quantumuis iniquus vel hæreticus, sicut confert verum sacramentum, ita etiam dabit sacramenti effectum, si suscipiens non ponat obicem. hæc conclusio est etiam de fide licet enim hæc conclusio de effectu baptismi non sit sub his terminis tam expresse definita, tamen omnino certum est, & necessario sequitur ex principijs fidei. & primo quidem de effectu characteris est res clara. Nam ideo baptismus datus ab hæretico iterari non potest, quia charactẽrẽ indelebilẽ imprimit atq; *2. Conclusio*

idem

idem est de sacramento ordinis, & confirmationis; Rursus de effectu gratiæ regula fidei est, (vt diximus in superiori art. in probatione secundæ partis conclusionis) sacramenta *Conc. Trid.* dare gratiam non ponentibus obicem, vt patet ex Concil. Trident. sess. 7. can. 6. & 7. Cuius exemplum euidens est in paruulo baptizato ab hæretico: nam si statim moriatur sine dubio saluabitur, alioqui vel rebaptizandus esset à catholico, prius quam moreretur ne periret, vel maneret omni remedio destitutus, vtrumq; autem absurdissimum, & hæreticum est; ergo non solum recipit sacramentum, sed etiam effectum sacramenti, & sanctificationem, quia nimirum nō ponit obicem, ergo idem est de quocunque alio non ponente obicem, etiam si minister sacramenti nedum hæreticus, sed iniquissimus sit.

Dixi in cōclusione, nisi suscipiens ponat obicem; quia etsi Ministri malitia baptismo non obsit, quin verus sit baptismus, obest tamen baptizato, vt scilicet gratiam per talem baptismum non recipiat: quia posuit obstaculum culpæ, quam sic à tali ministro baptismum recipiendo committit. Qui n. à malo Ministro præcipuè hæretico ex certa scientia extra casum necessitatis baptismum recipit peccat. Tum quia communionem cum hæretico habet in his, in quibus maxime conueniebat nullam communionem habere. Tum etiam, quia circa hoc expressa facta est per ecclesiam prohibitio. Vnde inter canones Apostolorum canone 46. dicitur, Episcopum aut Presbyterum hæreticorum suscipientem Baptisma damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis, cum infideli? hæc ibi. Peccat ergo ab hæretico scienter, & ex industria baptismum recipiens: quapropter licet verum baptismum recipiat, non tamen effectū baptismi. Si tamen necessitate cogente id faceret, vtpotè, quia mors instat, nec alius adest a quo baptismū recipere possit præter hæreticum hominē, potest ab eo baptismum recipere, modo id non faciat hac intentione, vt illius hæresi assentiat, sed tanquam verum fidem Catholicā *D. August.* suscipere volens. Vnde B. Augustinus lib. 5. de bapt. c. 20. & refertur de consecrat. d. 4. cap. Quomodo. sic ait. Potest quo-ri tradere separatus, sicut habere separatus, sed quam perniciosum est habere, tam perniciosum est tradere, ille autē cui tradidit potest salubriter accipere, si ipse non separatus acceperit vigente mortis necessitate. Hæc D. August. Excepta ergo necessitate vigente, quisquis à malo præcipuè hæretico ministro baptizatur peccat. Verum ergo baptismum recipit, effectum baptismi non recipit: quia culpa eius impeditus est baptismus, ne suum circa illum haberet effectum. Et hinc ait August. loco proxime citato, sui erroris originē sumpsisse Cyprianum, & cæteros apud Aphricam Episcopos. Non ob aliud (inquit) visum est à quibusdam etiā egregijs viris, & antistitibus, inter quos præcipuè B. Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos, vel Schismaticos Baptismum Christi: nisi quia non distinguebant sacramentum, ab effectu, vel vsu sacramenti; Et quia eius sacramenti vsum atq; effectum in liberatione à peccatis & rectitudine cordis apud hæreticos non inueniebant, ipsum sacramentū quoque illic non esse putabant. Hæc Augustinus.

Conclusio Tertia conclusio. Hæc veritas non solum in sacramentis nouæ legis, sed etiam in sacramentis legis naturæ & veteris locum habet, quamquam non sit tanta certitudo: quia nonnulli dubitarunt præsertim de sacramento legis naturæ, & nihil in hoc est hactenus definitum; tamen sine dubio hoc est probabilius: quia rationes adductæ eandem vim habēt in omnibus sacramentis, & in omni tempore, & lege; prætequam quod est expressa sentētia D. Augustini, epist. 203. *August.* & lib. 2. contra litte. Petil. c. 27. & lib. 1. contra Crescon. c. 31. Sine causa ergo quidam moderni contrarium affirmant de sacramento circumcisionis: nimirum non fuisse validum ab infideli collatum; sed de hoc supra tetigimus improbationem.

Cyprianus. Contra primam conclusionem arguitur. B. Cyprianus martyr gloriosus, per totam suam vitam tenuit, & asseruit, quod hæretici baptizare non poterant; & Concilium Carthaginense sub eo celebratum, docuit baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos, quod Concilium inter opera B. Cypriani circumfertur; Et quod difficile videtur, est, quod non solum eam sententiam simpliciter docuisse, sed etiam contra definitionem Stephani Papæ pertinaciter asseruisse videtur: Nam epist. 74. ad Pompe. sic inquit. Quæ mihi ad literas meas Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti eius exemplum, quo lecto magis ac magis errorem eius denotabis; qui hæreticorum causam contra Christianos, & contra ecclesiam Dei asserere conatur. multaq. similia contra Pontificis sententiam in sequentibus scribit, sed propter illam sententiam non fuit Cyprianus damnatus ab ecclesia; imò tāquam martyr gloriosus fuit à Deo coronatus, & vt talis colitur ab ecclesia; ergo eius sententia non fuit hæretica neque erronea, & per consequens falsa erit nostra conclusio.

Præterea D. Athanasius, ser. 3. contra Arrianos circa medium, baptismum ab Arrianis datum vanum & inutile, & speciem tantum baptismi, atque inane simulacrum vocat. *Athanasius*

Deinde Gregorius Nazian. orat. 40. in qua licet doceat, peccatorem posse esse baptismi ministrum, hanc tamen doctrinam his verbis limitat. dummodo non apertè condemnatus sit, & ab ecclesia alienus; & infra. Quiuis tibi initiator est, qui modo eadem fide informatus sit. *Grego. Naz.*

Item obijci potest canon 45. vel 46. Apostolorum, supra relatus, qui sic ait. Episcopum aut Presbyterum hæreticorum suscipientem Baptisma damnari præcipimus; quæ enim conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli?

Ad Cyprianum respondet Scotus præmittendo, quod aliqui sunt articuli fidei, quos omnes etiam Idiotæ tenentur explicite credere, quales sunt articuli de Incarnatione dominica. f. Christus conceptus est de Spiritu sancto, natus, passus, mortuus, resurrexit & alij, de quibus sunt solemnitates in ecclesia & quos potest populus concipere, quod sunt de Christo homine. Alij vero sunt fidei articuli à maioribus explicite credendi, vt quod Deus est Trinus in Personis, & in essentia vnus, & similes, quos idiotæ non possunt ita concipere: Sunt tertio articuli alij, qui necessario non sunt explicite credendi ab Idiotis; neq; à doctis, quia adhuc illorum veritas per ecclesiam non est declarata, neq; determinata, quales sunt multæ conclusiones necessario inclusa in articulis fidei creditis. quas ante ecclesiæ explicationem, & declarationem non tenetur aliquis credere, licet oporteat circa illas sobrie opinari, ita vt Christianus paratus sit credere illas eo tempore, quo illorum veritas per ecclesiā fuerit declarata, & determinata. In proposito autem inquit Scotus, ab initio ecclesiæ manifestum erat baptismum esse nouæ legis sacramentum ad salutem necessarium, idque erat notum de fide: quia de per se continebatur in Euangelio, quod autem Baptismus ab hæretico posset conferri, non sic ab initio fuit manifestū: immò nec tempore D. Cypriani erat declaratum ab ecclesia, atque adeo licet D. Cyprianus senserit, & docuerit, apud hæreticos non conferri verum Baptisma; quia tamen parato animo erat ad sentiendum & credēdum, quod de illo articulo Dei ecclesia determinauerit, ideo non fuit hæreticus, imò nec peccauit nisi forte venialiter: quia nimis acriter illud asseruit, ad quod neq; authoritatem neque rationem habuit cogentem: eius enim ratio inualida est, videlicet, quod quis non habet nō potest dare, hæreticus non habet gratiam, ergo non potest illam dare per sacramentum: quia baptizans non dat gratiam, sed sacramentum, quod tamen in virtute habet cum ordinem habeat, & isto modo forsan innuit D. August. Cyprianum peccasse veniabiliter, quando libro de vnico baptismo, c. 13. dixit. Si Cyprianus in hac causa aliquid purgandum habuit, vltima passionis falce fuisse sublatum. *D. August.*

Atque ita constat errasse illud Concilium Carthaginense sub D. Cypriano celebratum, dum docuit baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos. Ideoque correctum fuit per Cornelium Papam, & Italiæ Episcopos, Vnde & sententiam mutasse Episcopos Aphricanos, qui prius in suo Concilio subscripserant, significat D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Author etiam libri de Card. Christi operibus, qui Cypriano tribuitur cap. de Baptismo Christi, sententiā Catholicam apertissime docet, & D. August. epist. 48. dicit. Non incongruenter de tali viro credi quod ante mortem se correxerit, & sententiam mutauerit. Ex hac responsione intelligitur sub quod hoc modo potest excusari Abbas Ioachim, qui etiam sententiam erroneam dixit, sicut patet extra de summa Trinit. & fide cathol. quia tres personæ non sunt aliqua vna res quæ nec generat, nec generatur, nec spirat, [illegible], quia non dicitur hoc pertinaciter defendisse, [illegible] libros suos reliquisse secundum Iudicium ecclesiæ [illegible] corrigendos. *D. Hieron.* *D. August.*

Ad

Ad Athanasium, dico ipsum non negare sacramentum ab Arrianis datum non esse validum: nam potius dicit Arrianos versatos esse in magno periculo amittendi baptismi veritatem, & integritatem: Non ergo sensit baptismum Arrianorum hoc ipso, quod ab hæreticis ministrabatur fuisse nullum, alioqui non dixisset eos versatos esse in periculo amittendi baptismum, sed simpliciter amisisse illum. Sed sentit, quoniam illi errabant in fide Trinitatis, facile potuisse committere essentialē defectum, aut in forma, aut in debita intentione baptizandi.

Secundo respondetur, quod Athanasius in citatis verbis non loquitur de valore sacramenti, sed de effectu, qui est sanctificatio, quam non consequuntur, qui ab Arrianis baptizantur, illis nimirum consentiendo in fide, & in errore, & hoc sensu dicit tale baptismum esse vanum, & infructuosum.

Per idem patet ad Nazian. Non enim prohibet sumere baptismum ab hæretico: quia non possit ab illo fieri verum sacramentum: sed quia non debet ab indigno ministro sumi, & quia semper prohibitum fuit cum hæreticis communicare, præsertim in rebus sacris; loquitur autem Nazian. per se & regulariter, non vero de casu extremæ necessitatis. Ex his patrum testimoniis colligi potest, nihil de hac re definitum fuisse in Concilio Niceno primo. Imò Basilius in epist. ad Amph. can. 1. sine dubio non existimauit sententiam Catholicam suo tempore fuisse certam, aut ab ecclesia definitam; Præsens enim fuit Athanasius, & Greg. Naz. & Basilius postea scripserunt. Quare fatendum est aut definitionem Concilij Nicæni non fuisse omnino expressam, aut latuisse Basilium: Nam Canones illius Concilij etiam viuente Athanasio fuerunt ab hæreticis magna ex parte corrupti, & occultati, vt testatur ipsemet Athanasius epist. ad Marcel. Papam. Quod vtique credo verius. Quia Sericius Papa epist. 1. c. 1. aduersus quosdam, qui denuo baptizare volebāt eos, qui ab hæresi Arriana ad ecclesiā redibāt, sic ait. Quod non licet, cum Apostolus hoc vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad prouincias à venerādæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione catholicorum conuentui sociamus. Verbo generalia decreta appellat alicuius Concilij generalis decreta, quod per antonomasiam synodum absolute vocat; constat autem nullam synodum generalem fuisse ante Nicenam.

Ad Canonem Apost. respondetur primo, non dici baptismum hæreticorum Baptismum Christi ab hæreticis ministratum, sed alium ab hæreticis inuentum, in quo illi suos errores miscent mutando formam, vel materiam & adiungendo ritum aliquem veritati sacramenti contrarium.

Secundo, si hunc canonem intelligamus de baptismo Christi dato ab hæreticis, pœna illa non fertur in eos, qui tale Baptisma, postquam datum est tanquam verum sacramentum recipiunt, sed in eos Episcopos, vel Presbyteros, qui hæreticos admittunt ad sacramenta ministranda: Hoc enim semper prohibitum fuit, non quia talia sacramenta inualida sint: sed quia sacra ministeria non sunt indignis committenda.

D. Ambros. Contra secundam conclusionem arguitur ex B. Ambros. in lib. de initiandis rudibus dicente, Baptismus perfidi non mundat, sed polluit, & refertur. 1. q. 1. cap. Non sanat. quod probat authoritate psa. In diluuio aquarum multarum, &c. dicitur de malis. probat etiam per illud Apost. ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide, &c.

D. August. Item probatur authoritate D. August. de baptismo paruulorum, & refertur 1. q. 1 cap. Corporalia. Separata formam habere possunt, virtus in eis esse non potest: quemadmodum sensus non sequitur membrum, quando amputatur à corpore.

Præterea. Membrum aridum non potest esse causa influendi vitam in aliud membrum, minister malus est membrum aridum ecclesiæ: quia sine gratia, quæ est vita ecclesiæ, ergo &c.

Deinde. In aqua ad hoc vt sit materia conueniens, oportet vt sit alia virtus super naturalis, ergo multo magis requiritur aliqua sanitas, vel virtus supernaturalis in ministro: vt baptizet. probatur consequentia: quia magis dependet baptismus à dispositione ministri conueniente; quam ab aliqua virtute aquæ. antecedens probatur ex D. Ambros. lib. 1. de sacramentis, c. 4. & 5. & refertur de consecra. d. 4. cap. Per aquam, vbi dicit. Non omnis aqua sanat. sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi, aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus est, operatio Spiritus sanctus est, non sanat aqua nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecrauerit, quibus verbis D. Ambros. Baptismum commendat dicens, quod per aquam Baptismi homo sanctificatur, & fit cœlestis, sed tantum illa aqua habet hanc efficaciam, super quam profertur forma Euangelica, & descendit Spiritus sanctus, & sic per Spiritū sanctum infunditur illi aquæ vis sanctificandi. D. Ambros.

Ad primum dicit Scotus, quod aut hæreticus baptizat paruulum, in forma & intentione ecclesiæ; & nihil obest paruulo nec quantum ad sacramentum, nec quantum ad effectum. aut baptizat adultum, & adhuc confert sibi sacramentum, & effectum eius, si in adulto nō est aliquis malus motus, puta assensus in hæresim baptizantis, vel intentio vt fiat discipulus eius. Authoritates diui Ambros. & D. August. intelligendæ sunt de adulto baptizato ab hęretico consentiente in illius hæresim: talis enim adultus non recipit gratiam in baptismo non propter ministri malitiam, sed propter suscipientis obicem & infidelitatem: nam vita est virtus illa sacramenti, atque adeo in membro præciso. nempe in hæretico baptizante non manet; quia est membrum mortuum, non tamen sequitur, quin per sacramentum eius possit esse in suscipiente. Nam licet hæreticus sit membrum mortuum in quantum persona; non tamen in quantum Minister Domini: vnde in se est putridus, non vt alijs ministrans: quia virtutem habet ministrandi.

Ex hac responsione patet, quā falso Sotus imponat Doct. subtilium dixisse baptizatum ab hæretico, si vult fieri illius discipulus, non recipere verum sacramētum, quod quidem nec somniauit Scotus. Nam ita in hac responsione, inquit Scotus; si hæreticus baptizat adultum, & adhuc confert sibi sacramentum, & effectum eius, si in adulto non est aliquis malus motus, vt assensus in hæresim baptizantis, vel intentio vt fiat discipulus eius, vbi conditionalem si non ad sacramentum, sed ad effectum sacramenti referendam esse, quis non videt? quinimo in hac eadem q. 1. & non 2. (vt falso apud Sotum, dist. 1. q. 5. artic. 5. legitur. Doct. sub. concedit baptizatum ab hæretico etiam si hæreticus sit, verum suscipere sacramentum. Cōtra Soti.

Ad secundum dicit Scotus, quod in toto corpore humano est vna vita omnium membrorum, quæ ab illis ordine quodam participatur. Primo enim vita est in corde. deinde autem deriuatur in alia membra, prout se habent propinquius ad illud vitæ principium; ideoque in tali corpore vita deriuari non potest ab vno in aliud membrum, nisi mēbrum communicans illam, prius viuat eadem vita suo modo perfecto. Non est autem sic in corpore Christi mystico, quod est ecclesia: quia in eius membris non est vna, & eadem numero vita: atq; adeo non oportet, quod membrum illud, quod ministerialiter dat vitam alteri, propinquius sit vitæ principio, id est, Christo Domino in vita gratiæ ab illo participanda; sed tantum in gradu ministrandi. Esset que aptum exemplum in corpore humano; si venæ in illo non viuerent formaliter, essent tamen media ministrandi vitam cæteris corporis membris; Non est ergo simile de membro corporali, & spirituali membro, quo ad communicandam vitam: quia membrum spirituale cuiusmodi est minister baptismi; non communicat vitam, quam ipsemet habet, sed vita communicatur à Deo per sacramentum, Vnde quamuis minister baptismi careat gratia, nihilominus potest illam communicare per sacramentum: quia gratia non à ministro, sed a Deo deriuatur.

Posset etiam dici, quod sicut operator materialis, quandoque operatur solum mediante membro, vt manu, vel aliquo alio membro, interdum operatur mediante instrumento aliquo. Sic Deus operatur opera virtutum mediantibus membris, sed opera sacramentorum mediantibus ministris. De primis operibus verum est, quod non habent efficaciam nisi per influentiam à capite in membra, de secundis non est verum.

Ad tertium negatur antecedens. Nam supra etiam negauimus virtutem aliquā supernaturalem esse in aqua: quia non videtur multum rationabile virtutem supernaturalem toties generari, & corrumpi; neque etiam quod post generationem

rationem

rationem semper maneat permanente aqua & ad authoritatem D. Ambr. dicitur, quod non est aliqua virtus in aqua, quæ sit actiua, secundum aliquam formam absolutam, sed tantum est virtus, quæ est vltimum de potentia, id est, efficax gratiæ significatio.

An non baptizatus possit baptizare. *D. August.* *D. Gregor.* Sed est vnum dubium, Vtrum non baptizatus possit baptizare. Nam D. August. lib. 2. contra epist. Parmen. c. 13. & lib. 7. de Bapt. c. 53. hanc quæstionem attingens eam definire non audet. Sine authoritate, inquit, tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. D. Gregorius etiam 2. in epistol. vltima ad Bonifacium, & habetur in cap. Quos à paganis, de consecra. d. 4. præcipit iterum baptizari eos, quos à Paganis constiterit esse baptizatos. Pagani autem proprie dicuntur, qui baptizati non sunt. *Conc. Eliber.* Et Concilium Eliberi. c. 32. dixit eum, qui suum baptismum integrum habet, posse in necessitate baptizare.

Cæterum post sæculum D. Augustini, ecclesia decreuit, tenetq; vt veritatem indubitabilem, quod non baptizatus potest baptismum cõferre, vt patet in cano: A quodã Iudęo de consecrat. d. 4. vbi Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorũ, definit verum esse baptismum datum à Iudęo sub debita forma; & similiter in cap. Romanus eadem dist. generaliter, & sine vlla limitatione sic dicitur. Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, etiam si paganus sit, qui baptizat; cuius ea est ratio: quia baptismus ad salutem est necessarius; quia sicut vulgatissimam materiam, id est, aquam, ita & quemuis mortalium; si mentis sit compos, & non mancus, ita vt abluere iuxta ritum & intentionem ecclesiæ possit, in ministrum admittit, atq; adeo quilibet homo, qui loqui potest, & lauare, potest esse sufficiẽs minister baptismi, siue sit vir, siue fœmina, fidelis vel infidelis, baptizatus & non baptizatus; dummodo sciat lauare & verba proferre cum debita intentione; & quidem in casu necessitatis res est certa, & definita in *Conc. Florẽt.* Concilio Florentino decreto Eugenij; vbi notanda sunt illa verba. In casu necessitatis non solum sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam Paganus, & hereticus baptizare potest, atq; idem *Ioan. Papa.* ex parte colligitur ex Ioan. Papa 8. in cap. Ad limina. 30. q. 1. vbi solum dicit. Laicis fidelibus iuxta canonicam authoritatem, si necesse fuerit opus baptizandi libere conceditur. Dicitur in casu necessitatis: quia extra illum solis sacerdotibus competit ex officio administrare baptismum, vt patet ex cano. Constat. de consecrat. d. 4. de quo erit sermo diffusior in sequenti d. q. 1. Tenendum est ergo, quo ad hanc difficultatem, quod omnis homo (nemine ex vniuersitate humana excepto) potest baptismum conferre in casu necessitatis, dummodo sit sanæ mentis & intentionem habeat ecclesiæ, & membris vti possit, quibus & formam proferat, & opus exerceat ablutionis.

Extra casum necessitatis paganus baptizet. Et si quæras, an extra casum necessitatis id fieri possit, ita vt factum teneat. Dico, quod hęc potestas enim hęc talis est, vt si quis illa vtatur extra necessitatis articulum, etiam si male faciat (vt in sequentibus dicemus) nihilominus factum te*August.* net, vt docet D. August. lib. 2. contra Epist. Parmen. c. 13. dicens. Sed si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum, quę licet verba potissimum intelligantur ab ipso de fideli laico baptizante; tamen eadem est ratio de infideli, vel Pagano, si semel admittamus eum posse in necessitate baptizare.

Ad obiecta ex D. Augustino dico, suo tempore potuisse dubitari: quia nondum erat res ita ab Ecclesia declarata, sicut nunc est. Ad aliud ex Greg. 2. dico cum rebaptizari præcipit eos, qui a Paganis baptizati fuerant, loqui (vt ita dicã) formaliter de Paganis, vt pagani sunt, i. de iis, qui in baptizando non seruabant ritum ecclesiæ, sed paganorum, vt ibidem explicat Glossa ita interpretans verba textus. Si ita habetur, id est, quod in forma ecclesiæ non fuerint baptizati: quæ expositio colligi potest, ex verbis sequentibus. Vt denuo baptizes in nomine Trinitatis, supponit ergo priorem baptismum non fuisse datum in hoc nomine, atq; adeo non propter vitium Ministri, sed propter vitium formæ rebaptizari iussit. Verba Concilij Eliberini optime tantum per se non decere hominem non baptizatum, aut infidelem baptizare, non dicũt tamen si id fiat non rectè fieri, ita vt factum teneat, aut etiam, quod conuenienter fiat si necessitas vrgeat.

QVÆSTIO II.

Vtrum recipiens Baptismum scienter à malo ministro mortaliter peccet.

IN superiori quæstione determinauimus cum Doct. sub. sacramenta per malos ministros exhibita esse valida; modo explicandum est, an suscipientibus à malis ministris sacramenta sit delictum, atq; etiam an eisdem ministris peccatum, sit illa exhibere. Pro cuius explicatione adnotat Scotus, quod Minister baptismi bifariam potest esse malus. Nã vel potest minister esse præcisus ab ecclesia, velut sunt excõicati, degradati, & suspensi; vel potest esse ab ecclesia permissus, & toleratus, vt est minister, qui habet peccata mortalia, de quibus tamen non conteritur. hac distinctione supposita, diuidit Scotus hanc quæstionem in duos articulos; in quorum priori inscuit, an licitum sit à ministris præcisis baptismum recipere; in secundo autem quærit, an liceat baptismũ suscipere à ministro malo tolerato ab ecclesia. Nos autem pro abundantiori doctrina eam diuidimus in quatuor articulos. *Minister baptismi bifariam potest esse malus.*

Primus art. Vtrum licitum sit à ministris præcisis ab ecclesia baptismum recipere.

Secundus art. Vtrum licitum sit à ministro malo ab ecclesia tolerato baptismum recipere.

Tertius art. Vtrum si sacerdos noluerit paruulum extremè indigentem baptizare, nisi accepto pretio pro sacramento, liceat patri, vel matri; vel cuius alteri dare pecuniam pro sacramento, ne puer damnetur sine baptismo discedens.

Quartus art. Vtrum minister in peccato mortali existens lethaliter peccet sacramenta administrando.

ARTICVLVS I.

Vtrum licitum sit à Ministris præcisis ab ecclesia baptismum recipere.

PRo huius art. explicatione obser. est primo, quod Ministrorũ, qui mali sunt, multi sunt gradus: nam alij sunt abiectissimi, vt infideles, qui fidem nostram nunquam susceperunt; mox Apostatæ, qui eam omnino abnegarunt, tertio hæretici, & Schismatici; quarto illi qui licet per hæresim non sint præcisi, tamẽ per ecclesiasticam censuram sunt suspensi, vt excommunicati, suspensi, degradati, & irregulares, denique in infimo gradu sunt Christiani ministri peccato mortali irretiti. *Quinq. gradus ministrorum qui mali sunt.*

Secundo obser. est, quod post Concilium Constantiense non tenentur vitare præcisum per excommunicationem, vel aliam ecclesię censuram à iure vel ab homine in receptione, vel administratione sacramentorum, vel alijs diuinis, nisi talis censura fuerit expressè, & specialiter denunciata, cõtra personam, collegium, vel vniuersitatem, ecclesiam vel certum locum præter manifestum clerici percussorem, qui vitandus est etiam ante denunciationem specialem, vt constat ex decreto dicti Concilij Constantiensis, quod incipit. Ad euitanda scandala: atq; ita extra manifestum clerici percussorem, & eum qui speciali censura est innodatus, & denunciatus, idem erit iudicium de ministris baptismi cẽsuris ecclesiæ subiectis, atque de alijs ministris peccatoribus ab ecclesia toleratis. In præsenti autem articulo agimus de præcisis, primo modo, id est, de manifesto clerici percussore, & de innodato speciali censura, atque denunciato. *Quis præcisus sit de iure vitandus.*

His obseruatis sit prima conclusio. Extra casum necessitatis extremæ, non licet recipere sacramentum baptismi à præcisis. Probatur. Non licet obedientiam ecclesiæ prætereure, sed ecclesia prohibet sacramenta à præcisis recipere, ergo nõ licet extra casum necessitatis extremæ sacramenta recipere à talibus præcisis. hæc conclusio est D. Thomæ in 4. d. 5. art. 2. q. 2. solmendo. 2. & in 3. p. q. 64. art. 6. ad 2. & Richardi hac d. art. 3. q. 4. *1. Conclusio.* *D. Thomas* *Richardus*

Dubitatur tamen, an in casu extremæ necessitatis liceat baptismum à tali ministro recipere; quando videlicet alius non præcisus reperiri non potest, qui sacramentũ ministret. De qua re duplicẽ refert Scotus opinionem. Prima opinio dicit non solum licitum esse; imò necessarium à tali præciso

baptis-

Digitized by Google

baptismum suscipere, si homo non possit assequi alium ministrum, & ratio huius opinionis est: quia baptismus est sacramentum necessitatis, ergo tenetur homo illum recipere etiam à præciso, si alium non potest habere à quo recipiat, & hæc est opinio Richar. vbi supra, vbi respondens ad quæst. inquit. Respondeo, quod cum baptismus sit sacramentum necessitatis ad salutem, in necessitatis articulo licitum est ipsum à quocumq; homine recipere, quantumcumq; malo, cuiuscumq; sit conditionis, & sexus; & est etiam opinio D. Thomæ locis relatis.

Secunda opinio asserit, non licere baptismũ à præciso recipere in aliquo casu; imò peccatur mortaliter suscipiendo baptismum à tali. Cuius ratio est: quia baptizandus aut est adultus, aut paruulus; si est adultus saluari poterit per baptismum flaminis, cũ non potest habere baptismum fluminis: sed in casu proposito non habet ministrũ; quia ecclesia prohibet cõicare cum tali præciso, ergo talis adultus saluari poterit per baptismũ flaminis, & consequenter peccaret mortaliter, si consentiat baptizari à tali præciso communicando cum illo in sacramento contra ecclesiæ prohibitionem.

Quod si baptizandus sit paruulus, & non sit qui illũ possit baptizare, nisi præcisus, dimittendus est mori sine baptismo, ne contraueniatur ecclesiæ præcepto prohibentis cõicationem cum præcisis ab illa: Debet ergo habens paruulũ baptizare eum, si non potest alium magis idoneum habere quam præcisum: quia cum præcisis (vt prius dictum est) nõ licet sibi communicare pro paruulo suo; & si ponatur habentem paruulũ esse mancũ, nec habere in illa regione aliquem nisi præcisum, oportet dicere consequenter, (si nullo modo communicãdum est cum præciso) in tali actu, quod nec tunc etiam debet paruulum suum offerre præciso baptizandum; huius sententiæ authorẽ neminem legi, atq; adeo
Tataretus. errat Tataretus faciens huius opinionis authorem D. Thomam: quia oppositum docet in 4. & in 3. p. locis citatis.

Cuiuscumq; tamen sit hæc opinio contra eam sic arguit Doct. sub. Vniuersaliter in potestatibus ordinatis potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem po-
D. August. testatem, vt docet D. August. hom. 6. de verbis Domini, ergo plus obligat præceptum superioris, quam præceptum inferioris; sed Deus præcepit baptismum suscipi non determinans certum ministrũ in necessitatis art. & ecclesia prohibet cõicationem cum præciso ab illa, ergo magis obediendum est præcepto diuino in casu proposito, q̃ præcepto ecclesiæ.

Præterea magis tenetur excõicatus aliũ vitare, quã alius vitare illum; sed excommunicatus vel præcisus in casu proposito nõ tenetur vitare alium imò tenetur non vitare, ergo qñ paruulus est in periculo necessitatis extremæ tenetur, præcisus conferre illi baptismũ, vt possit saluari, igitur multo magis alius haud tenetur vitare illum cõicando cum eo in tali actu. Maior prob. quia præceptum de vitando excõicato imponitur ab ecclesia in pœnam ipsius excõicati: minor etiam probatur: quia si talis præcisus foret paruulũ non baptizatum statim moriturum, tenetur baptizare illum; atq; adeo in actu baptizandi nõ tenetur illum vitare, probatur: quia si præcisus reperiret paruulum expositum periculo vitæ corporalis propter famem; teneretur eum à tali periculo liberare; sed magis tenetur diligere vitam eius spiritualem, quam corporalem, ergo qñ paruulus est in periculo vitæ spiritualis tenetur præcisus eum baptizare, ergo multo magis alius nõ tenetur vitare eumdẽ cõicando cum eo in tali actu.

Et si dicas, ecclesia regitur ab Spiritu sancto, ergo præceptum diuinum intelligendum est, iuxta ecclesiæ determinationem: atq; ita si ecclesia prohibet baptismum à præcisis suscipi, etiam in necessitate, Deus ẽt centendits est prohibere.

Respondet Scotus, quod licet pia Mater Ecclesia præcisis prohibeat cum alijs cõicare; talis prohibitio est intelligenda vniuersaliter, qñ præceptum maioris non obligat ad contrarium; sed præceptum legis naturæ & euãgelicum est maius ecclesiæ præcepto, ergo cum præceptũ legis naturæ obliget, ad saluandum vitam proximi corporalem, & multo magis spiritualem, & præceptum de conferendo, & suscipiendo baptismo sit diuinum, potius est obediendum præcepto legis naturæ, & positiuo diuino, quam sit aliquis vitandus in actibus istis propter ecclesiæ præceptum prohibentis communicationem cum illo: Neque enim aliquis legislator, seu Iudex ecclesiasticus interpretaretur præceptum suum esse seruandum in eo casu, quo præceptum suum vigeret contra legis naturæ præceptum, siue positiuum diuinum.

Est ergo tertia opinio Doct. nostri sub. quæ duabus conclusionibus explicatur. Prima conclusio, licite potest adultus à præciso baptismum recipere; si alius minister non possit haberi, probatur ex sententia D. August. lib. 1. de vnico baptismo, c. 2. & refertur. 24. q. 1. Canone. Si quẽ forte, vbi D. August. laudat quemdam, qui in articulo mortis baptismũ ab hæretico & petit, & suscepit. Verba sunt ista. Si quem forte coegerit extrema necessitas, vbi catholicũ, per quem accipiat non inuenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa vnitate percepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus cum se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit nunquã corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime veracissimeq. laudamus: quia præsentẽ Deum credidit corde suo vbi vnitatem seruabat, & sine sancti baptismi sacramento. (quod vbicumq. inuenit non hominum, sed Dei esse cognouit) noluit ex hac vita migrare. Si quis autem cũ posset in ipsa catholica accipere, aliqua mentis peruersitate elegerit in schismate baptizari, etiam si postea venerit ad catholicã ecclesiam: quia certum est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse non potest: peruersus, & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius. hactenus August.

Item libro sexto, c. 1. & refertur de consecrat. d. 4. c. Quomodo. §. Omnes mali spiritaliter: inquit. Sed nihil interest ad baptismi sanctitatem, quanto quisq; peior id habeat, & quanto peiori tradat. Potest tamen tradere separatus, sicut potest habere separatus; sed quam perniciosum est habere, tam perniciosum est tradere, ille autem cui traditur põt salubriter accipere, si ipse nõ separatus acceperit, vrgente mortis necessitate. Ex his duabus authoritatibus colligit Scotus. Quod plerisq. accidit, vt catholico animo & corpore ab vnitate pacis non alienato aliqua necessitate mortis ingruẽtis ad aliquem hæreticum veniat, & ab eo Christi Baptismũ sine eorum peruersitate suscepit, & siue defuncti siue liberati, nequaquam apud eos remanserint, ad quos nunquam corde transierant. Et confirmatur ratione. Quia præceptum superioris magis obligat, quam inferioris, sed in necessitate Deus præcipit baptismum suscipi, nullum determinando ministrum, ergo prohibitio ecclesiæ vetantis præcisos à tali officio cessat in hoc casu.

Dicit tamen Doctor, quod forte talis adultus potuit non petere baptismum à tali præciso; siquidem baptismus flaminis illi sufficeret, si propter ecclesiæ reuerentiam talem vitaret periculum. Omnibus tamen pensatis melius, inquit, videtur, quod à tali præciso recipiat, quam quod de hac vita sine baptismo aquæ discedat, quod ego certissimum iudico.

2. Conclusio. Secunda conclusio. In casu necessitatis extremæ habens paruulum, quem ipse nequeat baptizare, tenetur offerre illum præciso, vt baptizetur ab illo, si ab alio nullo põt baptizari. Probatur: quia cũ paruulus saluari nõ possit sine baptismo, & est in extrema necessitate cõstitutus. Sed in casu extremæ necessitatis ecclesia nõ prohibet cõicationẽ cũ præciso; ergo habẽs talem paruulũ tenetur offerre illũ præciso, vt baptizetur ab illo; Nimis. n. durum esset dicere, quod talis teneretur paruulũ suũ permittere dãnari, cũ possit habere aliquẽ, qui ipsum baptizaret, sm illud de consecr. d. 4. c. Romanus, vbi dicitur. Romanus Pontifex non attendit hominẽ qui baptizat, sed Deum, & si Paganus sit qui baptizat, & cõfirmatur per D. Augu. super Ioã hom. 5. & refertur in canone. Si iustus fuerit. 1. q. 1. Nõ exhorret colũba ministeriũ malorũ. D. August.

ARTICVLVS II.

Vtrum licitum sit à ministro malo ab ecclesia tolerato baptismum recipere.

PRo explicatione huius tituli obser. est, quod inter non præcisos siue malos ministros ab ecclesia toleratos, alij sunt publici peccatores, & alij sunt occulti; Item alij solemniter sacramenta administrant tanquam ex officio, alij vero priuatim baptizando, Rursus alij se ingerunt, alij vero necessitate compulsi baptizant.

Hoc supposito sit prima conclusio. In extrema necessitate licet à quocumque petere & recipere sacramentum baptismi. probatur: quia in extrema necessitate licitum est petere 1. Concl.

&

Digitized by Google

& recipere baptismum etiam à præciso, vt prædictum est in superiori artic. ergo multo magis licebit petere illum a Ministro permisso.

Conclusio. Secunda conclusio. Licitum est etiam extra necessitatem extremam petere baptismum à ministro malo etiam publico tolerato ab ecclesia, cui ex officio competit ministrare baptismum, qualis est curatus siue Parochus. probatur: quia qui vtitur iure suo nemini facit iniuriam, vt habetur in cap. Cum ecclesia Vulterana de electione, & in l. iniuriarum, ff. de iniurijs; sed curatus tenetur ministrare sacramenta sibi subditis etiam extra necessitatem, quotiescunq; ab illis fuerit requisitus, ergo licitum est subditis extra necessitatem extremam baptismum petere ab illo. probatur consequentia; quia non peccat, qui à malo debitum petit, vel recipit, sed vtitur iure suo, & cum curatus teneatur ministrare, subditus habet ius petendi. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub. litt. D. §. Si autem.

Conclusio. Tertia conclusio. Si sit aliquis sacerdos malus notorie, qui non sit debitor Parochiæ in sacramentis administrãdis, quia non est curatus, & posset haberi alius melior sacerdos, peccaret qui à tali baptismum susciperet, & peteret, cum tali sacerdoti non incumbat sacramentum ministrare ex debito, sicut incumbit curato. probatur conclusio: quia cooperatur grauiori peccato ministri. Grauius enim multo peccat sacerdos re ipsa sacramentum administrando, quam si solum habeat administrandi voluntatem, quemadmodum grauius peccat, qui hominem interficit, quam ille cui est solum cordi interficere; atque adeo, qui à malo sacerdote non curato, etiam parato publice in ecclesia sacramenta ministrare, sciẽter petit sacramentum, peccat.

Conclusio. Quarta conclusio. Si curatus, & alius sacerdos sint æque mali, debet baptizandus baptismum suscipere à suo curato: quia vtitur iure suo, baptismum ab illo petendo, & suscipiendo.

Conclusio. Quinta conclusio. Si non potest haberi alius curatus, vel sacerdos melior proprio, posset tamen haberi aliquis bonus laicus, præferendus est malus sacerdos probo laico, vt potius à malo sacerdote, quã à probo laico baptismus suscipiatur. probatur: quia officium ministrandi sacramenta in ecclesia competit sacerdotibus, ergo videtur quod quantum ad istũ actum est potius eligendus sacerdos malus, quam laicus bonus. Ex hac conclusione infero, quod in administratione baptismum seruari debet debitus ordo, ita vt si sit parens sacerdos, non erit cõueniens minister Diaconus, nec in præsentia Diaconi inferior clericus, nec in præsentia Clerici laicus, nec in præsentia viri fœmina, si cætera sint paria.

Ratio est: quoniam hæc licentia baptizandi laicum conceditur ex vera necessitate; vera autem necessitas non consurgit, nisi ex penuria ministri scilicet, si non sit alius qui possit baptismum conferre, & ad quem aliquo titulo magis spectet tale ministerium, & ex periculo baptizandi: quia scilicet, est in periculo mortis.

Et si dicas, inducere aliquem ad peccandum semper est malum; ergo in nullo casu licet. Sed ille qui petit baptismũ à curato, quem scit indigne baptizaturum, inducit eum ad peccandum, ergo nunquam est licitum. Dico, quod hoc non est inducere illum ad peccandum; sed ad id, quod est ius petentis, quod etiam ipse minister præstare potest, si à peccatis exeat per contritionem; quare si minister reddendo debitum peccat ipsi imputabitur.

Conclusio. Sexta conclusio. Extra necessitatem non est licitum petere sacramentum baptismi à malo ministro, cui ex officio non incumbit baptizare. probatur: quia iam esset illum inducere ad peccatum: quia induco illum ad collationem baptismi, quem scio indigne administraturum. Nec obest, si dicatur, quod qui à tali ministro petit sacramentum baptismi, non petit ab eo aliquod malum: quia non petit ab eo vt sacramentum indigne conferat, sed tantum petit vt ei administret sacramentum, quod quidem digne administrare poterit, si à peccatis exeat per contritionem, ergo non inducit eum ad peccatum, atq; adeo licitum est adeo sacramentum petere. hoc, inquam, non obest. Quoniam vt inquit Scotus. licet formaliter non inducat eum ad peccandum; inducit tamen materialiter: quia inducit illum ad eum actum, quem scit, aut credit male facturum, hæc conclusiones sunt Scoti vbi supra, & concordant cum D. & Caiet. & Sotus.

Dubium. Sed dubium est, an si minister malus, cui ex officio non conuenit baptizare, esset paratus ad conferendum sacramẽtum baptismi cuicumque accedenti, licitum esset extra necessitatem extremam, accedere ad illum, & baptismum recipere? Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 6. ponit hanc conclusionem. Sotus. A quocumque sacramentorum ministro non præciso, sed tolerato ab ecclesia, dummodo paratus sit sacramẽtum ministrare, licet cuicumque illud recipere, siue in necessitate, siue extra illam, dum tamen facultatem habeat administrãdi sacramenta à superioribus, v.g. licet homini per cruciatæ priuilegium, quem maluerit confessariũ eligere ex idoneis; sunt plures sedentes ad confessiones audiendas, quorum aliquem talis homo scit viuere in concubinatu; tunc licet pœnitens possit eligere alium probum, licitum etiam erit illi concubinarium eligere. Ratio eius est: quia cum minister sacramenti sit paratus ad illud ministrandum, suscipiens nõ mouet illum atque adeo peccati ministri non est causa: solum enim ille dicitur peccato alterius cooperari, qui eius peccati causa est: neque iste postulat, vt minister peccet, sed vt sacramentum præbeat, quod ille potest iuste præstare pœnitudine de suo peccato.

Scotus. Verum oppositum huius videtur Doct. sub. tenere dicit, enim in hac quæst. sub litte. d. §. Si secundo modo. Quod peccat ille, qui baptismum recipit à malo ministro, quando bonus haberi potest; & ratio huius assertionis videtur esse: quia vnusquisque tenetur vitare, & prohibere peccatum proximi in quantum potest; ergo quamuis ille minister malus paratus sit conferre sacramentum baptismi; ego tamen debeo accedere ad alium ministrum, ne iste peccet. Et ad rationem Soti dico, quod licet illum non inducam ad peccatum, tamen malefacio accedendo ad illum: quia cum facillimo negocio possem peccatum illius ministri vitare; at non solum non vito peccatum; sed tum illi materia peccandi.

Ex his infero à malo ministro ex officio obligato, & sponte etiam ministrante, non esse licitum petere sacramentum extra casum necessitatis, quando scilicet, alter idoneus, & probus haberi potest; quia licet ipse ex officio teneatur sacramentum dare, tamen si ego possum sine vllo detrimẽto ab alio petere, qui sine peccato dabit, lex charitatis Dei & proximi tunc obligat, vt auferam occasionem ruinæ proximi, & irreuerentiæ sacramenti: quia licet secundum iustitiæ rigorem vnicuique liceat petere ab altero ius suum, quod sibi debet; tamen quando inde magnum detrimentum proximo est euenturum, & mea nihil interest aliud idem bonũ obtinere ab eo, qui sponte sua, vel ex debito ipsum confert, seu ministrat, charitas postulat, vt proximi mea occasione miserear, cum id ipsum alter facere sine detrimento queat, & ille re vera sit in morali necessitate, seu discrimine constitutus.

Secundo infero. Non esse necessarium, vt petenti sacramentum constet ministrum esse bene dispositum: quia hæc cura non est illi commendata: satis ergo erit vt illi non constet illum esse male dispositum. Vt ergo obligetur ad non petendum sacramentum, oportebit vt moraliter ei constet ministrum esse male dispositum, & cum ea mala dispositione sacramentum ministraturum; hoc autem difficillimum est iudicare, nisi vbi manifeste constat ministrum esse in diuturna consuetudine, & proxima occasione alicuius peccati; & tunc quidem maiori opus est prudentia, & iudicio ad petendum sacramentum ab huiusmodi ministro; extra vero hunc casum etiam si contingat videre sacerdotem paulo ante mortaliter peccantem, potest ab illo peti sacramentum, etiam si non sit paratus, neq; ex officio illud dare teneatur; quia semper potest sperari eum fore conuenienti modo dispositum, quod breuissimo tempore præstare potest.

Ex his etiam potest obiter expediri dubiũ, de eo qui ministrat sacerdoti aliquo deseruiendo illi in actione sacra, quam ipse praue exercet, v.g. vt ministrando Missã, quã ille dicit in peccato, vel seruiendo Episcopo ordinanti alios in statu peccati mortalis; an in huiusmodi cooperatione aliqua culpa intercedat. Pro solutione dico primo, quod si actio sit talis, quod à sacerdote vel episcopo, aut quolibet alio non possit bene fieri, vt si sacerdos, vel episcopus sit degradatus, suspensus, vel non ordinatus, &c. ministrare illi, seu cooperari tali actioni, semper est malum: quia tunc non est separabilis malitia ab actione, atque adeo qui actioni insertiit cooperatur actioni malæ.

Dico secundo, quod si actio sacra est per se bona, & ab eo à quo fit rite, & recte fieri potest, & tantum ex eius malitia indigne

Digitized by Google

indigne fit, non est per se malum inseruire illi, seu ministrare in huiusmodi actione: quia actio ex se bona est, & circumstantia malitiæ ministri est valde extrinseca; & iden nõ peccat, qui sacerdoti malo præbet vestes, aut vasa sacra ad missam faciendam: quia ille non cooperatur malitiæ eius, & idem est de ministrante ei in sacrificio; tamen si quis posset commode vitare huiusmodi ministerium, vt alius non peccet, id facere deberet: Nihilominus tamen moraliter loquendo vix potest hoc ad vsum applicari: quia nec vitari commode potest hoc ministerium, neque ea de causa vitabitur peccatum. Ideo non sunt huiusmodi scrupuli his ministris iniiciendi.

D. Ambros. Contra secundam conclusionem arguitur, primo ex D. Ambros. lib. de initiandis rudibus, vbi loquens de malis baptizantibus, & de suscipientibus baptismum ab illis. Qui faciunt, & quibus faciunt nihil prodest, sed ad iudicium est; ergo recipiens scienter baptismum à malo ministro peccat mortaliter; nam ad iudicium suscipit.

Præterea, qui cooperatur alteri ad peccãdum lethaliter, & ipse mortaliter peccat: quia operatur contra proximi charitatem. Sed recipiens baptismum à malo ministro cooperatur illi in actu baptizandi, in quo minister peccat mortaliter, ergo suscipiens baptismum scienter à malo, peccat mortaliter.

Ad primum respondet Scotus, quod D. Ambro. loquitur ibi de illo, qui baptismum suscipit ab hæretico, tanquam illius discipulus, illius errori consentiens.

Ad secundum dicit, quòd petens baptismum à malo sacerdote curato, non cooperatur illi directè ad peccatũ mortale: quia vtitur iure suo petens ab illo debitum actum in quo non peccat: quia nullius malitia excusat eum à solutione debiti, quod alteri debet: maxime quia ille actus petitus posset reddi à curato absq; peccato si baptizaturus conteretur de peccatis, & iden quantum est ex actu petentis, potius petens curatum necessitat ad pœnitendum, quam ad actum peccandi: quod si illum non pœniteat, nihil est culpæ imputandum petenti baptismum: quia non petit actum baptismi in quantum est peccatum; sed in quantum est debitum. Sic etiam quamuis non liceat alterum inducere ad aliquem actum illicitum, quem alias non est paratus facere, licet tamen mihi mala volũtate alterius iam parati malum facere vti ad vtilitatem, aut necessitatem aut propriam aut alienam: Nam iuxta dictum D. August. lib. 5. contra Iulia-

D. August. num, c. 10. bene vti malo non est peccatum; sicut licet mutuum ab vsurario petere, & iuramentum fidelitatis à Pagano, & Idololatra per falsos Deos iuraturo exigere pro obseruatione pacis, seu promissi fœderis; sic quoq; licet homini res suas latronibus manifestare pro conseruatione vitæ. Illiciti vero sunt huiusmodi actus in casibus vbi nulla ex ipsis speratur vtilitas, nullaq. sit rationabilis causa, vnde exigẽs huiuscemodi actus, quos alter exercendo peccat, neq; cõsentit, neq; complacitum habet in alterius peccatum; sed in actus consentit, quos alter sine peccato potest facere licite; huiusmodi sunt mutuare, iuramentum fidelitatis seruandæ præstare, vitam mihi non adimere. Quotiescũq; autem peto ab aliquo aliquid, quod ipse mihi sine peccato præstare potest, etiam si nouero alterum id mihi non sine peccato præstiturum præsertim cum alter obligatur id præstare, nec habeo meliorem, qui sine peccato id mihi præstare possit. Proinde à Parocho, qui obligatur mihi sacramenta ministrare, licite exigo sacramentum, non obstante, quod nouerim verisimiliter ipsum paratum ministrare, & tactæ sacramentum

Ioã. Driedo. indigne. de hac materia legi potest Ioan. Driedo lib. 1. de libertate Christiana c. 9. ad finem vbi docet, quonam pacto liceat vti mala voluntate alterius ad opera in se bona, cuiusmodi sunt dispensare sacramenta.

ARTICVLVS III.

Vtrum si sacerdos noluerit paruulum extremè indigentem baptizare nisi accepto pretio pro sacramento, liceat patri, vel matri, vel cuius alteri dare pecuniam pro sacramento, ne puer damnetur sine Baptismo discedens.

Hanc difficultatem tangit Doct. in 3. argumẽto principali huius quæstionis, de qua diuersæ sunt opiniones.

D. Thomas. Richardus. Prima est D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 2. ad primum; & Richard. hac d. art. 3. q. 4. ad 3. & d. 25. art. 3. q. 1. ad 8. quæ sunt etiam Alex. de Ales. 2. p. q. 187. m. 3. art. 1. §. 1. hi omnes dicunt, quòd non licet dare pecuniam pro baptismo, quamuis alias puer baptizari non posset: quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. *Ale. l Ale.*

Secunda opinio est Panormitani in capitulo, Cum ecclesia, de Simonia, qui distinguit inter paruulum, & adultum, & dicit, quod pro paruulo baptizando licitum est in tali casu dare pecuniam, quia paruulo nullus alius patet aditus ad salutem; cæterum pro adulto non licet: quia adultus potest baptismo flaminis saluari, scilicet charitate, atque pœnitentia, eamdem sententiam tenet Caiet. 2. 2. q. 100. art. 2. & Gerson, in tractatu de Simonia, & eam tangit Richardus, locis citatis. Precipuum fundamentum huius opinionis est: quia in tali casu dare pecuniam non est emere sacramentũ, sed redimere vexationem, quod vnicuiq. est licitum, quod autem tunc sit vexatio patet: quia sacerdos in tali casu lege naturali, & diuina tenetur puerum baptizare, & dum non baptizat puer patitur iniustum, quod vnusquisque à se vel pretio, vel quauis alia ratione repellere potest, huius etiã sententiæ est Adrianus, quolib. 9. ad tertiam confirmationem primi principalis; & Sotus lib. 9. de Iust. & iure. q. 6. art. 1. ad primum. *2. Opinio. Panormitanus. Caietanus. Gerson. Richardus. Adrianus. Sotus.*

Tertia opinio est Aragonæ de Iust. & iure. q. 100. art. 2. ad primum, qui tenet, quod in casu posito nullo modo licet dare pecuniam sacerdoti, nec pro paruulo baptizando, nec pro adulto, quamuis pereat vterque, quod probat: quia hoc nõ est redimere vexationem, sed emere rem spiritualem, quod est intrinsece malum: nam vt ipse dicit, vexatio est duplex, vna quæ consistit in negatione rei conferendæ, vt quando non confertur ei id, quod sibi aliqua ratione est debitum, vt cum verbi gratia, digno petente beneficium, elector inclinat se ad indignum. Altera, quæ cõsistit in ablatione rei iam habitæ, atque possessæ; vt verbi gratia, cum clericus qui iure obtinet beneficiũ iniuste eo spoliatur. Quando vexatio consistit in negatione rei conferendæ, si illa res emi non potest, nec etiam licebit redimere vexationem: quia redemptio vexationis in tali casu est coniuncta cũ emptione, quæ est mala; talis enim vexationis redemptio est emere rẽ ipsam, quæ denegatur, atq; adeo si sit spiritualis est simonia: quod patet quia homo per talem redemptionẽ vexationis vere acquirit rem spiritualem, quam antea non habebat, ergo pretio emit illam, atq; ita est Simoniacus. Verum si vexatio fiat in ablatione rei iam possessæ redimi poterit: Talis enim vexationis redemptio nõ est rem ipsam emere, atq; adeo quamuis talis res sit spiritualis non erit Simonia: Nam per talis vexationis redemptionem, non acquiritur aliqua res de nouo, ac proinde nõ est dicenda emptio rei spiritualis, ex quo infert, quod si Episcopus decreuisset spoliare clericum beneficio, quod iure habet, nisi ab eo acciperet aliquam pecuniã, liceret clerico illam ei dare absque labe Simoniæ, nec tunc emeret rem spiritualem, sed redimeret vexationem, quod non contingit in casu posito. *3. Opinio. Aragona.*

Quarta opinio est Scoti dicentis, quod si sacerdos vellet vendere aquam suam, & nullo alio modo illam concedere, ipsa aqua potest emi; quæ licet esse consecrata adhuc posset emi nullo modo habendo oculum ad consecrationem, sed ad valorẽ alterius consimilis aquæ non consecrata: sic enim licet vendere calicem consecratum ratione materiæ, nõ ratione consecrationis, i. quod nõ pluris vendatur ex eo, quod est consecratus, quã si non esset consecratus. Secundo dicit, quod si sacerdos nitatur vẽdere actum baptismi poterit offerens paruulum emere illum, non intentione emendi actũ illum, pro vt est quid sacramentale, sed pro vt labor est sacerdotis in tali actu; sicut ordinarie cõducuntur sacerdotes ad celebrandũ Missas, non ita vt illi vendant, & alij emant actum celebrationis pro vt sacramentale, quod absit, sed sacerdotes vendunt laborem, & alij illũ emunt. Quia oportet vnumquemq. de suo labore taliter, qualiter victitare & vitam transigere, vt inquit Scotus in calce huius quæstionis. *4. Opinio. Scotus.*

Tertio dicit, quod si ille minister nullo modo vellet baptizare, nisi pecunia recepta pro actu baptizandi, quatenus actus sacramentalis est, cum esset perfecte Simoniacus vendens sacramentum; tunc nullo modo, liceret sacramentum Baptismi ab illo recipere. In tali enim casu adultus baptizandus peccaret mortaliter cooperando peccato ministri: neque tunc obligaretur ad suscipiendum baptismum; quia quando non potest suscipi baptismus sine peccato mortali, non obligatur adultus ad suscipiendum illum: Neque lice-

ret

Digitized by Google

ret paruulum tali ministro offerre ad baptismum cum tali simonia: quamuis nullus alius esset in Prouincia, qui eum posset, aut vellet baptizare.

Etsi dicas. Tunc habens paruulum exponeret eum periculo damnationis. Respondet Scotus quod habens paruulum baptizet illum si potest, vt pote si non est infidelis, vel mutus. Quod si paruulo non possit baptismum procurare, nisi emendo baptismum debet tunc dimittere paruulū mori sine baptismo: quia non sunt facienda mala vt inde veniant bona Roman 3. & quilibet magis debet diligere seipsum, quam proximum, & per consequens magis in seipso vitare peccatum mortale: quam in alio damnationem. eandem sententiam tenet Glos. in cap. Baptizādis, 1. q. 1. vbi dicit. In hoc casu potius permittendum infantem mori; addens. Ego tamen potius darem pecuniam quam permitterē eum sic mori, & bene. licet non deberem facere. quod sane absurde satis dictum est; etsi benigne forte posset explicari.

Gloss.

Vexatio duobus modis redimi potest.

Cæterum omnes istæ opiniones optime concordari possunt. Vnde obseru. est, quod duobus modis potest vexatio redimi; priori modo vt in rei veritate fit res spiritualis emptio tanquam medium quoddam ordinatum ad remouendam eam iniuriam, quæ obstat quo minus spirituale obtineatur, quod fieret si is, qui redemit vexationem daret pecuniam tanquam pretium rei spiritualis. i. tanquam id, quod tanti æstimet, quanti spirituale. Posteriori modo ita vt pecunia detur solum tanquam motiuum quoddam ad remouendam eam iniuriam, quæ est impedimentum consecutionis spiritualis. i. tanquam medium, ut prauam illam voluntatē deponat, & sacramentum debito modo conferat, vel tanq̄ medium alliciendi animi alterius ad obtinendum sacrum. Est aūt magnum, & clarum discrimē inter hos duos modos redimendi vexationem: nam primo modo redemptio vexationis est actus emptionis cuiusdam ordinatus tanquā mediū ad remouendum impedimētū: scdo aūt modo est actus vel donationis pecuniæ, si is, qui vexationem redimit, velit vere transferre dominium pecuniæ in eum, qui obsistit, vel est actus quidam charitatis erga seipsum, vel erga eum, cui is qui redimit vexationem, spirituale procurat.

Secundo obser. est, quod ei qui vexationem redimit semper liberum est quocunque modo illorum eam redimere: id enim est positum in ipsius voluntate, & interiori intentione, quæ a nemine cogi potest; quare etiam si is, qui infert iniuriam, nolit ab ea inferenda desistere nisi a se emātur spirituale. tamen non propterea is, qui redimit vexationem cogitur sese illi conformare in ea praua intentione, sed potest nihilominus dare pecuniam dumtaxat vt motiuum, non vt pretium: non habendo oculum, inquit Scotus, id est, non intendens, actum illum emere, quatenus est sacramentalis, sed laborem sacerdotis in illo actu, & illū tantum ad actum sacramentalem exercendum mouere.

Conclusio

His obseruatis, dico primo, quod redemptio vexationis primo modo, scilicet quando vt pretium rei spiritualis datur pecunia, semper est simoniaca, & illicita. Ita docet D. Thom. in 4. dist. 5. q. 2. art. 2 & dist. 25. q. 3. art. 2. & insinuat 2. 2 q. 100. art. 2. ad 1. Alex. de Ales, 2. par. quæst. 87. membr. 3. art. 1. §. 1. Richard. dist. 5. art. 3. q. 4. ad 3. & dist. 25. art. 3. q. 1. & Scotus in hac quæst. sub litt. H. §. Ad tertium. & est cōmunis sententia omnium Theologorum. Est tamen hoc assertum contra Sotum: quæ nescio qua ratione ductus, lib. 9 de iustit. q. 6. art. 1. ad 1. & 5. asserit, quamuis venditio rei spiritualis in aliquo casu adeo sit simoniaca, vt nunquam sit licita; tamen emptionem rei spiritualis in aliquo casu posse esse licitam. Sed contra, tam emptio rei spiritualis, quam venditio essentialiter, & proprie est simonia, sed simonia intrinsece est mala, vt nunquam liceat, ergo tam emptio, quam venditio rei spiritualis est semper illicita, hanc rationem suppono pro nunc, quam diffuse explicabimus distin. 25. q. 1 in materia de censuris.

D. Thom.

Alex. de Ales

Richardus. Scotus.

Contra Sotum.

Conclusio

Dico secundo quod redemptio vexationis secundo modo, cum videlicet pecunia datur non vt pretium, sed dumtaxat vt motiuum, nunquam est simoniaca duabus conditionibus existentibus, vna est vt inferens iniuriam non velit recipere pecuniam tanquam pretium rei spiritualis, sed tantum, vt motiuum; altera est vt redimēs vexationem, qui similiter dat pecuniam tanquam motiuum velit re vera trāsferre dominium eius in illum, qui mouetur oblata pecunia ab iniuria inferenda desistere: Nam existentibus illis duabus conditionibus, neque est periculū peccati ex parte actus, quo redimens offert pecuniam: qn̄ quidē is non emit spirituale, sed tantum donat temporale ad remouendū impedimētum, quod per se licitum est; Neque rursus est peccati periculum ex parte actus, quo inferens iniuriam recipit pecuniam, vt motiuum; nam in eo casu, quo redimens vult dominium eius pecuniæ in alterum transferre, ille nō peccat recipiendo illam tanquam motiuum, quāuis antea peccauit animo inferendi iniuriam: quare non est periculū ex hac parte, vt redimens censeatur cooperari peccato alterius, quando quidem alter recipiens pecuniā, neque peccat peccato simoniæ, cum recipiat illam, vt motiuum; neque rursus peccato iniustitiæ; quia alter vult in eum pecuniæ dominium transferre. Atque ex hac ratione patet: quare dixerim existentibus illis duabus conditionibus, quia si vtraque, vel altera deficeret; quamuis is, qui redimit non peccaret peccato simoniæ dando pecuniam, vt motiuum, posset tamē peccare cooperando alteri ad peccatum, quod ille cōmitteret, accipiendo pecuniam simoniace vel iniuste; si videlicet redimens non haberet rationabilem causam propter quā posset negligere peccatum alterius offerendo illi eius materiā.

3 Conclusio

Dico tertio, quod etiam si is, a quo redimenda est vexatio peccet recipiendo pecuniam, vel quia recipit ab inuito, vel quia recipit animo simoniaco, tamen licita est redēptio vexationis secundo modo dummodo ea sit, vel necessaria, vel admodum vtilis, hoc dictum est ex sent. Adria. concl. 9.

Ex his sequitur primo licitum esse redimere vexationē ab eo, qui cum solus possit puerum moribundum baptizare, non vult id facere nisi simoniacè vendendo baptismum; ratio est clara: Nam agitur tunc de grauissima necessitate pueri, Neque Alex. de Ales, D Thom. Richar. & Scotus locis citatis hoc simpliciter negant: tantum enim aiunt nō esse licitum redimere vexationem emēdo baptismum, quod verissimum est, vt diximus in primo dictu. cæterum potera redimi dando pecuniam vt motiuum, atque ita intelligēdi sunt Caiet. & Adrian. vbi supra, & alij concedentes posse redimi vexationem pueri in tali casu.

Sed dices primo Si licet aliquid dare ad obtinendam collationem sacramenti in eo casu, ergo licebit aliquid etiam spirituale vendere, si iniquus ille sacerdos id vellet. Nego consequentiam, quia præterquam quod venditio est longe deterior; si vellet sibi rem spiritualem vendi, & non gratis dari censeretur id velle in contemptu religionis, & per consequens videretur eius prauitati morem gerere: Quare non placet, quod ait Sotus vbi supra; Si sacerdos ita esset malus vt nollet præbere nisi mercede pretium pro ipso sacramento, te posse mutare, & dare pro ipso sacramento: quia cum ille petat in contemptum religionis, non potes ei morem gerere.

Contra Sotum.

Dices secundo. Ille sacerdos non censetur vexare nisi negando, vel non dando sacramentum, quod saltem ex charitate tenetur conferre: atqui hoc non tollitur nisi conferendo: negatio enim actus non tollitur nisi actu opposito, ergo dare pro redimenda vexatione in hoc casu est dare pro collatione ipsa sacramenti; hoc videtur esse argumentum Aragonæ. Ad quod respondeo negando conse quentiā proprie loquendo, collatio sacramenti est quidem pro qua detur pecunia, non autem id, cui pecunia vt pretium respondet. Dicitur autem dari pro redemptione vexationis, quia datur ad alliciendum animum, vt prauam voluntatem non dandi deponat, & in bonam conuertat, quod sine licitum est. Quando praua alterius voluntas est mihi causa mali possū precibus, promissis, & donis inducere, vt illam mutet, & in beneuolentiam conuertat, & quia hoc fit ad ingens malū, quod occatione iniquitatis ipsius obueniret, auertendum, dicitur redemptio vexationis.

Pari modo si non electo Petro secuturum esset, vt heretici occuparent ecclesiam possem dare pecuniam non pro electione Petri proprie, sed ad alliciendos animos electorum ad fauorem, vt sic electo Petro tātum malū auertatur.

Secundo sequitur licitum esse etiam adulto pro se, aut pro alio adulto in periculo mortis constituto redimere vexationem ab eo, qui non vult nisi simoniacē baptizare, hoc cum Adriano vbi supra, ego puto omnino esse verius, quidquid Panormitanus, Caietan. & Sotus, contradicant; tum quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irreuerētiam. & non magis censetur dare ad redimendam vexationē, quam in casu infantis: cum adsit illius metus dānationis. Tum quia ēt adultus grauissimā habet causā negligēdi tūc

peccatum alterius, atque adeo procurandi per vexationis redemptionem baptismum ab illo, etiamsi ille in accipiendo pro eo pecuniam, & eo conferendo sit simoniace peccaturus. Difficile namque est sine sacramento habere contritionem, quæ in re sufficeret ad salutem. Idem dicerem quãdo agitur de absolutione in extrema necessitate. Imo si esset aliqua regio, quæ non posset impetrare prædicatores Euangelij, vel sacerdotes, qui illi sacramenta administrarent; hæc posset offerre Pontifici pecuniam, vt hoc medio illum alliciat ad eos mittendos: Possumus enim temporalia nostra expendere ad ea consequenda, quæ saluti sunt opportuna; viderint illi, qui ea exigunt.

Tertio sequitur, licitum esse eodem modo redimere ignominiam, & vexationem illorum sanctorum, quorum sacræ reliquiæ indigne tractantur ab hæreticis, vel a Turcis, & Mauris, atque adeo pecunia illis oblata, non vt pretio: sed vt motiuo quodam, eas de illorum potestate eripere, etiam si forte ipsi hæretici eas impie vendendo peccaturi sint. Nã subest tunc causa valde rationabilis negligendi illorum peccatum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum minister in peccato mortali existens lethaliter peccet sacramenta administrando.

IOannes Medina cod. de penit. tract. 1. quæst. 6. hanc difficultatem exagitans distinguit tam de actu, quam de officio. Est enim (inquit) aliquis actus sacratus, seu sacer qualis est actus sacramentalis, puta ministrare sacramentorum aliquod, Missam celebrare, ecclesiam seu mortalem consecrare, aut oleum, vel chrisma conficere, & denique alios actus exercere, qui proprij sunt ordinis sacri, extendendo ordinẽ ad Episcopatum. Et quia tales actus in peccato sine noua culpa exerceri non possunt, necesse est huiusmodi actus exercentem curare, se in statu gratiæ reponere, quod sine pœnitentia commissorum, si memoriæ occurrunt, fieri non potest.

Alij sunt actus sancti quidem, & boni, & ad sanctitatem ordinati, non tamen sacri, aut sacrati, quippe qui non immediate ad ordinem sacrum pertinent, vt orare, prædicare, officium ecclesiasticum in choro exercere, & talia, inquit, sine peccato nouo fieri possunt in peccato ideo ad ea exercendũ, non est necessarium hominem se in statu gratiæ reponere, & per consequens nec de commissis pœnitere.

Sunt alij actus, qui iurisdictionis ecclesiasticam potestatẽ præsupponunt, non tamen ordinis. vt corrigere iudicialiter delinquentem, excommunicare, suspendere, & interdicere, & ab eisdem absoluere, seu dispensare; & tales quamuis ad officium spirituale pertineant: quia tamen in se sacri non sunt, nec ad ordinem sacrum pertinent; ideo possunt sine noua culpa saltem mortali in peccato fieri, & per consequens non est necessarium de commissis pœnitere ad huiusmodi actus exercendum, quamuis id necessarium sit, tam in his actibus postremis, quam in secũdis actibus, quos diximus, ex suppositione, scilicet si velit quis eos digne, & meritorie exercere.

D. Bonau. Secundo obseru. est, ex D. Bonau. hac d. dub. 1. circa litteram, quod is qui sacramentum ministrat, aut est in peccato notorio, aut occulto, item in quocũque sit peccato, aut est necessitas, & timetur scandalum si sacramentum non administrat, vel neque est necessitas, nec scandalum timetur.

Caietan. Tertio obiet. est ex Caiet. 3. p. q. 64 art. 6. quod huiusmodi peccatum ministri ex suo genere est mortale: quoniã est grauis deformitas sacrilegij, dicitur autem mortale ex genere: quoniam ob imperfectionem actus posset esse tantũ veniale; ad hoc tamen vt sit mortale, duabus cõditionib. opus est, vna est vt minister sacramenti sit minister ex officio, id est, ad id consecratus; altera est, vt administratio talis sit sollemnis; nimirum qua fiat ex tali consecratione, & officio. Ratio est: quia his duabus conditionibus concurrentibus, & non alias, cernitur in administratione tali, s. ministri existentis in peccato mortali, grauis deformitas, qualis est peccati mortalis ex genere suo.

1 Conclusio His obseruatis sit prima Conclusio. Qui ministrat sacramentum, vt minister ex officio, atque sollemniter existẽs in peccato mortali extra casum necessitatis, peccat mortaliter.

Gelasius Papa hæc conclusio est definita a Gelasio Papa, in c. Sacrosancta, 1. q. 1. vbi scribens Elpidio Episcopo ita inquit, Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam tantã sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat peruenire. Nam quõ ad diuini mysterij consecrationem cœlestis spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur. Item D. August. contra epist. Parmeniani lib. 2. D. Aug.
c. 10 omnia (inquit) sacra cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, & referũtur hæc verba 1. q. 1. Omnia sacra. Item eadẽ causa, & quæst. c. per Esai. § sacrificia impiorum, referuntur hæc verba D. August. in eod. lib. c. 6. sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impie: Nam vnum atque idem sacrificium pp nomen Domini, quod inuocatur & semper sanctum est, & tale, cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui. n. manducat, & bibit indigne iudicium sibi manducat, & bibit; nõ ait alijs, sed sibi. & c. 10. dicit. Hoc pene in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus, s. quia omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus Et tract. 5. in Ioan. ex cõsensu omnium patrũ. Ego, inquit, dico, & nos dicimus omnes: quia iustos oportet esse, per quos baptizatur, iustos oportet esse tanti iudicis ministros: Si autem noluerint esse iusti securũ me facit de veritate baptismi magister meus, de quo Spiritus sanctus dicit Hic est qui baptizat.

Secunda Conclusio. Qui ob necessitatem priuatim ministrat sacramentum, non vt minister ex officio, sed & modo quo laicus potest illum ministrare, non peccat mortaliter illud administrando in peccato mortali, hæc conclusio est D. Thom. 3. par. q. 64 art. 6. ad 3. & Richard. hac distinct. art. 3. q. 3. vt si laicus, vel sacerdos puerum agonizantem baptizaret; secus est autem in alijs sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut baptismus, & iuxta hunc sensum intelligendus est Alex. de Ales. 4. par. q. 8 mem. b. 6. ar. 2. § 2. est autem hæc conclusio contra Durand. in 4. dist. 5. q. 2. nu. 6. Ex hac conclusione colligitur sacerdotem in mortali administrantem absolutionis sacramentum, nullo modo a peccato excusari: quia potest dum pœnitentem audit, interius de peccatis conteri. 2. Conclus. D. Thom. Richardus Alex. Ales.

Tertia Conclusio. Diaconi, & subdiaconi in mortali administrantes, non peccant mortaliter, hæc conclusio est contra Angelum, verbo Clericus 8. numero 1. & Siluest. verbo Clericus 2 num. 2. & Caiet. 2. 2. q. 60. art. 2. in fine; qui existimant nos peccare mortaliter canendo epistolam, vel Euangelium solemniter in peccato mortali, & in hac sententia videtur fuisse D. Thom. in 4. dist. 24 q. 1. art. 3. quæstiunc. 5. vbi generalem statuit regulam, s. peccare mortaliter eũ, qui aliquod sacrum officium, quod sibi ex ordinatione competit in peccato mortali exequitur: quia indigne tractat res sacras, & sacrilegium committit; sacrilegium autem ex suo genere mortale peccatum est. 3. Conclus.

Probatur tamen nostra Conclusio, tum quia illorum ministeria non sunt sacramenta, sed sacramentalia: tum etiam, quia de digne administrando non est illis præceptũ impositum, quemadmodum ministris sacramentorum. Ex quo infero multo minus esse peccatum mortale actus quatuor minorum ordinum in peccato mortali exercere: tum quia illa materia leuis est, quia licet illi actus sint aliquo modo sacri, sunt tamen valde remoti ab actu sacrificandi, vel ministrandi sacramenta; tum etiam, quia non satis constat omnes illos ordines esse sacramenta; sed probabilis opinio est esse tantum sacramentalia: secundo infero, non peccare mortaliter clericum, qui tangit res sacras in peccato mortali, vt calicem, corporalia, &c. contra Angelum, & Siluestrum, vbi supra; nam hoc est incredibile seclusis contemptu, vel scandalo, aut alia similii circumstantia: quia illa materia est leuis, & nullum potest afferri præceptum, vnde hæc tanta malitia colligatur. Contra Angelũ, & Siluestrum

Quarta Conclusio. Minister siue sit in peccato mortali notorio, siue occulto, si adest necessitas, & scandalum timetur, si sacramentum non administrat, non peccat baptizando; sed in hoc quod negligit se præparare, & cum timore, & reuerentia ad sacramentum accedere. Si vero non sit necessitas, nec scandalum timetur si non baptizet; si baptizat non tantum peccat negligendo, sed etiam sacramento contumeliam faciendo, & vsurpando id, ad quod non est idoneus. hæc conclusio est Diui Bonauenturæ, vbi supra, & probatur ex D. Augustin. dicente. Illicitã vsurpationem cor- 4. Conclus. D. Bonau. D. August.

Digitized by Google

nẽ contigit reminiscentis, & penitentis affectus, quod si non correxerit manebit ad pęnam vsurpatoris quod dedit. Quę verba, inquit Alex. de Ales, intelligenda sunt, quando non extat necessitas, nec minister tenetur ex officio.

Alex. de Ales.

5. Conclusio

Quinta Conclusio. Episcopus sacramentalia exercens, vt puta dans primam tonsuram, vel consecrans ecclesiam, aut vestes sacras benedicens in mortali peccato existens nõ peccat mortaliter per se loquendo, ac secluso contemptu, & scãdalo. hæc conclusio colligi potest ex doctrina D. Thom. 3. par. q. 64. art. 6. vbi de solo ministro sacramentorum dicit esse peccatum mortale illud exercere in statu peccati mortalis; & in solutione ad primum reddit specialem causã: quia illæ actiones sunt singulari modo consecratæ. Est autẽ hæc conclusio contra Ioan. Medinam loco supra relato, vbi dicit peccare mortaliter Episcopum, qui conficit Chrisma, benedicit oleum, aut consecrat ecclesiam in peccato mortali: nihilominus vt diximus, per se loquendo, ac secluso contemptu in huiusmodi actionibus non interuenit peccatũ mortale, sed veniale.

D. Thomas. *Contra Medinam.*

6. Conclusio

Sexta Conclusio. Concionator si est publicus peccator cõcionando mortaliter peccat, nisi vere pœniteat. Ratio est: quia præbet alijs ruinæ occasionem, dicente D. Paulo. Qui prædicas non furandum furatis, &c. & per vos nomen Dei blasphematur inter gentes: quod quidem intelligendũ est non per se, ac præcise ex ratione talis actus; sed per accidens ratione scandali: non enim actus prædicandi est actus alicuius ordinis; sed solum est quædam actio honesta, quæ ex suo genere pertinet ad charitatem, vel misericordiam, vel etiam ad iustitiam, potest autem actio exterior (etsi ex obiecto sit optima, & honestissima) sine peccato exerceri per se loquendo ab homine existente in habituali peccato. At vero si concionator sit peccatorũ occultus in peccato mortali prædicans, non peccat mortaliter: quia nulli talem occasionem præbet; imo charitatis, & eleemosynæ spiritualis actũ exercet, præsertim quando illi ex officio incumbit, & cum timore, & reuerentia concionatur. hæc conclusio quoad secundam partem est contra Caiet. 3. p. q. 64. art. 6. & contra Nauarrum in manual. c. 25. num 141. Qui dicunt concionatorẽ lethaliter peccare, quando in peccato mortali concionatur: quoniam hoc officium saltem secundum ius positiuum annexum est ordini sacro: siquidem concionari non potest nisi Episcopus, vel de eius commissione sacerdos, vel certe diaconus. Cæterum probabilior est nostra sententia. Tum quia concionari, quantumcunque sollemniter, & ex officio sacri ordinis, non omnino perinde est, atque administrare sollẽniter ex officio rem eiusmodi sacram, quæ etiam vi operis operati conferat salutem, cuiusmodi res est sacramentum. Tum etiam: quoniam illa circumstantia iuris positiui, idest, quod id officium iure tantum positiuo, & non diuino sit annexum ordini sacro, multum minuit deformitatem, quę est in actu concionandi cum concionator est in mortali.

Contra Caiet. & Nau.

Ex his corollarie sequitur, quod prælatus indigne suum officium exercens, & iudex sententiam ferẽs, & Doctor ex officio docens aut prædicans, nõ ideo de nouo peccat, quod indigne ea facit: indigne inquam priuatiue, idest, nõ digne, aut non meritorie: secus si indigne positiue ea faciat. & tunc indigne positiue ea exercet: quãdo perperam, aut vitiose ob malum finem, aut cum alia circumstantia deprauante ea agit. Sed de his alibi.

QVAESTIO III.

Vtrum aliquis debeat ministrare sacramentum baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis eius, qui suscipit.

Titulus huius quæstionis de se facilis est, quam pro clariori explicatione in duos secamus artic.

Primus Artic. Vtrum aliquis existens super pontem non potens habere aquam ad baptizandum puerum quem timet cito moriturum, si proiiciat eum in aquam intentione baptizandi, cum debita forma verborum, sit puer baptizatus.

Secundus Art. Vtrum sacerdos vel quiuis alius minister ex leui, vel forte irrationabili præsumptione de morte pueri dubitans si eum baptizet, formet sibi conscientiã, debeat eam deponere, & puerum baptizare.

Aret. super Quart. Secu. Scot. Par. I.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis existens super pontem non potens habere aquam ad baptizandum puerum, quem timet cito moriturum si proiiciat eum in aquam intentione baptizandi cum debita forma verborum, sit puer baptizatus.

PRo solutione huius difficultatis obseruandum est, quod præsumens puerum moriturum, vel præsumit de eius morte ex certis indicijs, & signis, vt si quis ex eo quod aquã non habet, qua possit puerum baptizare, nisi puerum propellat ex alto in puteum, vel fluuium, cum ex tali casu sint certa indicia mortis pueri subsequendæ, nullo modo tunc puer est proijciendus seu propellendus ex alto; Vel præsumit de imminenti pueri morte acceleranda, ex leui quadam, vel forte irrationabili præsumptione, vt si paruulus, vel adultus sit constitutus in periculo mortis. In primo sensu agitatur articulus iste, in posteriori secundus.

Et quoad primum resolute dicit Scotus, quod si ex certis, & euidentibus indicijs, & signis proijciatur puer ex alto timeatur de eius morte, nequaquam est proijciendus, sed potius debet sine baptismo mori permitti. & ratio est: quia sic propellens puerum occideret, & per consequens mortaliter peccaret: sed quilibet magis tenetur in se ipso vitare peccatum mortale: quam salutem proximi procurare, cum ordinata charitas a se ipso in alterũ progredi debeat. & in hoc omnes Theologi conueniunt.

Scotus.

1. Opinio.

Sed dubium est, an paruulus sic proiectus esset baptizatus, de qua re duæ sunt opiniones, prima est negatiua, quæ est Richard. in 4. dist 4. art. 4. q. 2. Palud. dist. 6. quæst. 1. artic. 3. Marsil. in 4. q. 4. art. 4. dub. 8. Sot. dist. 3. q. vnica. art. 8. circa finem, Syluest. verbo Bapt. 4 §. 10. & bapt. c. § 1. Angel. verbo Bapt. 4. in princip. Armilla, verbo Bapt. num. 30. & in hanc sententiam citatur etiam Doct. noster sub. in hac quæstio. Fundamenta huius opinionis sunt duo. Primum baptismus ordinatur ad vitã eius qui baptizatur, sed talis ablutio potius ordinatur ad mortem; ideo non est satis ad baptismum. Secundum fundamentum est, quod illa submersio non est ablutio, quia de ratione ablutionis est vt immersioni succedat emersio, nam oportet, vt corpus prius aqua tingatur, seu cooperiatur in toto, vel in parte, & postea discooperiatur, hoc autem non fit, quando baptizandus proijcitur in aquam, atque adeo illa non est ablutio, sed potius suffocatio.

Richardus. Paludanus. Marsilius. Sotus. Siluester. Angelus. Armilla. Scotus.

Et confirmatur: Nam ablutio, quæ est materia baptismi, debet repræsentare Christi passionem, & resurrectionem; illa autem immersio cui non succedit emersio, non repræsentat resurrectionem vllo modo, ergo &c. Ideo in hoc casu dicit hæc opinio dimittendos per funem esse pannos in aquã, ac deinde super puerum in forma baptismi exprimendos; Quid vero si non adsint panni? Respondent & bene, quod si adsit cribrum, vel calathus, quo possit commode puer fune immergi, & emergi, demittendus est, quod si res in has redigatur angustias, vt nec sit tale vasculum, vel chorda, puer dimittendus est mori, quia eo casu baptismi copia non adest.

2. Opinio

Secunda opinio est affirmatiua, quæ est Panormitani in cap. Non vt apponeres. de bapt. & eius effectu. Petri de Aliaco in 4. quæstio. 2. Ockot relati a Gabriel. in quarta distinct. quarta, quæstio secunda, articulo tertio, dub. quarto, & eiusdem Gabriel. Maioris eadem, distinct. quæstio secunda, contra primam Conclusionem, & Rosellæ, verbo Bapt. Quos sequuntur Suarez, tom. 3. disput. 20. sect. 3. & Valen. tom. 4. disp. 4. q. 1. de baptismo punct. 2. in fine. Fundamentũ huius opinionis est: quoniam tunc nihil videtur deesse ad veritatem baptismi: adhibetur enim ex intentione vera materia, & forma, & satis superque etiam in illo casu puer abluitur. Supponitur enim ministrum habere veram, & sufficientem intentionem baptizandi, atque proferre integrã formam antequam infans moriatur, supponitur similiter in illo tempore dum profertur forma fieri contactum aquæ de se sufficientem ad baptismum perficiendum. Quid ergo desideratur, vt perficiatur, ergo videtur, quod sit verũ baptisma.

Panormit. Petrus de Aliaco. Ockot. Gabriel. Maior. Rosell. Suarez. Valentia.

Pro solutione huius controuersiæ pono aliquas propositiones. Prima propositio. baptizare puerum cum intentione eum occidendi in vita corporali, imo etiam occidendi,

vel alio sinistro proposito, licet peccatum sit graue, tamen non tollit sacramenti veritatem, si cum forma adsit etiam intentio baptizandi: Nam vbi omnia concurrunt, quæ sunt de necessitate sacramenti, solidum est sacramentum.

Secunda propositio. Proijcere puerum in flumen, vel in puteum absque intentione, & arte lauandi, atque abluendi ipsum, non est baptismus, probatur: quia cum illa proiectio non habeat formam mersionis, quippe quam nulla sequatur emersio, neque aspersionis, neque infusionis aquæ, fit, vt neque formam gerat ablutionis, quæ est ad baptismũ necessaria, secus esset si cum sacerdos puerum mergit, casu elaberetur e manibus in aquas, tunc enim baptismus esset: nam licet re ipsa emersio necessaria non sit, vt quis dicatur baptizatus, necessaria est tamen secundum intentionem, & propositum baptizantis, ita scilicet vt hoc saltem baptizans intendat, etiam si aliquo accidente postea contingat, vt qui mersus est non emergat, nam sine tali intentione, & proposito non est immersio illa ablutio, sed potius suffocatio: Præterquam qood difficile videtur, quis puerum proiectũ abluat: non enim abluitur actione proijcientis, nam quando puer aqua tingitur iam transacta est formalis proijcientis operatio, atque adeo non videtur, quod proijciẽs, & propellens dicere possit, ego te baptizo, cum nec aquam infundat, neque aspergat, neque etiam immergat; sed puer se ipso proxime proiectus immergat. Nihil immediate facit propellens, quã proijcere. & per hæc soluitur secundæ opinionis secundum fundamentum: nam illis suppositis adhuc desideratur intentio, & propositum emergendi ipsius baptizantis, quod eo casu non adest, atque adeo non abluit, sed magis suffocat. Tenenda est ergo prior opinio, Neque superuacanea fuit hæc disputatio cum Siluester, verbo Baptismus, 4. q. 10. testetur ex Panormit. hunc casum cõtigisse.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacerdos, vel quiuis alius minister ex leui, vel forte irrationabili præsumptione de morte pueri dubitans, si eum baptizet, formet sibi conscientiam, debeat eam deponere, & puerum baptizare.

PRo intelligẽtia tituli formetur casus, quod esset aliquis paruulus, vel adultus in mortis articulo non baptizatus, & vocaret quis aliquem ab baptizandum eum, veniensque curatus, vel alter, qui formet sibi conscientiam, cũ si baptizat eum morietur, quid faciendum est in tali casu? esto quod nullus alius posset inueniri, qui sine tali conscientia posset eum baptizare.

Respondet Scotus in hac quæst. sub litt. A. §. Quod si præsumptio &c. quod ministro, qui tunc conscientiam formaret de acceleratione mortis talis infirmi ex baptismo conferendo: cum illa conscientia esset erronea; si nullus alius adesset, qui posset baptizare absque tali conscientia, necessariũ esset deponere talem conscientiam, cum in tali casu nullum aliud superesit remedium vitandi mortale peccatum; atque adeo si paruulum non baptizaret peccaret mortaliter; probatur, quia si talis paruulus decedat è vita sine baptismo dãnabitur; ergo talis minister tenetur de necessitate salutis, si nullus alius adsit, qui possit infantem baptizare, conferre illi baptismum ne damnetur: magis enim tenetur diligere vitam eius æternam, quam temporalem: igitur si peccaret nõ saluando vitam eius corporalem in articulo necessitatis, si videlicet permitteret eum submergi nolens manum porrigere; multo magis peccaret mortaliter permittendo illum damnari propter defectum baptismi. Si vero baptizet paruulum stante illa erronea conscientia, quod scilicet eum baptizando mortem illi accelerabit, etiam peccat mortaliter ratione erroneæ conscientiæ. Probatur: quia secundum suã existimationem, occidit paruulum, ergo peccat mortaliter: Nam quicquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam, & omne quod non est ex fide (idest, contra conscientiã secundum Glossam) peccatum est.

Et si dicas, ergo ex hoc sequitur quod minister ille perplexus erit in diuina lege, & nunquam datur aliquis in diuina lege perplexus, ergo & c. assumptum probatur: quia ille est perplexus, qui in talibus angustijs est cõstitutus, vt quicquid faciat est peccatum mortale, sed quicquid ille faciat peccabit mortaliter, ergo &c. probatur minor principalis, quia lex diuina nunquam præcipit opposita, ita vt per contrarietatem præceptorum aliquis sit constitutus in prædictis angustijs.

Respondetur, quod ille erit perplexus, non tamen ex lege diuina: quia lex diuina non præcipit opposita: Nõ enim præcipit, quod baptizet, & non baptizet paruulum, sed tantum præcipit quod baptizet eum; erit tamen perplexus ratione suæ fatuæ, & erroneæ conscientiæ. Remedium autem quod habent homines ad non peccandum, quando sunt in tali perplexitate constituti, est deponere conscientiam erroneam; oportebit ergo tali ministro conscientiam erroneam deponere, vt mortale vitet peccatum.

Quod autem talis præsumptio, seu conscientia sit fatua, & erronea, proindeq; deponenda; ex eo satis apparet, quod non multum nocet etiam grauiter infirmo si parum aquæ capiti illius aspergatur: potest enim baptismus fieri aspersione in modica quantitate, quæ ad baptismum sufficiat, & in ea parte corporis in qua minus nocere possit, scilicet in capite, in scapulis, vel in torace, seu in pectore, etsi oporteret, vt aqua etiam modico calore temperetur, & statim post aspersionem abstergatur, quæ omnia si obseruentur, vt obseruari facile possunt, moraliter loquendo vix potest cogitari, aut fingi, quod ex huiusmodi baptismo augeatur mortis periculum, vel vitæ desperatio, quantumuis infans sit debilis, & in vltimis constitutus: Nam etiam tenerrimi paruuli pro remedio salutis corporalis aqua tepida solent a nutricibus ablui, lauari, atque balneari; adeo quod moraliter loquendo vix accidere potest, vt propter hoc mortis periculum baptismus sit omittendus. Nam paruulus, vel in eo statu in quo est moralis spes vitæ eius, quæ tamen minuenda, vel auferenda prorsus timetur per baptismum; vel nulla est iã spes vitæ, etiamsi non baptizetur; in priori casu certum est durante eo statu non esse baptizandum infantẽ: quia pro tunc baptismum non dare, non est simpliciter negare, sed differre tantum, cum adhuc speretur vita, & consequẽter melior baptismi opportunitas. Nam in hoc euentu non est infans in articulo mortis constitutus. In posteriori autem casu negare baptismum esset prorsus omittere, & infantem damnare, & dare tunc baptismum, non videtur esse infantem occidere: tum quia ille iam supponitur esse sine spe vitæ; tum quia per solam ablutionem, etiam si fingatur acceleranda mors, tamen in illo casu id moraliter quasi nihil reputatur, præsertim si cum æterna vita conferatur.

Quod non solum in infantibus, sed etiam in adultis verum esse censeo: Nam quamuis exterior baptismus non sit illis simpliciter necessarius ad salutem: quia possunt per baptismum in voto saluari; & vbi probabiliter teneatur homini grauiter ægrotanti ablutionem ipsam magnum detrimentum allaturam, mortemque acceleraturam (dicat Sotus dist. 3. art. 8. circa finem,) hanc esse sufficientem causam ad omittendum baptismum, statuatque generalem regulã in nullo casu esse aliquem cum tali periculo mortis baptizandum, ita vt baptismus sit ei causa, vel mortis, vel multæ eius accelerationis; quia tunc baptizare eum, esset illum occidere; interficere autem innocentem est intrinsece malum, atque adeo non est faciendum propter quodcũque bonũ, quoniam hęc vera sunt quando spes eius vitæ durat, at si in extremo vitæ articulo existat, in quo nulla iam est spes vitæ etiam si non baptizetur, idem est iudicium, atque de infantibus: quia licet minor videatur eorum necessitas, est tamen non parua, & interdum potest esse æqualis, & saltem vtilitas semper est magna, quæ prætermittenda non est propter paruum detrimenti periculum. Sotus.

Sed esto, quod ex baptismo collato a ministro cum tali conscientia erronea mors sequatur, dubium est, an ipse minister maneret irregularis. Paludanus in 4. distinct. 3. quæst. 3. circa finem, dicit quod qui incaute baptizat hominem in tali periculo constitutum vtendo illa materia, quę mortem eius acceleret manet irregularis. Sotus vero loco supra relato, dicit se nescire ex quo canone ecclesiæ hoc colligatur, & subdit, quamuis graui sacrilegio, & homicidio delinqueret. Sed mirum est, quod peccatum homicidij agnoscat, & specialem canonem requirat, in quo illa irregularitas expressa sit, cum vniuersaliter sit cum culpa homicidij coniuncta, præsertim cum paulo inferius ipse doceat eum, qui baptizat puerum ita vt mors illi inde immineat, homicidam esse & irregularem: nam de hoc nullum canonem, nec etiam ipse citat; sed ex peccato homicidij colligit merito irregularitatem. Palud. Sotus.

Dicen-

Dicendũ est ergo in præsenti casu cum Doct. nostro sub. quod minister haud irregularis remaneret; quia nulla lex ecclesiastica in tali casu reddit hominem irregularem nisi eum, qui vere sit homicida; Talis autem minister in veritate non est homicida. Post mortem tamen baptizanti stante adhuc in ea conscientia erronea de homicidio a se perpetrato, tenetur se habere vt irregularem. Deposita tamen tali conscientia non oportebit illum quærere dispensatorẽ de irregularitate, cum nunquam fuerit vere irregularis. Quod si quæratur cui magis cauendum sit baptizare infirmum constitutum in articulo mortis clericone, an laico? Respondet Scotus, quod neutri illorum est cauendum; cũ neuter transgrediatur præceptum diuinum de non occidendo, neque clericus incurret aliquam pœnam repellentem eum a clericatu; Si tamen ponatur vterque æqualiter habere conscientiam erroneam de homicidio per baptismũ perpetrando, neuter illorum poterit baptizare: quia præceptũ diuinum æque ligat vtrumque, & contra illud vterque format suam conscientiam. Clericus tamen secundum suã conscientiam erroneam crederet se incurrere irregularitatis pœnam vltra peccatum mortale; ideoque in tali casu clericus plura motiua haberet, quæ ipsum retrahant a baptizando, quam laicus.

DISTINCTIO VI.

Cõtinuatio. *NVnc quibus liceat baptizare addamus, &c. Hæc est distinct. 6. in qua Magister sent. ex quo de baptismo egit per comparationem eius ad ministros baptizãtes, & ad baptizatos, agit de eius vsu & sollemnitate.*

Diuisio. *Diuiditur autem hæc distinctio in tres principes partes, in quarum prima quibus baptizare liceat declaratur, in altera quomodo per ignorantiam congruæ locutionis, sacramentum annihilari possit. Tertio docet quid sentiendum sit de illo, cui deest congruum testimonium suæ regenerationis. Breuiter sententia Magistri explicatur tribus conclusionibus.*

1. Conclusio. *Prima Conclusio. Quamuis solis sacerdotibus conueniat extra necessitatis casum baptizare, tamen renati ab hæreticis in forma ecclesiæ iterum baptizari non debent. Hãc Magister insinuans bimembrem præmittit distinctionẽ: datur enim duplex minister baptismi,* Duplex baptismi minister. *vnus extra necessitatis casum, & talis dicitur esse solus sacerdos super verum Christi corpus potestatem habens, ad quem enim sola sacramentorum dispensatio pertinet, ad eundem quoque baptizare spectat; atque adeo nullus alius a sacerdote extra necessitatis casum, ex officio poterit baptizare. Alter vero potest esse baptismi minister in casu necessitatis, in quo quilibet baptizare poterit siue sit vir siue mulier, siue fidelis, siue infidelis, siue paganus, siue hæreticus, dummodo intentionem habeat faciendi quod iubet sancta mater ecclesia. Hoc supposito probatur conclusio testimonio Isidori lib. 2. de officijs ecclesiasticis, cap. 24* Isidor. *vbi inquit: Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum, eiusque ministerium, nec ipsis diaconibus implere est licitum absque episcopo, vel presbytero, nisi his procul absentibus, vltima languoris cogat necessitas, quod etiam laicis fidelibus permittitur: secundo probatur* Conc. Cart. *ex Concil Carthagin 4. c. 100 & refertur de consecr. dist. 4. c. Mulier. Mulier quamuis sancta baptizare nõ præsumat nisi necessitate cogente.*

Sed contra hoc videtur esse D. Cypriani authoritas dicentis baptismum ab hæreticis conferri non posse, imo ab eis baptizatos esse rebaptizandos. Huic difficultati in hunc modum Magister occurrit dicens. Cyprianus dictum intelligendum fore de baptizatis ab hæreticis præter formam ecclesiæ vel id ex ignorãtia prolatum fuisse, quæ deinde in martyrio fuit purgata, vt Beatus Augustinus dixit. Et ne ex trina immersione triplex baptismus esse videatur subdit ex D. Gregorio, quod trina immersio fit propter Trinitatis mysterium. Postea inquirit an aliquis in vtero materno baptizari queat: & respondet quod non: quia non potest aliquis renasci, antequam sit natus; Nec obstat, quod Ioan. Baptista, & Hieremias fuerint in vtero sanctificati; quia eiusmodi sanctificatio fuit præter legem communem.

2. Conclusio. *Secunda Conclusio. Sola ignorantia congruæ locutionis non destruit sacramentum perfectæ regenerationis; pro explicatione huius conclusionis quærit Magister, an si verba corrupte proferantur sit ibi baptismus, & pro responsione adnotat in hoc casu duo consideranda fore, vnum ex parte intentionis alterum ex parte imperitiæ proferentis: Si primo modo sacerdos corrupte verba proferendo inducere intendat errorem, vel hæresim, sacramentum baptismi haud conferret: at secundo modo corruptio verborum ex sola proferẽtis ignorantia proueniens baptismum non veiat, quod probat per c. Retulerunt. de consecr. dist. 4.*

3. Conclusio. *Tertia Conclusio Cui deest propinquorum, & clericorum probabile testimonium, congruum est vt sibi conferatur baptismi sacramentum. hanc Magister insinuans quærit, Vtrum illi sint baptizandi, de quibus certa non habetur scientia nec testimonium ratum clericorum, seu propinquorum: & determinat quod sic: nec ob id dicitur baptismus reiterari, cum nulla de his certitudo extet: quoniam vt inquit Leo Papa epist. 9. c. 15 ratio non sinit vt videatur iteratũ, quod collatum esse nescitur, de consecr. dist. 4. c. Si nulla.*

Deinde quærit an ille, qui mimice, & ioculando immergitur inuocato nomine sanctæ Trinitatis, debeat dici baptizatus? Et respondet quod si intentio fuerit ioculandi, & nõ baptizandi, non est baptizatus. In baptismo enim sicut in alijs sacramentis sicut debita forma est seruanda, ita & intentio sacramenti celebrandi est habenda & subdit de pueris ad baptismũ, spe commodi temporalis delatis, eos verũ recipere sacramentum: quoniam simpliciter fidem non abijciunt, licet spem inde bona temporalia consequendi habeant.

Deinde de tempore quo extra casum necessitatis baptismi sacramentum celebrandum sit loquens, dicit quod in Pascha, & in Pentecoste, id est, in Sabbato vtriusque sollemnitatis debet celebrari baptismus, at vrgente necessitate, periculoque imminente omni tempore potest dari baptismus. Cæterum ad baptismum venientes, vel sunt adulti, vel paruuli. Si adulti, fidem suam per se ipsos proferre debent, & exprimere; paruuli vero, & alij qui per se non valent loqui, alijs pro se loquentibus possunt baptizari.

Sed quæres, quo sensu dicatur pro paruulo credo, vel fidem peto. Respondet Magister, quod respondetur paruulum credere, id est fidem habere, vel fidem petere propter fidei sacramentum quod suscipere præsto est vel alij pro illo. Vnde quicquid a patrino pro puero petitur in sacramento baptismi, cum ad ætatem idoneam deuenerit puer, diligentissime circa illum se patrinus debet habere, vt viam veram seruet finemque retineat, cum pro eo in baptismo põpis diaboli abrenunciare pollicitus sit; & subdit, quod hac sponsione tenetur paruulus pro quo fit sponsio, non ipse qui spondet, si tamen diligenter, & sollicite se habuerit circa eum: Quia exigitur a patrino diligens circa eum pro quo spopondit sollicitudo.

Demum dicit, quod ante baptismum fit catechismus, id est, instructio, per quam baptizandus instruitur de symbolo, & fidei rudimentis. & exorcismus; qui est adiuratio per quam diabolus adiuratur vt expellatur, vnde in eo dicitur, exi immunde spiritus. Sunt autem catechismus, & exor-

Digitized by Google

cismus Neophytorum, idest, ad fidem nuper conuersorum; & sunt sacramentalia quædam, sed non sacramenta; & licet baptismum præcedere dicantur, non tamen de necessitate, quia sine eis baptismus fieri potest. Fiunt autem vt baptizandus per catechismum in fide instruatur, & per exorcismum diaboli potestas minuatur. Vnde Rabanus de institutione clericorum, capit. 25 & habetur de consecratio. distinct. 4. capit. Ante Baptismum. Ante baptismum, inquit, catechizandi debet in homine præuenire officium, vt fides catechumenus accipiat rudimentum, & sciat cui debitor fiat deinceps. & D. August. libro primo, de Symbolo ad catechumenos, capitulo primo, & refertur de consecrat. distinctione quarta, cap. Sicut nostri. Paruuli (inquit) exsufflantur, & exorcizantur, vt ab eis pellatur potestas diaboli, ne iam contendat eos subuertere, ne baptismum consequantur. Non ergo in infantibus creatura Dei exsufflatur, vel exorcizatur, sed diabolus vt recedat ab homine. Hæc breuiter Magister in hac sexta distinct. Circa quam distin. quatuor Doct. sub. mouent quæstiones, primo de gradu ministri secundo de vnitate baptismi, tertio de intentione ministri, quarto de iterabilitate baptismi. De primo vnicam quæro quæstionem.

Rabanus.

D. August.

QVAESTIO I.

Vtrum solus sacerdos possit baptizare.

Ministri baptismi sunt triplices.

PRo explicatione tituli obseru. est, quod ministri baptismi sunt in triplici differentia: nam aliqui sunt ordinarij, & ex officio, aliqui extraordinarij, & ex commissione ordinariorum, alij vero extraordinarij etiam, sed in solo casu necessitatis. Primi generis, scilicet ex officio, sunt Episcopi, & sacerdotes, vt habetur de consecrat. distinct. 4. cap. Constat, & distinct. 25. can. perlectis. Verum episcopi soliti sunt id munus relinquere sacerdotibus, vt olim etiam fecerunt. secundi generis ministri, scilicet ex commissione, sunt diaconi, qui nunque ex commissione episcopi, aut sacerdotis administrare possunt sollemniter baptismum, quod colligere licet ex epist. 1. Gelasij, capit. 9. & habetur distinct. 93. can. Diaconos, atque etiam colligi potest ex modo ordinationis illorum; ibi enim dicitur ad officium illorum pertinere prædicare, & baptizare, vt aperte significat Catechismus Romanus. Tertij generis ministri sunt extraordinarij in casu necessitatis vt omnes omnino homines cuiuscumque, vel sexus, vel religionis, quod definitum est a Nicolao Papa. capit. A quodam Iudæo de consec. dist. 4. & cap. Romanus Pontifex.

Ad necessitatem baptismi dupliciter aliqua requiruntur.

Secundo obseru. est, quod ad veritatem baptismi aliqua intelliguntur requiri dupliciter, vno modo necessario, siue de necessitate sacramenti, sine quibus non esset sacramentum, neque baptismus: secundo modo de congruo, & sic illa requiruntur sine quibus non seruaretur debita honestas, aut impediretur aliquis fructus, & vtilitas sacramenti; & vtroque modo aliqua requiruntur ex parte sacramenti in se, quæ respiciunt materiam, & formam sacramenti, aliqua ex parte suscipientis baptismum, aliqua vero ex parte conferentis sacramentum.

Quæ ex parte ministri requirantur ad baptismum.

Tertio obseru. est, quod cum baptismus sit ablutio facta in aqua sub certa verborum forma, ad necessitatẽ sacramenti baptismi ex parte ministri requiritur actio, qua corpus baptizandi contegatur ab aqua, & hoc vel per motionem corporis ad aquam, vt fore immergendo, uel per motionem aquæ ad corpus, puta ipsum perfundendo, uel aspergendo, quam actionem, lotionem, seu ablutionem appellamus. Et ideo dicit Scotus, quod necessario requiritur in baptizante uirtus motiua, qua possit aliquo illorum modorum corpus abluere, & quia ad essentiam baptismi requiritur etiam forma uerborum; necesse est ministrum posse loqui, & quia locutio est actus naturæ rationalis requirens intentionem in eo qui loquitur, ut sit perfecta, & intelligibilis locutio, necesse est baptizantem habere rationem, per quam intendat agere ea, & proferre quæ ad baptismum requiruntur.

Rationalis creaturæ varij sunt gradus.

Quarto obseru. est quod varij sunt gradus rationalis creaturæ, est enim quædam pure spiritualis, vt natura angelica extendendo ad Angelos apostatas, & quædam est composita ex spirituali, & corporali, vt homines, & horum quidam sunt viatores, quidam extra viam. Item viatorum quidam in ordinibus constituti, quidam nõ habentes ordinem. His obseruatis patet titulus quæstionis, quam diuidimus in tres articulos.

Primus Articulus. Vtrum solus sacerdos possit baptizare.
Secundus Articulus. Vtrum Angelus bonus possit baptizare.
Tertius Artic. Vtrum dæmon, vel Angelus malus possit baptizare.

ARTICVLVS I.

Vtrum solus sacerdos possit baptizare.

DE hac re est noua hæresis Caluini asserentis neminem posse baptismi sacramentum ministrare etiam in casu extremæ necessitatis nisi sit minister ecclesiæ ad hoc institutus, & ordinatus, ita refert Feccardent. in addit. ad Castrum verbo Baptismus hæresi. 6. & Bellarm. lib. 1. de baptismo, c. 7. qui dicit hunc hæreticum non satis explicasse an huiusmodi minister sit necessarius, vt sacramentum teneat, an vero solum vt licite ministretur. *Error Caluini.* *Feccardent. Bellarm.*

Sed mirum est, quomodo hic hæreticus in hunc errorem potuerit incidere, cum ipse nec veros episcopos, vel sacerdotes, nec verum eorum ordinationem agnoscat, sed solam extrinsecam deputationem ex populi, vel magistratuum cõsensu ad verbum Dei prædicandum, et si quæ sunt alia ministeria peragenda. Adducit autem Caluinus in confirmationem sui erroris verba Christi Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: Nam ibi ad solos Apostolos, & in eis ad eorum successores episcopos loquitur.

Cæterum Catholici Doctores communi consensu sequẽtes conclusiones affirmant. Prima conclusio, ius baptizandi ex officio ordinario solis competit sacerdotibus, idest, episcopis, & presbyteris, sic tamen vt presbyteris conueniant cum subordinatione, & depẽdentia ab episcopis. Quemadmodũ enim potestas absoluendi a peccatis, datur presbyteris in sua ordinatione: & tamẽ quia absoluere a peccatis est actus iurisdictionis, quæ est episcoporum propria; ideo presbyteri non possunt vti ea potestate, nisi quantum eis Episcopi cõcedunt, ita quoque de potestate baptizandi sentiendum est. Hinc conciliari possunt testimonia quædam Authorum, quæ alioqui contraria videri possunt. Quidam enim simpliciter affirmant officium baptizandi ad presbyteros pertinere, vt Isidorus libro secundo, de diuinis officijs, capitulo 24. vbi inquit. Constat baptismum solis sacerdotibus tradi. & refertur de consecrat. distinct. quarta, capit. Constat. Alij dicunt presbyteros baptizare non posse sine episcopi facultate, vt Tertullianus libro de baptismo, & D. Hieronym. in dialogo contra Luciferianos. hæc cõclusio est Scoti in hac quæstio. sub litter. D. §. Tandem dico. & probatur, per baptismũ ascribitur baptizatus in collegium ecclesiæ militantis, sed receptio in collegium fieri debet per Præsidentem, vel per habentem authoritatem, in collegio autem ecclesiæ militantis solus episcopus, & sacerdos est præsidens, & habens authoritatem. ergo per solum sacerdotẽ debet fieri talis receptio: atque adeo illi soli congruit ex officio baptizare. Ex hoc sequitur quod episcopis magis conuenit baptizare, quã presbyteris, quia maiorem potestatem, & authoritatem habent in collegio ecclesiæ militantis, quam simplices sacerdotes etiam curati: Nam quanto magis aliquis maiorem habet in ecclesia authoritatem, tanto magis pertinet ad eum recipere, & introducere in ecclesiam. Et si dicatur, cur ergo non baptizant? Respondet Scotus, hoc prouenire propter paucitatem episcoporum, & pluralitatem baptizandorum. *1. Conclusio.* *Isidorus.* *Tertull. D. Hieron.*

Secunda Conclusio. Diaconis quoque ex officio baptizare conuenit, sed in absentia sacerdotum, aut eorum iussu. Ita docent Tertull. & Hieron. locis citatis. Nec his repugnãt Ignat. in epist. ad Heronem dicens, sine Episcopis nihil agas: sacerdotes. n. sunt; tu vero minister sacerdotum. Illi. n. baptizant, sacerdotium agunt, ordinant, manus imponũt, tu vero eis ministras, sicut sanctus Stephanus Iacobo, & cæteris presbyteris in Hierosolymis, & Epiphanius hæresi 79. qui negat diaconis conuenire munus baptizandi, & proprium dicit esse *2. Conclusio.* *Tertull. D. Hieron. Ignat.* *Epiphan.*

Digitized by Google

cit esse sacerdotum. Nam loquitur Epiphanius, & Ignatius de ordinario officio. Tertullianus, & Hieronymus de extraordinario, & vterq; recte dicũt. Ordinarie siquidem ad solos sacerdotes pertinet baptizare; extraordinarie etiã ad Diaconos, quod etiam habet Gelasius in epist.1.c.9. & exprimitur in ipsa ordinatione Diaconorum.

3 Conclusio. Tertia Conclusio, laicis nunquam licet solemniter baptizare; neq; etiam priuatim præsente sacerdote, aut Diacono, aut his etiã absentibus extra casum necessitatis. Docet hoc *D. August.* D. Aug. lib. 2. cõtra epist. Parmeni c.13. & rationem reddit: quia nemini licet vsurpare alterius officium. Nulla autem necessitate cogente, inquit, si fiat, alieni muneris vsurpatio est. ergo alia persona à sacerdote si baptizat præter necessitatem, alterius officium sibi vsurpat. & confirmatur ex D. Isi*Isidorus.*doro de officijs diuinis. c 24. Constat, inquit, baptismum à solis sacerdotibus esse tractandum, eiusq; ministerium nec ipsis diaconibus licitũ est explere absq; episcopo, vel presbytero, nisi his procul absentibus vltima languoris cogat necessitas; quod si Diaconibus non est licitum, multo fortius nec alijs personis, vel laicis.

4 Conclusio. Quarta Conclusio. Laicis baptizatis in casu necessitatis licitum est baptizare. Probatur ex receptissima praxi totius ecclesiæ quam agnoscit etiam Caluinus, sed impudẽter improbat, dum negat posse vllus licite baptizare præter ministros ecclesiæ etiam in necessitatis articulo. Quod neq; firmo argumento confirmat: quæ.n. affert tantummodo probant ordinarie quidem, & ex officio solis ecclesiæ ministris id munus competere: & probatur etiam conclusio auth. D. Aug. lib. 7. de baptismo, c.13. *D. Aug.* In necessitate, inquit, cum episcopi, vel presbyteri, aut quilibet ministrorum non inuenitur, & vrget periculum eius, qui petit, ne sine illo sacramento vitã finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt audiemus, & hoc ex Concilijs habitũ est.

5 Conclusio. Quinta Conclusio. Nullũ suppositum naturæ humanæ excluditur à ministrando baptismo: ita quod baptismus desinat esse verum sacramentum: nisi propter defectum aliquem ex his tribus; videlicet, quia non potest abluere corpus baptizandi perfundendo illud aqua, vel aspergẽdo, seu immergendo, sicut mancus; vel quia nequit proferre verba sicut mutus: aut quia nõ potest habere intentionẽ, sicut qui caret vsu rationis, ergo quilibet homo cuiuscunque sexus siue masculus siue fœmina; & cuiuscunq; religionis, siue fidelis, siue infidelis existat, dummodo habeat vsum rationis; manus ad abluendũ; & linguã ad loquendũ, potest verũ sacramentũ baptismi conferre in casu necessitatis, si ritum baptizandi sciat. hæc conclusio licet quoad infideles du*Tertullian.*bia fuerit apud antiquos. Nã Tertullianus in lib. de baptismo reddẽs causam cur liceat laicis baptizare: quia, inquit, quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari potest, & *D. Hierony.* D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, Tertullianum imitatus, inquit. Scimus etiã licere laicis, vt .n. accepit quis, ita & dare potest. & *Conc. Elib.* Concilium Elibertinum. can. 38. dicit, laicos posse baptizare, modo sint ipsi baptizati, & non bigami. *D. Aug.* Similiter D. Aug. dubius fuit: Nam lib. 2. contra epist. Parmen. c.13. proponit quæstionẽ, an non baptizatus possit baptizare; & dicit se non audere rem determinare cum in nullo generali Concilio res definita sit. Idem ẽt habet lib. 7. de baptismo, c.53. deniq; *Greg. 2.* Gregorius II. in epist. ad Bonifaciũ; & refertur in c. Quos à Paganis de cõsecrat. d.4. Iubet rebaptizari a Paganis baptizatos. Nihilominus conclusio est de fide, & iam definita est in *Conc. Flor.* Concilio generali, vt Aug. cupiebat. Nam in Concilio Florent. in decreto Eugenij habetur, in casu necessitatis licere laico, sed viro, seu fœminæ, seu Christiano, seu Pagano baptizare, modo adsint materia, forma, & intẽtio debita. Quod idem multo ante statuerat Nicolaus Papa Can. A quodã Iudæo de cõsecr. d.4. & idem habetur ibidem Can. Romanus. hæc autem conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. A. quam diffuse probauimus, supra d.5. q.1. ar.2.

Sed contra hanc conclusionẽ arguitur. Soli sacerdoti concessum est peccata dimittere, vt patet Ioan. 20. & Matth. 18. Sed in baptismo dimittuntur peccata, ergo solus sacerdos potest baptizare. Respondet Scotus. Quod solus sacerdos potest dimittere peccata per modum arbitrij vel Iudicis, quomodo remittuntur in sacramento pœnitentiæ. In baptismo autem remittuntur virtute sacramenti absque arbitrio, vel Iudicio.

Sed dubium est, an laicus extra casum necessitatis baptizans peccet lethaliter, & pœnam aliquam ecclesiasticã incurrat. *An laicus extra casum necessitatis baptizans peccet mortaliter.* Pro solutione obser. est. ordinem quemdam in hoc esse seruãdum; ita vt ex sententia omnium Theologorum, peccaret mulier si præsente viro, & laicus si præsente Diacono, & Diaconus si præsente sacerdote baptismum administraret: non autem sacerdos si præsente Episcopo, inquit, *D. Thomas* D. Tho. 4. p. q. 67. ar. 4. siquidem ipse etiam est ex officio minister: Quamquam nec possit sacerdos id facere præter, aut contra voluntatem Episcopi, vt apparet ex *Tertullian.* Tertulliano lib. de baptismo, & ex *D. Hieron.* D. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos. Quanta vero esset culpa in prætermittendo hoc ordine D. Thomas non explicat. *Sotus.* Sotus vero d.4. q. vnica, ar. 2. dicit citra contemptum esse tantum veniale, nisi cũ aliquis inferior id facit præsente, & renuẽte sacerdote, cui ministerium illud ex officio ordinario incumbit, tunc.n. videretur mortale. Vnde sequitur, quod si illum ordinem prætermittere etiam in necessitate est peccatum: multo magis peccatum erit si absolute extra necessitatem ij baptismum conferãt, quibus non nisi in necessitate conuenit hoc ministerium, vt laicus, & infidelis, &c. Imo si laicus extra necessitatem administret baptismum solemniter, sententia communis est peccaturum ipsum mortaliter, neq; id modo, sed etiam irregularitatem contracturum, vt patet, cap. 1. extra de clerico non ordinato ministrante, si autem id faciat sine solemnitate peccatum erit simpliciter, & per se mortale nisi ignorantia inuincibilis excuset, ita *Richardus.* Richardus, d.5. ar. 4. q. 1. & *Sotus.* Sotus, d.4. q. vnica, ar. 3. Et probatur, quoniam si sacerdos extra casum necessitatis baptismum administret sine solemnitate peccat mortaliter, vt colligitur ex Clemẽt. vnica de baptismo, quæ iubet tales ab Episcopis grauiter puniri; ergo multo magis peccabit mortaliter laicus, si hoc idem faciat. Secundo, quia si sacerdos absq; licẽtia Parochi baptizet solemniter peccat eo nomine mortaliter, vt colligitur ex cap. Interdicimus 16. q.1. (tametsi vt notat Nauar. in manu. c.22. nu.7. & cap.27. nu.102. talis non est etiam excommunicatus per Clement. 1. de priuilegijs) ergo multo magis peccabit mortaliter laicus, quando extra necessitatem similiter absq; licentia (vt fit) parochi baptizet. Cæterum laicus extra necessitatem baptizans non incurreret irregularitatẽ si non baptizaret solemniter, iuxta ea quæ recte tradit *Nauar.* Nauar. in manu. c.27. nu.242. quamuis contraria sit sententia Silu. test verbo Baptismus 3. & Palud. d.5. q.1. in quã etiam inclinat Sotus dicto ar. 3. sed tamen reputat eam incertam, & merito: quoniam est minus probabilis. Baptizans ergo laicus in præsentia sacerdotis volẽns baptizare peccat mortaliter: non tamen peccabit mortaliter in præsentia Diaconi; neque mulier in præsentia viri: quia nullum officium ecclesiasticum alicuius vsurpat.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus bonus possit baptizare.

PRo explicatione tituli obser. est, quod duplex est sacramentorum Minister, alter ordinarius, s. per latã a Christo legem constitutus, vt homo; Alter vero per commissionem, cui. s. potest Christus virtutẽ administrandi sacramenta tribuere, hoc supposito de hac re legendus est *Duplex est sacramentorum minister.* S. Tho. 3. p. q. 64. art. 7. & ibi Caietanus, & Sotus, d.1. ar. 7. q.5. Respondet namque *D. Thom.* S. Thomas duplici conclusione.

Caietanus. Sotus. 1. Conclusio. Prima Conclusio. Non pertinet ad Angelos, aliquod sacramentum ministrare, sed solis hominibus, quæ conclusio est intelligenda de ministro ordinario. Quæ sic probatur: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in illis, quæ sunt ad Deũ, qualia sunt sacramenta; sed Angeli non sunt ex hominibus; ergo non possunt sacramenta ministrare.

Secundo probatur ratione. Virtus sacramentorum deriuatur a Christi passione; sed Christus in quantum patiens fuit similis hominibus, & minor Angelis, iuxta illud Minuisti eum paulo minus ab Angelis, &c. Ergo non debuit committere Angelis ministerium sacramentorum, sed hominibus. probatur consequentia. Minister non debet esse maior principali agente.

Probatur tertio, Christus non assumpsit naturam angelicam sed humanam ad reparationem hominum, ergo hominibus, & non Angelis debuit committere dispensationẽ

sacra-

Digitized by Google

ſacramentorum. Probatur conſequentia: quia ſacramenta ſunt media, quibus Chriſtus operatur ſalutem noſtram, ergo hominibus, & non Angelis debuit ſacramentorum tribui miniſterium. Et confirmatur quia Chriſtus Matth. 28. ſolus hominibus dixit. Ite docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

2 Concluſio Secunda Concluſio D. Thomæ. Poteſt Deus concedere Angelis, quod adminiſtrent ſacramenta. Probatur: quia ſicut virtutem ſuam ſacramentis non alligauit, quin poſſit ſine ipſis eorum effectum largiri; ita neque alligauit eam miniſtris, quo minus poſſit eamdem functionem alijs cõmittere; atque adeo poteſt Angelis poteſtatem adminiſtrandi ſacramenta concedere, quam hominibus conceſſit.

3 Concluſio Scotus. Tertia Concluſio, quæ eſt Scoti in hac quæſt. ſub. litt. B. §. Dixi autem generaliter, &c. Si bonus Angelus baptizaret in corpore aſſumpto cum omnibus tribus conditionibus aſſignatis in ſuperiori art. verum conferret baptiſmum; nec eſſet talis ab Angelo baptizatus iterum rebaptizandus. Probatur: quia bonus Angelus non ſic baptizaret niſi ex præcepto, & commiſſione diuina ſpeciali, ergo verum baptiſma conferret; probatur conſequentia: quia Angelus in tali corpore aſſumpto abluere poſſet, & verba proferre, atque intentionem habere, & confirmatur exemplo. Nam Archangelus Michael conſecrauit eccleſiam ſuam in monte Gargano, quam cum Epiſcopus conſecrare vellet, prohibitus fuit ab Archangelo, qui dixit Epiſcopo. Noli eccleſiam hanc conſecrare: quia iam à me conſecrata eſt, ergo baptizatus ab Angelo non eſſet iterum baptizandus, & confirmatur per D. Auguſt. lib. 2. contra Parmen. cap. 15. dicentẽ. Nemo accipit ſine dante, ſed quod attinet ad ſanctitatem baptiſmi adeſt Deus, qui dat, ſiue per hominem, ſiue per Angelum.

Nicephorus Item Nicephorus lib. 11. hiſtor. cap. 20. refert Amphylochium quemdam fuiſſe conſecratum Epiſcopum per Angelum, eamque conſecrationem ratam fuiſſe habitam ab alijs Epiſcopis, quibus credendum eſt ſufficientibus coniecturis conſtitiſſe illum fuiſſe bonum Angelum. Atque idem eſt dicendum de animabus ſanctis (ſi aliqua corpori reunita aliquem baptizaret) quod de bono Angelo dictum eſt.

Caiet. cõtra Scotum. Sed contra hanc Scoti ſententiam arguit Caietan. 3. par. quæſt. 64. art. 7. his rationibus. D. Paulus ad Hebræos 5. inquit, omnem Pontificem hominem eſſe; ex quo magnum ſumitur argumentum, non conuenire Angelis ſacramenta miniſtrare: Nam ſi magnum miniſterium eccleſiæ ſoli homini conuenit, ita vt Angelis denegetur, quale eſt Pontificatus, multo magis minima miniſteria eccleſiæ Angelis denegantur. Præterea miniſtri debent aſſimilari principali agenti at Angelus non aſſimilatur Chriſto, quod eſt principale agens ſacramentorum. ergo, &c.

Item locutio requiſita ad miniſtrum ſacramẽti eſt actus vitalis loquentis; ſed locutio Angeli in corpore aſſumpto eſt motus corporis non viuentis, vt patet; ergo non eſt ſufficiens ad miniſterium ſacramenti. Præterea applicatio ſacramenti debet fieri per inſtrumentum coniunctũ primo, & mediante illo per inſtrumentum ſeparatum, quod hic non haberet locum. ergo, &c.

Contra Caietan. Cæterum non animaduertit Caietanus, quod Scotus loquens de Angelis non dicit eos habere poteſtatem ordinariam baptizandi, ſed poſſe illam habere ex ſpeciali Dei cõmiſſione; atque adeo non bene intellexit Scotum, explicãs eum quaſi ſit generaliter locutus tribuens Angelis poſſe baptizare ordinarie, quod falſo imponit Scoto, vt patet ex verbis eius in hac quæſt. ſub litt. C. vbi expreſſe dicit. Generaliter etiam congruum eſt ab homine viatore conferri baptiſmum; & non ab Angelo aliquo; tum quia Chriſtus baptiſmi inſtitutor fuit homo, ergo congruum eſt, quod ille, qui baptizat ſit homo. Tum quia in ſacramento baptiſmi eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpirituale; & per conſequens magis congruit miniſtro vtenti ſenſu, & intellectu: quam pure intellectuali, vt eſt Angelus. Tum demum quia per ſuſceptionem baptiſmi adſcribitur baptizatus membris eccleſiæ militantis, & fit vnum ex illis; ergo hoc fuit congruum fieri per aliquem miniſtrum, qui membrum eſſet eiuſdem eccleſiæ militantis. Falſo igitur interpretari nititur Caietanus Scoti ſententiam; & intexere litem inter D. Thomam, & Scotum vbi nulla eſt controuerſia.

Boſſolus.

Argumenta autem, quæ in fauorem D. Thomæ contra Scotum molitur, tenetur ipſe pro D. Thoma ſoluere: Nam duo priora de miniſtro ordinario cõcludunt. Et nemo eſt, qui neget via ordinaria non niſi homines inſtitutos à Chriſto ſacramentorum miniſtros; ſicut nemo negare poteſt, nec ipſe Diuus Thomas negat, redemptorem noſtrum ſimilem extraordinariè poteſtatem poſſe Angelis bonis committere, propter excellentiam perſonæ, quę baptizatur tanquam egregium miraculum fidei.

Ad aliud reſpondetur ſatis eſſe, ut Angelus tanquam Dei miniſter baptizet; quod voces humanas nutu Dei efformatas proferat, quibus Dei mentem, cuius poteſtate loquitur, ſignificet, veluti de rubo, vt Exod. 5. legitur locutus eſt Moyſi. Ego ſum Deus Patris tui, &c. Quin etiam eadem ratione nihil obſtat, quo minus animabus beatis poſſit idem Chriſtus committere, vt reſumptis corporibus id perficiant. imo ſi D. Petrus huc rediret poſſet ſine noua commiſſione ratione characteris, quem habet indelebilem ſacerdotalem ſacramenta miniſtrare, ſicut dum erat viator, vt colligitur ex D. Thoma loco ſupracitato in ſolutione ad ſecundum. Aliud, & vltimum argumentum nec ipſe Caietanus probat.

ARTICVLVS III.

Vtrum Dæmon, vel Angelus malus poſſit baptizare.

DE hac re ſcribit Alexand. de Ales, par. quarta, quæſt. 8. memb. 7. art. quarto, & pro parte affirmatiua ſic arguit: ponatur, quod Angelus malus transfiguraret ſe in ſacerdotem; ſicut quandoque transfigurat ſe in Angelum lucis, & baptizaret aliquem, videtur quod ille ſit baptizatus: quoniam ſecundum D. Auguſtinum ſuper Ioan. Baptiſmus talis eſt qualis ille, in cuius poteſtate datur, ſed baptiſmus datur in poteſtate Chriſti; ergo nihil deperit à quocumque miniſtretur. *Ale de Ales*

D. Aug.

Item Diuus Auguſt. ibidem. Cum baptizat malus illud quod datum eſt verum eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par æquale propter hoc: quia Hic eſt qui baptizat: quibus verbis docet D. Auguſt. quod quia Chriſtus eſt, qui baptizat, à quocunque baptizatur eamdem efficaciam habet baptiſmus. Item efficacia baptiſmi eſt à materia debita, & debita forma verborum, & non aliquo modo à miniſtro; ergo à quocunque proferuntur verba debita, cum alijs quæ requiruntur habebit efficaciam. Sed his non obſtantibus ponit Alexand. duas Concluſiones.

Prima Concluſio. Si Diabolus aliquem immergeret in aqua cum debita pronunciatione verborum, non baptizaret. Probatur primo ex defectu intentionis. Nam tanta eſt eius peruerſitas, quod nullo modo intendit ſalutem baptizati; Intentio autem requiritur ad efficaciam baptiſmatis; vnde quia non conuenit cum eccleſia in intentione baptizandi, non baptizat. Minor probatur ex quadam Gloſſa ſuper illud 2. Corinth. 6. quæ conuentio Chriſti ad Belial? quæ dicit. Chriſtus facit omnia bene, Diabolus male: Quod non intelligitur quantum ad ſubſtantiam actus: quia Diabolus frequenter obedit DEO in agendo; ſed quantum ad intentionem: ſemper enim in omnibus intentio DEI bona eſt, Diaboli mala. *1. Concl.*

Gloſſa

Secundo probatur ex Hugone lib. primo, p. 9. cap ſecundo, dicente. Deus miniſtranti cooperatur, cuius virtute per miniſterium miniſtrantis, quod ſanctificandum eſt ſanctificatur, vt ſit quidem vna virtus per vnum opus ad vnum effectum; quibus verbis innuit Hugo, quod Dominus, & diſpenſator ſacramentorum conueniunt in vna virtute reſpectu vnius effectus: ſed Dominus & Diabolus in nullo conueniunt, vt patet ſecundo Corinth. ſexto. quæ conuentio CHRISTI ad Belial, & ibi Gloſſa. Deus & Diabolus non conueniunt, ergo, &c. *Hugo*

Secunda Concluſio. Si certiſsima reuelatione conſtitiſſet Dæmonem habuiſſe legitimam intentionem eccleſiæ, adhibuiſſetq; veram materiam, & formam, non eſſet illud ſacramentum pro rato habendum. Probatur, quoniam non eſt illi conceſſum miniſterium diſpenſationis huiuſmodi, *2. Concl.*

vt pa-

vt patet per Hugonē loco supra citato dicentem. Elementa sacramenta sunt, non natura prima facit, sed apposita institutio per dispensationem, & gratia infusa per benedictionem; prima facta est per Creatorem. Secunda proposita per Saluatorem. Tertia administrata per dispensatorem. Dispensator vero non dicitur, qui dispensat; sed cui datum est ministerium dispensandi; scilicet sacerdos regulariter, vnusquisque autem homo in articulo necessitatis.

Præterea dæmon neq; actu, neq; potētia est de ecclesia, & qui tales sunt non possunt sacramenta ecclesiæ ministrare. Item sicut mors fuit ministrata per hominem; ita & vita debuit ministrari, hanc rationem assignat Anselmus in lib. cur Deus homo, quare oportuit satisfactionem pro offensa originalis fieri per hominem, scilicet, quia offendit homo.

Tertia conclusio. Tertia Conclusio. Si malus Angelus in corpore assumpto aliquem baptizaret, constaretq; id fecisse præcepto diuino cui tenetur etiam inuitus obedire; talis habendus esset pro baptizato: probatur: quia malus Angelus in tali corpore posset abluere, & verba proferre, intentionemq; habere; ergo etiam inuitus posset obedire Deo, & verum cōferre baptisma. Dicit tamen Scotus; quod sine certa reuelatione à Deo super hoc habita non esset credendum, quod malus Angelus vere baptizasset; atque adeo licet constaret à dæmone hominem aliquem baptizatum; non esset illud sacramentum habendum pro rato: quoniam cum diabolus sit pater mendacij, non esset credendum legitimam habuisse intentionem; & esto quod certissima reuelatione constaret legitimam intentionem habuisse ecclesiæ, debitamque adhibuisse materiam, & formam, adhuc (inquit Alex. vbi supra) non esset illud pro sacramento ducendum: quia cum lege à Christo hactenus edita, nullus sit sacramentorū minister nisi homo institutus, nullus Angelorum sine eius speciali dispensatione est minister: Quare & si liquido constaret conuenisse illuc materiam, & formam, & intentionem; nisi etiam apertissima reuelatione constaret id dispensatione, & Imperio Dei fuisse factum, deesset nihilominus minister. Et addit Scotus in hac q. sub. litt. B. §. si etiam malus, &c. quod nunquam credendum est Deum talibus sacramentorum ministris vsurum. Tum quia Deus non ministrat sacramēta per exclusos finaliter à salute. Tum etiam quia malus Angelus, nisi à Deo arctatus esset per præceptū ad oppositum, semper agit fraudulenter; & semper incomplete faceret ea, quæ necessaria essent ad salutem baptizati, propter inimicitiam eius ad humanam salutem ex eius inuidia procedentem. ex hoc patet mendacium Valentiæ in Sco. tom 4. disp. 3. q. 5. puncto 3.

Ad argumenta in oppositum, ad primum, & secundum, ex Diui August. authoritate, dico, quod Baptismus talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, & cum baptizat malus illud quod datum est, verum est, vbi Baptismus datur, sed in proposito non daretur: quia non datur nisi mediante dispensatore à Deo prouiso, qualis ordine non est Dæmon.

Ad aliud, quod dicitur quod efficacia Baptismi est à materia, & forma verborum. Dico, quod non omnino; sed requiritur etiam dispensator, & recta intentio dispensatoris: quorum vtrumque ordinarie deficit in Diabolo.

QVÆSTIO II.

Vtrum vnitas Baptismi necessario requirat, quod ab vno ministro conferatur.

VAriis modis potest intelligi eundem hominem à multis simul baptizari. Primo modo ita vt à singulis integre baptizetur vno quoque per se, & abluente, & totā formam proferente, & absolutā intentionā habente independenter ab alio; In quo Baptismi modo, non est vnus minister ex multis personis compositus, sed sunt plures integri, seu totales ministri baptizantes eandem personam.

Secundo modo intelligi potest, vt plures concurrant partialiter, idque duobus alijs modis, primo diuidendo inter se ipsum actum externum, ita vt vnus abluat, alter proferat formam; vel quod vnus proferat. v. g. illa verba. Ego te baptizo; alius vero addat. In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen. vel etiam si fieri potest vnus abluat partem vnam, alius vero aliam. Secundo solum ex intentione sua particulariter concurrendo, ita vt licet vterque lauet, & proferat totam formā, tamen vterque intentionem habeat non baptizandi sine alio, siue interius tantum eam intentionem concipiant, siue aliquo modo in forma exprimant dicendo; Nos te baptizamus, & de singulis his modis hic disputandum est. Vnde hanc quæstionem in quatuor secamus art.

Primus Art. Vtrum si plures integre, hoc est, quilibet per se & totaliter aliquem baptizet, vel omnes simul, vel neuter.

Secundus Artic. Vtrum si quilibet illorum diceret Nos te baptizamus, esset verum Baptisma.

Tertius Art. Vtrum possit baptismus ita à duobus conferri, vt alter abluat, alter uero proferat formam.

Quartus Art. Vtrum unus possit simul plures baptizare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum si plures integre, hoc est, quilibet per se, & totaliter aliquem baptizet, alter tantum baptizet, uel ambo simul, uel neuter.

RAtiones dubitādi sunt primo: quia nō potest esse idē effectus à duobus causis totalibus, quia alias simul dependeret, & non dependeret, & vna illarum deficiente adhuc effectus permaneret, sed plures ministri sunt plures causæ, quarum qualibet per positum est totalis in suo genere causandi, ergo alter superfluit, atq; adeo baptismus non potest esse ab illo, maior est manifesta, & minor probatur: quia altero non baptizante, alter vere baptizat, ergo quilibet est causa totalis; & si dicas vnus tantum baptizat. contra, quia non est maior ratio de vno, quam de alio, ergo nullus baptizat. atque ita repugnat Baptismum dari à multis ministris.

Præterea secundo. Vel ille baptismus esset vnus vel plures: vnus esse non potest, quia ibi sunt plures materiæ, plures formæ, & plures ministri totales, quod sint plures ministri, & plures formæ patet, quod autem sint plures materiæ probatur: quia sunt plures ablutiones passiuæ, ergo sunt plures materiæ: consequentia patet; quia materia proxima Baptismi est ablutio passiua, vt diximus supra; antecedens probatur: quia cuilibet actioni correspondet sua passio; sed in nostro casu essent plures actiones, & quælibet tota à suo ministro, ergo plures baptizationes passiuæ, & per consequens plura baptismata: & confirmatur; quia si agens, & forma qua agit, sunt aliud, & aliud, etiam forma producta erit alia, & alia; sed forma vnius ministri est alia à forma alterius, sicut minister est alius ab alio, ergo &c maior patet, & minor probatur: quia sicut illi duo ministri habent duas intentiones distinctas, ita & duas formas.

Quod autem nō possint esse plures probatur: quia vnus necessario destrueret alium, quia baptismus caderet in subiectum baptizatum, quod est incapax sacramēti Baptismi, ergo verius dicitur nullum ibi esse sacramentum.

Pro solutione obser. est, quod si duo simul vnum baptizarēt duobus modis hoc accidere posset: aut enim vterque illorum in eodem instanti perficit omnia necessaria ad baptismum, vel vnus prius tempore absoluit quam alius. hoc supposito sit prima conclusio. Si alter illorum prius absoluat omnia necessaria ad sacramentum, ille solus perficit sacramentum, & non alius, si debita intentione baptizet. hæc conclusio est Alex. de Ales 4. p. q. 8. m. 6. art. 6. & S. Thom. 3. p. q. 67. ar. 6. & D. Bona. in 4. d. 5. ar. 1 q. 1 quæstiuncula 3. quos sequuntur omnes, & probatur: quia Baptismus iterari non potest; & subiectum simul baptizatum incapax est vlterioris Baptismi, sed quando alter ministrorum prius tēpore perficit sacramentum, iam subiectum illud est baptizatū, ergo quicquid postea fit irritum est, & inane, & confirmatur. Nam si post consummatū vnum baptismum, alter minister baptismum aliud inchoaret, nihil faceret, quia subiectum iam est incapax; ergo eadem ratione quamuis inchoauerit simul suum baptismum antequam subiectum esset baptizatum, tamē si in instanti, in quo illum erat perfecturus iam inuenit subiectum baptizatum, non poterit illum perficere, quia iam subiectum, nō est capax illius perfectionis, sicut si subiectum deficeret, seu moreretur ante *Prima conclusio.*

perfe-

perfectum sacramentum, nec posset perfici, sed manet et irritum, & inane ex defectu subiecti, eadem ratio est enim quacumque ex causa subiectum fiat incapax sacramenti. Supponit autem hæc ratio baptismũ prius tempore consummatũ statim esse validum, quod est certissimum: quia cōcurrentibus omnibus necessarijs ad sacramentum, statim absq; vlla mora perficitur sacramentum, in proposito autem omnia necessaria concurrunt, vt baptismus fiat; si minister debitã intentionem habeat.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Si multi Ministri eumdem baptizarent, ita ut eorum quilibet totum faciat ad baptismum necessario requisitum, atq; si ipse esset solus; sic quod quilibet abluat, & dicat. Ego te baptizo, cum debita intentione, nec vnus prius tempore absoluat quam alius, sed quilibet prorsus in eodem instanti perficiat omnia necessaria ad baptismum, erit verus baptismus, ita ut eorum singuli verum baptismum conferunt. hæc conclusio est Alex. de Ales. & D. Thomæ, vbi supra, quos sequuntur D. Bona. in 4. d. 5. ar. 1. q. 1. quęstiuncula 3. Richar. d. 4. ar. 4. q. 1. ad 1. Scotus in hac q. sub litt. h, §. de primo dico, et cęteri Theologi, quæ sic probatur. factum vnius nō annullat factum alterius, sed si vnus tantum minister faceret, & administraret baptismum esset verum sacramentum. ergo & si alius idem faciat, & administret sacramentum factum alterius validum erit. minor est nota, & maior probatur: quia non sunt agentia contraria, nec formas contrarias inducere nituntur, & confirmatur: quia in illo casu concurrunt omnia necessario requisita ad baptismum: nam singuli applicant integram formã, & materiam independenter ab alio, ergo si singuli habeant rectam intentionem, quam habere supponimus, erit verus baptismus.

3. Conclusio. Tertia conclusio, licet plures possint simul vnum, & eumdem baptizare: non tamen debent, quoniam, & si vnitas ministri non sit necessaria ex parte sacramenti: quia si duo simul baptizant, baptismus est, est tamen necessaria ex parte ministri, ad vitandum. s. peccatum ex parte baptizantis: nisi forte in casu necessarij essent plures ad puerum abluendũ. hæc conclusio est Alex. D. Thomæ, & Richar. locis citatis. atq; adeo illicitum est per se loquendo hoc modo plures baptizare: tum quia superfluum est, & præter morem ecclesiæ: tum etiam quia sine causa se exponunt morali periculo, vt alter eorum nihil efficiat, & materialiter saltem baptismum repetat.

Ad primã rationem dubitandi dicit Scotus, quod maior illa debet intelligi: quando illæ causæ effectiue se habẽt quo ad effectum: modo illi ministri non se habent effectiue, sed tantum ministerialiter; & eandem responsionem affert Doct. in Reportatis dicens, quod effectus non est à duabus causis inducentibus effectum, quarum vtraq; totũ inducit, sed bene potest esse à duabus causis ministerialiter agentibus: dum tamen vna sit principalis: quemadmodum est in proposito: Nam Deus ex pacto confert sacramentum ad prolationem verborum cum alijs requisitis, siue vnus tantum proferat verba siue plures, quam respōsionem tetigit prius D. Thomas loco relato in corpore art. in extremis verbis dicens. Et vterque quantum est in se baptizaret, nec traderent aliud, & aliud sacramentum, sed Christus qui est vnus interius baptizans vnum sacramentum per vtrumq; confert. & eum sequitur ibi Caiet. Vna est enim causa principalis agens quæ inducit effectum per vtramque causam instrumentalem, quasi per vnam; ex ordine enim Christi sacramentum instituentis accipiuntur actiones ministrorum, vt vna causa respectu effectus. Maior ergo illa intelligenda est, quando illæ causæ effectum inducunt efficienter, & Physice; ministri autem non se habent efficienter physice, sed solum ministerialiter.

D. Thomas.

Verum: quia hic arguitur quod vna est ablutio, & illa est à duabus causis totalibus, videtur quod solutio sit nulla, patet quia illa ablutio est à duobus sacerdotibus effectiue; & hoc est, quod vult dicere Scotus, cum inquit. Et si obijcias saltem formam baptismi, idest, id pro quo supponit principaliter baptismus, scilicet, ablutionem illam passiuam inducit minister, atque adeo in proposito casu sunt duæ causæ, & vtraque totalis. Respondet Doct. quod ibi sunt plures ablutiones partiales, quæ faciunt vnam totalem ablutionẽ: atque ita quilibet minister non est causa totalis baptismi per se: quia quilibet illorum non facit ablutionem totam, sed partialem tantum: quod patet, siue ablutio fiat immergẽdo: Nam tunc ambo mouent corpus immersi vno motu causato à virtute motiua amborum; & licet alter posset illum motum causare: tamen quia simul mouent neuter mouet tota sua virtute motiua, sicut ea vti posset; velut apparet quando duo portant vnum pondus, quod alter solus posset portare; siue etiam ablutio fiat perfundendo, vel aspergendo: Nã licèt vterque madefaciat aqua à se perfusa, vel aspersa; neuter tamen madefacit tota illa madefactione, quæ est per aspersionem amborum: atque adeo licet quilibet sit causa totalis ablutionis à se factæ, tamen neuter est causa totalis baptismi: quia neuter est totalis causa, totalis ablutionis passiuæ illius, qui baptizatur. quia ex illis particularibus ablutionibus fit vna totalis ablutio, cuius totalis ablutionis quilibet est causa partialis.

Contra ex parte formæ saltem baptismus habebit plures causas totales. quia quilibet ministrorum profert totam formam sacramenti; ergo quilibet est causa totalis formæ baptismi: nec potest dici, quod ex omnibus formis, quæ à ministris proferuntur fiat vna totalis forma; quia quælibet illarum per se est sufficiens forma baptismi; ergo si vnus est tantum habens formam; sequitur quod quilibet minister est causa totalis illius formæ, si baptismus ille fiat ab omnibus ministris.

Respondet Scotus, quod difficile est, quin alterius ministri verba superfluant; quod dictum intelligendũ est, quod talia verba non sunt necessaria: quia sine illis potest haberi baptismus: ita quod non sunt per se pars vnius sacramenti: quia ponere duo eiusdem rationis esse partes vnius, quod simpliciter esset perfectum habendo alterum eorum, videtur impossibile. quod cum A. & B. sint partes per se, id est, necessario requisitæ ad constitutionem, c. & quod c. possit esse sine A. vel B. impossibile videtur, ita quod formæ prolatæ à duobus ministris sint per se partes vnius sacramenti; & quod sacramentum perfectè haberi possit sine altera illarum, non est intelligibile; difficile ergo videtur quin alterius ministri verba superfluãt, id est, verba alterius ministri non sunt ad sacramentum necessaria, quia vnius ministri tãtum verba sufficiunt: non tamen intelligit Scotus, quod verba, & actus alterius superfluant, quasi rebaptizantis, si videlicet, (vt est in casu proposito) ministri simul incipiant, & finiant; quæ autem superfluant, & cuius proferentis, idest, cuius proferentis verba non sint ad sacramentum necessaria, difficile est assignare, quia qua ratione illa, & illa, atque ita vtraque, vel neutra: quia vterque æque complete, & consimili intentione profert. Quod si vnus minister prius finiat, quam alter, qui prius finiuit sacramentum confecit, altero nihil faciente. Sic tenuit Innocentius lib. de officio Missæ, quod plures sacerdotes possunt eandem hostiam consecrare: sed de hoc infra in materia de Eucharistia. *Innocent.*

Bassolus hac d. q. 1. ar. 3. dicit quod ibi sunt duæ prolationes verborum, sed ex ordine instituentis, scilicet, Christi accipiuntur, vt vna causa respectu effectus. s. respectu sacramenti, ideo illi duo vere baptizant. *Bassolus.*

Sed iuxta Scoti responsionem distinguendum est, quod aliquid superfluere in ratione causæ respectu effectus bifariam intelligi potest. Vno modo superfluit, idest, nō causat; alio modo superfluit, idest, eo non existente nihilominus causaretur effectus; primo modo neutrius formæ prolatio superfluit, quia vtraque causat, & hoc si ex æquo concurrãt ita quod nullius verba prius alio finiat. Secundo modo conceditur, quod verba alterius superfluunt, & cum quæris cuius: Respondetur vtriusq; singillatim posita alia, non tamen simul superfluunt: quia sublatis vtrisque non sequitur effectus, quod bene nota: quia est difficilis passus.

Ad secundam dicit Scotus, quod & si sint duæ actiones non tamen totales, atque adeo potest sibi correspōdere vna passio respectu vnius causæ principalis, & vnius subiecti in quo recipitur. Contra ergo ab vna causa principali, & vno ministro cum sit vna actio non erit nisi vnica passio; & per consequens non erunt plura baptismata, si vnus baptizet plures.

Respondet Scotus prænotando, quod ablutio cum sit in genere actionis, & passionis, & actio, & passio sint idẽ motus, & in eodem, vt docet Arist. 3. Phy. t. c. 18. & deinceps, connotant tamen diuersas relationes. Actio enim in quantum est ab agente dicitur; passio vero in quantum recipitur in passo. ablutio ergo quatenus est à baptizante dicitur actio, quatenus vero recipitur in baptizato passio appellatur; *Arist.*

Digitized by Google

tur; ex quo sequitur, quod baptismus magis est ablutio passiua, quam actiua: Nam si plures baptizent eundem; nō est ibi nisi vnus baptismus, si autem vnus baptizet plures simul vna aspersione dicendo: Ego vos baptizo, &c. ibi sunt plures passiuæ ablutiones, & per consequens plura baptismata numero. Dicit tamen Scotus, hic esse dubium, vtrū actio ponatur in passo, vel in agente; iuxta tamen intētionē eius, actio pro ut dicit rem actam, siue actum, vel formam productam, aut eductam de potentia passi, est in passo, prout dicit Arist. vbi supra, & quod de tali actu vel forma loquatur Arist. probat Scotus infra d. 13. q. 1. Quia ipse Arist. dixit, quod opposito dato agens moueretur, igitur de forma siue de actu transeunte, educto per actionem de genere actionis in passo, vt in subiecto loquebatur, quod cōfirmatur ex 9. Met. t. c. 16. vbi habetur, ædificatio in ædificato simul, & fit, & est, cum domo, & contextio, in eo quod contexitur.

Igitur ad argumentum respondetur, quod sunt plures actiones ad modum expositum, vt actio dicit actionem actam, & terminum actionis, est in passo, & tot sunt baptismi, quot fuerint baptizati, sicut tot consecrationes quot hostiæ consecratæ ab vno. constat igitur ex dictis, quod plures ministri possunt eundem hominem simul baptizare. Ad auctoritatem Commēt. patet, quod si teneatur, quod actio sit in passo, falsa est illa propositio, quādo forma recepta in passo est vna. Si etiam actio ponatur in agente siue sit absolutum, siue respectus ad passum, potest concedi maior. s. si agens, & forma qua agit sunt aliud, & aliud, & forma inducta erit alia; sed tunc illa est falsa. s. diuersis actionibus correspondent diuersæ passiones: patet quia si sint duo portātes lapidē, ibi sunt duæ portationes actiuæ, sed tantum est vna portatio passiua. Quomodocumque ergo dicatur de actione non ponuntur plures baptizationes passiuæ, sed vnica tantum, atque adeo non sunt plura baptismata sed vnum tātum. Et ex hoc inquit Scotus, sequitur corollarie, quod sacramentum baptismi magis est baptizatio passiua, quam actiua: quia plurificata baptizatione actione actiua, non plurificatur passiua nec baptismus: quia passiua est vna, & probatur hoc corollarium: quia baptizatus proprie suscipit sacramentum; suscipit autem proprie ablutionem passiuam, & non actiuam, nisi dicantur idem realiter.

Est tamen difficultas si verba, & ablutio omnium illorū baptizantium fiant in eodem temporis instanti; an sit tantum vnus, vel plures baptismi. Baffolus loco supra relato §. 2. dico. (quem sequitur Nicolaus de Nysā lib. qui dicitur, Resolutio Theologorum, tract. 5. p. 3. de baptismo q. 11. 6. concl.) tenet quod erunt duo sacramenta baptismi materialiter, quia sunt plures ablutiones, tam actiua, quam passiuæ; formaliter tamen vnicum erit sacramentum; quia in omnibus istis fundatur tantum vnus respectus rationis, qui est signum ad gratiam signatam, vtrumque enim significabit eamdem gratiam; eamdem sententiam docent Gabriel in 4. d 6 q. 1. ar. 3. dub. 4. & Suarez tomo 3. disput. 23. sect. 3. ac etiam Caiet. 3. p. q 67. ar 6. quamuis in verbis differat; dicit enim, quod actiue sunt duo sacramenta, tamē passiue potest dici vnum sacramentum, quia vnicus tantum est, qui baptizatur.

Tolet. / Nicolaus de Nysa. / Gabriel. / Suarez. / Caietanus. / ...es. / ...s. [margin, cut off]

Cæterum Doct. noster ibi. quem sequitur Sotus d. 4 q. vnica, ar. 4. tenet, quod vnicum erit sacramentum baptismi: quia quamuis sint plures baptizantes non sit tamē nisi vna ablutio passiua, cum sit vnus tantum, qui abluitur, & vnitas baptismi attenditur penes vnicam ablutionem passiuā, & vnicum subiectum, & vnicum effectum baptismi.

Ad argumentum ergo cum quæritur, vel ille baptismus erit vnus vel plures, dico quod erit vnus, ad improbationē dico, quod vnitas baptismi sumitur ab vnitate passiuæ ablutionis quam per se primo baptismus importat, quæ cum sit vnica, vnicus etiam erit baptismus.

ARTICVLVS II.

Vtrum si quilibet illorum diceret Nos te baptizamus esset uerum Baptisma.

Durandus. / Paludanus. / Marsilius. [margin, cut off]

DE hac re sunt duæ opiniones, prima est Durandi d. 3. q. 3. Paludani d. 3. q. 2. art. 4. & Marsilij, in 4 q 4. art. 4. dub. 11. asserentium, quod quamuis quilibet dicat in numero plurali, Nos te baptizamus, verus erit baptismus, & probat Durandus suam sententiam dupliciter, primo quia explicatio ministri non est de essentia baptismi, igitur siue explicetur minister in numero singulari, dicēdo Ego baptizo te, &c. siue in numero plurali dicendo: Nos te baptizamus, verus erit baptismus, antecedens probatur: quia Græci vere baptizant dicentes, baptizetur seruus Christi, & tamen in ea forma non explicatur minister baptismi. Secundo hæc propositio. Nos te baptizamus, æquiualet istis singularibus, ego te baptizo, & ego te baptizo; sed si quilibet ministrorum diceret in numero singulari; ego te baptizo, verus esset baptismus, ergo quamuis dicant in numero plurali. Nos te baptizamus, verus erit baptismus.

Secunda opinio est Alex. de Ales, p. 4. q. 8. m. 6 ar. 6. & 7. D. Thomæ 3. p. q 67. ar. 6. Sancti Bonau. d. 5. ar. 2. q. 1. quæst. collaterali, & Rich. d 3. art. 4. q. 1. quos sequuntur Gabriel. d 6. q. 1. ar. 2. concl. 6 Caiet. 3. p. q 67. ar. 6. & Sotus d 4. q. vnica, art. 4. hi tenent, quod nisi quilibet ministrorum dicat in numero singulari Ego te baptizo; nō erit verus baptismus. Fundamenta huius sententiæ sunt duo. Primum est: quoniam mutatur tunc forma, cū non vsurpetur particula Ego. Nam sicut dicit Priscianus, illud pronomen Nos, nō geminat singulare suum, vt dicatur ego, & ego; sed ego, & tu, vel ego & ille, & ideo si dicatur nos baptizamus, aliquid dicitur, quo forma variatur, atque adeo forma mutatur. Secundum fundamentum est: quia baptizans minister significat Christum, vnus autem est Christus, qui principaliter baptizat, & ideo vnus debet esse minister: atq; adeo licet absolute quidem non debeat significari expresse persona ministri; tamen si significatur expresse debet omnino significari, vt vnus minister totalis; tum quia totum in administratione baptismi, & non partem debet minister facere, tum quia significari debet, vt minister Christi, vt iam dictum est. Hoc autem fit quidem quando vterque minister dicit, ego te baptizo; Non autem, quando vterque dicit Nos. Nam significatum sic per eam particulam pluralis numeri, quod ab vtroque complexim administretur baptismus, & sic à quolibet partialiter non autem totaliter. Scotus circa hanc difficultatem nihil locutus est.

Alex. de Ales. / D. Thom. / D. Bonau. / Richardus. / Gabriel. / Caietanus. / Sotus.

Cæterum si bene hæc difficultas perpendatur nulla est controuersia inter Durandum, & alios, pro cuius explicatione obser. est, quod sicut iam notum est, & magis patebit ex sequentibus. si minister non habeat intentionem baptizandi, non baptizat; Vnde obseruandum est secundo, quod si duo simul baptizantes eumdem ministerium interioris intentione inter se diuiderent, ita vt neuter velit baptizare, vt totalis minister sed solum, vt partialis, & vt componē cum altero vnum integrum ministrum nullum fieret sacramentum Nam probabilius creditur Christi institutionem fuisse, vt minister baptismi integer, & totalis sit illa persona, quæ abluit, & profert formam, & per consequens illa intentio non baptizandi nisi partialiter, est contra Christi institutionem.

His obseruatis sit prima Conclusio. Si ministri dicentes. Nos te baptizamus, habeant talem intentionem, vt nullus eorum per se totum baptismum cōferat, sed omnes simul, ita vt nullus sine alio baptizet, ita ut forma faciat sensum complexum accommodatum illi intentioni, qua intendunt totum partialiter baptizare. Sacramētum nullum est. Probatur primo, quia illa intentio est contra significationem, & veritatem formæ, ergo, &c. antecedens probatur: Nam per eam significat, quilibet perficit, seu applicare omnia necessaria ad baptismum conficiendum. s. ablutionem integram, & consequenter integram formam; ergo vel habet intentionem veritati formæ contrariam; & ita nihil efficit, vel re vera vult sua actione applicare totam materiā sacramenti proferendo totam formam, & consequēter vult adhibere totum ministerium necessarium ad cōficiendum sacramentum: quia minister sacramenti nihil aliud efficit, quod ad substantiam sacramenti spectet, nisi applicationē materiæ & formæ, ergo nunquam potest efficere sacramētum tanquam minister partialis.

1. Conclusio

Præterea. Nullus eorum haberet intentionem baptizandi, ergo nullus baptizat: probatur antecedens, quia nullus habet intentionem conferendi baptismum, sed partem baptismi. habere autem intentionem conferendi partem baptismi, non est habere intentionem baptizandi, & in hoc sensu intelligenda est opinio Alex. D. Thomæ, & aliorum, quæ verissima est.

Secunda

Digitized by Google

2. Conclusio. Secunda Conclusio. Si ministri dicentes Nos te baptizamus, habeant intentionem, quod vnusquisque eorum per se, & independenter ab alio totum conferat baptismi sacramentum, tanquam si ipse esset solus; ita vt proferant talem formam in sensu copulatiuo cum recta intentione integre baptizandi, vere baptizant. Probatur: quia tunc temporis quilibet habet intentionem baptizandi, ergo quamuis dicat in numero plurali Nos te baptizamus, verus erit baptismus. Probatur consequentia, quia si aliquid obstaret quo minus esset verus baptismus: maxime quia minister explicatur in numero plurali, sed hoc non est inconueniens: quia secundum omnes Doctores si aliquis episcopus diceret baptizando Nos te baptizamus, verus esset baptismus, ergo quamuis quilibet ministrorum explicetur in plurali numero verus erit baptismus, dummodo habeat intentionem baptizandi ad modum explicatum; In hoc igitur sensu intelligenda est sententia Durandi; nec erit sic alij contradicere possunt, vt argumentum præfatum ostendit.

Tamen quia argumenta Durandi militare videntur contra Alex. & D. Thomam in sensu explicato; & argumenta Alex. contra Durandum: ideo soluenda sunt. Ad primum Durandi dico quod quamuis explicatio ministri nō sit de substantia sacramenti; est tamen de substantia Baptismi, quod non fiat talis explicatio numeri, quæ contradicat intentioni, quam minister debet habere; contradiceret autem si minister intenderet partialiter, & dependenter ab alio baptizare.

Ad secundum, dico, quod quamuis dicant singuli in numero singulari, ego te baptizo, si vnusquisque habeat intentionem dependentem ab intentione alterius, ita vt ipse non baptizet sine alio, baptismus ille nihil valebit.

Ad primam rationem Alex. & D. Thomæ, dico primo quod illam refellit ipsemet D. Thomas in illo art. 6. quoniam ea particula non est de essentia; & multo minus vsurpatur in forma Græcorum; quia neque plurali quidem dicunt nos, sed absolute baptizetur, &c. & tamen valet illorum baptismus.

Secundo dico, quod particula illa Nos, verbum est natura sua etiam aptum, vt per illud vterque minister possit significari in illo casu tanquam vnus minister totalis, perinde certe ac si vterque diceret. Ego te baptizo; etenim verbum illud nos non modo complexum, vt aliquando, sed etiam diuisim accipi potest, vt si duo simul dicerent Nos sumus Theologi, perinde dicerent, ac si vterque diceret. Ego sum Theologus. cum itaque verbum illud Nos significare quoque possit ministrum quemlibet diuisim, vt vnum, & totalem; certe si ad baptismi substantiam huiusmodi significatio ministri requiratur, per intentionem saltem generalem faciendi, & significandi, quod vult Ecclesia, ipsi sum significarent illi ministri, qui dicerent Nos te baptizamus, vt perinde sit, ac si diceret ego, & ego, quapropter valeret talis baptismus.

Et per hoc etiam patet ad secundam rationem. Præterquam, quod nō videtur illud satis esse compertum, quod siquidem ad essentiam sacramenti non consistat nisi minister significetur, vt vnus, & totalis, posito quod illius persona omnino significetur. Concilium certe Florentinum aliud requirere videtur, quam vt actus ministri exprimatur cum inuocatione Trinitatis, & quamquam ad veritatem eius inuocationis, scilicet, formæ, requiratur sane, vt actus sacramentalis fiat re ipsa totaliter à ministro, vt in sequenti art. magis explicabitur, tamen non videtur ad eam veritatem formæ requiri, vt significetur actus sacramentalis etiā sub hac forma, nempe totaliter a ministro factus. Hoc enim dico non esse satis compertum debere sc. actum sacramentalē, qui totaliter fiat à ministro significari non omnino per se, & absolute, sed etiam sic, & sub ea ratione, nempe, vt fiat totaliter à ministro. Adde etiam quod cum quilibet dicendo Nos te baptizamus, tecum habet intentionem integre baptizandi, forma est sufficiens quamuis in ea addatur aliquid non necessarium, scilicet, quod alius simul tecum baptizet, quod in prædicto sensu non est contra substantiam sacramenti.

ARTICVLVS III.

Vtrum possit Baptismus ita à duobus conferri, vt vnus abluat, alter vero proferat formam.

Marsilius. Caietan. De hac re Theologi varie sentiunt. Nam Marsilius in 4. q. 4. ar. 8. dub. 11. & Caiet. 3. p. q. 67. ar. 6. in eam partem magis inclinant, quæ affirmat huiusmodi baptismum validum esse, quoniam vt supponimus, huiusmodi duo homines habent intentionem baptizandi, & applicant veram materiam, & veram formam, ergo nihil deest ad veritatē baptismi: Probatur consequentia; quia solum potest obstare, quod ibi non est integer minister, sed compositus ex duplici persona; sed hoc nullum impedimentum esse videtur. Nam in matrimonio duo contrahentes sunt ministri vnius sacramenti, & in pœnitentia pœnitens est, qui exhibet materiam sacerdos vero, qui inducit formam, & confirmatur, quia in quibusdam ordinibus Episcopus dicit verba; & Archidiaconus tradit materiam; ergo non est de necessitate sacramenti, quod vnus, & idem dicat verba, & applicet materiam.

Præterea hic modus baptizandi interdum potest esse necessarius, vt si infans sit in extrema necessitate, & tantum adsint duæ personæ, quarum altera loqui non possit; altera verò non possit abluere; Baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis, ergo debuit in sua institutione comprehendere etiam huiusmodi ministerij modum.

His tamen non obstantibus communis sententia est, Baptismum hoc modo collatum à duobus non esse verum sacramentum, ita tenet Alexand. de Ales p. 4. q. 8. m. 6. art. 6. D. Thomas 3. par. quæst. 67. art. 6. D. B. in 4. d. 5. art. 1. q. 1. Richard. d. 3. ar. 4. q. 1. ad 1. Scotus hac q. sub lit. F. §. de secundo &c. Palud. dist. 3. quæst. 2. art. 2. Durandus, d. 3. quæst. 3. Gabriel dist. 6. quæst. 1. art. 2. concl. 6. & Sotus d. 4. quæst. 1. art. 4. atque idem tenet Glossa in c. p. Quorumdam, d. 23. verbo Imponere. Quæ hoc colligit ex illo ex quo in quo ordo datus ab episcopo & presbytero simul, Episcopo imponente manus, presbytero autem benedicente seu proferente formam irritus esse declaratur. Nam proponitur casus, quo scilicet cæcus episcopus, vel infirmitatem oculorum patiens manus super caput ordinandorum imposuit, & presbyter quidem orationem dixit, quærebatur quid fieberet fieri de episcopo, & de ordinatis. respondet Concilium Toletanum, vt episcopus, qui defunctus est, reinquatur diuino examini, ordinati vero carrant ordine, quem peruerse acquisiuerunt, & hæc sunt verba Concilij sed quia iam ille, scilicet, episcopus examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, ij qui supersunt gradum sacerdotij, vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti sunt amittant.

(Margin: Alex. de Ales. D. Th. D. Bon. Ricard. Scot. Pal. Durand. Gabr. Sot. Glossa. Concil. Tolet.)

Sed ex hoc capite re vera magis colligitur oppositum; quippe cum ibi sacramentum illud valuisse insinuetur, ait siquidem Toletanum Concilium, vt illi qui gradum peruersè adepti sunt amittant, quibus verbis videtur eos ab ordinum executione suspendere, & non in ordinatos declarare.

Vnde pro resolutione quæstionis, reiiciēda est primum, quorumdam sententia, quam etiam reijciunt Paludanus, & Durādus locis citatis, qui tam vltra procedere ausi sunt, vt dicerent, quod solus mutus immergens, vel aspergens infantem si vtitur nutu pro verbis vere baptizat; sicut confitens, & contrahens matrimonium potest vti nutibus pro verbis, & est vera confessio, & verum matrimonium; & amplius dicunt, quod sacerdos potest absoluere à peccatis sacramentaliter sine verbis vtendo nutibus. Cæterum hæc sententia est hæreticus error sacræ scripturæ, dictis sanctorum, & determinationi ecclesiæ contrarius. Nam Mat. vlt. inquit Christus. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c. Ergo inuocatio Trinitatis est de substantia Baptismi, non ergo sufficit nutus. Item Apostolus ad Ephes. 5. dixit, quod Christus dilexit ecclesiam mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, igitur illud verbum requiritur ad baptismum. Item D. Aug. super Ioan. D. Aug. dicit, detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum. Ergo sine verbo nullus est baptismus. Ad idem accedit determinatio ecclesiæ, quæ dicit, quod sine inuocatione trium personarum, & expressione actus baptizandi, non est verus

Baptis-

baptismus, vt patet de Consecratione distinctione quarta, capitulo in synodo Anglorum, & extra de baptismo, & eius effectu, capitulo Si quis puerum, nutus autem non sunt nomina. ergo & cætera. Similitudo autem, quam isti inducunt de confessione, & matrimonio, quæ sine verbis possunt fieri, non valet, vt inferius suo loco dicetur. Absolutio autem sacramentalis non potest fieri sine verbis sicut isti erronee confingunt, vt in materia de pœnitentia explicabimus.

Conclusio. Hac sententia reiecta, sit hæc Conclusio. Si alter ministrorum tantum proferat verba, vt mancus, alter vero abluat, vt mutus, non erit verus baptismus, hæc conclusio est Alexandri, Diuæ Thomæ, & Scoti locis citatis, & probatur, & quidem a priori ratio petenda est, inquit, Scotus à diuina institutione, qui sicut Deus voluit esse vnum principale agens, ita voluit habere vnum ministrum in collatione integra sacramenti. ratio autem, quare rationem à priori huius veritatis petendam esse dixit, ex Christi institutione est, quoniam non est dubium quin potuerit Christus, vel eo modo instituere hoc sacramentum, quo alia sententia dicebat, vel prout ab Alexandro, & cæteris Theologis declarata est institutio. Quæ autem fuerit Christi voluntas ex sola quidem ratione colligi satis non potest, neque ex scriptura, vel ab ecclesia aliquid est satis declaratum. Cæterum si vsum spectemus, qui est optimus legum interpres, nunquam visum est, vel auditum in ecclesia, quod baptismus aliter fuerit administratus, quam ab vno abluente, & proferente formam, & in hoc sensu intellecta sunt verba Christi. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quod scilicet, is qui baptizat id faciat inuocando Trinitatem super actionem suam. Rursus si spectemus formam Latinæ Ecclesiæ (quæ debet esse regula, & mensura cæterarum) in ea satis significatur hunc fuisse sensum institutionis Christi.

Vnde ex huiusmodi Christi Domini institutione, vsu Ecclesiæ à principio vsque in hunc diem, ad hunc modum interpretata, sumuntur congruentes rationes ad nostram conclusionem probandam, & prima est talis. Sicut in hoc Sacramento Deus est vnicum agens principale, ita voluit vnicum ministrum habere in collatione integra huius sacramenti, quia minister debet esse vnus cum significet Christum, qui est vnus internus baptizans.

Sed huic rationi dupliciter respondetur. Primo quod principalior causa baptismi est Trinitas personarum, ergo sicut in principali causa sunt plures personæ; ita esse possunt in ministris; sed nulla est hæc responsio. Tum quia Trinitas non operatur in baptismo per se, vt est plures personæ, sed vt est vnus Deus. Tum maximè, quia minister immediate non gerit personam Trinitatis, sed Dei Christi hominis, cui data est omnis potestas excellentiæ super sacramenta.

Secundo respondetur, quod nulla est necessitas, quod repræsentetur vnitas personæ Christi per vnitatem personæ ministri, sed satis est, quod repræsentetur, vel ab vna persona, vel a pluribus concurrentibus, per modum vnius; Tum quia non est necesse, vt in ministro ipso, siue sit vna persona siue plures, sit aliqua specialis significatio, atque adeo non est de ratione Sacramenti, quod ab vno tantum fiat. hæc etiam responsio est nulla: quoniam de essentia huius Sacramenti est, vt actio lauandi ab eodem prodeat, qui profert verba formæ, prout in Latina forma significatur, atque adeo oportet, quod minister sit totalis, & non partialis minister, & per consequens quantum ad hoc, quod repræsentet Christum principalem baptismi authorem, cuius vicem gerit, qui totaliter, vel vt agens totale, interius abluit, & quando dicitur, quod non est de necessitate baptismi, quod ab vno tantum fiat, vel falsum est, vel non est ad rem; quia illa dictio exclusiua tantum duplicem sensum reddere potest, prior est, vt excludat omnem alium simul baptizantem eamdem personam, & hoc modo verum est non esse de ratione baptismi, vt vnus solus baptizet, vt in superiori articulo dictum est: hic tamen sensus nihil refert ad rem præsentem: quia non agimus de consortio plurium ministrorum totalium; sed de compositione vnius ministri totalis, ex pluribus personis partialiter tantum concurrentibus.

Alius sensus illius exclusiuæ esse potest, non esse de ratione baptismi, vt vna persona sit integer minister Sacramenti, ita vt totum ministerium sufficienter fiat, sine concursu per se, vel dependentia ab altero, & hoc modo falsum est, non esse de ratione baptismi, vt ab vna tantum persona fiat.

Secundo probatur Conclusio. Oratio, quæ est forma sacramentorum verorum, non debet esse falsa; sed si vnus abluat, & alter dicat verba, forma erit falsa, scilicet Ego te baptizo, ergo non erit Sacramentum verum, si conferatur per talem formam falsam, minor probatur: quia hæc verba, ego te baptizo, significant actum baptizandi perfecte agi a quocumque agente, quæ si ab vno solo proferantur, & ille non lauat, & integrum Sacramentum haud ministrat, falsa erunt.

Respondet Caietanus, quod Baptizo, potest idem valere, quod abluo, & isto modo falsum diceret ille mancus: quia non abluit; alio modo accipitur pro integro sacramento; & sic verum ait dicens, nos te baptizamus: nam baptizo includit materiam, & formam, quas ambo simul applicant: quare verbum, inquit, non est sic resoluendum, vt ait Sanctus Thomas, ego baptizo, & iste baptizat; sed ego & iste complexim baptizamus; sicut duo illi Iudices, qui non sunt in solidum, sed connexi, dicunt mandamus. Sed hæc distinctio, (vt bene dicit Sotus) commentitia est, & suo se gladio iugulat. Nam baptizo in forma Sacramenti nihil aliud significat, quam abluo, nisi quod sit cum certa intentione, & forma: Fac enim eos baptizare, per verbum abluo, quare si manus non abluit, neque reuera baptizat: atque adeo non est simile de duobus Iudicibus: nam ibi illorum vterque partialiter mandat: Manus vero neque partialiter baptizat, baptismus enim pro ablutione supponit cuius ille nec partem facit, fit ergo vt etiam si complexim dicat, ego & iste complexim baptizamus, falsa sit forma. secus autem est vbi multi simul consecrant: nam singuli totum faciunt perinde ac si vnus solus consecraret. Patet ergo quod Latine falsa est illa forma in proposito casu, nos te baptizamus, cum re vera ille, qui profert non baptizet. Quare neque si forma Græcorum ille vteretur, dicens baptizetur seruus Christi, baptismus valeret: quoniam vt notat Scotus, in eodem sensu accipienda est forma Græca: quia verbum illud baptizetur, non est tantum deprecatio, sed est quædam efficax operatio, significat enim actualem operationem, vt exercitam ab ipsomet operante, vnde sensus est, per hunc meum actum circa istum baptizetur ille. Præterea arguitur contra istos, sequeretur eadem ratione valere baptismum, quem plures sic celebrarent, vt vnus mergeret, & alius diceret nos te baptizamus, aliusque apponeret in nomine patris, atque alius in nomine filij, & alius demum in nomine spiritus sancti. Profecto discrimen nullum apparet, & tamen nefas hoc concedere esse baptismum.

Caietanus.

Sotus.

Scotus.

Ad rationes oppositæ sententiæ, & ad primam dico, quod ad veritatem baptismi requiritur integer minister, ita vt actio lauandi ab eodem prodeat, qui profert verba formæ, quod vtique ex Christi institutione pendet: quæ vero in contrarium adducuntur de matrimonio, & pœnitentia, non sunt similia, quia in eis materia sacramenti non est proprius actus ministri ex intentione eius determinandus, & sanctificandus per formam, vt cum ea vnum Sacramentum constituat: sed in matrimonio formaliter ac proprie materia est traditio, forma vero acceptatio mutua, & exterius expressa; & ideo modus talis Sacramenti, & res illæ in quibus fundatur postulant distinctionem personarum: quia oportet, vt qui acceptat alius sit ab eo, qui tradit, & forma ipsa acceptandi talis est, vt ex se supponat traditionem, vt ab altero oblatam.

Et idem proportionaliter considerari potest in sacramento pœnitentiæ, quod per modum iudicij exercetur; in quo oportet reum, & iudicem distingui, & confessionem fieri à reo, non à Iudice, sed supponi potius, vt in eam cadat sententia iudicis, at in hoc Sacramento ipse minister exercet totam actionem, quæ est materia sacramenti, & quæ explicatur in forma, vt per eam sanctificetur, & determinetur ad significationem sacramentalem, & ideo oportet, vt ipsemet, qui actionem

Digitized by Google

exercet suis verbis suaque intentione proprium actum informet.

Ad confirmationem, cum dicitur quod in quibusdam ordinibus Episcopus dicit verba, & Archidiaconus tradit materiam: dico quod non est verum de illis, quæ sunt de necessitate ordinis, & per hoc patet ad illud, quod potest contra nos adduci ex capit. Quorumdam distinct. vigesima tertia, illic non refertur in illa actione, qua imprimitur character concurrisse presbyterum cum Episcopo: alias nullum fuisset sacramentum, non solum ob hanc causam: verum etiam quia simplex sacerdos non potest conferre ordinem, character enim non imprimitur per impositionem manus, sed per traditionem materiæ, & potestatis.

Ad secundam rationem de necessitate respondetur, nullam hic esse, si moraliter res consideretur, sicut institutio sacramenti requirit: Alioqui pari modo dici posset non esse necessaria verba semper: quia posset esse casus necessitatis, in quo nemo loqui possit, sed tantum efficere nutus, vel signa, quod Paludanus censet probabile, sed re uera nō est, vt diximus supra, alioqui etiam negari posset necessitas aquæ; quia potest occurrere casus in quo aqua deficiat. Sicut ergo propter huiusmodi euentus rarissimos, non est facta exceptio in institutione baptismi, sed generaliter facta est in tali materia, & tali forma, ita etiam in tali ministro, quod si extra casum necessitatis nullus auderet approbare baptismum illo modo datum a duobus, ita etiam neque in casu necessitatis censendus est validus: quia veritas, & substantia sacramenti, vt factum teneat, non aliam formam, materiam, vel ministrum requirit extra casum necessitatis, quā in illo. Non nego tamen si occurret talis necessitatis articulus posse iuxta aliam sententiam conferri baptismum: quia melius est accipere baptismum dubium, & aliquo modo probabilem, quam omnino nullum: esset tamen ille baptismus sub conditione iterandus, si postea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum baptismum ab uno, & eodem ministro.

Sed contra conclusionem adhuc instatur. Vnus potest baptizare plures, ergo plures vnum: antecedēs patet, quia simul potest perfundere duos, vel aspergere dicendo. Ego baptizo vos &c. & non videtur ibi aliquid deesse quin vterq; sit baptizatus. Tum quia idem Sacerdos potest simul plures hostias consecrare, ergo idem potest simul plures baptizare.

Præterea. Quando aliqua res ex pluribus partibus integratur eadem res resultat, quamuis partes illius a diuersis agentibus apponantur, sed baptismus constat ex ablutione, & verbis, ergo quamuis ablutio fiat ab vno ministro, & verba proferantur ab alio, nihilominus verus resultabit baptismus. Maior probatur exemplo domus: nam quamuis lapides ex quibus fit domus a distinctis artificibus apponātur, nihilominus vere fit domus, tanquam si omnes lapides ab vno artifice apponerentur, apparet etiam maior in alio exēplo vbi est maior vnitas effectus, æque enim potest nauis trahi vno tractu a pluribus, sicut ab uno habente æqualem virtutem illis.

Ad primum distinguo antecedens. quia vel intelligis, ꝙ vnus potest baptizare plures vnico baptismo, vel pluribus baptismus numero diuersis. Si primo modo falsum est, antecedens: nam plures aspersi sunt plures baptizati, & plura habent baptismata: ita etiam quamuis sacerdos proferēdo semel plures hostias consecret simul, sunt tamen ibi plures consecrationes passiuæ, & etiam posset concedi, quod essent plures Eucharistiæ sicut plures hostiæ, similiter plura vina consecrata, sicut plura vina.

Si intelligas antecedens secundo modo, concedo consequens, & consequentiam, dummodo quilibet eorum totum faciat, si autem vnus dicat verba, & alter abluat, non vere baptizaret, vt dictum est supra, ad confirmationem concedo, quod vnus sacerdos potest consecrare plures hostias.

Ad aliud dico, quod lapides a quocumque apponantur possunt esse partes domus: quia nihil tollitur de substantia lapidum propterea, quod a pluribus artificibus apponantur, & ratio est, quia quilibet lapis est aliquid in se, & ita sicut est aliquid in se, ita potest permanere, vt sit aliquid totius, hoc autem modo non est in proposito: quia nec verba sine ablutione sunt aliquid baptismi, nec ablutio sine verbis: atq; adeo non possunt esse partes baptismi: nisi sint ab eodem ministro, & si dicas, quod verum est prout separata sunt, ceterum si existant simul, possunt esse baptismi partes, possunt autem simul esse etiam a diuersis ministris. Dico quod hoc verum esset, si vnitas efficientis non esset requisita, in quantum illa constituunt vnum signum verum, & efficax. atqui si ablutio, & verba non essent ab eodem ministro, verba non essent vera, sed falsa, non sunt autem pars baptismi, vt falsa sed vt vera, ergo &c. huius autem non est alia ratio a priori nisi institutio Dei, qui sicut voluit esse vnum principale agens, ita voluit habere vnum ministrum in collatione integra sacramenti, atq; adeo non esset istud signum efficax nisi totaliter ministraretur ab eodem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vnus possit simul plures baptizare.

Titulus huius artic. bifariam intelligi potest. Vno modo quod vnus baptizet plures manifeste distinctos, nimirum Petrum, & Ioannem; alio modo non manifeste distinctos, vt si esset monstrum de quo dubitatur, an sit vna persona, vel duæ. Quo ad primum membrum respondet Scotus ad difficultatem tribus conclusionibus.

Prima Conclusio. si aliquis plures simul baptizaret dicens. Ego vos baptizo, essent baptizati. hanc conclusionem docet Alexander de Ales, parte quarta, quæstione octaua, memb. sexto, articulo septimo, vbi ita scribit. quotquot quis immergere simul, vel perfundere potest aqua, tot potest baptizare simul, dicendo baptizo vos, quoniam hæc forma baptizandi non est aliena a forma insinuata a Domino, licet differens a forma communi instituta ab ecclesia: nihilominus, quia forma ista non est ita extranea a forma ecclesiæ, vel a forma data a Domino, quin aliquo modo includatur in illa, dici potest quod in huiusmodi modo baptizandi saluatur debita forma verborum. Idem docent Diuus Thomas, & Diuus Bonauentura, Richardus, & Sotus locis supra citatis, & probatur, quia sic videtur factum esse in eo die, quo Apostoli tria millia hominum baptizauerunt, prout legitur. Act. c. 2.

1 Conclusio — *Alex. de Ales* — *D. Thom. D. Bonau. Richardus. Sotus.* — *2 Conclusio*

Secunda Conclusio. Si id fieret propter vrgentem necessitatem, quæ non sineret eos singillatim posse baptizari, nō peccaret Minister: hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. h, §. An autem casus &c. & probatur: quia ecclesia in tali casu noluit ministrum ad formam consuetam arctari cum periculo salutis alterius; sed possent plures periclitari, nisi simul a ministro baptizarentur, ergo in tali casu licitum erit ministro plures baptizare simul. Et confirmatur: quia si in quocumque casu esset peccatum mortale vti illa forma, ego baptizo vos &c. cum posset accidere casus de pluribus statim morituris, si eiusmodi casus non excusaret ministrum vtentem illa forma, nullus deberet eos simul baptizare, quia nullus debet salutem alterius procurare peccando in se mortaliter, atque adeo præcluderetur alicui via salutis, quod est impium dicere, & in hac conclusione conueniunt omnes.

Tertia Conclusio. Extra casum necessitatis esset peccatum plures simul baptizare, & mortale quidem, iuxta sententiam Scoti in hac quæstione sub litt. f. quem sequitur Gabriel hac dicta quæstione prima, articulo secundo, conclusione septima, & eam innuit Alexander, vbi supra dicens, quod nullo modo debet fieri nisi in articulo mortis, vt si quando singulos baptizaret sigillatim, aliquis eorum foret mortuus antequam alios baptizasset, & probatur: quia non conformans se ecclesiæ in sacramentorum ministerio peccat mortaliter, nisi necessitas excuset, excusat autem necessitas, cum imminet, a peccato mortali. Dicit tamen Sotus vbi supra, quod si absque scandalo id fieret secreto, non est cur tam graue peccatum censeatur.

3 Conclusio — *Scotus. Gabriel. Alex. de Ales. Sotus.*

Sed dubiū est an ibi esset tm̄ vnius baptismus, vel plures.

Quidam

Digitized by Google

Quidam dicunt, quod habendo respectum ad baptismum sic sunt plures; si ad baptizantem, & formam, & actionem sic est vnus. Alij dicunt, quod si baptismus supponat pro lotione actiua, vnicus est baptismus: quia vnica lotio, si uero pro lotione passiua, sunt plures, sicut plures sunt lotiones passiuæ. *Paludan.* Paludanus in 4.d.3.q.2.art.3. dicit, quod si baptismus supponit simul pro lotione, & omnibus, quæ sunt de essentia baptismi, tunc sunt plures baptismi, tot, quot baptizantur: quoniam quando aliquid componitur, vel aggregatur ex pluribus, plurificato aliquo eorum, ex quibus cõponitur, vel aggregatur, quorum quodlibet cũ cæteris constituit totum, totum plurificatur, vnde si ex aceruo lapidum tollitur lapis, vel additur non est idem, qui prius, & quia plures sunt baptizati, quorum quilibet cum requisitis cæteris facit baptisma, plures sunt baptismi: si vero baptismus supponat pro sola lotione, & cętera connotat, est vnus baptismus: quia vna lotio, vna perfusio, vel aspersio, & hoc accipiendo lotionem actiuè.

Scotus. Cæterum Scotus in hac q. sub litt. f. dicit quod essent plures baptismi; quia ibi essent plures ablutiones passiuæ: baptismus enim est ablutio passiua: nã baptizatus proprie suscipit baptismum: proprie autem suscipit ablutionẽ passiuam, & non actiuam, ergo &c. eamdem sententiam sequitur *Sotus.* Sotus loco supracitato. Sed contra, in eo casu non esset nisi vna forma baptismi. ergo esset tantũ vnus baptismus, probatur consequentia: quia esse, & vnitas est a forma. Respondetur, quod licet illa forma non esset nisi vna formaliter, esset tamen plures æquiualenter: nam ly. vos diuisiue accipitur, & valet idem, quod singulare geminatum. f. te, et te; & licet actio, nimirum aspersio esset vna; formaq; vna, nihilominus tot essent baptismata. quot aspergerentur cũ debita intentione, & forma etiam quamuis sit vna, æquiualenter tamen, vt diximus est plures: quia plurale vos includit singularia, & cum ablutio baptismi accipiatur passiue, ad multiplicationem subiecti, dum baptizantur plures, multiplicantur baptismata.

Quo ad secundum membrum, monstrum aliquod nasceretur, de quo esset dubium an esset vna, vel duæ personæ. *Scotus.* dicit Scotus, quod debet fieri diligens inquisitio antequam baptizetur, an sit vna, vel plures personæ. huiusmodi autem inquisitio fieri potest dupliciter; vno modo ex partibus corporis, altero modo ex actibus diuersis intellectus, & voluntatis. Priori modo, vt si monstrum haberet duo capita, vel duas spinas dorsi; vel quod esset principale indicium, si haberet duo corda; quod bene cognosci posset ex alio, & alio motu, seu pulsu cordis in diuersis corporis partibus, vel posset coniecturari considerando, quomodo latera concurrunt in medio pectoris, & in spina dorsi; si.n. ibi appareat prominentia maior debito in vno corpore, & maxime si appareant quasi duæ gibbositates in longũ protensæ, quasi ex lateribus concurrentes, hoc est signum quasi manifestum, quod subtus latent duo corda.

Dixit autem Scotus, quod principale indicium, quod sint duæ personæ, est indicium de duobus cordibus, quoniam vbi sunt duo corda, sunt receptacula duarum animarum, at si non sit nisi vnum cor, quantumcunq; sint geminata membra exteriora, non est præparatum nisi vnicũ receptaculum vnius animæ, & ratio est quia sic procedit mẽbrorum formatio: nam virtus existens in semine format sibi inter omnes partes, & membra primo cor. & secundum Philosophum 1. de animalibus, est operans in semine sicut manus artificis in scamno, & ab illo formato dirigit vires ad formationem cęterorũ membrorum, & est prima origo omniũ membrorum, & venarum, contra opinionẽ quorumdam Medicorum, & tunc cum formato corpore anima infunditur licet tota sit in toto corpore, ordine tamen quodã naturæ perficit primo cor, & per ipsum cætera membra, sicut a virtute cordis nutriuntur, & conseruẽtur, vnde dicit Philosophus quod diuinum mẽbrum est cor, & eius inhabitator est anima.

Qui vult ergo discernere in monstro tali habente duo colla perfecta, et similiter duo capita cum sensibus suis, siue alia membra sint geminata, siue non, vt sub duobus collis sitis quasi in humero vno, residuum corporis sit quasi vnius hominis, an sint duæ animæ perquirere dẽt an in eo sunt duo corda; quia si sic, procul dubio quicquid appareat in alijs membris, duplex erat virtus seminaria, & formatiua ad minus, quo ad diuersos actus informandi corda in diuersis partibus materiæ, & sic vbi semina concurrunt fortificantur, & præparata sunt duo receptacula duarum animarum. Quale erat monstrum duorum capitum, & collorum perfectorum, quod vnũ habuit caput nigrũ, & multũ pingue, sed austerum; alterum vero caput subalbũ, & multum macilentũ, sed pium, & quatuor brachia licet nõ perfecta, & similiter quatuor manus, & erant duo brachia perfecta cum perfectis manibus sita suis locis, vnum procedens ex humero lateris vnius capitis, aliud ex alio humero ex latere alterius capitis; & alia duo parua brachia cum paruis manibus exibant inter duo capita ex parte dorsi ad modum, si duo a lateribus iungerẽt se strictissime, & brachia laterum contingentium se haberent extenta ad partẽ posteriorem inter eos: Quæ duo corpora non erant vere continuata sed opere naturæ inseparabiliter per totum consolidata ab humeris vsq; ad anum, ita ut nullum membrũ erat organum, aut partẽ membri habebant commune illa duo corpora. in eiusmodi monstro erant certe duo corda, atq; adeo duæ animæ. At vbi non essent in monstro duæ gibbositates in longũ protensæ quasi ex lateribus concurrentes, non posset faciliter esse euidens in illo esse duo corda, dum viuit.

Sed nec signum de duobus capitibus esset omnino certum: quia possibile est aliquam cellulã in matrice esse perforatam per totũ, præterquam in parte superiori, & tunc concurrentes partes seminis cadentes in diuersis incastraturis matricis pro tota parte inferiori matricis, & tunc distinguerentur in parte suprema, & ibi formarentur duo capita, cum tamen reliqua materia non sufficeret nisi pro formatione vnius personæ. Sunt.n. in matrice plures incastraturæ, quasi plures cameræ secundum numerum fętuum, qui possunt simul formari in fœmina cuiuscumq; speciei animalis, & singulæ incastraturæ ab inuicem villulis, quasi parietibus distinguuntur: quæ villulę quandoque sunt integræ, & semina recepta in eis nequaquam possunt concurrere, quandoq; ex aliqua parte ruptæ, vt semina in duabus incastraturis existentia ibi necesse habeant concurrere. Cum ergo totum semen in vna incastratura recipitur, tunc totum vnica vi caloris illius incastraturæ confouetur semen, & totum seminale, vigens in calore seminis excitatũ calore illius partis matricis incipit materiam coagulare ad fœtus formationem, secundum quod dicit Macrobius. Semen quod post iactum sui intra horas septem non fuerit in effusione relapsum, hæsissem vitam pronunciatur. *Macrobius.* Verum semine semel intra formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex natura molitur, vt die septimo folliculum seminum circundet humori ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriori testa clauditur, & intra se claudit liquorem &c. vt ibidem determinat, ita vt quinta hebdomada in ipso describatur humana figura magnitudine quidem apis, vt in illa breuitate membra omnia, & totius corporis lineamenta consistant, & hoc intelligendum est materia adhuc existente sub forma abijcienda.

Cum autem fuerit abundantia seminis, ita vt cadens in matricem portio vna recipiatur in vna incastratura sicut in vna moneta, & alia recipiatur in alia, sicut in alia moneta, & villula matricis integra conseruauerit perfecte has partes ab inuicem, in qualibet illarum partium, & inclusũ diuersis pelliculis, & si plures recipiantur simili modo virtute caloris illius incastraturæ incipit proprium seminariũ mouere materiam ad productionem proprij fœtus, & plura seminaria ad productionem plurium fętuum perfectorum. Si vero fuerit tanta abundantia seminis, vt pars cadat in vna incastratura, & pars in alia, & per rupturam villulæ, quæ deberet esse vt paries inter duo semina, ex vna parte, puta versus locum formationis partis inferioris, vt ibi necesse habeant semina concurrere, integra autem ex illa parte in qua debent formari partes superiores fœtus, vt semina ibi non concurrant, tunc formatur monstrum. f. homo cum duobus capitibus, vel quatuor brachijs &c.

Sed quicquid sit de hoc, inquit Scotus, quod euidentissimum signum distinguendi an sit vna, vel plures personæ est per actum intellectus, & voluntatis. Si enim sunt duæ animæ non est necessarium vnam scire, quicquid scit alia, & velle quicquid alia vult. Verũ raro, vel nunquã accidit, ꝙ sint duæ animæ quin sint duo capita, licet non ẽ conuerso, & si quo modo posset deprehẽdi diuersitas intellectuũ in intelligẽdo, puta ꝙ per aliquod signũ deprehenderetur

Digitized by Google

idem sciri, & nesciri; vel posset deprehendi diuersitas voluntatum, puta, quod ibi essent velle, & nolle de eodem: absque dubitatione tenendum esset, quod essent ibi duæ animæ; sed istud non posset perfecte iudicari, nisi de monstro adulto, quale ponitur fuisse in Francia habens duo capita, & superiora separata, quod in quibusdam alijs partibus erat vnum continuum, & procedente ætate, vt loquebatur in vno capite, & in alio, ita, vt quasi diuersæ personæ altercarentur frequenter inter se, & quando vna voluit comedere alia voluit ieiunare; & quando per vnū os nimium comedebat, per alterum os conquerebatur se grauari. Item quando vna voluit orare, altera vero voluit iocari, & vna erat talis, quod voluit luxuriari, & esse dissoluta, altera vero voluit esse religiosa, & vna moriebatur longo tempore ante aliam, & erant coniunctæ vna viua, & altera mortua.

Lyranus. Hoc monstrum, vt dixit Lyranus super illud Gen. 1. Masculum, & fœminam creauit eos, natum fuit in confinio Normaniæ, & Britaniæ, anno Domini 1322. tempore Philippi Regis Franciæ, quod ab vmbilico sursum duæ mulieres erant, deorsum vero vnum corpus, & vna fuit mortua plusquam per annum ante aliam, ex cuius cadaueris fœtore alia mortua est; quæ re vera nullo modo potuissent contigisse, si fuissent vna persona, & vna sola anima informaretur totum monstrum.

Scotus. Vnde si tale inueniretur monstrum, quod vt sic perpendatur duas habere animas, dicit Scotus, quod quælibet persona per se baptizari debet, ita, vt persunda ur per se ista pars, & illa cū iteratione formæ in singulari super vtrumque. Si vero certitudo haberi non possit, sed dubitatur an sint duæ animæ, debet minister determinatam habere intentionem ad determinatum baptizatum: quia si determinatio deficiat nihil agitur: Nam si contingeret, quod in rei veritate essent duæ personæ, & dirigeret intentionem quasi ad vnum solum, non determinando quemquam illorum, nihil omnino ageret, & neuter illorum esset baptizatus. Vnde in dubio siue sint duo, siue non, vtrumque per se apparens secundum capita debet baptizari sigillatim, ita, vt vna pars baptizetur absolute, & alia postea sub conditione, dicendo, si tu non es baptizatus ego te baptizo, iuxta formam quæ in dubijs ponitur extra de baptismo, & eius effectu, c. De quibus. Et tunc si duo sunt, ambo baptizati sunt, & si tantum vnus ille etiam baptizatus est: quia in quacumque parte apparet re si puer cognoscitur esse viuus baptizari potest. Ex his ergo concluditur, quod si in monstro essent duæ personæ essent sigillatim baptizandæ. Vel si simul baptizarētur sub hac forma, Ego baptizo vos quamuis minister peccaret sine necessitate: quæ non posset de facili inueniri talis, quod non posset expectari sigillata baptizatio eorum, essent tamen duo baptismi, sicut dictum est supra in 3. art.

QVÆSTIO III.

Vtrum requiratur in sacramento Baptismi ablutionem, & prolationem verborum simul concurrere.



Haec quæstio facilis est, & diuisionem non patitur. Ratio autem dubitandi est, quia in sacramento Eucharistiæ verba consecrationis panis non sunt simul cum verbis consecrationis vini, sed longa interpositio est inter illa, & nihilominus verum, & vnicum sacramentum conficitur, ergo quamuis in baptismo verba, & ablutio nō concurrant simul, erit verus baptismus.

Conclusio. Vnde pro solutione quæstionis pono primo hanc conclusionem, quæ certa est apud omnes Doctores, nimirum quod verba debent simul concurrere cum ablutione in sacramento baptismi, alter non erit verus baptismus. probatur, verba sine ablutione non significant gratiam, ergo sine ablutione non erunt pars baptismi; igitur, vt sint pars baptismi necesse est, quod simul concurrant cum ablutione. Probatur antecedens: quia verba nō significant gratiam nisi ex institutione Christi; sed Christus nō instituit, quod significarent gratiam sine ablutione, ergo absque ablutione non significant gratiam.

Secundo probatur. Verbum baptizo significat tempus præsens, ergo nisi tunc fiat ablutio falsa erit forma, atque adeo nullus erit baptismus, & confirmatur ex D. August. homil. 80. super Ioan. & refertur 1. qua st. 1. cap. Detrahe. *D. Aug.* Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, sed verbum accedere ad elementum est ablutionem, & verba simul concurrere, ergo vt fiat sacramentum baptismi necessum est, quod verba simul cum ablutione concurrant.

Sed dubium est, quanta simultas requiratur inter ablutionem, & verba. De hac re sunt tres opiniones. *Dubium.* Prima est Glossæ super illud cap. Detrahe. 1. quæst. 1. dicentis, quod *Opinio Glossæ.* tanta simultas requiritur verborum, & ablutionis, quod si in vltimo instanti, quo verba terminantur, puer non esset in aqua, idest, si antequam diceretur, & Spiritus sancti, iam puer eleuatus esset de aqua, non esset baptizatus: quia aqua secundum illam Glossam per se non est sacramentum, sed quando coniuncta est cum verbo in vltimo scilicet instanti prolationis ipsius formæ, in quo forma terminatur, & in quo instanti solum aqua est sacramentum.

Vnde observ. est, quod Glossa explicans illud cap. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua, & c. inquit. Detrahendest, si aliquis immergat aliquem, & non proferat verba, aut hoc iteraquia non solum elementum, nec sola verba ad hoc sufficiunt. Vel aliter, quidam baptizant tantum in nomine Patris, & Spiritus sancti, & tunc expone detrahe verbum, id est, filium, quid est aqua nisi aqua. o. d. non est ibi baptismus. de consecrat. d. 4 c. In synodo. Vel aliter detrahe verbū ab aqua, id est forte à, & non erit sacramentū baptismi. Et nota, qd Gandulphus dixit, quod ipsa aqua fit sacramentum, sapiunt elementum, arg. de consec. d. 2. c. sacrificiū. Vnde si asinus bibat aquam illam, bibit sacramentū, cut de mure diximus, de consecrat. d. 2. qui bene non custodiunt. Alij dicunt, quod impossibile est, quod asinus bibat sacramentum: nam dicunt, quod aqua illa in eodem instanti incipit, & desinit esse sacramentum, scilicet, in vltima prolatione ipsius formæ, baptizo te in nomine Patris, &c. vt no tam de consecrat. d 4 cap. t. Sed per alias orationes, quæ primo fundantur super ipsam aquam, non sit aqua hoc, ita verum est secundum eos; quod si in eo instanti, quo forma finitur, & aqua fit sacramentum, puer non esset in aqua, sicut ta ante quam dixisset, Spiritus sancti, leuasset eum de aqua, non esset baptizatus. Nec est mirum, si incipiat, & desinat esse in eodem instanti cum sit idem etiam in alijs casibus secundum legem; Nam si quid mihi debetur sub conditione, & illud accepero, tūc ante existentiam cōditionis, si post existat conditio eodem instanti incipit, & desinit esse debitum, ff. de acceptila. l. antepenultima, & 1 quod in diem, vt dicit lex. Sed falsum est, quod lex dicit: quia intelligitur olim liberatur, vt ff. de solut. sub conditione, debitor. Melius potest dari exemplum in seruo dato à viro vxori, vt eum manumittat; nam in eodem instanti incipit, & desinit habere dominium, ff. de don. inter vir. & vxor. quod autē, §. vltim. arg. hic in fine contra, quia alius est sonus, &c. Sed quod dicit, quod virtus permanet nō intellige in aqua, sed sed in puero. Item arg. contra, ff. de visufru. Tertio eum moritetur. Item aliud exemplum potest poni vbi quis simul incipit, & desinit esse debitor, vt ff. de Velleia. debitrix. Hactenus illa Glossa.

Sed hanc opinionem reijcit Doct. dicens, & merito has *Opinio secunda.* esse subtilitates Bernardicas. i. Bernardi illius Glossatoris decreutalis: quia aqua neque ante prolationem verborum, neque in prolatione, neque in vltimo instanti, neque sine verbis, neque cum verbis est sacramentum, sed ablutio facta in aqua, ad quam bibendam non potest venire aliquis asinus: & ideo Scotus appellat obiectiones, & subtilitates eorum asininas: quia timent ne asinus bibat sacramentum: itaque merito hæc opinio refellitur à Doct. nostro sub. Neque enim talis simultas vltimi instantis prolationis verborum, & ablutionis est necessaria: Nam Apostoli baptizantes tria millia vno die, sicut legitur Act. 2. non semper cum vltima syllaba formæ aspergebant baptizatos, itaque in illo instanti aqua tangeret illos. Quod autem ipse adducit virtutem aliquam esse in aqua, & statim desinere, nihil est: propter intelligendo verba: quia permanet is quando desinit esse non est, sed quando incipit esse est: habet enim primum sui esse & non vltimum, ergo si simul incipiat, & desinat, simul est, & non est.

Vnde obseruat, quod quatuor sunt instantia, s. primū instans esse rei, & primum instans non esse rei. Vltimū instās esse

Digitized by Google

esse rei, & vltimum instans non esse rei. Primum instans esse rei est illud, in quo est verum dicere; hæc res nunc est, & ante hoc non fuit. Sed primum instans non esse rei est illud, in quo verum est dicere, hæc res nunc non est, & immediate ante hoc fuit. Vltimum instans esse rei est illud, in quo verum est dicere, hæc res nunc est, & immediate post non erit: at vltimum instans non esse rei est illud, in quo uerum est dicere, hæc res nunc non est, & immediate post hoc erit. Vnde si permanens simul, idest, in eodem instanti inciperet, & desineret, pro eodem instanti esset, & non esset: Nam quia incipit esse, & permanens habet primum sui esse, uerum esset dicere, hoc permanens nunc est, & ante hoc non fuit; et si pro eodem met instanti desineret esse; cum habeat ultimum sui non esse, uerum esset dicere, hoc permanens nunc non est, & ante hoc fuit, ergo desinit esse, atque ita pro eodem instanti esset, & non esset. Pari modo uirtus illa, simul inciperet, & desineret esse, ex eo quod incipit esse uerum est dicere, hæc uirtus nunc est, & immediate ante hoc non fuit; ex eo autem quod in eodem met instanti desineret esse; pro eodem instanti esset uerum dicere, hæc uirtus nunc non est, ergo pro eodem instanti esset, & non esset. Nec uerum est, quod in aqua sit aliqua virtus supernaturalis ponenda in illo vltimo instanti: quia nec in aqua, nec in ablutione, nec in verbis est ponenda aliqua virtus ad hoc; quod causet effectum, vt dictum est, distinct. 1. quæstio. 5. Et ad illud exemplum de domino, & seruo, dicit Scotus, quod hoc nihil aliud vult nisi, quod dominus desinit esse dominus sicut erat, & incipit esse dominus alio modo: quia prius erat dominus immediate, & incipit esse dominus mediate: quia iam seruum suum dedit vxori. Posset etiam dici, quod vxor per aliquod tempus est Domina famuli manumittendi, requiritur enim tempus antequam dominium serui accipiat, & manumittat, & illo quod in instanti terminante illud tempus sit domina serui, requiritur tempus ad manumittendum, atque ita est domina pro tempore; & eodem modo responderi potest ad illud, quod in eodem instanti incipit, & desinit esse debitor.

Opinio Soti. Secunda opinio est Soti in 4. distinct. 3. quæst. vnica, articulo octauo, dicentis, quod sufficit illa simultas inter ablutionem, & verba, qua humano more aliqua dicuntur esse simul facta: Vnde inquit, quod quamuis verba essent omnino finita, si protinus ablueretur puer; vere esset baptizatus, probatur: quia tunc humano more verba, & ablutio dicerentur esse simul; & probat a simili: quoniam si aliquis dicat, en osculor crucem, & statim, osculetur crucem, censetur id facere, & dicere simul; quamuis verba sint iam finita, quando crucem osculatur. Pariter, si aliquis vas ori admouens dicat: en bibo, & continuo bibat, simul censetur id dicere, & facere; pari ratione, si quis dicat. Ego te baptizo, & continuo mergat far et, vt verba dicantur simul esse cum ablutione, & consequenter vnus erit baptismus.

Opinio ergo Soti est, quod licet paulo ante ablutionem finiatur formæ prolatio, nihilominus mersio continuo subsequens pars erit sacramenti: atque adeo si baptismus fiat vnica mersione; nihil periculi est, si prolata tota forma confestim post verbum Spiritus sancti, fiat mersio; si vero tantum temporis interponeretur, vt secundum vsum humanum forma, & ablutio non essent simul; tunc nullum perficeretur sacramentum, & in hanc suam sententiam citat ipse Doctor. nostrum sub. & certe occasionem dedit Scotus existimādi, quod esset in hac opinione: quia dicit sufficere, quod verba, & ablutio sint simul ea simultate, quæ requiritur in actibus humanis.

…ratio Scot. Cæterum si vt iacent intelligantur verba Scoti, ex ipsismet verbis clarius sole colligitur ipsum diuersam habuisse sententiam a Soti opinione. Dicit enim aperte necessarium esse, quod verba non finiantur, antequam ablutio incipiat fieri. Tunc enim dicit Scotus iudicatur simultas inter factū hominis, & illius verbum, quando homo incipit vnum, antequam totaliter finiatur alterum, v. g. si quis proferat hanc orationem. Perge Arretium, & barbam fricet; vel incipiat fricare barbam ante prolationem orationis, siue e conuerso, dum tamen vnum non finiatur, complete ante inceptionem alterius vere iudicatur ille simul hoc dixit, & fecit illud; Cum ergo administratio sacramēti sit actus humanus, ad eam simultatem est dicendum Christum nos obligasse, quæ in actibus humanis sufficit, vt factum hominis dicatur simul esse cum verbis ab illo prolatis; atque adeo secundum Scotum verus erit baptismus dummodo prolatio formæ non finiatur ante inceptionem ablutionis, neque ablutio finiatur ante inceptionem prolationis verborum. Non habuit ergo Sotus recte intentionem Doct. sub. nec bene ipsum explicauit.

Refellitur opinio Soti. Imo ista ampliatio sententiæ Doctor. nostri facta per Sotum, non est multum secura: quia necessarium est, quod verba sint simul cū ablutione: at si verba essent finita, quando incipit ablutio, non essent simul cum ablutione, ergo ibi non esset baptismus. probatur minor: quia nihil dicitur esse simul cum illo, quod non est, ergo si verba sunt finita, quando incipit ablutio, cum iam verba non sint, non dicentur esse simul. Præterea si postquam verba sunt prolata inciperet ablutio, verba essent falsa, ergo non fieret verus baptismus, probatur antecedens: quia verba significant, quod minister baptizat in tempore præsenti; at si verba prius finiantur, quam incipiat ablutio, non baptizat in tempore præsenti, sed in futuro baptizabit, ergo verba sunt falsa.

Nec valet exemplum Soti, de eo qui dicit, en bibo, & statim bibit, & de eo, qui dicit, en osculor crucem, & protinus osculatur, qui dicuntur simul dicere, & facere: quia in huiusmodi exemplis non potest esse maior simultas. Non enim dum dicit en bibo, bibere potest: quia illi duo actus non possunt esse simul pro eodem instanti, & ideo illa simultas satis est vt dicatur ille simul dicere, & facere, etsi prius dicat, quā faciat; at in proposito nostro, actus prolationis verborum, & ipsa actualis ablutio possunt esse simul pro eodem tempore: atque adeo non erit verum dicere, quod sint simul si prolatio verborum sit finita ante ablutionem, vel e conuerso.

Et certe res grauissima est, neque propter opiniones dimittenda in dubio, ideoque vt verior, & securior, sequenda est sententia Doctoris nostri, quæ fuit etiam sententia Alex. de Ales. par. 4. quæstio. octaua, memb. 3. articulo quarto, §. 6. ad finem, & Richardi, distinct. 3. artic. 4. quæst. 2. quam sequuntur Bassolus hac distinct. quæst. 1. articulo 2. Rubion eadem distinct. quæstio. 1. artic. 2. & Caiet. tomo primo opusc. tract. 26. ac etiam Gabriel. hac dist. q. 1. art. 2. conclus. 8. qui omnes affirmant, quod immersio in aqua, & prolatio verborum debent esse simul, & quod simul esse dicuntur, quando vnum non est complete finitum antequam alterū incipiat, ideoque iuste vt dicit Pater Ouando dist. 3. 4. propos. 9. in quodam oppido vicino ordini nostro D. Iacobi pueri a quodam curato post verba prolata immersi, iussi sunt denuo baptizari. *Alex. de Ales. Richardus. Bassolus. Rubion. Caietan. Gabriel. Ouando.*

Ad rationem dubitandi in principio quæstionis positā, nego consequentiam; quia dispariter Eucharistia, & baptismus sunt vnum sacramentum. Eucharistia enim est vnum sacramentum vnitate integritatis, baptismus vero est vnus vnitate indiuisibilitatis: in sacramento enim Eucharistiæ quælibet pars potest esse sacramentum saltem partialiter: Nam potest consecrari hostia sine vino, etiam potest remanere sacramentum sub speciebus vini, et licet quod non remanet corpus Christi sub speciebus panis, vere enim species vini continent corpus Christi, sicut species panis: at in baptismo non est ita: quia verba nunquam possunt esse sacramentum sine ablutione, neque ablutio sine verbis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum requiratur in sacramento baptismi personalis distinctio inter baptizatum, & baptizantem.

HAec quæstio etiam facilis est, neque partitione indiget. Ratio dubitandi est: quia sacerdos potest sibi ipsi dare sacramentum Eucharistiæ, ergo videtur quod possit seipsum baptizare.

Item virtus baptismi attenditur in proprijs verbis, & elemento debito, iuxta illud D. August. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum; sed baptizans seipsum dicēs, ego baptizo me ipsum, vtitur proprijs verbis, & elemento debito, ergo accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. *D. August.*

Præterea si aliquis non posset seipsum baptizare videretur alicui præcludi via salutis. Cum dicatur Ioā. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Vnde quia baptismus est sacramentum necessitatis indultū est omnibus sine distinctione

Digitized by Google

in necessitate posse baptizare alium. Quare igitur eadem ratione non erit homini indultum in eiusmodi necessitate posse baptizare se ipsum.

Innoc. III. Deinde Innocentius III. scribens episcopo Metenensi extra de baptismo, & eius effectu, cap. Debitum, dicit. Sane intimasti, quod quidam Iudæus constitutus in articulo mortis, cum inter Iudæos tantum existeret, seipsum in aquam immersit dicendo. Ego baptizo me in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et parum infra dicit. Si talis continuo decessisset protinus euolasset ad patriam cœlestem; ex hoc ergo videtur velle, quod fuerit baptizatus: quia nullus patriam celestem ingreditur, nisi renatus sit ex aqua, & Spiritu sancto. Et si dicatur, quod baptizatus fuisset baptismo flaminis: quia ibidem subiungit propter sacramenti fidem, & si non propter fidei sacramentum; hoc non est verum: quia baptizati tantum baptismate flaminis non statim euolant, quia talis baptismus non tollit omnem pœnam.

Hic tamen non obstantibus veritas est in oppositum. Vnde de hac re agitur lib. 3. Decretalium extra de baptismo, & eius effectu. cap. 4. Debitum. Vbi Innocentius III. respondens episcopo Metenensi de Iudæo, qui se ipsum baptizauit. Quæris, inquit, an iste sacramentum baptismi receperit, vbi Papa respondens dicit, quod non, ad quod probandum adducitur figura, authoritas, & ratio congrua: Figura est, quia Christus non à se ipso, sed à D. Ioanne Baptista in Iordane baptizari voluit. Authoritas colligitur ex cap. vlt. D. Matth. vbi legimus Christum præcepisse Apostolis. Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, &c. vbi discipulos baptizantes exprimit in secunda persona; & baptizandos in tertia, ergo in baptismo requiritur personalis distinctio inter baptizantem, & baptizatum.

Ratio quæ innuitur ibi. i. in illa decretali est ista. Quia in baptismo celebratur illa spiritualis generatio, de qua veritas dicit Ioa. 3. oportet vos nasci denuo; sed in generatione carnali alius est, qui generat, & alius qui generatur, ergo in spirituali generatione, quæ fit per baptismum, alius debet esse ministerialiter generans, & alius qui spiritualiter generatur; atque adeo requiritur in baptismo distinctio personalis inter baptizantem, & baptizatum, & per consequens nemo potest se ipsum baptizare.

Rubion. Rubion hac d. q. 2. art. 1. dicit, quod ista ratio parum valet: quoniam spiritualiter generans baptizatum non est alius nisi Deus; & si dicatur, quod verum est causaliter: tamen ministerialiter ab illo etiam baptizatus spiritualiter generatur, à quo sacramentum baptismi sibi ministratur. Sit ita, inquit, sed ex hoc non habetur, quin hoc modo idem posset spiritualiter generare se ipsum; cum hoc modo generare non sit nisi sacramentum ministrare, ad quod sequitur esse gratiæ ab alio effectiue, nempe à Deo. Non videtur autem inconuenientius eumdem posse sibi ipsi ministrare baptismum, quam Eucharistiæ sacramentum. Vnde quod aliquis non possit se ipsum baptizare, non video, inquit, quod sit alia ratio nisi sola Christi institutio, quæ ex verbis eius colligitur, quibus dixit Apostolis Mat. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c. In his verbis Saluator discipulos baptizantes seu baptizare debentes expressit in secunda persona, cum dixit, baptizate, baptizandos vero in tertia, cum subiunxit, eos. Ipse etiam Christus baptismum instituens, ipsum baptismum nullum sibi debere ministrare nec posse, sed ab alio accipere debere ostendit, cum ipse non à se ipso, sed ab alio, videlicet à Ioanne voluit baptizari. Idem

Bassolus. docet Bassolus d. 5. q. 1. ar. 3.

Ale. de Ales Vnde Alex. de Ales p. 4. q. 8. m. 6. art. 8. assignat huius rei aliam rationem dicens, quod non posset seruari forma baptizandi instituta ab Ecclesia iuxta formam traditam à Christo Matth. vltimo, vel forma tradita à Domino cum dicitur. Ite baptizantes eos, vbi insinuatur distinctio personalis

D. Bonau. inter baptizantes, & baptizatos, D. etiam Bona. d. 5. art. 1. q. 1. in secunda q. laterali, addit, quod deficeret ibi ratio significationis: quia enim in baptismo significatur mundans, & mundatus spiritualiter, & hoc non potest esse idem sed alius, ita necesse est etiam, quod sit in sacramento; sed hæc ratio parum valet: Idem enim potest mundare se ipsum. Ideo rationes Innocentij sunt potiores.

Scotus. Ad primam rationem dubitandi dicit Scotus, quod receptio Eucharistiæ non est sacramentum, sicut dicitur in materia de Eucharistia; sed est comestio seu perceptio sacramentalis: quando enim sacerdos accipit corpus Christi non perficit sacramentum: sed illæ species panis, & vini, & albedo rotunditas, & sapor sunt sacramentum: quia sub illis continetur corpus Christi; sumptio autem, vel susceptio illarum specierum non est sacramentum Eucharistiæ, sed vocatur communio; similiter in sacramento baptismi aqua nō est baptismus, sed ablutio facta in aqua cum præscripta forma verborum est sacramentum baptismi; atque adeo abluere est sacramentum efficere. Ideo non est simile de baptismo, & Eucharistia.

Et si dicas, sacerdos saltem ministrat sibi sacramentum Eucharistiæ, ergo pari ratione poterit aliquis sibi ministrare sacramentum baptismi. Respondet Scotus, quod ministrare sacramentum Eucharistiæ non est sacramentum: quia sacramentum illud non consistit in vsu: Ministrare autem sacramentum baptismi est ipsummet sacramentum: ratio vero diuersitatis talis est; quia sacramentum baptismi consistit in vsu essentialiter, & non in aqua, vt dictum est, q. præcedenti. Sacramentum autem Eucharistiæ est permanens distinctum ab vsu sacramenti. Quamuis ergo aliquis possit esse minister vsus sacramenti permanentis, & illum vsum suscipiens; non tamen potest in sacramento, quod essentialiter consistit in vsu.

Ad secundam dico, quod in tali casu non accedit verbum ad elementum: quia ibi verbum dicitur forma insinuata à Christo Domino, & præscripta ab ecclesia, quæ est, ego baptizo te, & non ego baptizo me, atque adeo baptizans se ipsum, vel diceret baptizo te, vel baptizo me si dicat baptizo me non seruat formam ecclesiæ, atque ita non accedit verbum ad elementum, si dicat baptizo te, est falsa propositio illa, & per consequens non potest esse forma baptismi veri.

Ad 3. dico, quod propter hoc nō est præclusa via salutis: quia in articulo necessitatis volens baptizari, & nō habeat qui baptizet eum, si moriatur saluatur per fidem sacramenti habens baptismum flaminis, qui in necessitate supplet defectum baptismi fluminis. Ad confirmationem dico, quod non est simile; quia cum illa indulgentia obseruari potest forma baptismi, & ideo indultum est, quod in casu necessitatis possit quilibet alium baptizare, at cum alia forma baptismi seruari non possit: Num forma baptismi est, ego baptizo te, Non ego baptizo me.

Ad 4. dico, quod regulariter loquendo verum est, quod baptizati baptismo flaminis non statim euolant, interdum tamē sicut magnitudo contritionis sufficit ad deletionem pœnæ debitæ pro culpa; vnde contritus si decederet statim euolaret; ita magnitudo fidei sufficit baptizato baptismo flaminis cum contritione ad deletionem reatus, vnde si fieba ptizatus decederet statim euolaret, qualis forte fuit fides illius Iudæi, de quo loquitur illa decretalis.

QVÆSTIO V.

Verum in baptizante requiratur intentio baptizandi.

PRo explicatione huius tituli obseruandum est, quod obiectum intentionis ministri baptismi potest esse duplex: primo. n. intendere pro actum illum ablutionis, quē exercet: secundo potest intēdere finē illius actus vel ablutionis baptismalis; hoc secundo modo magis propriè accipitur intētio: quia magis respicit finē propter quē intenditur, sed primo modo accipitur intentio à D. Aug. lib. 9. de Trinit. c. vlt. vbi dicit, quod intētio copulat intelligentiā cum parente, i. intelligentiam cum obiecto, & hoc etiam modo accipitur intentio à philos. 2. phy. t. c. 9. & inde; vbi distinguit agens à proposito, & ex intentione, contra agens naturale. *Obiectum intentionis ministri baptismi est duplex.* *D. Aug.* *Arist.*

Secundo obseruandum est, quod triplex intentio potest in ministro sacramenti intelligi, prima est intentio seu voluntas perficiendi materialiter sacramentū. i. proferendi illa verba, seu faciendi actionem externam: videlicet lauandi, vel vngendi. Secunda est intentio faciendi formaliter sacramentum, vel quod idem est, faciendi, quod Christus instituit, vel quod ecclesia intendit. Tertia est intentio conferendi effectum sacramenti, vel finem sacramenti.

Tertio obseruandum est, quod finis actus baptismi est duplex, primus est principalis, & remotus, qui est facere hominem Dei filiū per gratiā, per quā adoptatur ad gloriā; secundus est finis immediatus, & minus principalis, vt scilicet baptizatus fiat Christianus, & membrum ecclesiæ militantis. *Finis baptismi est duplex.*

Quarto

Digitized by Google

Non sunt idem actus hominis, & actus humanus.

Quarto obseru. est, quod non parua est differentia inter actum humanum, & actum hominis: Nam actus hominis est omnis actus, quem facit homo, siue intendatur siue nõ, qui etiam quando nõ intenditur dicitur actus hominis, vt fricatio barbæ inter loquẽdum &c. Sed actus humanus est actus ab homine cum intentione elicitus, vt quando vado ad scholas intendens facere lectionem, talis ambulatio dicitur actus humanus.

Quinto obser. est, quod discrimen est inter agere aliquid fortuite, & agere cum intentione: nam illud dicitur fieri fortuite, quod fit ab aliquo non intendendo illud, vt si studiosus intendens ire ad scholas intereundum frangat sibi tibiã, fractio illa tibiæ dicitur actus fortuitus, & qui tibiam sibi fregit dicitur fortuna: Nam fortuna est causa agens aliquid non intendendo illud facere, ex quo sequitur, quod multi maledicunt se ipsos maledicendu fortunam, sed agens per intentionem est, quod producit aliquem effectum ab eo intentum.

Sexto obseru. est, quod est etiam discrimen inter actum fortuitum, & casualem: quia actus fortuitus fit semper ab agente per intellectum, & voluntatem, non intendendo tamen illum effectum, sicut patet in exemplo illo de fractione tibiæ, sed effectus casualis est, qui fit ab agente non habẽte intellectum, & voluntatem, nec intendente illum, vt si lapis cadens deorsum frangeret alicui caput.

Postremo obseru. est, quod intentio non est actus intellectus, sed voluntatis, vt velle, ex his patet titulus quæstionis quæ de qualibet intentione in secundo notando explicata intelligi potest. Vnde pro abundantiori eius explicatione diuidimus illam in tres articulos.

Primus Articulus. Vtrum ad baptismum conferendum sufficiat, quod minister intendat simpliciter baptizãdum abluere.

Secundus Art. Vtrum ad baptismum conferendum requiratur quod minister intendat baptizandum abluere sacramentali ablutione.

Tertius Artic. Vtrum in ministro baptismi necessaria sit intentio faciendi, quod facit ecclesia Romana, seu Catholica.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad baptismum conferendum sufficiat quod minister simpliciter baptizandum abluere intendat.

Bellarm.

HAereticorum nostri temporis sententia est (vt refert Illustr. Bellarm. lib. 1. de sacramentis in genere, c. 27.) non requiri intentionem in ministro sacramenti, sed sacramentum omnino perfici si res, & verba adsint, etiam si minister ioco, aut irrisoriè, aut ficte, & mendaciter actionem illam peragat, ita docuit Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de baptismo, & post ipsum Caluinus in antidoto Concilij Trident. sessio. 7. can. 11. Idem etiam Martinus Kemnitius in 2. parte examinis, & quamquam doceat actionem sacramentalem nõ debere esse mimicam subsannationem aut ridiculum lusum, in quo videtur a Luthero, & Caluino dissentire, & conuenire cum Catholicis; tamen intelligit hoc de exteriore actione tantum, non de intentione interna: Nam postea docet sacramentum esse verum, licet minister animo irrisorio sacramentum administret. Nec mirum est si hoc hæretici doceant: qui sacramentis nihil tribuunt præter externum symbolum, quatenus aptum est ad excitandam fidẽ; hoc enim facere possunt actiones, & verba sensibilia, etiamsi absque debita intentione fiant. imo si etiam non procedant a voluntate rationali, sed omnino casu, & indeliberate fiant.

Cæterum omisso hoc hæretico fundamento alia via nonnulli catholici secuti sunt hãc sententiam, dicentes ad perficiendum sacramentum requiri quidem voluntatem faciendi illas actiones externas, quas Christus instituit, v.g. lauandi, & proferendi talia verba, & hanc dicunt esse intentionẽ faciẽdi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, quã Concilia requirunt ad sacramenti veritatem; Negant tamẽ præter hanc voluntatem esse necessariam voluntatẽ faciendi sacramentum: Nam si minister velit debita verba proferre super debitam materiam, etiam si decipiendi, vel illudendi causa id faciat, erit validum sacramentum.

Angelus.

Hanc opinionem aliqui tribuunt Angelo a Clauasio in summa, verbo Baptismus. 5. n. 7. vbi ex Aureol. in 4. dist. 5. q. 1. vbi dicit, quod licet baptizans intendat non facere, quod facit ecclesia, si tamen in re facit: quia veram formam seruat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare intendat, secus vero, inquit, si intenderet solum lauare, & pro hac sententia citat Innocentium, in c. 1. de baptismo, & eius effectu, eandem sententiam probabilem existimauit Paludan. in 4. dist. 5. q. 2. art. 3. licet contrarium iudicet veriorem: sed falso hæc sententia Angelo, & Innocentio impingitur: nam cũ distinguant inter intentionem lauandi, & baptizandi satis indicant se sentire esse necessariam aliquo modo intentionem faciendi sacramentum, & non sufficere intentionem faciendi actionem externam. Quod vero aiunt posse esse validũ sacramentum, etiam si minister intendat non facere, quod facit ecclesia intelligunt, quando ex ignorantia habet intentiones repugnantes, vnam baptizandi, & aliam discordandi ab Ecclesiæ intentione.

Innocent.

Paludanus.

Siluester.

D. Thomas.

Expresse tamen hanc opinionem docent Siluest. verbo Baptismus, 3. q. 12. qui existimat esse sententiam D. Thomę, qui saltem in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2. negari nõ potest, quod in hanc opinionem non fuerit propensus, licet aliter sit locutus in 3. par. q. 64. artic. 8. prout eum exponunt Caiet. & Sotus. & Catharinus in opusculo de intẽtione ministri sacramentorom, vbi distinguit duplicem intẽtionem, vnam faciendi simpliciter actum externum, quem facit ecclesia; alteram faciendi actum externũ non simpliciter, sed vt sacramentalem, sine animo celebrandi mysterium, quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat; & quidem priorẽ intentionem ait requiri, posteriorem negat: itaque si quis dũ puerum baptizat intendat fundere aquam super puerũ, & dicere: ego te baptizo, &c. secundum Catharinum erit verũ sacramentum; etiam si ille intendat aquam fundere, & illa verba dicere solum ad lauandum corpus pueri a sordibus, vel ad ludendum eo modo. Quæ certe opinio non video quomodo differat a sententia Kemnitij, & aliorum hæreticorum: nisi quod Catharinus in fine opusculi, inquit. Hanc doctrinam esse ecclesiæ non dubito, quam tamen, & Apostolicæ Sedis, & Concilij cognitioni, & cẽturæ ingenue submitto: illi autem rident vtrumque.

Catharin.

Ruffinus.

Nicephorus

Sozomenus

Gratianus.

Potest in fauorem huius opinionis adduci primo historia illa vulgaris de Athanasio puero: qui quosdam alios pueros per iocum baptizauit, & tamen eum baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus, vt refert Ruffinus, lib. 1. hist. c. 14 Nicephor. lib. 8 c. 44. & Sozomen. lib. 2. c. 16. quam refert etiam Gratian. 1. q. 1. can. Spiritus sanctus, §. ecce. Nec dissimilis est historia, quam refert Nicephor. libro 3. cap. vlt. de quodam puero Iudæo per similem ludum ab alijs pueris baptizato, qui baptismus in Ecclesia Constantinopolitana approbatus est; & ideo non fuit iteratus, sed solum additæ cæremoniæ, quæ defuerunt. Idem patet ex eo quod legitur in alijs historijs de quibusdam Gentilibus parasitis, qui vnum ex suis baptizarunt, vt riderent Christianos, & ille tamen continuo conuersus est, vbi aqua eum attigit: ex quo intelligitur illud fuisse verum baptismũ. Signũ est ergo fuisse iudicatum a prædictis Patribus ad veritatem baptismi nihil esse necessarium præter externam ablutionem, & formam, de quibus in prędictis casibus constare potuit: nam de interna intentione non solum constare non potuit; verum etiam satis probabili ratione præsumi, quod tamen maxime necessarium erat, si existimaretur talis intentio necessaria, præsertim in re tam graui, & in sacramẽto ad salutem necessario.

Chrysost.

Secundo potest confirmari hæc sententia testimonijs D. Chrysost. & August. Nam D. Chrysost. homil. 8. in Ioan. Sacerdos (inquit) linguam, & manus præbet: neque enim iustum est propter alterius malitiam ad salutem nostrã accedentes offendi. D. August. lib. 7. de baptism. c. 53. non audet definire, an baptismus collatus per iocum teneat, sed dicit expectandam Dei reuelationem.

D. August.

Nicol. Pap.

Item Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum interrogatus, an baptizati a Iudæo essent rebaptizandi: respondit nõ esse, si in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti baptizati essent, vbi nulla fit mentio intentionis, & nihil aliud requirit Papa a baptizante nisi vt super legitimam materiã forma etiam legitima obseruetur, ita vt non alia ministri intentio desideretur, ne in manu perfidorum posita sit nostra salus a Deo.

a Deo. Nam nimis esset durum concludit Catharinus, vt Deus in arbitrio impij ministri posuerit salutem hominū, ita vt incerta reddatur nostra iustificatio.

Conc. Trid. His tamen non obstantibus hæc opinio est plusquam falsa, & quam maxime accedit ad Lutheri, Caluini, & Kemnitij opinionem: atque in Concil. Trident. sessio. 7. can. 11. de sacramentis in genere reprobata videtur his verbis. Si quis dixerit in ministris dū sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem saltem faciēdi quod facit ecclesia, anathema sit. Quæ definitio explicari non potest de sola intentionē imitandi exterius, quasi materialiter ritum, quem seruat ecclesia; quia in hoc sensu nullius momenti esset illa definitio: quia loquendo moraliter ac humano modo; non potest aliquis facere exteriorem cæremoniam, quam ecclesia facit, nisi volendo illam facere; ergo aliquid vltra hoc quærit Concilium. Tum quia de hoc nulla fuerat controuersia. Concilium autem intendit damnare errorem dicentium sacramentum eiusdem valoris esse, siue serio, siue ioco, & simulate fiat, vt explicat clarius sessi. 14. can. 9. sub his verbis. Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis, non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronūciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absoluat, aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, vt sacerdos eum absoluere possit, anathema sit; quæ definitio satis explicat vniuersalem definitionem prius datam: & respondet his, quæ de ministro sacramenti pœnitentiæ docuit in 6. cap. illius sessio. vbi inter alia dicit. Atq; ideo non debet penitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, vt etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi, & vere absoluendi desit, putet tamen se, &c. & in fine capit concludit, nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absoluentem cognosceret, non alium serio agentem, sedulo requireret.

Ex quibus patet, quod Concilia, nimirum Florē. & Tridenti. quæ intentionem requirunt faciendi quod facit ecclesia, sine dubio loquuntur de intentione sacramentali, (vt ita loquamur.) Nam quod vere, & proprie facit ecclesia, nō est sola cæremonia exterior, quasi materialiter sumpta: illam. n. possent etiā facere pagani, & Dæmones, quod ergo est proprium ecclesiæ est facere illam, vt sacramentum est. Intētio ergo faciendi, quod facit Ecclesia est sacramentalis.

Dicendum est, ergo ad faciendum sacramentum nō sufficere externam effectionem cæremoniæ sensibilis, nec uolūtatem efficiendi illam actionem, quasi materialem; sed requiri intentionem faciendi sacramentum, uel sub hoc conceptu, vel sub aliqua ratione confusa, & communi, seu equiualenti, scilicet intendendo facere, quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, vel aliquid simile, quilibet. n. ex his modis intentionis absque controuersia sufficit, vt diffusius explicabimus in seq. art.

Ad fundamenta alterius sententiæ respondetur, & ad primum dico, quod duobus modis aliquid ludicre fieri potest, vt explicat Alex. de Ales, par. 4. q. 8. memb. 3. art. 1. §. 1. ad 3. ex Hugone lib. 1 de sacramentis, par. 6. cap. 13 Vno modo vt qui ludicre dat, vult, & intendit dare; alio modo ita quod ludum tantum intendit, non autem vult, nec intēdit dare; sed potius non dare Ita in proposito si quis iocose totam formā baptizandi seruet, & simul cum hoc & iocare intendit, & baptizare intendit; baptismus est. Si autem non intendit nisi ludum in immergendo, vel profundendo, non est baptismus. Nam primo modo quamuis extrinsecus finis sit iocus, aut animi oblectatio, vere tamen animo intendit baptismum conferre, & talis intentio iocosa non est cōtra substantiam sacramenti: quia non destruit obiectum intrinsecum, sed addit finem extrinsecum, & ita non tollit veritatē; sed honestatem actionis, quæ non est de substantia sacramē trat posteriori modo cum nullo modo intendatur sacramēti collatio, sed tantum ludere, & decipere; quemadmodū qui in comœdia simulat flere, cum intus rideat, hic ludus impedit veritatem sacramenti, quia hic iocus est intrinsecus actioni.

(Ale. de Ale. Hugo.)

In prædictis ergo factis, quæ in citatis historijs narrātur, existimandum est sufficientibus signis, & coniecturis repertum esse intentionem fuisse prioris generis. Nam Athanasius vere voluit baptizare, sed accepit eam actionē pro materia ludi, & oblectationis. Id autem ita esse colligitur tum ex ipsa historia, in qua scribitur solum catechumenos fuisse baptizatos, idque omnibus ecclesiæ cæremonijs adhibitis; tum etiam quia pueri solent serio facere res ludicras. Tū etiam quia Athanasius habebat intentionem ecclesiæ: Nam quamuis iocose baptizasset, habebat tamen intentionem faciendi id, quod faciebat Episcopus Alexandriæ.

Ad illud de mimo respondeo. Nam vt scribit Ado Treuirensis author illius historiæ in martyrolog 8. kal. Septembris, a quo acceperunt posteriores, vt Vincentius in speculo historiali, lib. 12. cap. 102. & S. Anton. 1. p. tit. 8. c. 1 § 9. summæ historialis; Mimus ille nomine Genesius coram Imperatore Diocletiano gratia irridendi mysteria Christiana se ægrotum finxit, ac baptismum postulauit: tum iussu Imperatoris accersitus presbyter fuit, & exorcista, qui eum baptizarent, verum cum a presbytero interrogaretur, quid peteret, ille repente conuersum non ficte, sed serio respondisse se gratiam Christi petere, atque ita fuit baptizatus vere, & serio; cum & presbyter baptizare intenderet, & ille intenderet suscipere baptismum, licet Imperator adhuc crederet eum fingere, vide Surium tom. 4. in vita sancti Genesij.

(Ado. Viennensis. D. Anton.)

Ad testimonium D. Chrysostomi dico, Chrysostomum loqui de probitate ministrorum ac velle dicere non pendere efficaciam sacramentorum a bonitate ministrorum, sed a bonitate Dei solius. Vnde cum ait, sacerdos manus, & linguam præbet, excludit virtutes non intentionem ministri: nam vult dicere minister est instrumentum Dei, non principale agens, ex hoc autem, quod minister est instrumentū sequitur, vt non agit in virtute propria, & proinde vt non requiratur fides, spes, charitas, aut alia eius virtus, tamē nō sequitur; vt non requiratur intentio, imo potius contra sequitur, vt requiratur; cum homo sit instrumentum animatum, & rationale, & proinde debeat moueri a Deo secundū naturam suam, idest, mediante propria electione, & intentione.

Sed dices ratio, quam affert Chrysosto. nimirum: quia non est iustum, vt alterius malitia alteri noceat, concludit etiam non debere pendere sacramenta ab intentione ministri; quia tunc nocere posset ministri malitia suscipientibus sacramenta, si nimirum ille occulte subtraheret intentionem. Dico rationem illam concludere de probitate non autem de intentione, ob duas causas.

Primo, quia si sacramenta penderent a probitate sæpissime noceret vnius malitia alteri; quia plurimi sunt mali, & non possent sacramenta esse rata, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, vel publicis peccatoribus aliquando vrgente necessitate traduntur: at si pendeant ab intentione rarissime nocebit malitia ministri suscipientibus; nam intentionem omnes habere possunt, & non est ratio cur nolint; secundo, quia iustum est vt non pendeant sacramenta ab ea qualitate ministri, quæ non est omnino necessaria ipsi ministro: qualis est probitas: at non erat æque iustū vt non pendeant ab ea qualitate, sine qua minister non esset minister, qualis est intentio.

Ad testimonium Diui Augustini dico, locum Augustini esse contra aduersarios. Nam ibidem dicit se de ea re dubitasse: quia in nullo Concilio res definita fuerat: Nunc autem res definita est in duobus generalibus Concilijs Florentino, & Tridentino: Deinde cum dicit August. petendam esse reuelationem an baptismus iocose traditus sine vera intentione conferendi sit ratus, aperte testatur non esse apertum ex scripturis, vt hæretici iactant, sacramenta non requirere intentionem ministri.

Vel dicendum est cum Alex. vbi supra, quod cum Augustin. dicit. Quod si totum ludicre factum est, implorandum est &c Intellectus August. est. Si totum opus exterius ludicre fiat: adhuc quia opus exterius posset exerceri cum intentione baptizandi; vel ludendi tantum: Implorandum est diuinum oraculum, vt Dominus ostendat si sit baptizatus, idest, si sic ludendo intendebat baptizare; vel ludere tantummodo: Nam si tantum ludere intendisset, nullum fuisset sacramentum.

Ad authoritatem Nicolai Papæ, dico eum non fuisse sollicitum de intentione; tum quia ea ordinarie adest, tum quia ecclesia non iudicat de internis, ex hoc tamen non sequitur quod intentio ministri non sit necessaria, sed committitur fallacia consequentis arguendo ab authoritate negatiua.

Ad id quod vltimo dicit Catharinus, quod sit nimis durum salutem hominum esse in arbitrio impij ministri. Dico, quod

Digitized by Google

eo, quod non debet videri durum, quod Deus permittit ne destruat naturam hominis, & suæ diuinæ prouidentiæ ordinem; alioqui etiam videretur durum, quod Deus relinquit in arbitrio tyranni vitas multorum innocentium. Neque ex hoc (vt inquit Alex. vbi supra ad 2.) præiudicatur diuinæ misericordiæ: quia ex diuina prouidentia rationabiliter prouisum est, vt fine intentione, quæ est quasi vita humanæ operationis, & dux, ipsa operatio efficaciam non habeat. Vnde eum diuina misericordia nõ debeat aliquid facere, quod sit in præiudicium prouidentiæ eius: magis consonum est rationi quod operatio baptismans non sine intentione efficaciam habeat, quam fine; etsi ex hoc immineat aliquod periculum paruulo.

Neque est inconueniens, sacramenta ex hoc capite habere aliquam incertitudinem metaphysicam, (vt sic dicam) satis est quod habeant moralem, & humanam certitudinem, qualis esse potest in actione: quæ per homines, & humano modo exercenda est, vt docuit supra Doctor noster sub distinct. 5. quæstio, prima, sub litter A §. i dicens. Neque debet homo in hoc mundo quærere certitudinem de sua salute, vel iustificatione infallibilem, qualis est certitudo fidei diuinæ: Hæc enim non conuenit huic statui, de quo dicit Apostol. 1. Corint. 10. Qui stat videat ne cadat, & Philip. 2. Cum timore, & tremore salutem vestram operamini. Certitudinem autem moralem, & humanam, quæ sufficiat vt homo quiescat, ex sacramentis habemus, etiamsi pendeant ab intentione alterius: Nam vt sapienter dixit Scotus loco citato, potest homo probabiliter præsumere, quod minister talem actum exercentes intendant facere illud, ad quod actus secundum se ordinatus est: Nam cum habere intentionem sit facillimum, nulla est ratio dubitandi, an minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id prodat, & hoc sufficit, vt fumo non quærat iterum baptizari, sed quiescat in accepto baptismo.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad baptismum conferendum requiratur quod minister intendat baptizandum abluere sacramentali ablutione.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est, quod intentio idem est, quod voluntas ratiocinata prout dirigit in finem, sed finis duplex est, vt inquit Alexand. de Ales, parte quarta, quæst. octaua, membr. 3. articulo primo, §. 2. & post ipsum D. Bonauent. hac distinct. par. 2. art. 2. quæst. 2. est enim finis intrinsecus operi, qui nihil est aliud nisi terminus, & complementum actionis: alter est finis extrinsecus: qui est fructus, & vtilitas, vt, v.g. in ædificatione domus duplex est finis, vnus est con summatio siue perfectio domus, alter est domus inhabitatio. Pari modo in sacramento finis intrinsecus est completa cærem onia per res, & verba ritè consummata, finis extrinsecus est vtilitas baptizandi, scilicet remissio peccatorum. Et iuxta hunc duplicem finem duplex est intentio; sicut qui ædificat domum intendit eam consummare, & intendit inhabitare. Ita in sacramento intendit quis prima intentione sacramentum ecclesiæ ministrare, & intendit baptizandi salutem, & vtilitatem, prima intentio est de necessitate sacramenti, secunda de congruentia.

Hoc supposito sit prima Conclusio. De necessitate sacramenti baptismi est, quod minister habeat intentionem exercendi actum baptismi, & baptizandi. hæc conclusio est Alexand. Alens. loco citato, §. 1. D. Thomæ, 3. par. quæstio 64. articulo octauo, D. Bonauent. loco citato, quæstio prima, Richard. hac distinct. articulo primo, quæst. 2. Durand. quæst. 2. & Scoti in hac quæst. sub litt. G. §. Dico ergo. Probatur. Actus quo baptismus confertur, debet esse humanus propriè loquendo de actu humano, qui per intellectum, & voluntatem causatur ab homine; sed si actus baptizandi fieret sine intentione ministri, non esset humanus, & go de necessitate baptismi est, quod minister habeat intentionem baptizandi, & conferendi actum baptismi; Maior probatur: quia aliud, quod cadit sub præcepto debet esse actus humanus; sed collatio baptismi cadit sub præcepto, vt patet ex illo Matthæi vlt. Docete omnes gentes baptizantes eos, &c. ergo actus baptizandi debet esse humanus. Minor probatur, quia si actus baptizandi fieret sine intentione ministri, non esset humanus, sed casualis, & fortuitus: quia esset præter intentionem ministri; nam actus casualis fortuitus, & per impetum factus, atque ita sine intentione, non est humanus; quia non a proposito, neque a libero arbitrio factus 2. hyp. & super actu fortuito, vel casuali non cadit obligatio. Est enim obligatio vt homo intendat illud, ad quod obligatur. hæc conclusio non tantum requirit intentionem ministri respectu actus baptizandi vt obiecti, sed etiam effectus, seu finis intrinseci sacramenti; nempe ipsius esse sacramenti, quod est effectus ministri, ita vt nedum intendere debet minister actum baptizandi, sed abluendi vt obiecti, sed etiam debet intendere constitutionem sacramenti per eius ministerium perficiendam: Nam intentio abluendi vtique requiritur, ad hoc vt actus sit humanus, sed non sufficit; quia alias irrisoriè baptizans & pro ioco, siue pro alia qualibet causa lauans, & proferens verba baptizaret, quod esse falsum ostendimus in superiori artic. consequentia patet: quia est intentio irrisorum baptizantis respectu actus; quia vult lauare, & verba proferre in irrisionem, & contumeliam Christianæ fidei, & sacramenti, & nihil aliud deficit, nec materia, nec forma requiritur, ergo intentio abluendi sacramentaliter, hoc est, abluendi eo modo, quo ecclesia Christiana intendit.

Secunda Conclusio. Non est in ministro necessaria intentio finis principalis, qui est facere hominẽ Dei filium per gratiam. hæc conclusio est Alexand. vbi supra, §. 2. D. Bonauent. quæstio. secunda, & Scoti in hac quæst. sub litter. C. §. Dico ergo. Probatur. Nam paganus potest baptizare, vt dictum est supra; sed ille baptizans non intendit baptizatum Dei filium efficere; ergo non est in ministro baptismi necessaria intentio finis remoti, & principalis; secundo probatur ex historia ecclesiastica Rufini libro decimo, capitulo 15. & refertur in can. Spiritus sanctus, t. quæstio. 1. vbi sic legitur. Ecce quomodo ab hæreticis baptisma cum sua virtute accipitur, cuius tamen necessaria administratio est, vt nec etiam a paganis datum possit iterari. Vnde in ecclesiastica historia legitur, quod Alexander Episcopus Alexandriæ cum Petri martyris sollemnia celebraret, post expleta Missarum sacramenta, vidit super otam maris puerorum ludum imitantium, vt fieri solet, Episcopum, & gerentium ea, quæ in ecclesijs geri solent. Mox ad se eos perduci iubet, & quid egissent percunctatur, illi rei ordinem pandunt, baptizatus a se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium puerum, qui illis fuerat Episcopus simulatus: vbi exquisitis enim vbi secundum religionis ordinem titum cuncta constare, fuit illis quibus integris interrogationibus, & responsionibus, ita fuerat infusa iterari baptismum debere, sed adimpleri ea, quæ sacerdotibus mos est. Hactenus ex qua historia habetur quod baptizatis a puero Athanasio, & Episcopum simulante, & id quod faciebat Alexander Episcopus facere intendente, rebaptizandi non erant, & tamen puer ille Athanasius nihil tunc de æterna vita cogitabat, & præterea de consecrat. distinct. quarta, capit. Non ut ad te moueat, referuntur verba D. Augustin. ad Bonifacium epist. 23. dicentis. Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia spirituali ad vitam regenerentur æternã, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem: Non enim propterea illi non regenerantur; quia non ab illis hac intentione offeruntur: ex quibus verbis colligitur, quod licet quisnon propter finem vitæ æternæ, sed propter aliquem temporalem finẽ baptizat paruulos suos, verum est sacramentum, si tamen fiat cum intentione ecclesiæ, ergo in ministro non est necessaria intentio faciendi baptizatum filium Dei per gratiam.

Tertia Conclusio. In ministro necessariã est intentio finis immediati, & minus principalis, vt videlicet baptizatus fiat Christianus, & membrum initiatus ecclesiæ, quod est idem quod facere id, quod ecclesia intendit. hæc conclusio est Scoti loco citato, quam Richard. distinctio. sexta, articulo primo, quæstio. secunda in hunc modum probat. Quando aliqua plura concurrunt ad vnum effectum oportet, quod aliquo modo vniantur, sed ad sanctificationem illius, qui baptizatur, requiritur ablutio exterior, & verba quæ ... & etiam baptizans; ergo requiritur aliquid contingens illa; hoc autem contingens non potest esse susceptio baptismi: quia habet rationem materiæ, & susceptioni, ergo oportet quod sit in ministro, sed huiusmodi tale nihil videtur esse nisi intentio; quia ipse ministrans

Digitized by Google

nistrans per potentias exteriores executiuas, puta per potentiam motiuam qua abluit, & expressiuam, qua profert verba, causat illa vt distincta, vt patet, igitur necessaria est intentio baptizantis, per quam ablutio, & verba intentionaliter coniunguntur inter se, & cum illo, qui baptizatur, & omnia ista cum fine, qui est purgatio a peccato illius, qui baptizatur. Sed hanc rationem tanquam inefficacem impugnat Scotus in hac quæst. §. ad istam quæst. Quoniam in signo instituto ad placitum possunt multa concurrere ad rationem vnius signi per solam actionem instituentis, licet nihil aliud sit a quo habeat vnitatem: patet de circulis ornatis folijs viridibus, & alijs multis positis ante cauponam, ad significandum mustum: quæ omnia coniunguntur ad rationem vnius signi per solam instituentis intentionem, etsi per nullius alterius intentionem habeant vnitatem, ita pari ratione verba, & ablutio possunt vniri, & imponi ad significandum aliquod vnum, scilicet gratiam ex sola intentione Christi instituentis, & ab eius institutione talem vnitatem retinebunt, etsi minister nullam habeat intentionē; non est ergo necessaria intentio ministri, vt ea quæ se sunt distincta vniantur, quod nota propter Sotum dicentem impugnationem Doct. esse inefficacem.

Probatur, ergo aliter conclusio ab Scoto, & primo sic. Exercens aliquem actum humanum, debet intendere finem illius actus vt humanus est, & nō tantum vt est talis actus in natura; sed finis actus baptismi, vt est humanus, est vt per talem actum baptizatus efficiatur de religione Christiana, ergo in ministro est necessaria intentio finis huius proximi, & immediati, vt videlicet baptizatus fiat de religione Christiana. maior probatur: quia ablutio vt est talis actus in natura indifferens est ad multa: Nam illa verba, ego te baptizo; possunt habere varias significationes: baptizare.n. est tingere aquis, tingit autem aquis, qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur, &c. atqui nihil fingi potest, quo determinatur hæc indifferentia formæ, nisi intentio ministri, qui illa verba profert, & cuius est tota actio, ergo &c.

Præterea secundo, hoc est discrimen inter verba speculatiua, & practica, quod verba speculatiua totam suam efficaciam habēt in significando, & a quocunque dicantur eādem vim retinent. Idem enim significant verba siue dicantur ab homine sobrio, siue ab ebrio, siue etiam a psittaco, siue ab Asina Balaam; modo non sit ambigua significatio; at verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem, & voluntatem faciendi, quod verba significant; hoc patet experientia: Nam si rex sine intentione somniando iubeat aliquem occidi; imperium non solet mandari executioni: quia non constat an velit, licet possit illa iubere: Sed verba sacramentorum sunt verba practica, cum sint instrumenta iustificationis; ergo requirunt potestatem, & voluntatem, ac proinde intentionem: Hoc enim rationabile est semper in vsu signi practici. Nam si quis legislator institueret in sua politia tactum manus esse signum practicum amicitiæ; non intenderet quod vtentes illo signo præciso haberent actum humanum circa illud in quantum est tale quid materialiter, sed quatenus est tale signum ita institutum, etsi disposuisset eiusmodi signum seruari debere, non mandaret ipsum seruari nisi eo in loco, vbi ad talem finem fuit institutum. hoc est, si determinasset ad positionem talis signi se aliquid daturum, vel facturum, non daret, nec faceret illud, nisi homo signum illud exerceret, prout ad talem finem fuit institutum. Ita in proposito non sufficit intentio exercendi actum baptismi, vt est talis actus in natura, sed vt est signum ad talem finem institutum, ad finem vtique illum, quem fideles, qui hoc signo vtuntur, id est, ecclesia, intendunt, vt videlicet baptizatus religioni Christianæ ascribatur.

Contra hanc tertiam, & primam cōclusionem arguitur, paganus baptizans vere confert sacramentum, vt constat ex superioribus, sed paganus non intendit, quod baptismus efficiatur Christianus, quia reputat fallam esse Christianam religionem, ergo intentio ista faciendi Christianum non est in ministro necessaria.

Præterea illud quod proprie non agit non debet habere intentionem, sed instrumentum non dicitur proprie agere, ergo non debet habere intentionem. Tunc vltra baptizans respectu Dei est instrumentum, ergo non dicitur proprie agere, & per consequens non tenetur habere intentionem. Item ad sacramentum nihil per se requiritur nisi pars, vel res sacramenti; sed intentio ministri non est pars, nec res sacramenti; ergo ad conferendum sacramentum intentio ministri non requiritur.

Ad primum dico, quod in ministro requiritur intentio finis proximi, id est, faciendi baptizatum Christianum, & hoc vel in particulari, vel in generali; in particulari quidem, vt si minister intendat per baptismum facere baptizatum membrum religionis Christianæ. In generali vero vt si minister intendat per baptismum facere circa baptizatum, quod Christiani solent facere circa eos, quos baptizant. Ideoque si paganus baptizaret filium suum, cum intentione faciendi circa illum, quod Christiani intendunt facere circa eos, quos baptizant, vere talis esset baptizatus, quamuis paganus baptizans non intenderet illum facere Christianum. Intentio itaque faciendi hominem Christianum expressa, & in particulari, non est necessaria in ministro, sed sufficit confusa, & in genere faciendi illud quod Christus instituit, vel quod ecclesia facit quidquid illud sit. Sic enim definitum legimus in Concilio Florentino. Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Conc. Flo.

Quapropter optime dixit Alexand. de Ales, vbi supra ad 10. quod licet fides ecclesiæ possit supplere ministri fidem, intentio tamen ecclesiæ non potest ministri intentionem supplere, & ratio est: quia intentio baptizantis, quando infidelis baptizat, facit baptizantem ministrum Ecclesiæ. Si enim non intenderet facere, quod facit ecclesia; sed quod facit hæresis, non esset minister ecclesiæ. Vnde vt dicit Diuus Augustin. quando baptizat hæresis, non baptizat vnde diuisa est ab ecclesia; sed vnde coniuncta, coniuncta est autem per hoc, quod intendit, quod intendit ecclesia. Intentio ergo baptizantis fidelis, scilicet ecclesiæ, supplet defectum fidei in eodem, & illum sufficientem ad hoc ministerium exequendum efficit: quia igitur ex intentione est, quod est minister ecclesiæ, & quodamnodo est de ecclesia, etsi non haberet intentionem non esset, ex hoc est, quod intentio ecclesiæ non potest supplere defectum intentionis ministri talis. Non est ergo necessaria in ministro intentio finis principalis, id est, faciendi hominem Deo gratum, neque proficiē di verba eo fine, quo instituta sunt a Christo: omnia.n. illa implicantur volendo facere, quod facit ecclesia, vel Christiani faciunt. Nam moraliter loquendo qui intendit sacramentum intendit effectum sacramenti, & formalis intentio vnius, est virtualis intentio alterius. Ale. de Ha. D. Aug.

Ad secundum Doctor. sub. multa dicit de instrumentis; quæ cum fuerint a nobis diffuse explicata supra distinctio. prima, quæstio. prima, articulo decimo, breuiter dico, quod instrumentum dicitur multipliciter. Primo causa secunda dicitur instrumentum, secundo agens dispositiuum ad formam principalem, tertio dicitur instrumentum agens attingens effectum principalem per formam, quam solum habet in fieri, quarto pars alicuius totius, cui primo conuenit esse principium actiuum, quinto modo sumitur instrumentum propriissime, pro instrumento artis, vt securis, vel serra: exemplum primi vt sol, & pater respectu generationis filij, exemplum secundi calor ignis disponens ad generationem alterius ignis, exemplum tertij, vt color illuminatus, & species coloris in aere respectu mutationis oculi ad speciem, vel visionem coloris; exemplum quarti, organum potentia visiuæ, vel organum potentiæ nutritiuæ, vel totum animal respectu nutritionis. Exemplū quinti, vt securis, & serra. Instrumentum dicitur quadrupliciter.

Instrumentum primo modo habet formam propriam, qua agit in esse quieto, & hoc respectu eiusdem effectus respectu cuius agit causa principalis in suo ordine, & hoc modo licet causa secunda respectu primæ communiter loquendo possit appellari instrumentum, proprie tamen differt ab instrumento, quum agat per formam, quam habet in esse quieto.

Instrumentum vero secundo modo non attingit principalem effectum, sed dispositionem quandam, respectu cuius tamen non est instrumentum, sed principium perfectū, dicitur autem instrumentum ad effectum principalem: sicut ca-

Digitized by Google

cut calor est instrumentum ignis non ad calorem, qui est dispositio ad formam substantialem: quia illum effectiue producit, etsi esset per se, per seipsum produceret, sed dicitur instrumentum ad formam substantialem ignis, quia non attingit.

Instrumentum tertio modo attingit effectum principalem, non per formam, quam habet in esse quieto, & in hoc distinguitur a causa secunda, sed per formam, quam habet in fieri, quemadmodum dicimus, quod color illuminatus causat speciem sensibilem, vel visionem in oculo: color namque agit per lumen, quod est forma ipsius coloris in fieri. Et his tribus modis accipiendo instrumentum, falsum est quod instrumentum non habeat intentionem propriam in agendo, eo modo quo agens naturale intentionem habere potest, cum quodlibet per propriam formam agat, quæ est sibi principium agendi in ordine suo, & agat propter finē, atque adeo per propriam intentionem, hoc est, per propriā inclinationem, & appetitum: quia formam actiuam naturalem consequitur intentio isto modo, idest, naturalis appetitus ad agendum.

Instrumentum quarto modo attingit etiam per propriā formam effectum principalem, qui est eius per se primo, totius autem respectu cuius dicitur instrumentum est per se, sed non primo, & hoc modo philos. vocat organa partes illas secundum quas toti conuenit operatio, quemadmodum sunt organa potentiarum sensitiuarum: atque ita dicimus quod homo videt: quia oculus videt, & visio per se primo competit oculo, & eius operatio, homini autem per se, sed non primo; & hoc modo instrumentum, quodammodo habet intentionem propriam, quodammodo non; Nam forma eius actiua, & est eius, & est totius; sed eius est primo; totius autem est per se, sed non primo; & eodem modo de intentione; & de instrumento isto modo potest concedi, quod non habet aliam intentionem a principali agente sicut nec aliam actionem proprie habet pars, quam totum agens per partem, sed alio modo habet eandem.

Demum instrumentum quinto modo, quod scilicet non habet aliquam virtutem in esse quieto, nec in fieri, nec est actiuum respectu principalis effectus, nec respectu formæ disponentis, non habet intentionem, vt conuenit agenti.

Ideo ad argumentum dico, quod minor est falsa: quia baptizans respectu baptizati non est instrumentum quinto modo, sed potius dicitur causa secunda respectu Dei, quam instrumentum: quia baptizans agit propriam actionem; quam nullam habet instrumentum proprie dictum, quale est instrumentum artis, cum non sit actiuum. Respectu tamen gratiæ minister dicitur esse instrumentum: quia respectu gratiæ producendæ nullam actionem habet, respectu tamen baptismi minister habet actionem, & ideo cum sit agens voluntarium, & non naturale oportet, quod habeat intentionem ad conferendum baptismum, vt dictum est supra, & ideo concedo, quod non est necesse baptizantem habere intentionem respectu vltimi finis baptismi, scilicet respectu gratiæ, qua mediante baptizans sit filius Dei, sed respectu baptismi respectu, cuius est causa secunda, non solum vt ablutio est, sed vt sacramentalis.

Secundo potest responderi, quod maior est vera de instrumentis inanimatis, cuiusmodi sunt serra, & calamus: non autem est vera de instrumentis animatis, cuiusmodi est minister baptismi.

homo ... tum Vnde obseruan. est, quod tribus modis potest esse vnus homo instrumentum alicuius agentis, primo secundum sola membra corporalia, vt si quis vtatur manu alterius ad aliquid capiendum, vel si cogat eum ferre onera, id quod potest fieri sine vlla eius voluntate, secundo per membra corporalia, & potentias sentientes, vt si quis iubeat seruum legere aliquid, aut alicui aliquid significare, aut respicere aliquid, & renunciare quid videat. & ad hoc non requiritur voluntas serui; nisi quia velit actum exteriorem facere, Nam etsi non intendat legere significanter, tamen si velit ea verba proferre, satisfacit numeri suo: quia non vtitur Dominus pro instrumento nisi eius lingua, & oculis. tertio per membra corporalia, potentias sentientes, & etiam rationem, vt cum Rex constituit præsides, & iudices in vrbibus, qui nomine suo ius dicant, & gubernent populos: In huiusmodi enim non solum corpus, & sensus, sed etiam prudentia, & voluntas sunt instrumenta. Non enim rex determinat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instrumenti: quare in talibus requiritur necessario non solum potestas, sed etiam voluntas, & proinde intentio exercendi actiones. Ad propositum ministri sacramentorum sunt instrumenta Dei hoc tertio modo, vt patet ex scripturis sanctis. Nam Matt. 24. dicitur. Quis est fidelis seruus, & prudens &c. vbi fidelitas, & prudentia indicant talem esse hunc seruum, vt in eius arbitrio sit facere, & non facere: ad hoc enim requiritur fidelitas, & prudentia. Item non determinauit Christus particulares actiones, sed ait. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. Ioan. 20. vbi manifeste reliquit in eorum arbitrio, vt soluant, vel ligent.

Ad tertium dico, quod ad sacramentum pertinent aliqua tanquam intrinseca, aliqua vero tanquam extrinseca. Conceditur ergo, quod nihil intrinsecum pertinet ad baptismum nisi illud, quod est pars, vel res sacramenti; vt causa tamen extrinseca requiritur minister, & ex parte illius requiritur intentio, quæ est principium determinans agens intellectuale ad agendum: quia tale agens per imperium voluntatis est causa actiua motiua aliarum potentiarum, quæ subiacent voluntatis imperio, ergo quamuis intentio ministri non sit necessaria tanquam pars sacramenti baptismi; est tamen necessaria tanquam causa efficiens. Quando ergo dicitur, quod nihil pertinet ad sacramentum nisi sit aliquid sacramenti, vel res eius, verum est de eo quod est intrinsecum ipsius fundamenti, vel signati ipsius sacramenti, sed intentio neutro modo est intrinsecum, scilicet neque vt pars, neque vt res; requiritur tamen ex parte agentis.

ARTICVLVS III.

Vtrum in ministro baptismi necessaria sit intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana, seu Catholica.

PRo elucidatione huius difficultatis obseruan. est, non ita requiri vt minister habeat intentionem generalem faciendi, quod facit ecclesia, vt non possit habere particularem: imo melius est habere particularem, id est, conferendi sacramentum baptismi, absolutionis, confirmationis, &c. sed qui non noscit nostra mysteria, satis est si in generali intendat facere, quod facit ecclesia, & hoc docent Concilia.

Hoc supposito sit hæc conclusio. Non est opus intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera ecclesia, quæcūque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani; ista enim in idem recidunt. probatur: quia hæretici non habent huiusmodi intentionem; imo neque Græci ad Romanam ecclesiam specialiter aspiciunt; & tamen vere baptizant, ergo &c.

Etsi quæras. Quid si aliquis intendat facere, quod facit ecclesia aliqua particularis, & falsa vt Geneuensis, & intendat non facere, quod facit Romana ecclesia? Respondeo etiam id sufficere: Nam qui intendit facere, quod facit ecclesia Geneuensis, intendit facere, quod facit ecclesia vniuersalis, ideo enim intendit ille facere, quod facit talis ecclesia: quia putat illam esse membrum ecclesiæ vniuersalis, licet fallatur in cognitione vere ecclesiæ; Non autem tollit efficaciam sacramenti error ministri circa ecclesiam; sed defectus intentionis. Non est ergo necessarium exprimere hanc intentionem; sed sufficit generalissima intentio faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia Catholica, quæcunque illa sit; atque adeo licet hæreticus erret in eo, sit ne sua ecclesia, vel alia, vere baptizat: Imo neque requiritur vt formaliter dicat, quod facit ecclesia, sed satis est si intendat talem cæremoniam in remissionem peccatorum facere, vel quod per illam baptizatus sit dicatus Deo; imo satis est intendere id facere, quod facit episcopus, vel sacerdos hæc enim omnia eandem habent virtutem. Intendere enim facere quicquid episcopus, vel sacerdos facere intendit, perinde valet, ac si habeatur intentio faciēdi, quod facit ecclesia.

Sed vtrum intendens baptizare masculum baptizaret fœminam verum conferret sacramentum? Res pendet

Hostien-

Digitized by Google

Hostiensis, quod si simpliciter intendat baptizare, est baptizata, sed si determinate intenderet baptizare masculum, non esset baptizata. Sed vana est hæc sexus distinctio, inquit Sotus; imo nonnunquam periculosa. Nam (vt inquit) fertur accidisse Lusitaniæ, quod cuidam iam perfecta ætate, qui semper fuerat fœmina existimatus prominuerunt subitas viri membra; quæ illuc vsque habuerat ventre inclusa; qui ideo iterum fuit baptizatus, quod quidem fuit error sacrilegus rebaptizationis: sed tantum fuerat illi commutandum nomen per episcopum fœmininũ in masculinum.

Iterum dubitatur, si sit aliquis sacerdos cæcus, & habeat duos catechumenos, scilicet Petrum, & Ioannem, & intendat hodie baptizare Petrum, & cras Ioannem, & isti inter se disponunt decipere, seu illudere sacerdotem, adeo quod Ioannes veniat hodie in persona Petri, & Petrus cras similiter faciat; vtrum isti ambo sint baptizati, aut neuter eorum? Respondeo, quod si sacerdos haberet intentionem singularem baptizandi Petrum cum exclusione cuiuscunque alterius, nimirum, si mente diceret, si non es Petrus nõ te baptizo, vel si non est Petrus nolo eum baptizare; Tunc quidem si quem alium baptizaret, seu masculum, seu fœminam, sacramentum non esset validum; quia non interfuisset intentio baptizandi illum, qui baptizatur. Si vero intentionem dirigeret ad baptizandum hunc quem in manibus tenet, etsi quem baptizat, non esset Petrus, adhuc eum baptizaret. Quia licet cognitione speculatiua arbitretur eũ esse Petrum; cognitione tamen practica in qua intentio ecclesiæ continetur, & qua baptismum applicat, in hunc, quẽ baptizat dirigit, atque adeo baptismus tenet, vtcunque sit alius, qui baptizatur, siue masculus, siue fœmina. Quod declarari potest exemplo Isaac: qui dum crederet benedicere Esau primogenitum benedixit Iacob, & tamen benedictionem non retractauit, sed dixit, benedixi illi, & erit benedictus; & ratio est, quia Isaac tulit intentionem suam in illũ, quem tenebat manibus, licet esset error adiunctus, & speculatiue crederet eum esse Esau; sic etiam sufficit ad veritatem baptismi, vt sacerdos intendat baptizare, quem in manibus tenet.

Iterum dubitatur. Sit aliquis sacerdos cæcus, qui intendebat baptizare vnum puerum, & offerunt ei duos, & non habet magis notitiam vnius, quam alterius, nec magis intendat vnum baptizare, quam alterum, sed in generali intendat baptizare vnum puerum, & tamen, vt dixi, ponantur duo, & fundat aquam super vtrunque dicens. Ego te baptizo in nomine patris, &c. quæritur an vterque puer, aut alter tantum sit baptizatus. Respondeo quod nullus eorum est baptizatus. Non enim ambos, cum forma verborum ad ambos non se extendat, nec intentio baptizantis; nec alter eorum est baptizatus: quia qua ratione vnus illorum non est baptizatus, eadem ratione nec alius, & e conuerso. Secus autem esset si ad vnum eorum distincte intenderet verba proprie dirigere, scilicet quẽ lauando manu tangeret: quia tunc ille vere esset baptizatus. Ex his omnibus patet, quæ & qualis intentio necessaria sit in ministro ad baptismi sacramentum conferendum.

Sed contra probatur, quod intentio ministri non sit necessaria. Non habens fidem potest baptizare, vt patet ex capitul. Romanus de consecrat. distinctione quarta. Sed non habens fidem non habet intentionem: quia nullus vult fieri, quod non credit posse fieri, ergo in baptizante non requiritur intentio baptizandi, seu faciendi, quod ecclesia facit.

D. August. Præterea D. Augustin. homil. 5. in Ioan. Non timeo, inquit, ebriosum in actu baptizandi; sed perfecte ebriosus non potest habere intentionem: quia non potest habere vsum rationis, ergo in baptizante non requiritur intentio, probatur consequentia, quia non potest habere intentionem, qui non vtitur ratione.

Item si necessaria esset intentio ministri, ergo & fides; cõsequens est falsum, quia paganus baptizare potest, ergo & antecedens; consequentia probatur, quia baptismus est sacramentum fidei non est necessaria intentio baptizantis personalis, sed baptizantis in persona fidelium, vt scilicet intendat facere, quod facit Ecclesia. Sicut ergo proprie loquendo baptisma fit in fide ecclesiæ: quia ministerium ecclesiæ exercetur in baptismo, & minister in quantum talis, est minister ecclesiæ. Pari modo proprie loquẽdo: quia in baptismo intenditur illud, quod intendit ecclesia, baptizatur in intentione ecclesiæ, ergo eiusdem est intentio, & fides; sed vt diximus non est necessaria fides baptizantis, ergo neque est necessaria baptizantis intentio; vel si intentio est necessaria, ergo & fides, cum eiusdem sit intentio, & fides.

Ad primum dico, quod non habens fidem de vltimo fine, qualis est Deus, non intendit ordinare aliquem per baptismum ad talem finem; credens tamen eum posse per baptismum ascribi religioni Christianæ, siue credat talem religionem valere, siue non; potest intendere ascribere illum tali religioni; vel generalius potest intendere facere per baptismum circa aliquem, quod Christiani intendunt facere circa eos, quos baptizant, & hoc sufficit. Vnde si quis in necessitate vadat ad infidelem, & dicat, ei baptiza me docendo ei formam, si ille baptizat eum secundum intentionem petentis intendens facere, quod alij baptizantes faciunt, esset baptismus, secus si intenderet solum lauare, vt diximus supra.

Declarat hoc Scotus duplici exemplo, & primum est de circumcisione. Nam possem ego (inquit) credẽs Iudæos per circumcisionem distingui ab alijs intendere hunc paruulũ ascribere sectæ Iudæorum, & facere circa eum, quod Iudæi faciunt circa suos circumcisos, etiam si non crederem circumcisionem illam valere ad salutem. Secundum exemplũ est de dicente, vel permittente dici super se verba incantationis a venefica, siue credat, siue non credat, intendens vt dicantur eo animo, quo sunt instituta; talis remaneret incantatus, a simili suscipiens baptismum etiamsi credat non valere, etsi sanitatem corporalem faciat, habens præfatam intentionem est baptizatus; & idem est si aliquis baptizet alterum cum tali intentione: nam talis confert verum baptismum.

Ad secundum dico, quod ebrij, uel ebriosi non semper priuantur vsu rationis. Vnde quando habent intentionem generalem baptizandi secundum formam ecclesiæ, tales vere baptizant, & de talibus loquitur Diuus Augustinus. Nã ebriosus ille dicitur qui est assuetus ad ebrietatem: non qui semper est ebrius: atque ita non semper est talis ab vsu rationis impeditus. Verum ergo dicit Diuus Augustin. Non timeo ebriosum, idest, assuetum ad ebrietatem, quia talis assuetudo non vitiat baptismum ab eo collatum, si eum conferat vtens ratione, secus tamen si illum conferret existens in ebrietate perfecta; quando nimirum totaliter impeditur vsus rationis; tunc enim non esset baptismus. Et idem esset iudicium de furiosis, quando habent lucida interualla, & rationis vsum.

Sed dubium est, si ebrius habeat linguam ligatam, itaq; non habeat perfectæ vsum linguæ, habet tamen vsu rationis, si talis baptizando verba corrumpat, vtrum baptizat, & videtur quod non: quia talis non obseruat formam baptismi institutam a Deo, sicut deberet, nec habet quod illũ excuset, ergo non baptizat. Ex altera parte videtur quod sic; per simile sumptum ab eo, qui habet a natura linguam impeditam, idest, impotentem proferre verba sine corruptione, quales sunt, qui sonant, l. pro dicẽtes in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen. Sed constat quod talis baptizant; pari modo videtur, quod ebrij baptizant habentes simile impedimentum.

Ad hoc dixerunt quidam, vt refert Alex. de Ales, par. 4. memb. 6 artic. 5. q. 8. quod ebrius talis non baptizat. Nec est simile de impotente per naturam, & per culpam: qui enim impotens est per naturam culpam non habet: & ideo baptizat; qui vero impotens est per ebrietatem, culpam habet, & ideo non baptizat. Cæterum quia nec virtus sacramentalis, nec ministerium impeditur culpa, vel peccato ministri. Si ebrius qui ex sua culpa impeditur non magis habeat linguam ligatam quam ille, qui natura impeditur, nec magis corrupte verba proferat, quæ forma baptismi requirit, quã alius, dicendũ est, quod ita baptizat sicut ille. Et ad id quod dicunt quod ille non obseruat formam sicut debet. Dicendum, quod verum est quantum est ex parte sua, tamen obseruat illam, ita vt sufficit ad ministerium sacramenti. Vnde illud indebitum non redundat in ministerium, sed in ministrum. Alexan. Ales.

Ad tertium. Cum dicitur: quia baptismus est sacramentũ fidei non est necessaria intentio baptizãtis personalis, sed bapti-

baptizantis in persona ecclesiæ. Dico quod imò requiritur: cum enim fides sit vniuersale principium, & fidelis agens vniuersale; necessaria est intentio, quæ est quasi particulare medium, atq; etiam intendens, quod est agens particulare, applicãs fidem huic operi singulari, quod exercetur in hoc baptismo, vel illo. Cum ergo dicitur baptizans intendit facere, quod facit ecclesia; Actus intentionis duplicem habet respectum, vnum ad intendentem, & alterum ad illud, quod intenditur, quod est facere, quod facit ecclesia. Secundum priorem respectum potest esse intentio sine fide; quia intentio sic sumpta est actio intendentis; & secundum hunc respectum dicitur, quod potest esse baptismus sine fide; hoc est, sine fide baptizantis, penes vero posteriorem respectũ, non potest esse intentio recta sine fide ecclesiæ. Vnde licet eiusdem sit fides, & intentio, s. ecclesiæ; non tamen est eiusdem, scilicet baptizantis. Virtus ergo sacramenti est à fide ecclesiæ; sed dispensatio est ab actione ministri, & quoniam ministratio respicit intentionem dantis, ideo non sic requiritur fides in dispensante, sicut intentio.

QVAESTIO VI.

Vtrum in baptizante requiratur intentio actualis baptizandi.

[...]entio est [...]plex.



Ro explicatione tituli obser. est, (vt docet Scotus in hac quæst. sub lit. a.) quod intentio potest esse triplex videlicet actualis, virtualis, & habitualis; & ille dicitur actualem intentionẽ habere, qui actu considerat, & aduertit circa actum quem exequitur. Intentio. n. est actus voluntatis nõ intellectus, quando ergo aliquis habet volitionem actualẽ, circa aliquid dicitur habere intentionem actualem. Dicitur ergo actualis intentio, quando minister actu habet talem volitionem; quæ quidem actualis intentio non requirit, vt quidam scrupulosi faciunt, vt dicamus ore, aut corde illa verba, volo, aut intendo hoc, aut illud facere; sed tantum requirit, vt homo sit præsens animo & attente faciat, quod facit. Ista enim dicitur intentio in actu exercito, vt loquitur Caietanus.

Habitualem vero intentionem dicitur quis habere, qui habet habitum acquisitum inclinantem ipsum ad talem actum, siue talis dormiat, siue vigilet, est ergo habitualis intentio inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, qualis etiam in dormiente inesse potest.

At virtualem intentionem ille dicitur habere, qui virtute alicuius intentionis prius habitæ actualiter tanquam ex radice, quicquid facit operatur, verbi gratia, habuit quis velle actuale celebrandi Missam pro Petro, ex hac voluntate induit se sacris, & vadit ad altare: dum celebrat autem distrahitur, non considerans actualiter actum, quem exequitur, iste talis celebrans sic distractus dicitur celebrare cum virtuali intentione, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi pro Petro, facit illos actus concernentes celebrationem pro illo; ita quod illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes actus illam consequentes, sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscumque ordinati ad finem; & pro tanto manente intentione cuiuscumque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualiter in omnibus istis, verbi gratia, homo intendens ire ad Sanctum Iacobum, ex intentione huius finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata non semper cogitat de Sancto Iacobo, nec de reuerentia eius, tamen semper meretur (inquit Scotus) quia vel habet intentionem eorum, quæ sunt ad finem illum, cuius est illa prima intentio; vel habet actus aliquos sequentes, ex intentionibus illis, licet cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes ab intentione illa prima; & ab intentionibus proprijs eorum, quæ sunt ad illum finem, sicut declaratum est in 2. d. 41. & in 3. dist. 15. vbi dictum est, quod forte martyres in actu sustinendi martyrium, non habuerunt intentionem nisi istam virtualem: quia immensitas pœnarum absorbebat forte vsum rationis; ista tamen perpessio pœnarum, erat quidem effectus deriuatus ex intentione seruandi fidem Dei, & ideo dum durabat passio, durabat semper illa intentio virtualiter, sicut in effectu.

Secundo obseruandum est, quod vt quis dicatur habere virtualem intentionem, necessarium est saltem, vt in initio actionis, quando scilicet homo incipit se mouere, & applicare ad sacramentum conficiendum, quod præcedat aliqua actualis voluntas, à qua inchoetur illa actio, vt postea in progressu actionis virtualiter durare possit: quia nisi ita fiat nec intelligi potest, quomodo intentio sit virtualis, & influat in opus; nec in quo differat ab intentione habituali. Tum quia necessarium est, vt actio sacramenti censeatur moralis & humana, hominem ex vi intentionis, seu voluntatis sacramenti humano modo, & cum humana aduertentia applicari ad eam actionem exercendam, vt verbi gratia, ad Missam dicendam, vel quid simile: quia hoc saltem necessarium est ad humanam operationem. Vnde tandem requiritur, quod illa intentio non sit per contrariam intentionem reuocata, alioqui iam actio exterior non procederet ab illa; sed casu fieret præter hominis intentionem. — *Quid requiritur ad intentionem virtualem.*

Tertio obseruandum est, quod quidam ponunt discrimen inter intentionem remotam, seu interpretatiuam, & habitualem intentionem; Nam intentio remota interpretatiua, seu in causa tantum ea est, quæ reperitur in voluntario tantum indirecto, vt si fingamus sacerdotem, qui inebriari solet, quia huiusmodi homo voluntarie inebriatur, si verba consecrationis proferret in causa & indirecte vellet illum effectum, atq; ita diceretur habere remotam, seu interpretatiuam intentionem consecrandi; habitualis vero intentio dicitur esse: quando præcessit voluntas faciendi sacramentum; & postea nullo modo influit in effectum, seu in actionem externam: quia neq; vllo modo est postea in memoria, seu cogitatione hominis, nec per se, aut per aliquem effectum, aut virtutem relictam est causa talis actionis.

Quarto obser. est, vocari à quibusdam Doctoribus intentionem illam virtualem, quæ etiam tacite inest operanti licet non sit expressa & formalis, illam deprehẽdi esse talem in eo, si cum illa intentione operans interrogetur, quare illud operetur, & vere responderet se facere, v.g. ad satisfaciendum suæ obligationi, vel ad conferendũ tale sacramentum; de qua re legendus est Nauar. in Manu. c. 1. nu. 15. & cap. 25. nu. 105. & 106. & in Manu. de orat. eiusdem Nauar. c. 16. nu. 14. & Ioan. Maior. in 4. d. 12. q. 7. — *Nauar.* *Maior.*

Quinto obser. est, quod quidam Doctores, vt S. Bona. in 2. d. 41. & Gerson lib. 1. de regulis moralibus. appellant intẽtionem, seu relationem habitualem, quam Scotus in hac q. virtualem nũcupat, D. etiam Thomas, 3. p. q. 64. art. 8. ad 3. dicit sufficere in baptizante intentionem habitualem per habitualem virtualem intelligens, vt optime colligunt Caiet. ibidem, & Sotus in 4. d. 1. q. 5. artic. 8. ex verbis ipsiusmet S. Thomæ: inquit enim quod tunc habebit baptizans intentionem requisitam, quando accedens ad baptizandum habet intentionem faciendi, quod facit ecclesia. Eodem modo intelligendus est Richard. hac d. art. 1. q. 2. vbi respondens ad quæstionem in qua quærit. Vtrum sufficiat in baptizante intentio pure in habitu, dicit, quod loquendo de intentione pure in habitu, & in particulari, & in vniuersali, & in principio, & in medio, & in fine, non sufficit intentio pure in habitu: quia ex tali intentione non procederet aliquis actus, & ex consequenti nec effectus; sed loquendo de intentione pure in habitu respectu effectus in particulari, existente tamen in actu respectu effectus in vniuersali; dico quod sufficit ad conferendum verum baptismum, & efficaciam eius illi, qui baptizatur, etiam si non fuerit in actu, nisi in principio: quia in virtute actualis intentionis, quæ fuit in principio cum alijs, quæ ad hoc requiruntur valet illud, quod postea sequitur; aliter incertissimum esset, qui vere essent baptizati, & magnum immineret periculum baptizantibus in baptizando; tamen si baptizans non est diligens in applicando intentionem suam, secundum quod decet ad ipsum actum à peccato non excusatur. hactenus Richardus, qui non discordant à Doctor. sub. nisi in verbis: Nam huiusmodi intentionem habitualem requisitam à D. Thoma & Richard. Scotus virtualem appellat: Nam temporibus S. Thomæ, & Richardi non sic vocabatur. & Scotus fuit primus author illius intentionis virtualis. His obseruatis diuiditur hæc quæstio in duos articulos. — *D. Bonau.* *Gerson.* *D. Thomas.* *Caietanus.* *Sotus.* *Richardus.*

Digitized by Google

Primus art. Vtrum in ministro requiratur actualis intentio baptizandi.
Secundus art. Vtrum intentio virtualis dependeat in fieri, & conseruari ab actuali intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrum in ministro requiratur actualis intentio baptizandi.

HÆc difficultas tribus conclusionibus explicatur. Prima conclusio. Nō sufficit in ministro habitualis intentio ad conferendum verum baptisma. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. c. §. Ad propositū dico, & probatur: quia actio baptizandi debet esse humana, vt 1. Conclusio dictum est supra in q. præcedenti, art. 2. conclus. 1. Sed actio procedens ex sola intentione habituali, non est humana; ergo non sufficit, in ministro habitualis intentio ad baptismū. Minor probatur: quia si aliquis habeat habitum inclinantē ad desiderium sanitatis; si currat nullo modo intendens sanitatem, sed ad ludum, & propter cursum illum sanetur, nō dicitur cōsecutus sanitatem per aliquem actum humanum; sed casualiter, vel fortuite: quia consecutus esset sanitatem non magis, quam si non habuisset intentionem sanandi; ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actus humani, vt humanus est. Et confirmatur: quia illa intentio habitualis nullo modo est causa actionis, sed eo modo, quo censetur habitu manere, tantum concomitanter se habet; Vnde sicut ratione illius non potest actio dici bona, vel mala, vel mala, ita nec humana, ergo illa est insufficiens ad effectionem sacramenti.

Præterea amentes & dormientes multa faciunt in somno, & amentia ex habitu: nam habitus vt dicit Arist. operatur per modum naturæ; qui tamen si aliquem baptizarent baptismus esset nullus: quia non procederet ex actione voluntatis deliberata, & per consequens non esset humana: ergo intentio habitualis non sufficit ad faciendum actum humanum. Arist.

Contra in baptizato sufficit intentio habitualis suscipiendi baptismum; ergo & in baptizante sufficit etiam intentio, habitualis conferendi baptismū: probatur antecedens: quia si aliquis volebat baptizari, quando incidit in amentiam, & dum est amens baptizatur, verum suscipit sacramentum, vt dictum est supra d. 4. q. 4. ar. 2. concl. 3. & art. 3. per totum. Consequentia probatur: quia baptismus non magis accipit virtutem à baptizante, quam à baptizato; à nullo enim recipit aliquam virtutem, ergo non maior intentio requiritur in baptizante, quam in baptizato. Respondeo negando consequentiam; & ratio est: quia licet baptismus non recipiat virtutem à baptizante, accipit tamen esse ab illo: minister. n. est qui conficit sacramentū: suscipiens vero non est efficiens, sed subiectum tantum: & ideo in illo non requiritur intentio, quæ sit principium humanæ actionis, sed quæ sit tātum dispositio, vt subiectum sit capax, siue non repugnas sacramento; at vero in ministro requiritur intentio, vt principiū, & veluti forma exterioris actionis, quæ humano modo fieri debet, atq; adeo maior intentio requiritur in baptizante, quam in suscipiente baptismum, qui non facit, sed tantum recipit sacramentum: plus enim requiritur ad faciendum, quam ad patiendum.

Secunda conclusio. Non est in ministro necessaria actualis intentio ad verum baptismum conferendum. hæc concl. est Scoti vbi supra. §. Nec requiritur. & prob. Nō requiritur in ministro maior intentio ad conferendum sacramentum, 2 Conclusio quā ad merendum; sed ad merendū nō requiritur actualis intentio, ergo neq; ad conferēdum baptismi sacramentum: probatur maior, quia meritum habet effectum ex volūtate meritorie operantis, sacramentum aūt non habet effectum à voluntate ministri, ergo ad conferendum sacramentum non requiritur maior intentio, quam ad operandum meritorie. minor etiam probatur: quia intendens propter Deum vel propter Diuæ Virginis deuotionem adire sacras ædes Diuæ Virginis Lauretanæ, etiam si inter eundum distrahatur non considerans actu erga Deum, nec erga D. Virginem, nihilominus meretur prosequens suum iter, ita distractus, ergo ad merendum non est necessaria actualis intentio.

Secundo probatur concl. Deus non obligauit hominē ad impossibile, vel nimis difficile; sed non distrahi in quocūq; actu humano, quo interrumpitur, vel tollitur actualis intentio, vel est impossibile, vel valde difficile: cum ingeniū humanum adeo sit lubricū, vt cogitationem in re vna diu non possit retinere. Vnde & D. Aug. dixit li. 3. de lib. arb. Non est in potestate nostra, quin visis tangimur; ergo non obligauit Deus baptizantē, vt in actu baptizandi non distrahatur ad cogitandū aliquid aliud nō pertinens ad baptismum. Cum D. August. autē distrahitur nō actu cogitat, & p consequēs nō intendit ad baptismum: quia non potest homo simul plura cogitare, quorum vnum non ordinatur ad aliud, atque ita nec intendere; quia intendere præsupponit cogitare, sicut actus voluntatis actum intellectus.

Tertio probatur. Deus nō magis obligauit ministrum in conferendo baptismum, quam in exequendis actibus aliorum sacramentorum: sed in conficienda Eucharistia, quod est sacramentum excellentissimum, Deus non obligauit hominem ad hoc, vt non distractus conficeret sacramentum, si prius intenderet celebrare; ergo non est necessaria in ministro intentio actualis ad conferendum verum baptisma.

Tertia conclusio, sufficiens & necessaria est in ministro virtualis intentio ad conferendum verum baptismum. hæc 3 Conclusio concl. est Scoti, vbi supra sub litt. d. §. Ex his concludo; & probatur a sufficienti diuisione, quia si habitualis non sufficit ex prima conclusione; & actualis nō est necessaria ex secunda conclusione; sequitur quod virtualis sit sufficiens & necessaria. Secundo probatur: quia ad conficiendū Eucharistiam sufficit virtualis intentio, ergo etiam sufficit ad baptizandum; consequentia est nota, & antecedens probatur: quia sufficit vt sacerdos prius intēderit celebrare, quamuis in celebrando sit distractus, vt vere conficiat Eucharistiæ sacramentū; ergo eodem modo sufficit, quod minister prius habuerit actualem intētionem baptizandi, ex qua actus baptismi sequatur, siue in actu baptizandi minister sit distractus siue non; ita tamen quod talis actus baptismi sequatur nullo voluntatis motu interueniente contrario. Est itaq; virtualis intentio, quæ mouet potentiam ad agēdum, qui quidem motus priore intentione cessante semper durat, nisi per contrarium actum interrumpatur, atque ita requiritur tam proxima intentio, vt illa moueat membra, vel ad eundum in ecclesiam, vel ad præparandum se, & c. ita vt tota illa actio sit actus humanus in virtute prioris deliberationis, siue intentionis, qua primum intendit facere, quod facit ecclesia.

Quod si objiciatur esse plures sacerdotes, qui nunquam cogitāt facere, quod facit ecclesia; imò forsan in tota vita sua nunquam illam intentionem sub illa forma habuerunt. Respondet Sotus. d. 1. q. 5. art. 8. quod non requiritur semper intentio formalis faciendi, quod facit ecclesia; sed aliqua cōfusa, in qua includitur ista. Vnde dicit, quod si quis. v. g. ordines sacros suscipit, ea intētione, vt sit sacerdos, & minister ecclesiæ, & postea consuescat celebrare, & alia ministrare sacramenta; neq; vnquam per actum contrariū cogitat aliter ministrare, quam Christus, & ecclesia iubet; illa consuetudo, quæ nominari potest habitus, sufficit vt quotiescūq; per actus humanos administrat, intendere censeatur facere, quod facit ecclesia. hæc Sotus. Intentio igitur siue actualis, siue virtualis, quælibet se sola sufficit ad sacramenta ministranda, & recipienda; atque etiam ad merendum. Sotus.

Contra ab actu primo non procedit effectus nisi mediante actu secundo, nam, n. ieiunare a volūtate procedit, nisi mediante velle, sed intentio habitualis est, sicut actus primus, ergo ab ea non procedit effectus sine intētione actuali, quæ teneat locum actus secundi. Tunc vltra, qui habet intentionem virtualem baptizandi, quamuis ante baptismum habuerit intētionem baptizandi, tamen qn̄ actu baptizat, iam nō hēt illam intentionē, nec aliquid causatū ab illa; alias nō esset virtualis, sed actualis intētio; ergo baptismus ille non procedit ab intentione, atque ita fit sine intentione, & non erit baptismus: consequentia probatur: quia ab eo quod nō est, nihil potest procedere.

Huic argumento respōdens Scotus dicit. Concedo quod Scotus. aliquis actus requiritur ad hoc, quod effectus sit, & ille actus pōt dici, quo producitur effectus extrinsecus: nā intentionē virtualē præcedit actualis intētio; ex eo. n. virtualis est, quia actualis intentio præcessit ordinata ad effectū producendū, puta ad conficiendū sacramentū, nō sit necessaria actualis intentio,

quæ

Digitized by Google

quæ in tigore coexistat exteriori actioni, necessarium tamē est vt in initio actionis, quando homo incepit se mouere, & applicare ad sacramentum conficiendum, præcedat aliquis actualis voluntas, à qua inchoetur illa actio, vt postea in progressu actionis virtualiter durare possit: si quçras tamen aliquem actum, secundum quem fit operatio immanens agenti, talem non oportet dare tunc manentem, quando effectus exterior elicitur: sicut manifestum est; quod multi effectus actu causantur; quando actualis motio causæ agentis per intellectum à qua producuntur, nō manet: atq; adeo quamuis intentio non maneat actu, quando minister baptizat, manet tamen aliquid causatum ab ipsa intentione: quia ex imperio ipsius intentionis, manet actus cogitatiuę potentiæ, & appetitus sensitiui, ex quibus actibus procedit actus baptizandi, atq; ita patet, quomodo actibus humanarum potentiarum mediantibus causatur actus exterior baptismi ab intentione actuali præcedēte; quæ licet non maneat formaliter in se, manet tamen virtualiter in actibus executiuarum potentiarum. Quemadmodū lapide proiecto in aqua primus circulus est causa secundi circuli, & sic deinceps: nō tamen semper manet primus, quam diu cæteri. Ita etiam vniuersaliter in motu proiectorum prius cessat pars motori propinquior, quam remota.

ARTICVLVS II.

Vtrum intentio virtualis dependeat in fieri, & conseruari ab actuali intentione.

Ratio dubitandi est: quia non apparet, quomodo actus exterior, qui nunc fit procedat Physice ab actu interno qui præterijt: quia ille cum iam sit, nihil potest per se ipsum efficere, quod si ab illa intentione actus exterior non procedit; ergo nec talis actus exterior denominabitur humanus ab illa intentione; nec magis procedet ab illa, quam ab habituali. Et confirmatur: quia si pręcedens intentio aliquā virtutem relinquit, vel illa est in voluntate; vel in potentijs inferioribus, siue externis: Non in voluntate: quia in ea ad summum potest relinquere aliquem habitum, vel dispositionem per modum actus primi, qui non potest influere in actum externum, nisi mediante aliquo actu secundo proprio & interno, qui versetur circa talem externum, alioqui iam esset intentio actualis. Nec potest dici secundum: quia nulla qualitas potentijs inferioribus imprimitur, ex vi talis intentionis, quæ possit manere per modum virtutis influentis.

Richardus. Ad hanc difficultatem respondens Richardus hac d. art. 1. q. 3 ad secundum censet hanc virtutem esse quādam qualitatem, seu dispositionem, ac veluti impetum, qui imprimitur ex vi talis intentionis exterioribus organis motiuæ potentiæ, & durat cessante actuali intentione. Voluntas enim, inquit, per actum suum, facit aliquam impressionem in virtute motiua: quæ durat ad tempus, etiā actu voluntatis non manente; qua expirante virtus motiua, non exequeretur motū amplius, nisi renouaretur imperium voluntatis. Frequenter tamen manet homo in actuali voluntate itinerādi, quod ipse non aduertit. Vnde quando ex forti intentione, ita se conuertit ad aliud, quod non actu cogitat de suo itinere nec in vniuersali, nec in particulari, cessante impressione, quæ facta fuerat in virtute motiua per pręcedentem voluntatis actum, statim cessat motus. Vt si aliquis intendat ire ad aliquem locum, & post in via cogitat de alijs, in illa actuali intētione fiebat actualis impressio in potentiam motiuam, & quamdiu illa impressio manet, tamdiu mouet ad terminum volitum, & procedit homo, paulatim vero minuitur illa impressio, & tādem deficit; & cessat homo à motu; & tunc dicitur ab istis, quod homo non habet intentionem virtualem, nisi dum habet effectum impressum à voluntate actu intendente in potentiam aliquam inferiorem.

Ioan. Maior. Eamdem sententiam docet Ioann. Maior in 4. d. 12. q. 7. contra secundam concl. vbi quærens de mouente se ad aliquem locum, non cogitando de loco in quo transit, nec habendo volitionem incedendi, quomodo ille incessus causetur, inquit. Potest dici, quod voluntas imprimit quamdam qualitatem in membris motiuis, per quam homo mouetur per aliquam distantiam, sed non quantumlibet magnā, nisi reiteretur actus, sicut impetus impressus in mobile ipsum mouet s̄m exigentiā impetus, sursum, deorsum, vel orbicu-lariter, & tandē remittitur impetus, & euanescit, & mobile sistit. Vnde cum volūtas mouendo corpus separatum ab eo imprimere potest impetum in eo, & angelus vel anima separata corpus mouens, motum localem in mobili causat, per quem mouetur: quare non poterit voluntas in membra motiua producere qualitatem motiuam membrorum per aliquod tempus & spatium?

Sic, inquit, dici potest, quod volūtas volens aliquos psalmos dicere imprimit quamdam qualitatem in linguam, & labia, & alias partes requisitas ad loquendum, per quam partes illæ loquelam continuant, & potissimum adiutæ ab habitu, quia sine habitu homo nequit hoc facere. Sed aliquid est discriminis in impetu: quia vnus impetus ex natura rei mouet sursum, & ad vnam differentiam positionis solum; alius alterius speciei ab eo pellit deorsum solū, & alius orbiculariter, vt in ludo trochi puerilis ad vnam differentiam positionis. Hic autem impetus coadiuuat proportionabiliter ad habitum, vel habitus contrarios; hoc autem non debet virum mouere, vt hunc modum dicendi relinquat: quia simile putatur de vno agente nunc mouente ad vnum cum vno instrumento, nunc sine illo, vel cum alio ad oppositum.

Cæterum hanc sententiam non probat Scotus in hac q. sub litt. d. § si quæratur. & certe deridicula est hæc opinio: quia voluntas extra se nihil penitus agit: quia voluntas causat volitiones, & nolitiones, quæ non sunt extra ipsam, si autem voluntas causaret istas qualitates in potentijs, esset potentia factiua, quod est falsum. *Refellitur opinio Richardi, & Maioris.*

Dicendum est ergo, inquit Scotus, quod in appetitu sensitiuo, siue in phantasia est aliqua qualitas, propter quam mouet potentias exteriores ad operandum cessante actu voluntatis imperātis eis; vel aliter potest dici & melius, quod intentio virtualis manet in ipsa motione externa: quæ non semper pendet in fieri & conseruari ab actuali intentione, seu voluntate interna; sed postquam per debitam intentionem applicauit minister suas exteriores potentias ad actionem sacramentalem; quamuis interumpatur intentio interior, potentiæ ipsæ manent applicatæ, & continuant motus suos, & quādiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere à priori intentione, durabit autē donec vel finiatur, vel obtineatur res intenta, vel donec per contrariam intentionem, vel per aliquod superueniens impedimentum interrumpatur; & tunc necessaria erit noua voluntas, vt interrupta actio iterum inchoetur, siue continuetur. Nam voluntas intendens aliquid ordinate habet suas volitiones respectu finis, & totium, quæ sunt ad finem, & cum ad aliquam istarum peruenerit, & actum potentiæ inferioris correspondentis imperauit, potest ille actus inferior imperatus manere, licet intentio nec prima, id est, finis, nec secunda, id est, alicuius ordinari ad finem à quo incipit, executio maneat; & dum manet ille actus voluntate quantumcumque distracta, dicitur manere intentio virtualis: nam nihil aliud est manere in virtute, quam initio mouisse membra ad illum finem. Probabile autem est cū actione externa concurrere semper actualem aliquam phantasiæ, vel appetitus motionem: atque hoc modo per quasdam actiones externas excitari hominem ad alias sibi subordinatas actiones succedentes ex vi prioris intentionis: atque ita fieri sacramentum virtute illius.

Exemplum esse potest de lapide proiecto in aqua, primus circulus causat secundum; & secundus tertium, & sic deinceps, & contingit causari circulos, primo iam non manente. Ita in proposito, licet intentio prima actualis non maneat actu, quando minister baptizat, manet tamen aliquid causatum ab ipsa intentione: quia ex imperio primæ intentionis manent actus cogitatiuæ potentiæ, & appetitus sensitiui, ex quibus actibus procedit baptizandi actus, vt dictum est supra.

Aliter etiam responderi potest, actus consequentes ideo reduci in primam intētionem actualem: quia virtute illius fiunt: nō ideo quod à tali intentione dependeant, sed quod eam pro supponūt ordine quodam; ita quod primam illam intentionem manere in virtute, nihil est aliud, quam principio mouisse membra ad illum finem, & per hæc patet responsio ad rationem dubitandi.

Digitized by Google

QVAESTIO VII.

Vtrum Baptismus iterari possit.



Æc quæstio in duplici sensu tractari potest. Prior est an simul & in eodem instanti possit aliquis recipere duo sacramenta baptismi; & de hoc non agit Doct. in præsenti; Tum quia in hoc sensu quæstio explicata est tractando quæstionem illam, an possit aliquis à duobus baptizari; Tū etiam quia illa multiplicatio baptismatum, si possibilis est, parum ad rem Theologicam refert: est enim valde materia lis: nam in effectu, & in formali significatione, ex parte rei significatę illa baptismata vnum sunt, & per modum vnius conferuntur. Posterior ergo sensus est; an successiue possint in eodem subiecto baptismata multiplicari, quod est quærere, An baptismus semel susceptus possit iterari, aut iterum dari.

Epiphanius In qua re fuit antiqua hæresis affirmans posse hominem ter baptizari. ita refert Epiphanius hæresi 42. nullū tamen affert illius fundamentum. Solet etiam hic error tribui Donatistis; sed hi, quamuis errent, in eo quod baptismum ecclesię non admittunt, tanquam verum & ratum, & ideo re ipsa baptizarent iterum eos, qui rite erant baptizati; tamen formaliter non docuerunt, posse iterum baptizari eum, qui semel est rite baptizatus, vt sumitur ex D. August. lib. 2. contra litt. Petilian. c. 25. Diuiditur hæc quæstio in duos art. *D. August.*

Primus art. Vtrum licitum sit rebaptizare.
Secundus art. Vtrum si de facto aliquis rebaptizetur, secundus baptismus sit sacramentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum licitum sit rebaptizare.

Alex. Ales. D. Thomas. D. Bonau. Richardus.

DE hac re tractant Alex. de Ales. p. 4. q. 8. mem. 12. D. Thomas. q. 66 3. p. art. 9. D. Bona. in 4. d. 6. art. 1. q. 6. Richardus, eadem dist. art. 4. q. 1. & cæteri Theologi, in 4. d. 4. vel 6. Qui omnes simul conueniunt in hac conclusione. Vnum hominē semel tantum baptizari posse; atq; ita sacramentum baptismi non esse iterabile, neq; esse posse nisi vnum numero in eodem subiecto. Conclusio est certa de fide, quæ primo probari potest ex scriptura adiunctis patrum expositionibus; Nam ad Ephes. 4. inquit D. Paulus. Vnus Dominus vna fides, vnum baptisma; quæ verba de initerabilitate baptismi explicat. Leo Papa epist. 35. ad Renonem Episcopum Rauennatem, c. 1. Scimus (inquit) inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamate doctrina, quæ vnam prædicat in Trinitate deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate sacramentum, & refertur de consecrat. d. 4. cap. Cum itaque, similia habet epist. 79. ad Nicætam episcopum. c. 7. & referuntur 1. q. 1. can. Hanc regulam. Hanc regulam (inquit) seruandam in omnibus ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initū nulla iteratione violetur, dicēte Apostolo. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma; & eamdem expositionem sequitur D. Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 2. vbi eamdem veritatem confirmat ex alio Pauli testimonio ad Hebræos dicentis. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cęleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonū Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt, iterum renouari ad pęnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Nam in his verbis aperte loquitur Apostolus ad eos, qui baptizati sunt, & post baptismum peccauerunt, quos illuminatos vocat: Nam quia per fidem diuinitus illuminamur, & baptismus est sacramentum fidei, ac solemnis fidei professio; ideo & ipse baptismus illuminatio, & baptizati illuminati vocari solent; & hoc modo loqui solent præcipue Patres Græci, vt videre licet apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pędagog. c. 6 & Nazian. orat. 40. Chrysost. hom. ad Neophyt. & Cyrillum Hierosol. in Cathechesi. Illuminationum, quibus verbis iuxta illorum Patrum explicationem docet D. Paulus, huiusmodi hominem lapsum non posse iterum renouari vtiq; per baptismum. Per lauacrum enim (inquit Ambrosius) renouamur per quod renascimur. Quod inferius etiam confirmat illis verbis. Iterum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Nam in eo qui baptizatur crucifigitur filius Dei: quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Iesu; Qui ergo post baptismū alterum suscipere tentat, dicitur iterum Christum crucifigere: quia repræsentatione, & professione ipsa vel profitetur Christum bis mortuum, vel significat primam Christi mortem non sibi sufficere ad salutem, & alia indigere. & hanc huius loci expositionem habet etiam D. August. lib. de ver. & fal. pœnit. cap. 3. Epiphan. hæresi 59. in principio. Chrysost. homil. 9. in ad Hebræos. Theodoretus, & Theophil. ad Heb. 6.

D. Ambros. Leo Papa. Clem. Alex. Nazian. Chrisostom. Cyrillus. D. August. Epiphan. Chrysost. Theodoret. Theophil.

Secundo probatur concl. ex ecclesiæ definitione. Hoc. n. sensu dictum est in symbolo Apost. Cōfiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Vnde ex eorundem Apostolorum doctrina dixit Clemens Roman. lib. 6. const. c. 15. Vno baptismo sumus contenti, qui in Domini mortem traditur; & infra de his, qui baptismum iterare audent dicit, Crucifigunt Dominum, derident diuina. Præterea idem definitum est in Concilio Vien. prout habetur in cap. Vnica. §. vltimo, de sum. Trinit. & fide cath. & in Concilio Floren. in Decreto Eugenij. & demum in Concilio Trident. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 9 sub his verbis. Si quis dixerit in tribus sacramentis (baptismo, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, vnde ea reiterari non possunt, anathema sit, & can. 81 de baptismo. Si quis dixerit verum & rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negauerit, cum ad pęnitentiam conuertitur, anathema sit.

Clem. Conc. Vien. Conc. Floren. Conc. Trid.

Tertio probatur ex veterum Patrum traditione, vt videre licet præter citatos apud Cyprianum epist. 63. ad Cæciliū, & serm. de ablutione pedum, quem sui reuerentia non patitur iterari. Basilius lib. de spiritu sancto. c. 15. Non, inquit, Iudæorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed vnum nouimus salutiferum baptisma, quandoquidem vna est pro mundo mors, & vna ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptisma. Idem docet Tertullianus lib. de bapt. c. 15. Optatus lib. 5 contra Parmen. Damas. lib. 4. c. 10. D. August. epist. 103. ad Maximum. Rebaptizare (inquit) hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est, rebaptizare autem catholicum immanissimum scelus est; & refertur de consecrat. d. 4. cap Rebaptizare. Item lib. 65. q. ad Orosium. q. 59. Quamuis (inquit) vnum baptisma sit & hęreticorum, (eorum. s. qui in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizantur) & ecclesiæ catholicæ; tamen quia foris & extra ecclesiam baptizantur, non sumunt baptisma ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem abnegantes. & ideo eos ecclesia non rebaptizat, qui in nomine Trinitatis baptizati sunt, & refertur de consecrat. d. 4. cap. Quamuis. & lib. 1. contra Donatistas, cap. 1. ostenditur illos impie facere, qui rebaptizare conantur orbis (id est, ecclesiæ, quæ diffusa est per totum orbem) vnitatem. (id est, illos, qui baptizati sunt ab hæreticis in vnitate ecclesiæ, id est, in forma ecclesiæ, quæ est. Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti) & nos recte facere, qui Dei sacramenta improbare, nec in ipso Chrismate audemus. & refertur de consecrat. d. 4. c. Ostenditur.

Cyprian. Basilius. Tertull. Optatus. Damasc. D. August.

Vltimo adducuntur rationes; quarum prima est talis. Christus semel est mortuus & baptismus virtutem habet à passione Christi, iuxta illud Apostoli: in morte ipsius baptizati sumus. ergo, &c. Authores huius rationis citantur in margine Alex. de Ales, & D. Thomas. Sed in rei veritate non in hunc modum ab his Doctoribus hæc ratio inducitur. Nam Alex. loco supra citato ita dicit. Alia est ratio allegorica, Baptismus enim habet effectum suum à morte Christi, sicut dicit Apostol. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte eius baptizati sumus; Vnde si tantum Christus semel mortuus est, & nos tantum semel baptizari conuenit. D. autem Thomas inquit, quod per baptismum commorimur peccato, consepelimurque, & configuramur morienti Christo adeo quod ratio fundatur nō in hoc, quod baptismus habet virtutem à passione Christi, sed in similitudine ad eādem mortē, quæ reliquis sacramentis non conuenit; per baptismum n. configuramur morienti Christo,

Alex. Ales. D. Thomas.

Digitized by Google

Christo veterem hominem, quoad culpam & pœnam exuentes, & induentes nouum; Vnde quoniam signum veræ rei assimiliari debet, sicut vnica fuit Christi mors, ita vnicũ debet esse baptisma, & sic intellecta ratio Alex. & D. Thomæ non infirmatur instantia Docto. qua dicit, quod sequeretur sacramentum pœnitẽtiæ non esse iterabile: quia etiam pœnitentia habet virtutem à passione Christi: quia absolutio, vel prima gratia non datur inimico, nisi per meritum mediatoris; Nam vt diximus, ratio non fundatur in hoc, quod baptismus habeat virtutem à passione Christi: sed in similitudine ad eius mortem, quæ sacramento pœnitentiæ adaptari non potest. Nam de baptismo solum dicitur. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus Roman. 5. Vnde Glossa ordinaria super illud ad Hebræos 6. Rursus crucifigentes sibimetipsis filiũ Dei, inquit, Vna Christi mors, vnum baptisma consecrauit. *Glossa ordi.*

Secunda ratio, quę simul est Alex. & D. Thomę, est talis. In sacramento baptismi imprimitur character, ergo non est iterabile, patet, quia character est indelebilis omnino postquam semel impressus est, & ideo sicut characteres eiusdẽ rationis multiplicari non possunt in eodẽ subiecto; ita neq; baptismata iterari; est autem character effectus omnino inseparabilis a baptismo. Hanc rationem dicit Alex. esse efficaciorem: quia character baptismalis perennis est: manet enim in hæreticis, manet in damnatis in inferno; vnde quia indelebilis est, & ex quo semel imprimitur amplius imprimi non potest, & sicut radius solis per quæcumq; loca diffusus non contrahit immunditiam aliquam, sic neq; character polluitur, nec deterioratur, si ergo iteraretur baptismus crederetur character baptismalis annihilatus esse, vel deterioratus, vel pollutus, quorum nullum est: quia ergo character perpetuus est, non est iterandum baptisma, sicut nec ordo, & ideo iniuriaretur sacramentum, si iteraretur baptismus.

Sed hæc ratio, inquit Doctor, petit principium: quia consequens non est manifestius, quam antecedens, à principio enim ex quo baptismus fuit institutus, fuit manifestũ de eo, quod non licuit eum iterari; quod autem character imprimatur nõ est notum ex prima eius institutione, nec ex tota scriptura, neq; ex multis authoritatib. Sãctorũ, sicut statim tangetur in quæstionibus de charactere. Cuius rei maxima est congruentia, quod si fuisset multum de hoc tractatum à Sanctis, Magister sententiarum mentionem fecisset de ipso; Non inuenitur autẽ verbum aliquod dixisse de charactere, secundum istam significationem, secundum quam vtimur eo; Nam in toto tractatu de baptismo non nominat characterem, nisi semel in 1. cap. huius dist. in fine dicens, Qui ab hæreticis baptizati sunt seruato charactere Christi, rebaptizandi non sunt, vbi Christi characterem appellat formam baptismi Christi, sicut satis apparet ex authoritate D. August. præmissa, ex qua Magister infert istud dictum, & est quæ supra relata est ex lib. quæstionum ad Orosium.

Dicit ergo Scotus, quod ratio initerabilitatis baptismi sumenda est ex Christi institutione, sicut etiam dixit Alex. ab *...c.3 Alex.* illa. n. originem trahit, quod baptismus iterari nõ possit, cuius institutionis causa non est alia prior, nisi voluntas eius. Nam quæ sunt de necessitate sacramentorum, cũ in sola rerum natura non habeant fundamentum, ex voluntate instituẽtis orta sunt. Etenim, quod ablutio facta sub certa forma verborum, si fiat circa hominẽ baptizatum non sit sacramentum, nec signũ rei sacræ: neq; ex ipsa rei natura oriri potuit: neq; ex sola ecclesiæ institutione. Nam si ex vi institutionis Christi illud esset subiectum capax talis sacramenti, cũ alioqui materia, & forma ex se sufficientes sint, non posset ecclesia impedire, quominus tale sacramentum conficeretur.

Ergo dicendũ & hominem simul baptizatum, diuino iuri esse subiectum incapax alterius baptismi, atq; hoc modo ex diuino iure esse, vt hoc sacramentum iterari non possit, propter quod iteratio baptismi, nedum contumeliã facit sacramento, vt dicit D. August. sed etiã ipsi Christo instituenti. Fuit tamen hæc institutio rationabilis, inquit Scotus.

Tum ex morbo contra quem principaliter instituitur: ordinatur enim primo hoc sacramentum ad remissionem originalis peccati; hoc autem peccatum vnicum est, & iterari non potest; & ideo remedium illius semel tantum applicari oportet; sicut & in circumcisione fiebat.

Dices fieri posse, vt baptismus semel datus nõ efficiat prędictum effectum, ergo hac saltem de causa oporteret eum posse iterari; Præterea duo dantur in baptismo, character & gratia; sed quamuis character sit indelebilis, gratia tamẽ est delebilis, ergo saltem ratione gratiæ potest, & debet iterari.

Respondetur ad primũ, quod per se quantum est ex parte sacramenti, baptismus nunquã potest carere suo effectu; in institutione autem sacramentorum attendenda sunt ea, quæ sunt per se; non quæ per accidens ex defectu subiecti; Præterquam, quod etiã in eo casu, quãdo baptismus impeditur ne suum effectũ habeat propter indispositionem subiecti recedente fictione, & impedimento ablato potest postea habere suum effectum, vt supra diximus, propter hãc ergo causa non fuit necessarium hoc sacramentum iterari.

Ad secũdum dicitur, quod non est simile de charactere, & gratia: quia character est primus effectus, & immediatus ipsius sacramenti, gratia autem nõ effectus immediatus inquit, Alex. sed mediatus s. mediante charactere, qui est dispositio ad illam; sed hoc est falsum, vt diximus supra d. 1. q. 4. & 5. ideo neganda est consequentia: ad summum. n. concludit rõ necessarium, seu conueniens fuisse institui aliquod sacramentum, quo peccata post baptismum commissa delerentur; non vero illud esse baptismum: quia alius modus remissionis & facilior venia concedi debet homini contrahẽti originale peccatum, aut etiam peccanti ante susceptũ baptismum; quam ei, qui postquam per baptismum illuminatus est à suscepta gratia cadit, vt innuit hic Doct. in sequenti ratione, & magis patebit in materia de pœnitentia.

Secundo finis principalis, ad quem baptismus est institutus ille est, vt per illum homo assequatur plenam remissionem culpæ & pœnæ; sed si homo posset frequenter habere talem remissionem plenariam, haberet magnũ peccandi incentiuum: nam sine freno peccarent homines, inquit Alex. & discurrerent per campos licentiæ vsq; ad extremã necessitatem, in qua facerent se baptizari; ergo non decuit baptismum institui iterabilem: sicut pœnitentia est iterabilis: Nã illud sacramentum, quod est institutum in remedium relabentiũ, vtpotè pœnitentia, non est sine magna pęna soluenda pro peccato: atq; adeo non ita faciliter, nec tam plenarie consequitur homo per pœnitentiam peccatorũ remissionẽ.

Tertio: quia per baptismũ, qui est ianua, per quam intratur in religionem Christianam, adscribitur homo familiæ Christi, fitq. membrum illius, & militantis ecclesiæ, ergo non decuit vt institueretur iterabilis. probat. consequentia: quia homo non fit membrum alicuius familiæ, nisi semel quamuis iam factus talis familiæ, possit illi rursus reconciliari, si illam offendat existens membrum illius. Addas, quod per baptismum regeneramur in Christo: vnde sicut generatio ex Adam vnica tantum est; ita regeneratio in Christo vnica tantum esse debet.

Sed contra hanc conclusionem arguitur. primo ex cap. Si quis confugerit, 1. q. 1. ex Concilio Niceno cap. 9. legitur. Si *Concil. Nic* quis confugerit ad ecclesiam catholicam, de Paulianistis, & Cathaphrygis, statutũ est rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero clerici sunt apud eos, siquidẽ inculpati fuerint, & irreprehensibiles. rebaptizandi sunt, & rursus etiam ab Episcopo ecclesiæ catholicæ ordinentur; si vero examinati minus fuerint idonei reperti, deponi eos oportet; similiter autem & circa Diaconos, & de omnibus qui in eodem clero inueniuntur eadem forma seruabitur. Quibus verbis definit Concilium, quod Paulianistæ, & Cathaphrygæ ad ecclesiam venientes rebaptizentur: & tamen isti hæretici non negabant baptismum, sed filios suos baptizabant, ergo licitum est rebaptizare saltem eos, qui ab hæreticis baptizati sunt.

Præterea de quibusdam baptizatis dubitatur interdum an sint baptizati, ergo tunc temporis licitum est eos rebaptizare; probatur consequentia: quia nullus sine baptismo potest saluari, ergo male faceret, qui non rebaptizaret eos, de quibus dubitatur an sint baptizati: quia sineret eos interire cum periculo damnationis æternæ.

Item tertio, sacramentum Euharistiæ potest iterari, ergo & sacramentum baptismi; probatur consequentia: quia baptismus non est sacramentum nobilius sacramento Eucharistiæ.

Ad primum dico, quod baptizati ab hæreticis in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, non sunt rebaptizandi, vt habetur de consecrat. d. 4. cap. Sic, cap. Quamuis. capitulo, Ostenditur, & cap. Hi de quibus scripsisti, & cap. Rebaptizare. Paulianistæ autem, & Cathaphrygæ non baptizabant in

Digitized by Google

nomine Patris & filij, &c. vt dicitur in cap. Hi vero hæretici. de consecr. d. 4. atque adeo eorum baptismus erat nullus; & ideo ad Ecclesiam venientes erant rebaptizandi. Sed nō iterato baptismo: quia prior non erat verus baptismus.

Ad secundum dico, quod illi de quibus est dubiū an sint baptizati baptizandi sunt sub conditione. Vnde si baptizati non erant, tunc baptizantur, & non rebaptizantur: si vero contigerit eos baptizatos iam fuisse: tunc non rebaptizātur. Dicit enim sacerdos, si es baptizatus non te baptizo; sed si non es baptizatus ego te baptizo in nomine patris &c.

Ad tertium dico. Quod prolatio formæ sacrament. Eucharistiæ non est sacramentum, sed est consecratio sacramēti, & illam nō licet bis iterare super eamdem materiam; & si secundo iteraretur nihil fieret: quia iam prius factum est: illa etiam perceptio non est sacramentum: sed appellatur communio, vt apparebit inferius; licet ergo eadem persona possit frequenter communicare, seu recipere Eucharistiam: non tamen super eamdem materiam possunt frequēter proferri verba consecrationis Eucharistiæ; nec sic Eucharistia debet iterari; quod propter aliqua materia huius sacramenti bis recipiat formam eius, ita similiter de sacramento baptismi.

ARTICVLVS II.

Vtrum si de facto aliquis rebaptizetur secundus baptismus sit sacramentum.

Gabriel. DE hac re est opinio singularis Gabrielis hac dist. 6. q. 2. art. 2. concl. 1. asserentis probabile esse quod secundus Baptismus sit sacramentum, cuius primum fundamentum esse potest: quia in iure Canonico imponitur pęna rebaptizantibus; si autem secundus Baptismus non esset sacramentum, nullus posset rebaptizare: quia rebaptizare est iterum baptizare, atque iterum Baptismi sacramentum conferre, ergo secundus Baptismus est vere sacramentum.

Secundum fundamentum est. Si secundus Baptismus non esset sacramentum, non peccaret rebaptizans, peccat autem grauissime, ergo est sacramentum: probatur maior: quia si non esset sacramentum, nulla fieret iniuria sacramento, atque ita, non esset peccatum. Oppositum tamen communiter tenetur.

Vnde pro solutione obser. est, quod sacramentum non dicitur irreiterabile: quia idem numero non iteratur: quia sic solum Eucharistia sacramentum dicitur irreiterabile: tantū enim hoc est idem numero, quoad contentum, quotiescūq; & vbicumque consecratur: licet neque species, neque consecrata in diuersis missis, sint eædem numero; Cętera vero sacramenta, quia consistunt in vsu & operatione, quæ transeunt, quoties exhibentur alia, sunt, & alia secundū numerum.

Nec etiam quia idem specie non iteratur: quia sic baptismus non esset irreiterabilis; quia idem specie iteratur circa diuersos baptizandos. Sed dicitur ideo irreiterabile: quia idem secundum speciem & nomen non iteratur circa eamdem personam, ita quod vna eademque persona non potest tale sacramentum pluries suscipere, puta eadem persona nō potest bis baptizari, bis confirmari, bis eumdem ordinem suscipere.

1. Conclusio Hoc supposito, sit hæc conclusio. Secundus Baptismus, seu iteratus baptismus non est verū baptisma nec sacramentum. hæc conclusio est communis sententia omnium Scholasticorum, & sanctorum, à qua nullo modo discedere licet.

Conc. Trid. & probatur ex Concilio Triden. sess. 7. can. 9. de sacramentis in genere, vbi ratio propter quam non potest iterari baptismus assignatur à Concilio: quia imprimit characterem; ex qua ratione manifeste colligitur, quod baptismus secundus non est sacramentum. probatur. Baptismus secundus non imprimit characterem, ergo non est sacramentū, consequentia patet: quia vt dicit Concilium, semper Baptismus imprimit characterē. Et confirmatur ex D. August. super Ioan.

D. August. c. 3. super illa verba. Nunquid potest homo in ventrem matris iterato introire, & renasci? Si, tu (inquit) intellige natiuitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Quomodo enim vterum non potest repeti, sic nec baptismus. hæc August. Impossibile est autem aliquem bis generari carnaliter, ergo neq; spiritualiter: patet conseq. ex verbis August. quia baptismus est generatio spiritualis.

2. Conclusio Secunda conclusio. Illa iterata lotio etsi non sit baptisma simpliciter, potest tamen appellari baptisma equiuoce analogice: prima pars probatur: quia illa lotio non significat ex diuina institutione efficaciter ablutionē animæ a peccatis: Non enim instituit Deus huiusmodi lotionem secundo factā ad significandum ablutionem efficaciter, quam nunquā efficit; etiam subiecto qualitercumq; disposito: quoniam & si aliquis baptizatus, nesciens se baptizatum, imo credens se non baptizatum peteret cum deuotione se baptizari, si iteratur baptisma, non est verū baptisma: quia nihil cōfert baptizato, & ex opere operato, quamuis subiectum sit bene dispositum. Secunda pars probatur: quia est similis baptismo, & ita nominant Sancti, & Canones eam baptismum; sicut mortuum hominem hominem.

Ad primum fundamentum dico: quod Ius Canonicum non imponit pęnam rebaptizantibus: quia baptismus secundus sit sacramentum; sed propter iniuriam quam faciunt sacramento, iterari tentantes id, quod irreiterabile est. Sed dices. Rebaptizare est iterum baptizare: ergo quos dicimus rebaptizare, iterum baptizant; atq; ita secundus baptismus erit sacramentum. Respondeo, quod verbum rebaptizare non est accipiendum in tanto rigore; sed propterea dicitur aliquis rebaptizare: quia applicat baptizato illa, quæ alias sufficiunt ad sacramentū baptismi, scilicet materiam, & formam, & intentionem ministri: Quemadmodum si aliquis immergeret canem in nomine patris & filij &c. diceremus hominem illum baptizare canem: quamuis re vera canis non esset baptizatus, quia non est capax baptismi; nec illa lotio esset verus baptismus.

Ad secundum dico, quod maior est falsa: Nam quando aliquis baptizaret canem; nullum esset ibi sacramentū baptismi, & nihilominus homo ille iniuriam maximam faceret sacramento, & peccaret grauissime, eo quod baptizare conatur illū: qui non est baptismi capax; & simili ratione peccat, qui baptizatum rebaptizat: quia baptizatus iam non est capax baptismi.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ob peccatum iterandi baptismum irregularitatis pœna incurratur.

PRo explicatione tituli obser. est iterationem baptismi, tam ex parte dantis, quam ex parte recipiētis esse grauissimum peccatum, quod patet ex varijs sententijs pontificum, Conciliorum, & Patrum. Sed pro nūc sufficiat testimonium Fœlicis Papæ. 3. qui in epist. 1. c. 2. prout refertur de consec. d. 4. c. eos quos grauissimam imponit pęnitentiam illis, qui rebaptizantur. Nam Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui spontanee, vel coacti cōditionaliter sunt ab hæreticis rebaptizati, vsq; ad finē vitæ debeant in pęnitēna permanere, & ab officio ecclesiastico cessare; in fine tū eis laica cōio tribuatur. Minores vero Clerici, Monachi, & Monachæ & laici sic rebaptizati si adulti sunt debent 12. annis pęnitere. Pueri vero siue sint clerici, siue laici, non est tanta pęnitentia imponenda; sed post reconciliationem recipiendi sunt ad communionem, ex quo patet, quod rebaptizati grauissime peccant, alias non imponeretur eis tam grauis pœnitentia.

Secundo obser. est, Tunc proprie hoc præceptū violari, cū constat hominem esse baptizatū sufficienti ritu extremo saltem quoad substantiam sacramēti, & nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione debita ministri: nam hæc semper præsumitur sufficiēs, nisi aliunde sit probabilis suspicionis ratio. Cum autem ita de baptismo constat non solū erit peccatum absolute iterū baptizare, sed etiam sub cōditione, tum quia etiam isto modo fit magna irreuerentia sacramento, tum etiam quia conditio in tali casu est impertinens, & moraliter haberi potest pro non adiecta. Quod n. interest addere cōditionem, cū iam constat, quid in re ipsa factū sit?

Tertio obser. est. In casu dubij, quādo sunt aliqua indicia ad suspicandum puerum esse baptizatum non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, aut definitum iudicium, tunc licitum esse talem puerum baptizare, vt traditur de consecrat. d. 4. cap. Paruulos & sequentibus ex Leone Papa epist. 3. c. 1. epist. 91. cap. 16. ex Gregor. 11. epist. 4. & Concil. Carthag. 5. c. 6. Et ratio est clara: quia non est exponendus homo periculo salutis æternę, & alioqui nulla fit iniuria sacramentu cum non conferatur animo iterandi baptismum,

&

Digitized by Google

& ideo ad tollendum omnia pericula, addenda est tunc cõditio, si non es baptizatus, vt præcipitur, in cap. de quibus extra de baptismo.

Quarto obser. est, hoc preceptum non minus obligare baptizatum, quam baptizantem; peccat enim grauiter qui cũ sit baptizatus, eiq; hoc sufficienter constet, iterum se baptizari consentit, etiam si metu mortis id faciat: quia, id est, intrinsece malum, multo magis, quam indigne suscipere sacramentum. Vnde etiam peccabunt parentes, vel quicumq; alij, qui puerum baptizatum iterum ad baptismum offerũt, eumve baptizari procurant: quia cooperantur actui intrinsece malo: admonere ergo debent de baptismo iam suscepto solumq; ad supplendum accidentalia, quæ desunt puerum offerre.

Postremo obser. est quod baptismus iterari potest, vel ex certa scientia, vel ex ignorantia. His obseruatis hæc questio diuiditur in duos articulos.

Primus art. Vtrum iterans ignoranter baptisma sit irregularis.

Secundus art. Vtrum iterans baptisma ignorantia facti sit irregularis.

ARTICVLVS I.

Vtrum iterans ignoranter Baptisma sit irregularis.

[Ig]norantia [es]t duplex. PRo explicatione huius difficultatis obser. est, quod duplex est ignorantia, nimirum ignorantia iuris, & ignorantia facti. Ignorãtia facti ea dicitur, qua ignoratur vel opus aliquod factum esse, vt si quis ignoret nuptias esse contractas inter tales personas, aut sententiam excommunicationis in talem personam latam esse, aut hunc cibum esse mortiferum; aut hanc rem esse alienam, vel furto sublatam; aut hunc hominem esse cognatum suum, vel inimicum, aut illam non esse vxorem suam, esseq; etiam illud quod ex... æquiparatur ignorantiæ facti: qui etiam ob ... horas, aut diem esse ieiunij, sicut ignorans reputabitur. Ignorantia autem iuris est, qua ignoratur ius constitutio, seu lex aliqua iure humana siue diuina, veluti cum quispiam ignorat nuptias semel iure contractas esse indissolubiles, vel ignorat connubia inter consanguineos, & affines esse illicita, vel interdicta, vel ignorat prohibitionem iuris diuini de iterando baptismo. Secundo obser. est, quod vtraq; ignorantia tã facti, quam iuris triplicem diuiditur, scilicet, in ignorantiã *[Ig]norantia [iur]is vel facti triplex* affectatam, crassam, & probabilem seu inuincibilem. Affectata ignorantia est in illis, qui iuxta Dauidem noluerunt intelligere, vt bene agant, sed cupiunt esse in tenebris, vt absq; conscientiæ remorsu suis peccatis operam nauent. Crassa vero est in illis, qui ignorant ea, quæ communiter sciunt alij homines sui ordinis, & status. Probabilis autem ignorantia seu inuincibilis est, qua communiter homines eiusdem ordinis, & status laborant post debitam diligentiam adhibitã. *[Ba]ptismus [du]pliciter [pot]est iterari* Tertio obser. est, quod sacramentum baptismi potest iterari dupliciter, vno modo conferendo, altero modo suscipiendo, priori modo dupliciter vel conferendo multis, vel vni; sacramentum enim baptismi potest iterari circa multas personas baptizando vnam post aliam, & hoc est licitum, sed iterare baptismum circa eandem personam est illicitum.

[Ius] est duplex. Postremo obser. est, quod duplex est ius, vt ad propositum spectat, scilicet, diuinum, & humanum, humanum est duplex, s. Canonicum, & Ciuile. Ius diuinum est quod continetur in scripturis sacris; Ius canonicum est illud, quod institutum vel est ab omnibus Episcopis, Cardinalibus, & Papa. Ius Ciuile est ius Imperatorum.

[1 C]onclusio His obseruatis sit prima Conclusio. Qui scienter iterat baptismum grauissime peccat, & manet irregularis tam suscipiens, quam conferens baptismum. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. A §. Dico tunc, & probatur ex capitulo tarũ tiarum tenore extra de Apostatis, & iterantibus baptisma. lib. 5. decretalium, vbi Alexander iij. Abbati sanctæ Genoueuæ respondens; quod qui longa ægritudine confectus de consilio quarundam mulierum fecit ... vt cuius lauacri potiet se se iterum baptizari, quoniam Acolyto eius fratre, ministrante presbytero rebaptizãt, dixit quod Acolytus ad superiores ordines promoueri non potest nisi ad Religionem transire voluerat, si ergo Acolytus nefariæ actioni rebaptizationis cooperans efficitur irregularis, multo magis, qui nefariam ipsam operationem operatur: & quamuis in his, quæ pendent ex iure positiuo argumentum a simili, vel a fortiori non sit efficax, & in iure expressum sit irregularitatem non incurri nisi in casibus a iure expressis. cap. Is qui, de sent. excom. in 6. & in hoc cap. ex litterarum non sit sermo de baptizante, sed de Acolyto, qui ei ministrauit; & nullo alio in loco in toto iure canonico nullum huius pœnæ ius expressum habeatur, tamen in huiusmodi casu argumentum a fortiori censendum est efficax: quia propterea non est in rebus, & actionibus distinctis, sed in eadem actione comparando accessoriũ ad principale, praeterquam quod vsus, & consuetudo, quæ est optima legum interpres satis textum illum declarat: que interpretatio & per se, est ratione consentanea, & verbis ipsius Pontificis: Non enim iudicauit illum Acolytum dignum illa pœna propter cooperationem præcise, prout cooperatio est, nec propter solum ministerium accidentale, vt ita dicã, sed absolute propter nefandum ministerium, quod multo magis conuenit baptizanti, quam ministranti. Et confirmatur. C. ne sanctum baptisma iteretur, vbi l. 2. supplicio capitis adiudicatur tam baptizans, quam rebaptizatus. Tantum enim erat tunc hæreticorum Donatistarum odium, vt iure etiam ciuili, à rebaptizatione tam atrociter arcerentur. & in l. 1. dicitur. Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita vsurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus. Quamuis hæc non nisi allegatio iuris Canonici sit. Pœna siquidem irregularitatis Ecclesiastica est, de qua vtiq; cõstituenda nihil ad Cæsarem.

Secunda Conclusio. Ignorantia iuris diuini prohibentis baptismum iterari non excusat iterantem baptismum siue conferentem, siue suscipientem, a peccato neq; a pœna infligenda a Deo pro peccato. hæc conclusio est Scoti vbi supra, & probatur: quia vterq; & conferens, & suscipiens baptismum contrauenirent prohibitioni iuris diuini prohibentis iterationem baptismi, quam vterq; scire tenetur, ergo quãuis vterq; ignoret talem prohibitionem, quilibet eorũ peccat, quia scire illam tenebatur. 2 Conclusio

Tertia Conclusio. Ignorantia iuris canonici prohibentis iterationem baptismi sub pœna irregularitatis non excusat conferentem, neq; suscipientem iterato baptismum à pœna irregularitatis imposita rebaptizatis, & rebaptizantibus iure canonico, hæc conclusio est Scoti, vbi supra quam ita probat. Quando super aliquo quod est ex iure diuino illicitũ, additur pœna canonica, vt illud amplius caueatur, talis pœna incurritur, etiam si ius illud canonicum pœnam eiusmodi imponens ignoretur, sed tam suscipiens, quam conferens iterato baptismum, committit crimen ex iure diuino illicitum, propter quod etiam pœna irregularitatis imponitur à iure canonico. ergo ignorantia iuris canonici non excusat iterantem baptismum a pœna irregularitatis imposita á iure canonico. Probatur maior: quia percutiens Clericum incurrit pœnam excommunicationis, quamuis ignoret talẽ excommunicationem latam esse a Canone contra Clericorum percussores: quia peccauit contra diuinum præceptum de proximo non lædendo & de reuerentia Ministris Dei exhibenda. Item occidens hominem quamuis ignoret canonẽ punientem homicidam pœna irregularitatis, manet tamen irregularis: horum & similium ea ratio est: quia tales sciunt operam rei illicitæ quam tenentur scire illicitam esse, etsi nesciat nullo modo debent illam exequi, quousq; consulat peritos, per quos possent scire illam esse illicitam. 3. Conclusio

Quarta Conclusio. Si quis propter aliquod dubium verisimile, circa aliquem vtatur forma illius capitis. de quibus est dubium, extra de baptismo, & eius effectu assignata videlicet. si baptizatus es non te baptizo, &c. talis non erit irregularis, hæc conclusio est Scoti, vbi supra sub litt. B §. Dico tunc. Probatur: quia ille non rebaptizat, sed conditionalem baptizationem præstat, quæ sacramentum non erit, si illum iuste quem talis forma profertur, forsan iam esset baptizatus. Et si quæras quando baptismus debeat censeri moraliter dubius, vt baptizatio conditionalis fiat. Respondeo hoc dubium posse esse duplex, vnum iuris, alterum facti: iuris voco quando constat adhibitam esse materiam, vel formã dubiam: quod varijs modis contingere potest, vt constat ex supradictis de materia, & forma baptismi. Dubium facti appello, quando absolute incertum est an datus sit baptismus, quod duobus modis potest accidere. Primo quod sit 4. Conclusio

omnino

Digitized by Google

omnino negatiuum, quod videlicet nulla sunt indicia ad iudicandum hominem esse baptizatum; & tunc non est dubium quin possit iterum baptizari modo superius dicto; In hoc enim casu præcipue loquitur Leo Papa epist. 37. & episto. 79. in superiori quæst. relatis, & Greg. 3. epist. 4. ad Bonifacium. & referuntur in cap. paruulos. c. Cum itaq; e. Si nulla. de consecrat. d. 4. Alio modo potest esse dubium quasi positiuum: vt contingit quando sunt aliqua apparentia indicia ad credendum hominem esse baptizatum; non tamé sufficientia, & aliunde sunt etiam apparentes coniecturæ, quæ oppositum persuadeant, & in huiusmodi euentu si coniecturæ vere efficiant rem dubiam, etiam debet dari baptismus sub conditione, & hoc sensu intelligendum est, quod dicitur in 6. Synodo can. 84. Quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absq; vlla dubitatione baptizatos esse dicant; nec ipsi propter ætatē de sibi tradito mysterio apte respondere possint debere se baptizari, & in Concil. Carth. 5. c. 6. idem dicitur, quoties non inueniuntur certissimi testes. Atque idem habetur in Concil. Africano. c. 39. & Conc Vormarensi. can 70. & vbiq; ratio redditur, ne homo exponatur periculo damnationis ob carentiam baptismi.

Sexta Synodus. *Conc. Cart.* *Conc Afric.* *Conc Vorm.*

Ex quibus colligitur, quod quando adhibita diligentia sufficienti neutri parti possit assentiri: sed adhuc, maneat suspensus animus sit ne baptizatus aliquis necne; tunc res est dubia, & expostulat huiusmodi dubitatio conditionalem baptismum. Si vero assensus sit probabilis parti affirmatiuæ & nullus negatiuæ: tunc nec sub conditione licet rebaptizare. Et quamuis in prædictis decretis ad hanc affirmatiuam probabilitatem videātur postulari plures testes fide digni, nihilominus Palud. hac d. q. 4. & communiter authores censent vnum testem oculatum sufficere, qui dicat se vidisse hominem baptizari, qualis esse potest vetula, quæ baptizauit, vt non sit licitum puerum amplius baptizare.

Palud.

Ex quo etiam infertur homines in ætate prouectos ex Christianis natos, interq; Christianos nutritos propter nullum scrupulum esse rebaptizandos: nam in talibus præsumptio est habenda pro certitudine donec certissimis forsan argumentis contrarium probaretur, vt rectè admonet Inno. Papa in c. veniens de Presbytero non baptizato, idque propterea; quod vbi contingit ignorantia inuincibilis, tunc homo per officia charitatis obtineret remissionem tam originalis, quam actualium peccatorum, & per reliqua sacramēta, vt idem Inno. refert in cap. ad Apost. tit. de Presbyt. non baptiz. Ideo adulti scrupulosi nati ex parentibus fidelibus, non sunt sub conditione rebaptizandi: quia temerarium est illud in dubium vertere, cum nullam habeat dubitandi occasionem.

Innocent.

His postremo addendum censui quæ docet Sotus in 4. d. 3. q. vnica, art. 9. duos nempe communiter irrepsisse abusus inter ignaros sacerdotes. Nam quidam sunt: qui nullū periculum imminere putant dummodo sub conditione rebaptizent: & ideo non solum non admodum perscrutari curant, sit ne puer baptizatus, verum etiam si constet esse domi baptizatum, iterum sub conditione solemniter eum in Ecclesia sacro fonte baptizāt; quod est, inquit, immane sacrilegium; Neque vllo pacto à censura irregularitatis huiusmodi Sacerdotes excusantur, nam forma hæc baptizandi solū in illis permittitur, vt ait canon, de quibus dubium est. Vnde si statim absq; vllo examine detur conditionatus baptismus, valde temere fit, & contra reuerentiam sacramento debitam. Vnde debet sacerdos debita vti diligentia priusquā conditionalis baptizatio fiat. Quod si mihi Scotum. obieceris hac quæst. dicentem, quod non tenetur quicunq; sacerdos facere strictam inquisitionem, an vetula baptizauerit paruulum in domo, intelligitur quando de hoc nulla est quæstio, tametsi semper consilium sit, id interrogare.

Sotus.

Alter abusus paulo minor enascitur: nempe quod omnes cum primum nascuntur indifferenter etiam si nullo subsint mortis periculo baptizentur. Qui abusus in causa est, quod multi vel rebaptizentur, vel nunquam solemniter baptizentur. Id ergo haud fieri debet, nisi vbi periculum immineat, sed expectandum est quoad possit in Ecclesia baptismus solemniter celebrari.

ARTICVLVS II.

Vtrum iterans Baptisma ignorantia facti sit irregularis.

Ratio dubitandi est: quia in cap. Quis bis, de consecr. dist. in 4. pronunciantur irregulares qui scienter rebaptizarunt, pœnitentiæq; septem annorum subduntur: qui vero ignoranter id fecerint ab eadem pœnitentia liberantur, sed nihilominus irregulares censentur, ne ad sacros ordines absq; graui necessitate promoueantur: & patet quod illud cap. loquitur de ignorantia facti; si enim esset de ignorantia iuris oporteret pœnitere. Nec illud quod subditur; nisi magna necessitas tollit, quin talis sit irregularis. Illud enim additur propter hoc, quod in tali necessitate dispensādum esset cum eis, sicut modo dicerent canonistæ.

Quapropter Paludanus in 4. d. 6. q. 4. sustentabilem existimat intelligentiam de ignorantia facti, puta quod si quis se esse baptizatum legitime ignorat, & iterum baptizetur, aut si baptizetur ignorans se baptizari, ille citra vllam culpam fit irregularis: nam irregularitas, inquit, citra culpam incurritur. eandem sententiam docet D. Antoninus. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. & argumentum sumit ex verbo canonis. s. qui bis baptizatur ignoranter licet pœnitere non egeat, non potest tamen ad sacros ordines promoueri. Si enim, inquit, sermo haberetur de ignorantia iuris: quoniam illa a peccato non excusat, non diceret pœnitere non indiget. *Paludan.* *D. Anton.*

Cęterum hæc opinio, vt inquit Soto. intolerabilis est. Mirabile enim est, vt etiam dicit Glossa super illud cap. Qui bis quod propter factum alterius, qui me inscium rebaptizat fiam ego irregularis, esset namque in potestate cuiuslibet mihi ordines auferre: quia posset me dormiente rebaptizare: imo pariter ius esset, vt si infans ante vsum rationis rebaptizaretur irregularis fieret. Cuius contrarium plane decernitur. 1. q. 4. can. Placuit, & can. Qui apud. *Soto.* *Glossa.*

Vnde pro solutione obser. est, quod lex Canonica quę fuit facta a summis Pontificibus, cōtinetur in tribus voluminibus, videlicet in volumine decretalium, in volumine sexto, & in volumine Clementinarum. Ista enim tria volumina continēt leges Canonicas Pontificias, authēticas, & approbatas, quæ pro legibus habentur, & pro legibus indubie seruantur, cū sint conditæ ab habente potestate legem condendi.

Secundo obser. est, quod connumeratur etiam inter leges canonicas liber decretorum, qui non fuit conditus à Summo Pontifice: neq; ab habente potestatem legis condendæ, sed fuit compilatus per quemdam Magistrum Gratianum qui fuit religiosus ordinis Sancti Benedicti, & sacræ Theologiæ Magister, vt testatur D. Antoninus. 3. p. summæ historialis. tit. 17. cap. 6. qui Gratianus ex sanctorum Patrū dictis compilauit dictum opus, & volumen decretorum; appellauitq; liber decretorum: quia ex decretis sanctorū Patrum fuit compilatus; neque reperitur quod fuerit approbatus per summos Pontifices. Vnde non potest dici authenticus, vt ait Abbas in proœmio decretalium, Ioan. Andreas, & Anto. de Butrio in c. 2. de rescriptis. licet aliqui dicāt qd fuit approbatus ab Eugenio Papa, quod tamen haud esse verum aduertit Maranta de ord. iur. p. 3. nu. 34. *D. Antoninus.* *Abbas* *Ioan. And.* *Anton. Butr.* *Maranta*

Tertio obser. est, quod in libro Decretorum reperiuntur quatuor species authoritatum. Prima species est authoritas Sanctorum Patrum: plurima enim capitula ibi existentia extracta sunt ex dictis sanctorum. Secunda species est authoritas ipsiusmet Gratiani authoris, vt quando ipsemet loquitur sine authoritate Sāctorum. Tertia species est authoritas cuiusdam Paleæ, vt quando in rubrica alicuius cap. reperitur scriptum. Palea. Quarta species est authoritas Iurisconsultorum, & Imperatorum sęcularium; quoniam sunt multæ leges ciuiles insertæ in decretis. Quoad primam speciem. s. de authoritate sanctorum patrum, constat quod ex diuturna approbatione censetur authenticus liber, & illa decreta sanctorum allegantur ad decisionem causarum, vt dicunt Abbas in c. 2. de rescriptis, & ibidem Felinus. at nō quoad tres alias authoritates. Nam authoritas Gratiani non reperitur approbata; neque est authentica: imo in aliquibus reprehenditur, & multo minus authoritas Paleæ, qui fuit discipulus quidam Gratiani: Imo nec etiam sunt authentica dicta Innocentij in suo opere Glossarum, quod composuit super decretalibus; quia ipse noluit vt haberentur vt textus, *Abbas* *Felinus*

Digitized by Google

textus, sed vt Glossa, licet præ ceteris sint magnæ authoritatis, vt dicit Felinus. Quoad leges Ciuiles in decretis insertas nec ipsæ sunt authenticæ: quia per hoc quod sunt insertæ in decreto, non sunt approbatæ, ita vt seruentur tamquam de iure canonico: quia Gratianus, qui eas inseruit, non habuit talem authoritatem; atq; ita dictæ leges remanent ciuiles prout antea erant, & perinde habentur, ac si ibi non essent insertæ, & ideo non seruantur vt Canones, vt dixit Abbas Andreas de Isoreca, & Maranta. bene verum est, quod in dicto volumine decretorum sunt multæ determinationes Conciliorum, & Summorum Pontificum, quę suam retinent authoritatem, non quatenus insertæ sunt in volumine decretorum, sed quatenus sunt Conciliorum, & summorum Pontificum definitiones.

Quarto obser. est, vt hic notat Doct. sub. quod non omnia capitula posita in decretalibus obligāt totā Ecclesiā. Nā Gregorius. 9 in proœmio Decretalium scribens Doctoribus, & scholaribus vniuersis Bononiæ commorantibus, mandat, vt tantum sua compilatione facta per fratrem Raymundum vtantur in iudicijs, & in scholis; & similiter Bonifacius in proœmio sexti decretalium de constitutionibus ibi editis à tempore Greg. 9. vsq; ad tempus suum, mādat, quod illæ solæ habeant robur, quæ in illo lib. 6. sunt insertæ. Vnde sequitur quod decreta compilata per Gratianū, & etiam per Raymundū: non sunt maioris authoritatis, q̄ sit author citatus pro illis.

Quinto obser. est, quod licet Constitutiones Pontificiæ, & synodales post duos menses à publicatione ligent vniuersos; non tamen peccant ignorantiam inculpabilem de illis habentes, si eas ignoranter transgrediantur iuxta tradita à D. Bonauent. in 2. d. 22. art. 2. q. 2. ad 4 & resoluta à Castro
Bonau. de lege pœnali. lib. 2. c. 14. & Couaru. in reg. possess. 2. p. §. 7.
Castro. nu. 7. Dixi inculpabilem; nam si fuerit culpabilis ratione ne-
Couaru. gligentiæ peccabunt, prout cum communi tenet D. Thom.
D. Thom. 1. 2 q. 76. art. 2. Et adeo hoc est verum; quod etiam quando statutum vel præceptum Ecclesiasticum iuris communis, aut Summi Pontificis, aut Concilij Generalis imponit pœnam excommunicationis non incurrant in eam excommunicationem ignorantes inuincibiliter talem constitutionē, & præceptum transgredientes, etiam si constitutio sit Papalis, prout docent Nauar. in manu. c 27. num. 16. Couaru.
Nauar. in c. Alma mater 1. p. §. 1. num 8. Sotus in 4. d. 3. q. vnica. art.
Couaru. 9. & d. 22. q. 1. art. 2. Corduba lib. 2. qq. Theolog. q. 27. Castro
Sotus. de lege pœnali, c. 14 post medium contra alios, id sine fun-
Corduba. damento sufficiente negantes; neq; hoc est contra Scotum in hac q. dicentem, quod percutiens clericum, cum faciat cōtra præceptum diuinum de charitate fraterna, & si nesciat excommunicationem latam à canone super tali facto, tamē incurreret eam: quia non loquitur de ignorantia inculpabili, & inuincibili; sed de hoc redibit sermo infra d. 25. q. 1. Et aduerte quod ad vincendam ignorantiam non requiritur vera scientia, quæ nascitur ex intuitiua alicuius quinq; sensuum, nec sufficit quædam auditio, & relatio, sed requiritur talis, quæ inducat, vel inducere debeat fidem, & credulitatem in audiente iuxta ea, quæ tradit Nauar. lib. 1. Consil. tit.
Nauar. de Const. consil 1. a nu. 9.

His obseruatis sit prima Conclusio Baptizans iterato il-
1. Conclusio lum, quem ignorat ignorantia facti prius fuisse baptizatū, non incurrit pœnam irregularitatis, si talis ignorantia probabilis sit, & non crassa. hanc docet Scotus in hac q. sub litt. B. § sed non videtur; cum alijs doctoribus communiter, & probatur ex cap. Cognoscentes de constitutionibus, vbi dicitur, res quæ culpa caret in damnum reuocari non conuenit; sed iste ignorans sic rebaptizans, non est in culpa sed caret illa, ergo non conuenit reuocare illum in damnum irregularitatis, & cum obliuio æquiparetur ignorantiæ facti, poterit similiter ab irregularitate excusare rebaptizantem si talis obliuio sit naturalis, & non crassa, neq; affectata.

Secunda Conclusio. Rebaptizatus propter facti ignoran-
2. Conclusio tiam non erit irregularis: probatur, quia rebaptizās propter ignorantiam facti non est irregularis vt patet ex prima Cōclusione, ergo nec rebaptizatus propter eamdem ignorantiam erit irregularis. probatur consequentia: quia minus est puniendus rebaptizatus ignoranter, quam ignoranter rebaptizans. si tamen eius ignorantia sit inculpabilis: quia ille videtur quærere salutem suam, ne sit in dubio.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod ille Canon nec est Pontificis summi, neq; Concilij generalis, sed accipitur ex Pœnitentiali Theodori cuiusdem Cantuariensis Episcopi, vt in Decreto Gratiani præritulatur; atq; adeo non habet robur imponendi pœnam irregularitatis vniuersis Christi fidelibus: quia nulla potest pœna irregularitatis imponere toti ecclesiæ, nisi caput sit totius Ecclesiæ, qualis est Papa. Sed dices quamuis ille Episcopus Theodotus nō potuerit cōdere ius obligās vniuersam Ecclesiā, innuit tn̄ conditū esse a Papa cūdicat, q̄d secundum Canones ordinari non possit.

Respondet Scotus, quod in hoc loco Glossator conticuit cum tamen ibi necessaria esset Glossa; sed nulla est posita, q̄ ostendat aliquem canonem editum super hoc; Vnde tā hic, quā in alijs locis apparet superuacanea occupatio Glossatorum iuris Canonici, multiplicantium concordantias, & authoritates ad vnum vocabulum, qui postquam mittunt, & remittunt in fine nihil ad propositum concludunt; in alijs vero locis vbi est verbum maximi ponderis, à quo dependet sententia totius Canonis, transeunt sicco pede. Sicut apparet de Bernardo in multis decretalibus, vbi ponitur illud verbum sub interminatione anathematis, v. g. de Sagittarijs disputans, an ista verba exprimant sententiam latam, vel per eam fiat comminatio, & mittit, & remittit. &c.

Concludit ergo Scotus, quod ignorantia facti, dummodo crassa non sit, sed probabilis, totaliter excusat tam conferentem baptismum, quam recipientem a pœna irregularitatis. Vniuersaliter enim pœna canonica non incurritur nisi à Latore canonis infertur; atq; ita vbi non inuenitur ex vi verborum imposita simpliciter est talis pœna neganda: neque enim verba constitutionum pœnalium sunt ampliāda, sed restringenda iuxta illam regulam iuris. Odia restringi, fauores conuenit ampliari. lib. 6. de regulis iuris.

Posset etiam dici vt notat Sotus illud verbum canonis *Sotus.*
non pœnitere, intelligi non de pœnitentia virtute, sed de pęnitentia septem annorum in eo canone taxata, ita vt intelligatur canon de ignorantia iuris, & sit sensus, quod qui ex ignorantia iuris scientes factum rebaptizantur, non indigent perferre illos septem annos pœnitentię illic expressos, licet pœnitere eos debeat peccati, & irregulares manere, quousque ex graui necessitate cum illis dispensetur. quare ex illo verbo non pęnitere; siue licet pœnitere non egeant, conuinci non potest legem illic ferri de ignorātia facti protinus excusante.

Ad illud Palud. dico, quod licet irregularitas aliqua citra culpam contrahatur, non tamen sine actu libero, nisi fiorte aliquis sit corpore fœditate vitiatus: qui enim secundis subiectus fuit nuptijs, aut personam agens publicam Iudicis malefactores premit, libere id egit. Adde quod cum irregularitatis multiplex sit genus, illa quæ ob significationē, qualis est bigamia, vel ob indecentiam, qualis est sanguinis effusio, & corporis vitium constituta est, potest quidē citra culpam contrahi: illa vero quæ in pœnam culpæ decernitur; qua idcirco proprie dicitur censura irregularitatis, qualis hæc præsens apparet, re vera non est cur extra culpam incurratur; iuxta illud Greg. Res quæ culpa caret in damnū vocari non conuenit.

Sed dubium est an hæc irregularitas, quæ ex rebaptiza- *Dubium 5.*
tione contrahitur impediat solum ascensum ad superiores ordines, vel etiam vsum susceptorum, & ratio dubitādi est: quia in c. 2. de Apostatis solum prohibetur ne ad superiores ordines promoueatur: neq; alia fit irregularitatis mentio: præterquā quod aliquæ sunt irregularitates, quæ impediūt acceptionem ordinum, & non vsum acceptorum, vt notauit Nauar. in manu. c. 27. num. 191. Accedit quod pœnæ re- *Nauar.*
stringendæ sunt, & ad præcisa verba legis limitandæ, sed in verbis huius legis tantum prohibetur ascensus ad superiores ordines; ergo non est hæc talis pœna vlterius extendenda. Ex altera parte irregularitas absolute, & simpliciter dicta vtrumque impedimentum afferre videtur.

Respondeo, quod attinet ad Acolytum ministrantem rebaptizanti de quo tantum est expressus sermo in illo textu, non dubito quin in eo prædicto modo sit intelligenda hæc pœna, vt verba legis præse ferunt, præsertim cum ibi addatur propter illam culpam non multum esse plectendum. Cæterum ex his eisdem verbis videtur fieri verisimile aliter censendum esse de ipso rebaptizante: quia ille maiori dignus est pœna: nihilominus tamen quia hac maior pœna: qua dignus est non est in iure expressa non censeo impedimentum hoc etiam respectu illius esse amplificandum vltra id, quod verba legis requirunt.

Secundo

Digitized by Google

Dubium 2. Secundo dubitatur, an hæc pœna incurratur ipso facto, vel post iudicis sententiam, & declarationem. Dicendum quod etsi ex illo canone haberi non possit, quod incurratur ipso facto; tamen ipso facto rebaptizantem fieri irregularẽ, saltem quoad impedimentum ascendendi ad superiores ordines: ita enim authores omnes textum illum interpretantur, & ita est in vsu, quæ res est magni momenti in huiusmodi materijs: nam tota huius rei ratio pendet ex lege humana, quæ nullo modo melius, quam recepta consuetudine declaratur.

Dubium 3. Tertio dubitatur, an hęc irregularitas incurratur propter rebaptizationem, solum quando delictum est publicum, an vero etiam quando est occultum? & ratio dubitandi est qa Pontifex sub hac distinctione respondet dicens. Ad superiores ordines promoueri si publicum est, quod proponitur nõ valebit, si vero occultum est, promoueri poterit. videtur ergo quod quando hoc crimen est occultum nõ incurritur *Panor.* irregularitas. ita docet ibi Panor. not. 2 Ceterum commu- *Scotus.* nis, & recepta sententia est, quam hic docet Scotus, quæ dicit etiam incurri per crimen occultum: à qua minime discedendum est: præsertim quia, etsi ex verbis canonis videatur oppositum colligi, cum dicat Pontifex si vero occultum est promoueri poterit; tamen fortasse fieri potest, vt communi vsu sit hæc pœna introducta seu lex illa ita declarata. Adde quod distinctio illa de crimine publico, & occulto solum habet locum in Acolyto cooperante, non vero in ministro re- *Sotus.* baptizante: quia textus solum de priori loquitur. Vnde Sotus in 4. d. 3. q. 1. art. 9. in fine significat, siue publicum, siue occultum sit hoc delictum ratione illius contrahi irregularitatem.

Dubium 4. Scotus. Quarto dubitatur, quis possit super hanc irregularitatem dispensare? Respondet Scotus quod si rebaptizatio facta sit publice solus Papa potest dispensare; Si autem facta sit in occulto forte, inquit Scotus, poterit dispensare Episcopus. dicit forte quia nullo antiquo iure probari hoc potest; Modo *Conc. Trid.* autem iure nouo Concilij Trident. sess. 24. c. 6. res certa est, quod Episcopus in tali irregularitate potest dispensare. Ve- *Sotus. Siluest.* rum Sotus loco supra citato dicit in neutro casu posse per Episcopum dispensari; & citat Siluest. verbo Baptis. 5. §. 3. qui tamen non est pro Soti opinione: quia tantum in communi loquitur. Ita enim scribit. Et pœna denuo rebaptizantis est, quod si hoc faceret scienter, vel per ignorantia iuris, irregularis est non dispensandus nisi per Papam. Vnde non est quod ad occultum crimen rebaptizationis Siluest. verba coarctet.

QVAESTIO IX.

Vtrum in Baptismo imprimatur character.

Alex. de Ales. D. Thomas. D. Bona. Richardus. Durandus. DE charactere tractat Alex. de Ales. 4. p. q. 8. m. 8 artic. 1. D. Thomas. 3. p. q. 63. per plures art. D. Bona. in 4. d. 6. art. 1. q. 1. & deinceps Richar. d. 5. art. 2 per 4. art. Duran. d. 4. q. 1. & cæteri Theologi in 4. in citatis distinctionibus. Vnde pro tituli quæstionis explicatione obser. est, quod character *Quid nominis characteris.* est verbum græcum, quod latine versum idem videtur significare quod figura, siue imago, quemadmodũ Hebreorum 1. vbi nos legimus. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, pro figura ponitur in græco character, & hoc modo dicimus characteres figuras, quibus literæ scribuntur, & hoc modo appellamus etiam characteres in incantationibus figuras quasdam protractas, hoc etiã modo figuras, quæ fiunt propter aliquam distinctionem characteres dicimus; cuiusmodi sunt signa quibus homines vel bestiæ signantur, vt quando equus signatur cum ferro ignito, & oues a pastoribus characterizantur, vt eas ab ouibus aliorum Pastorum discernant; iuxta illud Apoc. 13. qui habebant characterem bestiæ. In hac ergo prima significatione sumitur character pro signo seu sigillo, quo solet signari res aliqua, vel vt cognoscatur, & ab alijs distinguatur, quomodo solet signari seruus, aut ouis charactere proprio Domini sui; vel vt in pretio habeatur, quomodo signatur pecunia sigillo regio: vel vt ad aliquod munus deputetur, quomodo milites charactere militari insigniuntur, & hoc modo accipitur in scriptura character Antichristi pro signo, quo ille sigillabit sectatores suos. Apoc. 14. & sequentib.

Secundo modo accipitur character generalius, vt idem est quod signum, & cum quodlibet sacramentum sit signũ, quodlibet sacramentum in hac significatione potest appellari character, & hoc modo baptismus potest dici cha- *Magist.* racter; & hoc modo accepit characterem Magister in hac dis. vt diximus quæst. præcedenti.

Tertio modo sumitur character specialius à Theologis, vt est quoddam spirituale impressum à Deo suscipienti sacramentum non iterabile.

Secundo obser. est, quod characteris sunt aliquæ proprietates, quæ ipsi, & formæ cuilibet sunt communes, & aliquæ qui illi sunt speciales, & peculiares. Primi generis sunt similitudo, seu figura, & distinctio, quæcumq; enim forma est assimilatiua alteri habenti consimilem formam, & est distinctiua a non habente; quę duo etiam præstat character: assimilat enim habentes illum inter se; & distinguit a non habẽtibus. Nam baptizati dicuntur ad inuicem similes; non per gratiam, sed per characterem, & distinguuntur per characterem a non baptizatis. Secundi generis proprietates sunt tres, prima est quod character est signum memoratiuũ suscepti sacramenti. Secunda quod est signum conformatiuũ Christo cuius sacramẽtum suscipitur, huius proprietatis ra- *Tataretus.* tionem assignans Tataretus dicit; quod ex eo character est signum conformatiuum Christo: quia Christus baptizari voluit: atque adeo per characterem illi conformamur; sed hæc ratio non valet, quia Christus baptizatus fuit Ioannis baptismo, & non baptismo Christi; at Ioan. baptisma non imprimebat characterem, ergo per characterem impressũ in baptismo non conformamur Christo: ideo dicendum est quod conformamur Christo quia baptizatus per baptismũ fit membrum Christi, atq; ita conformatur Christo sicut membrum capiti. Tertia proprietas est, quod character est signum obligatorium Christo; eo modo, quo suscipiens sacramentum per eius susceptionem obligatur. Nã suscipiens baptismi sacramentum obligatur, vt sit dispositus ad seruandam legem, quam profitetur per baptismum.

Character itaq; & assimilat, & distinguit, & conformat: assimilat namq; oues Christi inter se, & eas distinguit ab alijs, quæ non sunt eius, vel fidelem positum immo gradu distinguit ab eo, qui non est in simili gradu. Ex his infertur quod character non est gratia, neq; virtus aliqua infusa, puta, fides, spes, charitas: quia tales virtutes non semper imprimuntur, vel infunduntur suscipienti sacramentum iterabile, vt patet in ficto suscipientem ordinem sacrum, vel confirmationem, aut baptismum. character vero semper imprimitur: quod etiam ex eo constat; quod secundum communiter loquentes de charactere, character est indelebilis, virtutes autem prædictæ delebiles sunt. Nam in peccante mortaliter non manet charitas infusa, sicut nec fides infusa in hęretico neq; spes infusa in eo qui desperatur, character vero indelebilis manet.

Tertio obser. est, non omnia sacramenta nostræ legis imprimere characterem. Nam quatuor ex illis. s. Eucharistia, Pœnitentia. Extrema vnctio, & Matrimonium characterẽ non imprimunt, & in hoc conueniunt omnes Theologi, & colligitur ex Concilijs Trident. & Florent. quia licet expres- *Conc. Trid. Conc. Flor.* se non negent, hæc quatuor sacramenta imprimere characterem; tamen dum de tribus alijs affirmant, de alijs tacite negant: maxime cum dicunt inde habere alia sacramenta, vt iterari non possint. Vnde sumitur a posteriori ratio: nam hæc quattuor sacramenta iterabilia sunt, ergo non imprimunt characterem. His obseruatis patet titulus quæstionis, quam diuidimus in quinq; articulos.

Primus art. Vtrum ex scripturis sacris probari possit euidenter imprimi characterem in sacramento baptismi.

Secundus art. Vtrum testimonijs Sanctorum Patrum euidenter probari possit in sacramento baptismi imprimi characterem.

Tertius art. Vtrum rationes desumpta ex effectu principali baptismi concludant in baptismo imprimi characterem.

Quartus art. Vtrum rationes desumpta ex proprietatibus characteris probent ipsum imprimi in baptismo.

Quintus art. Vtrum sit de fide tenendum in sacramento baptismi imprimi characterem.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum ex scripturis sacris probari possit euidenter imprimi characterem in Sacramento Baptismi.

Vnald. *Bellarmin.* *Scotus.*

IOannes Vuiclefus lib.4.Trialogi.cap.15.vt refert Vnald. tom.2.de sacram.c.109.characterem sacramentalem affirmat nec scriptura,nec ratione posse probari. Idem hoc tẽpore docent omnes hæretici, Lutherus, Caluinus, Kemnitius,& Tilmanus Heshusius,vt refert Bellar.lib.2.de sacramentis in genere.cap.18.Cęterum Hæretici signum hoc abnegant,quod tamen Dæmones ipsi agnoscũt apud inferos. Vnde pro explicatione art.obser.est,quod licet ex scripturis sacris non possimus testimonia adducere,quæ euidenter aduersarium proteruum conuincant: tamen supposita traditione Ecclesiæ,& veritate characteris,valde probabiliter de charactere explicari possunt.atq; adeo quando dicit Scotus in hac quæst.quod necessitas characteris non potest manifeste probari ex his,quæ continentur in scriptura, intelligit ex his,quæ per se,& manifeste, hoc est,euidenter cogant: & ratio est:quia omnia testimonia scripturæ, quæ pro charactere solent adduci,explicantur etiam a sacris Doctorib. & sanctis Patribus,vel de ipsomet sacramento,vel de principali effectu sacramenti.i.de gratia iustificante, vel etiã de Cruce,vt statim videbimus;non negat tamen quod ex testimonijs scripturæ non possit hæc veritas probabiliter persuaderi,imo ex dictis eius hoc apertissime sequitur. Nam cum determinet, quod propter ecclesiæ authoritatem ponendũ est characterem imprimi,& ecclesia non definiat res notas per nouas reuelationes, sed quæ in scripturis & Apostolicis traditionibus continentur, consequenter determinat characteris veritatem fundamentum habere in scripturis, & Apostolicis traditionibus.

Hoc supposito dico, quod non desunt loca scripturæ,ex quibus character colligi possit,pręsertim adiuncta explicatione Patrum,& ecclesiæ. Primum testimonium est 2. Corint.1.vbi legimus.qui vnxit nos Deus & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Quod testimoniũ est valde probabile, quatuor enim diuini effectus à D.Paulo ibi distinguũtur,primus est fidei, qua firmamur in Christo:nam primo dixit. Qui autem confirmat nos vobiscum Christo. Secundus est charitatis & gratiæ, qua vngimur. Tertius est pignus spiritus,quod est testimonium bonæ cõsciẽtiæ,quod sequitur iustificationem, & est quasi arrhabo diuinæ gloriæ.Quartus ergo qui continetur in illis verbis, qui & consignauit nos,debet esse effectus distinctus à reliquis;& non potest melius interpretari, quam de charactere,quo consecramur Deo,consignamur Christo,& ad eius cultum deputamur. Dices ipsimet Baptismo signari fideles, nec esse necessarium alium characterem. Respondet D.

Ambros. Ambros.1.de Spiritu sancto. cap.6. Et si specie signemur in corpore,veritate tamen in corde signamur: Nam illud signum sensibile,quod est Baptismus, non est tam proprius effectus Spiritus sancti,sicut est spirituale signũ, quod animæ imprimitur: Vnde sicut alia omnia,quæ ibi enumerantur á Paulo,sunt interna & spiritualia,ita & consignatio, p quam characterem intelligimus,quẽ Patres passim signum & sigillum vocant.

Dixi autem prædictum testimonium esse probabile: q a optime,& accomodatissime prędicto modo exponitur; nõ tamen est per se sufficiens ad conuincendum proteruum, quia multi patres intelligunt aliter illum locum. Anselmus signum crucis tantũ intelligit,quod nostris frontibus Deus imposuit,& p illud ab infidelibus distinxit. Chrysostomus, Theodoretus, Theophil.& Oecum.dicunt illam consignationem fieri per gratiam sanctificantem, & indicant per illa tria,qui vnxit,signauit,& dedit pignus spiritus,eamdem gratiam significari;illa enim vngimur,& in filios Dei signamur,& in pignus est,atque arrha gloriæ futuræ. eadem expositio indicatur etiam in Commentarijs quæ D. Hierony. tribuuntur. Et D.Thom.in Paul.quamuis de signo fidei,& Crucis etiam exponat, magis tamen approbat expositionẽ de signo gratiæ. Quam etiam sequitur D. Ambro.ibi dicens: Vnxit nos spirituali vnctione,& signauit nos dando spiritũ suum nobis. pignus,vt nõ ambigamus de promissis eius. Et in prædicto lib.de Spiritu sancto;sancto (inquit) spiritu signati sumus à Deo;sicut enim Christo morimur vt renascamur;ita etiam spiritu signamur vt splendorem atque imaginem eius tenere possimus,quod est vtique spirituale signaculum. Quanquam hæc verba Ambrosij recte possunt intelligi ita vt inter hoc signum,& gratiam,distinctionem faciat:non enim dicit signari nos per gratiam, sed signari vt gratiam tenere possimus, quod est proprium characteris baptismalis; illo enim signamur vt efficiamur capaces gratiæ,quæ per Baptismũ datur. Est ergo valde probabilis prima expositio huius loci,& aptior ad distinguendũ illa tria, quæ Apost.enumerat.

Anselmus. *Chrysost.* *Theodoret.* *Theophilact.* *Oecument.* *Hierony.* *Thomas.* *Ambros.*

Secundus locus est Ephes.1. In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto,qui est pignus hæreditatis nostræ. signaculum illud siue pignus iam nos characterem vocamus,quo omnes oues, quæ sunt de grege Christi consignantur. Sic Paulum intellexit B. Hieron.super epist.ad Ephes.dicens.signaculum dei est,vt quomodo primus homo ditus est ad imaginem,& similitudinem Dei, sic in secunda regeneratione, quicumque spiritum sanctum fuerit consecutus,signetur ab eo, vt figuram conditoris accipiat. Ecce quomodo hic Hierony.signum illud affirmat, & cõfitetur, quod in lauacro regenerationis à Deo imprimitur.atq; eodem modo hunc locum de signaculo,quod accipitur in Baptismo exponunt Chrysost.Theoph.Aymo, Beda, Anselmus & alij.

D. Hieron. *Chrysost.* *Theophil.* *Aymo.* *Beda.* *Anselmus.* *Hieronym.*

Tertius locus est ad Ephes.4.vbi dicitur. Nolite contristare Spiritum sanctum,in quo signati estis in die redemptionis vestræ hoc est,Baptismi;& hic libere fatetur Paulus,eos esse signatos Spiritu sancto. Vbi Hierony.signati(inquit) sumus spiritu Dei sancto; vt & spiritus noster, & anima imprimatur signaculo Dei,& illam recipiamus imaginem, & similitudinem,ad quam in exordio conditi sumus, & inde. Qui ideo signatur, vt seruet signaculum, & ostendat illud in die redemptionis purum,& syncerum, & nulla ex parte mutilatum,& ob id numerari cum eis valeat,qui redempti sunt. Nec potest dici,quod ipse per se Baptismus sit signum:nam id quidque verum est, sed non de eo loquitur hic Paulus,verum de signo,quod imprimitur in anima,ablutio autem ad corpus pertinet, deinde signaculum illud ablutionis cito transit, hoc autem permanebit vsque in diem iudicij.

Athanasius *Bruno.*

Id ita intellexit in Paulo etiam Athanasius;qui super primum caput sic dicit. Iudæi ex circumcisione sunt beluarum more carnis signaculo excepto, notis multi, sed vobis vt Dei filijs supra quam carnis patiatur conditio, spiritus impretium est signum. Et super Ephes.4.ait. Is namque spiritus nos obsignauit,esseque de regio gregem super fecit,atq; is nequaquam asstare nos sinit cum furibus & damnatis, sed signum impressit, fecitque vt redempti,& liberi ab istiusmodi ira essemus. Bruno etiam sic sentit. Nam & ipse super Paulum in hunc loquitur modum. Vos credentes signati estis,vt appareatis de militia Christi, & super cap.4. Vos certa spiritus sigillum vobis impressum, quo signati estis in die redemptionis vestræ,hoc est,Baptismi.

D.Chrysost. *Theodoret* *Theophilactus* *Oecument.* *Hieronym.*

Cæterum quamuis hæc testimonia sint (velut primum) valde probabilia,nihilominus haud conuincunt euidenter. Nam illa verba. In quo credentes signati estis de consignatione gratiæ explicat D.Chrysost.hom.nu.secunda ad Ephes. in hunc modum hanc consignationem explicat dicens. Ob signauit ad hoc,vt ad futuram hæreditatem sorte adscriberentur, & ipsi obsignati sunt & Israelitæ, sed Circumcisione quemadmodum pecudes; Et signati sumus & nos, sed spiritu,vt puta filij,quid est spiritu promissionis? videlicet quod spiritum iuxta promissionem accepimus: & hom.14.in illa verba. In quo signati estis. Hic(inquit) spiritus nos regalem esse gregem ostendit, hic nos ab omnibus prauis vitæ actibus cohibuit,hic non est passus, vt coniuncti essemus illis, qui iræ Dei,sunt obnoxij. Videtur ergo per hoc signum intelligere gratiam,& charitatem,qua distinguit inter filios Dei,& filios perditionis,quod nõ facit character;Et Theodoretus ad Ephes.1.sic exponit prædicta verba; sanctissimi spiritus gratiam adepti estis; & addit. Illud autem signati estis,simile est dicto prophetico. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, pro eo quod est veluti quoddam signaculum spiritus donum ac epistis; Illud autem vocat promissionem: quia promittit Dominus se missurum gratiam spiritus.

Et eodem fere mõ exponit Theophilactus.& Oecumen: & expresse Hierony.ad Ephe.1.signaculum Dei est,ut quo primus

Digitized by Google

primus homo cõditus est ad imaginem, & similitudinem Dei; sic in secunda regeneratione quicumque Spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, & figuram conditoris accipiat; & similia repetit cap. 4. Denique hæc est frequentior apud cæteros Patres, Ambros. Ansel. Aymo. atque idẽ D. Thomas. docet D. Thomas. 3. p. q. 63. art. 3. ad 1. vbi explicans illa verba Apost. ad Ephes. 4. Nolite contristare, &c. dicit intelligẽda esse de consignatione per gratiam, per quam homo deputatur ad futuram gloriam: gratia enim (inquit) quæ ex amore diuino procedit, Spiritui sancto appropriatur: ex qua expositione, & ratione eius, sequitur eodem modo exponẽda esse similia verba ad Ephes. 1. In quo, & credentes signati estis, &c. & vtriusque loci expositio est satis probabilis; & in eundem modum intelligenda sunt verba D. Athanasii: Nam dicit, quod hæc spiritus consignatio non sinit nos abire cum sontibus, & damnatis, quæ verba de charactere haud intelligi possunt: Nam a sontibus, & damnatis nos nõ distinguit character; sed gratia, & charitas.

Cæterum quamuis hæc expositio vera sit, & sufficiens; non est tamẽ reijciendum, quin possint hæc testimonia exponi de charactere: Nam fere omnes dicunt Paulum ibi loqui de signatione spirituali, quæ in baptismo accipitur per quam efficimur grex Christi; vt Athanasius, Chrysost. & Theodoretus expresse dixerunt, hæc autem consignatio quamuis perfecte, & consummate fiat per gratiam, tamen proxime fit per characterem, quo ita cõsignamur, vt etiam ablata gratia ratione illius pertineamus ad gregem Christi; & hoc etiam confirmat illa antithesis Circumcisionis: quia illa imprimebat signum in corpore, baptismus vero imprimit in anima.

ARTICVLVS II.

Vtrum testimonijs sanctorum Patrum euidenter probari possit in sacramento Baptismi imprimi characterem.

Ratio dubitandi est, quoniam quidam Doctores dixerunt veritatem characteris euidenter haberi ex D. Dionysio Areopagita lib. 3. de ecclesiastica hierarchia, cap. 2. & ex D. Damasceno lib. 4. de fide orthodoxa, c. 10. qui in rei veritate neque de charactere, de quo nũc agimus, locuti sunt.

D. Dionys. Diuus enim Dionysius. ita scribit. Baptizatum in suum consortium diuina maiestas intus admittit, eidem lucem suam perinde ac signum aliquod tradit, sanctum efficiens, & sortis ordinisque sanctorum participem: ex quibus verbis aliqui sic eliciunt characteris definitionem. Character est signum sanctum communionis fidei, & sanctæ ordinationis, accedenti datum ab Hierarcha.

D. vero Damascenus: Per baptismum (inquit) accipimus D. Damasc. primitias spiritus, & deinde signaculum, & tutelam, & sanctificationem, vel vt alia versio habet. Nunc igitur per baptismum primitias Spiritus sancti accipimus, & initium alterius vitæ fit in nobis, id est, primitiæ regenerationis, & signaculum, & tutela, & illuminatio, & sanctificatio.

Scotus. Verum istę authoritates (vt inquit Scotus in hac q. sub. lit. D. §. sed istæ authoritates) vel sunt tantum vocales; vel non sunt ad intentionem eorum, qui adducunt eas; vel tertio non adducuntur secundum intentionem Authorũ. Primo illæ authoritates nullo modo exprimunt ibi characterem, de quo loquimur; ergo sunt tantum vocales, cum illũ terminum. s. characterem non exprimant, sed alios terminos exprimunt. vna enim exprimit signaculum, & altera signum. Et quod attinet ad authoritatem Dionysij patet Vercellensis per expositionem Vercellensis, cap. 2. tertiæ partis Ecclesiasticæ hierarchiæ: ita enim legitur apud ipsum. Ita sursum actum diuina beatitudo à sui ipsius participatione recipit, & de proprio lumine, sicut de quodam signo ipse tradit diuinum faciens communicatorem in Deo manentium, & sequitur ibi, sanctum signum à Hierarcha accedẽti data significatio. Vbi adducuntur aliqui de alia translatione verba talia. Aduenienti ad baptismum donatur a summo sacerdote sacrum signaculum.

Secundo, hæc authoritas non adducitur secundum Dionysij intentionem: Nam secundum explicationem Vercellensis, Dionysius refert quemdam ritum, qui seruabatur in primitiua ecclesia, quando adulti baptizabatur, tunc enim accedẽti ad baptismum Hierarcha, id est, Episcopus, & manum imponebat, & signabat eum signo crucis, & præcipiebat eum adscribi inter nomina Christianorum, vt de cætero cum alijs ad diuina admitteretur; & iste ritus exterior erat ante baptismũ: Nam in primitiua ecclesia primo inducebatur baptizandus, ein Hierarcha. i. Pontifex manũ capiti imponens signo crucis signabat eum, præcipiens sacerdotibus, quod tam ipsum, quam eius susceptionem describerent, & hæc cæremonia fiebat longe ante baptizationem: sicut apparet ex processu literæ ibi; quia de actu baptizandi determinatur post parte 17. sub litera; Vnde & textus ille Dionysij secundũ translationem Vercellensis, truncate adducitur; præmisso enim de proprio lumine. s. fidei, sicut quodam signo ipsi tradito, & communicator est in Deo manentium, &c. De istis subdit; Quorum est sanctum signum a Hierarcha accedenti data signatio, & sacerdotum salutaris descriptio, quorum inquam (redde singula singulis) scilicet, illuminationis traditæ sanctum signum à Hierarcha est data signatio, id est, impositio manuum in capite cum signo crucis, & quod sit communicator diuinorum, signum est sacerdotum salutaris descriptio, qui, scilicet, describunt eum. & eius susceptionem, tanquam in Christianorũ communionem receptum. Ista autem impositio manuum, & descriptio fiebat ante baptizationem; ergo nullo modo ista characterizatio potest intelligi de aliquo signo impresso in baptismo, nec de alio charactere locutus est Dionysius. Quare authoritas hæc. Dionysij nec adducitur secundum ipsius Dionysij intentionem, nec facit ad propositum eorum, qui adducunt illam.

Authoritas etiam Damasceni valde inepte adducitur: quia pars vnius orationis coniungitur cum parte alterius prætermissa parte concipienda cum parte præcedente; Iacet enim litera Damasceni sic. Per baptismum primitias spiritus assumimus, & ibi est punctus; & sequitur alius versus. Et principium alterius vitę fit nobis regeneratio; & post sequitur statim sigillum, & custodia, & illuminatio: ita secundum translationem antiquam; secundum vero translationẽ Fabri sic legitur. Nunc igitur per baptismum primitias Spiritus sancti accipimus, & initium alterius vitæ fit in nobis, id est, primitiæ regenerationis, & signaculum, & tutela, & illuminatio, & sanctificatio. Quibus verbis nullo modo vult dicere per baptismum nobis inesse sigillum; sed quod per baptismum sumimus primitias spiritus in prima clausula, & in sequenti, quod regeneratio est principium vitæ, & sigillum, &c. ergo ex illa authoritate non potest haberi, nisi quod baptismus, siue regeneratio sit sigillum, non autẽ quod per baptismum fiat in nobis sigillum. atque ita patet quomodo hæc authoritas non est ad propositum.

Sicut multo minus ad rem facit alia authoritas eiusdem Damas. quæ adducitur ex eodem lib. 4. de fide, c. 12. vbi dicitur. Quemadmodum Israeli Circumcisio, &c. & post sequitur, ita est signaculum, &c. Nam expresse loquitur ibi de cruce dicens Hæc nobis signum data est super frontem, quemadmodum Israeli Circumcisio; per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus, & discernimur; & sequitur de eadem cruce, ipsa est scutum, & arma, & trophæum aduersus Diabolum; ipsa signaculum, vt non tangat nos exterminator: quibus verbis nihil amplius vult dicere: nisi quod impressum est nobis sigillum contra inimicum; quod non facit ad propositum, atque ita patet quomodo ex Dionysio, & Damasceno non habetur euidenter in baptismo imprimi characterem.

Imo neque euidenter concluditur ex D. Aug. qui præ cæteris Patribus specialiter, & ex intentione pluribus in locis tractauit de baptismo, vtpote in sex libris de baptismo contra Donatistas, & in volumine vno de vnico baptismo; & super Ioan. & in lib. de fide ad Petrum, ac multis alijs in locis, nec tamen aliquam de charactere, de quo loquimur (vt scilicet est forma quædam supernaturalis à gratia distincta, & à Deo impressa baptizato, ratione cuius baptismus sit iterabilis) mentionem fecit; non videtur autem, quod de charactere in hac significatione tacuisset, si esset immediatus, & necessarius effectus baptismi. Et si dicas, quod characterem in hac significatione non negauit. Respondeo ad propositum sufficit, quod non affirmet: Nam in tam diligenti baptismi inuestigatione ab eo facta, supponitur, quod si character fuisset proxima res baptismi alicubi expressisset: at ipse in baptismo non distinguit nisi aliquid sensibile extra, & rem sacramenti, scilicet gratiam; Nec vnquam dixit fictum recipere aliquam rem sacramenti, sed tantum sacramentum;

cramentum; nec vnquam interabilitatem baptismi ipse ostendit propter talem characterem impressum. Consimiliter etiam de consecratione distinct. quarta, colliguntur authoritates sanctorum de baptismo; nec videtur verisimile, quod nullus eorum locutus fuisset de charactere, si fuisset effectus ita necessarius baptismi. Et quod videtur multum ponderis habere: Magister sent. nusquam de charactere secundum istum intellectum locutus est: cum tamen ipse diligenter authoritates sanctorum de materijs, quas tractat, compilauerit.

His tamen non obstantibus dico, quod non desunt authoritates sanctorum Patrum, quibus saltem probabiliter deduci potest characterem imprimi in baptismo. & Prima
D. Dionys. est authoritas Dionysij Areopagitæ lib. de ecclesiastica hierarchia secundo cap. prima parte, vbi dicit baptismum formare hominem ad alia suscipienda sacramenta, illã formationem vocamus nos characterem. Idem p. 3. de eo qui baptizatur ita loquitur. Hunc (inquit) diuina maiestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam, perinde ac signum aliquod tradit.

Cyrillus Hierosol. Secunda est Cyrilli Hierosolymit. in procemio catechef. vbi describens baptismum per effectus eius, vocat regenerationem, remissionem peccatorum, signaculum sanctum, & indelebile. & catechesi 3. in principio sic loquitur ad Catechumenos. Spiritus sanctus obsignabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi, itaque parate vos, & instructi este, &c. & Catec. 4. cap. de Spiritu sancto. Spiritus sanctus, inquit, tempore baptismi animam tuam obsignat; & Catech. 16. non longe a fine loquens de Spiritu sancto. Hic (ait) ad hodiernam vsque diem obsignat animas in baptismo. vide etiam Catech. 17.

Tertia est D. Basilij orat. 13. quæ est exhortatio ad baptismum agens de non baptizatis, charactere (inquit) sacro carentibus, os aciemque intentat, scilicet, diuinus gladius, & infra. Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonã modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? quomodo (inquit) dices Dei sum, signa non ostendens? An ignoras quemadmodum signatas domos in Aegypto exterminator præterijt? Thesaurus non obsignatus furibus facile patebit; ouis item absq; nota insidijs protinus est obnoxia. & infra definiens baptismum per suos effectus, vocat signaculum inuiolabile, & lib. de Spiritu sãcto, cap. 12. dicit quod baptisma consignat pactum nostrum.

Greg. Naz. Quarta est D. Gregorij Naz. orat. 40. in sanctum baptisma, vbi dicit baptismum esse lauacrum, quia abluit, sigillũ vero, quia est significatio, & conseruatio dominationis.

Greg. Nyss. Quinta est Greg. Nissent lib. de Baptis. non longe à principio. Sacerdos (inquit) post consecrationem, quod ad externam speciem attinet, idem est qui antea, inuisibili tamen quadam vi, ac gratia inuisibilem animam transformatam gerit in melius.

D. August. Sexta est authoritas D. Aug. qui multis in locis characterem nominat, epist. 23. post medium, & 50. circa finẽ inquit. Non facio iniuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris. Idem lib. 2. contra litt. Petil. c. 13. comparat characterem cum militari signo. Idem in eodem libro cap. vlt. & lib. 1. contra Cresc. cap. 3. & lib. 2. contra Gaud. c. 4. vbi vocat regium characterem; & lib. 6. de baptis. c. 1. dicit in Generali Concilio hoc approbatum. Satis (inquit) eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij authoritate originalis consuetudo confirmata est, & ouem quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea cognosci potius, quam improbari.

Cæterum hæc testimonia quamuis, vt diximus, probabilia sint, tamen proterruum non cogerent: nam omnia exponi possent, vel de ipsomet baptismo, vel de gratia, quæ confertur. Nam D. August. in ser. de gestis cum Emerito tria dicit, primo dicit externis characterem agnosci, & agnitum approbari. Secundo dicit, quod si Donatus in nomine Donati baptizaret characterem Donati infigeret, at certe character in anima infixus à Donato nullus esse potest, qui esset Donati. Tertio dicit characterem esse ipsam inuocationem Trinitatis, quæ fit in baptismo. Attendo (inquit) fidem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. iste est character Imperatoris mei, de isto charactere militibus suis, vel potius Comitibus suis, vt hunc imprimerent eis, quos congregabant castris eius præcepit dicens. Ite baptizare gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et si dicas, characterem apud Aug. & alios Patres non posse esse externum symbolum, seu sacramentum: quia dicunt hoc signaculum esse in anima non in corpore, vel esse spirituale: Tum quia dicunt hærere, & manere, quod non conuenit symbolo externo, quod non mansit nisi dum fieret, diceretur, quod sumunt signaculum pro gratia seu charitate inhærente, vt vidimus in superiori articulo. Quoniam ergo hæc testimonia non videntur cogere: quia facile potest exponi ipsum sacramentum baptismi esse characterem: Ideo Scotus in hac quæst. sub litt. H. §. breuiter, præcipuas partes in hoc negotio tribuit ecclesiæ authoritati: non negat tamen authoritate ecclesiæ supposita, mentem sanctorum fuisse in eadem significatione de charactere loqui, & sine dubio multa ex dictis sanctorum melius prædicto modo intelliguntur, & potissime verba D. August. tract. quinto, & sexto, in Ioan. dicentis, si baptizatus charitatem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum rationes desumptæ ex effectu principali Baptismi concludant in Baptismo imprimi characterem.

PRo explicatione obser. est, quod in sacramento baptismi tria sunt, vnum signum tantum, scilicet lotio exterior: aliud signatum tantum, scilicet gratia, & aliud quod est signum, & signatum, scilicet character; signatum quidem respectu lotionis, exterioris, signũ vero respectu gratiæ. Vnde sequitur, quod lotio exterior est sacramentum tantum; gratia est tantum res vel effectus sacramenti; character vero sacramentum est & sacramenti effectus. Est sacramentum quia est signũ gratiæ, signum dico demonstratiuum: quia quantum est de se, ponit gratiam in præsenti: non quod effectiue concurrat ad gratiam; sed quia disponit ad ipsam: quod autem aliquando non ponat, hoc non est ex parte characteris, sed ex parte suscipientis, qui non se habilitat, vel disponit ad suscipiendam gratiam, sed ponit obicem gratiæ, scilicet peccatum, & est exemplum de sole, qui quantum est ex se semper illuminat: nisi sit obex ex parte suscipientis.

Secundo obser. est, quod character est signaculum sacramentale, ideo gratiam significat: & non tantum significat; imo aliquo modo præparat; disponit enim character baptismalis animam ad susceptionem gratiæ reformantis ad imaginem, cuius est signum, & similitudinem gerit: huiusmodi autem dispositio non est necessitatis, quod agens nõ possit aliter agere, vel suscipiens recipere, sed tantum congruitatis: quia enim natura corrupta est per peccatum, & indisposita ad gratiam, congruum est, vt intercedat dispositio media.

Tertio obser. est, Baptismum principalius esse institutũ propter gratiam gratum facientem, scilicet ad spiritualem regenerationem, & remissionem peccati originalis, consequenter vero illi datum esse, vt sit ianua, ad ingrediendum Christi ecclesiam, & participanda alia eius sacramẽta, & propterea datam illi esse virtutem ad imprimẽdum characterem; atque adeo prima ratio huius veritatis à priori, quod scilicet baptismus characterem imprimat est institutio, & volũtas Christi, quæ potuit hanc vim tribuere huic sacramento, sicut & alijs, quæ characterem imprimunt.

Quarto obser. est, non esse verum id, quod ait Soto in *Sotus*
quarta, dist. prima, quæst. 4. artic. quarto, nimirum in sacramento baptismi prius natura dari gratiam quam characterem: quia physice nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates, nulla enim ratione aut fundamento fingi potest, quandoquidem ex natura sua nulla ab altera dependet: manet enim character sine gratia, & gratia optimo & connaturali modo esse põt sine charactere. Loquendo aũt moraliter prius natura datur character, quam gratia sacramentalis: quia talis gratia characterem requirit, & non è contrario, nemini enim datur gratia per hoc sacramentum, cui non detur character: multis autem datur character, quibus non datur gratia: atque adeo licet ordine intentionis (vt ita dicam) prior sit in hoc sacramento gratia

Digitized by Google

quam character; tamen ordine executionis prior natura est impressio characteris, quam collatio gratiæ.

His obseruatis ratio dubitandi est. Quia si baptismus characterem imprimeret, hoc ideo esset, quia ponitur dispositio quædã ad gratiam, sed hoc est falsum, ergo falsum est in baptismo characterẽ imprimi. Minor probatur: quia si character esset dispositio ad gratiam, vel hoc esset ex parte recipientis baptismum, & gratiam, vel ex parte Dei gratiam conferentis: non ex parte suscipientis, quia si suscipiens est sine peccato mortali, est summe dispositus ad gratiam suscipiendam. Nec etiam ex parte Dei conferentis: quia cum Deus sit infinitæ potentia non indiget dispositione præuia ad hoc, quod imprimatur forma quam intendit, ergo non est necesse, quod character, vel aliquid aliud disponat ad gratiam.

Et si dicas, quod requiritur, vt dispositio permanens, nõ quæ abijciatur per formam inductam; sed quæ permaneat ad effectum inducendum quandoque posterius tempore ipsamet dispositione, ita quod per aliquod tempus sit dispositio in subiecto, antequam forma ad quam disponit inducatur: sic quod non statim inducitur posita dispositione: vt potè ad hoc quod ficte baptizatus recipiat postea fictione recedente effectum baptismi. Contra adhuc stat argumentum, vt prius: quia aut pro illo posteriori, quando recipit effectum vltimum baptismi, character requiritur, vt dispositio suscipientis, aut ex parte agentis, & stat ratio vt prius.

Præterea Deus potest assistere specialiter alicui ficto, ita quod fictione deposita det illi gratiam, nulla præcedente dispositione, vt de se patet; quia posset Deus sine tali signo, id est, sine charactere assistere Baptismo vel baptizato ad causandum effectum baptismi, scilicet gratiam, recedente fictione; sicut assuisset in ipso baptismo si prius non fuisset fictus, ergo non debet poni character, vt dispositio permanens. Et confirmatur: Quandocumque aliquis recipit characterem, & non gratiam, nunquam datur sibi gratia, nisi per pœnitentiam; ergo pœnitentia, quo ad hoc erit sufficiens ad dandam gratiam ficto sine charactere; ac proinde talis character non erit ponendus in baptismo: antecedens patet: Nam vel ille qui recipit sacramentum est paruulus, vel adultus; si paruulus quandocumque recipit sacramentum recipit gratiam, si sit adultus, & ponit obicem non potest se disponere nisi per pœnitentiam. hoc argum. est Sco. in hac q. sub litt. E. §. quantum ad primum.

His tamen non obstantibus dicendum est, quod ponendus est character, vt dispositio ad gratiam, quæ est effectus principalis baptismi, tum ex parte animæ suscipientis, cum ex parte Dei imprimentis. hæc conclusio est Scoti in hac quæst. sub litt. I. §. Prima congruentia est talis, & probatur. Non repugnat animæ talem formam habere, qualis describitur esse character: ergo neque DEO repugnat talem formam ipsi animæ imprimere; sed congruit talem formam animæ imprimi à Deo, ergo dicendum est, quod in baptismo imprimitur character in anima suscipientis illum. Probatur assumptio: quia congruum est ad formam perfectam poni aliquam dispositionem; sed gratia est forma supernaturalis & perfecta; ergo congruit ad eam esse aliquam dispositionem præuiam supernaturalem, qualis est character. Probatur minor, quandocumque ab eodem agente causantur in eodem subiecto duæ formæ ordinatæ, hoc est, non ex æquo quantum ad causationem neque æque perfectę, congruum est quod vna sit dispositio ad aliam, videlicet imperfectior ad perfectiorem; sed à Deo in baptismo causantur character, & gratia, & vtroque modo non ex æquo; scilicet, nec quoad causationem, nec quo ad perfectionem; ergo cum character sit imperfectior gratia; congruum est ipsum esse dispositionem ad gratiam, quę est perfectior.

Et si dicas, quod hæc congruentia non probat simpliciter esse necessario ponendam dispositionem ad formam perfectam: quia cum in quolibet sacramento conferatur gratia; in quolibet sacramento ponenda esset necessario dispositio præuia; quod tamen est falsum; Dico quod & si hæc congruentia non concludat vniuersaliter respectu cuiuslibet gratiæ sacramentalis; tamen respectu gratiæ baptismalis habet satis bonam euidentiam: quoniam cum primum sacramentum conferens gratiam sit baptismus, magis cõgruum est in ipso conferri dispositionẽ ad gratiã, quã in aliquo alio: quia dispositio naturaliter præcedit formam ad quam est, & ideo non oportet quod in alijs sacramentis posterioribus imprimatur.

Ad rationem dubitandi respondet Scotus in hac q. sub lit. L §. Ad aliam rationem, & primo dicit, quod Deus de potentia absoluta potest causare gratiam, quæ est principalis effectus baptismi non causando characterem, nec aliquam dispositionem ad gratiam. Secundo dicit, quod Deus de potentia ordinata, tenetur causare gratiam mediante charactere. Et ad rationem cum dicitur, aut character est dispositio ex parte agentis, vel ex parte passi: Dicitur quod nõ requiritur, vt dispositio ad gratiam, ex parte agentis, sic videlicet, quod sit quasi medium quoddam inter Deum & gratiam ad causandum ipsam gratiam, adeo quod character habet aliquam actiuitatem, seu virtutem respectu gratiæ: sed Deus assistit illi tanquam signo inuisibili ad causandam gratiam quam signat recedente impedimento, seu obice inhærente; sed requiritur, vt dispositio ex parte passi, siue suscipientis, quia est forma prior sine qua non recipitur forma posterior; non quod sit ratio susceptiui respectu superioris, sed quia prior inest, quam posterior insit: Nam suscipiens se habet ad characterem, & gratiam, tanquam ad duo dona, quorum posterius, scilicet gratia non recipitur sine priori hoc est sine charactere, licet prius suscipi possit sine posteriori, vt patet de ficte recipiente baptismum; quod intelligitur comparando ad potentiam ordinatam agentis causantis vtramque formam. Et cum dicitur vltra quod posset effectus baptismi haberi per veram pœnitentiam: dico, quod de potentia ordinata non potest extra casum extremæ necessitatis (vt si deficeret copia baptismi fluminis) haberi perfecta innocentia sine tali forma intrinseca; cui Deus assistit ad talem innocentiam; & ideo quantumcumque adultus pœniteret de peccatis suis, si non susciperet baptismum in quo character imprimitur, si suscipiendi baptismum copiam haberet, nunquam consequeretur gratiam baptismalem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum rationes desumptæ ex proprietatibus characteris probent ipsum imprimi in Baptismo.

PRoprietates characteris quatuor communiter à Doctoribus assignantur: character. n. assimilat, distinguit, significat, & confirmat, vnde dicitur assimilatiuus, distinctiuus, significatiuus, & confirmatiuus. Ponitur ergo ad assimilandũ, distinguendum, significandũ, & confirmandum; sed videtur quod propter istas proprietates non sit necesse characterem imprimi in baptismo: ergo superflue ponitur. consequentia probatur: quia nihil frustra est ponendum in operibus Dei, & naturæ, vt docet Arist. primo phy. tex. cap. 50. & 1. cœli. tit. cap. trigesimosecundo. Quia Deus, & natura nihil faciunt frustra antecedens probatur: quia sine forma inhærente posset baptizatus assimilari alteri baptizato, & à non baptizato distingui, videlicet eo tantum, quod baptismum suscepit, vt patet in multis alijs. *Proprietates characteris sunt quatuor.* *Arist.*

Nã professus in aliqua Religione assimilatur alteri professo, & distinguitur ab alio non professo non per aliquam formam sibi inhærentem post professionem; sed quia professionis actum habuit in præteritum. ita potest esse in proposito.

Idem probatur quoad tertium characteris effectum, videlicet esse signum memoratiuum: quia Deus absque tali signo cognosceret talem hominem baptizatum fuisse; & homini beato maior est gloria actum charitatis habuisse; quã suscepisse baptismum; & maior confusio est damnato cecidisse à charitate quam à susceptione baptismi; & tamẽ nullum ponitur signum rememoratiuũ in beato respectu charitatis: neque damnationis in dãnato; ergo propter maiorẽ gloriam habentis characterem, vel maiorem confusionem non habentis in inferno, non oportet poni characterem.

Et confirmatur: quia si character esset in habente illũ ad specialem illius excellẽtiã in beatitudine, sequeretur quod sacerdos inter omnes Christianos posset habere talem excellentiam in beatitudine: quia solus sacerdos habet omnes characteres. sequeretur etiam, quod Christus Dominus careret ista excellentia gloriæ, quia ipse non fuit baptizatus baptismo Christi, sed: Baptismus aũt Ioãnis non impressit cha-

Digitized by Google

sit characterem; nec fuit sacerdos sacerdotio, quod confertur in ordine sacerdotali: quia nō fuit ab aliquo ordinatus; pari ratione neque confirmatus confirmatione sacramentali; sequitur etiam quod sancti Patres, scilicet, Abrahā, Isaac, Iacob, &c. & Beata Virgo: quia non habuerunt istud signum, carerent ista excellentia in gloria.

Idem probatur quoque quo ad quartum effectum characteris, videlicet esse confirmatiuum, vel configuratiuum Christo, siue obligatiuum: quia potest aliquis alteri esse obligatus: atque ita illi configuratus quo ad obligationem conformandi se illi absque aliqua forma illi inhærente. Sicut ille, qui fecit homagium alicui Domino, obligatus manet illi post homagium ad fidelitatem seruandam, & ita ad quandam conformationem, seu configurationem; sicut & professus ex professione tenetur configurari prælato suo; & tamen neque faciens homagium, neque profitens accepit aliquam formam absolutam, quæ sit signum configurandi.

Præterea non videtur vllo modo probabile, quod illi homini, qui non solum est in peccato mortali; sed etiam in susceptione baptismi peccat mortaliter, conferat Deus donum supernaturale characteris; sed fictus suscipiendo baptismum peccat mortaliter, cum faciat sacramento irreuerentiam, ergo ex virtute talis actus in quo peccat mortaliter, DEVS non confert illi donum spirituale, quale est character. Probatur maior: quia Dei perfecta sunt opera Deut. 32. & ideo nullum curat, quem perfecte non curat, cum sit impium à Deo imperfectam veniam sperare, ergo nullum suum donum confert alicui, actualiter peccanti mortaliter.

Donum Dei est duplex; gratis datū, et gratum faciens.

Deinde. Omne donum Dei datum homini, aut est gratum faciens, vel gratis datum; sed character non est donum gratis datum, nec gratum faciens, ergo non est donū Dei. Pro intelligentia huius rationis obser. est: quod omne donum Dei, vel est gratis datum, vel est gratum faciens: Donum gratis datum est, quod datur propter aliquod bonum ecclesiæ, vel propter aliquod bonum suscipientis, sicut sciētia, & donum linguarum; & hoc donum receperunt Apostoli in die Pentecostes, & hoc propter bonum ecclesiæ, vt ecclesia multiplicaretur, & in cognitione veræ fidei instrueretur. Aliud & donum Dei gratum faciens, & est illud quo mediante homo acceptatur à Deo, vt sunt gratia, & charitas; nam per gratiam, & charitatem sumus accepti Deo: In proposito character non potest esse aliquod istorum: non donū gratis datum: quia non est propter aliquod bonum ecclesiæ: nullum enim consequitur ecclesia bonum, quod iste habeat characterem. Neque est donum gratum faciens: quia secundum ponentes characterem, character est quid distinctum à gratia, & charitate. Præterea si character esset donum gratum faciens, omnis homo habens characterem esset gratus Deo, atque adeo Christiani damnati in inferno essent DEO grati, quod est falsum, relinquitur ergo, quod character non est aliquod donum DEI.

Postremo si character esset ponendus, esset maxime ad ostendendum, quod baptismus sit initerabilis; sed propter hoc non est necesse ponere characterem. ergo, &c. probatur minor, quia character non est indelebilis: non nulla forma inest animæ, quam non possit Deus delere: cum minus sit delere quam creare: vel saltem non implicat contradictionem formam creatam in anima ab ipsa deleri; ergo si character est indelebilis, nulla talis forma erit in anima baptizati. hæc arg. sunt Scoti in hac quæst. sub lit. F. §. Quantum autem ad alios effectus, &c.

His tamen non obstantibus ponendus est character primo, vt assimilet: Nam homines eiusdem exercitus habent idem signum conforme. Secundo, vt distinguat, & sequitur ex primo: quia omne, quod assimilat aliquos eiusdem religionis, distinguit eos ab alijs. Tertio, vt sit signum repræsentatiuum illius ad cuius inuocationem imprimitur; & hæc est beata Trinitas vnus Deus. Quarto, vt sit signum rememoratiuum; & ideo remanet ad reducendum ad memoriam actus præteritos.

Ad primum in oppositum respondet Scotus in hac q. sub lit. L. § Ad illa quæ obijciuntur de alijs, &c. & dicit quod licet absolute, & loquendo de potentia absoluta posset Deus causare immediate omnes effectus proprios assignatos characteri, scilicet assimilare, distinguere, &c. sine charactere. id est, posset oues suas inter se assimilare, & ab alijs non suis distinguere, &c. sine tali forma absoluta, qui ponitur character, quia hoc facere posset vel habitu gratiæ vel fidei, vel quocumque alio habitu, vel forma alia à charactere, vel etiam sine aliquo habitu, per solum actum transeuntem in præteritum, conuenientius tamen, & perfectius per aliquam formam derelictam post actum transeuntem. Et similiter respondetur ad illud de obligatione seu configuratione. Si enim homo recipiens alterius homagium, vel prælatus recipiens aliquem ad professionem, posset aliquā formam imprimere obligato, hoc potius faceret, non contentus illum sibi manere obligatum per actum præteritum; at Deus dumtaxat potest talem formam configurantem, id est, obligationem ostendentem, seu repræsentantem in anima imprimere.

Ad aliud quod additur de signo rememoratiuo, dicit quod character habet rationem memoratiui, & propter ipsum suscipientem, & propter Deum, atque etiam propter alios respectu quorum habet rationem signi; ducens in rationem signati, siue in beatitudine ad gloriam; siue in inferno ad pœnam, & confusionem. Et quamuis Deus possit cognoscere ouem suam sine tali signo, decet tamen vt eam sub tali signo cognoscat: Beati etiam, & damnati possunt istam nosse signatam, quam non cognoscerent non signatam, quod quidem signum in beatitudine erit ad maiorem gloriam; in inferno autem ad confusionem illud habentis maiorem.

Et cum obijcitur de fide, & charitate: dico, quod nō omnis perfectio in anima habet tale signum rememoratiuum perpetuum, sed illa per quam constituuntur habens eam in aliquo determinato gradu in ecclesia; cuiusmodi non sunt virtutes: quia sunt communes omnibus membris in quocumque gradu; sed sacramenta tam illud per quod intratur in ecclesiam, quam alia vt Confirmationis, & Ordinis, vt dicetur in sequenti quæstione.

Ad Confirmationem dicit Scotus, quod sicut in natura creata sunt aliquæ perfectiones non simpliciter, sed in tali natura: quia sunt perfectiones supplentes imperfectionem, ita potest dici de charactere, quod est perfectio supplēs imperfectionem, & ideo non competit omni perfecto: neque etiam competit illi personæ in qua est aliqua perfectio maior, quam sit ista supplēs imperfectionem; non est ergo inconueniēns si Christo Domino, & eius Matri gloriosissimę haud in sit character. Vide Alex. de Ales, p. 4. q. 8. m. 8. §. 11. art. 1. & Gab. hac d. q. 2. art. 3. dub. 6. *Ale. de Ales Gabri.*

Ad aliud respondet Scotus, quod Deus peccanti mortaliter in ipso actu quo mortaliter peccat confert aliquod donum: quia non vult quod sacramentum suum, quod vere à ficto suscipitur sit vanum, & frustratorium; & ita vult ibi aliquem effectum causare, licet non causet vltimum effectum, scilicet, gratiam: quia fictus indispositus est. & ad probationem conceditur, quod Deus perfecte curat, quando curat: sed in hoc casu non curat, sed tantum præparat ad curationem; & concedo quod perfecte præparat, & hoc est rationabile: quia licet in actibus beneplaciti circa personas priuatas forte non cōferat dona sua pertinentia ad salutem illius personæ, nisi sanando perfecte illam personam; in actibus tamen vniuersalibus concomitantibus remedia vniuersalia, qualia sunt sacramēta, rationabiliter Deus ordinauit causare aliquos effectus vniuersales cum talibus remedijs, ne vana essent, licet non vltimos propter in dispositionem suscipientium talia remedia.

Et per hoc patet ad aliud. Dico enim quod character est donum gratis datum propter bonum suscipientis, non autē ecclesiæ; & cum dicis, tale non potest conferri sine alijs donis perficientibus talem personam, potest concedi in actionibus specialibus circa personas speciales, & modo speciali; sed non de actionibus generalibus concomitantibus remedia generalia cōstituta pro toto genere humano: illa enim regulariter causat cum ipsis remedijs, ne sint vana, vt dictum est.

Ad vltimum respondetur, quod licet multipliciter dicatur de indelebilitate characteris. vt videre est apud Alex. de Ales, loco supracitato, §. 5. & D. Bonau. hac d. p. 1. art. 1. q. 5. breuiter dico, quod nulla forma potest esse in anima alia ab anima, quam non possit Deus de potentia absoluta, delere sicut posterius à priori: quia in hoc nulla potest inueniri contradictio. Ponitur autem character inde- *Ale. de Ales D. Bonauent.*

lebilis: quia virtute nullius creaturæ deleri potest ab anima, cum sit forma supernaturalis: imo de potentia Dei ordinata, etiam ab ipso Deo deleri non potest: cũ Deus ordinauerit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum habentis illam; respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria; si enim imprimitur in actu peccandi mortaliter, nihil potest esse demeritorium, vt character ipse tollatur. Ex hoc infert Scotus, quod non est ponenda virtus aliqua supernaturalis in sacramento: quia illa nunquam posset corrumpi: quemadmodum character ponitur indelebilis.

ARTICVLVS V.

Vtrum sit de fide tenendum in sacramento baptismi imprimi characterem.

EX determinatis in superioribus articulis concludit Scotus, quod licet probari non possit per naturalem rationem, characterem inesse animæ: neque in vniuersali quod scilicet necesse sit dare talem formam inesse animę propter quid. Nec etiam propter finem: neque in particulari, vt per experientiam alicuius actus, seu per conditiones actus manifestantes talem formam inesse ipsi agenti percipienti actum suum. hoc est dictum; character non potest per rationem naturalem euidenter concludi inesse animæ, nec à priori, nec à posteriori, nec per causam, neq; per effectum; sic nec probari potest de gratia vel charitate, vt dictum est in secunda parte tertij sententiarum, distinctione vigesimasexta.

Licet etiam ex creditis manifeste, siue quæ sunt explicite de substantia fidei, siue quæ continentur in scriptura; siue quæ manifeste per sanctos sunt elicita, probari nõ possit characterem inesse animæ: quia non apparet necessaria habitudo eius ad talia credita: Tamen asserendum est, talem formam, quę appellatur character, imprimi in anima baptizati à Deo per baptismum.

Conclusio Scoti. Sit ergo Conclusio talis. In sacramento baptismi imprimitur character suscipienti illum; hæc conclusio est de fide: quæ sic probatur. De sacramentis ecclesiæ non est aliter sentiendum, quam ecclesia sentit Romana, vt dicitur in capitulo, Ad abolẽdam extra de hæreticis. vbi Lucius tertius anathemate ferit omnes illos, qui de sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, & de alijs ecclesiasticis sacramentis aliter sentiunt, vel docent, quam sancta Romana Ecclesia prædicet, & obseruet; & in Concilio Tridentino sessione septima, can. tertio, de baptismo. Si quis dixerit in ecclesia Romana, quę omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinã, anathema sit. Sed Ecclesia Romana sentit characterem imprimi in anima in sacramento baptismi; ergo in sacramento baptismi character in anima imprimitur. Minor probatur ex capitulo Maiores de baptismo, & eius effectu, vbi Innocentius tertius dicit. Qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum; & ibidem in fine eiusdem capituli dicitur. Tunc characterem imprimit sacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Igitur propter authoritatem ecclesiæ tenendum est in baptismo imprimi characterem.

Secundo probatur ex Concilio Florentino, in decreto Eugenij sub his verbis. Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile: vnde in eadem persona non reiterantur. & in Concilio Tridentino sess. septima, can. nono, de sacramentis in genere sic definitur. Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit. patet ergo esse ecclesiæ determinationem in his tribus sacramẽtis characterem imprimi: quam manasse ex Apostolorum traditione iudicandum est, per quam Romana Ecclesia in fide edocta est; non enim (vt diximus supra) definit ecclesia res nouas, per nouas reuelationes; sed quæ in scripturis, vel Apostolicis traditionibus continentur.

Potest etiam hæc conclusio congruentijs probari; Quarum prima sumitur ex parte ipsius animæ characterem suscipientis; Nam congruum est ad formam perfectam poni aliquam dispositionem, sed gratia est forma supernaturalis & perfecta, ergo congruit ad eam esse aliquam dispositionem præuiam supernaturalem, qualis est character, hæc congruentia explicata est supra articulo tertio.

Secunda congruentia est: quia congruit DEVM non instituisse sacramenta vana, saltem pro noua lege, quę perfecta est: ergo congruit, quod sacramenta sua, a nullo recipiantur vere: quin aliquem effectum habeant, sed non semper habent gratiam sicut in ficto; ergo aliquem alium effectum. Verum hæc congruentia est nimis vniuersalis: quia æque concludit de quolibet sacramento: Quodlibet enim sic institutum est, quod non sit vanum: ponere autem in alijs sacramentis quemdam ornatum correspondentẽ characteri, omnino superfluum est, vt diximus distinctione prima, quæstione quinta. Et potest ratio formari ad oppositum: Nam potest aliquis æque fictus recipere aliquod sacramentum; sicut potest quis ficte recipere baptismum: Non enim videtur maior necessitas determinare dispositionem ad hoc, quod absolute recipiat sacramentum pœnitentiæ: quam ad hoc, quod absolute recipiat sacramentum baptismi: sed recipiens ficte sacramentum pœnitentiæ nullum omnino effectum recipit: ergo non est necesse propter veritatem sacramenti, quod baptizatus recipiat aliquem effectum inuisibilem.

Sit ergo tertia congruentia, quæ rationabilior est, & sumitur ex diuina liberalitate, & consuetudine. Congruum est enim hominem susceptum ad familiam Christi per baptismum, distingui a non suscepto per aliquod sibi intrinsecum; sed tale distinctiuum hominis suscepti per baptismum in Christi familiam est id, quod nos appellamus characterem; ergo congruum est talem formam à Deo imprimi suscipienti baptismum: Maior probatur: quia licet Christus posset ouem suam ab alijs non suis distinguere sine tali intrinseco, tamen hic distinguendi modus & in se est perfectior, & eius liberalitati magis consentaneus. Primum probatur: quia talis distinctio facta per formam intrinsecam in baptizato indelebiliter manentem est perfectior in se, & in ordine ad ecclesiam tam militantem, quam etiam triumphantem, quam si distinctio fieret absque tali forma. Nam beati, & damnati poterunt nosse baptizatum tali figura, & forma signatum: quem tamen non ita cognoscerent sine tali forma intrinseca. Secundum probatur: quia Deus in hoc differt ab hominibus, quod homines cum hominibus iniungunt aliquod officium, non tribuunt eis aliquod internum, quo fiant apti ad illud officium; & cum diligunt aliquem non faciunt bonum, & pulchrum; sed diligunt quia talis est; & cum volunt se ab alijs diligi, aut sibi credi, aut in se sperari, non tribuunt eis vim aliquam internam, qua diligant, sperent, aut credant; Deus autem cum diligit, diligendo facit bonum, & pulchrum infundendo gratiam, & cum vult sibi credi, in se sperari, se diligi, infundit habitum fidei, spei, & charitatis. Igitur eodem modo credibile est, cum DEVS aliquem deputat, & consecrat ad sacramenta vel recipienda, vel danda, vel alia ministeria, id non faciat per simplicem deputationem, vt homines facere solent; sed infundendo certas qualitates, quibus illi fiant apti, & idonei ad talia officia, vel ministeria, & eas qualitates vocamus characteres.

Quarta congruentia sumitur ex parte sacramenti baptismatis: Nam baptismus est sacramentum initerabile si fuerit semel rite collatum, vt patet ex superioribus; ergo imprimit effectum aliquem indelebilem. probatur consequentia: quia si omnes eius effectus possent deleri, ipse baptismus posset iterari: quemadmodum absolutio, & Eucharistia iterantur; sed nullum effectum habet indelebilem nisi characterem, ergo in sacramento baptismi imprimitur character. Et confirmatur: quia negato charactere nulla vera causa assignari potest discriminis inter sacramenta, quæ non possunt, & possunt iterari; Ideo enim quædam sacramenta non possunt repeti: quia semel data semper manent in suo effectu: alia repetuntur: quia nõ manent nec in se, nec in suo effectu; gratia .n. quæ est effectus solus aliorum sacramentorum facile potest amitti, & sæpe amittitur; & si aliquando non amittatur, tamen augeri potest,

Digitized by Google

test, & sic sacramentum potest repeti, vt gratia augeatur: at posito charactere perspicua erit ratio discriminis; vt Concilium Florentinum, & Tridentinum docent: Nam character augeri non potest per iterationem sacramenti eiusdem.

Nec valet responsio, quod baptismus est initerabilis non quod imprimat characterem, sed ex diuina ordinatione: quia licet potiores partes in hoc habeat diuina ordinatio; ex qua baptismus imprimit characterem: ex hoc etiam habet baptismus, quod sit initerabilis: quia characterem imprimit, qui indelebilis est, vt patet ex determinatione Conciliorum Florentini, & Tridentini. Nec etiam valet dicere: quod baptismus est initerabilis, quia transit in præteritum, respectu cuius non est diuina potentia: quia Deus de potentia absoluta non potest facere præteritum non præteriisse: Quia eadem ratione, & sacramentum pœnitentiæ, & extremæ vnctionis essent initerabilia: quia postquam quis accepit extremam vnctionem, actus ille transit in præteritum, atque adeo erit initerabilis.

Contra Sotū Scotus defenditur.

Ex his constat Sotum non recte dixisse in quarta dist. prima, quæst. quarta, articulo primo, Doct. nostrum sub. ostendere se tenuissimam opinionem habere de charactere. Siquidem legenti, & intelligenti Scoti sententiam in hac quæst. constat aperte Scotum nō opinionem, sed fidem certam de charactere profiteri se habere. Vltra enim ea quæ supra dicta sunt, ipsemet Scotus in hac quæstione sub litt. H. & I dicit, quod tenenda est Conclusio, videlicet in baptismo imprimi characterem, propter authoritatem ecclesiæ: & ibidem respondet; quod licet euidenter necessario probari non possit impressio characteris in baptismo ex manifeste creditis, est tamen necessitas ponendi characterem: quia ecclesia ponit, & notanda sunt verba necessario, euidenter, & manifeste creditis. & subdit: Neque valet, inquit, argumentum negatiuum, Non ponit characterem baptismi Dionysius, neque Damascenus: ergo nullus: sufficit enim authoritas ecclesiæ: quia sicut dixit Diuus Augustinus in lib. de moribus Manichæorum. Ego Euangelio non crederē, nisi ecclesiæ crederem. Aduerte obsecro Scotica verba: ostendunt enim non opinionem tenuissimam, sed solidissimam, & firmissimam fidem nostri Doctoris. An non est hoc captiuare intellectum in fide, id est, in obsequium Christi: & dicere nulla ratio naturalis, neque authoritas necessario conuincens ex creditis cogit me characterem ponere; sed pono illum propter authoritatem ecclesiæ id asserentem? non ne ista fides obedientia est præclara atque professio? Quis enim diceret Diuum August. tenuissimam habuisse opinionem de veritate Euangelij, & non potius solidissimam fidem: quia dixit Euangelio non crederem, nisi ecclesiæ crederem? Sic igitur Scotus non opinionem tenuissimam, sed certissimam fidem de charactere dicendus est & tenuisse, & fuisse professus. Præterquam quod ostendat obsecro Sotus euidentes, & necessarias rationes, nec non euidentes, & manifestas sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum authoritates, quibus ipse probet characterem baptizato imprimi in baptismo: certe nullas rationes necessarias habet, quia hoc est tantum creditum; neque euidentes scripturę, & Patrum potest adducere authoritates, quæ optime vel de gratia, aut de ipsomet baptismo explicari non possint, vt in primo, & secundo articulo huius quæst. visum est, qua ergo authoritate cogente tenet ipse characterem imprimi in baptismo? certe nullam aliam adducere potest nisi ecclesiæ. Taceant ergo detractores: qui non nisi libidine impugnandi Scoticam doctrinam, vt doctiores reputentur, garriunt, & latrant contra tantum Doctorem, cuius non sunt digni calceamētorum corrigiam soluere. Tenenda est ergo Conclusio Scoti, quæ vt diximus, est de fide, & euidenter probata est ex determinatione ecclesiæ.

Sed contra sicut in aliquibus consecratis, quæ in consecratione sua non recipiunt sanctitatem formalem, nihil reale imprimitur. Ita in proposito, cum suscipiens sacramentum non recipiat necessario formalem sanctitatem, nulla forma realis necessario ipsi imprimitur: probatur similitudo: quia alia consecrata, vt calix consecratus, ecclesia dedicata, aqua benedicta, & vestes sacerdotales, & huiusmodi; quæ non recipiunt formalem sanctitatem; non distinguuntur ab homine, quantum ad istum actum; quando ex isto actu non recipit homo sanctitatem.

Præterea. Circumcisio non impressit characterem, ergo neque baptismus. probatur consequentia: quia Circumcisioni successit baptismus in remedium contra eundem morbum; ergo competebat vtrique similis, & idem effectus: antecedens probatur: quia character Circumcisionis fuisset eiusdem rationis cum charactere baptismi; ex quo sequeretur, quod Circumcisus non esset baptizandus: quia accidentia eiusdem speciei vel rationis, non possunt esse in eodem subiecto.

Item. Fides distinguit fidelem ab infideli, & charitas filium perditionis à filio regni secundum Diuum Augustinum 15. de Trinit. capit. decimo nono, & ista sunt nobilissima in anima, & tamen non imprimunt aliquem characterem distinctiuum; ergo multo fortius nec baptismus. D. Aug.

Deinde. Si character esset ponendus, vel esset substantia, vel accidens: non substantia: quia aduenit subiecto post esse completum; nec accidens per se vel necessario inhærens: quia non causatur ex principijs subiecti: quia alias cōsequeretur totam speciem: nec etiam accidens per accidens: quia omne tale est separabile, & contingenter inest, character autem ponitur inseparabilis & indelebilis ab anima ergo, &c.

Ad primum dico, quod non est simile de alijs consecratis, & de homine: cuius ratio est: quia alia consecrata ab homine non sunt capacia, id est, non sunt nata recipere characterem; homo autem est capax gratiæ, & dispositionis cuiusdam ad gratiam; & ideo quando per impedimentum suum, id est, propter obicem peccati non recipit gratiam, recipit tamen istam dispositionem, & ista est character; ita Scotus in hac quæst. sub litt. K. §. Ad argumenta alterius opinionis. Et si dicas, homo aliquando in baptismo non recipit istam gratiam, sicut nec alia consecrata, vt calix, ecclesia, & huiusmodi, ergo sunt quo ad hoc similia: atque adeo si calici non imprimitur aliqua forma, ergo neque homini.

Respondet Scotus: quod non est simile: quia quod homo non recipit in baptismo sanctitatem formalem, scilicet gratiam, est ex defectu ipsius, quia forte est fictus, vel ponit obicem: quod autem alia consecrata non recipiant prouenit: quia non sunt capacia. Et si iterum dicas, homo non magis formaliter recipit gratiam vel characterem, quam alia cōsecrata, ergo in hoc, scilicet in receptione sunt similia. Non enim magis per se formaliter conuenit homini, recipere characterem, vel gratiam, quam calici. Dico quod in illa negatione, scilicet non recipere sanctitatem formaliter non distinguitur homo ab illis: quia ita homo non recipit per se primo sanctitatem, sicut & calix, nullus enim illorum formaliter: hoc est, per se primo recipit; ergo in hoc cōueniunt. Concedo: sed distinguuntur in hoc: quia homo est capax non solum sanctitatis formalis, sed etiam dispositionis ad eam, illa autem non.

Ad secundum Diuus Thomas 3. par. quæst. septuagesima secunda, articulo quinto, ad 3. concedit quod Circumcisio non imprimebat characterem: quod prius docuit Alexand. de Ales, par. quarta, quæst. quartá, memb. septimo, articulo primo, & post ipsum D. Bonauent. hac dicta par. prima, articulo primo, quæstione quarta, ad secundū. Scotus autem in hac quæstione, in responsione ad primum principale, concedit, quod in Circumcisione imprimebatur aliquis character, sicut in baptismo. Erat enim Circumcisio in lege Moysi prima salutis ianua; sicut est baptismus in lege noua: & cum infertur inde, quod circumcisus non esset baptizandus: negat Scotus consequentiam, & ad probationem dicit, quod posset concedi illum characterem esse eiusdem rationis cum charactere baptismi; ac etiam alterius rationis; & si concedatur fuisse eiusdem rationis, dici posset, quod non imprimeretur character in circumciso suscipiente baptismum: quia tale subiectum non esset in potentia ad talem formam; sed in actu secundum illam. Si vero dicatur characterem Circumcisionis differre à charactere baptismi sicut imperfectum à perfecto, sicut gratia baptismi differt à gratia Circumcisionis, tunc circumcisus postea baptizatus non susciperet nouum characterem, sed per baptismum perficeretur in eo character Circumcisionis antea impressus.

D. Thom. Ale. de Ales D. Bonau. Scotus.

Ad tertium dico, quod non oīs perfectio in anima habet tale signum rememoratiuum perpetuum; sed illa per quā

Digitized by Google

constituitur habens illam in aliquo determinato gradu in ecclesia; cuiusmodi non sunt virtutes, quæ sunt communes omnibus membris in quocumque gradu: sed sacramenta tam illud per quod initiatur in ecclesia, quam alia, vt confirmationis, & ordinis.

Ad quartum dico, quod character est accidens per accidens, & cum dicitur quod tunc esset separabilis à subiecto, dico quod verum est de potentia Dei absoluta, cæterum est indelebilis per potentiam Dei ordinatam, & per potẽtiam creaturæ; vt dictum est supra.

QVAESTIO X.

Vtrum character sit forma absoluta.



ABsoluta quæstione si est, hoc est, constituto iuxta communem ecclesiæ sententiam characterem esse, & in baptismo indelebiliter imprimi. Peripatetico ordine seruato, circa quęstionem quid est, quærit Scotus vtrum character sit aliqua forma absoluta. Titulus quæstionis est de se clarus, & explicatione non eget; Mouetur autem hæc quęstio propter diuersas de hac re Doctorum sententias: Nam quidam senserunt characterem solum esse relationẽ rationis, seu denominationem extrinsecam per quam ex institutione diuina deputatur aliquis ad sacras actiones. ita Durandus in 4.d.4.q.1. Quidam vero dixerunt, characterem quidem esse aliquid reale, non tamen esse rem ab anima, & potentijs eius realiter distinctam, sed fortasse aliquẽ modum eius, quam sententiam valde probabilem esse dicit Scotus in 4.d.1.q.4.art.2. dummodo non negetur characterem imprimi animæ, & formaliter ab illa distingui: atque adeo in genere qualitatis constitui. *Durandus.* *Scotus.*

Item aliorum opinio fuit characterem esse aliquid reale ab anima realiter distinctum; non tamen absolutũ quid, sed solam relationem, ita sensisse videtur Albertus in 4.d.6, art.3 quam sententiam reijcit Alex. de Ales. par.4.q.8.m.8. art.1.§ 1.q.2. D. Thom.3.p.q.63. art.2. & D. Bonau. hac d. p.1.art.1. quæst.1. eam tamen probabilem existimat Scotus in hac q. *Albertus. Ale de Ales. D. Thomas. D. Bonau.*

Demũm alij senserunt characterem esse aliquod reale absolutum de prędicamento qualitatis, nimirum esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctam, eiq; diuinitus infusam; hanc sententiam docent Alex. de Ales, D. Thomas, & D. Bonau. locis citatis, & Richard. in 4. d.5. ar.2.q.1.& eam etiam probabilem existimat Scotus in hac quæst. Vnde non est mirum si hæc quæstio propter diuersitatem opinionum difficilis reddatur. Quapropter pro eius faciliori explicatione eam diuido in sex articulos. *Richardus.*

Primus art. Vtrum character sit entitas realis ab anima realiter distincta.

Secundus art. Vtrum character sit entitas relatiua vel relatio.

Tertius art. Vtrum si character esset relatio immediatum eius fundamentum esset anima.

Quartus art. Vtrum character baptismi si esset relatio, se ipso à charactere confirmationis, & ordinis distingueretur.

Quintus art. Vtrum character sit forma absoluta.

Sextus art. Vtrum si character sit forma absoluta reponatur in prima, vel in secunda specie qualitatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum character sit entitas realis ab anima realiter distincta.

IN hoc art. duo quæruntur. primum an character sit entitas realis; secundum, esto quod sit, an realiter ab anima distinguatur. Quo ad primum Durandus in 4.d.4. q.1. sensit characterem solum esse relationem rationis, seu denominationem extrinsecam per quam ex institutione diuina deputatur aliquis ad sacras actiones. *Durandus.*

Fundamentum eius est; quia hoc sufficit ad quemcumq; finem characteris; & facile intelligitur absque obscuritate: alia vero omnia sunt obscurissima, & difficiliora reddunt mysteria fidei. scriptum est autem Eccles. 24. Qui elucidãt me vitam æternam habebunt: ergo ad ea quę sunt fidei, cũ sint satis obscura de se; non est conueniens adducere vias obscuras, & quæ plus habeant obscuritatis, & difficultatis, quam principale propositum: sic est (inquit) de virtute, quæ ponitur inhærens sacramentis; & de charactere. Dicere autem, quod res naturales habent rationem sacramenti, & homo rationem ministri ex sola institutione, & ordinatione Dei, qui solus dat gratiam, & omnem effectum spirituałẽ, quem recipit suscipiens sacramenta; nihil difficultatis continet apud fideles.

Declarat autem positionem suam in hunc modum. Sicut nummus sortitur rationem pretij; & merellus rationẽ signi ex humana institutione, sic res naturales sortiuntur rationem sacramenti, & homo rationem ministri ex diuina institutione; sed nummus efficitur pretium. & merellus signum per solam relationem rationis humanæ sic instituentis; ergo res sacramentales sortiuntur rationem sacramenti, & homo rationem ministri per solam relationem rationis diuinæ sic instituentis. Cum igitur character sit id, quo homo efficitur minister sacramentorum, vel susceptiuus eorum, patet, quod character non est nisi relatio rationis, ex ordinatione, vel pactione diuina. Et confirmatur ex D. Dionysio, à quo prima traditio characteris nobis aduenit qui 3. p. cap. 2. Ecclesiasticæ hierarchiæ videtur idẽ sentire: Nam refert ibi quemdam ritum, qui seruabatur in primitiua ecclesia, quando adulti baptizabãtur, tunc enim accedenti ad baptismum Hierarcha id est, Pontifex, & manum imponebat, & signabat eum signo crucis, & pręcipiebat eum adscribi inter nomina Christianorum, vt de cętero cum alijs ad diuina admitteretur, & iste ritus exterior eum baptismo erat characterizatio sua, nec de alio charactere locutus est Dionysius. *D. Dionys.*

Cæterum hæc sententia Durandi potuit fortasse suo tempore sine hæresi sustineri, quamquam non sine temeritate: cum non solum esset contra cæteros Theologos, sed etiam contra Innocentium III. in cap. Maiores de baptis. & eius effectu, vbi ita concludit. Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Nunc vero non potest hæc opinio ab errore in fide vindicari propter determinationes Concil. Florent. & Trident. quæ docent characterem esse spiritualẽ signum animæ impressum: quæ verba non possunt vllo modo conuenire relationi rationis, aut denominationi extrinsecæ: quia hæc non sunt aliquid spirituale, neque animæ inhærent, nec imprimuntur; nisi hoc aperte significat actionem realem, quam Innocentius vocauit sacramentalem operationem. *Reiicitur Durandi sententia.*

Dicendum est ergo, sine dubio characterem esse rem aliquam vere, & realiter existentem; & intrinsece animæ inhærentem. Quoniam alias non magis imprimeret characterem sacramentum ordinis in lege noua, quam sacerdotalis consecratio in lege veteri: qui etiam ibi fiebat deputatio extrinseca, & consequenter significatio aliqua, & relatio rationis; & simili ratione non magis imprimeretur character homini cum ordinatur, quam calici, cum consecratur: quę omnia, & similia, quæ facile inferri possunt, manifeste pugnant cum doctrina catholica in præcedenti quæstione tradita. Demum hæc Durandi sententia nihil fere in re ipsa differt ab hæreticorum sententia, quam Concilia voluerunt directe damnare, vt videri potest apud Illustrissimum Card. Bell. lib. secundo, de sacrament. in genere, cap.18.& 19. *Card. B.*

Fundamentum autem Durandi valde friuolum est: quia non semper quę videntur clariora sunt veriora, maxime in rebus fidei, sed quæ sunt magis consentanea ecclesiasticæ doctrinæ, & traditioni; eo maxime, quod in hac doctrina de charactere non est tanta obscuritas, aut difficultas. Quis enim dubitare potest potuisse Deum hoc reale, & spirituale signum animæ imprimere? aut cur difficile creditu est, hoc fecisse, non propter necessitatem simpliciter, sed propter maiorem perfectionem? Et tunc maxime sapientia diuina elucidatur, quando si ex ecclesiæ determinatione rem peculiarem oportet asserere, eam rem asseramus, & explicemus, cuiusmodi sit, quomodo autem intelligatur D. Dionysius dictum est supra.

Quo ad secundum Scotus d.1 q.4 art.2. explicans opinionem Durandi sentit, quod quantum ad id quod ponitur characterem non esse rem distinctam a subiecto, non esse *Scotus.*

senten-

sententiam à veritate alienam: cum quodam tamen moderamine: Nam profecto (inquit) illarum rerum multiplicatio vbi excusari potest nullibi mihi arridet. Moderamen tamen est, quod quamuis quispiam non censeat characterem rem esse ab intellectu distinctam, non tamen subinde negandum est sacramentum characterem imprimere, esseq. qualitatem secundæ speciei. Probat suam sententiam per simile. Quoniam & si Nominales negent quantitatem distingui à re quanta; non ideo negare debent esse aliud prædicamentum à substantia, nec concedere debent formaliter, quod substantia sit quantitas; sed quod est res, quæ est quanta. Item neque negare illis licet: quin motus augmentationis terminetur ad quantitatem & non ad substantiam: nam per hoc quod res illæ habent diuersas definitiones possunt huiusmodi diuersæ enunciationes vtcumque verificari.

Et si contra arguitur. Character est terminus actionis realis, ergo debet esse res realis. Item cum sit potestas agendi aliquid reale, nempe suscipiendi, & administrandi sacramenta, non est merum ens rationis. Eadem argumenta inquit, currunt de Prætore, & Iudice à Rege instituto. Institutio siquidem est actio realis, per quam facultas fit illis exercendi reales actiones iuridicas, & tamen nihil acquirit nisi respectum rationis, scilicet, quod est persona instituta ad illud officium. Et confirmatur responsio. Nam quando Deus ipse instituit Dauid in Regem: & quando Christus instituit Petrum in suum Vicarium: præter gratias & virtutes nihil resultauit in illis electis, nisi respectus rationis: nihilominus acquisiuerũt potestates reales ad hunc sensum, quod fuerunt ad reales actiones realiter instituti. Eodem ergo pacto dici potest, eo quod per baptismum quis adscribitur in Christianam Rempubl. fieri potentem recipiendi eius sacramenta, & per hoc quod ordinatur, fieri potentem illa ministrare; & illæ potestates dicuntur characteres, licet non sint ab anima realiter distincti.

Ceterum hæc sententia licet verbis, re ipsa tamen nihil aut parum differt à Durandi sententia, atque adeo minime defendi potest, vt patet ex solutione argumentorum, quæ facit contra seipsum.

Præterea cum anima hominis, antequam ipse baptizetur, aut confirmetur, siue ordines suscipiat habeat totam suã realem entitatem, si character est res, quæ est anima, habebit ergo anima characterem anteq̃ homo baptizetur, vel cõfirmetur vel ordines suscipiat. Dicet forte qd habet quidẽ rẽ quæ est realiter character, sed non formaliter, & cõplete nisi per baptismum, confirmationem, & ordinem. Contra, vel ergo dicendum est characterem esse quid distinctum ab anima realiter; vel esse tantum ens rationis, scilicet deputationem ad aliquid recipiendum vel agendum. Quod est id, quod docet Durandus.

Præterea anima est substantia, quomodo ergo character si est idem realiter cum anima, potest esse qualitas? dicet quod est substantia realiter; sed formaliter qualitas. Contra, prædicamenta nedum formaliter, sed etiam realiter sunt impermixta, alias non esset propositio immediata in qua vnum prædicamentum negatur ab alio, vt dicendo nulla substantia est qualitas, quod est contra Aristot. I. post. tex. cap. 16.

Item character est supernaturalis forma, & accidentalis, quæ in anima fit per propriam actionem diuinam, ergo est noua forma realiter ab anima distincta.

Postremo, si character ab anima non re, sed formali ratione tantum distinguitur: quomodo proprie imprimitur? quomodo est aliquid per se sanctum, quod menti diuinitus communicetur, & quasi extrinsecus adueniat? Quomodo potest intelligi anima consignari, sine additione nouæ realitatis?

Dicendum est ergo, characterem esse rem distinctam realiter ab anima, & à potentijs eius, illique imprimi, non vt modum habentem realem entitatem cum anima, sed vt nouam formam omnino realiter distinctam, atque ita tandem Sotus in hanc descendit sententiam.

ARTICVLVS II.

Vtrum character sit entitas relatiua vel relatio.

Est titulus huius articuli disiunctiuus: quia relatiuum concretum, sicut & alia concreta accidentalia trifariam sumi potest, vno modo pro formali, vel pro per se significato; secundo pro connotato, pro materiali, vel pro substrato, tertio modo pro aggregato, vt simile, potest sumi vel pro qualitate, quæ est similitudinis fundamentum, quod importat, & connotat; vel pro ipsa similitudine, quam per se significat, vel pro aggregato ex similitudine & qualitate siue ex eo, quod denominatur simile, quod est similitudinis subiectum, & hoc est ens per accidens, quia compositum ex rebus diuersorum generum quod ab arte derelinquitur. Duobus ergo modis apud Philosophos potest relatiuum sumi, vt inquit Albertus in 4. d. 6 artic. 3. Vno modo secundum esse quod importat, id est pro connotato vel pro materiali, & est ipsum quod ad aliud est, & dicitur, vt pater. altero modo pro per se significato, & est accidens, quod absolute, & in abstractione significat, vt paternitas, & est quo relatiuum dicitur ad aliquid; Quæritur ergo in hoc art. an character sit relatiuum, vel sit ipsamet relatio. *Albertus.*

De qua re fuit opinio Alex. de Ales 4. p. q. 8 m. 8. art. 1. §. *Ale & Ales.*
1. & D. Thomæ, 3. p. q 63. art. 2. qui docent characterem esse formam absolutam, quos secuti sunt Richard. in 4. dist. 5. *D. Thomas.*
art. 1. q. 1. D. Bona. hac d. p 1 art. 1. q 1. & Aureolus d. 4. q. 1. *D. Bona.*
art. 1. Fundamenta huius opinionis sunt hæc. Ad solam formam absolutam est motus vel mutatio; sed character per mutationem acquiritur, ergo character est forma absoluta. Maior est Phil 5. Physic. tex. c. 10. & inde: & minor probatur: quia ad illud est mutatio personæ; quia habet suam propriam nouitatem, sine alicuius alterius nouitate, ergo ad characterem est mutatio: antecedens patet: quia character acquiritur in aliquo sine hoc, quod aliquid aliud acquiratur; sicut patet de ficto baptizato: in quo solum acquiritur character, non gratia neque fides. *Richardus. Aureolus.*

Pro intelligentia huius rationis obseru. est, quod motum esse ad aliquid vel mutationem nihil est aliud, quam ipsum per motum, vel mutationem acquiri; Vnde quando dicitur ad qualitatem est per se motus, idem est ac si dicatur, quod qualitas per motum acquiritur, atque ita in alijs.

Secundum fundamentum est, relatio non est fundamentum relationis: quia tunc esset processus in infinitum, sed character est fundamentum multarum relationum, ergo character non est relatio; Tunc vltra non est relatio, ergo est forma absoluta. minor probatur; quia in charactere fundatur significatio: quia character est signum rememoratiuũ sacramenti suscepti: Item in charactere fundatur similitudo; nam per characterem baptizatus est similis baptizato; Item in charactere fundatur obligatio ad Christum: Nam baptizatus est obligatus Christo, & talis obligatio est relatio; ergo in charactere fundantur multæ relationes: atque adeo character non est relatio.

Tertium fundamentum. Relatio non est potestas aliqua neque actiua neque passiua; sed character est potestas passiua vel actiua; ergo character non est relatio: maior patet; & minor probatur: quia character baptismi est potestas passiua, per quam homo fit capax aliorum sacramentorum; & character ordinis est potẽtia actiua ad multos actus sacros in ecclesia: potest etiam maior probari: quia relatio non est principium agẽdi, quia relationes sunt de genere [illegible]: nec etiam est relatio ratio recipiendi, ergo non est potentia passiua, neque actiua.

Quartum fundamentum. Si character esset relatio sequeretur, quod in quolibet sacramento imprimeretur character. consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentia probatur: quia in quolibet sacramento est relatio, quædam animæ suscipientis ad actiuitatem, vel passionem sacramenti.

Quintum fundamentum. Character est dispositio ad gratiam, sed gratia est forma absoluta, ergo & character. probatur sequela: quia dispositio videtur esse eiusdem generis cum forma ad quam disponit.

Sextum fundamentum. Character est principium assimilandi baptizatum Christo, vel alteri baptizato; sed similitudo est vnitas fundata in qualitate; ergo character est qualitas.

Albertus Magnus, loco supra citato oppositam sententiã aperte defendit. Nam ad aliquid (inquit) sunt, quorum hoc ipsum esse quod sunt ad aliud sunt, sed characteris sicut & signaculi, vel signi, hoc ipsum esse quod est, ad aliud est, ergo est in prædicamento relationis non qualitatis; quod ab omnibus, inquit, bene intelligentibus conceditur. Sed quia vt *Opin. Alber*

inquit

D. August. inquit, D. August. omne relatiuum est etiam aliquid aliud præter relationem, vt patet est substantia in qua est relatio, si ergo character est relatiuum, videtur etiam esse aliquid aliud præter relationẽ, in quo fundetur relatio. Atque adeo (inquit) character secundum esse quod importat, id est, de connotato, nõ dicitur ens de prædicamento relationis, quemadmodum paternitas. Est enim duplex relatiuum, scilicet ipsum, quod ad aliud est, & dicitur vt pater; & accidens, quod absolute & in abstractione significat, vt paternitas, & hoc dicit modum dispositionis, quo relatiuum dicitur ad aliud; ita character est etiam ad aliquid, & characterizatum.

Et si quæratur quodnam sit characteris fundamentum, dicit quod & si quidam dicunt, quod fundatur super potentias imaginis nudas ex ipsa susceptione baptismi; Probabilius tamen videtur, quod habeat a materia qualitatem subiectam in qua fundetur; & hanc, inquit, puto esse habitum quemdam luminis spiritualis, quod se habet admodum habilitantis ad fidem, & gratiam, per lucem & calorem spirituales, vt lux habilitet ad fidem, & calor ad mores.

Habitus est duplex. Explicãs autem, quidnam sit huiusmodi habitus in quo fundatur character; dicit quod duplex est habitus, scilicet perfectus & distinctus; imperfectus & indistinctus. Primus est sicut habitus determinatus ad hanc materiam, & ille diuiditur in sapientiam, & virtutem; & de isto verũ est, quod D. August. dicit August. quod habitus est, quo quis aliquid agit, cum tempus est. Imperfectus autem cõfusus & indistinctus, est præcedens illũ & habilitans ad illum. Et huius simile possumus videre in oculo, in quo in pupilla & humido crystallino est quoddam perspicuum cum luce sibi connaturali & inseparabili; & tamen non sufficit per se ad videndum distincte, nisi adueniat spiritus ex anima determinans ad colores: ita etiam intellectui est connaturale lumen confusum ad quod examinat audita, & accepta secundum Philos. & tamen illud non sufficit ad distincte intelligendum hoc, vel illud; ita possumus dicere, quod est quoddammodo lumen indistinctum inseparabiliter infusum baptizatis, in quo inest habilitatio quædam ad Trinitatem merendam, licet non sit sufficiens sine fide, & hoc lumen est in quo fundatur character, & est in genere gratiæ gratis datæ. Et hoc, inquit, attendunt, qui characterem posuerunt in specie habitus, & in genere qualitatis. Est ergo character forma relatiua, siue relatio secundum Albertum, quæ fundatur super habitum imperfectum & confusum admodum explicatum. & hanc sententiam, quantum ad hoc quod ponit characterem esse relationem, probabilem existimat Doct. sub.

Ideo ad fundamenta alterius sententiæ respondetur. Ad primum dicitur, quod maior est falsa, scilicet ista, ad solam formam absolutam est per se motus, vel mutatio. Vnde pro huius & aliorum argumentorum solutione obseruandum

Respectus est duplex. est primo. Quod duplex est respectus, quidam intrinsecus adueniens, & quidam extrinsecus; dicitur autem respectus intrinsecus adueniens ille, qui necessario sequitur ambo extrema posita in actu, id est, ille respectus dicitur intrinsecus adueniens, qui positis extremis nimirum fundamento, & termino statim ex natura rei innascitur: sicut positis duobus albis necessario consurgit similitudo in quacunque ponantur distantia: nõ enim potest respectus magis intime adhærere fundamento, quam quod necessario ponatur posito termino: non potest autem respectus adesse fundamento, termino circumscripto: quia tunc non esset respectus, sed forma absoluta: similitudo enim non potest adueniere albo, nisi sit aliud album; nec Deus hoc posset facere: quia est de natura & essentia respectus, quod habeat fundamentum, & terminum. Ille vero dicitur respectus extrinsecus adueniens: qui non necessario consequitur ambo extrema posita in actu, sed requiritur adhuc aliquid aliud; vt positis actiuo, & passiuo, non necessario sequitur actio: quia potest impediri vel per distantiam extremorum, vel aliquo quouis modo; quemadmodum positis combustibili, & combustiuo suspensa fuit actio in fornace trium puerorum Babylonem.

Relatio et respectus differunt. Secundo obseruandum est, quod relatio & respectus differunt inter se secundum magis, & minus commune: nam omnis relatio est respectus, non tamen omnis respectus est relatio: quare relatio proprium prædicamentum obtinet. s. ad aliquid, respectus autem plura sub se continet prædicamenta: nam respectus transcendentales collocantur in illis prædicamentis reductiue, in quibus sunt illa, quorum sunt respectus; & sex vltima prædicamenta, quæ sunt respectus; nec tamen sunt vnum prædicamentum.

Tertio obseruandum est, quod respectus extrinsecus aduenientes non sunt de prædicamento relationis: quoniam respectus, qui ponuntur in prædicamento ad aliquid sunt omnes intrinsecus aduenientes.

His obseruatis, patet falsitas maioris: Nam ad illud est per se motus vel mutatio, quod potest habere propriam nouitatem; sed aliquis respectus potest acquiri nullo absoluto acquisito; ergo ad illum respectum potest esse per se motus, vel mutatio. Maior patet: & minor probatur: quia respectus extrinsecus adueniens non ponitur necessario positis extremis, ergo potest acquiri, esto quod fundamentum, vel terminus non acquiratur, atque adeo potest habere propriam nouitatem, & per consequens acquiri per mutationem; non enim acquiritur vel aduenit fundamento per mutationem alterius ad ipsum, sicut similitudo aduenit huic albo, quia aliquid aliud mutatum est ad albedinem, sed potest ei aduenire nullo absoluto: prius acquisito in fundamento, vel termino.

Quod probatur. Quia agens naturale non potest agere de nouo, nisi aliquid ponatur nouum, vel in ipso agente, vel in passo, vel habitudo noua eorum, id est, agentis ad passum: sed nec primum nec secundum requiritur, ergo tertium, scilicet, quod sit habitudo noua agentis ad passum; cum ergo illa habitudo sit noua, acquiri potest per motum, vel mutationem: patet enim illa est noua; ergo non est mutatio ad solam formã absolutam. Minor probatur: Nam ad hoc quod ignis, vel sit calefaciat, agat in lignum, non requiritur quod ignis acquirat aliquam formam absolutam de nouo, nec etiam requiritur, quod lignum seu passum recipiat aliquam formam absolutam: maxime si sit proprie dispositũ; ergo ad hoc quod actio noua sequatur, requiritur, quod habitudo prius præcedat; ergo est noua habitudo ignis ad lignum absque omni nouitate formæ absolutæ.

Hoc etiam patet per experientiam: quia actiuo eodem modo se habente & passiuo eodem modo disposito, si fuerit aliquod impedimentum interpositum inter agẽs & passum; non aget istud agens in passum: amoto autem impedimento vel obstaculo aget; atqui per ammotionem impedimenti nihil acquiritur nisi habitudo agentis ad passum, ergo talis habitudo potest acquiri de nouo. & per consequens est ibi noua habitudo agentis ad passum sine noua forma absoluta, atq; adeo ad respectum extrinsecus aduenientem potest esse motus, vel mutatio.

Arist. Et confirmatur per Philos. 5. Phys. tex. c. 10. & inde, vbi quamuis neget esse motum in ad aliquid, i. ad relationem siue ad respectum intrinsecus aduenientem; non negat tamen esse motum, vel mutationem ad respectum extrinsecus aduenientem; imò concedit: nam concedit ad vbi esse motum proprie, & tamen vbi non est, nisi quidam respectus corporis circumscriptientis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens. Patet ergo falsitas maioris propositionis primi fundamenti.

Ad secundum dico, etiam maiorem esse falsam: Nam relatio potest esse relationis fundamentum; quod nedum verum est de relatione reali; sed etiam de relatione rationis: patet, quia proportio est relatio, & tamen super portionem fundatur alia relatio; nempe similitudo, vel proportionalitas, vt patet per Euclidem 2. Geomet. in principio. Quod declaratur exemplo, quia sex ad tria est proportio dupla, & octo ad quatuor est etiam proportio dupla. ergo illæ duæ proportiones sunt similes, quæ similitudo, quæ est inter istas duas proportiones appellatur proportionalitas, quæ fundatur in proportione, ergo relatio in relatione fundatur.

Arist. Et si dicatur. Similitudo non potest fundari in proportionibus: quia similitudo fundatur super vnum in qualitate, vt docet Aristot. 5. Meta. tex. cap. 20. Et in prædicamento qualitatis inquit, quod proprium est qualitatis, secundum eam simile, & dissimile dici; Proportio autem non est qualitas, ergo non potest esse fundamentum similitudinis.

Respondetur prænotando, quod quid, quantum, & quale possunt bifariam accipi; vno modo proprie & precise. altero modo communiter, & late; Priori modo quid reperitur in genere substantiæ, quantum in genere quantitatis, & quale in genere qualitatis; at posteriori modo reperiuntur

in

Digitized by Google

in omni genere: Nam omne genus habet suum quid, id est, suam quidditatem & essentiam; omne etiam est quantum, & habet quantitatem virtutis, atque ita omne ens est quale qualitate essentiali: nam omnis forma habet modum qualitatis. Ex quo sequitur quod idem, & diuersum, fundatur proprie in prædicamento substantiæ, æquale, & inæquale in prædicamento quantitatis; simile, & dissimile in prædicamento qualitatis. verum communiter, & fuse; idem & diuersum, æquale & inæquale, simile, & dissimile in omni genere fundari possunt. dicit ergo Scot. sub litt. b. c. d. vbi respondet ad hæc fundamenta: quod & si vno modo, id est, proprie & presse, quid appropriatur generi substantiæ, & eodem modo idem & diuersum, prout fundatur super quid pertinens ad genus substantiæ, & ita æquale in vnitate quantitatis, & simile in vnitate qualitatis presse acceptæ; tamen alio modo, scilicet, fuse & communiter in omni genere reperitur quid, quantum, & quale, atque adeo in omni genere inuenitur idem, & quale, & simile; & hoc modo habentia relationes eiusdem speciei, possunt dici similia secũdum vnitatem specificam vnius relationis; sicut habentia vnam formam substantialem secundum speciem possunt dici similia secundum substantiam, & sic patet quomodo similitudo fundari potest in vnitate specifica relationis.

ignum est uplex. *D. August.* Et ad id, quod adducitur de secunda relatione, quæ fundatur in charactere, scilicet de relatione signi. Dicit Scotus, quod duplex est signum, quoddam est signum sensibile, & de isto inquit D. August. in lib. de Doctrina Christiana, quod præter notitiam, quam ingerit sensibus facit venire in cognitionem alterius, sicut ex posteriori in prius. Aliud est signum fuse acceptum, ex cuius notitia possumus in notitiã alterius deuenire, sicut ex posteriori in prius: atque ita dicitur, quod character hoc secundo modo est signum: imò forte quælibet res mundi potest dici signum illo modo: quia ex notitia cuiuscumque rei possumus venire in notitiam alterius rei; similiter ex notitia characteris possumus venire in notitiã recepti sacramenti; ergo est signum. Vnde si quis perfecte cognosceret paternitatẽ, etiam cognosceret, quod actus generatiuus præfuit in patre, atque ita paternitas posset dici signum, accipiendo signum isto modo; pari modo character, quia ducit in notitiam baptismi suscepti, potest dici signum. Ex quo sequitur, quod character si ponatur respectus, erit adhuc vere signum, & poterit fundare relationem rationis: Nam ista relatio signi non est, nisi relatio rationis, loquendo de signo instituto ad placitum, cuiusmodi est character respectu suscepti sacramenti: Et cum vltra dicebatur character est fundamentum configurationis, siue obligationis; ergo est forma absoluta. Dicit Scotus, quod hoc non cogit. Quia ad hoc, quod aliquid sit fundamentum obligationis, non oportet quod sit aliquid absolutum, vel aliqua forma de nouo adueniens: Nam Religiosus ex solo voto potest se obligare, esto quod nulla forma absoluta de nouo sibi adueniat, vt patet etiam de homine faciente homagium, qui obligat se seruare fidelitatem superiori, & tamen nulla forma absoluta de nouo, sibi aduenit; nec forte aliqua relatio nisi rationis; & ita abundanter potest saluari ratio obligationis, si poneretur character relatio realis; sicut Franciscus per filiationem, quam habet obligatur ad dilectionem naturalem patris; & talis obligatio fundaretur super filiationem, si possibile esset filiationem esse solam.

Ad illam probationem, quod tunc esset processus in infinitum in relationibus, dicit Doct. quod in relationibus realibus non est processus in infinitum: quia deueniendum est ad vnam, quæ nullo modo potest esse fundamentum alterius: sicut in alijs accidentibus deueniendum est ad vnum, quod non est subiectum aliorum: & ideo non sequitur, si accidens potest esse in accidente, quod in accidentibus sit processus in infinitũ. In relationibus vero rationis, & in secundis intentionibus esse processum in infinitum non inconuenit: quia illæ causantur per solum actum intellectus; & cum in actibus intellectus possit esse processus in infinitum, etiam in secundis intentionibus, & in entibus rationis potest esse processus in infinitum: atque adeo quælibet relatio siue realis, siue rationis, potest vlterius fundare aliam relationem rationis.

...tas est ...ex. Ad tertium fundamentum respondet Scotus prænotando, quod potestas dupliciter sumi potest. Vno modo pro illo quod est principium producendi, vel eliciendi aliquem actum, & pro illo, quod est ratio receptiua alicuius; Altero modo sumitur potestas, pro potestate ministrandi, quæ non est nisi facultas per quam aliquis fit conueniens minister alicuius principalis agentis, & sine illa potestate non esset conueniens Minister principalis agentis; ita quod potentia æquiuoce sumitur, nimirum, vel pro potentia naturali, quatenus est principium agendi, vel patiendi; vel pro potentia morali, quæ non est qualitas actiua, nec principium actionis. Dicimus enim, quod Papæ, vel Regi collata est magna potestas; sed certum est quod nõ datur alicui per hoc, quod eligitur in Papam, vel Regem, qualitas aliqua, quæ sit fundamentum ipsius potestatis. Vnde & Iudices, & Rectores dicuntur potestates, nõ quia detur eis qualitas quæ sit principium operationum; sed pro tãto dicuntur potestates; quia constituuntur in quodam gradu, à quo imperatiue sequuntur operationes aliquæ; ab alio vero executiue, loquendo de potentia primo modo, nulla relatio dicitur isto modo potestas; neque character dicitur potestas isto modo; sed hoc modo intellectus, & voluntas dicuntur potestates. Sed loquendo de potestate secundo modo, bene relatio potest appellari potestas: Nam sacerdos habet ab Episcopo potestatem audiendi confessionem, vel absoluendi; similiter habens characterem baptismi est in potentia ad recipiendum alia sacramenta: sed huiusmodi potestas non est virtus, seu qualitas aliqua productiua alicuius actus: Nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest: in quem non possit nõ baptizatus, & hoc loquendo siue de actu, in quem potest actiue; siue de actu, quem quodammodo potest ab alio recipere: ita enim posset non baptizatus inungi chrismate, sicut baptizatus, & ita posset absoluere sicut baptizatus, licet illos actus haud licite exerceret, sine potestate ministeriali, per quam aliquis fit conueniens minister alicuius agentis principalis: quæ potestas non oportet esse formam realem absolutam.

Nam etiam secundum D. Thomam esse Episcopum non dicit aliquem ordinem supra sacerdotium, & tamẽ Episcopus est idoneus ad exercendum aliquem actum, quem sacerdos nõ potest exercere, ergo aliquam potestatem habet, quam non habet sacerdos, & tamen nulla forma absoluta in eo acquiritur dum fit Episcopus; ergo illa potestas non est forma absoluta. Item aliquis Iudex habet potestatem sententiandi, quam heri non habebat, quia illam accipit hodie, & tamen nullam formam absolutam acquirit; igitur & si non acquiratur forma absoluta, potest quis habere potestatem ministerialẽ: quia sufficit quod talis potestas sit relatio realis, vel rationis. Nam per illam relationem rationis, qua à Principe instituitur Iudex, voluntas Principis latam à Iudice sententiam ratificat, & vult eam obseruari; non autem ratificat sententiam alterius non constituti Iudicis ab eo, nec vult illam obseruari; atq; ita Iudex per habitudinem illã ad volũtatem Principis, habet potestatem ministerialem respectu Principis, vt principalis agentis ad aliquem actum rite exequendum ministerialiter, quem sine tali relatione non posset rite exequi; & multo magis posset relatio realis (si inesset) poni potestas eiusmodi conuenienter exequendi ministerialiter aliquem actum. Nam notum est, quod filius quatenus filius habet aliquam potestatem in domo patris: quã non habet alius non filius; sed hæc potestas non est nisi filiatio, quæ est respectus. Similiter nepos habet aliquam authoritatem exequẽdi aliquem actum licet inferiorem, quẽ non potest non nepos, & potestas hoc, vel illo modo præcipiendi, vel imperandi, non est nisi agnatio, quæ est respectus.

Ex his omnibus apparet, quid dicendum sit de potestate confirmandi, ordinandi, consecrandi, &c. Nam huiusmodi potestates, si sint actiuæ, non sunt nisi ad rite ministrandum in tali actu sub tali Domino, vt ipse Dominus ad actum ministerialẽ huiusmodi assistat operando principaliter, eo modo, quo non assisteret simili ministerio ab alio exhibito, qui huiusmodi potestatẽ moralem non haberet, atq; adeo huiusmodi potestates, non sunt nisi respectus rõnis: quia sunt causatæ per actũ voluntatis alicuius superioris volentis illũ hominem talem actum posse exercere, v.g. Franciscus promouetur ad sacros ordines, & Episcopus dat illi potestatẽ legendi Epistolam, vel cantandi Euangeliũ, vel consecrandi corpus Christi, aut absoluendi. In collatione aũt huiusmodi potestatis non dat illi aliquam formã absolutam, sed respectum rõnis: quia vult, quod ipse possit exercere talẽ actum, quẽ prius licite exercere non poterat. Idem patet de aliquo

Domino,

Digitized by Google

Domino, qui motaretur Bononiæ, & Summus Pontifex esset Romæ. Si Papa diceret, volo, quod talis possit exercere talem actum v.g. actum iudicandi, vel gubernãdi illam Ciuitatem; talis Dominus non acquireret formam aliquã absolutam, sed solum respectum, quo mediante efficitur idoneus ad aliquid operandum, sine quo prius non erat idoneus.

Character etiam baptismalis, si ponatur potestas passiua, non ponitur passiua, nec vt receptiua, nec vt ratio recipiendi: Nihil enim absolute põt recipere anima baptizati; quod non possit recipere anima nõ baptizati; sed est potestas quedam relatiua de congruo ordinata à principali agente disponente agere in passum habens talem formam, & non in aliud passum consimili forma carens; Talis autem forma relatiua de congruo respectu alicuius agentis principalis volũtarie potest esse sola relatio. Sicut aliquis disponit agere aliquid in aliquem: quia filius, vel quia consanguineus, nolens aliquid simile causare in non habente talem relationem. Patet ergo inanitas tertij fundamenti nam vel æquiuocat de potestate, & argumẽtum est in quatuor terminis, vel habet alteram propositionem falsam, scilicet minorem, vel maiorem.

Quartum fundamentum, inquit Scotus destruit primũ: Nam in primo fundamento dicitur, quod non est motus, nec mutatio ad relationem; in quarto autem, quod acquiritur relatio in quolibet sacramento; vel ergo talis relatio acquiritur cum forma absoluta, vel sine forma absoluta; si detur secundum; ergo sine aliquo alio, atque adeo relatio erit per se primo terminus mutationis, quod est cõtra primum fundamentum; si cum forma absoluta, vel ergo illa forma est character, vel ornatus; non primum: quia non imprimitur character in omnibus sacramẽtis; si secundum, sequitur, quod ille ornatus est indelebilis: quia non poterit habere causam demeritoriam; & tunc videtur fictio, quare nõ possit dici character, cum sit forma supernaturalis prior ipso effectu principali sacramento & forma indelebilis; quare etiam ille ornatus, non poterit habere effectum suum cessante fictione in alijs sacramentis, sicut ponitur character in sacramentis imprimentibus characterem?

Patet ergo, quod ratio ista D. Thomæ nihil probat: vel tantum quod character non est quæcumque relatio ad actionem, vel passionem sacramenti: sicut si esset forma absoluta, non esset quæcumque forma absoluta: quia in alijs sacramentis secundum istos imprimitur aliqua forma absoluta, sed non character; & propter hoc potest dici, quod nõ in quolibet sacramento imprimitur aliqua relatio manens post actum; character autem si est relatio manet post actũ suscepti baptismi, imò semper.

Ad quintum dicit Scotus, in hac q. sub litt. q. ꝙ duplex est dispositio ad formam, quædam naturalis, quædam supernaturalis; dispositio naturalis, quę respicit agens naturale, debet esse eiusdem generis cum forma ad quam disponit, loquendo de genere absoluto, sed non de genere simpliciter: quia caliditas disponit ad formam substantialem, & tamen non est in eodem genere, sed bene in genere entis absoluti; dispositio aũt supernaturalis non est necesse, quod sit eiusdem naturæ, & generis remoti cum forma ad quã disponit: quia non est inconueniens aliquam relationem disponere ad formam absolutã, loquendo de dispositione respectu agentis supernaturalis, & quę non sit ratio receptiui, sed per quã habens illã, est conuenienter natum pati à tali agente: quia & isto modo potest relatio esse dispositio respectu cuiuscũque agentis voluntarij. Sicut aliquis habet filium pro conuenienti obiecto, siue passo respectu alicuius actionis, respectu cuius alium non habet pro tali obiecto, vel passo sine tali relatione filiationis, licet ille alius sit suo filio in omnibus absolutis æqualis, vt explicauimus supra.

Ad sextum de similitudine, iam dictum est, quod in quolibet genere potest inueniri similitudo, æqualitas & identitas. Ideo dico, quòd similitudo non fundatur præcise super qualitatem, vt est genus distinctum; sed vt ratio eius generaliter inuenitur in omnibus formis: hoc enim modo mentaliter crucifixus potest dici, similis Christo corporaliter crucifixo.

Non obstantibus ergo istis rationibus, quæ (vt visum est) non cogunt, potest dici characterem esse tantummodo quẽdam respectum extrinsecus aduenientem ipsi animæ, causatum a Deo immediate in susceptione sacramenti inseta-bilis: quia sic ponendo saltem omnes conditiones saluantur, quæ communiter attribuuntur characteri.

ARTICVLVS III.

Vtrum si character esset relatio, immediatum eius fundamentum esset anima.

De hac re triplex est opinio, prima est Alberti, qui vt vidimus in superiori art. existimat fundamentum characteris esse habitum quemdam luminis spiritualis, quod se habet ad modum habilitantis ad fidem, & gratiã, in quo lucet assimilatio quædam ad Trinitatem increatam. Qui quidem habitus à Deo inseparabiliter baptizatis infunditur. Albert.

Secunda opinio fuit aliquorum, qui censuerunt actum ipsum, quo baptismus suscipitur, vt transit in pręteritum esse proximum fundamentum characteris, vel proximam rationem fundandi istam relationem.

Sed contra hanc opinionem arguit Scotus tribus rationibus, & prima est talis. Ratio fundandi aliquem respectum, & ipse respectus debent esse in eodem subiecto; sed talis ablutio, & ille respectus; id est, susceptio sacramenti, & character, non sunt in eodem subiecto; quia ablutio est in corpore, & character est in anima, ergo iste actus, vt trãsit in pręteritum, non potest esse fundamẽtum characteris. Pręterea. Non ens non potest esse fundamentum entis realis; vel non potest esse ratio fundandi al. quam relationem realem: quia nec etiam potest esse terminus. Sed ille actus, vt transit in præteritum; id est, vt iam præterijt non est ens, ergo non potest esse fundamentum alicuius entis realis, scilicet characteris. Et confirmatur; ex hoc enim contradictio ponitur relatio rationis, quia habet pro fundamento vel termino negationem, siue non ens.

Tertio arguitur. Si talis respectus fundaretur in tali actu susceptionis sacramẽti, quatenus pręterijt sequeretur, quod talis respectus esset omnino indelebilis etiam per absolutã Dei potentiam; consequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis patet: quia nulla est relatio realis alia. id est, realiter distincta à suo fundamento, quam non possit Deus de potentia absoluta delere à suo fundamento, sicut poterius à priori; consequentia probatur; quia ille respectus est simpliciter inuariabilis, cuius fundamentum, & terminus sunt simpliciter inuariabiles. sed si talis respectus fundaretur in tali actu, vt præterijt, fundamentum, & terminus eius essent simpliciter inuariabiles, ergo respectus ille esset simpliciter inuariabilis. probatur minor: quia fundamentũ istius respectus per te est actus susceptionis sacramenti: quatenus præterijt: actus autem pręteritus vt præteritus est simpliciter necessarius, in tantum quod de potentia absoluta diuina non potest esse non præteritus: terminus vero characteris est Deus, qui est simpliciter æternus, & immutabilis; ergo & ille respectus est simpliciter inuariabilis.

Et si dicas, quod Arist. 5. Meta. tex. c. 20. dicit, quod pater quis dicitur, eo quod genuit, ergo paternitas videtur fundari super genuisse. Respondet Scotus in hac q. sub litt. g. h. & i. vbi tractat hanc difficultatẽ, quod nunquam fuit mens Philos. quod paternitas fundetur super genuisse; sed bene voluit dicere, quod paternitas acquiritur mediãte illo actu, scilicet genuisse, adeo ꝙ actus ille scilicet genuisse, potuit esse causa in fieri ipsius relationis; & quidem quando fuit causa tunc relatio infiebat, sed non est causa in esse: quia non manet manente relatione. Fundamentum autem non tantum est causa relationis in fieri, sed etiam in esse: quia relatio non potest esse sine fundamento, & termino. Et si quæratur quid sit fundamentũ paternitatis, dicit Doctor, quod fundamentum proximum est ipsa potentia generatiua.

Et si dicas, potentia non est nisi respectus, ergo si paternitas fundatur in potentia, fundabitur in respectu. Dicitur, quod potentia bifariam sumitur; vno modo pro per se significato, & sic non dicit nisi ordinem ipsius agentis ad actum; atque ita bene concedo, quod potentia non est nisi respectus, sed hoc modo non sumitur potentia generatiua in proposito; Alio modo accipitur potentia, pro absoluto; pro significato materiali, vel pro substrato, & sic est quid absolutum, in quo absoluto fundatur paternitas.

Tertia opinio est Scoti in hac quæst. qui censet, (si character ponatur relatio realis) eius fundamentum proxi- Opin. Sco.

mum

Digitized by Google

mum esse ipsam nudam animam, siue essentiam, siue potentiam, vt dicetur in sequenti quæstione; quia respectus extrinsecus adueniens potest fundari super fundamentum, ex cuius principijs nullatenus egreditur; nec fundamētum eius proximum oportet determinari ad illum aliquo modo ex ratione sua propria: quia tunc non esset respectus extrinsecus adueniens, sed præcise determinatur ad illum ab ipso agente.

ARTICVLVS IV.

Vtrum character baptismi si esset relatio, se ipso à charactere Confirmationis & Ordinis distingueretur.

Dvobus modis potest intelligi aliquid ab alio se ipso distingui: Vno modo, quia per nullum extrinsecum ab illo distinguitur: altero modo dicitur aliquid ab alio se ipso distingui, quia per aliquid sibi intrinsecum ab illo distinguitur. Quemadmodum Socrates & Plato dicuntur se ipsis distingui, quia per nullum extrinsecum distinguuntur, sed per aliquid ipsis intrinsecum, nimirum per proprias differentias indiuiduales. Ita in proposito, si character poneretur forma absoluta, dicerentur characteres distingui se ipsis formaliter: id est, per nullum eis extrinsecum, sed per eorum formales differentias. Quæritur ergo, an si ponatur character forma relatiua, characteres se ipsis formaliter distinguerentur, vel tantum extrinsece.

Conclusio. Huic difficultati duabus conclusionibus fit satis. Prima conclusio, licet characteres ab extrinseco secundum sacramentorum differentiam possent distingui; ab intrinseco tamen, & formaliter se ipsis, hoc est, per suas rationes intrinsecas & formales distinguuntur: prima pars probatur: nam regeneratus per baptismum recipit characterem, tanquam potentiam ad actus vitales vitæ spiritualis, cui auxilio suo assistit Deus, hincque baptismus vocatur ianua sacramentorum; & ex consequenti eius character erit dispositio ad recipiendum alia sacramenta; sic character confirmationis, est dispositio vt auxilio suo speciali assistat Deus confirmato ad confessionem fidei: quia ex tali charactere habetur peculiaris ratio, quare sic assistat Deus. Ita character ordinis est dispositio, vt Deus suo auxilio speciali cōcurrat cum ordinatis ad ministrandum idoneè sacramenta; & in hunc sensum potest interpretari Scotus, quando in præcedenti, quæst. 9. vocat characterem dispositionem ad gratiam videlicet sacramentalem: Nam in sequenti, quæst. 81. sub litt. B. dicit. Character si ponatur in esse conuenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem. Gratia autem sacramentalis ratione differt à gratia gratum faciente, addens super illam auxilium peculiare Dei ad proprios effectus sacramentorum; Character igitur potest poni dispositio, vt Deus assistat cum habente characterem ad illos effectus, atque ita per istos diuersos characterum effectus possunt characteres extrinsece à posteriori distingui, licet extrinsece, & à priori distinguantur per sacramenta characterem imprimentia.

Vnde characteres multiplicantur, & distinguuntur extrinsece & à priori secundum numerum, & distinctionem sacramentorum characterem imprimentium. Sunt autem tria sacramenta in genere, quæ imprimunt characterem, vt dictum est, scilicet baptismus, confirmatio, & ordo; ordo autem non est vnus, sed sextuplex specie, vt dicetur infra; & secundum hoc sunt tres characteres in genere, scilicet baptismalis, confirmationis, & ordinis; sed character ordinis est totuplex, quotuplex est ordo.

Secunda pars conclusionis probatur: quia omnes isti characteres specie distinguuntur, ergo intrinsece & per proprias differentias formales distinguuntur: nam distinctio specifica est distinctio formalis, quæ propriè non solum est distinctio in forma, sed formarum. Probatur antecedens: quia plus differunt character baptismalis, & character confirmationis, quam duo characteres baptismales duobus baptizatis impressi; sed duo baptismales differunt numero; ergo duo, baptismalis, & confirmationis, differunt specie. Præterea characteres eiusdem rationis non distinguunt inter suscipientes diuersa sacramenta; sicut character baptismalis non distinguit à non confirmato, aut non ordinato, sed dumtaxat à non baptizato, si ergo character confirmationis esset eiusdem rationis, cum charactere baptismali etiam ipse non distingueret à non confirmato, quod non est dicendum.

Secunda conclusio. Tantum sunt tres characteres. Hæc conclusio potest dupliciter declarari, primo iuxta doctrinā, Alex. de Ales. p. 4. q. 8. m. 8. art. 1. §. 7. Est enim character signum perfectiuum, & perpetuum quod est in fidelibus, & etiam gerit imaginem redemptoris. Redemptor autē fuit Deus & homo. Vnde potest accipi differentia characterum tum ex parte Redemptoris in quantum homo, tum ex parte sacramentorum recipientium statum fidei determinatū. Conclusio. Ale. à Ales.

Ex parte Dei possumus tria considerare, scilicet summam sapientiam summam bonitatem, & summam potentiam. penes repręsentationem summæ sapientię est character baptismi; quæ est sapientiæ ad credendum. Penes repræsentationem summæ bonitatis, sumitur character confirmationis, qui est character sanctificationis ad militandum Deo; sed penes repręsentationem summæ potentiæ, sumitur character ordinis, qui est character potestatis ad ministrādum.

Ex parte Redemptoris, secundum quod homo, in hunc modū sumitur differentia. Nam characteres isti sunt signacula Christianorū. Christiani vero in scriptura sæpe dicuntur discipuli, vt Act. 6. Crescente numero discipulorum &c. Vnde quoddam est signaculum à Christo patre in quātum huiusmodi super filios, & hic est character fidei baptismalis. Aliud factum est signaculum in milite à Christo Rege in quantum huiusmodi, & hic est character cōfirmationis. Aliud est signaculum factū à Christo Sacerdote, ipse enim est Pontifex ad Hebr. 9. & hic est character ordinis. Et quia in summa Trinitate non est considerare nisi tria prædicta, (tria dico non secundum rem, sed secundum formalem rationem intelligendi) & similiter Christum Redemptorem non consideramus nisi sub istis prædictis tribus rationibus, scilicet Patris, Regis, & Sacerdotis, ideo non est nisi triplex character: qui scilicet, gerit imaginem Redemptoris, Dei, & hominis.

Ex parte sacramentorum respicientium statum fidei hoc pacto sumitur differentia. Tres enim sunt status fidei, scilicet genitæ, roboratæ, & iam multiplicatæ; & secundum hoc attenditur triplex distinctio in populo, scilicet, bonorum à malis, fortium ab infirmis, Clericorum à laicis, & hæc triplex distinctio præcessit in figura in populo Israel. Prima cum omnes sunt distincti ab Ægyptijs ad veniendum in terram promissionis; secunda cum fortes ab infirmis ad pugnandum in bellis; tertia cum Leuitæ ab alio populo ad ministrandum in templo. Quia ergo tria sunt sacramenta, quę respiciunt statum fidei determinatum, baptismus primum: quia ibi fides gignitur, & homo ab Ægyptijs separatur. Confirmatio secundum: quia ibi fides roboratur, & pugil inungitur homo ad prœliandum, & ab infirmis discernitur. Ordo tertium: quia ibi virtus multimoda datur, & homo vt sanctus ad ministerium templi à laicis separatur. Ideo ista tria tantum imprimunt characterem. Et quia distinctio populi à non populo præcedit alias distinctiones, ideo baptismalis character præcedit alios de necessitate; sed distinctio fortium ab infirmis præcedit distinctionem aliam solum de congruo, nō de necessitate; & ex hoc patet ordo characterum, patet & numerus: quia tres sunt secundum tres status, & tres distinctiones, & tria sacramenta.

Secundo principaliter declaratur conclusio ab Scoto in hac q. sub litt. A. §. Sed si quæras. Et ratio est: quia solum tria sacramenta hominem constituunt in certo gradu in ecclesia Dei. Nam primus gradus in ecclesia & quidem vniuersalissimus est recipi in familiam Christi, quod fit in baptismo Secundus gradus specialis est adscriptio in militiam ad defensionem fidei Christianæ, quod in confirmatione pręstatur. Tertius vero gradus constituit in Patrem, & Pastorem, ad recipiendum, & introducendum alios in ecclesiam, & ad dirigendum & instruendū alios in doctrina ecclesiæ, quod præstatur in sacramento ordinis. Scotus.

Pro huius explicatione adducit Scotus analogiā desumptam ex politia humana. Nullus enim (inquit) habet determinatum gradum in familia Regis; quia comedit, vel bibit; vel quia post offensam Dominus reconciliatur illi; neque quia multiplicat personas in tali politia: isti enim actus cōmunes esse possunt omnibus cuiuscumq; gradus. Alium tamen gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam Regis; alium quando proficit vlterius, & constituitur miles ad Reipub. defensionem; & denique alium gradum habet,

quando

Digitized by Google

quando constituitur Regis Vicarius, ad constituendus alios in gradibus determinatis in Regis familia. Ideoq. si nomen esset impositum, quod munus aliquod, siue gradum aliquẽ significaret in familia Regis, siue in Politia; non diceretur aliquis talem gradum, dignitatem, seu munus habere in tali familia, quia ad mensam accederet, vel quia esse coniugatus, vel quia redierit in gratiam Regis post offensam; sed ille diceretur gradum aliquem, seu dignitatem habere in familia Regis, qui de populo esset assumptus in eius familiam; & gradum superiorem diceretur habere; qui in familia illa constitueretur ad defensionem Regis, vel eius familiæ. Ille vero gradum supremum habere diceretur, qui constitueretur Prępositus, vel Senescalcus generalis, siue Baliuus, ad recipiendum alios in familiæ consortium, inferioresq; familię instituẽdos. Sicut in domo Dauid fuit triplex distinctio. prima dumus eius ab infidelibus. Secunda: quia erãt ibi specialiter pugnatores. Tertia: quia Leuitæ, & sacerdotes, & Scribæ ab alijs etiam distincti erant, & etiam Duces, & Principes habebant.

Ita in proposito in Christiana Politia, quatuor sacramenta, s. Eucharistia ad nutritionẽ spiritualem, Matrimoniũ ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationẽ animalem, & Vnctio extrema ad præparationem, seu dispositionem finalem respectu alterius vitæ; nõ constituunt hominem in aliquo certu gradu in Ecclesia; imò possunt esse cõmunes cuilibet ecclesiæ membro cuiuscumq; sit gradus. In Baptismo autem, confirmatione, & ordine acquiritur certus gradus suscipientibus talia sacramenta in ecclesia Dei, vt dictum est supra: Ideoq. tantum in illis tribus sacramentis imprimitur character.

Et sicut in Politia mundana non congruit illos tres gradus, vel dignitates iterari, videlicet receptionem in familiã, promotionem ad militiam, & prælationem ad doctrinam; iterari tamen possunt nutritio, procreatio, & reconciliatio; Ita in proposito Baptismus, Confirmatio, & Ordo per quæ sacramenta constituitur homo in ecclesia Dei in aliquo certo gradu; non decuit iterabilia esse; alia vero sacramenta iterantur; gradus vero seu dignitas initerabilis, quæ acquiritur in sacramentis, quę non iterantur, vocatur character; ille autem gradus siue character non acquiritur in sacramentis alijs, quæ iterationem admittunt.

ARTICVLVS V.

Vtrum Character sit forma absoluta.

Ratio dubitandi est: quia Concilia, & Patres characterẽ signum appellant. Nam Concilia Florent. & Trident. decernunt characterem esse quoddam signum spirituale; Theologi etiam ex DD. Dionysio, & Damasc. definientes characterem dicunt, quod character est signum communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum a Hierarcha. Sed signum pertinet ad genus relationis, ergo character est relatio & non forma absoluta; & confirmatur: quia genus definiti est de eius quidditate, ergo signum est de quidditate characteris, sed signum est respectus siue relatio, ergo respectus & de characteris quidditate. Tunc vltra nullus respectus est de quidditate absoluti: quia tunc eadem quidditas esset ad se, & nõ esset ad se; esset ad se: quia absoluta, non esset ad se quia essentialiter includeret respectum, & per consequens esset ad aliud. Et si dicatur, quod signum non ponitur in definitione characteris vt genus, sed secundum vt teneat locum generis. Contra si in definitione characteris ponitur signum loco generis tantum; non aliter poneretur signum in definitione characteris, quam subiectum in definitione accidentis: nimirum vt subiectum; sed hoc est falsum: quia relatio nõ potest esse subiectum formæ absolutæ.

Præterea sicut non est ponenda pluralitas sine necessitate; ita quando aliquid ponitur pręcise propter aliud, non est illud ponendũ perfectius, quam requiratur ad illud aliud, vel quam possit ex illo alio concludi: Nam illa perfectio vlterior, q̃ poneretur, frustra poneretur: sed pp illa oĩa pp quę ponitur character, nõ est necesse, qđ sit forma absoluta, ergo frustra ponitur character esse formã absolutam: Minor probatur, nã character ponitur pp effectus, quos in superiori quęst. enumerauimus, sed oẽs illi effectus saluari sufficiẽter possunt, etsi character sit forma aliqua relatiua, vt ostendimus sup. art. 2. soluendo rõnes quib. probabatur characterẽ esse formã absolutã; ergo frustra ponitur character forma absoluta. hęc duo arg. sunt Scoti in hac q. sub lit. a. §. cõtra istud.

Item secundum Philo. 2. Ethic. c. 5. tria sunt in anima, s. potentia, passio, & habitus; sed character nõ est potentia: quia non est naturaliter in ipsa anima; nec est passio; quia est forma permanens; nec habitus; quia habitus est secundum quẽ habens illum potest bene, vel male operari; sed character non est principium alicuius operationis bonæ, vel malæ; ergo non est habitus. Minor probatur, non est principium bonæ operationis: quia character potest stare cum peccato mortali; nec malę, quia est donũ Dei, & effectus sacramenti; ergo si illa diuisio Philo. sufficienter euacuat formam absolutam in anima; non erit character forma absoluta.

Præterea, si esset forma absoluta, vel esset substantia, vel quantitas, vel qualitas. Non est substantia; quia aduenit animæ post suum esse completum; non quantitas, quia character est forma spiritualis, & incorporea; Nec etiã qualitas, quia nõ potest collocari in aliqua specie qualitatis, vt patet discurrendo per eas. Non. n. ponitur in prima specie vt habitus. Quia habitus est per quem homo aliquid agit, vt dicit D. Augus. de Bono coniugali; sed per characterẽ non agit homo aliquid, ergo &c. Item nec dispositio, quia non est facile mobilis. Item nec naturalis potẽtia, vel impotentia, hoc de se patet: quia est forma supernaturalis. Item nec passio, nec passibilis qualitas: quia nõ infert passionem sensui; Nec etiam est figura: quia vt inquit D. August. in lib. de anima & spiritu, anima est infigurabilis; si ergo character est in anima, videtur, quod non sit figura. D. Aug.

Deinde forma absoluta habet aliquam operationem propriam, sed character non habet aliquam operationem proprium, ergo character non est forma absoluta.

Postremo forma absoluta accidentalis quæcumq; est delebilis ab illo in quo est; quia ab eodem potest deleri de subiecto à quo imprimitur in subiectum: quia ex quo est posterior suo subiecto, non est contradictio, quod non insit. Sed character est simpliciter indelebilis, ergo character nõ est forma absoluta.

His tñ nõ obstantibus dicit Scotus; quod sicut probari nõ põt per rõnem naturalẽ, neq; per rõnem euidenter deductã ex credibus manifestis aliquã formam realem. i. characterẽ imprimi in baptismo aliã à gratia & virtutibus, ita probari non potest characterem formam esse realem absolutam, vel respectiuam: quia vtrumq; saluari potest; quod sit. s. forma respectiua sicut iam probatum est, vel quod sit forma realis absoluta; & quicquid ponatur nõ põt euidẽter improbari.

Quædam. n. sunt satis rationabiliter concedenda de charactere, vtpotè, quod sit forma spiritualis impressa à Deo, cuicumq. suscipiẽti sacramentum non iterabile, & quod ex institutione diuina efficaciter significat gratiam illius sacramenti, & quod disponat ad eam, sicut declaratum est in q. præcedẽte: quia est in eodem susceptiuo, & ab eodẽ agente, & forma prior, & imperfectior, & quod sit forma indelebilis cum non habeat causam demeritoriam corruptiuam; & quod sit signum rememoratiuum respectu susceptionis sacramenti, quæ præterijt; & signum configuratiuum. i. signãs obligationem animę ad Christum; quod etiã sit forma assimilatiua alteri suscipiẽti sacramentũ, & ab alio distinctiua; qui non suscipit. Hæc omnia videntur rationabiliter concedenda de charactere; si ponatur forma realis absoluta, possunt etiam saluari, si ponatur respectus realis per modũ prædictũ. s. extrinsecus aduenien s, sicut si ponatur forma realis absoluta. Si ponatur aũt respectus realis dictum est prius, qualiter ista saluabũtur, & qualis respectus sit: quia extrinsecus aduenięs. Sed si ponatur forma absoluta; necesse est dicere, quod pertinet ad genus qualitatis: nec oportet declarare, quõ nẽs istę conditiones illi cõueniant: quia satis patet.

Ex his apparet, quod Scotus censet vtrãq. partẽ posse probabiliter defendi. s. & characterẽ esse respectum extrinsecus aduenientẽ, & esse formã absolutã. Quare Caiet. 3. p. q. 63. art. 2. Scotus d. 1. q. 4. art. 2. & Valentia to. 4. disp. 3. q. 4. puncto. 3. nõ bene imponũt Scoto, quod ipse teneat probabilius esse quod character sit relatio: Nũq. n. Scotus dixit hoc esse probabilius, sed vtrũq; esse probabile: & inconsideratius dixit Sotus, esse opinionem Scoti characterem non esse nisi relationem realẽ, quod profectò falsissimum est, vt constat ex dictis, cũ Scotus problematice sustineat vtramq; partẽ nimirũ, & quod character sit relatio, & quod sit forma absoluta, Imò si qua istarũ opinionũ vna est altera probabilior, dicere

Digitized by Google

re possumus eam censuisse Scotum esse probabiliorem, quę asserit characterem esse formam absolutam eũ omnes eius discipuli illam tueantur. vt Franciscus de Moyron. in 4. distinct. 7. q. 5. art. 10. Bassolus hac dist. q. 3. art. 2. Rubion. dist. 7. art. 2. q. 2. & Vorilion dist. 3. q. 3. conclus. 1. quam etiã nos sustinemus, & in hunc modum probamus.

[Fr]ancifcus [Mo]yro. [Ba]ssolus. [Ru]bion. [Vo]rilion.

Character imprimitur vt patet ex cõcilijs, igitur est qualitas, cum non sit forma substantialis, probatur consequentia, illud quod vere, & proprie dicitur imprimi, est vere, & proprie aliquid absolutum, quia respectus quicunque sit non habet, quod dicatur proprie imprimi, sed secundum determinationem ecclesiæ character vere, & proprie imprimitur, ergo &c. Nec valet responsio, si dicatur, quod impressio ibi accipitur vt sonat idem, quod collatio: quia vbi conclusio aliqua tenetur per ecclesiæ authoritatem illud præcise debet teneri, quod habet sensus verborum, nec in talibus licitum est ad placitum vti quacunque vis expositione, quod patet ex modo arguendi Comment. 3. de anima com. 5. vbi volens probare fuisse de mente Arist. intellectum esse ingenerabilem, & incorruptibilem, dicit quod idem apparet ex proprijs modis loquendi Arist.

Præterea illud, quod est fundamentum conformitatis vnius ad alterum, videtur esse absolutum: quia relatio nulla potest esse ratio conformitatis ad alterum; sed ratio characteris est ratio conformitatis animæ ad Christum. ergo &c. Nec valet responsio quod relatio potest esse fundamentum relationis: quia esto quod hoc sit verum: quia duo sedentes conformiter se habent secundum sessionem in eo quod vterque sedet, & tamen sedere non est aliquid absolutum: imo est respectus de numero sex principiorum. tamen nũquam respectus dicitur esse in aliquo fundamentum similitudinis ad alterum, nisi consimilis respectus sit in illo altero: nã iste sedens non se habet conformiter ad alterum sedentem: nisi quia respectus iste, quem importat sessio est in vtroq;: nam si esset in altero tantum, iam non se habent conformiter, sed character non est in Christo, per characterem enim Christus non assimilatur alicui alteri, sed est id quo alius assimilatur Christo. Sed hæc ratio parum valet: quia non dicitur quis alteri similis formaliter nisi fundamentum similitudinis sit in vtroque extremo, sed character pro fundamẽto non est in Christo, ergo &c.

Item character est dispositio ad gratiã; sed gratia est forma absoluta, ergo character est forma absoluta: consequentia probatur; quia dispositio propria eiusdem generis esse videtur, cum forma ad quam disponit: antecedens probatur; quia de potentia Dei ordinata character est dispositio ad gratiam: quia est forma prior sine qua non recipitur forma posterior, idest, gratia: nam prius natura character inest baptizato, quam gratia; & interdum prius tempore, vt patet in ficto, & postea pœnitente.

Aug. Deinde omne quod relatiue dicitur est aliud excepta relatione, sed character relatiue dicitur, ergo est aliud excepta relatione. Maior est D. August. & minor patet: quia character est signum.

Ad argumenta ad oppositum respondetur, & ad primũ dico, quod character importat quidem relationem signi, attamen non est talis relatio, sed forma absoluta in qua relatio illa fundatur, itaque character non est signum quidditatiue, & per se primo modo, ac proinde non est aliquid per se respectiuum primo modo sicut pater, vel simile, & huiusmodi, sed tantummodo denominatiue, & hoc modo omne ens quantumcunque absolutum potest esse respectiuũ: quia potest fundare aliquem respectum.

Ad secundum dico, quod licet nõ appareat necessitas simpliciter ad ponendum characterem esse aliquid absolutum, tamen maior congruentia est ad saluandum ea, quæ dicuntur de ipso, quod ponatur aliquid absolutum: Nam quamuis omnes proprietates characteris possent saluari ponendo characterem esse relationem; tamen non ita conuenienter, & euidenter secundum intentionem doctorum, & loquentium de charactere, atque adeo probabilius dicendum est quod sit forma absoluta.

Ad tertium dico, quod character potest poni potẽtia, vel habitus, sed nos ponimus absolute, quod est habitus, & argumentum in oppositum soluetur in seq. art.

Ad quartum dico, quod est qualitas in prima specie qualitatis, scilicet habitus, & dispositio.

Ad quintum dico, quod maior est simpliciter falsa: quia quantitas est forma absoluta, & tamen quantitas non est principium alicuius actionis physicę & realis, potest tamen aliquid producere. idest, sui intellectionem, quæ est operatio intentionalis. Nam secundum Scotum omne ens reale siue absolutum, siue respectiuum, si non est ad terminũ infinitum potest esse causa partialis suæ notitiæ. Ideo dicit hic, quod quantitas non est principium alicuius actionis realis: quia bene est principium actionis intentionalis. Dico ergo, quod omnis forma absoluta habet operationem respectu cuius est sufficiens principium, vel aliquo modo se habet ad operationem, & sic concedo in proposito, quod illa forma est dispositio remota ad operationem.

Ad vltimum dico, quod character est delebilis per potẽtiam Dei absolutam; sed non per potentiam naturalem, vel per potentiam Dei ordinariam, vt diximus in fine, quæst. præcedentis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum si character sit forma absoluta reponatur in prima, vel in secunda speciequalitatis.

DE hac re fuit multiplex opinio. Prima est opinio Richardi in 4. dist. 5. art. 2. q. 1. ad 3. dicentis, quod character in nullo prædicamentorum est collocandus: cuius ratio est, quia secundum Arist. 10. Met. 1. c. 26 corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere; sed naturale, & super naturale differunt plusquam corruptibile. & incorruptibile; ergo multo magis naturale, & supernaturale differunt plusquam genere, & per consequens character, qui est qualitas supernaturalis, non ponitur in genere qualitatis, probatur minor: quia corruptibile, & incorruptibile continentur sub naturali; non sic naturale, & supernaturale. Vnde breuiter sententia Richardi fundatur in hoc, quod qualitates supernaturales non conueniunt in genere, aut prædicamento, cum qualitatibus naturalibus, atque ita de gratia, & alijs habitibus infusis negat directe constitui in aliqua specie qualitatis, sed reduci ad illam, vel potius per se constituere suum genus illi simile, atque eodem modo dicit characterem directe tantum constitui sub genere supernaturalis qualitatis, & per quandam proportionem, vel similitudinem posse ad prædicamentum qualitatis reduci. Richardus.

.Hanc sententiam impugnat Scot. in hac quæstio. sub litter. L. & in §. Sed tunc est dubium. Quia fides, spes, & charitas, sunt qualitates, & habitus supernaturales, & tamẽ conceduntur esse proprie in prædicamento qualitatis, ergo quãtus character sit qualitas supernaturalis collocari debet in genere qualitatis. Præterea naturalitas, & supernaturalitas rei sunt tantum conditiones per comparationem ad agens; sed talis comparatio non variat aliquid rei, quantum ad esse in genere, ergo quamuis character sit qualitas supernaturalis collocandus est in genere qualitatis. Maior patet, & minor probatur: quia res ponitur in genere secundum suam propriam rationem formalem circumscripta relatione ad agens naturale, siue supernaturale. Reijcitur opinio Rich.

Ad authoritatem Aristot. dicit Scotus, quod Arist. loquitur de genere physico, & huius generis sunt omnia materialia, & transmutabilia ad inuicem conuenientia in materia prima, & hoc modo corruptibile, & incorruptibile non sunt eiusdem generis, quia incorruptibile caret materia. Aliud est genus logicum: quod potest multa continere, quæ non spectant ad idem genus physicum, vt patet de substantia corporea, & incorporea, & de qualitate corporali, & spirituali; & in hoc genere logico continentur corruptibile, & incorruptibile, vt homo, & angelus sunt in eodem genere logico, quia homo. & angelus sunt in eodem prædicamento substantiæ: & eodem modo naturale, & supernaturale sunt in eodem genere logico, vt patet de fide infusa, & acquisita, quæ sunt eiusdem generis, & prædicamenti qualitatis, & tamen fides infusa est habitus supernaturalis, & fides acquisita naturalis.

Ideo aliter respondet Richardus vbi supra, quod character secundum quod est principium figurandi potest poni, in quarta specie qualitatis, sc̃dm quod est principium assimilandi pôt poni in tertia, prout est potestas quædã in sc̃da, & demũ vt est dispositio ad gratiã in prima quatenus dispositio; quatenus vero est immobiliter permanens, in prima Richardus.

Digitized by Google

vt habitus. Nec hoc, inquit, reputes absurdum: quia perfectiones in inferioribus multiplicatæ, sunt in rebus superioribus per modum excellentiorem, & magis vnitæ; vnde in natura summa omnes perfectiones aliarum rerum sunt excellentiori modo in infinitum, & omnes in ea realiter summæ vnum.

Sed hoc nihil valet, inquit Scotus; quia & character posset habere multas proprietates secundum quas assimiletur formis diuersarum specierum qualitatis; tamen nō possunt esse in se tot quidditates. Vnde nihil est per se, & directe vt species in aliquo prædicamento nisi sit formaliter, & quidditatiue tale prædicamentum: nihil enim est per se in prædicamento substantiæ, vt species, nisi sit quidditatiue substantia; pari modo nihil est per se in prædicamento qualitatis vt species, nisi sit quidditatiue qualitas; & nihil continetur per se sub aliqua specie, vel genere, nisi includat quidditatiue illam speciem, vel genus, at character non est in se nisi vna quidditas simpliciter, ergo tantum erit sub vna specie.

Et si dicatur, quod aliqua forma secundum diuersas proprietates potest esse in diuersis speciebus qualitatis, ergo non bene dicitur quod nihil est per se sub aliqua specie nisi sit quidditatiue illa; antecedens patet: quia caliditas, & frigiditas sunt in diuersis speciebus qualitatis, nempe vt sunt dispositiones in prima, vt sunt potentiæ actiuæ in secunda, & vt passibiles qualitates in tertia, ergo &c.

Respondetur quod diuisio qualitatis, qua diuiditur in quatuor species qualitatis, non est diuisio generis in suas species, sed est diuisio qualitatis secundum quosdam modos diuersos conuenientes diuersis qualitatibus, & forte eidem qualitati in se secundum essentiam possunt competere plures modi, qui ponuntur in diuersis qualitatibus; sed de hoc vide ea, quæ scripsimus in formalitatibus in explicatione argumentorum post oppositum, comm. 4. Impossibile est, tamen quod vna quidditas sit sub diuersis speciebus.

2. Opinio. Secunda sententia collocat characterem in quarta specie qualitatis quæ est figura: quia per characterem fit in anima quædam spiritualis configuratio. Ita Marsilius in 4. quæst. 4. art. 1. conclus. 7. & ex parte cōsentit Richardus loco supra citato. *Marsilius. Richardus.* Scotus in hac quæst. sub litt. N. merito hanc sententiā reijcit. Nam figura proprie dicta, & non per metaphoram, non reperitur in rebus spiritualibus, cum sit proprietas quātitatis resultans ex terminis eius. Sed possent illi respondere, *Ale de Ales* inquit Alexan. de Ales, par. 4. quæst. 8. memb. 8. art. 1 § 1. quod sicut duplex est quantitas, scilicet spiritualis, & corporalis, siue molis; sic duplex est figura; sed hoc stare non pōt, quia figura est clausio terminorum, secundum quod est quarta species, sed in spiritualibus figuratio non est similis terminorum clausioni; sed est similitudinis impressio, siue assimilatio, item si figura ponatur in spiritualibus non est nisi translatiue, vel metaphorice; & sic character cum sit qualitas spiritualis solum metaphorice dicitur configurare nos Christo: at nihil collocatur in genere per proprietates metaphoricas: alioquin Christus esset in genere substantiæ inanimatæ, quia dicitur Petra, & esset in genere animalis irrationalis, quia metaphorice dicitur Agnus, leo, & ouis; & in genere qualitatis: quia dicitur lux, erat lux vera, &c. & ego sum *1 Corin. 10. Apoc. 5.* lux mundi. Ioan. 1. & 8. sed ex metaphoricis locutionibus colligenda est propria conditio rei in se, & secundum illam collocanda est in genere, & specie; Et sicut posset species intelligibilis poni quarta in specie qualitatis: quia configurat animam ipsi obiecto cognito, ita etiam virtus, quæ dicitur facere hominem rectum, collocanda esset in specie lineæ, vel figuræ ad quam rectitudo spectat. Modo figura proprie dicta, & non per metaphoram non reperitur in rebus spiritualibus, cuiusmodi est character.

Alex. de Ales. Tertia sententia fuit quorundam, qui, vt refert Alexand. de Ales, vbi supra dixerunt characterem non esse in aliqua specierum qualitatis a Philosopho assignatarum: quia ipse assignat solum species qualitatis innatæ, vel acquisitæ non infusæ, etsi dicatur, quod philosophus non posuit speciem aliam præter illas quatuor, dicunt quod famose locutus est de speciebus qualitatis, & quod non negauit esse speciem aliam præter quatuor, ita vt vna species qualitatis sit qualitas infusa sub qua continetur character; quod patet ex eo: quia dicit in prædicamentis. Fortassis, & alij apparebūt qualitatis modi. Sed istud videtur quærere fugam, inquit Alexand. quia nos virtutes Theologicas, & alias virtutes, quæ sunt infusæ, in prima specie qualitatis collocamus. Præterea improbabile videtur, quod si esset alia species qualitatis Philos. de illa non fecisset alicubi mentionem; quod autem dicunt quod Philos. ait. Fortassis, &c. hoc non debet mouere. Mos enim philosophi fuit loqui in talibus cum temperamento philosophico ad euitandam pertinaciam.

Quarta sententia est D. Thom. 3. par. quæstio. 63. articulo secundo, characterem consistit in secunda specie qualitatis *D. Thom.* esseque potentiam supernaturalem, vel passiuam, vel actiuam, qua homo aptus redditur ad opera diuini cultus præstanda. Nam character baptismi est potentia passiua ad recipiendum; ordinis vero, & confirmationis ad agendum. Quam opinionem defendunt Caietan. tertia parte, quęstio. *Caietan. Heruæus. Sotus. Valentia.* 63. articulo secundo, Heruæus in quarto distinctione quarta, quæst. 1. Sot. dist. 1. q. 4. art. 2. Valent. tom. 4. disput. 3. q. 4. punct. 3. & alij Thomistę. Et Scotus in hac quæst. sub litt. N. §. Respondeo ergo, dicit hanc sententiam non posse satis improbari.

Quinta sententia est Alex. de Ales, loco supra citato, & *Alex. de Ales. D. Bona.* D. Bonau. hac dist. 1. q. 1. Qui dicunt, quod cū charact. sit in anima, & sic qualitas spiritualis, quod est habitus non passio, nec potentia; obseruant tamen quod habitus bifariam *Habitus bifariam sumitur.* sumitur. Vno modo proprie prout distinguitur contra dispositionem per perfectum, & imperfectum; alio modo communiter prout vtrumque comprehendit, scilicet omnem qualitatem animam disponentem siue facile mobilem, siue difficile; perfectam siue imperfectam, & hoc modo sumitur ū dicitur. Tria sunt in anima, potentia, passio, & habitus: nam dispositio est in anima, & non est passio, neque potentia: dicūt ergo quod si accipiatur habitus sic, sic character est habitus; si sumatur præcise adhuc est habitus; atque ita vtroque modo est habitus: Nam quia character est perpetuus, & indelebilis, ideo est habitus proprie; sed quia non perficit, sed disponit ad vlteriorem perfectionem, nempe gratiam est dispositio, & habitus cōiter. Est ergo character secundum opinionem Alexā. & Bonau. in prima specie qualitatis, & habet rationem dispositionis, & habitus, Scotus existimat hanc sententiam esse probabilem, nec satis posse improbari.

Vnde pro resolutione obseru. est, quod habituum in quibus consistit bonum, aliqui sunt operatiui, & in talibus *Habitus ... ...* sumitur habitus in ordine ad operationem, de quibus loquitur philos. 2. Ethic. c. 1 & 2. dicens, habitus est qui habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Alij vero sunt qui non sunt operatiui; & in talibus habitus sumitur in ordine ad naturam, quam perficiunt, & hoc modo habitus multi in homine, qui non sunt principium operandi, nec alicuius operationis sunt in prima specie qualitatis, sicut sanitas, & pulchritudo, & horum contraria & ratio est, quia sunt conuenientes, vel disconuenientes naturæ.

Secundo obseru. est, quod dispositio trifariam sumi potest, *Dispositio trifariam sumitur.* vno modo vt relatiue dicitur ad aliam formam, ad quā disponit in genere causæ materialis, secundo modo prout ab habitu distinguitur, & significat qualitatem facile mobilem, tertio modo prout dicitur de quacunque forma absoluta bene, & conuenienter afficiente subiectum; quemadmodum gratia potest dici bona dispositio animæ; & hoc modo comprehendit habitum fixum, & immobilem, quamuis operatiuus non sit. Character non est dispositio primo modo, quia non censeo characterem esse physicè, ac proprie dispositionem ad aliam formam, vt diximus in superiori quęstio. neque est dispositio secundo modo, quia character est indelebilis, & perpetuus, & non qualitas facile mobilis, sed potest dici dispositio in tertia significatione.

Tertio obseruand. est, dupliciter posse nos loqui de potentia. *Potentia duplex.* Primo physicè, quomodo intellectus, vel calor sunt potentiæ ad suas actiones, secundo tantum moraliter, & hoc dupliciter. Quandoque pro signo, interdum pro ipsa authoritate positiua. primo modo corona, sceptrum seu virga Regia, vel anulus episcopalis, si per traditionem eius datur potestas dominandi, vel regendi, secundo vero modo est potestas quędam non a qua profluat operatio, sed sicut in moralibus, & hoc modo militia est potestas intrandi bellum, sedendi in mensa Regis, ac intrandi palatium.

His obseruatis sit prima conclusio. Character est qualitas de secunda specie qualitatis vt est potestas quædam spiritualis ad aliquid agendum, vel recipiendū; character quidem baptismi ad recipiendum; ordinis vero, & confirmationis ad agendum. hæc conclusio est D. Tho. loco citato, quā *1. Conc.*

Scotus

Digitized by Google

Scotus probabilem censet. Etsi dicatur in secūda specie qualitatis non est nisi naturalis potentia, & impotentia; sed character non est potentia naturalis, sed supernaturalis, ergo non ponitur in secunda specie qualitatis. Respondet Scotus, quod per potentiam in proposito non intelligitur aliqua potentia animæ, sicut voluntas, vel intellectus, vel aliqua sensitiuarum potentiarum; quia tales sunt vere substantiæ, sed per potentiam intelligimus illud, quod est principium alicuius actus, vel principium resistendi primo motiuo, ita quod per potentiam intelligimus quandam habilitatem ad aliquid faciendum, vel non faciendum; cum ergo dicitur in secunda specie non ponitur nisi potentia naturalis, dico quod etsi philos. non sit locutus nisi de potentia naturali exemplificando, tamen potentiam supernaturalis si est absoluta, & accidentalis, bene potest pertinere ad idē genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali, sicut etiam habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali.

Conclusio Secunda Conclusio. Character est in prima specie qualitatis, vt dispositio, & habitus. hæc conclusio est Alexand. & Diui Bonauentur. quam Scotus probabiliorem existimat.

Etsi dicatur, character est potentia supernaturalis, ergo non est habitus, & per consequens erit in secūda specie qualitatis in qua collocatur potentia, & impotentia, & non in prima in qua locatur habitus, vel dispositio; probatur consequentia: quia potentia naturalis non est habitus naturalis; ergo potentia supernaturalis, qualis est character, non est dicendus habitus supernaturalis, vt in prima specie qualitatis collocari possit. Respondet Scotus, quod in naturalibus habitus non potest ad secundam speciem qualitatis pertinere, quæ est potentia, qua possumus in aliquos actus: quia habitus naturalis non est quo aliquid possumus, sed quo aliquid melius possumus, habitus autem supernaturalis non solum est quo melius possumus, sed quo simpliciter aliquid possumus, & sic potest dici potentia: quia habitus supernaturalis, cum sit forma supernaturalis de difficili mobilis potest esse principium agendi, vel resistendi corruptiuo, & sic habere rationem potentia supernaturalis, & cum sit forma supernaturalis immobilis poterit dici habitus, quāuis sit principium quo possumus in actum aliquem supernaturalem. Vnde character ea ratione, qua est forma supernaturalis de difficili mobilis, siue indelebilis, & immobilis a subiecto est habitus, & collocatur in prima specie qualitatis; ea vero ratione, qua est principium operationum spiritualium est potentia, & in secunda specie qualitatis.

Obseru. est tamen, quod character dicitur habere rationē potentiæ seu potestatis solum secundum moralem quandā considerationem: quia videlicet est signum ex diuina ordinatione ad hoc destinatum, vt qui illo insignitus fuerit aptus sit ad tale ministerium: quod enim character habeat aliquo modo rationem potentiæ patet ex communi placito omnium Theologorum: Nam per characterem datur homini aliqua potestas: potest enim cum charactere aliqua efficere, vel recipere, quæ sine charactere conuenienter non posset; ergo character est aliquo modo potentia, verum nō potest esse potentia physica, superest ergo quod sit moralis, & hoc est quod dicebat Scotus supra, quod licet character esset relatio, potest tamen habere rationem potentiæ ministerialis: quia non oportet vt talis potentia influat in actum, sed ut sit veluti conditio requisita a principali agente in ministro, vt eius actione tanquam instrumento vtatur. Deus autem deputando ministros sacramentorum voluit propter maiorem perfectionem eos intrinsece designari per characterem; & hac ratione dicitur character potestas moralis, & ex hoc sequitur, quod non potest character proprie & essentialiter constitui in specie potentiæ, cum non sit potentia physica actiua, vel passiua; atque adeo nec proprie potentia: quia nulla est vere potentia; nisi quæ re ipsa ac physice ordinatur ad aliquem actum. collocatur ergo proprie in prima specie qualitatis vt habitus.

Contra, character est dispositio ad gratiam, ergo non est habitus. Respondet Scotus, quod bene potest esse vnus habitus dispositio ad alterum: Nam secundum distinguentes habitum principij ab habitu conclusionis, habitus principij disponit ad habitum conclusionis; atque ita habitus præmissarum in ordine ad habitum conclusionis vocatur dispositio, cum tamen in se vere sit habitus; assensus itaque maioris, & minoris appellatur habitus, qui dicitur intellectus; qui tamen in ordine ad assensum quo conclusioni assentimur vocatur dispositio. Ideoque non est inconueniens characterem esse habitum in se, & dispositionem in ordine ad gratiam.

Contra, omnis habitus disponit ad bene, vel male agendum vt patet 2. Ethic. sed character non ita disponit determinate, ergo non est habitus. Respondet Scotus, quod maior est simpliciter falsa. Nam triplex est habitus: quidam est qui inclinat ad bene operandum, vt habitus qui acquiritur ex bonis actibus; alius est qui inclinat ad male operandum, vt habitus qui acquiritur ex malis actibus; alius est qui inclinat ad operationes, quæ nec sunt bonæ, nec malæ moraliter, vt fricatio barbæ est operatio, quæ nec est bona moraliter nec mala: nam ex agere frequenter absolute acquiritur habitus ad agendum tali actione absque bonitate, & malitia: quia potest aliquis frequenter considerās Geometriam habere magnam facilitatem ad considerandum conclusionem illius scientiæ, nec est ibi habitus bonus, vel malus moraliter: sicut nec actus ex quo generabatur. Cum ergo arguitur omnis habitus disponit ad bene, vel male operandum; dico quod hoc est falsum; atque ita character poterit esse principium siue facultas indifferens ad bene, vel male suscipiendum sacramenta, vel ministranda. Hanc responsionem refellit Valentia vbi supra: quia sicut, inquit, nullus est actus particularis indifferens; ita neque vllus habitus indifferens Valentia. produci potest, sed male; quia probabile est præter habitus virtutum, & vitiorum dari in voluntate habitus indifferentes genitos ex actibus ex obiecto, & specie sua indifferentibus, qui enim hoc repugnat? Nam licet forte actus specie indifferens in indiuiduo non fiat sine bonitate, vel malitia accidentali sumpta ex fine intrinseco, tamen in entitate sua manet indifferens, & secundum illam generare potest habitum.

Posset etiam dici maiorem non esse veram, si per habitū intelligamus quamcunque dispositionem permanentem, ac subiecto conuenientem. Arist. autem ibi locutus est de habitibus potentiarū: qui per actus nostros acquiruntur, qui proprie sunt habitus operatiui. Præter hos vero possunt esse aliquæ qualitates bene disponentes subiectum in suo esse sine ordine ad operationem, quæ si permanentes sint, & difficile mobiles vocari etiam possunt habitus non operatiui, & de his non est necesse vt disponant ad bene, vel male, aut faciliter operandum, & hoc modo sanitas vocatur habitus, & hoc modo intelligimus characterem esse habitum.

Etsi dicatur character confertur ad perfectionem suscipientis illum, ergo non est principium indifferens. Respondet Scotus, quod habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, quamuis non sit eius principiū proximum elicitiuum, vel sufficiens, & hoc modo fides infusa non est sufficiens principium eliciendi actum credendi, neque charitas infusa eliciendi actum amoris, sed inclinant vt concurrentibus alijs necessarijs actus fidei, & charitatis eliciantur: atque ita aliquis supernaturalis habitus potest remotius, & imperfectius inclinare ad actum bonum, & talis ponitur character, tanquam primo, & remote disponēs ad actus bonos sacramentorum ministrandorum, vel recipiendorum.

Contra omnis habitus disponit ad faciliter operandū ex 2. Ethic. c. 5. & inde, sed character nō sic disponit, ergo nō potest esse habitus. Huic instantiæ iam responsum est. Attamē dicit Scotus maiorem non esse veram; nisi de habitu acquisito, habitus enim infusus non dat facilitatem ad actum, vt patet de nouiter conuerso, cui non est facile post conuersionem actus bonos elicere, sed difficile quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat aliquam virtutē, seu habitū acquisitum, & tamen nouiter conuersus habet habitus infusos. & sic apparet probabilitas opinionis Alex. & D. Bonau. quam probabiliorem, ac veriorem existimo, atq; adeo tenē do characterem esse formam absolutā, sustinenda, ac defendenda est, prout facit hic Doctor sub. quam ēt sustinent Frā Franciscus. ciscus de May. Bassolus, Rubion, Vorilion, locis in superiori Bassolus. art. citatis. & Suarez, tom. 3. disp. 11. sect. 3. Rubion. Vorilion. Suarez.

3. Conclusio Tertia Conclusio. Character est qualitas quædā existens in aīa, quæ est specialis similitudo, & propria species animæ Christi. hanc pono conclusionē vt explicē naturā, & essētiā characteris. Vnde considero, quod sicut anima quælibet

habet speciem intelligibilem, qua mediante potest ab intellectu apprehendi, sicut Michaeli occurrit species, quæ sic repræsentat suo intellectui animam Christi, quod non repræsentat eidem animam Iudæ; sic potest esse species aliqua alterius tamen rationis, quæ sit propria animæ Christi similitudo, sic quod nullius alterius essentiæ sit similitudo. Quia ergo Christus princeps est, & caput fidelium, placuit Deo instituere characterem Agni, qui daretur omnibus venientibus ad fraternitatem, & familiam Christi, propter quem quidam appareant filij, & cohæredes regni.

Qualis autem sit character iste censeo, quod non est aliud, quam species quædam proprie, quæ est similitudo specialis animæ Christi, nec intelligo quod sit talis species, quæ sit principiũ cognoscendi; sed sicut videmus quod alia est species coloris in organo, & alia in medio; eo quod illa, quæ est in organo est principium cognoscendi colorem, nullo autẽ modo illa, quæ est in medio: sic in proposito videtur, quod possit dari respectu animæ Christi duplex species. Vna quæ sit principium cognoscendi Christum distincte; alio vero quæ sit habenti illam dumtaxat assimilatiuã Christo, & hanc puto in sacramento baptismi, & ordinis imprimi animæ, per quam suscipientes ab alijs distinguantur.

Hoc autem probari potest authoritatibus sacræ scripturæ, & sanctorum, & primo inquit Apostol. ad Galat. 3. omnes qui baptizati estis Christum induistis; aut ergo baptizatus omnis Christum induit: quia induit gratiam, & virtutes, quæ in baptismo infunduntur, & hoc non: quia multi suscipiunt sacramentum, qui non suscipiunt rem sacramẽti; aut quia induit Christum essentialiter, & hoc est impossibile; ergo non ex alio videtur nisi quia induit similitudinẽ ipsius animæ Christi.

Item ad Roman. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius, ergo aliqua imago Christi in nobis deriuatur ex diuina prædestinatione.

Item sicut portamus imaginẽ terreni, sic portemus imaginem cœlestis.

Deinde Dionysius de ecclesiastica hierarchia, par. 3. c. 2. paulum ante medium vocat characterem, lumen, quo signamur, lumen autem istud aliud non videtur, quam pulchritudo, & assimilatio.

Similiter Damasc. lib. 4. de fide, cap. 10. vocat characterẽ sigillum, sigillum autem videtur esse qualitas quædam. Ad hoc etiam adduci potest talis congruentia. Quia sicut omnes qui assumuntur ad vnam politiam, & ciuitatẽ omnes quidem assumunt signum politiæ & arma Principis & ciuitatis, vt per hoc protestentur se esse de tali dominio. Ita rationabile est, quod in eis qui assumuntur ad Christi familiã sit sigillum, & qualitas quædam conformans Christo capiti, ac Principi. Et sicut in politia exteriori quanto magis quis dignitate appropinquat ad principem, sicut milites, & barones, signis specialibus distinguuntur, sic intra Christi familiam milites, cuiusmodi sunt qui receperunt sacramẽtum confirmationis, ac principes, cuiusmodi sunt qui receperunt ordinis sacramentum, diuersis similitudinibus consignãtur, ac per hoc alius, & alius character in sacramentis infunditur. Est igitur character species, & imago prædicta, signumque distinctiuum Christi familiæ remanens non solum in beatis, sed etiam in damnatis, nam & per tale signum cognoscentur in inferno qui fuerunt de Christi familia, vt sit damnatis occasio maioris pœnæ, beatis vero gaudij incrementum. Quilibet ergo Christianus credere debet characterem hũc esse instar certi coloris, quo ij, qui sunt de familia Christi vestiuntur. Putrida autem membra (quemadmodũ sunt hæretici) pudet huius signaculi: quia sub eo cunctorũ confusioni patebunt.

QVÆSTIO XI.

Vtrum character collocetur in essentia animæ, vel in potentia illius, & in qua potentia.

HAec quæstio breuis est, & diuisione non eget. De quæsito autem in hac quæstio sunt multæ opiniones & maxime loquendo de subiecto proximo in quo character inhæret. Nam de remoto nulla est controuersia. Voco autem subiectum remotum personam, quæ habet characterem. De hoc ergo subiecto certum est de facto solum esse characterem in illis hominibus, qui recipiunt aliquod ex sacramentis, quæ characterem imprimunt, est autem character proprius, & inseparabilis aliquorum sacramentorum effectus. Loquendo vero de subiecto proximo. Prima sententia est characterem non esse in anima, nec in aliqua eius potentia, sed in corpore, seu in potentijs executiuis, scilicet in lingua, & manibus sacerdotis sacramenta administrantis. Hanc sententiam Sotus in 4. distinct. 1 quæstio. 4. artic. tribuit Durando, qui licet (secundum Sotum) dicat chara- Sotus.
cterem baptismi in nullo esse subiecto: quia nihil est reale, tamẽ character ordinis si est aliquid reale, vt probabile est, non est collocandus in anima, sed in potentijs executiuis, s. in lingua, & manibus sacerdotis.

Fundamentum eius est: quia character non infunditur a Deo ad cognoscendum, vel appetendum, sed ad operãdum instrumentaliter, ergo non est collocandus in potentia cognitiua, quæ est intellectus, neque in appetitiua, quæ est voluntas; sed in potentijs executiuis. Imponit namq; Sotus Durando in primis, quod neget esse alium characterem præter characterem ordinis; Deinde refert eum docere characterem ordinis non esse in anima, sed in corporis mẽbris, non quidem in illis in quibus sacerdos recipit sacramentum ordinis, quando ordinatur; sed in illis quibus sacramentum conficit, scilicet in lingua, & manibus; quia virtus actiua instrumentalis esse debet in proximo instrumento operationis.

Verum tamen Sotus non retulit fideliter Durãdi opinio- Durand.
nem. Nam ille in 4. dist. 4. q. 1. num. 9. nihil horum affirmat, quæ illi imponuntur, sed potius ea omnia infert tanquã incommoda, quæ sequuntur ex opinione eorum, qui dicunt characterem esse instrumentariam virtutem, proportionalem illi, quæ est in sacramentis ad conferendam gratiã, esseque subiectiue in intellectu. Nam inde (inquit) sequitur primo, solum sacramentum ordinis dare characterem: quia solum per hoc sacramentum constituuntur homines ministri sacramentorum, secundo (inquit) sequitur hanc virtutẽ esse in membris quibus sacramenta perficiũtur; ac denique tertio sequitur characterem, non esse virtutem permanentem, sed transeuntem, sicut ponitur esse virtus sacramentorum: quæ omnes illationes Durandi re vera sunt satis apparentes, & probabiles. Verum tantum abest vt ipse admittat illas, quod potius, vt dixi, eas infert vt magna incommoda, sicut re vera sunt.

Cæterum alio modo posset hæc opinio tribui Durando: Nam cum ipse affirmet characterem non esse nisi relationẽ rationis, sequitur ex sua opinione, vel characterem nullum habere subiectum: quia relatio rationis secundum aliquos nulli inhæret, vel si illi tribuendum est subiectum saltẽ denominationis, illud non esse animam, vel corpus, sed totum hominem simpliciter: nam ille est qui destinatur vt sit capax sacramentorum, vel certe si aliquod subiectum propinquius assignandum est ratione fundamenti huius relationis; illud erit corpus quatenus in illo reperitur sacramentũ, per quod homo destinatur ad aliquem Dei cultum: & hoc videtur significasse Durandus in fine illius quæstionis, vbi explicans ritum baptismi, quem Dionysius scriptũ reliquit, ita concludit; & iste ritus exterior cum baptismo erat characterizatio sua, nec de alio charactere locutus est Dionysius, & in solut. ad secundum clarius concludit, non esse quærendum in quo sit character tanquam in subiecto, cum non sit nisi deputatio hominis ad sacras actiones actiue, vel passiue.

Sed hæc Durandi sententia est falsa, sicut fundamentum ex quo sequitur. Vnde in re nihil a sententia hæreticorũ differt, vt supra diximus, estque contra hanc sententiam determinatio Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. & Concilij Conc. F
Trident. sess. 7. can 9. vbi definitur characterẽ in anima imprimi, & non in corpore. Conc. T

Secunda opinio est Aureoli in 4. dist. 4. q. 1. art. 4. asseren- Aureol.
tis, quod character est in essentia animæ, quam opinionem Mars.
secutus est Marsilius in 4. q. 4. art. 1. & eam probabilem repu- Gabr.
tat Gabr. dist. 6 q. 2. art. 3. dub. 2. & eam defendit Suar. tom. Suar.
3. disp. 11. sect. 4. Fundamentum Aureoli est. Quia cum character non ponatur qualitas, quæ sit principiũ operationis nisi moraliter, nõ oportet illã ponere in potentia operatiua: ex quo vero est pulchritudo quędã, & ornatus; rationabile est, quod ponatur in illo, quod dr ordinari, ac pulchrificari, ex quo ẽt est assimilatiua, congruũ est quod ponatur in eo quod assimilatur, sed essentia est quæ pulchrificatur, & assimilatur essentia aiæ Christi, ergo &c. quod est ẽt præcipuũ funda-

Digitized by Google

fundamentũ Suar. Gabr. vero in primis dicit hãc dubitationẽ non habere locũ in sua, & Nominaliũ sñia, quod intellectus, & voluntas nullo modo distinguuntur a substãtia animæ. secundo dicit supposita distinctione potẽtiarum ab anima potius esse characterem ponendum in anima, quã in potentijs; ac tãdem addit si ponendũ esset in potentijs, potius esse ponendum in voluntate, quam in intellectu: quia in voluntate est gratia, quæ idem est cum charitate. Fundamentum Marsilij est, quia signum, & id quod significatur debẽt esse in eodem subiecto, sed character est signum eorũ, quæ per sacramenta conferuntur, quibus tota anima perficitur, vt sunt fides, spes, charitas, ergo &c. Secundo quia per characterẽ deputatur anima, & designatur ad aliquod ministeriũ spirituale, ergo debet esse in ipsa anima.

Cæterum neque ista opinio est vera: quia character est signum quo Christo Domino configuramur, quæ configuratio non fit secundum essentiam animæ, sed secundũ eius potentias, atque ita in potentia animæ collocandus est character, & mediante potentia ipsi animæ inest, & per hoc ruit fundamentum Aureoli; Anima.n. ornatur, pulchrificatur, & assimilatur mediantibus suis potentijs, & esto quod character non sit operatiuus proprie, & physice, nihilominus optime potest poni in potentia animæ, vt ipsam ornet, & pulchrificat, & hoc modo consignet hominẽ, sicut necessario Aureolus ipse, & Suarez habent dicere ponentes characterẽ in essentia animæ, & hoc esse congruũ ex eo patet: quia sicut anima per potentias suas colit Deum, ita etiam in aliqua potẽtiarum consignetur, & destinetur ad illum cultum.

Primum fundamentum Marsilij est ad oppositum; Nam cum fides sit immediate in intellectus, spes vero & charitas in voluntate, debuisset ponere (si eius ratio concludit) characterem in potentijs, & non in essentia animę, secunda ratio vero probat solum characterẽ esse in homine, vel in aĩa, nõ tamen quod sit in substantia animæ immediate.

...de Ales ...onau. ...ert. Tertia opinio est Alex. de Ales, par. 4. q. 8. memb. 8. art. 1. §. 3. & D. Bonau. hac dist. par. 1. art. 1. q. 3. & Albert. dist. 6. ar. 4. ad 9. qui ponunt characterem in anima, & in vtraque potentia eius. i. in tota imagine Trinitatis per appropriationẽ tamen in potentia cognitiua. Vnde dicunt quod character proprie est in vi cognitiua; respicit.n. imaginem creatam in

D. Aug. anima, quæ imago licet respiciat omnes potentias animæ, tamen magis respicit cognitiuam. Quia vt dicit D. August. in lib. de anima, & spiritu, mens est supremum eorũ, quæ sunt in anima habens imaginem Dei in potentia cognoscẽdi, & similitudinem in potentia diligendi; Nec per hoc excludere intendit quin vtrumque. s. imago, & similitudo attingãt cognitiuam, & affectiuam, sed loquitur per appropriationem: quia imago proprie, & principaliter respicit, quod est cognitiuæ. s. memoriam, & intelligentiam; similitudo vero qđ est affectiuæ. s. voluntatem propter hoc dicimus qđ character qui distinctiuus est imaginis per appropriationem respicit potentiam cognitiuam, respicit ergo character vtranq; potẽtiam vnam principaliter, idest, cognitiuã, & alterã secũdario

D. Thomas idest, affectiuam, & mediantibus potẽtijs istis inest animæ.

In eadem sententia videtur mihi esse S. Thom. Nã 3. par. q. 63. art. 4. in argumento ad oppositũ eandem rationẽ facit quam D. Bonau & Alex. ad probandũ quod character sit in imagine, & in corpore art. ẽt dicit, quod character est in potentijs animæ. Vnde quamuis postea ad 3. arg. dicat, quod character est in intellectu, non tamẽ negat, quod sit in alijs potentijs. Caiet. tamen est Sotus dicunt quod secundum opinionem S. Thomæ character est tantum in intellectu.

...etan. ...tus. ...chardus. Est ergo quarta opinio D. Thom. Caiet. Soti, & aliorum discipulorum D. Thomæ, quod character immediate est in intellectu mediante vero intellectu in essentia animæ. Idem fere docet Richard. dist. 6. art. 2. q. 2. dicens, quod character est in essentia animæ, sed non immediate, imo mediante potentia, hoc est dictu, quod est in anima sub ratione, qua potens est, quod, inquit, ideo dico: quia potentia animæ vltra essentiam animæ nihil ponit nisi relationem, vt planius ostensum est, lib. 1. dist. 3. par. 2. art. 2. q. 1. quod autem character primo sit in potentia patet per hoc: quia est supernaturalis potentia, ad quod sequitur, quod sit perfectio naturalis potentiæ. Magis autem debet poni in intellectu, quam in voluntate: quia est qualitas distinctiua baptizati a non baptizato, vt est fidei forma, & etiam est ad eam dispositiua, &c. qualitas autem distinctiua consecrati ad cultum Dei a non consecrato, & significatiua gratiæ vt est fidei forma, & ad eandem dispositiua rationabiliter poni debet in illa potentia in qua est fides, hæc autem est intellectus.

Ratio vero & fundamentum D. Thomæ, in quarta distinctione quarta, articulo primo, quæst. 3. relatum ab Scoto in hac quæst. sub litt. A. est tale; quod sicut gratia est in essentia animæ, sic potẽtia ad gratiam est in potestate animæ; character autem est potentialis dispositio proxima ad gratiam, ergo in potentia animæ est vt in subiecto proximo; sed non in qualibet potentia animæ: quia tunc non esset vna forma, ergo est in vnica potentia, sed magis rationabile est ponere in intellectu, cuius ratio est: quia character est ad configurandum Trinitatem creatam Trinitati increatæ; Trinitas autem creata, idest, imago animæ rationalis ad diuinam Trinitatem consistit principaliter in intellectu: quia ex eo tanquam ex radice oritur voluntas, ergo character locatur in intellectu.

Contra hanc rationem sic arguit Scotus: quia aut intellectus habet ad voluntatem tantum prioritatem originis, vel generationis; aut intelligit quod intellectus est prior, vel radix respectu voluntatis tanquam eminenter, vel virtualiter continens ipsam voluntatem; si concedatur primum, ex eo non ponitur perfectio in intellectu super voluntatem, sed imperfectio: quia vniuersaliter ordine generationis imperfectiora præcedunt perfectiora: Nam priora generatione sunt posteriora perfectione: quia natura procedit de imperfectu ad perfectius, vt constat ex 9. Met. t. 15. atque adeo voluntas erit perfectior intellectu, quod est contra Diuum Thomam. Nec etiam secundum dici potest: quia quod est ordinatum ad aliud vt prius origine, non continet illud eminenter, vel virtualiter, sed actus intellectus ordinatur essentialiter ad actum voluntatis, ergo voluntas non continetur eminenter, vel virtualiter in intellectu, & per consequẽs nõ est perfectior potentia intellectus, quam voluntas, imo imperfectior. Arist.

Præterea dispositio ad formam non est in aliquo posteriori, quam sit ipsa forma; sed intellectus est posterior ipsa anima, quia est accidens secundum Diuum Thomam; sed character est dispositio ad gratiam vt etiam ipse concedit, & gratia secundum ipsum est in essentia animæ, ergo character non potest esse in aliquo susceptiuo posteriori ipsa essentia animæ, & per consequens non est in intellectu.

Item ratio, qua Diuus Thomas probat characterem esse in intellectu, non concludit: imo magis probat oppositum. Nam forma, & dispositio ad illam magis videntur esse in eodem susceptiuo quam in diuersis, sed per te gratia est immediate in essentia animæ, ergo & dispositio ad gratiam, cuiusmodi est character, vel saltem sequitur quod dispositio illa non potest esse in aliquo posteriori illo, in quo est forma, quod patet in alijs: quia habitus supernaturalis non est in habitu naturali, sed in potentia naturali in qua est habitus naturalis, & hoc ideo quia potentia naturalis est prior vtroque habitu.

Item habitus supernaturalis, & acquisitus sunt in eodẽ susceptiuo, vt patet de fide infusa, & acquisita, ergo rationabilius est dicere, quod character, & gratia sint in eodem susceptiuo, quam in diuersis; item perfectio naturalis prius inest alicui, quam perfectio supernaturalis; sed intellectus est perfectio naturalis ipsius animæ; gratia, & character sunt perfectiones supernaturales, ergo intellectus prius inest animæ, (esto quod secundum D. Thomam sit accidens) quam gratia, vel character; etsi prius inest, non videtur inconueniens quod character, & gratia insint ipsi potentiæ animæ, idest, intellectui, atque adeo ratio, qua probatur gratiam esse in essentia animæ, immediate non concludit.

Præterea ratio D. Thomæ de vita spirituali non concludit. Dicebat enim D. Thom. in 4. loco supracitato, probans quod character est in potentia, & non in essentia animæ, quod natura proportionaliter spiritualitati substernitur, sicut perfectibile perfectioni; Vnde sicut gratia, quæ est spiritualis vitæ principium, est in essentia animæ sicut in subiecto; ita & character, qui est spiritualis potentia, est sicut in subiecto in aliqua potentia animæ, & non in essentia animæ. Hanc rationem quam refert Sotus in argumentum ad oppositum, dicit Scotus non concludere: quia æquiuocat de vita spirituali. Nam duplex est vita spiritualis, quædam est obiectiua, & ista est ipse Deus, in quo satiatur quælibet potentia; alia est subiectiua, & ista est duplex, quædam est habitualis, vt charitas siue gratia, quædam actua-

Digitized by Google

lis, vt est dilectio Dei super omnia. In proposito vita spiritualis subiectiua habitualis, idest, gratia non inest ipsi animæ, nisi prout ipsa anima est vnibilis Deo per amorem, & dilectionem: Nam secũdum D. August. de Ciuit. Dei, Deus propter hoc dicitur vita animæ: quia vita animæ non est nisi in coniunctione eius ad Deum, vt ad obiectum: anima autem non est coniũgibilis Deo in ratione obiecti nisi per potentiam, ergo gratia quę est vita spiritualis animę, erit in potentia, & non in essentia animæ.

D. August.

Conclusio Scoti.

Explosis aliorum sententijs ponit Doct. sub. propriam opinionem, quæ in hac conclusione consistit. Character ponitur in voluntate tanquam in subiecto. Probatur. Character est dispositio ad gratiam sacramentalem; sed dispositio ad formam est in eodem susceptiuo in quo recipitur forma; ergo character est ponendus formaliter in voluntate, probo consequentiam: quia gratia, quæ est eadem forma cum charitate, vt probatum est in 2. dist. 26. locatur in voluntate vt in subiecto proximo, vt probatum est in 2. part. 3. dist. 27. q. vnica, art. 11. secundo probatur: quia omnes Theologi fatentur iustitiam in voluntate collocari, sed actus sacramentalis est actus religionis; quæ quidem religio est pars iustitiæ; ergo character, qui est potentia ad actus sacramentales in voluntate est locandus, sicut & ipsa iustitia; probatur minor: quia per actus sacramentales debitum honorem Deo reddimus, salutem æternam ab illo quærendo.

Tertio probatur. Potentiæ distinguuntur per actus, sed character inclinat ad actus volũtatis: quia inclinat ad actus religionis, & iustitiæ, qui sunt in voluntate, ergo character in voluntate locatur. Postremo per characterem obligantur homines ad colendum Deũ operationibus sacramẽtalibus, sed obligatio est voluntatis: quia est actus potentiæ liberæ, ergo character ponitur in voluntate.

Contra hanc conclusionem arguitur, & primo sic. Potentiæ animæ subijciuntur in essentia animæ, sed character est quædam potentia, ergo in essentia animæ collocatur.

Item character ordinatur ad operandum, scilicet ad protestandam fidem, sed fides est in intellectu, ergo & character in intellectu locatur.

Deinde dispositio, & forma ad quam disponit, habẽt idẽ subiectum proximum; sed character est proxima dispositio ad fidem, & fides est in intellectu, ergo in illo est etiam character.

Ad primum dico, quod potentiæ animæ naturales subijciũtur in essentia, vel magis sunt idem cum essentia animæ; character vero est supernaturalis potentia moralis, quæ se habet velut habitus, vt dictum est supra, atque adeo in potentia est collocandus.

Ad secundum dico, quod operationes sacramentales ad quas character inclinat licet fidem præsupponant saltem in suscipiente, non tamen sunt fidei; sed religionis protestationes, quæ est voluntatis habitus.

Ad tertium dico, quod minor est falsa: quia character nõ est dispositio proxima ad fidem, sed ad gratiam quæ principaliter conformat totam animam Deo; gratia autem est eadem forma cum charitate quæ locatur in voluntate, in qua etiam character ponitur tanquam in potentia, quæ principalior est in imagine animæ in cuius figuratione consistit principaliter tota figuratio imaginis animæ ad beatissimam Trinitatem.

Obseru. est autem, quod cum anima sit spiritualis, atque indiuisibilis substantia, & omnes eius potentiæ sint idem realiter cum illa ipsa tota est characteris subiectum in hæsionis. In hac vero quæstione disputatum est, atque conclusum voluntatem esse subiectum characteris, subiectum inquam perfectionis: quo etiam modo, intellectus, qui perficitur fide, dicitur fidei subiectum.

Nota resolute totã materiã de baptismo.

Ex dictis a principio distinct. 3. vsque huc potest colligi, inquit Scotus, vna ratio baptismi exprimẽs omnia quę sũt simpliciter necessaria ad rationem baptismi, & hoc secundũ duplicem viam de fundamento significationis, quæ est formaliter baptismus. Nam si ponamus illam relationẽ signi, quam importat baptismus pro formali fundari in sola ablutione comitata verbis tanquam in fundamento totali, potest ipsius baptismi talis ratio assignari. Baptismus est ablutio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in aqua elementari fluida ab alio simul abluente, & verba certa actum, & suscipientem cum inuocatione Trinitatis designantia proferente, tã in abluendo, quam in proferendo intendente facere, quod Christus instituit faciendum, vel quod intendit facere ecclesia Christiana, efficaciter significans ex institutione diuina ablutionem animæ a peccato.

Particulæ huius rationis sic patent: primo dicitur ablutio non perfusio, nec aspersio, nec immersio, & hoc vel trina, vel vnica: quia quodlibet sufficit ad veritatem baptismi, idest, siue fiat ablutio, siue aspersio, siue perfusio, siue immersio, siue vnica fiat tantum, vel trina mersio, verus confertur baptismus: minister tamen tenetur seruare modum ecclesię matricis in qua baptizat, intelligitur etiam ablutio effectiua non formalis, idest, quod fiat ab alio: Vnde si esset baptizandus in aqua, & sacerdos esset extra, & diceret verba. Ego te baptizo, &c. non immergendo, vel perfundendo aquam, talis non esset baptizatus, quia nõ esset ablutio effectiua, quæ debet fieri a ministro.

Secundo dicitur hominis viatoris, vel secundum totum corpus, adeo quod totum abluatur corpus, vel secundũ partem principalem, vel quamcunque in casu necessitatis, vt explicatum est dist. 4. q. 2. ex quo sequitur, quod bruta non sunt baptizanda, nec angeli, nec dæmones, nec existentes in Limbo.

Tertio dicitur aliqualiter consentientis, adeo quod baptizandus consentiat si sit adultus, idest, quod intendat recipere illud, quod ecclesia Christiana intendit dare; non requiritur tamen intentio actualis, nec forte necessario virtualis intentio: quia minor consensus sufficit ad susceptionem sacramenti, quam ad meritum; sed ad meritum sufficit virtualis consensus, ergo ad recipiendum sacramentum satis erit habitualis. Præterea quod non vtens ratione sit simpliciter sacramenti capax non habens aliquam dispositionem, id est, nec actualem, nec virtualem intentionem, & tamen vtẽs ratione non habens illam nullo modo sit capax nõ videtur probabile: quia nulla dispositio videtur necessario requisita, vel non requisita propter vsum rationis, vel non vsum.

Quarto dicitur facta in aqua: quia materia remota baptismi ex Christi institutione est aqua.

Quinto dicitur elementari; per quod excluditur quicunque humor mixtus, qui dicitur æquiuoce aqua, vt aqua rosacea, graminis, endiuiæ, &c. ex quo sequitur quod nulla aqua artificialis potest esse materia baptismi, nec fieri potest baptismus in sputo, nec in vrina, nec in sudore, & sic de alijs de quibus dictum est distin. 3. q. 3.

Sexto dicitur fluida, idest, fluxibilis, ideo in gelu, vel in niue, vel glacie non potest quis baptizari, neque si aqua fuerit terræ, vel farinæ imbibita, vt ex ea fiat lutum, aut massa, vel pasta, vel qualitercunque mixta per iuxta positionẽ corporum grossorum, ita vt ablutio fieri nequeat.

Septimo dicitur ab alio, ex quo sequitur, quod nemo potest seipsum baptizare, vt diximus, dist. 6 q. 4.

Octauo dicitur facta a sacerdote: quia ordinarie minister baptismi est sacerdos, dicitur simul abluente, & verba certa actum, & suscipientem cum inuocatione Trinitatis significantia: quia sacerdos quãdo baptizat debet simul dicere verba, & abluere, debẽtq; ablutio, & formæ prolatio esse ab eodem, vt dictum est, dist. 6. q. 3. debent insuper verba actum baptizandi, & personã baptizandã cũ inuocatione sanctissimæ Trinitatis explicite explicare: quæ tria necessaria sũt de necessitate forma, prout explicauimus dist. 3. q. 2.

Additur postremo habente intentionẽ tam in abluendo, quam in proferẽdo &c. quia requiritur, quod minister abluens, & verba proferens intendat facere, quod Christus instituit faciendum, vel quod ecclesia Christi intẽdere facit, estq; hæc intentio in ministro necessaria, non quidẽ actualis, sed virtualis: quia habitualis non sufficit. Et sic habemus tam suscipientem, quam conditiones necessarias in suscipiẽte: quia hominem viatorem aliqualiter consentientem, habemus conferentem, & cõditiones necessarias ex parte eius scilicet quod sit abluens, & verba proferẽs, & hoc simul, & debite intendens. habemus materiam, quæ est ablutio in aqua elementari: ablutio ecce materia propinqua; in aqua elementari ecce materia remota, habemus formã: quia verba certa exprimentia actum baptizandi, & suscipiẽtem cum inuocatione Trinitatis. habemus id, quod pertinet ad rationem formalem baptismi, scilicet ex institutione diuina efficaciter significans, habemus correlatiuum, quia ablutionẽ animæ a peccato.

Si vero iuxta primam opinionẽ de fundamẽto significationis,

tionis, quam de formali importat baptismus, ponamus relationem signi non fundari in ablutione, vt in fundamento totali, sed in ablutione, & verbis tamquam in vno fundamento instituto ad signandum effectum vnum, tunc posset poni ratio baptismi talis completa. Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ a peccato consistens in ablutione hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquã vsi, facta in aqua elementari fluida, cum prolatione verborum actum, & suscipientem, & ministrũ cum inuocatione Trinitatis designatiuum ab alio simul abluente, & verba ista proferente, & intendente facere, quod facit ecclesia Christiana. Et tunc eadem est ibi expositio particularum istius rationis, quæ fuit & prioris. Nisi quod in ista ponitur primo illud, quod pertinet ad formalem rationem baptismi, cum dicitur Sacramentum, & correlatiuũ eius, cum dicitur ablutionis animæ a peccato, & postea illa, quæ pertinent ad fundamentum, cum dicitur consistẽs in ablutione &c. Nec est differentia nisi quia non ponitur totale fundamentum istius relationis vtroq; modo idẽ, vtroq; tamen modo idem principaliter importatur: quia siue per solam ablutionem, siue per ambo, s. ablutionem, & verba, sunt tamen ambo vnum signum integrum institutum quidem primo ad signandum principale signatum istius signi, scilicet vt abluatur anima a peccato, & hoc a Deo Trino & vno in cuius nomine baptizamur. Cui est gloria in sæculorum sæcula Amen.

Vt postremam manum tractatui de baptismo imponamus, explicandi sunt ritus, qui in baptismo solemni seruantur, & qui in primitiua ecclesia seruabantur. Sunt autem ritus seu ceremoniæ baptismi in triplici differentia: nã quædam ipsum baptismum præcedunt, quædam comitantur, quædam vero ipsum baptismum sequuntur.

Cæremoniæ, quę ipsum baptismum antecedunt sunt 12. indifferenter loquendo tam de adultis, quam de paruulis. Prima cæremonia est, quod Catechumeni, qui baptizari cupiunt dant nomen suum: nam qui animum ad Christi fidem applicabant primo, ad res fidei audiendas admittebantur, quam baptismum peterent, & hi generali nomine solent appellari catechumeni, specialiter tamen dicuntur audientes, vt distinguantur ab alijs, qui competentes vocãtur, vt notat Rabanus lib. 1. de institut. Cler. c. 26. *[Rabanus.]*

Secundo qui iam omnino decreuerant fieri Christiani baptismum petebant, & sua nomina dabant, vt constat ex Dionysio ca. 2. de Ecclesiastica hierarchia. Vnde Clemens epist. 3. Accedat qui baptismum vult ad sacerdotem, & nomen suum det, & ex eo tempore dicebantur competentes seu electi, & recipiuntur ab ecclesia, vt instruantur, & præparentur ad baptismum. Hinc sunt duo genera catechumenorum, vt docet Rabanus vbi supra c. 25. Vnum eorũ, qui audiunt conciones, & volunt fieri Christiani, sed nondũ petunt baptismum, & hi dicuntur auditores seu audientes, alij petunt baptismum, & dicuntur competentes seu electi, qui sua nomina dabant, quæ quidem nomina non erãt nomina gentilitatis antiqua, sed ea quæ baptismum suscepturi sibi eligebant, quæ futura erant non gentilium, sed sanctorum nomina, iuxta id quod sancitum est in Concilio Niceno can. 30. vbi etiam dicitur nomina Christianorum imponenda esse in baptismo, vel quæ ipsi sibi eligunt si sũt adulti, vel parentes seu susceptores si sunt paruuli, quæ nomina in ecclesia scripta seruabantur, vt colligitur ex cap. Legum ecclesiasticarum. 2. q. 1. & ex Eusebio lib. 7. hist. ca. 20. & lib. 8. c. 21. & Nicephoro lib. 6. c. 12. *[Dionysius. Clemens. Conc. Nicæ. Eusebius. Nicephor.]*

Secunda cæremonia est scrutinium, quo nomine significatur proprie examen, & exploratio quædam, an competentes firmiter credant, & syncere, tamen continet hoc nomen etiam catechismum, & exorcismum, & omnes cæremonias, quæ fiunt ab eo die, quo nomen dederunt, vsq; ad eum diem quo baptizantur; fiebant autem septem scrutinia infra illos 25. dies a die quo dabantur nomina, vsq; ad diem baptismatis, quorum principale erat tertium, & fieri solebat Feria 4. post Dominicam quartam quadragesimæ; tunc enim fiebant fere omnes cæremoniæ, de quibus mox dicemus.

Tertia est, quod catechumeni sæpe signabãtur signo crucis in fronte, & pectore. In singulis enim scrutinijs, vel a presbyteris, vel a Clericis imprimebatur illis signum crucis, per quod (teste D. August. lib. 2. de symbolo, c. 1. & li. 4. c. 1. & lib. de fide, & operibus c. 6.) in vtero sanctæ Matris Ecclesiæ catechumenus concipitur, meminit huius cæremoniæ Dionysius loco citato, & Basilius lib. de Spiritu sancto. ca. 27. vbi ponit hanc cæremoniam inter apostolicas traditiones. *[D. August. Dionysius. Basilius.]*

Quarta, & solemnissima ceremonia est abrenunciatio Satanæ, & operum eius, quæ sæpe repetitur tum in scrutinijs, tum etiam postea paulo ante baptismum. Nam dicit Sacerdos, Abrenuncias Satanæ, & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius? & baptizandus, vel Patrinus respondet, Abrenuncio, & hæc cæremonia sine dubio ab Apostolica traditione descendit, nam eius meminit Clemens. li. 7. Constitutionum c. 41. & 42. Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. Cyrillus Hierosol. catec. 1. Mystagogica, & alij Patres. *[Clemens. Dionysius. Cyrilus.]*

Quinta erat fidei professio, quam sæpius interrogati respondebant in illis catechumini diebus, & postea etiam in ipso die baptismi per publicam symboli confessionem, meminit huius cæremoniæ Clemens Dionysius, & Cyrillus locis citatis, & patet ex Conc. Cartag. 1. c. 1. *[Conc. Cart.]*

Sexta cæremonia est exorcismus, id est adiuratio dæmonum certis precibus facta, vt recedant ab homine baptizãdo. huius cæremoniæ meminit Diony. loco citato. Nazian. orat. in sanctum lauacrum, & Cyrillus Hierosolym. catechef. 1. mystagogica. *[Dionysius. Nazian. Cyrilus.]*

Septima cæremonia est exsufflatio, quæ quidem annectitur exorcismis: nam & verbis exorcismorum expelluntur dæmones, & ceremonia exsufflationis significatur eorum expulsio, estq; simul significatio boni spiritus, quem recipiunt homines cum recedit spiritus malus. meminit huius cæremonię D. August. lib. 6. contra Iulianum c. 2. & de ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. vbi dicit exsufflationibus Clericorum spiritum immundũ abigi tam a paruulis quam ab adultis. *[D. August.]*

Octaua cæremonia est gustus salis, datur enim catechumenis gustandum sal, qua cæremonia aut diuinæ sapientiæ initio, aut fidei confessio significatur, vt colligi potest ex Origene hom. 6. in Ezech. in illa verba c. 2. Aqua non est lota in salutem, nec sale salita. & ex Beda lib. 2. in Esdram. c. 9. & tradittur de consecrat. d. 4. cap. Sal cœlestis sapientiæ, & in Concil. Carthag. 4. c. 5. *[Origenes. Beda. Conc. Cart.]*

Nona cæremonia est cum tanguntur saliua seu sputo nares, & aures, & dicitur eis Ephata, i. adaperire, in signum receptionis, & approbationis Doctrinæ fidei, quam cæremoniam esse antiquissimam constat ex D. Ambrosio lib. 1. de Sacramen. c. 1. & de ijs, qui initiantur myster. c. 1. vbi etiam adfert exemplum Domini, qui Marci 7. sputo tetigit linguam muti, & aures surdi, & dixit Ephata. *[D. Ambros.]*

Decima est impositio manuum, ac benedictio sacerdotalis, qua significatur, vel etiam impetratur, vt dæmoni pręcludatur via, ne iterum redeat. huius cæremoniæ, quæ ad manus impositionem meminit Clemens lib. 7. consti. Apost. c. 39. & 40. & Concil. Hispal. 2. c. 7. & Carthag. 4. c. 85. & quo ad Sacerdotis benedictionem Dionysius loco citato. *[Clemens. Conc. Hisp. Conc. Cart. Dionysius.]*

Vndecima est vnctio olei sanctificati, qua significatur aptitudo hominis ad pugnandum contra dæmones, vt patet ex D. Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 2. & lib. 3. c. 1. & hac vnctio his liebat, ante baptismum semel in pectore, & iterum in scapulis meminit huius vnctionis Clemen. lib. 3. Recognitionum, & Chrysost. hom. 6. in c. 2. epist. ad Colossen. & D. Aug. ser. 206. de tempore. *[D. Ambros. Clemens. Chrysost. D. August.]*

Duodecima est abstinẽtia vini, & carnium, & etiam rei vxoriæ aliaque opera pœnitentiæ, non quidem ad satisfactionem, sed vt præparatiores accederent ad sacramentum baptismi, vt patet ex Cyrillo Catechesi 1. Nazian. orat. in sanctum lauacrum. Aug. lib. de fide, & operibus c. 6. & ex Concil. 4. Carthag. can. 85. *[Cyrillus. Nazian. D. August. Conc. Cart.]*

Cæremoniæ autem quæ baptismum comitantur sunt quinque. Prima imponitur nomen baptizato: Nam quemadmodum in Circumcisione impenebatur nomen patuulo, vt patet Lucæ 1. de Ioan. & Lucæ 2. de Christo ita in baptismo nomẽ imponitur. huius cæremoniæ meminit Dionysius loco supracitato; Vnde veteres, qui baptizabantur, vel in fine vitæ, vel certe valde adulti nõ mutabãt nomina in baptismo, vt patet de Saulo Act. 9. de Cornelio Act. 10. & de Ambros. & August. & alijs; verum cum baptizabantur infantes solebant patres eorum imponere nomina sanctorum, vt modo facimus, id patet ex Diony. Alexan. apud Eusebium lib. 7. hist. c. 20. imo de hac re, vt diximus supra *[Dionysius. Dionysius Alex.]*

extat

Digitized by Google

extat Canon. 30 Conci. Niceni, in quo iubentur Christiani in baptismo nomina imponere filijs suis non Gentiliũ sed Christianorum, verba Concilij sunt hæc. Vt fideles nomina gentilium filijs suis non imponant, sed potius omnis natio suis nominibus vtatur, vt gentiles suis vtuntur. Imponanturq; nomina Christianorum in baptismo, dũ legitur scriptura, & baptizantur in nomine sanctissimæ Trinitatis semper colendæ & adorandæ.

Secunda cæremonia est, vt habeant susceptores a quibus de sacro fonte leuãtur, & postea diligentius in fide instruũtur. Hos vocat Dionysius Areopagita de ecclesiastica Hierarchia c. vlt. susceptores. Tertullianus lib. de baptismo spõsores appellat, nos communiter Patrinos. *Dionys. Areop.* *Tertul. lib.*

Tertia est consecratio aquæ, vt aqua prius benedicatur, & consecretur, quam ad vsum baptismi assumatur, quamquam enim hoc non sit de substantia sacramenti, vt satis cõstat ex supradictis, & ideo necessitate vrgente quacumque aqua naturali perfici possit baptismus, vt habetur etiam in decretis Victoris Papæ, 1. tom. Conciliorum. nihilominus antiquissima consuetudo Ecclesiæ obtinuit, vt prius aqua benedicatur seu sanctificetur, meminit huius ritus Dionysius c. 2. de Ecclesiast. Hierar. Cyprianus lib. 1. epist. vlt. Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 5. Basilius lib. de Spiritu sancto. c. 27. vbi dicit hanc esse Apostolicam traditionem. *Victor Papa.* *Dionysius.* *Cyprianus.* *Ambros.* *Basilius.*

Quarta cæremonia est trina mersio, cuius meminit Clemen. can. 49. Apost. Diony. loco citato. Tertullianus lib. de corona militis, & li. contra Praxeam, Cyrillus Cateche. 2 Basilius li. de Spiritu sancto 27. Chrysost. hom. 24. in Ioã. & August. ser. 91. & 201. Obser. est tamen Arrianos abusu cœpisse hac cæremonia, vt scribit B. Greg. lib. 1. epist. 41. ad Leãdrum, ad suum errorem stabiliẽdum, nam cum trina mersio fieret a Catholicis ad significandum tres personas diuinas, & triduum sepulturæ Christi, vt Greg. ibidem dicit. Arriani trina mersione vtebantur ad significandas tres naturas trium personarum. Quare & tunc Greg. visum est, vt in Hispania vna mersio fieret, & idem paulo post confirmauit Conci. Tolet. 4. cap. 5. Nunc autem pro regionum varietate, vel vna, vel trina mersio adhibetur, neutrum enim est de essentia sacramenti, vt Gre. & Conci. Tole. testantur, & nos supra ostendimus. *Clemens.* *Dionysius.* *Tertull.* *Cyrillus.* *Basilius.* *Chrysost.* *August.* *Gregor.* *Conc. Tole. 4*

Quinta cæremonia est tempus Paschale, & Pentecostes, & si enim quouis tempore possit dari baptismus si necessitas vigeat, veteres tamen diligentissime obseruabant hanc cæremoniam, vt solum in sabbatis Paschæ & Pentecostes ordinarie baptizarent. Extant de hac re Epistolæ decretales Syriaci Papæ ad Himerium c. 2. Leonis 1. epist. 4 & epist. 80. & Gelasij epist. 1. cap. 12. vbi seuerissime reprehendunt Episcopos quosdam, qui audebant extra casum necessitatis baptismum conferre in Epiphania, aut festis diebus Martyrum, & iubent, vt seruetur antiqua consuetudo, vt solum in Paschate, & Pentecoste detur baptismus. Item esse hanc antiquam, & vniuersalem consuetudinem patet ex catechesibus Cyrilli, quæ ideo in Quadragesima habitæ sunt, quia præparabant ad baptismum in Paschate celebrandum. Denique, placuisse Deo hanc cæremoniam colligi potest ex miraculo, quod narrat Paschasinus Episcopus in epist. ad sanctum Leonem, quæ habetur ante epist. 64. S. Leonis vbi dicit, in Sicilia suo tempore fuisse sacrum fontem in quadam perexigua ecclesia in quodam monte sita, qui toto anno aridus manebat, & in sola Paschatis vigilia, quo tempore datur baptismus aquis redundabat hora baptizandi, cum nulli canales, nullæ fouee numquam aqua vicina conspiceretur, imo Alcuinus horam baptismi designat scilicet, horam diei nonã, vel quia ea hora Christus obijt, vel quia ea hora Petro oranti reuelatum est, vt gentes ad baptismum reciperet, & Cornelium baptizaret. *Siricius Papa.* *Gelasius Papa.* *Leo Papa.* *Cyrillus.* *Paschasinus.* *Alcuinus.*

Ratio litteralis huius institutionis ea forte est, quam refert Aureolus in 4. d. 6. q. 1. vbi tria distinguit ecclesiæ tempora in quibus in baptismo conferendo alius, & alius seruabatur modus. *Aureolus.*

In primo enim ecclesiæ persecutionis tempore baptismus paruulis non dabatur, & hoc propter apostasiam, ne baptizati coacti postmodum a Principibus, vel nutriti a parentibus in errore ipsorum in fidei contumeliam apparerent.

Deinde per Constantinum data per totum orbem Ecclesiæ libertate, licitum fuit parentibus filios baptizare; tamen adhuc permanebant vsq; ad perfectam ætatem, & tunc ponebatur in optione eorum, vtrum placeret eis baptismus; quod si acceptabant tenebantur adhuc multo tempore in statu probationis, quo tempore dicebantur Catechumeni, & hoc quia nondum erat Ecclesia plene confirmata, & multiplici de causa erant apti homines ad apostasiam.

Vltimo vero tempore, quando fuit plene ecclesia confirmata, ac apostasia exclusa, statutum est, quod paruuli baptizarentur, hanc rationem indicat Rupertus Abbas lib. 4. de diuinis officijs c. 18. dicens. Postquam Christianitas creuit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est: quia periculosum erat tantam multitudinem differri propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ sunt, maxime propter turbam infantium ex fidelibus parentibus nascentium, quorum tenera vita persæpe leui occasione succiditur, visum est sanctæ ecclesiæ passim indulgentia baptizandi concessa cuncta anteuenire pericula. *Rupertus.*

Mystica vero ratio est, quam attingit Leo Papa, Tertul. & alij Patres, s. quod baptismus ex passione Domini delendi peccata habet efficaciam, & ad instar resurrectionis eius nos transfert de morte ad vitam, & ideo merito, eo die celebratur, quo passio Domini consũmata est, & resurrectio. Adduntur vero dies Pentecostes, vel quia toto illo tempore resurrectio Domini, & festiuitas Paschalis celebratur, & ibi consummatur, vel quia tunc gratia Spiritus sancti copiosius diffusa est, vel quia tunc baptismus ab Apostolis publice celebrari, ac prædicari, & ministrari cepit. Hæc autem consuetudo vsque ad tempora Caroli magni durauit, vt Rhenanus in annotationibus in lib. Tertull. de baptismo annotauit, postea vero aboleri cœpit, iamq; omnino antiquata est, quantum ad obligationem præcepti spectat: nam quantum ad obseruantiam, & memoriam adhuc Romæ huius consuetudinis vestigia seruari videmus: nam licet alijs etiam temporibus anni baptismata celebrari consueuerunt, tamen illis duabus festiuitatibus speciali (vt par est) solemnitate fiunt. *Leo Papa.* *Tertul.* *Rhenanus.*

Sexta circumstantia est locus, de quo constat, nec ex natura rei, nec ex diuino iure quicquam esse præscriptum, vnde olim in fluuijs, fontibus, in priuatis domibus, & alijs locis similibus baptizabantur fideles, vt ex Act. 2. 8. 10. & 16. colligi potest. Quamuis autem diuina lex circa hoc in particulari nihil statuerit, aut decreuerit, tamen quia baptismi sacramentum res est admodum sacra, & prima, & solemnis Christianæ religionis professio. Ideo postquam res ecclesiasticæ ad conuenientem ordinem reduci potuerũt, merito certa sunt loca designata, vt in eis baptismus administretur, vt olim baptisteria dicebantur, vt constat ex Concilio Antisiodorensi sub Deusdedit c. 14. vbi prohibet mortuorum corpora in baptisterio sepeliri, extabatq; vt colligi potest ex antiquis decretis huiusmodi baptizandi locus ab ecclesia separatus: imo in singulis Ciuitatibus seu oppidis vnus tantum existebat. Postea vero in singulis Parochijs sunt propria baptisteria designata, atq; ita hic mos ab Ecclesia institutus seruatur, vt in singulis Parochijs sit fons ad baptizandum fideles deputatus, & consecratus. Vnde iã non licet (casum necessitatis semper excipio) extra ecclesiã etiam in priuatis Oratorijs quempiam baptizare, vt expresse statuitur can. 59. Trullano, & colligitur ex Conc. Meldẽ. c. 48. & in Clemen. vnica de baptismo, vbi filios Regum, & Principum ab hoc præcepto excipit, vbi Glossa late disputat, qui nomine Principis comprehendantur, & adductis varijs iuribus, concludit illa voce plus videri significari, quam nomine Ducis Marchionis &c. quod, verum videtur, præsertim quando hi non sunt supremi, sed sub Regib. constituti. Solum ergo uti posse videntur hoc priuilegio Reges, vel alij supremi Potentatus, qui fere Regibus æquiparantur. *Conc. Antis.* *Conc. Meld.*

Possit his addi septima circumstantia de Ministro solemniter baptizante, quo ad aliqua vestimenta sacra, quibus ornari debet minister, qui Sacramentum baptismi solemniter ministrat, de quibus seruanda est ecclesiæ consuetudo, & officium Romanum, seu alij recepti rituales libri consulendi. Communis tamen vsus obtinuit, vt Minister solemniter baptizans, saltem superpellicio, et stola amictus sit, quem stolæ vsum antiquissimum esse in hoc ministerio colligi potest ex Theodoreto lib. 2. hist. c. 27. vbi refert Constantinum Machario Hierosolymorum Episcopo stolã ex aureis filis contextam dedisse, vt ea amictus Sacro sancti baptismi munus obiret. *Theod.*

Cære-

Digitized by Google

Cæremoniæ vero, quæ baptismum sequuntur sunt quinq; Prima videtur fuisse osculum pacis in signum, quod baptizatus esset frater noster, meminit huius cæremoniæ Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum Respondet enim quibusdã, qui existimabant nõ esse baptizandos infantes recenter natos, & in argumentum afferebant, quod oporteret osculum dari baptizato, omnes autem horrent infantem recenter natũ osculari. Respondet Cyprianus nihil esse cur horreat Christianus osculari eum, quem Deus ipse creauit.

Secũda cæremonia est vnctio chrismatis in vertice, quæ quidem introducta videtur, quia non semper adest Episcopus, qui possit continuo dare post baptismum sacramentũ confirmationis; interim enim vngitur a presbytero baptizatus non quidem in fronte, sed in vertice chrismate ab Episcopo consecrato: meminit huius cæremoniæ Damasus in vita Siluestri, Innocentius 1. Epist. 1. c. 3. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 1. & D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos vbi dicit presbyteris non licere sine chrismate baptizare.

Tertia cæremonia est cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei, & gratiæ acceptæ, & quod sit translatus a potestate tenebrarum ad lumen, & sortem sanctorũ. meminit huius cæremoniæ Gregorius Nazian. in orat. in sanctum lauacrum, & D. August. in psal. 65. in illud. Transiuimus per ignem, & aquam.

Quarta est vestis candida, quam ferre solebant à Sabbato sancto vsque ad Dominicam in albis. meminit huius Dionysius de ecclesiast. Hierarchia cap. de baptismo, Ambros. lib. de ijs, qui myst. initiant. c. 7. & D. August. ser. 157. de tempore, qui est primus in octaua Paschatis.

Quinta cæremonia olim fuit delibatio lactis, & mellis, seu vini, quæ tamen hoc tempore non est in vsu, meminit huius cæremoniæ Tertull. lib. 1. contra Marcionem, & D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, vbi dicit id fieri consueuisse in signum nouæ infantiæ in Christo. Vnde etiam in Missa Dominicæ in Albis legitur propter Neophytos illud ex epist. Petri. Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. Sed hæc cæremonia non videtur fuisse generalis, cum tantum in Occidente eam viguisse scribat Hieronymus in cap. 55. Esaiæ in illud, Emitte vinum, & lac, ita vt non mirum sit prætermissa tandem fuit; sicut etiam illa, cuius meminit D. Ambros. lib. 3. de sacram. c. 1. lauandi pedes Neophytis mos a baptismo particularis erat quarũdam ecclesiarum, & ideo facile exoleuit, & hæc de tota materia baptismi cum Doct. Sub. dicta sufficiant. Quæ Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ censuris humiliter, & ex animo submittimus. Amen.

Cyprianus. *Damasus.* *Innocent. 1.* *Ambrosius.* *Hieronym.* *Greg. Naz.* *August.* *Dionysius.* *Ambros.* *Augustin.* *Tertull.* *Hieronym.* *Ambros.*

DISTINCTIO VII.

De Sacramento Confirmationis.

Nunc de Confirmationis Sacramento addendum est &c. *Hæc est 7 dist. huius 4. sent. in qua postquam Magister determinauit de sacramento merantiũ, scilicet de baptismo, consequenter determinare intendit de sacramento progredientium in via, scilicet de sacramento confirmationis, & diuiditur in partes quinque continentes sex conclusiones.*

Prima Conclusio. Forma confirmationis sunt verba, quæ episcopus dicit quando Crucem facit in fronte confirmandi cum chrismate. Quæ verba sunt ista. Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Secunda Conclusio. Materia confirmationis est chrisma consecratum, in quo sunt duo, scilicet Oleum oliuarũ, & Balsamus, ex institutione Christi. Cur autem chrisma ab Episcopo consecratum sit, propria huius sacramenti materia, explicabimus in quæstionibus.

Tertia Conclusio. Minister sacramenti confirmationis est solus Episcopus. Probatur: quia sicut in politia corporali bene ordinata ita suo modo debet esse in spirituali politia. sed sic est quod in corporali politia bene ordinata pro mouere aliquem ad statum, & gradum excellentia super alios, vt v. g. facere militem pertinet ad illum, qui curam habet communitatis, vt puta Principem. ergo ita in Politia spirituali: quia confirmatus, per confirmationis sacramentum ponitur in statu excellentiæ super alios, efficitur enim confirmatus Christi miles, conferre hoc sacramentum ad solum spectat Episcopum. Sic enim tempore Apostolorum ab alijs, quam ipsis Apostolis legitur hoc Sacramentum peractum, nec ab alijs, quam ab illis, qui locum eorum tenent perfici potest, & debet. Nam si aliter præsumpeum fuerit irritum habetur, & vacuum, nec inter ecclesiastica Sacramenta reputabitur. licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. ita Eusebius Papa epist. 3. ad episcopos Camp. & Tusciæ de consecr. d. 5. cap. Manus.

Quarta Conclusio Virtus Sacramenti confirmationis est donatio Spiritus sancti ad robur, qui in baptismo datus est ad remissionem. Probatur primo ex Rabano lib. 1. de Institut. Clericorum c. 3 1. & refertur de Consecrat. d. 5. c. Nouissime a summo Sacerdote per impositionem manus Paraclesus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum alijs idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vita donatus aeterna. secundo probatur ex Vrbano Papa 1. epist. 2. & refertur de Consecrat. dist. quinta, cap. Omnes fideles, vbi ita legitur. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, vt pleni Christiani inueniantur.

Quinta Conclusio Sacramentum confirmationis maius esse videtur baptismo veneratione, licet baptismus plus valeat in peccatorum remissione. Prima pars probatur. Tum quia hoc Sacramentum a dignioribus confertur, vt dicit Melchiades Papa in epist. ad Hispaniarum Episcopos. Tum quia in digniori corporis parte fit, scilicet in frõte, & quia forte per ipsum maius augmentum virtutum præstatur, quod v. deitur innuere Rabanus libro primo, de instit. Cler. cap. 30. dicens in baptismi vnctione Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam, in hac vero eiusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis, & virtutis venire in hominem, de cons. d. 5. cap Nouissime.

Sexta Conclusio. Confirmatio ieiunis, & a ieiunis detur, nec semel data vlterius iteretur. Hæc conclusio quo ad primam partem probatur ex Concilio Aurelian. cap 3. & ex Concil. Melden c. 6. Secunda pars probatur ex Concilio Terraconensi c. 6. & ex Greg. 3 epist. 4 ad Bonifacium, qua videri possunt de Consecrat. d. 5. cap. Vt ieiuni, cap. vt Episcopi cap. Dictum est nobis. & cap. de homine. Hæc Magister in hac septima distinctione circa quam quærit primo Scotus, quid sit Sacramentum confirmationis.

Conclusio *Conclusio* *Conclusio* *Eusebius Papa* *4. Conclusio* *Rabanus.* *Vrba. Papa* *5. Conclusio* *Melchiades Papa.* *Rabanus.* *6. Conclusio* *Conci. Aur. Con Meld. Co. Terrac. Gregorius 3*

QVÆSTIO I.

Virum Sacramentum Confirmationis definiri possit.

PRo explicatione tituli obser. est primo, hoc Sacramentum apud veteres alias quasdam appellationes habuisse, partim ex eius forma, partim ex eius materia, partim etiam ex effectu, & ritu ductas; nam ab effectu, ritu, & forma, quia ibi fit consignatio iam interior per gratiam, & characterẽ, quam exterior crucis in fronte, eaq; in verbis formæ explicatur, dictum est a Clemente in epist. 4. Sacramentum

Sacramentũ confirmatio nis quemadmodum apud veteres sit appellatum. Clemens.

mentum consignationis, quod etiam notatur ex Rabano de *Rabanus.* consi. d. 5. cap. Nouissime. Eadem ratione appellatum est à *Cyprianus.* Cypriano in epist. ad Iubaianum signaculum Dominicum, *D. August.* & ab August. lib. 19. contra Faustum c. 14. signum Christi, *Corn. Papa.* item signaculum a Cornelio Papa vt refert Eusebius lib. 6. hist. c. 33. A materia a D. Dionysio c. 4. de Ecclesiast. hierch. *Dionysius.* dicitur munctio, & Sacrum vnguentum a D. Cypriano lib. *Cyprianus.* 1. epist. 12. & a D. August. lib. 2. contra Petil. c. 104. appella- *D. August.* tur Sacramentum chrismatis, & lib. 5. de baptismo contra Donatistas c. 20. oleum sanctificatum.

Deniq; a ritu, quo per Apostolos olim solebat dari effe- *D. August.* ctus huius sacramenti Act. 8. & 19. vocatur impositio manuum, quo vocabulo vtitur etiam D. August. tractans de hoc Sacramento lib. 3. de baptis. contra Donatistas ca. 16. & alij passim Patres, & Pontifices, vt patet in multis decretis, quæ referuntur de consecrat. d. 5.

Appellatũ est sacramẽtum confirmationis ab effectu. Secundo obser. est, quod hoc sacramentum nomen confirmationis accepit ab effectu suo, nam præstat robur, & augmentum gratiæ spiritualis, & baptizatos, qui nunc (vt D. Petrus epist. 1. c. 1. loquitur) sicut modo geniti infantes confirmat, & reddit idoneos milites, vt vincant tentationes contra Christianam fidem, & est id nomen in ecclesia vsitatum in Concil. Aurelian. apud Gratianum de consi. d. 5. *Conc. Aure.* can. vt ieiuni, imo ante mille ducentos annos a Melchiade *Melchiades Papa.* Papa & Martyre in epist. sua decretali ad Episcopos Hispaniæ, cum ait per hoc Sacramentum confirmari nos ad pugnam. Item confirmatio, inquit, armat & instruit ad agonẽ vitæ istius. Hæc duo quo ad nomen sufficiat annotasse: nã cætera explicabuntur in quæstione, quam in 14. articulos diuidimus.

Primus Art. Vtrum confirmatio sit nouæ legis Sacramentum.

Secundus Art. Vtrum Sacramentum confirmationis fuerit a Christo Domino in nocte cœnæ institutum.

Tertius Art. Vtrum materia confirmationis sit chrisma ex oleo, & Balsamo compositum.

Quartus Art. Vtrum de necessitate materiæ confirmationis sit chrisma ab Episcopo consecratum.

Quintus Art. Vtrum ex commissione Summi Pontificis Sacerdos possit chrisma conficere.

Sextus Art. Vtrum de essentia propinquæ materiæ confirmationis sit, quod vnctio & consignatio fiat in fronte confirmandi manu seu pollice Episcopi.

Septimus Art. Vtrum omnia, quæ ponuntur in forma confirmationis sint de substantia formæ.

Octauus Art. Vtrum quilibet homo sit subiectum capax confirmationis.

Nonus Art. Vtrum in quacumq. ætate possit homo baptizatus confirmari.

Decimus Art. Vtrum solus Episcopus possit hoc Sacramentum conferre.

Vndecimus Art. Vtrum Episcopus hæreticus ab ecclesia præcisus siue suspensus, vel degradatus possit esse minister Sacramenti confirmationis.

Duodecimus Art. Vtrum D. Gregorius Papa presbyteris Sardiniæ facultatem dederit confirmandi.

Decimus tertius Art. Vtrum ex commissione Papæ hoc Sacramentum possit conferri a simplici Sacerdote.

Decimus quartus Art. Vtrum Sacramentum confirmationis speciales gratiæ effectus conferat.

ARTICVLVS I.

Vtrum confirmatio sit nouæ legis Sacramentum.

RAtio dubitandi est, quia in scriptura nulla fit mentio huius Sacramenti. Secunda quia nulla videtur esse eius necessitas, nam baptismus sufficit ad spiritualem regenerationem, & vitam. Eucharistia ad augendam, nutriendam, & conseruandam. Quapropter multi hæretici ausi sunt Sacramentum hoc negare aut contemnere, quorum patẽs videtur fuisse Nouatus, ita enim de illo scribit Theo- *Theodoret.* doretus lib. 3. hæreticarum fabularum cap. de Nouatio. ijs qui ab ipsis, idest, Nouatianis tinguntur, sacrum chrisma nõ præbent, quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur benedicti Patres vngi iusserunt. No- *Armacanus* uatianos deinde secuti sunt Armeni, vt Armacanus commemorat lib. 9. de erroribus Armenorum c. 10. eumdem errorem secuti sunt Vualdenses, vt refert Aeneas Siluius de *Aeneas Siluius.* origine Bohemorum c. 35. deinde Ioannes Vuiclefus, vt testatur Thomas Vualdensis lib. 2. de Sacram. c. 113. Item flagellantes apud Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ *Tho. Vual. Sanderus.* hæresi. 165. Item Pauperes de Lugduno, Rutheni, Lutherus, Caluinus, & reliqui noui sectarij, vt videre licet apud *Prateolus.* Prateolum sub eorum nominibus, & Lindanum lib. 4. Pa- *Lindanus.* noplıæ. c. 26. Richardum art. 12. Bellar. lib. de confirmatio- *Bellar.* ne, & alios, qui hoc tempore contra hæreticos scripserunt.

Dicendum est tamen, in lege noua esse quoddam sacramentum a baptismo, & cæteris distinctum, ad diuersum finem, & effectum, & sub diuerso signo sensibili institutum, *Conclusio.* quod a Patribus confirmatio appellatur, hæc conclusio est de fide, & probatur primo ex scripturis sacris. Nam act. 8. Sic legimus. Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbũ Dei miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum venissent orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, quem locum Patres de hoc confirmationis Sacramento apertissime explicant. Cy- *Cyprian.* prianus enim in Epist. ad Iubaianum ita scribit. Illos qui baptizati erant à Philippo, baptizari vltra non oportebat, sed tantummodo, quod deerat id à Petro, & Ioanne factũ est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita inuocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico facti videlicet chrismatis, consignentur. hæc ille.

Idem D. August. lib. 15. de Trinit. c. 26. Orabant, inquit, *D. August.* Apostoli, vt veniret Spiritus sanctus in eos, quibus manus imponebant, quem morem etiam in suis præpositis seruat ecclesia, quando scilicet oleo visibili baptizatos vngit.

Idem attestatur D. Hieronymus in dialogo aduersus Lu- *D. Hieron.* ciferianos. Non abnuo, inquit, hanc ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat cuius exemplum in Act. Apost. habes. hæc ille. Hi igitur Patres, & tota illorum temporum ecclesia, hoc factum Apostolorum ita acceperunt, vt sacramentum quoddam a Baptismo distinctum dari intelligerent, quo ipse daretur Spiritus sanctus. id est, aliquod nouum, & singulare donum Spiritus sancti: nam in ipso baptismo dari Spiritum sanctum, cum sit lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, nemo dubitare potest. Hoc nouum donum intellexit semper ecclesia esse donum confirmationis, seu perfectionis, quo confirmatur Christianus, & perficitur, vnde & nomen accepit. In baptismo (ait Melchiades Papa) rege- *Melchiad.* neramur ad vitam, in confirmatione armamur ad pugnam. Sic Eusebius Emissenus Spiritus sanctus in fonte plenitu- *Euseb. Emis.* dinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Sic August. in præfatione secundæ *D. August.* concionis in ps. 26 hac vnctione spiritualiter homines per- *Clem. Alexan.* fici dicit. Sic Clemens Alexan. apud Eusebium lib. 3. hist. c. 17. narrat Ioannem Euangelistam prædonem quemdam ad Christum conuersum primum baptismo illuminasse, postea sigillo Dominico tamquam perfecta, tutaq; animi eius custodia obsignasse. Hinc deniq; a Patribus supra citatis vocatur Sacramentũ consummans atq; perficiens. hunc effectum Christus Apostolis promisit Lucæ vlt. Sedete in Ciuitate donec induamini virtute ex alto, & Act. 1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes &c. Antea baptizati fuerant, sed accipere spiritum sanctum dicuntur, quando induuntur virtute, & noua fortitudine ex alto.

Præterea Act. 19. legimus quod cum Paulus prædicaret Ephesi, non sufficere baptismum Ioannis: audientes illi fecerunt se baptizare in nomine Domini Iesu, & cum Paulus imponeret manus super eos venit Spiritus sanctus in illos, & cœperunt loqui varijs linguis, & prophetabant. ex vtroque hoc testimonio apparet confirmationem etiam temporibus Apostolorum fuisse sacramentum, illudque Apostolos administrasse credentibus: nam Philippus vnus ex

Diaco-

Digitized by Google

Diaconis septem iam antea per prædicationem suam conuerterat ad fidem Samaritanos, eosq; baptizauerat, quo cõperto Apostoli Petrum, & Ioannem ad eos miserunt, vt cõfirmarent illos, & Spiritum sanctum illis conferrent, quo facto probatur Sacramentum confirmationis: quia exprimit signum externum, quando impositis manibus conferebatur gratia Spiritus sancti, quapropter certum est fuisse hoc Sacramentum.

Tria requiruntur ad essentiã Sacramenti. Nam tria requiruntur ad essentiã Sacramenti proprie dicti, vt etiam volunt sectarij, s. gratiæ promissio, mandatum diuinum, quo id iubeatur ministrari, & signum sensibile cũ verbo, quod sit medium quo applicetur promissio, & hæc tria optime ad hoc Sacramentum concurrunt. Primũ promissio amplissima habetur Ioan. 14. 15. & 16. vbi Dominus spiritum Paracletum Apostolis promisit. Item Lucæ vltim. & Act. 1. vt vidimus supra. Secũdo pro mandato habemus mandati executionem: numquam enim Apostoli ita ordinarie, & secure imposuissent omnibus baptizatis manus, vt veniret super eos Spiritus sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Signum autem sensibile constans ex rebus, & verbis quibus applicetur illa promissio, fuit manus impositio cum oratione.

Et si dicatur, quod ibi nulla fit mentio chrismatis, atque adeo illa impositio manus non fuit Sacramentum confirmationis. In primis dico, quod Apostoli singulari miraculo, & beneficio receperunt illam gratiã promissam sine vllo medio, aut Sacramento in die Pentecostes, vt notum est Act. c. 2.

Secundo dico, quod cęteri recipiebant illam eandẽ gratiam ministerio Apost. per illud mediũ, vt patet Ac 8. Tũc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritũ sanctum. Vnde obser. est, quod varijs modis Apostoli manus imponebant: nam imponebant manus in confirmando. Secundo imponebant manus in conferendis ordinibus, in cõsecrandis presbyteris, & Episcopis, vt patet ex D. Paul. Ti. 1. & Tit. 4. Noli negligere gratiã, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetam cum impositione manuũ Presbyteri. Tertio imponebant manus in Sacramento vnctionis, sicut ait Christus Marci 16. Manus imponent super ægros, & bene habebunt. Ad hæc remissio quoq; peccatorum, & recõciliatio cum ecclesia per manuum impositionẽ est designata, & de ea loquitur D. Augu. li. 3. de baptis. contra Donatistas cum dicit manus impositio non sicut baptismus repeti non potest: quid enim est aliud nisi oratio super hominem? loquitur. n. de ijs, qui redeunt ad vnitatem ecclesiæ, & ab erroribus, & peccatis suis conuertuntur: quod constat ex ipsomet D. August. lib. 5. c. 24. sic dicente Manus impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnẽ culpam esse iudicaretur, propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donũ Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.

Var. modis manus impositio. *August.*

Quando ergo confirmarunt Apostoli baptizatos in manuum impositione dabatur Spiritus sanctus in admirando quodam, & visibili signo, idcirco necessarium non erat ibi esse materiam in qua spiritus sanctus secretius operaretur salutem & sanitatem, inquit August. præterquam, quod etsi non fiat mentio chrismatis quando Apostoli confirmabant per manus impositionem, conuinci tñ non potest Apostolos non esse vsos hac materia: multa. n. Authore Damas. li. 4. de fide c. 13. sine scripto nobis tradita sunt ab Apostolis. Ad hæc scriptura biblica actorum Apostolorum non est amplius, seu longius continuata nisi per triginta annos post Christi passionem, & ex Apostolis quidã superstites fuerunt post excidiũ Hierosolymitanũ, maxime vero Ioannes: quapropter & si confirmassent homines sine chrismate non tamen inde sequeretur id semper esse factum, cum testeantur Dionysius & Fabianus se hanc confirmationis materiam ab Apostolis veluti per manus suscepisse. Constans igitur Doctorũ sententia est Apostolos vsos non esse chrismate in confirmando, quandocumq; Spiritus sanctus in visibili signo apparuit, quod tũc suppleuit locum chrismatis.

Damas. *Dionys. Fabianus.*

Et si quæras, quid fuerit hoc signum visibile, in quo in primitiua ecclesia dabatur spiritus sanctus in Sacramento confirmationis. Dico quod aliqui existimãt fuisse visibilem radium, seu fulgorẽ super confirmatis apparentẽ. Alij putãt spiritũ sanctum datum esse in linguis igneis, sicut & Apostolis, ita. n. de Cornelio, & cognatis suis ait Petrus. Cũ cępissem loqui cecidit spiritusanctus super eos, sicut & in nos in initio, constat autem testimonio Lucæ, quod in Apostolis cecidit Spiritus sanctus in linguis igneis. Sunt adhuc qui affirmant signum illud visibile aliud non fuisse, nisi quod varijs linguis loquebantur, atq; sic habet Glossa: nam cum dicitur imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum ait, quia incipiebãt loqui varijs linguis, quod confirmari potest ex 19. cap. Act. quoniam cum Paulus imponeret manus super Ephesios venit super eos Spiritus sanctus, & prophetabant.

Glossa.

Secundo probatur hæc veritas Summorum Pontificum authoritate. Primo Clemens Papa li. 3. cõst. c. 16. inquit. Tu ergo Episcope illa figura vnges caput illorum, qui baptizantur siue ij viri sint, siue mulieres, oleo sancto in figurã spiritualis baptismi. Deinde vel tu Episcopus, vel tibi subiectus presbyter sacram super ipsos dicens ac nominans inuocationem Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizabis eos in aqua: ac virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa, vt decore tradito infrangibilis sigilli administretur. postea Episcopus liniat baptizatos vnguento, & c. 17. inquit, vnguentum est confirmatio professionis. Quibus verbis materiam, ministrum, & effectum, & nomen confirmationis ab illo desumptum in ecclesia retentum indicauit, & li. 7. c. 44. docet formulam benedicendi chrisma, & epist. 4. scripta discipulis suis Iulio, & Iuliano. parum post medium omnibus, inquit festinandum est sine mora renasci Deo, & demum cõsignari ab Episcopo, & septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia incertus est vniuscuiusq; exitus vitæ, cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo, (vt memoratũ est) confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nũquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit, vt a B. Petro accepimus. & vt cæteri Sancti Apostoli pręcipiente Domino docuerunt.

Clemens.

Secundo Siluester Papa hoc Sacramentum Constantino dedit, sic enim legitur in Edicto Cõstantini, septiformis gratiæ Spiritus sancti liniuit beati chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ Crucis exarauit in mea fronte dicens signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Sylueſter.

Tertio Innocentius 3. in cap. vnico de sacra vnctione §. quia vero ait. Post baptismũ vngi Christianos sancto chrismate in fronte, vt libere confiteantur, quod credunt, & infra, per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur. Prætermitto testimonia Vrbani, Melchiadis, Fabiani, Damasi, Summorum Pontificum, quæ partim superius, & partim adducentur infra agentes de materia huius sacramenti.

Innocent.

Tertio probatur Conciliorum authoritate, huius. n. sacramenti meminit Concilium Elibertinum can. 38. dicens baptizatum perducendum esse ad Episcopum, vt per manus impositionem perficiatur sub his verbis. Peregre nauigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit posse fidelem, (qui lauacrum suum integrum habet nec sit bigamus) baptizare in infirmitatis necessitate positum catechumenum; ita vt si superuixerit ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit, & can. 77. Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel presbytero aliquos baptizauerit Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.

Conc. Elibe.

Secundo est, Concilium Laodicenum can. 48. vbi ita legitur oportet eos, qui baptizantur post lauacrum chrisma cœleste accipere, & regni Christi participes fieri. possẽ adducere multa alia Concilia prouincialia, vt Hispal. 2. can. 7. Cabilonense 2. can. 27. Conci. Terracon. can 6. Con. Paris. li. 1. c. 33. Concil. Melden can. 45. Concil. Arausi. 1. can. 1. Cõc. Colonien. 4. 7. c. 8. Conc. Senonen. in decretis fidei ca. 10. & in decretis morum c. 38. Conci. Mogunt. cap 17. Sed sufficiant tria Concilia generalia. Sexta synodus can. 7. vbi ita legitur constitutum est a sanctis Patribus, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neq; a lauacro fontis aliquem suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat nisi symbolum, & orationem dominicã memoriter tenuerit exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxerit. Secundum est Conc. Flor. in instructione Armenorũ, vbi sic dicitur secundũ Sacramentum est confirmatio, cu-

Conc. Laod. *Sexta Syn.* *Conc. Flor.*

tus

ius materia est chrisma confectum ex oleo,&c. Tertium est *Conc. Trid.* Concil. Trident. sessi. 7. can. 1. de confirmatione ita determinans. Si quis dixerit cõfirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse & non potius verum, & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechisim quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant, Anathema sit.

Posset quarto probari patrum testimonijs quę breuitatis gratia relinquo. Legat Lector Cardin. Bellar. libr. de confir. cap. 5. & 6. & Suar. tom. 3. disp. 32. sect. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacramentum confirmationis fuerit a Christo Domino in nocte cœnæ institutum.

HAec quæstio duo quærit. Primum an confirmationis sacramentum fuerit a Christo Domino institutum. Secũdum est in quo tempore fuerit institutum. Quoad primum *Alex. de Ales. D. Bonau.* fuit opinio Alex. de Ales, par. 4. q. 9. memb. 1. & D. Bonauen. hac dist. art. 1. q. 1. ad primum, quod hoc sacramentum non fuit institutum neque a Christo, neque ab Apost. sed in Cõcilio Meldensi, speciali Spiritus sancti instinctu institutum fuit. Fundamentum huius opinionis esse potest: quia instituere sacramentum non est solum promittere effectum sacramenti, sed designare etiam & præcipere signum sensibile seu materiam, & formam, per cuius vsum significetur, & ex promissione detur effectus sacramenti; sed nec Christus Dominus, nec Apostoli hoc præstiterunt circa hoc sacramẽtum; ergo non instituerunt illud, probatur minor: quia licet Christus promiserit Spiritum sanctum Apostolis, & discipulis suis, nullo tamen sacramento vsus est ad hoc promissum implendum; sed in die Pentecostes per potestatem excellẽtiæ eos absque sacramento confirmauit. Similiter licet Apostoli suo ministerio dederint effectum huius sacramenti, nõ tamen ad hoc vtebantur signo sensibili, huius sacramẽti, sed sola manus impositione, & oratione, nec legũtur de vnctione chrismatis, vel præscripta verborum forma quicquam docuisse.

Reijcitur opin. Alex. Sed contra hanc sententiam sic arguitur. Sacramenta ad verum pertinent ecclesiæ fundamentum; ergo solus legislator potest ea instituere, & immutare: Nam si totus mundus nunc conueniret non posset sacramentũ instituere: quapropter neque Concilium, vt diffuse ostendimus, dist. 1. q. 5. Vnde hæc opinio non potest amplius sustineri; Nam de fide de *Conci. Flor.* terminatum est in Concil. Florent. in decreto Eugenij; & in *Conc. Trid.* Concil. Trident. sessio. 7. can. 1. de sacramẽtis in genere, hoc sacramentum a Christo Domino fuisse immediate institutum; vt supra late demonstrauimus, dist. 2. q. 1. Extat etiã de *Conc. Mog.* hac re Concil. Moguntin. com. 17. & Concil. Senon. in decre- *Conc. Seno.* tis morum. can. 38. vbi dicit hoc sacramentum fuisse primo a Christo institutum, & ab Apostolis receptum; & ratio est illa generalis: quia sacramentorum institutio pertinet ad solum Deum; quia solus ipse potest effectum gratiæ infallibiliter promittere per signum sensibile.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ oportet distinguere institutionem ab vsu. Et quidem verissimum est Christũ Dominum nunquam suis manibus dedisse hoc sacramentum, imo neque ante Ascensionem eius fuisse ab aliquo mi- *Alex. de Ales. D. Bonau. D. Thom.* nistratum; cuius rationẽ congruentem tetigit Alex. & D. Bonau. locis supra citatis, & etiam D. Thom. 3. par. q. 72. art. 1. Quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quam dari non expediebat donec Christus esset glorificatus, vt dicitur Ioan. 7. Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondũ erat glorificatus, nõ inquam datus in plenitudine, vel ad robur, sed hoc quidem fuit in die Pentecostes. Sed hinc nullũ sumitur argumentũ ad negandam Christi institutionem. Non. n. Christus omnia sacramenta per se ministrauit: imo de nullo hoc expresse legitur in scriptura, nisi de Eucharistia; & idem est de baptismo saltem quoad aliquas personas vt supra dictum est; de alijs vero sacramẽtis non legitur Christum illa per seipsum ministrasse: atque adeo nihil obstat, quod Apostoli non fuerint cõfirmati per proprium signum sensibile huius sacramẽti: quia Christus per potestatem excellentiæ potuit eos altiori modo Spiritu sancto replere, sub alio signo visibili mirabiliori, & manifestiori prout eo tempore fuit expediens ad inchoandã nouæ legis promulgationẽ. An vero Apostoli vsi fuerint hoc sacramentali signo ad confirmandum alios fideles, quo nunc ecclesia vtitur præter ea, quæ diximus in superiori art. addemus aliqua cum de materia huius sacramenti erit sermo.

Quoad secundum quando scilicet Christus hoc sacramẽ- *Quando Confirmationis sacramentum est institutum* tum instituit, variæ sunt opiniones. Aliqui. n. dicunt Christũ Dominum instituisse hoc sacramentum Matth. 19. quando oblati sunt ei paruuli, vt manus ei imponeret, & oraret; & cum discipuli increparent eos, dixit eis Iesus. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cęlorum, quæ videtur fuisse sent. D. Tho. in 4. dist. *D. Thom.* 7. art. 1. q. 1. in responsione ad primum. Quam sequitur Ioan. *Ioan. Bac.* Baccho. in 4. dist. 7. q. 1. art. 1. & confirmari potest ex Concil. *Conc. Sen.* Senon. in decreto de hoc sacramento vbi ita legitur. Nec obscurius quidem sacramentum confirmationis Christus instituit cum paruulis manus imponeret.

Cæterum quamuis gratis demus ibi fuisse aliquo modo adumbratum hoc sacramentum: quod aũt ibi fuerit institutum verisimile non videtur: quia ibi nulla promissio, nullũ præceptum, nulla materiæ aut forma designatio legitur, sine quibus sacramenti institutio esse non potest.

Item verisimile non est Christum pueros illos cõfirmasse, quia vt diximus cum Alex. D. Thom. & D. Bonau. nõ decuit hoc sacramentum ante glorificationem Christi ministrari. Item illi pueri non erant baptizati, neque ad hunc finem Christo offerebantur, sed vt ab eo benedicerentur, vt Hieronym. dicit, vel vt curarentur vt significat Anselmus.

Verum posset quis respondere. Quod non est parui põderis auth. Concil. Senon. superius relata, & verisimilius est paruulos illos fuisse baptizatos. Tum quia Ioan. 3. dicitur, quod Apost. baptizabant. Tum quia Matt. 19. dicitur. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum; sed regnum cœlorum est baptizatorum tantum Ioan 3. & de baptismo, capit. Maiores. Tum denium constat eos fuisse baptizatos per gratiam Spiritus sancti. Nam alias nõ venissent ad impositionem manus Christi: Vnde per hoc quod Christus imposuit ei manus, vt reciperent Spiritum sanctũ in augmentum gratiæ docuit Apostolos vt in augmentum gratiæ post baptismũ manus imponerent baptizatis, & hoc est sacramentũ confirmationis de consec. dist. 4. c. Spũs sanctus.

Et certe hæc manuum Christi impositio effectu non caruit, sed Deus hic gratiam suam eis contulit. Et quis neget Apostolos pleraq; didicisse ex ijs, quæ Christus fecit, vt hic merito didicerint vsum, & efficaciam huius sacramenti. Neque nos hic moueat, quod non fiat ibi mentio chrismatis: Nam vt maxime Christus eo vsus fuerit, & euangelistæ nõ meminerint, sicut factum esse Dionysius testatur: siquidem illa arcana sacramentorum mysteria patres celabant gentes, ne cum contemptu eluderentur. Ad hæc etiam, si Christus hac ipsa chrismatis materia vsus non fuerit quid mirũ? Dominus enim ille erat omnium creaturarum, poterat gratiã, & virtutem huius sacramenti conferre sine quacunque materia, sicuti supra commemorauimus.

Alij vero dicunt Christum instituisse hoc sacramentum post Resurrectionem in die sancto Paschæ cum Apostolis Spiritum sanctum dedit insufflando, eisque dixit. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, &c. Ioan. 20. Sed hoc est valde incertum: quia in illo facto Christi nullum est huius sacramenti vestigium: Nam per illam insufflationẽ non est datus Spiritus sanctus Apostolis ad robur, sicut datur in hoc sacramento, sed quoad potestatẽ remittẽdi peccata; Vnde hic effectus magis ad sacramentũ ordinis, quam ad hoc spectauit. In verbis etiam, quæ Christus protulit nullum est huius sacramenti indicium: quia non est institutum ad remittenda peccata, sed ad gratiam augendam, atque adeo hæc sententia communiter non tenetur. Siquidem cum insufflaret hic in Apostolos sacramentum instituit pœnitentiæ, sicut suo loco latius differemus.

Alia quorundam sententia est, Christum instituisse hoc sacramentum in die Pentecostes post suam Ascensionẽ quãdo Apostolis contribuit Spiritũ sanctũ in linguis igneis tũc enim confirmati sunt & potentes effecti confiteri fidem: Nã quamuis Apostoli antea essent baptizati, & gratiã haberẽt Spiritus sancti, tamen adhuc trepidi erant, & animo multũ deiecto, vsque adeo vt Petrus ad vocem ancillulæ negaret Christum; imo & omnes discipuli Euangelista testante conclusi erant in domo propter metum Iudæorum. Et ipse Dominus, quia eorum non ignorabat pusillanimitatẽ, ideo ante Ascensionem suam ait ad eos. Sedete in ciuitate quoad

vsque

Digitized by Google

vsq; induamini virtute ex alto: baptizabimini enim Spiritu sancto non post multos hos dies. & ad hunc fere sensum induci *D. Bonaue.* D. Bonaue. verba Euangelistæ, quod Spiritus sanctus datus nondum erat; quia Iesus nondum erat glorificatus. Sententia hæc fundamentum habet: quia in fide nostra pro confesso habetur Spiritum sanctum tale robur addidisse Apostolis in die Pentecostes. Sed an illud etiam confirmationis nomine veniat appellandum nonnulli ad huc in deliberatione ponunt, hac de causa, quod Deus virtutem suam non alligauit sacramentis: potuit ergo confirmare Apostolos absq; materia, & forma, sed illud non fuit sacramentum confirmationis, verum virtus & opus sacramenti, hoc est robur, & confirmatio Spiritus-sancti. Atq; secundum hanc opinionem Apostoli non essent sacramento confirmationis firmati, sed eorum confirmatio hanc sacramentalem multis modis superasset, & vberiorem, & perfectiorem gratiam susceperunt.

Hæ autem duæ postremæ opiniones tribuuntur Docto. nostro Sub. hic & d.2.q.1. Verum non recte; nam vt patet in hac q. sub lit. C. §. ad primum aliorum, dicit quod Christus non alligauit potentiam suam sacramentis, & ideo ipse siue in terris, siue post Ascensionem suam in cęlo existens potuit confirmare Apostolos sine tali materia, & tali forma, & tandem concludit hoc Sacramentum fuisse a Deo institutum, quamuis modus, & tempus institutionis non legatur in scriptura. Quomodo ergo dici potest Scotum dixisse Sacramentum Confirmationis fuisse institutum in die Resurrectionis, vel in die Pentecostes, vt Sotus, Suarez, & Valētia Scoto imponunt, forte ex eo decepti, quod Scotus in d.2. q.1. non determinando ita dixerit.

Sed his omissis licet tempus, & modus institutionis hu*Opinio Aureolis.* ius sacramenti, in scriptura non legatur, vt dicit Scotus, atq; adeo tempus quo Christus ante Ascensionem hoc sacramētum instituit sit valde incertum. Verisimilius tamen videtur, quo ad promissionem, & Apostolorum instructionem, & præceptum illis datum de administrando hoc sacramento in futuro tempore, & de materia, & forma, qua in illo vti debebant, totum, inquam, hoc fuisse a Christo Domino factum in nocte cœnæ. Nullum namq; tempus ad hoc aptius excogitari potest, præsertim cum ea nocte toties Spiritū sanctum promiserit ecclesiæ suæ, & nouum testamentū con*Fabian. Papa.* diderit, & quod maxime vrget, hoc aperte docet Fabianus Papa epist.2.c.1. citatus a Gratiano de Consi.d.3. cap. litter s *Gratianus. Tho. Vual.* & a Thoma Vald. de Sacramentis c. 114. In illa die, inquit, quando Dominus Iesus postquam cęnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum (sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit. Ipsa namq; lotio pedum nostrum significat baptisma, quod sancti chrismatis vnctione perficitur, atq; confirmatur: nam sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda &c. Iste est Fabianus, quem vna cum Seba*Hierony.* stiano solemnizat ecclesia, ad quem item vt refert D. Hieronymus, excusatoriam litteram pro se scripserat Origenes, & hic dicit prædecessores suos ab Apostolis accepisse, quod Sacramentum chrismatis in die sancto cœnæ Christus instituit: nam chrismatis nomine totum sacramentum intelligere possumus, vel certe inde sufficiens sumitur argumentū, quod sicut chrisma docuit conficere, ita etiam reliquos alios ritus, qui sunt de huius sacramenti substantia.

Et inde forte manauit Ecclesiæ consuetudo conficiendi chrisma in illo die singulis annis. Potest itaq; dici confirmationis institutionem inchoatam fuisse in nocte cœnæ, perfectam autem esse post Domini Resurrectionē Ioa.20. Quādo dixit Apostolis: Accipite Spiritum sanctum &c. Nam vt dicemus infra. Soli Episcopi habent potestatem administrādi hoc Sacramentum Apostoli autem licet in nocte cœnæ fuerint ordinati Sacerdotes, non tamen Episcopi, vt probabilius creditur, vsque ad Christi resurrectionem, & ideo in nocte cœnæ non fuit hoc sacramentum in eo statu constitutum, in quo posset & administrari, & recipi, & hac ratione diximus non fuisse tunc plene institutum. Quo ad hoc ergo dici potest institutum Ioan.20. quatenus tunc Christus fecit Episcopos suos Apostolos, atq; ita dedit eis potestatem conficiendi hoc Sacramentum, supposita instructione præcepti, & promissione, quæ prius in nocte cęnæ eis tradiderat.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia confirmationis sit chrisma ex oleo, et balsamo compositum.

PRo explicatione tituli obser. est primo, quod sacramentum confirmationis pro per se significato importat relationem rationis. s. significationem seu relationem signi. Sicut ergo dubium erat, quid esset totale fundamentum sacramenti baptismi, ita etiam hic est dubium, quid sit fundamentum totale huius sacramenti. Ideo dicit Scotus in hac. q. in principio, quod conformiter ad ea, quæ diximus de Sacramento baptismi dici potest, quod ipsa vnctio facta in frōte cum signo Crucis comitata verbis est totale fundamentum huius sacramenti, vel quod totale fundamentum sunt verba, & ipsa vnctio.

Secundo obser. est, quod sicut dicimus sacramentum baptismi, id est, sacramentum, quod est baptismus, ita dicimus sacramentum confirmationis, id est, sacramentum, quod est confirmatio per constructionem intransitiuam.

Tertio obser. est, quod sicut loquebamur de materia, & forma baptismi, ita hic est loquendum de materia, & forma huius sacramenti; nimirum, quod in hoc sacramento non inuenitur materia, nec forma proprie & Physice loquēdo, sed vocamus formam, quod est spiritualius, & determinans, cuiusmodi sunt verba, materiam autem, quod est corporale & determinabile appellamus, & sicut diximus, quod duplex est materia baptismi, scilicet remota, vt aqua naturalis, & propinqua, vt ablutio; ita dicimus, quod duplex est huius sacramenti materia, scilicet remota vt chrisma, & proxima, vt vnctio facta in fronte.

Quarto obser. est, quod Sacramentum confirmationis est *Ratio cōfirmationis ex Scoto.* vnctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi facta in fronte in figura Crucis cū chrismate sanctificato, a ministro idoneo simul cum intentione debita inungente, & verba certa proferente, significās efficaciter ex institutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi, hæc definitio est Doct. Sub. in hac q. sub litt. a, in qua ponitur primo huius Sacramenti materia, quæ est vnctio facta cum chrismate ex oleo, & balsamo composito sanctificato a Ministro idoneo. secundo forma, intelligendo cōfirmationis formam ipsa verba propter rationem dictam in 3. notabili. tertio ponitur eius subiectum, siue idoneum susceptiuum, qui est homo viator aliqualiter consentiens, quātum ad vtentem ratione, quod intelligendum est eo modo quo dictum est superius consensum baptizandi esse necessarium ad baptismum ipsum suscipiendum, debet autem homo inungi in determinata parte corporis, & ideo dicitur in fronte. Quarto ponitur huius sacramenti minister, qui est solus Episcopus. quinto est eius signatum, quod est augmentum gratiæ ad roborandum animam in constanti confessione fidei. Tanguntur itaq; breuiter in hac definitione materia, forma, suscipiens, minister, & effectus huius sacramenti.

Et quoad materiam est duplex opinio. Prima asserit, q *Caietanus. Sotus. Victoria. Couar. Angles.* quamuis oleum sit de essentia confirmationis, admixtio tamen balsami est quidem de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti. Hanc opinionem tenet Caiet. 3. p. q. 72. art.2 quem secuti sunt Sotus d.7. art.2 Victoria in summa de Sacramentis. Nauar. in Manu. c.22. nu.8. & Couar lib.1. var. Reso. c.10. n.4. & Angles in floribus 4. q. de confir. art.2. concl.2. Primum fundamentum huius sententiæ est determinatio Innocen.3. in c. pastorales, de sacramentis non iterandis, vbi consultus Pontifex an Sacramentum confirmationis esset iterandum in eo, qui per errorem Episcopi non fuit vnctus chrismate, sed simplici oleo. Respondet quod nō est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod per errorem fuerat omissum supponit ergo id, quod fuerat prætermissum non esse de substantia sacramenti: nam alias sacramētū fuisset nullū. atq; adeo esset iterandū totum sacramentū.

Secundum fundamentum. Materia sacramenti necessaria debet esse adeo manifesta, & certa, vt de ea nullus dubitare possit, sed si balsamus esset pars necessaria materiæ confirmationis: materia huius sacramenti non esset certa, sed valde dubia, ergo chrisma ex oleo, & balsamo confectum non est de essentia confirmationis. Probatur maior, quia si materia sacramenti non esset certa semper essent homines dubij an verum sacramentum receperint, quia dubitarent an fuisset vera materia, probatur minor, quia vt inquit Plinius *Plinius* lib.

lib. 12. naturalis hist. c. 25. tot modis adulteratur balsamum, vt vix credi possit esse verum id, quod ad nos adfertur.

Tertium fundamentum. Si chrisma esset de essentia confirmationis esset institutum a Christo, sed non legitur vbi ab eo fuerit institutum; quoniam neque quando Christus insufflauit, deditque Apostolis Spiritum sanctum Ioan. 20. Neque in die penthecostes quando Spiritus sanctus missus fuit super Apostolos visibiliter in linguis igneis, quo facto Apostoli confirmati fuerunt, non reperitur talis materia in illa confirmatione, quinimo legitur Apostolos hoc Sacramentum contulisse per solam manuum impositionem, ergo chrisma non est de essentia confirmationis.

His tamen non obstantibus opposita sententia est tenenda, quæ asserit chrisma, ex oleo, & balsamo compositum esse de essentia confirmationis, quæ est communis opinio omnium Doct. prætercitatos, primum fundamentum huius

Conci. Flor. sententiæ est decretum Concilij Florent. in instructione Armenorum, vbi manifeste determinat materiam huius Sacramenti esse chrisma ex oleo, & balsamo compositum, & hæc sunt verba eius, secundum sacramentum est confirmatio cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto. Nec Responsio Soti aliquid valet, qua hoc fundamentum infringere conatur dicens, quod intelligitur ex illo decreto balsamum esse de necessitate præcepti, non de necessitate Sacramenti: si enim hæc solutio aliquid valeret pari modo negare quilibet posset materiam aliorum Sacramentorum dicendo eam esse de necessitate præcepti, non de necessitate sacramenti.

Secundum fundamentum est, si aliquis confirmaret sine chrismate ex oleo, & balsamo composito forma Sacramenti esset falsa, ergo chrisma non solum est de necessitate præcepti sed etiam de necessitate Sacramenti. Probatur antecedens: quia hæc est forma confirmationis. Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, ergo si deficeret chris-

Caiet. ma forma esset falsa. Respondent Sotus & Caiet. quod for-

Sotus. ma non esset falsa: quia chrisma de rigore sermonis nõ significat balsamum sed vnguẽtum, cui sufficeret oleum simplex.

Sed hæc responsio nullius est ponderis: nam quamuis chrisma ex se quodcumque vnguentum significaret, ecclesia tamen non accipit illud nomen nisi ad significandum vnguentum, quod ex oleo, & balsamo componitur: nam ex ecclesiæ vsu chrisma non significat simplex oleum, sed vnguentum confectum ex pluribus rebus, id patet ex In-

Innocen. 3. nocent. III. cap. Pastoralis extra de sacramentis non iterandis, vbi expresse distinguit chrisma ab oleo propter alterius liquoris admixtionem. sic etiam Concilium 2. Carthag. can. 3. & Concil. 3. Carthag. can. 36. dicunt non licere presbytero chrisma conficere, quid autem est chrisma conficere nisi ex pluribus liquoribus vnum vnguentum facere?

Caiet. Respondet Caiet. præceptum miscendi balsamum in hac materia esse tantum ecclesiasticum, & non fuisse in vsu tempore Apostolorum neque in primitiua Ecclesia: quia non est, inquit, credibile pauperimos Episcopos habuisse balsamum, quo forte etiam hodie multi carent. Cæterum hoc esse falsum patet ex traditione maiorum: nam in primis Dio-

Dionysius. nysius Areopagita etsi non nominat balsamum; tamen aperte describit ab effectu, seu proprietate, siquidem in ecclesiastica hierarchia p. 3. c. 4. dicit chrisma componi ex varijs rebus, & odoriferum esse dicimus, inquit, vnguenti compositionem esse collectionem suauiter spirantium materiarum, & infra. Vnguenti, quæ perficiendi vim habet perfusio eũ, qui initiatus est, suauitate odoris fragrantem facit, quod de puro oleo dici non posset, vt per se notum est, & in eodem cap. 4. eius vnguenti ritum describens dicit refertum esse odoris suauitate illumq; ritum traditum esse ab Apostolis, vt diuinum, & eiusdem ordinis, & efficaciatis, cuius est synaxis Sacramenti, est inquit, quædam perfectiua operatio (id est, Sacramentum Confirmationis) quam Deus nostri, (id est Apostoli) chrismatis Hostiam vocant, & in fine satis aperte dicit eam institutionem a Deo esse traditam.

Clemens. Secundo Clemens lib. 7. Const. cap. 44. in benedictione chrismatis mentionem facit fragrantiæ odoris his verbis. Da nunc etiam hoc vnguentum operari virtutem in baptizato, vt firma & sancta in eo maneat fragrantia odoris Christi tui. tertio Fabianus Papa, & Martyr in Epistola 2. ad O-

Fabianus Papa. rientales aperte dicit Christum ipsum instituisse, vt chrisma conficeretur ex oleo admixto balsamo, & hoc modo pręcipit, vt singulis annis renouetur. quarto Cyprianus in ser-

Cyprianus. mone de vnctione chrismatis. Hodie, inquit, in ecclesia sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum sacerdotalis, & regiæ gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitus est vnctio instituta, & infra dicit huiusmodi chrismate sanctificari, confirmari, & quodammodo consecrari Christianos. quinto Gregorius Papa

Greg. Papa in id Cant. 1. Botrus Cypri dilectus meus &c. In Engaddi, inquit, balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur: neque ibi Greg. aliquid nouum instituit, sed solum refert, quod in vsu Ecclesiæ erat. ex quibus testimonijs colligitur, quamuis nomen chrisma ex primeua impositione vnguentum, & vnctionem significet, tamen ex vsu significare vnguentum, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione,

Innocen. 3. vt dicit Innocen. 3. in cap. vnico de sacra vnctione, & confirmatur: quia si chrisma non significaret vnguentum ex oleo & balsamo, sed simplicem oleum: non magis hoc sacramentum, quam extrema vnctio esset appellandũ chrisma: quia etiam materia extremæ vnctionis est oleum.

Dicendum est ergo mixtionem balsami esse de essentia huius materiæ ita ut vnctio in fronte oleo tantum facta sine mixtione balsami non solum illicita sit, sed etiam insufficiẽs

Alexan. ab Ales. vt sacrum factum teneat. Ita docent Alex. de Ales p. 4. q. 9.

D. Thom. m. 2. art. 1. § 2. D. Thomas 3. p. q. 72. art. 2. & in 4. d. 7. quæst.

D. Bonau. prima, art. 2. quæstiun. 2. vbi simpliciter dicit materiam cõ-

Richard. firmationis esse oleum balsamatum D. Bonauen. articulo pri-

Scotus. mo, quæst. secunda Richar. art. 1. quæst. 1. Scotus in hac q.

Durand. Durandus quæst. secunda Rabanus libro 18. de nominis re-

Hugo. rum. Hugo de Sancto Victore libro secundo de Sacram. p.

Turrecrem. 7. c. 1. Turrecre. in c. literis num. 10 3. de consi. d. 3. & quamuis hi authores non explicent dilucide, an mixtio balsami sit essentialis, sed solum dicant chrisma debere confici ex oleo, & balsamo: quia tamen absolute loquuntur de materia huius sacramenti, ideo merito eis hæc sententia tribuitur, & eodem modo eam docet Hosius in confessione fidei cap. 38. & Petrus Soto libro secundo de confirmatione & alij moderni eandem sent. docent etiam Palud. d. 7. q. 1 art. 2. Gab. d. 7 art. 1. Adrianus de confirmatione art. 2. in vltima parte illius ad 5. Angelus verbo confirmatio 2. nume. 8. Syluest. verbo Confirmatio dummodo citans Innocentium, & Hostien. in 1. cap. de sacram. non iterandis, & eandem sententiam sequitur Card. Bellar. lib. 2. de Sacramento confirmationis c. 8. & 9. licet dicat neutram opinionem esse de fide, aut contra fidem.

Ad primum argumentum pro sent. Caiet. respondeo primo cum Palud. & Adriano. Quod nihil iteratur, quod non est collatum aliquid sacramenti. Cum ergo illi homini nihil Sacramenti confirmationis fuisset collatum, quia defuit materia, sine qua non potest Sacramentum constare, sequitur, quod nihil iteretur, quamuis ei Sacramentum integrum conferatur. Dico secundo & melius. Quod ibi non determinat Papa an illud sit verum Sacramentum, sed tradit regulam obseruandam in similibus casibus scilicet, nihil esse iterandum scilicet, publice & solemniter ratione scandali, sed caute supplendum est, quod defuit, id est, occulte est Sacramentum iterum conferendum: adeo quod negat tantum Pontifex iterandos esse alios ritus, & ceremonias, quæ in solemni administratione huius Sacramenti obserua-

Angelus Syluest. ri solent, hanc responsionem indicant Angelus ex Hostiensi, & etiam Syluest. locis supra citatis.

Ad Secundum concedo maiorem, & nego minorẽ, & ad probationem dico, quod quamuis balsamum adulterari possit, nihilominus experimẽto comperimus balsamum ad nos allatum esse verum, siquidem experimur in illo omnem virtutem esse, quæ de balsamo legitur. Præterquam, quod etsi aliquando opinione Plinij tantum in duobus hortis Iudeæ nascebatur balsamum, tamen in Indijs nascitur, & inde nũc aduehitur, neque refert si id Plinius ignorauit, nec. n. ille omnia scire potuit neque balsamum, quod affertur ex Indijs artificiosum, aut factitium dici debet, licet forte non sit eiusdem speciei cum eo, quod nascitur in Palestina variæ. n. possunt esse species balsami, vt sunt variæ species vini, & quælibet idonea est ad sacramentum conficiendũ. Adde quod licet rarũ, & præciosum sit balsamũ, tamen adhuc numq; defuit ecclesiæ, nec; ex penuria balsami prętermissa est aliquãdo confirmatio, quod si per annos mille sexcentos, & amplius Deus prouidit, certe non deerit deinceps.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dico, quod si ratio illa aliquid valet et eadem probaretur, quod oleum non pertineret ad essentiam sacramenti confirmationis: quoniam non legitur vbi a Christo fuerit institutum. Dico igitur, quod Christus Dominus potentiam suam sacramentis non alligauit, ideoque potuit Apostolos confirmasse absque tali materia. Præterea non est improbabile, vt inquit Scotus multa esse tradita authoritatiue a Christo Domino suæ ecclesiæ per sanctos Apostolos, quæ tamen in scriptura non legimus, vt dicit D. Damascenus libro quarto, de fide cap. 4. vbi loquens de adoratione imaginum sic ait. Est autem nobis tradita adoratio ad orientem ab Apostolis absque alio scripto, sicut, & plurima alia, & D. Ioan. c. 21. inquit, multa alia fecit Dominus Iesus. quæ non sunt scripta &c. Chrisma autem esse institutum a Christo tenet ecclesia per traditionem Apostolorum, vt testatur Fabianus Papa cuius verba supra relata sunt. Ex quo colligitur, quod Apostoli vsi sunt chrismate in confirmatione, vt docet Thomas Vualdensis tomo secundo, de Sacramentis, ca. 113. & Hugo de Sancto Vict. libro secundo, de Sacram. p. 7. cap. secundo, qui dicunt idem esse vnctionem chrismatis, & manus impositionem: qui enim inungit manus imponit, & idcirco vtrumque significatur, & si alterum tantū exprimi videatur. licet forte interdum sine chrismate confirmauerint, vt inquit Scotus ex speciali dispensatione, quēadmodum ex dispensatione baptizabant in nomine Christi: causa autem dispensationis potuit esse: quia in confirmatione collata ab Apostolis erant aliqua signa sensibilia: communiter enim descendebat Spiritus sanctus sensibiliter super confirmatos, illisque donum linguarum conferebatur, vt diximus supra.

[margin:] ...tus. ...mascen. ...o. Vual. ...go.

ARTICVLVS IV.

Vtrum de necessitate materiæ confirmationis sit chrisma ab episcopo consecratum.

HÆretici huius temporis nimirum Caluinus, & kemnitius chrismatis benedictionem superstitiosam, & magicam vocant ita ut Caluinus (vt refert Bellarm. libro secundo de Sacram. confirmat. cap. 8.) libro quarto, instit. cap. 19. §. octauo, vocet chrisma consecratum oleum Diaboli mendacio pollutum, & Kemnitius dicat appellari debere chrisma excantatum.

Sed in contrarium est veritas catholica, quæ duabus cōclusionibus explicatur. Prima Conclusio. certum est apud omnes Catholicos Doctores, quod de necessitate præcepti est, quod chrisma sit ab episcopo consecratum. probatur expresse de consecrat. dist. 3. cap. ex litteris, vbi Fabianus Papa præcipit omnibus Episcopis Orientalibus, vt singulis annis in die cœnæ Domini sacrum chrisma conficiant, & illi qui in hoc fuerint negligentes acriter reprehenduntur, probatur etiam ex cap. presbyteris, & ex cap. Si quis de alio, & sequenti, vbi etiam determinatur, quod chrisma est ab Episcopis consecrandum. hanc autem esse antiquam ecclesiæ consuetudinem a Christo Domino, & ab Apostolis receptā patet. primo ex Clemente Romano libro 7. Consti. Apostolicarum cap. 42. & 44. vbi fuse de ista consecratione tractat: quam etiam Apostolis tribuit. secundo ex Fabiano Papa & martyre in epistola secunda, supra notata, vbi post quam dixit Christum Apostolos docuisse chrisma conficere, & præceperit singulis annis in die cœnæ debere confici, subdit. Ista a sanctis Apostolis, & successoribus eius accepimus, vobisq; tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena a tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, & Ephesiorum tenet Ecclesia. in quibus Apostoli residentes hoc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non amplius, quam vno anno vti permiserunt. Si quis ergo his obuiare tentauerit omnem sibi per nos, & per omnes recte intelligentes indulgentiæ aditum intelligat reseratum, hæc ille.

[margin:] ...lar. ...conclusio ...Papa ...Papa

Tertio Damasus 1. episto. quarta. Innocent. 1. epistola 1. cap. 3. Leo. 1. epist. 88. Gelasius 1. epist. 1. Innocent. 3. capitulo cum venisset de sacra vnctione disertis verbis docent chrisma esse consecrandum, idque a solo Episcopo.

[margin:] ...masus ...cent. 1. ...sius. ...cent. 3. ...Nica.

Secundo probatur ex Concilijs. Concilium Nicænū can. 69. secundum Arabicum codicem in Latinum nuper conuersum expresse meminit triplicis consecrationis, quæ etiā nunc in Ecclesia viget, id est, olei catechumenorum, olei infirmorum, & chrismatis sub his verbis. Transacto autem anno debet sacerdos benedicere aquam, & oleum non sicut benedicitur in baptismo, nec vt benedicitur chrisma, sed vt oleū infirmorum &c. Concilium Laodicenum can. 48. Sacratissimum chrisma vocat, quo nomine non illud appellaret nisi consecratum esset. *Conc. Laod.*

2 Conclusio Secunda Conclusio. non solum est de necessitate præcepti, quod chrisma sit ab Episcopo consecratum, vel ab eo, cui talis sanctificatio poterit committi, sed etiam de necessitate Sacramenti, ita ut si aliquis simplex Sacerdos tentaret consecrare chrisma sine Summi Pontificis dispensatione, & postea aliquis Episcopus vellet consignare cum illo chrismate non fieret Sacramentum Confirmationis. Probatur primo ex Concilio Romano sub Siluestro can. 5. vbi prohibet presbyteris ne chrisma faciant his verbis constituit etiam voce clara Siluester Episcopus vrbis Romæ, vt nemo presbyter chrisma conficeret dicens: quoniam Christus a chrismate vocabitur. Idem paulo post prohibuerunt Concilia Carthaginensia. 2. can. 3. & 3. can. 36. & sextum can. 36. iubet Parochis, vt omni anno ante Pascha petant chrisma ab Episcopo proprio, idque non per clericos iuniores, sed per seipsos, aut per illum, qui sacrario præest. *Conc. Rom.* *Conc. Cart.*

Probatur secundo ex Concil. Florent. in decreto Eugenij vbi determinatur materiam confirmationis esse chrisma ab Episcopo consecratum, ergo si chrisma esset consecratum a simplici Sacerdote non esset materia confirmationis, & ex consequenti non posset ex illo verum Sacramentum constitui. *Conc. Flor.*

Tertio probatur ex Concil. Tolet. 8. cap. 7. cuius hæc sunt verba. Episcopali eminentiæ diuina authoritas aliquid reseruauit, quæ cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum sacrationem, chrismatis benedictionem, et sacrorum ordinum institutionem, sed chrisma consecratū est de essentia confirmationis secundum omnes Doctores, ergo cum diuina authoritate consecratio illius prohibeatur presbyteris, & concedatur Episcopis sequitur, quod chrisma consecratum ab Episcopo est de essentia confirmationis. *Conc. Tole.*

Quarto probatur ex Concilijs Carthaginensibus 2. & 3. quæ referuntur 26. q. 6. cap. Si iubet, & cap. Presbyter inconsulto episcopo vbi determinatur expresse quod simplices sacerdotes non possunt chrisma conficere, quoniam nimirum id ad munus episcopi pertinet. Porro chrisma facere non est solum miscere oleum cum balsamo, sed etiam simul consecrare: nam alioqui etiam Pharmacopolæ chrisma facere possent. *Conc. Cart.*

Huic conclusioni nullus Doctorum Scholasticorum cōtradicit nisi solus Caietanus, qui eam in dubium reuocat, neutri tamen parti firmiter adhæret, licet probabilius iudicet confirmationem factam cum chrismate a simplici sacerdote consecrato; verum esse sacramentum: quia sacerdos simplex (inquit) potest efficere maximam consecrationem, scilicet Eucharistiæ, ergo & quamcunque minorem, ita vt factum teneat; quamuis peccet faciendo. Sed opinio Caietan. (vt inquit Sotus hac dist. art. 3.) non est tuta, & eius ratio nullius est ponderis. Nam posset etiam Caietan. inferre posse simplicem sacerdotem templa, & aras consecrare, & omnia alia similia, quæ minora sunt, quam Eucharistiam conficere: quod tamen sine dubio falsum est: quia licet sint minora, tamen propriam, & specialem potestatem requirunt distinctam a potestate consecrandi Eucharistiam, quæ limitata est ad actus suos; sic itaque est in præsenti. Nam etiam consecratio chrismatis est supernaturalis actus a Christo institutus, requirens specialem potestatem a Christo ipso collatam. Hanc autem vt ex antiqua traditione colligitur dicit Christus solis episcopis tanquam ordinarijs ministris, non simplicibus sacerdotibus, neque etiam ecclesia eam alijs concessit, cum potius omnino illis interdicat tale ministerium. *Caietanus.* *Sotus.*

ARTICVLVS V.

Vtrum ex commissione Summi Pontificis sacerdos possit chrisma conficere.

DE hac re sunt tres opiniones, prima est Palud. in quarta dist. 7. quæst. quarta, qui sicut tenet, quod ecclesia possit ordinare, quod chrisma non consecratum sit conueniens *Paludanus*

Digitized by Google

materia confirmationis, ita tenet quod posset ordinare vt sufficiat chrisma benedictum à simplici Sacerdote.

Sed hæc sententia falsa est: nam ostensum est ex definitione Concilij Florent. & alijs, Episcopalem consecrationem esse de essentia huius materiæ, ac proinde esse immediate de institutione Christi, ergo non potest ecclesia absolute, & simpliciter ordinare, vt minor benedictio scilicet à simplici sacerdote facta, sufficiat. *Conc. Flor.*

2. Opinio. Secunda sententia est, quod per modum dispensationis seu delegationis potest non solum Summus Pontifex, sed etiam Episcopus hanc potestatem concedere simplici Sacerdoti, ita tenet Ledesma super 3. p. D. Thomæ. q. 72. art. 3. Quę sententia fundatur in Concilio Tolent. 1. can. 20. vbi sic dicitur, quāuis pene vbiq; custodiatur, vt absq; Episcopo chrisma nemo conficiat tamē, quia in aliquibus locis, vel prouincijs presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere, ex quibus verbis, quia dicit pene vbique custoditi, vt solus Episcopus chrisma conficiat, colligitur primo hoc non esse simpliciter necessarium. Secundo quia non dicit illud chrisma, quod fiebat à presbyteris fuisse irritum, & inane colligitur illud fuisse factum saltem ex commissione Episcopi. tertio ex illis verbis ex hac die &c. videtur colligi posse hanc esse solum prohibitionem ecclesiasticam. *Ledesma. Conc. Tolet.*

Conc. Cart. Conc. Brac. Quod etiam videtur colligi posse ex Concil. Carthag. 2. can. 3. & ex Conci. Brachar. 1. can. 37. dicente antiquos canones vetuisse ne presbyter audeat chrisma benedicere, alioqui deponi iussisse. quarto ponderari potest, quod infra dicitur, sine conscientia Episcopi nihil presbyteri agere præsumant, ergo eo sciente, & consentiente poterunt, chrisma conficere.

Cæterum hæc sententia mihi falsa videtur: quia conficere chrisma, pertinet ad potestatem ordinis, sed simplex sacerdos ex vi suæ ordinationis non habet hanc potestatem, ergo neq; episcopus potest illam dare, ex dispensatione, vel delegatione, patet consequentia: quia Episcopi non possunt extēdere potestatem ordinis ad actus, ad quos character est de se insufficiens, sed solum potest concedere potestatem iurisdictionis. Nec decretum illud Concilij Tolet. quidquā obstat: nam quod dicit pene vbiq; custoditi, non ideo est quia alicubi hoc rite fieret, sed quia ex ignorantia, vel praua consuetudine aliter fiebat in aliquibus locis, & quamuis Concilium ibi non dicat expresse factum illud fuisse irritum, tamen neque etiam affirmat fuisse ratum. Denique ex illa negatiua, quod presbyter nihil agere possit sine conscientia Episcopi, non sequitur illa affirmatiua. s. posse omnia agere sciente, & consentiente Episcopo solum ergo sequitur presbiter etiam in his, quæ sibi concessa sunt dependere aliquo modo ex scientia, & facultate sui Episcopi.

3. Opinio. Tertia sententia est, iure diuino solum Episcopum posse ordinarie verum chrisma conficere, nihilominus tamen posse Summum Pontificem hanc potestatem delegare simplici Sacerdoti, ita opinatus est Caietanus vbi supra & in eandē sententiam inclinat Sotus, Victoria in summa, materia de hoc Sacramento §. quadragesimo tertio, Angles in floribus quarta quæst. prima, de Sacramen. Confirmationis art. secundo, concl. 6. & Valentia Tom. quarto dispu. 5. quæst. 1. puncto 2 & huius opinionis videtur esse Doct. noster Sub. Nam in hac q. sub. litt. a. § Materia autem remota, vbi dicit, quod Chrisma debet esse sanctificatum, specialiter ab Episcopo, vel ab alio cui talis sanctificatio poterit committi. Fundamentum Caiet. est, quia quamuis administratio Sacramenti confirmationis competat ex officio solis Episcopis, nihilominus authoritate Summi Pontificis potest committi simplicibus sacerdotibus, vt patet ex cap. Peruenit. d. 95. Hoc supposito sic arguitur, qui potest in maius & in minus; sed minus est administratio Sacramenti Confirmationis, quam consecratio materiæ, ergo sicut Papa potest committere simplici Sacerdoti administrationem confirmationis, ita poterit committere consecrationem materiæ, probatur minor: quia maior est sacramentum, quam sua materia, & quamuis neque in hac materia Sacramentorum, nec etiam in alijs non sit semper bona consequentia, vt siquis possit id quod est maius, possit etiam id, quod est minus, tamen in hac quæst. & proposito particulari, videtur satis probabilis esse ista probatio Caiet. *Caietanus. Sotus. Victoria. Angles. Valentia. Scotus.*

4. Opinio. Suarez. Quarta opinio tenet, quod simplici Sacerdoti non potest committi consecratio chrismatis, ita opinatur Suarez Tomo 3. disp. 33. sect. 1. & Henriquez in summa Theolog. moralis, libro 3. cap. 2. num. 2. litt. s. Quorum fundamentum est: quia data est de iure diuino solis Episcopis hæc potestas conficiendi chrisma, atque adeo sine sufficienti authoritate extendenda non est hæc potestas ad alios præter episcopos, antecedens patet ex Concil. Tolet. 8. cap. 7. vbi manifeste dicitur, quod diuino iure competit episcopis consecratio chrismatis, & idem prohibetur presbyteris, id autem quod est de iure diuino non potest Papa commutare, ergo non potest concedere simplici Sacerdoti, vt Sacrum chrisma conficiat. *Henriquez. Conc. Tol.*

Secundo probatur ex Concilio Carthag. 3. quod refertur. 26. q. 6. cap presbyter eunus hæc sunt verba. presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat, ergo si concessio confectio chrismatis posset concedi presbytero, ibi explicaretur à Concilio, sicut ibi fuit explicatum, quod illis possit committi Virginum consecratio, & confirmatur ex Concil. Vormatien. can. 2. vbi sic dicitur chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat: nam illi soli hæc dignitas concessa est, sed maxime hoc confirmat Concilium Florent. in decreto Eugenij vbi agens de ministro huius Sacramenti, dicit esse Episcopum; tamen ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem Sacerdotem illud ministrasse ex chrismate per Episcopum confecto, quibus verbis significat, numquam factum esse, nec fieri posse, vt hoc Sacramentum detur alio chrismate præterquam à chrismate confectato ab episcopo. *Conc. Car. Conc. Vor. Conc. Fl.*

Hæc opinio vtique probabilis est. & Conciliorum decretis conformis videtur. Cæterum cum opinione Scoti standum existimo. Et ad primum fundamentum huius opinionis dico, quod in Concilio Tolet. supra citato, à qualiter dicitur diuinam authoritatem Episcopis concessisse, quæ cæteris Sacerdotibus experienda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, ordinum institutionem, quæ à nullo altero conferri, quam à Summis Pontificibus possunt, & tamen aliæ consecrationes scilicet Calicis, vel altaris possunt per Summum Pontificem simplici Sacerdoti committi, quemadmodum conceditur aliquibus, vt possint minores ordines conferre, vt sunt Abbates, & alij. & Leo. Decimus de anno 1521. die 25. Aprilis Pontificatus sui anno nono, concessit Fratri Ioanni Clapion, & Fratri Francisco de Angelis Ordinis Minorum de Obseruantia in partibus Indiarum, vbi Episcopi non habentur, vt possent infideles conuersos clericali insigniri charactere, & ipsos ad minores ordines promouere, vt patet ex bulla quarta eiusdem Leonis, quæ habetur in noua collectione Priuilegiorum Apostolicorum mendicantium, & non mendicantium R. Patris Fratris Emmanuelis Roderici. Intelligit ergo Concilium solis episcopis per diuinam authoritatem datam esse hanc potestatē tanquam ordinarijs de iure ministris; cum hoc tamen stat quod possit eadem authoritas delegari etiam ad simplices sacerdotes, sicut de alijs patet. *Leo x. Emmanuel.*

Et per idem patet ad Concilium Carthag. 5. quod presbyter sine dispensatione nunquam chrisma conficiat; argumentum autem ab authoritate negatiue non tenet. Per idē patet ad Concil. Vormatien. intelligit enim quod soli episcopo tanquam ordinario ministro dignitas conficiendi chrisma concessa est, non tamen negat quod ad simplices sacerdotes non possit delegari. Neque Concil. Florent. obstat: quia ibi solum narratur illud, quod contigerat, non tamen prohibetur, cum possit vtrumque committi simplici sacerdoti hoc est, & confirmationis sacramentum conferre, & chrisma benedicere, & consecrare.

Sed contra arguitur quod non requiratur chrisma consecratum. In baptismo non est necessaria aqua consecrata, ergo neque in sacramento cōfirmationis erit necessariū chrisma consecratum. probatur consequentia; quia non videtur minor ratio consecrationis materiæ in baptismo, quam in confirmatione.

Respondet Scotus; quod Christus Dominus cōtactu suæ mundissimæ carnis omnem aquam consecrauit in vsum baptismi, non autem sic consecrauit materiam cōfirmationis, & quia episcopi tactu suo non valent hanc materiam consecrare; ideo in ea specialis sanctificatio requiritur, idque rationabiliter: quia baptismus cum sit sacramentum necessitatis; si non posset conferri nisi in aqua consecrata, multorum salus impediretur: quæ salus non sic impeditur per defe- *Scotus.*

defectum confirmationis, vt infra videbimus. Est ergo breuiter materia remota sacramenti confirmationis chrisma ex oleo, scilicet oliuarum, & balsamo confectum, atq; adeo non debet esse confectum ex quocunque oleo, sed ex oleo oliuarum, quod antonomatice oleum dicitur, & ex balsamo, & ab episcopo consecratum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum de essentia propinquæ materiæ cõfirmationis sit quod vnctio & consignatio fiat in fronte confirmandi manu seu pollice Episcopi.

HAec quæstio quærit de quãtitate, & qualitate ipsius vnctionis, vel consignationis. Vnde quoad qualitatem dico de necessitate huius materiæ esse, vt hæc vnctio fiat in figura, seu signo crucis, ita sentiunt communiter Theologi Alex. de Ales, par. 4. q. 9. memb. 2. art. 2 §. 2 D. Thom. part. 3. q. 72. art. 4. ad 3. D. Bonau. hac dist. art. 1. q. 1. ad 3. & 4. Rich. ead. d. art. 1. q. 2. Duran. q. 2. Gab. artic. 1. & Doct. noster sub. qui in definitione huius sacramenti dicit, quod est vnctio facta in fronte in figura crucis. & probatur ex veritate formæ huius sacramẽti. Nam ille modus significatus per formam in vsu materiæ est necessarius ad veritatem ipsius formæ, atque etiam ex parte ipsius materiæ est necessarius, & essentialis; sed per formam significatur, vnctionem hanc debere fieri in figura crucis, vt ex illis verbis patet, signo te signo crucis, ergo illa figura vnctionis est necessaria huic materiæ. & confirmatur apertissime ex edicto Constantini Imperatoris, vbi sic legitur. Septiformis gratiæ Sancti Spiritus consignationem adhibuit sacri chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte linuit dicens, signet te Deus &c. constat ergo ipsam vnctionem faciendã esse in figura crucis.

Alex. de Ales. Thomas. Bonauentura. Richardus. Durandus. Gabriel. Scotus.

Circa quantitatem vnctionis dico, sicut supra de baptismo dictum est, quod de hac possumus loqui dupliciter, aut ex parte materiæ, seu chrismatis, aut ex parte subiecti, quod vngitur, primo modo, dico eam quantitatem chrismatis sufficere, quæ satis sit ad signum crucis imprimẽdum in ea parte corporis, quæ consignanda fuerit. Vnde cum hæc consignatio successiue fiat parua sane chrismatis quantitate perfici poterit.

De secundo vero dico, quod de necessitate huius sacramenti est, vt hæc vnctio fiat in fronte eius, qui confirmatur: quamquam enim hoc non explicetur in forma, tamen traditio, & vsus docet esse necessarium, & quidem de necessitate præcepti res indubitata est, quod vero sit etiam de essentia sacramenti docent Scotus in hac quæst. sub litt. A. §. materia proxima. Durand. Palud. Gabr. & Soto, locis supra citatis, & colligitur ex omnibus decretis supra relatis in quibus prohibetur simplicibus sacerdotibus illa sola vnctio chrismatis, quæ fit in fronte baptizati, quæ dicitur propria episcoporum, significant ergo confirmationem essentialiter esse vnctionem, seu chrismationem in fronte, atque ita Innoc. III. illam appellat in cap. vnico, de sacra vnctione. Ex hoc patet error Ledesmæ quæst. 27. artic. 9. vbi dicit; hoc tantum esse de necessitate præcepti ecclesiæ non sacramenti, & consequenter quocunque loco, vel parte corporis fiat vnctio factum tenere, licet peccet sic administrans; sed hæc sententia non solum est falsa, sed valde temeraria, vt videre licet ex his, quæ colligit Cardin. Bellarm. lib. 2. de confirmatione cap. 8.

Scotus. Durandus. Paludanus. Gabriel. Soto. Innocent. 3. Ledesma. Bellarm.

Sed dubium est, an sit de essentia huius materiæ vt vnctio, & consignatio proxime fiat manu, & pollice episcopi, & ratio dubitandi est: quia posset hæc vnctio fieri ab episcopo medio aliquo instrumento, vt penna, aut alio simili; & tunc ex parte materiæ nihil videtur deesse ex his, quæ vt essentialia ab omnibus ponuntur, & quæ sufficerent ad veritatem formæ, & omnium particularum eius, neque enim aliquid deesset ex parte ministri; nam tunc etiam vere episcopus inungeret, sicut vere scribit, qui medio calamo scribit; non videtur ergo hoc esse essentiale.

In contrarium autem est, quod Pontificale Romanum dicit hanc vnctionem debere fieri ipso pollice dexteræ manus chrismate intincto, & hoc videtur perpetuo in ecclesia seruatum, & proinde, inquit Durand. lib. 6. Rationalis diuinorum officiorum, cap. 84. in consecratione episcopo specialiter pollicem eius consecrari.

Durandus.

Respondeo nullum esse dubium, hoc esse de necessitate præcepti: quia est res grauis, & ab ecclesia perpetuo seruata, & præscripta in ritu tradendi hoc sacramentum. Cæterum mihi probabile est, esse necessarium, & essentiale vt hæc vnctio immediate fiat manu, seu digito episcopi: quia probabile est manus impositionem esse aliquo modo de essentia huius sacramenti. Quod autem hæc vnctio fiat pollice manus dexteræ non videtur ita essentiale, quin si contingeret fieri alio digito, etiam manus sinistræ sacramentum factum teneret: quia tunc esset sufficiens manus impositio, & cætera omnia, quæ ex parte materiæ, & formæ, vt essentialia ab omnibus requiruntur, concurrerẽt. Illud vero speciale de pollice dextero, quamuis in Pontificali ponatur, & præcipiatur, quia regulariter est aptius, & decentius; non tamen potest colligi, quod sit essentiale, nec video aliquod sufficiens fundamentum ad id asserendum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum omnia, quæ ponuntur in forma confirmationis sint de substantia formæ.

FOrma confirmationis est ista: signo te signo crucis confirmo te chrismate salutis in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Amẽ. Dubium est autem, an omnia hæc verba sint de substantia formæ. Pro cuius difficultatis explicatione obseru. est, quod in hac forma aliqua verba sunt principalia, aliqua minus principalia, verba principalia sunt. In nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, amen. verba minus principalia sunt, quæ exprimunt ministrum, actum, & suscipientem; ministrum non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi, quinimo in hac forma haud exprimitur; alia autem duo scilicet actum vnctionis, & suscipientem necesse est exprimi: adeo quod si non exprimantur non erit confirmatus: Nam sicut in baptismo actus baptizandi, & suscipiẽs baptismum; ita hæc debent exprimi, dicendo, signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine patris, &c. sed non est necesse, vt determinate eodem modo istis verbis exprimãtur, scilicet actus vnctionis verbo indicatiui modi, & suscipiens nomine secundæ personæ, sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiẽs verbo alterius personæ. vnde si quis cõfirmaret aliquem sub hac forma, signetur seruus Christi signo crucis, & confirmetur chrismate salutis in nomine patris, & filij, &c. vere confirmaret, hac. n. forma exprimeret actum vnctionis, & suscipientem cũ inuocatione Trinitatis, quæ necessaria sunt ad huius sacramẽti formæ essentiam.

Sed difficultas est, an geminatio illorum verborũ signo, & confirmo sit de essentia, vel alterum proferre sufficiat; & ratio dubitandi est: quia quodcunque illorum per se proferatur manet integer sensus formæ, ergo manet integra forma, quæ magis ex sensu, quam ex prolatione verborum pensanda est, antecedens patet.

Nam si dicatur signo te chrismate salutis, significat minister totum actum suum; qui est signare, & vngere; quia non potest signare chrismate nisi vngat addendo autem illã particulam salutis, satis significat effectum, & finem huius vnctionis. Rursus si tantum dicat confirmo te chrismate salutis, vtrumque etiam satis explicat; maxime secundum communem sensum, & vsum illius verbi confirmo, qui potissimum attendendus est in verbis sacramentorum. Assumptũ patet: quia sicut confirmatio, vt est nomen, non tantũ significat effectum sacramenti confirmationis, sed etiam sacramentum ipsum, & in ea significatione hæ voces confirmatio, signaculum, & similes synonyma sunt; ita verbum confirmo non tantum significat interiorem, & spiritualem vnctionẽ, quæ est effectus sacramenti, sed etiam exteriorem, & sensibilem quæ est materia sacramenti, ergo in hac significatione perinde est dicere confirmo te, & signo, & vngo.

His tamen non obstantibus dicendum videtur vtrunque verbum esse essentiale, prout sentit Alex. de Ales, par. quarta, quæst. 9 membr. 2. art. 2. §. 3. D. Thom. 3. par. q 72. artic. 4. D. Bonauent. art. 1. q. 1. & clare Richar. art. 1. q. 2. & Scotus in hac quæst. & Gabr. art. 1. cui opinioni fauet Concil. Florent. ponens in forma vtrũque verbum, est etiam ratio ad hoc: quia illa duo verba non possunt dici synonyma, neque æquipollentia: Nam quolibet dempto aliqua significatio substantialis tollitur, ergo vel vtrumque est de essentia, vel neutrũ:

Ale. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richardus. Scotus. Gabriel.

quia non est maior ratio de vno, quam de altero: quia neutrum supplet significationem alterius. Assumptum declaratur: quia per verbum signo, vel consigno significatur proprie actio episcopi; & quamuis ex vsu audientium, statim illud audiatur de consignatione crucis, iñ ex vi verbi id non significat, sed generalior, & abstractior est eius significatio, & ideo necesse est non omittere particulam illam signo crucis; atque adeo non est satis dicere, signo te chrismate salutis; dici ergo necessario debet signo te signo crucis; & tūc non posset commode adiungi alia particula, chrismate salutis; nisi interposito alio verbo, confirmo, vel simili, quod tamen omitti nullo modo potest: quia alias non satis explicaretur materia.

Rursus si omittatur verbum confirmo, non satis significatur effectus huius sacramenti, qui per illud verbum exprimitur. Ac simili modo è conuerso, nec verba illa confirmo te chrismate salutis, sufficere possunt sine alijs: quia nō explicatur expresse signum crucis; Dices posse addi hoc verbum confirmo te signo crucis, & chrismate salutis. Dico, quod hic modus esset etiam insufficiens; quia licet exprimatur signum crucis, vt res quædam, non tamen vt actio ministri consignantis; & ideo quodcumque horum verborum tollatur non manet integer sensus huius formæ.

An autem si diceretur signo te signo crucis, & vngo te chrismate salutis, &c. fieret sacramētum. *D. Thom.* D. Thomas q. 72. art. 4 ad 3. videtur indicare quod non; quia verbum confirmo significat sanctificationem interiorem: quæ non satis *Alexan. de Ales.* explicatur verbo vngendi, hoc idem indicat Alexand. vbi supra dicens, quod ad essentiam huius formæ quatuor requiruntur. s. expressio consignationis, & confirmationis cū materia, & inuocatione Trinitatis: quæ si exprimantur, & fiat variatio in ordine verborū, vel mutatione dictionum, vt si in vna forma dicatur chrisma sanctificationis, & in alia chrisma salutis, non est iudicanda variatio formæ, nec huiusmodi variatio obesse potest dummodo quatuor prætacta exprimantur. hæc ille. Ex quibus verbis patet, quod expressa inuocatio Trinitatis illis verbis. In nomine patris, & filij, &c. est de necessitate huius formæ prout communiter etiam omnes alij Theologi tradunt, quod patet ex Con- *Conc. Flor.* cil. Florent. & ex vsu vniuersalis ecclesiæ, de qua possent tractari omnia, quæ de forma baptismi diximus de huiusmodi inuocatione: Nam quoad hanc partem eadem est ratio vtriusque formæ.

Dubium. Postremo dubitari posset, an Apostoli in confirmandis fidelibus vsi fuerint hac forma. De qua re fuit quorundam opinio Apostolos nunquam confirmasse sine hac forma, et tunc cum per simplicem manuum impositioné sine chrismate confirmabant; sed hæc opinio improbabilis est, fuisset enim tunc falsa forma: Quomodo enim dicere poterāt confirmo te chrismate, si chrismate non vtebantur, aut vnde cōstat eos signasse signo crucis magis, quam vnxisse chrismate? Item sicut in Actibus Apostolorum solum legimus imponebant manus super illos; ita etiam solum legimus orauerunt pro illis; si ergo propter priora verba negatur eos vsos fuisse chrismate, ita propter posteriora negandum est eos vsos fuisse præscripta forma verborum, sed sola deprecatione pro suo arbitrio, & Spiritus sancti instinctu. Quo circa ita sentiendum est in hoc dubio sicut de vnctione. Vnde sicut diximus supra Apostolos non semper vsos fuisse chrismate in confirmandis fidelibus; ita dicimus non semper fuisse vsos hac præscripta forma, sed tunc dumtaxat quando chrismate vtebantur in confirmatione. Si autem teneatur Apostolos semper vsos fuisse integro sacramento, quemadmodum tenet Bellarmin. lib. 2. de sacramento confirmatio- *Bellarm.* *Tho. Vual.* nis cap. 9. ex Thoma Vualden. tom. 2. de sacramen. cap. 113. quæ sententia est valde probabilis, oportet consequenter dicere in illis verbis Act. 8. orauerunt pro ipsis, vel non significari verba formæ, sed præambulam orationem, formam autem comprehendi sub manus impositione, vt Act. etiam 19. Vel certe formam ipsam posse orationis nomine significari: non quia deprecatiua tantum sit; sed quia virtualem deprecationem continet, quatenus diuinę virtuti, & promissioni innititur, & per consequens habet dicere ita sentiens Apostolos semper huiusmodi forma fuisse vsos; quia semper in confirmando chrismate vtebantur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quilibet homo sit subiectum capax confirmationis.

Ratio dubitandi est: quia videtur, quod a confirmationis sacramento repellantur mulieres, infantes, qui sunt in periculo mortis, muti, & amentes, & primo probatur de mulieribus: quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam; sed mulieres excluduntur a bello, ergo debent excludi ab hoc sacramento. secundo probatur de paruulis eadem ratione; cum non sint apti ad portandum arma.

Tertio probatur de his, qui sunt in periculo mortis: quia illi exeunt extra omnem pugnam; ergo liberi sunt a sacramento pugnæ. quarto probatur de mutis, & amentibus: quoniam hoc sacramentum est ad liberam Christi nominis confessionem, sed muti non possunt ore confiteri, ergo frustra recipiunt hoc sacramētum, par ratio videtur esse de amentibus: nam cum non sint capaces confessionis, & militiæ spiritualis, ad quid ergo dabuntur illis signaculum, & arma huius militiæ.

His tamen non obstantibus sit hæc conclusio, omnis ho- *Conclusio* mo baptizatus est capax huius sacramenti, non tamē is, qui baptismo caret, prima pars huius conclusionis est omnino certa, primo ex vsu, & traditione ecclesiæ: Nam in Actibus Apostolorum legimus absolute, & sine limitatione, vel exceptione, Apostolos imposuisse manus super baptizatos; Patet etiam ex decreto Vrbani Papæ de consecr. d. 5. c. 1. vbi legitur, omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt plene Christiani inueniantur. Ex hac cōclusione colligitur nullam esse in hoc negotio, ætatum, sexuum, aut statuū distinctionem: Nam siue sit adultus, siue infans capax est huius sacramenti, ille per suæ voluntatis consensum, hic absque vllo, sed per voluntatem Christi, & ecclesiæ, & hoc corollarium patet ex Doct. nostro sub. dicente in definitione con- *Scotus* firmationis, quod confirmatio est vnctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, quoad adultum; vel libero arbitrio nunquam vsi, quoad infantem.

Secunda pars probatur: quia character confirmationis necessario præsupponit characterem baptismi: fides. n. Catholica docet non solum confirmationem, verum alia sacramēta debere baptismum præcedere, alias nullum esset sacramentum: Est enim baptismus sacrorum ianua; vt in fine c. Præter hoc dist. 32. & in Concil. Florent. definitum est. Probatur etiam ratione; quia perfectio supponit suum perfectibile, & augmentum supponit generationem; ergo gratia regenerationis spiritualis, quæ datur in baptismate, præcedit gratiā corroborationis spiritualis, quæ datur in confirmatione; sicut generatio naturalis præcedit corroborationem mēbrorum. Præterea confirmatio confertur tantum existentibus in ecclesia; sed baptismate homo ponitur in ecclesia, & efficitur de corpore illius, ergo &c.

Ad primum in oppositū dico, quod licet mulieribus non competat bellum materiale; competit tamen bellū spirituale: quinimo in hoc bello mulieres strenuæ fuerunt, vt patet de B. Catharina; Agnete, & alijs Virginibus, quę martyrium viriliter, & intrepide sustinuerunt pro Christi nomine, & fidei, confessione.

Ad secundum dico, quod paruuli non armantur pro statu illius ætatis, vt tunc pugnent, sed vt postmodū sint pugnaturi; idque conuenienter: quia arma illa non sunt aggrauantia, sed alleuiantia; nec solum sunt defensiua, sed præmunientia, & melius est homini muniri ante læsionem, quam post.

Ad tertium dico, quod existentes in periculo mortis nō recipiunt sacrum ad pugnam, & conflictū, sed ad meritum obedientiæ, & virtutis augmentum, quod est eis vtile, & bonum. Præterquam quod licet ratione mortis imminētis nō sint pugnaturi. i. per accidens: nam satis est ꝙ quantū est de se sunt capaces pugnæ, & quod sine pugna possint præmiū, & mercedē pugnantibus debitā obtinere, & licet Melchiades Papa dicat, quod licet victuris sunt necessaria confirmationis auxilia, at continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, tamen his verbis negat tantum Melchiades sacramentum hoc necessarium esse morituris, tamen non negat esse valde vtile, & conueniens.

Ad quartum dico, quod hoc sacramentum est ad roborationem

Digitized by Google

tionem fidei in corde,& hoc ita indiget mutus, vt disertus, nec tãtum in corde verum etiam in nutu, & passione potest Christum confiteri,& ideo hoc sacro indiget sicut & alij.

De amentibus vero dico; quod si aliquando habuerunt rationis vsum:nulla est difficultas, ita enim de illis sicut de cæteris adultis iudicandum est. Si creduntur ergo esse bene dispositi;non solum possunt, sed etiam debent confirmari: quia nulla est ratio cur priuentur tanto beneficio. Si autem *Marsilius. Sotus.* sit sermo de perpetuo amentibus, licet Marsilius, & Sotus negent hos amentes posse confirmari: quamuis si confirmẽtur sacramentum teneat. Nihilominus dicendum est huiusmedi amentes non esse priuandos in hoc sacramento: imo non esse eis differendum sicut in infantibus: quia non expectatur status in quo possint melius disponi. Ratio autẽ est, quia isti sunt capaces sacramenti, & effectus eius, & nulla est sacramenti irreuerentia,quod eis conferatur,cum sint bene dispositi,quamuis non habeant meliorem, vel optimam dispositionem; non videtur ergo, quod sint priuandi tanta gratiæ perfectione, præsertim cum sancti dicant non esse perfecte Christianum,qui non est confirmatus.

Sed contra secundam partem conclusionis arguitur. Si quis rite suscipiat ordines primo debet fieri subdiaconus, quam diaconus, tamen si ante diaconatum susciperet quis ordinem presbyteratus, vel ante subdiaconatum diaconatus ordinem, vere haberet ordinẽ; ergo a simili licet baptismus præcedere debeat Confirmationem si rite fiat; tamẽ si quis ante baptismum confirmaretur, esset vere, etsi non rite confirmatus,ergo non baptizatus potest confirmari. Respõdeo quod non est simile de ordinibus,& de baptismo, & confirmatione. Non enim est ita essentialis comparatio ordinum superiorum ad inferiores, sicut confirmationis ad baptismũ propter ministeriales diuersitates eorum, & inconnigentiam; Nam ordo non est tantum sacramentum, sed etiã officium,cuilibet enim ordini deputatur suum officium,& potest aliquis officium vnius ordinis exequi sine alio, & officium diaconatus, siue subdiaconatu, ideo patet,quod ordines non habẽt adinuicem necessarium ordinem. At baptismus, & confirmatio habent effectus propter quos sunt, & non potest effectus confirmationis esse sine effectu baptismi & vniuersaliter nullum sacramentum sine baptismo, ideo alia sacramenta ad baptismum habent necessarium ordinẽ, & præexigentiam.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in quacunque ætate possit homo baptizatus confirmari.

[A]lex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richardus. Gabriel. ALex. de Ales, vbi supra, memb 5. art. 5. §. 1. D.Thom. ar. 8. ad 2.& expressius in 4. dist. 7. q. 3. art. 2. quæstiuncula 2. D.Bonau. hac dist. artic. 3. q. 1. ad 2. Richard. art. 3. q. 2.& Gabr. art. 3. dub. 7. censent expedire magis vt statim in infantiæ tempore confirmentur: quia infantilis ætas, cum non sit fictionis capax, qua effectus sacramenti impediatur: melius est hoc sacramentum cito conferri baptizatis, quam expectare adultam ætatem.

Alijs vero placet magis expedire confirmationẽ differri vsque ad adultam ætatem, saltem vsque ad initium eius, ita *[Gl]ossa.* sentit Glossa in cap. Vt ieiuni, de cons. dist. 5. ita intelligens textum illum, vbi sic dicitur. Vt ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, quem locum Glossa intelligit de æ*[Al]ex. de A[les.]* tate saltem 12. annorum. Sed hic textus, vt inquit Alexã. vbi supra, intelligit, quod illi qui sunt perfectæ ætatis debent accedere ieiuni, non quod non debeant accedere nisi ieiuni, *[Hu]go.* & in perfecta ætate. Vnde Hugo lib. 1. de sacramen. inquit. Hoc statutum est vt impositionis manuum sacramentũ non nisi a ieiunis, vel detur, vel accipiatur; si hi, qui acceperint perfectæ ætatis fuerint, vt mundi Spiritus sancti donũ accipiant.

Præterea etiam in priori sensu non videretur exigenda ætas 12. annorum, vt Glossa illa dicit, quia minor, v. g. septennium posset sufficere; quam ætatem ex Theologia requirit *[Pal]udanus. [Sot]us. [Vict]oria.* Palud. q 4. nu. 10. Sot. art. 8. Victor. in summa, § 48. & 49. & hanc partem sequitur Catechismus Pij V. & videtur ei fauere præsens ecclesiæ consuetudo: iam enim non confirmantur nisi, qui in ea sunt ætate, vt intelligere possint quid circa eos agatur.

Vtraque ex his opinionibus probabilis est. Vnde existimo per se loquendo,& seclusa speciali ecclesiæ ordinatione, aut consuetudine rem esse indifferẽtem. Nam pro vtraque parte sunt honestæ causæ,& nulla est quæ plurimum in alterutram partem vrgeat; Vnde olim potuit esse pia, & illis temporibus accommodata consuetudo confirmandi infantes; maxime quando bis tantũ in anno baptizabantur simul infantes cum adultis,& facile poterat episcopus adesse: qui vtrosque confirmaret: quia pauciores erant fideles. Verũ regulariter, & per se loquendo considerata ecclesiæ consuetudine, magis expedit non confirmari infantes ante vsum rationis, quamquam rationis vsu illucescente expediat etiam illam non admodum differre, sed præuenire infantẽ innocẽtem prius, quam grauiter peccare incipiat,& hoc modo cõciliari possunt facile omnes congruentiæ, quæ pro vtraque opinione adducuntur.

Sed dubitari potest, quæ dispositio requiratur in adulto suscipiente hoc sacramentum. Dico primo. Ad effectũ huius *1. Conclusio* sacramenti per se loquendo necessarium esse, vt qui illũ recipit primam gratiam habeat. Nam ad gratiæ augmentum per se requiritur,& supponitur prima gratia; quũ. n. augebitur, quod non est? effectus aũt huius sacramenti est dare gratiæ augmentum, ex quo sequitur, quod qui baptizatus est si baptismalem gratiam non amisit sufficienter dispositus est ad effectum huius sacri recipiendum, nec nouã dispositionẽ ex necessitate requirit, siue paruulus sit, siue adultus.

Dico secundo, quod in adulto requiritur consensus, non *2. Conclusio* tam per modum dispositionis ad effectum sacramenti, quã per modum intentionis, & voluntatis necessariæ ad valorẽ sacramenti: Nam adultus ratione vtens, non consentiẽs simpliciter, idest, nolens confirmari non recipit sacrum confirmationis: quia nullus adscribitur militiæ Christi inuitus.

Dico tertio, quod adultus vtens ratione, non consentiens, *3. Conclusio* neque dissentiens actualiter, neque virtualiter; consentiẽs tamen habitualiter: quia prius habuit voluntatẽ confirmationis,& post talem consensum non habuit dissensum contrarium, verum suscipit confirmationis sacramentum: patet, quia consensus habitualis sufficit homini; qui postquam habuit confirmationis assensum incidit in amentiam; sed vtens ratione non est deterioris conditionis, quam talis amẽs propterea quod ratione vtatur, ergo si talis consensus habitualis sufficit amenti, sufficiet etiam adulto ratione vtenti.

Dico quarto, quod si detur adultus ratione vtẽs, qui mere negatiue se habeat ad confirmationem omnino non con- *4. Conclusio* sentiens, neque dissentiens tam actualiter, quã habitualiter non reciperet sacrum confirmationis. quia oportet hominẽ ratione vtentem aliquam deuotionem habere ad sacramentum ad hoc vt illi valeat: Alias enim videretur contemnere illud sicut diximus de suscipiente baptismum, dist. 4. q. 4.

Dico quinto, quod qui post baptismum mortaliter pecca- *5. Conclusio* uit per se loquendo indiget contritione, vel attritione cũ sacramento pœnitentiæ vt digne possit hoc sacrum,& eius effectum recipere; probatur: quia indiget prima gratia, vt possit recipere effectum huius sacri; sed hanc amisit peccando, ergo oportet vt eam prius recuperet, quam ad effectum huius sacri recipiendum accedat; non potest aũt eam recipere nisi cum sacramento pœnitẽtiæ digne suscepto, aut per contritionem includentem votum eius. Et ex hoc sequitur, quod non sufficit sola attritio per se loquendo; Vnde qui solam attritionem habet, siamq; imperfectam dispositionem cognoscit; non potest licite ad hoc sacramentũ accedere: neque effectum eius recipere per se loquendo: quia cũ careat spirituali vita non est recte dispositus ad augmentum eius recipiendum, caret ergo dispositione per se requisita, & hoc ipsum non ignorat vt supponitur, male ergo agit sic accedendo,& consequenter ponit obicem effectui sacramenti.

ARTICVLVS X.

Vtrum solus episcopus possit hoc sacramentum conferre.

RAtio dubitandi est: quia qui potest quod maius est, potest quod minus est; sed simplex sacerdos potest conferre sacramentum efficacius, s. baptismũ,& dignius, s. Eucharistiæ, ergo & hoc sacramentum, atque adeo non solus episcopus potest hoc sacramentum conferre.

Præterea simplices sacerdotes possunt signare chrismate in vertice,& ita in excellentissima parte corporis; ergo possunt in inferiori, scilicet in fronte.

Item

Digitized by Google

Item si episcopi habent hanc potestatem, aut hoc est ratione ordinis, aut ratione iurisdictionis, secundum esse non potest: quia tunc clerici non ordinati possent idem facere, sicut excommunicare, quod non est verum, ergo dandũ est primum, & tunc idem possunt presbyteri, cum eiusdem ordinis sint simplices sacerdotes.

Deinde secundum ordinem causarum est ordo effectuũ: superioris enim causæ naturali superior, & dignior est effectus, vt patet in corporibus superioribus; sed ad episcopum pertinet ordines conferre, & conferre ordines est dignior actus, quam confirmare: quia confirmare quasi materiale exigitur in susceptione ordinum, ergo cum confirmare sit inferior actus, quam ordines cõferre, erit etiam inferioris ministerij, at inferior minister, & immediate suppositus episcopo est simplex sacerdos, ergo sacerdotis in quantum est sacerdos est confirmare.

Armachan. De hac re fuit sententia Armachani lib 11. de quæstionibus Armenorum c.4. asserentis simplices sacerdotes, quin vero diaconos iure diuino esse ordinarios huius sacramenti ministros. Nec quæro, inquit, qualia sint decreta ecclesiæ, sed quid potest ex sacra pagina eliei. Sed perspice (inquit *Sotus.* Sotus hac dist. art. 11.) impiam hominis impudentiã, fatetur. n. decretis ecclesiæ definitum esse contrarium; nihilominus errorem suum ex sacra pagina colligi. In eundem errorem incidit Ioannes Vuicles, vt colligitur ex Concil. Constantiens. sessio. 8. vbi hic error damnatur inter alios, & est nu. 28. quẽ errorem hausit Vuicleplius ab Armachano vt arbitratur *Tho. Vuald.* Thomas Vualden. tom. 2. de sacram. c. 114. Sed hæc sententia est falsa & hæretica vt infra apparebit. Vnde pro huius quæstio. explicatione obseru. est primo, quod in hac quæstio. disputamus præcise de ordinario ministro huius sacramenti: nam de extraordinario agemus infr. art. 13.

Secundo obseru. est, episcopum esse sufficientem ministrũ huius sacramenti, quia potestas ad conferendum sacramentum hoc, non est potestas iurisdictionis, sed ordinis, sed potestas ordinis est suprema in episcopo, vt ita possit ille, quicquid inferiores possunt ex vi sui ordinis. Vnde sequitur quẽlibet episcopum, quantum ad necessitatem sacramenti attinet, esse sufficientem ministrum huius sacramenti respectu cuiuslibet hominis baptizati: nam licet ex præcepto vnusquisque teneatur non confirmare alienas oues, neque vsurpare alienam iurisdictionem: tamen quia illa iurisdictio nõ est de substantia huius sacramenti, quod non per modum iudicij, sed per modum cuiusdã consecrationis exercetur, ideo licet male faciat, & contra ius alterius, episcopus, qui alterius subditos confirmat fine eius licentia, sacramentum tamen factum tenet: atque ita quilibet episcopus est sufficiens minister. Sed dubium est an sit necessarius minister, & hoc vel tantum necessitate præcepti, vel etiam necessitate sacri.

Vnde quorundam sententia fuit episcopum esse quidem necessarium ministrum huius sacramenti necessitate præcepti, non autem sacramenti. Quod probant authoritate D. *D. Ambros.* Ambros. ad Ephes. 4. vbi ita scribit. Non per omnia conueniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc est in ecclesia; quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. & infra, denique apud Aegyptum presbyteri consignant, si præsens episcopus *D. August.* non est. secundo probant ex D. August. in lib. quæstio. veteris, & noui testam. q. 101. vbi inquit. Nũquid & diaconos, & ministros nostros dicit episcopos: non vtique quia multo inferiores sunt. & infra. Nam in Alexandriam, & per totam Aegyptum si desit episcopus cõsignat presbyter, tertio pro- *Nicol. Pap.* batur ex Nicolao I. epist. ad Hincmarũ Remensem vbi dicit Græcos Latinos reprehendisse, eo qd prohiberent presbyteris chrismate baptizatorum frontes vngere. quarto probatur ex D. Hieron. in dialogo contra Luciferianos. Non (in- *D. Hierony.* quit) ad legis necessitatem, sed ad sacerdotij honorem pertinet, quod baptizati deferantur ad episcopos, vt illis manus imponant, quibus verbis significat hoc non esse de necessitate sacramenti, imo nec legis diuinæ, sed solum cuiusdam ecclesiasticæ consuetudinis. Vnde in nonnullis decretis solum dicitur. Non licere presbyteris Spiritum sanctum dare per *Conc. Hisp.* manus impositionem, vt videre licet in Concil. Hispal. 2. cap. *Conc. Vuor.* 7. Conci. Vuormatien. c. 8. Concil. Carthag. 2. c. 3. & Innoc. 1. *Conci. Cart.* epist. 1. ad Decent. cap. 3.

Innocen. 1. Item probatur ex illo 1. ad Timot. 4. Noli cõtemnere gratiam, quæ est in te per impositionem manus presbyterij, & Act. 9. Ananias imposuit manus Paulo vt impleretur Spiritu sancto, cum tamen non esset episcopus. Præterea Concil. *Conc. Tolet.* Tolet. 1. c. 20. ait. Statutum est, Diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo, præsente vero non, nisi ab ipso fuerit præceptum. Vnde in Concil. Arausi. primo, can. 2. dicitur. *Conc. Arau.* Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Solus episcopus est ordinarius sacramenti confirmationis minister. *1. Conclusio.* Hæc conclusio sub his terminis est iam de fide: Nam sub eisdem est definita in Concil. Trident. sessio. 7. can. 3. de confirmatione sub his verbis. Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopũ, sed *Conc. Trid.* quemuis simplicem sacerdotem, anathema sit, & eandem sanctis indicauerat Concil. Florent. in decreto Eugenij, & colligitur ex multis alijs decretis, quæ referuntur de consec. dist. 5. *Conc. Flor.* quæ statim in sequenti conclusione annotabimus. Ratio a priori sumenda est ex Christi institutione ac voluntate, quæ per ecclesiæ traditionem, & definitionem nobis est sufficienter proposita. Congruentia optima est, quam Alexand. de *Alex. de Ales.* Ales, loco supra citato, membr. 5. articulo primo. §. 3. tradit. Quia rem facere plurium est, sed rem factam confirmare, & infirmare maiorum est, & ideo baptizare est plurium. Baptisma confirmare est maiorum, id est, episcoporum sicut benedicere Abbates, ordinare, ecclesias consecrare, quæ sunt opera perfectionis, propter quod illa exercent episcopi de consuetudine, qui sunt in ecclesia maiores. Item in grege Domini sunt quidam pro quibus pugnatur, quidam vero qui pugnant & pro se, & pro alijs, quibus necesse est habere gratiam roboratam siue cumulum gratiæ. Vnde congruit vt minister ad hanc gratiam a Domino tribuendã sit superior in ecclesia; cum ergo ad sacerdotes pertineat dare sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, quæ sunt sacramenta debilium, congruit summis sacerdotibus dare sacramenta cõfirmationis, & ordinis, quæ sunt sacramenta fortiorum.

Secunda Conclusio. Episcopus nõ tantum est ordinarius, *2. Conclusio.* ac necessarius minister ex necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, ita vt si sacerdos simplex propria authoritate illud tentet conferre, nihil efficiet. conclusio est eodẽ modo certa, probatur & apertissimo scripturæ testimonio. Nam Act. 8. missi sunt Petrus, & Ioannes vt per impositionem manuum darent Spiritum sanctum ijs, quos Philippus in Samaria baptizauerat, & Act. 19. Paulus ipse Apostolus manus imposuit illis, quos alij baptizauerant. At certè nulla potest fingi causa, cur soli Apostoli manus imponant, imo cur ad hoc ipsum veniant de vno loco ad alium: nisi quia hoc munus ex Christi Domini institutione pertinet ad primum gradum ecclesiasticum, qui sine controuersia est gradus episcopalis.

Probatur secundo authoritate, & definitione ecclesiæ Nã in primis Concil. Florent. & Trident. cum docent solũ epi- *Conci. Flo. Conc. Trid.* scopum esse ordinarium ministrum huius sacramenti, sane loquuntur de ministro simpliciter necessario ad substãtiam sacramenti, sicut de cæteris sacramentis loqui solemus, & confirmatur ex Concil. Trident. session 23. c. 4 in doctrina fidei, vbi inter alias functiones proprias episcoporum, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habet, ponit hanc scilicet sacramentum confirmationis conferre, & eius hæc sunt verba. Proinde sacrosancta synodus declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos qui in Apostolorum locum successerunt ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos sicut idẽ Apostolus ait a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei, eosq; presbyteris superiores esse, & sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent, & can. 7. eiusdem sessi. anathema dicit eum, qui dixerit potestatem confirmandi esse episcopis cum presbyteris communem: ergo in solis episcopis est hæc potestas, atque adeo sunt ministri necessarij necessitate sacramenti.

Quod Eusebius Papa cõfirmat epist. 3. ad episcopos Tu- *Euseb. Pa.* sciæ, & refertur de cons. dist. 5. Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, quam a summis sacerdotibus, nec tẽpore Apostolorum ab alijs, quam ab ipsis Apostolis legitur, ac scitur peractum esse, nec ab alijs quam qui illorum locũ tenent vnquam perfici potest, vel fieri debet: Nam si aliter præsumptum fuerit irritum, & vanum habetur, nec inter

eccle-

Digitized by Google

Melchiades ecclesiastica vnquam sacramenta reputabitur. Item Melchiades Papa in epist. ad episcopos Hispan. ita scribit. De his vero super quibus rogastis vos informari, id est, vtrum maius esset sacramentum manus impositio episcoporũ, aut baptismus, scitote vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum a maioribus fit, idest, a summis Pontificibus, quod a minoribus fieri non potest, &c.

Item dist. 21. cap. Cleros, §. presbyter, ita legimus, presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant sicut & episcopi: qui licet sint sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant, nec paracletũ spiritum dant, quod solum deberi episcopis lectio Actuum Apostolorum euidentissime demonstrat, & eodem fere modo scribunt Clemens Papa, Damasus, Innocent. Leo, & alij superius citati ad confirmandam huius sacramenti veritatem.

Vualdensis. Ad testimonium D. Ambros. pro altera sententia, dico, vt notat Vualdensis loco supracitato, Aegyptij non propterea errabant in hoc, quod presbyteri sint sufficientes ministri confirmationis, sed in eo, quod sacramentum confirmationis negabant, solamq; ceremonialem vnctionem chrismatis, quæ fit, in sollemni baptismo cognoscebant, & ideo consequenter aiebant eam non esse propriam episcopi, sed a presbytero etiam ministrari posse. Et per idem patet ad testimoniũ D. August.

Ad illud ex Nicolao Papa, dico quod si Græci in eo Latinos reprehendebant, errori eorum imputari potest: qui cõsuetudinem, quam in principio exigente necessitate conceperant, non deponunt.

Ad illud D. Hieron. dico, quod ideo videtur contrarium nostræ conclusioni sentire: quia non satis distinguit inter simplicem sacerdotem, & episcopum, quoad dignitatem & ordinis potestatem, vt latius in materia de sacramento ordinis tractandum est.

Decreta vero quæ dicunt non licere presbyteris hoc sacramentum ministrare intelligenda sunt non solum ecclesiastico iure, sed etiam diuino: quia scilicet carent potestate, & consecratione necessaria ad hoc ministerium.

Ad illud 1. Timot. 4. dico non tractari eo loco de confirmatione, sed de ordinatione Timothei: nam illa vox presbyterij non designat ministrum, sed modũ seu speciem illius manus impositionis; atque adeo per illam vocem presbyterij intelligitur chorus presbyterorum, idest, episcoporum vt
Chrysost. exponat Chrysostomus, & alij. Multi enim episcopi, vnum episcopum ordinant. Vnus autem solus confirmat.

Ad illud Act. 9. dico, quod non est sermo de confirmatione, sed de manus impositione curatiua, seu sanatiua, quod patet, quia ita legitur ibi. Abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit Saule frater Dominus Iesus misit me qui apparuit tibi in via, qua veniebas vt videas, & implearis Spiritu sancto, & confestim ceciderũt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est. Quare non fuit confirmatoria, sed curatoria illa manus impositio; Vnde facta est ante baptismum nõ postea, vt fieri debet confirmatio.

Ad Concil. Tolet. dicendum est, ibi non esse sermonem de vnctione chrismatis in frontibus, sed de cæremoniali vnctione, quæ in vertice fit in baptismo sollemni, vt ibidem di-
Leo Papa. citur, & confirmat, optime Leo Papa epist. 86. alias 88. &
Damasus. Damasus Papa in epist. 1. Olim enim nihil presbytero agere licebat sine licentia episcopi; & ideo mirum nõ est, quod etiam hæc cæremonialis vnctio ei fuerit interdicta, nisi ex
Hugo. licentia episcopi, vel in eius absentia. Vnde Hugo lib. 2. de sacramentis, par. 7. c. 3. dicit. Primis temporibus omnis vnctio chrismatis per solos Pontifices fiebat, sed postquam institutum est baptizatum sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reseruatur; quæ constitutio
Damasus Papa. facta fuit a B. Siluestro, vt refert Damasus Papa in vita Siluestri, vbi dicit Siluestrum constituisse, vt presbyter baptizatum liniat chrismate, propter occasionem transitus mor-
Innoc. 1. tis; quam constitutionem Innocent. 1. epist. 1. c. 3. ampliat vltra decretum Concil. Tolet. dicitque illam cæremonialem vnctionem licere presbyteris siue extra episcopum, siue præsente episcopo baptizent: quamquam quod dicit præsente episcopo intelligi recte potest de licentia eius.

Ad decretum Concil. Arausi. dicendum est, non loqui de hoc sacramento, sed de reconciliatione sollemni, qua olim ad ecclesiæ gremium recipiebantur hæretici, qui ab hæresi conuertebantur; in qua inter alias cæremonias in aliquibus regionibus, seu Prouincijs adhiberi solebat quædã vnctio, seu consignatio chrismatis, vt ex hoc loco colligitur, & ex
Concil. Arelat. 2. Theodor. Concil. Arelat. 2. c. 17. & apud Theodoretum libr. 3. hæreticarum fabularum cap. de Nouato; vbi refert patres ordinasse vt ij, qui a Nouatiana hæresi conuertebantur per vnctionem chrismatis reciperentur: quia Nouatiani illis, quos baptizabant sacrum chrisma non præbebant. Sic ergo in vniuersum credi potest, quotiescunque hæretici per vnctionẽ chrismatis recipiebantur, id factum esse solum cum his, qui in hæresi vncti non fuerant. Non enim constat semper fuisse adhibitam vnctionem chrismatis cum manus impositione reconciliatiua, vt patet ex alijs decretis, in hac quæst. & in materia de baptismo relatis.

Ad rationes dubitandi in principio artic. positas respondetur, & ad primam dico, quod quando minus includitur in maiori, qui potest maius potest & minus, vt qui potest ferre centum libras potest ferre quadraginta: sed quãdo maius, & minus sunt totaliter disparata, non oportet vt ille qui, potest maius possit minus, sicut non oportet, quod homo qui potest ratiocinari possit volare; sic autem est in proposito: quia baptizare conficere Eucharistiam, & confirmare, sunt totaliter disparata.

Ad secundam dico, quod vertex est quidem excellẽtior pars fronte positione, & situ, non tamen dignitate significationis: Vnctio vero in hac parte vel illa plus sit nobilitate significationis, quam dignitate substantiæ: Vnde chrisma in
Alexan. de Ales. vertice (inquit Alexan. de Ales) significat fidem dari in baptismo, quæ est in vertice, idest, in superiori parte rationis, idest in synteresi. Iuxta illud Hieremiæ 2. Filij Mempheos, & Taphnes (idest, hæretici) constuprauerũt te vsque ad verticem: idest vsque ad fidem, quam corruperant in te: chrisma vero in fronte significat fortitudinem, & audaciã, qua cum fiducia prędicatur nomen Christi iuxta illud Act. 4. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur cum fiducia verbum Dei.

Alex. de Ales. Ad tertiam dicit Alexan. quod confirmare non competit episcopis ratione ordinis, neque ratione iurisdictionis, sed ratione institutionis, causa enim quare non potest sacerdos simplex confirmare, sicut baptizare, & Eucharistiam conficere, est institutio: Nam vt dicit Hugo sacramentum, quod
Hugo. contra institutionem celebratur irritum reputatur. Soli autem Apostoli suo tempore confirmauerunt, & ideo institutum est in ecclesia, vt eorum Vicarij, idest, episcopi cõfirmarent. D. vero Bonau. dicit, quod nec a iurisdictione, neq; ab
D. Bonau. ordine sacerdotali habet episcopus vt possit confirmare, sed ab authoritate, & dignitate episcopali; & hæc dicit ordinem in eminentia, hæc autem eminentia confertur episcopo cũ consecratur, & ideo si renunciet iurisdictioni, adhuc potest confirmare; quamuis ergo nõ habeat ex ordine sacerdotali neque ex iurisdictione temporali, habet tamen ex aliquo, quod superexcellit vtrumque.

Ad vltimum dico, quod licet confirmare sit inferior ministratio, quam ordines conferre; non tamen sequitur, quod pertineat ad inferiorem ministrum, scilicet simplicem sacerdotem: quia ad episcopalem dignitatem pertinet ministratio sacramentorum, quorum effectus sunt perfectionis, qui possunt esse perfecti, & perfectiores; & loquor de perfectione abundantiæ non sufficientiæ tantum; vnde omnis administratio, quæ est abundantis perfectionis, ad episcopos dignoscitur pertinere, ministratio autem sacramenti confirmationis est semper abundantis perfectionis. Vnde argumentum concludit ex insufficienti; debuit enim dicere, est inferioris ministrationis, & sufficientis perfectionis tantũ, vt baptizare, & communicare; & non perfectionis abundantis, quod esset falsum in confirmatione, & ideo argumentũ non concludit.

ARTICVLVS XI.

Vtrum episcopus hæreticus ab ecclesia præcisus siue suspensus, vel degradatus, possit esse minister sacramenti confirmationis.

Innoc. 1. Ratio dubitandi est, quia Innocent. 1. epist. 18. capitulo tertio, de hæreticis loquens ait Eis solum baptisma ratum esse permittimus, & infra. Nec dare Spiritus sancti plenitudinem possunt, quam per impietatis suæ perfidiam perdi.

Digitized by Google

Leo Papa. perdiderunt. Similiter Leo Papa epistol. 35. capitulo quarto, baptizatum ab hæreticis dicit non esse rebaptizandum; sed hoc eis esse conferendum, quod ibi defuit, vt per episcopalē manus impositionem virtutem sancti spiritus cōsequatur. *Euseb. Pap. Conc. Arel.* Item videtur dicere Euseb. Papa epist. 3. circa finem, & Cōcil. Arelat. 1. can. 8.

Castro. Couar. De hac re nonnulli iurisperiti, (vt refert Castro, libro secundo, de iusta hæreticorum punitione, cap. 22. nempe Innocent. & Panormit. vt etiam refert Couar. libro primo, variar. resol. cap. 10 nume. 8. ex Gloss. in cap. Accedens, 50. dist. & in cap. Degradatio de pœnis in 6.) docuerunt episcopum hæreticum, & ab ecclesia præcisum, ita esse prohibitum ab huius sacramenti administratione, vt si illud tentet conferre nihil efficiat, hæc tamen sententia erronea est, imo vt dicit Castro vbi supra hæretica, nec tamen huius sententiæ patronos hæreticos existimat esse dicendos: quia (inquit) non puto eos tam pertinaci animositate ita sensisse vt contra Catholicæ ecclesiæ doctrinam suam opinionem tueri voluissent; imo contra (inquit) firmissime credo illos si fuissent de hac re (vt decebat) admoniti statim suam sententiam reuocasse. Deinde res ipsa non est de illis primis fidei principijs, in quibus fas non est Christiano viro aliquid ignorare; neque res est per se tam aperta, vt non possit per ignorantiam excusari, præsertim cum illa magis ad Theologorum, quam ad Canonistarum examen pertineat, eandem sententiam *Richardus.* refert etiam Richard. in 4. dist. 7. art. 2. q. 2. quoad episcopum degradatum, & eam probabilem censet licet oppositam dicat esse probabiliorem.

Vnde pro solutione difficultatis obseru. est, quod (vt D. *D. August.* August. libro secundo, contra Parmenianum ait) aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere, & similiter etiam aliud est non dare, & aliud non recte dare.

Secundo obseru. est, varias esse in episcopo sui ordinis potestates, quæ omnes non sunt æqua lance pensandæ. Habet siquidem episcopus potestatem circa aliquorum sacramentorum collationem, vt sunt ordo, & confirmatio, quæ a solis episcopis conferri possunt. Habet etiam potestatem ex ordine suo ad benedicendum, & consecrandum alia, quæ non sunt sacramenta, sed sacramentalia dicuntur, vt sunt ecclesiæ, calices, vestimenta, & cætera; quæ a solis episcopis consecrantur, & benedicuntur. Hæc omnia, & alia similia dicuntur sacramentalia; quia omnia illa ordinantur ad alicuius sacramenti consecrationem, vel illius administrationē; Nam consecratio, & benedictio ecclesiæ, consecratio calicis, benedictio vestimentorum, aliaque id genus multa, ad consecrationem Eucharistiæ cum debita deuotione ordinā tur. Chrismatis consecratio ad sacramentorum baptismi, & confirmationis, & extremæ vnctionis collationem diriguntur.

Alphons. Tertio obseruandæ sunt tres assertiones, quas Alphons. a Castro loco supra relato posuit. Quarum prima habet Papā non posse tollere ab episcopis potestatem conferendi illa sacramenta, quæ sunt episcopis reseruata, vt sunt confirmatio, & ordo; ita vt illorum sacramentorum collatio ex hac Papæ prohibitione irrita sit. secunda Summum Pontificē posse prohibere episcopis executionem ordinis episcopalis circa sacramenta; siue particulari, siue generali prohibitione ad effectum istum, vt post hanc prohibitionem episcopus ordinans, aut confirmans peccet; quamuis ea, quæ fecerint sint rata, & firma, nec iterum repetenda. tertia Papam posse ab episcopis, eam potestatem ordinis, quam habent circa sacramentalia auferre, vtputa circa consecrationes altarium, calicum, vestimentorum benedictiones; in hunc sensum, vt actum ab eis contra hanc prohibitionem minime valeat, cum hæc potestas potius iure humano, quam diuino eis competat.

Conclusio. His obseruatis dico. Quemcunque verum episcopum quoad consecrationem esse sufficientem ministrum huius sacramenti, etiamsi hæreticus sit, excommunicatus, & degra- *Ale de Ales Ioan. Maio. Adrianus. Alphons. a Castro. Couar.* datus. hæc conclus. est Alex. de Ales, par. 4. quæst. 9. membr. 5. art. 1. §. 3. quæst. 3. Ioan. Maioris, in 4. distinct. 7. Hadrian. de confirm. artic. 3. Alphons. a Castro, Couar. locis citatis, & omnium recentiorum, atque ita hæc potestas episcopo ex sua cōsecratione competit, vt non possit facere ecclesia, quin sacramentum confirmationis sub debita forma, & materia, & cum debita intentione ab eo collatum validum sit, licet ipse peccet illud ministrando. Hanc conclusionem non in concilio expresse definitam; ideo non assero absolute esse de fide: Nam licet Concil. Trident. sessio. 7. can. 12. de sacramentis in genere definiat sacramentum datum ab existente in peccato mortali esse validum, nihil tamen de hæretico in genere definit, neque etiam aliquid simpliciter de hoc sacramento, colligitur tamen hæc conclusio ex Concil. Florentin. *Conci. Flor. Conc. Trid.* & Trident. Tum quia absolute dicunt episcopum esse ordinarium ministrum huius sacramenti; episcopus autem quamuis sit hæreticus, & quam quauis alia ratione ab ecclesia præcisus est verus episcopus, ergo etiam est verus, & sufficiens huius sacramenti minister. Tum etiam: quia Concil. Trident. dicit ministrum sacramenti existentem in peccato mortali esse verum ministrum, ergo etiam si sit in peccato hæresis: Nam sicut non licet excipere peccatum adulterij, vel concubinatus, vel aliud simile, ita nec peccatū hæresis. Nam definitiones Conciliorum doctrinales sunt, & vniuersales.

Tertio, quia ecclesia non potest auferre a sacerdote, vel episcopo ordinem seu consecrationem semel datam; ergo quamuis possit prohibere vsum eius, non potest tamen facere, quin actus solius ordinis ab huiusmodi ministerio factus validus sit. Cum ergo confirmatio tantum sit ordinis episcopalis non potest ab ecclesia impediri quo minus sit verum sacramentum etiamsi episcopus sit hæreticus, vel præcisus dummodo cætera necessaria adhibeantur. Primum antecedens certissimum est: quia character sacerdotalis deleri non potest, vt definit Concil. Trident. sessio. 7 can. 9. & sessi. 24. can. 4. Vnde quando sacerdos deponitur aut degradatur, re vera non priuatur ipso ordine: quia non priuatur charactere; sed priuatur actu, vel etiā priuilegijs sacerdotalibus. Ita esto quod episcopalis consecratio, non imprimat characterem, sed præexistentem augeat vt aliqui operantur, de quo erit sermo in 3. tom. huius 4. dist. 24. Consecrationem tamen episcopalem sine controuersia inuterabilem, & indelebilem esse ab omnibus receptum est. Vnde Concil. Tridentin. sessio. 23. cum cap. 4. dixisset ordinem imprimere characterem indelebilem, & ideo sacerdotes habere potestatem ordinis quam amittere non possunt; statim subdit, episcopos pertinere ad hunc hierarchicum ordinem, & habere in eo gradu, quamdam propriam potestatem, sentit ergo etiam illam esse inamissibilem. Prima autem consequentia probatur: quia huiusmodi actus solum pendet a potestate ordinis. Ideo enim vocatur actus solius ordinis, vt distinguatur ab illo, qui est essentialiter etiam actus iurisdictionis, vt est sacramentale iudicium, & absolutio; quæ propterea nulla est si potestas iurisdictionis desit: quia ab illa per se pendet; actus vero solius ordinis, vt cōsecratio a sola potestate ordinis per se pendet, & ideo illa potestate durante prohiberi quidē potest talis actus, vt licite fieri non possit, non tamen potest ab homine impediri, quo minus si fiat cum cæteris conditionibus requisitis validus sit.

Prætera ex Concil. Florent sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & ministro, vnde fieri non pōt vt hæc rite adhibeantur, & sacramentum non perficiatur: ergo si in præsenti sacramento adhibeatur materia, & forma a vero episcopo efficietur sacramentum, quantumuis episcopus sit prauus hæreticus, vel præcisus.

Ad rationem dubitandi in principio positam dico, Innocent. ibi loqui de ordine dato ab hæretico, quem dicit non esse ratum, non quoad substantiam, sed quoad vsum honorem, & dignitatem, & priuilegia clericalia, vt latius dicendum est, in 3. tomo in materia de ordine, & constat ex multis, quæ tradit Gratianus 1. q. 1. & ex verbis ipsiusmet Inno- *Gratian.* centij, §. Non videtur clericos eorum cum sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate, & postea subdit rationem supra traditam. Dicitur autem solum baptismum concessum hæreticis, vt ab eis valide, & rite celebrari possit: quia est ad salutem simpliciter necessarius; & hoc modo dici etiam potest solum baptismum hæreticis ratum esse permitti: Nam ad aliorum sacramentorum vsum simpliciter suspensi sunt, ita vt saltem non possint eis licite vti, quādiu sunt hæretici. Quod vero Innocent. ait hæreticos non posse dare Spiritus sancti plenitudinem intelligendum est dictum esse, propter effectum sacramenti, quem non recipit is, qui a ministro hæretico sacramentum recipit voluntarie, & sine sufficiente necessitate, vt diximus supra distinct. quinta, quæstio. secunda, articulo primo. Et ideo cum huiusmodi hæretici ad ecclesiam veniunt per manus impositio-

nem

Digitized by Google

nem reconciliatiuam recipiuntur sub imagine pœnitentiæ, & inuocatione Spiritus sancti, vt ibidem ait Innocent. & eodem sensu loquitur Leo Papa; Etsi quis cum Lindano 4. Panopliæ cap. 27. contendat Leonem ibi loqui de sacramen to confirmationis, dicimus quod intelligit de illis hæreticis: qui non habent veros episcopos, a quibus rite confirmentur. Et eodem modo exponendum est Concilium Arelat. Nam dicit clericos conuersos ex hæresi, si magnum fidei suæ, & perfectæ conuersionis testimonium præbuerint posse ad suum gradum, & ordinem recipi per manus impositionē, non erat ergo illa manus impositio confirmatio. Quo modo enim verisimile est, aut eos fuisse denuo confirmatos, qui in sacerdotali ordine recipiebantur, aut ordinationē hæreticorum vt ratam, & validam receptam esse nō autem confirmationem.

ARTICVLVS XII.

Vtrum D. Gregorius Papa presbyteris Sardiniæ facultatem dederit confirmandi.

QVidam presbyteri in insula Sardiniæ pueros in fronte chrismabant, quod cum B. Gregorius prohibuisset, quidam ex hoc scandalizati fuerunt, & ideo propter scādalum remouendum concessit presbyteris vt in absentia episcoporum chrismarent, ita scribens Ianuario episcopo Calaritano epist. 23. lib. 3. in fine. Peruenit quoque ad nos quosdā scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in frōte eos, qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum vsum veterem ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeāt concedimus, quæ verba referuntur a Gratiano, dist. 95. cap. Peruenit. Ex quibus non leue oritur dubium.

Conc. Flor. Ratio vero dubitandi est, quia vt Concilium Florent. dixit in instructione Armenorum sacramenta nouæ legis tribus perficiuntur, materia, forma & ministro, quorum si aliquod desit non perficitur sacramentum, sunt ergo tria de substantia sacramenti, & immutabilia, ex diuina institutione, atque adeo non potest Summus Pontifex aliquid in his immutare; atqui art. 10. ostensum est solum episcopum esse ministrū huius sacramenti ex Christi institutione: ergo non potest alteri hoc ministerium committi ex humana dispositione, non potuit ergo D. Gregor. presbyteris Sardiniæ facultatem confirmandi concedere.

Durandus. Maior. Vnde vt nodum huius difficultatis soluerent, Durandus hac d. q. 4. num. 10. ad primum, & Maior. q. vnica contra primam concl. §. summatim breuibus, &c. non verentur dicere, D. Gregor. in eo facto vt hominem errasse; Quæ responsio, etsi cum hac limitatione videlicet, quod in his rebus, quæ magis ad vsum pertinent, quam ad doctrinam interdum potest errare Pontifex, non docendo, seu definiendo, sed operando, sicut interdum dispensat in voto sollemni, vel in matrimonio rato secundum probabiles opiniones, quæ fortasse in re ipsa falsæ sunt, ita potuit D. Gregor. errasse sequendo propriam opinionem, quam probabilem existimauit tollerabilis sit; quamuis etiam nec huiusmodi limitatio sit probanda propter eximiam B. Gregor. sanctitatem, & doctrinam. Vnde non est verisimile in re tam graui se periculo errandi exposuisse maxime cum dispensatio ipsa non vni tantum, vel alteri priuatæ personæ, sed integræ cuidam prouinciæ cōcederetur: nam error huiusmodi fuisset grauissimus, & valde perniciosus, & in re pertinente ad substantiam sacramenti. Nihilominus absolute prolata, velut ab illis pronunciatur nimis dura, & impia censetur: nam vere asseuerādum est Summum Pontificem in his, quæ ad fidem pertinent vt personam publicam, & ecclesiæ caput aliquid definiente minime errare posse, vt late ostendimus in 2. parte 3. sent. in tract. de Papa. D. autem Gregor. verbis supra relatis non concedit hanc facultatem verbis significātibus aliquod dubium, vel probabilitatem, sed tanquam de re certa, & indubitata loquitur hac ergo responsione reiecta refert Doctor. sub. in hac q. sub litt. D. §. ad tertium &c. quatuor modos dicendi, quorum duos reprobat, alios duos probabiles dicit.

Primus modus dicendi est, quod Papa concessit, quod possent vngere in fronte oleo, & non chrismate. sed hoc est expresse contra textum litteræ. Nam inquit D. Gregor. Vbi episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus. Item hoc concessit eo quod ex eius subtractione erant quidam scādalizati, etsi concessisset illud fieri tantum oleo, ostendens quasi fieret chrismate esset simulatio contra veritatem doctrinæ, Quēadmodum si concederetur dari pro Eucharistia panis benedictus.

Secundus modus dicendi est Glossæ de consec. dist. 4. capit. Presbyteris, quæ dicit D. Gregor. ibi nec dispensasse, nec potestatem aliquam concessisse, sed consensisse tantum, & quod sine scandalo vetare non poterat permisisse. Sed hæc responsio est contra vim verborum Gregorij: non enim ait permittimus, sed concedimus: ex quo sumitur efficax argumentum. Nam si Gregorius illo verbo in sua proprietate vsus est; ergo non tantum factum permisit, sed etiam facultatem faciendi concessit. Si autem illo verbo vsus est ad dissimulandum grauissime deliquit: quia non solum errorem quemdam permisit, sed etiam specie fictorum verborū confirmauit, & auxit. Item si concessisset de facto quod non potuisset de iure, in hac concessione peccasset mortaliter; ac etiam sacerdotibus occasionem peccandi mortaliter præbuisset scilicet faciendi, quod eis de iure haud facere licebat; Nec posset excusari, quod hoc fecisset ad scandalum euitandum: quoniam in re tam graui non debuisset errorem, & abusum illius gentis dissimulare, ac permittere propter tam leuem causam, qualis erat, quorundam tristitia, & scandalū acceptum potius quam datum. Nam (vt insinuat Scotus) potius ad officium Pontificis pertinebat, si scandalum illud ex errore nascebatur, veritatem constanter docere, vt error, & consequenter scandalum tolleretur: nam vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur extra de regulis iuris. *Glossa. Scotus.*

His duobus modis respōdendi improbatis, sunt alij duo modi dicendi probabiles, & primus est quod in primitiua ecclesia non erat differentia inter simplices sacerdotes, & episcopos, vt videtur sensisse D. Hieronym. relatus a Gratiano, dist. 95. cap. Olim, & sunt verba D. Hieron. super epist. ad Titum, cap. 1. vbi ita scribit. Idē est ergo presbyter, quod episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephe, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur, postquam autem vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam episcopum, & presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, & aliud esse nomen officij; relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis Paulus, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, & diaconis gratia vobis, & pax, & reliqua Philippis vna est vrbs Macedoniæ, & certe in vna ciuitate plures, vt nuncupentur episcopi esse non poterant. Hactenus D. Hieronymus, quam sententiam probat multis alijs scripturæ testimonijs, & tandem concludit. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit esse subiectos; ita episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret. hæc ille, in commentario ad Titum. *Hieron. Gratianus.*

Item ipsemet D. Hieronym. epistol. 85. ad Eugatium, ita scribit. Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, vt diaconos presbyteris, id est, episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros, quos & episcopos, &c. & infra. Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium episcopos presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligunt de se, quem industrium nouerint, & archidiaconum vocent: Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? hæc ille, quæ verba referuntur a Gratian. distinct. 93. capit. Legimus, videatur epistola D. Hieronym. quæ habetur in tomo 2. epistolarum. Ex his authoritatibus colligitur, quod solum ex consuetudine, & presbyteri subijciuntur

episco-

Digitized by Google

episcopo, & episcopi presbyteris præsent, atque adeo erat idem presbyter, & episcopus; ergo dicatur episcopus semper habuit aliquid facere, quod non habuit presbyter. quia habuit ordinare sacerdotes, quod non poterant facere presbyter; ergo semper fuit differentia inter eos. Respondet Glossa, quod intelligitur, quod non fiunt nisi ab episcopis, hoc est, licite; non quod non possent sacerdotes ordinare; sed quod non poterant hoc præstare licite: quia iam erat vnus ordinatus ad hoc faciendum: quod enim sacerdotes absolute ordinare possent, probatur per Glossam præcedentē, vbi disputatur in quo facta fuit prælatio, aut in officio, vel in nomine; & in fine dicit, quod facta fuit prælatio, quo ad nomen, & quoad aliquam administrationem, & quoad quædam sacramenta, quæ modo episcopis appropriantur. Ex quibus verbis infertur primo, quod si post Apostolos facta est talis prælatio episcoporum super presbyteros, quod a principio ecclesiæ non fuit ita. Nam hæc prælatio, inquit, Glossa facta fuit a tempore Petri, vt innuunt verba Hieronym. cum inquit. Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista, &c. Fuit autem Marcus contemporaneus Petro, & Clementi, arg. 25. q. 1. cum beatissimus secundo infertur, quod si modo episcopis aliqua administratio appropriatur, quod a principio non fuerint propria.

Dicit tamen Scotus, quod si a principio, idest, in prima primitiua ecclesia fuit aliquis actus proprius episcopo præter consecrationem sicut videtur innuere Glossa super illa verba D. Hieronymi. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat, vbi ait Glossa. In ordinatione cætera intelliguntur, quæ non fiunt nisi ab episcopis: quæ continentur, dist. 68. capit. Quamuis. Sequitur, quod a principio erat differentia episcopi, & presbyteri; & tunc illæ authoritates ibi adductæ per D. Hieronymum, dicendum est, quod non concludunt oppositum, nimirū, nullum fuisse discrimen inter episcopos, & presbyteros; sed sunt exponendæ sicut Glossa exponit, scilicet quod ante prælationem ista nomina presbyter, & episcopus erant prorsus synonyma, & etiam administratio communis erat: quia cōmuni consilio sacerdotum regebantur ecclesiæ, 95. d. olim. In schismatis, ergo remediū facta est prælatio vt vnus præesset, & quoad nomen & quoad administrationem, & quoad quædam sacramenta, quæ modo appropriantur episcopis. Vnde Hugo. Credo (inquit) quod ab initio differentia fuit inter episcopos, & simplices sacerdotes, sicut modo est; & in administratione, & in prælatione, & in officiis, & in sacramentis; sed quoad appellationem non erat differentia: quia communiter, & indifferenter isti, & illi dicebantur episcopi, & presbyteri.

Hugo.

Et confirmatur ex distinct. 21. capit. In nouo testamento: vbi dicitur, quod in locum Apostolorum successerunt episcopi & in locum 72. discipulorum successerunt presbyteri. Sic enim legitur in illo capit. Et sunt verba Anacleti ad episcopos Italiæ, epist. 2. Ipsis Apostolis decedentibus, in locum eorum successerunt episcopi. & paucum infra; Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, & operarios paucos rogauerunt Dominū messis, vt mitteret operarios in messem suam; Inde ab eis electi sunt 72. discipuli, quorum typum gerunt presbyteri; atque in eorum locum sunt constituti in ecclesia.

Anacletus.

Et si dicas. Nonne Philippus fuit de 72. & Stephanus, & cæteri diaconi non presbyteri. Dici potest, quod non sequitur ex hoc, quod non fuerint presbyteri, idest, sacerdotes: quia non appellabantur diaconi, ex diaconatus ordine, sed ex dignitate, & titulo; quemadmodum appellantur modo aliqui diaconi Cardinales. Posset etiam concedi, quod forte non omnes 72. discipuli fuerunt presbyteri, ex hoc tamen non sequitur quod presbyteri non succedant in locum discipulorum.

Sed dices iterum, D. Paul ad Titum 1. inquit. Ad hoc reliqui te Cretæ, vt ordinares presbyteros, ergo Titus fuit episcopus. probant consequentiam: quia non episcopus hoc facere non potuisset. Conceditur, quod Titus fuit episcopus; quia ad hunc gradum ordinatus fuit a Beato Paulo; sicut etiam Matthias fuerat discipulus ex 72. & tamen fuit assumptus ad Apostolatum, & factus episcopus. Item Marcus fuit discipulus, & tamen a D. Petro factus fuit episcopus Alexandriæ.

Sed dices adhuc D. Paul. 1. Timot. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manus presbyteri, vbi per presbyterum episcopum intelligit quod clarius apparet, ex his, quæ habentur Act. 20. vbi dicitur, quod D. Paulus mittens Ephesum vocauit ad se maiores natu ecclesiæ, idest, presbyteros, & tamen dum eos alloquitur episcopos appellat dicens. Attendite vobis, & vniuerso gregi; in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos regere ecclesiā Dei; Non distinguit ergo episcopum a presbytero. Nam D. Paulus non dicit, quod confirmatio data fuerit Timotheo per episcopum tantum, sed loquitur de presbytero: & in Actibus Apost. non legitur distinctio sacerdotum ab Apostolis, qui erant episcopi.

Vnde si hoc esset verum, inquit Scotus, scilicet quod non distinguatur presbyteri ab episcopis, tunc sacerdoti ex officio posset competere confirmare, sicut & episcopis; quia ex prima institutione non erat alius gradus in ecclesia; tamen propter necessitatem postea multiplicati sunt sacerdotes, & restricta est potentia in eis quantum ad aliqua, quæ reseruata sunt solis sacerdotibus maioribus, qui dicti sunt episcopi, inter quæ est actus confirmandi. Quod si verum est bene potuit D. Gregorius illos sacerdotes subiectos Ianuario episcopo licētiare ad confirmandū: quia in hoc non concessit potestatē non conuenientem, sed reuocauit prohibitionē prius eis factā.

Quod si obiectas, cum iuxta hāc opinionem in primitiua ecclesia non legantur alij confirmasse, quā Apostoli, si tunc quicunque sacerdotes erant episcopi, vel æquales quantum ad illum actum; ergo solis episcopis debent ex officio cōfirmare. Respondet Scotus, quod in primitiua ecclesia, vel nulli alij erant ab Apostolis sacerdotes: quia illi soli tunc potuerunt sufficere; vel si alij erant detulerunt Apostolis in isto actu; ꝓp manifestationem Spiritus sancti euidentem, quæ fiebat in collatione illius sacri, vt cum minori reuerentia, & deuotione susciperetur ꝓp excellentiā ministrorum; atque ita patet quid sit dicendum iuxta hunc dicendi modum.

Cæterum neque hæc responsio pōt satisfacere: quia esto quod in initio ecclesiæ solitum fuerit simul cum dignitate sacerdotij conferre episcopalem consecrationem; tamē illa consuetudo non longo tpe durauit; & saltem tpe Gregorij certum est simplices sacerdotes fuisse distinctos, ab episcopis non solum iurisdictione sed etiam consecratione. Nam ante Gregorium dixit Eusebius Papa confirmationem datā a sacerdote esse irritam, & tamen si sacerdos esset consecratus epus, quamuis iurisdictione careret, nihilominus sacramentum confirmationis ab eo datū ratum esset; ergo signū est tunc fuisse sacerdotes simplices, sine consecratione epali; & hoc est ēt quod Gregor. ait. Et nos quidē iuxta ecclesiæ nostræ consuetudinem fecimus: hæc n. consuetudo de simplici tantum sacerdote intelligenda est; & hæc est, quæ hactenus durat in ecclesia Romana. Denique Gregor. dicit se concedere hanc facultatem presbyteris in absentia episcopi, ergo loquitur de presbyteris carentibus consecratione episcopali. Dicit tamen Scotus supradictum modū dicendi esse probabilem propter authoritatem D. Hieron. & illius reuerentiam, obser. est, tamen non asseruisse Scotū oīno verum esse illud dictum Hieronymi; quia erroneū est asserere non esse maiorem dignitatem epi, quam sit dignitas simplicis sacerdotis, idque ex institutione diuina; de quo legi pōt Doctissimus Alphonsus a Castro, libr. 6. aduersus oēs hæreses, verbo Episcopus, & nunc ex Concil. Trid. sess. 23. c. 4. expresse docetur iure diuino esse distinctionem inter episcopū, & presbyterum: sic enim loco supracitato legimus.

Euseb.

Alphons. Castro.

Proinde sacrosancta Synodus declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus, epos, qui in Apostolorū locū successerūt ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos (sicut Apost. ait) à Spiritu sancto regere ecclesiā Dei, eosque presbyteris superiores esse, &c. & can. 6. Si quis dixerit in ecclesia Catholica non esse hierarchiā diuina ordinatione institutā, quę cōstat ex epis, presbyteris, & ministris, anathema sit. & can. 7. Si quis dixerit epos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eā quā hēnt illis esse cū presbyteris cōem, & anathema sit. Ad authoritates ex D. Hieron in contrariū adductas dici pōt cū D. Chrysost. quod Apostolorū tpe noīa illa epus, & presbyter cōia fuerunt cunctis sacerdotibus, tā maioribus, quos nunc epos dicimus, quā minoribus, quos presbyteros appellamus, licet res ipsæ, & potestates distinctæ essent, itaque Paulus nomine eporum complexus est oēs sacerdotes.

Chrys.

Ideo est alius modus dicendi de mente Doct. nostri sub. Quod licet a principio nō licuerit simplici sacerdoti sacrum

confir-

Digitized by Google

confirmationis conferre, potuit tamen Papa quemlibet sacerdotem illius Regionis, quo ad actum istum Episcopum facere, non quidem côferendo sibi simpliciter gradum Episcopalem, quantum ad alios actus; sed ex commissione seu delegatione illi concedens huius sacramenti ministeriû; & tunc quilibet eorum vere confirmauit, tanquam Episcopus quo ad istum actum; & ratio conferendi istum gradum cuilibet sacerdoti, quantum ad istum actum, potuit esse scandalum, sicut in textu supra relato innuit Gregorius. Quod autem hæc sit intentio Scoti; ex eo constat: quia non est verisimile Doctor. sub. intellexisse D. Gregorium fecisse illos Presbyteros semiepiscopos, quo ad ordinationem, consecrationem aut characteris impressionem; hoc enim plane falsum est, vt de se constat, quia solum fuit quędam extrinseca deputatio, quæ ad præsentes, & absentes, vel etiam postea futuros, quantum est ex se extendebatur; quæ non habet locum in ordinatione vlla, vel consecratione. Intelligit ergo sacerdotes illos accepisse aliquo modo potestatem exercendi actum episcopalem, & quantum ad hoc eos fecisse episcopos. Colligitur etiam ex eo, quod explicans definitionem confirmationis dixit. Minister est Episcopus vel alius cui cômitti potest. Ideo dicitur in generali à Ministro idoneo.

Ex his infertur Sotum hac d. q. vnica art. 11. & post eum Valentiam ab ipso Soto deceptum, to. 4. disp. 5. q. 2 pûcto, 1. falso imposuisse Scoto, & Sancto Bonauenturæ; quod censuerit Ministrum confirmationis sic esse proprie Episcopû, quod neq; ex dispensatione Papæ id possint simplices sacerdotes exequi: immò quamuis id attentarent sacramentû esse nullum. Quod autem Sotus & Valentia falso hoc Scoto imponant, vt in alijs etiam sæpissime faciunt, patet ex dictis, quod etiam id falso imponant D. Bonauen. patet ex his quæ scribit, hac d. in prima dubit. circa litteram Magistri, vbi dubitationem soluens ait. Dicendum, quod quamuis sacerdos non possit propria authoritate; tamen pro causa necessaria Summus Pontifex in quo est plenitudo potestatis, pôt alij, quam episcopo committere; & ille nô facit authoritate sua, sed authoritate sibi commissa; vnde potius ille facit, cuius authoritate fit; quid quæso clarius dici potuit? deinde art. 1. q. 3. ita respondet propositæ quæstioni. Illud sacramentum nô potest, nec debet per alios dispensari; & si alij pręsumant nihil faciunt; vbi per verbum pręsumant, declarat se loqui de sacerdote non habente commissionem; ille. n. aliquid pręsumere dicitur, qui temerarie illud operatur, Vnde præsumere dicitur huius sacramêti Minister, qui neq; ex officio neq; ex commissione illud administraret. Ministrare ergo hoc sacramentum solis Episcopis ex officio incumbit, sacerdotibus autem potest competere ex commissione, vel delegatione Papæ sine qua, si simplex sacerdos attentaret illud côferre, nihil prosus efficeret. Ratio dubitandi replicabitur, & soluetur in sequenti articulo.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ex commissione Papæ hoc sacramentum possit conferri à simplici sacerdote.

DE hac re sunt duæ opiniones extremæ. Prima negat ministerium hoc posse vlla ratione committi simplici sacerdoti, ita sentit Durandus. d. 7. q. 3. & 4. Maior. d. 7. q. vnica. Adrianus in 4. in materia de confirmatione. ar 3. Alphonsus à Castro contra hæreses. verbo Confirmatio, & lib. 2. de Iusta hæreticorum punitione, ca. 21. & 22. Inclinant Petrus Soto lect. 2. de confirmat. & Cauarr. lib. 1. variarum resolut. c. 8. Fundamentum huius opinionis est: quia vt Concilium Florent. dixit sacramenta, nouæ legis tribus perficiuntur materia, forma, & Ministro, quorum si aliquod desit non perficitur sacramentum; sunt ergo hæc tria de substantia sacramenti, & immutabilia ex diuina institutione: atque adeo non potest Summus Pontifex aliquid in his immutare; at supra ostensum est solum Episcopum ex Christi institutione esse huius sacramenti ministrum; ergo non potest alteri hoc ministerium committi ex humana dispositione.

Secundum fundamentum est: quia hac ratione non potest Pontifex in materia, vel forma huius sacramenti dispensare, ergo neque in ministro.

Tertium fundamentum est. Collatio huius sacramenti, vel est actus essentialis pendens à charactere Episcopali, vel non; si non, nulla est ratio, cur dicamus hoc ministerium esse proprium Episcopi ex ordinario iure diuino, si autem id affirmetur, non poterit ille actus committi ei, qui non habet characterem Episcopalem: quia non potest actio esse absq; principio, à quo essentialiter pendet: Hac enim ratione consecrare corpus Christi, committi non potest ei, qui non habet characterem sacerdotalem, alias posset hoc ministerium committi non sacerdoti.

Secunda opinio extreme contraria est, quod hęc facultas non solum potest côferri sacerdoti, sed etiam Diacono, atq; etiam inferioribus Clericis. Hæc sententia à Syluest. verbo confirmatio diuina q 1. tribuitur Glossæ in c. Quanto ex de consuet. & Panorm. in d. cap. Quanto. Sed falso Glossæ hæc opinio tribuitur: nam ibi solum loquitur de simplici sacerdote, sed recte tribuitur Panor. Qui dicit hoc munus posse committi cuicumq; Clerico, dummodo confirmatus sit. eandem sent. sequitur summa Rosel. & Angelica. verbo Confirmatio sacramen. & refert pro hac sententia Innocentium. Glossa vero in cap. Manus de consec. d. 5. videtur hanc opinionem extendere etiam ad Laicos, dummodo confirmati sint; statuit enim generalem regulam ex facultate Pôtificis, quemlibet eleuari posse ad illud sacramêtum ministrandû, quod accepit, quę tamen regula est plusquam falsa & errorum plena: Nam præter hoc, quod per se satis absurdû est, s. quod laicus confirmatus possit esse minister côfirmationis; sequitur posse simplici sacerdoti committi vt sacerdotes ordinet, & Diacono quod ordinet Diaconos, quod tamen est inauditum in ecclesia. Ratio autem clara est; quia minister non confert sacramentum ratione similis sacramenti suscepti, sed ratione potestatis ad illud ministerium côcessæ, quæ tamen non conceditur per simile sacramentû, sed per sacramentum ordinis, vel Episcopalem consecrationem. in qua sola datur potestas ad generâdum sibi simile, (vt ita dicam.) Vnde etiam fit per se non esse necessarium ad hanc potestatem confirmandi, vt minister ipse confirmatus sit; quia ad ministrandum sacramentum non est necesse, simile sacramentum recepisse; vt patet aperte in extrema vnctione, vel Matrimonio: & quia potestas confirmandi non datur per characterem confirmationis, sed per characterem Episcopalem, qui per se non pendet à charactere confirmationis, sed absque illo dari potest.

Inter has duas opiniones extremas est opinio media, quę asserit Summum Pontificem posse committere simplici sacerdoti, vt sacramentum confirmationis rite, & valide ministret. ita docet Alex. de Ales. p. 4. q. 9. m. 5. art. 1. §. 3. quem sequuti sunt D. Thomas. 3. p. q 72. art. 1 1. ad 1. D. Bona. Dubitatione. 1. circa litteram Magistri. Richard. hac d. art. 2. q. 1. Et Scotus in hac q. sub litt. D. vbi dicit, quod Minister huius sacramenti est Episcopus, vel alius cui potest committi.

Fundamentum huius sententiæ sumitur, ex quodam facto D. Gregorij, quod, vt diximus in superiori artic.) refertur in cap. Peruenit. 95. d. & sumptum est, ex lib. 3. epist. epist. 26. Cum enim B. Gregorio relatum fuisset in Insula Sardiniæ, solitos fuisse Presbyteros baptizatos confirmare; id facere eis prohibuit, vt ipse refert in dicta epist. & colligitur ex epist. 9. eiusdem libri. Ex hac autem prohibitione cum ortum scandalum videretur scribit Ianuario Episcopo in hæc verba. Nos quidem secundum vsum veterem ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus; Ex quo facto colligitur posse Pontificem facultatem hanc simplici sacerdoti concedere. Et confirmatur ex Concilio Florent. in decreto Eugenij. vbi cum dixisset solum Episcopum posse conferre hanc vnctionem, quæ est côfirmationis sacramentum, subdit, legitur tamen aliquando per Apostolicę Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente admodum causâ, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopû confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Vbi sine dubio refert hoc factum Gregorij. Nam ante Concil. Florent. nullibi legitur Sedem Apostol. in hoc dispêsasse, nisi hoc facto Greg. Item Concilium Senonense in decretis morum, c. 38. cû dixisset Abbates non habere potestatê côfirmandi, subdit. Quod si qui sint, qui côtendant sibi côpetere hanc facultatê ex priuilegio, volumus quod cum primum fuerint acquisiti à suffraganeis nostris, de priuilegio fidem facere teneantur, vbi aperte supponit Abbates, etiam si non

Panorm.

Rosella. Angelica. Glossa.

Ale. 8 Ales. D Thomas. D Bona. Richardus. Scotus.

D Greg.

Côc. Florêt.

Con. Senon.

nõ sint Episcopi, sed simplices sacerdotes ex priuilegio posse hoc sacramentum conferre; & hanc opinionem esse tenendam existimo.

Vnde pro solutione rationum primæ sententiæ obser. est, quod cum hæc res pendeat ex institutione ad illam semper recurrendum erit; ita q; recte intelligimus potuisse Christũ Dominum instituere, vt sacerdoti simplici, ex vi suæ ordinationis nõ daretur potestas proxime, & in actu primo (vt ita dicam) ad conferendum hoc sacramentum, sed hæc daretur soli Episcopo per consecrationẽ eius, & nihilominus simul voluisse Christum, vt sacerdos ex vi suæ ordinationis esset (vt sic dicam) in potẽtia remota, vt adiuncta commissione, seu delegatione Pontificis posset hoc sacramẽtum conferre. In hoc enim modo institutionis nulla est repugnantia; imò potest esse magna congruentia, vt in absentia Episcopi non careant fideles aliqua via, & potestate obtinendi hoc sacramentum, & habendi sufficientem ministrum eius. Quod autem huiusmodi fuerit institutio ostendit. primo factum Gregorij prius declaratum. Secundo Concilium Florent. in verbis supra citatis, postquam dixit ordinarium ministrum esse Episcopum subdit, legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem &c. significans Christum instituisse huiusmodi ministrum cum hac latitudine, & extensione. Tertio idem indicat Concilium Trident. sess. 7. can. 3. de hoc sacramento dicens, eius ordinarium ministrum esse solum Episcopum: Nam cum dicit ordinarium duo significat. primum Episcopum ex vi suæ ordinationis habere hanc indelebilem potestatem, vt ipsum met docuit sess. 23. cap. 4. Secundum ita habere Episcopum hanc ordinariam potestatem, vt tamen in sacerdote sit capacitas ad recipiendam illã saltem ex delegatione, & cõmissione. Quarto & postremo confirmat factum Greg. xiij. qui eamdem facultatem cõcessisse dicitur quibusdam simplicibus sacerdotibus, qui in remotissimis regionibus infidelium versantur, in quibus non sunt Episcopi, ne multi eorum, qui ad fidem conuertuntur sine hoc sacramento decederent, si non possent à presbyteris confirmari. Eamdem facultatem concesserunt pro Indis fratribus Minoribus de obser. Nicolaus iiij. Ioan. 22. Vrbanus v. & Eugenius. iv. & alij Romani Pontifices, vt refert Leo. x. in bulla directa fratribus Ioanni Clapion, & fratri Francisco de Angelis, quã etiam ipse Leo confirmauit. Quæ bulla habetur in noua collectione Priuilegiorũ edita à R. Patre Fratre Emmanuele Roderico, & est bulla nu. 1. eamdem concessionem confirmauit Adrianus. vi. In bulla quæ incipit Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Regi, quæ habetur to. 2. dicta collectionis, & est bulla num. 1.

Conc. Trid. *Greg. xiij.* *Nicolaus. Ioann. Vrbanus Eugenius. Leo* *Adrianus.*

Hoc supposito dico ad primum fundamentum Pontificẽ in hoc negocio nõ dispensare, neq; immutare ius diuinum; sed constituere talem ministrum huius sacrament.; qualẽ Christus instituit. Voluit autem Christus ministrum ordinarium, & ex officio esse Episcopum, extraordinarium autem posse esse simplicem sacerdotem, authoritate Summi Pontificis ad hoc deputatum.

Ad secundum concedo, quod non potest Summus Pontifex immutare materiam neq; formam; sicut sacramentorũ ministrum: quia non potest eumdem esse modum institutionis in omnibus; cum non sit in omnibus eadem ratio, vel necessitas, vel traditio. Esset autem simile exemplum in minoribus ordinibus, supponendo quod sint verum sacramentum: Nam ordinarius minister eorum est solus Episcopus, & tamen possunt ex commissione Pontificis per simplicem sacerdotem ministrari.

Ad argumentum ergo nego similitudinem; quia non est par ratio.

Ad tertium dico, characterem Episcopalem esse sufficiẽs principium huius sacramenti, & necessarium in ministro ordinario, & ex officio; non tamen absolute & simpliciter: quia etiam character sacerdotalis potest sufficere, non tamen per se, & vel in vi sua, sed quasi extensus & applicatus per concessionem Pontificis: cum enim character non sit potentia Physica, sed signaculum quoddam inducens quamdam rationem moralis potentiæ seu facultatis, facile intelligi potest in aliqua actione posse pendere ex concessione, seu facultate morali, iuxta Christi institutionem.

Et si quæratur, an prior sententia sit iam hæretica, & nostra sit de fide. & ratio dubitandi est: quia Sotus dicit sententiam D. Thomæ non solum esse opinionem, verum etiã modo ecclesiasticam sanctionem; & fundatur in decreto Concilij Triden. ante quod, inquit Sotus, potuisse Scotum, & Durandum aliud opinari; miratur autem de Adriano, quod illud non legerit. Sed non est vnde Doct. sub. excuset, cum nulla excusatione indigeat; quin magis Sotus ipse reprehensione non caret falso, primam opinionem Scoto impingens, vt vidimus in superiori art. De Adriano autem nõ est verisimile illud non legisse; sed non intellexit Adrianus Concilium hoc definiuisse: Nam solum refert Sedem Apostolicam aliquando in hoc dispensasse, non tamen id expresse approbat; neque habet aliquod verbum, quod definitionem indicet, sed obiter tantum historiam attingit. Concilium autem Tridentinum, licet definiuit ordinarium ministrum esse Episcopum; nihil tamen de extraordinario tractat, sed rem indefinitam relinquit. Existimo ergo nondum esse circa hoc aliquid de fide determinatum, quamquã verum sit Concilium Florentinum, magnam huic nostræ sententiæ tribuisse authoritatem, vt temerarium censeam velle contrarium pertinaciter defendere.

Sotus.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum sacramentum confirmationis specialis gratiæ effectus conferat.

DVo extremi errores possunt in hoc referri. Prior est negantium. hoc sacramentum dare aliquem gratiæ effectum; quod non sentiunt nisi, vel qui negant hoc esse verum sacramentum nouæ legis, vel qui generaliter negant sacramenta, nouæ legis gratiam conferre, contra quem errorem disputatum est in superioribus.

Posterior hæresis esse potest confirmationem per se, & ex primaria institutione sua tollere peccatum originale, & consequenter primam gratiam dare. Hunc errorem docuisse dicitur Raimundus Lullius, & sumitur ex directorio inquis. p. 2 q. 9. vbi inter centum articulos Raimundi 89. est. Quod infanti, qui non vult assentiri sacramento confirmationis non valet sacramentum baptismi, in quo significat sacramentum baptismi non habere effectum, donec sacramentum confirmationis recipiatur. Vnde in 90. art. ait, Quod si homo non est confirmatus, & credit se confirmatum, est mundatus à peccato originali ratione bonæ intentionis, quæ consumit culpam, & peccatum, significat itaque (vt ibi etiam notat Eymericus) peccatum originale non in baptismo, sed in confirmatione tolli. Sed alios articulos damnauit Gregorius xi. vt ibidem refertur, & latius in quæst. 26. *Raymun. Lulli.*

Ad quæstionem ergo respondendo dico primo, quod hoc sacramentum per se, & vi sua potest conferre aliquam gratiam sanctificantem præter eam, quam confert baptismus. Hæc conclusio est de fide; & probatur primo ex generali principio, quod omnia sacramenta legis nouæ conferunt gratiam sanctificantem; sed confirmatio est sacramentum nouæ legis, ergo &c. maior, & minor sunt de fide, ergo & conclusio. Secundo probatur ex his testimonijs scripturæ, & Patrum, quibus supra ostensum est hoc sacramentum esse institutum, vt in eo detur Spiritus sanctus, & in eo impleri promissionem à Christo factam mittendi Spiritum sanctum; datur ergo Spiritus sanctus in hoc sacramento; sed non datur sine effectu gratiæ sanctificantis, ergo &c. Vnde Conciliũ Trident. sess. 7. can 2. de confirmatione definit Sacrum Chrisma habere virtutem sanctificandi. Tertio probatur ex distinctione inter hæc duo sacramenta Baptismum, & confirmationem: Nam vt Melchiades Papa dixit, vtrumque est verum, & magnum sacramentum; & sicut in essentia & significatione distinguuntur; ita & in gratiæ effectu. *1. Conc.* *Conc. Trid.* *Melchiad. Papa*

Dico secundo: hoc sacramentum non esse per se institutum ad dandam primam gratiam, neque ad tollendum peccatum originale, sed ad augendam, & corroborandam baptismalem gratiam. Prima pars huius conclusionis patet: quia illa sola sacramenta, sunt instituta ad dãdum primam gratiam: quæ per se instituta sunt ad tollendum originale peccatum, vel mortale: quia & huiusmodi peccata tolli nõ possunt nisi per primam gratiam, at solus baptismus institutus est ad tollendum originale peccatum, & reliqua quæ cum illo coniũcta fuerint; & ad tollendum alia peccata post *2. Concl.*

Baptismum;

Digitized by Google

Baptismum; solum pœnitentiæ sacramentum est institutũ, vt constat ex Doctrina Cõcilij Florent. in decreto Eugenij, & Trident. sess. 7. & 14. ergo sacramentum confirmationis neq; ad remissionem peccati, neq; ad gratiam primam conferendam est per se institutum. & ex hoc probata est etiam secunda pars conclusionis: Nam hoc sacramentum institutum est ad dandam gratiam, ex prima conclusione, & non primam, ergo secundam, seu quod idem est ad augmentum, & robur gratiæ.

3. Conclusio Dico tertio, quod hoc sacramentum propriam confert sacramentalem gratiam. i. specialem Spiritus sancti protectionem, & auxilium ad fidem viuam constanter tenendã, & profitendam; hæc conclusio patet; & colligitur ex huius sacramenti institutione. Vnumquodque enim speciale sacramentum ad proprium finem ordinatur, & gratiam specialem tali fini accomodatam confert, quæ in hoc sacramento non potest alia, quam supradicta excogitari.

4. Conclusio Dico quarto. In hoc sacramento, quasi in radice dari hunc effectum, adeo ꝙ in ipsius sacramenti susceptione datur, quasi ius ad huiusmodi auxilium.

5. Conclusio Dico quinto. Huius sacramenti specialem effectum dari temporibus opportunis iuxta diuinæ sapientiæ dispositionem huius sacramenti fini accomodatam.

6. Conclusio Dico sexto. Quod vt tunc infallibiliter hoc speciale auxilium detur necesse est hominem non apponere obicem peccati, sicut in ipsa susceptione sacramenti necessarium fuit ad gratiam ipsam, quæ est veluti fundamentum huius protectionis, & auxilij diuini: quia si homo ponat obicẽ peccati mortalis fit indignus hoc auxilio, & ineptus, vel indispositus ad finem huius sacramẽti: quia & fides mortua infirma valde est, & homo in eo statu existens, caret habitatore Spiritu sancto; hæc omnia notantur breuiter a Doct. sub. cum dicit; Et quod vltimo additur vnctionem interiorem, significat correlatiuum illius relationis. s. significationis, quæ est formale in isto sacramento: Nam si hoc sacramentum significat efficaciter vnctionem animæ interiorem: vnctio interior animæ non fit nisi per gratiam, sequitur quod effectus huius sacramenti est gratiam conferre, cum quo sacramẽti effectu similitudinem habet Chrisma, quod vt diximus constat ex oleo oliuarum, & balsamo: oleum. n. nitorem habet, & supereminet cęteris liquidis, & est materia proxima incendij; Vnde per nitorem castitatem significat, seu munditiam, & per supereminentiam, & aptitudinem ad incendiũ charitatem repræsentat, quæ in Dei amorẽ hominum corda accendit, & alijs virtutibus excellentior est. Balsamum autem cum sit odoriferum bonam famam significat, iuxta illud Pauli. 1 Corint. 2. Christi bonus odor sumus Deo; balsamo etiam mortuorum corpora condiuntur, ne putrefiant, ideoq; symbolum est incorruptionis. Per Chrisma ergo, qd est materia remota in hoc sacramento ex oleo cõfectum & balsamo, repræsentatur quod confirmatus munditiam, & charitatẽ cum boni nominis, seu bonæ formæ odore adiunctam debet habere, sine quibus fidem Christianam tueri, & propugnare ea, qua oportet authoritate minime valebit.

QVÆSTIO II.

Vtrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem.

Necessariũ dicitur multis modis. HÆc quæstio breuis & facilis est. Pro abundantiori tamen doctrina obser. est primo, quod secundum Philos. 6. Met. tex. 26. Necessariũ dicitur multis modis; accipitur. n. primo pro naturali, vt necesse est graui, si permittatur deorsum ferri, & leui sursum. secundo accipitur pro violento, vt necesse est iaculum proiectum moueri.

Tertio dicitur necessarium necessitate finis, & hoc dupliciter, vno mõ simpliciter, vt sine quo finis obtineri nequit, vt cibus est necessarius ad vitam; Alio modo secundũ quid, vt sine quo commode attingi non potest; quemadmodum itineri lõge peragẽdo necessarius est equus. In proposito nõ est sermo de necessario primo, & secundo mõ, sed tertio mõ.

[illegible] Secundo obser. est, quod duplici modo aliquid dr̃ necessarium ad salutẽ. s. necessitate finis, siue medij; & necessitate præcepti; id dr̃ necessarium necessitate finis, sine quo nemo gratiã consequi valet, tam etsi præceptũ nõ habeat, vt patet in paruulo; qui sine sacramẽto gratiã non consequitur, licet illi ante vsum rõnis, non sit in præcepto. Necessariũ vero necessitate pręcepti illud appellatur, quod quidem necessariũ est vbi facultas suppetit, & occasio; non tñ ita, vt ob defectũ occasionis permissum, impediat salutis cõsecutionẽ; vt parẽtes venerari. audire Missam in die festo, & similia: qa sine illis, qñ materia præcepti nõ occurrit, quicũq; in gratia esse põt, sed tñ postea materia occurrẽte præceptũ est illa facere.

Quæ sacramenta dicantur necessaria & quo. Tertio obser. est, quod si sit sermo de necessario necessitate finis primo modo. s. simpliciter, tria sunt sacramenta necessaria hac necessitate, diuersimode tñ. s. baptismus, pœnitentia, & ordo: baptismus. n. est per se simpliciter, & absolute necessarius cuicumq; singulari personæ. Pœnitentia vero per accidens supposito. s. peccato mortali; sed sacramentum ordinis est quidem simpliciter necessarium, non tñ singulari personæ, sed ecclesiæ in communi, hoc est, fidelium vniuersitati; imò cuicũq; Prouinciæ: quia sine sacerdotibus & Epis non posset diuinus cultus administrari, iuxta illud Prouer. 11. Vbi non est Gubernator populus corruet. Si vero fiat sermo de secũdo modo necessitatis. s. sm̃ quid, reliqua quatuor sacramenta sunt necessaria: Nam confirmatio quodãmodo perficit baptismũ, sicut extrema vnctio pœnitẽtiã. Matrimoniũ vero ecclesiæ multitudinẽ per propagationẽ; sed Eucharistia & spiritualis alimonia ad reficiendã virtutẽ, q̃ assidua infestatione Dæmonũ & sensualitatis quotidie deteritur.

His obseruatis de proposita quæst. sunt quatuor opiniones. *1. Opinio.* Prima opinio tenet hoc sacramentum esse necessarium necessitate præcepti diuini, affirmatq. huiusmodi præceptũ latum esse à Christo Domino & obligare omnes baptizatos adultos. si commode possunt hoc sacramentum suscipere. *Richardus Valdensis. Bellarmin.* Ita tenet Richardus hac d. art. 5. q. 1. Vualden. lib. 2. de Sacramen. c. 3. & Bellar. lib. 1. de Sacram. c. 22. vbi dicit omnibus sacramentis esse adiunctum præceptum, vel respectu communitatis, vel respectu singularium personarum.

2. Opinio. Secunda sententia negat hoc esse simpliciter præceptum iure diuino; sed solum in determinato casu. s. quando instat occasio publice confitendi fidem coram Tyranno, & prius potest commode recipere hoc sacramentum: Nam in hoc euentu (inquiũt) est graue peccatum adire illud periculum sine præparatione huius sacramenti; *Durandus. Gabriel Marsilius.* ita tenet Durandus in 4. d. 7. q. 1. quem sequi videtur Gabriel eadem d. q. 1 artic. 3. dubio. 3. Marsilius. q. 5 art. 4. & nonnulli ex citatis Authoribus in superiori sn̄ia possunt facile in eodẽ sensu intelligi.

3. Opinio. Alex. de Ales. D. Bonau. Tertia opinio est. Hoc sacramentũ esse simpliciter in pręcepto, non iñ diuino, sed ecclesiastico. hanc tenent Alex. de Ales. p. 4. q. 9 m. 3. art. 1. § 2. & D. Bonau. d. 7. art. 3 q. 2. & fundatur hæc sententia in dictis Pontificum infra citandis.

4. Opinio. Quarta opinio negat, absolute datum esse aliquod pręceptum suscipiendi hoc sacramentũ. *D. Thomas.* Hæc censetur esse opinio D. Thomæ in 4 d. 7. art. 1. q. 1. quæstiun. 2. & 3. p. q. 72. art. 8. ad 4. Quia secluso contemptu, dicit non esse peccatum mortale omittere hoc sacramentum toto tempore vitæ. At vero si esset præceptum omissio voluntaria esset peccatum mortale etiam sine contemptu; constat. n. contemptum aliquid aliud addere præter voluntariam omissionem: potest enim quis voluntarie omittere susceptionem ordinis, vel Religionis sine contemptu; sicut potest etiam voluntarie committere mendacium sine contemptu: Nam ex contemptu esset peccatum mortale: cum tamen ex sola libera volũtate factum sit veniale. & in hoc sensu defendit hanc sententiam D. Thomæ Scotus; & huius sententiæ esse existimo Doctor. *Scotus.* sub. qui ad quæstionẽ respondens ponit duas conclusiones. *Scotus.*

1. Conclusio Prima conclusio. Confirmationis sacramentum non obligat ad sui susceptionem de necessitate salutis, probatur. In sacramento baptismi datur (vt patet ex superioribus) gratia; ergo per illam est quilibet baptizatus filius regni; & consequenter baptismus sufficit ad salutem, sine sacramento confirmationis; consequentia probatur ex illo D. Marci ca. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. & de consec. d. 5. ca Spiritus sanctus, habetur quod baptizatus per solum baptismum saluatur. ita. n. in finem capituli legitur. Qui aũt post Baptismũ cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem confirmatur morte: quia non põt peccare post mortem; & supradixerat, quod cõtinuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia. & sunt verba *Melchiades.* Melchiadis Papæ in epist. ad Episcopos Hispaniæ. c. 2.

Probatur secũdo, Quia sacramentum confirmationis nõ est sub præcepto diuino, neq; sub præcepto ecclesiastico, ergo non obligat ad sui susceptionem de necessitate salutis: Antecedens probatur: quia non legitur in diuina scriptura

tale præceptum; neque in iure canonico reperitur determinatum ab ecclesia aliquod tempus huius sacramenti suscipiendi. Ecclesia autem non solet imponere affirmatiua præcepta, nisi determinãdo tempus in quo implenda sint: imò in materia sacramentorum non solet præcipere vsum, quo ad substantiam eius, (vt sic dicam) sed solum determinare tempus, in quo talis vsus exercendus sit; In vsu autem huius sacramenti nullum tempus determinauit, ergo signum est de hoc sacramento non esse ecclesiasticum præceptum.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Sacramentũ confirmationis, vel præceptum de illo obligat vt non contemnatur; hæc conclusio probatur: quia extra de sententia excommunicationis, dicitur plenum Christianum non esse eum, qui contemnit. Secundo probatur ratione. Peccat mortaliter: qui sacramentũ per contemptum prætermittit: quia est sacrilegus: ergo sacramentum confirmationis obligat, vt non contemnatur, patet consequentia, & antecedens prob. Nam qui sacramentum contemnit etiam Christũ eius institutorem cõtemnit.

Contra primam conclusionem arguitur ex cap. Omnes. de consec. d. 5. vbi dicitur omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum Spiritum sanctum suscipere debent, vt pleni Christiani inueniantur; sed quilibet tenetur esse plenus Christianus, ergo quilibet tenetur confirmationem suscipere de necessitate salutis.

Secundo arguitur ex Concil. Aurel. vbi legitur, quod nõ est Christianus, qui non est confirmatus. Dicitur enim ibi. Nunquam erit Christianus, qui non confirmatione Episcopali fuerit confirmatus.

Tertio arguitur. In gestis Pontificum legitur, quod B. Syluester Papa constituit, vt baptizatum presbyter in vertice liniat propter occasionẽ quidem mortis, ne forte propter absentiam episcopi, & difficultatem cum adeundi sine manuum impositione baptizatum ab hac vita migrare contingat; quod; quidem omnino periculosum est; si autem omnino periculosum est, sine confirmatione migrare; igitur confirmatio necessaria est saluti; quod autem loquatur ibi de periculo damnationis ex eo patet, quod subiungitur, quid autem prodest si à lapsu erigeris, nisi etiam ad stãdum cõfirmatis; per hoc innuitur, quod baptismus nullius vtilitatis est, sine confirmatione.

Ad primum respondet Scotus, quod ille canon loquitur de adulto, qui debet suscipere, hoc est, non contemnere hoc sacramentum; Iudicaretur autem contemnere, quando omnino oblata oportunitate Christianus non susciperet sacramentum. Oportet vero adnotare; quod non dicit Scotus esse contemptum oblata oppotunitate non suscipere hoc sacramentum; sed quod iudicaretur contemnens. Dixit enim

D. August. D. August. lib. de Baptismo contra Donatistas, cap. 6. & refertur à Graciano. d. 8. cap. Veritate. Quod veritas opinioni, & consuetudini est preponenda. Ergo si à parte rei in veritate desit contemptus: non multum facit quod aliquis hoc sacramentum possit recipere, & non recipiat, vt dicatur dimisisse ex contemptu: Contemnere enim idem est, quod vilipendere iudicando id esse irrationabile, & instructuosum; vt colligitur ab

Arist. Arist. 2. Rhet. c. 2. atq; ita dimittete con firmationem ex contemptu erit tunc, quando contemptus sit causa efficiens dimittendi illam. Vnde qui ex negligentia non susciperet confirmationem, existimaret tamen illam, (vt vere æstimabilis est) esse sacramentum dans gratiam & robur Spiritus sancti; sed illam non susciperet: quia non teneretur eam suscipere: non diceretur eam proprie contemnere, adeo quod mortaliter peccaret. Si vero non susciperet eam; quia pro nihilo ducit hoc sacramentum, aut effectum eius, aut vile, vel puerile existimat se illi subijcere contemptus esset causa efficiens dimittendi illam, & ita lethaliter peccaret.

Alex. & Ales. Secundo respõdet Alex. de Ales, vbi supra, quod duplex est plenitudo. s. plenitudo efficientiæ, & plenitudo abundãtia, vel plenitudo in esse, vel plenitudo in robore: quantum ad primam plenitudinẽ pleni Christiani fiunt in baptismo, quantum ad secundam in confirmatione.

Ad secundum dicit Alex. quod aliquis Christianus dicitur, vel ex eo quod characterem Christi habet, vel ex eo quod miles Christi, sit in certamine contra aduersarium; primo modo vt Christianus etiam non confirmatus, secundo modo non.

Ad tertium dicitur, quod Hugo (cuius hæc sunt verba) loquutus de illis, qui per contemptum transeunt sine hoc sacramento, & moriuntur illo non suscepto: quia contemptus imputatur illis ad peccatum mortale.

QVAESTIO III.

Vtrum sacramentum confirmationis sit dignius Baptismo.



Ro huius difficultatis solutione obseruan. est ex Alex. de Ales, par. 4. q. 9. memb. 4. artic. 2. & D. Bonau. hac dist. dub. 3. circa litterã Magist. qd vnum sacramentum dicitur maius alio quinq; modis. Primo modo propter significationem; hoc est, propter maioritatem rei significatæ, & sic matrimonium dicitur maius, quia significat vnionem naturarum in Christo. secundo propter continentiam, & sic Eucharistiæ sacramentum dicitur maius: quia res in eo contenta est corpus Christi. tertio propter efficaciã significationis, hoc est, propter maioritatem effectus; & ita sacramenũ baptismi est maius; quia absoluit à culpa, & à pœna. quarto propter dignitatem Ministrantium, seu dispensantium, id est propter maiorem Ministri authoritatem, & dignitatem; & hoc modo sacramentum confirmationis dicitur maius: quia datur à summis Sacerdotibus, id est, Episcopis. quinto propter hoc quia ponit in nobiliori gradu, & hoc modo maius sacramẽtum dicitur ordo; Et per hoc facile intelligi potest canon. 3. Concilij Trid. sess. 7. de sacramẽtis in genere, vbi sic dicitur, Si quis dixerit, has septem sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

Alex. & Ales. D. Bonau.

Vnum sacramentum dicitur maius alio quinq; modis.

Conc. Trid.

Secundo obser. est ex Richardo. d. 7. art. 5. q. 2. quod illud sacramentum dignius est, quod digniorem habet effectum; dignitas autem sacramenti secundum suam virtutem pensanda est. Per cognitionem ergo dignitatis effectuum deuenire possumus in cognitionem dignitatis sacramentorum; dignissimus autem effectus sacramentorũ est gratia; & gratia tanto est dignior, quanto est maior; quia quanto est melior, tanto est dignior, & quanto melior, tanto maior & è contra: Quia secundum D. August. lib. 6. de Trinit. cap. 8. In his quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse. Illud ergo sacramentum dignius est, in cuius susceptione maior gratia confertur.

Richardus

D. Aug.

Tertio obser. est, ꝙ quando aliqua duo comparantur ad inuicem, quæ ita se habent quod vnũ eorum includit aliud, vel præsupponit potest bifariam fieri comparatio. Primo potest fieri comparatio secundum illud præcise quod ad vtrũque pertinet. secundo põt comparatio fieri secundum illud, quod alterum illorum ponit alio præsupposito; & quidem secunda comparatio non est per se: quia vniuersaliter quod ponit aliquid supposito aliquo, excedit alterum quod ponit; alterũ excedit: veluti duo bona excedunt alterum eorum tantum; prima vero comparatio est per se, quia est secundum præcisas rationes comparatorum, ad inuicem. His obseruatis sit

1. Conclusio. Prima concl. Si Baptismus & confirmatio comparentur comparatione, quæ est per se, id est, secũdum præcisas rationes baptismi & confirmationis, Baptismus est simpliciter nobilior sacramento confirmationis, loquẽdo de nobilitate sacramenti in ordine ad finem eius principalẽ, quæ est collatio gratiæ. Probatur: quia ad maiorem gratiam, & plures effectus simpliciter nobiles confertur Baptismus, quã confirmatio; ergo Baptismus est nobilius sacramentum confirmatione in ordine ad gratiam; consequentia est nota, & antecedens probatur. Primo quia per Baptismum deletur originale, & omnia actualia peccata in adulto, & quo ad culpam, & quo ad pœnam; gratiaq; in illo confertur, & per illũ ab omnibus infidelibus separatus baptizatus fit per illũ populi Dei, & ecclesiæ membrum; ergo si Baptismus, & confirmatio comparentur secundum suas præcisas rationes baptismus est dignius sacramentum, atq; perfectius confirmatione. Quod autem gratia, quæ confertur in baptismo sit maior patet: quia viuificare mortuum maior gratia est, & potentia; quam iam viuificatum sanare, vel fortificare præcise loquendo; sed gratia baptismi mortuum resuscitat, gratia vero confirmationis corroborat, seu fortificat, ergo &c.

Præterea gratia baptismalis est contra culpam originalẽ, & oẽs eius sequelas; sed gratia confirmationis cõtra vnam sequelam, vt puta pusillanimitatẽ; sed congruum est contra morbum maiorem, efficaciorẽ præbere medicinã, ergo &c.

Item maius donum est de inimico fieri amicum, quam de amico magis amicum; sed in baptismo fit homo amicus; in

in confirmatione autem magis amicus, ergo in baptismo confertur maius donum. hæc conclusio est Alex. & D. Bonauent. locis citatis, & Scoti in hac q. sub litt. a.

2. Conclusio Secunda conclusio. Si baptismus & confirmatio comparentur ea comparatione, quæ per se non est: id est secundum illud, quod confirmatio ponit præsupposito baptismo, sacramentum cõfirmationis est dignius baptismo. Probatur: quia per sacramentum confirmationis aliquis non solum dicitur viuere, sicut per sacramentum baptismi, acquirit esse vitæ spiritualis; sed etiam perfecte viuere tãquam roboratus in vita spirituali: ergo secundum hanc comparationem confirmatio est dignior baptismo. Et confirmatur: quia duo bona perfectiora sunt, quam alterum illorum tantum: ergo gratia suscepta per cõfirmationem cum gratia per baptismum suscepta perfectior est, & dignior, quam gratia sola baptismi, & consequenter sacramentum confirmationis dignius est sacramento baptismi; quia confirmatio baptismum præsupponit.

Potest etiam dici (inquit Scotus) confirmatio nobilior baptismo secundum, quid ratione Ministri: quia confirmatio confertur ordinatie à nobiliori ministro. s. ab Episcopo, hoc tamen est propter maiorem baptismi necessitatem, & hæc videtur sententia Magistri in littera, vbi inquit. Maius est hoc sacramentum, non ob maiorem virtutem, vel vtilitatẽ quam conferat: sed quia à dignioribus datur.

Contra primam conclusionem arguitur ex c. Nouissime de conse. d. 5. vbi sic legitur. Signatur baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem vero in fronte, vt in priore vnctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationẽ Deo consecrandam; In secunda quoq; vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur. Ex his verbis patet, quod confirmatio confert maius munus gratiæ ergo &c.

Ad hoc dico, quod gratia cõfirmationis si accipiatur precise pro illo gradu gratiæ, qui superadditur per confirmationẽ gratiæ baptismi; non est maior gratia baptismali: quia tamen ex illo, & gratia præcedenti fit vna gratia per essentiam maior, quam erat gratia baptismi per se, propter hoc dicitur Spiritus sanctus venire in confirmatione cum omni plenitudine sanctitatis in hominem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum sacramentum confirmationis possit iterari.

Conc. Floren. Conc. Trid. SVpponendũ est pro solutione huius quæstionis, tanquam de fide certum sacramentum confirmationis imprimere characterem; sicut definitum est in Concilio Floren. in decreto Eugenij, ac etiam in Concilio Trident. sess. 7. de sacramẽtis in genere can. 9. Solum posset hic dubitari. An character confirmationis sit noua qualitas omnino in re distincta à charactere baptismali; vel solum sit quidam modus & perfectio eius; sicut gratia confirmationis ad baptismalem se habet. Videtur. n. hoc posterius sufficere: quia hoc satis est vt vera sint omnia; quæ de hoc charactere docent Concilia, & Theologi.

Nihilominus dicendum est, characterem confirmationis esse qualitatem omnino distinctam à charactere baptismi; Aureolus. Bassolus. Gabriel. Alex. de Ales. quod clare ostendunt Aureolus hac d. q. 1. Bassolus eadem d. & 9. art. 3. & Gabriel. dub. 4. Quare autem confirmationis sacramẽtum characterem imprimat ostendit Alex. de Ales, vbi supra, m. 5. art. 7. §. 2. Ex necessitate finis & idoneitate dispositionis: Necessitas quippe finis hoc exigit: quoniam character est ad distinguẽdum populum Domini distinctione spirituali: triplex autem distinctio competit populo Christiano, secundum triplicem statum fidei incipiẽtium, proficientiũ & perfectorum; siue ingredientium, pugnantium, & in tabernaculo ministrantium, cuius figura præcessit in populo Israelitico; ideo congruum fuit, quod illa sacramenta characterem imprimerent, quæ statum fidei determinatũ respiciunt: quia igitur in hoc sacramento statuitur quis in statu fidei determinato, & procedit ad gradum bellantium; & character est ad distinguendum populum Dei secundum statum fidei determinatũ, ideo competebat huic sacramento characteris impressio. Et huic consonat tanquam recta dispositio Sanctæ Trinitatis inuocatio, & confirmandi exterior, & notabilis consignatio; quæ exprimunt & disponunt ad hoc, quod confirmandus interius consignetur.

Ex his potest sic suppositum probari. In illis sacramentis infunditur verus character; et signum aliquod distinctiuũ ab alijs, quæ suscipientem cõstituunt in determinato aliquo gradu in ecclesia; sed sacramentũ confirmationis vere constituit hominem suscipiẽtem in gradu magnæ dignitatis in ecclesia; ergo in eo infunditur character. Maior probari põt per exemplum politicum: Videmus. n. in familia alicuius Principis, quod si aliquis præferatur in gradu aliquo, & dignitate, statim ei præbetur signum aliquod ab alijs, qui gradum illum non possident distinctiuum. Vnde intranti primum familiam datur vestis, per quam à familia alterius Principis discernatur: quando vero iam admissus ad familiam in gradu, & dignitate aliqua constituitur, puta in statu militiæ, datur signum aliquod distinctiuum, vt potè vexillum; quando vero præfertur vlterius in altiori adhuc gradu, vt si efficiatur exercitus dux, seu Princeps adhibet aliquod signũ puta baculum, vel aliquid simile.

Ergo sic debet esse in familia Christi, quod assumpto in Dei familiam, ac eidem in gradu aliquo constituto conferatur per virtutem sacramentorum in gradu tali constituentium, aliud, & aliud signum distinctiuum, secundum quod constituunt in alio, & alio gradu

Minor probat. ex sacramentorum distinctione: Nã quædam constituunt, suscipientem in aliquo gradu in Ecclesia Christi; quædam non. Nam baptismus cõstituit primo absolute in statu familiæ Christi. Confirmatio vero iam receptum in familiam per baptismũ, constituit in gradu aliqualiter altiori: puta in statu militiæ. Confirmatus autem vltra hoc quod est de cõi familia Domini, est miles, & pugil, ac fidei propugnator, sed iam factum militem, & propugnatorem per confirmationem constituit sacramentũ ordinis adhuc in gradu altiori. s. Principatus, & Potestatis in Ecclesia.

Alia vero sacramenta in nullo gradu, vel dignitate constituunt, vt patet intuenti, ergo relinquitur, quod in solis illis sacramentis. s. Baptismo, confirmatione, & ordine character infundatur; quod quidem est signum ab alijs distinctiuum pro eo, quod est similitudo specialis & imago celestis agni. s. Christi; qui huius familiæ, caput est ac Princeps.

Ex hoc supposito, sequitur sacramentum confirmationis in eodem homine iterari non posse, quod est etiam de fide certum & definitum in eisdem Concilijs Floren. & Trident. locis supra citatis. Et in hoc sensu dixit Concil. Tolet 8. Sanctum chrisma collatum auelli non posse. i. indelebilẽ imprimere characterem, propter quod iterari non potest: vt expressius traditur de consec. d. 5. in c. Dictum est, vbi ita legitur. Dictum est nobis, quod quidam de plebe, bis, vel ter, vel eo amplius, Episcopis ignorantibus tamen, ab eisdẽ Episcopis confirmentur. Vnde visum est nobis eandem confirmationem, sicut nec baptisma iterari minime debere: quia bis, vel ter vel amplius baptizatos, aut confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari, vel clericali religiosissime famulari decretum est. & sunt verba desumpta ex Cõcilio Terraconensi c. 6. a Gratiano; quæ tamen inter capitula illius Concilij non reperiuntur. Sed bene in Concilio Cabilonensi. 2. ca. 27. Item Gregorius iij. epist. 4 ad Bonifacium inquit. De homine qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis iteratio prohibenda est. His suppositis respondetur ad quæst. tribus conclusionibus. Conc. Tolet. Conc. Terrac. Cone. Cabil. Gregorius 3.

Prima conclusio. Sacramentũ confirmationis iterari non potest. hæc concl. patet ex supra dictis. 1. Conclusio

Secunda conclusio. Iterans scienter sacramentũ confirmationis mortaliter peccat: probatur: quia irrogat iniuriam sacramento, & facit contra institutionem Christi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ in re grauissima. ergo peccat mortaliter. 2. Conclusio

Tertia conclusio. Hoc sacramentum iteratum nullã efficaciam habebit probatur: quia Deus instituit hoc sacramẽtum initerabile, ergo etiam si iteretur nullam efficaciam habebit, & ratione probatur: quia per hoc sacramentum constituitur homo in gradu determinato in ecclesia Dei, videlicet in gradu bellatoris; sed sacramentũ constituens hominẽ in gradu ecclesiæ determinato, non iteratur, neq; iteratum propriam habet efficaciam, vt constat ex dictis supra, d. 6. q. 9 & 10. ergo hoc sacramentum iteratum nullam efficaciam habebit. & confirmatur. Sacramentum confirmationis imprimit characterem, ergo est initerabile. probatur sequela: quia character est indelebilis, atq; adeo iterari non potest. 3. Conclusio

Digitized by Google

Contra primam conclusionem arguitur. Morbus contra quem est institutum hoc sacramentum est iterabilis; ergo & medicina huius sacramenti contra talem morbum est iterabilis; probatur antecedens, quia potest aliquis post confirmationem iterum fieri pusillanimis.

D. August. Præterea; D. August. lib. 3. de baptismo, capit. 16 ait. Manus autem impositio sicut; baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem? Quod autem per manus impositionem sacramẽtum confirmationis intelligat, patet ex initio illius capituli: sic enim ait. Spiritus sanctus in sola ecclesia catholica per manus impositionem datur; & infra: Nunc non dari sensibilibus miraculis assistentibus Spiritum sanctum per manus impositionem, sicut antea dabatur, &c. Constat autem Spiritum sanctum non dari in ecclesia, nisi per sacramentum confirmationis, ergo &c.

Scotus. Ad primum respondet Scotus, quòd morbus, vt contra ipsum est hæc medicina, non iteratur, licet aliter vult dicere, quod licet pusillanimitas in homine sit iterabilis; non tamen illa, cuius fuit causa originale peccatum, contra quam est directe hoc sacramentum.

Vel potest dici, quod quamuis morbus sit iterabilis, non propter hoc est iteranda medicina, quæ interiùs imprimit virtutem sufficientem contra morbum. talis autem medicina est omne sacramentum imprimens characterem.

Ad secundum dico, multiplicem fuisse manuum impositionem, vt notat Glossa in cap. Manus impositio. 1. q. 1. quædam enim potest dici curatiua. iuxta Marci vltimũ, super ægros manus imponent, &c. de qua videtur intelligẽdum, quod, Act. 9. dicitur. Abijt Ananias & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit. Saule frater Dominus Iesus misit me, vt videas, & implearis Spiritu sancto. Constat enim illam manus impositionem non fuisse confirmationem; Nondum enim Paulus erat baptizatus, fuit ergo tantum curatiua, sicut illa, de qua dicitur. Act. 28. Contigit autem patrem Publij febribus, & dysenteria vexatum iacere, ad quem Paulus intrauit, & cum orasset, & imposuisset ei manus, sanauit eum.

Multiplex est manus impositio.

Secunda manus impositio potest dici consecratiua, seu ordinatiua, de qua dicitur 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionẽ manus Presbyterij; & cap. 5. Nemini cito manus imposueris. & 2. ad Timoth. 1. Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum; & de hac etiam intelligi potest illud Act. 6. Orantes, imponentesque eis manus &c. est enim ibi sermo de ordinatione septem Diaconorum.

Tertia est manus impositio confirmatiua, quæ idem est, quod sacramentum cõfirmationis. de qua probabile est sermonem esse ad Hebr. 6.

Quarta est manus impositio ceremonialis ad baptismũ; de qua diximus supra loquentes de ritibus baptismi.

Cõc. Araus. Quinta est manus impositio, quæ appellari potest reconciliatiua. de qua loquitur Concil. Araus. 1. c. 2. & de qua potest etiam intelligi canon. 9. Concilij Niceni, alias 11. & apertius de illa est sermo in can. 8. eiusdem Concil. & in Concil. Agath. c. 15.

Concil. Nic.
Cõc. Agath.

Vltimo reperitur interdum, quædam manus impositio tantum deprecatiua, qualis videtur fuisse illa, de qua est sermo Act. 13. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos: Nam Paulus, & Barnabas tũc neq; fuerunt confirmati, neque ordinati Presbyteri, vel Episcopi; ergo non fuit illa manus impositio aliqua ex prædictis, fuit ergo tantum quædam bona imprecatio.

Augustinus ergo in prædicta authoritate, solũ loquitur de manus impositione reconciliatiua, quæ simul erat deprecatiua; quam à sacramento confirmationis manifeste distinguit August. lib. 5. de baptismo, c. 20. & 23. vbi de eadem manus impositione loquens dicit; Si non adhiberetur ab heresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse videretur; & statim declarat hanc manus impositionem solum fieri in signum ecclesiasticæ vnionis, quæ necessaria est ad charitatem recipiendam. Loquitur ergo de modo reconciliãdi eos, qui ab hæresi reuertuntur. Quemadmodũ etiam loquitur Innocentius primus epist. 18. c. 3. & habetur in cap. Arrianos. 1. q. 1.

Innoc. 1.

Ad argumentum autem desumptum ex principio eiusdem capitis D. August. dico, quod etiam in principio loquitur de manus impositione reconciliatiua, per quam dari dicit Spiritum sanctum non ad robur, neq; eo speciali modo quo datur in confirmatione; sed ad viuificandum hominem spiritualiter, qui antea per peccatum vel hæresim mortuus fuerat. Vnde inquit Spiritum sanctum dari per hanc manus impositionem nihil esse aliud, quam quod Apost. ait. Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritũ sanctum; &c. quam charitatem non habebant, qui ab ecclesiæ communione erant præcisi.

QVAESTIO V.

Vtrum iterans sacramentum confirmationis fiat irregularis.



E hac re sunt duę opiniones. prima est Canonistarum affirmantium, quod qui iterato suscipit hoc sacramẽtum manet irregularis, vt patet ex Glossa de consec. d. 5. in c. Dictum est. Archidiacono, & Alberto Tertio, quos refert Couar. in Clemen. Si furiosus. Et ex Theologis sequũtur hanc opinionem Richardus in 4. d. 7 art. 6. q. 1. Maior ibi in fine totius dist. & D. Antoninus 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. Fundari solet hæc sententia in paritate rationis. Nam si ille, qui iterato suscipit baptismum fit irregularis; Cur non etiam ille, qui secundo confirmatur? præsertim, quia in Concil. Terracon. c. 6. & refertur in d. cap. Dictum est, eodem modo prohibetur confirmationis, quo baptismi iteratio; & eadẽ pęna pro vtroq; delicto imponitur. s. vt qui ita deliquit nõ seculo, sed solum Deo sub habitu regulari, vel clericali religiosissimæ famuletur.

Glossa.
Archidiac.
Albertus
Richardus.
Maior
D. Anton.
Cõc. Terra.

Secunda opinio est Doct. nostri sub. quam sequuntur cęteri Theologi, vt Palu. q. 2. Gabriel. q. vnica art. 3. dub. 5. Basfolus eadem d. q. 1. art. 4. Sotus eadem d. q. vnica ar. 5. & eãdem sententiã sequuntur Castro & Turrecremata quos refert, & sequitur Coua. in Clem. Si furiosus in principio n. 8.

Scotus
Paludan.
Gabriel
Basfolus
Sotus
Castro
Turrecre.
Couar.
Concl. Scot.

Ponit ergo Scotus hanc conclusionẽ. Vniuersaliter nulla pęna canonica, quæ non est inflicta à Papa condente ius canonicum incurritur ipso iure: neq; propter argumentum exponentium canones; siue à simili, siue à contrario sensu erit aliquis tali pœna astrictus. Probatur. Quia Canonistæ licet possint exponere ius canonicum ab ecclesia conditum, & institutum; non tamen per suas expositiones constituere possunt nouum ius canonicum, ergo cum talis pęna irregularitatis non sit expresse constituta, in iure canonico contra iterantes confirmationẽ, non possunt canonistæ per suas expositiones à simili, vel à contrario tali pœna astringere iterantes confirmationem, consequentia patet, & antecedens probatur: quia Innocentius Doctor grauissimus in vtroq; iure: quamuis fuerit Papa; & magnam volumen scripserit expositionum canonici iuris, requisitus tamen ab aliis quale robur vellet suas expositiones habere, respondit, se nolle illas esse authenticas, tanquã summi Pontificis decreta; sed quod essent tantummodo classicæ, seu magistrales.

Innocẽt.

Secundo probatur: quia constitutiones pęnales sunt restringendę, & non ampliandæ; ergo cum non inueniatur in iure canonico expresse pœna irregularitatis inflicta pro iteratione confirmationis; infertur non esse ampliandam constitutionem factam contra iterantes baptismum ad eos, qui iterant confirmationem.

Et confirmatur: quia iure cautum est irregularitatẽ non contrahi, nisi in casibus à iure expressis, c. Is qui de sen. excõ. in 6. Confirmatur secundo, ex citato c. Dictum est de consec. d. 5. Vbi nulla pęna imponitur Episcopo confirmanti iterato; sed neque suscipienti, nisi quod soli Deo sub habitu regulari, vel clericali ipsum religiosissime famulari decretum est; vbi non pœna innuitur irregularitatis; sed magis oppositum puta exercitium officij clericalis.

Vnde licet ita mala, & prohibita confirmationis, sicut baptismi iteratio asseratur, ibi tamen nulla pœna irregularitatis imponitur. Vnde si ex alijs iuribus non constaret fieri irregularem, qui secundum baptismum recipit; ex vi huius non fieret irregularis: Nam aliud est religiosissime famulari Deo sub habitu regulari, vel clericali; aliud vero fieri irregularem: neque hoc posterius ex illo priori sequitur, imò, vt diximus illius contrarium. s. clericalis officij exercitium: Nam in executione ordinum, & præcipue in consecratione Eucharistiæ clericus Deo suo religiosissime famulatur. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO VI.

Vtrum sacramentum Confirmationis conueniente ritu ab Ecclesia conferatur.

DVplices sunt cæremoniæ in hoc sacramento. Primum enim multæ cæremoniæ adhibentur in consecratione Chrismatis feria V. in Cœna Domini; ita quod consecratio hæc fieri debet in die Cœnę Domini, idq; in sacrificiu Missę, adeo vt extra illud non præsumat Episcopus chrisma conficere: ita enim habent verba Honorij Papæ ad Episcopum Sipontinum. Mandamus quatenus die Cœnæ Domini in ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris chrisma conficere, missarum studeas solemnia celebrare, cap. Te referente de celeb. missarum. Secundo quædam etiam adhibentur in ipsa collatione sacramenti. *Honorius Papa.*

In consecratione chrismatis quatuor fiunt cęremoniæ primo benedictiones olei, & balsami per orationes iuxta verbum Apostoli. 1. ad Timot. 4. dicentis. Omnia sanctificari per verbum Dei & orationem.

Secundo fiunt etiam benedictiones olei, & balsami per signum Crucis: quia sine hoc signo nihil consecrari potest, vt testatur Chrysost. hom. 51. in Matth. & in lib. quod Christus sit Deus, & August. tract. 118. in Ioan. & sermo. 181. de tempore, cap. 3. *D. Chrys. D. Aug.*

Tertio halat Episcopus aliquoties super ampullam chrismatis, huius cęremoniæ meminit Almarius, & ab exemplo Domini desumitur, qui in Apostolos insufflauit Ioan. 20. vt ea cęremonia demonstraret Spiritum sanctum in eos descendere. *Almarius.*

Quarta cęremonia est, quod chrisma iam consecratum salutatur ab Episcopo, & presbyteris his verbis. Aue sanctũ chrisma; Adhibetur autem chrismati consecrato reuerentia: quia est res sacra, & vim habet, vt Dei instrumentum sanctificandi. Dicetur fortasse ridiculum videri salutare rẽ inanimatam. Dico id esse vsitatissimum in signum gratulationis etiam res inanimes salutare, ac si viuerent, & sentirent; ita Nazianzenus orat. 150. cum episcopatu se abdicaret vale dicit cathedræ, templo, Psalmodiæ, alijsque id genus rebus. Hieronymus in Epist. de obitu Paulæ describit salutationem, quam B. Paula ad Bethlehẽ habuit, cum eam primum vidit. imo Aeneas apud Virgilium in 7. Aeneidos Italiam salutat, cum eam primum ingreditur; suntque huiusmodi exempla planè infinita. *Nazianz. Hieronym. Virgilius.*

In ipsa autem sacramẽti collatione: præter cæremoniam essentialem vngendi, & signandi frontem Cruce; aliæ octo adhibentur cæremoniæ. Prima, vt susceptor adsit, sicut in baptismo, qui confirmandum offerat Episcopo, estque hæc cæremonia antiquissima, vt patet ex decretis antiquorum Pontificum, & Conciliorum quæ citantur à Gratiano 30. quæst. 1. cap. Si quis ex vno, & de consec. d. 4. c. in Catechismo. Adhibetur autem susceptor siue patrinus ad designandum confirmandum esse Tyronem in spirituali militia, ideoque indigere, vt alicuius arte, & consilio doceatur, ac muniatur. Vnde etiam probabile est, ob hanc causam statutum esse, quod nullus qui non sit confirmatus possit esse Patrinus in confirmatione. c. In baptismate de consecra. d. 4. vt hoc spirituale ministerium circa confirmatum exerceat. *Gratianus.*

Secunda, vt variæ preces dicantur super confirmandos, & quidem cum manus impositione. Tertia, vt confirmato pax detur ab Episcopo in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est Pax.

Quarta, vt confirmatum Episcopus manu leuiter cędat, id est, vt confirmato alapam det super genam, quod solum fit ad significandum, vt confirmatus intelligat se armari ad iniurias pro Christo referendas, vel vt intelligat se contra ignominiam, & verbera pro Christo ferenda patientia pręcipue armandum, & alij dicunt fieri etiam ob memoriam, vt suscipiens recordetur sacramenti suscepti, & militiæ ad quam exercendam conscribitur; hæc autem cæremonia nõ videtur esse tanti momenti, vt si prætermittatur sit peccatum mortale secluso contemptu, vt notat Sotus hac d. ar. 11. *[…]us.*

Quinta cæremonia est, vt fascia ligetur frons, tũ ne chrisma facile defluat; tum vt significet acceptam gratiam diligenter conseruãdam iuxta illud 1. Ioan. 2. Vnctionẽ, quam accepistis maneat in vobis; sed in hac re conseruanda est ecclesiæ consuetudo; alicubi enim ad septem dies frontis fascia conseruatur, alicubi ad tres, alicubi continuo abluitur, & exsiccatur chrisma à sacerdotibus, vt fascia opus non sit: Idem est etiam iudicium de eo, quod Hugo lib. 2. de sacrament. p. prima, cap. 6. dicit per septem dies non esse abluendum caput, seu frontẽ hominis confirmati; quod ipse etiam non vt necessarium, sed vt conueniens docet; & loquitur de vulgari, & communi ablutione: nã alicubi mos est, vt paulo post abluantur in fonte baptismatis; vbi autem hoc non obseruatur satis erit expectare donec chrisma exsiccatum sit. Tertull. autem lib. de baptismo scribit à die baptismi per totam hebdomadam Christianos lauare abstinere solitos: quodquidem faciebant non tantum ob baptismum, sed etiam fortasse pręcipue ob chrisma, quod eodem die dari solebat. *Hugo. Tertull.*

Sexta, vt in Sabbato Paschæ, & Pentecostes detur Cõfirmatio: quia videlicet his diebus dari debet baptismus, vt supra diximus; atque ita statuitur in Cõcilio Parisiensi sub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 33. tamẽ illud Concilium Prouinciale est; In vniuersum autem non satis constat olim fuisse rigoroso præcepto prohibitum, ne sacramentum Confirmationis extra illa tempora detur: & nunc certius est nullum esse tale præceptũ. tum quia contrarium tenet consuetudo; quæ in ipso etiam baptismo illam limitationem abrogauit; tum etiam quia in hoc sacramento id commode seruari non poterat: quia eius Minister est Episcopus, qui non potest quolibet tempore adesse ad confirmandos baptizatos. Potest ergo hoc sacramentum conferri quolibet tempore opportuno. Cæterum laudabilis est consuetudo multorum Episcoporum, vt in festis Pentecostes pręcipue confirment: quia nimirum in eo festo data est prima confirmatio à Deo sanctis Apostolis. *Conc. Paris.*

Septima cæremonia est, vt à ieiunis detur, & accipiatur cõfirmatio, de qua re extãt Canones Concilior. s. Conc. Senon. c. 3. & Concil. Melden. c. 6. & referuntur, d. 5. de consec. cap. Vt ieiuni; & cap. Vt Episcopi, & idem statuitur in Concil. Parisien. lib. 1. cap. 33. vbi adducitur congruentia, quod Apostoli ieiuni confirmati sunt per Spiritus sancti aduentum, & credibile est eos non nisi ieiunijs Spiritum sanctũ alijs tradidisse: quia decebat tam excellens ministerium; vt qui daturus est Spiritum sanctum prius ieiunando, & orando in corde suo illi præparet habitaculum. Iuxta quæ decreta si hæc cæremonia obseruanda est; consequenter dicendũ erit sacramentum hoc matutino tempore ante prandium esse ministrandum: quia alias moraliter loquendo non posset ieiunis à ieiunis ministrari. Nihilominus tamen dicendũ est hanc cæremoniam non esse ex necessitate pręcepti; sed solum ex decentia, vt expresse annotatur in pontificali Romano: neque in supracitatis decretis sunt verba, quæ sufficienter indicent præcepti obligationem; & quamuis essẽt, tamen illa Concilia prouincialia sunt, neque eorum lex cõmuni vsu est recepta; sed potius abrogata: Nam fere consuetudo iam obtinuit, vt sacramentum hoc post prandium conferatur. *Cõc. Senon. Cõc. Meld. Conc. Paris.*

Octaua cæremonia est, vt inquit Sotus, quod cereus offertur, sed hanc non inueni in Pontificali Romano, neque in antiquis authoribus, qui de hac materia tractant. Posset dubitari an præscripta sit hoc sacramento circumstantia loci; Ad quod respondens Palud. hac d. q. 3. art. 3. dicit, quod licet confectio chrismatis tantum possit fieri in ecclesia; tamen sacramentũ potest dari in quolibet decenti loco. Quod vtique probabile existimo: quia nihil inuenitur sub præcepto præscriptum, solum in Põtificali Romano dicitur, quod fiat ante medium altaris, aut in alio conueniente loco. Consuetudo autem obtinuit, vt fiat tantum in ecclesia; & ita obseruandum est quo ad fieri possit: Nam si hoc de baptismo præceptum est in Clement. de baptismo, maxime decet in confirmatione etiam obseruari. Statuitur autem in cap. Respon. de sententia excommunicationis, posse hoc sacramentum conferri in locis interdictis, vt potest baptismus. & hæc dicta sufficiant de sacramento Confirmationis: quæ & omnia alia sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni, & iudicio submitto. Amen. *Sotus. Paludanus.*

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

De celeberrimo Eucharistiæ Sacramento.

Cõtinuatio.



Ost sacramentum Baptismi,& Confirmationis,&c. *De duobus hactenus sacramentis Magister verba fecit s. de baptismo, quo regeneramur, & de Confirmatione, qua roboramur; Consequenter agit de Eucharistia sacramento, quo & nutrimur, & in bono consummamur, & etiam hanc materiam sex distinctionibus comprehendit. In quarum prima quæ est præsens octaua distinctio tractat de sacramento Eucharistiæ secundum se, & diuiditur in tres partes. In prima explicato quid nominis Eucharistiæ, docet quomodo sumentes ipsum sacramentum reficit. In secunda quãdo Christus ipsum instituit. & in tertia quid in Eucharistia sit sacramentum, & quid res distinguit. Breuiter sententia Magistri tribus conclusionibus explicatur.*

Diuisio.

1. Conclusio. *Prima Conclusio. Sicut baptismus vitia extinguit, ita Eucharistia spiritualiter reficit: Hanc insinuans Magister primo explicat, quid nomen Eucharistiæ significet dicens, quod Eucharistia interpretatur bona gratia, & merito inquit hoc nomine appellatur: quia in hoc sacramento continetur omnium gratiarum Author; Deinde ostendit hoc sacramentum figuratum esse; ante legem in oblatione Melchisedech quando obtulit panem, & vinum; tempore legis per manna; & tempore Euãgelij per sanguinem, qui de Christi pendentis in Cruce latere fluxit. Huius autem sacramenti excellentia quãta sit, de facile per comparationem ad illud antiquum manna apparebit. octo enim modis manna excedit.*

Eucharistia octo modis manna excedit.

Primo, quia in hoc sacramento ille continetur, & sumitur, qui non solum est augmentum gratiæ, & virtutis, sed totius gratiæ fons & origo, quod nunquam fuit in manna. Secundo, quia Eucharistia spiritualiter reficit; at illud manna antiquum corporaliter solum. Tertio. quia illi, qui panem illum manducauerunt mortui sunt, iste vero panis, qui de cœlo descendit se manducantibus vitam in æternum tribuit. Quarto manna illud de cœlo; hoc super cœlum. Quinto illud manna erat cœli; hoc Deus cœlorum: Nam qui de cœlo venit super omnes est. Sexto illud manna scaturiebat in alterum diem reseruatum; hoc ab omni corruptione alienum, quicumque enim religiose gustauerit corruptionem non videbit. Septimo illud manna datum fuit antiquis post transitum maris rubri, vbi submersis Aegyptijs Hebræi sunt liberati; hoc cœleste manna .s. Christi corpus non nisi renatis post baptismum debet præstari. Octauo ille corporalis panis populum antiquum de terra promissionis per desertum eduxit; hæc cœlestis esca fideles huius sæculi desertum transeuntes in cœlum subuehit, vnde recte viaticum appellatur: quia in via nos reficiẽs ad patriã deducit.

2 Conclusio *Secunda Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ in vltima cœna Christus instituit quando discipulis suis post esum agni corpus, & sanguinem suum dedit sub speciebus panis & vini. Aduertit tamen Magister noluisse Christum significare, vt postea hoc sacramentum esset à fidelibus sumendum post aliorum ciborum esum: Nam propter huius sacramenti reuerentiam cibus iste prius quam alij cibi in os debet intrare. Verum tunc datũ fuit discipulis post esum Agni speciali ratione. primo vt ostenderet Christus omnia sacramenta veteris legis in ipsius morte terminari; secundo, vt hoc sacramentum altius imprimeretur memoriæ discipulorum: illa enim quæ vltimo loco hominibus commendatur, altius memoriæ eorum imprimuntur; Quo autem ordine esset postea hoc sacramentum à fidelibus sumendum Apostolorum dispositioni reliquit; à quibus Spiritu sancto dictante fuit institutum, vt non nisi à ieiunis sumeretur. Deinde dicit quod forma huius sacramenti sunt illa verba, Hoc est corpus meum, ex parte corporis, & Hic est sanguis meus ex parte sanguinis, quibus verbis prolatis cõuersio fit statim panis, & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi; cætera vero, quæ in Missa dicuntur ad Dei laudem proferuntur, & per ea fit oratio pro populo, & Principibus, vnde non sunt nisi laudes obsecrationes, & fidelium petitiones, quod authoritatibus confirmat D. Ambros. lib. 4. de sacramentis, c. 4. & D. Aug. epist. 59.* Forma Eucharistiæ. Ambros. August.

Tertia Conclusio. In isto sacramento sunt tria consideranda, quæ etiam inter se sunt prudenter distinguenda. Hanc Magister intendens, dicit quod in hoc sacramẽto res inuenitur. sacramentum, & res & sacramentum simul. Sacramentum est species visibilis sub forma panis, & vini; Res vero sacramenti est gemina natura contenta, & signata; vt corpus Christi verum quod de Virgine traxit, & sanguis quem pro nobis fudit; alia vero signata, & non contenta, vt corpus Christi mysticum, quod est vnitas ecclesiæ. Ex quibus vlterius concludit, quod tria sunt in hoc sacramento distinguenda. Vnum quod est sacramentum tãtum, vt species visibilis .s. panis, & vini: Aliud quod est sacramentum & res, vt caro Christi vera, & sanguis verus. Tertium quod est res, & non sacramentum, vt corpus Christi mysticum. Primum est sacramentum geminæ rei .s. corporis Christi veri, & mystici: quia vtranque rem significat, & vtriusque rei expressam similitudinem gerit. Secundum vero .s. corpus Christi verum est res gemini sacramenti .s. speciei panis, & vini, & corporis Christi veri. Tertium autem est res vnius sacramenti, & vnius rei sacramentum. Et hæc sunt quæ breuiter habet Magister in hac dist. circa quam talis est Scoti 3. Conclusio

QVAESTIO I.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum nouæ legis.



E hoc sacramento disputat Schola cum Magistro in 4. sent. à dist. 8 vsque ad 13. inclusiue. Alex. de Ales p. 4. q. 10 & sequentibus. Altisiodorensis in tractatu de sacramentis. D. Tho. in 4. contra Gentes c. 60. & sequẽtibus, & 3. p. q. 73. Marsilius in 4. quæst. 67. & 8. Grauissimi Authores, qui scripserunt aduersus hereticos. Thomas Vualden. in lib. de sacramentis. Rofensis libro cõtra Oecolampadium. Decanus Louaniensis art. 13 vsque ad 17. Driedo lib. de varijs dogmatibus c. 2. in 2. p. Alanus in lib. de Eucharistia. Bellar. tom. 2. de sacramentis controuersia 3. generalis, & denique alij grauissimi moderni. Claudius Saynthes, Ioan. Ekius, & alij in tract. de hoc sacramẽto. Sacri expositores Mat. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 6. & 1. Corint. 11. etiam Doctores Canonistæ in decreto de consecr. d. 2. & in decretalibus in tit de celebrat. Missarum. Ale de Al. Altisiodo. D. Thom. Marsil. Thom. Vuald. Rofens. Decanus. Driedo Alanus. Bellar. Claudius Ekius.

Vnde ad introductionem huius materiæ obser. & primo, quod hæc materia grauissima est, & valde celebris apud Theologos; tum quia hoc sacramentum Eucharistiæ multis titulis excedit alia sacramenta in eo potissimum, quod cum cætera sacramenta contineant gratiam, hoc tamen sacramentum continet ipsum Christum totius gratiæ authorem, & fontem, tum propter maximam huius sacramenti vtilitatem, seu potius necessitatem, aut denique propter mysterij profunditatem, quæ in hoc sacramento reperitur, quę tãta est, vt sicut vnio diuini Verbi cum humanitate superbis huius sæculi sapientibus visa est indecens, & stulta; ita vnio Verbi incarnati in speciebus sacramentalibus facta transubstantiatione substantiæ panis, & vini in carnem, & sangui-

Digitized by Google

sanguinem eius, multis apparuit incredibilis; & ita Christo Domino Ioan. 6. verba faciente de hoc sacramento litigabant Iudæi dicentes, quomodo potest hic date nobis carnem suam ad manducandum? & quidam ex discipulis abierunt retro dicentes. Durus est hic sermo.

Hæc incredibilitas adhuc peruenerat apud quam plurimos hæreticos, contra quos authores Catholici mire exercuerunt sapientiam suam, vt huius sacramenti veritatem tuerentur. ex quo sequitur quod in tractatione huius sacramenti captiuandus est intellectus in obsequium fidei, & nõ tam rationibus ab intellectu excogitatis, quam testimonijs ex sacris litteris, & definitionibus ecclesiæ desumptis videndum est. In quo D. Paulũ imitabimur, qui verba facturus de isto sacramento inchoauit suam doctrinam, 1. Corin. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. quasi diceret hæc doctrina non est ex mea ratione excogitata, sed illam à Christo Domino reuelante habeo acceptã.

Vualdēsis. Secundo obse. est, quod nonnulli Theologi quorũ princeps fuit Vualdensis loco citato prius disputauerunt de sacramento Eucharistiæ, quam de Baptismo, & reliquis sacramentis, attendentes dignitatem, qua istud sacramentum *Al. de Ales D. Tho.* reliqua excellit. Verumtamen rectius Alex. de Ales, Diuus Thomas, & Theologi scholastici Magistrum sequenti sicuti, disputauerunt prius de sacramentis Baptismi, & Cõfirmationis, quam de hoc sacramento; Quem ordinem seruauerunt sacra Concilia Florent. & Trident. cum disputãt *Dionysius.* de sacramentis, & ante omnes D. Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarchia, c. 2. & 3. & ratio huius ordinis est: quoniam sacramenta instituta sunt à Christo ad nostram iustificationem; ergo ille ordo seruandus est cum disputamus de sacramentis, quem ipsamet sacramenta iuxta Christi Domini institutionem seruant in iustificatione nostra; sed primũ locum in iustificatione nostra tenet baptismus: quia est ianua omnium sacramentorum, & est regeneratio in vita spirituali. Secundum locum tenet confirmatio, quæ præstat robur, & augmentum spiritualis vitæ. tertium obtinet Eucharistia, quæ per modum alimenti eamdem vitam fouet, nutrit, & conseruat; ergo in disputatione sacramentorũ tertius locus tribuendus fuit Eucharistiæ. Huic veritate fauet quam plurimum consuetudo illa, quæ olim viguit in multis Ecclesijs, secundum quam infans recenter baptizatus, statim confirmabatur, si aderat Episcopus; & post confirmationem cõtinuo illi ministrabatur Eucharistia, cuius *Cyprianus. Dionys.* consuetudinis meminit Cyprianus ser. 5. de lapsis & Diuus Dionysius loco citato in fine illius capituli. His obseruatis hæc quæstio diuiditur in sex articulos.

Primus Artic. Vtrum Eucharistia sit sacramentum nouæ legis.
Secundus Art. Vtrum Eucharistia sit unum sacramentum vel plura.
Tertius Art. Vtrum species panis, & vini hoc ipso quod discontinuæ sunt dici debeant plura sacramenta.
Quartus Art. Vtrum qualibet species seorsum sumpta sit sacramentum Eucharistiæ.
Quintus Art. Vtrum sacramentum Eucharistiæ supponat pro speciebus panis, & vini.
Sextus Art. Vtrum consecratio, & sumptio sint Eucharistiæ sacramentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum nouæ legis.

Rationes dubitandi sunt. Quia sacramentum nouæ legis est signum gratiæ collatæ; sed Eucharistia nõ est signum collatæ gratiæ, ergo Eucharistia non est sacramentum nouæ legis: maior patet ex definitione sacramenti, & minor probatur: quia Eucharistia manet in altari vbi non datur gratia alicui.

Item sacramenta nouæ legis efficiunt quod significant; sed Eucharistia vt species panis, & vini, non efficiunt quod significant, ergo non sunt sacramentum nouæ legis: minor patet, quia significant corpus, & sanguinem Christi ibi realiter existere, & contineri; & hoc non efficiunt: quia nulla virtus creata potest habere aliquam actionem respectu corporis Christi.

Præterea sacramenta nouæ legis habent aliqua verba pro forma; sed Eucharistia non habet aliqua verba pro forma, ergo non est sacramentum nouæ legis: minor patet: quia forma sacramenti debet esse simul cum sacramento, sed non est ita de verbis consecrationis Eucharistiæ. Tum quia manet Eucharistia verbis prolatis: tum quia sacramentum Eucharistiæ non est quando verba proferuntur; sed est in fine prolationis verborum ergo, &c.

Pro explicatione huius quæst. obser. est primo, quod Eucharistia vocabulum est Græcum, & valet Græce tantum, quantum Latine bona gratia; Dicit autem Chrysost. explicans illa verba D. Pauli 1. Cor. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est. *Chrysost.* Eucharistiam benedictionem appellat, sic enim inquit, cũ benedictionem dico, Eucharistiam dico; & dicendo Eucharistiam omnem benignitatis Dei thesaurum apetio, & magna illa munera commemoro; dicitque calicẽ benedictionis à D. Paulo appellatum: quoniam cum præ manibus eũ habemus, cum admiratione, & hortore quodam inenarrabilis doni laudamus benedicentes, quod sanguinem fudit pro nobis, neque tantum effudit, sed nos omnes eius participes effecit; ideoque apud Græcos hoc sacramentum appellatur mysterium mysteriorum: quoniam in cæteris sacramentis nulla inest sanctitas: nisi dum applicantur; in hoc vero ipsum Christi corpus, ex quo alia sacramenta deriuantur continetur: atque adeo meritissime mysterium mysteriorum appellatur; cum enim signum sit præteritæ Christi passionis memoratiuum; præsentis gratiæ demonstratiuũ; & futuræ gloriæ prognosticum; ratione primi dicitur sacrificium; ratione secundi synaxis, & denique ratione tertij viaticum, & Eucharistia.

Nomen itaque primum, sacrificium primo competit Eucharistiæ: quia cum alia sex sacramẽta sint dumtaxat sacramenta, hoc est, signa gratiæ efficacia; Eucharistia vero prætetquam quod est sacramentum, quod in consecratione perficitur, vt vsu gratiam confert; habet id quoque, vt in ipso immolatio ipsius Christi repræsentetur, ac si realiter tũc fieret; atque adeo cum ibidem eum nos in sanctificatione pro expiatione, peccatorum nostrorum offerimus. Propterea que quatenus Christi hic immolatur, & in repræsentatione occiditur dicitur sacrificium; quatenus vero hic continetur, & offertur dicitur hostia pura, sancta, & immaculata, vt in sacro Canone habetur. Secundum nomen competit huic sacramento quatenus signum est demõstratiuum, & ea ratione dicitur synaxis, id est, communio, seu congregatio Latine è Græco; Nã vt lib. 4. de fide orthodoxa, c. 14. author est Damasc. ideo dicitur communio: quia per hoc sa- *Damascen.* cramentũ Christo Domino coadunamur, eiusq. carne, & deitate participamus, & deinde nos ipsi inuicem in eodem Christo communicamus & in vnum corpus vnimur, licet enim corporali cibo simul & homo nutritur, & membra inter se compacta subsistunt; sic spiritualiter cõtingit in hoc sanctissimo sacramento: est enim non tantum spiritualis refectio, sed sancta etiam communio, ob idque in sacro Canone dicitur, sacro sancta communio, & proinde sacramentum pacis, & charitatis.

Ea vero ratione, qua signum est prognosticum gloriæ futuræ, & fruitionis Dei, quam hoc sacramentum præfigurat dicitur viaticum: quia videlicet viam nobis ad illam præbet fœlicitatem; ideoque infirmis tribuitur morituris, & eadẽ ratione dicitur Eucharistia, id est, bona gratia: quia vt Diuus Paulus dicit Roman. 6. Gratia Dei vita æterna: vel quia in se continet Christum, qui plenus est gratia, & fons omnium gratiarum. Alioqui autem deriuatur Eucharistia à verbo Græco eucharisteo, quod significat gratias ago, atq; adeo dicunt, quod Eucharistia est idem, quod gratiarum actio, & hac ratione hoc sacramentum Eucharistia appellatur, in quo totus ille nobis confertur, qui est fons, & origo totius gratiæ, quod supremum est beneficium, atque etiam ea ratione: quia per ipsam huius sacrificij oblationem, ingentes nos Deo gratias pro vniuersis beneficijs nobis ab ipso impensis quotidie agimus. potissimeque pro illo quod eodem sacrificium recipimus, cui Regius Propheta allusisse videtur, cum dixit in psal. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & sibi ipsi respondens dicit. Calicem salutaris accipiam, &c. Quamuis igitur commune sit omnibus sacramentis gratiam conferre, quod nomen Eucharistiæ designat; viamque ad cœlestem patriam munire, quod ad rationem viatici attinet; & in omnibus aliquid

Digitized by Google

aliquid factum fiat, quod imaginem quamdam sacrificij habeat; in omnibusq, fideles communicent, quod nomen synaxis sonat. Nihilominus tamen nomina quæ omnibus quodam modo sunt communia propter huius sacramenti excellentiam ei peculiariter per antonomasiã attribuuntur. Ratio est: quia quæ propter suam maximam excellentiam, & perfectionem, effectuumque multitudinem vno nomine explicari non possunt, conuenientissime multis nominibus declarantur, quod in hoc diuinissimo sacramento euenit.

Ratio Eucaristiæ. Secundo obser. est, quod Scotus Eucharistiam in hunc modum definit in hac q. sub litt. A. §. Ratio nominis, &c. Eucharistia est sacramentum corporis, & sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione diuina veraciter significans corpus, & sanguinem sub eis realiter contineri.

Ale. de Ales Pro cuius definitionis explicatione obser. est tertio, ex Alex. de Ales p. 4. q. 10. memb. 2. art. 1. §. 3. quod in hoc sacramento sunt tria, primum est species panis, & vini. Secundò est corpus Christi, quod sumpsit de Virgine. Tertium est corpus Christi mysticum, quod est ecclesia; Primum vt etiã *Magister.* dixit Magister, est sacramentum tantum; Secundum est res & sacramentum; Tertium est res tantum. Primum quod est tantũm sacramentum habet similitudinem secundi non secundum se, sed ratione subiecti, quod prius habuit. s. panis. Sicut enim ille panis ex puris, & veris granis frumenti perficitur; ita corpus Christi, quod traxit de Virgine, constat ex membris purissimis operatione Spiritus sancti purificatis; & pari ratione similitudinem habet cũ corpore mystico in hoc: quod sicut Christi corpus constat ex membris purissimis, ita corpus Christi mysticum constat ex puris fidelibus, gratia Spiritus sancti depuratis a peccato mortali. Item sicut panis confirmat corpus, ita corpus Christi confirmat animam iuxta illud Psal. 103. Panis, s. altaris, cor hominis confirmet. Similiter vinum gerit sanguinis similitudinem cuius est sacramentum: quia sicut vinum constat ex puris racemorum vel vuarũ guttis: ita sanguis Christi constat ex purissimis sanguinibus. B. Virginis, & sicut quælibet pars vini vinum est, ita quælibet pars sanguinis Christi sanguis est. Item sicut vinum corporaliter inebriat, ita sanguis Christi spiritualiter iuxta illud psal. 22. Calix meus inebrians, quam præclarus est.

D. Ambros. Quarto obser. est, quod cum iuxta D. Ambros. de sacramentis prout refertur de cons. d. 2. omnia quæ fuerunt in vtero Virginis sint in hoc sacramento, vt etiam prolixe do-*D. Anselm.* cet. D. Anselmus in lib. Cur Deus homo; sub speciebus panis ex vi verborum, quę mentionem faciunt de ipso, primo, & immediate est corpus Christi. Secundo sanguis ex concomitantia immediata. Tertio anima ex concomitantia mediata, quia anima non informat corpus nisi mediantibus dispositionibus necessario requisitis, inter quas est sanguis. Quarto est ibi diuinitus ex cõcomitantia remota: quia qualem ordinem illa habent in Christo, talẽ habẽt in hoc sacramento; sed magis immediate inest sanguis corpori, quã anima; & anima quã diuinitas. Ista met eadem sunt etiam in calice, seu sub speciebus vini, sed non eodem ordine: quia ibi ex vi verborũ est sanguis: secundo ex immediata concomitantia corpus; tertio anima rationalis ex concomitantia mediata: quarta diuinitas ex concomitantia remota.

Ex his patet Eucharistiæ definitio, cuius aliquæ particulæ quæ similes sunt cum alijs positis in definitione Baptismi, & Confirmationis eodem modo sunt intelligendæ, quemadmodum in definitione baptismi sunt explicatæ: reliquas vero, quæ sunt isti sacramento speciales ita explico. Prima est, quod Eucharistia est signum corporis, & sanguinis Christi contenti sub speciebus panis, & vini. hic tangitur primum, & immediatum signatum huius signi. s. corpus Christi verum, & sanguis eius, dicitur sub speciebus panis & vini: non sub alijs; quia panis & vinum: eo modo quo dicetur infra sunt propinqua materia consecrationis huius sacramenti; & istorum accidentia manent facta transubstãtiatione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, sub quibus accidentibus: quæ hic species appellantur, veraciter, & realiter existit, & continetur corpus, & sanguis Christi. Dicitur post consecrationem factam à sacerdote; ex quo patet, quod solus sacerdos potest hoc sacramentum conficere ex institutione diuina, & nullus non sacerdos hoc pũt. Dicitur sub certis verbis prolatis: ex quo sequitur, quod verba determinata sunt necessaria. Dicitur cum debita intentione: quia sacerdos sine actuali, vel saltem virtuali intentione non consecrat. Dicitur postremo ex institutione diuina, &c. Quia solus Deus potest sacramenta instituere, vt dictum est d. 1. q. 3.

Quinto obser. est, ex Scoto in hac q. sub lit. A. §. De secundo dico, quod hæc definitio nõ est ratio in se falsa, quia nulla eius pars alteri repugnat. Possibile est enim sine contradictione corpus Christi contineri sub specie panis, & eius sanguinem sub specie vini, vt hic supponitur declarandum postmodum, d. 10. est etiam possibile talia signa esse à Deo instituta ad veraciter signandum talia signata sub eis contineri, illud enim quod Deus facere potest, similiter etiam potest significare per aliquod signum sensibile à se impositum, ex quo infertur prædictæ definitioni subesse aliquod reale, ideo aliquid cui esse non repugnat. *Scotus.*

Quod vero aliquod reale effectualiter subsit præassignatæ definitioni, & per consequens vera sit, probatur authoritate, & ratione; authoritas habetur Matth. 26. vbi legimus Christum Dominum post cœnam hoc sacramentum instituisse, vt sub speciebus panis, & vini, verũ corpus eius, & verus sanguis veraciter contineretur, non pro tunc solũ; quando ipsemet Christus hoc sacramentum confecit sub illis speciebus sic contineretur: sed vt postea similiter conficeretur à sacerdotibus in ecclesia hoc sacramentũ, & ad quod & authoritatẽ prestare dignatus est dicens Apostolis. Hoc facite in meam commemorationem. Idemque habetur Lucæ 22. & 1. Cor. 11. vbi D. Paulus diffuse determinans de modo perceptionis, & consecrationis huius venerabilis sacramenti, inter alia dicit. Panis quem frangimus, nos videlicet sacerdotes, non ne participatio corporis Domini est? vbi etiam ait hoc sacramentum perpetuum in ecclesia esse futurum. Quotiescumque, inquit, panem hunc manducabitis & calicem bibetis mortem Domini annũciabitis donec veniat. s. ad iudicandum viuos, & mortuos; ideoque vsque ad mundi consummationem durabit Ecclesia militans, & sanctissimum Eucharistiæ sacramẽtum in ea, sicuti & omnes sancti tenent, & docent.

Secundo probatur ratione: quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, & per sensibilia excitamur ad intelligibilia, & per corporalia ad spiritualia, ergo congruentissimum fuit à Christi institui hoc sacramentum, vt ipse Christus esset nobiscum in huiusmodi signo sensibili, quatenus quilibet fidelis hoc ipso efficacius, & deuotius ad Christi amorem, & reuerentiam excitetur, simul & ad feruentiorẽ gratiarum actionem pro tantis beneficijs susceptis. Quod quidem reuerentia piorum ostendit tam veterum, quam superstitum. Quasi enim (vt inquit Scotus) omnis ecclesiæ deuotio ad hoc venerabile sacramentum ordinem habet. Clericus namque propterea mainrt cum deuotione ac diligentia diuinum persoluit officium, à secularibus abstinet rebus, quando Missam est celebraturus. Populus etiam similiter Missam deuotius audit, quam aliquod aliud ecclesiasticum; Propterea que pariter singuli catholicorum maiori cum diligentia sua confitentur peccata, quando iuxta ecclesiæ præceptum saltem semel in anno hoc venerabile sacramentum suscipere intendunt.

Præterea congruentissimum est post generationem spiritualem, qua per baptismum regeneramur, conferre nobis etiam spirituale nutrimentum sub specie corporalis nutrimenti. Pręcipuum vero corporis nutrimentum in pane, & vino consistit, iuxta illud psal. 15. & panis cor hominis confirmet, & rursus, & vinũ lætificet cor hominis; ergo in hoc venerabili sacramento congruentissime corpus, & sanguis Christi nobis confertur sub speciebus panis, & vini, quoniã quodlibet nutrimentum est corporale.

Præterea tertio congruum fuit, quod tale signum sensibile, sub quo Deus voluit se nobis conferre, haberet ordinẽ ad aliqua verba proferenda à certo ministro, vt sic nobis constaret, quando sub tali signo Christus Dominus esset, & quando non; aliter nos lateret, atque ita deuotio, & reuerẽtia huic sacramẽto debita deficeret apud fideles; fuit etiam congruum eum ministrum, per cuius actum ministerialẽ Christus in hoc sacramento incipit esse nobiscum, gradum excellentem habere in ecclesia; sacerdotij videlicet, & presbyteratus propter maximam huius sacramenti excellentiam.

His

Digitized by Google

Conclusio. His obseruatis respondetur ad quæst. vnica conclusione, quæ est talis. Eucharistia est sacramentum nouæ legis. hæc conclusio est de fide, quam probat Scotus in hac quæst. sub lit. B. §. De tertio, tali ratione. Eucharistia est signum veraciter repræsentans ex institutione Christi Domini effectũ Dei gratuitum, id est, corpus & sanguinem Christi esse sub speciebus panis & vini; ergo est sacramentum nouæ legis: probatur consequentia: quia gratia in definitione sacramenti; non solum accipitur pro gratia accidentali, & inhærente, sed etiam pro effectu Dei gratuito, siue pro gratia subsistente.

Secundo probatur Conclusio ex scriptura, quæ licet non eisdem verbis, rem tamen ipsam satis aperte docet Mat. 26. & Luc. 22. continetur visibilis cæremonia, & significatio, & præceptum Christi. Hoc facite in meam commemorationem; & Ioan. 6. continetur gratiæ promissio. Qui manducat hunc panem viuet, &c.

Tertio hæc cõclusio definita est in cap. Firmiter, de summa Trinit. & in cap. Cum Marthę, de celebrat. missarum, & in cap. Ad abolendam de hæreticis, vbi definitur hæreticum esse illum, qui aliter senserit de sacramentis ecclesiæ, quam ecclesia Romana sentit & docet. Sed ecclesia Romana perpetuo sensit, & docuit Eucharistiam esse verum ecclesiæ sacramentum, ergo, &c.

Item definitur ista veritas in Decreto de consecr. d. 2. in Conc. Flor. multis cap. & decretis, & demum Concil. Florent. in decre-
Conc. Trid. to Eugenij pro instructione Armenorum; & in Conc. Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 13. per totam, & sess. 21. per multa capitula. Quæ veritas adeo semper fuit persuasa in ecclesia: quod etiam hæretici illi, qui vnum, vel ad summum duo sacramenta admittunt in ecclesia fatentur primum, & pręcipuum sacramentum esse Eucharistia. Vnde Lutherus in libro de captiuitate Babylonica cum cætera omnia sacramenta negauerit admisit Eucharistiam esse sacramentum. imo
Gabriel Prateolus. Mahometes referente Gabriele, Prateolo lib. 11. de vitiis hæreticorum tit. 3. num. 16. Eucharistiam non aboleuit, sed in Deum authorem retulit. Et si enim negaret esse in recordationem mortis Domini, quem blasphemat non Crucifixũ, nec mortuum, tamen tantam in ea esse vim ait. cap. 4. Alcorani, vt confirmentur in fide, & bonis operibus, quotquot de ea gustant: & sine remedio quoque esse damnatos, qui postquam de ea comederunt, impij facti sunt.

Ad rationes dubitandi respondetur, & ad primam dicit Scotus, qđ gratia est duplex, vna subsistens altera accidẽtalis siue inhærẽs; prima est corpus Christi, siue Christus ipse; secũda est gratia habitualis animæ inhærens. Vnde licet Eucharistia non sit primo signum gratiæ habitualis, est tamen primo, id est, immediate signum gratiæ subsistentis, scilicet corporis Christi.

Dico secundo, qđ maior non est vera de omni sacramento absolute accepto, sed bene verum est de sacramento suscepto, vel in sua receptione; & sic Eucharistia confert gratiam ipsi suscipienti.

Dico tertio, qđ Eucharistia causat gratiam non habitualem gratum facientem, sed donum aliquod Dei gratis datum. s. præsentiam corporis Christi sub speciebus, & trãsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinẽ Christi.

Ad secundam inquit Scotus, quod argumentum faceret bonam difficultatem contra Thomistas dicentes sacramenta esse causas physicas, & naturales gratiæ: sed contra Doct. sub. ponentem sacramenta esse tantum causas morales gratiæ, argumentum non concludit; Vnde illa propositio, sacramenta efficiunt, quod significant sic est intelligenda, id est, si quid significatur per sacramenta nouæ legis tanquam per signa efficacia, tanquam per causas morales efficitur, id est, sacramenta, nouæ legis efficaciter significant effectum adeo quod ipsis positis tanquam causis moralibus mouentibus ipsum Deum ex pacto, infallibiliter sequitur effectus, nisi indispositio suscipientis impediat. Sacramentum ergo si aliquid significat fieri; illud per sacramentum tanquam per signum efficax fit; quemadmodum contingit in sacramentis, quæ in vsu consistunt; si autem significat aliquid esse, sicut contingit in hoc sacramento, quod est permanens, illud per sacramentum tanquam per signum verax est. Nam sicut Deus instituit assistere signo sensibili ad gratiam conferendam in sacramentis successiuis; ita instituit assistere per consecrationem speciebus panis, & vini, vt sub eis præsentialiter contineatur corpus, & sanguis Christi. Et ideo cum dicitur. Nulla virtus finita potest agere ad esse corporis Christi in sacramento; Concedo proprie loquendo de actione physica, potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitæ esse dispositio immediata hoc est causa moralis ad esse corporis Christi ibi; non à se, sed à Deo assistente ibi, & hoc modo instituit istas species, vt post consecrationem assistat eis, tanquam causis moralibus ipsum mouentibus ad efficiendam hanc præsentiam corporis Christi.

Ad tertiam dicit Scotus, quod non omnia sacramenta habent verba pro forma, sed tantum sex, quæ in fieri, & in vsu consistunt. Sacramẽtum vero Eucharistia, quia est permanens: non habet aliqua verba pro forma, cum verba sint successiua; tamen ipsa consecratio sacramenti cum cõsistat in fine aliqua verba pro forma requirit; quæ non est forma sacramenti, sed consecrationis sacramẽtalis: atque adeo possunt dici verba sacramentalia: quia pertinentia ad hoc sacramentum tanquam forma cõsecrationis illius, quæ quidem consecratio inceptio est sacramenti: non dicuntur tamẽ verba consecrationis sacramentalia verba, sicut verba formæ baptismi: quæ ideo sacramentalia appellantur: quia sunt forma ipsius sacramenti baptismi. Vnde iuxta hanc responsionem non est de ratione sacramenti, vt essentialiter, & intrinsece constet rebus, vt materia, & verbis vt forma; sed solum vt rebus, & verbis conficiatur quacumque ratione, quod in hoc sacramento seruatur solum: quia verba sunt necessaria ad conficiendum hoc sacramentum per modum formæ extrinsece efficientis.

Et hanc Scoti sententiam sequuntur Gabriel hac d. q. 3. art. 1. notabili 3. & lect. 38. in can. Bassolus hac d. q. 1. Victoria in summa de sacramentis, num. 72. Ledesma q. 14. art. 1. dub. 2. Catharinus opusculo 2. de verbis quibus Christus consecrauit. Claudius repetitione 4. cap. 12. & Alanus, lib. 1. de Eucharistia, cap. 3. 4. & 5. & potest hæc sententia optime suaderi ex Concil. Florent. quod primũ in genere loquens non dicit omnia sacramenta constare ex materia, & forma; sed omnia tribus perfici materia, forma, & ministro; ex quo solum habetur illa tria esse necessaria; non vero essentialia; vt de ministro dicere necesse est. Statim vero loquens in specie de hoc sacramento, dicit materiam esse panem, & vinum formam autem verba; constat autem illa materiam non esse intrinsecam, & essentialem sacramento in facto esse, sed solum esse materiam remotam, & quasi terminum à quo necessarium in fieri; ergo eodem modo poterit dici forma sacramenti in fieri, non vero constituens illud intrinsece in facto esse. Vnde inferius idem Concilium dicit hãc esse formam, qua conficitur sacramentum, & in hunc sensũ exponendi sunt Patres, qui dicunt verba esse huius sacramenti formam, est ergo hæc forma efficiens non informãs hoc sacramentum.

Gabriel. Bassolus. Victoria. Ledesma. Catharinus. Claudius. Alanus. Conc. Flor.

Si autem quæras, quæ sit forma huius sacramenti; dicit Scotus, quod ipse species sunt materia, id est, proximũ fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale. Et si dicas, quandocumque in aliquo sacramento concurrunt plura signa sensibilia, tunc vnum debet assignari tanquam materia, & aliud tãquam forma, & id quod est prius & determinabile habet rationem materiæ: id vero, quod est posterius, & determinatiuum habet rationem formæ, ergo videtur quod ita sit in hoc sacramento. Respõdet Scotus, quod non est hic aliud tanquam materia, nec aliud tanquam forma, sicut in alijs sacramentis, vt in sacramẽto baptismi aqua se habet vt materia: quia prior, & determinabilis; & verba tanquam forma, quia posteriora, & determinatiua; & ratio est, quia hoc sacramentum est permanens, atque adeo non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere. In quocumque autem sacramẽto distinguitur materia, & forma, signum sensibile dicitur esse materia, verba vero forma.

ARTICVLVS II.

Vtrum Eucharistia sit vnum sacramentum vel plura.

PRo explicatione tituli obser. est, quod in præsenti dubitatione comparantur species panis, ad species vini, & quęritur vtrum Eucharistia quatenus constat ex istis speciebus sit vnum sacramentum.

Secundo obser. est, quod non quęrimus de vnitate sacra-

menti

Digitized by Google

menti huius, quantum ad esse entitatiuum, res enim est cõstans, quod sunt multa entia in Eucharistia; sed secundum vnitatem sacramentalē vulgatum n. est quod ea, quæ sunt multa in vno genere, possunt esse vnũ n. in alio genere. Vnde quærimus an omnia entia, quę in genere entis sunt multa in Eucharistia, in genere signi sacramentalis sint vnum.

Tertio obser. est, quod possibile est plura sensibilia concurrere in fundamento vnius sacramenti simpliciter, vt supra in tractatu de baptismo dictum est de ablutione, & verbis in fundamēto relationis sacramenti baptismi: quamuis in illo fundamento neutrum per se illorum sine altero sit aliquid sacramenti baptismi. In hoc autem venerabili sacramento, & species panis continent suum significatum sine speciebus vini, & è conuerso.

Quarto obser. est, quod corpus Christi præcise sumptum quatenus præcisè includit partes animatas, vel animabiles anima ipsius Christi Domini, contra sanguinem distinguitur, qui non est animatus nec animabilis, nec est caro licet sit in proxima dispositione ad carnem; & hoc modo corpus est essentialiter aliud à sanguine, & in se etiam potest esse aliud signatum, ac proinde potest esse proprium signũ illius, sicut est propria definitio: atque ita per se primo significatur per species panis, & sanguis per species vini, licet totum contineatur de facto sub vtraque specie per concomitantiam. Alio modo potest accipi corpus Christi vt dispositum ad animam, & includens omnia ad animationem requisita ad ipsum pertinentia, siue sint partes organicæ animatæ, vel animabiles, siue non; siue aliqua in ipso contenta huiusmodi, vt sunt humores, & alia, & sic includit sanguinem, nec vt sic per se primo continetur sub speciebus panis, licet viuente Christo, & corpore eius animato, omnia ibi contineantur.

Quinto obser. est, quod quamuis corpus vt consideratur distinctum à sanguine, & sanguis sint diuersæ res per diuersa signa, & seorsum illis propria signatæ, nimirum corpus per species panis; & sanguis per species vini, nihilominus tamen vnum signatũ constituunt. s. corpus ipsius Christi acceptum ea ratione, qua complectitur omnia, quæ ad totum corpus organicum, & perfectum pertinent, quæcũque illa sint, caro vel sanguis, vel alij humores, vel vitales spiritus; quod quidem signatum vnum est vnitate integritatis; & eadem vnitas adscribenda est ipsi signo, vel sacramento, id est, ipsis speciebus panis, & vini, & per consequens dicendum est non plura, sed vnum esse sacramentum Eucharistia.

Postremo obser. est, non esse opinionem apud Theologos an Eucharistia prout constat ex duabus speciebus aliquo modo sit vnum sacramentum: id enim tenentur fateri omnes quoniam ecclesia Eucharistiam appellat vnum sacramentum, tota ergo præsens difficultas est, an simpliciter sit vnum sacramentum.

Glossa. Gabriel. His obseruatis dico, quod de hac re fuit opinio Glossæ de consec. d. 2. cap. Comperimus, & Gabrielis in 4. d. 8. q. 2. Qui dicunt quod Eucharistia est simpliciter plura sacramẽta, & vnum secundum quid. Fundamenta Gab. sunt: quia species panis, & vini sunt simpliciter plura sacramenta, ergo non sunt simpliciter vnum sacramentum, probatur sequela: quia vnum, & multa opponuntur priuatiue: atque adeo repugnant in eadem re secũdum eamdem rationem. antecedens probatur. species panis seorsum considerata est simpliciter sacramentum; & species vini seorsum sumpta, est etiam sacramentum, & vnum sacramentũ nõ est aliud; nam species panis non est species vini, ergo sunt simpliciter duo sacramenta. Maior probatur ex Conc. Trid. sess. 21. c. 2. vbi definit, quod cum fideles sumunt species panis, sumunt integrum Christum, & verum sacramentum: Nam quod est verum sacramentum, est simpliciter sacramētum, sicut verus homo est simpliciter homo; eadem autem ratio currit de specie vini, ergo, &c. & confirmatur in specie panis reperitur vera forma, & vera materia, distincta à forma, & materia quæ est in specie sanguinis, ergo species panis seorsum sumpta & est simpliciter sacramentum, & distinctum à sacramento quod est species vini.

Secundum fundamētum est, species panis seorsum sumpta iuxta sententiam valde probabilem confert tantam gratiam, quantam conferunt ambæ species simul sumptę, ergo est simpliciter sacramentũ Eucharistiæ; imo integrũ sacramentũ, cũ conferat integrũ effectũ sacramēti Eucharistiæ.

Tertium fundamentum est, si istæ duæ species sunt vnũ sacramentum in genere signi, sequitur ergo quod est in illis vnica significatio per quam constituantur in ratione signi simpliciter; consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia patet, & falsitas consequentis probatur: quia in sacramento Eucharistiæ non est aliquod vnum in quo fundetur vnitas significationis: Nam materia non est vna: species enim panis, & vini, quæ sunt materia denominata à significatione non habēnt vnitatem; formæ similiter in se sunt diuersæ: Nam forma specierum panis sunt illa verba. Hoc est corpus meum, forma specierum vini sunt illa verba. Hic est calix sanguinis mei, &c. ergo non reperitur aliquod fundamentum in Eucharistia, in quo fundetur vnitas significationis.

Et confirmatur ex Arist. 4. Met. t. c. 10. qđ non vnũ significat, nihil significat. sed Eucharistia non est vnum signum, neq; significat vnũ sacramentũ, ergo non est vnũ sacramentum, sed plura. Minor probatur; quia aliud signum est species panis; & aliud signum est species vini. & cuilibet horũ signorum correspondet proprium significatum: quia significatũ proprium speciei panis est corpus Christi. at sanguis est proprium significatum speciei vini.

His tamen non obstantibus est prima conclusio. Eucharistia est simpliciter vnum sacramentum vnitate. s. specifica in specie atoma simplici, & perfecta. Asserunt hanc conclusionem vniuersi Theologi Scholastici, Alex. de Ales, p. 4. q. 10. m. 3. art. 1. D. Tho. p. 3. q. 73. ar. 2. D. Bonauē. hac d. p. 2. art. 2. q. 2. Richar. art. 1. q. 2. Duran. q. 1. ad 2. Scotus in hac q. sub lit. B. §. De vnitate, &c. Aureolus q. 1. art. 2. Bassolus q. 1. ar. 1. & Rubion. q. 1. ar. 2. & probatur primo. Nam Cõcilia Florent. & Trid. locis citatis definiunt septem esse Ecclesiæ sacramenta, vnum ex quibus dicũt esse Eucharistiā; & definitio Conciliorum accipienda est simpliciter & non secundum quid: Nam si Eucharistia simpliciter est duo sacramenta, & vnum secundum quid; potius debuissent Cõcilia definire esse octo sacramenta: quia illud est simpliciter verum; quod autem sint septem, esset verum secundum quid. 1. Conclusio. Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richard. Durandus. Scotus. Aureolus. Bassolus. Rubion. Conc. Flor. Conc. Trid.

Confirmatur. Nam sancti Patres & multa Concilia prouincialia grauissima loquuntur quam sæpius de Eucharistia tanquam de vno sacramento, vt patet ex cap. Nõ oportet, & ex cap. In sacramento, & ex alijs decretis de cons. d. 2. ergo non erit satis tutum asserere contrarium nostræ conclusionis, quia recedemus à cõmuni modo loquendi Conciliorum, & Patrum. Scotus in hac q. ante lit. D. & D. Thomas in 4. d. 8. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. & in 3. p. q. 73. art. 2. assignant rationem vnitatis huius sacramenti ex integritate vnius refectionis spiritualis, quæ debet fieri per cibum & potum proportionabiliter ad corporalem refectionem. Cum ergo Eucharistia quatenus constat ex duabus speciebus hanc integram refectionem, & significet, & efficiat, erit simpliciter vnum sacramentum, sicut & ipsa refectio quatenus fit ex cibo, & potu est simpliciter vna refectio. Scotus. D. Thom.

Præterea probatur conclusio. Christus Dominus instituit has duas species, vt essent partialia signa constituentia vnum signum repręsentatiuum spiritualis conuiuij, seu nutritionis, ergo ex his duabus speciebus componitur vnum signum simpliciter. probatur consequentia: quia partes, quę ex sua natura sunt partes constitutiuæ alicuius compositi simpliciter, componuntur; antecedens declaratur: quoniā integra, & cõpleta corporis nutritio integratur aliquo vno vnitate integritatis nõ vnitate indiuisibilitatis, videlicet ex alimento, quod ex cibo constat, & potu; neque enim cibus sufficiēter nutrit sine potu, sicuti neque potus sine cibo; igitur quamuis hoc sacramentũ nõ sit tam vnum quā est res indiuisibilis, est tamen vnum in suo genere, in genere. s. nutrimenti spiritualis, atque conuiuij. Cum enim iuxta Arist. sent. 5. Met. t. 7. vnum dicatur tripliciter, videlicet indiuisibilitate, vt Angelus, & punctus, continuitate, vt linea, & perfectione vt domus: quæ licet sit plura in genere substantiæ est tamen vna vnitate formæ, in genere qualitatis; ita hoc venerabile sacramentum est vnum perfectione, & integritate, ad cuius integritatem omnia concurrunt, quæ ad eius finem sunt necessaria; ordinatur enim ad vnam refectionem similem corporali; quæ ex cibo sicco, & humido potu constat; ergo ex duplici specie constare debuit, panis scilicet, & vini; sub quibus realiter continetur corpus, & sanguis Christi, iuxta illud Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & Arist.

Digitized by Google

bus, & sanguis meus vere est potus; ideoque non plura, sed vnum est sacramentũ. Vnitas. n. sacramenti: quia est signũ, sumitur ab vna significatione, quæ ex duabus consecrationibus, & speciebus panis, & vini resultat, per quas vnica refectio significatur, cuius integritas constat ex cibo & potu, & hæc est tam proprie vnitas formaliter in genere signi, quam vnitas lineæ in genere continui; quamuis materialiter resultet ex pluribus; sicut etiam domus in genere suo proprie est vna, & confirmatur ex cap. Comperimus supra citato, vbi Pontifex duas species sacramẽtales seorsum sumptas appellat sacramenta non integra. Sic. n. ibi legimus: Cõperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo sacri corporis portione, à calice sacri Cruoris abstineãt, qui procul dubio, (quoniam nescio qua superstitione docẽtur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grãdi sacrilegio non potest prouenire; ergo ex sua ratione sunt partes integrantes vnum totum sacramentum; atque adeo neutra harum specierum seorsum sumpta est integrum & totum sacramentum Eucharistiæ.

2. Conclusio. Secunda conclusio. In neutra harum specierum saluatur simpliciter essentia sacramenti Eucharistiæ. Statuo hanc cõclusionem contra quosdam Theologos asserentes, quod in sola specie panis saluatur simpliciter essentia sacramenti Eucharistiæ; species autem vini pertinere solum ad integrale complementum huius sacramenti; sicut brachium pertinet ad complementum integrale corporis humani; & afferunt exemplum in sacramento pœnitẽtiæ in quo satisfactio est pars pertinens tantum ad complementum integrale illius sacramenti, & non ad essentiam. Cæterum probatur nostra conclusio: primo conuiuium corporale essentialiter cõstat ex cibo, & potu: nam vtrumque per se requiritur ad refectionem huiusmodi corporis saltem secundum communẽ omnium existimationem, cui debuit accomodari institutio huius sacramenti; quicquid sit de hac re physice loquendo; ergo hoc sacramentum quod est conuiuium spirituale proportionatum corporali conuiuio, per se & essentialiter constat ex vtraque specie, quarum altera repræsentatur, & confertur cibus animæ, altera vero potus spiritualis: atque adeo in neutra harum specierum seorsum saluatur simpliciter essentia huius sacramenti.

Secundo probatur: Nam ex opposita sententia sequitur manifestè, quod species vini non poterit consecrari, ita vt factum teneat, nisi præsupposita cõsecratione speciei panis; consequẽs à nullo Theologorum admittitur, ergo, &c. probatur consequentia. pars quæ pertinet ad integritatem alicuius essentiæ præsupponit necessario ipsam essentiam, vt patet in partibus integralibus humani corporis, & constat in exemplo adducto de satisfactione: nam nisi præsupponatur essentia sacramenti pœnitentiæ satisfactio non poterit esse sacramentum, neque vnum effectum sacramentalẽ præstabit. Ex his ergo sequitur, quod quando Scot. in hac q. docet, quod caro & sanguis Christi pertinent ad integritatẽ huius sacramenti, non loquitur de quacumque integritate, sed de integritate essentiali.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Quælibet species huius sacramenti seorsum considerata est simpliciter sacramentum, non tamen integrum, & perfectum; secunda pars conclusionis manifeste colligitur ex præcedentibus; prima vero probatur ex primo fundamento pro opinione Gab. & potissimum illã confirmat definitio Concilij Trident. ibi posita, & ponderata. Secundo probatur hæc pars; quælibet species seorsum considerata est signum rei sacræ simpliciter nos sanctificantis: Nam species panis est signum gratiæ sanctificantis nos per modum spiritualis cibi, quæ sanctificatio est sanctificatio simpliciter; & species vini est signum gratiæ sanctificantis nos per modum spiritualis potus, quæ est etiam sanctificatio simpliciter: sanctificatio enim quæ fit per gratiã est sanctificatio simpliciter; ergo quælibet species per se sumpta est simpliciter sacramentum: nam simpliciter competit illi sacramenti definitio.

Ad fundamenta alterius sententiæ respondetur. Ad primum dicunt quidam, quod istæ duæ partes Eucharistiæ sunt simpliciter duo sacramenta specie distincta si seorsum considerentur, si autem sumantur vt sunt intra totam Eucharistiam, quasi partes eius, constituunt simpliciter vnum sacramentum; sicut duæ propositiones categoricæ sunt simpliciter duæ propositiones specie distinctæ, & tamen constituunt simpliciter vnam hypotheticam. Sed hæc responsio stare non potest. primo quia iuxta illam absolute, & simpliciter est concedendum, quod Eucharistia est duo sacramenta, sicut conceditur, quod duæ propositiones categoricæ etiam quando sunt intra hypotheticam, sunt simpliciter duæ propositiones categoricæ. at concedere Eucharistiam esse simpliciter vnum sacramentum; quod & concedunt isti nobiscum, & simul concedere esse duo sacramenta simpliciter est manifestà repugnantia. Secundo, quia iuxta hanc sententiam tenemur admittere, quod quælibet species huius sacramenti est sacramentum simpliciter integrum; sicut quælibet categorica est simpliciter integra propositio: oppositum autem determinatur in cap. Comperimus supra relato, vbi duæ species Eucharistiæ appellantur sacramenta non integra. Tertio denique quia est impossibile quod duæ species constituant simpliciter vnã tertiam speciem in eodem genere proximo. Ergo si species panis, & vini, sint simpliciter duæ species in genere sacramenti, est impossibile, quod constituant vnam speciem simpliciter in eodem genere sacramenti. Neque satisfaciunt dicentes, quod istæ duæ species concurrunt materialiter ad constituendam illam tertiam speciem sacramenti. Tum quoniam hoc contendimus esse impossibile, quod duæ species alicuius generis sint per se loquendo propria materia alterius speciei eiusdem generis proximi: nam tunc illud genus nõ participaretur æqualiter in suis speciebus quod est contra naturam generis. Tum etiam quia vtraque pars huius sacramenti formaliter concurrit ad constituendum integrũ sacramentum Eucharistiæ: vtraque enim concurrit ratione suæ formalis, & peculiaris significationis. Illud autem simile de duabus categoricis non habet locum in præsentia: nam prætermissis alijs, quæ spectant ad logicam respondetur, quod categorica non est in eodem genere proximo cum hypothetica; partes autem Eucharistiæ locantur in eodem genere proximo cum tota Eucharistia.

Dico ergo ad argumentum, quod istæ duæ species Eucharistiæ, quamuis vtraque sit simpliciter sacramentũ, non tamen sunt simpliciter duo sacramenta; sed duæ partes vnius sacramenti, sicut duæ partes corporis humani sunt simpliciter duæ partes, non tamen simpliciter duo corpora: quoniam quod aliqua sint duo simpliciter necesse est, quod sint duo entia completa. Quocirca in ista propositione species panis, & species vini, sunt simpliciter duo sacramenta, si dictio simpliciter cadat tãtum super rationem genericam sacramenti, vera est propositio, cæterum quia etiam cadit super pluralitatem quam importat illa dictio duo, neganda est ista propositio Argumentum ergo probat tantum esse duas partes, quarum vna non est alia. Ad confirmationem dico, illa tantum probari has duas species Eucharistiæ non esse multa pure materialiter; sed quodammodo formaliter, sicut diximus.

Ad 2. respondent quidam Theologi quod quamuis in ratione signi, quæ est formalis ratio sacramenti neutra species seorsum habeat perfectam, & integram rationem sacramenti Eucharistiæ, secus tamen est in ratione principij effectiui gratiæ: qua vtraque species sumpta seorsom producit totum & integrum effectum sacramenti Eucharistiæ. Cæterum eodem modo loquendũ est de Eucharistia, & partibus eius in ratione principij effectiui gratiæ, & in ratione signi. Vnde ad argumẽtum admissa probabilitate illius opinionis; respondeo quod sola species panis, si consideretur ex ui sacramenti, & ex vi significationis sacramẽti, non habet conferre tantam gratiam, quantam confert vtraque species; sed si confert tantam gratiam, vt docet probabilis opinio, illud est quasi per accidens ad rationem huius sacramẽti, propter realem concomitantiam sanguinis ad corpus, quæ concomitantia per accidens se habet ad species panis considerata ratione formali huius sacramenti. Nam si in triduo mortis Christi consecraretur Eucharistia, species panis eamdem rationem sacramentalem haberent, quam habet modo, & tamen sub specie panis non contineretur tũc sanguis Christi, sed solum corpus, & ex consequenti non conferret gratiam quæ respondet sanguini.

Ad 3. negatur cum Alex. vbi supra consequentia: Nam vnitas formalis huius sacramenti, & significationis eius ex tribus desumitur, ex institutione Christi, qui instituit has duas species per ordinem ad vnum totale sacramentum; ex vnitate effectus. s. ex vnica spirituali refectione, quæ *Alexan. de Ales.*

Digitized by Google

per se expostulat duplex alimentum, cibum s. & potum; & ex vnitate finis, nempe ex vnica passione Christi repræsentata per vtramque speciem simul, refectio etiam spiritualis, quæ ut dixi est effectus Eucharistiæ, habet etiam rationem vnius finis, ex quo desumitur vnitas Eucharistiæ.

Richardus. Ad confirmationem respondet Richar. hac d. ar. 1. q. 2. ad primum, dicens quod quamuis species panis, & vini, sint plura signa, tamen ex his integratur vnum completum signum ad quod significandum dicit D. Greg. in quadam collecta. *D. Greg.* Perficiant in nobis Domine tua sacramenta, quod continent, ad significandum plures partes huius sacramenti; & in alia dicit; vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, &c. ad significandum quod ex illis vnum integrum constituunt signum.

Contra nomina synonyma sunt alia, & alia nomina; sunt etiam plura signa non obstante quod idem significent: quia sunt ibi plures voces impositæ ad significandum, vt ensis, & gladius, ergo à simili, cum hæc sint aliæ, & aliæ species significantes, erit aliud, & aliud sacramentum. Respondet Richard. vbi supra, quod plures voces significantes plura sunt nomina: quia nominis forma non est res significata, sed significatio, quæ in pluribus vocibus pluralificatur, quamuis respectu vnius rei, nec sunt ordinatæ ad simul significandum illam rem; quia qualibet per se complete significat eam, aliter non possent vere dici plura nomina; sed species panis, & vini institutę sunt ad simul significandum, tanquam vnum integrum signum vnam rem non contentam s. corpus Christi mysticum, & vnam contentam s. corpus, & sanguinem Christi verum & vnum effectum s. gratiam, vel specialem refectionem animæ, & ideo non est simile de pluribus nominibus synonymis, & istis speciebus. Verum quia hæc responsio non videtur tollere difficultatem, ideo aliter respondens Scotus dicit, quod sacramentum Eucharistiæ est vnum non vnitate indiuisibilitatis, sed vnitate integritatis, ordinis, & significationis vnius completæ, & perfectæ refectionis, vt dictum est supra.

ARTICVLVS III.

Vtrum species panis, & vini hoc ipso quod discontinuæ sunt dici debeant plura sacramenta.

IN hoc art. est sermo de speciebus eiusdem rationis: Nam de speciebus panis, & vini inter se collatis iam dictum est; itaque quęritur quomodo vnitas numerica huius sacramenti sumenda sit, quæ difficultas est de modo loquendi.

Est autem de hac re triplex dicendi modus. Primus dicit tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt species seu hostiæ consecratæ diuisæ, & discontinuæ. Probatur: quia species sunt sacramentum, ergo species numero distinctæ; sunt sacramenta numero distincta. Secundo, quia quælibet illarum in sua specie habet totam significationem sacramenti, & non est pars alterius, ergo est integrum sacramentum distinctum ab alio. Tertio, quia non apparet aptior modus distinguendi numero hæc sacramenta.

Sed huic sententiæ videtur obstare communis modus loquendi & sentiendi: Nam sacerdos qui accipit hostiam diuisam in tres partes non censetur accipere tria sacramenta: neque illa hostia censetur esse plura sacramenta magis post diuisionem, quam antea. *Conc. Flor. Conc. Trid.* Vnde Conc. Flor. in Armenorum instructione, & Trid. sess. 13. can. 3. dicunt in hoc sacramento contineri totum Christum sub vnaquaq; specie, & sub singulis speciei partibus separatione facta; sentiunt ergo etiam post separationem esse vnum sacramentum, & partes diuisas esse partes vnius sacramenti. Et confirmatur: Nam qui duas particulas accipit cum communicat, vnum, & non duo sacramenta censetur accipere, alias etiam duos gratiæ effectus susciperet, & si in peccato mortali eas reciperet bis lethaliter peccaret. Nam si sacramenta essent duo, etiam sumptiones essent duæ, ergo & effectus sacramentorum, & peccata essent duo, quia quod simul concurrant non impedit effectum; vel certe si illa censetur vna moralis sumptio, etiam sacramentum censebitur vnum, non obstante discontinuatione specierum.

Secundus modus dicendi est, vnitatem huius sacramenti non pendere ex physica continuatione, sed ex morali coniunctione specierum: ita ut omnia illa, quę per modum vnius proponuntur, vel tribuuntur, vnum sacramentum censeantur, etsi non sint continua physice; ita sentit Scotus hac d. q. vni. ar. 2. Potest autem hic modus dicendi explicari metaphora conuiuij: Nam sicut vnum conuiuium licet rebus diuersis constet, ita etiam est vnum ferculum, seu vna portio, licet partes illius discontinuas esse contingat; ita iuxta hanc sententiam partes hostiæ diuisæ sunt vnum sacramentum; & similiter omnes particulæ in eadem pyxide existentes appellari possunt vnum sacramentum, donec fiat distributio. Vnde plura sacramenta erunt, quæ moraliter sunt distincta seu disiuncta; vt cum distinctis personis distinctæ hostiæ distribuuntur, vel omnino alias separatæ sunt vel disiunctæ. Contra quemadmodum dicendum solum video posse obstare, quod iuxta illam nulla certa regula huius vnitatis vel multitudinis præscribitur; sed vniuscuiusq; fere arbitrio relinquitur.

Tertius dicendi modus esse potest, totum hoc sacramentum esse vnum numero, & omnes species consecratas vbicumq; & quomodocumq; sint esse vnum numero sacramentum, quod ita declarari potest: quia quod pręcipuum est in hoc sacramento est Christus, quatenus coniunctus speciebus vnum sacramentum cum illis componit, ad modum inferius explicandum; Quia ergo vnum & idem corpus Christi & sub omnibus speciebus quantumuis discontinuis, & disiunctis, ideo cum illis censetur componere vnum numero sacramentum.

Sed contra ex hoc modo dicendi sequitur omnes fideles idem numero sacramentum Eucharistiæ percipere, quod videtur esse contra communem sensum omnium, & contra Clem. Papam in c. Tribus gradibus de consecr. d. 2. dicentem in epist. 2. tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere, & hæc sunt verba eius. Tanta in altari certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint in crastinum non seruentur, sed cum timore, & tremore clericorum diligentia consumantur, &c. *Cle. Papa.*

Respondetur, concedendo omnes fideles participare idem numero sacramentum, vt D. Paul. loquitur, quamuis diuersas numero partes, formulas, aut hostias seu species sacramentales recipiant, de quibus seu potius de numero hostiarum, quæ consecrandæ sunt loquitur Clemens in dicta Epistola, quæ simpliciter plures sunt præsertim ante consecrationem, at vero post illam recipiunt quamdam vnitatem sacramentalem, eo quod in eodem Christi corpore vniuntur.

Ille tertius modus est valde probabilis, & dignitati huius sacramenti consentaneus; Fouet n. pietatem, optime explicat, & commendat vnitatem, quæ in hoc sacramento significatur. Primus Philosophicum videtur retinere rigorem; secundus vero est magis vulgaris, & vsitatus.

Dicamus igitur hoc sacramentum de se posse dici vnum præsertim si Christum attendamus; nihilominus tamen quia species consecratæ (vt in quinto art. videbimus) sunt primo sacramentum, ita species multiplicatæ, & separatæ erunt plura sacramenta numero distincta, vel physice si physica tantum sit disiunctio, vel etiam moraliter si separatio moralis etiam sit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum qualibet species seorsum sumpta sit sacramentum Eucharistiæ.

RAtio dubitandi est: quia vt diximus supra, qualibet species seorsum sumpta est pars huius sacramenti pars autem proprie & simpliciter non appellatur nomine totius compositi: nam pars hominis non est homo, ergo species seorsum sumptæ non possunt appellari simpliciter Eucharistiæ sacramentum.

Quidam dicunt quod sæpe contingit quod nomen totius tribuatur simpliciter eius partibus, quod declarant exemplo exercitus, qui si diuidatur in duas partes, vtraque simpliciter appellabitur exercitus, similiter si magna domus diuidatur in duas partes; vtraque simpliciter erit domus.

Verum hæc exempla omnino deficiunt: quia hoc ipso quod exercitus in duas partes diuiditur iam reuera non manent partes illius diuisi, sed sunt duo tota simpliciter. atq; adeo nihil mirum quod vtraq; pars sit exercitus, & in eodem deficit exemplum domus: Nam certe si illa permanerent in ratione partium, neq; simpliciter appellarentur exercitus, neq; domus.

Quare dicendum censeo; quod sine dubio nomen specificum totius non potest simpliciter & proprie accomodari suis partibus, secus est de nomine generico: v. g. si lacerta diuidatur in duas partes, vtraque pars appellabitur viuens,

quia

Digitized by Google

quia vtraque viuit per aliquod tempus; neutra tamen appellabitur simpliciter lacerta. Similiter si circulus diuidatur in duos semicirculos, vterque semicirculus appellabitur simpliciter figura, quod est nomen genericum, non tamen appellabitur circulus, quod est nomen specificum diuisi. Ita ergo in præsenti dicimus, quod nomen genericũ, & commune omnibus sacramentis proprie, & simpliciter potest tribui vtrique speciei seorsum sumptæ, atq; ita vtrãque est simpliciter sacramentum: quia simpliciter est signũ rei sacræ sanctificantis animam. Nomen vero specificũ Eucharistiæ nequaquam: quoniam in rigore sermonis est nomen specificum, designans species panis, & vini, quatenus continent corpus, & sanguinem Christi per modum cibi, & potus. Dixi in rigore sermonis, quoniam apud simplices fideles hoc nomẽ accommodatur vtrique speciei seorsum; & ita dicunt se sumere Eucharistiam, qui sumunt solam speciem panis: & hoc modo Theologi loqui tenentur, qui versantur inter populum fidelem propter euitandũ scandalũ.

Sed contra arguitur. Quod est simpliciter in aliquo genere debet esse simpliciter in aliqua specie illius generis, ergo cui competit simpliciter nomen genericum, debet cõpetere aliquo modo nomen specificum; atque adeo si speciebus panis seorsum sumptis competit simpliciter hoc nomen sacramentum, quod est genericum; necesse est competat illi nomen specificum sacramenti, quod non potest esse aliud quam Eucharistia.

Respondeo negando antecedens. Nam de facto interdũ contingit, quod aliqua res secundum rationem genericam sit perfectior altera, & tamen quod sit minus perfecta secũdum rationem specificam. v. g. Mathematica in ratione generica scientiæ, quæ sumitur ex modo procedendi per demonstrationem excedit Methaphysicam; secundum vero rationẽ specificam, quæ sumitur ex dignitate obiecti, Methaphysica est longe perfectior Mathematica: ecce quomodo ratio generica, & specifica non participantur in eadem re. Vnde non mirum quod ratio generica conueniat simpliciter alicui rei, & tamen quod non illi simpliciter conueniat ratio specifica, sed reductiue tantum: Et huius ratio est duplex. prima quia cum ratio generica sumatur à materia est minus perfecta quam ratio specifica, quæ desumitur a forma: minus autem requiritur ad hoc quod mihi conueniat simpliciter id, quod est imperfectum & potentiale, quam id quod est magis perfectum & actuale.

Secunda ratio, quæ est magis ad propositum nostrũ hæc est: Quod potest contingere, quod nõ ex ratione generica; sed ex ratione specifica desumatur, quod aliqua res sit pars alicuius rei, in quo casu nomen genericum totius simpliciter poterit tribui ipsi parti: quia partialitas eius neque desumitur ex illa ratione generica, neque per ipsam explicatur; ratio vero specifica non tribuitur ei simpliciter, sed partialiter, & reductiue, eo quod ex ratione ipsa specifica desumitur imperfectio, & partialitas eius. v. g. quod semicirculus sit pars circuli non desumitur ex ratione qualitatis, neque ex communi ratione figuræ, sed ex propria, & specifica ratione circuli: Vnde in hac propositione semicirculus, est qualitas, nulla importatur imperfectio, & partialitas, & ideo concedenda est simpliciter; attamen ratione specifica semicirculus importat imperfectionem & partialitatẽ: atque ita in nostro casu, species panis seorsum, si considerentur in ratione sacramenti generica. i. esse signum rei sacræ, non habet quod sit pars huius conuiuij totalis & spiritualis, neque in hac ratione generica fundatur eius partialitas, sed tota fundatur in ratione speciali, & specifica; quatenus, scilicet, significat corpus Christi per modum cibi spiritualis, secundum quam rationem per se ordinatur ad totũ conuiuium, vt constat ex cibo, & potu spirituali. Vnde nomen genericum sacramenti simpliciter accomodatur huic speciei, non autem nomen specificum Eucharistiæ. Verum est tamen quod si ratio generica perfecte, & non solum simpliciter competit alicui rei, necesse erit quod competat illi simpliciter aliqua ratio specifica; quia perfectio rationis genericæ sumitur ex perfecta forma specifica: Nos autem non asserimus quod ratio generica sacramenti perfecte reponatur in qualibet specie seorsum, quin potius est imperfecta & incompleta, conuenit tamen simpliciter.

Atq; adeo cũ diximus supra Eucharistiã esse plura materialiter nõ dẽt intelligi pure materialiter: quia quælibet species seorsum habet materiã propriã, & formam propriam: Verum quia hæc omnia ordinantur per se ad vnũ totale sacramentum merito reputantur materialia; exemplum posset esse de partibus heterogeneis corporis humani: quæ habent peculiares formas substantiales, quæ constituunt quasdam species imperfectas, quæ tamen formæ non sunt institutæ à natura ad constituendas speciales species rerum, sed vt sint partes componentes corpus humanum. Ita proportionabiliter dicere possumus in proposito: quia quælibet species seorsum habet propriam formam particularẽ constituentem quamdam rationem specificam imperfectam tamen, & partialem, vtpote ordinatam ex diuina institutione ad constituendum vnum sacramentum: hoc tamen exẽplum non quadrat in omnibus præsenti instituto: quoniam in partibus heterogeneis præter formas partiales assignamus aliam formam constitutiuam totius humani suppositi; cæterum in Eucharistia præter formas particulares non constituimus aliquam formam communem, ex qua desumatur significatio totalis & completa huius sacramenti: sed ex partialibus significationibus ipsarum specierum consurgit vna integra significatio Eucharistiæ per ordinem ad vnam integram spiritualem refectionem; sicut ex duobus semicirculis tanquam ex partialibus figuris resultat vna integra figura circuli.

Et ex hac doctrina adhuc clarius soluitur illud argumentum positum supra, scilicet, quod id, quod est simpliciter in genere debet esse in aliqua specie, &c. Nam iuxta hanc doctrinam assignamus species particulares in partibus Eucharistiæ licet partiales, & imperfectas, vt dixi.

ARTICVLVS V.

Vtrum Eucharistia sacramentum supponat pro speciebus panis, & vini.

RAtio dubitandi est: quoniam in Eucharistia quatuor reperiuntur, quibus posset accomodari vtcumq; ratio sacramenti, primum est ipsa actualis consecratio, qua virtute verborũ sacramentalium panis, & vinũ transubstantiantur in corpus & sanguinem Christi. Secundum sunt species sacramentales consecratæ, quæ remanent facta transubstantiatione, 3. est corpus & sanguis Christi, quæ cõtinentur sub speciebus consecratis. Quartum denique est vsus & sumptio corporis & sanguinis Christi sub speciebus. Tota igitur dubitatio est, quodnam istorum quatuor sit sacramentum Eucharistiæ, & pro quo supponat in recto hæc vox Eucharistia. *In Eucharistia quatuor reperiuntur.*

Et quidem inter Authores catholicos nullus est, quẽ legerim, qui asserat sacramentũ Eucharistiæ proprie loquendo consistere in actione, aut in motu, sed vniuersi fatentur Eucharistiã supponere in recto pro aliquo permanenti, siue sint species consecratæ, siue corpus & sanguis Christi; quæ in ipsis continentur. Etenim licet Gabriel hac d. q. 1. ar. 3. dub. 2. existimauerit, quod tam consecratio Eucharistiæ, quam eius vsus habeant rationem sacramenti, vt in sequenti art. videbimus, nullus tamen docet quod aliquid istorum sit proprie sacramentũ Eucharistia. Solus Caiet. 3. p. q. 63. ar. 6. lubrice loquitur de hac re: dicit. n. quod sacramentum Eucharistiæ non est aliud, quã actio sacramẽtalis cõsistens in cõsecratione materiæ, quibus verbis videtur affirmare, quod sacramentũ Eucharistiæ non consistit in aliquo permanenti, sed in transubstantiatione actuali, quæ transit cũ ipsa verborũ prolatione. Verũ si bene expẽdatur doctrina Caiet. in illo loco apparebit a cõmuni Theologorũ sententia non discordare; quia forte non sumit ibi actionem sacramentalẽ formaliter, sed prout manet in suo termino, nimirũ in materia cõsecrata; quæ sunt ipsæ species sacramẽtales: sed quicquid sit de sententia Caiet. illa doctrina communis ab omnibus recepta est: quoniam sacramentum Eucharistiæ est cibus spiritualis animæ paratus nobis à Christo Domino, ad rationem autem cibi, & alimenti requiritur permanentia. Cæterum in alijs quam plurimis variant grauissimi authores circa istam disputationem. *Gabriel.* *Caiet.*

Vnde est prima sententia Vualdensis tomo 2. de sacramentis, capit. 21. vbi inquit, quod sacramentum Eucharistiæ proprie loquendo; & pro quo supponit in recto hæc vox Eucharistia, est corpus & sanguis Christi, quatenus sub speciebus sensibilibus continetur: ipsæ autem species sensibiles panis, & vini appellantur sacramentum *Vualdensis.*

Digitized by Google

Eucharistię impropriè, & figuratè, quatenus signat corpus & sanguinem Christi, quod est verè & propriè sacramentum, sicut vrina vocatur sana, quia est signũ sanitatis, quæ est formaliter in animali; & homo pictus dicitur homo: quia est figura veri hominis.

Probant Vualdensis hanc suam sententiam plurimis testimonijs D. August. & B. Ambros. quibus corpus & sanguinem Christi appellant sacramentum Eucharistiæ, eadẽ phrasis locutionis habetur in cap. Ex sacramento ex Concilio Carthag. 3. & in cap. In cœna, ex Sothero Pontifice, de consecr. d. 2. & in cap. Multi ex D. Gregorio 1. q. 1. Idem docẽt expressius D. Ignatius in quadã epist. quæ reperitur apud Theodoretum dialogo 3. Iustinus Martyr in apologetico, & Irenæus lib. 4. c. 34.

Secundo probatur hæc sententia ratione. Sacramentum Eucharistiæ est cibus spiritualis animæ; sed esse cibum spiritualem non speciebus sacramentalibus sed corpori, & sanguini Christi propriè competit, iuxta illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus. &c. ergo, &c.

Præterea idem est sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium altaris; at sacrificium non est species sacramentalis, sed corpus & sanguis Christi. Quod. n. offertur in altari, est illud ipsum, quod fuit oblatum in cruce, licet differenti modo; ergo species sacramentales non sunt sacramentum Eucharistiæ, sed ipsum Christi corpus, & eius sanguis.

Item sacramentum quodcumque primò, & principaliter significat gratiam sanctificantem nos; at species sacramentales non significant primò, & principaliter gratiam, sed corpus & sanguinem Christi, quæ sub speciebus continentur, vt constat ex forma huius sacramenti. Hoc est corpus meum; & Hic est calix sanguinis mei, &c. ex qua forma desumitur significatio specierum sacramentalium; corpus autem & sanguis Christi primò, & principaliter significat gratiam perficientem vnionem corporis Christi mystici cum ipso Christo suo capite, ergo sacramentum Eucharistiæ supponit in recto non pro speciebus, sed pro Christi corpore, & sanguine.

Reijcitur sententia. Cæterum hęc sententia nullo modo est probabilis: imo est temeraria: quia est contra omnium Theologorum sen-

Vualdensis tentiam in re graui vno excepto Vualdensi, & est parũ consentanea doctrinę Ecclesiæ: Quoniam Concilium Trident. sess. 13. c. 3. dicit esse commune Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, quod sit symbolum rei sacræ, & inuisibilis gratiæ visibilis forma; at hæc sententia è cõtra: docet enim hoc sacramentum esse inuisibilem gratiam visibilis formę, ita fatetur expresse Vualdensis huius sententiæ Author, igitur hæc sententia videtur pugnare cum sententia Concil. Trident.

Præterea Concilium loco citato dicit, quod in hoc sacramento Eucharistiæ continentur realiter corpus, & sanguis Christi; at ista locutio nequit verificari si sacramentum Eucharistię supponit in recto pro corpore & sanguine Christi: Nam tunc sensus esset, quod in corpore, & sanguine Christi continentur corpus, & sanguis Christi, qui sensus nullus esset, & ideo hæc sententia est omnino releganda.

Ideo ad fundamenta Vualdensis respondeo, & ad primum dico, quòd in æquiuoco laborare videtur: Nam ex eo quod corpus & sanguis Christi sunt res præcipuæ, ex quibus maxima dignitas huius sacramenti consurgit, existimauit accidentia comparatione illarum quasi nihil esse; & ideo analogicè esse sacramentum, cum tamen valde diuersum sit agere de rei nobilitate, ac agere de ratione sacramenti: quia cum de ratione sacramenti sit esse signum sensibile, fieri potest ut in re minus nobili prius, & ex actius inueniatur ratio sacramẽti, si illa per se sensibilis sit; quam in re nobiliori si per se non sit sensibilis, sed tantum per aliam vt in præsenti accidit.

Patres vero quos Vualdensis allegat, licet dicant corpus Christi esse sacramentum, non tamen excludũt species; sed ideo corpus & sanguinem Christi appellant quandoque sacramentum lata quadam appellatione: quia sunt res & sacramentum in Eucharistia: Neque enim in testimonijs citatis intendebant explicare in quo formaliter sita sit ratio huius sacramenti, sed quod in Eucharistia continentur sacramentaliter corpus & sanguis Christi.

Dico secundo, quod forte accipiunt continens pro contẽto, ita vt continenti, scilicet speciebus, tribuant nomen rei contentæ, vt ipsas species sacramentales vocant corpus, & sanguinem Christi, quatenus illa continent, vel figuram corporis & sanguinis appellant corpus, & sanguinem, quæ locutio non fuit incognita D. Aug. in epist. 23. vbi ita scri- *D. Aug.*
bit. Si. n. sacramenta quamdam similitudinem earum rerũ, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent; ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. sicut ergo secundũ quẽdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est. hæc ille.

Ad secundum nego minorem, pro quo obser. est, quod sicut ista locutio homo intelligit, est magis propria quam anima intelligit: quia homo est qui intelligit, anima vero est, quo homo intelligit: sed nihilominus quia anima, cũ vis sit quo, est tamen forma per se existens, & idcirco etiam hæc propositio anima intelligit, absque impropietate conceditur. Ita in præsenti, hæc propositio, sacramentum Eucharistiæ est cibus animæ, magis propriè est quam illa, corpus Christi est cibus animæ: quia sacramentum Eucharistiæ est id, quod cibat animam: corpus autem & sanguis Christi sunt quę; nam habent rationem formæ, & virtutis cibantię. Cęterum quia corpus & sanguis Christi realiter; sunt virtus, & forma sacramenti Eucharistiæ, quod etiam in se ipsis habent esse, idcirco etiã sine impropietate conceditur, quod corpus & sanguis Christi sunt cibus animæ, & ideo Ioan. 6. dicitur. Caro mea verè est cibus, &c. Posset etiam locus iste D. Ioan. in hunc sensum explicari; quod caro accipiatur ibi pro ipso sacramento Eucharistiæ continente realiter carnem Christi, sicut in solutione primi argumẽti diximus, quod sacramentũ Eucharistiæ appellatur quandoque corpus & sanguis Christi; ita vt sit sensus, sacramentum carnis meæ est verè cibus ratione, & virtute carnis meæ quam continet.

Ad tertiũ dico, quod de sacrificio possumus loqui dupliciter, & de actione sacrificandi, & de ipsa re oblata, quæ solet appellari hostia. In præsenti non fit sermo de ipsa actione sacrificandi, sed de re oblata, quo supposito: Dico quod sacrificium in Eucharistia, nõ supponit pro speciebus sacramentalibus, sed pro corpore & sanguine Christi prout cõtinetur sub speciebus; quod aperte colligitur ex Conc. Tri- *Conc. Trid.*
dent. sess. 22. cap. 1. vbi dicit, quod Christus in vltima cœna corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit Deo patri. & ratio est: quia in cap. 2. eiusdem sess. habetur, eadem est hostia, quæ offertur in altari cum illa, quæ fuit oblata in Cruce, sub modo tamen differẽti. Ad arg. ergo negatur, quod sit idem (simpliciter loquendo) sacramentum, & sacrificium in Eucharistia, de qua re infra copiosius disseremus.

Ad 4 arg. non defuerunt Theologi graues ut refert Ala- *Alanus.*
nus lib. 1. de Eucharistia c. 3. qui asseruerũt hoc sacramentũ esse omnino alterius rationis à cæteris sacramẽtis, eo quod cætera sacramenta formaliter, & principaliter significant gratiam formaliter sanctificantem animam. Hoc autem sacramentum de formali, & principali significato non importat gratiam formaliter sanctificantem animam, sed corpus, & sanguinem Christi. Cæterum multo doctius dicitur esse commune huic sacramẽto cum cæteris de formali, & principali significato importare gratiam sanctificantem, ita vt eadem ratione generica cum cæteris sacramẽtis sit signum rei sacræ sanctificãtis animam. Vnde ad arg. dico, quod hoc sacramentum significat corpus, & sanguinem Christi non absolutè, sed quatenus in ratione alimenti spiritualis continentur sub speciebus; & hoc colligitur ex verbis sacramentalibus, Hoc est corpus meum, & Hic est sãguis meus. &c. Nam hæc verba designant corpus & sanguinem Christi contineri sub speciebus panis, & vini, vt habent rationem spiritualis alimenti; sicut substantia panis, & vini, cui succedunt, habet rationem alimenti corporalis; ita quod licet hoc sacramentum significet corpus, & sanguinem Christi tanquam rem significatam, formalis tamen ratio sub qua significatur est spiritualis refectio, quæ fit formaliter per gratiam: atque adeo gratia prout causat spiritualem refectionem est formalius, vt principalius significatione huius sacramenti Eucharistiæ: atque ita intelligenda est definitio Eucharistiæ a Doct. sub. superius assignata.

Secunda sententia est, quod sacramentũ Eucharistiæ pro- *3. Opin.*
priè, & perfectè, complectitur vtrumq; & species sacramẽtales, & corpus, & sãguinẽ Xpi, supponitq; pro aggregato

ex vtro-

Digitized by Google

ex vtroque: Fatetur quidē hæc sñā quod species sacramentales sunt sacramentū tm̄ Eucharistiæ, & corpus & sāguis Christi sunt res & sacramentum Eucharistiæ. Existimant tamen authores huius sententiæ, quod in Eucharistia id qđ est sacramentum tantum, non habet integram, & perfectā rationem sacramenti Eucharistiæ; & similiter id quod est res, & sacramentum simul, non est cum proprietate & sine addito sacramentum Eucharistiæ. Quocirca inquiunt sacramētum Eucharistiæ integrum & perfectum supponere in recto pro aggregato ex speciebus sensibilibus, & ex corpore & sanguine Christi. Docent hanc sententiam Capreolus. d.8.q.1.ar.3.& neoterici Thomistarū, vt Suarez tom.3.disp. 42.sect.3. Valent.tom 4 disp.6.q.1. puncto 3. in fine.

Capreolus. Suarez. Valentia.

Probatur primo hęc sent. grauissimis testimonijs Patrū asserentium sacramētum Eucharistiæ ex duobus cōstare.s. ex visibili elementorum specie, & ex inuisibili corpore, & sanguine Christi; ita D. Aug. in lib. sententiarum Prosperi, & refertur de cons.d.2. c. Hoc est, & Irenæus lib.4.c.4. vbi inquit hoc sacramentum constare duabus rebus.s. terrena, & cœlesti. Damasc.lib.4. c.14. inquit, quod panis cōmunionis non est panis simpliciter, sed panis vnitus diuinitati, & eodē loco hoc sacramentum appellat cibū compositum, nimirum speciebus sensibilibus, & ex corpore, & sanguine Christi. Et ad hanc sentētiam alludere videntur sancti Patres, cū inquiunt satis frequenter, quod sicut Christus est persona composita ex visibili humanitate, & inuisibili deitate; ita Eucharistia est composita ex visibili specie, & inuisibili carne, & sanguine Christi.

D. August. Irenæus. Damascen.

Secundo probatur, sacramentum Eucharistiæ est cibus sacramentalis animæ, sed neque species sensibiles seorsum, neq; corpus & sanguis Christi seorsum sunt cibus sacramētalis animæ, vtrumque autem simul.s. species ac corpus, & sanguis Christi sunt vere cibus sacramentalis, ergo, &c. explicatur minor. Virtus refectiua, quæ inest Eucharistiæ nū competit illi ratione specierum, sed ratione corporis & sanguinis Christi, quod autem hæc refectio fiat sacramentaliter, non prouenit ex corpore, & sanguine, sed ex speciebus sensibilibus, ergo quod Eucharistia sit cibus animæ sacramentalis ex vtroque simul habetur.

Tertio probatur, illud est sacramentū Eucharistiæ, quod per se primo fit consecratione sacramentali; at per consecrationem neque sunt vel fiunt species seorsum sumptæ, neq; corpus & sanguis Christi seorsum, sed quoddam compositum ineffabile ex speciebus & ex corpore & sanguine Christi, ergo illud compositum & Eucharistia. Et confirmatur. Non potest negari quin sacramentum Eucharistiæ sit vnū quid ex speciebus, & corpore & sanguine Christi habens ineffabilem vnitatem, ergo illud vnū aliquo vno vocabulo significatur in ecclesia; illud autem vocabulū non est aliud quam sacramentum Eucharistiæ, ergo, &c. hoc argumentum insinuatur à Caiet.3.p.q.75.art.1. vbi expresse videtur docere hanc sententiam.

Caietanus.

Quarto probatur. Sacramentum Eucharistię adoratur à fidelibus adoratione Latriæ; non potest autem hæc adoratio debite adhiberi speciebus sacramentalibus seorsum sūptis; ergo vel exhibetur soli corpori, & sanguini Christi seorsum, vel speciebus cum corpore & sanguine simul; atque adeo vel Eucharistia supponit tantum pro corpore, & sanguine Christi quatenus continentur sub speciebus, vt dicebat prima opinio, vel quod apparet probabilius pro aggregato ex speciebus & ex corpore & sanguine Christi.

Quinto probatur: essentia sacramenti Eucharistię in hoc consistit, quod sit signum spiritualis refectionis; hæc autē, significatio intrinsece pendet ex duobus.s. ex speciebus sensibilibus & ex corpore & sāguine Christi, ergo Eucharistia ex his essentialiter integratur: cōsequentia patet: quia illud est de essentia cuiuscumque sacramenti, ex quo intrinsece pendet essentialis significatio sacramenti: minor probatur, quia Eucharistia habet sensibilem significationem, non ex corpore & sanguine Christi, sed ex sensibilibus speciebus; quod vero significet spiritualem animæ refectionē, in quo consistit propria differentia huius sacramenti, non desumitur primo à speciebus, sed à Christi carne, quæ est verus cibus, & ab eius sanguine, qui est verus potus, ergo integra significatio ab vtrisque simul per se & intrinsece pendet.

Hæc secunda sententia est sine dubio probabilis, præsertim si dicatur, quod in aggregato ex speciebus & ex corpore & sanguine Christi non reperitur compositio quasi physica.s. ex materia & forma, vt quidam Authores illius opinionis commentantur; sed sicut in cæteris sacramentis duplex compositio reperitur, altera methaphysica ex genere, & differentia.s. ex communi ratione signi, & ex peculiari modo significandi, & altera quasi artificialis ad eum modū quo domus constat ex lapidibus, lignis, & alijs habentibus rationem materię, & ex figura, quæ habet rationē formæ, quæ compositio in hoc venerabili sacramento est ex speciebus tanquam ex materia, & ex significatione, quam species participant à verbis sacramentalibus, hoc est corpus meum, &c. tanquam ex forma. Vnde species sacramentales & corpus & sanguis Christi constituunt vnam totalem materiam, quæ prouenit ex determinatione verborum. Verū est tamen, quod sicut in sacramento pœnitentiæ ex contritione, & confessione constituitur vna totalis materia, quæ subijcitur absolutioni, quæ est forma; particulariter tamen contritio est materia remota, & confessio materia proxima est: quia contritio non immediate subijcitur formę.s. absolutioni; sed mediante confessione: quia non est sensibilis, nisi quatenus stat sub cōfessione: ita corpus & sanguis Christi censentur materia remota; species autem materia proxima: quia corpus & sanguis non sunt aliquid sensibile in Eucharistia: nisi prout stant sub speciebus, atque ita non subijciuntur immediate formæ, scilicet significationi, sed medijs speciebus.

Cæterum valde probabilior est tertia opinio; quæ est Doct. nostri sub. in hac q. in respōsione ad tertiū sub lit. G. §. Si autem quæras. vbi dicit, quod Eucharistia seu sacramētum Eucharistię supponit tantum pro speciebus quatenus continent corpus, & sanguinem Christi. Quæ est fere communis opinio omnium Theologorum; quam etiam insinuant D. Aug. in epist.23. ad Bonifacium, & D. Anselmus in lib. de sacramento Altaris, cap.10.

Opinio 3. Scotus. D. Aug. D. Anjel.

Et probatur primo. Sacramentū vt diximus d.1.q.2. constituitur in genere signi sensibilis, & hoc est commune omnibus sacramentis, ergo ratio sacramenti in Eucharistia, & in quolibet alio sacramento conuenit per se primo illi rei, cui primo competit esse signū sensibile; sed in Eucharistia esse signum sensibile per se primo competit speciebus, ergo illis etiā per se primo competit ratio sacramenti Eucharistiæ, atque adeo Eucharistia pro speciebus supponit.

Secūdo probatur. In cap. Cum Marthæ, & in c. Hoc est, supracitato, definitur, quod in Eucharistia species sensibiles sunt sacramentum tantum; Corpus autem & sanguis Christi sunt res, & sacramentum simul, nūc sic arguitur. In quolibet sacramento illud est simpliciter sacramentum, qđ est sacramentum tantum, vt posset inductiue probari; ergo in Eucharistia species sensibiles sunt simpliciter sacramentum Eucharistiæ.

Præterea id quod est res & sacramentum simul in nullo sacramento, est sacramentum simpliciter, aut pars essentialis sacramenti: Character.n. baptismalis, qui est res, & sacramentum in baptismo, non est sacramentum baptismi, nec pars eius essentialis; & id ipsum potest inductiue constare in cæteris sacramentis; ergo corpus, & sanguis Christi cum sint res, & sacramentum in Eucharistia, nō sunt simpliciter sacramentum Eucharistiæ, nec pars eius essentialis.

Item Conc. Trid. sess.13. can.1. definit quod in hoc sacramento continetur corpus, & sanguis Christi; ergo sacramētum Eucharistiæ est id, quod continet corpus & sanguinem Christi; at species sacramentales continēt corpus & sanguinem Christi; vt docet idem Cōcilium eadem sess. c.3. ergo species sacramentales sunt sacramentum Eucharistiæ quatenus continent corpus, & sanguinem Christi. Deinde species sacramentales sunt symbolum rei sacræ, hoc est inuisibilis forma, ergo habent veram, & integram rationem sacramenti; non autem alterius sacramenti, quam Eucharistiæ, ergo, &c. consequentia patet ex definitione sacramenti; antecedens probatur: species panis ex eo quod vnus panis ex multis granis conficitur, significat vnitatem corporis Christi mystici ex multis fidelibus constans; species etiam vini habet eandem significationem, quia vinum ex multis etiā constat racemis: hanc analogiam prosequitur Diuus Augustinus in ser. de sacramentis fidelium. feria secunda Paschę, & refertur de consecrat. dist. secunda, cap. Quia passus, & ad illam alludit D. Paulus 1. Cor.10. Vnus panis, & vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus; vbi est ponderandum D. Paulum speciebus

Conc. Trid.

Digitized by Google

sacramentalibus non solum significationem tribuere, verũ etiam & efficientiam respectu vnitatis spirituali corporis Christi mystici, ex quo sequitur aperte, quod species sacramentales sunt proprie, & vere sacramentum Eucharistiæ cum & significent, & efficiant proprium effectum huius sacramenti, scilicet vnitatem spiritualem.

Pro ampliori tamẽ huius opinionis intelligentia obser. est primo (quia diximus quod species sensibiles quatenus continent corpus, & sanguinem Christi sunt sacramentũ Eucharistiæ) quod sicut inter locũ, & locatũ reperiuntur duo respectus continentiæ, alter continentiæ actiuæ, alter vero passiuæ, respectus continentiæ actiuæ est de intrinseca ratione loci, vt constat ex eius definitione; respectus vero continentiæ passiuæ, est quidem aliquid cõnotatum ab ipso loco; quia nequit intelligi continentia actiua loci, nisi per cõnotationem ad continentiam passiuam locati; non autẽ est de essentia loci, quin potius pertineat ad aliud prædicamẽtum. s. vbi. Ita in proposito dico, quod in sacramento Eucharistiæ reperitur duplex respectus sacramentalis continẽtiæ, & actiuæ, & passiuæ. respectus continentiæ sacramentalis passiuæ non est de essentia huius sacramenti; quamuis hæc cõtinentia passiua corporis Christi sub speciebus sit aliquod connotatum ab hoc sacramento. Continentia vero actiua sacramentalis est de intrinseca ratione huius sacramenti: quoniam sacramentum ut docet D. Thomas p. 3. q. 73. ar. 1. ad 3. non importat sacrum aliquid contentum, sed potius id quod continet sacrum. s. in ratione signi. ex hoc sequitur, verissime dictum esse, quod species sacramentales quatenus continent corpus, & sanguinem Christi sunt sacramentum Eucharistiæ. D. Thomas.

Secundo obser. est, quod illa dictio, quatenus, nõ importat rationem formalem cõstitutiuam huius sacramenti: quoniam respectus continentiæ actiuę sacramẽtalis est aliquid reale; ratio autem formalis constituens sacramentum Eucharistiæ est relatio rationis nempe significatio, quam species participant à verbis sacramentalibus. Hoc est corpus meum, &c. Quocirca illa dictio, quatenus, reduplicat rationem materialem, quasi proximam, & immediatam ad rationem formalem; quæ est significatio. Volo dicere, quod species panis, & vini non possunt induere propriam significationem huius sacramenti nisi habeant respectum continentiæ actiuæ ad corpus, & sanguinem Christi: Ratio est quoniam essentialis significatio Eucharistię cõsistit in hoc, quod significetur gratia nutriens, & reficiens animam nutritione participata à corpore, & sanguine Christi, tanquã ab alimento sacramentali: at corpus, & sanguis Christi non habent rationem alimenti sacramentalis, neque habere possunt, nisi quatenus sub speciebus panis, & vini continentur, loco substantia panis, & vini, ergo species sensibiles non possunt induere significationem propriam huius sacramẽti nisi quatenus considerantur cum respectu continentiæ realis corporis, & sanguinis Christi.

Ex his respondetur ad fundamenta secundæ opinionis. Ad primum dico, quod illis locutionibus sancti Patres nihil aliud intelligunt, quam quod in Eucharistia reperiuntur illa duo, sicut in Christo reperiuntur humanitas, & diuinitas; nihil autem curant sancti de compositione, quæ est inter species, & corpus, & sanguinem Christi; nec quanũ ad istam compositionem comparant istud sacramẽtum ad mysterium incarnationis.

Ad secundũ dico, quod quando dicimus Eucharistiã esse cibum animæ spiritualem, & sacramentalem, non tam accipitur Eucharistia in ratione signi, quam in ratione causæ effectiuæ gratiæ cibantis: adeo quod cũ dicimus sacramẽtum Eucharistiæ esse cibum animæ, significatio propria huius sacramenti nõ importatur, vt ratio formalis, per quam Eucharistia constituatur in ratione cibi spiritualis sacramentalis, sed vt conditio tantum necessario requisita; ratio vero formalis quæ constituit hoc sacramentum in ratione cibi spiritualis est corpus, & sanguis Christi, quatenus continẽtur sub speciebus sacramentalibus. Ad argumentum ergo dico, quod si Eucharistia sumatur in ratione cibi spiritualis, sicut sumitur in argumento optima est consequentia, si vero sumatur formaliter in ratione signi, vt sumitur à nobis in hoc art. negatur omnino consequentia.

Ad tertiũ dico, quod maior propositio absolute est concedenda, eo quod Concilium Florent. tractans de hoc sacramento dicit, quod verba, quæ sunt forma huius sacramenti efficiunt hoc sacramentum nimirum per transubstantiationem; Quo supposito dico, quod per transubstantiationem fit hoc sacramentum, quatenus fiunt species; at non absolute; quia iam præerant absolute loquendo, sed quatenus cõtinent corpus, & sanguinem Christi loco substantiæ panis, & vini. Ad confirmationem dico, quod hoc sacramentum est vnum quid constans ex corpore, & sanguine Christi secundum vnitatem ineffabilem, quatenus consideratur in ratione principij effectiui gratię habens ordinem ad vnam operationem, vt inquit D. Tho. loco citato supracitato.

Ad quartũ dico, quod & corpus Christi sub speciebus, & species prout continent corpus, & sanguinem Christus possunt adorari adoratione Latria; sed obser. est, prout diximus in p. 1. 3. sent. d. 9. quod sicut cum adoratur imago totum illud, quod est formale in imagine pertinet ad obiectum materiale adorationis, ita quod ipsa imago formaliter sumpta est quæ adoratur: ratio tamen formalis sub qua adoratur imago est ipsa res repræsentata per imaginem; ita in præsentia cum adorantur species sacramentales totum illud, quod pertinet intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ se tenet ex parte obiecti materialis ipsius adorationis. Christus autem realiter contentus sub speciebus est formalis ratio obiecti adorationis, vt diffusius diximus in 3. loco citato. De vsu & adoratione Crucis sacramentalibus, & c. art. 4. D. Thomas

Ad quintũ dico, quod significatio essentialis huius sacramenti pendet quidem tanquam ab aliquo necessario requisito à præsentia reali corporis, & sanguinis Christi sub speciebus: quia alias species sacramentales nõ continerent realiter corpus, & sanguinem Christi, quæ realis continentia actiua est de essentia huius sacramenti vt diximus supra; non tamen pendet a præsentia corporis Christi, & sanguinis eius tanquam à parte intrinseca constitutiua huius sacramenti; sicut continentia actiua loci non potest constare absque continentia passiua locati, licet locatum prout continetur passiue non sit de intrinseca ratione loci, sed est tantum quid connotatum quasi extrinsecum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum consecratio & sumptio sint sacramentum Eucharistia.

PRo explicatione tituli obser. est, quod cõsecratio duobus modis accipi potest. primo pro forma verborũ qua hoc sacramentum conficitur. Secundo pro actione illa mirabili, qua panis in corpus Christi conuertitur. de hac posteriori non est quæstio: quia constat illam esse viam ad constituendum hoc sacramentum; non tamen pertinere intrinsece ad ipsam rationem sacramenti: quia non est forma sensibilis, sed potius inuisibilis actio eius; intelligitur ergo quęstio de ipsa forma verborum, de qua non est controuersia inter Catholicos, quin aliquo modo sit forma huius sacramenti, vt Concilium Florent. tradit. & in sequenti quæstione latius dicetur. difficultas vero est, quomodo intelligendum sit esse formam; scilicet, an tanquam formam informantem, & constituentem ipsum sacramentum; an vero solum vt formam illud extrinsece efficientem.

Hoc supposito quo ad consecrationem fuit opinio Gabrielis hac d. q. 1. art. 3. dub. 2. qui cum formidine tamen, & sub Ecclesiæ censura dicit specierum consecrationem esse sacramentum, addit tamen, quod non est proprie sacramentum Eucharistiæ, sed ordinatur ad illud; Idem etiam dicit de sumptione. Citantur etiam nonnulli Authores pro hac sententia; sed solus Gabriel expresse docuit illam, Nam Aureolus qui pro hac sententia citatur à Capreolo in 4. d. 8. artic. 2. in argumentis contra primam cõclusionem; non tenet sumptionẽ esse sacramẽtum, sed partem essentialem. sicut patet apud ipsum Aureolum d. 8. q. 1. art. 1. propositione 3. & ratio eius est. Quia sumptio Eucharistiæ complet significationem, & effectum eius: quia ante sumptionẽ, nec gratia confertur, nec perfecte significatur voto fidelium cum Christo, sed quod significat, & cõfert gratiam vel est sacramentum, vel pars essentialis sacramẽti, cum ergo hæc sumptio sit sacramentum integrum, erit pars huius sacramẽti; eodem modo dixit in prima propositione verba consecrationis esse partem essentialem sacramenti Eucharistiæ. Gabriel. Aureolus Capreolus

Fundamenta Gabrielis sunt hæc. Consecratio est signum sensibile practicum, id est, & effectiuũ rei sacræ. s. realis præ-

sentiæ

Digitized by Google

sentiæ corporis, & sanguinis Christi, quæ sunt res sacræ, & sanctificatiuæ animarum, ergo est sacramentum nouæ legis, & non potest esse aliud, quam sacramentum Eucharistiæ, ergo &c.

Secundo consecratio constat ex materia, scilicet ex pane, & vino; & ex forma quæ sunt verba cõsecrationis, & habet proprium ministrum, scilicet, sacerdotem consecrantem; ergo nihil deest illi, quo minus sit sacramentum nouæ legis, patet consequentia: quia tria tantum in antecedenti enumerata requirit Concilium Florent. ac etiam Tridentinum in tractatu de sacramentis nouæ legis. & confirmatur, forma & materia huius sacramento reperiuntur simul cum consecratione, non autem cum speciebus consecratis, ergo consecratio habet rationem sacramenti. Eucharistiæ potius quam species. patet sequela: quia vbi non est materia nec forma non potest esse proprie sacramentum; vbi autem materia, & forma reperiuntur, reperitur ratio sacramenti; antecedens patet; nam forma sunt verba in sacramento: materia vero sunt panis, & vinum; hæc autem cessant facta consecratione, & sunt simul cum ipsa consecratione, ergo &c.

Tertio probatur. In quolibet sacramento illud est sacramentum tantum, quod est causa eius, quod est res & sacramentum simul; at species sacramentales non causant corpus, & sanguinem Christi, sub continentia sacramentali, quæ sunt res, & sacramentum simul. Consecratio vero causat corpus, & sanguinem Christi sub speciebus eius, ergo consecratio est sacramentum tantum Eucharistiæ, potius quam species sacramentales.

Postremo probatur de sumptione specierũ. Sumptio est signum & causa gratiæ cibantis animam, ergo est vere sacramentum Eucharistiæ. Et confirmatur, species sacramentales non possunt causare gratiam cibantem, nisi quatenus sumuntur actualiter, ergo sumptio est quid formalius in sacramento Eucharistiæ.

In hoc art. non est disputandum cum hæreticis, qui docent corpus, & sanguinem Christi non contineri realiter sub speciebus nisi in actuali, sumptione & vsu illarum, de qua hæresi infra, d. 10. Cum catholicis ergo disputandum est, è quibus nullus (vt supra dixi) docet quod consecratio, & sumptio sint propriè sacramentum Eucharistiæ; sed vniuersi fatentur, quod Eucharistia supponit pro aliquo permanenti iuxta ea, quæ diximus in art. præcedenti. Quo circa omnia argumenta, quæ solent afferri ex Concil. Triden. ad probandum, quod cõsecratio, aut sumptio non sunt propriè sacramentum Eucharistiæ, eo quod Concilium definit quod sacramentum Eucharistiæ permanet post consecrationem, & ante vsum specierum; cõtra nullum catholicum militant.

us. quadru- x excellẽ sacramẽ Euchari- Vnde pro explicatione huius difficultatis obseru. est ex Doct. sub. in hac q. sub litt. d. §. ex dictis. φ quadruplex est differentia & excellentia huius sacramenti Eucharistiæ ad alia sacramenta; prima est, quod hoc sacramentum est simpliciter veracissimum in significando. Quamuis enim alia sacramenta, quantum est ex se vera sint, quandoque tamen suo destituuntur effectu significato propter suscipientis indispositionem; sicut patet de suscipiente ficte sacramentum: qui gratiam non consequitur propter obicem peccati, vel contrariæ voluntatis; quod tamen non contingit in hoc sacramento, quod nunquam caret suo signato; semper enim infallibiliter ad verborum prolationem cum debita intentione super materiam debitam fit corpus Christi, & eius sanguis præsens sub ipsis speciebus.

Secunda differentia & excellentia est: quia quod significat hoc sacramentum, id realiter continet, gratiam videlicet subsistentem, quæ Christus est ipse fons omnium gratiarũ; alia vero sacramenta non ita continent suum significatum cum significent accidentalem gratiam suscipienti inhærentem; atque eam non realiter, sed quasi virtualiter continẽt.

Tertia differentia est respectu significati per illud sacramentum: Nam alia sacramenta significant gratiam accidentalem in hærentem suscipienti, illud autem significat gratiã subsistentem, scilicet, verum corpus Christi ibi existens.

Quarta differentia in eo consistit, quod cũ alia sacramenta in vsu & fieri consistant, ita vt in eis idem est sacramentum, & sacramenti perceptio, cum illorum administratione cessante, & perceptione, nihil quod sit sacramentum supersit; Hoc tamen sacramentum permanens est, etiam ante vsum illius; quod quidem congruũ esse docet Scotus ex eo, quod Christus permanenter voluit esse nobiscum; atq; adeo decuit quod permaneret in aliquo signo, vel sacramento permanenti. Ex quo infert, quod vsus huius sacramenti non est sacramentum: Nam vsus verborum sacramentaliũ quedam via est ad sacramentum; In termino enim prolationis verborum incipit esse sacramentum species panis, & vini; Vsus etiam & perceptio huius sacramenti, quædam est sacramentalis dispositio seu via, qua hoc sacramentum applicatur suscipienti illud. Estque bene possibile in vtroque vsu si digne fiat gratiam vtenti conferri, cum sint quidam actus sacramentales, in quibus bene potest gratia recipi, si digne fiant, licet magis in perceptione, quam in consecratione ipsius sacramenti: quia actus perceptionis significat nutritionem spiritualem, quæ fit per gratiæ collationem; hæc tamen non sunt formale, & primum Eucharistia significatum.

Ex hoc notabili apparet Doct. sub. censere cõsecrationem non esse sacramentum, sed actum sacramentalem, seu quod dam sacramentale, & viam ad sacramentum: Nam consecratio non est forma visibilis corporis Christi, sed species sunt, quæ ipsum repræsentant; atque idem affirmat de sumptione: quoniam sumptio neque est sacramentum, neq; proprie est causa gratiæ; sed est applicatio corporis & sanguinis Christi, vel sacramenti, seu conditio necessaria, vt sacramentum operatur; veluti in naturalibus applicatio ignis nõ est causa caloris, sed ignis ipse applicatus; applicatio vero est conditio agentis; atque adeo sumptio Eucharistiæ non est sacramentum; sed actio sacramentalis.

Sit conclusio vnica. Neque consecratio, neque sumptio specierum est sacramentum, sed vtrumque est quid sacramentale pertinens ad Eucharistiam, alterum vt antecedens eius essentiam, alterum vt consequens. Conclusio.

Hæc conclusio est Scoti in hac q. loco citato, quam etiam affirmant So us hac d. q. vnica. art. 1. & Suarez. disp. 42. sect. 4. Secunda pars conclusionis, si prima pars supponatur vt vera, non indiget probatione: Nam consecratio est productiua Eucharistia; atque ita ordinatur ad ipsam antecedenter, sumptio vero est conditio requisita, vt Eucharistia fortiatur effectum in anima, & ita habet se consequenter ad ipsam Eucharistiam. Scotus. Sotus. Suarez.

Prima autem pars conclusionis probatur primo. Consecratio & sumptio non sunt sacramentum Eucharistiæ, vt fatetur Gabriel, ergo nullum sunt sacramentum.

Secundo probatur. ex sententia Gabrielis sequitur, quod sint in ecclesia plura, quam septem sacramenta; consequens. aduersatur definitioni Conciliorum Florent. & Tridentin. ergo & antecedens patet: quia consecratio & sumptio excedunt numerum septenarium sacramentorum. Respondet Gabriel, quod re vera in ecclesia plura sunt sacramenta, quam septem si rigorose loquamur; vt patet in sacramento ordinis; Nam quilibet ordo est vnum sacramentum ab alio ordine distinctum, dicuntur tamen omnes ordines vnum sacramentum: quia omnes ordinantur ad vnum finem; & ea quæ ordinantur ad vnum non inepta ratione appellantur vnum. Ita similiter, quamuis consecratio & species sacramentales, & earum sumptio sint reuera tria sacramenta: quia tamen ordinantur ad vnum, nempe ad vnam spiritualem refectionem comprehenduntur à sacris Concilijs sub appellatione vnius sacrament. Eucharistiæ.

Sed contra hanc responsionem arguo. Quando sunt plura sacramenta etiam partialia, vt contingit in sacramento ordinis, sunt etiam plures formæ, & plures materiæ, ex quibus constant illa plura sacramenta; at in Eucharistia vnica tantum est forma, scilicet, verba sacramentalia; & vnica materia, scilicet panis & vinum, ergo vnicum tantum sacramentum; atque adeo non reperitur illa pluralitas sacramentorum, quam fingit Gabriel. Et confirmatur Concilium Florentin, decreto Eugenij. & Trident. sess. 13. illud tantum appellant sacramentum Eucharistiæ, quod sit per consecrationem. & quod manet tranlacta consecratione ante sumptionem specierum; ergo Concilia non comprehendunt sub appellatione sacramenta Eucharistiæ consecrationem, aut sumptionem specierum: quia illa non sunt permanentia.

Confirmatur secundo. Eucharistia est sacramentum permanens, quod à fidelibus sumitur, quod adoratur; In custodia conseruatur pro infirmis, quod circumfertur: at consecratio, & sumptio non permanent, non seruantur in custodia, non adorantur, non sumuntur à fidelibus, non circumferuntur: ergo illa, per se sola non possunt esse Eucharistiæ

sacra-

Digitized by Google

sacramentum: quia non conueniunt illis proprietates rei permanentis, quæ sacramento Eucharistiæ attribuuntur.

Ad fundamenta pro opinione Gabrielis respondeo, & ad primum dico non esse satis ad rationem sacramenti, quod consecratio, sit signum practicum præsentiæ realis corporis, & sanguinis Christi sub speciebus; sed necesse est quod sit signum practicum gratiæ sanctificantis animam.

Secundo dico: quod quamuis consecratio sit forma sensibilis, non est tamen signum eo modo, quo accipitur in definitione sacramenti: Nam in definitione sacramenti accipitur signum pro eo quod est institutum ad hoc, vt in eo adiuuentur homines ad professionem fidei, & ad obseruantiam religionis; Consecratio autem non est ad hoc instituta; sed instituta est, vt per illam fiat signum, id est, sacramentum Eucharistiæ in quo adiuuantur homines ad professionem fidei, & Religionis obseruantiam.

Ad secundũ dico, quod consecratio non constat ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma ad modum, quem requirit compositio sacramentalis: quoniam licet in consecratione reperiantur verba; non reperitur tamen res sensibilis, quæ habeat vicem materiæ. Quod si dicatur panem, & vinum habere rationem materiæ. Contra. Illud est materia in sacramentis, quod cum forma habet rationem significantis & causantis rẽ sacram, vt in Baptismo Ablutio quatenus substat verbis est signum causatiuum spiritualis regenerationis; at panis & vinum sunt quædam circa quæ consecratio versatur, non tamẽ vt substant verbis sacramentalibus induunt rationem signi causatiui gratiæ, aut alicuius effectus sacri, ergo non habet rationem materiæ, vt requiritur ad sacramentum. Et confirmatur, consecratio, vt diximus in principio art. bifariam potest accipi, & pro conuersione insensibili substantiæ panis, & vini in corpus & sanguinem Christi: & de hac non potest esse sermo, quia cum sit insensibilis nequit habere rõnem sacramenti; secundo põt accipi pro externa actione sacerdotis, quæ est effectiua cõuersionis prædictæ; sed hæc consecratio non est aliud, quam prolatio verborum sacramentalium, ergo nõ constat rebus & verbis, tanquam materia, & forma, sed solis verbis atque adeo, sicut in cæteris sacramentis sola prolatio verborum non est sacramentum; ita neque in præsenti. Ad confirmationem dico, quod verba consecrationis sunt forma Eucharistiæ in fieri non in facto esse: quia transactis verbis manet Eucharistiæ sacramentum.

Et si dicas, sacramenta nouæ legis constant rebus & verbis, vt dicit generale axioma Theologorum, a quo non videtur excipiendum hoc sacramentum; quia si de hoc negetur, facile poterit negari in reliquis, atque ita tota doctrina de constitutione sacramentorum redderetur incerta. Dico, quod vbi est specialis ratio, & quasi singularis natura sacramenti; non est mirum si in illo sit singularis exceptio, & propria constitutio.

Ad tertium dico; quod maior propositio non est vniuersaliter vera, vt patet in sacramento Pœnitentiæ in quo contritio est res, & sacramentum, & tamen non causatur, quo ad sui substantiam, ab eo quod est sacramentum tantum, nempe à sacerdotis absolutione. Quocirca dico, quòd vt corpus & sanguis Christi sint res, & sacramentum in Eucharistia, satis erit, quod significentur per species sacramentales; quæ sunt sacramentum tantum; itaque dicuntur res sacramenti, non quod sit res effecta ab eo, quod est sacramẽtum tantum; sed quia est res signata.

Ad quartum dico, quod sumptio Eucharistiæ, non est signum & causa spiritualis refectionis animæ; sed applicatio sacramenti, quo confertur spiritualis animæ refectio.

Ad confirmationem dico, quod si dictio quatenus importet rationem formalem cibandi animam, falsum est antecedens; Si vero denotet conditionem requisitam, tunc conceditur antecedens; in quo sensu concedimus ignem calefacere: quatenus applicatur ad passum. & tunc negatur consequentia.

QVAESTIO II.

Vtrum forma præcisa consecrationis Eucharistiæ sit illa, quæ ponitur in canone Missæ.



Isputaturus D. Th. sub de forma Eucharistiæ supponit hoc sacramentum habere formam quemadmodum habent etiam cętera sacramenta, & quænam sit huius sacramenti propria, & præcisa forma inquirit, & sicut in hoc sacramento duplex est materia, ita & est duplex forma partialis, & de vnaquaque tractat in hac quæstione, hoc est tam de forma consecrationis panis, quam de forma consecrationis vini; obser. est tamen, quod hoc sacramentum bifariam considerari potest, primo quando consecratur. secundo quando facta consecratione permanet Eucharistia consecrata. *In sacramen. to Euchari. stia duplex est forma partialis.*

Secundo obser. est, quod verba sunt forma consecrationis Eucharistiæ; patet quia verbis formæ conficitur sacramentum. & species sacramentales ad significandum Christi corpus sub se contentum, illis determinantur, quemadmodum per formam. Ego te baptizo & ablutio materialis ad significandum sacramentalem effectum restringitur.

Tertio obser. est, quod si Eucharistia consideretur vt habet esse permanens facta iam consecratione nullam habet formam verborum: quia forma est simul cum sacramento, & permanet cum illo; Eucharistia autem manet, quando verborum forma non manet: atq; adeo verba non possunt proprie dici forma Eucharistiæ, sed potius consecrationis. Nam quemadmodũ Concilium Florent. vocat panem Eucharistiæ materiam, eo quod sit materia ex qua fit sacramẽtum; non autem eo quod panis in sacramento maneat, ita etiam Theologandum est de forma huius sacramenti, est tamen communis loquendi modus dicere Eucharistiæ formam illam, per quam hostia consecratur, & sic absolute à Concilio Florent. appellatur. *Conc. Flo.*

Quarto obser est, quod duæ sunt formæ partiales sacramenti Eucharistię, & vna tantum integralis: Nam sicut hoc sacramentum, est vnum vnitate integritatis quia in se includit duo signa partialia; id est, duo sacramenta, nimirum species panis, & vini; quæ immediate significant duo propria, & proxima significata, nempe corpus, & sanguinẽ Christi, & duo remota scilicet, & postrem spiritualem; ita similiter sunt duæ forma consecrationis partiales, quod autem sint duæ forma partiales distinctæ huius sacramenti, ex eo probat Scotus in hac q. sub litt. a. quia altera eorum, sine altera efficax est: per formam enim cõsecrationis corporis Christi consecratur vere hostia, etiam si sanguis per propriam formam non consecretur: alioquin fideles corpus Christi adorantes ante sanguinis consecrationem, idololatrarent, quod est falsum. Sicut ergo vna est consecratio vnitate integritatis: & tamen duæ consecrationes partiales; sic est vna forma cõsecrationis vnitate integritatis, plures tamen in se continens formas partiales, nempe duas, & de vtraque est præsens quæstio, quam diuidimus in nouem articulos. *Scot.*

Primus art. Vtrum hæc sit forma huius sacramenti. Hoc est corpus meum; & hic est sanguis meus.

Secundus art. Vtrum solum hæc quatuor verba. Hoc est corpus meum, sint de necessitate, & essentia huius formæ.

Tertius ar. Vtrum forma præcisa consecrationis vini ea sit, quæ ponitur in canone Missæ.

Quartus art. Vtrum hæc sola verba. Hic est calix sanguinis mei; vel hic est sanguis meus, sint de essentia consecrationis vini.

Quintus art. Vtrum singula verba vtriusq; formæ, scilicet corporis, & sanguinis ita sint apta, & conuenienter tradita, vt mutari nullo modo possint.

Sextus art. Vtrum forma huius sacramenti proferatur à ministro recitando, vel etiam significando.

Septimus art. Vtrum verba consecrationis ratione sua veritatis hoc mysterium perficiant.

Octauus art. Vtrum hæ propositiones. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, sint vera tantum pro vltimo instanti prolationis.

Nonus art. Vtrum pronomen hoc, vel hic designet in forma consecrationis aliquod commune substantiæ panis & vini, & corpori & sanguini Christi.

i AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc sit forma huius sacramenti. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.

VT in hac quæstione distinguamus certa ab incertis, & videamus quid de hac materia cõmuniter tenendum sit pro solutione difficultatis pono duas conclusiones. Prima conclusio. Credendum est firmiterq. tenendum, quod forma sacramenti Eucharistiæ tam corporis, quam sanguinis Christi illa sit, quæ in canone Missæ assignatur.

D. August. Hanc docet D. August. vt habetur de consecra. d.2. cap. Vtrum sub figura; sub finem, his verbis. Credendum est, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur, cuius enim potentia creantur prius, eius vtiq. verbo ad melius procreantur. Reliqua omnia quæ sacerdos dicit, aut clericus chori cantat, nihil aliud quam laudes, & gratiarum actiones sunt; aut certe obsecrationes, & fidelium petitiones; Vnde & sacerdos dicit prius Euangelistarum verba assumens, qui pridie quam pateretur &c. Porro deinceps, sunt verba Dei potestate, & omni efficientia plena. Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum; In hoc ergo creatur illud corpus.

...tus. ...tius. Eamdem conclusioné docet Scotus in hac q. & eam probat in argumento. Sed contra authoritate Innocentij iij. In cap. Cum Marthæ. de celebratione missarum, vbi Inno. ipse dicit, quod forma verborum huius sacramenti est illa, quæ in canone Missæ describitur, quam & Apostoli, à Christo, & ab ipsis Apostolis eorum acceperunt successores. Multa enim vt recte docet Scotus in hac q. sub litt. b. §. Respondeo non dubito. tradita sunt ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen in Euangelijs scripta non sunt, vt facile colligitur ex D. Paulo. 1. Corint. 11. dicente. Cætera cum venero disponam. & 1. Corint. 15. dicit. Deinde Dominus visus est plusquam quingentis fratribus simul post resurrectionem eius, cuius tamẽ apparitionis, aut visionis Euangelistæ non meminerunt, & Act. 20. dixit Paulus. Meminisse oportet verbi Domini Iesu: quoniam ipse dixit Beatius est magis dare, quam accipere, quod tamen in Euangelijs non reperitur, & denique 2. Thessal. 2. idem Apostolus dicit. Itaque fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

Contra. Nullus Apostolorum recitat formam illam, qua vtimur in consecratione sanguinis; ergo non est certum eam esse formam consecrationis sanguinis Christi. & confirmatur: quia Græci alia forma vtuntur: Nam in Missa Sancti Basilij, quam accepit Angelo dictante, vt refert Durandus hac d. q. 2. & Doct. noster sub. in hac q. Verba consecrationis sanguinis, sunt ista. Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, ergo forma, quæ in canone Missæ habetur, non est præcisa.

...ndus. ...s.

...omas. Respondet Scotus loco relato, quod Euangelistæ non intendebant tradere formã consecrandi, sed rem gestam narrare fidelibus, & eodem modo respondet D. Thomas, q. 78. ar. 3. ad 9. vbi dicit, quòd Euangelistæ non intendebant tradere formas sacramentorũ: quas in primitiua ecclesia oportebat esse occultas, vt dicit D. Dionysius in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sed intenderunt historiam de Christo texere. hæc. D. Thomas. Ad confirmationem respondetur, quod Græcorũ catholici minime negant ecclesiam Latinam vere cõficere, quamuis non vtatur forma Græcorum. Sed neq; ecclesia Latina dicit Græcos non cõficere, forma illa qua Græci vtuntur: quinimo pleriq. Theologorũ, vt hic refert Scotus asserunt, quod tam forma illorum, quam nostra: imò quæcumq. in Euangelijs scripta sufficiens est ad consecrationem, quamuis in ecclesia Romana sit de necessitate ministri ea vti forma, quæ in canone Missæ continetur.

...gust. Ex his conuincuntur primo Ophytæ heretici, qui nõ vtebantur illis verbis, sed incãtationibus quibusdam, vt refert D. August. hæresi. 17. Secundo conuincũtur Vualdenses heretici, qui & pauperes de Lugduno; Qui verbis Christi prætermissis alias formas consecrandi confinxerunt: Nam loco verborum sacramentalium dicebant septies pater noster ad consecrãdum, vt testes sunt Guido Carmelita de hæretibus c. 9 & Prateolus verbo pauperes de Lugduno. nu. 12. Quãquam Doctissimus Pater Castro verbo Eucharistia hæresi. 3. & Claud. rept. 7. cap. 5. eos liberent ab hac nota: quia nec Æneas Siluius in historia Bohiemorum ... c. 25. nec D. Antoninus. 4. p. hist. tit. 11. c. 7. nec Directorium inquisitorum. 2. p. q. 12. qui accurate referunt horum hominum errores huius mentionem fecerunt. Refert Claudius, Antistitas solitos esse consecrare his verbis. Accipe, ede, memoriam Dñi. Cõuincitur secundo blasphemus Lutherus, qui in libello de abroganda Missa priuata dixit formam sacram Eucharistiæ institutam fuisse ab ecclesia. Conuincuntur & Eutichiti huius temporis, qui vel non vtuntur verbis, vel si recitant, id quidam faciunt propter instructionem non propter consecrationem. legatur Richard. art. 12. Hosius lib. 1. contra Brentium, & in confess. c. 39. Clitouęus lib. 2. Antiluther. c. 19 & Claud. repet. 7. c. 5.

...Car... ...us... ...s.

Æneas Siluius. D. Antonin.

Hosius. Clit. Claud.

Conuincitur etiam Erasmus, qui in suis annotationibus in 1. epist. ad Corinthios. c. 11. dixit. Vtinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille à Christo: Nam illa. Hoc est corpus meum potius sunt porrigentis, quam consecrantis. hæc, ille. imò eiusdem est propositio in epist. præcitata. 1. ad Corint. dicentis. Vtinam saltem illud aperuisset Apostolus. à quibus, quo tempore, quo cultu, quo actu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus, & Sacrosancti Dominici sanguinis poculum. Quæ certe verba desiderium præferunt fluctuantis fidei Erasmi. Etenim cum tempore Apostolorum perpetuo more ecclesia vniuersalis formis contentis in canone Missæ vtatur ad consecrandum; fortissimum argumentum est non modo Apostolos verum etiam Christum Dominum illa fuisse forma vsum: Nunquam enim ecclesia catholica, quæ nutu Spiritus sancti gubernatur & regitur, aliam quam Christi formam vsurpasset ad consecrandum.

Vnde in determinatione facultatis Theologiæ Parisiensis tit. 8. hæc censura apposita est contra Erasmum. Curiosum est hoc desiderium & futile, atque impium si existimatione procedat, qua credantur minoris authoritatis esse multa à Christo per Apostolos nobis vocetenus tradita, quam sint ea, quæ in scriptura sunt expressa: sufficienter enim sunt per Scripturam sacram determinata, quæ saluti fidelium expediunt per eam determinari; nec authoribus Dionysio, Basilio, & Augustino in minori habenda sunt authoritate, quæ à Christo ex Apostolorum traditione ad nos vsque peruenere de sacramentis, & alijs multis, quam quæ Scripturis sacris definiuntur. hæc ibi, & optime. Nam B. Irenæus in principio lib. 5. sic etiam scripsit. Christi mysteria prędixere Prophetæ, perfecit Christus, Apostoli prędicauere, à quibus accepit ecclesia per totum mundum; & ipsa bene custodiens tradidit filijs suis. Et idem lib. 3. c. 4. similiter scripsit. Ecclesia diues repositorium est Doctrinæ Apostolicæ, reliqui sunt fures. *Irenæus.*

Secunda conclusio. Christus consecrauit ijsdem verbis, quibus nos consecramus. hanc docet Alex. de Ales. p. 4. q. 8. m. 4. art. 2 §. 2. quem secuti sunt D. Thomas. 3. p. q. 78. art. 1. ad primum. D. Bonau. hac d. p. 1. q. 3. art. 2. Richard. artic. 3. q. 1. ad. 5. & Doct. noster sub. in hac q. sub litt. f §. Sed contra. probat Alex. hanc conclusionem ex Eusebio Emisseno in sermone de corpore & sanguine Domini; qui habetur inter opera D. Hieronym. tom. 9. sub incerto authore. & refertur de consec. d. 2. cap. Quia corpus vbi sic legitur. In visibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo secreta potestate conuertit ita dicens, Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita Accipite, & bibite. Hic est sanguis meus; Ecce plane dicit, quod Dominus conuertit visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui proferendo hæc verba, hoc est corpus meum.

a Conclusio Alex. d Ales.

D. Thomas. D. Bonau. Richardus. Scotus.

Secũdo probatur ratione ab eodem Alex. in hunc modũ. Si verbis alijs confecisset Dominus non tantum hæc verba, sed etiam illa haberent vim transubstantiandi, quod esset inconueniens; cum illa virtus nullius esset vtilitatis, ergo Christus eisdem verbis consecrauit, quibus nos ẽt consecramus.

Item factũ authenticum exercendum ab ecclesia conueniens est, secundum authoritatem suæ originis deriuari ad posteros; ergo consecratio siue confectio, quæ exercetur ab ecclesia eadem forma verborum debet fieri, qua fiebat ab illo, à quo ecclesia habet authoritatem conficiendi.

Scotus vero vbi supra, ita probat conclusioné; Aut Christus confecit sine verbis, aut cũ verbis. primum non est probabile, ergo cõfecit verbis, sed non consecrauit alijs verbis: quia non est probabile, quod alia forma vtatur author, quã *Scotus.*

minister,

minister, cui committit formam; ergo Christus ijsdem verbis conficeret quibus nos conficimus Eucharistiam. Ita Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. Docet Christum hoc sacramentum instituisse post panis, vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis verbis attestatus est, ergo intelligit Concilium, quod his aliis verbis instituit. fuit enim mens Concilij, quod ante in illis rationem Christus benedixit, quæ benedictio non fuit consecratio, sed præparatio, seu præmissio gratiarum actionis, vt dixerat D. Bonau. vbi supra. vbi etiam dicit, quod fractio fuit facta ante consecrationem; sicut qui haberet vnam hostiam pro pluribus communicandis, & prius eam frangeret, divideretque in partes quam consecraret.

Conc. Trid.

Est tamen intelligendum, Christum consecrasse eisdem verbis, quibus nos consecramus; quæ videlicet sunt de necessitate sacramenti. Ex dictis infertur, quod quamuis sit de fide consecrationem à nobis faciendam esse sub ea forma, quam docet ecclesia: Non est tamen de fide Christum Dominum eisdem verbis consecrasse, quibus nos consecramus; cum sit opinio Innocentij lib. 4. de hoc mysterio c. 6. & eiusdem Innocen. & Archidiaconi, in cap. Qui scelerate de consecr. d. 2. Guill. Durandi in rationali lib. 4. c. 44. num. 15. Francisci de Mayro hac d. q. 1. art. 5. Catharini in opusculo de hac re in Concil. Tridentino edito. Quam Gabriel lect. 36. & 48. in Canonem probabilem censet, Christum Dominum sine verbis consecrasse virtute diuina, quam etiam dicit probabilem Franciscus Titelmanus in expositione canonis, & eam apertissime docet Venerabilis Odo Camaracensis Episcopus super Canonem Missæ. Quæ opinio hactenus ab ecclesia non est damnata. Oppositum tamen nostræ conclusionis asserere temerarium esse, dignumque retractatione.

Innocentius. Archidiaconus. Guil. Durã. Franciscus. Chaterinus. Gabriel. Titelmanus. Odo Camar.

ARTICVLVS II.

Vtrum solum hæc quatuor verba. Hoc est corpus meum, sint de necessitate, & essentia huius formæ.

HÆc quæstio duas petit difficultates. prima est an sacerdos conficeret, si hæc sola verba. hoc est corpus meum proferret super panem, sine antecedentibus verbis in canone positis. Altera an illa coniunctio enim, sit de essentia formæ. pro quarum solutione obser. est, quod illud dicitur de essentia consecrationis, sine quo non fieret consecratio.

Hoc supposito, quo ad primam difficultatem est duplex opinio prima est communis, quæ asserit, quod si aliquis sacerdos illa tantum verba proferret super panem, vere consecraret; quamuis peccaret mortaliter omittens alia verba canonis, quæ sunt de necessitate præcepti. Probatur, forma sacramenti sufficit, ad perficiendum sacramentum, sed forma huius sacramenti à Christo instituta, sunt tantum illa verba Hoc est corpus meum, vt patet ex locis supra citatis: ergo sola illa verba, sine alijs sufficiunt ad consecrationem panis perficiendam. Ita sentit Alex. de Ales. D. Thomas, D. Bona. Richardus, & Durandus locis supra citatis, & fere communis opinio.

Alex. Ales. D. Thomas. D. Bonau. Richardus. Durandus.

Secunda opinio est Scoti in hac q. sub. lit. b. §. Sed hic est dubium. dicentis, Si quis hæc verba. Hoc est corpus meum, sine illis. Qui pridie quam pateretur &c proferret, esset sacramentum sub conditione adorandum: quia incertum est, an per illa sola verba sit panis in corpus Christi transubstantiatus. Et ratio Scoti est: quoniam & si verba in canone precedentia non sint partes formæ, debent tamen necessario precedere; vt illa verba hoc est corpus meũ possint esse forma: quia nisi alia verba præcederent illa non essent forma consecrationis. probatur: quia forma sacramenti debet significare ex vi verborum effectũ suum; sed illa verba. Hoc est corpus meum sine præcedẽtibus non significant vt sua corpus Christi, qui est effectus consecrationis significatus, ergo illa verba. Hoc est corpus meum sine præcedentibus non sunt forma cõsecrationis. probat minor; quia per illud pronomẽ meum ex vi verborum potius denotatur corpus ministri cõsecrantis, quam corpus Christi: quia licet Minister posset intendere se loqui in persona Christi, non tamẽ propter hoc significatum illorũ verborum esset, vt illud pronomen meũ demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis; Quemadmodum, si ego inciperem loqui in persona Christi dicendo sic. Mea doctrina est illa, licet intenderem loqui in persona Christi, tñ ex vi verborum non habetur quod ista doctrina sit Christi, sed mei qui loquor. Sicut quando Angelus loquebatur in persona Dei. Ego sum Deus Abraham &c. & per consequens, licet non esset propositio falsa, secundum sensum pro quo fieret; tamen non esset significatum proprie huius locutionis, quod illud pronomen ego supponeret pro persona Dei: ita in proposito.

Et confirmatur, primo ex D. Ambro. lib. 4. de sacram. c. 4. & refertur de consec. d. 2. cap. Panis est vbi dicitur. Vis scire: quia verbis celestibus consecratur. Accipe quæ sunt verba, dicit sacerdos. Fac nobis (inquit) hanc oblationem adscriptã, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad celũ ad te Sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens benedixit fregit, fractumque. Apostolis suis & discipulis suis tradidit dicens, accipite & edite ex eo omnes, Hoc. n. est corpus meum, quod pro multis confringetur. Similiter & calicem postquam cenatum est pridie quam pateretur, accepit respexit ad celũ ad te Sancte Pater omnipotẽs æterne Deus gratias agens benedixit, Apostolis, & discipulis suis tradidit dicens; Accipite & bibite ex eo oẽs. Hic est. n. sanguis meus. Vide omnia illa verba Euãgelistæ sunt, vsq; ad accipite siue corpus, siue sanguinem. Inde verba sunt Christi. Accipite, & edite ex eo omnes. Hoc est. n. corpus meum. Vide singula qui pridie inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem; antequam consecretur panis est, vbi autem verba Christi accesserint corpus est Christi. Denique audi dicentem. Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est. n. sanguis meus, & ante verba Christi Calix est vini, & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. qui plebem redemit. &c Quibus verbis vr̃ coniungere verba illa præcedentia. s. Accipite tanquam verba consecrationis.

D. Ambr.

Secundo confirmatur ex Eusebio Emiseno. ca. Quia corpus eadem d. vbi sic legitur. Inuisibilis sacerdos inuisibiles creaturas in substantiã sanguinis & corporis sui verbo suo secreta potestate conuertit ita dicens. Accipite & comedite. Hoc est. n. corpus meum, & sanctificatione repetita. Accipite & bibite, Hic est sanguis meus, ergo vr̃ contũgere illa verba præcedentia. s. Accipite tanquam verba consecrationis.

Eusebius

Sed hoc non est intelligendum dicit Scotus tãquam sint essentialiter pertinentia ad necessitatẽ consecrationis, sed tãquam necessario præmittenda; & non solum illa, sed ẽt alia multa præcedentia in canone, ex quibus possit ex vi sermonis haberi, quod ista verba: Hoc est corpus meum, dicuntur in persona Christi. Non. n. sine causa ecclesia connexuit totũ canonem Missæ, quod ab illo loco Cõicantes vsq; ad illum locum post cõsecrationẽ. Supplices te rogamus omnipotẽs Deus &c. non est aliqua oratio, quæ non necessario cõnectatur cum præcedente, vel per coniunctionem copulatiuã, sicut. Hanc igitur oblationem; vel per nomen infinitum vt. Quam oblationẽ tu Deus, & qui pridie quam pateretur, & post consecrationem. Supra quæ propitio &c. vel per relationem, vt ibi. Simili modo. Quæ aũt sint verba illa, quæ sunt necessario præmittẽda Scotus non explicat, mihi tñ videtur sm̃ istam opinionem, quod sint illa. Qui pridie quam pateretur, &c. Est itaq. dubius Doct. sub. circa hanc difficultatẽ, ideoq. dicit sed hostia consecrata, absq; verbis præcedẽtibus, nempe per ista tñ, Hoc est. n. corpus meũ esset adorãda sub conditione, & non absolute videlicet adoranda est cum hac conditione si vere consecrata est; sumendaque esset à sacerdote post cõionem antequam soluat ieiuniũ per ablutionis vini.

Ceterum obser. est primo, ꝙ ista quatuor verba. Hoc est corpus meum, sunt præcise necessaria, & de essentia cõsecrationis corporis; alia aũt præcedentia, vt qui pridie quã pateretur, &c. ponuntur esse necessaria non sicut ad consecrationẽ pertinentia, sed sicut ordinãria vel dirigentia consecrantis intentionem ad consecrationem. Secundo obser. est sñia Doct. intelligendam esse, cũ sacerdos intentionem haberet consecrandi non aliter quã referendo rẽ tpe cenæ à Christo gestam: Nam hoc posito, si solis verbis. Hoc est corpus meũ sine illis, qui pridie quam pateretur, cõficere tentaret, haud consecraret, & rõ est: qm̃ ad consecrationem ministri desideratur intentio, & in casu sacerdos non haberet intentionẽ aliter consecrandi, ꝙ Christi factũ, & ordinẽ in cena narrãdo.

Verum simpliciter & absolute loquendo hęc verba Hoc est corpus meum sunt solũ de essentia, necessitate, & forma huius sacramenti; ita vt si aliquis solas illas quatuor voces debita intentione proferret super debitã materiam, sine dubio

Digitized by Google

bio perficeret sacramentũ; licet ex alio capite peccaret: quia id faceret ecclesiæ vsu prætermisso. Ita sentiunt cõ(m)ter oẽs Theologi Alex. D. Thom. D. Bona. Richardus Durandus, Bossolus. Rubion, Vorilion, & Gabriel locis supra citatis.

Ad motiua aũt pro opinione Scoti, si absolute intelligatur, r(espo)ñdetur, & ad primum dico, quod minor est falsa: Nam sufficit quod talia verba ex intentione Christi, & ex intẽtione ministri significẽt effectum suum: Nam si requireretur, quod ex vi sermonis significarent effectum sacramentalem sequeretur, q(uod) etiam cum verbis canonis præcedentibus nõ fieret consecratio: quia verba præcedentia. s(cilicet) qui pridie &c. recitãtur ibi, vt dicta à Christo, quapropter q(uan)ñ post illa verba diceret sacerdos. Hoc est corpus meũ non significaretur ex vi sermonis, quod corpus Christi esset sub speciebus illis, quas sacerdos tenet in manibus, sed significaretur fuisse sub illis, quas ipsemet X(pi)s tenebat, q(uan)ñ dixit. Hoc est corp(us) meũ.

Ad confirmationem dico: quod illa verba, Accipite &c. non adducuntur ab illis Patribus tanquam de essentia consecrationis, quod ex eo colligitur: quia non significant conuersionem panis, sed vsum sacramenti. Vsus aũt sacramenti non est de eius essentia; & ideo optime colligitur, quod verba, quę significant vsum sacramenti, non pertinent ad essentiam sacramenti illius. Adducũtur autem illa verba ab illis Patribus cum verbis consecrationis: quia Christus protulit ea, q(uan)ñ sacramentũ illud instituit: & quia significant secundã perfectionem huius sacramenti: Nam sicut in naturalibus est duplex perfectio. s(cilicet) esse, & operari, ita prima perfectio huius sacramenti est esse illius, secunda vero vsus in quem est institutum.

Quoad secundam difficultatem an illa coniunctio, enim, sit de essentia formæ. Dico primo, quod illa particula. n. non est de essentia formæ, & consequenter nec de necessitate sacramenti. Ita Alex. de Ales. vbi sup. D. Thomas. art. 2. ad. 5. & Scotus in hac q. sub lit. b. §. Cõiũctio. n. & est cõis s(ente)ñ(tia) o(mn)ium Theologorũ. probatur: quia licet illa particula. n. à Christo D(omi)ño dicta fuerit, vt ex canone Missæ colligitur, in quo nullus error est, vt traditur in Concil. Trid. ses. 22. ca. 4. & can 6. & ideo credẽdum est ex traditione Apostolorum additam esse, vt colligitur ex c. Cum Marthæ de Celebra. Missarum; tamen cũ Euangelistæ, & Paulus illam prætermiserint non tenue iudicium est, non esse necessariam. Vnde secundũ D. Thom. loco citato, & in 4. d. 8 art. 2. q. 1. ad 2. & Richar. eadẽ d. art. 3. q. 1. ponitur ad designandum ordinẽ consecrationis sacramenti, ad vsum sacramenti, quod patet ex his verbis. Accipite. Hoc est. n. corpus meũ: q. d. quia talis est consecratio ideo vtimini consecrato: atq; adeo sicut vsus non est de essentia huius sacramenti, ita nec particula enim, quæ indicat rõnẽ talis vsus, erit de necessitate formæ vel sacramẽti.

Scotus vero aliam assignat rationẽ, quare hæc particula, enim, nõ sit de essentia: quia inquit, ponitur ad cõtinuandũ ne illa verba. q(uæ) sunt de forma proferãtur sine præcedẽtibus.

Sed dubium est, an saltem sit de necessitate præcepti ecclesiastici addere illam. R(espo)ñdetur ex cõi s(ente)ñ(ti)a o(mn)ium Theologorũ, quod sic: qui cõ(mun)ter affirmãt peccatũ esse illã omittere.

Sed quęres. An sit peccatum mortale? Richardus loco citato, Victoria in summa nu. 74. dicunt absolute particulam illã non posse omitti, sine peccato; non explicant tamen esse mortale. Gabr d. 8. q. 3 Holkoth. in 4. d. 3. & Sũmistæ aliqui dicunt esse peccatum mortale, si scienter omittatur ita Angelus verbo Eucharistia. 1. nu 22. Marsilius in 4. q. 6. art. 1. p. 2. dub. 3. & Ledesma solum dicunt esse mortale, si ex contẽptu omittatur. Sotus vero in 4. d. 1. q. 1. art. 8. asserit etiam si ex contemptu omittatur non esse mortale: quia etiam contemptus potest esse venialis ex leuitate materiæ.

Ego autem dicerem, quamuis eum à culpa mortali excusarem, qui ex negligentia vel inaduertẽtia culpabili omitteret; non tamen eum qui ex contemptu: quia talis contẽptus, & ecclesiæ & eius institutis iniuriosus est: Non enim hæc materia est adeo leuis, vt Sotus existimat: Nã licet particula. n. leuissima sit, illa tamẽ addita, vel subtracta sermonis sensus multum variatur, quod in re tam graui non videtur adeo exigui momenti. Posset vero timeri huiusmodi contẽptus in eo, qui sciens, & aduertẽs eam pro libito prætermitteret.

Sed dubiũ est, an verba quæ sequuntur post illud pronomen meum, sint de necessitate huius sacramenti; Ratio dubitandi est: quia Græci censent esse de essentia illud verbũ, quod pro vobis tradetur, seu tradetur, vel frangitur. In omnibus. n. liturgijs additur hoc verbum aliquo ex his modis. In liturgia Iacobi dicitur, quod pro vobis frãgitur, & datur in remissionem peccatorum. Basilij. Quod pro vobis frangitur in remissionẽ peccatorum. Idem Clemens li. 4. consti. c. 17. Damas. lib. 3. de fide, c. 14. Chrysostomus. Quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorũ. Et Ambr. 4. de sacramentis dicit. Quod pro vobis confringetur. Et habent Græci fundamentum in Luca, & Paulo. Lucas enim de præsenti dicit. Quod pro vobis datur, vel vt Ambrosius, & alij legunt, quod pro vobis frangitur. Paulus vero 1. ad Corint. 11. addit. Quod pro vobis tradetur; ergo hæc particula vno vel altero modo necessaria est, quãdoquidem illa Christus est vsus, & videtur esse determinatio prædicati & pars eiusdem propositionis; Vnde Alexander Papa epist. 1. c. 4 ait. Christum nos docuisse conficere hoc sacramẽtum cum accepto pane dixit. Accipite, & manducate. Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Cæterum dicendum est, Verba, quæ consequuntur post illud, pronomẽ meũ nõ esse de necessitate huius sacramẽti. Hæc assertio est de fide; & probatur ex vsu Ecclesiæ Romanæ: quæ sine illis verbis consecrat corpus Christi; si autem illa verba essent de necessitate, intolerabilem errorem Ecclesia committeret: careret enim vera consecratione vtroq; Eucharistiæ sacramento, quod asserere hæreticum est, cap. Ad abolendam de hæreticis.

Sed quæres. An Græci addendo illam particulã errent? Dico per se non esse malũ illam addere: quia neq; est cõtra vllum præceptum; neq; aliunde intrinsece malũ, est t(ame)ñ malũ illã addere vt necessariã; & damnare eos; qui illam non addũt: quia hęc existimatio, seu intentio cõtinet errorẽ in fide.

Sed quæres rursum. An Gręci addendo illam particulam vt necessariam vere conficiant, videtur. n. velle introducere errorem & formam, quam Christus non instituit. R(espo)ñdetur t(ame)ñ eos rite conficere: quia vera forma vtuntur à Christo instituta, & id quod addunt non corrumpit verum sensum illius formæ; & ideo licet illud addant vt necessarium, & errorem inducant, non t(ame)ñ agunt contra veritatem sacramenti.

Ad fundamentum Græcorum Capreolus in 4 d. 8. q. 1. art. 3. ad 6. & Duran. con. 2. Concl. quem sequitur Ledesma. q. 19 artic. 1. dub. 2. dicunt Christum non dixisse illa verba, quod pro vobis tradetur, immediate post consecrationem corporis, sed ante, vel postea, quod fieri quidem potuit, & non repugnat Euangelio. Quia non est necesse o(mn)ia fieri eodem ordine, quo narratur. Cæterum vnde ipsi id colligerint non video. Lucas n. & Paulus omnia describunt in contextu; & illud relatiuum quod indicat immediatam consecutionẽ; sicut in verbis illis. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Quod vero alij Euangelistę verbum illud prætermiserint, nullum indiciũ est non esse dictum a Christo eo ordine, quo ab alijs narratur; Est bene maximũ indicium non esse de essentia formæ; quia credendum est vnũquemq. Euangelistam sufficienter narrasse huius sacramẽti institutionem: Cum ergo Matthæus, & Marcus illa verba omiserint, certũ est non fuisse dicta à Christo vt essentialia; vt notarunt Richar. d. 8. art 3. q. 2 ad 1 & Marsilius. q 6. art 1. Nam verisimile est nullũ Euangelistam, qui institutionẽ narrant, verbum aliquod essentiale prætermisisse. Addi ergo potuit, tum ad magis exprimẽdam corporis veritatẽ, tum ad passionis commemorationem, & hac ratione credẽdum est, Patres Græcos in eorum Liturgijs illud addidisse. Latina aũt ecclesia ideo illud omittit: quia indubitata fide tenet illa verba. Hoc est corpus meum, sufficere, quod vsu eorum voluit comprobate; & satis existimauit determinationem similem adiungere in forma calicis, in cuius consecratione repræsentatio passionis Christi consummatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum forma præcisa consecrationis vini ea sit quæ ponitur in Canone Missæ.

Ratio dubitandi est. Tum quia formã, qua vtimur nullus Euangelista declarat; adeo non videtur ex Euangelio certa. Tum quia Græci nõ vtuntur illa forma sed alia, & per consequens forma nostra non est præcisa. Pro huius difficultatis solutione obser. est primo, hoc sacramentu solis verbis à sacerdote prolatis confici; ita vt verba in omni proprietate, & rigore sumpta sunt ad hunc effectum necessaria. Ita determinatum est in Concilio Florent. vbi dicitur

verba

Digitized by Google

verba esse formam, qua cōficitur hoc sacramentum. Vtitur autem proprie nomine verborum, sicut in Baptismo, confirmatione, & alijs sacramentis, & ita vniuersa ecclesia intelligit, huius autem ratio à priori est ex Christi Domini institutione, quæ ex illius facto, quo verbis consecrauit, & ex verbis, quæ adiunxit. Hoc facite in meam commemorationem, & ex ecclesiæ determinatione satis constat.

Secundo obser. est, Verba quibus hoc sacramentum conficitur sunt certa, & præscripta, nō quidem quoad materialem sonum, sed quo ad sensum, & significationem, hoc etiā
Conc. Trid. Conc. Flor. patet ex Concilio Florent. in decreto Eugenij, & insinuatur etiam in Concil. Trid. sess. 13. & patet ex doctrina sacramentorum in genere. Requiruntur. n. in omnibus sacramentis certæ & determinatæ formæ, nō tantum propter institutionem; sed etiam propter consecrationem, & constitutionem sacramenti.

Tertio obser. est. Verba sufficientia & necessaria ad hoc sacramentum conficiendū ea esse, quibus Christus illud confecit. Hoc certum est ex ijsdem Cōcilijs Florentino & Tridentino, ex Florentino quidem dicente. forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit sacramē. tum; vel vt alia exēplaria habent, quibus conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc cōficit sacramentum. Ex Tridentino vero sess. 13. c. 3. vbi dicitur commune hoc esse sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem. & infra. Et semper hęc fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Dñi nostri corpus, verumq. eius sanguinem sub panis, & vini specie, vna cum ipsius anima, & diuinitate existere. Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinē sub specie vini, ex vi verborū &c. Colligitur etiam ex cap. Cum Marthæ de celebr. Missarum vbi dicitur. Christum cōficiendo hoc sacramentum expressisse formam, qua hoc sacramentum conficitur. & ex capit. Vtrum de consec. d. 2. quod supra fuit relatum.

1 Conclusio His obseruatis dico primo. Ad consecrandum non esse necessarium totum canonem Missæ, loquendo de necessitate sacramēti: patet quia nec Christus totum canonem dixit cum consecrauit; nec in ecclesia semper fuit in vsu totus canon, neq; eodem modo: Nam licet ab initio nascentis ecclesiæ, aliquid eius inchoatum fuerit, tamen non semper integer, & perfectus fuit præscriptus, sed temporis successu auctus est, partimq. mutatus; vt constat ex antiquis liturgijs; & ex Dionysio cap. 3. eccles. Hierarchiæ, quinimo D.
D. Dionysi D. Gregor. Gregorius lib. 7. Registri. epist. 63. scribit tempore Apostolorum solam orationem Dominicam adiungi solitam verbis consecrationis, de quare legendus est Gabriel. lect. 5. in
Gabriel. Guil. Dur. Canonem, & Guill. Durandi lib. 4. Ration. c. 34.

2. Conclusio Dico secundo. Non omnia verba & orationes, quæ ponuntur in Canone & in Missa proferuntur ante verba, quibus Christus consecrauit, esse simpliciter necessaria ad conficiendum hoc sacramentum; siue sint verba ecclesię. s. communicantes & memoriam venerantes &c. siue Euangelistarum, vt illa simili modo postquam cœnatum est &c. De verbis ecclesiæ patet. tum, quia verba ecclesiæ non semper adhibita sunt: Tum quia ecclesia non potest aliquod necessarium simpliciter ad substantiam sacramenti instituere. De verbis etiam Euangelistarum & D. Pauli patet. Tum quia Christus ad consecrandum non dixit illa, sed fecit id, quod per ea refertur; ostensum est autem sola verba Christi esse necessaria ad consecrandum. Tum etiam: quia antequā Euangelistæ, & Paulus scriberent illa verba, fiebat in ecclesia consecratio: Tum demum: quia quod significatur per illa verba, non est essentiale, neque necessarium ad conficiendum hoc sacramentum; non enim est necesse vt sacerdos accipiat panem in manu, neque vt præmittat aliam benedictionem, nec gratiarum actionem; ergo nec verba ipsa erunt simpliciter necessaria.

3. Conclusio Dico tertio. Nec verba, nec orationes, quæ adiunguntur post verba Christi esse necessaria simpliciter ad consecrandum, hoc est iam omnino certum de fide, vt diximus in superiori art. & constat primo ex principio posito, quod hoc sacramentum conficitur verbis Christi, vt dixit Conc. Flor. ergo tantum verba saluatoris sunt necessaria; & confirmatur: quia statim ac Christus dixit hoc esse suum corpus, vel sanguinem, cępit esse verum quod dixit; & consecratio perfecta fuit, vt dicit Concil. Triden. ses. 13. cap. 4. Et statim subiunxit. hoc facite in meam commemorationem: quæ verba sine dubio non sunt necessaria ad consecrationem, cum supponant factam, ergo multo minus quælibet alia necessaria erunt, consequentia patet: quia implendo verbum illud Christi. Hoc facite sufficienter fit consecratio.

Dico quarto. Quod verba præcisa consecrationis vini ea sunt, quæ intra canonē in Missalibus Romanis, maioribus characteribus describuntur: nec refert quod particula enim eodem modo scribatur: quia id fit quoniam alijs est interposita in eadem propositione. nō quod sit æque necessaria: sed dubium est an præcise hæc verba. Hic est Calix sanguinis mei, sint de essentia formę, an etiam reliqua omnia, quæ in eadem forma describuntur, de qua difficultate erit sermo in sequenti articulo.

Ad primā rationem dubitandi dicit Scotus in hac q. sub litt. b. § Respōdeo. Non dubito, quin forma nostra sit certa secundum authoritatem. Illam Innocentij de Celebr. Missarum cap. Cum Marthæ: quia multa tradita sunt ecclesiæ ab Apostolis; quæ tamen non sic scripta sunt in Euangelijs, quia intendebant narrare rem gestam, non autem formam consecrandi tradere. Vnde obser. est. quod omnia illa verba, quæ sunt in forma Calicis, fuerunt à Christo prolata, vt docent Alex. de Aler. p. 4. q. 8. m. 4. art. 2. § 4 D. Thomas 3. p. q. Alex. Alen.
38. art. 3. D. Bonau. hac dist. & cæteri Theologi. cum Doct. D. Thom. D. Bona.
nostro sub. hic secuti. Innoc. in dicto cap. Cum Marthæ ita Scotus
dicentem. licet non omnia illa verba ab Euangelistis referantur, refert tamen fere omnia; & cætera traditione constare esse dicta à Christo, quod etiam cōfirmat Canon Missæ illis verbis. Similiter & Calicem, postquam cęnauit dicens. Hic est calix &c. vbi omnia verba subsequentia referuntur, vt dicta à Christo: An vero dicta fuerint eo ordine, quo in canone referuntur, quia neq; scriptum est; neq; traditum, nec; oportet, vt quę referuntur, eo ordine gesta sint, nō est certū; Vnde & Euangelistæ in ordine referendi hæc, & alia verba varij sunt, atq; adeo vt hic dicit Scotus, forma consecrationis sanguinis eo modo, quo ea nos vtimur, non fuit ab Euangelistis tradita. Innocent.

Ad secundā dicit Scotus, quod ecclesia non dicit Græcos non conficere hac forma. Hic est sanguis meus; vel ista. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum, vt patet ex liturgia D. Chrysost. tom. 5. Vnde dicunt aliqui, quod forma eorum D. Chry.
est forma nostra; & quæcumque scripta in Euangelijs sufficiens est ad consecrationem; tamen in ecclesia Romana est de necessitate ministri vti forma, qua vtimur.

Ex quo patet opinionem Palud. hac d. q. 3. esse plusquam Palud.
temerariam, & contra vniuersalem ecclesiæ traditionem, asserentis formas Græcorum in omnibus liturgijs, & ecclesijs insufficientes esse, atque adeo Græcos illis vtentes non conficere. Nam vniuersalis Christi Ecclesia illas liturgias recipit, & probat, vt patet in 6. Synodo. Præterea fuisset ille intolerabilis error in magna vniuersalis ecclesiæ parte, quē Romana Ecclesia haud permittere debuisset. Atqui Ecclesia Romana nunquam reprehendit aut notauit Græcos de hoc errore, quinimo in Concilio Florent. ses. vltima in fine; Conc. Fl.
aperte supponitur Græcos rite conficere corpus, & sanguinem Domini formis, quibus ipsi vtuntur; & ab eis solum quæritur, cur post illas formas addant orationes, quibus videntur consecrationem postulare. Græciq. respondent se firmiter credere illis verbis confici sacramētum; quod Latinis summe placuit; neque vllam aliam controuersiam de forma habuerunt cum Græcis, sed solum circa materiam de azymo, & de mixtione aquæ. propter quod Eugenius in litteris Vnionis nulla verba posuit, sed generatim dixit. Hoc sacramentum confici voce saluatoris.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc sola verba. Hic est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus sint de essentia consecrationis Vini.

VT certa ab incertis separemus, supponendum est, hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem non pertinere ad formam sanguinis, vt omnes Theologi cōtent doceor, probatur primo: quia illa verba non magis faciunt pro sanguinis consecratione, quam corporis; at prædicta verba. Hoc facite in meam commemorationem non pertinent ad corporis consecrationem; ergo neq; ad consecrationem

Digitized by Google

nem sanguinis: maior patet, quia sicut Christus præcepit cõsecrationem sanguinis, ita ẽt & corporis. Minor probatur: quia alias sequeretur, quod adorantes hostiã ante prolationẽ illorũ verborũ essent idololatræ, qđ est hæreticũ dicere.

Præterea præceptum de vsu consecrationis non est de forma ipsius consecrationis; sed per illa verba datur præceptũ de consecratione, ergo non sunt de forma consecrationis.

Item tertio. Collatio potestatis consecrandi nõ fit per verba, quæ pertinent ad formam consecrationis; sed per prædicta verba, hoc facite in meam cõmemoratione data fuit vera potestas consecrandi; ergo illa verba non pertinent ad formam consecrationis: minor patet, & maior probatur: quia verba significantia potestatem differunt a verbis respicientibus consecrationem; quia illa respiciunt potestatem, & illum cui talis potestas confertur, hæc aũt respiciunt materiã consecrationis, vel terminum in quem consecratur, patet ergo quod ista verba: hoc facite in meam commemoratioñe, non sunt de forma consecrationis.

Hoc ergo tanquam certo supposito, dubium est, an omnia ista verba: hic est calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissioñe peccatorum, sint de forma consecrationis sanguinis: de qua re sunt duæ opiniones extremæ.

Prima asserit hæc omnia verba esse de substantia, & essentia formæ consecrationis sanguinis. & hæc est opinio D. Th. 3. p. q. 78. art. 3. quam sequuntur Capreol. dist. 8. q. 1. artic. 3. Heruæus dist. 10. q. 2. S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 15. §. 4. Siluest. verbo Eucharistia. 1. q. 6. Armilla eodem verbo, nu. 14. Viguer. in Instit. c. 16. & eandem docet Gerson alphab. 26. in fine.

Fundamenta pro hac sententia tria insinuantur a D. Tho. Primum est quia Luc. 22. hæc posteriora verba interponuntur prioribus: sic. n. dr: hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, ergo signum est omnia esse essentialia.

Secundum est ex consuetudine ecclesiæ: quia. s. sacerdos eodem ritu, & modo tenendo calicem in manibus hæc omnia profert; hoc autem non fieret nisi omnia pertinerent ad consecrationem sanguinis.

Tertium est: omnia verba quæ sequuntur post illa verba sanguinis mei, pertinent ad eandem orationem, ergo pertinent ad eandem formam sacramenti. probatur sequela, quia forma sacramenti est quædam oratio enũciatiua, ergo quicquid pertinet ad eandem orationem, pertinet ad eandẽ formam sacri: antecedens probatur, primo de illis verbis, qui pro vobis effundetur, nam ratione illius relatiui, qui, ad eandem orationem pertinent, ad quam pertinet suum antecedens; sed suum antecedens est sanguinis mei, quod pertinet essentialiter ad formã consecrationis; ergo, & qui pro vobis effundetur ad formam consecrationis essentialiter pertinet.

Secundo probatur de illis verbis noui, & æterni testamẽti: Nã omnia illa verba, Noui, & æterni testamẽti, &c. sunt determinatio prædicati, sed determinatio, & determinabile ad eandẽ pertinet orationem; ergo sicut calix sanguinis mei, quod est determinabile sunt de essentia formæ, ita noui, & æterni testamenti, &c. quæ sunt determinatio, erunt de essentia formæ: Nam donec illa omnia finiantur non est absoluta propositio, sunt ergo de essentia.

Assumptum probatur primo: quia illa verba determinãt sacramentalem significationem; Nam quia hoc sacramentũ est repræsentatio passionis Christi, debuit hoc exprimi in forma, & ideo oportuit illam determinationem in forma ponere: Magis autem est adhibita in forma sanguinis, quã corporis; quia & in passione sanguis est separatus a corpore, & in consecratione sanguinis separata a consecratione corporis consummatur hæc repræsentatio.

Probatur secundo: quia ẽt per illa verba, qui pro vobis effundetur significatur esse sacrificium, quod in cõsecratione sanguinis perficitur, ergo illa determinatio est essentialis.

Hæc etiam opinio insinuatur ab Innocent. in c. cum Marthæ, vbi inquit. Credimus, quod forma verborũ sicut in canone reperitur ẽt a Christo Apostoli, & ab eis eorũ acceperunt successores; sed formæ sacrorum habent efficaciam a Christi institutione; ergo cũ forma consecrationis vini, quæ est in Canone, sit a Christo instituta, vt inquit Innoc. seqr, q̃ est de essentia consecrationis, vt est in canone, atq; adeo oĩa illa verba sunt de essentia formæ consecrationis sanguinis.

Flor. Mirã. Colo. Accedit quod in Concil. Florent. in decreto Eugenij in fine, omnia illa verba ponuntur in forma sanguinis, vt refert Barthol. Miranda in sua summa Conciliorum. Item in Concil. Colon. p. 7. c. 14. & in Enchiridio Christianæ institutionis tit. de sacro Eucharistiæ omnia hæc verba posuit in forma, & subiunxit. Reliqua quæ dicuntur vel ad vsum sacri pertinent, vel laudes, vel gratiarum actiones sunt, vel petitiones, tam aũt apertus est Christi sermo, quo hoc sacrum conficitur, vt plane insani sint, qui eum deprauare contendunt, sentit ergo illa verba esse essentialia, ac omnibus his cõfici sacramentum. Denique in catechismo Pij V omnia illa verba dicuntur esse forma huius sacramenti. Vnde eiusdem Pij V. opera Comment. Caiet. in art. 3. q. 78. 3. par. D. Tho. in quo D. Tho. opinionem deserebat expunctus est.

Cæterum hæc opinio D. Thom. sustineri non põt: Quoniam illis verbis perficitur integra formæ sacramẽti; quibus significatur effectus sacramenti: sed illis solis verbis: hic est calix sanguinis mei, significatur integre cõuersio vini in sanguinem Christi, qui est effectus significatus, ergo illis verbis solum perficitur integra forma sacramenti, & vera consecratio: maior patet, quia formæ sunt institutæ ad significãdum id quod efficiunt. *Reiicitur opinio D. Thom.*

Præterea non minoris efficaciæ sunt hæc verba. Hic est calix sanguinis mei, quam illa, Hoc est corpus meum. ergo sicut illa sufficiunt ad consecrandũ corpus, ita hæc sufficiunt ad consecrandum sanguinem.

Præterea tertio si omnia verba, quæ ponuntur in canone post sanguinis mei, essent de essentia consecrationis vini, sequeretur quod aliquo ex illis ablato non fieret consecratio, consequens est falsum, ergo & antecedens; consequens patet, & minor probatur; quia Græci vere consecrant, & tamẽ forma, qua vtuntur in consecratione vini est hæc. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; vt legitur in liturgia Chrysost. tom. 5. in qua nõ sunt hæc verba æterni, & mysterium fidei; ergo omnia verba, quæ ponuntur in canone non sunt de essentia consecrationis vini, & eandem particulam mysterium fidei omittit Concil. Colon. p. 7. c. 14. *Chrysost.*

Aethyopes ẽt in sua Missa, cuius Author dr̃ fuisse Matt. Apost. hac forma vtuntur. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redẽptione multorum, in qua præter duas dictas particulas, omittitur etiã noui testamẽti. *Conc. Colo*

Item apud Clementem lib. 8. Constit. c. 17. ita notanter legimus. In qua nocte tradebatur accipiens panem in sanctas, & immaculatas manus, & suscipiens in te Deum, & Patrẽ, frangensq; dedit discipulis dicens. Hoc mysterium noui testamenti accipite, ex eo comedite, hoc est corpus meum, qđ pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter, & calicem miscens ex vino, & aqua, & sanctificans tradidit eis dicens bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem, &c. ex quibus verbis colligitur primo verba illa mysterium fidei, & noui testamenti, non esse partem alicuius formæ, sed præambula; sicut illa accipite; & comedite; deinde colligitur illa verba, qui pro vobis effunditur non magis esse necessaria in forma sanguinis; quam illa, quod pro vobis frangitur sint necessaria in forma corporis. *Clemens.*

Demum in Missali Mozarabo in canone ordinato a Sãcto Isidoro, secundum quem ritũ celebratur quotidie Toleti in capella, quæ dicitur, de los Mozarabos inter ecclesiã maiorem, habetur hæc forma prout Sotus dist. 11. q. 1. art. 3. testatur se vidisse. Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis fundetur; & tamen his verbis vera fit consecratio sanguinis, ergo non sunt de eius essentia omnia alia, quæ ponuntur in canone Latino; sed illa tantum, quæ conuersionem vini in Christi sanguinem significant. *Isidorus. Sotus.*

Ex his itaque clarissime patet opinionem hanc D. Thomæ sustineri non posse. Quod videns Caietanus contrarium assertissime sustinet & conatus primum D. Thomam ad se pertrahere, quia vidit non posse, tandem deseruit eum. Dominicus vero a Soto vbi supra in opinionẽ D. Thom. in hunc modum commentatur, distinguit namque inter essentiam, & substantiam formæ dicens D. Thomam non loqui de essentia, sed de substantia. Id autem de essentia vocat, sine quo effectus formæ non potest subsistere, atq; adeo quod est simpliciter necessariũ ad sacrum de essentia formæ appellat. Id vero de substantia vocat, qđ ex institutione Christi requiritur ad integritatem, & effectum formæ, quamquam si desit non propterea sacramentum sit nullũ; Vnde dicit nulla esse verba essentialia, & de necessitate simpliciter huius sa- *Caietan. Sotus.*

cramenti, nisi illa. Hic est sanguis meus; seu hic est calix sanguinis mei, verba vero sequentia dicit esse de integritate, & substantia formæ: quia ex institutione Christi oĩa dicenda sunt, vt forma sit integra, & q̃ñ dicuntur ad consecrationem concurrunt, quæ non perficitur donec illa oĩa absoluantur, si minister debita intentione conficiat, intendens. s. facere, qđ Christus fecit, & instituit, nõ sunt tñ hæc verba simpliciter necessaria: quia licet non proferantur, & minister velit solis alijs conficere, tenebit consecratio, quamuis male faciat. Hoc scdm declarat Sotus primo: quia dum profertur in hac forma pronomen meum, vel vltima particula potest breuiori, & prolixiori sono proferri, & tamen cum prolixius profertur totus sonus est de substantia, & concurrit ad effectum, licet dimidia pars eius sufficeret ad essentiam.

Secundo, quia in forma baptismi, vel penitentiæ pronomen, ego, non est de essentia, & tamen cum profertur de substantia est, vt concurrit ad effectum. tertio quoniam quã do baptismus trina mersione oẽs sunt de substantia, licet nõ de essentia; vt clarius in sacramento penitentiæ confessio unius peccati venialis esset sufficiens ad essentiam in eo, qui non habet conscientiam mortalis, & tamen si fiat confessio plurium mortalium tota erit de substantia, & integritate sacramenti. Itẽ digitus, & manus de substantia hominis sunt, ceu partes integrales, & tamen non ita sunt de essentia, quo minus sine illis possit homo viuere.

Refellitur commẽtatio Soti. Cæterum hæc Soti commentatio, & falsa est, & cõtra D. Thom. intentionem; falsa quidem, quia fingit quid nouum, & inauditum in formis sacramentorum sine fundamẽto, vt ex responsione ad eius motiua patebit: Nam si verũ est, vt re vera est, & ipse fatetur verba illa non esse de essentia, neque de necessitate formæ, consequenter ẽt dicendum est, nõ esse ex institutione, aut præcepto Christi, vt adiungãtur, vel coniungantur verbis formæ: qm̃ si hoc esset diuinum præceptũ, negari non posset, verba illa non esse de essentia formæ: quia in nulla forma alicuius sacri inuenitur aliquid ex præcepto Christi dicendum, quod non sit essentiale: quia nõ aliter instituit Christus essentiam sacri, quam præcipiendo, vt ita fieret; ergo non dñr hæc verba ex præcepto Christi: neq; ẽt ex institutione, quæ. n. põt hic esse institutio si non est præceptum? ergo ratione institutionis, vel præcepti Christi, nõ possunt hæc verba dici, de substantia, & integritate formæ: neq; dici possunt verba formæ rõne efficientiæ: quia verba non põt hẽre efficaciã nisi ex institutione Christi; at Christus nec instituit, nec p̃cepit vt hæc verba dicerẽtur: quia alias essent de essentia formæ, q̃đ ipse negat, ergo &c. Nec possunt illã habere ex ecclesiæ institutione: quia ecclesia non põt verbis efficaciã conferre, Non. n. est credibile, quod efficaciam verborum ex institutione, vel ex solo vsu humano pẽdeat.

Præterea si sola additio facta post prędicatũ simplicis propositionis satis est, vt dicamus effectum non fieri, donec additio illa finiatur, sequitur primo Christum Dñm non consecrasse corpus illis solis verbis. Hoc est corpus meum, neq; commutasse panem in corpus, donec absoluit verba sequentia, quod pro vobis tradetur, & consequenter sentitur etiã illa esse de substantia consecrationis; consequens vẽ satis absurdum, alias Ecclesia Latina non conficeret eisdẽ verbis, quibus Christus, neque profert omnia substantialia verba, quæ ipse protulit. secundo sequitur additionem illam, qua vtitur Ecclesia Græca esse de substãtia illius formæ, & de eius integritate, & consequenter Ecclesiam Latinam habere mutilam formam corporis, saltem quoad substantialem integritatem eius, quod non est mediocre absurdum.

Est etiam hæc Soti commentatio contra D. Thom. intentionem, quod patet tum ex antiquorum Thomistarũ expositione, tum ex alijs locis D. Thomæ: Nam vbicunque D.

D. Thom. Tho. agit de sacrorum formis, id vocat de substantia formæ, quod est de essentia eius, vt patet q. 60. art. 8. vbi in cõmuni de forma sacramenti sic inquit; si diminuatur aliquid eorũ, quæ sunt de substantia formę sacramentalis tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur sacramentũ; & ad eundem modum loquitur, q. 66 tum etiam ex artic. 3. q. 78. in quo tractat hanc difficultatem non solum in corpore art. sed etiam in argumento secundo cũ solutione, declarat priora verba sine sequentibus non habere efficaciam.

Sententia ergo D. Thomę est, omnia illa verba esse de essentia, & necessitate simpliciter huius sacramenti. Quod clarius explicauit in 4. dist. 8. q. 2. art. 2. quæst. 1. vbi absolute dicit omnia illa verba esse de forma, quod etiam dicit lect. 6. in capitulo vndecimo, primæ ad Corint.

Ad Soti motiua respondetur, & ad primum dico, exemplum primum non esse ad rem: nam cum primo perficitur sensus formæ perficitur etiam consecratio; siue vltima syllaba breuius, siue diutius protrahatur: quia vel antecedit complementum, ac terminum ipsum essentialis formæ, quinimirum continetur completa prolatione illius vocis, vt significatio illius tota compleatur, & tunc dispar est ratio in proposito: qm̃ antequã cætera alia verba proferantur, habetur effectus essentialis formæ, nempe conuersio vini in Christi sanguinem; Nam statim quam dixerit sacerdos. Hic est sanguis meus, siue hic est calix sanguinis mei, facta est vini transubstantiatio, vt magis infra patebit, vel certe subsequitur, & tunc nego per talem moram prolationis fieri etiam consecrationem, atque adeo illam esse de substantia formæ.

Ad secundũ dico, quod pronomen ego in forma baptismi, neque essentiale est, neque substantiale, vt docẽt omnes Theologi, & ipsemet D. Thom. 3. p. q. 66. art. 5. ad 3. Nomen aũt calicis quatenus concurrit ad significationem essentialẽ, essentiale est, neque potest sine illo perfici consecratio, nisi quatenus mutari potest in æquiualens, quod commune est omnium formarum verbis.

Ad tertium dico, quod in baptismo ante trinã mersionẽ, si quis absoluat totam prolationem formæ, eo ipso iã erit verus baptismus cũ vera materia, & forma; & sic ante tertiam mersionem vere baptizauerit ex intentione Ecclesiæ, quicquid ille intentione sua particulari intendat; si aũt producat formæ prolationem vsque ad mersionem tertiã, tunc quidẽ tertia mersio erit de substantia, & concurret ad effectũ sacri non de se & absolute: sed quia tunc nondũ cõpleta erit essentialiter forma baptismi; in proposito aũt nostro illa verba posteriora est, iam cõpleta essentialis forma, & materia Eucharistiæ, atque ita etiam vere & essentialiter ipsum sacrm̃, ac proinde ante illa verba omnino fit consecratio, sine qua minime existit sacramentum Eucharistiæ, & ob hanc rationem alienum est aliud Soti exemplum de eo qui vteretur illa forma sine dispositione, quæ est apud Lucam. Nempe: hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, in qua certum est consecrationem haud perfici, quousque nominetur sanguis, & tamen incongrue diceretur in meo sãguine, nisi prolata particula noui testamenti in qua ablatiuus ille fertur, quæ tamen particula constat non esse de essentia formæ; sed tantum de substantia, & integritate.

Hoc inquã exẽplum non cogit: cum. n. quis vteretur illa forma, quæ est apud Lucã, non esset cõpleta essentialiter forma tunc, cum diceret nouum testm̃, sed cũ adderetur postea in sanguine meo, q̃ ob rẽ ante illa verba in sanguine meo, sicut non esset tunc verum sacrum, ita neque consecratio.

Ex hoc tamen non sequitur: quia illa verba nouum testamentum antecedunt voculam essentialem formæ, nẽpe in meo sanguine, quod etiam illa verba nouum testamentum efficiant consecrationem.

Exemplum etiam de confessione non est ad rem: quia materia sacramenti penitentiæ non est definita ad hæc vel illa peccata; sed est simpliciter confessio vel omnium mortaliũ, quæ fuerint in cõscientia penitentis, uel uenialium, quæ pęnitens clauibus subijcere uoluerit, & ideo, quoad hoc tantã, uel talem materiam pendet partim ex conscientia, partim ex uoluntate pęnitentis; at uero forma sacramenti est certa, & determinata ex institutione Christi.

Deniq; exemplũ de digito nullum est: Nam perspicuum est longe esse disparẽ rationẽ digitus. n. est de substãtia quatenus est de integritate corporis in se. In proposito aũt substantia sacri, ut eã Sotus distinguit ab essentia, interpretatur ipse per respectum ad effectum sacri, quo pacto iam probauimus non posse illa uerba subsequentia circa calicem esse de substantia formæ, & non de essentia. Cum igitur tota illa doctrina Soti planẽ singularis, & falsa sit, ea reiecta, superest ut soluamus motiua pro opinione D. Thom.

Vnde ad primum dico, Innoc. ibi nõ statuisse oĩa illa verba esse formam huius sacri, sed totam illã verborum seriem fuisse a Christo prolatã. Quęstio. n. erat illi proposita, nõ quibus aut quot uerbis constaret essentialis forma; sed qũo illa uerba, quæ super calicem dici solent proferantur omnia tãquam dicta ab ipso Christo, cũ quædã illorum non habeantur in scriptura, illa uidelicet, mysterium fidei, & c. & ad hãc quæstionem respondet ibi constare nihilominus ex traditione Apostolorum, quod ea ẽt uerba Christus protulerit.

Ad se-

Digitized by Google

Ad secundum dico, quod licet illa verba a D. Luca interponantur, ex hoc tamen non sequitur quod sint de essentia formæ: quoniam ea tantum verba sunt de essentia formę, quæ efficiunt conuersionem, quam significant, sed solū hæc verba, hic est sanguis meus, vel hic est calix sanguinis mei significant conuersionem, & illam efficiunt, atque adeo solū illa sunt de essentia formæ. Dico secundo, quod etsi D. Luc. verba illa interposuerit, alij tamen Euangelistæ hęc non fecerunt, ac proinde dici potest quod D. Lucas scripsit verba, quæ a Christo sunt addita, non tamen eodem ordine, quo Christus protulit ea, sicut neque omnia verba scripsit, quæ ex alijs Euangelistis Christum dixisse colligitur, qui plura verba, quam Sanctus Lucas testantur Christum dixisse.

Ad tertium dico, quod proferuntur omnia illa verba sub eodem ritu: quia Christus, cuius personā gerit sacerdos, omnia illa verba protulit sub eadem serie, licet sub eadem serie non omnia fuerint ab Euangelistis conscripta, vel ideo omnia illa verba eodem modo proferuntur, ac notantur, quia peculiari quadam ratione sunt accidentalis quædam perfectio formæ calicis, eo quod explicant rationem, & vim illius prædicati formę, nempe sanguinis mei, quod s. sanguis Christi in remissionem peccatorum effusus sit.

Ad quartum dico, quod quamuis omnia illa verba pertineant ad eandem orationem, non tamen ad eandem formā sacri pertinent tanquam de essentia; & ideo nego cōsequentiam, Nam hæc propositio; verba quæ pertinent ad eādem orationem, pertinent ad eandem formam, est falsa: quoniā multa verba possunt poni in oratione consecratiua, quibus remotis nihilominus esset consecratio, quæ in ponerentur ob deuotionem, sicut Christus dicere potuisset. Hoc est corpus meum, quod assumpsi de Virgine suspendendū in cruce, quæ verba dicerentur pertinere ad eandem orationē; sicut illa, qui pro vobis effundetur, & sicut illa, quod pro vobis tradetur, & tamen non pertinerent ad eandem formā; & ad probationem antecedentis quoad illa verba; qui pro vobis effundetur, dico quod parum valet: quia possibile est, qđ illa non pertineant ad eandem orationē, vt declaratur in illo sophismate videlicet, omnis homo qui est alius a Socrate currit: quia est distinguendum, nam vel est composita, vel diuisa, si est composita tūc hoc erit subiectum, omnis homo qui est alius a Socrate, & tunc illud relatiuum qui pertinet ad eandem orationem; sed si est diuisa illud relatiuum qui, tantum valet sicut ille, & facit hūc sensum: omnis homo est alius a Socrate, & ille currit; etsi hoc modo sumatur, relatiuum qui, non pertinet ad eandem orationem cum suo antecedente: Nam illa propositio in sensu diuiso facit vnā hypotheticam copulatiuam, in sensu vero cōposito facit vnam categoricā. Ita in proposito si hæc oratio. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis, &c. sumatur in sensu compositionis erit vna categorica, cuius subiectū est hoc totū. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis; & eius prædicatū est, effundetur, atque ita illud relatiuū qui spectat ad eandem orationem. Si aūt sumatur in sensu diuiso tunc facit hanc hypotheticam. Hic est calix sanguinis mei, & ille pro vobis effundetur in remissionē peccatorū; & hoc modo falsum est quod pertineat ad eandem orationem cū suo antecedēte, & hoc modo sumitur in proposito.

Ad illud de alijs verbis. s. noui, & æterni testamenti cōcedo, quod congruenter illa verba ad formā calicis adduntur, tanquam illius formæ perfectio quædā accidētalis vt supra diximus, sed non de substantia. seu essentia formæ; Sicut ēt in consecratione panis Christus verba adiecit, quæ sunt præcedentium determinatio. s. quod pro vobis tradetur, quæ tū non pertinent ad essentiā formæ panis, vt sine controuersia oēs Catholici concedunt; nec verum est quod hmōi additio suspendat semper significationem, aut ueritatē pręcedentis propositionis simplicis: quoniam interdum est per modum alterius partis formaliter, aut virtute alterius componentis vnam hypotheticam, & tunc non suspēditur veritas, quod vtique contingit cum in sensu diuisionis accipitur, & in hoc sensu dicendu est dixisse Christum. Hoc est corpus meum, & postea subiunxisse, quod pro vobis tradetur simpliciter affirmando primū, & quasi copulando scdm, ut esset sensus, hoc est corpus meum, & illud pro vobis tradetur.

Et idem omnino dicendum est de uerbis calicis, quæ pro nunc proferuntur a sacerdotibus minorem habent difficultatem: quia illa additio, qui pro uobis effundetur, solum materialiter refertur, atq; adeo non suspendit ueritatē formæ essentialis, quæ formaliter, & significatiue profertur.

Ad aliud, nego consequentiam: quoniam etsi per illā determinationem, qui pro uobis effundetur significetur esse sacrificium, ex hoc tamen non sequitur, quod illa determinatio sit de essentia formæ; quoniam etiam illa uerba in consecratione corporis. s. quod pro uobis traderur significant esse sacrificium, & tamen absque controuersia non sunt de essentia formæ. Ad illud Innocẽtiam dictum est.

Ad illud uero Concil. Florent. dico primo, quod in decreto Eugenij non ponuntur ea uerba, quæ dicit mitāda in sua summa. Nam in tomis Conciliorum non inueniuntur tres clausulæ, quas ibi mitanda addit nescio ex quo codice. Dico secundo decretum illud Eugenij indefinite loqui de uerbis Saluatoris, atque ita non de omnibus illis, sed de quibusdā intelligi debet, quod ait formam huius sacramenti esse uerba Saluatoris, alioquin similiter inde probaretur antecedentia quoque illa uerba accipite, &c. atque ēt illa subsequētia, quod pro uobis tradetur esse de essentia, quod tamen sine controuersia apud oēs quidem Catholicos falsum est, & p idem patet responsio ad ea, quæ obijciuntur de Cōc. Colon. & Catechismo Pij V. Nā licet omnia illa uerba ponātur in forma, non tamen ut essentialia formæ, ut explicatum est.

Secunda opinio extreme contraria est, solum illa uerba, hic est sanguis meus, uel æquiualentia esse essentialia, substantialia, ac necessaria, atque adeo in solis illis esse uim efficacem huius sacramenti, atque adeo in ultimo instanti prolationis eorum perfici transubstantiationem uini in sanguinem Christi; ita sentiunt cum Magistro sententiarum oēs alij Theologi. Ale. de Ales, p. 4. q. 10. m emb 4. ar. 2. §. 4. quæstiunc 4. Albert. Magn. in 4. d. 8. art. 7, ad 1. arg. quæstiunc. 1. & in lib de sacrificio Missæ D. Bonau. hac dist. part. 2. q. 2. ad 1. Henricus Gand. quol. 9. q. 10. Durand. d. 8. q. 2. ar. 2. Aureol. q. 2. art. 4. Ballol. q. 1. art. 3. Rubion. q. 2. art. 3. & est modo communis opinio, quæ utique tenenda est. *Magister. Alex. de Ales. Albertus. D. Bonauē. Henricus. Durandus. Aureolus. Bassolus. Rubion.*

Doctor sub. inter istas duas opiniones extremas mediare uidetur, & quidem pro comperto habet hæc uerba. Hic est calix sanguinis mei, esse de essentia formæ; cęterum, inquit, non esse nobis traditum omnino certitudinaliter an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba, quæ sequuntur post illud sanguinis mei; vel aliquid illorū sequētiū vsque illuc. Hoc facit. Ideo, inquit, periculosum est hoc asserere, de quo sufficiens authoritas, & ratio non hr̄. Non est aūt periculosum hoc ignorare: quia est ignorantia inuincibilis: quia non pōt homo ex quacunque diligētia illud scire qđ quæritur, nisi speciali reuelatione illustretur, qđ quia factum non legitur, certitudo de hac re non habetur.

Ex quo infert improbationem cuiusdam dicti minus discreti, quod necesse est in quolibet sacro scire pcise, quæ verba sunt de forma ad quod aliquis cōficiat sacrum. Hoc. n. dictum est manifeste falsum non solum in proposito de sacro Eucharistiæ, sed ēt in baptismo, & pęnitentia, & sacro ordinis. Nā in sacramento pęnitentiæ diuersi formis vtūtur diuersis; in sacramento etiam ordinis nullus forte est, neque episcopus, neque alius, qui sciat præcise verba pertinentia ad formam ordinationis in sacerdotem, & tamen nō est dicendum, quod nullus est ordinatus in sacerdotem in ecclesia.

Etsi quæratur, quid ergo agendum est in proposito; primo dicit Scotus. quod si sacerdos intēdit facere illud, quod ecclesia intendit facere legat distincte verba canonis a principio vsque ad finem vere conficit. secundo dicit, quod non est tutum alicui cuiuscunque doctrinæ, vel scientiæ sit, determinate se ad dicendum illa, vel illa verba cōsecrationis, pro consecratione sanguinis. tertio dicit, quod tutissimū est vti simpliciter verbis per ecclesiam institutis ad eius intentionem: quia mater nostra ecclesia errare nō potest in his quæ sunt fidei, & eo vel maxime: quia formæ sacramentorum sunt a Christo Domino institutæ, & ecclesiæ suæ per Apostolos traditæ, & per ecclesiam promulgatæ. Vnde securior est (inquit) simplicitas. Volo tīa verba proferre sub ea intentione sub qua Christus instituit ea esse proferenda, vt quæ ex Christi institutione sunt de forma: dico vt de forma, & quæ ad reuerentiam, vt ad reuerentiam.

Sed quid agendum esset si sacerdos moreretur antequam proferret omnia verba? i. si contingeret sacerdotē mori tantū his verbis prolatis. Hic est calix sanguinis mei, habendus ne esset sanguis tanquā vere consecratus; vel si sacerdos consecraret tantū illis verbis. Hoc est corpus meū, sine verbis pcedentib. Qui pridie q̄ pateretur, &c. esset ne corpus consecratum,

Digitized by Google

atque decorandum? Respondet Doct. quod in his casibus non est adorandum nisi sub condiitione si consectatum est. Etsi quæratur an in prædictis casibus verba sint iteranda simpliciter, vel cum conditione sicut in baptismo? Dicit Scotus, quod neque absolute, neque sub conditione; de primo patet, & de secundo assignat rationem; quia nõ imminet periculum damnationis animæ alicuius hic sicut in baptismo, vbi agitur de salute, ideo licitum est ibi quandoque sub conditione baptizare; sed hic si probabiliter dubitatur in altero istorum casuum si consecratio sit completa nullum periculum salutis imminet, si non iteretur, nec absolute, nec sub conditione. Et si quæratur an sit materia illa semper seruanda. Dicit quod non: quia putresceret; sed sacerdos post communionem sanguinis in sua Missa potest illam materiam recipere sub intentione conditionata tali. Si istud est consecratum, recipio vt consecratum: si non, non; sed vt tale de quo est incertum, neque in hoc potest esse periculũ: quia ieiunus est ante perceptionem vini purificationis; et si non est sanguis, quod percipit, non facit tamen irreuerentiã corpori, & sanguini iam perceptis: quia mox post sanguinem iam perceptum statim in altari percipimus purum vinum.

Marsilius. Ex his itaque patet Doct. nostrum sub. quoad hanc difficultatem fuisse ancipitem, & nihil certitudinaliter nobis ab eo traditum fuisse. & hanc Scoti sentẽt. sequitur Marsil. in 4. q. 6. art. 1. Sed nos dubijs dimissis contentos esse oportet authoritate Concil. Florent. & communi doctorum consensu; dicentium eas esse formas præcisas huius venerabilis sacramenti, quæ a nobis assignatæ sunt. nempe corporis hæc verba. Hoc est corpus meum, & sanguinis ista. Hic est calix sanguinis mei; vel hic est sanguis meus: Nam illis verbis tantum, sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum, ipsorumque virtute panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertitur vt docent Concil. Trident. & Florent. vbi supra. Grauissime tamẽ peccaret minister si non conficeret per formas integras in canone Missę assignatas. Nihilominus tamen vere consecraret per eas formas præcisas, quas modo assignauimus ex communi doctorum sententia forma enim profertur a ministro in persona Christi, etiam sine alijs verbis ex sola sacerdotis intẽtione: quia ecclesia cum tali intentione eam proferri mãdauit, sicque intentio sacerdotis facit vt verba prolata in persona Christi significent, panem, & vinum conuerti in corpus, & sanguinem Christi: sufficit ergo quod talia verba ex institutione Christi, & ministri intentione effectũ suũ significent.

ARTICVLVS V.

Vtrum singula verba vtriusque formæ scilicet corporis, & sanguinis ita sint apte, & conuenienter tradita vt mutari nullo modo possint.

Tribus modis potest fieri variatio in verbis. PRo explicatione huius difficultatis obser. est, quod variatio in verbis potest fieri tripliciter, vel per additionẽ vt si diceretur. Hoc est corpus meum sanctum, vel per diminutionem, vt si diceretur. Hoc est corpu, meu, & tollerentur s, & m, vel per immutationẽ, vt si diceretur: hoc est caro mea.

Hoc supposito, quod ad formam corporis dico; quod si addatur aliquid quod non variat formam institutã a Domino dummodo fiat ex simplicitate proferentis non impedit sacramentum, vt dicendo: hoc est corpus meum sanctũ; vel hoc est corpus meum natum de Virgine. Si vero adderet ad hæresim inducendã certe sacrum impediret, eo modo quo explicauimus in forma baptismi, si aũt adderetur aliquid qđ esset diminuens, vel distrahens non consecraret, vt si diceretur, hoc est corpus meũ corruptibile, vel hoc est corpus meũ mortuũ, aut hoc est corpus meũ peccato originali maculatũ.

Diminutio aũt potest fieri bifariã, quia aut diminutio tollit dictionem, aut syllabam, aut litteram, exemplũ primi, vt si quis diceret hoc est corpus, & non subiungeret meũ, nulli dubium est quod tollit formã, atq; adeo non fit consecratio. exemplum secundi, vt si diceretur. Hoc est corpus me, vel hoc est cor meum, & tollerentur um, & pus, similiter nõ esset consecratio: exemplum tertij, vt si quis diceret: hoc est copus meũ, & tolleretur littera r, vel diceretur hoc est corpu meum, & tolleretur littera s. Altero modo posset fieri diminutio pronunciando, seu proferendo vnam litteram pro alia, vt si diceretur: hoc est colpus meum, adeo vt pronũciaretur l, loco r; quemadmodum Pisani proferunt r, loco l; & hoc posset fieri dupliciter vno modo ex arbitrio remouendo litteram, quam pronunciare posset si vellet, & sic tollitur significatio primæ institutionis: quia corpus, vel colpus, seu corpu, non significat corpus ex primaria institutione, & sic certe non consecraret, præsertim si non haberet ecclesiæ intentionem; sed si haberet intentionem faciendi, quod ecclesia facit, adhuc cõsecraret, quicquid dicat Brianson: quia seruatur legitimus formæ sensus, vt optime notat Gabr. lect. 38. super Canonem, & nos diximus sup. distin. 3. q. 2. Aut remouet illas litteras non ex arbitrio, neque ex proposito; sed propter linguæ impedimentum, quia illas proferre non valet, tamen intellectu percipit illud, quod significat copus: atque ita licet secundum primariam institutionem copus non significet idem quod corpus, tamen secundum vsus accommodationem respectu illius qui aliter proferre non potest, idem significat copus, vel colpus, aut corpu, & corpus; atque adeo ille vere consecrat. *Brianson. Gabriel.*

Si autem variatio fiat per immutationem commutando, nẽpe voces, vt si ponatur vox vna pro altera, si vox talis non ita significaret sicut prima, non fieret consecratio; & ideo si quis diceret: hoc est caro mea, non consecraret: quia caro nõ significat toto suppositũ, sicut corpus, veluti si quis diceret: baptizo te in noĩe genitoris, & geniti, & procedentis: quia alius est intellectus huius sermonis & illius, cui Dñs virtutẽ contulit regeneratiuã: nam pater, filius, & Spiritus sanctus principaliter significant tres personas, quod non faciunt gignens, genitus, & procedens: quia multa generãt in quibus non est paternitas, nec filiatio, sicut sol generat ranam, & tñ neque sol est pater, neque rana filius, eo quia filius retinet naturam patris; rana autem non retinet solis naturam.

De transpositione autem verborum distinguo: quia aut variat sensum formæ aut non; si non variat fit consecratio; & ideo si quis diceret: hoc est meum corpus, vere cõsecrat. si autem variat, vt si diceretur, meum corpus est hoc, nõ fieret consecratio secundum aliquos: quia illud pronomen demonstratiuum hoc, dicendo hoc est corpus meum, in primo instanti prolationis demonstrabat substantiã panis, atq; adeo si diceretur, meũ corpus est hoc, esset sensus qđ corpus Christi est panis, quod tñ est falsum; ita Brianson, caeterum hoc non credo verũ: nam falsum est, hoc demõstrare substantiã panis, sed demõstrat hoc ens, quod est corpus Christi in vltimo instanti prolationis verborũ vt dicemus infr. art. 9. atque adeo idẽ est sensus dicẽdo; hoc est corpus meũ; & meũ corpus est hoc, videatur Gabr. lect. 88. super Canonem. *Brianson. Gabriel.*

Quoad formam calicis, idem est dicendũ sicut de forma corporis. Sed posset vlterius specialiter primo dubitari, cur in ea ponatur hæc vox calix, quæ nõ vr̃ ad formã sanguinis pertinere, quia est vas continens extra. Rñdetur qđ in hoc sacro consecratur sanguis Christi vt effusus in pretiũ, & vt ministratus in potum; sanguis aũt de se neutrũ dicit expresse; sed per coniunctionem cũ calice: quia sanguis in calice, vt effusus, & vt potandus proponitur. Dñs ergo in traditione huius formæ posuit hanc vocem calix, vt ostenderet p hoc iuxta modum loquendi, quem habuit, quod ille idem sanguis fuit, quem fudit in passione. Solet n. Dñs per calicẽ passionem suã significare; sicut Matt. 20. Potestis bibere calicẽ, quem ego bibiturus sum, & 26. Pater mi si possibile est transeat a me calix iste, & calicem, quem dedit mihi pater non vis vt bibam illum? Item vt ostenderetur quod sanguis ille debebat sumi in potum Ioan. 6. Sãguis meus vere est potus. Et hoc est quod dicit D. Hieron. ad Iudæos super Psalm. 75. Sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt, & super Psalm. 28. Iam securi bibite sanguinem, quem fudistis. Ponitur ergo calix: quia consecratur sanguis in ratione potus; liquor autem non habet rationem potus nisi vt in vase; Nihil autem tale ponitur in consecratione corporis: quia corpus conficitur vt cibus, solidum autem habet rationem cibi, licet non sit in vase. *D. Hiero.*

Secundo dubitatur. Cur sanguis nõ ponitur in recto sicut corpus, & ratio dubitandi est: quia si calix stat ibi transumptiue pro contento, deberet dici: hic calix est sanguis meus. Item si calix significat sanguinem ipsum vr̃ nugatorie dici calix sanguinis, sed deberet potius dici: hic est calix corporis mei: quia esset sensus, hic est sanguis corporis mei. Respondetur primo secundum Odonem Camaracẽsem Epm, in expositione Canonis; quod hęc vox calix accipitur metonymice. i. pro re ipsa contenta in calice; vt sit constructio trãsitiua pro intransitiua, & secundum figuram casus pro casu, vt sit *Odo Camaracen.*

sensus

Digitized by Google

sensus. Calix sanguinis mei, idest, hic est sanguis meus, quā expositionem sequuntur communiter Theologi D. Thom. 3. par. q. 78. art. 5. D. Bonau. hac dist. par. 2. art. 1. q. 2. Richard. art. 3. q. 2. ad 5. & Gabr. lect. 12. in canonem. secundo dicitur iuxta Titelmanum in expositione Canonis, quod calix proprie sumi potest pro vase ipso, vt intelligatur calix sanguinis ille, in quo sanguis est, quemadmodum poculum vini dicimus quod vinum continet, quæ expositio quoad sensum coincidit cum prima; tamen prior est magis vsitata, & accōmodata modo loquendi; sicut cum dixit Christus. Qui dederit calicem aquæ frigidæ, &c. non est sensus, qui dederit vas continens aquam, sed aquam contentam in vase, & ex dictis patet responsio ad obiecta.

D. Thom. D. Bonau. Richardus. Gabriel. Titelman.

Tertio dubitatur de illis verbis. Noui, & æterni testamēti: Nam videtur, quod contraria implicent, quō enim potest esse nouum, & æternum, cum æternum caret principio, & fine? Item quare magis hoc sacramentum dicitur nouum, & æternum, quam sacramentum baptismi, ex quo de latere Christi ecclesiæ præcipua sacramenta fluxerunt. sacramentum nostræ redemptionis in sanguine, & sacramentum regenerationis in aqua: si enim hoc sacramētum ratione sanguinis effusi dicitur esse noui, & æterni testamenti, illud similiter debet dici ratione aquæ effusæ. Respondetur quod sanguis Christi dicitur noui, & æterni testamēti; quia Christus nouum Euangelij testamentum in æternum confirmauit sanguine mortis suæ: Nam per illud nomen noui testamenti, inquit Scotus, intelligitur cōiter secundum sanctos confirmator, in quo intelligitur implicatio sanguinis, qui est confirmator noui, & æterni testamenti. Sic Abraham oblatis ouibus, & bobus cum Abimelech, & Phicol Principe militiæ percussit fœdus, id est, oues, & boues percussit in fœdus, vt sanguine, & morte animalium fœdus cōfirmaretur, & Iacob fugiens a Galaad, facto iuramento cum auunculo suo Laban, immolauit victimas, vt sanguine victimarū fœdus sacramenti confirmaretur. & Moses vt confirmaret testamentum quod accepit in Sina victimæ sanguine aspersit hysopo populum, & tabernaculum. Sic & modo in temporis plenitudine nouum testamentum in sanguine veræ hostiæ dedicari, & confirmari debuit nullo vnquam tempore antiquandum; quomodo hostia illa in cuius sanguine est dedicatum, aliam non expectat, nec habebit hostiam posteriorem, per quam eius virtus euacuetur. Dicitur autem nouum testamentum, quod Christus in carne veniens nouus homo nobis instituit, atque prædicauit, & suo sanguine per mortem suam confirmauit in perpetuum duraturum, cui nullum aliud succedet propter quod etiam æternum nominatur. Dicitur insuper æternum: quia est æternæ hæreditatis promissio iuxta illud. Noui testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Nam in testamento veteri, quatenus tale erat præcipue fiebant temporales promissiones, in nouo autem factum est quoddam nouum promissionis genus, & ideo nouum testamentum dicitur: quia homines interius renouat, dicitur ēt æternum: quia æterna dona promittit, & quia hoc testamētum, & sacrificium sanguinis Christi, quo firmatum est vsque ad finem sæculi durabit; neque illi alia lex vel sacrificij genus succedet, & propterea, hic sanguis dicitur esse noui testamenti, quia hoc sacrificium proprium est nouæ legis, & non est sanguis hircorum, aut vitulorum, sicut erat in sacrificijs veteris legis.

Illa autē particula, mysterium fidei ideo apponitur: quoniam ad fidem Catholicam pertinet credere post consecrationem esse verum sanguinem, vt infidelis sit, qui hoc non crediderit, vel dicitur mysterium quod sensibilibus tegitur occultum, sicut veritas sanguinis in sapore vini, & specie. Calix ergo alteris & mysterium fidei: quia sub specie, & sapore vini occultus creditur verus sanguis; & mysterium fidei, quia quod creditur sensibilibus quibusdam obtegitur; Nam verus sanguis creditur quod vinum visu sentitur, & gustu; Est demum mysterium fidei, id est, sacramentū fidei nostræ, quod sola fide tenetur, & cognoscitur reclamantibus sensibus omnibus, est non solum sanguinis in vini specie, sed ēt carnis sub specie panis absconsio vt quamquam de solo sanguine hæc particula recitetur, nihilominus tamen etiam ad priorem pertinere intelligatur.

Additur postremo, Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorū, vt intelligatur litteraliter de reali effusione facta in passione; difficultatem tamen ingerunt non paruam illæ particulæ, qui pro vobis, & pro multis; communis tamen expositio esse videtur per illas explicari efficaciam, non autem sufficientiam passionis Christi, & ideo dicitur pro vobis, qui scilicet præsentes estis, & pro multis, idest, pro alijs etiam electis, & prædestinatis, ita exponunt Alex. D. Bonau. Richard. Palud. & alij, & habetur hæc expositio in catechismo Pij V. & ratio adiungi potest, quia hoc sacrificium incruentum institutum est ad applicādum meritum, & valorem passionis Christi, applicatio autem magis pertinet ad efficaciam, quam ad sufficientiam, atque adeo illa potius per hæc verba significata est.

Ale. de Ales. D. Bonau. Richardus. Paludanus.

Huic autem explicationi illud solum posset obstare: quia si illa particula pro vobis refertur ad præsentes Apostolos inter eos erat Iudas reprobus, vt communiter tenetur, ergo non potest significare efficientiam, sed sufficientiam. Atque adeo alij ita concedunt, quibus fauere videntur Chrysostomus, & Teophilactus; dum ita exponunt pro vobis, idest, discipulis meis, qui præsentes estis, & pro multis, idest, pro alijs omnibus: nam omnes etiam multi sunt. Vel aliter pro vobis, idest, pro sacerdotibus, & pro multis, idest, pro laicis omnibus, ita Alexā. & D. Thom. Vel aliter pro vobis, idest, Iudæis ex quibus erant Apostoli, & pro multis, idest, pro gentibus, ex quibus maiori ex parte ecclesia congreganda erat, ita D. Bonau. vbi supr. & Gabr. lect. 13. super Canonem.

Chrysost. Teophyl. Alex de Ales. D Thom. D Bonau. Gabriel.

Neotericus quidam expositor super Matt cap. 26. inquit. Quod Matthæus, & Marcus dixerunt, qui pro multis. Lucas autem & Paulus, qui pro vobis. Christum aūt vtrumq; simul dixisse, non est verisimile, cum ad præsentes verba dirigeret, vtro autem modo dixerit, omnino, inquit, non constat; sed coniectura probabilissima ductus affirmat dixisse potius; hic est sanguis, qui pro vobis effunditur, quam qui pro multis; primum quia cum solis Apostolis loquebatur. deinde quia munus illis commēdabat volebatq, declarare, quid illis, quibus porrigebat sanguinem suum profuturus esset; quare ex verbis Lucæ, & D. Pauli, Matthæi, & Marci verba exponenda sunt, vt idem sit, qui pro multis effunditur, & qui pro vobis effunditur, vt tamē minus sit pro multis, quam pro vobis, vt perinde sit ac si dixisset. Hic est sanguis meus, qui pro vobis, idest, pro plerisque vestrum effenditur atque multos opponit omnibus qui aderant. Cum ergo Christus dixisset, hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur: quia certum erat eum noluisse Iudam etiam comprehendere, pro quo eius sanguis quoad effectum, & fructum animæ non effundebatur, Matthæus, & Marcus, vt id explicarent, optimo consilio non verba, sed sensum referentes, dixerunt qui pro multis effundetur obijcit aliquis, ecclesiam sentire vtrumque Christum dixisse, qui pro vobis, & pro multis effundetur. Respondet ecclesiam nihil definire, sed cū alij Euangelistæ dixissent pro vobis, alij pro multis, ne in re dubia errare posset vtrumque coniunxisse.

Dubitatur postremo; An liceat nūc mutare illa verba. Hic est calix sanguinis mei, in hæc; hic est sanguis meus: constat enim hanc nō esse mutationem substantialem, & in re eundem habet sensum; vnde licita videri poterit hæc mutatio. Tum quia fere nulla est, tum etiā certa verisimile est Christum fuisse hac forma vsum, vt ex Matthæo, & Marco colligi pōt. Nihilominus tamen in ecclesia Latina nō posset hæc mutatio fieri sine graui peccato, vt Sotus, & Suarez affirmant, non solum propter scandalum, sed etiam propter ecclesiæ consuetudinem, & traditionem, a qua non licet in re tā graui discordare.

Sotus. Suarez.

Sed quid si fieret mutatio in illa verba Lucæ. Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine vel vt D. Paulus dixit: hic calix nouum testamentum est in meo sanguine; esset ne mutatio substantialis? Aliquibus videtur quod sic, atque adeo illa verba non sufficere ad consecrationē: quia nō videntur significare conuersionem; neque illis videtur affirmari de hoc contento in calice, quod sit sanguis Christi, sed quod sit testamentum. quod videtur esse quid extrinsecum, & metaphoricum. Nihilominus censeo verius esse illā mutationem non esse substantialem; sed formā a Luca, & Paulo positam esse in rigore sufficientē: quia re vera sensus illorū verborum est idē in substantia, licet aliquid accidentarium addatur: affirmatur n. in illa propositione hunc calicem esse sanguinem Christi, quo nouum testamentū stabilitū est, & confirmatū. Esset tamen graue peccatū illā mutationē facere, tum pp tationes nuper factas, tum pp nonnullū periculum: tum denique quia licet Euangelista referendo historiā

Digitized by Google

interponat illam particulam testamentum inter essentialia verba; quia magis refert modo historico, quam rituali, tamē in ritu sacrificandi non licet mutare ordinem, & conceptum verborum essentialium, quem ecclesia seruat.

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma huius sacramenti proferatur a ministro recitando, vel etiam significando.

PRo explicatione difficultatis obseru. est, quod istę propositiones nimirum. Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei, tripliciter sumi possunt, primo modo recitatiue, & materialiter, hoc est, quod sacerdos nihil affirmet, vel neget, sed tantum referat verba, qua Christus Dominus dixit; quemadmodum ille, qui legens Euangelium dicit. Petre si non lauero te, non habebis partem mecum: per illud pronomen te non demonstrat personam alicuius; sed tantum narrat Christum dixisse Petro illa verba. Si non lauero te, &c.

Ita sacerdos recitans verba consecrationis cum legit Euangelium, dicit illa tantum materialiter, & recitatiuè sicut laicus; quia non habet intentionem consecrandi. Altero modo possunt accipi prædictæ propositiones recitatiue quidē at non materialiter, sed significatiue, vt quando sacerdos dicens illa verba, recitat ea tanquam a Christo prolata, & cū hoc asserit etiam, quod panis, quem habet præsentem conuertitur in corpus Christi. tertio modo possunt accipi non recitatiue, nec materialiter, sed tantum significatiue; quemadmodum qui dicit. Ego te baptizo, ego te absoluo, non recitat illa verba tanquam dicta ab aliquo; sed asserit fieri id, quod verba significant.

Innocent. Durandus Maior. Glossa. Gabriel.

Hoc supposito de hac re est duplex sententia. Prima asserit quod formæ consecrationis panis, & vini non accipiuntur significatiue, sed tantum recitatiue, & materialiter. Ita sentit Innoc. lib. 4. de hoc sacrificio, cap. 17. Durand. in 4. distinct. 8. q. 2. ad 1. Maior. ibi ad 2. Glossa in cap. Timorem, de consec. dist. 2. Quam satis probabilem existimat Gabr. lect. 48 in can. Primum fundamentum huius sententiæ est: quia si prædicta verba acciperentur significatiue aliqua illorum esset falsa, sed consequens est absurdum, ergo falsum est antecedens; probatur sequela de illa particula in forma calicis. Qui pro vobis effundetur; falsum est enim quod sanguis Christi sit modo fundendus: ergo verba illa non accipiuntur significatiue, sed tantum materialiter.

Secundum fundamentum est. Illa verba quæ dicuntur ante consecrationem accipiuntur materialiter, nempe illa accipite, & comedite; accipite, & bibite, ergo etiā ea, quæ postea sequuntur, nimirum forma corporis, & sanguinis materialiter accipiuntur. probatur consequentia: quia omnia eodem modo, & tenore dicuntur.

His tamen non obstantibus est secunda opinio, affirmās, quod licet verum sit verba prædicta pronunciari a sacerdote recitatiue tanquam a Christo Domino prolata, nō dicuntur tamen materialiter, ita quod nihil significent; sed sacerdos dicit illa in persona Christi significatiue, asserens panē, & vinum, quæ in manibus tenet, in corpus, & sanguinem Christi conuerti. Ita quod sacerdos recitans, Qui pridie, quā pateretur, &c. loquitur materialiter; ad consecrationem tamen assumens personam Christi loquitur recitatiue simul, & significatiue.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Richardus. Scotus Bassolus.

Hanc sententiam docet Alex. de Ales. par. 4. q. 10. memb. 4. art. 2. §. 3. quæstiunc. 2. D. Thom. 3. par. quæst. 78. art. 5. D. Bonau. hac dist. par. 2. art. 1. q. 1. Richard. art. 3. q. 1. ad 3 Scot. in hac q. sub litt. R. concl. 13. & Bassolus hac dist. q. 2. artic. 1. & probatur ista sententia. Quoties cum aliquis loquitur in persona alterius loquitur significatiue, & non materialiter; sed sacerdos loquitur in persona Christi Domini, ergo loquitur significatiue, & non materialiter: Maior patet ex scriptura. Nam Angelus loquebatur Moysi in persona Dei dicens se esse Deum, & hoc sine mendacio. Ego sum Deus Abraham &c. Exod. 3. ita sacerdos qui consecrando loquitur in persona Christi, vt dixit Concil. Florent. loquitur significatiue, quod etiam patet in Politicis. Nam tabellio recitans sententiam iudicis proferens illa in persona ipsius iudicis, significatiue loquitur.

Secundo probatur, formæ sacramentorum significant effectum suum; at si formæ consecrationis panis, & vini acciperentur materialiter tantum, non significarent effectum suum, ergo non sunt materialiter sumendæ, sed significatiue. Maior probatur: quia sacramenta id efficiunt, quod significant: minor vero inde patet, quia si istæ formæ acciperentur materialiter, non significaret conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: quia nec applicarentur ad panem præsentem, & vinum: sed narrarentur vt demonstrarent panem illum, & vinum, quæ Christus consecrauit. Et confirmatur: quoniam sacerdos proferens formā consecrationis habet intentionem faciendi, quod Christus fecit, & loquendi eo modo, quo Christus locutus est. ergo non profert materialiter formam, probatur sequela: quia Christus non protulit illa materialiter, sed significatiue.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur, & ad primum nego consequentiam; ad probationem dico, quod illa verba consecrat onis panis, quod pro vobis tradetur, & illa sanguinis, qui pro vobis effundetur, non dicuntur a sacerdote significatiue, sed materialiter tantum, ideoque non sunt falsa.

Illa verba tamen. Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei, profert sacerdos & recitatiue, & significatiue, vt dictum est supra. Vnde obseru. est, quod quædam verba dicuntur a sacerdote non recitatiue, & materialiter, sed significatiue tantum, vt sunt illa verba. Qui pridie quam pateretur, vsque accipite, & manducate; Hæc enim verba non recitantur tanquam dicta a Christo, quoniam Christus nō dixit. Qui pridie quam pateretur, &c. Alia verba dicuntur materialiter, & recitatiue, vt sunt illa Accipite, & comedite, accipite, & bibite, & illa, Qui pro vobis effundetur: Hæc.n. verba non accipiuntur significatiue, quia sacerdos nemini dicit, vt accipiat, & manducet. Alia denique dicuntur recitatiue, & significatiue simul, qualia sunt, Hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei.

Ad secundū similiter respondetur negando consequentiam, & ad probationem dico, quod non sunt accipiēda omnia illa verba eodem modo vt iam dictum est: quoniam nō omnia verba, vt diximus, sunt de essentia forma: Vnde solū illa verba, quæ sunt de substantia formę dicuntur significatiue. Illis enim verbis prolatis: accipite, & comedite, quę nō sunt de essentia formæ, sacerdos induit personam Christi, & iam non tantum recitatiue, sed significatiue loquitur; finitis vero essentialibus verbis formæ, deponit Christi personam: quia iam explicuimus, quod sub ea ratione exercebat, & materialiter tantum sensum recitationemque prosequitur. Neque est inconueniens in eodem contextu orationis quædam verba intermedia significatiue proferri, cū antecedentia & subsequentia solum proferantur materialiter: quoniam illa tota oratio continua vnum integrum sensum reddit: quoniam omnia verba recitatiue proferuntur; quædam tamen ex illis possunt sumi vltra hunc sensum significatiue propter mysterium, quod operatur, & hoc nullam parit confusionem, vel æquiuocationem: quia ratio ipsius mysterij, & intentio sacerdotis exterioribus signis iudicata, vtrumque sensum facile admittit.

ARTICVLVS VII.

Vtrum verba consecrationis ratione sua veritatis hoc mysterium perficiant.

PRo huius difficultatis elucidatione, explicandum est primo, quando istę propositiones de præsenti. s. hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, habent suam significationem. Vnde dico, quod nulla propositio habet suam significationem vsque ad postremum instans suæ prolationis: probatur, quia significatio totius propositionis pendet ex omnibus partibus, ergo donec omnes eius partes fuerunt prolatæ propositio non habet suam significationem.

Secundo probatur, hæc dictio homo non habet suam significationem donec omnes eius syllabæ proferantur, ergo neque ista propositio homo est animal, atque idem iudicium est de omnibus alijs propositionibus, & hoc placet omnibus Doctoribus, quod lucidissime ostendit Ocham, quodlib. 2. quæst. vltima; Vbi notat, quod pro alio tempore propositio vocalis est, & pro alio tempore vera est; At quoniam dici non potest, quod propositio vocalis nunquam est, nec potest dici esse qn̄ partes eius simul sunt: quia illę cū sibi succedant numquam sunt simul. Nec potest dici, quod est,

quando

Digitized by Google

quando nulla partium eius est: Relinquitur, quod tunc est, quando aliqua partium eius est, siue sit prima, siue media, siue vltima: quia non est maior ratio de vna, quam de alia; est ergo pro toto tempore prolationis suæ, & pro qualibet eius parte. Propositio autem tunc dicitur vera, quando significat sic esse sicut est in re, si fuerit de præsenti, de in esse, & affirmatiua, non significat autem nisi quando propositio mentalis sibi correspondet: quia vocalem propositionem significare, nihil est aliud, quam eam instrumentaliter immutare, siue mouere cognitiuam ad concipiendum propositionem mentalem, illa autem concipitur solum in fine propositionis vocalis: quia audiens, hoc est corpus, ignorat, an dicturus sit proferens Ioannis, vel Petri, aut meum, atq; adeo non format mentalem ante completam prolationem totius vocalis, ac proinde tunc vocalis est vera, quando complete prolata est.

Et si dicas, oratio non est in vltimo instanti prolationis illius, ergo in vltimo instanti non significat, consequentia patet: quia quod non est, nihil potest significare. Dico, quod etsi oratio non existat in se, existit tamen aliquo modo in phantasia, propterea quod singulæ partes illius orationis reliquerunt speciem sui in phantasia, ex quibus omnibus intellectus in vltimo instanti prolationis totius orationis causat conceptum rei significatæ per orationem, & propterea oratio dicitur significare in ipso instanti: quia in illo instanti excitat intellectum modo iã prædicto, vt ipse intellectus causet conceptum rei significatæ.

Sed dubium est circa propositionem de præsenti in quonam tempore sit res significata per illam, differunt enim istę duæ quæstiones: nam aliud est quærere quando oratio significet, & aliud pro quo tempore significet rem significatã existere: nam hæc oratio Deus est incarnatus, tunc significat, quando profertur, non tamen significat nunc Deum incarnari, sed incarnatum esse. In prima ergo quæstione quærebatur de tempore significationis, in hac autem de tempore rei significatæ. Quod sic declaratur, si enim quæras ĩ quo tempore habeat suam significationem hæc propositio, Adã fuit. Dices in vltimo instanti suæ prolationis, si uero quæras in quo tempore fuit res significata, dicas in præterito. Quæritur ergo modo pro quo tempore propositio de præsenti significet rem præsentem, nam quando significet, iam satis liquet ex dictis. Supposito ergo certum esse, quod hæc oratio Hoc est corpus meum habet suum significatum in vltimo instanti suæ prolationis. Petimus pro quo tempore significet corpus Christi esse sub speciebus panis, an pro primo instanti prolationis, vel pro medio, aut pro vltimo.

De quo diuersæ sunt sententiæ. Quidam enim dicunt, quod sicut habet suam significationem in vltimo instanti, ita significat rem esse præsentem in vltimo instanti, ita ut sit sensus huius propositionis homo est animal, id est, res quæ est animal est in vltimo prolationis instanti, ita hęc oratio. Hoc est corpus meum, significat corpus Christi esse sub speciebus pro vltimo instanti prolationis omnium verborum: quia si significaret corpus Christi esse sub speciebus antequam omnia verba essent prolata, vel forma esset falsa, vel omnia prædicta verba non essent de essentia consecrationis, siquidem sine aliquibus eorum fieret consecratio. Hanc sententiam sequitur Caiet. 3. p. q. 78. art 5. & Sotus d. 11. q. 1. art. 5.

Alia est opinio, quod propositio de præsenti rem esse præsentem significat, quando copula profertur pro eodem tempore, vnde secundum hanc opinionem, si homo non esset albus, quando profertur copula, etiam si sit albus in vltimo instanti propositio est falsa.

Tertia est sententia Scoti, pro cuius explicatione dico, quod propositiones de præsenti significant rem esse præsentẽ pro tẽpore præsenti cuiuscumque dictionis, pro quo profertur. Probatur, quia proferens hæc verba Ego te baptizo in nomine Patris &c. vere dicit, si lauat, vel abluit, quando profert hoc pronomen ego, vel quando profert aliquam dictionem huius formæ, vt diximus supra d. 6. q. 3. ergo ad veritate huius propositionis de præsenti, satis est rem esse præsentem, quando profertur aliqua dictio ipsius propositionis, antecedens patet ex dictis in illa quæst. & ex communi consensu omnium scholasticorum, qui has propositiones sic prolatas solent dicere esse veras. Ex quo infertur hanc propositionem esse veram de rigore sermonis. Hoc est corpus meũ, quamuis corpus Christi non sit ibi vsque ad vltimum instans prolationis formæ: quoniam cum hæ propositiones significẽt ex humana institutione, vsus hominum habet eas orationes veras asserere, quas comitantur, vel statim sequũtur res significatæ per illas, vel etiam præcesserunt, nam licet omnium propositionum veritas in instanti terminante propositionem esse incipiat, non tamen semper ab illo instanti mensuratur: nam in primis verba significantia motum, qui successiue fit, non possunt nisi tempore mensurari, deinde quædam sunt verba, quæ dum proferuntur proprie verificantur, vt in hac propositione, ego loquor, quæ dum profertur quasi per se ipsammet vera est, alia etiã sunt verba, quorum veritas mensurari non potest pro tempore, vel instanti, quo proferuntur, sed pro immediato, vel sequente iuxta intentionem loquentis, vt in hac propositione ego taceo: nã cum quis illam profert tacere non potest, vnde sensum eius esse oportet hactenus, vel iam tacere incipio, & idem iudicium est de ego dormio, ego bibo, & similibus, quæ significant actum, vel priuationem locutioni repugnantem, imo ex accommodatione vsus solet hic sermo ad alia verba extẽdi, vt si dicas Ego veni, id est, statim ibo. Alia denique sunt verba, quorum veritas pro vno instanti existit, vel existere potest, vt sunt illa, quæ non significant motum, sed vel actionem instantaneam, vel existentiam rei permanentis, & id existimo in omni proprietate, & rigore sermonis sufficere, quodlibet instans eorum, quæ coexistunt prolationi propositionis, vt ex illo possit veritas propositionis mẽsurari: quia nullum tempus potest ab homine magis præsens designari, & ad illam præsentiam sufficit vnum instans, siue illud continuatiuum, siue terminatiuum propositionis, & forte etiã initiatiuum sufficit, quia si res existit cum homo incipit loqui, vel dum loquitur, satis proprie affirmari potest rem illam esse. Quapropter sicut in propositione indefinita ex termino communi constante, vt vera sit, satis est vt verificetur pro vno singulari quodcumque illud sit, ita ut hæc propositio indicatiui modi de præsenti sit vera sufficit vnum instãs prolationis quodcumque sit illud, & intra hanc latitudinem potest valere intentio proferentis, vt ad vnum, vel ad aliud instans dirigat sui sermonis significationẽ. Præsertim quia vltimum instans propositionis aliquo modo pendet ex intẽtione proferentis quatenus potest addere prædicato vnam, vel alteram determinationem, a quibus pendeat sermonis veritas, quia nulla est donec extrema propositionis sint integre prolata, vt rectè dixit Ocham vbi supra.

In proposito autem de hac propositione hoc est corpus meum, non potest habere veritatem in principio prolationis, siquidem corpus Christi non ponitur sub speciebus nisi in vltimo instanti prolationis: nam cum ista verba efficiant, quod significant, & non habeant significationem, vsque ad vltimum instans prolationis, hinc est quod talis propositio non est vera nisi ad vltimum instans prolationis suæ, neque causat pręsentiam corporis Christi nisi vsq; ad illud instans, quo voluit Christus Dominus, vt hæc verba essent de substantia consecrationis, & conuersionis, & ita voluit, quod nõ esset conuersio, vsque ad postremum instans: nam si ante esset conuersio, id quod restaret pronunciandum non esset de substantia formæ sacramenti.

Et si dicas, nec verba nec oratio sunt in postremo instanti prolationis, ergo oratio non causat præsentiã corporis Christi, probatur antecedens, quia res successiua non habet vltimum instans in quo sit, sed quando est vltimum, iam nõ est ipsa res successiua, ergo cum oratio sit res successiua non erit in vltimo instanti suæ prolationis, & per consequens non erit causa præsentia corporis Christi.

Respondetur iuxta Scoti doctrinam facillime: nam Scotus posuit, vt visum est d. 1. q. 5. sacramenta esse causas morales, hoc est, dispositiones necessitantes, siue obligantes Deũ non quidem ex natura rei, sed ex pacto, vt per illas effectũ sacramenti producat, quemadmodum meritum est causa gloriæ, cum tamen detur gloria meritis transactis, argumentum ergo concludit de causa Physica non de causa morali. *Scotus.*

Et si iterum dicas, propositio vt sit vera de rigore sermonis debet res significata præcedere saltem natura ipsam propositionem, sed res significata per hanc propositionem hoc est corpus meum, non præcedit ipsam propositionem, ergo non est de rigore sermonis vera: minor patet, quia corpus Christi non est sub speciebus antequam hæc oratio incipiat. hoc est corpus meum, imo per te est in vltimo instanti prolationis. Maior probatur: quia veritas rei significatæ est causa veritatis propositionis, ab eo enim quod res est, vel non

est ora-

Digitized by Google

est oratio dicitur vera, vel falsa, sed causa præcedit saltem natura effectum suum, ergo res per orationem significata debet præcedere ipsam orationem.

Respondeo negando maiorem: nam sufficit quod res significata sit simul cum aliqua parte ipsius orationis, vel sequatur paulo post ipsam orationem: nam qui dicit ego curro, si currit quando dicit ego, vel quando dicit curro, verum dicit simpliciter, & qui dicit ego bibo, vel Crucem deosculor verum dicit si statim bibat, vel osculetur Crucem, & ratio est quoniam orationes, nomina, & verba significant ex humana institutione, vsus autem hominum habet (vt etiam diximus supra) vt propositiones dicantur veræ, quas comitantur, vel sequuntur paulo post res per ipsas significatæ. Ad probationem maioris concedo, quod propositio non sit vera, nisi quando res significata ponitur in esse. Vnde hæc propositio Ego taceo, non fit vera quousque ego taceam, & similiter ista, hoc est corpus meum, non fit vera, nisi cum primũ corpus Christi ponitur sub speciebus.

Ex his facillime respondetur ad difficultatem propositã, qua quærebamus an verba consecrationis ratione suæ veritatis hoc mysterium perficiant: hoc est dictum, an illæ propositiones hoc est corpus meum, & hic est Calix sanguinis mei sint conuersiuæ, vt veræ. Cui respondet Scotus in hac q. sub litt. u. §. Breuiter ergo diceret Theologus &c. Quod licet illę propositiones sint veræ, non tamen conuersiuæ neq; causa conuersionis, vt veræ, probatur: quia hæc propositio hoc est corpus meum prius est conuersiua, quam ibi sit corpus Christi, & propositio nondum est vera, quousque ibi sit corpus Christi, ergo hæc propositio non est conuersiua, vt vera. probatur maior de prioritate naturæ: quia causa est prior natura effectu, ergo cum propositio conuersiua sit causa ponendi ibi corpus Christi, prior erit illo. maior probatur: quia ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, ergo etiam hæc oratio, vel propositio. Hoc est corpus meum, significet ibi esse corpus Christi, sequitur quod prius est ibi, quam sit propositio vera. Quod autem hoc fieri possit sic declaratur: quia propositio est fundamentum suæ veritatis, veritas autem est relatio propositionis, quæ relatio est conformitas ad rẽ per propositionem significatam, ergo prius natura est propositio, quam veritas. secundo etiam declaratur: quia discipuli interdum concipiunt propositiones non concipiendo illas, vt veras, siue vt falsas, veluti si Magister proponat discipulo aliquam propositionem non demonstratam, quæ tamen concipitur a discipulo vt neutra, & postea demonstratione applicata ad illam, concipitur propositio, vt vera.

Et si dicas, in illo instanti naturæ, in quo præcedit propositio suam veritatem, propositio non est vera, ergo est falsa, quia verum, & falsum immediate opponuntur, ergo est conuersiua, vt falsa. Respondetur, quod in illo instanti naturæ propositio non est vera, neque falsa; atq; ita neque est conuersiua, vt vera, neque vt falsa: verum autem, & falsum immediate opponuntur circa subiectum capax veritatis, & falsitatis, non autem circa subiectum incapax. In proposito autem aliquæ sunt propositiones, quæ neque sunt veræ, neque falsæ, vt est hæc, vtinã ego bonus essem; atq; ita dico, ꝙ hæc oratio. Hoc est corpus meum in primo instanti naturæ, neque est capax veritatis, neque falsitatis, vnde non sequitur, in illo instanti non fuit vera, igitur falsa: quia verum, & falsum sunt relationes orationis, & sunt posteriores natura ipsa oratione, quæ potest esse neutra, id est, neque vera neq; falsa. Vnde sequitur, quod forma consecrationis est causa cõuersionis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, nõ vt vera, neq; vt falsa, sed vt quoddam signum sensibile efficax consecrationis, de quo tunc neque prædicatur veritas, neque falsitas, est tamẽ forma vera de rigore sermonis: quoniam pronomina illa hoc, & hic non demonstrãt corpus, & sanguinem Christi nisi pro vltimo instanti prolationis totius formæ, pro quo instanti forma significat corpus, vel sãguinem esse sub speciebus.

Est itaque certum istas propositiones sacramentales in quolibet instanti quo sunt, esse veras aut falsas, quod si ponimus illas esse neutras est pro instanti naturæ non pro instanti temporis, cum ergo quæritur an prius natura sit conuersio, quam veritas, opinio Scoti est, quod prius natura est conuersio quam veritas illatum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc propositio, hoc est corpus meum, sit vera pro vltimo instanti prolationis.

HÆc difficultas explicatur logice ab Scoto per tredecim conclusiones, quæ a nobis in hoc art. sunt explicandæ. Prima Conclusio. Conceptus qui causatur per orationẽ prolatam, non habetur per eam nisi in vltimo instanti prolationis, id est, conceptus complexus alicuius orationis, non habetur nisi in vltimo instanti terminante prolationem orationis. 1. Conclusio

Hæc conclusio sic probatur: Quoniam non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud vltimum instans conceptus enim totius orationis non habetur sine conceptibus omnium partium. Hoc cõfirmatur per simile: quia conceptus formatus per dictionem, non habetur ante instãs vltimum prolationis illius dictionis, ergo a simili de oratione. Non enim habetur significatio dictionis in prima syllaba, vel in secunda, sed expectatur completio, & terminatio dictionis, ita suo modo dicendum videtur de tota oratione. Et ratio similitudinis est, quia sicut partes dictionis, id est, syllabæ non significant conceptum simplicem, quem dictio significat, v.g. hæ syllabæ Fran. & ci. non significant per se id, quod significat hæc dictio Franciscus, ita dictio non significat conceptum aliquem complexum, quem significat tota oratio, vt hæc dictio Franciscus non significat illud, quod significat hæc oratio Franciscus stigmata Christi gestat. Sed differentia est quia pars orationis aliquem conceptum simplicem significat, pars autem dictionis nihil per se significat.

Ad propositum autem non est ista differentia: Quoniam in ista oratione hoc est corpus meum, non habetur intus cõceptus nisi in fine omnium dictionum prolatarum; sicut nõ habetur conceptus simplex dictionis nisi in termino prolationis omnium syllabarum.

Et si dicas, si veritas orationis habetur in vltimo instanti prolationis, ergo oratio causat conceptum quando non est, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia patet, quia quando oratio est complete prolata nihil orationis est; falsitas consequentis probatur: quia significare, & verificari pro supponunt esse propositionis, vt de se patet; sed pro instanti terminatiuo prolationis oratio non est, nec tempus prolationis est cum instanti, ergo tunc non verificatur, nec est vera.

Respondet Scotus quod argumentum non cogit, quia idem probari posset de conceptu importato per dictionem, nempe quod haberetur ante terminationem prolationis eius, & tamen non habetur, vt patet. Dicit ergo quod tunc oratio significat, & verificari potest, quando non est, scilicet, pro illo instanti terminatiuo suæ prolationis, licet enim non sit oratio in re, vel in prolatione, est tamen in conceptu, & in mente intelligentis eam, quasi signum rememoratiuum, vel repræsentatiuum talis vnionis extremorum. Vnde orationẽ esse veram magis est in mente, quam in re: nam ipsa veritas propositionis non est nisi quidam respectus conformitatis secundum rationem ad ipsam rem, & aliquis potest habere propositionem veram in mente, esto quod non proferat eã in re, vt de se patet.

Et si dicas, quod oratio vera causat conceptum verum in mente, quando est vera, sed non potest causare realiter quãdo non est. ergo &c. Dico quod oratio in prolatione nõ causat realiter de se ipsa conceptum, quia cum conceptus in instanti fiat in intellectu post prolationem dictionis, vel orationis, non fit per illam: quia illa non est, quando causatur conceptus de ipsa, sed dico quod mens causat talem conceptum, prius tamen oratione prolata, quasi aliquo præ requisito ad excitationem sensus per vocem sensibilem, nam in fine prolationis cuiuscumque dictionis per aliquid causatum in phãtasia a dictione dum fit in prolatione, intellectus causat in se conceptum aliquem dictionis, atque ita per aliqua derelicta a singulis dictionibus dum proferebantur, intellectus in vltimo instanti per actum collatiuum causat intellectum, vel conceptum totius. Intellectus enim apprehendẽs talem propositionem per discursum rememorando. v.g. talis oratio hoc significat, comparat ipsam ad vnionem extremorum significatam, et si est in re pro quando ipsam significat, iudicat eam esse veram, si vero non, iudicat esse falsam.

Notan-

Digitized by Google

Notanter autem dixit Scotus de conceptu, qui causatur per orationem, quia secus esse potest de conceptu significato, qui per eam non causatur, sed dumtaxat exprimitur: nã conceptus, qui per orationem vocalem causatur, & qui per orationem exprimitur valde differunt, prior enim vocalem orationem sequitur, posterior autem præcedit. v.g. conceptus, quos ego habeo de his, quæ a me vobis explicanda sunt, prius a me sunt intellecti, quam per orationem vobis exprimantur, at eadem oratio prout eosdem conceptus vobis exprimit prior est, quam a vobis conceptus isti intelligantur.

Formaliter ergo ad instantiam respondendo dico propositionem vocalem verificari quando non est posse bifariam intelligi, aut quando non est formaliter, aut quando non est in aliquo effectu sibi proprio, priori modo concedo, quod propositio vocalis non est, quando veritas est, sed secundo modo nego: quia in phantasia audientium causatur aliquid ex prolatione singularum partium orationis, id est, species, & deinde intellectus se conuertit ad illas, & ex illis formatur conceptus illius orationis modo supra explicato.

Et si dicas, significatum totius orationis constat ex significatis partium, sed partes significant quando proferuntur, ergo oratio habet suum significatum ante terminum totalis prolationis, & confirmatur: quia dictio idem habet significatum, & non aliud in oratione, & per se; sed si per se diceretur statim facta prolatione haberetur significatum eius, ergo similiter in oratione, quamuis aliæ adhuc non sint prolatæ. Respondeo, significatio illa non est ratio formalis causandi illum conceptum in audiente, sed quædam præambula dispositio ad quam per collationem intellectus sequitur causatio totius conceptus ex conceptibus per partes causatis. Ad confirmationem dico, quod dictio secundum se idẽ habet significatum siue per se, siue in oratione, sed tamen aliter habet ipsum in oratione, & aliter distincte, & per se accepta; sicut patet: quia licet pars eamdem naturam habet in toto, & extra totum, sicut lapis in domo, & extra domum; aliter tamen hic, & ibi, pari modo dictio quia, per se accepta habet suum significatum actu, & distincte habitum in termino suæ prolationis; sed quando est pars orationis habet ipsũ quasi in potentia, & ordine quodam cum alijs dictionibus ad vltimum instans prolationis totius orationis, sicut oratio ipsa: quia in hoc sequitur legem, & naturam totius.

nclusio Secunda conclusio. Non est idem instans cõpletæ prolationis ipsius orationis, & instans pro quo intelligitur veritas propositionis, vel extremorum vnio, adeo quod non oportet in eodem instanti, vel tempore causati conceptum in audiente per orationem prolatam, & veritatem illius conceptus intelligi, siue vnionem extremorum: patet, quia hæc propositio, Adam fuit, est vera, & non intelligitur pro tunc esse vera, sed pro tempore pro quo intelligitur vnio extremorum. Similiter si dicam, Deus creauit mundum conceptus illius orationis causatur in vltimo instanti prolationis, veritas tamen illius, seu vnio extremorum intelligitur pro primo instanti temporis, quando Deus mundum creauit. Item si dicam. Antichristus erit impius, illius orationis conceptus causatur in vltimo instanti prolationis, at veritas non intelligitur nisi pro illo temporis instanti, in pro eo tempore, quo extrema vniẽtur ad inuicem. Ex quo sequitur, quod non est idem instans, in quo oratio cõcipitur esse vera: quia est vera in vltimo instanti prolationis, & instans pro quo intelligitur esse vera, quia pro alio instanti intelligitur esse vera, scilicet pro illo, in quo habetur perfecta vnio extremorũ; atque adeo non est idem dicere in quo instanti concipiatur oratio vera, & pro quo: quia est vera in vltimo instanti completæ prolationis. & concipitur vera pro illo instanti, pro quo extrema denotantur vniri in intellectu, siue extra in re.

clusio Tertia conclusio. Pro illo tempore, vel instanti propositio est vera, quod tempus, vel instans per copulam talis propositionis significatur: patet quia nihil in propositionibus significat tempus nisi copula, & ideo veritas propositionis tunc est, quando denotantur extrema vniri per copulam.

lusio Quarta conclusio. Verbũ cuiuscumq; temporis potest cõsignificare tẽpus, vel instans, & dicit notanter cõsignificare tempus: quia proprie loquendo nomen significat tempus, vt hor: dies, mensis, annus, &c. & nõ verbum; sed bene verbum significat cum tempore, præsenti, præterito, vel futuro, vt lego, legi, legam; similiter proprie loquendo verbum non significat, sed consignificat instans.

Et si quæras, quomodo cognoscere potero, quando verbum consignificat tempus, vel instans. Respondet Scotus, quod respiciendum est ad vnionem extremorum: quia si intelligitur vnio illa primo fieri pro tempore, tunc verbum consignificat tempus; si pro instanti consignificat instans, v.g. si dicatur cœlum mouetur, Petrus currit, in his locutionibus verbum consignificat tempus, quia earum extrema in tempore vniuntur, si vero dicatur Deus creat animam, vel ignis generat ignem, vel ignis generatur, verbum consignificat instans: quia creatio, & generatio fiunt in instanti: obseruandum est tamen, quod in aliqua propositione potest esse, quod verbum non consignificet tempus, nec instans tẽporis, sed solum instans æternitatis, vt si dicatur pater generat verbũ; in hac propositione generat, importat instans æternitatis; quia pater generat verbum ab æterno.

Quod autem verbum cuiuscunque temporis possit consignificare tempus, vel instãs, probat Scotus ex eo: quia alias non posset exprimi conceptus de vnione extremorum præsenti, præterita, & futura: Nam si non posset consignificare instans præteritum si verbum est præteritum, præsens si verbum est præsens, & futurum si verbum est futurum; nulla propositio esset vera in qua exprimeretur vnio extremorũ, quæ non potest esse nisi in instanti, vt pote nec ista, anima fuit creata, nec ista, Anima creatur, nec ista. Anima creabitur, essent veræ. Similiter si non posset cõsignificare tempus præsens, si est verbum præsens, & tempus præteritum si est verbum præteritum, & tempus futurum si est verbum futurum, nulla propositio esset vera, cuius extrema non possunt vniri nisi pro tempore, & tunc nec ista esset vera, cœlum mouebatur, nec ista cœlum mouetur, neque illa cœ. mouebitur.

Et ex hac conclusione infert Doct. Quod verbum consignificat tempus, & instans secundum tertium modum æquiuocationis. Vnde obseruandum, quod primus modus æquiuocationis est sicut canis, qui æque primo significat canem latrabilem, piscem marinum, & sidus cœleste, secundus modus est, quando vox ex sua natura vnum significat, & per translationem ad aliud significandum transfertur, vt ridere. Tertius modus est, quando dictio per se sumpta vnum, at cum alio sumpta plura significat, vt mortale significat potens mori; sed quando componitur cum in; vt dicendo immortale tunc significat duo; nam illa particula in, vel negat actum tantum, & tantum valet sicut potens non mori, vel negat simul actum, & potentiam; & valet sicut non potens mori, & hoc tertio modo sumitur hic a Doctor, cum dicit, quod verbum significat tempus, vel instans secundum tertium modum æquiuocationis; Nam sicut immortale significat, vel potens non mori, vel non potens mori, & non alterum determinate, ita verbum vel consignificat tempus, vel instans, & non determinate alterum; nam si verbum vniat extrema, quæ non sunt nata vniri nisi pro instanti, verbum consignificat instans, si vero vniat extrema, quæ non sunt nata vniri nisi in tempore, verbum consignificat tempus, atque ita verbum prout cum diuersis extremis vnitur consignificat tempus, vel instans, atque adeo copulatio extremorum pro instanti, & copulatio extremorum pro tempore non sunt causa veritatis propositionis; quia nullus vnius modus est, qui includatur indifferenter in illis duabus copulationibus: quia copulatio extremorum pro instanti, fit per verbum consignificantis instans, prout vnit extrema, quæ nõ sunt nata vniri nisi pro instanti, copulatio vero extremorum pro tempore, fit per verbum consignificans tempus, quatenus verbum vnit extrema, quæ præcise nata sunt vniri pro tempore; atque adeo verbum prout de se indifferenter consignificat tempus, vel instans, & quod est vt commune ad instans, & tempus, est causa veritatis in consignificatis, sicut in significatis; breuiter sententia totius cõclusionis est, quod verbum cuiuslibet temporis potest consignificare tempus, vel instans.

Quinta Conclusio (quæ non est de mente Scoti) est quod verbum alicuius propositionis si est præsens, & consignificat instans, significat instans completæ prolationis totius orationis: quia pro eodem tempore intelligitur ipsa vnio, & conceptus extremorum seu totius orationis, & totius conceptus intelligitur pro vltimo instanti; adeo quod pro eodem instanti intelligitur ipsa vnio, & conceptus extremorum; si autem est verbum præsens, & consignificat tempus, significat *5. Conclusio*

Digitized by Google

ficat tempus suæ prolationis, vel totum, vel partem, & secundum hoc si in vltimo instanti prolationis verbi fieret generatio ignis, hæc esset vera, ignis generatur. Et pari modo hęc est vera Cęlum mouetur, vel Petrus currit, si in toto tempore prolationis istius, vel in aliqua parte saltem maiori, vman tur extrema.

Cæterum secundum hunc modum dicendi ista nunquã erit vera ego bibo, ego dormio, & huiusmodi, quia non possunt esse vere prout verba ista significant instantia: quia actus ille non potest esse, in instanti, nec pro toto tẽpore prolationis orationis: quoniam nec pro toto illo tẽpore, nec pro parte illius vniuntur extrema, & ideo propositio illa semper erit falsa, quoniam in his non fit vnio extremorum, quã do fit prolatio, sed postea, & conformiter ad hunc modum dicendi ponitur.

6. Conclusio Sexta conclusio. In propositione de præsenti, vbi verbum significat instans præsens, significata omnium partium orationis debent intelligi pro vltimo instanti. hæc probatur ex præcedẽti, quoniam secundum Philos. i. perihermen. esse significat compositionem, quam sine compositis non est intelligere, ergo si copula copulasset pro vltimo instanti, pro illo necesse est intelligi significata omnium partium.

7 Conclusio Septima conclusio. In hac propositione hoc est corpus meum, cum hoc verbum est non significet tempus, sed instans quoniam vnio istorum extremorum est per virtutem infinitam, & per consequens in instanti, sequitur quod omnes partes istius orationis, & significata eorum debent referri ad vltimum instans prolationis totius orationis, & pro illo vltimo instanti debent intelligi, & ex hac conclusione sequitur.

8 Conclusio Octaua conclusio, quod illud pronomen hoc demonstrabit pro vltimo instanti completæ prolationis, id est, demonstratio, quæ fit per illud pronomen hoc, debet referri ad instans completæ prolationis, & tunc dicitur, quod demonstrat illud, quod pro illo instanti est sub illis speciebus, vt sit demonstratio partim ad sensum, partim ad intellectum, vt

Richar. inquit Richardus: nam est ibi demonstratio corporis Christi quo ad intellectum, & demonstratio specierum quo ad sensum, ita tamen quod illud, quod demonstratur ad intellectum, & in recto, non demonstratur disiunctiue, quod est vel erit, vt dicebat Richardus, sed determinate, id est, hoc quod nunc continetur sub illis speciebus est corpus Christi. Ex his conclusionibus patet, quomodo hæc propositio sit vera, hoc est corpus meum, est namq; vera pro instanti terminatiuo prolationis suæ, & eius sensus est. Hoc est corpus meum, id est, hoc ens quod est substantia cõtenta sub his speciebus est corpus meum, & pro tunc significatum est in re sub speciebus sicut oratio significat pro illo instanti terminatiuo prolationis.

9 Conclusio Nona conclusio. In singularibus est ordo secundum ordinem vniuersalium: hac conclusione vult Scotus ostendere, quomodo illud pronomen hoc demonstrat sub speciebus esse corpus Christi, & dicit, quod qualis est ordo inter magis, & minus vniuersale, talis est ordo inter singularia magis, & minus vniuersalis, quia sicut inter ens, substantiam, corpus, & corpus Christi est ordo originis, & perfectionis, quia superiora sunt priora origine, inferiora vero sunt priora perfectione: nam quanto amplius descenditur, eo magis fit descensus ad perfectius. Petrus enim est perfectior homine, homo animali, animal corpore, corpus substantia, & substantia ente, ita inter eorum singularia est ordo originis, & perfectionis: quia perfectior est hic homo, quam hoc animal, & hoc animal, quàm hoc corpus, & hoc corpus quam hæc substantia, & hæc substantia, quam hoc ens, ita ut hoc ens inter omnia est imperfectius singulare. Prius ergo intelligitur quod cumque vniuersale descendere in proprium singulare, quã per differentiam aliquam contrahatur ad aliquod inferius, tanquam ad speciem: nam prius ens descendit in hoc ens, quàm in substantiam, & animal prius in hoc animal, quam

Auic. in hominem, hoc patet per Auic. 1. suæ Physicæ, vbi dicit, quod prius videmus a remotis corpus quam animal, & animal quam hominem &c. quod nequit intelligi de vniuersali, quia sensus non uidet uniuersale sed de singulari uniuersaliotis, & ex hac sequitur.

10. Cõclusio Decima conclusio. In hac propositione hoc est corpus meum, illud pronomen hoc demonstrat singulare entis, & non per se singulare alicuius minus uniuersalis, quam ens, probatur primo: quia rationabiliter quęritur de unitis, quid est hoc, & tamen non dubitatur, quin sint ens, & hoc ens, puta singulare entis, sed dubitatur quale ens sit, quantũ ad genus, speciem, uel indiuidua, quod patet, quia in quæstione non est idem suppositum, & quæsitum, aliud enim supponitur, & aliud quæritur, igitur non supponitur, per illud hoc, hoc lignum, vel lapis, quia illud quæritur: nam si respondetur, quod est lignum, vel lapis, statim quietatus animus qua rem is de illo singulari, de singulari itaque illo præ esse supponitur, quod est singulare entis, & quæritur aliquid speciale sub ente, & quodcumque speciale sufficiens est ad responsionem, hoc patet per id quod habetur Exod. 16. de Manhu, quid est hoc. Non enim Iudæi dubitabant manna esse aliquid singulare ens, sed hoc supposito quærebat, quodnam singulare esset ex contentis sub ente.

Præterea adiectiuum in neutro genere substantiuatum includit suum substantiuum secundum grammaticos, ergo illud pronomen hoc substantiuatum includit suum substantiuum, non includit autem nisi hoc, quod est aliquid, vel ens ergo &c.

Vndecima conclusio. Licet in hac oratione, hoc est corpus meum, illud pronomen hoc non supponat per se nisi pro singulari entis, tamen illud intelligitur pro singulari alicuius inferioris, & regulariter pro singulari, quod est corpus Christi, adeo quod in prædicta propositione demõstratur singulare entis in aliquo inferiori, ad est, vt includitur in corpore Christi, ita ut non demonstratur ibi corpus Christi absolute, sed demonstratur hoc ens, quod est corpus Christi. 11. Concl.

Et si dicas illud indiuiduum, vel particulare entis, quod demonstratur per istud pronomen hoc, aut est totaliter idẽ ex natura rei cum indiuiduo signato corporis Christi, aut aliquid distinctum ab ipso, si primo modo, tunc idem est dicere, hoc est corpus meum, sicut corpus meum est corpus meum, & tunc licet oratio sit vera, non erit tamen conuersiua, atque adeo nec conueniens forma huius sacramenti, quod enim homo sit homo nulla est causa 7. Met. Si est aliquid distinctum ex natura rei, ergo habetur primo in hoc sacramento aliquod indiuiduum distinctum a Christi corpore, quod est falsum, vel ibi essent plura indiuidua simul, & similiter in quolibet indiuiduo essent plura indiuidua, quod est falsum.

Respondeo, quod sicut genus, species, differentia, & indiuiduum sunt essentialiter idem, ita indiuiduum generis, & speciei sunt essentialiter idem, puta hoc animal, & hic homo, & sicut genus, & species aliquo modo ex natura rei distinguuntur, sic etiam indiuiduum generis, & speciei vt hoc animal, & hic homo, & sicut species essentialiter includit genus, ita indiuiduum speciei includit indiuiduum generis, vt hic homo includit hoc animal, vnde ad argumentum dico, quod in hoc Sacramento hoc ens; quod est in corpore Christi, non est aliud ens, nec aliud indiuiduum essentialiter distinctum ab eo, licet sit ab eo ex natura rei diuersum, & cũ dicitur, quod tunc in vno indiuiduo, rot erunt indiuidua, quot sunt genera subalterna, & genus generalissimum concedo, neque habeo hoc pro inconuenienti, imo dico, quod vnum indiuiduum, vt hic homo est essentialiter tot indiuidua distincta, quot habet superiora essentialiter. Quando ergo dicitur hoc est corpus meum, non est omnino idem dictum, ac si diceretur corpus meum est corpus meum, sed est sensus, hoc ens est corpus meum, nec ista oratio est huius effectiua, scilicet, quod hoc ens sit corpus Christi, sed est effectiua, quod hoc ens, quod est corpus Christi sit hic, vel, quod substantia panis conuersa sit in corpus Christi, quod magis explicatur conclusione sequenti.

Duodecima conclusio. Non est idem sensus istarum propositionum hoc ens est corpus meum, & corpus meum est corpus meum. Et si dicas subiectas istarum propositionum supponunt pro eodem, igitur idem est sensus, consequentia patet: quia quando subiectum, & prædicatum supponunt pro eodem, & idem significant semper faciunt eumdem sensum, ergo &c. Respondet Scotus negando consequentiam, & ratio est: quia subiecta in aliquibus propositionibus pro eodem supponere bifariam intelligi potest. Vno modo quod supponant pro eodem secundum eumdem conceptum, vt istę propositiones, Franciscus currit, & hic homo currit demonstrato Francisco, vel secundum alium, & alium conceptum, vt hoc ens est corpus meum, & corpus meum est corpus meum, quia in prima propositione illud pronomen hoc supponit pro corpore Christi non absolute, sed communiter 12. Concl.

Digitized by Google

ter vage pro illo, quod est corpus Christi, & in secunda supponit determinate pro corpore Christi, quia de prima propositione, potest quis dubitare, non de secunda. Et hoc est, quod vult dicere Scotus, cum inquit, quod alius est per se intellectus antecedentis, & consequentis, antecedens est hoc; hoc ens est corpus meum, consequens vero hoc, ergo corpus meum est corpus meum. Alius autem est conceptus huius propositionis, hoc ens est corpus meum, & alius illius corpus meum est corpus meum, nam licet subiectum antecedentis, scilicet hoc ens, supponat pro subiecto consequentis, scilicet pro hoc, quod est corpus meum, non tamen secundum eumdem conceptum: quia conceptus antecedentis potest esse certus, & consequentis dubius: nã quis potest esse certus de singulari magis vniuersalis, & dubius de singulari minus vniuersalis, vt de hoc, quod sit hoc animal, & dubius an sit hic homo, non est autem idem conceptus certus, & dubius, ergo &c. Item quod alius sit conceptus antecedentis, & consequentis probatur conuertendo propositiones: nam si esset idem conceptus, etiam earum conuertentes haberent eumdem conceptum, sed hoc est falsum, quia prima conuertitur corpus meum est hoc ens, & secunda sic corpus meum est corpus meum; modo sensus istarum non est idem, ergo nec primarum, id est, conuersarum.

13 Cõclusio Decimo tertio conclusio. Hęc oratio, hoc est corpus meũ, est conuersiua, hoc est dictum, hæc oratio est causatiua sui significati. sicut quælibet forma sacramentalis debet esse causatiua, eo modo quo Sacramentis conuenit causare: quia tali oratione prolata, ex pacto diuino habetur, quod hoc contentum sub speciebus est corpus Christi, & quod corpus Christi continetur sub speciebus. probatur, quia ille, qui in instanti pro quo enunciat hanc orationem, hoc est corpus meum, faceret illud, quod ista oratio tunc significat. Ipse principaliter conuerteret: nam facere principaliter hoc ens, esse corpus Christi, est realiter facere conuersionem, per quam corpus Christi accipit esse hic, scilicet sub speciebus: quia eadem est factio, qua hoc ens fit corpus Christi, & qua corpus Christi fit hoc ens, id est, fit ens, quod est sub istis speciebus; sed illa oratio dicitur esse conuersiua, quæ significatiue agit pro illo instanti, pro quo conuertens agit realiter. ergo ista oratio est simpliciter conuersiua.

Ex istis tredecim conclusionibus patet qualiter ista oratio, hoc est corpus meum, est vera: quoniam iuxta illas totus eius intellectus, & complexio terminorum intelligitur pro vltimo instanti prolationis, & pro illo vltimo instanti, illud pronomen hoc demonstrat illud, quod tunc est sub illis accidentibus. Verum est tamen, quod illud sub illis accidentibus existens, est corpus Christi, & quod propter hoc, hæc propositio non est conuersiua, corpus meum est corpus meum, sed ista potest esse conuersiua, hoc est corpus meum: quia ista denotat dici de singulari communioris, scilicet entis, nimirum de hoc ente, quod est prædicatum, scilicet corpus meum, illa autem denotat prædicatum, scilicet corpus meum dici de seipso in speciali, dicendo namque corpus meum est corpus meum. Propositio autem denotans de hoc ente, aliquid primo dici potest esse effectiua, sicut & illa quæ diceret de lapide, quod lapis est primo hoc ens.

Has omnes conclusiones (inquit Scotus) concedere possum præter quintam, & alias in quantum sequuntur ex ea: nam verbum quando profertur sicut tunc significat, sic etiam consignificat, & quando consignificat præsens, & non additur aliqua determinatio, per quam tempus consignificatum referatur ad aliud, quam ad præsens non videtur ex vi sermonis, quod copulet pro aliquo instanti, nisi pro vltimo instanti prolationis ipsius verbi præsentis: nec illa probatio, quæ ibi ponitur cogit: quia etsi intellectus totius orationis non fiat per eam nisi in vltimo instanti, sicut expositum est in prima conclusione, tamen non fit conceptus vnionis extremorum tantum pro illo instanti, sic patet in secunda conclusione, hoc etiam patet, quia in propositionibus de præterito, & de futuro potest verbum copulare pro quocumque instanti præterito, vel futuro, quantumcunque distanti ab oratione, & tamen ibi intellectus totius orationis non habetur nisi in instanti completæ prolationis: sicut nec intellectus orationis, vel propositionis de præsenti, nec vniuersaliter intellectus alicuius complexi, sicut explicatum est in secunda conclusione. Per hoc etiam potest destrui illud, quod sequitur ad istam demonstrationem huius pronominis hoc: nam si illud deberet intelligi pro tempore, vel instanti pro quo est compositio, & compositio non intelligitur pro vltimo instanti totius orationis, sed pro instanti prolationis huius verbi est, sequitur quod demonstratio pro eodem intelligitur.

Sed est difficultas de illa demonstratione: nam pronomen demonstratiuum, quando profertur significat, quod demonstrat, ergo significat illud, quod tunc est demonstrabile; sed tunc nihil est ibi demonstrabile ad sensum nisi accidentia, nec ad intellectum, vt videtur nisi quod subest accidentibus. ergo &c. Nec difficultas petit, quid connotet copula de præsenti in aliqua propositione, & iam dictum est secundum vnum modum dicendi in quinta conclusione, quod verbum si est præsens, & consignificat instans connotat instans completæ prolationis totius orationis, & quod totus conceptus intelligitur, pro vltimo instanti; si autem verbum est pręsens, & significat tempus, connotat tempus suæ prolationis, vel totum, vel partem, qui modus dicendi reiectus fuit. Aliter ergo respondet hic Scotus dicens, quod de virtute sermonis non habetur, quod conceptus propositionis de præterito siue vnio extremorum intelligatur præcise pro vltimo instanti totius orationis; sed si intelligatur pro instanti, magis debet intelligi pro instanti completæ prolationis ipsius verbi: partes etiam quando proferunt significant, & si natura significationis earum est talis, quod non extendit se nisi ad aliquod, quod est præsens, quando significat; vt si dicerem. Arretinus persecutionem patitur, oportet illud significatum esse præsens, quando partes proferuntur.

Verum bene possibile est aliquem determinare se ad exprimendum aliquem conceptum complexum pro instanti, & conceptus omnium partium illius conceptus complexi accipi pro illo eodem instanti probationis, hoc enim modo disputantes determinant se ad proferendum suos conceptus in suis responsionibus ad idem instans; alioquin nunquam respondens posset redargui quantumcunque contradictoria concederet: Nam contradictio est ad idem, secundum idem, & in eodem tempore.

Et si quis alteri velit conceptum suum exprimere per orationem de præsenti non causabit in eo conceptum de virtute sermonis pro vltimo instanti prolationis, sed potest sibi exponere, quod pro illo instanti proferat, & tunc ex tali expositione, non ex virtute sermonis conciperet illam vnionem extremorum pro illo instanti, sed si ipsemet proferens intenderet per suam propositionem aliquid causare, sicut etiam posset intendere exprimere conceptum suum, pro vltimo instanti, ita posset intendere causare illum effectum pro illo instanti. Si etiam ad prolationem orationis istius intendentis aliquem conceptum, & omnes eius partes accipi pro aliquo instanti aliquis alius videns intentionem eius vellet aliquid causare, posset causare pro vltimo instanti, pro quo intendit illa omnia significare, & hoc modo licet non sit manifestum de virtute sermonis illud, quod dictum est prius in quinta conclusione, & reliquis sequentibus de vltimo instanti prolationis, tamen manifestum est, quod ille posset intelligi, quantum ad intentionem experimentis, & in se, & in quantum est minister Dei, qui videns intentionem suam potest illi orationi assistere ad agendum eo modo, quo ipsa secundum intentionem proferentis significat.

Breuiter vult dicere Doct. quod tempus significare tempus, vel instans potest bifariam intelligi, vno modo de rigore sermonis, alio modo secundum intentionem proferentis, primo modo oratio quantumcumque de præsenti, non habet necessario suum significatum, vel suum conceptum in suo proferri, & esse, sed pro vltimo instanti suæ prolationis, & quo ad hoc non est differentia inter orationem de præsenti, de præterito, vel de futuro, sed (secundum istum modum dicendi quem probabiliorem censeo, & magis ad intentionem Scoti) in hoc conueniunt; differunt tamen in veritatibus significatis secundum diuersas partes, vel instantia temporis in quibus ponitur vnio extremorum in se significata per tales orationes. Posteriori autem modo adhuc potest capi dupliciter, aut quod connotat tempus, vel instans ad intentionem proferentis absolute, aut in ordine ad Deum, primo modo non potest dari illud

illud instans determinatum. secundo vero modo sacerdos proferens illa verba, hoc est corpus meum, profert illa ac si essent in vnico instanti.

Et si quæras, quid est illud instans? dico, quod est illud, in quo determinauit facere, quod corpus Christi sit præsens speciebus, & istud solum a Deo est cognitum. Et iste secundus modus dicendi est etiam satis probabilis: maxime si exponatur, prout supra explicauimus: nam cum in omni proprietate, & rigore sermonis sufficiat quodlibet instans eorum, quæ coexistunt prolationi orationis, vt ex illo possit veritas propositionis mensurari, quia nullum tempus potest ab homine magis præsens designari, & ad illam præsentiam sufficit vnum instans, siue illud continuatiuum sit, siue terminatiuum propositionis, & fortasse etiam initiatiuum sufficit; quia si res existit cum homo incipit loqui, vel dum loquitur statim proprie affirmare potest rem illam esse, atque adeo sicut in propositione indefinita de subiecto communi, vt sit vera, satis est, vt verificetur pro vno singulari quodcumque sit illud, ita ut hæc propositio indicatiui modi de præsenti sit vera, sufficit vnum instans prolationis quodcumque illud sit, & intra hanc latitudinem valere, potest proferentis intentio, vt ad vnum, vel ad aliud instans dirigat sui sermonis significationem, præsertim: quia vltimum instans propositionis aliquo modo pendet ex intentione proferentis, vt diximus supra quatenus potest addere prædicato, ac etiam copulæ vnam, vel alteram determinationem, a quibus pendeat sermonis veritas, quæ nulla est donec extrema propositionis sunt integre prolata; quia sunt veluti suspensa, quatenus sunt partes talis propositionis, vt recte Bassolus dixit hac dicta quæst. secunda, articulo tertio, statim vero, vt prædicatum omnino absoluitur incipit propositio suam veritatem, vel falsitatem habere, & hoc modo explicatus modus iste secundus non differt forte a priori modo, nisi tantum verbaliter.

Bassolus.

Cæterum quicquid sit, siue opinio prior teneatur, quod de vi sermonis tota oratio debet referri ad vltimum instans sermonis, vel prolationis; siue teneatur secunda opinio, quod hoc non sit de virtute sermonis, sed ex determinatione proferentis, & hoc non tantum in se sed in ordine ad principale agens assistens ad agendum. Et si saluetur vno modo, vel alio, quod ista propositio est vera secundum octauam conclusionem, & cæteras, quæ sequuntur, a quibus, inquit Scotus, non discordo, remanet tamen difficultas communis vtrique modo. quomodo ista propositio sit vera pro vltimo instanti, non tamen prius naturaliter, quã conuersio sit completa: quia prius naturaliter oportet rem esse, quam oratio sit vera: in eo enim, quod res est, vel nõ est, est oratio vera, vel falsa ex prædicamentis, non ergo ista veritas præcedit naturaliter conuersionem sed sequitur, & per consequens ista oratio, vt vera non est conuersiua.

Huic difficultati respondens Doct. inquit, quod hæc difficultas potest pertractari aut logice, aut Theologicè, logice, iam visum est per 13. conclusiones quomodo sit vera. Sed theologice, inquit Scotus, quod illa propositio. Hoc est corpus meum, est vera antequam proferatur, & postquam profertur: quoniam illam esse veram nihil est aliud, quam ipsam esse quoddam signum sensibile efficax verum, & certum, quo exhibito Deus causat præsentiam corporis Christi sub illis speciebus: adeoque sufficit Theologo, vt ista oratio, vt est tale signum sensibile institutum a Deo, est instrumentum Dei ad consecrationem illam, quæ sequitur in vltimo instanti. itaque Deus assistit illi tanquam cuidam dispositioni præuiæ efficaci, vt ea completa causet talem effectum inuisibilem, id est, præsentiam corporis Christi sub speciebus: non præcedit ipsa veritas actionem Dei, vt talis dispositio: quia est vt signum sensibile in fieri, & per consequens in tempore non intelligitur habere suam propriam veritatem, quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturæ actionem Dei. Breuiter ergo diceret Theologus, quod qualitercunque logicus saluet istam propositionem esse veram, saltem non est oratio sacramentalis, id est, conuersiua, vt vera, sed vt tale signum sensibile præcedens forte tempore, & ad minus naturaliter suam veritatem, sicut dispositio continua in tempore præcedit vltimum instans, & conditionem cuiuscunque in vltimo instanti, causa etiam præcedit conditionem causati.

Et si quæras, quomodo hæc propositio sit conuersiua, vel vt vera, vel vt falsa? Respondet Docto. (vt diximus supra articulo septimo,) quod neque, vt vera neque vt falsa, sed vt propositio neutra, & prior naturaliter sua veritate, quod præter rationes ibi adductas in hunc modum persuaderi potest: nam Deus posset instituisse aliquam orationem non significatiuam, quam Minister proferens assisteret ipse ad causandum effectum in fine prolationis, non est ergo de ratione propositionis conuersiuæ, quod sit vera.

Tenendum est ergo pro certo (inquit Scotus,) quod hæc propositio, hoc est corpus meum, vt signum vocale, & in fieri extra, est signum efficax respectu consecrationis, adeo quod vt signum sensibile est signum certum, & verum: quia est dispositio præuia, cui Deus ex pacto assistit; hoc est, est causa moralis mouens ipsum Deum ex pacto ad causandum effectum efficienter in termino prolationis; sine ipsa propositio significet talem effectum, quod verum est de facto, & congruum, & hoc nude, id est, nec vt vera, nec vt falsa, inquantum scilicet est dispositio, siue significet illud, vt propositio vera, & hoc vel pro tunc, quãdo est dispositio, hoc est, dum actualiter profertur, vel pro instanti illo, pro quo causabitur illud, ad quod est dispositio, vel causa moralis, & hoc vel prius naturaliter, quam in illo instanti causetur ille effectus, vel posterius naturaliter.

Vnde hæc sententia hoc pacto intelligi potest, quod in vltimo instanti temporis prolationis verborum pro quo verificatur oratio prædicta possunt intelligi tria instantia, seu signa naturæ. Primum in quo, vel pro quo propositio est neutra, id est, nec vera, nec falsa: nam licet sit vera, tamen pro illo signo naturæ non conuenit sibi veritas, nec falsitas, & pro illo signo est prior natura præsentia corporis Christi sub specie panis, sicut causa est prior effectu, secundum signum naturæ est, pro quo est præsens corpus Christi sub speciebus, tanquam effectus talis propositionis, vel orationis. tertium signum naturæ est, pro quo ista oratio est primo vera: quia sua veritas ex præsentia corporis Christi dependet, & per consequens est natura posterior. Patet igitur breuiter recolligendo, quod ista propositio, hoc est corpus meum, quando profertur, & dum est in proferri, nondum dat intelligere suum significatum, & ita nec est vera, nec falsa, ideo in instanti terminatiuo prolationis suæ est vera; non est tamen causatiua in quantum vera, sed prius naturaliter est conuersiua, quam vera. sufficiat itaque Ministro, inquit Scotus, non disputanti tunc pro quo intelligitur oratio, intendere proferre istam orationem eo modo, quo Christus instituit eam proferendam, & sic habetur intentio debita, & instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento a tali agente, scilicet a sacerdote adhibito Deus assistit ad causandum in vltimo instanti talem effectum.

Sed contra prædicta arguitur. licet causa secundum id, quod est, sit prior effectu, tamen inquantum causa est simul cum effectu, quia causa, & effectus sunt simul natura inquantum correlatiua, ergo oratio illa inquantum causatiua non est prior natura præsentia corporis Christi sub speciebus.

Præterea oratio est causatiua, vt est signum sicut Sacramentum, sed vt signum est vera, vel falsa: quia ista priuatiue opponuntur circa signum, & circa orationem, ergo non est causatiua, vt neutra, & confirmatur: quia aut conformiter enunciatur ipsi rei, & sic est vera, aut non conformiter, & sic est falsa, & inter contradictoria non est mediũ pro quocunque signo naturæ, vel temporis.

Item ista oratio est vniformiter causatiua modo, sicut & quando Christus eam protulit conficiendo corpus suum; sed tunc naturaliter prius fuit significatiua ex proprijs dictionibus, quam causatiua talis effectus, vel saltem non posterius, & sic etiam vera, & causauit in quantum causatiua, alias non magis congruenter assumpsisset Christus hãc orationem, quam aliam vocem non significatiuam, quod non est verum. ergo cum Sacramentum, & consecratio sit eiusdem rationis modo, sicut tunc; ita bene est consecratiua, vt significatiua nunc, sicut modo & per consequens vera secundum significationem suam ex proprijs dictionibus, & non solum ex institutione Christi, licet non nisi concurrente institutione, sicut & tunc.

Ad primum dico, quod licet causa quantum ad respe-

ctum

Digitized by Google

ctum sit simul cum effectu etiam quantum ad respectum, tamen quantum ad fundamentum est prior natura, quam effectus, ita in proposito posset dici, dico tamen, quod oratio illa vt est signum sensibile non est vere, & Physice causa, nec habet realem aliquem respectum ad effectum sacramenti, sed si habet aliquem respectum ille est tantum rationis, quia ex diuina institutione habet, quod sit causa moralis talis effectus.

Ad secundum dico, quod illa oratio est causatiua inquantum est sensibile signum a Deo institutum ad hoc, non ex se sed ex institutione, & cum dicitur aut est conuersiua, vt vera, vel vt falsa. Dico, quod neque vt vera, neque vt falsa, sed vt neutra, & ad improbationem dico, quod in sua prolatione, & in suo esse sensibili est neutra, quia cum profertur significationem suam, vel conceptum suum non habet; non est tamen causatiua, vt neutra reduplicatiue: quia hoc non est sibi ratio causandi, licet neutra existat. Ad confirmationem dico, quod licet res sit vel non sit, quando oratio profertur, nec sit dare medium, tamen non oportet tũc esse veram, vel falsam: itaque verum, & falsum non opponuntur priuatiue circa orationem, pro omni tempore, scilicet pro tempore suæ prolationis, sed magis pro instanti suę terminationis secundum habitudinem conformitatis ad rem, vel difformitatis; sicut videns, & cæcus non opponuntur priuatiue circa canem pro quocumque tempore, sed pro tempore a natura determinato.

Ad tertiũ dico, quod vniformiter hæc oratio est causatiua modo, sicut fuit quando Christus eam protulit conficiendo corpus suum: est enim consecratio eiusdem rationis sicut tunc fuit, & cum dicitur, quod prius natura quam terminetur prolatio eius, & vt causatiua effectus sacramenti, habuit suum significatum ex dictionibus proprijs, & suam veritatem. Dico quod non, & cum infertur, quod tunc frustra Christus accepisset talem orationem, & quod potuit accepisse aliquam vocem non significatiuã. Dico quod ita bene assumpsisset si voluisset vocem non significatiuam, & in ipsa confecisset, & conficiendum esset si voluisset, sed hoc non fecit, & orationem significatiuam accepit, quasi magis congruam ad operandum, & excitandum deuotionem ministri, & aliorum affectum inflammandum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum per pronomen hoc, vel hic designetur in forma consecrationis aliquid commune substantiæ panis, & vini, & corpori, & sanguini Christi.

DE hac re plurimæ sunt opiniones, quæ breuiter ad duas reduci possunt. Aliqui enim tenent pronomen hoc, designare panem, vel accidentia panis, aliqui vero designare corpus Christi. Primi dicunt illud pronomen hoc facere demonstrationem ad sensum, eius scilicet quod in prospectu est. Secundi dicunt facere demonstrationem ad intellectum, nempe eius, quod ibi nondum est.

Primus dicendi modus diuersimode explicatur. Primo a D. Bonauent. distinct. octaua, parte secunda, articulo primo, quæstione prima, qui dicit quod illud pronomen hoc demonstrat panem quatenus in sua substantia adhue permanet, totam autem propositionem non esse substantiue, sed transitiue interpretandã in hunc modum. Hoc est corpus meum, id est, transit in corpus meum, adeo quod verbum est significat idem quod fit, aut conuertitur. Demonstrat itaque illud pronomen hoc iuxta sententiam D. Bonauent. substantiam panis sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt, quæ panis substantia est terminus a quo conuersionis, est vero, operatiuum est, & non dicit inhærentiam, vel identitatem extremorum, sed conuersionem, & hoc est speciale in hac oratione. Vnde cum dicitur, hoc est corpus meum, non significatur, quod panis sit corpus, sed quod ad prolationem huius verbi, panis transit in corpus. Contra hanc sententiam illud obijcitur, quod videtur conuertere vocum significationes, quia nunquam verbum est significat fieri, vel conuerti.

Bonauent.

Secundo modo explicatur sic, quod illud pronomen hoc demonstrat substantiam panis, non vt est in se, sed vt est conuersa in corpus Christi in termino prolationis verborum, ita referunt antiqui Theologi, sed hæc opinio est falsa: quia in primo instanti prolationis non est conuersus panis in corpus Christi, sed solum in vltimo instanti prolationis totius orationis, ideo impossibile est, quod in primo instanti prolationis illud pronomen hoc possit demonstrare panem conuersum cum nondum sit conuersus. Præterea in instanti conuersionis panis, non est panis, sed corpus Christi: quia panis, vt conuersus nihil est, nisi corpus Christi.

Tertio quidam explicant sic dicentes, quod pronomen hoc designat accidentia, seu species panis: quia illud pronomen designat rem sensibilem, quæ est eo tempore, quo fit designatio, & manet quando perficitur significatio verborum, in hoc autem mysterio nihil est in principio prolationis verborum, & permanet in fine, nisi accidentia. Sed hæc opinio est etiam falsa: quia accidentia non transubstantiantur in corpus Christi, hæc enim vocaretur transaccidentatio, & non transubstantiatio; igitur pronomen hoc demonstrat substantiam, & non accidens, non potest ergo hæc opinio sustineri nisi corrumpat propriam significationem verbi est, vt esset sensus hoc est, id est, hoc continet corpus meum, quod esset dare ansam sectatijs, vt explicet hoc est, id est, hoc significat corpus meum.

Explicatur itaque quarto hic modus dicendi, nimirum, quod in hac oratione, hoc est corpus meum, est demonstratio mixta partim ad sensum, partim ad intellectum, vt sit sensus orationis, hoc est corpus meum, hoc, id est, illud in quod panis diuina virtute est transmutandus, est corpus meum. Ita Richardus de Sancto Victore in libro de Trini. & in eandem sententiam declinare videtur etiam Richar. de Media Villa in quarto distinctione octaua, articulo tertio, quæstione prima, ad quintum, dicens quod hic est demonstratio partim ad sensum, partim ad intellectum sic intelligendo, quod demonstratur hic aliquid, quod est obiectum sensus, & aliquid quod est obiectum intellectus: primum in obliquo, secundum in recto, vt sit sensus, hoc, id est, aliquid sub hac specie sensibili, est corpus meum, & hoc est verum non restringendo illud ad aliquam differentiam temporis. Vnde secundum Richar. pronomen hoc supponit pro illo, quod actu continetur, vel de proximo continebitur sub hac sensibili specie, quæ disiunctiua est vera pro secunda eius parte. Et ex hoc dicit consequenter, quod corpus Christi esse sub sacramento non est causa veritatis huius propositionis. Hoc est corpus meum, sed corpus Christi statim fore sub istis speciebus est causa veritatis prædictę locutionis. Vnde sensus est. hoc est corpus meum, id est, illud quod statim erit præsens sub hac specie sensibili, quæ videtur, est corpus meum, & hoc verum est.

Rich. Victo. Richardus.

Fundamentum Richardi est, quoniam cum secundum Grammaticos tempus non accidat nomini, neque pronomini, quod loco nominis ponitur, nomen vel pronomen a parte subiecti positum non restringitur ad aliquam temporis differentiam, & ideo potest supponere pro suo significato, quod est, vel fuit, vel erit, sicut indifferenter significat. nec potest dici, inquit, quod restringatur per verbum præsentis temporis, ad supponendum tãtum pro aliquo, quod præsens est, sicut cum dicitur homo est albus, terminus homo non restringitur ad standum pro albis tantum, sicut cũ dicitur homo albus, quia restrictio non fit nisi per restringens indistans, id est, a parte eiusdem extremi positum, sic ergo illud pronomen hoc demonstrat aliquid sub specie sensibili, siue nunc sit sub ea, siue fuerit, siue erit, demonstrat sine restrictione temporali, & æquiualet propositioni disiunctiuæ diuersas temporis differentias importãti, scilicet illi, hoc quod continetur, contentum fuit, vel continebitur sub his speciebus est corpus meum. Et quantum capio Richard. intentionem, vult ipse dicere, quod licet copula vniat extrema pro tempore per ipsam importato, non tamen restringit extrema ad supponendum pro suis significatis tantum sibi ad tempus copulæ correspondentibus, licet propositio solũ pro illis verificetur. Vnde consequenter dicendum est, quod in illa, homo viuit, homo supponit non tantum pro hominibus, qui sunt in tempore præsenti, sed etiam pro Adam, & Antichristo, licet illa propositio solum verificetur pro hominibus, qui sunt, sicut hic. Homo currit, homo irrestricte supponit, tã pro homine sedente, & quiescente, quã pro homine currẽte, licet solũ pro homine currente verificetur. ita in proposito illud pronomẽ hoc, demõstrat aliquid. s. corpus

Christi, quod nunc est, vel erit sub speciebus panis, & illud, quod erit sub speciebus panis, iam est corpus Christi, & sic est propositio simpliciter vera. Contra hanc Richardi explicationem triplici ratione argumentatur Scotus in hac quæstione sub litt. F. §. contra istud.

Reijcitur Richardi sententia.

Prima ratio est talis. Quandocumque profertur ista oratio, hoc est corpus meum, illud pronomen hoc significat illud quod demonstrat, sed sic est quod non demonstrat corpus Christi; quia tunc ibi non est, vt de se patet, igitur non significat illud, & per consequens prædicta oratio est falsa, quando profertur a sacerdote. Et si dicatur quod minor est falsa secundum Richardum: quia illud pronomen hoc demonstrat ad intellectum illud, quod est, vel immediate post erit. Hoc nihil valet, vt patet in exemplo naturali: ponatur enim quod aqua sit ita disposita, quod immediate post illud instans conuertatur in aerem, tunc clarum est, quod de illa aqua sic disposita falsum est dicere, hoc est aer: quia de eodem non possunt simul verificari aqua, & aer, at pro hoc instanti, de hoc supposito verificatur aqua, quoniam reuera est aqua, ergo non potest de eodem verificari aer. quia pro illo instanti non est aer, licet immediate post sit verum dicere, quod sit aer; licet ergo non oporteat, quod illud pronomen hoc demonstret pro tempore determinato, tamen cum orationis significatio, ex partium significatis constituatur, vt ipsemet dicit, & partes significent, quando proferuntur, sequitur etiam secundum ipsum, quod illud pronomen hoc, illud demonstrat, quod dum profertur significat, at qui non potest demonstrare tunc id, quod non est sub illis speciebus contentum, ergo nec illud significat, atque adeo falsa erit propositio, cum a Sacerdote profertur.

Secunda ratio talis est. Si fieret differentia ad intellectum respectu copulæ de præsenti, & de futuro, sequeretur, quod prædictæ orationis significatio non deberet attendi ad idem tempus, vel instans, imo ad diuersa nempe ad præsens, & ad futurum, sed consequens est falsum apud omnes, ergo &c. consequentia patet: quia dicere hoc est, vel erit, non est idem tempus sed diuersa; assumptum patet: quoniam si partes orationis significant quando proferuntur, & ex significatis earum hoc modo acceptis est significatio totius orationis, vt ipsemet Richar. affirmat, sequitur quod copula est quando profertur ponat significatum suum pro præsenti, quod significat: nam, est, significat tempus præsens, subiectum autem, scilicet hoc, pro illa parte disiunctionis, id est, pro illa, vel quod proxime continebitur, non accipitur pro aliquo eodem tempore cum illo, quod importatur per copulam: quoniam per copulam importatur tempus præsens, & per illam partem disiunctiuæ tempus futurum. ergo tota significatio illius orationis non refertur ad aliquod idem tempus, vel instans, quod est inconueniens maximum.

Tertia ratio est talis. stante Richar. explicatione sequitur, quod hæc propositio, hoc est corpus meum, non est vere conuersiua panis in corpus Christi verum quando a sacerdote profertur cum cæteris requisitis, sed hoc est falsum, ergo illud ex quo sequitur: consequentia probatur, quia disiunctiua illa, scilicet hoc est, vel erit sub speciebus non ponit aliquam partem determinate veram, licet ponat istam, vel illam sub disiunctione, imo arguere a tota disiunctiua ad alteram partem determinate est fallacia consequentis; sed prædicata oratio hoc est corpus meum, debet aliquid ponere determinate, vt notum est. ergo explicatio Richardi stare non potest. Assumptum probatur, quia si pronomen hoc stat sic disiunctiue, eo quod nec determinate ponit respectu prædicati, scilicet corpus meum, vnam partem, scilicet hanc, quod in proximo erit sub istis speciebus, sicut neque alterã, scilicet, quod nunc est sub istis speciebus. & per consequens cum hæc propositio, non sit conuersiua secundum Richardum, nisi prout ipsa est vera, & non est uera nisi sub disiunctione; sequitur quod per istam orationem hoc est corpus meum, non magis efficitur, quod illud quod statim erit sub istis speciebus sit corpus Christi, quam illud quod nunc est sub istis speciebus sit corpus Christi, quod est falsum.

Præterea contra fundamentum Richar. sic arguitur. quãuis non significet sine tempore, quia significat per modum rei permanentis, & verbum significat per modum fluxus, & fieri tamen nomen stat pro significato præsenti nisi sit terminus ampliatiuus, qui ampliet pro præsentibus, præteritis, & futuris; modo in hac oratione, hoc est corpus meum, non est aliquis terminus ampliatiuus, qui faciat stare illud pronomen hoc pro aliquo futuro, cum verba præsentis temporis non amplient subiectum nisi illa quorum actus indifferenter respiciunt totum tempus, vt imaginor, opinor, & similia; quia respicere ad omne tempus possunt; non sic potest verbum est præsentis temporis, quoniam tantum respicit tempus præsens, & ideo pronomen hoc non potest ampliari ad standum pro aliquo futuro, stat ergo pro aliquo præsenti in illo instanti, pro quo pronunciatur, & per consequens non est vera opinio Richardi, cum dicit, quod non respicit aliquam differentiam temporis determinatè; imo respicit suum significatum præsens, & per consequens non potest intelligi pro aliquo de propinquo futuro atque adeo non potest significare corpus Christi, & per consequens pronomen hoc non significat per modum distantis a quolibet tempore, imo restringitur ad tempus præsens per istud verbum est. nec est verum, quod res de propinquo conuertenda dicatur res illa, in qua debet conuerti, male enim diceretur, quod panis de proximo conuertendus in corpus Christi, sit corpus Christi: quia impossibile est, quod panis existens panis, sit corpus Christi, præsertim loquendo realiter, & de facto, & non secundum vsum loquendi.

Quarto explicatur hic modus dicendi a Guill. Rubione, & a Guidone Brianfonte, qui dicunt (vnus in quarta dist. octaua, quæstione secunda, & alter in quarta quæstione sexta conclusione secunda,) quod ista propositio, hoc est corpus meum, est conuersiua, & significatiua, conuersiua: quia virtus diuina conficit illis verbis, vt panis transubstantietur in corpus Christi. Significatiua est dupliciter, aut secundum se totam in vltimo instanti prolationis, & tunc significat corpus Christi esse sub illis speciebus, aut significatiua quantum ad partes. Si quantum ad partes, vt pronomen hoc in primo instanti certe demonstrat accidentia panis ad sensum, & substantiam panis ad intellectum: nam substantia non cadit sub sensu, illud ergo pronomen hoc significat ad sensum accidentia, & substantiam panis ad intellectum; & in oratione ista dum dicitur hoc est corpus meum, non mutat nec variat suum significatum, atque adeo in primo instanti demonstrat primo accidentia panis, & secundo substantiam panis. primum ad sensum, & secundum ad intellectum, ac proinde illud pronomen hoc supponit pro indiuiduo proprio substantiæ panis: si enim supponeret pro alio non esset ad intentionem Christi: nam hoc innuit per verba illa, hoc est corpus meum, quæ significant vtrumque terminum, scilicet a quo, & ad quem, a quo est substantia panis designata per illud pronomen hoc, terminus ad quem est corpus Christi designatum per illud; est corpus meum.

Gui. Rubi. Guido Brian. sen.

Et si dicatur, quomodo ergo hæc oratio est vera, hoc est corpus meum, si pronomen hoc, demonstrat seu significat panem, cum panis non sit corpus Christi? Respondent, & primo supponunt id quod est certum, scilicet, quod illis verbis fiat transubstantiatio panis in corpus Christi. Secundo supponunt, quod in hac transubstantiatione sunt duo termini, scilicet terminus a quo, & terminus ad quem. Tertio supponunt, quod aliud est significatum totius orationis, & aliud significatum partium, & sicut dictio, quæ est pars orationis non significat nisi pro prolatione vltimæ syllabæ, ita nec significatio totius orationis habetur nisi in vltimo instanti prolationis vltimæ syllabæ. Quarto supponunt, quod Deus siue diuina virtus assistit verbis prolatis a sacerdote, vt panis transubstantietur in corpus Christi. Cum ergo hæc propositio sit conuersiua necesse est, quod includat vtrumque terminum, scilicet panem conuertendum, & corpus Christi. alter non esset conuersiua panis in corpus Christi, quod est hæreticum dicere. Ideo tenendum est, quod illud pronomen hoc significet terminum a quo, & tota oratio significet terminum ad quem, scilicet, corpus Christi.

Quomodo ergo est vera hæc propositio, hoc est corpus meum? dicunt, quod est perfectissime vera non pro eodem instanti, sed pro diuersis prolationibus: nam in primo instanti, cum profertur pronomen hoc, est ibi vere panis; sed in vltimo instanti prolationis orationis virtute verborum, quibus diuina virtus assistit, panis est conuersus in corpus Christi, & ideo sic intelligitur, hoc est corpus meum, hoc, id est, panis in primo instanti, est

corpus

Digitized by Google

corpus meum in vltimo instanti: quia conuersus in corpus Christi, & sic est vera: atque ita per hunc modum dicendi patet, quod in hac oratione. Hoc est corpus meum sunt duo termini; est ibi conuersio panis in corpus Christi, & est etiã ibi intentio, Christi: nam cum dixit Apostolis. Hoc, tunc demonstrauit verum, & cum subiunxit, est corpus meum, panis qui fuit demonstratus, fuit in verum corpus diuina virtute conuersus, quia panis non remansit, sed panis, qui fuit in primo instanti demonstratus, est in vltimo instanti verum corpus Christi: atque ita panis potest dupliciter considerari, vel secundum esse proprium, vel secundum esse conuersum; & licet, oratio quæ enunciaret corpus Christi de pane secundum proprium eius esse, esset falsa, illa tamen quæ enunciat corpus Christi de pane secundum esse conuersum est vera. Vnde in ista oratione, hoc est corpus meum, sunt tria instantia, vel tempora, primum in quo profertur subiectum orationis, scilicet hoc, secundum in quo profertur copula, scilicet est. & tertium in quo additur prædicatum, scilicet corpus meum. In primo instanti, vel tempore in quo profertur subiectum, non fit conuersio panis in corpus Christi, nec in medio cum profertur est; sed in vltimo instanti panis desinit esse panis, & fit corpus Christi, & ideo licet subiectum supponat pro pane, pro primo instanti prolationis non conuerso in principio orationis, tamen oratio non est vera pro illo pane proprio in primo instanti, quia panis in illo, nondum est conuersus, & per consequens oratio nondum habet veritatem, nec significatum proprium, quod est corpus Christi, sed in vltimo instanti prolationis orationis habet veritatem pro pane conuerso. Ideo ista est vera, panis conuersus est corpus meum, non tamen cum constantia subiecti: quia subiectum, scilicet panis desinit esse, ideo non habet constantiam existendi.

Et si dicatur. Oratio habens subiectum aliquod est vera, vel falsa pro eo, pro quo supponit subiectum in illa oratione, sed in hac oratione, hoc est corpus meum, pronomen hoc per te supponit pro pane non conuerso, scilicet pro substantia panis, ergo pro illo habet veritatem, vel falsitatem, sed certum est, quod corpus Christi non est panis non conuersus, igitur hæc propositio est falsa.

Respondetur, quod duplex est propositio, quædam indicatiua, & non effectiua, quæ ab alijs speculatiua dicitur, vt homo est animal, & ista indicat, quod subiectum & prædicatum supponunt pro eodem, sed non est effectiua rei, sed tantum demonstrat rem sic esse. alia est effectiua veritatis suæ, quæ ab alijs operatiua, vel practica appellatur, quæ est effectiua veritatis suæ suo modo in subiectum eius, & ipsa prolata subiectum conuertitur in prædicatum, & talis est oratio Sacramentalis. Aliter ergo dicendum est de propositione indicatiua, quæ simpliciter demonstrat esse subiecti, respectu prædicati, in tali enim prædicatum verificatur de subiecto, & aliter dicendum est de propositione effectiua, quæ est conuersiua subiecti in prædicatum, & quamuis prædicatum habeat aliud esse a subiecto, ideo talis propositio verificatur pro alio esse: quia in conuersione subiectum mutatum est in aliud esse, vt panis in corpus Christi: quia subiectum supponit pro esse panis, quod præcedit veritatem propositionis; sed tota propositio verificatur pro esse corporis Christi virtute conuersionis, & istud est necessarium alias non esset oratio conuersiua, siue suæ veritatis effectiua, & hæc sententia ita explicata sua probabilitate non caret, & valde explicat sententiam Diuæ Bonauenturæ.

Secundus modus dicendi principalis est illo pronomine hoc demonstrari corpus Christi, prout est sub accidentibus in termino prolationis verborum, & iste modus dicendi est
e. de Al. Alexand. de Ales quarta parte, quæstione decima, m. 4. articulo secundo, §. tertio, quæstione secunda, vbi dicit, quod hæc propositio, hoc est corpus meum, est significatiua, & operatiua; significatiua ex prima sui impositione, operatiua ex formæ sacramentalis institutione, ea ratione qua est significatiua, illud pronomen hoc demonstrat signatum per signum, ea autem ratione qua est operatiua insinuatur aliquid in aliud conuertendum. Vnde est hic demonstratio signati per signum in signatum conuertendum. Signum est panis, signatum est corpus Christi in quod panis est conuertendus. Illud ergo pronomen hoc, demonstrat ad intellectum corpus Christi, quod est signatum panis conuertendi in ipsum. Vnde sensus huius propositionis hoc est corpus meum, talis est, hoc, id est, signatum hoc signo, (quod signum est panis transubstantiandus in corpus meũ) est corpus meum, & sic patet, quod non est idem dicere hoc est corpus meum, & corpus meum est corpus meum: quia ad hoc, quod propositio non sit identica, satis est rem eamdem magis confuse demonstrari per subiectum, quam per prædicatum, neque hæc positio fauet hæresi, quæ dicit corpus Christi tantum per panem significari, & per hoc illam esse veram. Hoc est corpus meum: quia panis significat corpus Christi, non enim dicit Alexand. quod pronomen hoc demonstret panem, sed significatum per panem, ita quod illud pronomen hoc secundum Alexand. non stat substantiuæ sed adiectiue, nec dicit panem significare tantum corpus Christi; itaque nunquã conuertatur in corpus Christi, sed dicit panem conuertendum esse in corpus Christi, & hoc implicari in demonstratione per illud pronomen hoc: nam pronomen hoc demonstrat corpus Christi significatũ per panem conuertendum in corpus Christi.

Fundamentum huius opinionis est: quia in propositionibus practicis, & effectiuis; si subiectum sit aliquod pronomen demonstratiuum demonstrare solet ipsum prædicatum, sed talia sunt verba consecrationis, ergo in eis subiectum, hoc, demonstrat prædicatum, quod est corpus Christi. Maior patet primo exemplis Si quis describendo circulum dicat, hoc est circulus, vel si Christus ad conuertendam aquam in vinum diceret, hoc est vinum, vel si Deus daret virtutem his verbis, hic est Angelus, ad producendum Angelum. Nam in huiusmodi propositionibus, quæ practicæ sunt, & efficaces, hæc pronomina demonstrare solent, quod nondum est, sed per ipsam orationem fit, eaq; finita erit. Cum enim Deus ex limo terræ hominem finxit, recte, vereque dicere potuisset sumpto in manibus limo, hic est homo, & cum ex costa mulierem fabricauit, sumpta costa, dicere potuit, hæc est mulier, & cum in Cana Galileæ aquam in vinum mutauit ostensa aqua dixisset, hoc est vinum, ita recte vereque Christus dixit, hoc est corpus meũ, & sicut in fabricatione hominis, ex limo, & mulieris ex costa, cum pronunciasset pronomen hic, & hæc, nondum fuisset vir, & mulier, & cum dixisset, hoc est vinum nondum fuisset vinum, nec significasset (si ita locutus fuisset) limum esse hominem, costam esse mulierem, & aquam esse vinum, sed limum in hominem, costam in mulierem, & aquam, in vinum conuerti. Ita cum Christus dicit accepto pane hoc est corpus meum, quamuis eius corpus nondum illic esset, tamen quia statim futurum erat, illud eo pronomine demonstrat, nec significat panem, quem acceperat esse corpus suum; sed mutari in corpus suum, quia in his locutionibus intelligitur subiectum demonstrare prædicatum. probatur etiam ratione: quia in hoc genere locutionis, est veluti suspensa significatio, & demonstratio subiecti, donec absoluta sit propositio, includit enim quandam necessariam habitudinem ad prædicatum ipsum, & hæc sententia sic explicata est valde probabilis.

Tertius dicendi modus est, quod illo pronomine formaliter, ac per se primo designatur aliquod commune substantiæ panis, & corpori Christi. Vnde obseruandum est, quod secundum omnes, & rei veritatem pronomen hoc demonstrat corpus Christi, & pronomen hic demonstrat sanguinẽ Christi; hoc patet, quia nihil aliud a corpore Christi est corpus Christi; falsum enim esset dicere hoc est corpus meum, demonstrato aliquo, quod secundum rei veritatem, non esset corpus Christi, sed dubium est quid demonstrent illa pronomina, secundum modum significandi, an substantiã, vel ens, vel aliquid aliud, cum omnes in eo conueniant, quod illa pronomina secundum modum significandi non demonstrant corpus, & sanguinem Christi, alias enim formæ consecrationis non essent conuersiuæ: quia sensus esset, corpus Christi est corpus Christi: Si enim illud pronomen hoc secundum modum significandi significaret corpus Christi, esset sensus. hoc, id est, corpus meum est corpus meum, & ita forma non esset conuersiua panis in corpus Christi probatur: quia talis forma esset vera, etiam si non fieret conuersio panis in corpus Christi, verum enim esset dicere, corpus meum est corpus meum; etiam si corpus Christi non veniret sub accidentibus panis, & in hoc conueniunt Doct. noster Sub. Caietanus, & Sotus.

Differunt tamen in aliquo: quia Sotus dist. undecima, quæstione prima, articulo quinto, tenet quod illud pronomen denotat singulare vagum, ita vt sit sensus, hoc est corpus meum, id est, contentum sub his speciebus est corpus meum, siue sit panis, siue sit corpus Christi, siue aliud quidpiam. fundamentum eius est, quoniam si pronomen hoc demonstraret rem singularem, & determinatam, vel forma consecrationis esset falsa, vel non esset conuersiua panis in corpus Christi. Probatur: quia si demonstraret rem singularem, vel demonstraret substantiam panis, & sic forma esset falsa: nam substantia panis licet conuertatur in corpus Christi, nunquam tamen de ea prædicatur corpus Christi, vt sit verum dicere substantia panis est corpus Christi, vel per illud pronomen hoc demonstraretur corpus Christi, & tunc forma consecrationis non esset conuersiua: quia sensus illius esset corpus Christi est corpus Christi, quod verum esset absque vlla conuersione, etiamsi a laico talia verba dicerentur, patet igitur, quod illud pronomen hoc non potest demonstrare rem singularem, ergo demonstrat rem communem, inquit Sotus, nimirum contentum sub his speciebus est corpus meum, & in hac sententia videtur esse Diuus Thomas vbi supra, quamuis Caiet. eum adducat in suam.

Caietanus. Caiet. vero tertia parte quæstione 76. articulo quinto, dicit quod illud pronomen hoc secundum modum significandi significat, & demonstrat substantiam, vt sit sensus, hæc substantia est corpus meum. Eius fundamentum est, quia, vel pronomen hoc habet determinatam significationem, & sic non possumus demonstrare nisi hanc substantiam, vel non habet, & sic possumus demonstrare species panis, quæ sunt hoc ens, quas certum est non demonstrare, & confirmatur: quia pronomen hoc, est demonstratiuum substantiæ, ergo secundum modum significandi demonstrat substantiam, antecedens Caietanus non probat, sed tanquam certum supponit.

Scotus. Docto. Sub. in hac quæst. sub. litt. p. conclusione decima dicit quod illud pronomen hoc demonstrat singulare entis secundum modum significandi, vel ex vi significationis, ita ut sit sensus, hoc ens est corpus meum, quamuis secundum rem illud pronomen hoc, demonstret corpus Christi. Ratio Scoti est quia pronomen hoc, est singulare determinatum, ergo non potest demonstrare rem communem, præterea huic pronomini hic, hæc, et hoc, possumus addere rem cuiuslibet prædicamenti, vt hic homo, hic color, &c. ergo pronomen hoc non significat rem determinatam alicuius prædicamenti secundum modum significandi, atque adeo absolute idem significat, quod hoc ens, & per consequens cum huic pronomini hoc possit addi res cuiuslibet prædicamenti, sequitur quod de se, & absolute sumptum nō significat rem alicuius prædicamenti determinate sed ens, quod de omnibus prædicamentis dicitur, assumptum patet, quoniam hæc propositio esset vera demonstratis accidentibus, hoc non est substantia. præterea pronomen hoc ex vi significationis significat corpus Christi diuersa ratione, quā corpus Christi significet corpus Christi: nam corpus Christi significat corpus Christi, vt est singulare naturæ determinata; at vero pronomen hoc significat corpus Christi, vt est singulare entis, probatur ex illo Exodi 16. vbi quando missum est manna populo, dixerunt Manhu, quid est hoc, vbi deductum fuit manna. ex hoc arguit Scotus. Iudæi non dubitabant an esset hoc, sed scientes quod esset hoc, id est, singulare, interrogabant cuius esset naturæ, ergo hæc oratio, hoc est corpus meum, est conuersiua: quoniam licet illud pronomen hoc significet secundum rem corpus Christi, diuersa tamen ratione, quam hoc nomen corpus Christi: quia significat corpus Christi, vt est præsens, & demonstrabile non quidem per se, sed per accidentia, quibus continetur, cum autem ante hæc verba ibi non esset corpus Christi, vt præsens est, nec possit demonstrari, si non ponitur ibi corpus propositio est falsa, atque ita hæc propositio est conuersiua, siquidem est falsa sine conuersione, & vera cum conuersione.

Vt autem liqueat, quæ harum opinionum sit verior hanc statuo conclusionem. Illud pronomen hoc ex ui suæ significationis, non significat idem, quod hæc substantia. probatur, quia tali pronomini potest addi res cuiuscumque prædicamenti, ergo absolute non significat idem, quod hæc substantia, sed idem quod hoc ens.

Secundo probatur, quia ista propositio potest esse vera si sacerdos referat suam intentionem ad quantitatem, dicendo, hoc est quantitas, ergo hoc pronomen licet significet corpus Christi secundum rem, ex vi tamen significationis significat singulare entis, scilicet, hoc ens. Tertio probatur pronomen hoc est singulare, & determinatum, ergo non potest demonstrare naturam communem, vt Scotus asserebat.

Ad argumentum pro opinione Soti concedo, quod pronomen hoc non demonstrat substantiam panis, sed demonstrat hoc ens, sed secundum veritatem est corpus Christi; nego tamen, quod sensus formæ sit, corpus meum est corpus meum, sed sensus est, hoc ens est corpus meum, & non est idem sensus vtriusque propositionis: quia hoc nomen corpus Christi, significat corpus Christi vbicumque sit non determinando existentiam eius ad aliquem locum, & sic hæc propositio est vera, corpus Christi est corpus Christi, quamuis non contineatur sub speciebus panis; sed pronomen hoc, vt profertur a sacerdote super panem, non demōstrat corpus Christi nisi sub ratione huius entis, quod est sub speciebus panis, ex quo sequitur, quod hæc oratio, hoc est corpus meum, potest esse conuersiua panis in corpus Christi: quia virtute illius, potest fieri, vt corpus Christi fiat hoc ens, id est, ens quod est sub speciebus panis, hæc autem oratio corpus Christi est corpus Christi, non potest esse conuersiua: quia corpus Christi non potest iterum fieri corpus Christi.

Ad argumentum pro sententia Caiet. dico primo, quod quamuis pronomen hoc demonstret substantiam vt ipse dicit, non euitaretur inconueniens illud, quod ambiguum esset an demonstraret substantiam panis, vel substantiam corporis Christi. Dico secundo, quod quamuis pronomen hoc ex vi sua posset demonstrare substantiam panis, & accidentia, tamen ex intentione Christi, & sacerdotis consecrantis fit demonstratio certa: quia demonstratur hoc ens, quod est corpus Christi: nam si aliud vellet sacerdos demonstrare, non fieret consecratio.

Ad confirmationem dico, quod pronomen hoc non solum est demonstratiuum substantiæ, sed cuiuscumque alterius entis, vt patet ex ratione qua probauimus sententiam Doctoris.

QVÆSTIO III.

Vtrum hoc Sacramentum possit recipi a non ieiunis.



Ro intelligentia huius tituli obseruandum est. In hac quæstione vnum esse certe; non esse iure diuino præceptum impositum, de sumenda Eucharistia ante omnem cibum, vel potum, quia hoc præceptum nec est positiuum diuinum, cum nec sit scriptum nec traditum, neque ex his, quæ in institutione gesta sunt colligatur; nam potius ea nocte datum est Sacramentum Apostolis post prandium, & post esum agni.

Neque etiam potest esse præceptum naturale: nam ex sola excellentia, & dignitate huius sacramenti non potest satis colligi aut oriri hæc obligatio. Et licet Scotus in hac q. sub litt. d. §. dico ergo dicat hanc esse institutionem diuinam fundatam in reuerentia debita tanto Sacramento, per diuinam institutionem non intelligit diuinum præceptum, vt ipsemet se declarat infra in eadem quæstione sub littera F.

Secundo obseruandum est, ex facto Christi Domini colligi minime posse, esse præceptum sumendi hoc Sacramentum post cibum, & potum: nam licet Christus ita fecerit, tamen factum eius non inducit obligationem, alioqui necessarium esset, & noctu semper communicare, & feria quinta, & post esum agni, & lotis pedibus: nam quod tunc factum est, propter speciales circumstantias, neque in præceptum, neque in exemplum adducendum est, vt Cyprianus recte docuit Epistola 63. Cypr.

Tertio

Tertio obseruandum est, quod ex hoc vero principio tria falsa dogmata colligunt hæretici. Primum est non potuisse Ecclesiã præcipere Ieiunium ante communionem seruandum, quia quod Christus liberum reliquit, non est in necessitatem redigendum. Nos autem dicimus: quoniã Christus Dominus hoc venerabile sacramentum instituit ad vesperam, & post esum agni, propter speciales causas, quæ propriæ fuerunt illius temporis, & illius indiuiduæ actionis, vt lucidissime ostendunt Alexand. de Ales parte quarta, quæstione decima, m. 2. articulo primo, & Diuus Thomas tertia parte, quæstione septuagesima tertia, articulo quinto. Ideo quo ad hoc factum illud non debet in exemplum adduci.

Ale de Al. D. Thomas

Secundum contemnendam esse consuetudinem ecclesiæ de hoc ieiunio seruando, at nos dicimus, quod hæretici est approbatam ecclesiæ consuetudinem cum ipsamet ecclesia nascentem contemnere; & qui audit ecclesiam Christum audit, & qui ecclesiam contemnit Christum ipsum contemnit.

Tertium melius, & commodius esse ante communionẽ aliquid cibi, & potus temperate sumere. primo quia est magis consentaneum facto Christi. secundo quia tempore Apostolorum ita fiebat, vt colligitur ex 1. ad Corint. vndecimo. Si quis esurit domi manducet, scilicet prius quam ad Ecclesiam ad communicandum veniat: nam de hac re ibi agebat Apostolus. tertio quia sumpto moderato cibo est homo habilior ad opera mentis.

Ad primum iam diximus factum Christi non debere in exemplum adduci: nam vt dicit Diuus Augustinus in libro responsionum ad Ianuarium epist. 188. capitulo sexto. Non quia post cibos dedit Dominus discipulis Eucharistiam ideo fideles pransi debent illam suscipere, sicut illi faciebant quos redarguit Paulus vbi supra. Duplici enim de causa fuit a Domino hoc sacramentum datum Apostolis post esum agni. Prima vt firmius hoc mysterium memoriæ discipulorum infigeretur, illa enim, quæ vltimo loco commendantur hominibus firmius memoriæ inhęrent, quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, reseruauit docendum. secunda causa fuit, quia Agnus Paschalis erat figura huius sacramenti, figura vero figuratum præcedere debet, non autem sequi, & ideo vt diximus quo ad hoc non debet factum illud in exemplum adduci.

D. Aug.

Ad secundum, licet quidam concedant tempore Apostolorum fuisse consuetudinem communicandi post cibum, & potum; tamen etsi eis gratis admittatur, nihil nobis obstat, potuit enim postea propter maiorem reuerentiam sacramenti illa consuetudo mutari; quia potuit refrigescente charitate hoc magis expedire. Secundo dico ex illo loco Pauli non posse talem consuetudinem colligi: nam cum Paulus dicit: qui esurit domi manducet, non agit de modo sumendi hoc Sacramentum, sed de ordine, & decentia seruanda in conuiuijs communibus, quæ tunc inter fideles solita erant fieri. Huc enim spectant illa verba. Cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate, de eadem igitur retractans subdit: si quis esurit domi manducet; an vero cibus sumeretur ante, vel post Eucharistiam susceptam, nihil de hoc Paulus dissent, verisimile autem est, vt post ecclesiastica officia, & communionem interdum fideles ad comprendendum conuenirent, & de hoc potest intelligi illud Pauli. qui esurit domi manducet, id est, qui alios expectare non potest, domum redeat, & domi manducet. Vel tertio dici potest, (Quia Paulus secundum D. Augustin. reprehendit eos, qui prauti Eucharistiam susceperunt) illa verba Pauli non esse intelligenda antequam ad ecclesiam veniant, sed post retessum ab Ecclesia, ita ut fami non satisfaceret de Eucharistiæ speciebus, sicut ait alter ebrius est, sed expectans, quod sibi necessarium fuerit in domo sua percipiat. Ideoque laudabilis (inquit Scotus in hac quæstione sub litt. h. ad argumenta principalia) est Ecclesiæ Latinæ consuetudo, quæ nulli dispensat Eucharistiam nisi in quantitate modica, quæ ad crapulam minime suscipi potest, sufficit tamen ad veritatem sacramenti, idque optime ad Sacramenti reuerentiam obseruatur.

Ad tertium moraliter, & generatim loquendo falsa sunt, quæ in eo affirmantur: nam fortasse licet in aliqua particulari persona, & in aliqua occasione iuuare possit cibus, & potus ad animæ attentionem, tamen generaliter, & regulariter, non est ita, & præsertim si vulgaribus hominibus hęc licentia tribuatur, leges autem morales feruntur de his, quæ regulariter omnibus magis expediunt. Ex his patet sensus, & intelligentia huius quæstionis, quam in 6. articulos diuidimus.

Primus Art. Vtrum quocumque modo Eucharistiam sumẽs ieiunus sumere teneatur.

Secundus Art. Vtrum ex præcepto necessarium sit ad hoc sacramentum non accedere nisi ieiunum.

Tertius Art. Vtrum sciens, & aduertens Eucharistiam sumeret non ieiunus, mortaliter peccaret.

Quartus Art. Vtrum in casu quo magis obligaret communicare, quam ieiunium seruare, possit Eucharistiam communicari non ieiuno.

Quintus Art. Vtrum sacerdos, qui credit sumere sanguinẽ sumpsit aquam, possit & debeat iterum non ieiunus sanguinem sumere.

Sextus Art. Vtrum laici teneantur recipere Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie.

ARTICVLVS I.

Vtrum quocumque modo Eucharistiam sumens ieiunus sumere teneatur.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est, sacramentum Eucharistiæ sumi posse quatuor modis. Primo modo potest aliquis hoc sacramentum recipere, nec sacramentaliter, nec spiritualiter, sicut ille, qui sumeret hostiam consecratam, non tamen discernens illam a cibo communi, hic non suscipit illam, vt consecratam, sed vt alium panem, omnino non discernens ab alijs cibis, talis vere suscipit Sacramentum, & iuxta Diuum Paulum 1. Corint. 11. Iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, id est, non dicernens illud ab alijs cibis. Quod quidem potest contingere, vel ex infidelitate, vt si Paganus Eucharistiam sumeret, vel ex contemptu in homine fideli, peruerso tamen Christiano, vel ex ignorantia crassa, & affectata, vt si quis non haberet intentionem sumendi Eucharistiam, sed solum se reficiendi, & aliquis offerret sibi panem consecratum illo ignorante, in hoc euentu sumeret ille hoc sacramentum, sed non sacramentaliter.

Eucharistię sacramentũ quatuor modis sumpi potest.

Vnde obseruandum est, ex Alex. de Ales. parte quarta, quæstione vndecima, m. 1. articulo quarto. Quod ex sola actione corporali sumendi corpus Christi, non dicitur, quis corpus Christi sacramentaliter manducare, sed cum hoc exigitur intentio, & intentionis directio, vel fide propria, vel aliena. Sacramentaliter enim manducare, est sacramentum manducare, & vt sacramentum. primum patet: quia si non præcessisset Sacramenti confectio, non posset sequi sacramenti manducatio. Secundo probatur, quia ad hoc, quod manducet sacramentum, vt Sacramentum, necessaria est intentio, & intentionis regulatio, vel secundum fidem quæ est in ipso, vel secundum fidem, quæ est in altero; quod autem requiratur intentio patet: quoniam si quis iret ad mẽsam, & intenderet corpus reficere, & aliquis pro pane communi Sacramentum sibi loco panis offerret, & ipse intenderet omnino cibum corporalem sumere, nemo diceret eum sacramentaliter manducasse. Necesse est etiam, quod illa intentio dirigatur secundum fidem, quæ est vel in ipso, vel in altero, quia vel oportet quod credat, quod sub illa specie aliquid latet spirituale, quod sumere intendat, vel oportet, quod saltem intendat sumere, quod alios credere existimat, quamuis ipse non credat, vnde si aliquis hæreticus Caluinista accipere intendat, quod existimat Ecclesiam Romanam credere nempe corpus Christi, quamuis ipse non credat, sacramentaliter commederet, quia licet intentio sua non regulet, nec attingat rem sacramenti per propriam fidem, attingit tamen mediante fide aliena, & sic patet, quod ad hoc, quod quis sacramentaliter sumat hoc sacramentum, requiritur primo, quod sacramentum vere existat, & quod ille, qui sacramentum manducat, sacramentum sumere intẽdat, siue quia credit id esse verum sacramentum, siue quia existimat alios ita credere.

Ale. de Ale.

Digitized by Google

Magister. D. Bonau. Ex hoc potest solui dubium: An brutum possit hoc primo modo sumere sacramentum: nam Magister sent. in 4. d. 13. & D. Bonaue. eadem dist. articulo secundo, quæstione prima, censent, quod corpus Christi nullo modo descendit in ventrem bruti animalis, & eorum ratio est: quia Christus non est sub illo Sacramento nisi catenus, quia ordinabile est ad vsum humanum, vnde quando mus, vel aliud brutum rodit, vel comedit species sacramentales, inhabile fit, & Sacramentum esse desinit, quia corpus Christi ibi esse desinit, & substantia panis redit, vt Innocent. dicit, sed *Innocent. Ale. de Al. D. Thomas. Durandus.* oppositum tenent cæteri Theologi, vt Alexand. vbi supra m. 2. articulo primo, §. primo, quæstiuncula secunda Diuus Thomas tertia parte quæstione octaua, articulo tertio, ad 3. & Durandus distinctione nona, quæstione tertia, ad primã: nam corpus Christi est sub hostia, sicut prius erat substantia panis, excepto, quod corpus Christi non afficitur illis accidentibus, sicut substantia panis afficiebatur, & ideo sicut substantia panis tunc mansisset, siue sumpsisset panem homo siue brutum, quousque corruptæ fuissent species, ergo eodem modo manet corpus Christi sub speciebus quousque corrumpantur.

Præterea licet aliquid ordinetur ad aliquem vsum, non oportet tamen, quod desinat esse, esto quod non possit in vsum venire, quia remoto posteriori ad huc potest remanere prius, vsus autem posterior est ipsa re cuius est vsus, ergo excluso vsu ad huc potest res remanere, atque adeo concesso, quod huius sacramenti vsus sit propter hominem, nihilominus tamen hoc vsu excluso, (quia vel cadit in feces, vel quia consumitur a bruto) non oportet, quod res ipsa contenta sub sacramento desinat esse. Nec istud derogat dignitati Sacramenti, quia corpus Christi existens sub speciebus, nec a luto polluitur, nec a bruto tangitur. Bene verum est quod brutum non manducaret corpus Christi sacramẽtaliter, quoniam vt supra diximus manducans corpus Christi sacramentaliter, necesse est quod attingat ipsum contentum, vel per modum cogniti, vel per modum crediti, atqui irrationalis creatura neutro modo potest contentum sub sacramento attingere, atque adeo a creatura huiusmodi non potest sacramentaliter manducari, sed tantum materialiter.

Secundo modo potest sumi hoc Sacramentum sacramentaliter, sed non spiritualiter, velut ille, qui non tantum recipit hoc sacramentum, sed recipit illud, vt Sacramentum, credens in illo corpus Domini contineri, seque recipere cõmunionem corporis Christi, sicut in ecclesia consueuerit fieri talis communio, at quia talis sic sacramentaliter sumẽs Eucharistiam est in peccato mortali, de quo non est contritus, non recipit spiritualiter hoc Sacramentum, quia non recipit effectum spiritualem ad quem ordinatur huius sacramenti susceptio, qui quidem effectus est animæ spiritualis nutritio per gratiam a Christo susceptam.

Tertio modo potest aliquis hoc Sacramentum suscipere sacramentaliter, & spiritualiter, sicut suscipit ille fidelis, qui diligenti præmissa indagine iuxta possibilitatem humanam absque peccato mortali recipit hoc sacramentum, talis vere nutritur hoc Sacramento, Christoque Domino tanquam vitali cibo vnitur, & incorporatur iuxta illud Diui *D. August.* Augustini famosum, crede & manducasti, non me conuertens in te sed tu conuerteris in me, ut refert hic Scotus. Verba autem propria Diui Augustini habentur libro septimo Confess. capitulo decimo, quæ sunt ista. Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me &c. Hoc enim interest inter corporeum cibum, & spiritualem, quod corporalis cibus in nutritum conuertitur, in nutritione vero spirituali cibatus in cibum spiritualem, quo nutritur, conuertitur.

Quarto modo, recipit quis Sacramentum spiritualiter sed non sacramentaliter, quod fit quando fidelis Christianus vere contritus affectu animi desiderat hoc sacramentum recipere, non tamen recipit: quia non habet copiam illius, vel quia propter reuerentiam sacramenti abstinet ab illius susceptione: Tunc enim quamuis Christus sub speciebus sacramentalibus non recipiatur, recipitur tamen in anima per habitum gratiæ quam homo consequitur virtute illius desiderij, & boni motus. Vnde legitur, quod Hugo a *Mirabile exemplũ de Hugone a Sancto Victore.* Sancto Victore, cum esset in extremis constitutus petijt inuantet sacrum Domini corpus; videntes fratres cum frequenter vomitum pati, & timentes ne Sacramentum eijceret, tamen ne ipsum contristarent, hostiam non consecratam attulerunt, quam per spiritum cognoscens ait illis. Parcat vobis altissimus, quid voluistis facere mecum? qui confusi protinus verum corpus attulerunt, quod videns genuflexo, vt potuit adorauit, & statim subdit. Iam non possum fratres mei Sacramentum sumere obstrictus sum, vadat filius ad patrem, & spiritus ad eum, qui fecit illum. & mox Sacramentum disparuit. & venerabilis Hugo in Domino requieuit, ita Pelbartus in Rosario Theologico, tomo 4. Eucharistia 5 §. 21. *Pelbartus.*

Conc. Trid. Obseruandum est tamen ex Concilio Tridentino sess. 13. capitulo octauo. Quod non omne desiderium seu propositum huius Sacramenti est sumptio eius spiritualis, sed solum illud, quod ex fide viua proficiscitur: nã non tantum dicitur hæc sumptio spiritualis: quia spirituali actu, seu modo fit, sed præcipue quia parit fructum spiritualem maioris vnionis cum Christo, hunc vero fructum non habet nisi ex charitate oriatur. Quo circa si quis in peccato existens desideret Eucharistiam sumere in eo statu in quo est, non solum non spiritualiter manducabit, sed etiam grauiter peccabit, at si in peccato mortali existens desideret sumere in meliori statu, actus quidem non erit malus, tamen non perueniet ad rationem spiritualis sumptionis propter rationem dictam, nisi fortasse appelletur sumptio spiritualis mortua, & secundum quid, quod ante omnes docuit Alexand. de Ales parte quarta, quæstione vndecima, in primo articulo tertio. *Ale. de E.*

Secundo obseruandum est, quod in isto casu non consequitur homo eamdem gratiam, quæ per Sacramentum cõfertur, quia alias frustra esset susceptio sacramentalis, quod est erroneum dicere, sed consequitur gratia communis quam virtute cuiuscunque boni operis homines consequuntur, & ratio est quia promissio effectus sacramentalis non est facta desiderio, sed manducationi. Quocirca quando Tridentinum Conciliũ loco supra citato dicit illis, qui voto cœlestem panem ædunt fide viua, quæ per dilectionem operatur fructum eius, & vtilitatem sentire, non est intelligendum de fructu ex opere operato, sed merito operantis, qui dicitur fructus huius sacramenti, vel obiectiue: quia ex eius desiderio, & amore proficiscitur, vel generali quadam ratione, quatenus omnis vnio per gratiam dicitur effectus huius sacramenti: quia est effectus Christi, qui in hoc sacramento continetur.

Sed quæres, an hoc quarto modo Angeli sumant corpus Christi, & videtur, quod sic: quia psal. septuagesimo septimo, dicitur panem Angelorum manducauit homo, vbi *De Ham. Glossa* Glossa dicit, Manna interpretatur, quid est hoc, & significat panem, qui de cœlo descendit, id est, Christum, vel corpus Christi, qui vere est cibus Angelorum, quo incorruptibiles pascuntur incorruptibiliter. Sed in contrarium est veritas: quoniam vt dicit Alexand. de Ales vbi supra m. 2. articulo secundo, §. primo, quæstiuncula secunda. In sumptio- *Ale. de A. Solutio.* ne corporis Christi requiritur triplex vnio manducantis cum cibo, scilicet naturæ, fidei, & dilectionis, vnio enim per fidem, & dilectionem præsupponit illam, quæ est naturæ. Vnde cum Angelorum cum Christi corpore non sit vnio naturæ, non contingit Angelos cibari corpore Christi prout est cibus sacramentalis, ac proinde non manducant corpus Christi manducatione sacramentali. Ad illud, quod adducitur in oppositum dico, quod Christus dicitur cibus Angelorum secundum deitatem, qui factus est cibus hominum in quantum carnem assumpsit. Vnde Glossa ibi. *Glossa.* panem Angelorum manducauit homo, panis cœli non alter est, quam Christus, de quo cœlestes, id est, Angeli reficiuntur eius contemplatione, & hunc panem. i. Verbum, quo grandi cibo pascuntur Angeli, per carnem factum lac, edit homo. Christus igitur est cibus Angelorum secundum diuinitatem. Nec dicit Glossa, quod Corpus Christi cibus Angelorum sit, sed Christus.

Dubium Quæres secundo, an fideles ante huius Sacramenti institutionem manducabant corpus Christi, & videtur quod sic iuxta illud Pauli primo ad Corint. decimo, Omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt, & Glossa Diui *D. Aug.* Augustini ibidem dicit. Cibum visibilem spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter sanarentur, & loquitur ibi Glossa de antiquis Patribus, vt Moyse & alijs.

Hoc

Digitized by Google

Hoc tamen non obstante dicendum est, quod spiritualis manducatio solum habet locum in lege Euangelica proprie loquendo: quia sicut & in illa solum institutum est hoc sacramentum; ita & omnis eius vsus: Nam vt notat Alexand. vbi supra, quæstiuncula quarta, licet antiqui patres fidem habuerint ipsius sacramenti instituendi a Christo, & tradendi ad manducandum: tamen quia non dum fuit consecratū (consecratio enim comestionem præcedit) non manducauerunt; plus enim requiritur ad manducationem quam fides ex parte eius, qui debet manducare, scilicet institutio sacramenti, vt consecratio. Itaque illa spiritualis manducatio antiquorum patrum, quam late explicat D. August. tractat 26. in Ioan. ex illo 1. ad Corint. 10. non est proprie spiritualis manducatio huius sacramenti: quia illi sane non desiderabant sumere hoc sacramentum, sed est figurata, & materialis manducatio. Loquitur ergo ibi Glossa de antiquis patribus, qui manducauerunt manna, antequam peruenirent ad terram promissionis, & distinguit ibi inter illos, qui manducauerunt manna manducatione carnali tantum, & illos qui etiam spiritualiter manducauerunt, idest, qui intellexerunt per illum cibum Christum fore verum cibum electorum, quem venturum crediderunt. Nō igitur vult Glossa, quod illi manducarent habendo fidem de isto sacramento, sed quod manducauerunt intelligendo per cibum illum Christum fore cibum spiritualem, quem venturum crediderunt, vnde subdit Glossa ibidem; Manducauerunt vtique escam corporalem, & spiritualem, sed spiritualem eandem quam nos, corporalem vero alteram, scilicet manna quod significat Christum. Manducare igitur spiritualiter secundum intellectum Glossæ, fuit credere Christum fore cibum spiritualem significatum per manna, quod corporaliter mā ducauerunt.

Ale. de Ales *D. August.*

Ex his patet responsio ad quæstionem, scilicet quod duobus modis potest sacramentum Eucharistiæ sumi, a non ieiunis, sed dubium est de tertio, & secundo, scilicet de eo qui spiritualiter, & sacramentaliter, & de eo qui sacramentaliter, & non spiritualiter suscipit hoc sacramentum cuius explicatio patebit in sequenti articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrum præcepto necessarium sit ad hoc Sacramentum non accedere nisi ieiunum.

Ieiuniū est duplex.

DVplex est ieiunium vt docet Scotus in hac quæstio. sub litt. C. Vnum dicitur ieiunium naturæ, quod includit carentiam, seu abstinentiam ab omni cibo, & potu; Alterum dicitur ieiunium ecclesiasticum, quod non priuat potu, nec omni cibo nisi definitis temporibus, & in certa qualitate, & quantitate, permittitque vt aliquid sumi possit per modum medicinæ. Primum ieiunium fit, quando homo a die præterito nullum cibum, nec potum sumpsit: adeo quod ille homo dicitur ieiunius ieiunio naturæ, qui nec cibum, nec potum sumpsit in stomachum, vel in uia ad stomachū. itaque intret in stomachum a principio diei in quo dicitur esse ieiunus. secundum vero ieiunium fit: quando homo in cibo, & potu non transgreditur ordinem ab ecclesia præfixum, hocque ecclesiæ ieiunium non soluitur, nisi per aliquā extraordinariam refectionem, præter ecclesiæ consuetudinem, atque ideo per sumptionem specierum sacramentaliū, vel per medicinam, aut per potum saltem post prandium, ieiunium ecclesiæ non soluitur.

Dupliciter aliquid dicitur illicitū.

Secundo obseru. est, quod aliquid dicitur illicitum dupliciter vno modo secundum se; quia mox nominatum conuolutum est cum malo, vt blasphemare Deum, piccare, &c. & hoc nullo modo potest bene fieri; altero modo dicitur aliquid malum, quia prohibitum.

Duobus modis pōt aliquid in stomachum descendere.

Tertio obseru. est, quod aliquid potest descendere in stomachum dupliciter, vno modo per modum cibi, & potus, alio modo per modum saliuæ; priori modo quicquid per modum cibi, & potus sumitur naturæ ieiunium frangit, posteriori modo nequaquam. Vnde si per modum respirationis attrahatur aliquid quod posset nutrire, vel alterare, non violaret ieiunium naturæ, quia illud non est comedere, vel bibere. Illud ergo, quod solum per modum cibi, & potus sumitur, quod contingit quando aliquid comestibile, seu potabile ore accipitur, quod per se, & propria actione vitali in stomachum traijcitur comedendo, aut bibendo, soluit naturæ ieiunium: ex quo sequitur, quod si quis deglutiat sanguinem, aut alium humorem a capite in os descendentem, aut casu ex ore manantem non frangeret hoc ieiunium, quia ille nec sumitur, nec traijcitur per modum cibi.

1. Conclusio

His obseruatis est, prima conclusio. Sumere corpus Christi post medicinam, vel modicum cibum, non est malum secundum se, probatur: quia quod est illicitum secundum se, nullo modo potest esse licitum; sed sumere corpus Christi post medicinam, vel modicum cibum potest esse in casu licitum, vt patebit infra; ergo sumere hoc sacramentum post cibum non est secundum se illicitum. Item secundum consuetudinem antequam in die cœnæ sumebatur hoc sacramentum a pransis, ob recordationem institutionis eius, vt patet ex Concilio African. cap. 8. & refertur de consec. dist. 1. cap. Sacramenta, vbi legitur. Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrantur excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur, ergo non est de se illicitum.

Conc. Afri.

2. Conclusio

Secunda Conclusio. Sumpturus Eucharistiæ sacramentum debet esse ieiunus ieiunio naturæ, itaque a media nocte nihil per modum cibi, & potus sumpserit. probatur quo ad primam partem ex canone sacramenta de consec. dist. 1. cuius verba relata sunt in prima conclusione; In quibus est aduertendum, quod illa consuetudo cœnæ Dei celebrandæ a non ieiunis in die cœnæ Domini, in qua non ieiuni corpus Domini sumebant reuocata est in Concilio Bracharensi primo, cap. 16. sub his verbis. Si quis quinta feria Paschali, quæ vocatur cœna Domini hora legitima post nonam ieiunus in ecclesiam missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani, festiuitatem huius diei ab hora tertia, per missas defunctorum soluto ieiunio colit, anathema sit. Et expressius in 6 Synodo can. 29. sub his verbis. Carthaginensis synodi canon dicit, vt sancta altaris non nisi a sobrijs hominibus peragantur excepto vno die mane, in quo cœna Domini peragitur, tunc fortasse propter aliquas in his locis occasiones ecclesiæ vtiles patribus hac dispensatione vsis. Cum nihil ergo nos inducat, vt accuratam diligentiam relinquamus, statuimus Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana quinta feria ieiunium soluere, & totam quadragesimam iniuria afficere. Illud tamen quod habetur in principio Canonis nunquam est derogatum. imo in Concilio Carthaginēsi 3. cap. 48. sic legimus. Verum est de sacrificijs inhibendis post prandium, vt a ieiunis sicut dignum est offerantur, & tunc hoc est in Concilio Niceno, & nunc confirmatum est, vbi est animaduersione dignum non dicere fuisse iostitutā, sed fuisse confirmatum.

Sexta Synodus. *Concil. Carthag. 3.*

Idem habetur in Concil. 2. Matiscon. cap. 6. vbi adduntur pœnæ in eos, qui hunc ritum non seruant sub his verbis. Itē decernimus, vt nullus presbyter consertus cibo, aut crapulatus vino sacrificia contrectare, aut missas priuatis, festisq; diebus celebrare præsumat. Iniustum est enim vt spiritali alimento corporale præponatur. Sed si quis hoc attentare curauerit dignitatem amittat honoris; & subditur parum infra. Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superfederint, 4. vel 6. feria innocentes ab illo cuius interest ad ecclesiam adducūtur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas vino conspersas vino percipiant. Quod etiam colligitur ex Concil. Bracharens. 2. cap. 10. Placuit, vt quia per stultitiam præsumpti nuper erroris, aut certe ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis fœtore corrupto cognouimus quosdam presbyteros in huius præsumptionis audacia retineri, vt missas mortuorum ēt post acceptum merum, vel oblationē ausi sint consecrare. Ideoq; hoc præfixæ euidentis sententiæ admonitione seruetur, vt si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est, non ieiunus, sed quocunque iam cibo præsumpto oblationem consecrauit in altari continuo ab officio suo priuatus a proprio deponatur episcopo.

Concil. Matiscone. *Conc. Brac.*

Præterea habetur eadem traditio in Concil. Tolet. 7. c. 2. in hæc verba. Nullus post cibum, potumq; quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat. Idem habetur in Concil. Altisiodor. c. 19. vbi ita legitur. Non licet presbytero aut diacono, vel subdiacono post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in ecclesia dum Missæ dicuntur stare. Denique idem traditum est in Concil. Constant. session. 13. vbi sic habetur. Hoc præsens Concilium sacrū generale Constan-

Conc. Tol. 7 *Conc. Altis* *Conc. Cōst*

Constantiensi in Spiritu sancto legitime congregatum, declarat, decernit, ac definit, quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraq; specie panis, & vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum authoritas laudabilis, & approbata consuetudo ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi sacramentum nō debeat confici post cœnam, neque a fidelibus recipi nō ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concesso, vel admisso.

Hæc Conciliorum decreta aduxisse volui, propter modernos hæreticos, qui hanc laudabilem ecclesiæ consuetudinē derident. Quæ tamen ecclesiæ consuetudo præter hæc Conciliorum decreta expresse habetur in cap. Liquido constat, de conse. dist. 2. vbi habentur hæc verba. Placuit Spiritui sancto, vt propter tanti sacramenti reuerentiā prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quam alij cibi, ideo mos ille vbique seruatur, & sunt verba D. August. ad inquisitiones Ianuarij epist. 188. c. 6. Et Doct. noster sub. in hac q. sub litt. D. dicit huius consuetudinis principium causam esse diuinam institutionem, quā vel Christus discipulis dedit, vel per ipsos promulgauit, vel eis instituendum reliquit, & fuisse congruam, & rationabilem talem institutionē ex eo probat Scotus, quod ad sacramenti huius diuini reuerentiā pertinet; quæ quidem reuerentia regulariter post prandium haud inuenitur, vel saltim minor, quam cum ieiunus est, & etiam ex eo, quod primum iuxta Domini verbum sit quærendus cibus spiritualis, quam corporalis.

D. August.

Scotus.

Secunda pars conclusionis probatur: quia in Ecclesia Latina dies incipit a media nocte; Neq; vero refert si sumpturus hoc sacramentum post mediam noctem dormierit, vel non, aut quod cibus sit, vel non sit digestus, quicquid dicat Gloss. in ca. Nihil, 7. q. 1. propter cano. tribus, de consec. dist. 2. vbi dicitur. Hunc factum cibum non esse prophanis cibis miscendum, & in cap. Si constiterit, de accusationibus. obseruan. est tamen non omnia horologia ad idem punctum sonare; atque ideo non esse dicendos non ieiunos eos, qui inaduertenter commestiunculam aut cœnam prosequatur inceptam dato signo mediæ noctis, dummodo mora non sit notabilis, aut manifeste horologium erret, aut audito signo incipiat commestio, quod quidem prudentia, & non gula est mensurandum, potest. n. tale quidpiam accidere occupatis in studio, seu alijs negotijs. Et ex hac conclusione sequitur, erroneam atque temerariam esse opinionem Godifridi, & Ioan. Parisiensis, qui dixerunt post sumptionē alicuius rei per modum medicinæ posse sacrum fieri, aut communicari: quia solum est prohibita sumptio cibi, & potus; quod autem sumitur per modum medicinæ non habet rationem cibi: quia non sumitur nutritionis causa, sed curationis. Intētio autem est seu finis qui dat speciem actionis. Falsa est, inquam, hæc opinio, & erronea, vt patet ex supra citatis Concilijs. Ex quo sequitur secundo, quod quicunque cibus, vel potus etiā si sit in minima quantitate, & sub quacunque intentione medicinæ, vel salutis, si tamen per modū cibi, vel potus sumatur, impedit ex præcepto communionem huius sacramenti, vt colligitur ex cap. Ex parte de celebrat. missarum, vbi sacerdos secundam missam dicturus prohibetur in priori sumere calicis ablutionem, ne soluat naturale ieiunium, cum tamen illa sit minima quantitas, & non sumatur per nutritionem, sed propter reuerentiam sacramenti.

ARTICVLVS III.

Vtrum sciens, et aduertens si Eucharistiam sumat non ieiunus, mortaliter peccaret.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandū est. Hoc ieiunium ecclesiasticā lege præceptum solum seruandū esse intra eum naturalem diem in quo sit communio, scilicet ab initio eius vsque ad communionem: quia vt recte dixit D. Thom. 3. p. q. 80. art. 7. ad 5. non est absolute prohibitum hac lege, ne post cibum, & potum sacramentum sumatur, aliàs qui semel comedisset, & bibisset non posset communicare, oportet ergo vt hoc ieiunium definitis claudatur terminis; declarauit autem consuetudo ecclesiæ, hoc tempus terminandum esse intra naturalem diem.

D. Thom.

Secundo obseruandū est, quod duobus modis intelligi potest tempus huius ieiunij esse terminandum intra naturale diē. Primo, vt necessarium sit per integrum naturalem diē abstinere a cibo, & potu ante communionem, & hic sensus est falsus, aliàs oporteret 24. horis integris prius ieiunare, totidē enim naturalis dies integer conficitur, quod est contra ecclesiæ consuetudinem. Superest ergo, quod secūdus sensus verus sit, scilicet quod a principio diei naturalis vsque ad tempus communionis seruatum sit ieiunium.

His obseruatis sit hæc conclusio. Si aliquis sciens, & aduertens Eucharistiam sumeret non ieiunus, mortaliter peccaret, etsi minimum cibi, vel potus quantitatem sumpsisset, hæc conclusio communiter tenetur a Doctoribus, quæ per singulas particulas explicatur; & primo dicitur, sciens, quia contingit vt Caietanus dicit in Summa, verbo Communio sacramentalis, aliquos bonos viros credere, quod sumpta aliqua re aromatica, videlicet nuce moscata, &c. non sit fractū ieiunium propterea forte, quia non frangitur a talibus ecclesiæ ieiunium. Imo ipse Caietanus refert se accepisse a fide dignis, quendam bonum sacerdotem multo tempore propter reuerentia sacramenti percepisse nucem moscatam, vt bonum odorem stomachi præpararet Eucharistiæ. Sciebat talis quod oportebat ieiunum communicare, sed nesciebat se non esse ieiunium post sumptionem nucis pro reuerentia sacramenti, nesciens distinguere inter ieiunium naturæ, & ecclesiæ; & talis inquit Caiet. excusatur a peccato mortali ex ignorantia sui positiuum faciēs, quia plus nesciebat in sua simplicitate gradiens, & arbitrans se scire, quod omnes sciūt, videlicet, quod ieiuni tantum debent communicare, propterea que nō erat solicitus de tali ignorantia fuganda.

Conclusio.

Caietan.

Dicitur secundo aduertens: quia si contingat aliquē sciētem omnia post sumptum communicasse non recolendo de sumpta potione excusatur talis a mortali violatione iuris positiui: quia non voluntarie communicauit nō ieiunus, sed ex obliuione. nec. n. tam strictē iuris positiui vincula referanda, vt inuoluntarias, & quasi nullo modo sciens prudens, vir & bonæ conscientiæ ageret operationes, imputemus ad mortem æternam ex obliuione, aut ex simplicitate transgredienti materialiter tantum ius positiuum, vt in prædictis casibus, & similibus contingit.

Illa autem quæ trahuntur, & descendunt ad stomachum per modum saliuæ, vt reliquiæ cibi remanentes in ore ex præcedenti nocte, licet postea trajiciantur non violatur ieiunium naturæ; sicut neque saliua, atque adeo Eucharistiæ sumptionem minime impediunt.

Dicit etiam Richar. hac dist. art. 2. q. 3. quod sacerdos qui lauat os suum ob sacramenti reuerentiam, & casu aliqua gutta in stomachum descendat, non tenetur celebrationem dimittere, & maxime in die festo sollemni: quia non traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Idem tenet Palud. hac dist. art. 2. q. 2 & Maior. dist. 9. q. 3. Nec credo verū, imo nimis scrupulosum existimo id quod dicunt Durādus & Gabr. necessarium esse huiusmodi guttam aquæ prius in ore alterari, & in saliuam conuerti: quomodo. n. de hac transmutatione constare posset? bene verum est id quod notat D. Thom. oportere quantitatem aquæ aut vini esse valde paruam, quæ debent ita permisceri saliuæ, vt separari nō possint, sed per modum vnius traijci.

Richar.

Palud. Maior.

Durand. Gabr.

D. Thom.

Et propter eandem rationem non impeditur Eucharistiæ susceptio in illo, qui aceto, vel sale dentes lauaret, seu fricaret, neque in illo, qui ius, vel aliquod simile condimentū solum vt saporem perciperet, si illud non glutiret, sed statim exspueret, imo si deglutiret quidpiam parum saliuæ manēs permixtum præter intētionem, & a casu, dūmodo id, quod sic nutriret parum esset: Nam sicut parum aquæ præter intētionem in stomachum descendens nō impedit Eucharistiæ sumptionem, ita parum cibi, vel potus in stomachū intrans non impedit illam? Ita Paludan. vbi supra, & Syluest. verbo Euchar. 3. §. 8.

Paludan. Syluest.

Tertio dicitur in concl. Etsi minimam cibi, vel potus, &c. Nam si ex intentione minima quantitas cibi, vel potus sumpta sit, licet aliquibus visum sit esse tantum peccatum veniale: quia illa est leuis materia, tamen absque dubio esset peccatum mortale, & contrarium non est probabile practice, si quantitas illa minima per modum cibi, & potus sumpta sit; vt docent Alex. de Ales, D. Thom. Durand. Palud. & Sotus, & consuetudo ecclesiæ confirmat; neque est hic in proprio actu leuitas materiæ, in quem cadit prohibitio: Non. n. hic prohibetur cibus, vel potus, sed prohibetur cōio post cibū, vel potū, hoc aut præceptum simpliciter violatur in suo actu principali, etiam si ieiunium in parua materia solutum sit.

Alex. D. Thom. Durand. Palud. Sotus.

Et simi-

Digitized by Google

Et similiter potest sacerdos post sumptam calicis ablutionem sumere reliquias paruas in patena, vel in corporali manentes, quid dicant Paludan. in 4. distin. 9. q. 1. in fine, & D. Anton. 3. par. tit. 13. c. 6. §. 9. & Summa Rosella, verbo Eucharist. 3. §. 13. Quibus fauere videtur Concil. Matisc. 2. capit. 6. quod præcipit has reliquias dari hominibus ieiunis; nisi forte intelligant, quod non licet has particulas sumi a non ieiunis, quando sumuntur per se, & per modum communionis integræ. Nam tunc re vera sumi non debent nisi a ieiunis, quod verum est etiam per se loquendo, ac seclusa alia graui necessitate: quoniã sumptio harum reliquiarum est vera cõmunio huius sacramenti; atque adeo non est cur permittatur homini non ieiuno.

Palud. D. Antoninus. Rosella.

Sed in proposito casu secus est: nam tũc illarum reliquiarum sumptio est solum circumstantia, & quasi complementum actionis sacrificandi, & conuiuij ibi peracti, reputatur enim adhuc vna mensa, & vna refectio quamdiu est in altari; si tamen reliquiæ essent magnæ, & adesset custodia, tũc essent seruandæ; si tamen non adesset custodia, vt in aliquo pago, vel rure, & particula ex inaduertentia superfuisset ex communicantibus, posset sacerdos etiam post lotionẽ sumere illam; si alter ex communicantibus non præsto esset ieiunus cui dari posset, vt notat Siluest. vbi supr. § 10. Quod intelligendum est si talis particula sit pars illius sacrificij, i. ab eodem sacerdote consecrata, & oblata in illa Missa; si autem non sit ex illo sacrificio, sed ex alio præcedente regulariter loquendo consumenda est, ante omnem ablutionem; tum quia illa sumptio proprie non est pars præsentis mysterij, neque ad illud pertinet; tum etiam quia moraliter loquendo semper ita fieri potest; nec expectare oportet tẽpus post sumptam ablutionem per se loquendo; nisi ex accidenti aliter fieri contingat; ob aliquam grauem irreuerentiam eius, vt v.g. quia igne comburendum est, aut quia deueniret in manus hæreticorum, vel infidelium a quibus iniuriose tractabitur, aut propter aliam similem causam.

Siluester.

Etsi quæratur, intra quod tempus possint particulæ consumi post ablutionem, an quando sacerdos est in altari sacris vestibus indutus, an etiam postea, præsertim si non viderit particulam, quæ patenæ adhærebat, atque idem est si sacerdos post sacrum factum per horam fuit in altari communicãdo populum; an finita communione possit reliquias consumere. Dico, quod sacerdos qui post peractum sacrificium multo tempore fuit in altari dispensando hoc sacramentũ, potest postea purificare vasa sacra, & reliquias sumere, tunc consecratas, quæ ad præsens sacrificium pertinent: quia tota illa est vna actio moralis; si autem sint ex præsanctificatis, consultius erit eas reseruare, sicut antea conseruabantur, postquam autem sacerdos ab altari recessit, existimo nõ posse reliquias consumere per se loquendo: quia iam expleuit ministerium suum, secus vero esset ex accidenti, ut si non possent conseruari sine maiori irreuerentia: iuxta ea, quę diximus supra. Nam sicut dixit S. Bernardus, quod propter charitatem institutum est, non debet contra charitatem militare; ita dicere possumus, quod propter reuerentiã sacramenti introductum est, non debet contra reuerentiã sacramento debitam obligare.

S. Bernard.

Ex hoc sequitur, quod si contingat particulam hostię consecratæ, quæ sanguini fuit mixta adhærere calici post sanguinis sumptionem, debet sacerdos vinum imponere ad purificandum calicem, & ita sumere, etiam si accidat aliquid vini prius bibere; imo quamuis aduertat, vt hausto illo vino adhuc particula calici adhæreret; debet iterum, atque iterũ si necesse sit vinum ponere, & sumere, donec particulam hostiæ consumat. Nam illam digito trahere ad os calicis, vt illãm absque vino sumat, vt aliqui dixerunt, & Suarez Doct. subtili falso imponit, indecens est.

Sequitur secundo, quod licitum est non solum sacerdoti, sed etiam cuilibet communicanti, si contingat particulam hostiæ ita ori adhærere, vt non possit illam traijcere sumere vinum, vel aquam semel, ac sæpius donec traijciatur: & ratio est, quia tota illa actio ordinatur ad consumptionem ipsius sacramenti, & per modum vnius fit. Et confirmatur: quia non potest aliter sacerdos conuenienti modo suũ ministerium explere: sæpe. n. non possunt reliquiæ in crastinum conseruari, neque ante ablutionem sumi, non est ergo intentionem Ecclesiæ præcipientis ieiunium ante communionẽ esse, ne sacerdos possit reliquias sacramẽti sumere post ablutionem, quando moraliter oportuerit. In quibus omnibus conueniunt Caiet. in Summa, verbo Communio sacramentalis, & latius tom. 2. opusc. tract. 33. de celebr. missæ, q. 1. Siluest. verbo Euchar. 3. §. 8. Sot. in 4. dist. 12 q. 1. art. 8. Victoria in Summa num. 83. & inclinat Angelus, verbo Missa §. 20. & Nauar. in manu. c. 25. num. 89.

Caietanus. Siluester. Sotus. Victoria. Angelus. Nauar.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in casu quo magis obligaret communicare quam ieiunium seruare possit Eucharistia communicari non ieiuno.

CVm hoc præceptum naturale non sit, sed positiuum, vel ecclesiasticum, certum est posse interdum propter graues causas non obligare: quia lex positiua non obligat tam stricte, quin aliquando cesset, duo ergo sunt præcipua capita, ex quibus maxime fieri potest, vt hoc præceptũ non obliget, vnum esse potest ex parte ipsius hominis s. aliqua eius necessitas, alterum ex parte ipsius mysterij si ad illud consũmandum necessarium interdum, sit hoc ieiunium non omnino seruare, de priori est sermo in hoc art. & de posteriori dicemus in sequente.

De primo ergo sit hæc conclusio, in casu quo magis obligaret communicare, quam ieiunium seruare Eucharistia communicari potest non ieiuno, sicut in graui infirmitate, quando timetur periculum mortis imminentis, in quo casu quasi generaliter licet accedere ad Eucharistiam non ieiunis. Hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litter. D. §. Si autem intelligitur in casu, & probatur ex cap. Presbyter. de cõsec. dist. 2. vbi dicitur. Presbyteri Eucharistiam semper habeant præparatam, vt si in infirmitate quis fuerit, statim cõmunicet ne sine Eucharistia discedat. & sunt verba Concilij Vuormaciensis, cap. 5. Nam vt inquit, Scotus periculum esset negare ægro, cui imminet mors, licet pranso poscenti tamen Eucharistiæ sacramentum, cum sit viaticum. Ideoque illi præbendum est, qui ex hoc mundo proficiscitur, vt per tale viaticum ducatur ad terminum, quæ est beatitudo. Ratio autem quia periculum esset negare infirmo licet pranso hoc sacramentum, esse potest vel quia in articulo mortis obligat præceptum diuinum communionis, vt in sequenti distinct. videbimus vel certe, quia cum eo tempore maxime indigeat homo auxilio, & ope huius sacramenti, non fuit expediens vt ecclesia id prohiberet cũ tanto dispendio. In quare illud obseruandum est, huiusmodi casum habere locum non solum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quod nec anticipari potest communio, nec differri mors, vel supplicium; tunc enim eadem est ratio necessitatis. Nec quidquam refert, quod ab intrinseco, vel ab extrinseco proueniat.

Scotus. Conc. Vuor.

Sed circa hanc conclusionem duo dubia occurrunt. Primum est, an in eadem ægritudine liceat sæpius Eucharistiã accipere post cibum, & potum. Nam Doctores fere omnes significare videntur semel licere, & ratio adhiberi põt: quia per vnam communionem fit satis diuino præcepto communicando in articulo mortis, ergo postea seruandum est ecclesiasticum præceptum non communicandi post cibum, & potum; quia iam nulla est sufficiens necessitas, vel ratio. Nihilominus aliqui Neoterici dicunt licere communicare hoc modo sæpius in eadem ægritudine; ita sentit Tabiena, verbo Communio § 48. Armilla. §. 18. & mihi videtur pia satis, & probabilis. Et in primis si status ægritudinis varietur: quia videlicet homo prius fuit in periculo mortis, atque illud euasit, & aliquantulum conualuit postea vero incidit in simile periculum; tunc non est dubium, quin possit iterum, toties que cõmunicare, quoties talis varietas acciderit: quia censetur quasi noua ægritudo, & nouus necessitatis articulus. Deinde si perseueret, & augeatur periculum, tamen duceret aliquot dies post primam cõmunionem, v. g. octo aut decem diebus, existimo posse postea communicare post cibum, & potum, si ægrotus non possit commode sacramentum suscipere ieiunus; ratio est, quia non sola obligatio præcepti diuini est in causa, vt ecclesia in articulo mortis non obliget ad ieiunium; sed etiam ipsa necessitas, quæ in illo tẽpore, & periculo maxima est; Non est enim verisimile voluisse ecclesiam, hominem maxime indigentem auxilio tanti sacramenti priuare illius ope, & subsidio præsertim cum non sit in eius potestate morali ieiunus accedere, & alioqui possint illo tempore multa occurrere, quæ necessitatem augeant,

Tabiena. Armilla.

Digitized by Google

ge ant, vt v.g. tentationes peccatorum pericula, ad quæ vincenda, & superanda maxime indiget homo auxilio, & solatio huius sacramenti. Denique si post sumptum viaticum ægrotus, breui tempore viuat non est illi sæpius dandū hoc sacramentum post cibum, & potum; quia iam nulla est moralis necessitas, & ita sunt exponendi Doctores, qui tantum semel communicandi hoc modo videntur licentiam præbere, loquuntur enim de re morali pro vt frequētius accidit, moraliter enim loquendo, & vt plurimum, hoc satis est.

Secundum dubium est, an liceat sacerdoti vt conficiat sacramentum ad communicandum ægrotum, qui est in probabili periculo mortis in eadem die futuræ, post cibum, & *Maior.* potum sacramentum conficere. Ioan. Maior. in 5. dist. 9. q. 3. ad. 5. contra conclus. amplissimam facultatem sacerdotibus concedit, dicit enim propter similem necessitatem licere sacerdoti clanculum ecclesiam adire post meridiem, & hostiā consecrare solum in secreto, dicendo verba cōsecrationis, & Eucharistiam ad infirmum deferre: Non dicat (inquit) missam, nec vestes sacerdotales inducat propter scandalū. Nullo aūt modo danda est hostia non consecrata loco consecratæ, etsi non esset aliqua hostia panis triticei pista, sed frustū panis triticei communis: maior diligentia adhibenda est, & forte satius est tale frustum consecrare, & dare infirmo, & satisfaciat vulgo non esse scandalum, sed sic in illo casu fieri expedire, faciat tamē hoc occulte potius coram Doctis, quā indoctis vt videatur maturè procedere, hæc ille. Quibus verbis concedit vt patet posse sacerdotem sine vestibus sacris conficere, & sine pane azymo, & sine integritate sacrificij, iuxta quam sententiam non oportebit vt sacerdos non ieiunus communicet, sed solum vt conficiat ad communicandum alium.

Verum tamen hæc snīa in hac amplitudine ab omnibus reijcitur, & merito: quia multa continet contra reuerētiam sacramenti, & contra ecclesiæ consuetudinem. Hac ergo Maioris opinione relicta, supponamus tantum deesse hanc circumstantiam ieiunij; an in prædicto casu licet sacerdoti sacrum facere.

Ad quod breuiter respondeo, (quicquid dicant aliqui)
Paludan. quod non licet, ita sentit Paludan. hac distinctio. quæstio. 2.
Gabriel. num. 9. Gabr. quæst. 2. art. 3. Sot. dist. 12. q. 1. art. 8. & Nauarr.
Sotus. in manu. cap. 21. num. 53. Tum quia ista ecclesiæ consuetu-
Nauar. do hoc præceptum interpretatur: tum quia non est minus graue, quam alia præcepta pertinentia ad ritum seruādum in hoc sacramento conficiendo, vt sunt præceptum conficiendi in azymo, aut cūm vestibus sacris, quæ & similia prętermittenda non sunt propter communicandum ægrotū. Tum etiam: quia hoc sacramentum sicut maioris est dignitatis, ita minoris est necessitatis, atque adeo in simili necessitate magis est adhibenda ratio reuerentiæ huic sacramento debitæ, quam necessitatis proximi: quia hæc non est necessitas simpliciter, seu medij; sed tantum præcepti; at necessitas præcepti tunc non vrget ex parte sumentis; quia non est in potestate eius sumere nisi sit qui possit dare: nec tunc
Gabriel. infirmus est in periculo, quia vt inquit Gabriel excusat eū impossibilitas sumendi, cui ipse causam non dedit; sicut qui patitur vomitum communicandus non est, sed sufficit sibi fides cum desiderio, iuxta illud Augustini. Crede, & manducasti: Neque etiam ex parte dantis, quia solum tenetur dare, quando commode potest cum debita exteriori reuerentia, & seruato conuenienti ritu præscripto ab ecclesia, quæ propterea prouidit vt semper seruetur Eucharistia pro infirmis, vt ne propter euentus similes, hoc auxilio priuen-
Conc. Nic. tur, vt patet ex Concil. Nicæn. cap. 14. & capit. Presbyter de consec. dist. 2.

ARTICVLVS V.

Vtrum sacerdos, qui credit sumere sanguinem sumit aquam, possit, & debeat iterum non ieiunus sanguinem sumere.

DE hac re hoc certum est, quod in tali casu sacerdos tenetur consecrare viuum iterum, & sumere sanguinem, etiamsi non sit ieiunus. probatur: quia quando concurrunt duo præcepta, quæ simul seruari nequeunt, illud est obseruādum, quod fortius, & strictius ligat, alterius præcepti minoris obligatione suspensa pro tūc: sed maius, & fortius præceptum est sumendi integrum hoc sacramentū, quā quod sumatur a ieiuno, ergo in casu posito tenebitur sacerdos vinum consecrare, & sanguinem sumere, licet nō sit ieiunus, eoque sumpserit aquam existimans se sumere sanguinem Christi: consequentia est nota, & maior probatur: quia in præceptis Dei, & Ecclesiæ nulla est perplexitas; minor etiā probatur: quoniam ad ipsam rationem huius sacramenti pertinet, quod quando conficitur conficiatur integrum, & sumatur; cum hoc sacramentum sit vnum integrum ex duobus constans, corpore videlicet, & sanguine Christi. Quod vero hoc sacramentum a ieiuno sumatur ad reuerentiam spectat huius sacramenti, non autem ad propriam, & essentialem huius sacramenti rationem: ergo fortius est præceptum quod conficiatur integrum, & sumatur.

Et confirmatur, quia diuisio huius sacramenti a Christo Domino est prohibita ex prima institutione huius sacramēti, qui illud integrum instituit, integrumq; confecit, & sumi a sacerdotibus mandauit, ergo fortius ligat præceptum de integre sumendo, quam de sumendo a ieiuno; Quod etiam probatur ex obligatione stricta præcepti ecclesiastici, quæ habetur de consec. dist. 2. cap. Cōperimus, vbi sacerdotibus præcipitur vt sacramenta integra percipiant, aut ab illis arceantur, & subditur ratio: Quia diuisio eiusdem sacramenti sine grandi sacrilegio prouenire non potest. Idem habetur eadem dist. cap. Relatum. Legimus etiam certum, quod hi sacrificantes, qui non edunt, rei sunt dominici sacramēti, & subditur, quod talis a communione vno anno repulsum se nouerit, ergo omnibus modis tenendum est, quod quotiescunque sacerdos corpus, & sanguinem Christi immolabit toties præceptionis corporis, & sanguinis participem se præbeat.

In præcepto autem Ecclesiæ de sumendo hoc sacramento a ieiuno, non dicit, quod suscipiens non ieiunus sit reus dominici sacramenti, neque quod sacrilegium committat, neque repellitur a communione per annum, sicut in præcepto de conficiendo, & sumendo integre hoc sacramentū. Tenetur ergo sacerdos ex institutione Christi, & propter integritatem sacramenti conficere sanguinem, & ex strictissimo Ecclesiæ præcepto sub pęna repulsæ ab hoc sacramento per annum, tenetur consecratum percipere; ergo qui iā percepit aquam, simpliciter tenetur ad complendum illud, quod prætermisit, scilicet ad consecrandum integre hoc sacramentum, & eundem sanguinem consecratum sumere.
In hac conclusione conueniunt Scotus in hac quæst. sub litt. *Scotus*
E. §. Dico quod in isto casu, & D. Thom. 3. par. q. 83. art. 6. ad *D. Thom.*
4. & Sot. dist. 12. q. 1. art. 8.

Sed dubium est, an in casu proposito sit solum cōsecrandum vinum, an etiam simul alia hostia. D. Thom. vbi supr. tenet quod est consecranda alia hostia, & postea vinum, & vtrumque a sacerdote sumendum fundamentum eius est: quia multa verba Canonis præcipit ecclesia, vt dicantur super hostiam, & vinum consecrata, vt patet in Canone Missæ, ergo cum simul hæc duo nunquam sint cōsecrata, sequitur quod iterum sint consecranda; & confirmatur. primo ex *Conc. Tol.*
Concil. Tolet. 7. cap. 1. vbi dicitur. Non esse perfecta sacrificia nisi perfecto ordine compleantur, modo si prior hostia consecrata consumpta fuerit, quoad illam iam fuit omnino transacta actio sacrificandi, ergo vt postea possit sanguis cōsecrari, debet iterum cōsecrari etiam corpus, ne vna species sine alia confici, & consumi videatur. Confirmatur secundo
authoritate Pij V. in cuius missali præcipitur, vt hic defe- *Pius V.*
ctus suppleatur hoc modo a D. Thoma tradito. Hanc sentē- *Paludan.*
tiam D. Thomæ sequuntur. Palud. dist. 11. q. 1. art. 2. Siluest. *Siluest.*
verbo Euchar. 2. q. 10. *Scotus.*

His tamen non obstantibus sequēda est opinio Doct. nostri sub. qui tenet solum vinum esse consecrandum, dicēdaque esse tantum verba Canonis ab illo loco. Simili modo, &c. vsque ad illa. Vnde & memores Domine, &c. & quod ista sententia sit amplectenda probatur; sicut ecclesia præcipit vt verba dicantur super hostiam, & calicem simul consecrata, ita præcipit vt sacerdos non faciat duas consecrationes hostiæ; sed inter hæc duo præcepta maius est vt sacerdos nō faciat duas hostiæ consecrationes, ergo quamuis sacerdos prætermittat benedictiones non tenetur facere duas consecrationes hostiæ: maior est clara, & minor probatur: quia hoc præceptum tractat de substantialibus sacramenti, illud vero de accidentalibus.

Præterea. Illud præceptum Ecclesiæ, vt sacerdos non faciat duas consecrationes hostiæ, traditum fuit ne in eadem

missa

missa plura fierent sacra, vel sacrificia; at vero si sacerdos duas hostias consecraret duo efficeret sacra, ergo &c. Præterea hic modus est sufficiens ad perficiendum sacrificium, ergo hic modus est aptior. antecedens patet: quia cum iã consecrata sit hostia, & non desit nisi sanguis, vt sacrificium compleatur, satis erit sanguinis consecrationem, & consumptionem adiungere. Imo si vtriusque speciei consecratio iteretur, vt docet D. Thom. id non erit sacrificium inchoatum perficere, sed nouum integrum sacrificium facere priori imperfecto relicto, & confirmatur: quia si ante consumptum sacrum perficiatur defectus satis est consecrare calicẽ, vt D. Thomas fatetur, ergo & post cõsumptionem corporis, probatur cõsequentia: quia si in eo casu repetenda sunt omnia, quæ super corpus, & sanguinem dici solent post cõsecrationem, eadem ratione repetenda erunt, quæ super panem, & vinum dici solent ante consecrationem, quæ et illa non fuerũt rite peracta, neque et de nouo iterari possunt: nisi noua hostia consecranda adiungatur: quia in signis, quæ tũc fiũt, & in verbis quæ dñr, vtriusque speciei fit mentio, & vtriusque grata oblatio, & benedictio postulatur: quod si illa prioranon est necesse repetere: quia accidentalia sunt, neque et erit necesse repetere signa, & verba, que post consecrationẽ dñr: quia etiam illa sunt accidentalia: in his ergo sufficiet seruare regulam ab Innocentio traditam in cap. r. & 2. de sacramentis non iterandis. In talibus nihil esse iterandũ, sed caute supplendum, quod in caute fuerat prætermissum.

Et per hæc patet responsio ad primum fundm D. Thom. Ad primam cõfirmationem dico, quod quãdiu durat actio sacra, tota censetur vna moralis actio, & vnum sacrificiũ, atque adeo quamuis post consumptionẽ corporis solus calix consecretur, nõ censetur vna spẽs sacrificij sine alia: quia hæc consecratio sanguinis moraliter coniungitur priori cõsecrationi hostiæ, & ex vtraque fit vna moralis actio, & vnum sacrificiũ. Ex quo obiter intelligitur, si sacerdos non percipiat defectum donec missam iam omnino absoluerit, non posse consecrare solum sanguinẽ ad integrãdũ prius sacrificium: quia iam actio esset oĩno distincta moraliter, nec coniungeretur cũ priori ad vnũ sacrificium integrandũ. Et eadem ratione non tenetur in eo casu vtramq; speciem iterũ cõsecrare: quia per hoc non redintegraret prius sacrificium, sed oĩno nouum distinctum offerret, ad hoc aũt non tenetur: imo nec post illud offerre, quia vt supponimus iam non est ieiunus cum calicem aquæ sumpserit. Quod vero Palud. vbi supra dicit et durante eodẽ offi. in missæ si sacerdos, non percipiat defectũ donec aquam calicis sumpsit nihil debere repetere: quia iam (inquit) functus est officio suo: & quia non est ieiunus, hoc omnino falsum est. Debet. n. supplere defectũ sanguinis, vt diximus, & donec hoc adimpleat non est functus (vt debet) officio suo, quod vero non sit ieiunus nihil obstat, vt hic docet Scot. quia præceptum diuinũ de integritate sacrificij magis obligat, quã præceptũ ecclesiasticum ieiune cõicandi, vt etiam expresse dixit S. Thomas loco supra relato.

Ad secundam confirmationẽ dico, illa quæ in missali ponũtur sub titulo de defectibus solũ esse instructiones quasdam doctrinales, non vero speciales constitutiones inducentes nouam obligationẽ, sunt aũt illæ instructiones editæ secundum probabilem doctrinam, non tñ magis obligãt quã res ipsæ, vel doctrina in qua fundantur. Tenenda est ergo Scoti opinio, quam tenet et Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. ad 4. vbi docet eam in praxi esse sequendam cũ missa fit in publico, quod et est additũ in missali Romano reformato a Clemente VIII. eandem tenet Angelus, verbo Missa nu. 17. & Nauar. c. 25. nu. 91. dicit praxim Scoti præstare praxi D. Th. atq; adeo sequendam esse, quam etiam sequitur Suar. tom. 3. disput. 85. sect. 1.

Sed emergit dubiũ: quia non põt hoc fieri sine scandalo assistentium. Ad quod rñdet Scotus ꝙ bene põt heri sine scãdalo si sacerdos accedat ad cornu altaris, & ponat in calicem vinũ, & aquã quasi ablutionem accepturus, vel ponat in calice solum vinum cum aqua, quæ remãsit in calice, & reuersus in mediũ altaris breuiter dicere poterit verba consecrationis incipiens ab illis verbis simili modo, &c. continuãdo vsque ad illa verba. Hac quotiescunque &c. quibus verbis prolatis cum reuerentia debita suscipiat sanguinẽ Christi. Imo inquit Doct. quod et si astantes perciperent sacerdotẽ iterum conficere sanguinem, & ex hoc scandalizarentur, talescandalum esset acceptum, & non datũ, & per consequẽs non tenetur sacerdos illud vitare. Nam factum in se bonũ est, & necessariũ, & quilibet astantiũ debet iudicare, quod est bonũ, & quod sacerdos bene faciat, si causam nesciat factũ; supponẽdo, quod sacerdos illud faciat ex causa legitima, quam quilibet si eam sciret, approbare deberet. Vnde de tali scandalo contemnendo ait Christus Matt. 15. loquens de Pharisæis. Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.

Sed quid esset agendum, si sacerdos in altari recordetur se non esse ieiunum? Ad hoc respondet D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 6. ad 2. & Gabr. hac dist. q. 2. art. 3. quod aut talis recordatur se non esse ieiunum ante consecrationem, vel post illam; si post consecrationem tenetur sumere sacrum: quia maiori præcepto ad sumendum post consecrationem, quam ad hoc vt sumat ieiunus astringitur; Si vero ante consecrationẽ recordetur debet dimittere missam, si põ. illã dimittere absq; graui scandalo; si tamen ex recessu ab altari aliud sequatur scandalum, tenetur sacerdos missam perficere, & hoc probatur: quia si timetur scandalũ, magis tenetur sacerdos ad obseruandum præceptum diuinum de vitando scãdalo, quam præceptum ecclesiasticum de non cõicando si ũo natu iæ ieiunio. Præterea in casu necessitatis licet sumere Eucharistiã post medicinã, vel quẽmlibet cibũ vt dictũ est supra, ergo ex necessitate vitandi scandali erit etiam licitum.

Hanc eandem fniam sequitur Angles in floribus 4. q. de suscipientibus Eucharistiam difficultate prima. Cuius oppositum sentit Siluest. verbo Euchar. 3 § 6. dicens nunquã lici tum esse celebrare Missam saluo ieiunio, et pp vitandum scandalum, cui adhæret Nauar. in manu. c. 21. nu. 53. Cõtra quos ita argumentatur Angles. Nam secundum eos Roma nus Põtifex põt soluto ieiunio celebrare: quia legibus ecclesiasticis non est subiectus, põt et dispensare, vt sacerdos non ieiunus celebret; Vnde manifestum sit, quod si in aliquo Pago, vel Rure esset vnus tantum sacerdos, qui in die Natalis Dñi post mediã noctem naturæ ieiunium soluisset, neque reperiri posset sacerdos, qui missam celebraret, tenetur profecto ipse rem sacrã facere, ne populũ scandalizaret, cum et ex officio celebrare incibat, a simili possunt alij casus occurrere, in quibus scandalũ sequatur, poteritq; sacerdos non ieiunus missam inchoare, atque perficere, hæc ille. Et confirmatur, quia si constituatur casus in quo re vera sequatur scãdalum verum, & graue, quod aliter vitari non posslit, nõ dubie quin pp illud vitandum cesset obligatio huius præcepti de ie une cõicando; quia spiritualis salus animarum, & obligatio charitatis Dei, & proximi est maior, atque ita hæc exceptio de vitando scandalo in omnibus præceptis locum habet, vbi contrarium non est intrinsece malũ, maxime quia cum huiusmodi scandalo semper est coniuncta aliqua grauis infamia eius, qui scandalum præbet ob quam vitan lam cessare etiam communiter solet oblig tio legis positiuæ, quæ non obligat cum tanto onere, & dicrimine.

Dubium.
D. Thomas.
Gabriel.
Angles.
Siluest.
Nauar.

ARTICVLVS VI.

Vtrum laici teneantur recipere sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie.

Celebris controuersia est, vtrum extet præceptum diuinum, quo fideles oẽs teneantur vtramque speciẽ sacri sumere quotiescumque cõicant, & eccl'siæ ministri vtraque illis præbere, quandocunq; cõicient. Circa quam in hoc articulo solum dicemus, quæ a Catholicis sunt tenẽda. Qui n. vult hæreticorum fundamenta nosse, & eorum solutiones legat Alphonsum a Castro contra omnes hæreses lib. 6 hæresi vltima, Pelbartum, tom. 4 Rosarij Theologici, verbo Euchar. 5. § 23. Bellarm. lib. 3. de Euchar. c. 21 & seqq. Suar. tom. 3. disput. 61. 1. 2. & 3. sectionib. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 8. pu. cto 5. qui diffuse satis & exactissime in vtramque partem hanc quæstionem disputarũt.

Dico ergo primo. Nec per se malum esse nec iure diuino prohibitum vnam speciem huius sacr. sine altera sumere; ita definitur in Concil. Constan. sess. 13. et in epist. Martini V. & clarius in Concil. Triden. sess. 21. c. 1. & idem traditum fuerat in Concil. Basileensi, sess. 30.

Dico secundo. Nullũ esse præceptũ diuinum fidelibus laicis impositum cõicandi aliqũ sub vtraque specie, hæc cõclusio est de fide definita in supra citatis Concilijs, & probatur, quia tale præceptum, nec scriptũ est, nec traditũ; præceptũ aũt diuinum positiuum aliã mandũ non est, nec admittẽdũ nisi sufficienti authoritate cõstet. prior pars probatur: Nã si ex ali-

Alphonsus.
Pelbart.
Bellar.
Suarez.
Valentia.
1. Conclusio
Conc. C.st.
Conc. Trid.
Conc. Basil.
2. Conclusio

mcnt.
us.
Thomas.
us.
clus. ar. cz.
um.

Digitized by Google

ex aliquo testimonio colligeretur hoc pceptũ, maxime ex verbis illis. Nisi manducaueritis carnẽ filij hoĩs, & biberitis

Conc. Trid. eius sanguinẽ, &c. sed ex illis non colligi probat Conc. Trid. sessi. 21. c. 1. his verbis. Qui dixit, nisi manducaueritis carnẽ filij hoĩs, & biberitis eius sanguinẽ non habebitis vitam in vobis; dixit quoque. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Et qui dixit. Qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinem, habet vitam æternã; dixit ẽt, panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & deniq; qui dixit: Qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ in me manet, & ego, in illo, dixit nihilominus, Qui manducat hunc panẽ viuet in ęternũ. In quib. verbis sic tacite argumẽtatur Conciliũ. Chřus affirmat panis, seu carnis manducationẽ ad vitã sufficere, ergo nõ assumit in priorib. verbis formalẽ vtriusq; spẽi sumptionẽ esse ad vitã necessariam. Altera vero pars videlicet qđ nec traditũ sit tale pręceptũ euidẽtior est: quia non solum non est in ecclesia talis traditio, quin potius est cõtraria. Nam Ecclesia Romana denegat laicis per totũ tp̃s vitæ vsum calicis, & iudicat eos satisfacere Christi præcepto de esu corporis, iudicauit ergo nullũ tale præceptum esse a Christo impositum. In quo iudicio errare non potest, quia esset intolerabilis error contra bonos mores.

3. Conclusio Dico tertio. Non esse iure diuino præceptũ sumere alterã ex his speciebus determinate, sed solũ cõfuse, seu disiũctim, ita vt quacunq; earũ accepta præceptũ diuinũ impleat. hæc conclusio solũ ponitur pp speciem panis. Nã aliqui Catholici putãt spẽm panis necessario sumendã esse de iure diuino, ita vt cõicando tantum sub spẽ vini non satisfiat diuino præcepto de vsu huius sacři; ita sentiũt Ioan. Alb. lib. de cõione

Ioan. Alb. Bellarm. sub vna specie, & Bellar. lib. 4. de Euch. c. 25. ad 3 4. & 5. Fũdantur quia Lucas, & Paulus referũt statim post cõionem sui corporis dixisse. Hoc facite, &c. post cõionem aũt calicis. Lucas nihil refert, Paulus vero non absolute sicut prius, sed sub conditione refert dixisse. Hoc facite quotiescunq; sumitis, &c. ex qua diuersitate colligunt sumptionẽ sub spẽ panis esse simpliciter præceptã, sub specie vini solũ, qñ fit Christi cõmemoratio in sacrificio. Nihilominus cõclusio posita mihi vř oĩno vera, q̃ postea expresse docuit idem Bellar. c. 27.

Oxomensis. Suarez. ad 8. & idẽ sentit Ep̃s Oxomens. & Suar. tom. 3 super q. 70. art. 12. 3. p. D. Tho. & ratio esse põt: quia tã est Christus totus sub specie vini, q̃ sub specie panis, ergo ex vi iuris diuini tam est sufficiens sumptio illius, quam huius, patet consequentia: quia efficit æqualẽ vnionẽ tã sacřalem, q̃ spiritualẽ

Conc. Trid. cũ Christo pp quã est specierũ sumptio, vt significat Conc. Trid. vtens illo fundõ ad probandum vnã speciem sufficere: q̃ totus Chřs est sub illa, in quo multũ huic snĩæ fauet.

4. Conclusio Dico quarto esse in Ecclesia potestatem ordinandi, quõ sit a fidelibus hoc sacřum sumendum in vna s. vel duplici specie, est de fide ex definitione Conc. Trid. sessi. 21. c. 1. & 2. vbi hac occasione definit esse in ecclesia potestatem, vt in sacřotum dispensatione ea statuat, vel mutet, quæ suscipiẽtiũ vtilitati, & sacřorum venerationi pro rerum, temporum, & locorũ varietate magis expedire iudicauerit. Quo sensu intelligit dictum a Paul. illud 1. ad Corint. 4. Sic nos existimet hõ vt ministros Chři, & dispensatores mysteriorũ Dei; Idẽque colligit ex illo 1. ad Cori. 11. Cætera cũ venero disponã.

5. Conclusio Dico quinto, qđ ecclesia vtens hac potestate iã prohibuit vsum calicis oĩbus pręterquã sacerdotibus sacrificantibus, q̃ prohibitio, & valida, & rõnabilis, & prudẽs fuit, vt patet ex

Conc. Cõst. Conc. Trid. Conc. Cõst. sessi. 13. & clarius ex Cõc. Trid. sessi. 21. c. 2. vbi dicit ecclesiã consuetudinẽ cõicandi sub vna spẽ approbasse, & pro lege habẽda decreuisse. Ecclesia aũt non põt in his, quæ ad mores totius ecclesiæ pertinent errare, neq; aliquod iniustũ, & malũ præcipere, ergo talis lex est iusta, & bona, ergo valida, & obligationẽ inducẽs. Qđ aũt sit prudens, & expediẽs patet: tũ quia ad diuersas exterminandas hæreses circa hoc sacřum, hoc statuit ecclesia; Tũ quia per hoc nihil commodi, aut vtilitatis fidelibus adimitur, multũ aũt reuerẽtiæ, & venerationis sacřo ipsi prouidetur: quia hoc modo vitat ecclesia oẽ periculum effusionis sanguinis, qđ moraliter vix posset caueri in tanta hominum frequentia, & multitudine.

Dubium. Sed quæres, an expediat in hac lege dispẽsare cũ aliquo regno, vel personis. Dico, qđ quãdiu hoc petunt persistentes in errore, tanq̃ necessariũ sit ad salutẽ nullo modo cõcedẽdũ est; tũ quia esset virtute confirmare errorẽ: tum ẽt quia esset sanctum dare canibus. quia talis gens esset indisposita ad v-

Gaspar Casalis. Richard. sum huius sacři. Cæterum errore remoto posset ecclesia dispensare, prout dispensauit Paul. 3. vt refert Gaspar Casalis, lib. 3. de cœna, & calice Dñi, c. 2. & Richard. c. 21. Et de Clemente VI. refertur hoc concessisse Regi Galliæ anno 1341. Quia cum tota hæc res sit iuris ecclesiastici per supremã ecclesiæ potestatẽ dispensationẽ recipit: imo Romæ consuetudo est, vt diaconus qui in missa sollemni ministrat Pontifici sub vtraq; specie cõicet, quã cõsuetudinẽ refert Claudius in Claudius. repet. c. 20. Parisijs seruari in Conuentu Cluniacensi.

Et si q̃ras scđo, an hæc prohibitio ecclesiæ tãto rigore obliget laicos, vt in nullo casu, & nulla de causa eis liceat bibere sanguinẽ Dñi absq; speciali dispensatione. Dico qđ pp solũ sacři vsum, & suscipientis vtilitatẽ, nunq̃ licet laico sumere sanguinem Dñi absque dispensatione. cæterum ob aliquam vrgentẽ necessitatẽ, vt si contingeret sacerdotẽ sacrificãtem mori post consecratũ, & ante consumptũ sanguinẽ, & nullus adesset sacerdos, a quo posset consumi, & periculũ esset, vel quod species corrumperentur, vel deuenirent in infidelium manus, & sanguis effunderetur, existimo laicũ in hoc, & cõsimili casu sanguinem sumere posse, quicquid dicat Sot. di- Soto. stin. 13. q. 2. art. 6. Qm̃ cum hoc solum sit ecclesiasticũ præceptum, & ob maiorem sacramenti reuerentiam introductũ, non est cur obliget cum tanto rigore, & euidenti periculo, & occasione maioris irreuerentiæ eiusdem sacramenti. Dubium.

Postremo quæritur, an in mortis articulo infirmo, qui nõ Dubium. posset specẽ panis deglutire possit sanguis ministrari; Dico, qđ casus forte est impossibilis: quia qui põt traijcere spẽs vini, poterit ẽt deglutire minimã hostiæ consecratæ particulã aquæ aut vino non consecrato immissã. Et si casus daretur; Dico resolute, ꝙ non liceret dare hãc licentiã, ne daretur occasio ministris indiscretis ampliandi illã, & similes casus admittendi sine necessitate. Et minister nolẽs dare sacřum iure excusabitur: quia pp grauissimã causam, & publicã id facit, & consequenter excusabitur ẽt ægrotus, vel quia non habet copiã sacři, vel quia moraliter censetur impotens, & ita nõ violabitur ius diuinum, quod cũ affirmatiuum sit non obligat semper, sed occurrentibus moralibus circumstantijs.

DISTINCTIO IX.

ET sicut duę sunt res illius sacramenti, &c. *Hæc* Circa *est 9. dist. huius 4 sent. In qua Magister postquam in precedẽti distinctione determinauit de sacramento Eucharistia. quantum ad eius institutionem, agit de eodem sacramẽto quãtũ ad eius vsum, & perceptionẽ, & diuiditur hæc distinctio in tres partes. In 1. sententiã suã proponit. In 2. errores quosdam excludit, & in 3. quasdã authoritates dubias exponit.* Diuisio *Breuiter snĩa Magistri vnica cõclusione explicatur, quæ est* Conclusio *talis. Corpus Christi, quidã manducant sacřaliter, quidam spiritualiter, quidam vtroque modo realiter. Quã explicãs proponit primo, quod sicut est duplex res huius sacři, altera corpus Christi sub speciebus latens, altera vero res, quæ est gratia quæ per ipsum confertur, ita inquit duplex est modus recipiendi hoc sacramentũ, primus sacřaliter tantũ in quo corpus Christi sine gratia eius recipitur. Secũdus vero spũalis, in quo nõ solũ Christi corpus, sed ẽt gratia eius pcipitur.*

Ex hoc impugnat secundo errorẽ quorundã dicentiũ qđ corpus Christi in sacřo non recipitur nisi a bonis ostendens sanctorũ authoritatibus, quod non solũ boni, sed ẽt mali recipiunt corpus Christi in sacřo differenter tamen; Quia bonis est ad salutẽ, malis vero ad iudiciũ & commendat quandã sententiã D. August. dicentis, quod malis sit malũ id quod D. Aug. *est bonũ, dũ male ab ipsis accipitur, bonis autem etiã malũ fit bonum, dum bene ab ipsis accipitur. Sicut stimulus Satanæ mali Angeli fuit factus bonus D. Paulo. Vnde dicit D. August. Mala prosunt bonis sicut Angelus Satanæ Paulo dum stimulos Satanæ patienter portauit: bona autem obsunt malis, sicut qui indigne accipiunt corpus Christi, de quibus dicit Paulus. Qui manducat, & bibit indigne, &c. per quod docemur quã sit cauendum male accipere bonum.*

Tertio explicat duo loca D. Aug. primus habetur hom. 26. super Ioan. vbi ait, Bonus accipit sacramentum, & rem sacramenti; malus vero sacramẽtum, & non rem; pro cuius intellectu dicit Magister, quod D. August. vocat hic sacra-

mentum

mentum ipsummet corpus Christi proprium de Virgine natum sub speciebus latens. Rem vero sacramenti appellat gratiam, quæ per ipsum confertur. Mali ergo suscipiunt sacramentum, & non rem: quia corpus Christi sine gratia recipiunt, boni autem recipiunt sacramentum & rem, qui corpus Christi, & ipsius gratiam assequuntur. Secundus locus D. August. est. Non manducans manducat, & manducans non manducat. Qui locus sic est intelligẽdus, quod multoties boni non manducantes sacramentaliter Christi corpus, manducant ipsum spiritualiter, dum per votum sacramenti gratiam assequuntur, vt dictum est in q. præcedenti, & manducans sacramentaliter non manducat spiritualiter, vt malis contingit. ex his concludit Magister, quod à bonis & à malis sumitur Christi corpus, sed à bonis ad salutem, à malis ad perniciem. hac in sententia Magister in hac dist. Circa quam Doct. noster sub. vnicam tantum monet quæst.

Nos vero videbimus primo. An sacramentum Eucharistiæ sit de necessitate salutis sicut baptismus ita vt debeat dici simpliciter necessarium, deinde quæstionem Scoti explicabimus, & pro faciliori & abundantiori doctrina, 16. articulis propositum enucleabimus.

Primus art. Vtrum realis susceptio Eucharistiæ sit paruulis ad salutem necessaria necessitate finis.
Secundus art. Vtrum votum suscipiendi Eucharistiam sit paruulis ad salutem necessarium.
Tertius art. Vtrum absolute dicendum sit hoc sacramentum esse adultis necessarium ad salutem necessitate finis vel in re, vel in voto.
Quartus art. Vtrum statim, quod homo adultus iustificatus est, vel per baptismum, vel per pœnitentiam, teneatur habere votum, & desiderium Eucharistiæ.
Quintus art. Vtrum Eucharistiæ sacramentum siue in re, siue in voto sit adeo necessarium ad salutem, vt sacramentum baptismi.
Sextus art. Vtrum Eucharistiæ sacramentum sit necessarium necessitate præcepti diuini & obliget omnes homines.
Septimus art. Vtrum præceptum diuinum de suscipiendo Eucharistiæ sacramento obliget tantũ in articulo mortis.
Octauus art. Vtrum præceptum ecclesiasticũ de Eucharistiæ sacramento suscipiendo obliget omnes homines.
Nonus art. Vtrum ecclesiasticum præceptum de suscipiendo Eucharistiæ sacramento obliget tantum semel in anno.
Decimus art. Vtrum existens in peccato mortali peccet mortaliter recipiendo hoc sacramentum.
Vndecimus art. Vtrum communicaturus habens aliquod peccatum mortale de quo est contritus, teneatur prius confiteri, quam Eucharistiam sumat.
Duodecimus art. Vtrum in aliquo casu liceat communicare sine præuia confessione.
Tertiusdecimus art. Vtrum accedens ad hoc sacramentum cum attritione quam probabiliter credit esse contritionẽ, quando nõ adest copia confessoris, peccet mortaliter.
Quartusdecimus art. Vtrum Peccatori petenti Eucharistiæ sacramentum negandum sit, vel tribuendum.
Quintusdecimus art. Vtrum peccatori occulto occulte petenti Eucharistiam deneganda sit.
Sextusdecimus art. Vtrum recipiens hoc sacramentum cum peccato veniali peccet.

ARTICVLVS I.

Vtrum realis susceptio Eucharistiæ sit paruulis ad salutem necessaria necessitate finis.

...fit ne ...rium ne ...te fi... ...y præ...

PRo huius difficultatis solutione obser. est primo, quod illud dicitur necessarium necessitate finis, aut medij quod est simpliciter necessarium ad consecutionẽ vitæ æternæ, etiamsi nulla exter obligatio præcepti; sicut è conuerso illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod nullam habet necessitatem præter illam, quam inducit præceptum. Vnde si quis excusetur ab obligatione præcepti, poterit absq; tali medio consequi vitã æternã, vt si quis excusetur propter infirmitatem ab obligatione præcepti ieiunãdi.

Secundo obser. est, quod ea, quæ sunt necessaria necessitate finis, sunt in duplici differentia, quædam habent necessitatem intrinsecam ex intrinseca connexione, quæ reperitur inter ipsa media & finem vltimum, nempe vitam ęternam, & hoc modo gratia, & charitas sunt necessaria necessitate finis; quædam vero sunt necessaria ex sola institutione Dei, secundum quem modum sacramenta sunt necessaria ad salutem; imò & fides passionis Christi est hoc modo necessaria ad salutem: Nam quod passio Christi esset medium necessarium ad salutem ex solo Dei beneplacito ortũ habuit. Inter ista duo media est magnum discrimen: nam media primi generis in omni statu, & omnibus modis sunt necessaria ad salutem æternam; media autem secundi generis non item; sed pro illo statu dumtaxat, pro quo fuerunt instituta. In statu enim innocentiæ fides passionis Christi, & sacramenta non fuissent ad salutem necessaria. *Necessaria necessitate finis sunt duplicia.*

Tertio obser. est, quod ea quæ sunt necessaria necessitate finis ex Dei institutione, quædã sunt simpliciter necessaria, ita vt neq; per se, neq; per accidẽs vita æterna haberi posset absq; his medijs; ita se habẽt fides passionis Christi saltem implicita, & baptismus in re susceptus respectu paruulorũ. Quædam vero sunt quidem per se necessaria ad vitã æternam; per accidens tamen in aliquo particulari casu, vel propter ignorantiam inuincibilem, vel quia deest copia vtendi ijs medijs redduntur non necessaria; ita vt absq; illis possit haberi salus; hoc modo baptismus in re susceptus est necessarius ad salutem necessitate finis, per se loquendo.

Gregorio tamen Valentino, to. 4. disp. 6. q. 1. puncto. 5. nõ placet concedere, quod hæc media postremi generis sint necessaria necessitate finis ad vitam æternam; sed sola, inquit, necessitate præcepti; existimat. n. ad rationẽ medij, quod est necessarium necessitate finis esse intrinsece requisitũ, quod absq; illo in nullo casu, etiam per accidẽs contingi possit haberi salus. cæterũ id quod diximus apparet probabilius, primo propter rationem cõem. Nam in moralibus sepe contingit, quod illud, quod est per se necessariũ ad aliquem finẽ in aliquo casu per accidens contingenti reddatur non necessariũ. v.g. necessariũ est ad seruãdam rectitudinẽ iustitiæ, quod depositum reddatur Domino petẽti, & nihilominus in aliquo casu non erit necessariũ, imo autem perniciosum reddere depositũ Dño petenti. Ergo in præsentia bene põt intelligi, quod aliquod mediũ sit per se necessariũ necessitate finis ad consequendã vitam æternam, & tñ quod in casu particulari per accidẽs absq; tali mõ habeatur vita æterna. *Valentia.*

Præterea probatur ratione speciali. Ad inchoandã salutẽ animę necessarium est omnino votum peculiare saltem implicitum horum mediorũ, ergo ista media iure posita sunt per se necessaria necessitate finis ad vitã æternam. & nõ sola necessitate præcepti; añs supponitur certũ, & constat exẽplo de voto: Nã votũ baptismi simpliciter est necessariũ adultus ad inchoandã vitã animæ; consequentia vero probatur: qm̃ si hæc media tm̃ essent necessaria necessitate pcepti ad vitã æternã, votum illorũ non aliter esset necessariũ ad iustificationem, quã votum adimplendi cætera præcepta. Fateor tñ quod si ab alijs medijs tolleretur necessitas præcepti, nulla maneret in eis necessitas finis; v.g. si postquã homo per cõtritionẽ includentẽ votum sacramenti pęnitentiæ constitutus est in gratia, non haberet pręceptũ confitendi sacramentaliter, confessio sacramentalis non esset illi necessaria ad salutem: quia nisi ille amittat gratiam, quã habet per cõtritionẽ transgrediendo aliquod pręceptũ, absq; dubio saluabitur sine confessione. Sed nihilominus dicendũ est, quod nõ est illi sola necessitas præcepti, sed interuenit ẽt necessitas finis; Ratio est quia istud præceptũ de cõfessione sacramentali in hoĩe iustificato per cõtritionẽ; non habuit ortũ ex sola volũtate legislatoris instituẽtis illud pceptũ, sed radicaliter huiusmodi pceptũ hẽt origiẽ ex eo quod ille hõ nõ potuit iustificari, nisi cũ dependẽtia a cõfessione sacramentali, & ideo illi necessarium fuit ad iustificationẽ votum confitendi; necessitas autem voti tota est referẽda ad realem confessionẽ.

Præterea illud præceptum etiam ortum habuit ex eo, q̃d gratia, quam homo consequitur per votum confessionis sacramentalis in quantum procedit à tali voto, non habet per se loquendo ordinem immediatum ad consecutionem vitæ æternæ, sed mediante confessione sacramentali, eo quod est effectus voti, & desiderij. Dixi, quatenus pro-

cedit à voto confessionis: quia si consideretur secundum rationem communem gratiæ immediatam habitudinem habet ad vitam æternam; & hinc fit, quod si homo iustificatus per votum confessionis moriatur absq; susceptione reali sacramenti pœnitentiæ, quia non habuit copiam confessoris consequetur vitam æternam, sed hoc est omnino per accidens ad ipsammet gratiam, quatenus habita fuit in virtute voti confessionis sacramentalis. Ex his sequitur, quod in his medijs de quibus loquimur vtraque necessitas concurrit, & finis & præcepti.

His obseruatis sit hæc conclusio. Secundum fidem asserendum est, quod realis susceptio sacramenti Eucharistiæ non est necessaria paruulis ad salutem. Hæc conclusio definita est expresse in Concil. Trid. sess. 21. c. 4. & probatur ratione insinuata ibidem à Concilio. Realis receptio Eucharistiæ non est necessaria paruulis, vt iustificentur, & consequantur remissionem perfectam originalis culpæ: Nam hæc iustificatio, & remissio culpæ originalis est proprius effectus sacramenti baptismi, vt definit Concilium Flor. in decreto Eugenij, & Trid. in loco immediate relato, & sess. 5. Neque est necessaria ad conseruandam iustitiam habitam per baptismum, quia paruuli, cum non sint capaces peccati, non possunt amittere iustitiam semel habitam, ergo nulla ratione est illis necessaria ad salutem.

Conclusio. *Conc. Trid.* *Conc. Flor.*

Et confirmatur ex illo Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, ecce ibi ad salutem consequendam tantum exigitur fides, & baptismus, & nulla fit mentio de susceptione Eucharistiæ, ergo & c. & in hac conclusione conueniunt omnes catholici, contra Bœmos hæreticos, qui docuerunt hoc sacramentum in re susceptum esse simpliciter necessarium ad salutem tam pro paruulis, quã pro adultis. Ita refert Tho. Vualdensis tom. 2. de sacramentis c. 91. Qui errorem secuti sunt postea Armeni, qui propterea simul cũ baptismo Eucharistiã paruulis dabant, vt refert Prateolus lib. 8. de vitis & sectis hæreticorum, c. 15. & lib. 11. c. 2. & lib. 12. c. 4. Ex hoc errore fortassis dimanauit error quorundã hæreticorum, qui asserebant mortuis catechumenis ministrandam esse Eucharistiam. Cæterum hunc errorem dãnauerunt sextus synodus generalis can. 83. & Concilium 3. Carthag. can. 6. & D. Chrysost. hom. 40. super primam epist. ad Corint. vbi refert aliam insaniam quorundam hæreticorũ, qui dicebant mortuos esse baptizandos.

Tho. Vual. *Prateolus.* *6 Synodus.* *Conc. Cart.* *D. Chrys.*

ARTICVLVS II.

Vtrum votum suscipiendi Eucharistiam sit paruulis ad salutem necessarium.

DE hac re est controuersia inter grauissimos Theologos. Nam etsi omnes communiter censeant non esse necessarium paruulis, imo neq; possibile votum Eucharistiæ, cũ habeatur per proprium actum ipsorum communitereq; fateantur in susceptione baptismatis includi votum implicitum, & quasi interpretatiuum ex voluntate ecclesiæ applicata paruulis per baptismum seruandi omnia mãdata Dei, & ecclesiæ; quia susceptio baptismi & realis professio Religionis Christianæ; & in hoc voto seruandi mandata includi votum suscipiendæ Eucharistiæ pro tempore quo præceptum obligauerit, ac demum communiter fateantur in susceptione baptismi specialiori quadam ratione includi votum sumendi Eucharistiam, quam seruandi cætera præcepta legis; veruntamen in explicanda hac speciali ratione est magna dissensio inter grauissimos Doctores.

Quidam. n. existimant, quod tota ratio specialis voti sumendi Eucharistiam in eo solum consistit, quod gratia, & charitas, quibus vnimur Christo, licet sint communes effectus omnium sacramentorum, attribuuntur tamen per quandam specialem accõmodationem sacramento Eucharistiæ, eo quod hoc sacramentũ perfectissimo modo causat vnionem charitatis ad Christũ, & hinc fit, quod gratia, & charitas collata per baptismũ quatenus constituunt vnionem cũ Christo, per quandam accomodationem tribuuntur Eucharistiæ, quamuis non sint effectus Eucharistiæ, sed solius baptismi; & secundum hanc accomodationem intelligunt Caietanus 3. p. q. 73. ar. 3. & Sotus, d. 8. q. vnica, art. 3. & Suarez tom. 3. disp. 49. sect. 2. D. Thomam dicentem omnes iustificatos habere votum huius sacramenti, ex eo, quod affirmat vnitatem corporis mystici, quæ omnibus necessaria ad salutem esse rem huius sacramẽti. s. per prædictã accõmodationem.

Est etiam alia ratio huius accõmodationis, nempe, quod omnis gratia hominibus collata per quodcumq; medium prouenit à Christo, & ex merito passionis ipsius; cum ergo in hoc sacramento realiter contineatur Christus, & repræsẽtetur passio eius non merito omnis gratia peculiariter tribuitur huic sacramento. Propter hanc igitur specialem accomodationem illud votum commune seruandi in baptismo omnia præcepta legis, quod implicite continetur in baptismo, peculiari ratione refertur ad sumptionem Eucharistiæ.

Præterea concedunt isti Theologi, quod sicut inchoatio vitæ naturalis per se ordinatur ad perfectionem, & consummationem eiusdem vitæ tamquam in finem; ita inchoatio vitæ spiritualis, quæ fit per baptismum per se ordinatur in perfectionem, & consummationẽ quidem vitæ, quæ fit per sumptionem Eucharistiæ; atque adeo voluntaria susceptio baptismi, est voluntas interpretatiua, & implicita sumendi Eucharistiam tempore debito, & ex consequenti sicut paruulus voluntate ecclesiæ vult interpretatiue suscipere baptismum, ita & voluntate ecclesiæ sibi applicata per baptismum, vult etiam implicite suscipere Eucharistiam tempore debito, & hæc voluntas implicita non improprie appellatur votum Eucharistiæ.

Sed addunt isti Authores (& in hoc consistit punctus huius controuersiæ) quod Eucharistia ratione huius voti implicit in nullo genere causæ concurrit ad causandã gratiam, quam baptismus cõfert paruulo, neque illa gratia aliquã habet differentiam ab isto voto implicito Eucharistiæ; quoniam illud votum non præsupponitur ad gratiam per baptismum collatam, sed potius illam sequitur, & concomitatur, quatenus gratia per baptismum collata, eo quod habetur imperfecte, ordinatur natura sua ad perfectionem, & consummationẽ habendã per susceptionem Eucharistiæ.

Hæc sententia potest colligi ex Caiet. 3. p. q. 73. art. 3. & ex Soto, & Suarez locis supracitatis, & ex omnibus illis authoribus, qui existimant illa verba Ioan. 6. nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. non esse intelligenda de manducatione sacramẽtali, sed spirituali dumtaxat, vel quod si intelliguntur de manducatione sacramentali, tantum debent referri ad adultos, & non ad paruulos: Nam isti omnes Authores libentissime fatentur paruulos iustificari per sacramentum baptismi, & non per votum Eucharistiæ: quia Eucharistia nõ est pro illis instituta, aut saltẽ nõ est illis necessaria.

Caietan. *Soto.* *Suarez.*

Denique ex nouioribus Theologis (inter quos est Suarez, vbi supra) multi docent illam sententiam, & probatur primo. Sacramentum baptismi habet efficaciam ad regenerandum, & incorporandum Christo paruulum baptizatũ, ergo ad illum effectum nõ eget adiutorio Eucharistiæ, aut eius voti; antecedens est de fide, & definitur in Conc. Trid. sess. 21. c. 4. vbi dicitur paruulos per lauacrum regenerationis regenerari, & incorporari Christo, & id ipsũ docet Paulus ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & c. consequentia autem videtur euidẽs: Nam si ad istũ effectum sufficiens est sacramentum baptismi, optime colligitur Eucharistiam aut eius votum non esse necessariũ ad eumdem effectum, aut certe is, qui dixit votum Eucharistiæ esse necessarium ad illum effectum videtur manifeste euacuare vim & efficaciam, quam Christus tribuit sacramento baptismi. Et confirmatur. Quodcumque sacramentũ potest causare suum proprium effectum absque dependentia alterius sacramenti: Nam quodlibet sacramentũ est instrumentũ sufficiens, & efficax ad suum effectum; ergo baptismus absque dependẽtia ab Eucharistia, & eius voto potest causare gratiam baptismalem, quæ sufficiens est ad salutem, iuxta illud Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.

Conc. Trid.

Probatur secũdo. Proprius effectus sacramẽti Eucharistiæ nõ est gratia inchoans vitã spiritualẽ, sed gratia conseruans & perficiens hanc vitã, at sacramẽto baptismi nõ cõfertur gratia cõseruans, & perficiens vitã spiritualem; sed gratia inchoans vitã, ergo nõ confertur proprius effectus sacramẽti Eucharistiæ, & ex consequenti votũ Eucharistiæ, quod implicatur in baptismo, non concurrit in aliquo genere causæ ad gratiam, quæ confertur per baptismum, pater consequẽtia: quia nullum sacramentum aut votum eius concurrit nisi ad illã gratiam, quæ est proprius effectus talis sacramenti.

Tertio, & vltimo probatur. Votum non est necessarium nisi illi cui est necessaria realis sacramenti susceptio pro tempore

D.Thomas. tempore debito, vt optime docet D.Thomas. 3.p.q.80.art. 11. Sed paruulis non est necessaria pro aliquo tempore talis susceptio Eucharistię, vt definit Côcil. Trid. vbi supra, ergo neq; est illis necessarium votum Eucharistiæ.

1.Conclusio His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Necessarium est ad salutem paruulis votum implicitum sacramenti Eucharistiæ. Ista conclusio non eget probatione: nam illā admittunt authores pręcedentis opinionis, & manifesta relinquitur ex his, quæ diximus pro illa opinione.

2.Conclusio Secunda conclusio ratione huius voti impliciti Eucharistia est causa illius gratię, quam baptismus confert paruulis, non quidem causa efficiens, sed finalis. Prima pars huius conclusionis, in qua est tota difficultas, asseritur expresse à *D.Thomas.* D.Thoma. 3.p.q.73. art.3. cum dicit, quod vnitas corporis mystici, quæ suscipitur in baptismate, habetur ex voto sacramenti Eucharistiæ: Nam dictio, ex, causalitatem denotat, & expressius illam docet, q.79.art.1.ad 1. vbi inquit, quod Eucharistia ex se habet virtutem conferendi gratiam, neq; aliquis habet gratiam ante susceptam Eucharistiā, vel nisi ex voto ipsius, vel proprio, vt adultus, vel Ecclesiæ, vt paruuli; ex quibus verbis apparet, quomodo D.Thomas doceat, qđ ad primam gratiam præcedit Eucharistia, vel votū eius; & quod ex tali voto pendet gratia. Et certe nihil expressius haberi potest ex Doctrina D.Thomæ, quam ista veritas; quā *D.August.* docet etiam D.August.li.4. contra duas epist. Pelagianorū, cap.4. vbi dicit, quod reconciliatio, qua paruuli reconciliantur Deo, est in lauacro regenerationis, & in Christi carne, & sanguine, ecce ibi vtrunq; sacramentum baptismi, & Eucharistiæ concurrit, vt principium reconciliationis. Sed expressius hoc docet D.August.lib. de peccatorū meritis.c.20. vbi ait. Dominum audiamus dicentē hoc non de sacramento lauacri, sed de sacramento mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit. Nisi mādücaueritis carnē filij hoīs &c.

Quo loco D.August. docet, hæc verba Christi. Nisi manducaueritis &c. esse intelligenda de sacramentali manducatione; & ibi multis conatur ostēdere, quod hæc verba Christi non sunt referenda ad solos adultos, sed etiam ad paruulos. ex quibus sic arguitur.

Hæc verba sunt intelligenda de sacramentali manducatione, & sunt intelligenda etiam de paruulis; ergo vita spiritualis paruulorum pendet ex manducatione spirituali Eucharistiæ ratione voti, quod implicite côtinetur in susceptione baptismi. Et ponderandū est, quod in illis verbis Christi Dñi aperte significant vitam spiritualem pendere tanquā ex causa, ex mādücatione carnis, & ex potu sanguinis Christi: Nam illa verba. Nisi quis &c. causalitatem denotant.

Hoc ipsum docet D.August. quam sæpius in omnibus libris quos scripsit contra Pelagianos. Multi etiam patres grauissimi, quorum testimonia refert Rosensis in præfatione *Rosensis.* lib.5. contra Oecolapadium docent hæc verba Christi Ioan. 6. esse intelligenda de sacramento Eucharistiæ, & fere omnes illi dicunt, quod hęc verba referenda sunt etiam ad paruulos; ergo iuxta eorum sententiā vita spiritualis, quam paruuli consequuntur per baptismum pendet ab Eucharistiæ. *Innocent. 1.* Innocentius primus in epist. ad Patres Côcilij Mileuit. quæ epist. inter epist. D.August. circumfertur, hæc verba Christi refert ad paruulos; & ex eo quod paruuli non possunt habere vitam nisi manducent carnem Christi, & bibant eius sanguinem; probat Pontifex necessarium esse paruulis baptismum in re susceptum. hanc definitionem pontificiam *D.August.* refert, & commendat D.August.lib.2. contra duas epist. Pe-*D.Cyprian.*lagianorum, c.4. simili argumento vtitur Cyprianus in lib.3. ad Quirinum.c.25. ad probandam necessitatē baptismi pro paruulis, ecce quemadmodum Sancti Patres iam pro constanti habebant necessariam esse paruulis ad salutem Eucharistiam; qđ ex necessitate eius probant necessitatē baptismi.

Secunda pars conclusionis probatur, quod non sit causa effectiua est manifestum; & eius sensus est quod votum implicitum Eucharistiæ, ex quo pendet gratia collata paruulis per baptismum non respicit Eucharistiam tanquā instrumentum effectiuum huius gratiæ, quod est certissimū. Quoniam solus baptismus est instrumentum effectiuū gratię regenerationis paruulorum; ergo Eucharistia non respicitur per illud votum tanquam instrumētum institutum à Christo, & ad efficiendam istam gratiam regenerationis. & confirmatur. Eucharistia tantum est instrumentum effectiuum gratię conseruantis, & augentis vitam specialem, & non gratiæ inchoantis illam, ergo &c.

Tertia pars conclusionis probatur. primo Eucharistia est finis omnium sacramentorum, & præcipue sacramenti baptismi; ergo gratia per baptismum collata pendet in genere causę finalis ab Eucharistia rōne voti impliciti, consequentia patet, quia effectus causæ efficiētis pendet in genere causæ finalis ab illo fine; in quem ipsa causa efficiēs ordinatur, & propter quē operatur: antecedens probatur: quia inchoatio vitæ spiritualis per se ordinatur tanquā in finem in perfectionē & consummationē eiusdem vitę; ergo sacramentum baptismi quatenus est inchoatiuum vitę spiritualis per se ordinatur tanquam in finem in sacramentū Eucharistię, quatenus est consūmatiuum huius vitæ. Et confirmatur ex eo quod D.Paulus ad Ephes.4. docet, quod omnia dona gratuita quæ Deus contulit ecclesiæ, ordinantur in statum perfectum vitę spiritualis, quem ecclesia consecutura est in isto sęculo; ponderanda sunt illa verba. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum &c. ergo proportionabiliter in quolibet fideli particulari dicendum est, quod omnis gratia, quæ illi confertur a Christo per cętera sacramenta, præsertim per baptismum, qui est inchoatiuus vitæ gratiæ, ordinatur ad statum virilitatis supernaturalis, quem consequitur fidelis per sacramentum Eucharistiæ.

Vnde pro solutione argumentorum oppositæ opinionis, & ampliori explicatione nostræ sententiæ obser. est primo, quod Eucharistia quatenus est speciale sacramentum institutum fuit à Christo ad repræsentandum, & causandū specialem gradum gratiæ distinctum ab his, qui causantur per alia sacramenta: cæterum quia in alijs sacramentis non reperitur ipse Christus secundum realem præsentiam, sed tantū virtualiter. In sacramento autem Eucharistiæ Christus, qui author est, & consūmator totius gratiæ reperitur realiter; hinc fit, quod Eucharistia non causat quemcunq; gradum specialem gratiæ; sed talem, qui est consummatiuus, & perfectiuus omnis gratiæ, quæ causatur per alia sacramenta.

Ex hoc sequitur primo, quod licet Eucharistia secundum rationem principij effectiui, non habeat vim causandi omnem gratiā. sed tantum hunc specialem gradum; tamen in genere causæ finalis habet vim super omnem gratiam sacramentalem, eoque gradus gratiæ, quem efficit Eucharistia, est côsummatius, & perfectiuus totius gratiæ sacramētalis: nam vltimū, & perfectum in qualibet re habet rationē finis, quo circa omnis gratia causata à quocumq; alio sacramento, est effectus sacramenti Eucharistiæ in genere causæ finalis.

Duplex votum Eucharistiæ. Sequitur secundo, quod sicut Eucharistia habet hoc duplex genus causalitatis & efficientis, & finalis, ita duplex votum potest haberi huius sacramenti, alterum quo respicitur hoc sacramentum, vt causa effectiua instrumentalis specialis gradus gratię iam expositi, & illud votum quo homines adulti baptizati specialiter afficiuntur ad istud sacramētum per fidem viuam, per quam vt supra retulimus ex Concil. Trident. participāt fructum, & proprium effectum huius sacramenti, licet non ita copiosum, atque si hoc sacramentum susciperetur. Alterum votum quo respicitur hoc sacramentum per modum finis, & hoc votum habent illi, qui suscipiunt baptismum, imò & quodcumq; aliud sacramentū. Per hoc votum secundū non participatur proprius effectus huius sacramenti, nimirum ille specialis gradus gratiæ ad quem causandum institutum fuit sacramentū Eucharistiæ; sed participatur gratia, quæ est effectus aliorum sacramentorum in genere causæ efficientis; & huius sacramenti in genere causæ finalis.

Secundo obser. est, quod primum votum per se loquēdo debet esse explicitum: quia immediate fertur in ipsum sacramentū Eucharistia; & nō habetur in aliquo alio sacramēto. Votum aūt secundum non requiritur, quod habeatur explicite, sed satis erit implicite ēt in adultis: quia hr̄ in alio sacramento, quod per se ordinatur tanquam in finem ad Eucharistiam, v.g. Adultus qui vult suscipere baptismū non oportet quod explicito voto intendat ad sumptionem peruenire Eucharistię; sed satis fuerit, quod velit suscipere baptismū, secundum modum, quo fuit institutum à Christo; & cum Christus instituerit sacramentum baptismi ordinatū ad Eucharistiam tanquam ad finem, hęc volitio suscipiendi baptismum est implicitum votū, & intentio implicita perueniendi ad sumptionem Eucharistiæ, atq; ita proportionabiliter dicendum est de paruulis, quod illa volitio, qua per eccle-

Digitized by Google

siam volunt suscipere baptismum est interpretatiua, & implicita voluntas perueniendi ad Eucharistiam.

Ex his respondetur ad argumenta & ad primum dico; quod baptismus in genere causæ efficientis, se solo côcurrit ad productionem gratiæ regenerantis, neq; in hoc genere causæ ab aliquo alio sacramento pendet; cæterum in genere causæ finalis pendet in sui causalitate à sacramento Eucharistiæ & operatur per illud tanquã propter finem; neq; hoc eneruat vim sacramenti baptismi; sicut non euacuatur vis causarum naturalium, ex eo quod dicat Arist. 2. Phys. quod operantur propter finem, in quem sunt destinatæ ab Authore natura: imò hoc magis firmat, & stabilit virtutem cuiuscumque causæ efficientis, quod assignemus finem propter quem operetur, & ex hoc patet ad confirmationem. *Arist.*

Ad secundu dico, quod Eucharistia quatenus est instrumentum actiuum habet peculiarem effectum distinctũ ab effectibus aliorum sacramentorum vt diximus. Cęterũ quatenus concurrit per modum causę finalis habet vniuersalem vim super omnes effectus aliorum sacramentorum propter rationem supra assignatam. Vnde gratia regenerans, quę in genere causæ efficientis est effectus sacramenti baptismi; in genere causæ finalis est effectus Eucharistiæ, quatenus perfectibilis est, & consumabilis per sacramentum Eucharistię. Ex quo sequitur, quod omnis effectus aliorum sacramentorum potest appellari res sacramenti Eucharistiæ, secundum genus causæ finalis.

Ad tertium dico, quod si hoc argumentũ haberet vires, probaret etiam quod in baptismo paruulorum non includitur implicite illud votum generale seruandi omnia mandata: qm̃ paruuli nulla lege, nulloq. mandato obligãtur; Vnde dicitur, ꝙ gratia baptismalis nô confertur paruulis solũ pro illo statu, in quo possunt realiter suscipere Eucharistiam; sed cooferrur illis absolute pro tota vita, atq; adeo optime intelligitur, quod pertinet ad illos votum implicitum suscipiẽdi Eucharistiam pro tẽpore, quo fuerint apti susceptionis eius.

ARTICVLVS III.

Vtrum absolute dicendum sit sacramentum Eucharistiæ esse adultis necessarium ad salutem necessitate finis in re, vel in voto.

HActenus dictum est de necessitate Eucharistiæ pro paruulis, dicendum est modo de ipsius necessitate pro adultis. & primo absq; disputatione statuendum est; quod in adultis necessario requiritur etiam ad primam salutem votum suscipiendi Eucharistiam, quatenus includitur in illo generali voto seruandi omnia præcepta legis. Secundo statuẽdum est, quod votum implicitum Eucharistiæ, quod respicit ipsam Eucharistiam per modum finis, est necessarium adultis per modum finis etiam ad primã salutem; ita quod ex eo dependet ipsa salus. Et omnes Theologi, qui docent salutem paruulorum pendere ex hoc voto Eucharistiæ, fateri tenentur hoc secundum assertum, & quidem maiori ratione: quoniam ille locus Ioan. 6. Nisi manducaueritis &c. Ex quo potissimum colligitur salutem paruulorum necessariam dependentiã habere ex voto Eucharistiæ maiorẽ vim habet in adultis: quia negari non potest Christum Dominum in illo loco loqui cum adultis; cum tamen probabiliter possit dici, quod sermo Christi in illo loco non pertinet ad paruulos.

Tertio supponendum est, quod realis sumptio Eucharistiæ, sicut non est necessaria paruulis, ad salutem, ita neq; necessaria est adultis ad primam salutem; & probatur eadem ratione, qua probatum est de paruulis: quia secundum fidẽ baptismus sufficiens est ad regenerandum adultum in vita spirituali, & ad incorporandum illum Christo, ergo prima salus haberi potest ab adultis per solum sacramentum baptismi absq; reali sumptione Eucharistiæ, simile argumentũ fieri potest de prima salute, quæ habetur per sacramentum pœnitentiæ, etenim hoc sacramentum per se est sufficiens ad reparandam salutem, quæ post baptismum susceptum fuit deperdita per peccatum mortale, ergo potest inchoare primã salutem absq; reali susceptione Eucharistiæ.

Ale & Ales. *D. Bonau.* *Durandus.* *Paludanus* *Gabriel.* *D. Thomas.*

His suppositis de proposita difficultate sunt duæ sententię oppositæ, prima negatiua, quam docent Alex. de Ales. p 4. q 81. m. 2. art. 4. §. 1. q. 1. & 4. D Bona. in 4. d. 12. p. 2. ar. 2. q. 1. Dur. d. 9. q. 3. Palud. q. 1. & Gabriel lect. 87. in can. D. Thom. in 4. d. 9. q. 1. ar. 1. quæstiun. 2. Cai. 3. p. q. 73. ar. 3. & Decanus Louaniẽsis ar. 15. paulo post principium. Omnes isti Doct. fatentur quod Eucharistia est posita in præcepto diuino, & omnes fatentur, quod est necessaria præcepto positiuo Ecclesiæ; negant tamen illam esse necessariam ad salutem ex parte effectus, id est necessitate finis. *Caiet.* *Decan.*

Fundamenta huius sententię sunt primo; quia illud sacramentum quod præsupponit gratiã in recipiente non est simpliciter necessarium ad salutem; sed Eucharistia cum sit sacramentum viuorum præsupponit per se gratiam in suscipiente, ergo &c. probatur maior. Gratia est sufficiens dispositio ad vitam æternam (est. n. semen gloriæ) sed sacramentũ, quod præsupponit dispositionem sufficientem ad gloriã, nô est simpliciter necessarium ad gloriam consequendam: quia psupponit oia, quæ sufficiũt ad côsecutionẽ gloriæ ergo &c.

Secundo. Nutritio non est simpliciter necessaria ad vitã spiritualem, sed Eucharistia per se ordinatur ad spiritualem nutritionem animæ, ergo &c. probatur maior, in vita corporali nutritio ex eo solum est necessaria, quia requiritur ad reparandum id, quod ex humido radicali minuitur per actionem caloris naturalis; sed vita spiritualis nullam patitur diminutionem; qualitas enim spiritualis non minuitur, sed vel tota manet, vel tota deperditur, ergo non requiritur necessario spiritualis nutritio in vita animæ.

Præterea tertio Sacramentum Eucharistiæ nô est necessarium ad inchoationẽ gratiæ, quin potius præsupponit gratiam habitam vel per baptismum, vel per sacramentũ pœnitentię, neq; ad perseuerandum in gratia, ergo nulla ratione est necessarium, simpliciter ad salutẽ. prob. ꝙ secũdam partẽ antecedẽtis; si perseuerantia in gratia esset proprius effectus huius sacramenti, sequeretur manifeste, quod omnis qui susciperit digne hoc sacramentũ maneret confirmatus in gratia quia suscipit effectũ huius sacramenti, consequens est falsum, ergo & antecedens & confirmatur quia in ecclesia antiqua, antequam esset institutum hoc sacramentum, multi homines iusti perseuerarunt in gratia; ergo perseuerantia in gratia non est proprius effectus huius sacramenti, neque ad illum effectum necessaria est Eucharistia.

Item quarto. Necessitas huius sacramenti ex nullo loco scripturæ efficaciter colligitur, ergo sine fundamento asseritur. Probo antecedens; Nam si ex aliquo loco posset colligi esset ex illo Ioan. 6. Nisi manducaueritis, &c. Sed hic locus non intelligitur necessario de manducatione sacramentali: pôt. n. probabiliter explicari de spirituali mãducatione, quæ fit per fidẽ viuã, quemadmodũ illũ explicat D. Aug. tr. c. 26. in Ioan. & in epist. ad Bonifaciũ, & refertur de conc. d. 2. c. nulli; & à D. Thom. 3. p. q. 65. art. 4. ad 2 & q. 73. art. 3. ad 1. *D. Aug.* *D. Tho.*

Secunda sententia opposita, quæ est affirmatiua habet et graues Authores pro se. Illam docent Sotus. d. 8. q. 1. ar. 3 Petrus à Soto in suo Pastorali in tract. de Euchar. lect. 9. Roffensis. Claudius, & Alanus. Illam insinuant Hosius in lib. defensionis fidei c. 42. & in dialogo de côione sub vtraq. specie, & vr̃ eam docere expresse, D. Thomas. 3. p. q. 80 ar. 11. ad 2. vbi inquit, quod adultis vtrumq; sacramentũ est simpliciter necessariũ ad salutẽ & baptismus, & Eucharistia; & ponderandum est, quod D. Thomas necessitatem Eucharistiæ æquauit in adultis necessitati baptismi; sed baptismus est per se necessarius necessitate medij, ergo id ipsum sentit D. Thomas de Eucharistia. *Sotus.* *Petrus à Soto.* *Roffens.* *Claud.* *Alanus.* *D. Thom.*

Pro resolutione sit hæc conclusio. Eucharistia est per se necessaria adultis ad conseruationem gratię necessitate finis in re, vel in voto; ita quod conseruatio gratiæ per se pendet ab Eucharistia, vel eius voto, non tamen est necessaria ad inchoandam vitam gratiæ. obser. est tamen quod in hac conclusione, & in tota disputatione de adultis loquimur de voto Eucharistiæ, quod respicit ipsam per modum causæ efficientis, in quo voto confertur specialis gradus gratiæ sacramenti Eucharistiæ. Quo supposito secunda pars côclusionis non eget probatione: constat. n. ex his, quæ præmisimus ad hanc disputationem de adultis illam esse certam in fide prima vero pars côclusionis probatur primo ex illo testimonio Ioan. 6. Nisi manducaueritis &c. & ex alijs multis, quę Christus dixit in illo cap. In quibus docet Eucharistiã esse necessariam ad habendam vitã spiritualem in nobis, & ad consequendam vitam æternam. (Præsupponimus. n. id quod grauissime probauimus infra Christũ Dñm in hoc c. Sermonẽ facere de sacramento Eucharistiæ) Tunc sic Eucharistia est necessaria ad vitã spiritualẽ, vt inquit Xp̃s in hoc c. Sed nô est *Conclus.*

-necef-

necessaria ad eius inchoationem vt modo dicebamus, ergo ad eius conseruationem. Sed dices forsan Eucharistiam esse necessariam, ad conseruationem vitæ, & hoc efficaciter intelligi ex illo cap.6. non tamen est necessaria necessitate finis, sed necessitate diuini præcepti, quod Christus imposuit in illo loco.

Contra hanc responsionem arguitur primo, ex ipsis verbis Christi, quæ aperte designant Eucharistiam esse necessariam propter effectum spiritualem, quē causat in anima intrinsece conseruans vitam eius. Inquit enim Christus, qui manducat me, viuet propter me; sed necessarium, quod desumitur ex effectu, est necessitas medij, & non sola necessitas præcepti, ergo &c.

Secundo arguitur. Christus imposuit præceptū sumendi Eucharistiam, & non imposuit præceptum recipiendi quædā alia sacramenta. v.g. confirmationis, & extremæ vnctionis; sed hoc non est ob aliud, nisi quia Eucharistia ex diuina institutione est per se necessaria ad salutē necessitate medij, quam necessitatem non habent sacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis. Et confirmatur; quoniam alia sacramenta; quæ ex diuino præcepto sunt necessaria ad salutem, sunt etiam necessaria necessitate finis, vt sunt baptismus, & pœnitentia; ergo signum est quod illa sola sacramenta sunt necessaria ad salutem necessitate diuini præcepti; quæ instituta sunt à Christo vt media necessaria ad ipsam salutem, atq; adeo hoc ipsum dicendum est de ipsa Eucharistia.

Secundo probatur cōclusio ratione à priori, effectus proprius sacramenti Eucharistiæ est per se necessarius ad conseruandam vitam animæ, ergo Eucharistia est per se necessaria necessitate finis ad eamdem conseruationem; consequentia patet: quoniam ex hoc colligimus baptismum esse necessariū necessitate medij ad vitam animæ: quia eius effectus proprius est necessarius ad inchoandam istam vitā, similiter colligimus sacramentum pęnitentiæ esse necessarium necessitate medij: quia eius effectus est simpliciter necessarius ad reparandam vitam animæ: antecedens vero probatur, proprius effectus Eucharistiæ est nutritio, & refectio vitæ spiritualis; sed iste effectus necessarius est simpliciter ad conseruandam vitam spiritualem, sicut refectio, & nutritio corporalis est simpliciter necessaria ad conseruandam vitam corporalem.

Conc. Florē. Confirmatur ex Concil. Florent. loco citato dicēte, quod ad omnem effectum, ad quem operatur cibus materialis in vita corporali, operatur hoc sacramentum in vita spirituali.

Conc. Trid. & Concil. Trident. sess.13.c.2. inquit quod voluit Christus sumi hoc sacramentum tanquam spiritualem cibum animarum, quo alantur, & cōfortentur viuentes vita eius, qui dixit. Qui manducat me; & ipse viuet propter me; & vt spirituale antidotum, quo à culpis quotidianis liberamur, & præseruamur à malis mortalibus; at iste effectus, quem ista Sacra Concilia nobis explicant, est simpliciter necessarius ad conseruandam vitam gratiæ, ergo &c.

Confirmatur secundo. Nam Sancti Patres illa verba Orationis Dominicæ Panem nostrum quotidianum explicāt de hoc pane sacramentali, qui idcirco, quotidianus vocatur: quia quotidie nobis necessarius est ad cōseruandam vitam animæ, sicut panis materialis ad conseruandam vitam corporis. Ita Cyprianus in explicatione orationis Dominicæ.

D. Cyprian. D. August. D. August. in epist.121. vbi inquit. hæc verba orationis Dominicæ intelligēda esse de hoc sacramento fideliū, quod hoc tempore est necessarium, non ad huius temporis; sed ad fœlicitatem æternam consequendam.

Circa quæ verba D. August. obser. est; quod cum vita spiritualis non finiatur cum corporali vita, sed tunc potius perficiatur, & cōsummetur, conseruatio spiritualis vitę, quæ fit per istud sacramentum non terminatur in isto sæculo, quin potius per se ordinatur ad continuandam vitam spiritualē huius sæculi, cū perfectione & cōsummatione eiusdē vitę, quæ habetur in futuro sęculo, & ob hāc causam Eucharistia appellatur viaticum, & quidem necessarium ad salutem, vt

Conc. Nicæ. appellatur à Concilio Nicęno. 1.c.13. & quod virtute Eucharistiæ vita hominis, quę habetur in hoc sęculo, coniūgatur cū assecutione æternæ vitæ; & hoc insinuauit Christus Ioan.6. ibi. Qui manducat meam carnem, & bibit meū sanguinem, habet vitam æternam. Et communiter Sancti Patres propter eamdem causam docent hoc sacramentum esse necessarium ad vitam æternam.

Clemens. Ad hoc est testimonium D. Clementis lib.8 Apostolicarum traditionum, c.14. Vbi inquit Christum instituisse hoc sacramentum, vt sit nobis in salutem, in custodiā pietatis, in vitam futuri sęculi. In salutem dicit ratione primæ gratiæ; quia vt diximus est causa finalis primæ salutis, & primæ gratiæ collatæ per baptismum & pœnitentiam. In custodiam pietatis dicit propterea: quia requiritur ad custodiam, & seruandam gratiam habitam per baptismum, & pęnitentiam. Denique vitam futuri sæculi dicit; quia vitam gratiæ taliter conseruat, quod deducit illam vsq; ad coniunctionem cum æterna vita futuri sæculi.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur, & ad primum dico, ꝙ ex eo quod Eucharistia pręsupponit vitam animæ, colligitur quidem eam non esse necessariam ad inchoandam salutem; non tamen quod non sit necessaria ad eius conseruationem, & continuationem.

Ad secundum nego antecedens, & ad probationem dico, argumentum efficaciter probare, quod nutritio spiritualis, quæ fit per Eucharistiam, non fit eodem modo, quo fit nutritio vitæ corporalis, & tamen vere nutritio, & ea quidem necessaria ad conseruationem vitæ spiritualis: qm̄ licet spiritualis vita non minuatur ſm substantiam, minuitur tamē quantum ad feruorem charitatis, & quo ad effectum spiritualium bonorum, quatenus cōcupiscentia excitat quasi ab intrinseco nimium affectum ad res sensibiles, & causat innumera peccata venialia, quæ disponunt animam ad peccādum mortaliter, & ex cōsequenti ad amissionem spiritualis vitę. Quatenus ergo Eucharistia reparat hoc malum, quod fit à concupiscentia circa vitam spiritualem, proprie dicitur nutrire vitam animæ, & nutriendo eam conseruare, & conseruādo nutrire. Ex hoc sequitur primo, quod nutritio, quæ fit per Eucharistiam, per se expostulat, quod simul fiat cum nouo augmento, & perfectione gratiæ: quia non fit reparando id, quod diminutum est ex substantia ipsius gratiæ; Vnde fieri debet augendo, & perficiendo ipsam gratiam. Secundo sequitur, quod gratia per Eucharistiam collata, quamuis non videatur necessaria ad salutem ea ratione qua auget, & perficit vitam spiritualem qm̄ augmentū, & perfectio potius videtur pertinere ad melius esse, quam ad simpliciter esse, est tamen necessaria ad salutem, quatenus perficit vitam reparando ipsam, & præseruando a tali defectu.

Ad tertium nego antecedens pro prima parte, & ad probationē dico, quod (vt inquit D. August. in lib. de perfectione iustitiæ) duplex est facultas ad perseuerādum in gratia, altera per quam homo potest perseuerare si velit, ita quod datur vis ad seruanda omnia mandata etiam collectiue si ipse velit; non datur tamen illud, quod velit de facto, & ineffabiliter. Hanc facultatem inquit August. habuit Adam in statu innocentiæ, & nos dicimus, quod similem facultatem, (licet alio modo) pręstat nobis Eucharistia, si non tantū semel, sed sępius percipiatur. Altera facultas est, quæ solet appellari magnum donum perseuerantię, per quod non solum datur ius ad perseuerādum, sed & perseuerare si homo velit, hanc perseuerantiam non consequimur ex sola sumptione Eucharistiæ, sed indigemus alio speciali auxilio.

D. August. Facultas perseuerandi in gratia est duplex.

Ad confirmationem dico, quod ante institutionē Eucharistiæ per alia media. s. per officia virtutum cōferebat Deus omnibus iustis vim ad perseuerandum in gratia, quam iā vim in statu legis Euāgelicæ alligauit Christus huic alimēto spirituali; Et si dicas etiam in statu legis Euangelicæ per officia virtutum augetur huiusmodi gratia ex merito operantis, ergo etiam sufficiunt vt homo conseruetur in gratia.

Suarez. Dicit Suarez. tom.3. q.73. disp.40 sect.2. quod ex institutione Christi opera virtutum habent, quod sint meritoria augmenti gratiæ, quatenus includitur in illis votum implicitum Eucharistiæ. Sed hæc doctrina est voluntariè conficta: quoniam nulla ratione fundari potest, quod per quodcumque opus virtutis participet homo iustus proprium effectum specialem sacramenti Eucharistiæ. Præterea hęc sententia magna ex parte tollit necessitatem Eucharistiæ.

Vnde aliter respondetur, quod si homo perseueret in officio aliarum virtutum absq; dubio cōseruabitur in gratia, sed tamen vt perseueret in hoc officio, eget refectione huius spiritualis nutrimenti, alias deficerent illi vires spirituales. Præterea sicut Adamo in statu innocentiæ suppetebant quā plures cibi, sed tamen non erant sufficientes ad conseruandam vitam eius in perpetuum, nisi vteretur ligno vitæ; Ita in proposito licet alia multa media suppetāt nobis ad cōseruandam vitam animæ; omnia tamen deficientia erunt,

nisi adiuuemur hoc sacramentali alimento. Vnde optima ratio Eucharistiæ ab Innocentio lib. 4. de mysterijs Missæ. c. 44. dicitur, quod fuit figurata per illud lignum vitæ.

Innocentius.

Ad quartum nego, quod necessitas huius sacramenti nō intelligatur ex illo testimonio Ioann. 6. vt diffuse demonstrat Catharinus in annotationibus contra Caietanum, & Bellarmin. lib. 3. de Eucharistia.

Catharinus *Bellarmin.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum statim, quòd homo adultus iustificatus est, vel per Baptismum vel per pœnitentiam teneatur habere votum Eucharistiæ.

HÆc difficultas petit, quo tempore instet necessitas sumendi Eucharistiam, quod est satis difficile disputandum, quia in hac disputatione duo inuoluuntur, alterum pertinet ad votum, quo tempore. s. sit necesse habere votum, & desiderium sumendi Eucharistiam. Alterum vero pertinet ad realem Eucharistiæ sumptionem; quo videlicet tempore sit necessaria necessitate medij: Nam in præsentia non loquimur de necessitate præcepti; Verum est quod necessitas diuini præcepti tota pendet ex necessitate medij, atq; adeo quod dicimus de necessitate medij proportionabiliter erit dicendum de necessitate præcepti.

Quoad primum quidam ex Theologis, qui admittunt conclusionem præcedenti art. dicunt quod adultus statim, quod iustificatus est, vel per baptismum, vel per pęnitentiā, tenetur habere votum, & desiderium Eucharistiæ. Tenetur enim habere votum perseuerandi in illa gratia, & iustitia, quam per hæc sacramenta adeptus est. In hac autem voluntate implicite includitur votum sumendi Eucharistiā, quatenus Eucharistia instituta fuit à Christo, vt instrumētum conseruatiuum gratiæ, & iustitiæ spiritualis.

Hæc tamen sententia mihi non placet: primò quoniam præsupponit, quod statim vt quis iustificatur teneatur habere explicitam voluntatem conseruandi iustitiam, & gratiam habitam; hæc autem obligatio sine causa introducitur ab his authoribus: nam supposito, quod quis velit baptizari, aut sumere sacramentum pęnitentiæ hoc animo, vt constituatur in amicitia Dei cum voluntate seruandi totam legē: postquā suscipit hæc sacramenta & iustificatur, satis illi fuerit, quod non mutet hanc voluntatem, sed perseueret in illa per modum habitus, & non est necesse, quod post iustificationem statim renouet eamdem actualem voluntatē: quoniam non inuenitur præceptum, neq; diuinum, neq; positiuum, quo præcipiatur hæc actualis voluntas, ergo &c. Et confirmatur: nam experimento constat, quod cum quis attritus iustificatur per sacramentum pœnitentiæ, non statim post susceptionem sacramēti explicat huiusmodi actualem voluntatem, sed per modum habitus manet contritus, & oppositū asserere esset inijcere scrupulos sine causa; ergo &c.

Secundo probatur, esto admittamus huiusmodi voluntatem illa non debet appellari implicitum votum Eucharistiæ, cui correspondeat proprius effectus sacramenti Eucharistiæ: Nam vt supra dixi; Votū Eucharistiæ, cui correspondet hic effectus per se loquendo debet esse votum explicitum; & explicitum desiderium sumendi Eucharistiam tanquam sacramentum institutum ad causandum hunc effectum; at in illa voluntate non explicitum, sed implicitum tantum includitur votum Eucharistiæ per se loquendo: ergo &c. Confirmatur: quoniam hæc voluntas, quæ vt putant isti authores, concomitatur gratiam & iustitiam, nō est specialis affectus & deuotio sumendi Eucharistiam; ergo ratione illius non consequitur proprius effectus, & specialis gradus gratiæ sacramenti Eucharistiæ.

Hac ergo opinione reiecta existimo ita dicēdū esse, quod licet cibus corporalis, quamuis simpliciter dicatur necessarius ad conseruandam vitam corporis, non tamen est necessarius pro quolibet instanti vitæ: Nam per aliquod tempus potest conseruari vita absq; sumptione alimenti; verum est tamen quod si multum differatur non bene se habebit vita, & tandem deficiet. Ita hoc alimentum animæ spirituale, quamuis simpliciter debeat appellari necessarium per se loquendo ad continuandam vitam animæ, non tamen instat eius necessitas pro quolibet instanti; sed per aliquod tēpus poterit conseruari, vita animæ absque isto alimento. Si tamen diu differatur peribit hæc vita, & tali homini continget illud, quod dicit Dauid in psal. 101. Aruit cor meum; quia oblitus sum comedere panem meum.

Si autem quæras, quot diebus possit homo conseruari in vita spirituali absq; sumptione Eucharistiæ in voto? Respōdeo, quod sicut in natura corporali nequit assignari certa regula, quot diebus vita corporalis absq; sumptione alimenti conseruetur, nam in vno subiecto maiori tempore poterit conseruari, quam in alio propter diuersam subiecti dispositionem; ita in præsentia vnus homo iustus dici poterit perseuerari in gratia absq; isto alimento spirituali, quam alius, eoq. vel ex naturali dispositione, vel ex concupiscentia minus effrenata, & vt minus prona ad malum in vno, quàm in alio, & pluribus tentationibus siue internis, siue externis concutitur vnus, quam alius. Illa autem erit generalis regula seruanda, quod cum homo experitur se valde tepidum esse, & difficilem ad officia virtutum, & ad obseruantiam præceptorum legis, instat illi necessitas sumendi hoc speciale alimentum siue in re, siue in voto; neq; satis fuerit semel in vita vti hoc alimento, sed quam sepius instat eius necessitas, sicut necessitas alimenti corporalis ad cuius proportionem Sacra Concilia Floren. & Triden. locis citatis explicant nobis effectum huius spiritualis alimenti. Hac ratione existimo inductam fuisse Sanctam Matrem Ecclesiam ad præcipiendum cuncto populo, vt omnibus Dominicis, & festis diebus audiret rem Sacram, vt non solum cum sacerdote sacrificante ipse populus sacrificet, sed vt sacerdote sacramētum suscipiente hoc alimentum spirituale populus excitetur in specialem effectum, & deuotionem huius sacramenti, & ita spiritualiter eius fructum, & vtilitatem percipiat.

Ex dictis, sequitur primo nostram conclusionem præcedentis articuli ita esse intelligendam, quod Eucharistia in re, vel in voto necessaria est ad conseruandam vitā aīæ non pro singulis instantibus huius vitæ, sed vt perseueret in homine; ita vt cōtinuatione perueniat, vsq; ad statum gloriæ.

Sequitur secundo, quod in aliquo casu, quod accidens cōtingenti poterit quis consequi gloriam absq; sumptione Eucharistiæ in re, vel in voto, patet ex dictis: quoniam in illo tēpore breui pro quo non instat necessitas huius sacramenti, poterit cōtingere, quod homo iustus moriatur repentina morte, & consequatur salutem; cum tamen neq; in re, neq; in voto prius susceperit Eucharistiam; sed iste casus est per accidens in ordine gratiæ, nostra autem conclusio per se intelligenda est. Dixi morte repentina: quoniam si ille cognosceret se constitutum esse in periculo mortis teneretur sumere Eucharistiam tanquam necessarium medium, & viaticum: quia tūc potissimè instat huius sacramēti necessitas.

Quoad secundum, loquendo de necessitate realis sumptionis, omnes tenemur fateri, quod vt minimum instat necessitas huius sumptionis semel in anno; propter ecclesię pręceptum. Sed dicunt quidam Theologi grauissimi, quod præter istum casum, tres alij sunt assignandi in quibus instat necessitas sumendi Eucharistiam. Primus est articulus mortis. Secundus quādo quis alijs medijs, & remedijs adhibitis ad euitandum periculum peccati mortalis, experitur se adhuc persistere in hoc graui periculo, tenetur realiter sumere hoc sacramentū vt confortentur vires animæ. Tertius est, quando nulla se offert causa rationalis, & verisimilis ad differendam sumptionem realem Eucharistiæ, instat etiam necessitas diuini præcepti illam sumendi.

In duobus primis casibus hæc sententia est certissima; de tertio autem casu vehementer dubito: videtur enim nimium scrupulosus. Vnde existimo dicēdum, quod si nulla staret lex Eucharistiæ, quæ determinaret tēpus percipiēdi Eucharistiam, iste tertius casus forsan esset admittendus: quoniam si homini iusto, qui prius habuit votum sumendi Eucharistiam, se offert talis occasio sumendi illam, vt nulla apparet rationabilis causa differendi in aliud tempus, si differat videtur aperte discedere à voto, quod prius habuerat, & cuius virtute fuerat conseruatus in gratia, atque adeo facit contra diuinum præceptum.

Caterū supposita lege, & determinatione ecclesiæ, quæcumque occasio se offerat suscipiendi Eucharistiam, quamuis nulla appareat rationabilis causa in aliud tempus differendi sumptionem eius, sufficiet ad euitandum culpā mortalem, quod homo velit expectare tempus ab ecclesia determinatum; & conformare se cum illa determinatione communi ecclesiæ; & hæc causa sola erit censenda rationabilis ad huius dilationem ista sententia colligitur ex doctrina Caiet. 3. p. q. 80. art. 11. & Soti loco supracitato.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum Eucharistiæ sacramentum siue in re, siue in voto, sit adeo necessarium ad salutem vt sacramentum baptismi.

RAtio dubitandi est: quia ex eo quod Christus Dominus Ioan. 3. dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei, colligit ecclesia baptismum esse simpliciter necessarium ad salutẽ; sed similiter Christus Ioan. 6. dixit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. ergo colligere debemus ex istis verbis sacramentum Eucharistiæ tam necessarium esse ad salutem, quam sacramentum baptismi.

Conclusio. Nihilominus dicendum est, sacramentum Eucharistiæ quantum ad proprium effectum, quem effectiue causat neque in re, neque in voto esse tam necessarium ad salutem, atque sacramentum baptismi. hæc conclusio colligitur ex dictis in superioribus articulis, ex quibus constat Eucharistiæ sacramentum non esse necessarium ad inchoandam vitam animæ, & quod vita inchoata per aliquod breue tempus potest conseruari absque hoc sacramento, & absque speciali eius effectu: ergo cum sacramentum baptismi sit simpliciter necessarium in re vel in voto ad inchoandam vitam animæ, optime colligitur veritas huius conclusionis.

Sed quæres, vtrum Eucharistia quatenus per modũ causæ finalis concurrit ad causandam inchoationem vitæ spiritualis, tantam habeat necessitatem, atque baptismus. Respondeo quod Eucharistia hac ratione est simpliciter necessaria ad salutẽ, sed baptismus speciali modo necessarius est, tum quia pro paruulis est simpliciter necessarius in re, pro adultis vero in re, vel in voto explicito per se loquendo. Verum Eucharistia, neq; est necessaria in re ad inchoandam vitam, sed tãtum in voto, & eo quidem implicito per se loquendo, ut supra diximus. Tum etiam quia inchoatio vitæ est proprius effectus baptismi, nõ autem Eucharistiæ, etiam vt concurrit in genere causæ finalis: quoniam Eucharistia est finis non solum gratiæ baptismalis inchoantis vitã animæ, sed cuiuscumque gratiæ collatæ per cætera sacramẽta; vnde inchoatio vitæ est effectus communis Eucharistiæ in genere causæ finalis.

Ad rationem dubitandi dico, quod ex illo loco Ioan. 6. colligitur quidem necessitas simpliciter, & per se Eucharistiæ, non tamen eadem, & tanta necessitas, quãta colligitur baptismi ex illo loco Ioan. 3. eo quod Eucharistia asseritur necessaria ad salutem per modum alimenti; baptismus autem asseritur necessarius per modum regenerantis, & inchoantis vitam animæ; necessitas autem alimenti non est tam necessaria ad vitam, sicut necessitas generantis.

Sed dices in extrema necessitate si adest facultas suscipiẽdi Eucharistiam tenemur illam suscipere, vel vt minus tenemur habere votum, & desiderium eius, alias non poterit haberi salus æterna: sed eodem modo dicunt Patres, & Cõcilia de sacramento baptismi, quod si adest eius copia tenemur illud suscipere vrgente necessitate, si vero copia deest sufficit votum baptismi in adultis, qui possunt habere votum eius; ergo eadem omnino necessitas est ad salutem vtriusque sacramenti.

Præterea sicut baptismus institutus est ad regenerationẽ spiritualem efficiendam; ita Eucharistia ad nutritionem animæ spiritualem; sed sicut regeneratio est necessaria ad inchoandam vitam; ita nutritio necessario requiritur ad ipsam conseruandam, ergo sicut baptismus est simpliciter necessarius, ita & Eucharistia.

Ad hæc dico, quod tantum probant, Eucharistiam in re receptam, aut in voto explicito non esse necessariam ad inchoandam vitam, esse tamen per se necessariam ad eius cõseruationem, & continuationem, vsque ad æternam vitam.

Contra. In Eucharistia olim fuit vsus probatus a grauissimis patribus conferendi Eucharistiam paruulis recenter baptizatis, ergo communis intelligentia ecclesiæ, & patrum fuit, hoc sacramentum esse simpliciter necessarium ad salutem; consequentia videtur nota; quia communicatio in paruulis ante vsum rationis non potest fieri, nisi cum graui periculo irrogandi irreuerentiam huic sacramẽto; ergo si patres non intellexissent, hoc sacramentum esse simpliciter necessarium ad salutem etiam paruulis, minime probassent istum vsum; antecedens asseritur à Dionysio in lib. de ecclesiastica hierarchia, cap. 2. & 7. & huius antiquæ consuetudinis meminit Concilium Tolet. 2. c. 2. & vsus ille durauit vsque ad tempora D. Gregorij, ut patet in eius Missali; vbi præcipitur, quod paruulis baptizatis Sabbato sancto continuo ministretur Eucharistia; De hoc Missali D. Greg. videndus est Claudius Saynth. in lib. de Eucharistia repet. 6. cap. 7. ergo, &c. *D. Dionys.* *Conc. Tolet.* *Claudius.*

Ad hoc dico pro nunc ex Concilio Trident. sess. 21. c. 4. quod ille vsus non fuit vniuersalis in ecclesia, neque vnquã habitus fuit à Patribus tanquam necessarius ad salutem paruulorum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Eucharistiæ sacramentum sit necessarium necessitate præcepti diuini, & obliget omnes homines.

VSque modo locuti sumus de necessitate medij seu finis, nunc videndum est de necessitate præcepti, & quia duplex est huius sacramenti præceptum. s. diuinum, & ecclesiasticum. de vtrisque agendum est, & primum de præcepto diuino; de quo videndum est quas personas obliget, & de hoc erit sermo in præsenti art. & quando obliget in sequenti art.

Quoad primum supposito præceptum communicandi iure diuino esse à Christo Domino latum prout illum locum Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, &c. exponũt omnes Patres Origenes hom. 16 in Num. Cyprianus lib. de cœna Domini; in lib. de orat. Dominica & lib. 1. contra Iudæos, cap. 22. Hilarius lib. 8. de Trinit. Basilius in Regulis moralibus, regula 21. cap. 1. Chrysost. homil. 45. & 46. in Ioan. Epiphanius hæresi. 55. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 5. & lib. 6. c. 1. & lib. 4. de fide, c. 5. Aug. lib. 1. de peccat. merit. c. 20 & 24. & lib. contra Iulianum, ser. de verbis Apostol. Hieronym. in Comment. in 1. cap. epist. ad Ephesios. Greg. Nissenus in Ecclesiasten, & libro de perfecti Christiani hominis forma. Cyrillus sup. Ioan. c. 6. Leo ser. 6. de ieiunio septimi mẽsis; Theophylactus, Euthy. Rupert. in c. 6. Ioan. mitto Recentiores; & addo Cõcilium Ephes. in epist. ad Nestorium, Trident. sess. 13. c. 2. Concil. Cabilon 2. c. 46. & Concilium Senon. c. 10. Quos Patres & Concilia adduxisse volui: quia nedum hæretici, sed quod mirum mirantur Catholici quidam nescio qua imprudentia se hæreticis iunxerunt, vt contra scripturæ sensum, cõtra patrum omnium interpretationem, contra expressum totius ecclesiæ consensum dixerint, atque contenderint in eo loco Ioan. 6. de Eucharistiæ sacramento nõ agi. Quod vt benignissime dicam est temerarium; Nam idem Christus ijsdem verbis, eadem occasione, cum ijsdem personis, id est, Iudæis loquens dicit Ioan. 6. Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis; & cap. 3. Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Tam est igitur temerarium negare agi Ioã. 6. de Eucharistia, quam Ioan. 3. agi de baptismo, quod soli hæretici negant. Quapropter audacius nunc repeto, quod dixi neminem sine temeritate posse à tot Patribus in re tam graui dissentire, grauioribus condemnarem verbis, nisi cõpertum haberẽ homines bene catholicos errore magis animi, quam vitio in hæreticorum sententiam impegisse. Neque equidem intelligo vbi Trident. Concilij decretũ sess. 4. valere debeat; Ne quis contra vnanimem Patrum consensũ scripturas sacras interpretetur, si hic non valet, vbi de re agitur inter nos, & hæreticos maxime controuersa supposito ergo Christum Dominum Ioan. 6. præceptum de hoc venerabili sacramento tulisse. *Origenes.* *Cyprianus.* *Hilarius.* *Basilius.* *Chrysost.* *Epiphan.* *Ambrosius.* *August.* *Hieronym.* *Greg. Niss.* *Cyrillus.* *Leo Papa.* *Theophil.* *Euthymius* *Rupertus.* *Conc. Ephe.* *Conc. Trid.* *Conc. Cab. &* *Cõc. Senon.*

Conclusio. Dico primo omnes adultos baptizatos, qui ratione vti possunt hoc præcepto obligari: quia omnes sunt capaces huius sacramenti, & effectus eius, & possunt ad illud recipiendum per proprium actum disponi.

Sed dubium est primo de hominibus nondum baptizatis, siue fideles sint vt catechumeni, siue infideles. Sotus d. 12. q. 1. artic. 3. negat eos obligari hoc præcepto: quia ante baptismum solum baptismi præceptũ obligat, & nõ aliud. Sicut præcepta Religionis ante illius professionẽ non obligant qui ex voto tenentur Religionem ingredi: & confirmatur *Sotus.*

matur, quia præceptum Confessionis non obligat ante baptismum, ergo neque communionis.

Suarez. Suarez vero, tom. 3. q. 80. artic. 3. disp. 69. sect. 2. existimat hoc præceptum omnes absolute obligare etiam non baptizatos, & infideles: quoniam, inquit, verba Christi sunt generalia. Nisi manducaueritis, &c. Non enim loquitur solum ad fideles, seu Christianos homines, sed simpliciter ad omnes, quia audiebant, & per eos ad omnes, qui quouis tempore, & loco futuri erant. Rursus potestas Christi ad leges ferendas omnes complectitur: est enim diuina, & vniuersalissima. Vnde infert; quod si catechumenus in fine vitæ baptismum, & Eucharistiam voluntarie omittat duo peccata committit: quia duo diuersa præcepta diuina, per se obligantia violat.

Et si quæras, an si communicet, & nõ baptizetur impleat hoc diuinum præceptum communionis; dicit quod vtique sed valde materialiter: nec illi ad culpam vitãdam deseruit, nam grauius sic sumendo deliquit: quam si omnino non sumeret. Vnde ad fundamentum Soti dicendum est assumptum esse falsum: Nam præcepta diuina obligare possunt etiam ante baptismum si aliunde non sit speciale impedimentum, vt patet de præcepto credendi explicite incarnationem, & Trinitatem, & de præcepto ipsiusmet baptismi, & eadem est etiam ratio de cæteris, vnde Scotus infra, Richardus, & Adrianus docent præceptum confessionis obligare infideles ante baptismum; Nec est simile illud de Religione, quod Sotus affert: quia illa tantum sunt vel humana statuta: quæ solum obligant membra illius politici corporis, quæ per professionem vniuntur; vel oriuntur ex speciali voto, quod non obligat donec emittatur. Ad confirmationem nego consequentiam: quia non baptizatus nõ habet materiam confessionis, neque est capax illius etiamsi baptizaretur: quia neque etiam tunc cõfiteri potest donec aliquis post baptismum peccet; sicut autem non potest quis obligari ad peccandum post baptismum, ita non potest obligari ad cõfessionem ante baptismum; sed de hoc magis in materia de pœnitentia.

Scotus. Richardus. Adrianus.

Secundo dubitatur de infantibus, & de perpetuo amentibus cuiuscumque sint ætatis; de quibus dico, quod hoc præcepto minime comprehenduntur: quia clarum est omnes, vel non esse capaces, vel certe excusari ab obligatione. Sed quæres, an ecclesia teneatur illis hoc sacramentum dare. Dico resolute, quod non; ita definit Conc. Trid. sess. 21. c. 4. Nam licet solum dicat hoc paruulos nulla necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, tamen intentio eius manifesta est infantes non obligari eo modo, quo obligari possunt, s. aut necessitate medij, aut necessitate præcepti per pastores ecclesiæ, aut per parentes suos.

Conc. Trid.

Tertio dubitatur de adultis, qui ratione vsi fuerunt, iam vero in phrenesim, vel amentiam inciderunt, de quibus si infirmitas illa non sit perpetua, seu continua, & tempore, quo durat, non occurrat necessitas, certum est non esse tũc eis dandum sacramentum; sed expectãdum tempus, vt ad saniorem mentem redeant: quia hoc debetur reuerentiæ sacramenti. Sed difficultas est, quando indispositio illa perpetua censetur, aut quando ea durante necessitas communicandi occurrit; Aliqui Theologi negant licere, vt Alexã. de Ales, p. 4. q. 11. mẽb. 2. art. 3. §. 1. q. 5. & Gabriel. d. 9. q. 2. dub. 4. Dico tamen per se non esse illicitum, vt docet Diuus Thom. 3. p. q. 80. art. 3. & patet ex Concil. Tolet. 11. cap. 11. Vbi supponitur interdum licere dari Eucharistiam his, qui à propria mente alienati sunt: quia nullo iure positiuo prohibetur, neque est per se, & ex natura sua malum. Dico, secundo, quod hoc fieri non solet ab ecclesia nisi in articulo mortis, & tunc non solum licet, sed etiam debet ita fieri à pastoribus ecclesiæ.

Ale de Ales. Gabriel. D. Tho. Cõc. Tol. 11.

Quarto loco dubium est de Energumenis, seu obsessis à Dæmone. Ad quod respondet Alex. vbi supra, quod quidã sunt Energumeni, qui peccatis suis exigentibus arreptitij facti sunt iusto Dei iudicio, de quibus accidit frequenter, q̃d prorumpunt in blasphemias, & in alia, quæ absque contumelia Dei fieri non possunt, & talibus non est dandum corpus Christi: quoniam absque periculo irreuerentiæ cõmunicare non possunt. Quidam autem energumeni sunt, qui non modicæ extiterunt religionis, qui diuina permissione ad maiorem eorum purgationem, & meritorum augmentum, quibusdam temporis interuallis vexãtur à malis spiritibus, quorum deuotio in nullo diminuitur, nec feruor refrigescit; de quibus prompta sunt exempla; Talibus quãdo se offert opportunitas dari debet, vt contra vexationes maligni spiritus fortius inualescant, & de huiusmodi intelligit Cassianus collat. 3. c. 30. vbi nonnulla miracula refert. sic etiam Timotheus Alex. in suis responsionibus, c. 3. dicit obsessos à Dæmone communicandos esse non singulis diebus, sed statis temporibus.

Ale de Ales. Cassian. Timotheus Alexan.

Dubitatur quinto. An sit Eucharistia damnatis ad mortem tribuenda. De hac re Nauar. tom. 2. Consiliorum tit. de pœnit. & remiss. consil. 40. videtur tenere partem negatiuam, si reus ad mortem damnatus sit semel eo anno communicatus. Nam ipse censet quod iure diuino semel tãtum in vita teneatur quis Eucharistiam sumere; iure autem positiuo ecclesiastico semel tantum in anno. Ex quo infert, quod esto lex diuina præcipiat semel communicare in vita, & lex ecclesiæ communicare semel in anno, neutra tamẽ obliget eum, qui semel communicauit illo anno ad communicandum in articulo mortis. Sed esto eo anno Eucharistiam non sumpserit, quid agendum? dicit, quod consuetudo Galliarum, & Hispaniarum est non dare communionem dãmnato eodem die occidendo: atque adeo arbitratur licere, iure solo scripto attento, damnato adhuc ieiuno ministrare communionem eodem mane, quo occidendus est ante tres vel quatuor horas; imo & ante vnam. Cæterum attenta consuetudine contraria in terris quibus illa viget nequaquam: quoniam per prædicta consuetudo illa nulli iuri diuino est contraria, & est rationabilis, & consequenter seruanda, etiam si sit legi humanæ contraria.

Nauar.

Cæterum oppositam sententiam tenent Angles in floribus 4. q. de suscipientibus Eucharistiam art. 9. difficul. 3. & Henricus Henriquez in summa morali lib. 8. de Eucharistia, c. 5. vbi inquit, quod iudex reo ad mortem damnato tenetur sub mortali concedere tempus communicandi, sicut habetur cap. Quæsitum 13. q. 2. vbi dicitur. Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secũdum canonicum iussum danda est, cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persoluunt, & sunt verba Concilij Moguntinensis 2. cap. 27. & Vormatiensis, c. 80. & hoc idem docent Innoc. 1. epist. 3. c. 2. ad Exuperium, & epist. 1. c. 7. & Glossa in cap. Si quis de corpore 26. q. 6. vbi explicans hæc verba canonis. Si quis de corpore exiens nouissimum, & necessarium communionis viat. cum expetit non ei denegetur, vbi Glossa explicans illud verbum necessarium. Necessarium, inquit, est ad salutem saltem, quia tollit peccata venialia, vt de cõsec. d. 2. cum omne. nec alicui negatur etiam si debeat suspẽdi in patibulo 13. q. 2. & elicitur ex Concilio Tiburiense, c. 31. Quod vtique intelligendum est nisi facinus ingens vrgeat, vt sine dilatione facinorosus debeat suspendi: Nam casus repentinus, vt suspendio vnius terreantur multi, excusat iudicem.

Angles. Henriquez. Conc. Mog. Cõc. Vorm. Innocent. I. Glossa. Cõc. Tibur.

In quo habet verum id quod dicunt Victoria. §. 25. Sotus, d. 12. q. 1. art. 11. §. ex his primum. Nauar. vbi supra, & in Manu. cap. 25. nu. 23. dicentes iudicem excusari à peccato mortali non permittendo reum communicare, licet cõsuetudinem illam reprehendant; & ratio est, quia isti, vel aliqui istorum putant in articulo mortis nõ esse præceptũ diuinum sumere Eucharistiam, sed humanum.

Victoria. Sotus. Nauar.

Verum hanc cõsuetudinem omnino reprobant Pius V. quem citat, & sequitur noua Pragmatica Philippi. 2. Catholici Hispaniarum Regis Madriti anno 1569. Mense Martij, in qua iubet communicari reos iuxta proprium motũ Pij V. quem citat & Nauar. retractans forte ea, quæ alibi dixit; monet in Enchiridio de oratione c. 22. nu. 11. consuetudinem Romanam vbique terrarum seruari debere. Ita enim scribit. Est tamen consuetudo Vrbis digna maxima Maximi Pontificis prouidentia, quam orbis imitari deberet, & damnato ad mortem denuncietur sententia post mediam noctem; vt liceat ei confiteri, & communicare ante quatuor horas quam ducatur ad mortem, & si libuerit etiam testari, vt iam corrupta tanto temporis spatio panis specie; sine vlla irreuerentia sacramẽti cum magno eius fructu moriatur semper victurus, hæc ille.

Pius V.

Dicendum ergo existimo, quo ad hanc difficultatem, suspendendis esse Eucharistiam de iure tribuendam, maxime si in iudicio crimina confessi fuerint: Nam si publice negant contra acta, & probata secundum regulas iuris diuini, atque humani, tanquam suspectis de falsitate non est Eu-

Digitized by Google

est Eucharistia conferenda, quod bene prudens confessor cognoscere poterit.

ARTICVLVS VII.

Vtrum præceptum diuinum de suscipiendo Eucharistiæ sacramento obliget tantum in mortis articulo.

D. Bonau. Paludanus. Syluester. Caietanus. Armilla. Ledesma. Victoria.

DE hac re D. Bonau in 4.d.10.ar.3.q.1. Palud.d.9.b.1.nume.16 Syluest. verbo Euchar.3.in princ. Caiet. in summa verbo communio, Armilla verbo communio. num.4. Ledesma, q.21.art.10.in fine, & Victoria in summa, nu.83. sentiunt solum esse mortale omittere Eucharistiam in mortis articulo ex contemptu. Vnde plane sentiunt per se non esse præceptum.

Cæterum probabile esse existimo iure diuino obligari hominem ad communionem per se loquendo in mortis articulo ratione illius periculi, siue prius communicauerit, siue non, & consequenter toties vt minimum obligari ad communionem, quoties in illum articulum venerit. ita sentiunt Rich.d.12.ar.6.q.1. Durãdus, d.9.q.2.at.2. Gabriel, d.9.q.1. Sot.d.12.q.1.art.11.& Pet. Soto, lect.9. de Eucharistia. Et in primis, quod huiusmodi præceptũ nunc extet, ecclesiastica cõsuetudo satis declarat. Nam ex Antiquissimis Concilijs, & Pontificibus constat semper ab ecclesia diligẽtissime curatum esse, ne morientes sine viatico decedant, ut patet ex Concil. Nicæno can.13. Tolet.11.can.18. Agatense can.11. Ancyrano can.22. Arausicano cap.13 Arelatense 2.cap.12. Aurelian.cap.24. In quibus sermo fere est ex parte Ministrorum. ex parte vero ipsorum communicantium idem habetur in Concil. Carthag.4 cap.77. & 78. quæ consuetudo ita est recepta, vt sine magno scandalo violari non possit, quod est signum grauis obligationis, meritoque suæ salutis negligentissimus, & de statu animæ suæ, vel etiam de fide suspectus haberetur, qui voluntarie in mortis articulo viaticum negligeret, est ergo hæc res grauis, & sub obligatione cadens.

Richardus. Durandus. Gabriel. Sotus. Petrus à Soto.

Concil. Nicenum. Tolet 11. Agatense. Ancyrano. Arausicano. Arelatense. Aurelianse. Carthaginẽse.

Ex huius autem consuetudinis antiquitate vlterius colligere licet eam, vt minimum esse traditionem Apostolicam: quia eius initium ignoratur, ac denique ex eius immutabilitate in Christi mãdato esse fundatam, atque adeo hæc obligatio semper prælata fuit obligationi ieiune communicandi: Nam hæc ecclesiastica est, illa diuina.

Sed quæret quis quando sit designandum hoc tempus articuli, vel periculi mortis, id est, quantum temporis necesse est intercedat inter vltimam communionem & mortis periculum, vt nouo hoc titulo periculi mortis, quis ad communionem obligari censeatur. Dico, quod homo tenetur paulo ante mortem communicare; Nam finis præcepti esse videtur, vt per communionem ad transitum ex hac vita homo se præparet, quod satis assequitur paulo ante mortem communicando; quantum autem futurum sit illud tẽpus prudentis arbitrio videtur relinquendum, vt si. v. g. octo, aut decem dierum esse censeatur, intra quos si homo communicauit non tenebitur iterum communicari etiam si mortis periculum occurrat, & hoc loquẽdo, quo ad præceptum. De consilio autem melius erit in simili euentu iterum semper in occurrente periculo communicare, etiam si tempus interceptum breue sit, v.g. præcedẽtis diei; Nam tunc licitum est per modum viatici iterum communicare post cibum, & potum: Quia ecclesia non limitauit hanc facultatem ad eos, qui ante longum, vel breue tempus non communicarunt; sed simpliciter illam concessit omnibus, qui viaticum non acceperunt; In prædicto autem casu non accepit homo Eucharistiam per modum viatici; at vero intra eumdem diem non est licita danda: quia non solum non est in vsu, sed etiam iterata communio intra eamdem diem est simpliciter ab ecclesia prohibita, vt patet ex cap. Consuluisti de celebrat. Missarum, & ex capit. Sufficit de consecrat. d. 2.

Conclusio

Dico secundo, præceptum diuinum de sumenda Eucharistia non tantum obliget in art. mortis, sed etiam ante illũ nec semel tantum, sed aliquoties in vita si tempus eius nimium breue non sit: Nam licet præceptum affirmatiuum per se non determinet tempus, ex ratione sua non habet, vt tantum in vita obliget: quia licet indefinite detur, nõ limitatur tamen ad vnum actum, seu ad vnum tantum tẽpus; sed comprehendit quicquid iuxta naturam præcepti diuersis temporibus occurrere potest secundum rectam rationem, & prudentem talis præcepti interpretationem. Exempla possunt in præcepto fidei, diligendi Deum, sacrificandi, &c. Quis enim dicat, hæc præcepta semel tantum in vita obligare ad exercendum actum fidei, vel ad amandum Deum aut ei sacrificium offerendum? ergo neque de præcepto communicandi potest hoc rationabiliter dici.

Conclusio

Dico tertio, tempora pro quibus per se, & vi sua obligat communionis præceptum, non possunt singula indiuisibiliter designari, sed prudentis arbitrio dijudicanda sunt, negatiue potius præcauendo ne talis communio nimium differatur, quam præcise determinando diem vel horam. Posset tamen probabiliter dici obligare hoc præceptum diuinum ad communicandum aliquoties in vita saltem tertio, vel quarto quoque anno: quia maior dilatio valde esset irrationabilis. Intelligitur autem hæc conclusio de laicis; nam de obligatione sacerdotum ad sacrificandum, & ad communicandum ratione sacrificij postea dicturi sumus; & de obligatione per se ratione huius præcepti, non autem de per accidens, de quomodo non loquimur. Hactenus de præcepto diuino.

3. Conclusio

ARTICVLVS VIII.

Vtrum præceptum ecclesiasticum de Eucharistiæ sacramento suscipiendo obliget singulos homines.

IN hac difficultate supponenda sunt verba legis latæ in Concilio generali Lateran. sub Innoc.3. & habentur extra de pœnit. & remiss. capit. Omnis vtriusque sexus, quæ sunt fundamentum huius dubitationis; vbi ita scribitur. Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis concilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioqui & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura.

Cõc. Later.

His verbis præmissis, dico primo hoc præceptum solum obligare fideles baptizatos. Hoc constat primo ex verbis ipsius legis; nomine enim fidelium intelliguntur illi qui fidem Christi, & ecclesiæ professi sunt per baptismum. Item hoc præceptum est pure ecclesiasticum, sed potestas ecclesiastica solum est super baptizatos: Nam de his, qui foris sunt nihil ad nos, ait Paulus.1.ad Cor.15.

1. Conclusio

Dico secundo, hoc præceptum obligare omnes, & solos fideles adultos, patet ex verbis legis, tum etiam quia soli adulti sunt capaces proprij præcepti, & obligationis.

2. Conclusio

Sed dubitatur primo, quando incipiat homo hoc præcepto obligari. Sotus in 4.d.12.q.1. ar.11. dicit hanc obligationem incipere 12. ætatis anno, quo tẽpore, inquit, incipiunt homines obligari alijs legibus ecclesiasticis. Verum hoc principium non potest esse vniuersale: quia nõ omnes pueri ea ætate habent omnino perfectum rationis vsum. Alij hoc extendunt ad 14. vel 15. annum; Quod etiam non potest generaliter affirmari: quia ante hoc tempus, imo, & sæpe, ante duodecimum ætatis annum sunt multi iam doli capaces, itaque instructi in rebus fidei, vt sine dubio obligentur hoc præcepto. Neque ratio generalis quam Sotus ponit habet solidum fundamentum: Nam præceptum ieiunij non obligat à 12. anno; Præceptum autem abstinendi à carnibus die prohibito sine dubio antea obligat, & idem existimo de præcepto audiendi Missam, non est ergo illa generalis regula.

Dubium. Sotus.

Dicerem ergo primo, quod ecclesiæ consuetudo declarauit maiorem discretionem ad communionem, quam ad confessionem requiri. Ratio est: quia pueri obligantur ad confessionem, cum primum nouerint inter honestum, & inhonestum distinguere, quod nunc sæpissime ætate septẽ annorum contingit; & tamen ecclesiæ consuetudine Eucharistia eis non confertur.

1. Conclusio

Dico secundo hunc ætatis terminum non posse indiuisibiliter præscribi; sed ad summum dici posse hunc terminũ contineri a decimo, vsque ad 14. ætatis annum: quia moraliter loquẽdo neque ante decimum incipit neque vltra 14. differtur hæc obligatio, sicut nec vsus rationis. Intra ergo hoc temporis spatium quando pueri deuotionem aliquam, & dilectionem Dei habere videntur, & alijs Eucharistia mini-

2. Conclusio

Digitized by Google

ministranda, ratio est: quia habentes hāc deuotionem non solum bonum à malo distinguunt, verum etiam huic tanto sacramento debitam reuerentiam exhibent; Huius autem rei examen patuulorum parentibus, & confessoribus incumbit.

Dubium. Secundo dubitatur, an paruoli existētes in articulo mortis ante decimum annum teneantur Eucharistiam sumere dummodo vsum rationis habeant. Ego existimarem saluo semper meliori, & saniori iudicio in illo articulo dandam esse communionem cuicumque homini habenti vsum rationis ad peccandum, & capaci confessionis, & extremæ vn-
Nauar. ctionis. Quod Nauar. in manu. cap. 21. num. 57. fatetur esse omnibus consulendum. Ego vero existimo esse obligationem, tam ex parte petentis, quam dispensantium: quia talis homo est capax fidei, & sufficientis reuerentiæ sacramenti; & est in periculo, in quo non expectat commodius tempus ad recipiendum sacramentum cum meliori dispositione, ergo debet tunc accipere eo modo, quo potest; patet consequentia; quia in illo homine iam habent locum verba illa Christi Domini: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Quorum vim, & obligationem potest talis homo percipere, & voluntarie manducare, ac se probare, vt digne recipiat. Nihil ergo est, quod illum excuset, neque contra hoc video rationem aliquam, aut consuetudinem.

ARTICVLVS IX.

Vtrum præceptum ecclesiasticum de suscipiendo Eucharistiæ sacramento obliget tantum semel in anno.

Nauar. NAuarrus in Manuali, cap. 21. num. 59. excipit nonnullas personas, quæ pluries in anno communicare tenentur, non ex solo diuino iure, neque ex hac lege ecclesiastica, sed ex alijs. Nam in Clemē. in Agro. §. sane de statu Monachorum præcipitur Monachis Benedictinis, vt singulis mensibus communicent, & idem dicitur de Monialibus in Concil. Trid. sess. 25. cap. 10. de Regularibus. Sed in his decretis non sunt verba, quæ præceptum clare exprimant; sed solū consilium, vel regularem constitutionem. Vnde Tridēt. sic ait. Attendant diligenter Episcopi & cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium; vt in constitutionibus earū admoneantur sanctimoniales, vt saltem singulis mensibus, &c. Quapropter nisi speciale votum intercedat, aut nisi ex instituto Religionis constet constitutiones obligare sub mortali; nulla talis est rigorosa obligatio.

Stando ergo in iure communi. Dico primo, Hoc præce-
1. Conclusio D. Thomas. ptum obligare tantum semel in anno, quod patet ex verbis legis. Vnde obser. est iuxta D. Thomam 3. p. q. 80. art. 10. ad 5. quod secundum diuersum statum ecclesiæ, diuersa statuta emanarunt circa sacramentalem communionem: Nam in primitiua ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ statutum fuit, vt quotidie fideles communica-
Anacl. Pap. rent. Vnde Anacletus Papa epist. 1. & habetur de consec. d. 1. cap. Episcopus, dicit peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus; sic n. & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia; quæ verba, (vt credo) intelliguntur non de omnibus fidelibus absolute, sed de clericis, qui sacerdoti ministrabant, vt docet
Alexan. de Ales. Alex. de Ales, p. 4. q. 10. loco supra relato, quod vtique consentaneum est satis intentioni Anacleti: Nam de his specialiter loquebatur in illa, 1. epist. Postmodum vero diminuto
Fab. Papa. fidei feruore, Fabianus Papa, vt legitur de conse. d. 2. cap. Et si non frequentius, indulsit vt si non frequentius saltem ter in anno omnes communicent, s. in Pascha, Pentecoste, & in
Sother Pap. die Natalis Domini. Sother etiam Papa in epist. ad Episcopos Italiæ, & habetur consec. d. 2. cap. In cœna statuit in cœna Domini esse communicandum. Tandem crescente omnium fidelium numero, & charitate refrigescente, statuit
Innoc. 3. Innoc. 3. vt saltem semel in anno in Pascha fideles communicent. Ex quibus colligitur stante hoc ecclesiastico præcepto, neminem obligari ad maiorem frequentiam; nec peccare eum, qui semel tantum in anno tempore ab ecclesia præscripto communicat. Nam implendo præceptum ecclesiæ simul satisfacit diuino, alioqui ecclesia non sufficienter prouidisset fidelibus.

2. Conclusio Conc. Trid. Dico secundo. Hoc præceptum specialiter obligare tempore paschatis, vt patet ex illis verbis legis ad minus in Pascha, & Concil. Tridēt. sess. 13. can. 9. definit teneri omnes fideles singulis annis saltem in paschate ad communicandū, iuxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ. Vnde obser. est quod nomine paschatis nō intelligitur præcise ipsa Dominica dies paschæ, in qua Christus resurrexit, sed ecclesiastica consuetudo declarauit ex decreto Eugenij 4. vt refert Na- Nauar.
uar. cap. 21. nu. 45. hoc tempus complecti 15. dies à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiue: Nam quolibet horum dierum aliquis communicet, implet hoc præceptum & quāuis sæpius extra hos dies communicet, non implet præceptum, nisi communicet intra illos dies: quia verba legis limitant actum ad illud tempus.

Sed dubium est, an qui in paschate transgressus est hoc præceptum liber maneat ab obligatione communicandi vsque ad sequens Pascha. Partem affirmatiuam defendunt D. Anton.
D. Antoninus, a. p. tit. 9. c. 9. §. 3. Siluester verbo Euchar. 3. Siluester.
q. 15. Tabiena verbo communicare, q. 7. Medina cod. de pœ Tabiena.
nit. q. de confessione semel in anno agenda, Sotus in 4. d. 18. Medina.
q. 1. ar. 4. & Victor. in summa nu. 137. quorum fundamen- Sotus.
tum est, quia præceptum affirmatiuum obligans ad aliquē Victoria.
actum præscripto die, vel tempore, transacto illo non obligat, sicut patet in præcepto audiendi Missam in die festo, & in præcepto ieiunij quadragesimalis vel quocumque alio, ac etiam deuoto, quando fit de actu pro die, vel tempore determinato, huiusmodi autem est hoc præceptum respectu temporis paschalis.

His tamen non obstantibus, dico, quod paschale tēpus ita designatur hoc præcepto, quod si in illo non implicatur non cesset obligatio vsque ad futurum Pascha, sed obligat semper idem præceptum, ad non differendam communionem sed statim communicandum, quam primum moraliter homo possit. Ita docet Nauar. c. 21. nu. 45. & Vignerius Nauar.
in institutionibus, cap. 16. & sumitur ex D. Thoma in 4. d. Vigner.
13. q. 1. art. 1. q. 2. qualenus eodē modo loquitur de cōnoe, D. Thom.
quo de confessione, & idē sentit Palud. in 4. d. 10. q. 1. n. a. 5. Paludan.

Ad fundamentum alterius sententiæ dico, quod varij sunt modi; quibus potest certum tempus legis præscribi. primo enim potest lex determinare tempus propter specialem solemnitatem, aut circumstantiam illius, vt præcipitur ieiunium in vigilia alicuius sancti, vel Missam in die festo. Secundo designatur actus præceptus, vt proprium onus talis tēporis, vt recitare horas canonicas, est proprium onus singulorum dierum; & de his duobus modis procedit recte, quæ prima sententia assumit; quia in eis obligatio talis præcepti omnino limitatur, ad tempus illud. Tertio modo principaliter, & absolute præcipitur actus, quo ad substantiam, temporis vero circumstantia designatur, vt magis cōgrua, seu conueniens ex ratione accidentali, vt in præcepto recitandi horas canonicas, substantia præcepti est vt intra eumdem diem omnes dicantur, congruentia vero est, vt singulæ horæ dicantur certis diei temporibus, in quibus si omittantur nō cessat obligatio quamdiu durat dies. In hoc tertio ordine est hoc præceptum, præcipue enim in eo intēditur, vt fideles non nimium differant vsum communionis, hoc est, vt communio vltra annum nō differatur; Dies autem paschatis propter specialem congruentiam designatur; nō quia actus communicandi sit proprium onus illius diei, neque vt terminus ita præfixus ad solutionem huius debiti, vt illo transacto impletum non sit; sed potius vt terminet dilationem temporis intra quod implenda est obligatio, vt saltē in illo impleatur, & multo magis post illud, si absque obseruatione, & executione obligationis transigatur; sicut de solutione debiti potest exemplo declarari, vt v. g. tenetur aliquis tantum tributum soluere quotannis, tamen ad maiorem certitudinem certa dies designatur, vt puta Sancti Ioannis, quod si ea dies absque solutione tributi transigitur, non cessat obligatio, sed potius post illum diem semper magis, ac magis vrget; vnde dicunt Iuristæ talem terminum non designari, vt in illo obligatio extinguatur etiamsi non impleatur, sed vt solutio vsque ad illum differri possit, & non amplius.

Secundo dubitatur, an si quis præuideat forte, vt intra il- Dubium.
los 15. paschales dies communicare non possit teneatur præuenire, & communionem anticipare. Dico, quod non; & ratio est: quia nullus obligatur ad anticipandum actū præceptum, nisi per talem actum possit satisfacere obligationi præcepti; sed per communionem anticipatam non implet quis obligationem præcepti; ergo ex vi eius ad id non obligatur: maior videtur fere per se nota ex terminis: quia lex non

non obligat nisi,ut impleatur,ergo ad actum,quo impleri non potest non obligat:minor uero patet:nam si quis in eo casu anticipasset communem, & postea paschali tempore non occurreret impedimentum, quod timebat, teneretur illo tempore communicare: quia hoc præcipit lex,& tunc impleri potest,cum factum non sit: Quia etiam si communicauerit ex voluntate implendi præceptum,tamen nō audetem eum excusare ab obligatione communicandi in paschate, si postea communicare posset tempore præcepti: quia cum lex ipsa expresse id præcipiat, non video cur sit omittendum cum seruari potest.

Postremo circa hoc ecclesiasticum præceptum obser.est, iure communi nullam pœnam seu censuram ipso iure incurrendam latam esse contra huius præcepti transgressores,vt cōstat ex dicto capitulo Omnis vtriusque;sed solum præcipitur vt huiusmodi transgressor ab ingressu ecclesiæ arceatur,& moriens ecclesiastica careat sepultura:quę pœnæ donec imponantur non incurruntur; Imponi autem debent non solum aduersus eos,qui vtrumque præceptum ibi positum confessionis violant; sed etiam si hoc solum transgrediantur;quia lex contra omnes loquitur,qui vtrūque præceptum non implent. Solēt autem in singulis diœcesibus esse circa hoc speciales leges synodales;quę in proprijs Episcopatibus obseruandæ sunt.

ARTICVLVS X.

Vtrum existens in peccato mortali peccet mortaliter recipiendo hoc sacramentum.

RAtio dubitandi est: quia nullus peccat mortaliter adimplendo præceptum,quod adimplere tenetur, sed quilibet tenetur semel in anno percipere hoc sacramentum, ergo suscipiens illud in peccato mortali non peccat mortaliter. Maior patet & minor probatur,primo de laico, qui tenetur in Pascha Resurrectionis Domini singulis annis cōmunicare, vt patet ex cap. Omnis vtriusque sexus. Secundo patet de sacerdote, qui post consecrationem si est in peccato mortali tenetur sumere sacramentum, vt patet de conse. d.2.cap.Relatum.

Præterea nullus tenetur confiteri nisi semel in anno, vt patet ex eodem, capit. Omnis vtriusque sexus, ergo potest exercere actus sibi conuenientes, quamuis non toties confiteatur;atque adeo sacerdos poterit plures celebrare quātumcumque peccauerit sine confessionis iteratione:probatur sequela: quia sicut alijs Christianis sufficit semel in anno confiteri iuxta ecclesiæ præceptum,ita videtur,quod sufficiat sacerdoti cum non videatur speciali lege adstrictus ad illud.

[...]ribus mo[...] [...]s potest [...]us esse in [...]ccato mor[...]is. Pro solutione huius difficultatis obser. est primo, aliquē esse in peccato mortali trifariam intelligi posse,primo modo in actu, quando scilicet, peccato interiori, vel exteriori mortaliter peccat,vel complacet in peccato præterito. Secūdo est aliquis in peccato,quoad reatum,siue in habitu;qd contingit,quando peccata præterita non sunt dimissa,quāuis in actu eis non complaceat; quoniam illorum non pœnitet, nec pœnituit. Tertio modo impropriè dicitur aliquis esse in peccato: quando scilicet, peccata iam sunt dimissa per contritionem; sed homo non est absolutus ab eis in sacramento pœnitentiæ;& hunc tertium modum inducit Scotus in hac q.sub lit. A.ad declarationem eorum,quæ sunt dicenda;non tamen quod talis homo vere sit in peccato;nam si habuit contritionem iam est in gratia.

Secundo obser. est, quod duplex est peccatum.s.mortale,& veniale, & de vtroque erit sermo; & primo quidem de peccato mortali,secundo de peccato veniali.

[...]nclusio His obseruatis sit prima conclusio. Non solum, qui est in actu peccati mortalis,sed etiam ille,qui de peccatis præteritis potest habere notitiam per conscientiæ sufficientem indaginem peccat mortaliter accedendo ad sacramentum Eucharistiæ,nisi prius habeat pœnitentiam illorum.probatur ex D.Paulo 1.ad Cor.11. dicente, probet autem se ipsū homo,& sic de pane illo edat,&c. Qui enim manducat,& bibit indigne,iudicium sibi manducat; & ostēdens Paulus quæ probatio sit faciēda,inquit, Quod si nosmetipsos iudicaremus; Non autem probat, & iudicat se ipsum ille, qui præmissa discussione conscientię peccatorum non agit pœnitentiam,ergo talis accedit indigne, & per consequens mortaliter peccat,& ad damnationem accipit sibi;ergo multo magis indigne accedit, qui est in actu peccati mortalis, multoq; magis peccat; Ideoque à sanctis Patribus antiquis appellatur Eucharistia tremendum mysterium, horribileque sacrificium.hæc concl.est Scoti in hac q.sub litt. A.§.de primo dico.

Secunda conclusio. Si alicui post sufficientem suæ conscientiæ examinationem non occurrat aliquod peccatum mortale a se commissum,non peccat mortaliter communicando, si aliorum pœniteat, quorum habet memoriam, vel ante pœnituit.hæc concl. est Scoti sub litt.B §. si autem non sit,&c. & probatur. Quia nullus tenetur nisi ad sufficiens conscientiæ examen;ergo qui sufficienter hoc examē præstitit, non peccabit sumens hoc sacramentum, etiam si illum lateret aliquod peccatum mortale,cuius memoriæ in tali examine non illi occurrit; antecedens est notum, & consequentia probatur: quia alias quilibet communicans periculo se exponeret: quia iuxta Salom. 9. Eccles. Nescit homo vtrum odio,vel amore dignus sit, & iuxta Dauidem ipsius Salomonis parentem psal.18. Delicta quis intelligit? Si ergo oporteret communicātem scire se in charitate esse, quilibet communicando exponeret se periculo; nesciens an in tali actu peccaret mortaliter. a Conclusi[...]

Secundo probatur: quia alias hoc sacramentum non esset viatoris,quia talis certitudo gratiæ sibi inexistentis non conuenit viatori.imo doctissimus Pater Vega lib.9 in Concil.Trident. cap.6. tenet, quod si cum accedimus ad suscipiendum Eucharistiam putimus probabiliter nos fecisse, quod satis est,vt non indigne eam sumamus,hoc sufficit,vt non peccemus eam suscipientes, etiam si dubitemus nos esse in Dei gratia,& lib.eodem,c.17 scribit, de hac propositione.Ego sum in gratia; licet dubitare, & mihi, & alijs de me;neq; est, qui ei teneatur credere, quin vero potest quilibet dubitare, aut merito formidare de sua iustificatione; Nam multi viri sancti hæsitauere de sua, etiam post insignem pœnitentiam suorum delictorum; & ad veram humilitatem potius spectat, vt nos existimemus peccatores, quam iustos. Ad hoc inquit D.Greg. hom.19.super Ezechielem. Nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, vt vnam certam gratiam teneamus humilitatem. Si tamen propter negligentiam affectatam vel crassam communicaturus non recordaretur alicuius peccati mortalis non excusaretur à peccato,vt dicit hic Scotus, quamuis minus peccaret,quam qui in actu peccati mortalis communicaret. Si vero diligenti inquisitione facta secundum possibilitatem nostræ fragilitatis,& præmissa contritione, & confessione, quantum videtur homini sufficere,si tunc cōmunicet non peccat: imo si qua alia peccata lateant per illud sacramentum etiam remittuntur. Nam post talem inquisitionem contritus,& confessus,si moreretur saluaretur; non autem requiritur maior examinatio ad communicandum quam ad secure moriendum. Vega. C.Gregor.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod adimplens præceptum duobus modis intelligitur,priori modo, vt adimpleat præceptum, eo modo, quo tenetur adimplere, & sic maior est vera, & minor falsa; alio modo, quod adimpleat eo modo, quo non tenetur, & in hoc sensu est falsa; Dico ergo quod nullus tenetur communicare in peccato mortali;atque adeo ita præcipitur laicis,vt digne recipiant, sicut quod in paschate recipiant; & ita tenetur laborare,vt sint extra peccatum mortale per pœnitentiam, vt patet extra de pœnit.& remiss.cap. supracitato. Ad illud de sacerdote patebit infra.

Sed quæres an laicus in peccato mortali existens si communicat in Pascha satisfaciat ecclesiæ præcepto: Respondetur,quod sic,vt patet ab Scoto supra, d.4.q.5. in fine,sub litt.G.vbi habetur ista vt tua. Et hoc nota,quod actualiter peccans mortaliter in alio,siue in illo actu potest implere præceptum affirmatiuum etiam in illo actu. Iuxta quod dico, qui voluntarie suscipit sacramentum Eucharistiæ etiam si indigne sumat adimplet præceptum communicandi, etiam si alias peccet mortaliter per sacrilegium diuinæ sumptionis; Ita docet etiam Corduba in summa Hispana. q. 15.& in genere Sotus lib.2.de iust.& iur.q.3.ar.10. & Couar. in cap.Alma Mater,p.1.§.5.Et probatur,nam alia præcepta tam in sacramentis quam in alijs materijs impleri possunt per actum criminosum,vt patet si quis Missam audiat praua intentione, vel ieiunet cōmedendo aliquid saluti cōtrariū, Scotus. Corduba. Sotus. Couar.

aut

aut plus quam indigeat, non tamen contra formam ecclesiastici ieiunij. Item per susceptionem baptismi factam sine gratia sanctificante impletur præceptum (vt docet vbi supra Scotus) etiam diuinum suscipiendi baptismum; & idē esset de sacramento confirmationis vel ordinis, si de eis suscipiendis essent præcepta, aut si quis voto se obligaret ad suscipiendos ordines, quamuis in peccato eos susciperet votum impleret, quamuis alias peccaret contra reuerentiam debitam sacramento. Et si dicas, si qui indigne communicat mortaliter in eo peccat, quid interest dicere, quod implet quasi materialiter huiusmodi præceptū? Dico primo ne duo peccata committat, vnum communionis, & alterū omissionis, & quoad hoc omnia dicta procedunt tam de præcepto diuino, quam de ecclesiastico. Secundo, ne pœnas vel censuras incurrat, etiamsi contra huius præcepti transgressores latæ sint.

Ad aliud dicit Scotus, quod illud præceptum de semel confitendo, vt minimum in anno obligat fideles; In multis autem alijs casibus specialibus tenentur fideles ad confessionem, vt in articulo mortis, vel acceptans actum in quo verisimile est secundum humanum iudicium, quod exponit se periculo mortis, sicut in bello mortali, & in periculosa nauigatione, &c. Sic etiam sacerdos speciali lege tenetur antequam celebret, & quilibet alius Christianus ante communionem confiteri. Quod si quæras qua lege? dicit Scotus, quod illa lege promulgata ab Apostolo 1. Cor. 11. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.

ARTICVLVS XI.

Vtrum communicaturus habens aliquod peccatum mortale, de quo est contritus, teneatur prius confiteri quam Eucharistiæ sacramentum sumat.

Caietanus.

DE hac re fuit sententia siue potius error Caietan. 3. p. q. 80. artic. 4. in summa verbo Communio, & in quodam opusculo de hac re, vbi tenet, quod quamuis adsit confessoris copia non est necessarium confiteri, quamuis, inquit, sit salutare consilium, sed sat est habere cōtritionem de peccatis ad communicandum. Caietanum secutus est Armilla verbo Communio. §. vltimo, & eiusdem sententiæ fuit Abbas in cap. de homine de celebratione Missarum.

Armilla. Abbas.

Fundamentum Caietan. est. Si confessio esset necessario præmittenda ante Eucharistiæ sumptionem sub pœna peccati mortalis, aut esset ex iure positiuo, aut ex naturali ratione deductum, aut ex iure diuino, sed ex nullo illorum colligitur, ergo non est necessario præmittenda. Probatur minor, non ex iure positiuo: quia nullum tale est, quod hoc præcipiat, nisi vt semel tantum in anno confiteamur, vt patet ex cap. Omnis vtriusque, &c. Neque deducitur ex naturali ratione: quia Doctores nō aliam rationem ad hoc probandum adducunt, nisi quia ad ministros ecclesiæ spectat Eucharistiam distribuere, ergo similiter ad iudicium ministrorum debet spectare, quis sit dignus Eucharistiam recipere, tale autem iudicium non potest fieri à ministris nisi in confessione, ergo necessario confessio est præmittenda. Hæc autem ratio, inquit Caiet. non concludit: quoniam faciliter solui potest dicendo, quod iudicio Dei satis est, qui est Dominus ministrorum ecclesiæ, quod aliquis sit dignus Eucharistiā suscipere; Nec ex iure diuino constat confessionem esse præmittendā: quoniam si ex aliquo loco colligeretur esse de iure diuino, maxime ex illo. Probet autem se ipsum homo, &c. Sed ex illo non colligitur, ergo, &c. Probatur minor, quia non inquit Paulus, quod probetur à cōfessore; sed quod homo probet se ipsum; & confirmatur ex D. Chrysostomo hom. 28. vbi super hunc locum dicit; Non iubet vt alter alterius probetur iudicio, sed ipse sibi non publicum faciens iudicium, sed sine teste argumentum.

D. Chrys.

Cæterum hæc opinio Caiet. est plusquam temeraria, & erronea in fide præsertim post Concilij Trident. determinationem. Nam sess. 14. cap. 7. & can. 11. docēs illud 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo: declarat intelligi de probatione per confessionem mortalium peccatorum. Vnde iam nō est locus opinionibus de intellectu illorum verborum: quæ verba intellexerat Doct. sub. sicut Concil. declarat, vt patet in vltimis verbis huius quæst. Verba autem Concilij sunt ista. Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum. Probet autem se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationē necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus etiam ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc sancta synodus perpetuo seruandum esse decreuit; modo non desit illi copia confessoris; quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primū confiteatur. Hæc ibi, & eadem sess. can. 11. dicitur. Et ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantūcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit eo ipso excommunicatus existat.

Refellitur Caiet. opinio.

Quod si vt Concilium dicit, ecclesiastica consuetudo declarat, & non solum præcipit, & instruit prędictam probationem ab Apostolo requisitā fieri debere necessario etiam per præuiam confessionem, colligitur manifeste, quod de iure diuino est necessaria confessio sacramentalis omnium peccatorum mortalium ante sumptionem Eucharistiæ: sed quia hoc ius diuinum non obligat absolute in omni casu, sed cum limitatione, videlicet cum id cōmodè fieri potest, non aliter: quia suas admittit Epicheias. Ideo dicit Concilium, modo non desit copia confessoris, & necessitas minime vrgeat, de quo erit sermo in sequenti art.

Statuenda est ergo hæc conclusio de fide. Communicaturus habens aliquod peccatum mortale, de quo contritus est, & non confessus, tenetur prius confiteri tale peccatum, si adsit copia confessoris, quam communicet; hanc docet, & probat Scotus in hac q. sub lit. C. §. de tertio: quia nō tantum debet homo recōciliari Deo, sed etiam ecclesiæ ad hoc vt digne recipiat Eucharistiæ sacramentum, quod est sacramentum ecclesiasticæ vnitatis, ergo tenetur per confessionem Ministro ecclesiæ factam ante communionem ecclesiæ reconciliari. Et hæc conclusio intelligenda est de necessitate præcepti diuini. Et confirmatur authoritate D. Cypriani lib. 3. epist. epist. 15. vbi reprehendens morem quorumdam presbyterorum, qui Eucharistiam conferebant plebi ante confessionem, dicit illud fieri contra Euangelij legem, lex autem Euangelij est diuina, ergo illud fiebat contra ius diuinum.

Conclusio.

D. Cypria.

Ad fundamentum Caiet. respondeo, quod quando aliquid constat esse de iure diuino non est necessarium, vt ecclesia nouum ius condat idem præcipiens, sed quod obseruet ipsum diuinum, quemadmodū hoc de quo loquimur semper fuit in ecclesia obseruatum, vt patet ex Concil. Trident. loco citato.

Ad secūdam probationem dico solutionem illius rationis esse nullam. Nam condecens est, vt postquam Deus cōcessit ministris ecclesiæ dispensationē Eucharistiæ, noluit iudicare ipse Dominus aliquē esse dignum Eucharistiæ perceptione nisi eos tantū, quos ministri iudicauerint dignos.

Ad tertiam probationem, dico esse de iure diuino, & colligitur ex illo D. Pauli loco citato, vt constat ex Concil. Trident. Ex quo patet interpretationem Caiet. non esse admittendam postquam ecclesia determinauit alium esse sensum illius loci D. Pauli.

Nihilominus ad rationē Caiet. respondeo, quod licet D. Paulus expressis verbis non dicat, quod communicare volentes prius confiteantur, dicit tamen vt probentur, & diiudicentur, ex quo colligitur, quod debent confiteri: quia non accedit probatus, & dijudicatus ille, qui non vtitur remedio ordinario probationis cōscientiæ cuiusmodi est cōfessio. Ad authoritatem D. Chrysost. dico, quod ipsemet interpretatur se ipsum, dum dicit non publicum iudicium faciens, quasi tantum voluerit dicere præcedentibus verbis, quod probatio conscientiæ facienda non est publice, sed occulte, & sine testibus, id est, coram confessore, qui non est testis publicus sed iudex occultus.

Sed dices, si iure diuino confessio esset præmittenda ante Eucharistiæ sumptionem in nullo casu liceret sumere Eucharistiam ante confessionem; sed multi sunt casus in quibus id licet, ergo non est de iure diuino confessio præmittenda. probatur maior: Nam quando sunt duo præcepta supe-

Digitized by Google

superior is præceptum est adimplẽdum, ergo si Deus præcipit, vt ante cõfessionem nullus communicet, potius esset communio relinquendo, quam ante cõfessionem in aliquo casu facienda. Respondet Sotus, quod quamuis confessio sit de iure diuino necessaria ante communionem, nõ est tamen eodem gradu necessitatis, sicut contritio: Nam contritio est semper necessaria, ita vt in nullo casu liceat communicare ante contritionem veram, vel existimatam; confessio vero vrgente necessitate communicandi non est necessaria, nisi quando adest copia confessoris. Et si quæras, vnde colligitur ista differentia necessitatis inter contritionem, & confessionem. Dico, quod colligitur ex authoritate Concil. Trid. loco citato, vbi postquam allegauit ius diuinum præcipiens confessionem fieri ante communionem; subdit hęc verba. Quod ab oĩbus Christianis est obseruandum, etiam ab alijs sacerdotibus quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit sibi copia confessoris; ex quo colligitur, ꝙ sacerdotibus istis licitum est celebrare sine cõfessione, quãdo non habent copiam illius. Sed dices, hic solum conceditur ista licentia sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, ergo alijs Christianis nunquam licebit sine confessione communicare. Respondeo non solum conceditur sacerdotibus, sed omnibus Christianis vrgente necessitate: quia sacerdotibus nõ conceditur nisi propter necessitatem vrgentem celebrandi, ergo quicumque habuerit necessitatem vrgentem communicandi non habens copiam confessoris licebit sine confessione communicare.

Sotus.

ARTICVLVS XII.

Vtrum in aliquo casu communicare liceat sine præuia confessione.

PRo solutione huius difficultatis obs. est ex Concil. Trid. vbi sup. quod duæ debent conditiones cõcurrere ad hoc vt non præmissa confessione liceat cõmunicare, quas Concil. his verbis comprehendit. s. necessitate vrgente, & modo desit copia confessoris. Vnde videndum est quando dicitur aliquis non habere copiam confessoris, & quæ necessitas sufficiat ad communicandum tunc sine confessione.

Conclusio

Quoad primũ dico primo, quod ad celebrandũ sine cõfessione solus defectus confessoris non sufficit, cum & defectus huiusmodi, atq; necessaria, & vrgens celebrandi causa desiderentur, vt patet ex verbis Conc. Hinc colligitur caute legẽdum esse Rich. in 4. d. 17. ar. 3. q. 6. quem secuti sunt Siluest. verbo Euch. 3. q. 14. Arm. cõio in fine, & Ros. dicentem non teneri qui celebraturus est ad confessionẽ statim faciẽdã, si forte de propinquo expectat aliũ, cui deuotius, & securius cõfitetur: Nã hæc doctrina nec secura, nec practice probabilis mihi videtur, præcipue post Conc. Trid. Nã nõ põt vere dici in eo casu deesse copiã cõfessoris cũ præsto sit alius sufficiẽs absq; aliquo morali incõmodo, cui põt cõfiteri.

Conclusio

Dico secundo, quod si proprius sacerdos sit absens & necesse sit alieno confiteri, cui non põt nisi ex priuilegio, non sufficit, vt cõicaturus non obligetur confessionẽ præmittere ante cõionem: Quia tunc absolute, & sine incõmodo potest præceptũ diuinum implere; cur ergo non est seruãdũ? aut quid refert si confessor, qui adest sit ordinarius vel extraordinarius, si re uera iurisdictionem habet? diuinũ enim ius non requirit hunc, vel illum ministrum, sed solum illũ, cui homo rite, & recte confiteri possit.

Conclusio

Dico tertio, qñ peccator timet eum sacerdotẽ, qui solus adest, qui possit confessionẽ audire nõ obseruaturũ sigillũ, aut aliam sibi grauẽ iniuriã allaturã audita cõfessione, ista erit causa sufficiens ad excusãdũ à confessione, ita Siluest. verbo Cõfessio. 1. §. 2. & alij cõiter. Hoc aũt dupliciter accidere põt, primo, vt homo tm̃ habeat illud peccatum mortale, ex cuius cõfessione timet illud graue detrimentũ; & tũc sine dubio põt confessionẽ omittere: quia nõ hẽt moraliter loquendo copiã confessoris. Secundo fieri põt ut homo habeat alia peccata mortalia, ex quorum confessione nullum timet detrimentũ simul cum alio in quo solũ est periculũ, & tunc priusquam cõicet tenetur confessionẽ facere oium peccatorum mortalium, illud solum tacendo. quod sine vllo incõmodo graui confiteri non potest. ita sentit Maior. in 4. d. 17. q. 5. Nau. cap. 7. nu. 6. & Suarez. disp. 67. sect. 4.

Conclusio

Dico quarto, ꝙ quãdo homo hẽt peccatũ reseruatum superiori, & non põt illũ adire, & facultatem petere, põt tunc necessitate vrgente communicare sine confessione, ita tenet summa Armilla verbo Communio. §. 18. citans Adrianum, & Palud. & significat Sot. d. 12. q. 1. ar. 4. Verum in omnibus supradictis casibus obs. est primo eos habere locum, quando secularis est in art. mortis cõstitutus in quo Eucharistiæ susceptio est in præcepto diuino, qm̃ cum habeat tũc præceptũ diuinum Eucharistiam suscipiendi, sola cõtritione præuia poterit cõicare, & idem iudicium facio de sacerdote, qui ex officio celebrare tenetur, vt Curatus; qui si non habeat copiam confessoris: quia solus in oppido existit, is semel poterit celebrare dummodo commode nõ possit ad vicinum Curatum ante missam se conferre: nam si posset, a peccato non excusaretur. Et ex hoc infero illam Soti propositionem, qua dicit, quod si in die paschatis non habetur confessoris copia, adest tamen qui Eucharistiam ministrat causa adimplendi præceptũ ecclesiæ de cõione poterit tunc Christianus non præmissa confessione communicare: quia præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiæ sumptionẽ est diuinum; præceptum vero de cõione in die paschatis est dumtaxat ecclesiasticum: quare primũ potius, quam 2m est obseruandum. Infero secundo falsam etiã esse alterã Soti ꝑpositionẽ, qua docet, quod necessitas audiẽdi missã, vel illã celebrãdi, vt si sacerdos iter faciens nõ celebret nõ poterit missã audire, est satis, vt sola cõtritione præuia possit celebrare: quia hoc præceptũ est ecclesiasticũ, & illud de præmittenda confessione diuinum; si tamen graue non intercederet scandalum si communionem omitteret.

Armilla.
Sotus ...

Quoad secundum quanta esse debeat necessitas communicandi sine confessione. In generali est certum debere esse grauem: quia res satis grauis est prætermittere executionẽ cuiusdam præcepti diuini, & in materia tam graui, vnde fieri nõ põt sine graui causã. In particulari vero difficile est iudicare, qñ necessitas sit grauis: pendet. n. multum ex circũstantijs, & ideo pendet ex prudenti arbitrio: vt tñ quis possit in his facilius ferre iudicium aliquas causas propono.

Prima & indubitata necessitas, est periculũ mortis eius, qui communicaturus est, vt si ipse sit sacerdos vel certe si sit laicus, & hostia sit consecrata, & non adsit sacerdos, sed solus Diaconus, qui ministrat. Ratio est clara: quia hęc est necessitas & magna, & maxime propria.

Secunda nõ dissimilis, est necessitas alterius in periculo mortis existentis, vt si oporteat facere sacrum ad consecrandum, & communicandum illum; quod merito est ab omnibus receptum: quia necessitas alterius grauis est & spiritualis, & propter vnionem, & obligationem charitatis, vt propria reputanda est.

Tertia causa est, & quidem grauis, necessitas absoluendi inchoatum sacrificium: vt si quis incepta missa recordetur se commisisse peccatum mortale; & nõ esse confessum; vel forte si in ipso actu sacrificij (quod humanum est) illud cõmittat, vel interiori odio, vel prauo consensu, aut dubitatione circa fidem; & quidem si hæc memoria, vel necessitas post consecrationem superueniant, sine controuersia, & limitatione dicendum est progrediendum esse ad communionem sine confessione cum sola interiori pœnitẽtia, propter integritatem, & perfectionem sacrificij, quæ res grauissima est, & maxime necessaria: imo licet facile, & sine vllo scandalo posset sacerdotẽ ad altare vocare, & confiteri non tenetur, nec debet id facere: quia nõ decet sacrificium tam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi forte tanta esset necessitas, vt non speraret posse se ad contritionem sine confessione peruenire: tunc enim ex duobus incommodis minus esset eligendum.

Sed difficultas est si hæc memoria, vel necessitas post inchoatã quidẽ missam ante consecrationẽ tm̃ eueniat. Nã in hoc authores varij sunt. Breuiter tamen dicendũ est in primis. Si sacerdos recordetur in altari anteꝗ̃ missã inchoet, debere confessionẽ præmittere ẽt si oporteat exui vestibus sacris, ut sacerdotẽ adeat; ita videtur hic sentire Scot. respõdendo ad secundũ principale. Et rõ est: quia cũ sacra actio non sit inchoata nulla est rationabilis causa cõmunicãdi sine confessione extra huius causæ seu capitis; nã si aliunde futurũ sit scãdalũ, vel infamia, iam erit alia necessitatis ratio. At vero si memoria peccati, vel necessitas occurrat iam inchoata missa, & facile, & sine incõmodo posset ad altare vocari confessor faciendũ est, & pręmittenda confessio; ita D. Bon. in 4. d. 13. in expositione litterę circa principiũ. Si ãt nõ potest ad altare vocari confessor, non tenetur sacerdos inde discedere, & missam inchoatã relinquere, tũc in tali casu

Scotus.

D. Bonau.

Scotus. D. Bonau. cum voluntate & intentione confitendi tempore opportu no poterit celebrare, vt scandalum euitetur, ita docet Scot. in hac q. sub lit. C. & D. Bonau. vbi supra.

Quarta causa est, si non possit quis communionem omittere sine graui infamia, quæ moraliter graue damnū existimatur, & nō est verisimile præceptū positiuum cum tanto rigore, & detrimento obligare. Simile dicendum est si scandalum sequatur missam, vel cōionem omittendo: quia scādalum ex obligatione charitatis vitandum est: affert n. magnum, & spirituale nocumentum, v.g. si ij qui sunt cōmunicaturi coram plebe, & sacerdote in altari, & ibi recordantur alicuius peccati mortalis: si absq; aliqua nota vsque ad aliam missam differre non possunt cōionem. poterunt etiā cum intentione, & proposito confitendi quam citius cōmode posset, poterit contritus communicare seu celebrare; qd tū licite non posset, qui sine prædicta necessitate vellet pro sua deuotione die festo contritus absq; confessione celebrare seu communicare, cum sine scandalo posset abstinere, vt etiam docet Scotus vbi supra. Alij casus adiungi solent Scotus. à Summistis, quos videre licet in Angelo, Siluestro, Armilla, Rosella, Tabiena, &c. sed hi sufficiant quibus regularis, & practicari cæteri possunt.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum accedens ad hoc sacramentum cum attritione, quam probabiliter credit esse contritionem, quando non adest copia confessoris, peccet mortaliter.

De hac re certū est primo, quod non sufficit habere attritionem notam: quia reciperet hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis; atq; ita lethaliter peccaret, assumptū patet: quia notū sibi est peccata non dimitti per attritionē, ergo peccat mortaliter accedēs cū attritione nota. Secundo certū est, quod sufficit habere contritionem: quia præter confessionē nulla maior est dispositio, quā cōtritio, siquidē p illā cōdonātur peccata; atq; adeo qñ nō pōt cōfessio fieri, sufficit contritio, vt digne Eucharistia summatur.

Tertio est et certum, φ accedēs ad hoc sacramentum cū attritione, quam credit probabiliter esse contritionē, quādo non adest copia confessoris non peccat mortaliter, & tō est: quia cōicaturus nequit certo cognoscere se contritionē veram habere, ergo credens probabiliter se habere contritionem, non peccabit si sumat hoc sacramentum. patet consequentia: quia vbi plena certitudo haberi non potest, sufficiens est probabilis coniectura: antecedens vero probatur: quia si certo cognosceret se contritionem habere, certo et cognosceret se in gratia esse, quod regulariter pro statu viæ est impossibile, & confirmatur: quia alias periculū esset hoc sacramentū recipere cū nullus sit certus se non habere peccatū, ergo periculo peccādi mortaliter se exponeret homo suscipiens hoc sacramentum, ita φ ille, qui adhibita diligentia in recordando, & cōsiliēdo doctos nullius mortalis culpæ conscius est, siue quia talis non meminit; siue quia ignorat esse mortale, aut se non satis cōtritum esse, deuote in, & reuerēter cōicās nō peccat, et si vere sit culpæ mortalis reus.

Sed dubium est an talis sic communicās recipiat gratiā, & effectum huius sacramenti, de hac re est duplex opinio, D. Bonau. prima est D. Bon. hac d. p. 2. ar. 2. q. 3. qui existimauit, quod detur medium in suscipientibus hoc sacramentum; vt neq; Gabriel. Caietan. peccet, neq; gratiam recipiat, quem sequitur Gab. hac d. ar. & notab. 1. & Caiet. 3. p. q. 77. ar. 1. eamdem sniam dicit Sotus tenere Alex. Alen. sed falso, vt videbimus; dicunt ergo isti Doctores, quod ille de quo est titulus huius art. nō peccat accedens ad hoc sacramentum modo prædicto; nec recipit gratiam seu effectū huius sacramenti: quod sic probāt: quia sacramentum Eucharistiæ est cibus animæ, sed cibus nō prodest nisi viuentibus; ergo non proderit hoc sacramētū suscipientibus illud, nisi summatur ab illis vita gratiæ viuentibus. Itē peccata mortalia non possunt remitti nisi per pœnitentiam iuxta illud D. Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis oēs simul peribitis; attritio autem existimata contritio non est sufficiens pœnitentia ad delendum peccatum, ergo accedens cum tali attritione ad hoc sacramentum non consequitur gratiam, siue effectum ipsius sacramenti: maior patet, vt minor probatur: quia si talis attritio sufficeret, ad remissionem peccati, qui illam haberet iam esset in gratia; atque ita gratia præcederet Eucharistiam.

Secunda opinio oppositum docet, nimirum φ in hoc ca su homo consequetur gratiā sacramēti Eucharistiæ, adeoq; summens sacramentum ignorans peccatum inuincibiliter, seu probabiliter iustificatur per sacramentum Eucharistiæ præstans gratiam ex opere operato, atq; ita consequitur effectus huius sacramēti. Hanc sniam docuit expresse Alex. Ale de Ale. de Ales, p. 4. q. 11. m. 2. ar. 1. §. 2. q. 5. in responsione ad vlt. vbi ita scribit. Dico, ergo sine præiudicio assentiens prædictis, φ cū q; existens aliquis in mortali fm veritatem; non tamen hēs conscientiam mortaliū, qui præparat se sufficienter fm conscientiam suā, vt digne accedat, non tū sufficienter sm veritatē, bene accedit, quod in ipsa susceptione confertur si bi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Xpi. Non ne (vt dicunt sancti) hoc sacramento vniuntur mēbra corpori? Vnde dico, qd quæ vnita sunt fortius vniuntur, & quandoq; gratia collata in ipsa susceptione sacramēti, vnit non vnitū. Vnde D. Aug. in quodā ser. de verbis Euāgelij. D. Aug. Qui manducat me viuit propter me; qñ manducatur, vita manducatur, nec occiditur, vt manducatur. Ecce palam D. Aug. dicit, φ qñ manducatur viuificat mortuos; sed si viuificat mortuos confert gratiam viuificantē. Hæc Alex. Quæ verba debuisset legere Sotus, & vidisset Ale. esse diuersum à D Bon. eamdem sniam tenet D. Th. 3. p. q. 79. art. 3. Rich. D. Th. hac d. ar. 1. q. 1. & d. 12. ar. 5. q. 1. & insinuauit illam Scot. in Rich. Scotus. hac q. lit. B. dicens, quod si sacerdos adhoc sacramentum accedens obliuiscatur alicuius peccati mortalis nō propter negligentiā crassam, quia sufficienter prius examinauit conscientiam suā, talis non peccat cōicando; & in fectius subcadē lit. ad finē dicit, imo si qua alia peccata lateant per istud sacramētum ēt remittuntur; quibus verbis apertissime docet per hoc sacramentum, & peccatum mortale remitti, & primā gratiā conferri; si quidē de lege cōi nō potest Deus culpā remittere, quin gratiā conferat; quod ideo adnotaue rim, quia Scoto imponitur falsissime opposita sententia; eamdem sent. docet Nauar. in Manu. c. 21. nu. 49. qui istam Nauar. sententiam communiter esse receptam testatur.

Probatur autem hæc opinio ex verbis D. Aug. in quodā D. Aug. ser. dicentis. Hoc sacramentum non solum cibat quos reperit viuos, sed etiam viuificat mortuos; sed non viuificat mortuos corporali morte, ergo viuificat mortuos morte spirituali, illos videlicet, de quibus diximus supra non peccare sumentes hoc sacramentum in peccato mortali: quia virtute huius sacramenti suscepti confertur illis gratia, qua anima spiritualiter viuificatur.

Probatur secundo ratione. Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem peccati mortalis; sed suscipiens Eucharistiam cum ignorantia probabili alicuius peccati mortalis non ponit obicem sacramento Eucharistiæ, ergo talis consequitur effectum sacramenti: maior est nota, & minor probatur: nam si talis poneret obicem sic accedens peccaret mortaliter, sed non peccat secundum omnes, ergo neque ponit obicem. Tertio probatur. Qui accedit ad hoc sacramētum cum ignorantia inuincibili peccati mortalis, vt dictum est supra facit, quod in se est, sed facienti, quod debet Deus non denegat gratiam sacramenti, ergo talis gratiam sacramenti assequetur: minor patet, & maior probatur: quia si non faceret, quod debet, peccaret mortaliter. tenenda est ergo hæc secunda opinio.

Ad argumenta prioris sententiæ respondetur: & ad primum dico, quod hoc sacramentum non tantum est cibus, sed etiam vita, iuxta illud Ioan. 6. Qui manducat me viuet propter me; atque adeo dispositus accedens ad hoc sacramentum, quamuis sit mortuus reuiuiscit, vita que gratiæ viuificatur per illud. Dico secundo, quod Eucharistia per se non confert primam gratiam bene tamen per accidens, & ratio est: quia hoc sacramentum non fuit à Christo Domino institutum ad eum finem, vt primam gratiam cōferret, sicut fuere instituta sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, quæ virtute suæ institutionis dicuntur primam gratiā conferre; sed quia gratia sacramentalis datur non ponenti obicem, cum illud non ponat accedens cum ignorantia inuincibili ad Eucharistiam talis recipiet gratiam, atque eadem est ratio de omnibus alijs sacramentis.

Ad secundum similiter dico, quod attritio existimata contritio non sufficit se sola ad peccati remissionem, est tamen dispositio sufficiens, vt peccata deleantur per Eucharistiæ sacramentum.

ARTI.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum peccatori petenti Euchariſtiæ ſacramentum negandum ſit vel tribuendum.

Peccator occultus dicitur multis modis.

PRo huius difficultatis ſolutione obſer. eſt primo, quod peccator vel eſt occultus vel publicus, dicitur autẽ peccator occultus multipliciter, primo quia vel a ſolo ſacerdote cognoſcitur, vel certe ab vno, vel altero nulla tamen infamia, vel publico rumore laborat. Secundo dici poteſt peccator occultus, quia certa ſcientia, eius crimẽ vni, vel alteri notum eſt, tamen apud alios eſt publica ſuſpicio, aut rumor, & aliqua infamia inde orta, & hoc ſolet dici delictũ occultũ, ſed famoſũ. Tertio fieri poteſt, vt delictũ notũ, aut manifeſtũ ſit tribus vel quatuor; & tunc fertur retinere gradũ delicti occulti, vocatur autẽ probabile. Quarto, eſt peccatum publicum euidentia facti pluribus nota; ut autẽ delictũ cẽſeatur hoc modo publicũ requiritur numerus decẽ hominum, ſecundum Adrianũ, q.pen. de Euch.cum Panor. Silueſt.autẽ, verbo notorium.§.4.cũ Nau.in Man.c.25.nu.33. exiſtimant ſatis eſſe numerũ ſex hominum: quia ſatis eſt, vt ſciatur à maiori parte populi, numerus autem ſenarius eſt maior pars numeri denarij, qui ad conſtituendum populũ ſufficit. D.Tho.in hac materia ſolum illud delictum publicum exiſtimat, & notorium, quod nulla tergiuerſatione poteſt celari, iuxta ea quæ ſcribuntur in c.Quæſitum, & in c.Tua nos de cohabitatione clericorum. Quinto tãdem dicitur aliquod notorium euidentia iuris: quando iuridice aliquis conuictus eſt de crimine per propriam cõfeſſionem vel per ſententiam, & declarationem iudicis.

Adrianus. Panormit. Silueſt. Nauar.

D.Tho.

Peccator poteſt dici publicus dupliciter.

Secundo obſ.eſt, quod peccator poteſt dici publicus, vel occultus dupliciter ſ.vel reſpectiue, vel abſolute; reſpectiue.i. cõparatione facta ad modũ, quo petit ſacramentum: quia videlicet tã publicũ eſt peccatum eius, quam petitio ſacramenti: vt quando illi in quorum præſentia petit ſacramentum norunt delictum, quod alias eſt abſolute occultũ: quia duobus tãtum, vel tribus notum eſt. Abſolute autem publicum appello, quod eſt multis cognitum notitia iuris, vel facti, cum qua notitia ſtare poteſt, vt illi in quorum præſentia ſacramẽtum petitur ignoret delictũ His obſeruatis.

1. Concluſio

Dico primo, vt ſacramentũ negari poſſit peccatori ſatis eſt, quod eius peccatum ſit publicũ reſpectiue, quãuis alias reſpectu aliarũ actionũ ſit abſolute occultũ, atq; adeo ſatis eſt, vt illi in quorũ præſentia petitur ſacramentũ norint delictum; & rõ eſt: quia hæc notitia ſufficit, vt ſine infamia, ſcãdalo, vel alio incõmodo poſſit negari ſacramẽtũ; ergo nõ eſt cur ad hãc actionẽ maior facti euidẽtia, vel cognitio requirat.

Concluſio

Dico ſecundo, qñ vel oẽs, vel aliqui eorũ, qui adſunt petitioni ſacramenti ignorant delictũ peccatoris non põt negari ſacramentũ, niſi alias delictũ ſit publicũ, per euidentiã iuris, aut facti, quæ illi æquiualeat; & rõ eſt: quia tunc delictũ eſt occultum reſpectiue.i.reſpectu eorũ, qui vident ſacramẽtum ab hoc homine poſtulari; ergo ſi etiam ſit occultum abſolute, nullo modo eſt publicũ; ergo nullum eſt ius ad negandum ſacramentum; nec poterit negari ſine periculo ſcandali aut infamiæ, cum ille peccator neq; abſolute diffamatus ſit, neq; reſpectu illorũ hominũ, qui adſunt; & hac ratione notant Rich.in 4.d.9.ar.3.q.1.& Gab.q.2. & Nau. c.21.nu.55.quod non eſt ſatis, quod delictum ſit probabile: quia ſola probabilitas delicti non facit illud publicum, nec tollit ius in foro eccleſiæ donec talis probatio in iudicio fiat, atq; ita ſit iam delictum publicum notitia iuris, vt colligitur ex cap.Tua nos de cohabitatione Clericorum.

Richardus. Gabriel. Nauar.

Concluſio

Dico tertio, ꝙ ſi delictũ ſit abſolute publicũ altero duobus modis, ſ.euidẽtia iuris, vel facti, id ſatis eſt, vt ſacramentum negari debeat, ẽt ſi peccatũ nõ ſit notũ illis, in quorum præſentia ſacramentum petitur; & rõ eſt, quia per illã publicã notitiã amittit peccator ius petendi hoc ſacramẽtum publice, & in foro eccleſiæ, ꝙ ãt hę perſonę, quæ huic facto adſunt, illud peccatum ignorent, eſt per accidens, & ideo peccatori nullũ inde ius oritur. Tum ẽt: quia nulla poſſunt ſequi moralia incõmoda: quia ille peccator iam eſt publice infamis, & ideo nullius momenti eſſe cenſetur, quod de nouo infametur apud aliquos, qui adſunt petitioni ſacramẽti, & peccatũ ignorabant, & hoc ipſum imputandum eſt ipſi peccatori, qui cũ ſit in peccato publico audet ad ſacramentũ accedere, & eadem ratione nõ ſequitur ſcandalum: quia ſi res eſt adeo nota facile poterit iis, qui aderunt ſatisfieri.

Et ex hac doctrina ſolui poſſunt quã plurimę difficultates, quas mouet Alex.de Ales, p.4.q.11.m.2.ar.2.§.4.nẽpe, quod exercẽtibus tyrocinia, ſiue torneamenta, Duellatoribus, Baliſtarijs, atq; Sagittarijs in bello iniuſto, ac ẽt Diuinatoribus, Sortilegis, Carminatricibus, Meretricibus, & vniuerſaliter in ſtatu peccati mortalis exiſtentibus non ſacramentum Euchar.tribuẽdum; adeoq; qñ peccator eſt publicus adminiſtrãs illi Euchariſtiã mortaliter peccat, prout definitum eſt in c.Pro dilectione, de conſec.d.2.vbi ita legitur conſulẽdum exiſtimaſti, quid mihi videatur de Hiſtrione, & Mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore pſeuerat, an talibus ſacra cõio cũ cæteris Xpianis dẽat dari? Puto nec maieſtati diuinæ, neq; euãgelicæ diſciplinę cõgruere, vt pudor, & decor eccleſiæ tã turpi, & infami contagione fœdetur. Quod quidẽ intelligendum eſt, qñ pſeuerãt in crimine: nã ſi publice pęnitẽt ſecus faciẽdũ eſt.

Ale. de Ale

ARTICVLVS XV.

Vtrum peccatori occulto occulte petenti Euchariſtiam deneganda ſit.

REſpondet Alex.de Ales, vbi ſup.art 3 §.1.quẽ ſequũtur D.Bon.hac d.p.2.ar.2.q.vlt.& Rich.ar.2.q.3.quod tenetur ſacerdos negare Euchariſtiã peccatori occulto, ſi occulte petat, & eſt cõis opinio oĩum Theologorũ, quod iam determinatũ fuit in Conc. Vaſen.c.8.& refertur.6.q.2.c.Si tñ, vbi dicitur debere epiſcopũ, qui nouit aliquẽ eſſe peccatorẽ, ſi ſolus ipſe hoc nouit, ſecrete eũ monere, corrigere, & cõione priuare: & rõ eſt, quia re uera ille peccator non hẽt ius petendi, nec ẽt in externo foro ſeu apparentia: vnde fit vt ſine vllo incommodo (quia occulte petit) poſſit illi denegari: quia nec ſequitur infamia nec ſcandalum, cum totum negotium occulte tranſigatur, ergo illi debet negari.

Ale de Ales D. Bonau. Richardus.

Cõc. Vaſẽſ.

Sed dubium eſt, an ſacerdos, qui per ſolam confeſſionem cognouit peccatũ, poſſit negare hoc ſacramentũ, qñ pęnitẽs ab eo petit tam occulte, vt nullus alius adſit: Nam ſi aliquis alius adſit certum eſt non poſſe negare pp ſcandalum: quia reſpectu illius eſſet confeſſionis reuelatio: quæ tñ nulla eſſe videtur, qñ à ſolo ſacerdote ſacramentũ petit. De hac re eſt duplex opinio, prima eſt Gab.in 4.d.9.q.2.ar.3.dub.1.& Palud q.2.concl.3.qui dicunt ſacerdotem non poſſe vti ſcientia confeſſionis ad negandum Euchariſtiam peccatori, ẽt ſi occultiſſime petat, quam ſent.ſecuti ſunt, D.Ant.p.3.tit.14. c.12.§.2.Adr.quol.3.q.3.Silueſt.verbo Euch.3.q.5.& Nau. c.21.nu 55. Secunda opinio eſt ſacerdotem nõ ſolum poſſe, ſed etiam negare debere Euchariſtiam peccatori in prædicto caſu. Ita docent Alex, vbi ſup. D.Bonau. d.9.q.4.art.2. D.Tho.in 4.d.9.ar.3.q.1.Rich.ar.3 q.1.Duran.q.6 & Ang. verbo Euch.3.§.20.Et ratio eſt: quia negare Euchariſtiam in illo caſu, eſt actus conſentaneus poteſtati clauium, & alias nullo modo eſt contra ſigillum, ergo eſt actus licitus, atque adeo etiam debitus: maior patet: quia poteſtas clauium inter alios effectus adhoc data eſt, vt qui illam habet dignos admittat, & indignos à cõione repellat, ergo ſacerdos negans ſacramentum vtitur poteſtate clauium, & iure ſibi conceſſo; minor declaratur exemplo: Nam ſi ſacerdos per confeſſionem ſciret pœnitẽtem habere propoſitum occidendi ipſum mei confeſſorem, & ipſius enſem, aut gladiũ haberet apud ſe depoſitum, quamuis illum poſtea pœnitens peteret, poſſet denegare.

Gab. Palud.

Antoninus. Adrianus. Silueſter. Nauar. Ale. de Ales D. Bonau. D. Thom. Rich. Durandus. Angelus.

Sed quid agendum eſt ſi peccator occultus publice Euchariſtiam petat? Alex.Bon.& Rich.locis citatis dicunt, ꝙ non eſt illi Euchariſtia deneganda. Solus Durand.tenet occulto peccatori petenti à ſuo Curato extra tẽpus paſchatis, aut citra mortis articulũ publice Euchariſtiã, nõ ſolũ negãdã eſſe, verũ ẽt ad hoc curatos teneri, dũmodo ſine ſcandalo poſſit illum expellere; Quod ſi à nõ ſuo Curato petit dẽt tunc illam publice negare dicẽs, non ſum tuus Curatus, & non teneor illam dare. Dico tñ, ꝙ cñ crimen eſt occultum: quia non eſt notorium ſi ſe alijs cõicantibus inijciat, non erit publice ſiue à proprio, ſiue ab alieno ſacerdote repellẽdus; ratio eſt quia tunc infamaretur à ſacerdote, atq; ita ſacerdos mortaliter peccaret, hoc eſt definitum in c.Chriſtus 3.q.1.& cap. Non prohibet de conſ.d.2.

Ale de Ales D. Bonau. Richard. Durandus

Sed quæres an hominibus de crimine aliquo ſuſpectis dandum ſit Euchariſtiæ ſacramentum? Hæc difficultas duplicem poteſt habere ſenſum. primo intelligi poteſt an liceat dare Euchariſtiam ſuſpecto de crimine ad purgatio-

Digitized by Google

nem seu probationem delicti; secundo ad vsum sacramenti, & effectum eius. Quoad primum sensum respondet Alex. vbi sup. quem secuti sunt omnes Theologi, & Summistæ, quod non licet dare alicui Eucharistiã ad probationem, & purgationẽ suspecti criminis, & ratio est, quia hoc fine dare, vel sumere Eucharistiam esset tentare Deum: Nam est petere ab eo, vt aliquo extraordinario signo manifestet hominis delictum, quod est superstitiosum; & ideo huiusmodi probationis modus reprobatus est in iure, c. Ex tuarũ, & reliquijs de purgat. can. & de purgat. vulg. & cap. Consuluisti, & cap. Minas 2. q. 5. Nec obstat, cap. Si episcopo, & cap. Sæpe contingit 2. q. 5. vbi approbatur hic modus probationis: quoniam huiusmodi Canones abrogati sunt à Stephano Papa in cap. Consuluisti citato, vt docet D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ad 3.

Quoad secundũ sensum distinguendũ est triplicẽ esse suspicionẽ. s. temerariam, probabilem, & violentã; de prima certũ est non sufficere ad negandũ sacramentũ; quia illa suspicio nullo probabili fundamento nititur, atq; adeo nõ est rationabilis, sed potius iniusta. De secunda etiã est dicendũ non sufficere ad negandũ sacramentũ. Tunc n. dicitur suspicio probabilis quando intercedit sufficiens ratio ad generãdum dubiũ, sed non ad iudicandũ simpliciter de peccato alterius in casu autẽ dubij melior est conditio possidentis; & quando aliquis non sufficienter probatur malus præsumẽdus est bonus, ergo cũ homo habeat ius ad sacramentũ nõ debet per solã suspicionẽ, vel dubitationẽ illo priuari. Tertia suspicio quæ est violenta, & probabili ratione deponi non põt, sufficit ad negãdum sacramentũ iuxta cõem Theologorũ doctrinam. Ita sentit Alex. vbi sup. D. Tho. in 4. d. 9. q. 1. ar. 5. q. 2. Rich. ar. 3. q. 7. Gab. q. 2. ar. 3. dub. 2. & Ant. 3. p. tit. 14. c. 12. §. 2. Et rõ est quia violẽta suspicio nititur talibus signis, & indicijs, quæ licet nõ faciant euidentiã rei in se, faciunt tamen moralẽ probabilitatẽ, & sufficiunt ad probabile iudiciũ ferendũ; quando in contrariũ nihil est, quod excuset, aut suspicionẽ eleuet, ergo sufficit ẽt ad negandũ sacramentum. Hęc tamen doctrina intelligenda est iuxta principia supra posita. Nã si suspicio sit publica sufficit ad negandum sacramentũ publice; si verũ sit priuata, & occulta ad negandum sacramentum occulte non publice. limitãda est etiam hæc doctrina in art. mortis: Nam si in illo homo de quo suspicio habetur negat delictũ, & alioqui præbeat signa bonæ dispositionis non videtur illi negandũ sacramentum tũ propter periculum, tum quia illæ circunstantiæ videntur maximi ponderis ad suspicionẽ delendã: nam in eo casu signa occurrunt, quæ suspicionem eneruant.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum recipiens hoc sacramentum cum peccato veniali peccet.

POtest hæc difficultas intelligi an veniale peccatum impediat huius sacramenti effectum; vel ẽt peccet venialiter qui in veniali hoc sacramentũ recipit. Quoad primũ. dico primo, φ peccatũ veniale non impedit effectũ huius sacramenti ẽt si ipsũ veniale actu cõplaceat; quod ex eo constat: quia gratia cõpatitur cũ peccato veniali: quia tale peccatũ gratiæ nõ repugnat, ergo peccato veniali in existente potest infundi grã, cũ illi præstent sacramenta ex opere operato. Qđ est cõtra Caie. 3. p. q. 79. ar. 1. & cõtra Dur. d. 12. q. 4. ad 2.

Dico secũdo recipere hoc sacramẽtũ in peccato veniali, vel ẽt peccando venialiter in ipsa sumptione nõ est ex eo capite peccatũ mortale; hæc est cõis snia; & rõ est; quia nec circa hoc est speciale pręceptũ positiuũ. neq; ex sola natura rei põt colligi tale peccatũ: quia hæc nõ est grauis iniuria, vel irreuerentia, quia p peccatũ veniale non ponitur impedimẽtũ principali, & quasi essentiali effectui sacramẽti cum tale peccatũ nõ excludat gratiã, vt diximus, ergo nõ committitur grauis fictio, aut simulatio, ergo nec peccatum graue.

[D. August.] Quoad secundum videtur esse peccatum veniale in hac dispositione sumere hoc sacramentum; Nam D. August. de ecclesiast. dogmatibus c. 53. & refertur de conse. d. 2. cap. Quotidie ait. Quamuis quis peccato mordeatur, & peccãdi non habeat de cætero voluntatẽ, & cõicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ cõfessioni donare consueuit, accedat ad Eucharistiã intrepidus, & securus, sed hoc de illo dico, quẽ capitalia, & mortalia peccata non grauant. Sentit ergo D. Aug. φ recipere Eucharistiã sine pœnitentia venialium peccatorũ grauet cõscientiã, erit ergo vt minimũ peccatum veniale nam ex verbis D. Aug. colligitur, quod non põt aliquis securus accedere, nisi qui sit sine voluntate peccãdi venialiter, & de præteritis satisfecerit lachrymis, & orationibus, oppositum tamẽ videtur hic sentire Scot. sub lit. D. quẽ [Scotus.] sequitur Maior. d. 9. q. 1. ad 1. Rich. ar. 2. q. 1. ad 2. Adr. q. 1. [Maior.] de confessione, & Sotus, d. 12. q. 1. art. 4. qui licet sit dubius, [Richardus.] [Adrianus.] tamen in hanc sententiam est magis propensus. [Sotus.]

Vnde dico primo, quod si peccatũ veniale sit aliquo modo circunstantia ipsius actus cõicandi, peccatũ est veniale sic cõicare, vt v. g. si quis communicet propter vanã gloriã; vel certe si actu sit in aliquo veniali, vt in vana aliqua cogitatione, vel delectatione, & ex ratione accedat distractus, & sine debita reuerentia, & deuotione; & ratio est, quia si non habeat circunstantias debitas est aliquo modo malus, ergo vt minimũ erit peccatũ veniale. Itẽ si quis consuetudinẽ habeat cõmittẽdi multa venialia, vel certe conscientiam sentit eorũ multitudine grauatã, & ideo ad spiritualia tractanda tepidã, & quodãmodo indispositã non videtur posse excusari à culpa veniali, si sine vllo dolore, aut proposito emendandi vitam ad Eucharistiã accedat: quia non potest oino excusari actio illa ab irreuerẽtia cõtra hoc sacramẽtũ.

Dico secundo, quod si quis habeat peccatũ veniale in habitu licet sine dolore eius, & proposito emenda ad Eucharistiam accedat, vel quia non recordatur, vel quia ob humanã aliquã fragilitatẽ non potest volũtatem auertere ab illo leui affectu, non peccat venialiter sic cõmunicando; si alioqui procuret cũ timore, & reuerentia, & deuotione accedere & ita intelligitur Scotus hic, & præcitati Auctores. Ad authoritatẽ vero D. Aug. potest dici primo, quod non distinguit peccata capitalia, & mortalia à venialibus, sed ab eo statu conscientiæ, quæ licet peccato mortali mordeatur; tamẽ eorũ multitudine non grauatur, neq; obruitur. Huic n. homini dat licentiã D. Aug. frequenter cõicãdi præmissa confessione: illi vero quẽ peccata capitalia & mortalia grauãt, adeo φ eius cõsciẽtia eorũ multitudine pmitur, & obruitur, minime; nisi post diuturnã, & ẽt publicã pœnitentiã, si peccatoris status publicus fuerit. Secundo dici potest cũ Scoto, quod D. Aug. nõ distinguit his verbis peccata venia- [Scotus.] lia à mortalibus, sed mortalia à mortalibus: nam peccatum mortale bifariam considerari potest. s. in habitu, & in actu; primo modo est peccatum mortale præteritũ. Secũdo modo est peccatũ mortale, quod actu inest; priori modo põt peccatũ mortale esse præteritũ absq; omni pœnitentia, ita, vt de eo peccator non doleat, neq; doluerit, neq; confessus sit, vel est peccatũ mortale pręteritum non sine pœnitẽtia, & confessione; sed non complete satisfactũ. Dicit ergo D. Aug. quod si quis peccato mortali præterito & cõfesso mordeatur: quia s. non complete satisfecit; si peccãdi nõ habeat de cętero volũtatẽ cõicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus, & cõfidẽs de Dñi misericordia, qui peccata pię cõfessioni donare cõsueuit. s. quia peccatũ illud iã est per cõfessionẽ plene remissũ accedat ad Eucharistiã intrepidus, & securus: sed ille quẽ peccata mortalia in actu grauãt, vel ẽt in habitu, quorũ non est pœnitentia nec; confessio pmissa, ad Eucharistiã suple non accedat sine præcedẽte pœnitẽtia, & hęc, vt reor, est germana verborũ D. Aug. explicatio.

Sed quæres an qui peccauit mortaliter ẽt si contritus sit & confessus teneatur aliquo tẽporis spatio cõionem differre. v. g. quis pręcedenti nocte peccauit mortaliter, an statim die sequenti confessione præmissa factũ facere, vel cõicare possit. Nau. in Manu. c. 21. n. 51. & de pœn. d. 6. c. 1. dicit hu- [Nau.] iusmodi hominem peccare mortaliter. Idem affirmat Cou. [Cou.] in Cle. si furiosus, p. 3. n. 8. oppositũ tamen cũ D. Th. 3. p. q. 8. [D. Tho.] ar. 7. ad 4. Pal. d. 9. q. 3. Maior e. q. 2. Gab. lect. 10. in can. Ant. [Pal.] [Maior.] q. 4. de Euch. affirmandũ existimo, quod tandẽ docuit. Idẽ [Gab.] Nau. in Man. loco cit. Quia nulla est lex positiua humana, [Anton.] vel diuina, quę hãc obligationẽ imponat nec generatim de [Nau.] oi peccato, neque specialiter de aliquo, vt Nau. ipse fatetur.

Et si vero quæras, quis plus peccet an suscipiens Eucharistiã cũ peccato carnis, vel cũ peccato odij, aut infidelitatis? Quidã dixerunt, quod licet peccatũ odij sit maius quã peccatum carnis, peccatũ tamen carnis magis opponitur huic sacramento, atque adeo magis peccat accedens cum peccato carnis, quam cum peccato odij. Alij vero tenent oppositũ, eo quod peccatũ quanto maius est, tanto directius opponitur sacramẽto, & tanto fœdius est. Ego dicerẽ, φ turpitu-

do, &

do, & immunditia carnalis, non opponitur directe huic sacramento, sed immunditia aiæ, quæ tanto maior est, quanto maior est culpa; & ideo magis peccat qui cum maiori peccato accedit, atque adeo grauius peccat accedens cum odio, quàm cum peccato carnis cæteris paribus, licet peccatum carnis maiorem habeat immunditiam corporalem. De infideli vero non est dubium, quod grauiter peccat, sed plus peccat fidelis faciendo irreuerentiam sacramento, quã infidelis: quia si infidelis crederet ibi esse corpus Christi, forte non exhiberet sacramento talem irreuerentiam.

DISTINCTIO X.

Continuatio. SVnt & alij, præcedentium insaniam transcendentium, &c. *Ex quo Magister sententiarũ in superiori distinctione loquutus est de sacramento Eucharistiæ in se, & quo ad vsum: in hac distinctione determinat de eiusdem sacramẽti veritate cõtra aliter sentientes.*

Diuisio. *Diuiditur autem hæc distinctio in tres partes principes, in quarũ prima quorundã circa sacramentũ hoc ponitur error, qui male de veritate huius sacramenti sentientes, ausi sunt veritatem huius sacramenti denegare: solum confitentes Christi corpus in sacramẽto altaris esse vt signatum in signo; pro sui erroris fundamento adducentes id Dominum notasse in Euang. his verbis: Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meũ sanguinem, &c. Quæ verba quidam male intelligentes dixerunt. Durus est hic sermo, quis poterit eum audire? & abierunt retro.* D. August. *D. etiam Aug. hæc verba habet. Donec sæculum finiatur sursum est Dominus. Dominus inquit Saluator. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem nõ semper habebitis. Quare dicendum minime est, Christi corpus esse in sacramento Altaris.*

In secũda parte, quid videndum sit de veritate huius sacramenti docet Magister dicens verba Saluatoris intelligenda esse spiritualiter, non literaliter; nam dixit ipse. Verba quæ ego loquor vobis spiritus, & vita sunt; ac si dixisset non esse carnaliter intelligenda sed spiritualiter, nam spiritus est, qui viuificat, caro autem nihil prodest. Præterea Christus dicebat discipulis suis. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & illum sanguinem bibituri, quẽ effusuri sunt, qui me crucifigent, sub forma visibili, sed inuisibili, & spiritualiter, sub quo sensu authoritas Aug. accipienda est v.g. donec sæculum finiatur sursum est Dominus. s. visibiliter, at in sacramento est inuisibiliter. Ad authoritatem illam de pauperibus dicitur intelligendam esse de corporali præsentia non spirituali, & sacramentali.

In tertia parte probat Magister realem, & veram præsentiam corporis Christi in sacramento Altaris quibusdã authoritatibus, & primo authoritate D. Ambrosij dicentis. D. Ambros. *Si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non tantum valebit sermo Christi, vt substantias mutet? qui ergo ex nihilo facere, quod non erat potuit, cur ea quæ sunt in id, quod non erat mutare non poterit? Præterea de totius mundi operibus legitur. Qui ipse dixit, & facta sunt; sic dicendum ita puto est, quod post consecrationem corpus & Christi sanguis existant sub illis speciebus sacramentaliter, & spiritualiter. Secunda est authoritas D. Au*- D. August. *gustini, sicut per Spiritum sanctum vera Christi caro sine coitu creatur, ita per eumdem ex substantia panis, & vini idem corpus Christi, & sanguis consecratur Corpus Christi, & veritas, & figura est, veritas dum corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus sancti ex panis, vinique substantia efficitur, figura vero est id quod exterius sentitur. Tertia est authoritas Eusebij Emissen.* Eusebius. *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat. Ex his alijsque pluribus constat verum corpus Christi, & sanguinem in altari esse, imo integrum Christum ibi sub vtraque specie, & substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem conuerti.*

Quoniam conclusio princeps huius distinct. & prima de sacramento Eucharistiæ ordine doctrinæ, vnde & supposita fuit in prima qõ. 8.d. est ista; quod verum Christi corpus in Eucharistia realiter continetur, ideo circa hanc conclusionem quæritur primo.

QVAESTIO I.

Vtrum possibile sit corpus Christi Domini sub speciebus panis, & vini realiter contineri.

SEnsus huius tituli est, an hoc sacramentum non tantum sit signum & figura, sed re vera corpus ipsum Christi, quod in ipso realiter contineatur, & id quod dicitur de Christi corpore sub speciebus panis, intelligendum est, & secũdum eamdem certitudinem de sanguine ipsius Christi sub speciebus vini eadem enim est vtriusque ratio. Hanc quæst. diuidit Doctor in tres articulos, in quorum primo statuit, quid sit de fide tenendum, in secundo vero declarat quomodo Christus possit esse in hoc sacramẽto sine loci mutatione, tertio denique quomodo possit ibi habere quantitatem suam modo quantitatiuo, hoc est, sine correspondentia diuersarum partium corporis Christi ad diuersas hostiæ partes, & diuiditur in 4. art. & 2. dubia.

Primus Art. Vtrum sit de fide certum Christum realiter esse præsentem in hoc sacramento.

Secundus art. Vtrum veritas realis præsentiæ corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia sit habenda, vt art. fidei.

Tertius art. Vtrum Christus sit in Eucharistia per loci mutationem.

Quartus art. Vtrum Christus in Eucharistia habeat modum quantitatiuum.

Dubium. An totus Christus contineatur sub qualibet parte hostiæ consecratæ coniunctæ.

Dubium. Quo pacto corpus Christi sit in Eucharistia, & totus Christus in quacumque parte illius.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit fide certum Christum realiter esse præsentem in hoc sacramento.

PRo hac difficultate obest quod vt constat ex Ecclesiasticis historijs, & ex his quæ colliguntur ex sacris Cõcilijs, & doctrina Patrum per mille annos, & eo amplius à passione Christi Domini nulla fuit excitata hæresis in ecclesia circa realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento. *Prima hæresis circa Eucharistiam.* Dixi à passione Christi, quoniã ante passionẽ Christi fuit exorta prima hæresis de hac re, quã excitauerunt illi discipuli Christi Domini; qui Io.c.6. dixerunt. Durus est hic sermo; nõ valentes intelligere quo pacto Christus posset dare carnẽ suam ad manducandum, & hac ratione discesserunt ab ipso. Hunc errorem D. Aug. *D. August.* super psal. 54. & 98. appellat primam hæresim circa illam veritatem, & refertur in c. t. de consec. d. 2. Verũ est tamen quod multis Theologis grauissimis non placet infidelitatem illam discipulorum appellare hæresim in rigore, tum quoniam exorta fuit Christo viuente, & antequã fundata esset Christiana religio, & antequã fundatũ esset hoc sacramentũ: Hæresis aũt propriè sumpta importat recessum ab ecclesia, & religione Christi, tum ẽt quoniã hæresis est infidelitas præsupponens baptismum, non autem constat fuisse baptizatos discipulos illos, qui tunc à Christo recesserunt. Sed nihilominus existimo dicendum vere, & propriè D. Augustinum infidelitatem illorum hæresim appellasse, quoniam non est verisimile quin discipuli illi qui Christum sequebantur baptizati fuissent baptismate Christi, si non oẽs, saltẽ

Digitized by Google

eorum quamplures; at infidelitas hominis baptizati, qui professus est Christum expressè, vel eius sequelam est vera hæresis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 10.

D. Thom.

Nonnulli Theologi existimant Nestorium hæreticum induxisse hanc hæresim in ecclesia: quoniam hic hæreticus docuit in hoc sacramento realiter quidem contineri carnē, & sanguinem Christi non tamen carnem, & sanguinem filij Dei; existimauit enim iste hæreticus quod humanitas Christi non erat vnita hypostatice verbo Dei, sed habebat quamdam accidentalem vnionem per affectum specialis amoris, ex quo inferebat, quod in hoc sacramento non erat caro Christi hypostatice vnita Verbo Dei; & ad hoc ponderabat illud Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, ecce inquit, non dixit Christus. Carnem filij Dei, sed filij hominis. Istum errorem damnauit anathemate Synodus Ephesina in epistola ad Nestorium missa, vbi definit in hoc sacramento vere nos sumere carnem viuificationem filij Dei: refertur hæc definitio de consecrat. d. 2. c. Necessarie. Hæc omnia quæ retulimus sunt sine dubio vera; sed nihilominus non est asserēdum, quod Nestorius fuerit primus hæreticus, qui specialiter errauit circa hoc sacramentum: etenim proprius error Nestorij versabatur circa incarnationis materiam, negans hypostaticam vnionem humanitatis ad Verbum, ex quo errore necessario inferebatur hæc consequētia, scilicet, alius error, quem retulimus circa istud sacramentum, etenim si humanitas Christi in cœlo nō est vnita hypostatice filio Dei, neque etiam in hoc sacramento vnionem hanc hypostaticam habebit.

Synodus Ephesina.

Primus igitur hæreticus qui specialiter errauit circa realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia fuit Berengarius, qui post annum Domini millesimum quinquagesimum cepit diuulgare in ecclesia Latina hæresim negantem realem præsentiam corporis Christi, & sanguinis sub speciebus sacramentalibus. Quibusdam verò placet primum Auctorem huius hæresis non fuisse simpliciter Berēgariū, sed Io. Sco. Monachum Benedictinēsem, qui fuit Berengarij Magister, & scripsit quemdam libellum de isto errore. Cæterum Berengarius fuit, qui primum diuulgauit istum errorem & fuit damnatus in multis Concilijs. Vercellensi, Turonensi, & duobus Romanis, de qua re legēdus est Platina in vita Leonis 9. Berengarius abiurauit suum errorem in quodam Concilio Romano conuictus, vt refertur in capit. Ego Berengarius de consec. d. 2. Iste error postea fuit suscitatus à Ioanne Vuiclesso, & damnatus in Concilio Constantiense sess. 8.

Primus hæreticus circa existentiam corporis Christi in sacramento Eucharistia.

Platina.

Inter hæreticos Lutheranos fuit à principio magna discordia super hanc rem; etenim Carolstadius, quem fuerunt sequuti Caluinus, & Oecolampadius, & alij qui vulgo appellati sunt sacramentarij, docuerunt prædictum errorem. Vuiclef Cæterum Lutherus quamuis nimium desiderauit, vt refert Decanus Louaniensis art. 13. fere à principio animum inducere in eamdem sententiam, tamen quoniam Verba Christi dicentis. Hoc est corpus meum, adeo manifesta visa sunt illi, vt nullam interpretationem admitterent secundum quam verisimiliter posset negari realis præsentia corporis Christi in Eucharistia; idcirco quamuis in alijs multis erret circa hoc sacramentum, in hoc tamen nō errauit, sed libere fatebatur aduersus alios hæreticos realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento. Sed tandem inter Lutherum, & alios hæreticos inita fuit concordia; ita vt alij hæretici cum Luthero faterētur in actuali vsu huius sacramenti realiter adesse præsens corpus Christi, Lutherus autem illis concessit, quod ante vsum, & post vsum actualem Eucharistiæ non erat ibi præsens realiter Christi corpus, ex quo inferebāt hoc sacramētum non esse reseruādum in sacrario pro infirmis, quia nō manebat ibi realiter Christus. Quidam Petrus Caluini discipulus dicebat, quod Christus in vltima cœna realiter se exhibuit discipulis, sed non corporaliter, cuius sensus erat, quod in hoc sacramēto Christus realiter operatur effectus gratuitos, non tamen existit ibi realiter. Breuiter omnes hæretici sacramentarij in hoc conueniunt, vt negent realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento adesse, quam sententiam sic primo probant.

Decanus Louaniensis.

Ex nullo sacræ scripturæ loco colligitur realis præsentia corporis Christi in hoc sacramento, ergo non tenemur secundum fidem illam confiteri, probatur antecedens; nam ex isto testimonio Matth. 26. Hoc est corpus meum, quod est præcipuum in hac materia, hoc nō colligitur, quoniam istud testimonium commode potest explicari uno ex duobus modis, primo ita, quod verbum est, idem valeat, quod significat, & sensus sit, hoc significat corpus meum, hæc n. expositio non est aliena à phrasi scripturæ sacræ; etenim Genes. 41. vbi dicitur septem boues pulcræ, & septem spicæ plenæ septem vbertatis anni sunt, &c. illud verbum sunt, idē posset, quod significant, & Lucæ 8. semen est verbum Dei, ergo non fiet violentia textui, si ista verba. Hoc est corpus meum, explicentur isto modo. Secundus sensus est, quod corpus meum idem sit, quod figura corporis mei, hanc explicationem adhibet Aug. lib. contra Adimantum, c. 12. inquiens non dubitauit Christus dicere Hoc est corpus meum cum figuram corporis sui traderet, & psal. 3. inquit, quod Christus admisit Iudam, cum figuram corporis sui discipulis tradidit. Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem circa finē ita dicit. Hoc est corpus meū, i. hoc est figura corporis mei, at si in altero horū sensuum, hæc verba intelligātur nō intelligitur ex illis realis præsētia corporis Christi, quin potius oppositum. Ergo, &c & confirmatur, hæc verba commode posse accipi non secū sum proprietatem verborum, sed secundum tropum, & figuram, probatur ex contextu; nam statim post illa verba dixit Dominus. Hoc facite in meam commemorationem, quæ verba etiam retulit Paulus 1 Cor. 17. & subdit. Quotiescumque manducabitis panem hunc mortem Domini annunciabitis: ecce quomodo hoc sacramentum asseritur esse commemoratiuum Christi, ergo absque violentia ea quæ dicuntur de hoc sacramēto possunt explicari per figuram.

D. August.

Tertull.

Secundo arg. secundum eumdem sensum explicari debent verba consecrationis panis, secundū quem intelliguntur verba consecrationis calicis, sed verba consecrationis calicis explicāda sunt per figuram, ergo, &c. min. probatur. In forma consecrationis calicis multa verba ponuntur, quę figuratè sunt intelligenda; dicitur ibi Mysterium fidei, noui, & æterni testamenti, dicitur etiam calix, at ista omnia sunt figuratè accipienda, ergo & ita forma consecrationis calicis potest absque violentia dum nexus per figuram interpretari, & secundum quamdam spiritualem intelligentiam. Confirmatur nam August. lib. 3. de doct. Christiana c. 16. & Ioan. 10. illa verba nisi manducaueritis interpretatur per figuram; dicit enim figura hæc est, qua præcipitur, vt passionem Christi suauissime recolamus, eadem sane dicit D. Bernardus ser. 3. super psal. Qui habitat, ergo secundum eamdem figuram interpretari possunt illa verba. Hoc est corpus meum: nam in vtroque testimonio sermo fit de eadem re. Denique legatur Aug. in epistola 23. vbi hoc sacramentum spiritualiter interpretatur, sequens regulam ab ipsomet statutam in lib. de 8. quæstionibus, q. 6. scilicet, quod imagines rerum quandoque accipiunt nomina earum rerum quarum sunt imagines, ex qua regula colligit August. quod quia illud sacramentum similitudinem gerit corporis, & sanguinis Christi appellatur corpus, & sanguis Christi.

D. August.

D. Bernard.

Tertio si in hoc sacramento esset realiter corpus Christi antiqui Patres magna cum reuerentia illum pertractassent, hoc autem non ita factum est; legimus enim in Ecclesiasticis historijs quod sacerdotes sanctissimi mittebant ad infirmos hoc sacramētum per pueros, & in cophanis panū, & alijs modis parum decentibus, de qua re legendus est Eusebius lib. 6. historiæ ecclesiasticæ, c. 34. & Alphonsus de Castro cōtra hæreses verbo Eucharistia hæresi 4. ergo, &c. confirmatur, quoniam si Apostoli intellexissent in vltima cœna, quod Christus exhibebat illis verum corpus, & verum sanguinem suum non sumpsissent hoc sacramentum absque magna reuerentia ipsum adorantes, at non legitur in Euangelio, quod Apostoli specialem aliquam reuerentiam huic sacramento exhibuerint, ergo, &c.

Eusebius.

Alphonsus.

Quarto præsentia realis corporis Christi in hoc sacramēto ex eo potissimum colligitur, quod sacra Concilia, immo & sacræ literæ dicant Christum dedisse nobis corpus suū, sed ex hoc non colligitur efficaciter realis corporis Christi præsentia, ergo, &c. min. probatur: nam scriptura sacra dicit Spiritum sanctum datū fuisse Apostolis in linguis igneis, ex hoc tantum nulla ratione colligitur, quod Spiritus sanctus daretur Apostolis sub illis linguis contentus, sed satis fuerit ad explicandum illud dictum scripturæ, quod virtus Spiritus sancti specialem quamdam vim haberet tunc in

Apostolis

Digitized by Google

Apostolis explicatam per linguas igneas, ergo satis est in proposito, quòd corpus Christi habeat specialem quamdā virtutem in hoc sacramento.

Quinto arguitur, & est primum argumentum principale Doct. sub speciebus panis non consecrati, non continetur realiter corpus Christi, ergo nec post consecrationem, antecedens est manifestum, & consequentia probatur: quia species illa non se habet aliter in se post consecrationem quam antea, & si dicas, quòd ante est in subiecto, & post nō in subiecto, accipit quòd non aliter se habet in habitudine ad corpus Christi post consecrationem, quia tuum esse in subiecto, vel non esse in subiecto nullo modo variat habitudinem, at impossibile est aliquid esse vbi prius non fuit, nisi vel illud mutetur, vel illud in quo est de nouo, cum ergo species panis non mutetur in habitudine ad corpus Christi, ergo necesse est corpus Christi mutari in habitudine ad species ad hoc vt sit ibi de nouo, sed hoc est falsum, quia corpus Christi immutabiliter manet in cœlo, secundū D. August. in psal. 54. & habetur de consecr. d. 2. prima Genesis. Donec finiatur sæculum sursum est Dominus, ergo &c.

His tamen non obstantibus fit prima conclusio. Certa fide tenendum est Christi corpus, & sanguinē realiter, & secundum veritatem sub speciebus sacramentalibus contineri. Probatur conclusio authoritate, & ratione, primo ex Cōcilio Trident. sess. 13 c. 1. cuius sunt verba. Principio docet, & profitetur Sanctaq; Synodus in almo Sacramento Eucharistia post consecrationem panis, & vini, Dominum nostrū Iesum Christum Deum verum, & hominem realiter, & substantialiter sub specie rerum sensibilium contineri. *...ncilium ...identinū.*

Secundo probatur ex traditione ecclesiæ, quia ista veritas fidei expressè tradita fuit ab initio temporis, quo ipsa Eucharistia fuit instituta à Christo, & per Apostolos promulgata vsque ad nostra sęcula, quæ traditio manifeste colligitur ex grauissimis testimonijs, quæ referri solent à Theologis de hac re scribentibus, & confirmatur: quoniam cum primum illa sententia, quę negat realem præsentiam Christi in hoc sacramento fuit audita in Ecclesia, exortum fuit ingens scandalum inter fideles, & vocauerunt ad Pontificē Romanum, fueruntque congregata Concilia ad tractandum de ista re, & sententia illa ab omnibus catholicis fuit condemnata, signum ergo est manifestum, φ veritas ista catholica erat insita cordi ecclesiæ, & in magno pretio habita tanquam à Christo, & eius Apostolis accepta. Ex hoc sequitur Vuiclef mentitum fuisse in caput suum, dicens φ in primo millinatio à Christi natiuitate non fuit auditum in ecclesia corpus Christi realiter contineri in hoc sacramento; sed post millenarium hanc doctrinam fuisse excogitatam.

Tertio probatur ex verbis illis Christi Domini Mat. 26. & Lucæ 22. vbi postquam cęnauit dixit illa verba. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus; sed Christus non est mentitus, nec potuit mentiri, ergo in sacramento Eucharistiæ vere sunt corpus, & sanguis ipsius. Sed respondent hæretici, quòd ista verba non sunt accipienda in proprio sensu, sed in sensu figuratiuo, sicut illa verba quæ Christus Dominus dixit Ioan. 15. Ego sum vitis vera, Christus enim non erat vitis in proprio sensu, sed symbolice appellauit se vitē, ita dicunt hæretici in Eucharistia non est corpus, & sanguis Christi, sed panis, & vinum dicuntur corpus, & sanguis Christi; quia sunt corporis, & sanguinis figura, sicut etiam Apostolus dixit symbolice 1. Corint. 11. Petra autem erat Christus.

Hoc hæreticum commentum refellit Doctor dicens esse omnino contra Saluatoris nostri intentionem, quod probat ex D. August. lib. 83. q. 9. 19. dicente solet circumstantia Scripturarum illuminare sententia. Vniuersaliter enim intellectus verborum Christi colligitur ex antecedentibus, & consequentibus ibidem, vel ex alijs Sacræ scripturæ locis, atque ita potest haberi, quando Christus loquitur in proprio sensu, vel figuratiuo, & lib. 3. de Doct. Christiana, c. 9. & 10. omnia verba Scripturæ in sensu proprio, sunt interpretanda, & non est confugiendum ad figuram, nisi vel ex antecedentibus; & subsequentibus id colligatur, vel ex sensu proprio aliquod absurdum contra fidem, aut mores sequatur: quę regula adeo certa est, vt si ab illa recedatur nullam fidei mysterium poterit certo colligi ex contextu sacrarum litterarum; nam si ad libitum verba scripturæ possunt interpretari in sensu figurato, vel proprio, nulla est tàm aperta veritas in Sacris litteris conscripta, quæ huiusmodi interpretationibus non possit labefactari: illa enim verba Ioan. 1. Verbum caro factum est; si hanc regulam non teneamus, per tropum, & figuram interpretari poterunt, atq; ita mysterium incarnationis ex Sacris scripturis non poterit efficaciter probari; quo circa erroneum esset hanc regulam D. Augustini negare. Ex quo fundamento colligitur, φ illa verba. Ego sum vitis vera sunt accipienda figuratiue, siue symbolice, nam postea subdit, & vos palmites, patet autem Apostolos non fuisse palmites nisi figuratiue, & symbolice, atque adeo cum hæc verba sequentia sumantur figuratiue, infertur manifeste, quòd etiam antecedētia sumi debent figuratiue, colligitur insuper, φ hæc verba. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, sunt accipienda in proprio sensu, quod inde probatur φ cum Christus Dominus dixisset. Hoc est corpus meum, subdidit quod pro vobis tradetur, constat autem quod nobis non erat tradenda figura corporis, sed ipsum verum corpus ipsius, & similiter postquam dixit. Hic est sanguis meus, subdidit qui pro vobis effundetur, cum ergo posteriora, & subsequentia verba non possint capi figuratiue infertur euidenter, quòd neque priora, & antecedentia; maxime; quia Ioan. 6. dicitur de hoc sacramento. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. *...gust.*

Sed contra adhuc instant hæretici, quia Ioan. 6. dicitur. Multi audientes ex discipulis hunc Christi sermonem dixerunt. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? & ibidem dicitur, quod abierunt quidam retrorsum propter hunc sermonem, & reliquerunt Iesum, quibus Christus dixit explicans se ipsum. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, verba quæ loquor vobis spiritus, & vita sunt; quæ verba pertractans D. Augustinus dicit. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, nec sanguinem effundendum, sacramentum aliquod vobis commendaui spiritualiter intellectum viuificabit vos, ergo ex verbis Christi, & Augustini videtur quòd Christi verba non sunt accipienda pro vero corpore, & sanguine Christi, sed in sensu figuratiuo, & spirituali. Respondet Doct. cum Magistro in littera, φ neque Christus, neque D. August. explicans verba Christi, negat veritatem corporis Christi in hoc sacramento; sed dicit quòd non est in sacramento corpus Christi carnaliter, eo modo quo illi, qui retrorsum abierant intellexerunt, scilicet visibiliter in forma propria; sed spiritualiter, & intellectualiter, vnde dicit idem D. Augustinus ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod videbatur manducatur, ipsum inuisibiliter, non ipsum visibiliter. *D. August.* *Scotus & Magister.*

Dicit ergo Scotus cum Magistro in littera, quòd duobus modis possumus manducare verum Christi corpus, vno modo sub forma visibili, & iste modus est materialis, & crassus, in quo sensu acceperunt Christi verba illi discipuli, qui abierunt retrorsum; Alio modo potest manducari verum Christi corpus, & verus sanguis bibi sub forma inuisibili, sub qua forma est in hoc sacramento, & hic modus dicitur spiritualis, & intellectualis; intellectualis quidē, quia Christus in hoc sacramento sentiri non potest, intelligi vero per fidem maximè potest, spiritualis vero, quia Christus in hoc sacramento est per modum substantiæ spiritualis totus in toto, & totus in qualibet parte. Sic etiam Procopius Gazzeus in Exodum. & D. Cyprianus serm. de cœna Domini dicunt, illi qui dicebant. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, sic putabant carnem exhibendam sibi, quomodo in foro venditur, aut in cadauere dilaniatur, vt autem Dominus eos ab hac sententia amoueret. Caro (inquit) non prodest quicquam, spiritus autem viuificat, caro nimirum sic intellecta cruda, id est eo modo porrecta, quo quæ mortua est, & dilaniata; spirituali enim modo percipitur, alioquin non prodest quicquam ad mysterium; vbi enim esset fidei locus si omnia oculis paterent? *Duobus modis pōt verū Christi corpus manducari.* *Procopius.* *D. Cyprian.*

Denique inquit Scot. Sancti omnes exponentes loca Sacræ Scripturæ citata, & ea quæ apud Paulum 1. Corint. 11. de Eucharistia fuse pertractantur, vnanimiter docent esse intelligenda de reali præsentia corporis Christi in hoc venerabili sacramento, & non figuratiue, atque adeo hæresis est sentire, quòd non est in hoc sacramento verum Christi corpus. Et hæc tūnē magni fecit Concil. Trident. sess. 13. c. 3. vbi dicit quòd verba Christi præseferunt propriam illam, *Conc. Trid.*

&

Digitized by Google

& manifestissimam intelligentiam, secundum quod à Patribus semper fuerunt intellecta.

Vbi obser. est Scot. & Concilium non probasse hanc propriam intelligentiam verborum Christi ex communi Patrum, & Ecclesiæ sensu, sed è contra, probant q communis Patrum, & Ecclesiæ intelligentia est accipienda vt consentanea catholicæ veritati, ex eo quod verba Christi apertissimá præseferunt eamdem intelligentiam, & eumdē sensum, quæ argumentatio aduersus hæreticos, qui non admittunt ecclesiæ authoritatem est magni momenti; Et in hoc Caietanus quam plurimum defecit, qui eneruauit vim huius argumenti contra hæreticos sacramentarios: dixerat enim in Comment. art. 1. q. 75. 3. p. qui iussu Pij V. in Romana editione merito expunctus est, seclusa ecclesiæ auctoritate, verba illa ad veritatem, hanc confirmandam non sufficere, cuius oppositum Conc. Trid. c. 4. manifeste docet si verba eius perpendantur, ibi enim docet illa verba Christi Domini ex proprietate sermonis intelligenda esse de reali præsentia corporis Christi. Et si quis dicat rationes Scoti probare, q sub speciebus panis, & vini, quas Christus Dominus cōsecrauit continebatur verum eius corpus, & sanguis, non autem sub speciebus consecratis ab aliquo alio; Iam Scotus respondit huic argumento supra d. 4. q. 1. vbi docuit Christum Dominum dedisse illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem Apostolis, & sacerdotibus authoritatem consecrandi, & offerendi verum ipsius corpus, & sanguinem.

Caiet.

Et si iterum dicatur, verum corpus Christi actualiter esse in hoc sacramento, in ipsomet huius sacramenti vsu, cæterum ante vsum, & post vsum actualem Eucharistiæ non esse ibi præsens realiter corpus Christi, quemadmodum hæretici Lutherani dicunt. contra sit secunda conclusio.

2. Conclusio. Conc. Trid.

Secunda conclusio. Corpus Christi continetur in hoc sacramento permanenter, non tantum in vsu. Hæc conclusio definita est in Concil. Trident. sess. 13. can. 4. & cap. 4. vbi duplex ratio insinuatur à Concil. pro hac veritate, prima est. Antequam Christus in vltima cœna traderet discipulis hoc sacramentum dixit: Hoc est corpus meum; hæc autem verba non poterant verificari, nisi esset ibi corpus Christi antequam à discipulis sumeretur, ergo corpus Christi est in hoc sacramento, ante eius vsum. secunda ratio est, sacramentum Eucharistiæ differt ab alijs sacramentis, quod alia consistunt in vsu, hoc autem sacramentum in consecratione, vel vt potius loquamur in materia consecrata, ergo corpus Christi non est tantum in vsu; sed permanenter, sicut etiam materia est permanenter consecrata.

Probatur præterea. Corpus Christi est in hoc sacramento ex vi consecrationis, sed consecratio præcepit vsum; ergo ante vsum huius sacramenti est in illo corpus Christi.

Maior probatur. Hoc sacramentum conficitur per consecrationem sacerdotis proferentis illa verba Christi. Hoc est corpus meum, vt definit Concil. Florent. in decreto Eugenij Papæ iiij. sed confectio huius sacramenti; in hoc consistit, quòd corpus Christi constituatur præsens sub speciebus panis, ergo &c.

Conc. Flore.

Vltimo probatur. Si præsentia corporis Christi in Eucharistia tantum est in vsu fidelium, sequitur quòd vsus fidelium conficiat hoc sacramentum, & non sola sacerdotalis consecratio, consequens præterquam quod aduersatur definitioni Concil. Florent. loco citato, & Concil. Lateranen. si in c. Firmiter, est etiam contra manifestam rationem, quoniam vsus fidelium nullam vim habet sanctificatiuam, & sacratiuam Eucharistiæ, ergo &c.

Hostia consecrata religiose seruatur in sacrario.

Ex his sequitur primo, quod hostia consecrata religiosè, & prudenter seruatur in Sacrario Ecclesiæ, & ad excitandam deuotionem fidelium, & vt conferatur in viaticum infirmis; patet, quia ibi realiter perseuerat corpus Christi, istam veritatem definit Concil. Trid. sess. citata canone 7 & in cap. 6. docet quòd consuetudo seruandi Eucharistiam in Sacrario adeo est antiqua, vt cognouerit sæcula Concil. Nicæni primi; Et notandum est, quòd ista consuetudo etiam in Concil. Nicæno appellatur lex antiqua, id est, consuetudo antiqua, ita quòd illa consuetudo in tempore Apostolorum incepit, cuius etiam meminit Concil. Lateranense primum cap. 20. & Honorius iij. in cap. Sanè de celebratione Missarum.

Conc. Nica. Concilium Lateranēse, Honorius iij.

Secundo sequitur, quòd religiose Eucharistia circumfertur in diebus festiuis cum processionibus cum reuerentia populi, patet, quia reuera est ibi Christi. Istum ritum Ecclesiæ reprehendunt hæretici Lutherani, sed illos damnat anathemate Concil. Trid. sess. citata can. 6.

Conc. Trid.

Ex his respondetur ad argumenta. Ad primum negatur antecedens, ad probationem dicitur, quòd neutra intelligentia ex his, quæ ibi asseruntur potest accommodari illis Christi verbis, quoniam licet vtraque explicatio verè consentiat quibusdam locis Scripturæ Sacræ, & ita illud testimonium Pauli 1. Corint. 10. Petra autem erat Christus, solet explicari secundum vtrāque intelligentiam, Petra significabat Christum, & Petra erat figura Christi, cæterum huiusmodi intelligentiæ proprie, & figurate non sunt libere concedendæ, & accōmodandæ Scripturis sacris, sed cum ratio id expostulauerit, nimirum quando ex antecedentibus, & subsequentibus verbis talis interpretatio similiter colligitur, vt diximus supra ex sententia D. Augustini, alia autem verba Scripturæ sacræ in proprietate sermonis sunt vniuersaliter accipienda. & quidem illud testimonium modo citatum à D. Paulo idcirco modo explicatur in sensu figurato, & improprio, quia ex verbis præcedentibus colligitur, quod non est intelligendum secundum proprietatem sermonis, prædixerat enim Paulus, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, ex quibus verbis constat, quod verba sequentia, scilicet Petra autem erat Christus in sensu spirituali, & figurate sunt accipienda. In proposito autem vt ostendimus in probatione primæ conclus. nil impedit quando per antecedentem, & subsequentem sermonem cuius sit prætermittenda propria intelligentia verborum Christi, & reuertendum sit ad sensum improprium, & figuratum; præterea ex alijs testimonijs Scripturæ de hac materia, vt Ioan. 6. & 1. ad Corint. 10. constat aperte, quòd illa verba intelligenda sunt, secundum proprietatem sermonis.

Ad testimonia Augustini, vt respondeamus obseruandum est, quòd Doctores, & Patres Ecclesiæ varijs in locis suorum operum hanc veritatem catholicam explicauerunt, vt constat ex testimonijs, quæ referunt authores supra citati, & quæ referunt Roffensis in præfatione lib. 4. contra Oecolampadium. & Sixtus Senensis in bibliotheca quinta, lib. 6. annotatione 196 præcipuè videndus est D. Augustinus epistola 23. & tract. 84. super Ioannem. & super psal. 21. concione 1. & 2. & in decreto d. 2. in cap. Hoc est, & in cap. Verum sub figura; sed tamen quoniam in illo sæculo non premebatur insidijs hæreticorum Ecclesia circa istam veritatem, idcirco quandoque Sancti Patres non obseruauerunt omnimodam sermonis proprietatem cum tractarent de hoc sacramento, nec tantam adhibuerunt cautelam, sicut nunc propter hæreticos est adhibenda, quo circa huiusmodi dicta, non tàm sunt imitanda à nobis, quam cum veneratione explicanda, habent enim verum sensum.

Ad explicanda autem testimonia Patrum tres regulas colligit Sixtus Senensis vbi supra ex grauissimis authoribus. prima in hoc sacramento species sensibiles sunt sacramentum tantum; corpus autem Christi, sub speciebus contentum est res, & sacramentum simul: id quod est sacramentum; tantum est signum eius, quod est res & sacramentum simul. secunda duplex est modus manducandi hoc sacramentum, spiritualis, & sacramentalis, & ista consistit in sumptione corporis, & sanguinis Christi sub speciebus; & hic modus communis est iustis, & peccatoribus, spiritualis vero consistit in hoc quod percipimus fructum huius sacramenti, quæ perceptio potest haberi simul cum manducatione sacramentali in re, & cum sola manducatione in voto, hæc posterior manducatio iustis tantum hominibus competit, & sine illa prior manducatio nihil prodest æterna regula. Præsentia corporis Christi est duplex, altera manifesta, & visibilis, secundum quam olim conuersatus fuit cum hominibus, & nunc existit in cœlo, altera vero occulta, & inuisibilis, secundum quam continetur in hoc sacramento sub velamine specierum sensibilium. Iuxta primam regulam explicanda sunt omnia testimonia Patrum in quibus asseritur corpus Christi contineri in sacramento tantum in signo, & figura, & quod hoc sacramentum est signum, & figura corporis Christi. Loquuntur enim patres de eo quod est sacramētum tantum, quod vt diximus est signum corporis Christi, quod est res, & sacramentum simul.

Iuxta

Iuxta secundam regulam explicandi sunt Sancti Patres, cum interpretantes illa verba Ioan. 6. Nisi manducaueritis &c. dicunt sermonem fieri de manducatione spirituali, quæ fit fide per charitatem formata, volunt dicere quòd manducatio sacramentalis corporis, & sanguinis Christi nihil prodest, nisi simul adsit manducatio spiritualis, ita quod non reiciunt sacramentalem manducationem, sed dicunt illam esse inutilem seorsum sumptam, neque à Christo intentam, nisi propter manducationem spiritualem, quę sola si non ad sit copia manducationis sacramentalis in re proderit ad salutem.

Iuxta tertiam regulam interpretandi sunt sancti cum dicunt, quòd post ascensionem Christus non in terra, sed in cœlo tantum quærendus est; loquuntur de Christo secundum formam visibilem, & manifestam, & non secundum modum inuisibilem, quo est in hoc sacramento; & per eamdem regulam explicandi sunt cum dicunt, vt inquit Augu-

D.Thomas. stinus citatus à D. Thoma 3. p. quæst. 75. artic. 1. quòd corpus Christi non est manducandum illud, quod fuit in mensa, quando fuit institutum hoc sacramentum, & quod non est bibendus ille Christi sanguis, qui fuit effusus in cruce; loquuntur sancti de corpore, & sanguine Christi Domini secundum substantiam: nam eadem substantia comeditur, & bibitur, sed non secundum modum illum visibilem, & manifestum, quem corpus, & sanguis Christi habent extra istud sacramentum.

Damascen. Possemus adijcere quartam regulam, quæ colligitur ex Damasceno lib. 4. de fide c. 14. Scilicet quod panis, & vinum in altari ante consecrationem possunt appellari signum, & exemplum corporis, & sanguinis Christi, quæ sunt post cōsecrationem sub his speciebus, iuxta istam regulam inter-

D.Basilius. pretatur Damascen. D. Basilium asserentem panem, & vinum esse exemplaria corporis, & sanguinis Christi. Basilius apertissimè alias docuit veritatem catholicam sermo 2. de Bapt. cap. 3. & in Epistola ad Cęsareum; His suppositis illa duo testimonia Augustini citata in argumento, in quibus dicit corpus id est signum, & figura corporis. Aliqui authores ita interpretantur, quod corpus Christi prout continetur sub speciebus sacramentalibus appellatur ab Augustino signum, & figura ipsiusmet corporis Christi, prout erat in propria specie istius sacramenti; ita interpretantur Augu-

Decanus Louaniensis. Rofensis. Constantius. stinum Decanus Louaniensis lib. citato, & Rofensis lib. 2. contra Oecolampadium ca 22. & Marcus Antonius Constantius, siue Stephanus Vtoniensis in lib. confutationis cauillationum contra hoc sacramentum obiectione 129. hæc interpretatio est satis vero similis, si Eucharistia consideretur in ratione sacrificij, etenim corpus Christi contentum sub speciebus, quatenus incruenta oblatione sacrificatur repræsentat semetipsum, quatenus cruēto sacrificio fuit immolatum in cruce; cæterum si Eucharistia sumatur in ratione sacramenti non est iàm vero similis ista explicatio; quoniam corpus Christi quatenus est res, & sacramentum simul solum significat illud, quod est res tantum in Eucharistia, at corpus Christi prout existit extra sacramentum non est res sacramenti Eucharistiæ, ergo non significatur per ipsum corpus Christi contentum sub speciebus, quatenus est res, & sacramentum simul.

Quoniam igitur D. Augustinus videtur loqui de Eucharistia prout est sacramentum, & non solum prout est sacrificium, vt colligitur ex Epistola 23. vbi ferè habet eamdem sententiam, ideirco aliter à nobis est interpretandus. Igitur D. Augustinus interpretandus est in illis locis iuxta primā regulam, ita vt sit sensus, quod species sacramentales, quoniam sunt sacramentum tantum, appellentur corpus Christi quatenus sunt signum & figura eius; sed dices ergo illa verba Christi. Hoc est corpus meum secundum Augustinum possunt intelligi, & explicari verè de signo corporis Christi, atque adeo non sunt necessario intelligenda de reali præsentia corporis Christi. Respondetur primo, quòd D. Augustin. ita asserit illa verba posse intelligi de signo corporis Christi, quòd simul docet esse signum corporis Christi ibi existentis, nam in loco citato contra Adimantum dicit, quod sicut sanguis, animalis dicitur eius vita, quia est signum vitæ animalis, ita hoc sacramentum dicitur corpus Christi quatenus est signum eius; at sanguis est signum vitę animalis non vtcumque, sed vitę existentis simul cum sanguine ergo, &c.

Ad confirmationem respondetur, quod ea quæ pertinent ad realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi accipienda sunt, secundum proprietatem sermonis, vt constat ex dictis, ea verò quæ pertinent ad passionem, & mortem Christi in ministerio, & repræsentatione sunt accipienda, quoniam in hoc sacramento non realiter occiditur, & mactatur Christus, sed repræsentatur mors, & passio, quæ fuit in cruce peracta, & quantum ad hanc repræsentationem passionis Christi, istud sacramentum est rememoratiuum.

Ad secundum argumentum respondetur, quod non excludimus omnes figuratas, & improprias loquutiones à forma huius sacramenti nam aliquot sunt sine dubio admittendę, præsertim in forma sanguinis, sed tantum illas reijcimus, quæ non compatiuntur secum realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia.

Ad confirmationem patet solutio ex regulis statutis in solutionem ad primum.

Ad tertium respondetur, quòd vel ex eo efficaciter colligitur semper fuisse persuasum in Ecclesia Christum realiter contineri in Eucharistia, quòd semper hoc sacramentum summa cum veneratione tractatum fuit à fidelibus; vt enim constat ex multis decretis, quæ habentur de consecr. d. 2. præsertim ex capitibus, quod fuit decretum Clementis Pontificis, vt ex cap. Si per negligentiam, ex Pio. 1. &c. In sancta de consecrat. d. 1. ex Sixto primo, & ex Conc. Altisiodorensi can. 36. & ex conc. Remensi can. 2. & refertur in cap. Peruenit de consecrat. d. 2. vt constat ex his decretis, & alijs, numquam permissum fuit laicis, & fœminis contingere hoc sacramentum suis manibus; imò neque vasa sacra, & corporalia, & alia, quæ pertinent immediatè ad cultum huius sacramenti, vt in capit. citato peruenit, expressé prohibetur laicis, & fœminis deferre ad infirmos istud sacramentum, quòd si aliquando istud sacramentum fuit celebratum in vasis ligneis, & fictilibus, hoc referendum est non ad defectum cultus, & reuerentiæ, sed ad paupertatem, qua primitiua ecclesia premebatur. Ille autem casus, quem retulimus ex Eusebio libro sexto, capitulo 44. primo potiet adhibi simpliciter sacerdotis, qui zelo, non secundum scientiam motus misit Eucharistiam ad infirmum per manus pueri, quia ipse infirmitate detentus deferre non potuit; quo circa casus iste fuit singularis, & præter communem vsum Ecclesiæ.

Præterea dico, quòd olim in Ecclesia propter sęuitiam Tirannorum infidelium non permittebatur fidelibus facilis aditus ad Ecclesias, neque permittebatur, quòd cum solemnitate, & debita reuerentia deferrent Eucharistiam ad infirmos, sed latenter, & absque debita reuerentia.

Ad confirmationem respondetur primo, quòd forsassis Apostoli adorauerunt hoc sacramentum cum illis fuit à Christo traditum, quamuis id non expresserint Euangelistæ; non enim omnia, quæ in illa mensa contigere, explicuerunt Euangelistæ.

Secundo respondetur, quòd sicut Apostoli propter nimiam familiaritatem, quam habebant ad Christum non semper illum adorabant in propria specie, sed cum illo fabulabantur, & sedebant, ita quia erant commensales eius, sedentes cum ipso ad mensam, non erat opportunitas, vt ipsum venerarentur externa veneratione eis adhibitum in cibum, & potum, sed satis fuerit, quòd interna veneratione ipsum adorarent, quod sine dubio credendum est ita factum fuisse.

Ad quartum dicitur primo, quòd Concilia, & Sancti Patres expresse definiunt Christum dedisse nobis corpus, & sanguinem suum, non solum quantum ad virtutem, & effectum, sicut solent dicere de Spiritu sancto, sed etiam quantum ad realem, & corporalem præsentiam, vt constat ex testimonijs adductis.

Secundo dicitur, quòd cum Spiritus sanctus dicitur in Sacris literis missus, aut datus in linguis igneis, aut in specie columbę, numquam dicitur quod columba, aut contentum sub eius specie esset Spiritus sanctus, sicut dixit Christus. Hoc (i. contentum sub his speciebus) est corpus meum; & similiter dicendum est de missione sub linguis igneis, vnde non est eadem ratio in verificando scriptura de præsentia corporis Christi, & de missione Spiritus sancti quoniam aliter loquitur scriptura in vno, & aliter in alio.

Ad vltimum concedo aliquam mutationem nō tantum specierum quæ fiunt de subiecto sine subiecto, sed etiam aliam quæ fiunt præsentes corpori Christi, & cum hoc concedo nouam præsentiam corporis ad species, & ad istam est mutatio,

Digitized by Google

mutatio, & qualis est forma talis debet iudicari mutatio; Vel si non placet vti vocabulo mutationis, dicatur, quòd aliquis respectus extrinsecus adueniens nouus est sine com mutatione, nec mutari tunc erit ab alio in aliud ire, sicut dicit Greg. in moralibus, sed qualitercumque se habere aliter in se, vel ad alterum ex relatione extrinsecus adueniente, sed relatio non est mutatio tunc: quia ibi nihil nouum aduenit ex 7. Physic. tex. cap. 17. & 33. & ad authoritatem D. Augustini dicitur, quòd sursum est Dominus, id est nunquam mutabitur mutatione deperditiua loci, sed bene acquisitiua tantum.

D. Gregor.

ARTICVLVS II.

Vtrum veritas realis præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia sit habenda vt articulus fidei.

Durandus. Gabriel. Ledesma. Scotus.

DE hac re est duplex opinio, quidam enim vt Durandus in 4. d. 10. q. 1. num. 27. Gabriel in canone lectione 39. Ledesma in 4. q. 16. artic. 1. confitentur hanc veritatem tamquam art. fidei, quibus assentire videtur Scotus in 4. d. 9. q. 2. art. 1. & probatur primo: quia ista veritas non solum est expresse definita à Concilijs, & Pontificibus, verum etiam vt supra diximus, habetur expresse in sacris litteris, ergo est articulus fidei.

Secũdo probatur, hæc veritas est vna ex præcipuis, quas profitebatur Christiana religio, & habet specialem difficultatem ad credendum, ergo est articulus fidei, patet consequentia; quoniam istæ tantum duæ conditiones explicatæ in antecedenti requiruntur, vt aliqua veritas sit articulus fidei; vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 6. His tamen non obstantibus est alia opinio, quæ tenet hanc veritatem proprie, & simpliciter non esse articulum fidei, sed reductiuè tantum. Et ne quæstio de nomine esse videatur primum statuendum est omnes fideles teneri ad hanc veritatem explicite credendam, oportet enim vt possint se ipsos probare, & corpus Domini diiudicare vt 1. ad Corint. 11. dicitur, quod tamen sine hac fide præstare non possent, quia sine illa fieri non potest, vt debitus honor, ac reuerentia huic sacramento tribuatur.

D. Thomas.

Deinde dubium non est, quin hoc mysterium specialem habeat difficultatem à reliquis distinctam, vnde propter hanc duplicem causam potest hac veritas articulus fidei vocari, sed vt dicunt non est proprie, & simpliciter articulus fidei: patet, quoniam vt aliqua veritas catholica sit articulus fidei præter illas duas conditiones paulo ante assignatas aliæ duæ requiruntur, prima quòd talis veritas non sit reducibilis facile ad aliam primam veritatem priorem: nam articuli fidei sunt illæ veritates, quæ se habent vt prima principia in nostra religione, ad quas aliæ veritates reducuntur, ipsæ vero non reducuntur ad priores alias veritates.

Secundo, quòd talis veritas per se primo proponatur fidelibus ad credendum tamquam dogma fidei, & non ad operandum, volo dicere quod fideles tenentur per se primo ad credendum illam veritatem, eo quòd est veritas credibilis, & obligatio credibilitatis non oriatur ex eo, quòd fideles tenentur operari aliquid, quod facere non possunt, nisi prius illud credant; sed hæc duplex conditio deest huic veritati; prima quoniam vt referebam ex D. Thoma hæc veritas facile potest reduci ad alias priores veritates, quæ sunt articuli fidei. Secunda quoniam fideles idcirco tenentur explicite credere realem continentiam Christi in hoc sacramento, quia tenentur illud sumere cum illa reuerentia, quæ tanto sacramento debetur, ad quam sumptionem necessaria est explicita cognitio huius veritatis. Ita quòd hoc sacramentum non proponitur per se primo fidelibus vt obiectum credibile, sed vt obiectum operationis, scilicet per modum cibi, & potus, ergo ista veritas non est proprie & simpliciter articulus fidei. Potest tamen reduci ad illum eo modo (inquit Doct.) quo veritas alicuius sacramenti pertinet ad articulos fidei, nam tria possumus in hoc sacramento considerare, primum quod est omnibus sacramentis cõmune, scilicet sanctificare suscipientes, & secundum hoc potest reduci ad illum articulum. Credo in Sanctam Ecclesiã. Secundum quod habet peculiare est, quia continet corpus Christi, secundum veritatem, quod cum sit miraculum pertinet ad articulum omnipotentiæ. Tertium est quòd est sacramentum communionis iuxta, verbum Pauli 1. Corint. 2. Multi vnum corpus sumus, omnes qui de vno pane, & vno calice participamus peculiariter pertinet ad illam particulam symboli. Credo sanctorum communionem.

Ex his restant soluta argumenta contrariæ sententiæ, non enim satis est, quòd aliqua veritas sit proprie, & simpliciter articulus fidei, quod habeatur expresse in scriptura, neque sufficiunt conditiones assignatæ in secundo argumento.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sit in Eucharistia per loci mutationem.

DE hac re est duplex opinio, prima D. Thomæ 3. p. q. 75. art. 2. & 4 & D. Bonauenturæ in 3. d. 10. art. 1. q. 1. in responsione ad primum, & d. 11. art. 1. q. 1. & 3. Quos sequuntur Thomistæ, qui dicunt corpus Christi non esse in Eucharistia per aliquam sui mutationem, sed per mutationem, & conuersionem panis in ipsum corpus Christi. Dupliciter enim inquiunt aliquod corpus potest esse in loco, in quo prius non erat, primo per loci mutationem, vt quando ab vno loco in alium deducitur, vt si ignis, v. g. deduceretur ab aula in ecclesia. Secundo modo est aliquid in loco, in quo prius non erat sine sui mutatione, sed solum ea ratione, qua aliud in ipsum conuertitur, vt si aer in hac aula existens conuerteretur in aquam, aqua esset in aula sine loci mutatione, quia prius non erat in aliquo loco in quo modo non sit, consistit autem D. Thom. opinio in duabus conclusionibus.

D. Thom. D. Bonau.

Duobus modis potest aliquid esse in loco in quo non erat prius.

Prima conclusio. Christus non incipit de nouo esse in Eucharistia per loci mutationem. probatur. Quod mutatur secundum locũ amittit locum, quem antea habebat, sed Christus non reliquit locum, quem habet in cælo, ergo per loci mutationem non acquirit hanc præsentiam, consequentia est nota cum minori; & maior probatur, quia nequit intelligi acquisitio noui loci absque eo, quod relinquatur antiquus si per loci mutationem acquiratur. Secundo: quia Christus vt omnes fatentur non pertransijt omnia media, quæ sunt inter cœlum, & terram vt sit in sacramento; ergo non acquirit nouam præsentiam per loci mutationem, consequentia probatur, quia nequit intelligi acquisitio noui loci à corpore quanto nisi prius pertranseat omnia media. Tertio: quia impossibile est, vt vnum corpus moueatur simul diuersis mutationibus localibus, ergo corpus Christi non acquirit hanc præsentiam per loci mutationem, consequentia patet: quia contingit Christum acquirere simul hanc præsentiam in diuersis Eucharistijs existentibus in locis contrarijs. Vltimo: quia secundum hanc opinionem non tenemur concedere Christum mutari pluribus mutationibus, postquam ascendit in cœlum, quod est maximum inconueniens, & concessum alijs opinantibus.

1. Conclus.

Secunda conclusio. Christus incipit esse de nouo in Eucharistia per conuersionem panis in ipsum. probatur. Corpus Christi incipit esse de nouo in Eucharistia, & non per loci mutationem, ergo per conuersionem panis in ipsum, consequentia patet, quia non est alius modus, quo sit, aut possit esse præsens Eucharistię. Ex quo colligitur secundum D. Thomam conuersionem panis esse actionem substantialem, cuius terminus ad quem est esse substantiale corporis Christi, & terminus à quo panis ipse; atq; adeo huiusmodi conuersio terminatur per se primo ad substantiam corporis Christi, secundario vero ad præsentiam illius, quæ est accidens; quemadmodum generatio hominis per se primo ad substantiam, secundario vero ad accidentia, quæ consequuntur ipsam terminatur, similiterq. dicendum est de conuersione ligni in ignem; atq; ita sicut naturaliter genitum est vbi fuit prius corruptum, & non per aliquam loci mutationem propriam ipsius geniti, ita videtur quòd illud in quod conuersum est aliquod per conuersionem sit vbi prius fuit conuersum; non per loci mutationem propriam ipsius termini ad quem conuersionis, scilicet corporis Christi, sed solum termini à quo scilicet panis.

2. Conclus.

Et confirmatur hæc opinio D. Thomæ à Caiet. 3. p. q. 75. artic. 1. & à Soto dicentibus D. Thom. fundamentum suæ opinionis assumpsisse ex Conc. Lateranen. cap. Firmiter de Summa Trinitate, vbi ratio præsentiæ non datur alia nisi transubstantiatio: nam illa loquendi forma scilicet corpus, & sanguis sunt sub speciebus transubstantiatis pane in cor-

Caiet. Soto.

pus,

Digitized by Google

pus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina (cui poſtea Con cil. Florent. ſubſcripſit) conuerſionem plane cauſam eſſe de. notat præſentiæ. & Damaſcen. lib. 4. c. 14. ait corpus Chriſti eſſe in ſacramento non quòd ipſum ex cœlo deſcenderit, ſed quod ipſe panis, & vinum tranſmutatur in corpus, & ſanguinem Dei.

Rat. Secunda opinio eſt Doct. ſubt. in hac q. & d. 11 q. 3. & omnium Scotiſtarum, qui impugnat primo: opinionem D. Thom. deinde ponit opinionem propriam. Sed antequam ad explicationem impugnationis D. Thom. accedamus videndum eſt in quo conueniant, & differant D. Thom. & Scotus. conueniunt primo, quòd corpus Chriſti in Euchariſtia habet realem præſentiam nouam, quia eſt realiter de nouo præſens in Euchariſtia; ſecundo conueniunt hanc præſentiam eſſe in eodem prædicamento in quo eſt vbi: quia hæc præſentia cum ſit ens debet eſſe in aliquo prædicamento, non poteſt autem eſſe in alio quam in vbi, vt magis infra explicabitur de mente Scoti; tertio cõueniunt hanc realem præſentiam proprie loquendo non eſſe vbi: quia vbi dicit locum ambientem, Euchariſtia autem corpus Chriſti non ambit; quarto conueniunt ꝙ panis conuertitur, & tranſubſtantiatur in corpus Chriſti per verba cõſecrationis; quinto conueniunt ꝙ corpus Chriſti nõ eſt in Euchariſtia per motum localẽ; ſexto conueniunt ꝙ corpus Chriſti exiſtens realiter in Euchariſtia non relinquit cęlum. Differunt autem, quia ſm D. Thomam conuerſio panis in corpus Chriſti eſt ratio propter quam corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis, quod Scotus negat dicens, ꝙ corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis per realem ſui mutationem, quæ quamuis non ſit proprie mutatio localis reducitur tamen ad illã, cuius mutationis terminus ad quem eſt præſentia ad ſpecies, terminus verò à quo priuatio huius præſentiæ. Et ad hoc probandum tria facit Doctor. in hoc articulo primo probat, quod virtute diuina Chriſti corpus poſſet eſſe præſens ſub ſpeciebus panis ſacramentaliter ſine conuerſione panis in ipſum, & ex hoc probat ſecundo, quòd Chriſti corpus non eſt hic præſens per conuerſionem, vel ex vi conuerſionis; tertio probat quòd Chriſti corpus eſt præſens ſub ſpeciebus per aliquam ſui mutationem.

Quo ad primum ſupponit Doct. ſecundum D. Thom. ꝙ tranſubſtantiatio eſt mutatio ſubſtantialis eo modo quo conceditur eſſe mutatio, ſcilicet improprie: quoniam in mutatione proprie dicta manet aliquid ſub vtroque termino, ſupponitur ſecundo, quòd vbi præſentiale ſecundum quod corpus Chriſti eſt præſens hic, eſt reſpectus extrinſecus adueniens corpori Chriſti, & terminatus ad ſpecies panis, quibus corpus Chriſti eſt præſens. hoc ſuppoſito arguitur ſic. Reſpectus extrinſecus adueniens poteſt poni poſito fundamento, & termino, & agente applicante vnum alteri ſine quocumq; alio; ſed in propoſito ſine conuerſione poteſt poni fundamentum, ſcilicet corpus Chriſti, & terminus pura ſpecies, & agens applicans, ſcilicet Deus cauſans, vel cauſare potens talem reſpectum, ergo ſine conuerſione panis poteſt corpus Chriſti eſſe hic præſens.

Secundo probatur & eſt ſecundum argumentum. Doct. contra D. Thom. Deus poteſt facere corpus ſuum præſens cum pane manente ſubſtantia panis, ergo mutatio panis nõ eſt cauſa præſentiæ corporis Chriſti; probatur cõſequentia, quia tunc non erit præſens per aliquam mutationem, quæ ſit ad ſubſtantiam, vt ad per ſe terminum, quia non eſt noua ſubſtantia panis, & tamen per iſtam acquiritur præſentia eiuſdem rationis cum illa, quæ nunc habetur, ergo oportet quod per mutationem eiuſdem rationis, ergo per aliam heret quam per mutationem ſubſtantialem. probatur maior quia conuerſio ſubſtantiæ panis, & acquiſitio præſentiæ corporis, ſunt duæ mutationes, vel quaſi mutationes habentes duos per ſe terminos eſſentialiter diſtinctos, quorum vnus eſt prior natura alio: patet quia terminus primus eſt ſubſtantia corporis Chriſti, terminus ſecundus eſt præſentia ſub ſpecie, & prius eſt ſubſtantia corporis naturaliter, quam ſua præſentia ad quodcumque corpus, & eſſentialiter diſtinguitur ab illa præſentia: quia manet, & exiſtit non exiſtente illa præſentia; ſed aliqua mutatio poteſt eſſe ad talem terminum poſteriorem nulla mutatione poſita ad terminum priorem, ſicut patet expreſſe 8. Phyſic. tex. cap. 74. & 75. vbi vult Philoſophus quòd in cœlo eſt motus ſecundum vbi, licet non poſſit ibi eſſe aliqua nouitas, ſecundum formam abſolutam, cuius ratio eſt quia vbi, eſt quidam reſpectus extrinſecus adueniens, & non forma abſoluta. Cum ergo præſentia iſta, poſterior ſit ſubſtantia panis ſicut reſpectus abſoluto; & maximè ſubſtantia, ergo ſine mutatione aliqua circa ſubſtantiam panis poteſt eſſe noua præſentia corporis ad panem, atque adeo dare oportet mutationem aliquam ad huiuſmodi præſentiam, quæ non ſit ſubſtantialis, & per conſequens in propoſito per tranſubſtantiationem non habetur iſta præſentia, quia terminus eiuſdem rationis cuiuſmodi eſt præſentia non eſt proprie, & per ſe terminus duarum mutationum diſtinctarum ſecundum genus, ſcilicet conuerſionis ſubſtantiæ panis, & præſentialitatis ad ſpecies, nam præſentia quam haberet corpus Chriſti in pane non mutato per poſſibile, & præſentia quam nunc habet de facto poſt tranſubſtantiationem eſt eiuſdem rationis, ideo non poteſt eſſe terminus duarum mutationum diſtinctarum, ſicut eſt mutatio tranſubſtantiationis, & mutatio acquiſitionis noui loci ſine tranſmutatione panis.

Et ſi dicas, quòd argumentum concludit de poſſibili, ſed non de facto, quia poteſt fieri præſens cum ſubſtantia panis ſine ſubſtantiali mutatione, tamen nunc de facto ſit præſens per ſubſtantialem mutationem in corpus Chriſti, & non per aliam.

Contra. Si corpus Chriſti factum eſſet præſens pani poſſet Deus conuertere panem in ipſum, ergo per talem conuerſionem factam in corpus Chriſti præſens ſpeciei panis non fieret corpus Chriſti præſens. antecedens patet, quia non eſt magis contradictio, quòd in corpus præſens pani conuertatur ſubſtantia panis, quam quod modo conuertatur in corpus non prius præſens, conſequentia probatur, quia per poſitum corpus Chriſti eſſet præſens, vel oporteret dicere, quod fieret præſens poſtquam fuit præſens, & quod eadem præſentia terminaret duas mutationes dictas, ſcilicet acquiſitionis noui loci ſine conuerſione panis, & tranſubſtantiationis; quod fieri nequit, quia mutationes diſtinctæ diſtinctos habent terminos.

Baſſolus. Præterea tertio, & eſt argumentum Ioann. de Baſſolis. Non magis eſt impoſſibile Deo facere vnum miraculum tantum, quam facere duo miracula, quorum vnum non dependet ab alio, ſed faciendo corpus Chriſti eſſe præſens ſub ſtantiæ panis quantæ, & non conuerſæ, faceret vnum miraculum tantum, ſcilicet præſentiam corporis Chriſti cum pane; faciendo vero ipſum præſens quantitati ſeparatæ facit duo miracula, quia & conuertit ſubſtantiam panis, & per conſequens facit accidens ſine ſubiecto, & cum hoc etiam facit Chriſti corpus eſſe præſens, quod quidem miraculum numquam habetur ſufficiẽter ex primo; poſſet enim Deus conuertere ſubſtantiam panis in corpus Chriſti manens in cœlo dato, quòd non fieret hic præſens, ſicut etiam quantitatem inquantitatam, & totum in totum: quia hoc nullam implicat contradictionem; Et ſimiliter quòd corpus Chriſti ſit præſens ex conuerſione non dependet; adeo quòd non poſſit fieri, & eſſe præſens ſine conuerſione ſicut oſtenſum eſt ſupra ex terminis iſtarum mutationum, ad quorum vnũ poteſt eſſe mutatio non poſita aliqua mutatione ad alium ergo &c. Caietanus & Sotus vbi ſupra reſpondentes his rationibus dicunt, quòd non eſt hic quæſtio de diuina potentia, ſed quæritur quid inſtitutum ordo cauſarum habeat; vnde cum dixerit D. Thom. quòd non poteſt aliquid eſſe alicubi, vbi prius non fuit, niſi vel per loci mutationem, vel per alterius conuerſionem in ipſum non eſt ſermo de impoſſibili, ſecundum diuinam potentiam abſolutè, ſed ſecundum potentiam ordinatam, ſecundum quam attenditur poſſibile, vel impoſſibile in eccleſiaſticis myſterijs, & ex hoc ſoluunt omnia argumenta Doctor. dicentes, quòd concludunt de potentia Dei abſoluta; cæterum propoſitio D. Thomæ intelligitur de potentia ordinaria. Cæterum. hæc reſponſio non ſoluit argumentum: nam cum hoc myſterium per abſolutam Dei potentiam factum ſit, ſi non oſtenditur omnis alius modus impoſſibilis de potentia abſoluta, quomodo poteſt concludi alium modum eſſe neceſſarium? Item cur dicimus vnum modum magis, quam alium eſſe de potentia ordinaria, vel abſoluta, niſi quia Chriſtus voluit hoc modo potius facere, quam illo; nam ſecundum ſe omnes ſunt ſupernaturales, & miraculoſi, & ſi Chriſtus elegiſſet alium poſitum poſſibilem ex his rationibus, ille certè diceretur poſſibilis ſecundum legem ordinariam. Iungere ergo ad potentiam Dei abſolutam in hoc caſu non eſt ſoluere, ſed fugere argumenta.

Caiet. Sotus.

Quantum

Digitized by Google

Quantum ad secundum probat Doctor, quòd corpus Christi non sit præsens, speciebus panis ex vi præcisa transubstantiationis, ita quòd conuersio non est tota ratio, & præcisa causa, per quam sit ibi præsens, & primo arguit sic. Per nullam mutationem habetur per se illud, quod est posterius suo per se termino, sed solum per illam habetur eius per se terminus, at huiusmodi præsentia est posterior simpliciter substantia corporis Christi, quæ substantia terminat conuersionem panis, ergo per hanc conuersionem non habetur huiusmodi præsentia.

Maior probatur, nam cuilibet essentiæ distinctæ ab alia, quæ est accidens eius est aliqua productio distincta à productione illius alterius siue sit mutatio, siue non, quia eius est esse distinctum ab ea; & cuilibet esse producto per se necessario correspondet aliqua productio. Minor etiam probatur, quia huiusmodi præsentia non est essentialiter prior substantia corporis Christi, quia substantia corporis Christi potest esse sine hac præsentia, nec est simul natura; quia non posset hæc præsentia destrui nisi destrueretur substantia, quod falsum est, ergo est posterior, atque adeo præsentia corporis Christi non habetur per se per illam mutationem, quæ est conuersio, vel transubstantiatio, sed per eam habetur solum substantia corporis Christi, quæ non est sua præsentia, aliàs transubstantiatio non esset mutatio, vel quasi mutatio substantialis, sed accidentalis terminata ad accidens vnum respectiuum, quod est præsentia illa; & impossibile est, quòd vnius per se terminus mutationis includat substantiam, & accidens, sequitur ergo quòd huic præsentiæ, quæ est accidens corporis Christi, per se aliqua productio correspondet distincta à conuersione, quæ terminatur per se ad substantiam, atque adeo non habetur præcisè, & per se ex vi conuersionis.

Et hæc ratio confirmari potest ponendo loco posterioritatis alietatem hoc modo. Per nullam mutationem per se habetur illud, quod est per se aliud à per se termino, sed huiusmodi præsentia est simpliciter aliud à substantia corporis Christi, quæ est per se terminus transubstantiationis, ergo, &c.

Maior patet: quia vnius mutationis per se est vnus per se terminus, atque ita quicquid est per se aliud ab illo termino, licet sit per accidens idem cum eo, non habet esse per illam mutationem.

Minor patet: quia huiusmodi præsentia non est substantia panis, quia quando ipsa est, substantia panis non est, nec ista præsentia est substantia corporis Christi, quia huius substantia fuit, quando præsentia non fuit.

Præterea secundo. Illud quod conuertitur in aliquod præexistens localiter distans, nihil commune habens sibi intrinsecum cum illo in quod conuertitur, magis sortitur conditiones, & proprietates illius in quod conuertitur, quam è conuerso; sed in proposito panis localiter distans à corpore Christi præexistente, conuertitur in ipsum, & nihil est commune vtrique intrinsecum formaliter, quia species illæ non informant corpus Christi; igitur magis ipse panis ex sola conuersione in corpus Christi præexistentis acquirit locum corporis Christi in cœlo, quam corpus Christi debeat sortiri locum panis in altari, atque adeo per conuersionem non fit præsentia corporis Christi sub specie panis.

Major probatur: quia si Socrates, qui est Florentiæ, conuertatur in Platonem, qui est Romæ: magis Socrates sortitur conditiones Platonis absolutas, & vbi, quam è conuerso, nisi sit aliquid aliud quam conuersio ipsa; Item si nutrimentum conuertatur in carnem magis animatur anima carnis, quam cato informetur forma eius, & vniuersaliter acquirit conditiones absolutas, & vbi, & alias respectiuas carnis magis, quam è conuerso.

Tertio arguitur. Deus posset conuertere panem in corpus Christi, vt habens esse in cœlo, quia non est ibi maior contradictio, quam in conuersione, quæ nunc ponitur, sed tunc non haberetur corpus Christi, sub specie panis ex ipsa conuersione, ergo nec nunc, atque adeo conuersio non est causa præcisa, & necessaria præsentiæ corporis Christi sub speciebus, nam illa non est necessaria; nec præcisa causa præsentiæ talis, quod potest haberi, & poni idem numero, vel specie sine tali præsentia habita, vel posita; eadem autem conuersio panis numero, vel specie posset haberi non posita tali præsentia, quia posset Deus conuertere illum eumdem panem, vel alium in corpus suum manens in cœlo, ita quod non faceret corpus suum præsens speciei panis, neque hoc implicat aliquam contradictionem, ergo &c.

Quarto arguitur, si panis quantus conuerteretur in corpus Christi quantum, ita quòd quantitas in quantitatem, & substantia in substantiam, corpus Christi quantum non haberet illud vbi circumscriptiuè quod fuit ipsius panis circumscriptiuè, cum sit maioris quantitatis, ergo ex conuersione substantiæ in substantiam, substantia corporis Christi non habet illud vbi diffinitiue, quod erat substantiæ panis diffinitiuè; antecedens est manifestum, quia non posset illud quantum scilicet, corpus Christi esse circumscriptiuè in loco panis, cum sit maius pane, consequentia probatur, quia sicut substantia, & substantia, quæ subsunt quantitati se habent ad locum diffinitiue, ita substantia quanta, & substantia quanta se habent ad locum circumscriptiue, ergo quod conuersio substantiæ in substantiam, facit ad esse diffinitiue in loco, hæc conuersio substantiæ quantæ in substantiam quantam faciet ad esse circumscriptiue in loco.

Et confirmatur, si Deus conuerteret panem quantum in corpus Christi, & quantitatem panis in quantitatem corporis Christi, vel cũ illa conuersione substantiæ panis annihilaret species panis, corpus Christi non esset præsens in altari ad illas species, quia species non essent, nec manerent, sed planum est, quòd esset conuersio eiusdem rationis quantum ad totum illud, quod pertinet ad rationem conuersionis, cum illa, quæ fit modo communiter manente specie panis, ergo virtute istius quæ fit modo non habetur præsentia corporis, sed oportet ponere aliquid aliud.

Confirmatur secundo, si quantitas panis conuerteretur in quantitatem Christi ex vi talis conuersionis non esset corpus Christi præsens cum substantia panis, vel cum alijs accidentibus circumscriptiuè, & localiter secundum ipsos saltem, quia impossibile est, quod corpus idem sit in pluribus locis localiter, sicut dicunt, ergo similiter dato, quod substantia conuertatur in substantiam ex vi conuersionis, in substantia non oportet corpus Christi esse præsens sacramentaliter, sed oportet ponere aliquid aliud. Dicendum est ergo absolute loquendo ex vi conuersionis, nihil haberi in Christi corpus, nisi corpus ipsum Christi, secundum suum esse substantiale non obstante, quod sit præexistens, & hoc est per se terminus conuersionis; sed non habetur præsentia corporis Christi, quæ est aliquid posterius naturaliter, & essentialiter distincta à termino conuersionis non pertinens ad terminum eius, & est per se terminus alicuius alterius mutationis. Et corpus Christi, secundum esse suum substantiale indifferens est simpliciter ad esse præsens, vel non præsens, atque ita neutrum habetur determinate, nec ex vi conuersionis, sed oportet aliquid aliud ponere.

Caietanus vbi supra, vt respondeat his rationibus, dicit duo, primo, quòd aliud est loqui de conuersione panis absolutè, & aliud est loqui de conuersione panis sacramentaliter, & si fiat sermo de conuersione panis absolutè, fatetur non videre necessitatem, quòd corpus Christi non motum localiter incipiat esse sub speciebus panis absque conuersione alicuius, scilicet panis in ipsum: & sic argoentes ferè omnes (vt dicit) de conuersione loquuntur, atque adeo non esse mirum si contra D. Thom. & communem Doctrinam non militant, quia non de conuersione absolutè, sed de conuersione sacramentali loquitur D. Thomas.

Secundo dicit, quòd si conuersio non est præcisa, & necessaria causa præsentiæ corporis Christi, quod iam Ecclesia, quam Prisci Doctores laborauerunt ad reddendam rationem eius, quod est per accidens, quæ ab arte, & doctrina arcenda est, Ecclesia enim, & Prisci Patres tradiderunt conuersionis mutationem pro ratione verificante corpus Christi contineri sub specie panis; quæ doctrina non verificatur, nisi fortè per accidens, si non ex ipsa conuersione, sed mutatione alia haberetur præsentia corporis Christi.

Ex his ad primam rationem Doctoris dicit, quòd tam maior, quam minor est falsa; maior quidem quoniam in naturalibus videmus, quod per eamdem mutationem habetur per se non solum substantia per se primo terminans, sed concomitans passio, nam per vnam, & eamdem generationem habetur per se terra, & eius grauitas, & similiter

ignis,

Digitized by Google

ignis, & eius leuitas, & similiter per eandem mutationem habetur substantia Socratis, & eius filiatio cum Socrates generatur, minor etiã loquendo de conuersione sacramentali falsa est, nam huiusmodi conuersionis proprius, & per se terminus est corpus Christi verificans Christi verbum. Hoc est corpus meum. secundo dicit, quod conuersio sacramentalis in hoc differt a conuersione absolute, quod sacramentalis conuersio est in corpus Christi non solum secundum se, sed vt consequitur inter ipsum, & accidentia panis respectus contenti ad continens, ita quod sicut generatio est illatiua substantiæ geniti, cum filiatione consequente, ita, conuersio sacramentalis habet vim illatiuam corporis Christi ex pane cum relatione contenti sub accidentibus panis; & secundum hoc dicit, quod duo sunt genera rerum, quædam quæ secundum se, & per se fiunt, & sunt; vt sunt composita, vt patet ex Aristo.7. Metaph. quædam vero sunt, quæ sunt, & non sunt absque hoc quod generentur, vel corrumpantur, & hæ sunt formæ omnes, & præcipuè relationes, quæ regulariter aliorum actionem consequuntur. Maior itaque Scot. (inquit) est vera de primo genere rerum, falsa tamen est miscendo omnia genera rerum simul, quoniam falsa est de relationibus concomitantibus proprium mutationis terminum.

Ad secundum dicit, quod in hac mirabili conuersione concurrunt duæ rationes, scilicet ratio conuersionis, & ratio præexistentis, ratione primi, secundum generalem regulam habetur corpus Christi esse præsens, vbi erat panis; sed ratione secundi impediri videtur quod dictum est haberi ex ratione conuersionis, quoniam ipsum præexistens trahere videtur ad se, quod conuertitur in ipsum; verumtamen oportet in his mysterijs captiuare intellectum in obsequium Christi, & conceptus nostros adæquare sacris mysterijs, & non econtra. Ex ratione ergo conuersionis habemus (inquit) esse corpus Christi vbi fuit panis, ex ratione vero præexistentis Christi corporis absque additione, mutationeque aliqua in ipsius substantiam, habemus, non quod panis, sed id quod fuit panis est, vbi est corpus Christi, quia est ipsum corpus Christi verum quod est in cœlo, & ex hac parte concedendum est, quod conuersum acquirit conditiones eius in quod est conuersum, nec potest hinc inconueniens aliquod inferri, sed duo mirabilia conspiciuntur, ex hac mirabili conuersione, scilicet corpus Christi esse vbi fuit panis, & id quod fuit panis, esse vbi est corpus Christi.

Ad tertium dicit, quod si Deus conuerteret panem in corpus Christi vt habens esse in cœlo, non esset conuersio eiusdem rationis cum ista sacramentali, atque adeo non est ad propositum quicquid inde sequeretur. Sotus vero dicit, quod non est ita facile intellectu quod Deus etiam de potentia absoluta possit conuertere panem hoc in loco existens, in corpus existens in cœlo, quia cum nullo modo alio se habeat corpus illud quam antea, vix intelligi potest, quem alium respectum desitio panis habeat et ad illud corpus, vt diceretur conuerti in ipsum, quam ad lapidem, vel ad quodcunque aliud, in quod non conuertitur. secundo dicit, quod licet de potentia absoluta posset id fieri, tamen de potẽtia ordinaria ipsa conuersio huius in hoc, secum affert quod res in quam fit cõuersio illi succedat iuxta tenorem formæ. Hoc est, corpus meum.

Sotus.

Ad quartum dicit Caietan. quod in eo sunt multi alij defectus, puta quod corpus Christi modo acquirat, de facto vbi definitiuum substantiæ panis, & quod substantia subiecta quantitati habet suum vbi definitiuum præter vbi circumscriptiuum, nam substantia seclusa quantitate, & virtua li contactu nusquam est, & esse corpus Christi sub sacramento non est esse alicubi.

Caietan.

Sed vt ostendamus has responsiones non euacuare rationes Doct. obseru. est primo, quod absolute loquendo possibile est corpus Christi esse præsens speciei panis sacramentaliter, & sicut modo, quantum ad rationem facti, sine conuersione panis in ipsum, nec ipsa substantia panis, vel cõuersio eius pertinet ad rationem sacramenti, cum nõ sint per se sensibilia, sed species ipsæ sensibiles, quæ ita bene manerẽt substantia non conuersa, sicut substantia conuersa. secũdo obser. est, quod conuersio non est ratio, nec præcisa causa essendi corpus Christi sub speciebus, nec tamen ponitur frustra conuersio panis, quoniam ex ordinatione diuina ponitur, vt sit aliquod primum, & hoc congrue secundum legem suæ sapientiæ, quam ipse nouit, licet nõ sit necessaria absolute quo ad hoc, quod sine conuersione non posset corpus Christi esse ibi præsens, sicut etiam Deus absolute loquendo, posset causare gratiam sacramentalem sine sacramento, & tamen non frustra ponitur sacramentum tertio obseru. est, quod licet ex vi conuersionis non sit corpus Christi præsens speciebus, tamen non poneretur congruentius panis manere, quam conuerti, nam decens est vt non maneat nisi illa, quæ per se, & intrinsece pertinent ad sacramentum, cuiusmodi sunt accidentia ipsa, vel species sensibiles, nõ autem ipsa substantia panis, quæ per se, & intrinsece ad sacramentum non pertinet, dato, quod maneret, sed tantum per accidens, sicut etiam non est sensibilis per se, sed per accidens, vt dicitur secundo de anima. quarto obseru. est, quod ista cõuersio, quæ est transubstantiatio si consideretur quantum ad terminum a quo, qui est ipse panis habet esse sub accidentibus, vel sub specie panis, quia panis conuersus præerat sub specie panis, sed quantum ad terminum ad quem, non oportet quod sit sub specie panis, sed potest esse in cœlo, vel sub specie pania indifferenter, vnde licet modo de facto sit sub specie panis, hoc tamen non est ex vi conuersionis, sed aliunde, vt dicemus infra. Ex his patet, quod differentia quam ponit Caiet. inter conuersionem absolute, & conuersionem sacramentalem nulla est ad propositum de præsentia corporis Christi ad species; nam conuersio sacramentalis nihil addit supra conuersionem absolute, nisi quod id in quod conuertitur panis, sit præsens accidentibus panis, cęterum non probat hanc præsentiam per se fieri per illam conuersionem sine aliqua mutatione eius, in quod conuertitur panis, nam præsentia illa sequitur statim ad conuersionem panis, at eius non est causa panis conuersio. Patet etiam quod non ponitur frustra panis conuersio, neque ecclesia, neque prisci patres tradiderunt conuersionem esse præcisam per se causam præsentia corporis Christi in Eucharistia, sed docuerunt immediatam concomitantiam præsentiæ corporis Christi ad species ad ipsam conuersionem, adeo quod notant concomitantiam durationis: nam illa conuersio, & præsentia corporis simul sunt secundum durationem, licet sit aliqua prioritas naturæ conuersionis ad præsentiam, causaliter tamen præsentia non habetur per conuersionem.

Refellitur responsiones Caiet.

Et ad id quod dicit ad primam rationem Doctor. dico, quod ipse falsum dicit; quoniam generatio naturalis alicuius non terminatur ad aliquid accidens eius, nec ex vi generationis habetur aliquod eius accidens, vnde si quando generatur ignis non esset ibi nisi generatio, non haberetur per generationem nisi substantia ignis, etsi habetur aliquod accidens eius puta caliditas, vel leuitas, oportet necessario ponere distinctam actionem, vel productionem, qua vnumquodque acquiritur, et si dicat, quod licet per generationẽ non habeatur per se accidens aliquod genetan, habetur bene per accidens, dico, quod istud nihil valet ad propositum, quoniam cum accidens sit per se ens, & productum, oportet quod sibi correspondeat aliqua productio per se, nam sicut non est ens entitate subiecti, ita nec producitur subiecti productione, nisi per accidens pro tanto quia productione subiecti potest concomitari productiohe accidentis licet non sit illa, sicut entitatem subiecti concomitatur entitas accidentis, licet non sit illa; & per hoc etiam patet ad secundam responsionem; verum est enim quod ad conuersionem panis in corpus Christi, concomitatur præsentia corporis Christi, ad falsum, sed falsum est, quod sicut cõuersio illatiua est corporis Christi secundũ esse substantiale, quod sit causaliter illatiua præsentiæ eius ad species, sed concomitanter, pro quanto conuersionem sequitur præsentia corporis Christi ad species, cæterum, vt iam diximus conuersio non est causa præsentiæ.

Responsio etiam ad secundam rationem Doctor. non euacuat eam, falsum est enim ratione conuersionis haberi id, in quod aliquid conuertitur, nisi propter identitatem materiæ vtriusque; at corpori Christi, & pani nihil est commune intrinsecum idem manens in eodem loco, sicut est in generato, & corrupto, atque adeo si corpus Christi est præsens speciebus ad panis conuersionem, hoc non est ex vi conuersionis, sed aliunde, quia sci-

Digitized by Google

licet corpus Christi virtute diuina sit sic præsens speciei panis; & per idem patet responsionem ad tertium esse nullam, nam licet conuersio qua panis conuerteretur in corpus Christi existens in cęlo non esset eiusdem rationis .i. sacramentalis cum ea, qua panis conuertitur in corpus Christi existens sub speciebus; tamē sicut illa non est illatiua pręsentiæ corporis Christi ad species, ita neque ista est vi sua illatiua præsentiæ: nisi quia virtute diuina corpus Christi ad panis conuersionem fit præsens speciebus panis, responsio Soti impugnata est supra.

Responsio etiam ad quartum nulla est, quia licet corpus Christi respectu potentiæ Dei non sit sub Eucharistia definitiue, quia non est ita hic quod non alibi, tamen respectu potentiæ suæ naturalis non est natum esse nisi in vno loco, & hoc sufficit Doct. ad propositum, vt scilicet ostendat ex vi conuersionis substantiæ panis non haberi præsentia corporis Christi ad species panis.

Quando corpus mouetur de loco ad locū quatuor fiunt mutationes. Quoad tertium probat Doctor. quod corpus Christi est præsens speciebus panis per aliquam sui mutationem, & primo præmittit aliqua, deinde probat intentum; præmittat ergo primo, quod corpus mouetur, vel mutatur de loco ad locum, & expellit aliud corpus de illo alio loco, ibi sunt quatuor mutationes, & octo termini, duæ mutationes sunt in corpore moto expellente, & duæ in corpore moto expulso, Vna mutatio est in corpore moto expellente, quæ est ab esse in priori loco ad non esse in eodem loco, quia recedit a priori loco, & ista est deperditiua prioris vbi ad priorem locum; secunda est a non esse in alio loco posteriori ad esse in eodem loco, quia prius non erat in isto loco, quem acquirit, & modo est ibi, & ista vocatur mutatio acquisitiua alterius loci, vel vbi in alio loco, & patet quod istæ duæ mutationes habent proprios terminos quælibet duos, primæ termini sunt esse, & nō esse in priori loco, esse terminus a quo, non esse terminus ad quem, secundæ vero termini sunt non esse, & esse in sequenti loco, non esse terminus a quo, & esse terminus ad quem. Similiter potest dici de corpore expulso suo modo.

Secundo præmittit, quod si corpus aliquod moueretur, & non expelleret aliud corpus de loco suo, quod ibi non essent nisi duæ mutationes, & ambæ in ipso corpore moto, vna .s. deperditiua prioris vbi, quæ esset inter terminū a quo positiuum, & terminum ad quem priuatiuum .s. ab esse in priori loco, ad non esse in eodem loco; & alia acquisitiua noui vbi, quæ esset a priuatione, vt a termino a quo ad vbi vt ad terminum ad quem.

Tertio præmittit, quod si aliquod corpus non recedens a priori vbi fieret in nouo vbi, itaque sic fieret in alio loco, qd non dimitteret locum priorem, sed maneret in illo, ibi esset tantum vna mutatio .s. a priuatione noui vbi, ad illud nouū vbi, esseтq; acquisitiua alterius loci, sed nō deperditiua prioris loci, quia non esset a priori vbi ad eius carentiam; quia ex hypothesi prius vbi nō deperditur, licet corpus illud ponatur in nouo vbi.

Quarto præmittit, quod possibile est virtute diuina, vt sit mutatio acquisitiua, siue deperditiua, vel e cōuerso; Indifferēter .n. Deus facere potest, quod corpus sic acquirat vbi ad alium locum, vel in alio loco, quod non perdat suum vbi in priori loco, vel ēt quod sic perdat suum vbi in priori loco, quod non acquirat aliquod vbi in alio loco ponendo nouū vbi in corpore non destruendo prius vbi, vel corrumpendo prius vbi, non ponendo aliquod aliud vbi.

Ex his in proposito dicendū est, quod alterum istorū modorum de facto est in corpore Christi, nam corpus Christi virtute diuina sic fit præsens speciei panis, & acquirit ibi nouum vbi præsentiale, quod in nū perdit suū vbi prius, quod hēt in cęlo, sed manet in cęlo, atq; ita mutatione acquisitiua & non deperditiua mutatur qn̄ fit præsens; sed qn̄ corrūpitur species, & corpus Christi desinit esse præsens, mutatur tantum mutatione deperditiua, & non acquisitiua.

His suppositis Scot. respondet quæstioni per sequētes conclusiones. *1 Conclusio Scoti.* Prima conclusio. Impossibile est aliquod corpus esse præsens alicui vbi, vbi prius non erat, nisi per mutationē aliquam, probatur. Impossibile est esse trāsitū ab affirmatione reali ad negationem, vel e conuerso sine mutatione aliqua in eo, in quo ponitur formaliter affirmatio, & negatio, sed de corpore Christi præexistente verum est, quod transit ab non esse hic præsens, ad esse pręsens, quod est aliquod positiuū reale in ipso, ergo in ipso de necessitate fit aliqua mutatio; maior patet, tum quia mutatio non est nisi trāsitus ab affirmatione ad negationem, vel e conuerso in eo qd sic trāsit, tum quia alioquin starent simul contradictoria de eodē nulla mutatione facta in ipso, & nō esset ratio, quare magis verificaretur vna pars modo quā prius, atq; ita si modo, & prius, & cum pars opposita prius verificaretur pari ratione, & alia, atq; ita contradictio plana; minor ēt patet, quia ista præsentia dicit respectū realē, & habitudinem pertinentem ad genus vbi in corpore Christi, vt dicemus infra.

Secunda Conclusio. Corpus Christi habet realiter pręsentiam nouam ad species panis, probatur: quia si non haberet realiter præsentiam nouam, ergo modo non est realiter magis præsens, quam erat antea; si dicatur quod est noua præsentia in speciebus panis, non tamen in corpore Christi, contra quia præsentia est relatio æquiparantiæ sicut similitudo, ergo est realiter in vtroque extremo, probatur antecedens; quia præsens est ad præsens, sicut simile ad simile. *2 Conclu.*

Tertia Cōclusio. Necessario corpus Christi mutatur realiter, siue mutatione reali ad præsentiam, probatur: nam si non mutaretur mutatione reali, non esset modo magis præsens, quam antea erat. Si dicatur quod hæc mutatio non est alia ab ea mutatione, qua species amittunt substantiam antiquam panis, & sine illa manent. Contra, quia si non esset alia mutatio præter illam, ergo etiam si species panis manerent sine antiquo subiecto, non dicerent tamen relationem ad corpus Christi, nec dicerentur illi præsentes; pręterea huiusmodi mutatio specierum, nihil facit ad hoc quod corpus Christi de non præsente istis, fiat realiter præsens istis, vt probatum est supra; quia illa habet alios per se terminos ab ista, qua non præsens fit præsens; & confirmatur, nam si absque conuersione vlla in ipsum, idem corpus Domini in cęlo manens poneretur a Deo etiam in terra, quod fieri posse facile probari possit ex apparitionibus Domini post Ascensionem, certe negari non posset quin actio Dei, qua illud corpus in terra poneretur, in ipso corpore tanquam in subiecto reciperetur, & proinde ipsum corpus aliquo modo mutaretur; eodem igitur modo cum per conuersionem panis idem corpus in sacra hostia ponitur, actio illa in corpore Domini recipitur non quidem vt conuersio, sed vt adductio est. Præterea corpus Domini per illam conuersionem acquirit nouam, & realem relationem præsentiæ ad species panis, & ad altare; requiritur igitur aliquod fundamentum illius relationis, quod sanè aliud fingi non potest præter mutationem aliquam. denique conuersio, quatenus panem destruit, non tam est actio, quam negatio actionis, Deus enim desinit panem dum desinit eum conseruare, at per negationem nihil positiue, & realiter fieri potest, ergo positio corporis Domini sub illis speciebus, quę est quid positiuum, nō fit ab illa conuersione, vt ea est in parte, sed vt est, & recipitur in corpore Christi. *3 Conclu.*

Quarta Conclusio. Corpus Christi nō mutatur mutatione deperditiua loci antiqui, probatur ex D. Aug. super Psal. 54. & refertur de consecr. dist. 2. c. prima hæresis, vbi ait. Donec finiatur sæculum sursum est Dominus Iesus Christus. Quod, inquit Doct. intelligendum est regulariter, nisi placeret sibi ex aliqua gratia speciali localiter descendere, sicut probabiliter fecisse creditur, quando D. Paulo apparuit dicens. Saule, Saule quid me persequeris; Actuum 9. & c. 21. narrat Barnabas Apostolis Paulum vidisse Dominum, hoc idem fecisse probabile est in Assumptione B. Mariæ Virginis matris suæ; probabile est enim quod Christus è cœlo descēdit, & obuiam venit matri propter excellentiam, & sanctitatem eius; sicut etiam legitur apud Egesippum lib. 3. de excidio vrbis Hierosolym. capitulo secundo, apparuisse Petro Apostolo, & cum eo loquutum, quod testatur etiam Ambrosius in oratione contra Auxentium, & multis alijs sanctis corporaliter apparuisse legitur vt Sancto Antonio postquam a Dæmonibus grauissime cæsus fuerat, vt testatur Athanasius in vita eius, & Thrasillæ amitæ suæ testatur D. Gregor. libro quarto, dialog. cap. 16. apparuisse Christum paulo ante obitum, & realem, non imaginariam fuisse visionem probat ex immensa odoris fragrantia, quæ in cubiculo relicta est. Cæterum propter Eucharistiæ veritatem non ponitur Christus localiter descendere, atque adeo non mutatur mutatione deperditiua, hæc conclusio est de fide in Concil. Tridentin. sessio. decimatertia, cap. primo, definita; *4 Con. D. Aug. Eg. D. A. At. D. G. Co.*

finitâ; vbi postquam dixit Conc. quod Christus vere continetur in Eucharistia, addit hæc verba, neque n. hæc inter se pugnant vt ipse Saluator noster semper ad dexteram patris sedeat iuxta modum existendi naturalem, & multis alijs in locis sit sacramentaliter præsens, quę verba manifeste declarant quõ sit possibile Christum existere sacramentaliter in Eucharistia, cum modo semper existendi naturali sit patri æterno præsens. Quod etiã adhuc probatur, vt corpus Christi sit in Eucharistia non est necessarium quod relinquat cęlum, ergo semper manet in cęlo, antecedens patet, quia non est necessarium quod relinquat vnam hostiam adhoc vt sit in alia; ergo neq; necessarium est quod cęlum relinquat ad hoc vt sit in sacramento. Præterea, quia si simul quando est in Eucharistia non existeret in cęlo, ergo nunquam ascenderet in cęlum. probatur, quia nunquam deerit Eucharistia in ecclesia: consequens est absurdum, & falsum, immo hæreticum, vt patet ex D. August. vbi supra.

5. Conclusio. Quinta Conclusio. Christi corpus mutatur mutatione acquisitiua nouæ præsentiæ ad species panis, quia ex priuatione huius præsentiæ mutatur ad habendam hanc præsentiã.

Dubium 1. Sed dubium est, an hæc præsentia sit præsentia facta per mutationem localem. Respondet Scot. quod non, & probatur: quia per mutationem localem deperditur antiquus locus, & acquiritur nouus, adeo quod mutationem localem concomitatur aliqua mutatio deperditiua prioris vbi, sicut communiter est in motu locali, quia ibi terminum positiuũ a quo, & terminum positiuum ad quem concomitatur duæ priuationes eo modo, quo Philosop. dicit. 5. Phy. t. c. 7. quod motus est a subiecto in subiectum. secundo probatur: quia mutatio localis est ad vbi, hæc autem non est ad vbi, sed ad simplicem præsentiam ipsi speciei, veram tamen, & realem; quæ coniuncta est cum omnibus partibus locati; at vero vbi dicit locum ambientem, qui locus non est cõiunctus cum omni parte locati, sed solum est coniunctus cũ vltima superficie corporis locati, species vero panis secundum omnes suas partes sunt coniunctæ cum omnibus partibus etiã internis corporis Christi.

Dubium 2. Dubitatur secundo in quo prædicamento sit hæc præsentia. Pro huius dubij solutione obseru. est, quod Christus Iesus non continetur in hostia circumscriptiue, nam cum habeat ibi modum quidditatiuum, vt dicemus in sequenti articulo, neque occupat locum, neque in loco circumscribitur, itaque in alio non existat, quod est esse in loco circumscriptiue. secundo obseru. est, quod Christus Iesus nõ est in hoc sacramẽto definitiuè, illud enim est definitiuè in loco, quod ita est ibi, vt nullo modo alibi existat, at corpus Christi Iesu sub pluribus speciebus consecratis, & in cęlo existit. tertio obseru. est, quod corpus Christi est sub speciebus tanquam in loco præsentialiter, nam substantia panis erat sub speciebus intimè præsens, & corpus Redemptoris nostri loco substantiæ panis (dempta tamen inhærentia) succedit, & per intimam præsentiam, siue præsentialitatem intelligitur nullum esse inter extrema spatium. Est quoque ibidem modo supernaturali, idest, sacramentali, quia sub speciebus consecratis continetur, & ab illis quantum ad esse secũdum quid conseruatur, quia tamdiu ibi existit corpus Christi sacramẽtaliter, quamdiu species durant.

Vbi est triplex. Ex his colligitur, quod triplex est vbi. s. circumscriptiuũ, definitiuum, & præsentiale, & duo priora vbi tertium supponunt, nam quicquid est in loco circumscriptiue, vel definitiue, est ibi præsentialiter, sicut patet, sed non e conuerso; potest enim aliquid esse in loco præsentialiter, & non circũscriptiue, quia non est commensuratiue, nec coextensiue ad locum, nec etiã definitiue, quia sic potest esse, & est aliquando in vno loco quod est, & potest esse simul in alio loco, vbi etiam definitiuum in omnibus non quantis quæ sunt in loco, separatur ab vbi circumscriptiuo, quia illis non competit esse in loco circumscriptiue, sicut patet de Angelo.

Ex his dicit Doct. quod si Angelus ponitur de nouo præsens alicui corpori, dicitur esse in loco definitiue, atque ita dicitur mutari, licet illa mutatio multum differat a vera mutatione secundum vbi. Adhuc autem quantum ad aliquas cõditiones præsentia corporis Christi speciei magis recedit a vera ratione vbi, quia nullo modo per istam præsentiam determinatur sic ad vnum vbi, quod sibi repugnet aliud: sed Angelus per vnum vbi sic determinatur ad illud, vt sibi repugnet aliud; Dicendum est, ergo quod hæc præsentia est in prædicamento vbi, quia per illam præsentiam corpus Christi dicitur esse alicubi, tum quia cum nullo alio prædicamẽto habet tantam propinquitatem, quantam cum prædicamento vbi. Et si dicatur vbi prædicatur de omnibus speciebus contentis, & existentibus in illo prædicamento, ergo si hæc præsentia est in illo prædicamento vbi ergo est vbi; Respondet Scot. quod Philosophi putauerunt vbi esse genus generalissimum illius prædicamenti, quia non cognouerũt alium modum essendi alicubi præter contactum vltimarũ superficierum; at vero secundum veritatem vbi non est genus generalissimum illius prædicamenti, sed potius species, & probatur; quia præsentia, qua Angelus est in loco, est in illo prædicamento, & tamen illa Angeli præsentia non est vbi ergo dicendum est, quod secundum rei veritatẽ aliud est genus generalissimum quod comprehẽdit vbi, & modũ existendi Angeli in loco, & modum existẽdi corporis Christi in speciebus consecratis, sicut secundum Philosophos illos qui dicunt, quod non sunt Angeli, aut quod sunt corporei, genus generalissimum prędicamenti substantiæ esset corpus; quod tamen re vera sunt substantiæ spirituales positæ in hoc prædicamento, ideo substantia est genus generalissimum. Ita dicendum est de vbi, quod non est generalissimũ secundum rei veritatem, sed tantum secundum existimationem illorum, qui non cognouerunt alium modum existendi alicubi præter circumscriptiuum.

Resolutio Doctor. quantum ad illum articulum breuiter est, quod corpus Christi realiter est præsens speciebus sine aliqua mutatione absoluta, & ratio est, quia Christus existens in cęlo, cum de nouo fit præsens est mutatio respectiua solo respectu extrinsecus adueniente, nec esse est enim ponere aliquem respectum extrinsecus aduenientẽ, qui. s. non sequatur necessario ex fundamento, & termino in actu positis, quia omnis respectus, qui necessario sequitur ex materia posita in actu, est necessario intrinsecus adueniens, & ad huiusmodi respectum non est motus, vel mutatio nisi prius sit motus ad absolutum in altero extremo, at respectus extrinsecus adueniens potest aduenire de nouo, sine aliquo quocũque nouo vel in fundamento, vel in termino, atque ita corpus Christi est de nouo præsens alicui non habenti nouam formam absolutam, & forte nec nouum respectum respectu eius, vel si habet huiusmodi nouum respectum, pari ratione, & corpus Christi habebit nouum respectum respectu eius, quia si species sunt de nouo præsentis corpori Christi, & corpus Christi est de nouo præsens eis: nam esti continentia non sit relatio realis mutua, (quia licet species contineant corpus Christi, non tamen e conuerso) tamen præsentia est relatio mutua, atque adeo non est inconueniens ponere in corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecus aduenientem. Et huiusmodi mutatio non est deperditiua, quia non perdit vbi, quod habet in cęlo, sed est tantum acquisitiua, quia acquirit præsentiam nouam ad locum per respectum extrinsecus aduenientem, nec ex hoc acquiritur aliqua realitas absoluta, sed tantum præsentialitas. Et hanc Doctor. opinionem sequuntur Bellarm. tom. 2. lib. 3. de sacramento Eucharistiæ, c. 18. & Suar. tom. 3. 3. par. q. 75. disput. 47. sectio. 1. & 2. & disputat. 50. sectio. 5.

Quæ sit sententia Scoti in hoc art.

Bellar. Suarez.

Ex his facile respondetur ad rationes pro opinione D. Thom. ad primam pro prima conclusione dicitur, quod adhuc secundum naturam datur aliqua mutatio, quę sit acquisitiua sine mutatione deperditiua vt patet in illuminatione aeris, in qua acquiritur illuminatio aeris cum in ipso nihil positiuum deperdatur: quod si obijciatur quod argumentum vult tantum ostendere de mutatione locali, respõdetur quod corpus Christi non proprie localiter mouetur, cum non sit in Eucharistia tanquam in loco ambiente. secũdo respondetur, quod quamuis de potentia naturali nulla sit mutatio acquisitiua sine deperditiua, de potentia tamẽ Dei absoluta non est mirum, quod talis detur mutatio vt constat exemplo, quia etiam si corpus vnum naturaliter non posset acquirere calorem sine deperditione frigiditatis, de potẽtia tamen Dei absoluta calorem potest acquirere sine deperditione frigiditatis, sic eodem modo etiamsi naturaliter vnum corpus non possit acquirere nouum locum absque deperditione alterius, de potentia tamen supernaturali bene potest.

Ad alia argumenta, respondetur quod procedunt de potentia ordinata, non autem de supernaturali; nam quamuis secundũ naturam vnũ corpus non possit acquirere nouũ locũ, quin pertranseat oĩa media; supernaturaliter, tñ nullu est

Digitized by Google

inconueniens; similiter quamuis per naturam vnum corpus non possit mutari pluribus mutationibus, tamen de potentia Dei absoluta non inconuenit quod simul calescat, & frigescat in diuersis locis existens, vt explicabimus quæstione sequenti.

Ad primam conclus. secundæ respondetur, quod causa propter quam est inconueniens rem aliquā mutari est, quia potest acquirere nouam aliquam entitatem realem, at vero cum secundum D. Thom. & alios non sit inconueniens corpus Christi acquirere multas entitates reales nouas, videlicet multas præsentias in diuersis sacramentis, cur erit inconueniens, quod acquirat mutationem realem per quam acquiratur illa præsentia in quolibet corpore, seu quantitate Eucharistiæ? secundo respondetur, quod sicut non fuit inconueniens Christum mori pro nobis dum erat mortalis, sic non est inconueniens quod dum est mutabilis sacramentaliter mutetur pro nobis ad argumentum: ergo negatur secunda pars antecedentis.

Ad confirmationem ex Caiet & Soto dico, quod non video hanc consequentiam, Concilium dicit corpus, & sanguinem Christi Domini in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter contineri transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, ergo ex rei conuersionis panis est corpus Christi præsens speciebus ipsius panis, sed bene sequitur panis conuersione concomitari præsentiam corporis Christi ad species, sed non velut effectus causam, sed quasi posterior effectus effectum priorem. Ad Damascenum dico, quod quando dicit quod corpus Christi est sub speciebus, non quod ipsum corpus assumptū ex cęlo descenderit, sed quod ipse panis, & vinum transmutantur in corpus, & sanguinem Dei, quod ly quod non tenetur causaliter notans causam per se, vel præuiam præsentiæ, sed concomitanter notans concomitantiam durationis in illa cōuersione, & præsentia corporis, quia simul sunt secundum durationem, & notat etiam aliquam prioritatem naturæ illius conuersionis ad præsentiam, licet per illam nō habeatur causaliter talis præsentia, sed Deus sic ordinauit quod facta tali cōuersione prius natura haberetur simul duratione præsentia corporis Christi, licet per aliam mutationem, vt ostēsum est supra.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus in Eucharistia habeat modum quantitatiuum.

Quid sit habere modū quantitatiuum.

PRo huius difficultatis intelligentia obseru. est primo, qđ habere modum quantitatiuum est habere correspondentiam diuersarum partium corporis quāti ad diuersas partes loci, velut caput meum in hoc loco correspondet alicui parti loci, cui non correspondent pedes.

Corpus Christi in Eucharistia non hēt modum quantitatiuum.

Secundo obseru. est, certum esse quod corpus Christi in Eucharistia non habet illum modum quantitatiuum, aliter enim diuisa quantitate hostiæ totus Christus diuideretur, ex quo infertur quod totus Christus est in tota host. & totus in qualibet parte, similiter etiam totus Christus est sub specie vini, & totus in qualibet parte, seu gutta. Quod vero totus Christus sit sub specie panis, & totus sub specie vini definitum est in Concil. Flor. sub his verbis. Ita tamē quod totus Christus continetur sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini; Idem definit Conc. Trid. sess. 13. c. 3. his verbis. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri, totus n. & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus item sub vini, & sub eius partibus existit.

Conci. Flor.

Conc. Trid.

Corpus Christi ex vi verbō continetur primo sub speciebus panis.

Tertio obseru. est, quod sub speciebus panis corpus Christi solum continetur ex vi verborum, reliqua vero per naturalem connexionem, & concomitantiam, sic enim definitū est in Conc. Trid. loco supracitato his verbis: semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie vna cum ipsius anima, & diuinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinē sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem. Et constat etiam ratione, quia vbicunque est aliquid alicuius ibi sunt omnia ea, quæ naturaliter illud concomitantur, sed Christi corpus concomitātur diuinitas, anima, & sanguis, ergo ibi sunt omnia ista per concomitantiam, & realem coniunctionem, de quo legendi sunt D. Tho. 3. p. q. 76. art. 2. & ibi Caiet. Durand. hac dist. in q. 2. Gabr. in can. lect. 42. in fine, Sotus hac dist. in q. 1. art. 2. Et Doctor. sub. hac dist. q. 4. ad vltimum. Quod autem totus Christus contineatur sub quacunque particula cum ususcunque speciei separatione facta expresse definitur in Concil. Floren. sub his verbis. Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ separatione facta est totus Christus Dominus. Idemque definitum est in Concil. Trident. sess. 13. can. 3. vbi habentur hæc verba. Si quis negauerit in venerabili sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis partibus cuiusque speciei separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.

D. Tho. Caiet. Durand. Gabriel. Sotus. Scot. Conc. Flor. Conc. Trid.

DVBIVM I.

An totus Christus contineatur sub qualibet parte hostiæ consecratæ coniuncta.

Altisiodor. Albert.

DE hac re fuit opinio Altisiodorensis 4. par. summæ tract. 5. cap 4. & Albert. in 4. dist. 13. art 11. quod totus Christus est in tota hostia, non est tamen totus in qualibet parte ante separationem, ita quod secundum hanc sententiam diuersæ partes corporis Christi respondēt diuersis partibus hostiæ: cuius sententiæ fundamentum est, quod Christus in tota hostia habet quantitatem, & ex consequenti habet esse modo quantitatiuo, & expresso dicit ēt ista opinio, quod facta separatione partium, in quacunque parte separata est totus Christus, & probatur hoc ratione, & exēplo, ratio est, quoniā si in partibus separatis nō esset totus Christus diuideretur, & corrumperetur Christus, cū res per diuisionem corrumpantur, exemplo vero declaratur idē quia speculum dum est integrum non continet nisi vnam imaginem vnius rei, quando tamen in partes diuiditur, tot imagines continet, quot partes habet. Idemq; de Eucharistia iudicandum est; patet ēt exemplo in corporibus anulosis, quod cum aliquod sit in sua integritate naturali ab vna anima necessario mouetur, & sentit, cum aūt diuiditur per partes in diuersis partibus est motus, & sensus, & essent ibi diuersa animalia nisi deficerent organa vt dicit Philosoph. Vnde cōstat, quod cum huiusmodi animal est actu vnum, & potentia multa (non dico multa animalia) vnica est substantia, quæ mouetur, & sentit, plures autem potentia, cum autem illud vnum actu effectum est multa iam sunt ibi multæ substantiæ, a quibus est in illis multis motus, & sensus. Ita in proposito quantum ad hoc quod cū hostia vna actu, & plures potentia, & virtus consecrationis habet efficaciam in ipsam in quantum est vna actu, & plures potentia, sub illa hostia totali est corpus Christi actu, ita quod non est actu sub partibus, cum autem hostia illa effecta est actu plures, iā est actu Christus in singulis partibus.

Alex. Alen.

Alex. Alen. p. 4. q. 10. memb. 7. art. 3. §. 5 & D. Bonau. in 4. dist. 10. art. 1. q. 5. tenent quod corpus Christi est semel in hostia sēdm quod est totum in toto, & est ibi pluries secūdum quod ibi continetur a singulis partibus, & si quæratur sub quot partibus, & sub quibus cōtinetur corpus Christi totū, respondent sub quot, & quibus esset substantia panis si essēt distinctæ, & diuisæ, vnde sub minimis est non secundū materiā. i. quantitatem, sed secundum formam, & speciē, nam minimæ partes non sunt dabiles secundū quantitatē; quia quæcunque dantur sunt vltra diuisibiles in minutes, at secundū speciē quælibet forma specifica determinata est ad minimū naturale, quoniā si subiectū vltra diuideretur statim corrumperetur, eandem sententiam sequitur Gabr. in can. lect. 80.

Gabriel.

Cæterum tenendum est, quod in vnaquaque parte hostiæ etiam coniuncta totus Christus continetur, similiterq; totus Christus continetur sub qualibet vini guttula ante diuisionem specierū vini, idq; verissimū est, adeo vt oppositū sit erroneū. probatur, quia vbi est pars Christi in sacramento, ibi est totus Christus, sed in quacunq; hostiæ parte cōiuncta est pars Christi, ergo in quacunq; parte cōiuncta est totus Christus, maior est expressè definita in Canone vbi pars de consec. dist. 2. totus Christus est in quauis hostiæ parte separata, ergo & in coniuncta, antecedēs est de fide, consequētia probatur, quia impossibile est totū Christum esse in sacramento vbi prius non erat nisi per consecrationem, separatio

autem

Digitized by Google

autem non est consecratio, ergo &c. tertio si hæc opinio esset vera sequeretur, quod caput Christi corresponderet vni parti hostiæ cui pedes non corresponderet, ex quo infertur, quod illa parte uersa deorsum, vertetur deorsu caput Christi, atq; ita posset Christus mutari mille modis. quarto, quia isti non saluant quod Christus ibi habeat omnem modum quantitatiuum, quia si haberet omnem modum quantitatiuum, non posset esse in hostia maiori, neque in minori, quando enim corpus omnem seruat modum quantitatiuũ semper illi respondet locus æqualis, & nec maior, neque minor præterquam quod hæc est communis omnium Theologorum sententia. Præterea vltimo signo partem hostiæ indiuisæ, v.g. decimam, aut in illa est aliquid corporis Christi, aut nihil, si nihil ergo non est corpus Christi totum in tota hostia, quod est contra eos, & veritatem, nam qua ratione nihil corporis Christi esset in illa parte, eadem etiam nihil esset in alia parte, atque ita nihil corporis Christi esset in aliqua parte hostiæ, & per consequens nec in tota, nihil enim potest esse in toto, quin sit in parte, vel in partibus. Si primum, ergo vel totum corpus Christi est in illa decima, vel pars eius, puta decima pars corporis Christi in decima parte hostiæ, si primum hĩ propositũ contra opinionem, si sedm tunc erit ibi commẽsuratiuè, seu circumscriptiuè, quia pars vna corporis Christi in vna parte hostiæ, & alia in alia, quod est impossibile: quia corpus Christi maius est hostia, maius autem non potest circumscribi a minori.

Nec facit ad propositum exemplum speculi integri, & fracti, quia non est aliqua imago realiter in speculo, sed videtur imago verius res extra speculum per lineam reflexã a superficie speculi, & multiplicatis superficiebus per fractionem speculi multiplicantur lineæ reflexæ, & per hoc repræsentant rem ipsam vnam in diuersis situbus, & per hoc sensus decipitur; Corpus autem Christi vere, & realiter est in hostia incipiens ibi esse ad prolationem formæ consecrationis, quæ quoniam non profertur de nouo fracto sacramento non incipit esse de nouo, vbi prius non fuit.

Opinio autem Alexand. & Bonau. licet sit valde probabilis, & vera, dubium tamen supponit in Philosophia, scilicet dari minimum naturale, & maxime, dubium est in homogeneis, de quo videatur Scot. in 2. dist. 2. q. 9. Conueniunt igitur omnes quod totus Christus respondet toti hostiæ, & cuicunque parti etiam ante diuisionem.

DVBIVM II.

Quo pacto corpus Christi sit in Eucharistia, et totus Christus in quacunque parte illius.

De hac re sunt diuersæ opiniones. Prima opinio asserit, quod Christus in Eucharistia non habet quantitatem, atque ita potest esse sine modo quantitatiuo, hanc opinionẽ tenet Durandus in 4. distinct. 10. quæst. 1. & probabilẽ censent Ocham in 4. quæstio. quarta, & in tract. de Eucharistia, cap. 29. Maior. in 4. quæst. 2. dist. 10. & Gabriel. art. 2. quæstio. 3. & lect. 43. in can. Est tamen discrimen inter Durandum, & nominales. Nam Durandus distinguit realiter quantitatem a substantia, & putat in sacramento poni realitatẽ substantiæ sine re, & forma quantitatis, at Ocham, & nominales non censent quantitatem esse vnam rem a substantia, & alijs accidentibus distinctam, sed esse vel ipsam substãtiam, vel modum eius, atque adeo licet hic modus nominalium in eo quod supponit magis falsus sit, tamen opinio Durandi quantum ad præsens attinet multo est periculosior, grauioremque errorem continet; nominales enim solum dicunt carere corpus Christi aliquo modo, quem habet in coelo, quod in aliquo sensu omnes dicunt, vnde solum in modo loquendi videntur differre a communi sententia vocando illum modum quantitatem. Durandus vero dicit carere corpus Christi in sacramento aliqua forma reali propria, & accidẽtaria, & quod difficilius est dicit carere omnibus qualitatibus proprijs, & connaturalibus; Tenet tamen Durandus hanc opinionem tanquam probabilem, dicit enim forte possibile est, vt Christus sit in Eucharistia sine quantitate, tamen de facto an habeat quantitatem, vel non, non potest alicui nisi per reuelationem diuinam constare.

Durandus. Ocham. Maior. Gabriel.

Primum fundamentum eius est. Substantia corporis Christi non est in Eucharistia, quatenus quanta, sed quatenus substantia est, ergo potest esse sine quantitate, patet consequentia: nam si quantitas non est ratio huius existentiæ corporis Christi non implicat substantiam corporis Christi habere istam existentiam sine quantitate. secundo probatur, quoniam si substantia corporis Christi esset in Eucharistia quatenus quãta, potius esset ibi diuisibiliter, quam indiuisibiliter, ergo cum sit indiuisibiliter non est in Eucharistia quatenus quanta.

Secundum fundamentum est. Si corpus Christi in Eucharistia haberet quantitatem, sequeretur necessario, quod esset in Eucharistia localiter, hoc est quod diuersæ partes corporis Christi responderent diuersis partibus hostiæ, sed consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela; quoniam illud quod intrinsece conuenit alicui rei, non potest per vllam potentiam ab ipsa re separari, sed intrinsecè competit quantitati, vt per illam diuersæ partes quanti respondeant diuersis partibus loci, ergo si Christus in Eucharistia habere quantitatem, diuersæ partes Christi corporis responderent diuersis partibus hostiæ, & confirmatur, nam ex eo quod animæ rationali intrinsece competit esse indiuisibilem, vbicunque sit, est indiuisibiliter, sed non minus competit quantitati diuisibilitas, & extensio in ordine ad locum, ergo sicut anima est indiuisibiliter vbicunque sit, ita quantitas vbicunque sit etiam in sacramento erit diuisibiliter. Confirmatur secundo substantia non potest esse alicubi nisi substantialiter, ergo quantitas non potest esse alicubi nisi quantitatiue, hoc est diuisibiliter, antecedens patet, quia substantia non põt habere modum accidentis, consequentia vero probatur: quoniam ex eo substantia non potest esse nisi substantialiter, quia esse substantialiter est intrinsecum sibi, sed esse quantitatiue hoc est diuisibiliter est intrinsecum quantitati, ergo quantitas non potest alicubi esse, quin sit diuisibiliter.

His tamen non obstantibus opinio hæc sustineri non potest, primo quia est contra omnes Doctores, secũdo quoniam vt inquit Alexand. de Ales, quarta parte, quæstio. decima, membr. 7. articulo tertio, § quarta, est erronea, vel vt dicit D. Bonauent. hac distinct. art. 1. quæst. 2. est errori proxima, est ergo conclus. certissima, quod Corpus Domini in Eucharistia suam habet quantitatem, & est communis opinio omnium Theologorum. Cuius fundamentum est, quia quantitas corporis Christi habet naturalem connexionem cum ipso corpore, ergo naturaliter concomitatur illud in Eucharistia, antecedens est per se manifestum, nemoque illud negat, imo magis naturalem connexionem habet quantitas cum corpore quam sanguis, ergo erit in Eucharistia, probatur consequentia, quia ob nullam aliam causam dixit Concil. Trident. sess. 13. capitulo tertio, quod sub speciebus panis est diuinitas, anima, & sanguis, & similiter sub speciebus vini diuinitas, corpus, & anima nisi ob naturalẽ connexionem, ergo aut ratio Concilij nulla est, aut eadem cogimur dicere, quod in Eucharistia est quantitas corporis Christi Domini. secundo, quia si hæc opinio esset vera, sequeretur, quod corpus Christi in Eucharistia non habet omnia, quæ pertinent ad naturalem illius perfectionẽ, quia quantitas pertinet ad naturalem corporis perfectionem, & similiter sequitur, quod corpus Christi in Eucharistia non esset organicum, nec naturaliter viuum vt ibi existit, non haberet visum, nec alium sensum, sed consequens est falsissimum, & absurdum, ergo & antecedens, sequela probatur quoniam organa, sensus, & vita certam quantitatem requirunt, ergo si corpus Christi in Eucharistia non habet quantitatem non est organicum, neque viuum; tertio sequeretur quod Christus in Eucharistia non haberet figuram, nec pulchritudinem, nec alia accidentia, quæ ad humanam perfectionem spectant, probatur sequela quoniam hæc accidentia in quantitate fundantur, neque sine ea esse possunt.

Ale. de Al.

Conclusio.

Conc. Trid.

Ad primum argumentum Durandi respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ratio est quoniam quamuis quantitas non sit ratio vt corpus Christi existat in Eucharistia, habet tamen naturalem connexionem cum ipso corpore Christi, atque adeo corpus Christi nõ potest esse in Eucharistia sine quantitate.

Soluuntur argumenta Durandi.

Ad sedm nego sequelam, & ad probationem dico, quod duo conueniunt quantitati, primũ vt partes quanti habeant ordinẽ inter se, secundum vt partes quanti habeant ordinẽ ad locum extrinsecum, ita vt diuersæ partes quanti respondeant diuersis partibus loci, primum istorum est intrinsecum

quantitati, atque adeo partes corporis Christi in Eucharistia ex eo quod habent quantitatem habent ordinem inter se, ita ut caput sit supra humeros, & thorax, & brachia infra caput, atque ita de alijs partibus, & hoc per nullam potentiam potest a quantitate separari, quia est intrinsecum sibi, facere autem diversam correspondentiam partium quanti ad diversas partes loci est extrinsecum quantitati, atq; adeo per Dei potentiam ab illa separari potest, salua ipsius quantitatis essentia, & per hoc patet solutio ad sequentes confirmationes.

2. Opinio. Secunda opinio asserit, quod quælibet pars corporis Christi in Eucharistia est in qualibet parte ipsiusmet corporis Christi, ita ut in capite sint pedes, & reliquæ omnes partes, & similiter in pedibus sit caput, & aliæ omnes partes, quapropter totus Christus potest esse in qualibet parte hostiæ. Fundamentum huius opinionis est, quoniam duo corpora possunt esse intra se inuicem, ergo duæ partes eiusdem corporis possunt esse intra se inuicem, antecedens ab omnibus conceditur, consequentia probatur; quia non est maior repugnantia in uno quam in alio; tunc ultra eadem est ratio de duabus partibus, & de omnibus partibus. ergo sicut duæ partes eiusdem corporis possunt esse intra se inuicem, ita omnes partes possunt esse intra se inuicem, & confirmari potest hæc opinio duobus argumentis principalibus Doct. subt. primum, quod est secundum in ordine est tale. Si corpus Christi in Eucharistia est quantum, ergo est ibi modo quantitatiuo, sed hoc est falsum, quia hoc modo maius non potest esse in minore; consequentia probatur, quia quantitas non potest separari a modo quantitatiuo, sicut nec subiectum a sua propria passione, maxime autem propria passio quanti videtur esse modus quantitatiuus. secundo probatur sic, aut in Eucharistia est pars corporis Christi extra partem, aut non, si sic, ergo non sunt omnes partes simul sub eadem parte hostiæ, & universaliter eius partes sunt extra se inuicem, sicut si quantum est simul cum alio quanto, pars videtur esse cum parte, & totum cum toto, si autem non sit ibi pars extra partem, ergo non est ibi quantum, quod est propositum.

Hanc opinionem refutat Scot. sub litter. L. §. Sed contra istud non est probabile, quia tollit a corpore Christi positionem in toto, & omnem figuram, quæ necessaria forte est ad corpus animatum, si enim non distat caput a pede, sed totum subintrat totum usque ad minimam partem naturalem, iam non habebit ordinem partium in toto necessarium ad corpus animatum, nec figuram.

Secundo arguitur, ordo partium inter se habet naturalem connexionem cum corpore Christi, ergo ille ordo partium est in Eucharistia, antecedens est notum, quia corpus Christi naturaliter esse non potest sine ordine illo, consequentia

Conc. Trid. vero patet ex Concil. Trident. sessio. 13. cap. 3. Præterea corpus Christi in Eucharistia est animatum anima rationali, ergo est organicum, quod est habere partes extra partes, & pertinet ad quantitatem. probatur consequentia ex 2. de anima, c. 1. ubi Arist. ait anima est actus corporis Physici organici in potentia vitam habentis, instrumenta ait, sive organa partes sunt, ergo, &c. Est ergo dicendum, quod est ordo inter partes quantitatis corporis Christi secundum se in Eucharistia, ita ut inter caput, & pedes sit collum, pectus, venter, brachia, crura, &c.

Ocham. Aliac. Gabriel. Pro ampliori tamen intelligentia huius opinionis, quam sequitur Ocham in 4. quæst. 4. & in tract. de Eucharistia, capit. 29. & Aliacus in 4. quæstio. 4. & Gabriel probabilem existimat in Canon. lect. 43. & in 4. dist. 10. quæst. 1. obseru. est primo, quod quantitas (secundum illos Doctores) non est res distincta realiter a substantia, nec addit ad substantiam nisi ordinem partium ad locum verum, vel imaginarium, qui ordo non est accidens absolutum inhærens, unde inferunt, quod res ex eo præcise dicitur quanta, & extensa, quia habet partem extra partem localiter, id est, per ordinem ad locum, hoc enim existente omnibus alijs circumscriptis res est quanta, & omnibus alijs positis, illo circumscripto res non est quanta. secundo obseru. est, quod secundum eos quamuis in Eucharistia sit quantitas, qua corpus Christi est quantum in cœlo, tamen per eam quantitatem corpus Christi ut est in sacramento non est quantum, primum patet, quia quantitas corporis in cælo non est distincta a corpore Christi, sed est realiter corpus Christi habens partem extra partem in cœlo, & hoc corpus habens partem extra partem in cœlo, idem est in sacramento, ergo quantitas, qua corpus Christi est quantum in cœlo, est in sacramento. secundum probatur: quia per illam quantitatem, id est, seipsum non habet partem extra partem situaliter in sacramento, quia partes non dicunt ordinem ad locum, ergo per illam non est quantum in sacramento; ex hoc inferunt, quod concedendum est Christi corpus quantum, longum, latum, sic, vel sic figuratum esse in sacramento; sed non est concedendum, quod corpus Christi sit quantum, longum, latum, & figuratum ut est in sacramento, & ratio est: quia prima loquutio tantum valet, corpus Christi, quod est in cœlo habet partes extra partes secundum longum, & latum extensas, & figuratas hoc idem corpus est in sacramento, sensus autem secundæ loquutionis esset, quod corpus Christi haberet partes extra partes per ordinem ad locum, & figuram in sacramento quod est falsum.

Tertio obseru. est, quod ordo positionis partium in toto secundum eos non est separabilis ab ordine partium in loco, saltem existente loco, sed sicut in cœlo partes corporis Christi simul sunt in ordine ad locum, quia respectu cuiuslibet puncti specierum ita simul sunt respectu totius, & quælibet pars respectu cuiuslibet partis nec tamen sequitur partium indiuisio, vel confusio, quia manet omnino ordo partium ad se, & ad totum, qui est in cœlis, excepto solo ordine situali, adeo quod sicut tenens quantitatem esse rem distinctam, i. subiectam, & corpus Christi quantum esse in Eucharistia, distinguunt duplicem distantiam, una quæ dici potest quantitatiua, & altera quæ potest appellari localis, seu situalis, & prior sequitur ex intrinseca extensione, quam habet quantitas in se, & in hoc consistit, quod inter partes tanti quantitas intercedat cum tanta densitate, vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium, & posterior quæ consistit, quod partes actu occupent partes spatij ita inter se distantes, & iuxta priorem distantiam partes corporis Christi non æque inter se distant, magis enim distat pes a capite, quam collum. iuxta vero secundam partes corporis Christi, æque inter se distant, quia omnes sunt indiuisibiliter præsentes eidem spatio, propter quod recte dixit Hilarius. Ubi est pars, ibi est totum, & refertur de consec. d. 2. cap. Ubi pars, ita isti distinguere possent de distantia entitatiua, & ad se, & situali, & ad locum, & iuxta primam distantiam dicunt partes inter se habere ordinem ad se, & ad totum, qualem ordinem habent etiam in cœlis, sed iuxta secundam omnes esse simul respectu specierum, quia respectu cuiuslibet puncti specierum; ita simul sunt respectu totius, & quælibet pars respectu cuiuslibet partis, atque ita explicata hæc sententia nullam continet absurditatem, nisi quod falso innititur fundamento, nempe quantitatem non esse entitatem realiter distinctam a substantia, nec est cur Sotus, Ledesma, & alij adeo grauiter hanc sententiam reprehendant, existimantes sequi confusionem magnam in corpore Christi, & destrui organizationem eius cum sanum possit habere intellectum sicut explicatum est, prout tamen argumenta contra verum sensum adducuntur soluenda sunt. Scotus. Ledesma.

Ad primum dico, quod partes esse intra se inuicem potest intelligi dupliciter, uno modo, ut ly intra se respiciat ipsas partes, adeoque una pars non sit extra aliam, prout ly extra respicit per se ipsas partes, & hoc est falsum quoniam ut sic non haberet positionem, quæ est differentia quantitatis, alio modo potest intelligi prout ly intra se respicit locum, atq; ita pars est intra partem, id est, non est extra illum locum, in quo est alia pars, nec ex hoc sequitur, quod totum non sit quantum, quia totum quantum habens eodem modo suas partes extra se inuicem in toto, potest habere unicam præsentiam sui, & omnium partium ad aliquod unum extra, id est, indiuisibile, vel quantumcumque modicum diuisibile, ita ut non est ibi alia præsentia alij parti, & alia alij, atq; ita omnes eius partes sunt intra se inuicem.

Ad secundum dico, quod modus quantitatiuus non est passio quanti sicut visibile hominis, imo est accidens eius per accidens, scilicet respectus extrinsecus adueniens partibus quanti ad partes alterius quanti, ad argumentum ergo nego consequentiam, & ad probationem dico, quod modus quantitatiuus, ut dicit ordinem partium ad partes loci, non est passio quantitatis, sed accidens per accidens.

Ad tertium dico, quod corpus Christi in Eucharistia habet partem extra partem, prout ly extra respicit per se ipsas partes corporis, & prout est differentia positionis partium in to-

Digitized by Google

in toto, sed non prout ly extra pertinet ad locum, & vt dicit modum positionis partium in loco, atque adeo accipiendo ly extra primo modo nego consequentiam, quia talis ordo stat cum simultate loci.

3.Opinio. Tertia opinio dicit, quod totus Christus est in Eucharistia, ita ut totus est in tota hostia, & totus in qualibet parte hostia, & quod partes corporis Christi sunt ordinatæ secundum se, & in hoc conueniunt Sco. & S. Thoma. conueniunt Scotus. D.Thomas. etiam, quod omnes Thomistæ admittunt rationem, & explicationem Sco. ipsumq; in hac parte sequuntur, ab Scoto tamen non probatur ratio, neque explicatio S. Thomæ, dicit enim D. Thomas, quod quantitas corporis Christi non est, in Eucharistia nisi concomitanter, quia conuersio panis terminatur ad substantiam corporis Christi, secundario autem ad quantitatem propter naturalem connexionem, vel concomitantiam, atque ita quantitas habet modum substantię in Eucharistia, & non quantitatis, sequiturque conditionem termini primarij, atque adeo ad modum substantiæ est tota in toto, & tota in qualibet parte. Cum enim in Eucharistia sit per se. & ex vi verborum substantia corporis Christi, & quantitas solum ex reali cōcomitantia, sequitur quod totum Christi corpus est in hoc sacramento ad eum modū, quo substantia est sub dimensionibus quantitatis, & non ad eum modum, quo dimensiones quantitatis sunt in loco, natura autem substantiæ tota est sub tota quātitate, & tota sub qualibet parte suarum dimensionum, tota enim natura panis est sub qualibet parte specierum panis, atque ita totum Christi corpus ad eumdem modum est sub dimensionibus panis tam continuis quam diuisis: potest autem discursus D. Thomæ sic ad formam reduci. Sicut se habet substantia ad quantitatem quantum ad esse in loco, ita se habet quantitas ad substantiam quantum ad esse in hoc sacramento, sed substantia in loco sequitur modum existendi quantitatis, quia ad modum quantitatis est diuisibiliter, & extensiue in loco, ergo quantitas in hoc sacramento sequitur modū substantiæ, ita ut indiuisibiliter, & inextensiue est in ordine ad sacramentum: maior patet, quia sicut ratione quantitatis competit substantiæ esse in loco, ita ratione substantiæ competit quantitati esse in hoc sacramento, quia quantitas non est in hoc sacramento nisi concomitanter.

Haec explicatio D. Thomæ non placet Scoto, ideo arguit contra eam sub. litt. k. § contra &c. & primo sic, omne terminans mutationem aliquam siue primo, siue concomitanter habet illas proprietates, quæ sibi necessario, & naturaliter conueniunt, sed sic est quod quantitati conuenit naturaliter alius modus essendi a modo essendi substantiæ. ergo quantitas licet sit terminus concomitans terminum conuersionis habet similem modum essendi sibi proprium, & naturalē. maior patet, quia aliàs sequeretur quod quādo creatur, vel generatur homo, quantitas eius esset tota in toto, & tota in qualibet parte, quia primarius terminus generationis, vel creationis est substantia, secundarius verò quantitas, & tamē in substantia generata, siue creata, quantitas nō sequitur modum substantiæ, sed seruat modum suum naturalem, igitur quamuis conuersio panis primario terminetur ad substantiam, & secundario ad quantitatem, non ideo quantitas sequitur modum substantiæ, minor etiam patet, quia quantitas ex natura sua est diuisibilis, & extensa. secundo arguitur, & præsupponit Doct. quod ex D. Thom. ex ui conuersionis terminus ad quem est vbi prius fuit conuersum, hoc supposito arguitur sic. Si per conuersionem fit terminus ad quem vbi prius fuit terminus a quo, ergo modus essendi huius, & illius erit similis ille saltem, qui potest esse communis vtrique, sed panis conuersus erat hic quantitatiue suo modo, quia sub quantitate habens partem extra partem, ergo & substantia corporis Christi existens hic ex ui conuersionis erit hic suo modo quantitatiuo, habens scilicet partem substantiæ sub parte quantitatis, & tunc quantitas eius erit hic propriè dimensiue. Præterea tertio, alia, & alia habitudo ad agens non variat naturam rei, hoc est habitudo prima, vel secunda mediata, vel immediata, dum tamen producatur, tum quia nullus respectus variat naturam absoluti, tū quia habitudo ad aliud agens non variat naturam rei actæ, vt pa-

August. tet de calore producto ab igne, & a sole secundum Augu. 3. de Trin. ergo nec carebit quantitas suo modo naturali propter hoc tantum, quia non est primus terminus transubstantionis, dum tamen sit ibi realiter siue primo, siue secūdo per illam mutationem.

Ideo alio modo explicat Doct. subt. modum, quo corpus Christi est totum in hostia, & totum in qualibet parte hostiæ sub litt. l. § Dico ergo, pro cuius explicatione obs. est primo, quod vnum corpus potest esse in alio dupliciter; vno modo localiter, id est, circumscriptum ab alio corpore, alio modo præsentialiter, vt si duo corpora in eodem loco se inuicē penetrarent.

Secundo obseruandum est, quod relatio, qua totum corpus refertur ad continens, est distincta a relatione, qua partes ipsius contenti referuntur ad partes continentis, quoniā prima relatio est in prædicamento vbi, secunda verò in prædicamento situs.

Tertio obseruandum est, quod ista tria prædicamenta positio, situs, & vbi distinguuntur realiter, nam in quantum corpus habet ordinem suarum partium, & distantiam, videlicet manus a pede, & sic de alijs, ille ordo vocatur positio, seu ordo positionis, & hæc positio est ordo partium in toto. Situs autem vocatur habitudo ipsarum partium ad partes loci per quamdam commensurationem. Vbi verò strictè sumptum est quidam respectus extrinsecus adueniens derelictus in locato ex adiacentia loci ad ipsum, & est quasi quædam præsentialitas, ex quo sequitur quod positio, situs, & vbi sunt diuersi respectus. Positio, situs, & vbi distinguuntur realiter

Quarto obseruādum est, quod quantitati cōuenit duplex positio, prima quæ est ordo partium inter se, & ad suum totum, secunda verò, qua est ordo quanti ad locum, & partiū quanti ad partes loci, primus respectus appellatur simpliciter positio, & habere positionem inter se, est quod partes, na sunt discontinuæ, vt vna sit media inter alias, vt collum inter caput, & humeros, & hoc est habere ordinem inter se. secundo respectus appellatur situs, & habere ordinem, siue positionem in ordine ad locum, nihil aliud est, quam quod partes habeant diuersum situm in ordine ad locum, ita ut diuersis partibus corporis diuersæ partes respondeant in loco, & quod positiones illæ sint diuersæ inter se patet, nam quocumque modo ponatur homo, partes habent diuersam positionem, siue extensionem in ordine ad locum, quia si caput ponatur deorsum, & pedes sursum, diuersæ partes loco habent correspondere illis, & aliter quam si ponatur caput sursum, & pedes deorsum, at vero partes inter se quocunque ponantur eodem modo distant. His suppositis si. Quantitas duplicē hēt positionem.

Prima Conclusio. Positio prima est intrinseca quantitati, 1.Conclusio
probatur; non minus competit corpori quanto longitudo, latitudo, & profunditas, quam competat lineę longitudo, & superficiei latitudo, sed longitudo intrinsece competit lineæ, ita vt sine illa esse non possit, sicut superficies sine latitudine, ergo corpori quanto intrinsece competit longitudo, latitudo, & profunditas, hoc autem est habere ordinem, & extensionem partium inter se, & ad totum, ergo intrinsece competit quantitati prima positio: nam non est intelligibile aliquod esse quantum dimensionatum, quin sit signare in toto ordinem huius partis ad illam secundam quantitatem, vel positionem interiacentem.

Secunda Conclusio, positio secunda est extrinseca quan- 2.Conclusio
titati; probatur. Nulla est repugnantia, quod absolutum separetur a relatione extrinsecus adueniente, sed habere ordinem ad locum, & ad partes loci est relatio extrinsecus aduenienes; quoniam posito fundamento, & termino non sequitur necessario talis relatio, ergo nulla est repugnantia, quod ordo ad locum, & ad partes loci separetur a corpore quanto, & consequenter talis ordo non est intrinsecus corpori quanto, quia alias non posset separari ab illo, secundo probatur conclusio. Nam si corpus aliquod quantum poneretur extra cœlum, nullum ordinem haberet ad locum, ergo ordo ad locum extrinsecus est quantitati, consequentia patet, & antecedens probatur, quia extra cœlum nullus est locus, atque adeo manente prima positione non solum potest Deus secundā positionem separare a quanto per negationem termini, vt patet de corpore posito extra cœlum, sed etiam posito termino, cui scilicet præsenti posset fieri commensuratio, seu coextensio alterius corporis; quia Deus potest quodlibet absolutum in esse conseruare sine quocūque respectu, quia Deus potest conseruare omne prius distinctū realiter absque posteriori; quantitas autem alicuius corporis est quod absolutum, habitudo vero ad sitū est respectus, atque adeo potest Deus tale corpus conseruare in loco absque hoc quod habeat habitudinem situalem. probatur tertio conclus. Quādo alicui naturæ singulari competit intrin-
fecè

secè competit aliquis locus singularis, ergo non competit alicui corpori quanto intrinsece locus in communi, qui est genus ad loca singularia: maior inductiuè probatur de omnibus naturis singularibus sub genere contentis; Petro enim, vt intrinsece competit animal, etiam competit intrinsece species animalis, minor vero probatur, quia corpus a quolibet loco singulari potest separari, ergo nullus locus singularis competit illi intrinsece, vel deducatur ratio prout eam deducit Doct. sic, quæcumque natura singularis contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, contingenter se habet ad totum genus, & intelligo simpliciter, inquit Scot. quia aliquid se habet ad illud, quod sibi inest duobus modis, vno modo intrinsece. & isto modo homo se habet ad risibile, alio modo extrinsecè, quia licet quantum est de se possit esse sine illo, necessitatur tamen ad illud recipiendum per aliquod agens extrinsecum, & hoc modo licet superficies quantum est de se contingentur se habeat ad omnem colorem, tamen est necessario colorata, quia necessitatur per aliquod agens producens colorem in ipsam, atque adeo dixit Doct. contingenter simpliciter, vt excluderet necessarium tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, & in hoc sensu maior est satis manifesta, cui additur minor talis, sed corpus se habet contingenter ad quamcumque positionem partium in loco, ergo contingenter se habet ad omnem locũ. minor patet, quia possum mouere corpus meum a quacumque positione ad aliam.

Sed contra maiorem propositionem instat Doct. dupliciter, primo numerus necessario est par, vel impar, & tamen non est necessario alterum illorum. ergo falsum est id quod dicitur, scilicet quod vna natura non habet intrinsecè ad opposita disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod vnum illorum: respondet Doct. quod argumentum non procedit: quia maxima formatur de singulari, & instantia procedit de aliquo communi respectu passionis disiũctę, non enim est aliquod subiectum particulare puta aliquis numerus, qui contingenter se habeat ad quamcumque formã totius generis, nam quilibet numerus particularis necessario est par, vel impar. secundo arguitur, quia superficies necessario est colorata, & tamen contingenter se habet ad quẽlibet colorem, respondetur, quod hæc non est necessitas intrinseca, non enim inueniri potest intrinseca ratio, per quam esset contradictio, ex parte superficiei si esset sine colore, sicut contingentia est respectu cuiuscumque coloris, sed est ibi necessitas extrinseca ex parte agentis producentis colorẽ in ipsa, & ob hanc causam dixit in maiori propositione quęcumque natura singularis respicit aliquam formam alicuius generis contingenter simpliciter, id est, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco.

3. Conclusio. Tertia conclusio, aliquod corpus potest esse in alio localiter, vel præsentialiter, ita vt totum contentum referatur ad totum continens, & quod partes contenti non habeãt diuersam correspondentiam ad partes continentis. probatur, quia corpori, quod in alio præsentialiter continetur, non est intrinseca aliqua positio suarum partium ad partes continentes, ergo neque est ei intrinsecum habere positionem in cõmuni ad partes continentis. antecedẽs probatur: nam si duo corpora se penetrarent, & altero eorum quiescente, alterũ circulariter moueretur intra illud haberet semper eamdem relationem totius contenti, ad totum continens, & tamen non maneret semper eadem correspondentia partium corporis contenti ad partes continentis, ergo nulla correspondentia partium corporis contenti ad partes corporis continẽtis est intrinseca corpori contento, consequentia verò principalis probatur ex ratione tertia conclusionis secundæ, nam si habere correspondentiam in communi esset ei intrinsecũ, etiam esset illi intrinseca aliqua particularis correspondẽtia. secundo probatur, quoniam relatio, qua totum contentum refertur ad totum continens est essentialiter distincta a relatione, qua partes contenti referuntur ad partes continentis, nam prima pertinet ad prædicamentum vbi, secunda verò ad prædicamentum situs, ergo possunt ab inuicem separari, ita vt totum cõtentum habeat ordinem ad totum continẽs; & tamen partes contenti non habeant ordinem ad partes continentis, consequentia patet & antecedẽs probatur, quia prima relatio est in prædicamento vbi, secunda verò in prædicamento situs, vt supra adnotatum est.

Et si quæras, quid sit quantitatem seruari sine positione intrinsece, respondet Doct. quod non est aliud, nisi absolutũ conseruari sine respectu extrinsecus adueniente, coexistentiam autem præsentialitatis sine positione situali conseruari, non est aliud nisi vnam relationem extrinsecam conseruari sine alia relatione extrinseca, illa autem relatio, quæ est vbi est primo totius circumscripti ad totum circumscribens, illa vero relatio, quæ est aliud genus, id est, quæ est de genere situs, superaddit ad primam relationem, quæ est vbi respectũ partium ad partes. Cæterum, quod prima relatio, quæ est vbi necessario habeat secundam, hoc non prouenit ex natura rei, vel quod prima formaliter, vel necessario includat in sua ratione secundã, sed ex eo prouenit, quod iste respectus, scilicet vbi est talis, quod includit diuisibilitatem partium, & præsentiam earum partibus locantis, hoc est dictu, quia illud vbi est circumscriptiuum. verum coexistentia alicuius totius, toti, vel cuilibet parti abstrahit ab ista positione, quæ est situs, propter quam positionem, vbi est necessario circũscriptiuum, & habens situalem positionem, simpliciter tamẽ & absolute, possibile est, primã coexistentiam esse sine secũda, hoc est sine positione situali, ex quo sequitur secundum Doct. quod Deus potest facere corpus meum coexistere aeri, & tamen quod corpus non mensuretur ab aere, quia potest separare illum respectum commensuratiuum. Vnde imaginandum est, quod quando duo corpora sic se habent, quod vnum coexistat alteri, tria sunt consideranda, primum est totum coexistens, secundum est coexistentia totius, & vocatur vbi, tertium est ordo partium corporis coexistentis ad partes loci, & vocatur situs, ex quo sequitur, quod situs necessario concomitatur vbi, ita ut Deus non potest facere situm sine vbi, quia non potest esse coexistentia partium totius ad partes loci sine coexistentia totius ad totum, sed bene potest facere vbi sine situ, quia potest facere prius sine posteriori realiter distincto, sed positio quæ est situs est posterior vbi, quia positio supponit vbi propriè dictum, ergo si Deus potest conseruare quantum sine vbi propriè dicto, scilicet circumscriptiuo potest & sine positione, id est, sine situ.

Et si dicatur, quod bene potest Deus conseruare quantũ sine vbi absolutè, sed non potest conseruare quantum sine vbi cum præsentia, siue coexistentia ad aliud corpus. dicit Doct. quod hoc est falsum: quia coexistentia quanti ad corpus non est formaliter vbi, nam quando corpus est naturaliter in loco ibi est duplex habitudo, scilicet præsentialitatis locati ad locum, & commensuratio partium locati ad partes loci, prima habitudo manet in Angelo, & in anima rationali respectu loci, licet nõ habeat secundam, quia prima est habitudo pertinens ad vbi, secunda est habitudo situs, quæ habitudinis, vt supra dictum est, distinguuntur realiter, ergo Deus potest conseruare vnam sine altera, saltem priorem sine posteriori, atque adeo Deus potest facere, quod corpus habet ad locum tantum præsentialitatem absque omni habitudine situali, hoc est, commensurationis partium locati ad partes loci, & per consequens potest Deus conseruare quantum sine vbi proprie dicto .i. circumscriptiuo cum sola præsentialitate eius ad locum.

Et si iterum dicatur, quod quantitas non potest poni sine respectu isto, quem dicit modus quantitatiuus, quia non potest esse quantum, & aliud quantum, quin sit commensuratum illi, dico quod quantitate posita, & termino, id est, positis duabus quantitatibus bene sequitur æqualitas, vel inæqualitas, quæ dicit respectum intrinsecum aduenientẽ, sicut positis duobus albis necessario sequitur similitudo, sed non necessario consequitur aliquis respectus extrinsecus adueniens, talis autem est commẽsuratio, vt hic loquimur, vel magis proprie coextensio, atque adeo si loquaris de commensuratione secundum æqualitatem, vel inæqualitatem, quia, scilicet hoc sit maius, vel minus, istam commensurationem concedo in proposito, quia corpus Christi, vt maius hostia, sed non istam commensurationem, quæ dicitur propriè coextẽsio, quæ proprie dicit simultatem partis cũ parte.

Ex dictis infertur primo, quod corpus Christi in Eucharistia cum sit quantum necessario habet primam positionẽ, quæ est ordo partium inter se, & ad totum, quoniam hoc intrinsecum est quantitati, atque ita Christus Dominus habet in Eucharistia eamdem staturam, quam habet in cęlo, vt ex prima conclusione patet.

Secundo infertur, quod corpus Christi potest esse in Eucharistia, & non esse ibi localiter, quamuis habeat quantitatem, quoniam esse in loco est extrinsecum corpori quanto, & hoc patet ex secunda concl.

Tertio

Digitized by Google

Tertio infertur esse possibile, quod corpus Christi sit in Eucharistia præsentialiter, sicut est de facto absque eo quod partes corporis Christi habeant diuersam correspondentiã ad diuersas partes Eucharistiæ, sed quod totus Christus sit in qualibet parte Eucharistiæ, quoniam correspõdentia partium corporis Christi ad partes Eucharistiæ est illi extrinseca, atque ita potest ab illo separari, vt ex concl. tertia constat. Et sic epilogando patet, quod verum Christi corpus cum tota sua quantitate, & modo quantitatiuo intrinseco, sed nõ extrinseco, est in sacramento altaris, & habet præsentialitatem, quæ est respectus extrinsecus existens in corpore Christi, quem acquirit ex noua mutatione præsentialitatis ad vbi, adeo in corpore est mutatio respectiua, vt dicebat Doct. Subt. & est ibi positio, quæ est ordo partium ad totum, & inter se, sed non est ibi habitudo corporis Christi ad situm, quæ est commensuratio partium corporis Christi ad partes loci, quia corpus non est ibi circumscriptiue, vel mensuratiue respectu loci, sed solum est ibi præsentialiter cum omni quantitate sua, & cum modo quantitatiuo intrinseco commensurante corpus Christi, & habet partem extra partem, sed non est ibi modo quantitatiuo extrinseco, quod sit mensura partium totius ad partes loci. & hæc est intentio Doc. subt. & vt credo S. Thom. atque Richardi. Et ex hoc fundamento faciliter possent solui argumenta Docto. contra D. Thom. nam ad primum diceret S. Thomas quod quantitatem esse in corpore Christi potest intelligi dupliciter, vno modo in se, scilicet in corpore Christi, atque ita est intrinsece, & naturaliter mensura corporis Christi. & habet modum quantitatiuum intrinsecum, & talem modum habet quantitas vbicũque sit corpus Christi, secundo modo quãtitatem esse in corpore Christi potest intelligi, vt est in sacramento, & cum per virtutem sacramenti non fiat transubstantiatio panis nisi in substantia corporis, vt patet, ideo vi sacramenti non est quantitas corporis Christi, quia terminus primus est substantia, sed quoniam substantia corporis non est sine sua quantitate, quia accidentia concomitantur suũ subiectum, ideo in sacramento altaris est quantitas realiter corporis Christi, sed non vi Sacramenti, sed vi concomitantantiæ, & quamuis habet ibi proprietates suas respectu subiecti, quod concomitatur, tamen respectu loci nõ habet illas proprietates, nec est ibi modo quantitatiuo, non enim negat S. Thomas quin habeat suas proprietates naturales respectu subiecti in quo est, sed solum respectu loci negat eas habere, atque ita primum argumentum non cogit, nec probatio eius. Ad secundum, quod per conuersionem fit terminus ad quem, vbi fuit terminus a quo &c. concesso antecedente negatur consequentia, nec vbi potest esse commune vtrique, & quamuis esset modo quantitatiuo, quia in loco erat circumscriptiue, tamen non sic est corpus Christi in loco vbi fuit panis, atque adeo non habet modum quantitatiuum, nec commensurationem ad locum, nisi velles dicere respectu subiecti in quo est, quod concedimus, si quis ergo diligenter consideret intentiones vtriusque, scilicet D. Thomæ, & Sco. videbit, quod non differunt nisi in modo loquendi.

D. Thomas Richardus.

Sed dubium est, quare Deus voluit corpus suum hoc mirabili modo esse in hoc Sacramento? Respondet D. Bonau. hac d. art. 1. q. 2. causam esse quoniam mysteria fidei sunt certa, & occulta, hoc autem sacramentum est mysterium fidei, & ideo quatenus certum oportuit hoc modo corpus Christi in eo contineri, quoniam aliter non posset fieri, quod corpus Christi adeo magnum sub parua quantitate contineretur realiter, & præterea, quia si corpus Christi haberet positionem, & coextensionem in ordine ad partes hostiæ, posset diuidi ad diuisionem hostiæ, & mutari ad mutationem hostiæ ridiculis mutationibus, ita ut aliquando haberet pedes sursum, caput verò deorsum, quod indecentissimum esset. Quatenus autem est mysterium occultum oportuit etiam sic fieri, vt humiliemus nos ipsos captiuantes intellectum in obsequium Christi, & cognoscamus diuinam potentiam plus posse facere, quam nos possimus intelligere.

Bonau.

QVÆSTIO II.

Vtrum idem corpus posset esse localiter in diuersis locis.



PRo explicatione huius tituli obseruandum est primo (quod cum esse in loco dicat præsentiã locati ad locum) duplicem esse posse præsentiã corporis ad locum, vnam naturalem, sacramentalem alteram, nam fides catholica docet Christum Dominum simul existere in hoc sacramento, & in cælo, & in nocte cœnæ simul extitisse in cœnaculo modo sibi connaturali, & visibili cum discipulis suis, & post consecrationem sub speciebus panis modo sacramentali. secundo obseruandum est, has duas præsentias tripliciter conuenire, & differre, conueniunt primo quia vtraque est intrinsecus, & realis modus corporis Christi, secundo conueniunt, quia vtraque harum præsentiarum potest esse formalis, ac per se terminus alicuius mutationis, nam præsentia naturalis est per se terminus motus localis intrinsecus, & maximè proprius, vt patet ex Physicis, & appellatur vbi positiuum, præsentia verò sacramentalis cum sit modus corpori aduenĩes, & non necessario consequens existentiam eius, constat fieri per aliquam mutationem, vt ostendimus in qu. præcedenti art. 2. Tertio conueniunt quia vtraque harum præsentiarũ, & fundamentum propinquitatis, & distantiæ, & per se manifestum est in quantitatiua, seu naturali præsentia, de sacramentali verò videtur res certa ex principijs fidei, constat enim ex Doctrina fidei Christi corpus per sacramentalem præsentiam fieri indistans ab speciebus panis, & consequenter fieri propinquum alijs corporibus, quibus ipsæ species panis propinquæ sunt.

Duplex est præsentia corporis ad locum.

Differunt autem hæ præsentiæ, primo quia corpus quantum naturali modo existens in loco ita occupat ipsum, quod replet, vt ab illo necessario excludat omnem aliam quantitatem naturali modo extensam, & existentem in loco, & hac ratione, quando vnum corpus ingreditur aliquem locũ inde expellet ibi corpus præexistens, neque naturaliter fieri potest, vt se penetrent, at vero in sacramentali præsentia non ita contingit, nam per illam ita fit Christus præsens vbi fuerat substantia panis, & vini, vt ab illo loco non excludat totam panis, & vini quantitatem, atque adeo præsentia sacramentalis non est incompossibilis in eodem loco, vel spatio cum naturali præsentia alterius corporis quanti. secundo differunt, quia per naturalem præsentiam corpus extenditur in ordine ad locum, ita vt totum sit in toto, & pars in parte, sed per sacramentalem præsentiam, ita fit præsens corpus Christi, vt nullam recipiat extensionem, aut commensurationem in ordine ad quantitatem panis, vel alterius corporis cui fit præsens. tertio differunt, quia præsentia quantitatiua duplicem habet extensionem, vnam ex parte subiecti, quia partialiter vna est præsentia manus, alia pedis, alia capitis &c. aliam in ordine ad spatium, seu per commensurationem partium corporis præsentis ad partes spatij veri, vel imaginarij, at verò sacramentalis præsentia corporis Christi quamuis ex parte subiecti diuisibilitatem quandam, & extensionem habeat, quia est tali subiecto proportionata, alia est enim partialis præsentia in manu, alia in pede, alia in capite &c. tamen per comparationem ad spatium hæc sacramentalis præsentia non est intrinsece diuisibilis, quia præsentia totius corporis, & omnium partium eius non habet necessariam habitudinem ad diuersas partes spatij, neque ad spatium diuisibile, quia vt diximus q. præcedenti artic. 3. vbi per hanc præsentiam constituitur vna pars corporis, ibi ponitur totum corpus, quia in ordine ad spatium pars non est extra partem, sed sunt omnes in eodem loco &c.

Tertio obseruandũ est, q. quæstio esse potest de pluribus præsentijs sacramentalibus, an scilicet idem corpus possit esse in pluribus locis sacramentaliter, & hæc quæstio licet nõ in propria forma determinata est in q. præcedenti, & est de fide tenendum idem corpus simul esse posse præsens locis pluribus distantibus sacramentaliter, quod patet ex his, quæ ex hoc mysterio Eucharistiæ, in superiori q. adducta sunt ad probandam realem præsentiam Christi in hoc sacramento, nam inde credimus Christum præsentem esse omnibus hostijs, quæ in varijs, & distantibus Ecclesiæ locis consecrãtur, quod patet etiam ex alio mysterio huius sacramenti, quod etiam

Sensus tituli explicatur.

Digitized by Google

etiam supra ostendimus, scilicet non implicare contradictionem, imo ita esse de facto Christum ex vi huius præsentiæ esse totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ ante diuisionem, ergo etiam post diuisionem manet totus in qualibet parte diuisa, ergo etiam si illæ partes diuisæ loco separentur, manebit Christus sub qualibet earum, atque ita erit simul in pluribus locis distantibus. secundo potest esse quæstio de pluribus præsentijs vna naturali, & vna, vel alijs sacramentalibus, & hæc quæstio in hoc sensu explicabitur in sequenti quæstione, & hæ duæ quæstiones sunt propriæ Theologicæ, & solum cũ hæreticis controuersæ. tertio potest esse quæstio de plurib. naturalib. præsentijs, seu quantitatiuis, & in hoc sensu explicabitur præsẽs quæstio, q̃ etiã a Philosophis tractari solet, sed imperfecte, & ex principijs alienis, atque adeo hic prætermitti non debuit, præsertim, quia hæretici magnam vim in ea faciunt, & ex opinione catholicorum veritatem catholicam impugnant.

Quid sit esse localiter ĩ loco.

Postremo obseruandum est, quod esse localiter in aliquo loco (vt ex superius dictis patet) est contineri in illo circumscriptiue, contineri autem circumscriptiue est ambiri, & circundari a loco, ita ut diuersæ partes locati respondeant diuersis partibus loci. Sensus ergo tituli est an per Dei absolutam potentiam corpus Christi existens in cælo localiter possit esse simul localiter in alio loco, vel verũ sit possibile, quod ego, qui sum hic Florentiæ in hac aula, circumscriptus possim simul esse Romæ localiter, & circumscriptiue, ita vt sim simul localiter circumscriptiue Florentiæ, & Romæ.

D. Thomas. D. Bonau. Durandus. Henricus. Gofredus. Ægidius. Herueus. Ferrariens.

In hac quæstione est duplex opinio. prima est S. Thomæ 3. p. q. 75. art. 1. ad tertium, & expresse quol. 3. art. 2. & in 4. d. 10. q. 1. art. 1. & d. 44. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad 4. D. Bo. in 4. d. 49. ar. 4. q. 1. ad quartum, Durand. d. 10. q. 1. & q. 4. & d. 44. q. 6. ad primum, Henr. quol. 9. q. 32. Goufredus quol. 13 q. 4. Ægid. quol. 1. q. 1. quod 2. q. 17. & Theorem. 3. de Eucharistia. Herueus quol. 11. q. 13. Ferrar. 4. contra Gentes ca. 68. & quorumdam aliorum Thomistarum, hi omnes Doctores tenent duas præsentias quantitatiuas adæquatas, & discontinuas non posse etiam per Dei potentiam eidem corpori conuenire, atque adeo idẽ corpus non posse esse simul localiter in pluribus locis.

Scotus. Ale. de Ale. Richardus. Ocham. Adam. Maior. Bassolus. Rubion. Marsilius. Gabriel. Aliacus. Bellar. Suarez.

Alia est opinio Doct. subt. hic, quam primo docuit Alex. de Ales p. 4. q. 11. art. 1. §. vltimo, & eam sequuntur Richar. hac d. art. 2. q. 2. Ocham in 4. q. 4. Adam q. 5. art. 3. Maior. q. 2. Bassolus q. 3. Rubion q. 4. Marsilius in 4. q. 7. art. 3. du. 2. Gab. q. 1. art. 2. & lect. 46 in Canon. Aliacus q. 5. art 2. Bellar. lib. 3. de Eucharistia c. 3. & 4. Suarez 3. p. q. 75. art. 1. disput. 48. sect. 4. 5. & 6. & fere communiter reliqui moderni scriptores, & moderni Theologi, qui hoc tempore scripserunt præsertim contra hæreticos, hi omnes doctores tenent idem corpus per absolutam Dei potẽtiam esse posse in pluribus locis, sed quoniam hæc quæstio est valde prolixa, & difficilis, ideo ad prolixitatem vitandam, minuendamq; difficultatem diuido eam in duos articulos. In quorum primo explicabo priorẽ sententiam cum suis fundamentis, ac motiuis, ipsamque impugnabo, & eius motiua soluam, in secundo explicabo opinionem Doct. subt. atque eam rationibus confirmabo.

Primus Art. Vtrum rationes Thomistarum concludant idem corpus non posse esse in pluribus locis.

Secundus Art. Vtrum virtute diuina idem corpus possit esse in pluribus locis.

ARTICVLVS I.

Vtrum rationes Thomistarum concludant idem corpus non posse esse in pluribus locis.

Est ergo opinio D. Thomæ asserentis impossibile esse, q̃ idem corpus sit in pluribus locis localiter, quam sententiam etiam Scot. hac d. q. 1. art. 5. tenet esse probabilem. Primum fundamentum huius sententiæ sit. Si idem corpus posset esse in pluribus locis, etiam posset esse in omnibus, atq; ita esset vbique, esse autem vbique est adeo proprium Dei, vt nulli alteri possit conuenire, ergo nullum corpus potest esse in pluribus locis, quia non potest esse vbique. maior probatur, quoniam vnum corpus de se non maiorem habet repugnantiam ad aliqua loca, quam ad alia, ergo si virtute diuina potest esse in pluribus locis, poterit esse in omnibus, & confirmatur, quia quando aliquid quantum est de potentia agentis indifferenter fieri potest secundum varios modos, si idem esset receptibile illius secundum vnum modum possibile esset fieri secundum quemlibet aliorum modorũ, atq; adeo cum ex parte Dei agentis cum sit infinitæ potentia sit æqualis possibilitas, vt idem corpus fiat simul in pluribus locis, si posset idem corpus plura vbi localiter recipere, posset & omnia, atque adeo esset vbiq; min. patet, quoniam, qui est vbiq; est immensus, sed nullus alius a Deo potest esse immẽsus, ergo nullus alius a Deo potest esse vbique, & hæc ratio quam etiam adducit Hen. de Gand. vbi sup. ta tanti facit D. Thomas, vt dicat hæreticum esse affirmare alij a Deo posse competere esse vbique, quoniam esse vbique est proprium Dei, & ex hac proprietate sufficienter probant Sancti Filij, & Spiritus sancti diuinitatem, vt patet ex Augustino libro 6 contra Maximinum c. 21. & Fulgentio lib. 2. ad Trasimundum c. 17. Ambr. lib. de Spiritu sancto c. 7. & Basilio lib. de Spiritu sancto c. 22.

August. Fulgent. Ambros. Basil.

Secundo arguitur sic. Si idem corpus posset esse in pluribus locis simul sequeretur, quod idẽ corpus esset plura corpora consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia patet, quia sicut locatum, & locus commensurantur secũdum quantum, & continuum, eo quia tanta est superficies concaua quantum est corpus, & tantæ quantitatis, ita tamẽ, quod mensuratur secundum vnum, & plura, atq; adeo bene sequitur, loca sunt plura, ergo locata sunt plura, si ponantur in diuersis locis.

Tertio arguitur. Si idem corpus posset esse simul in diuersis locis sequeretur, quod partes corporis, vt puta Socratis essent extra corpus Socratis, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia quicquid est extra terminos vnius, scilicet loci, est extra terminos alterius, scilicet corporis locati, sed sic est, quod locus Socratis, & Socrates sunt simul, igitur quicquid est extra terminos vnius est, extra terminos alterius, & quicquid est extra terminos loci est extra terminos locati, sed sic est quod si idem ponitur in diuersis locis partes ipsius corporis locati sunt extra partes loci vnius, ergo sunt extra terminos locati, sed locatũ est Socrates, ergo partes eius sunt extra terminos corporis ipsius.

Arguitur quarto, quicquid est in loco localiter etiã in loco definitiue, sed quod est definitiue in vno loco non potest esse in alio simul, ergo idem corpus non potest esse localiter in pluribus locis simul, maior patet, & minor probatur quoniam esse definitiue in loco est ita esse hic, quod non alibi.

Quinto arguitur, & est argumentum Ægidij. Sicut se habet natura ad speciem, sic quantitas se habet ad locum, sed impossibile est aliquid esse alicuius naturæ, quin sit eiusdem speciei, ad est, vnius speciei, igitur impossibile est aliquid esse vnius quantitatis quin sit vnius loci, igitur idem corpus nõ potest esse in diuersis locis simul cum non habeat nisi vnam quantitatem.

Sexto arguitur a Gosi. de fontibus. Si idem corpus esset simul in diuersis locis, aut hoc esset vna mutatione, aut duab. non vna quia vna mutatio est tantum ad vnum terminum, nec duabus, quia aut eiusdem speciei, aut alterius, non eiusdem, quia non potest idem simul moueri duobus motibus eiusdem speciei 5. Phy. t. c. 19. & 5. Meta. c. de eodem, nec duabus alterius speciei, quia termini essent contrarij, atque ita motus incompossibiles, & confirmatur quia cuiuslibet motus termini sunt incompossibiles 5. Phy. t. c. 26. sed quæcumque duo vbi possunt esse termini eiusdẽ motus, quia potest corpus moueri ab vno vbi ad aliud, ergo quæcumque duo vbi sunt incompossibilia circa idem corpus.

Arguitur septimo, & est ratio Doct. Si duo vbi respectu eiusdem locati non haberent repugnantiam sequeretur, q̃ agens naturale faceret idem corpus in diuersis locis, consequens falsum, ergo & antecedens, probatur sequela supponendo, quod agens naturale non intendit corrumpere per se, sed si corrumpit hoc est per accidens, quia agens de per se intendit producere, vt puta ignis intendit generare ignẽ, at quia forma ignis nõ est compossibilis cum forma ligni in eadem materia, ideo consequẽter corrumpit formam ligni, hoc supposito probatur consequentia. Ideo agens naturale inducendo terminum ad quem corrumpit alium, quia repugnat formæ inducendæ, sed sic est, quod termino a quo, puta vbi a quo, & terminus ad quem nullam habent per se repugnantiam ad esse simul, vt tu dicis, ergo agens naturale potest facere, quod vnum corpus simul sit in diuersis locis.

Octauo

Digitized by Google

Octauo arguitur, quia ex sententia Sco. plurima sequerentur inconuenientia, nam si idem corpus posset localiter esse simul in pluribus locis, sequeretur primo quod eadem numero materia posset informari pluribus formis substantialibus eiusdem, vel diuersæ speciei, quod est falsum. ergo &c. probatur sequela, supposito, quod idem alimentum sit in diuersis locis illud posset comedi a diuersis animalibus in talibus locis existentibus, vt in vno loco ab vno homine comederetur, & ab alio in alio loco, vel quod in alio comederetur a cane &c. & tunc idem alimentum cõuerteretur in substantiam aliti, sicq; alimenti materia informaretur forma aliti, atque adeo eadem materia alimenti pluribus formis aliorum informaretur, vel eiusdem speciei, si a duobus hominibus comederetur, vel alterius speciei si ab homine simul, & a cane comederetur, hoc idem patet, esto quod idem lignum sit in diuersis locis, & in illis sint duo ignes, tunc illi duo ignes agent in illud lignum, & corrumpent: quia non potest resistere virtuti agentis, & inducerent formam ignis, & non eamdem, cum agentia sint diuersa, & loco distincta, ergo aliam, & aliam, & in eadem materia, cum materia ligni corrupti fuerit eadem sicut & lignum idem.

Secundo sequeretur, quod agens modicæ virtutis posset agere in passum excedens eius virtutem, quod falsum est, cũ inter agens, & patiens debeat esse proportio, sequela probatur, quia si paruus ignis locatur in pluribus locis, & in quolibet illorum locorum applicetur illi passum non excedens ignis virtutem quodlibet passum cõburet, sed illa passa omnia simul ignis virtutem excedunt, ergo agens modicæ virtutis posset agere in passum excedens illius virtutem.

Tertio sequeretur, quod idem animal in vno loco nutriretur, & in alio non, sed hoc inuoluit contradictionẽ, quia nutriretur, & non nutriretur, ergo &c. probatur sequela, quia volo, quod Petrus existens simul Florentiæ, & Romæ, Florentiæ mecum comedat, & Romæ esuriat, ergo nutritur, & non nutritur.

Item sequeretur quarto, quod idem animal augmentaretur in duplo, quia volo, quod Ioãnes existens simul Romę, & Parisijs, Romæ cęnet cum Summo Pontifice, & Parisijs cum Rege Franciæ, quo posito in duplo augumentabitur, quia cibus sumptus Romæ conuerteretur in substantiam aliti, & similiter Parisijs.

Quinto sequeretur, quod duo contradictoria verificarentur de eodem, quia si ponatur idẽ corpus Florentiæ, & Romæ, vel in illis locis habebit eamdem formam, vel non v.g. caliditatem vel frigiditatem, si primum pono casum, ꝙ Florentiæ approximetur sibi ignis, & Romæ frigus, vel gelu, sequitur, ꝙ Florentiæ erit calidũ, & Romæ frigidũ, atq; adeo calidum, & non calidum, frigidum, & non frigidũ, si datur secundũ membrum, s. si non haberet eamdẽ formam in pluribus locis sequitur idem, quia esset verũ dicere, ꝙ haberet formã, & non haberet eã, quæ est contradictio, saltem secundum primum membrum vtrobiq; haberet contraria, & iuxta secundum habebit contradictoria, scilicet formam, & negationem formæ. Item sequeretur, quod esuriret, & non esuriret, nam in vno loco posset inuenire cibum, & comedere, & in alio non inueniẽs cibum esuriret, & in vno loco ex aeris intemperie infirmaretur, & in alio ex temperie aeris haberet sanitatem, atq; ita esset sanum, & nõ sanum, vel ægrũ. Item in vno loco occideretur, in alio non, atque adeo simul moreretur, & non moreretur.

Sexto sequeretur, quod idem referretur ad se ipsum relationibus oppositis, quia in vno loco posset esse sursum, & in alio deorsum, in vno a dextris, in alio a sinistris, ergo erit simul sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum, atq; adeo esset inferius, & superius se ipso, nam existens sursum est superius, & deorsum existens est inferius.

Septimo sequerentur contraria de eodem verificari, quia esto, quod Petrus sit Florentiæ, & Romæ, Florentiæ existẽs erit propinquus Fesulis, Romæ autem existens erit a Fesulis distans, ergo erit propinquus, & distans, at distans, & propinquum sunt relationes cõtraria sicut simile, & dissimile, & per consequens contraria verificarentur de eodem, item sequeretur, quod idem corpus simul quiesceret, & moueretur, quia si Petrus per te est Florentiæ, & Romæ volo quod Romæ visitet limina Apostolorum, & Florentiæ sedeat, tũc idem simul quiescit, & mouetur, item sequeretur, quod idẽ corpus humanum videret, & non videret, nam esto quod Petrus sit Florentiæ, & Romæ, & quod Romæ videat Papã certum est, quod existens Florentiæ Papam non videt, quia in tam magna distantia quanta est inter Florentiam, & Romam non posset videre Pontificem, atque adeo videret, & non videret Pontificem.

Præterea arguitur nono. Sicut se habet res temporalis ad tempus, ita corpus ad locum, sed res temporalis non potest esse in diuersis temporibus simul, ergo neque idem corpus potest esse simul in pluribus locis, his, & alijs argumentis consimilibus, probatur hæc prima opinio a Catholicis Doctoribus.

Hæretici autem, qui eamdem tuentur opinionem probãt illam primo ex verbis Ange. Matt. 28. Iesum qui crucifixus est quæritis? nõ est hic, surrexit enim, quæ causalis collectio non esset bona si potuisset Christus simul esse in alio loco, & in sepulcro, secundo afferunt Patres negantes idem corpus posse esse simul in duobus locis, quod videtur præcipue docere Augu. epist. 3. & 57. & 20 c. 11. & magis ex professo Anselmus in Monolog. c. 20. Tertio argumentantur ad hominem, quia catholici docent non posse idem corpus esse modo naturali, & quantitatiuo in multis locis, ergo multo minus esse potest modo quantitatiuo, seu naturali, & sacramentali, nam in hoc posteriori miraculo includuntur omnes difficultates, & repugnantiæ, quæ in priori excogitari possunt, & præterea additur specialis difficultas in hoc quod corpus sit in vno loco extensum, & in alio inextensum, & hæc de primo. *Augu$t. Anselmus.*

Quo ad secundum impugnatur hæc opinio a Doct. subt. validis rationibus, & primo supponit, quod tenendum est quolibet esse Deo possibile, quod non est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas, vel cõtradictio euidenter concluditur, sed sic est in proposito, vt patebit soluendo omnes rationes supra positas. Hoc supposito arguitur primo sic. Non magis implicat contradictionem, quod idẽ corpus sit in pluribus locis, quam quod plura corpora sint in eodem loco adæquate, sed virtute diuina plura corpora possunt esse in eodem loco, sicut patet de corpore glorioso, & nõ glorioso, ergo etiam virtute diuina, idem corpus poterit esse in pluribus locis, consequentia patet, & minor ab omnib. Theologis conceditur, maior verò probatur, quoniam non est magis limitatum corpus ad locum, quam locus ad corpus, quia æqualiter cõmensurantur, non enim oportet plus corpus commensurari loco, quam locum commensurari corpori, nec magis oportet vnum commensurari cum alio quã e conuerso, nec magis impedit limitatio corporis ipsum esse in pluribus locis localiter, quam limitatio loci ipsum locare plura corpora, nec plus determinatur necessario idẽ corpus ad vnum locum tantum, quam idem locus ad vnũ corpus tantum, & si Philosophi negarent vnum, ita & aliud, & si vnum concederent, & aliud, ergo non obstante limitatione corporis poterit idem corpus esse in pluribus locis simul.

Huic rationi tripliciter respondetur, primo a D. Th. qui negat maiorem propositionem, & ratio negationis est quia ad rationem vnius (inquit ipse) duo requiruntur, primum esse indiuisum in se, secundum esse diuisum a quolibet alio, & primum est magis intrinsecum, quam secundum, quãdo autem duo corpora ponuntur in vno loco, solum fit vt inter se non sint diuisa, si autem idem poneretur in duobus locis diuideretur a se ipso, atq; ita in hoc fit magis contra rationẽ vniusquam in alio. Sed hæc responsio probari certe non potest, primo quia si esset solida re vera idem probaret de qualibet præsentia reali, etiam sacramentali, nã licet corpus per hanc præsentiam non repleat spatium quantitatiuo modo, tamen vere, & proprie per illam, est in terra eadem res idẽ corpus, quod est in cælo, & hic caret modo, quem ibi habet, ergo etiam dicitur distare, seu diuidi a se ipso, deinde quæro de qua diuisione, atque indiuisione loquatur, nam si sit sermo de diuisione, & indiuisione entitatiua, sicut repugnat vnam entitatem manentem vnam, esse diuisam in duas, ita æque repugnat duas entitates manentes duas esse vnam indiuisam, ergo quo ad hoc est æqualis repugnantia, si autem sit sermo de diuisione, atque indiuisione quo ad locũ prout re vera esse debet, sic rem esse, vel non esse diuisam quo ad locum nihil refert ad rationem vnius, quæ ex ipsa rei vnitate, vel quantitate consurgit non ex modo existendi in loco, vnde sicut duo corpora existentia in eodẽ loco, non propterea fiunt vnum corpus, imo neque habent vnum, & eumdem locum intrinsecum præsentiæ localis, ita neque vnum corpus existens in pluribus locis esset diuisum in multa corpo- *D.Thomas.*

ra,

Digitized by Google

ra, sed haberet tantum diuersos modos præsentiæ localis.

D. Bonau. Secundo respondet D. Bonau. vbi supra, negando etiam maiorem, & addit rationem differentiæ, quia quod vnum corpus quantum in vno tantum loco existere possit, ex eo prouenit, quod finitum est. Deus autem non potest facere quin sit finitum, imo (vt supponimus) Deus non aufert quantitatem eius, & ideo non potest illud nisi in vno loco constituere quod autem duo corpora naturaliter in eodem loco esse non possint, ex eo prouenit, quod habent molem, quam Deus potest quantitate auferre, & ideo etiam potest facere, quod duo corpora sint in eodem loco. Sed hæc responsio non est magis probabilis, quam præcedens: nam si ratio D. Bonauen. efficax esset, probaretur eadem, non posse Deum eleuare creaturam ad aliquid agendum præter virtutem suam finitam, quia eam limitationem in agendo habet ex eo, quod finita est, (quod Deus non tollit, imo sequeretur non posse Deum ponere corpus Christi sacramentaliter extra locum, quem habet in cælo, quia etiam ille locus est adæquatus quantitati finitæ corporis Christi, ex qua prouenit, vt naturaliter limitetur ad illam præsentiam. deinde quæro, quid nomine molis intelligat, aut enim intelligit extensionem ipsi in se, ratione cuius natura sua postulat determinatum locum, quem repleat, aut per molem intelligit actualem extensionem in loco, si primo modo accipiat molẽ, verum est, ideo duo corpora natura sua apta esse sese expellere ab vno loco, quia habent molem, quamquam id actu non faciant sine actuali extensione in loco, sed falsum est quantitatem posse priuari mole in hoc sensu, quia sic habere molem est intrinseca ratio quantitatis, & ad primum effectum eius formalem pertinet, vt supra ostensum est, & multo magis falsum est corpora se penetrantia priuari huiusmodi mole. Si verò accipiat molẽ, secundo modo, sic verum est posse quantitatem priuari huiusmodi mole, falsum est autem hinc prouenire, quod penetratio corporis sit possibilis: nam corpora quæ Deus ponit penetratiue in eodem loco non priuantur proprijs extensionibus in ordine ad locum, vt constat de corpore Christi, & virgineo, quando in partu sese penetrarunt, & de eodem Christi corpore, & lapide sepulcri in resurrectione, imo vt sit propria penetratio necessario supponitur vtrumque corpus esse extensiue in loco, & nihilominus diuinitus fieri, vt non se impediant, atque adeo corpus Christi non proprie se penetrat cum specie bus panis, quia non est ibi extensiue, sed altiori modo. Ideo potest retorqueri argumentum hoc modo, licet impenetratio corporum, ex mole quantitatis prouenit naturaliter, nihilominus non ablata mole Deus facit corpora penetrari, ergo licet naturalis limitatio ad vnum locum ex eo prouenit, quod quantitas finita est, poterit Deus non ablato, neque mutato quantitatis termino idem corpus in pluribus locis constituere.

Henricus. Tertio respondet Henricus de Gande, distinguendo de duplici situ, scilicet dimensionali, seu circumscriptiuo, & definitiuo, seu determinato, & dicit quod duæ dimentiones repugnant, vt sint in eodem loco propter situm localem id est, circumscriptiuum, & talem repugnantiam in corporibus gloriosis tollit dos subtilitatis, atque adeo duo corpora gloriosa possunt simul stare in eodem loco, vel saltem vnum gloriosum, & aliud non gloriosum; sed quod idem corpus non possit esse circũscriptiue in pluribus locis simul, impedit limitatio corporis, & limitatio ad locum, quam limitationem ad locum non tollit dos subtilitatis, quia nec tollit limitationem corporis, atque adeo etiam corpus gloriosum habet situm determinatum, quo oportet ipsum esse ita hic, quod non alibi, licet non habeat situm localem, quo resistat alteri corpori.

Sed contra hanc responsionem instat Doct. ex principijs eiusdem. Hen. nam habet Henr. quod inter locum, & locatum est commensuratio quoad vnum, & quo ad plura, itaque bene sequitur, loca sunt plura, ergo, & locata, sicut sequitur, sunt plura corpora, ergo & plures loci, hoc supposito arguitur sic iuxta hoc principium Henr. Non impossibilius est duo corpora esse simul quam vnum corpus esse in duobus locis, sed duo corpora possunt esse in eodem loco, ergo idem corpus esse poterit in pluribus locis, minor est manifesta, & maior probatur: quia si plura corpora non possunt esse in eodem loco, aut hoc prouenit, quia oportet locatum multiplicari ad multitudinem locorum, quia commensuratur loco; aut propter aliam causam, non propter primum, quia non plus limitatio corporis excludit a corpore esse in pluribus locis, quam limitatio loci excludat ab ipso posse locare plura corpora, æque enim oportet loca commensurari locatis, sicut e conuerso, quia commensuratio is lis est respectus communis, ergo sicut ad multitudinem locatorum sequitur multitudo locorum, ita ad multitudinem locorum, sequitur multitudo locatorum, & è conuerso, atq; adeo æque est impossibile duo corpora esse simul, sicut idem in pluribus locis.

Si dicatur, quod hoc prouenit propter rationem aliquã specialem, assignetur quænam sit ista ratio, & certe non potest alia assignari, nisi quia vel locatum est posterius loco naturaliter, vel quia locus est simul cum locato, nam prius naturaliter non oportet conmultiplicari posteriori, sed posterius priori, & simul ei cum quo est simul, nam cum vnitate prioris stat multitudo posteriorum, sed cum vnitate posterioris non stat multitudo priorum; nam licet ab eadem causa possint esse plures effectus, tamen vnus effectus non potest esse a pluribus causis totalibus. Contra si ista est ratio, manifestum est, quod dimensiones loci sunt posteriores dimensionibus locati, ergo magis oportet dimensiones loci multiplicari ad multitudinem locati, quam è conuerso, atque adeo impossibile est, quod sit idem locus, & plura locata, antecedens patet, tum quia dimensiones locati sunt causæ dimensionum loci, quia locatum facit latera continentis distare, sed omnis causa est prior suo effectu, ergo &c. Tum quia prius est, quod potest esse sine alio, & non è contra, sed dimensiones corporis possunt esse sine dimensionibus locantis, vt si Deus poneret corpus extra cœlum, & patet etiam de superficie conuexa primi cœli, sed dimensiones loci non possunt esse sine locato, quia per nullam potentiam naturalem potest fieri, quod dimensiones loci sint secluso locato, quia non possunt distare superficies locantis, absque distantia partium locati, quia tunc esset vacuum.

Præterea in motu locali quocumque manet eadem superficies locati, sed non loci, imo comuniter mutatur superficies loci mutato locato, & si corpus æquale succedat a quali, & similiter figurato adhuc non manet superficies eadem prioris corporis circumscribens corpus, secundum, & ex hoc potest ratio formari nedum contra Henric. sed etiam ad probandum, quod idem corpus potest esse simul in pluribus locis hoc pacto. Duo corpora possunt esse simul, ergo idem corpus potest esse simul in pluribus locis, antecedens conceditur ab omnibus, & consequentia probatur, quia magis possibile est cum vnitate prioris naturaliter stare multitudinem posteriorum, quam è conuerso, sed dimensio locati prius est naturaliter dimensione loci, vt probatum est nunc. ergo magis possibile est vni corpori locato correspondere plures dimensiones locorum, quam è conuerso.

Secundo arguitur (& est argumentum Henr. de Ganda sicut etiam præcedens) corpus Christi verum per miraculum in Sacramento altaris in eodem tempore sub diuersis dimensionibus habet esse in diuersis altaribus, atque ita in diuersis locis, & hoc ex conuersione substantiæ in ipsum sub illis dimensionibus, sed per miraculum possunt dimensiones sacramenti conuerti in dimensiones corporis Christi, ergo erunt ex vi conuersionis dimensiones corporis Christi vbi erant dimensiones sacramenti, atque adeo sicut substantia corporis Christi potest esse per conuersionem in eodem tempore sub diuersis dimensionibus in diuersis altaribus, ita & dimensiones corporis Christi per conuersionem possunt esse in diuersis altaribus, vbi erant dimensiones conuersæ in illas, sed non sunt dimensiones corporis Christi, nisi vbi est verum totum, & integrum corpus Christi, ergo totum corpus Christi simul potest esse per miraculum in diuersis locis. In hac ratione supponit Doctor, quod terminus conuersionis ponitur vbi fuit conuersum, & ex vi conuersionis. secundo supponit, quod quantitas est cuique ratio locandi, siue essendi in loco localiter, vel dimensiue. Tertio supponit, quod terminus conuersionis propter conuersionem, vel ex vi conuersionis non mutatur de loco ad locum, vt patet de corpore Christi in cœlo: tunc sic bene sequitur quantitas conuertitur in quantitatem corporis Christi, ergo Deus potest facere localiter idem corpus in diuersis locis, consequentia patet, quia quantitas corporis Christi ponitur ex vi conuersionis vbi præfuit quantitas panis pro-

Digitized by Google

propter suppositum, ergo ibi erit corpus Christi localiter, & dimensiue ex secundo supposito, atque adeo idem corpus erit simul in cęlo, & in sacramento ex tertio supposito: quia illa conuersio non remouet Christum a cœlo empyreo.

Huic argumento respondet Henr. distinguendo suppositionem, potest enim intelligi aut quod quantitas panis conuertatur in corpus Christi, manente substantia panis, aut sic quod totus panis, & quantitas conuertatur, si primo modo hoc potest intelligi dupliciter, quia aut substantia panis, quæ manet afficitur dimensionibus corporis Christi, aut non; si primo modo, non sequitur, quod corpus Christi sit dimensiue in duobus locis, sed tantum in vno, quoniam dimensiones corporis Christi non essent in substantia panis dimensionaliter, quia tunc ipsam informarent, & extenderent, & haberet partem extra partem sub partibus dimensionum Christi, sicut primo habuit sub dimensionibus proprijs, aut si non informarent substantiam panis, sed solummodo substantiam corporis Christi, quæ esset ibi per concomitantiam, quia primus terminus conuersionis per casum esset quantitas corporis Christi, esset substantia panis in simplici, & indiuisibili existens, quia vt dicitur, 1. Physi. si substantia sola est neque magnitudinem habebit vllam, & tunc corpus Christi non est vbi est substantia panis, nisi ad modum substantiæ panis, & per consequens non erit ibi localiter, atque adeo non erit localiter in duobus locis: si autem intelligatur, quod totus panis, & quantitas conuertatur, multo minus erit ibi dimensionaliter, quia cum nihil maneat ratione cuius corpus Christi dicatur ibi esse, scilicet in loco conuersi, sequitur, quod non erit ibi, quia non sacramentaliter, cum nulla sit ibi sensibilis species, nec non sacramentaliter, quia sic est tantum in celo. Et præterea cum corpus Christi non esset ibi dimensionaliter non posset implere locum, quem prius impleuerant dimensiones panis, & ita non maneret illa capacitas, sed in instanti conuersionis partes aeris concurrerent cito in vnum continuum, & desineret aer esse locus, qui prius erat, & sic per ipsum non maneret ibi corpus alicuius, nec corpus Christi, sicut nec modo manet corruptis speciebus panis, si ergo adhuc ibi maneret, hoc non esset nisi propter substantiam partium aeris, quæ immediate ante conuersionem istius termini tangebant dimensiones panis, & sic semper maneret ibi corpus Christi, quia semper manere possent ibi illæ partes aeris, quod omnino absurdum est dicere.

Sed contra hanc responsionem arguit Doct. probans, quod ratio minime saluatur nisi neget sua principia, quia volo, quod fiat vnus panis tantæ magnitudinis, quantæ est corpus Christi, & quod virtute diuina conuertatur illa substantia quāta æqualis corpori Christi in corpus Christi quantum, quo posito corpus Christi habebit esse in diuersis locis localiter, & commensuratiue, patet quia ex vi conuersionis illud in quod fit conuersio erit quantitatiue in loco termini conuersi, & cum hoc, erit etiam in loco proprio, vbi erat prius; quando ergo respondet diuidendo, potest dari hoc membrum, quod totum omnino conuertitur in totum, nec sequitur quod terminus conuersionis non sit vbi prius fuit conuersum si nihil manet, nisi negetur ista propositio, terminus conuersionis est vbi prius fuit conuersum, & forte negaret eam absolute, sed admitteret eam hac limitatione, si illud manet quod fuit conuerso ratio locandi, & tunc argumentum istud non concludit contra *Henr.* nec etiam de aere æquali conuerso in corpus Christi, nec curo (inquit Doct.) insistere quia credo quod illa propositio cui innititur ratio sit falsa, scilicet quod oporteat terminum conuersionis esse vbi præfuit cōuersum, siue maneat illud, quod fuit conuerso ratio locandi, siue non. Posset etiam (inquit Doct.) dari aliud membrum diuisionis, scilicet quod quantitas aeris conuerteretur in quantitatem corporis Christi substantia aeris remanente, & tunc posset inferri, quod corpus Christi esset sub sua quantitate, & dimensione, & quod quantitas eius sit vbi præfuit quantitas aeris conuersi, ergo corpus Christi erit ibi dimensiue, & cum hoc erit in cœlo.

Tertio arguitur principaliter, & est argumentum ad hominem. Vbicumque potest Deus facere substantiam naturalem non sub modo suo naturali, id est, sine situ circumscriptiuo, potest eam facere sub modo naturali, sed Deus potest facere corpus Christi, & facit de facto secundum omnes sacramentaliter, id est, non sub modo suo naturali simul in diuersis locis, id est, Deus potest corpori Christi habenti quantitatiuam, & naturalem præsentiam dare alibi realem præsentiam, & supernaturalem, & alterius ordinis, ergo potuisset etiam dare aliam naturalem, & eiusdem ordinis, atque adeo posset idem corpus constituere in pluribus locis sub modo naturali, scilicet localiter, & dimensiue, maior probatur, quia nulla potest maior repugnantia assignari, nam præsentia hæc supernaturalis iam vera, & realis præsentia est, sicut naturalis, vnde æque potest esse fundamentum propinquitatis, & distantiæ realis, & præterea sacramentalis præsentia pugnare videtur cum naturali conditione quantitatis, quia hæ duæ præsentiæ, scilicet naturalis, & sacramentalis habent conditiones repugnantes, scilicet extensionem, & inextensionem in loco, duæ autem naturales nequaquam, vnde non solum videntur duæ presentiæ naturales esse æque possibiles sed faciliores, & possibiliores, quod etiam apparet, quia ad hoc, quod corpus Christi sit in pluribus locis sacramentaliter requiruntur duo miracula, alterum, vt idem corpus sit in pluribus locis simul, & alterum vt non sit ibi secundum naturalem modum existendi, id est, localiter, ad hoc autem vt idem corpus sit in pluribus locis simul localiter, vnum tantum miraculum est necessarium, ergo hoc non minus, sed magis etiā Deo possibile. Demum per se videtur incredibile potuisse Christum realiter adesse in sacramento visibili inuisibiliter, & tamen non posse ibi se ostendere visibiliter si velit, nisi cœlum deserat.

Ad hoc argumentum respondent Thomistæ, quod ratio quare corpus Christi est in sacramento est per conuersionem alterius in ipsum, quia panis conuertitur in verum corpus Christi. Sed contra arguit Doct. Illa conuersio nō est ratio formalis quare corpus Christi sit in sacramento altaris, ergo solutio nulla, antecedens patet quia transeunte illa conuersione non est ratio formalis, & intrinseca, quare corpus Christi sit ibi, quia causa formalis est, & non est simul cum suo effectu formali, sed transeunte conuersione adhuc est in sacramento corpus Christi; ergo conuersio non est ratio formalis quare corpus Christi sit ibi, atque adeo absque contradictione aliqua potest alicui conferri esse hic sine conuersione aliqua alterius in ipsum.

Et si dicas, quod conuersio ista, vt præterita est causa istius præsentiæ. Contra. Deus de potentia absoluta non potest facere conuersionem præteritam non præterijsse, nam hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt, ergo de potentia absoluta non posset facere sic præsens non esse sic præsens, quod nihil est; si dicas quod species derelicta post conuersionem est corpori Christi ratio existendi hic, ita quod ad illud esse hic, necessario requiritur conuersio. contra Illæ species non sunt formaliter in corpore Christi, ergo non est ratio corpori Christi essendi formaliter aliquale, & hoc loquendo generaliter de aliquali pro quocumque, quod formaliter inest corpori Christi, sed corpus est formaliter præsens, ergo per aliquid aliud, quam per conuersionem, vel speciem conuersi, sicut dicit Hugo, qui totum tribuit potentiæ Dei. *Hugo.*

Quarto arguitur sic. Angelus potest esse simul definitiue in pluribus locis, ergo & corpus circumscriptiuè, consequentia videtur satis manifesta, quia similis habitudo est in vtroque, & per consequens similis determinatio ad locum sibi suo modo conuenientem. Vnde communiter negantes consequens, negant antecedens, quod sic probatur. Deus potest conuertere panem in Angelum, & probabitur distinctione vndecima, & vbi præfuit conuersum, ibi est illud in quod conuertitur, saltem si ratio locationis ipsius conuersi manet (quod dicit Doctor, vt tollat euasionem Henrici adductam supra) ergo Angelus est vbi fuit panis, sed non potest esse ibi præsens quin sit in loco secundum modum sibi conuenientem essendi in loco, scilicet definitiue, & tamen manet in proprio loco, scilicet

Digitized by Google

in cælo, ergo idem Angelus potest esse simul definitiue in locis locis.

Et confirmatur ratio. Angelus potest virtute naturali esse totus in toto aliquo loco, & totus in qualibet parte, quid ergo mirum, quod Deus virtute supernaturali aliquod simile possit operari in corpore, constituendo totum illud in diuersis locis? Et si dicatur Angelum solum posse esse illo modo in spatio continuo, sed non in discretis; dico, quod multi opinantur posse Angelum virtute sua esse in locis distinctis, qui adæquatam virtutem non excedant, vt docet Doctor. in secundo distinctione secunda, quæstione septima. Cæterum extra controuersiam esse debet aliquid maius dandum esse diuinæ potentiæ, præsertim cum ex sola locorum discontinuatione nulla appareat implicatio contradictionis, quia vt recte Diuus Augustinus ait libro de cura pro mortuis agenda, capitulo decimo sexto, & decimo septimo. Alij sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum, alia sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, ex quo principio pro comperto ibidem habet posse animas sanctorum simul esse in cœlo, & in terra, quando hic aliquid mirabiliter operatur, quamuis dubitet an de facto ita fiat. Vnde etiam concluditur posse Deum etiam constituere Angelum in locis distantibus, etiam si singula eorum adæquata sint, quia licet hoc excedat naturalem virtutem angelicam, non tamen est cur superet diuinam potentiam.

D August.

Posset etiam consequentia ita persuaderi, nam quod res sit spiritualis, vel materialis, & præsentia naturalis sit indiuisibilis, vel diuisibilis videtur valde materiale, & impertinens ad inferendam implicationem contradictionis, quia etiam res spiritualis suo definitur in loco, & extra spatium adæquatum naturaliter esse non potest, & quando ita constituitur quodammodo a se diuidi videtur, & simul habet relationem distantiæ, & propinquitatis ad easdem res, & potest hic moueri, & alibi quiescere, denique habet plures adæquatas præsentias, quam naturaliter posset, ergo formaliter rem considerando eadem est difficultas, atque adeo si potest vnus, & idem Angelus definitiue esse simul in pluribus locis, & idem corpus localiter poterit esse in pluribus locis simul.

Istarum quatuor rationum (inquit Doctor) primam, & tertiam pondero, secunda & quarta non procedunt nisi ex quodam præsupposito, quod non credo esse verum, concluderent tamen contra plures, id est, Thomistas, & Henr. illam præsuppositionem concedentes, & hæc de secundo huius art.

Quo ad tertium soluenda sunt argumenta contrariæ opinionis, pro quorum solutione ponit Doctor Subtilis tres propositiones notabiles, ex quarum intellectu facillime soluentur argumenta, quæ videntur secundum imaginationem difficilia, vt sunt quæ procedunt in exemplis supra adductis de calore, & frigore, fame, & saturitate, morte, & vita, & sic de alijs; alia autem argumenta facilia sunt, & eo modo quo in generali procedunt soluentur.

Prima propositio, ea quæ sunt priora essentialiter, quam esse in loco, eadem omnino conueniunt corpori, quamuis existat in diuersis locis, nec variantur loco variato, illa vero dicuntur priora essentialiter, quæ a loco non dependent, huiusmodi sunt accidentia absoluta, vt quantitas, qualitas, & relationes intrinsecus aduenientes, vt similitudo, æqualitas & cætera, posterior autem loco est motus de loco ad locum, probatur ista propositio, quia priora essentialiter non variantur ad variationem posteriorum, atque ita homo in diuersis locis habet idem corpus, & easdem manus &c. eamdem quantitatem, & albedinem, idem velle, vel nolle &c. quia hæc sunt priora loco.

Secunda Propositio. Ea quæ posteriora essentialiter sunt, quam esse in loco, simul variantur, & multiplicantur variato loco, atque ita idem corpus in pluribus locis habet diuersas propinquitates, & distantias variato loco, quia sunt illo posteriores, & ab illo pendent, sic corpus poterit moueri in vno loco, & non in alio, quia motus localis præsupponit locum, quia sumit speciem, & rationem a loco, neque est necessarium, quod si corpus hic est propinquum patieti, sit etiam Romæ propinquum eidem, quia sunt hæc posteriora quam esse in loco, neque est necessarium, quod si in vno loco sedeat, quod etiam sedeat in alio, sed poterit in alio stare, vel moueri, quia situs, & motus sunt posteriora loco.

Tertia propositio. Idem corpus existens in diuersis locis poterit pati a diuersis agentibus, vt idem lignum poterit calefieri a duobus ignibus, & hoc patet, quia adhuc in eodem loco si ligno applicarentur poterit a duobus ignibus pati, ergo & in duobus locis.

Quarta propositio, Idem corpus in diuersis locis poterit agere in diuersis corporibus, patet etiam quia idem ignis poterit calefacere duo ligna in eodem loco applicata, ergo multo magis in diuersis, probatur, quia ad hoc, quod agens agat, & patiens ab agente patiatur recipiendo formam, non oportet nisi quod agens habeat formam actiuam, & passum potentiam passiuam, & quod sint debitè approximata, quod autem approximatio sit in hoc vbi, vel in illo, nihil refert quantum ad actionem, quæ est ad formam absolutam, sed agente, & passo positis in duobus vbi habent eamdem potentiam actiuam, & passiuam ad formam absolutam, & eodem modo possunt approximari sibi, vt sunt in isto vbi, sicut in alio, ergo eodem modo agens aget inducendo formam absolutam in quodcumque passum sibi approximatum siue in isto vbi, siue in alio, sicut si tantum esset in vno vbi, & esset passum sibi approximatum, & similiter eodem modo passum patietur quantum ad omnem formam absolutam a quocumque actiuo sibi approximato siue in isto vbi, siue in alio, sicut si tantum esset in vno vbi, & esset agens sibi approximatum. Ex his respondetur ad rationes contrariæ opinionis.

Ad primum respondetur, & primo reflecto rationem contra auctorem: nam si corpus Christi potest esse sacramentaliter præsens multis locis, ergo omnibus, ergo vbique, si autem de fide est creaturam, non posse esse vbique, non solum est secundum præsentiam quantitatiuam, sed etiam secundum quamcunque præsentiam realem etiam indiuisibilem, & angelicam, nam etiam de re spirituali creata erit de fide non posse esse vbique, alioquin ex illa proprietate non colligeretur diuinitas Filij, & Spiritus sancti, imo multo apparentius videtur posse colligi vbiquitas ista ex sacramentali, quam ex locali præsentia, quoniam quod proprie est vbique debet esse totum in omni loco, quod non necessario haberet corpus extensum in loco, quamuis esset replicatum per omnia loca, quia in singulis eorum non esset totum in omnibus partibus loci, & maxime in indiuisibilibus punctis, at vero si per sacramentalem præsentiam corpus esset in omnibus spatijs, magis proprie corpus esset vbique, quia totum esset in omnibus partibus.

Ad argumentum ergo respondetur dupliciter, primo dicitur, quod non sequitur consequens, & ad probationem dicit Doctor, quod illa propositio: Quando aliquid (quantum est de potentia agentis) est indifferens &c. est falsa si vniuersaliter intelligatur, quia Deus absolute potest in omnem visionem, & secundum omnem modum visionis, & tamen non in quocumque oculo potest quamcumque visionem causare, nam licet ista propositio sit vera, omnis oculus potest videre, atque etiam ista, Deus potest omnem visionem causare, hæc tamen est falsa, omnem visionem potest Deus in oculo noctuæ causare: ita in proposito licet corpus sit indifferens ad omnem locum, & Deus possit ponere corpus in pluribus locis, repugnat tamen corpori ex sua natura esse in omnibus locis, atque adeo hæc est falsa.

Deus potest ponere corpus in omnibus locis, quia licet Deus habeat infinitam potentiam, corpus tamen locabile non habet potentiam passiuam ad infinita loca, si autem intelligatur propositio illa cum hac determinatione, scilicet de quacumque forma ad quam æqualiter se habet potentia agentis de se, & potentia receptiua, vera est propositio, quod per istam potentiam æque posset qualibet forma causari in susceptiuo, quia tam ex ratione actiui, quam susceptiui esset æqualis possibilitas, sed adhuc non sequitur de qualibet,

Digitized by Google

libet diuisim, & de omnibus simul, quia ex parte Dei agentis, & susceptiui passiui, superficies est æque in potentia receptiua ad omnem colorem, non tamen ad omnem simul, & tunc oporteret ostendere, quod corpus quantum est de se esset ita susceptiuum omnium vbi, sicut duorum, quod negatur ab aduersario, atque adeo non sequitur, quod si Deus potest constituere idem corpus in pluribus locis, quod etiam in infinitis, & vbique. Secundo respondetur, & melius concedendo consequentiam, & quod ex parte Dei actiui, & corporis, vt susceptiui æqualis sit possibilitas in corpore ad duo vbi, quæ sunt simpliciter distincta, & ad quotcumque, & ad omnia, & cum dicitur, quod per nullam virtutem potest vnum corpus habere omnia vbi, nec esse vbique falsum est, quia vt diximus supra (& ipsi etiam concedunt) corpus Christi potest vbique esse sacramentaliter, posset enim Deus quodcumque corpus vniuersi conuertere in corpus Christi sicut panem, nec est maior limitatio adesse alicubi localiter, quam sacramentaliter comparando ad potentiam Dei, quia quicquid potest fieri per causam secundam actiuam potest Deus facere immediate, at Sacramentum velans corpus Christi non est causa corpori essendi hic nisi sicut causa effectiua. Secunda, quia non tamquam causa formalis, vt probatum est.

Et ad probationem cum dicitur, quod esse vbique est proprium Dei, dico quod Deus ex sua immensitate, & necessario est vbique, quia nullum potest esse vbi, in quo non sit secundum præsentiam, potentiam, & essentiam, & sic impossibile est aliud a Deo esse vbique, sed non est inconueniens aliud a Deo per Dei potentiam esse in quocumque vbi, nec per hoc debet dici propriè esse vbique sicut Deus, quia non est immensum, atque adeo si poneretur idem corpus in omnibus locis, adhuc non esset vbique sicut Deus, qui independenter, propria virtute, & ex immensitate suæ naturæ vbique est, sed corpus esset vbique dependenter, & per aliud, id est, per virtutem, & potentiam diuinam.

Ad secundum nego consequentiam, & ad probationem dico, quod licet locus, & locatum commensurentur secundum quantitatem continuam, non est tamen necesse, quod commensurentur secundum quantitatem discretam quantum ad vnum, & multa, cuius ratio est, quia Deus potest facere plura in eodem loco, quod non negatur a Thomistis. Præterea posset etiam argumentum retorqueri contra sacramentalem præsentiam, & sicut contra eam non includit, ita nec in proposito, ex duplici enim locali præsentia eiusdem rei non sequitur eamdem rem esse in se diuisam, sed præsentias inter se diuisas, & distinctas inesse eidem rei, hoc autem nullo modo est contra rationem vnius ex parte rei, sed ex parte modi, nos autem non dicimus modum esse vnum, sed duos in eadem subiecto, atque adeo non sequitur multiplicatio subiecti, sed modorum, hoc est, præsentiarum, vel respectiuum, ad plurificationem autem posterioris non sequitur multitudo prioris, & maxime de respectu extrinseco, & fundamento, vt diximus supra arguendo contra opinionem.

Ad tertium deduco primo argumentum contra eos, quia sicut termini corporis sunt simul cum terminis loci, ita èconuerso termini loci cum terminis corporis, si ergo propter simultatem terminorum corporis ad diuersa loca, sequitur quod corpus sit extra terminos proprios, vel quantitatis suæ propriæ, ita propter simultatem terminorum loci cum diuersis locatis, sequitur quod locus sit extra terminos proprios, quia sicut tu dicis, quod duo loca arguunt duo locata, ita diceretur tibi, quod duo locata arguunt duo loca, quod tamen est falsum, quia duo corpore possunt esse in eodem loco, dato quod locus non sit extra proprios terminos, nec aliquod illorum corporum sit extra terminos loci, præterea si argumentum concludit probat etiam idem corpus non posse esse in pluribus locis sacramentaliter, quia etiam termini loci, & locati sunt simul, licet non commensuratiue, vel circumscriptiuè.

Dico ergo ad argumentum, quod idem corpus per suam quantitatem, qua intrinsece, & formaliter terminatur potest esse in pluribus locis, nec sequitur quod sit extra terminos proprios, vel extra terminum propriæ quantitatis, sed bene existens in vno loco est extra alium locum, & extra terminos alterius loci, sicut locus est extra alium locum, licet cum hoc posset esse intra illum locum, & terminos eius. Ad rationem ergo dico, quod terminos vnius esse cum terminis alterius potest intelligi dupliciter, vno modo simultate præcisa, & adæquata, alio modo nec præcisa, nec adæquata simultate, si primo modo intelligatur de simultate, dico quod maior probationis consequentia est vera, & minor falsa, quia in eodem loco possunt esse plura corpora, quod non esset possibile si essent simul simultate præcisa, & adæquata, si autem intelligatur secundo modo, scilicet de simultate inadæquata, & non præcisa, tunc maior est falsa, quia non oportet illud, quod est extra terminos vnius, esse extra terminos alterius, id est, quod est extra terminos vnius loci, esse extra terminos corporis, quia vniuersaliter si vnum excedit aliud, non oportet quod illud, quod est simul excedenti sit extra excessum, nam quia locus excedit locatum (ex eo quod locatum, & locus non sunt simul simultate præcisa, & adæquata) non sequitur, quod illud quod est simul excedente, id est, quod partes locati, quæ sunt simul cum loco sint extra excessum, id est, sint extra locatum, ex eo quod locatum sit in alio loco, sicut patet de anima, quæ & si secundum suos terminos quidditatiuos, (terminum enim quantitatiuum non habet) sit simul cum terminis digiti, non propter hoc sequitur, quod quicquid est extra terminos digiti sit extra terminos animæ, & si anima sit etiam in capite. Ita & si corpus secundum terminos suæ quantitatis sit simul cum terminis loci A. non propter hoc sequitur, quod quicquid est extra terminos A. sit extra terminos corporis, nam corporis caput est extra terminos A. cum sit in loco B. & tamen non est extra proprium corpus.

Ad quartum dico, quod corpus quod naturaliter est in loco circumscriptiue, siue localiter est etiam definitiue, quod ex limitatione prouenit naturæ, quæ vnum corpus non potest in pluribus locis simul locare, supernaturaliter tamen corpus locatum in vno loco localiter non esset in illo definitiuè, hoc est determinate, quoniam virtus diuina illimitata est, neque naturæ regulis coarctata, atque ita potest idem corpus simul in pluribus locis ponere etiam localiter, & ideo quod additur de Angelo oppositum concludit sicut ostensum est in quarta ratione contra opinionem, potest enim Angelus suo modo, id est, definitiue, vt esse in loco definitiue distinguitur contra esse in loco commensuratiue, esse per potentiam Dei in pluribus locis.

Ad quintum negatur maior, nam supponitur quantitatem esse formalem rationem essendi in loco, sicut natura est ratio formalis supposito, vel indiuiduo essendi sub vna specie, quod falsum est, quia licet quantitas sit ratio fundamentalis illius, quod est esse in loco, non est tamen formalis, quoniam ratio formalis est locatio passiua, siue respectus locati ad locum, potest autem ratio fundamentalis esse vna licet respectus, vel rationes formales sint diuersæ, sicut albedo, quæ est fundamentum similitudinis potest esse vna licet similitudines diuersæ sint sed non nisi per vnam similitudinem constituitur formaliter in specie similis, si autem species similis non posset plurificari in eodem, nec similitudo.

Ad sextum dico, quod si remanet in eodem vbi in quo prius erat, potest acquirere nouum vbi vnica mutatione, & duabus mutationibus, & si quæras, illæ mutationes autem sunt eiusdem rationis, vel speciei, aut non, do vtrumque. Et cum arguitur duæ mutationes eiusdem speciei non sunt simul in eodem, dico quod non est impossibilitas mutationum nisi ex incompossibilitate terminorum, vel formarum secundum quas sunt, primo ergo oportet probare incompossibilitatem duorum, vbi, quod nego, quare non erit incompossibilitas huiusmodi duarum mutationum.

Ad confirmationem reduco primo argumentum contra eos, quia sicut termini motus sunt quælibet duo vbi circumscriptiua, ita termini mutationis alicuius corporis possunt esse duo vbi præsentialia, vel sacramentalia,

Digitized by Google

si ergo illa sunt incompossibilia, & non possunt stare in eodem corpore, pari ratione nec illa duo sacramentalia, atque ita non potest esse idem corpus in pluribus locis sacramentaliter, sicut nec localiter, vel circumscriptiue.

Termini motus sunt duplices.

Ad rationem ergo respondeo quod termini motus sunt duplices, scilicet primi, & concomitantes, termini primi cuiuslibet mutationis sunt priuatio & forma, & è conuerso, concomitantes autem, qui iunguntur terminis prædictis, vniuersaliter ergo concedo, quod priuatio & forma sunt incompossibiles, sed concomitantia possunt esse compossibilia. Exemplum in mutationibus substantialibus si ponatur vnica forma in animato (vt ponunt Thomistæ) corpus organicum præcedit animationem, quæ est terminus ad quem, sed corpus organicum non est per se terminus a quo, sed ipsa inanimatio, quia mutatio est inter inanimationem, & animationem, licet autem inanimatio, & animatio sint simul impossibilia, non tamen corpus organicum, & animatio. Eodem modo in corruptione, si manet eadem forma corporis, quæ prius fuit terminus a quo per se, scilicet forma, cuius priuatio succedit, non manet, sed terminus concomitans istam, scilicet formam, quæ est per se terminus a quo manet; quando enim corrumpitur lignum, terminus a quo est forma ligni, terminus ad quem est priuatio formæ ligni, & huiusmodi termini sunt incompossibiles, nam succedente priuatione formæ ligni non manet forma ligni, sed bene cum priuatione formæ ligni manet forma ignis, quæ est terminus ad quem concomitans corruptionem ligni.

Eodem modo in augmentatione, si ponatur tota quantitas præexistens manere, manet totus terminus a quo positiuus, qui est concomitans priuationem, quæ est per se terminus a quo, & è conuerso in diminutione manet quantitas positiua aliqua, quæ prius, sed non idem per se terminus a quo. Similiter in alteratione secundum intensionem, & remissionem. Eodem modo dico de motu locali, quod non est contradictio, quod motus acquisitiuus sit sine deperditiuo, & tunc cum termino ad quem non manet per se terminus a quo, qui est priuatio, sed manet ille terminus, qui est quasi per accidens, & quasi concomitans communiter per se terminum.

Ad propositum ponatur hic tantum esse motus acquisitiuus noui vbi sine motu deperditiuo, & huiusmodi per se terminus a quo est priuatio vbi acquisiti, illa autem priuatio non manet cum termino ad quem, sed hic nullus est terminus concomitans per se terminum a quo, quia talis non est nisi vbi sunt duo motus, vel mutationes concomitantes, & per se terminus vnius, & per accidens terminus alterius. Breuiter dico ad argumentum, quod terminus motus a quo est duplex, primus videlicet, & concomitans, primus terminus est priuatio termini ad quem, terminus vero concomitans est locus antiquus a quo mobile mouetur, diciturque concomitans, quia per se est terminus a quo, nisi quia coniunctus est cum priuatione termini ad quem, dico ergo quod terminus motus localis a quo primus est incompossibilis cum termino ad quem, quia priuatio, & forma sunt incompossibiles, terminus verò a quo concomitans non est incompossibilis cum termino ad quem, atque adeo virtute diuina se poterunt compati in eodem corpore.

Ad septimum dico primo, quod si hæc ratio concluderet, probaret etiam, quod agens naturale posset facere duo corpora in eodem loco, quia agens naturale non intendit corpus vnum expellere, nisi quia intendit inducere aliud corpus, si ergo non esset repugnantia duo corpora esse simul, sicut non est, quia aliàs Deus non posset hoc efficere, tunc mouendo hoc corpus ad istud vbi non expelleretur aliud corpus, & sic natura posset facere duo corpora simul, quod est falsum, & manifestum inconueniens. Ideo ad argumentum dico quod aliqua possunt intelligi incompossibilia dupliciter vno modo virtute agentis creati, & limitati, super quorum simultatem non potest creata virtus actiua, quæ tamen non sunt simpliciter incompossibilia. Alio modo virtute agentis increati, & illimitati, vt ea quæ contradictionem inuoluunt, & simpliciter sunt incompossibilia, exemplum primi. Virginem parere ita est naturæ creatæ impossibile facere, sicut duo corpora in eodem loco & vnum corpus in diuersis, super quæ non potest virtus creata simul, quæ tamen non includunt contradictionem simpliciter, vt visum est, ideo sunt impossibilia Deo.

Ad octauum negatur consequentia, & ad primum inconueniens dicunt aliqui, quod non est impossibile eamdem materiam alimenti, vel etiam simpliciter informari simul a diuersis formis specificis alterius rationis, vel eiusdem rationis, nec in hoc aliqua contradictio implicatur, adeo quod si illa materia corporis locati in duobus locis transmutatur a duobus agentibus ad duas formas, non esset nouum miraculum, sed tantum perantiquum, quod idem corpus ponitur in pluribus locis, & tunc illa materia haberet rationem plurium, atque adeo proportionata esset ad recipiendum actiones illorum agentium: sed hæc responsio est dubia, & forte non vera, ideo dico aliter, & primo quod argumentum potest retorqueri contra eos: nam sicut idem alimentum existens in pluribus locis potest sumi a diuersis animalibus in illis locis, ita idem alimentum existens in vno loco posset sumi a duobus animalibus existentibus in eodem loco, & tunc vtrumque posset conuertere alimentum in suam substantiam, atque adeo materia alimenti informaretur duabus formis substantialibus. Dico ergo, quod si idem ponatur in duobus locis non sequitur, quod eadem materia duabus formis informetur simul substantialibus eiusdem speciei, vel alterius. Et ad exemplum de alimento dico, quod idem fieret de alimento sic sumpto a diuersis animalibus in diuersis locis existente, sicut fieret si illi duo stomachi essent in eodem loco, & alimentum esset in vtroque. Tunc enim, vel virtus vna totaliter vinceret aliam, & totum conuerteret in suum corpus, vel essent virtutes æquales, & tunc æqualiter conuerterent de alimento, hæc in suum corpus, & illa in suum, vel essent inæquales, non tamen sic, quod vna totaliter vinceret aliam, & tunc fortior plus conuerteret in suum corpus, & alia debilior minus conuerteret, & tunc patet, quod nullo istorum modorum eadem materia, vel pars materiæ simul esset sub diuersis formis substantialibus, eodem modo sicut dictum est de stomachis animalium existentibus in eodem loco, & se inuicem penetrantibus, & cibo recepto in vtroque, ita dicendum est in proposito iuxta tertiam propositionem supra positam.

Ad secundum inconueniens de modico igne patet etiam ex dictis, nam si ponatur ignis in vno loco, & multa combustibilia simul illi applicentur, similiter se haberet ad illa, sicut si esset ignis in pluribus locis, & è conuerso, ageret enim ignis præcise in aliquod combustibile illorum, vel si omnia essent simul in quodlibet ageret valde remisse, imo tot poterunt combustibilia applicari, vt extinguatur ignis, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora, & in multa quam in vnum. Et si dicatur esto, quod idem lignum ponatur in diuersis locis iuxta plures ignes, sequitur, quod quilibet ipsorum corrumpet lignum, & inducet in materiam eius formam ignis, non eamdem vt patet, quia agentia sunt diuersa, ergo aliam, & aliam, atque adeo eadem materia informaretur duabus formis substantialibus eiusdem speciei. Dico quod haberem idem dicere si duo ignes per potentiam Dei essent simul approximati illi ligno, & si quæras quid esset dicendum; nonne tunc oporteret quod lignum conuerteretur in ignem? certum est quod sic, in quem ergo, vel a quo conuerteretur? non videtur, quod magis ab vno, quam ab alio, quia volo, quod sint æquales, non in vnum tantum, quia sunt duo agentia totalia, non autem possunt esse duo agentia totalia eiusdem effectus. Dicit Doctor, quod illi duo ignes, vel generarent eumdem ignem perfectiorem, atque ita esset effectus diuisibilis secundum perfectionem (tenendo formam substantialem habere gradus secundum quos possit intendi, & remitti, saltem in indiuiduo vt tenet Doctor Subt. in septima Met. & Anton. And. & cæteri Scotistæ) *Scotus.* sicut diceretur de calore, si autem generarent eumdem *Antonius And.* effectum omnino indiuisibilem (vt tenet de Bassolis) *Bassolis.* gene-

Digitized by Google

generarent tamen eo modo efficiendi, quo neuter illorum posset esse causa totalis effectus, quia post ita breuem alterationem, quæ non sufficeret ad ignitionem ab altero istorum præcise agente.

Ad tertium inconueniens dico, quod animal existens in aliquo vbi sine nutrimento nutriretur ibidem, dum tamen idem animal susciperet alimentum conueniens in alio vbi, & si motus localis nutrimenti ad stomachum non sit idem hic, & ibi, nec mirum quia ex quo vbi est aliud, & motus localis ad vbi potest esse alius, atque adeo erit motus localis cibi ad stomachum in vno vbi, sed non in alio, veruntamen si nutritur in vno, & in alio, quia conuersio nutrimenti in substantiam alendi est eadem hic, & ibi, quia illa conuersio est generatio partis substantiæ illius nutriti, & tota substantia nutriti, & qualibet pars est prior ipso vbi, nec ergo variabitur ad variationem eius, scilicet vbi, motus autem localis est posterior ipso vbi, ergo potest esse in vno vbi, & non in alio.

Ad quartum dico, quod vel vtrobique susciperet totum illud alimentum, & per consequens superflueret, quia eius medietas sufficeret ad nutritionem eius, atque adeo si sumeret totum alimentum vtrobique, vel creparet medius, vel infirmaretur, quia virtus nutritiua non posset illud digerere, & per consequens non nutriretur, vel in vno loco susciperet partem, & in alio aliam, & vtrobique sufficienter nutriretur, & breuiter eodem modo fieret de nutrimento, & de alijs actibus, ac si esset, vel sumeret in eodem loco, quia propter variationem vbi, non variatur locatum, sed idem prorsus remanet quo ad omnia eius intrinseca, ac si esset in vno vbi.

Ad quintum nego consequentiam, & ad probationem dico, esto quod huic corpori in isto loco approximetur vnum agens, scilicet ignis, & in loco eodem aliud agens, scilicet aqua, dico quod aut ignis, & aqua essent æqualis virtutis in agendo, aut vnum vinceret alterum, si sunt æqualis virtutis, & sunt approximata isti corpori habenti vnum vbi, alterum, vel vtrumque impediret alterum, ita vt neutrū ageret, vel agerent ad quemdam effectum medium, vt puta ad esse tepidum, in quo passum nec perfecte assimilaretur vni, nec alteri, sic eodem modo dico nunc, quando sunt approximata eidem corpori in diuersis locis, si autem virtus alterius vincat, vel simpliciter assimilat sibi passum, vel magis quā alterum, & eodem modo dico si sint in diuersis locis, quia non est maior difficultas hic, quam si ignis, & aqua ponerentur simul, & idem corpus approximatum igne, & aquæ habentibus idem vbi, quod non oporteret ibi dicere ad vitandum contradictionem in passo, hoc facilius, vel æque facile potest quicumque in proposito.

Ad aliud de fame, & saturitate, dico, quod fames est appetitus calidi, & sicci, iste autem appetitus, vel est naturalis, vel voluntarius, & vtroque modo est aliquid absolutum, atque adeo non variatur propter variationem vbi ex prima propositione, & per consequens si hic satiaretur, & cessaret appetitus cibi cessaret etiam in eodem alibi, licet non ex cibo sumpto ibi, sed in alio loco, sicut dicetur statim de morte, & si dicas saturitatem esse repletionem corporalem stomachi, tunc esset dubium cum non recipiat hoc, scilicet nutrimentum, vt hic, scilicet in hoc vbi, vtrum vt hic esset repletus isto modo? dico quod non: quia ista repletio non dicit nisi præsentiam alimenti contenti a continente, scilicet stomacho, vel ventre, & sicut possibile est, quod continentia istud corpus hic, & ibi sint alia, ita possibile est, quod continentia actiua istius corporis hic, sit alia continentia eius in alio vbi, quia hoc nihil absolutum dicit, sed respectum extrinsecum. Vel dicas, quod vel fames dicit priuationem saturitatis, & saturitas priuationem famis, vel ambo dicunt aliquod absolutum, scilicet fames appetitum naturalem calidi, & sicci, & saturitas repletionem ventris, & vtroque modo non variantur ista secundum variationem vbi, sed si vnum inest in vno, inest etiam in alio, vnde si venter est plenus Romæ eodem modo Parisijs, licet Parisijs, vt sic non sumat cibum, sed vt Romæ, tamen bene Parisijs capit. sicut corpus Christi in pixide fuisset vulneratum eodem vulnere quo in cruce, tamen non primo, vt in pixide, sed vt in cruce, vbi conuenienter erat ad vulnerationem sibi infligendam.

Ad aliud de infirmitate, & sanitate, temperie, & intemperie, dico quod sicut intemperies corrumpit sanitatem, sic temperies conseruat illam, atque adeo si intemperies temperiem excederet etiam in loco temperato tale corpus ægrum esset, quia intemperies excederet temperiem, si autem sunt æqualia in agendo, vel neutrum illorum aget aliquid in prædictum corpus, eo quia impedirent se inuicem, vel alterabunt passum in media proportione, sicut si diceres, quod sana aura, & infirma simul essent, quod concedis Deum posse, & idem corpus esset approximatum isti, & illi auræ simul.

Ad aliud de morte, & vita, dico, quod cum vtrumque istorum, sit absolutum, priuatiuum, vel positiuum, priuatiuum, vt mors, positiuum vt vita, non variatur propter variationem vbi, secundum primam propositionem, si ergo moritur hic, moritur & ibi, sed tamen non sequitur vulneratur hic, ergo vulneratur ibi, vel occiditur hic, ergo occiditur ibi, quia vulneratio dicit diuisionem continui, vt hic ab aliquo hic diuidente, sed tamen est verum si hic habet vulnus, quod & alibi habet, quia hic est discontinuatio partium, quæ si ibi est in hoc corpore, & alibi in eodem, occisio autem, vel vulneratio fit propter approximationem occidentis, vel vulnerantis, quæ dicit respectum extrinsecus aduenientem, & est posterior ipso vbi.

Ad sextum incommodum dicunt aliqui, quod relationes oppositæ possunt esse simul in eodem, nam idem potest esse principium simul agendi, & patiendi, atque adeo illud, quod infertur non est inconueniens, quod an sit verum non est præsentis speculationis. Ideo dico quod relationes oppositas esse in eodem potest bifariam intelligi, vel respectu eiusdem fundamenti, vel respectu diuersorum, priori modo falsum est, quod relationes oppositæ possint esse in eodem, & secundo modo nullum est inconueniens, nam secundum diuersa fundamenta idem potest dici simile, & dissimile, magnum, & paruum, modo in proposito, quod idem corpus existens in pluribus locis sit sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum esset respectu diuersorum vbi, & hoc non est inconueniens, quia istæ relationes insunt eidem corpori secundum diuersa fundamenta, quoniam sursum est respectus fundatus in vbi sursum, & terminatus ad corpus, & sic de vbi deorsum, &c.

Relationes oppositas esse in eodem potest bifariam intelligi.

Ad septimum dico, quod contraria non inconuenit verificari de eodem respectu diuersorum; nam scutum cuius dimidia pars est alba, & dimidia nigra potest dici album, & nigrum, sicut etiam idem potest esse simile alicui secundum albedinem, & dissimile eidem secundum scientiam, ad propositum autem propinquum, & distans fundantur in corpore vbicato, quia ipsum vbi est propinquum, & distans, ergo si aliud est vbi propinquum, & aliud distans possunt eidem corpori conuenire, sicut conueniunt duobus vbi, quæ conueniunt illi corpori, & sunt fundamenta propinquitatis, & distantiæ.

Ad aliud de quiete, & motu; dico, secundum propositionem secundam quod cum moueri, vel quiescere secundum locum sit simul cum vbi, vel posterius, ideo variantur ad variationem vbi, atque ita poterit in vno vbi quiescere localiter, & in alio vbi moueri, quia quiescere hic localiter nihil est aliud, quam habere continue idem vbi, quod prius, & ibi moueri nihil aliud est quam habere aliud, & aliud vbi, sicut autem est possibile, quod idem corpus habeat hic permanenter vnum vbi, & aliud vbi, ita possibile est, quod permanenter habeat hic vnum vbi, & alibi plura successiue, & eodem modo dicendum est de partibus totius si fiat instantia, quia possibile est, per hoc omnes partes totius quiescant in toto, & ibi aliquæ mouean tur, vt manus, vel pes, quia omnia ista consequuntur vbi, puta hoc & illud. Dico tamen quod omnia ista inessent ei in vno loco non tamen primo, nec in habitudine ad vnum locum, sed primo per habitudinem ad diuersa loca, in quibus sic disponeretur.

Ad aliud de videre, & non videre, dico quod omnis actus immanens, qui inesset isti corpori in hoc vbi, inesset sibi in quocumque vbi, licet non inesset sibi vt in isto vbi, & de hoc magis dicetur infra q. 5.

Ad nonum argum. dico, quod si vniformiter accipiatur atecedens quo ad tempus, & locum concedo consequens, &

Digitized by Google

consequentiam, & nihil contra nos, si autem difformiter nego maiorem, & consequentiam, hoc declaratur formando hanc consequentiam. Idem temporale non potest esse simul secundum tempus in diuersis temporibus, igitur nec idem locabile secundum locum potest esse in pluribus locis simul, nam clarum est, quod locabile simul vna locatione non potest esse in diuersis locis, sicut nec idem temporale vnica temporalitate in diuersis temporibus, nam sicut homo dicitur formaliter albus albedine, ita temporale dicitur esse in tempore formaliter temporalitate, & locabile dicitur esse formaliter in loco locatione, modo ad propositum dico, quod sicut non est impossibile idem temporale esse in diuersis temporibus diuersis temporalitatibus, ita non est inconueniens idem corpus esse formaliter in diuersis locis diuersis locationibus, alia enim locatione est in loco hic, & alia ibi, licet bene sit inconueniens esse in diuersis locis vnica locatione, sicut inconueniens est, idem temporale esse in diuersis temporibus vnica temporalitate. Potest etiam responderi negando similitudinem, ideo enim non potest idem temporale esse in pluribus temporibus simul, quia nec plura tempora possunt esse simul, sic autem non est de locis, præterquam, quod argumentum concludit etiam contra esse in loco sacramentaliter, sicut contra esse localiter.

Ad argumenta Hæreticorum ad primum ex verbis Angeli, non est hic surrexit enim, dico primo verba non continere propriam argumentationem, sed simplicem narrationem eorum, quæ gesta sunt; præsertim quia Angelus loquebatur mulieribus iuxta mentem earum, quæ Christum mortuum in sepulcro quærebant, cum tamen iam omnino viueret, quare cum Angelus ait non est hic, sensus est, non iacet mortuus in sepulcro, vt vos creditis, & id probat cum addit, surrexit enim, non enim poterat mortuus iacere si resurrexerat. Dico secundo, quod loquendo familiari sermone humano, in quo non quid Deus possit facere, sed quid sit consequens rebus ipsis consideratur, consequentia illa fuit optima. Tertio dico, quod Angelus non ita intulit, est alibi, ergo non est hic, sed ita, surrexit, ergo non est hic, quæ illatio est formalior, quia resurgere non solum significat alibi viuere, sed quod illud idem corpus, quod hic mortuum iacebat, hinc viuum egressum fuerit, atque ita ex vi illius verbi, non solum significatur esse alibi, sed etiam non manere ibi.

Ad secundum dico Patres loqui iuxta naturas rerum, non autem explicare, quid Deus possit, vel non possit. Ad Anselm. vero loco citato non definiendo, sed argumentando procedit, loquiturque & ipse considerata naturali rerum virtute.

Ad tertium dico non esse, quod Hæretici catholicorum auctoritate abutantur, nam hi solum negant corpus esse posse in pluribus locis quantitatiue, quia circa hoc nihil est expresse reuelatum, ita eis probabiliter, seu apparenter visum est, numquam tamen ipsi ausi fuissent propter Physicas apparentes rationes veritatem reuelatam negare, quod hæretici faciunt. Dico secundo Catholicos Authores eam opinionem sequentes deceptos inea resuisse, & infirmis rationibus, quibus suam sententiã probare conati sunt, præter intentionem suam veritatem fidei impugnasse, quibus ante omnia obijcimus verba illa August. vigesimo secundo, de Ciuitate capitulo duodecimo. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possit & vanitas?

August.

ARTICVLVS II.

Vtrum virtute diuina idem corpus possit esse in pluribus locis.

EXplicata in primo articulo, & impugnata opinione D. Thomæ, & Henrici de Ganda. explicanda modo, & confirmanda est opinio Doctor. Subt. asserentis virtute diuina vnum, & idem corpus esse posse localiter in pluribus locis simul, quam sententiam dicit Sotus esse sibi valde probabilem, mihi tamen videtur certissima, & opposita falsa, nam hæc opinio non solum est aptior ad respondendum hæreticis, & veritatem catholicam tuendam, sed etiam (iudicio meo) tam necessario tamque euidenter consequens illam, vt mirabile semper mihi visum fuerit contrariam sententiam grauissimis Theologis persuaderi potuisse, maxime quoniam illa omnia impossibilia, quæ adducuntur contra hanc sententiam probant, quod duo corpora non possint esse in eodem loco, quod est contra omnes Theologos, vel quod idem corpus Christi non possit esse in diuersis altaribus, quod est contra fidem, ex quo colligitur, quod sunt sophismata, & vt inquit Scot. in hac quæstione litera V. sequentia imaginationem sensui innitentem, ideoque miratur Scotus, etiam in hac quæstione litera S, quod sequentes rationem, solum sequantur imaginationem in eo quod quia imaginatio non separat locum a corpore, neque è conuerso, neque percipit vnum plurificari sine alio dicatur simpliciter impossibile vnum sine alio plurificari, quamuis autem imaginationem sequendo, quæ semper innitens sensibus non apprehendit aliud, non appareat aliud, sequendo tamen rationem ex rationibus terminorum nulla est necessitas, quod plurificato vno plurificetur aliud, sicut posteriori plurificato non est necessarium prius plurificari, loca autem manifeste sunt posteriora ipso corpore locato, accidentaliterque, & contingenter illi aduenientia, atque adeo super idem corpus, idemque fundamentum poterunt plurificari relationes, & præsentialitates ad loca diuersa. Et pro hac opinione Sco. sunt rationes, & exempla, quæ non tantum hoc esse possibile ostendunt, sed etiam aliquando factum fuisse.

Et quo ad rationes sit prima ratio ea, quam adducit hic Doctor. Omne illud est Deo possibile, quod non includit euidenter contradictionem, & ad quod non sequitur necessario contradictio, sed idem corpus esse localiter in pluribus locis simul non inuoluit contradictionem, nec ad illud sequitur contradictio, ergo possibile est Deo; consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, non implicat, vt in vno fundamento plures relationes fundentur intrinsecus aduenientis, ergo neque implicat, quod plures relationes extrinsecus aduenientes fundentur in eodem fundamento, patet antecedens, quia in vnica albedine fundantur plures similitudines ad plura alba, sed esse in loco non dicit supra locatum nisi relationem extrinsecus aduenientem, quia nihil aliud est esse in loco, quam relatio corporis contenti ad corpus continens, ergo plures relationes huiusmodi possunt esse simul in eodem locato, patet ista consequentia, quia ea quæ sunt intrinseca minus possunt multiplicari, quam extrinseca. & si dicatur, quod verum est, quod plures respectus possunt fundari in eodem fundamento, quando vnus eorum, non adæquat totum fundamentum. In proposito autem vnum vbi adæquat totam rationem quanti, inquantum locabile est, contra hoc videtur sine ratione dictum, quia respectus, qui oritur ex natura fundamenti magis, videtur adæquari fundamento, quam ille, qui extrinsecus aduenit cæteris paribus, sed ad duos terminos possunt esse in eodem fundamento duo tales respectus orientes ex natura fundamenti, vt duæ æqualitates ad duo quanta æqualia, ergo sine ratione fingitur, quod hic vnus respectus adæquatur, & confirmatur, quia non magis adæquat quantitatem præsentia quantitatiua ad locum, quam adæquet substantiam sua præsentia, sibi conueniens, sed substantia ponitur posse habere plures præsentias etiam primo, cum sit primus terminus multarum conuersionum in multis altaribus, & cum hoc tamen est præsens in cœlo sub modo quantitatiuo, ergo &c.

Præterea sicut non implicat contradictionem plures respectus reales præsentiæ realis ad plures species sacramentales simul fundari in eodem corpore, atque ita per ipsas Christi corpus esse vere, & realiter præsens in pluribus locis sacramentaliter, ita non inuoluit contradictionem plures respectus, vbi tales circumscriptiuos eiusdem rationis simul fundari in ipso ad plura loca circumscribentia, quibus sit realiter præsens circumscriptiue, & sicut vnus respectus realis præsentiæ realis ad vnam speciem sacramentalem non adæquat corpus Christi, quin plures alios possit fundare, ita vnus respectus realis circumscriptiuus non adæquat corpus, quin plures alios possit habere: Nam quamtamcumque rationem contradictionis assignabit in vno, eamdem assignare poterit in alio, sicut

enim

Digitized by Google

enim in primo non obuiat limitatio corporis Christi fundātis tales plures respectus eiusdem rationis, ita nec in secūdo obstat limitatio corporis, quin in ipso possint poni plures respectus, & vbi circumscriptiua ad plura loca, nec ponitur per hoc aliqua illimitatio, vel immensitas, seu infinitas per secundum, sicut neque per primum, ergo sicut primum est possibile, ita & secundum.

Præterea tertio. Idem corpus necessario potest habere plures præsentialitates, & habet illas ad plures hostias, quādo est sacramentaliter sub illis, ergo etiā habere poterit plures præsentialitates ad plura loca circumscriptiue continentia, propterea quod esse in loco præter loci relationem nihil est aliud, quam præsentialitas locati ad locum. Si ergo Deus potest facere corpus Christi in pluribus locis sacramentaliter, poterit etiam facere corpus idem præsens pluribus locis localiter, & circumscriptiue.

Etsi dicatur. Si ista ratio concludit sequitur, quod negantes conclusionem, scilicet corpus idem esse posse in pluribus locis circumscriptiue habent negare præmissam, scilicet corpus Christi posse esse sacramentaliter in pluribus locis, quoniam si potest esse sacramentaliter, potest esse localiter secundum hanc rationem. Sed hoc non est verum, quia tunc eadem fide deberet teneri vtrumque, & hæreticum esset negare de vno, sicut de alio; Dico, quod secundum rei veritatem (vt mihi videtur) prædicta consequentia est bona, & necessaria, scilicet quod si Deus potest facere idem corpus in pluribus locis sacramentaliter, potest etiam facere localiter, & negantes consequens debent negare antecedens secundum veram philosophiam, & ponentes antecedens debent ponere consequens. Cæterum si non ponant consequens nō propter hoc sunt hæretici, quia non oportet ex fide tenere omnia consequentia, quæ possent elici ex his quæ sunt de fide, præsertim quando deductio non est ita euidens, vt sit omnibus manifesta, & consequens non includitur in antecedēte, sicut in proposito dicerent oppositum opinantes.

Secundo probatur conclusio exemplis, & primo est exēplum de Sancto Frontonio Episcopo, qui celebrans apud Petracorios adfuit alibi sepulturæ Sanctæ Marthæ; secūdo est exemplum de Sancto Martino cuius exequijs fuit præsens B. Ambrosius, & tamen erat præsens in sua Ecclesia vbi Missam celebrabat in loco multum distanti. tertio est exemplum de Beato Germano Autissiodorensi, qui cum esset distans, vel in loco remoto fuit tamen præsens exequijs B. Lupi Trecensi. Hoc etiam probabiliter potest dici fuisse factum tempore B. Patris Francisci, quando prædicante B. Antonio in Capitulo Arelatensi, B. Franciscus cum esset in loco remoto adhuc viuens corporaliter in ostio Capituli velut expansis in cruce manibus seipsum præsentem exhibebat. Vnde canitur in festo sacrorum stigmatum. Crucis verbum proponitur fratribus per Antonium, & Franciscus ad ostium in modum crucis cernitur; simile legitur de B. Antonio de Padua, qui prædicans in ecclesia clericorum, simul fuit cū fratribus cantans in choro; Et quod maximam facit fidem idē videtur fuisse factum a Christo Domino quotiens post Ascensionem in cælo legitur alicui apparuisse, vt patet de Assumptione B. Virginis in qua grauissimi patres tradunt suæ matri obuiam venisse, vt eam secum in gloria, & honore ad cælum deduceret, & de apparitionibus factis Beatis Petro, & Paulo, quibus corporaliter apparuisse etiam tradunt grauissimi patres, vt Orig. libro secundo, contra Celsū. Chrysost. homil. 38. 1. ad Corint. 15. & Ambros. 1. Corint. capit. 15. & epist. 32. contra Auxentium, Orig. tract. 11. in Io. Aegisippus lib. 3. de Excidio Hierosolym. capitulo secundo, & Abdias libro 1. Hist. hoc autem fuisse factum Christo Domino ad dexteram patris in cælo sursum sedente, docet Maior. in quarto distinctio. decima, quæstio. quarta, & Basol eadem distinctio. quæstio. tertia, Bellarm. libro quinto, de Eucharistia capitulo tertio, & Suarez, 3. part. summæ, D. Thom. tom. secundo, disput. 51. sectio. quarta, & videtur consonum dicto Augustini. Donec finiatur sæculum sursum est Dominus.

Probatur etiam conclusio authoritate Hugonis libr. 2. de sacramentis, par. 8. capitulo secundo, vbi scribit, qui fecit vt vnum corpus esset in vno loco, fecit quomodo voluit, etsi voluisset aliter fecisset, quem licet Hen. vbi supra nitatur exponere, tamen legenti Hugonem satis patet ipsum intellexisse de modo essendi in loco circumscriptiue, tum quia nā erat sibi dubium, nec alicui fideli quin sacramētaliter, tum quia loquendo de illo modo secundum quam corpora de communi lege sunt in loco loquebatur, atque ita de modo essendi circumscriptiue in pluribus locis, tum demum: quia totum quod pertinet ad istud difficile, scilicet. Idem corpus esse simul in duobus locis omnipotentię Dei attribuit, non autem conuersioni alicuius in istum terminum.

Pro declaratione autem multorum, quæ Doctor ponit in textu in solutione argumentorum principalium quæruntur aliqua, & primo quæritur. Vtrum idem corpus existens in diuersis locis simul, puta in A. & B. possit de B. accedere ad seipsum, ad locum A. hoc est an Petrus existens Florentiæ, & Romæ simul, possit è Florentia ire ad seipsum Romam, & videtur quod non: quia vel expelleret seipsum de alio loco, vel non, si primum ergo Petrus est sibi ipsi incompossibilis, si secundum ergo idem penetraret seipsum, etsi dicatur quod mouendo se non expelleret se, neque se penetraret, sed erit prope, ergo talis motus, seu mutatio erit sine termino ad quem, quod est contra philosophum. *Dubium 1.*

Respondetur, quod tale corpus posset se mouere de A. in B. ad seipsum, & cum arguitur quod expelleret se, vel penetraret se; dico, quod si Deus vellet semper conseruare illud in diuersis locis expelleret se, & ratio est, quia propter identitatem corporis non remouetur ratio mobilis ab illo corpore, neque motus, & si hoc non placet, dicatur, quod Petrus mouens se a loco A. vsque ad locum B. non expelleret seipsum ab illo loco, sed tantum erit ibi apud illum, & cum infertur ergo erit motus, vel mutatio sine termino ad quem concedo in tali casu, vt etiam concedit Basol. & cum dicitur, quod est contra philosophum, dico, quod hoc non est inconueniens duplici de causa, primo: quia non minoris conditionis est philosophia Theologorum; quam philosophia Ethnicorum, atque adeo si Phi. negant posse fieri motum sine termino ad quem, non propterea sequitur, quod Theologi concedant: secunda causa est, quia dato vno miraculo quod est vnum corpus esse simul in pluribus locis, nō est inconueniens, quod sequatur secundum scilicet, quod sit motus aliquis sine termino ad quem. Prior tamen solutio melior est. *Bassolus.*

Secundo quæritur. Vtrum idem homo, vel mulier possit esse in mille locis, vel in vna platea, & ducere se per manus, & ducere choreas per potentiam diuinam; Respondetur, quod sic, & hoc nullum est inconueniens, imo si in vno loco induceretur diuersimode quam in alio apparerent mille homines, siue mulieres in illa chorea. *Dubium 2.*

Tertio quæritur. Vtrum idem homo posset facere exercitum si poneretur in centum mille locis, respondetur quod sic, sed tunc omnes non magis pugnarent quam vnus per quartam regulam superius dictam, scilicet, quod vnū agens sicut natum est agere in vno loco, ita agel in mille locis si ibi poneretur; modo si Petrus poneretur in centum millibus locis, bene faceret exercitum, sed ille exercitus non pugnaret plusquam vnus. *Dubium 3.*

Quæritur quarto. Vtrum idem homo possit cantare, vel disputare cum seipso existens in diuersis locis. Respondet Doctor distinguendo de disputatione, quia aut talis disputatio est mentalis, aut vocalis, per motum linguæ, primo modo dicit, quod ista disputatio mentalis inest Petro in vno loco, sicut in alio, & ratio est, quia actus intellectus inest Petro priusquam vbi, atque adeo si disputat hic mentaliter, disputat & ibi, secundo modo dicit, quod non, eo quia loquutio vocalis est quid posterius ipso vbi, adeo per secundam propositionem variatur variato vbi: similiter, dicendum est de cantare, potest enim in vno loco cantare, & in alio non; nam cum formatio vocis naturaliter fiat per instrumenta naturalia ex repercussione aeris, & alius aer esset contiguus organis vocalibus in illo vbi, & alius in alio vbi, & esto quod esset idem aer, posset tamen moueri hic localiter, & non ibi, atque adeo in illo cantabit, & in isto tacebit; Quia etiam posset vno modo percutere esse hic, & alio modo ibi, sequitur quod in illo loco canendo posset facere tenorem, & in alio sopranum, in alioque bassum, atque ita completam formare musicam. *Dubium 4.*

Quæritur quinto. Petrus existens simul in aere, & in aqua, respiraret in aere, & non in aqua, dicit Doctor quod respiraret in aere, & non in aqua, quia attraheret aerem extra aquam existens, quem existens in aqua non posset attrahe- *Dubium 5.*

Digitized by Google

trahere, neque hoc est inconueniens, quia illa respiratio dicit motum localem, & variari potest variato vbi, et si dicas ergo submergeretur in aqua, & non in aere, dicit Doctor. quod non, quia alibi haberet aerem attractum refrigerantem ipsum, vel si submergeretur in aqua, & moreretur, esset etiam mortuus in aere, sed non esset in aere submersus.

Dubium 6. Postremo quæritur, an si idem corpus esset in pluribus locis posset figurari diuersis figuris? & videtur, quod sic, quia esto, quod eadem aqua sit hic Florentiæ, & Romæ, & hic in vase quadrato, & ibi in vase circulari, sequitur quod habebit simul quadrangularem, & circularem figuram; respondetur, quod duplex est figura alicuius rei, scilicet intrinseca, & extrinseca, prima est absoluta, & de genere qualitatis, forma, & circa aliquod constans figura, secunda est respectiua, quæ est situatio partium in loco, & in continente: prima non dicit nisi ordinem partium in toto, & est prior ipso vbi, secunda est consequens ipsum vbi, modo dico, quod posito illo casu non variatur figura intrinseca, nec multiplicatur, nam in quocunque loco sit corpus haberent eius partes eundem ordinem inter se, nec variatur ad loci variationem, cum illa figura sit prior loco, si autem fiat sermo de figura respectiua, & extrinseca; dico, quod tale corpus posset figurari diuersis figuris, sicut idem digitus in pluribus locis existens posset in vno esse rectus, in alio curuus, & per consequens diuersis figuris figuratus. & tamen partes digiti recti, etiam curui eodem modo se haberent.

QVÆSTIO III.

Vtrum Corpus Christi simul esse possit in cælo localiter, & in Altari sacramentaliter.

Sensus quæstionis. QVæstio hæc intelligi potest vel ex natura rei, vel ex Dei potentia; primo modo esset sensus an sacramentalis præsentia, & naturalis simul possint eidem corpori conuenire ex natura rei, secundo vero esset sensus an per Dei potentiam absolutam fieri possit, vt idem corpus sit in vno loco modo suo naturali, scilicet quantitatiuo, & in alio supernaturali, & sacramentali modo. In priori sensu respondetur negatiue; nam licet hæ præsentiæ sint diuersorum ordinum, & altera earum omnino sit supra corporis naturam, atque adeo vix possint prædicto modo comparari, nihilominus dicendum omnino videtur ex natura rei, seu naturaliter non posse has præsentias in eodem subiecto coniungi. Tum quia non potest hoc esse connaturale ex parte subiecti, quia illud non est natura sua capax solius præsentiæ sacramentalis, ergo neque illius simul cum locali, nam hoc ipso quod corpus finitum est, præter naturam eius est, vt sit realiter præsens extra locum sibi adæquatum. Tum etiam quia non potest hoc esse connaturale ex parte ipsius præsentiæ quantitatiuæ: quia ratione eius fit vt corpus circumscribatur loco, & consequenter quod naturaliter non sit extra illum, & etiam quoniam actualis extensio in loco ex natura rei pugnat cum indiuisibilitate; quapropter concluditur non posse naturaliter fieri corpus esse in vno loco modo suo naturali, & in alio modo sacramentali, & in hoc sensu non mouetur hæc quæstio a Doctor. sed in secundo sensu, & est conclusio certa de fide, scilicet quod corpus Christi potest esse, & est in cælo localiter, & simul per Dei potentiam sacramentaliter in Eucharistia.

In hac quæstio. Doctor duo facit, primo ponit conclusionem, in qua omnes Doctores catholici conueniunt; secundo ponit, & impugnat fundamentum D. Thomæ, & Hen. quo mouentur vt conclusionem teneant.

Conclusio. Quoad primum est conclusio certa de fide. Corpus Christi vt in cælo, & in Eucharistia simul, in cælo motum naturali, & in Eucharistia modo sacramentali, probatur conclusio primo ex D. Augustin. relato in canon. de consect. di-

D. August. stinctio. secunda, prima hæresi, dicente. Donec finiatur seculum sursum est Dominus, & tamen facta consecratione in altari realiter est Christus Dominus in Eucharistia sacramentaliter, vt probatum est supra, quæstio. prima, art. 1. huius d. ergo simul est in cælo localiter, & in Eucharistia sacramentaliter, siquidem ex D. August. sententia semper est in cælo.

Secundo probatur ex Concil. Tridentin. session. decima- *Conc. Trid.* quinta, capitulo primo. Vbi docemur hæc verba. Nec enim inter se pugnant vt ipse Saluator noster semper ad dexteram patris in cælis assideat iuxta modum existendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, quibus ex verbis duo colliguntur, primum quod Christi corpus simul est in cælo & in Eucharistia. secundo quod diuersimode vtrobique existit; in cælo enim existit iuxta modum existendi naturalem, hoc est localiter, & visibiliter, in Eucharistia vero existit alio modo supernaturali, & sacramentali.

Sed contra hanc conclus. arguitur sic, & primo ex illo D. Augustin. supracitato. Corpus Christi sursum est, & in vno loco esse oportet, ergo non est simul in cælo, & in Eucharistia, quia sic esset in duobus locis. Respondet Doctor, distinguendo, quod ly oportet bifariam accipi potest, vno modo vt tantum valet sicut necessarium, & sic accipitur cum dicitur oportet Deum esse vbique, id est, necessarium est Deum esse vbique, alio modo vt tantum valet sicut congruum, & sic capitur cum dicitur oportuit pati Christum, idest congruum fuit; In proposito autem D. Augustin. non capit primo modo ly oportet, sed bene secundo modo, & est sensus. Congruum est corpus illud gloriosissimum habitare in illo Regno præparato gloriosis corporibus, sed ex hoc non sequitur, quin possit esse, & de facto sit in multis locis sacramentaliter, imo non sequitur quin si sibi placuerit moueatur de illo localiter, loquitur ergo D. Augustin. de modo existendi naturali, ad quem modū Christi corpus gloriosum congrue locatur in loco corporibus gloriosis præparato, nempè in cælo; In Eucharistia autem non sic existit localiter, sed sacramentaliter, & sicut posset aliquādo Christus Dominus etiam localiter non esse in cælo mouendo si sibi placeret de illo loco, multo fortius potest esse ibi localiter, & in Eucharistia sacramentaliter per diuinam actionē absolute absque deperditione illius vbi in cælo, sicut modo tenemus illud corpus præsens esse in Eucharistia non localiter.

Secundo arguitur, corpus Christi non habet nisi vnicam quantitatem, ergo non potest esse in pluribus locis simul, antecedens patet, & consequentia probatur; quia nihil potest plurificari non plurificata eius ratione formali, sed formalis ratio existendi in loco est quantitas vt docet Aristo. *Arist.* quarta, Phy. t. capitulo 76. ergo vbi quantitas corporis Christi non sit nisi vna non poterit existere nisi vnico tantum in loco; Respondetur, quod si argumentum aliquid valeret solum probaret, quod corpus Christi non potest esse in duobus locis localiter, quia quantitas non est ratio existendi in loco nisi localiter, & cum corpus Christi in Eucharistia non sit localiter, quantitas non est ratio vt ibi existat, sicque nihil obstat, quod quantitas sit vna, vel plures, quo minus corpus Christi esse possit in Eucharistia, quandoquidem ipsa quantitas nihil conducit ad huiusmodi existentiam: sed quia argumentum videtur probare, quod corpus Christi non possit esse in duobus locis localiter, Doctor aliter respondet, videlicet, quod ratio formalis alicuius potest intelligi dupliciter, primo ratio formalis est illa, qua aliquid formaliter dicitur tale, secundo modo qua aliquid fundamentaliter est tale, verbi gratia, in duobus albis, similitudo est prima ratio formalis, quia similitudine, & non albedine sunt formaliter similia; albedo autem est secunda ratio formalis, quia est fundamentum similitudinis; similiter in locato: prima ratio formalis existendi in loco est relatio, qua locatum ad locum refertur, quia per talem relationem formaliter est in loco, secunda vero ratio formalis est quantitas, quia quantitas est fundamentum relationis ad locum. Respondet ergo ad argumentum Scot. verum esse quod nihil potest plurificari non plurificata prima ratione formali, quia aliquid non potest esse simile pluries, nisi pluribus similitudinibus, negatur tamen quod sit necessarium plurificari secundam rationem formalem, quia vnica albedine potest aliquod album pluribus esse simile, & sic in proposito nihil potest esse in pluribus locis, nisi plures habeat relationes ad loca; poterit tamen esse in pluribus locis per vnicam quantitatem; quia quan-

titas

Digitized by Google

titas non est prima ratio formalis essendi in loco, sed secunda, quia est proximum fundamentum illarum relationum, appellatur autem ista secunda ratio formalis sumpta ratione formali pro ratione fundamentali, sicut albedo fundamentaliter dicitur ratio formalis essendi simile, quia albedo est fundamentum similitudinis, similitudo autem est ratio formalis prima, & propinqua, ad argumentum ergo nego consequentiam, & ad probationem dico, quod multiplicato aliquo, multiplicatur sua ratio formalis, verum est de prima ratione formali, cuiusmodi non est quãtitas in proposito.

Tertio arguitur. Si corpus Christi esset simul in cœlo, & in Eucharistia, sequeretur, quod Eucharistia, & locus quem habet in cœlo essent simul, consequens est falsum, vt de se patet, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia illa quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, ergo quæcumque sunt simul vni tertio sunt simul inter se, atque adeo si locus, quem Christus habet in cœlo, & in Eucharistia sunt simul cum ipso Christi corpore, etiam ipsa loca simul erunt inter se. Pro responsione notat Doct. quod illa maxima quæcumque sunt eadem vni tertio, &c. non habet veritatem nisi cum additione huius particulæ vniformiter, ita quod sit sensus, quæcumque sunt eadem vni tertio eodem modo sunt eadem inter se, id est, eadem vnitate qua sunt idem in tertio sunt idem inter se, exemplum homo, & equus sunt eadem vni tertio, scilicet animali, ideo dico, quod eodem modo sunt eadem inter se, sunt autem idem in tertio identitate generica, atque ita sunt eiusdem generis inter se; Secundo notat, quod illud tertium, in quo aliqua dicuntur esse vnum nõ sit illimitatum, atq; adeo non sequitur Pater, & filius sunt idem realiter essentiæ diuinæ, ergo sunt idem realiter inter se, quia essentia diuina est illimitata ad tres diuinas personas eodem modo intelligenda est illa maxima. Quæcumque vni, & eidem sunt simul, &c. est enim vera si illud tertium non est illimitatum, & indifferens ad hoc vt sit in illis duobus locis, patet, quia non sequitur, Ego sum simul cum æternitate, & anima antichristi similiter, ergo anima Antichristi, & ego sumus simul, quia æternitas est immensa, & illimitata quantum ad actualem præsentiam. Ad propositum autem illud, quod simul est in duobus locis illimitatum est (licet non virtute propria, sed virtute Dei agentis) quantum ad vbi, atque adeo quæ sunt simul cum sic illimitato non oportet, quod sint simul inter se.

Ad argumentum ergo dico, quod si illud cui simul sunt aliqua duo sit limitatum, ipsa erunt simul inter se, si autem sit illimitatum respectu illorum non infertur, quod ipsa sint simul inter se. In proposito autem non sequitur, quod Eucharistia, & locus cœli sint simul inter se, quoniam corpus Christi per diuinam potentiam est illimitatum respectu illorum locorum.

Quarto arguitur. Quod distat ab aliquo est aliud ab eo, quia nihil distat à se ipso, sed corpus Christi si esset in Eucharistia distaret a se ipso in cœlo, ergo esset aliud à se ipso; probatur maior, quia distantia includit discontinuitatem; vnitas autem quantitatis continuæ est continuitas, ergo distantia repugnat illi vnitati, & per consequens ponit pluralitatem.

Respondet Doct. quod loquendo de distantia locali maior est falsa, non enim est necesse ad hoc quod aliquid distet à se ipso, quod sit aliud à se ipso, sed satis est, quod habeat aliqua diuersa, verbi gratia, diuersa vbi. Et ad probationem dicit, quod in corpore quanto duo sunt, videlicet continuitas, & identitas, continuitas respicit ordinem partium ad se inuicem, sed identitas respicit se in ordine ad se ipsum, ex quo sequitur primo, quod continuitas alicuius non est identitas eius formaliter, quoniam identitas maiorem vnitatem dicit quam continuitas, sequitur secundo, quod duplex est vnitas in quolibet quanto videlicet identitatis, & continuitatis, & illa dicuntur vnum vnitate identitatis, quæ sunt idem realiter, ea vero dicuntur vnum vnitate continuitatis, quæ continuantur ad inuicem. Ex his dico, quod si vnum corpus esset in duobus locis, tale corpus existens in vno loco diceretur quodammodo discontinuum à se ipso existente in alio loco, & hoc ratione locorum, quia illa sunt discontinua, sed non diceretur non idem sibi, nec discontinuum intrinsece, sic nec oporteret, quod duo corpora continuentur continuatione intrinseca, dato quod essent in eodem loco, licet possent dici continua continuatione extrinseca, scilicet continuatione vnius loci.

Quoad secundum licet D.Thomas, & Henricus, & *D.Thomas. Henricus.*
omnes Doctores catholici quotquot fuerunt conueniant in conclusione cum Doct. differunt tamen in modo probandi; nam D.Thom. & Hen. vt possibilitatem conclusionis ostendant, ponunt sequentes propositiones. Prima propositio. Corpus Christi est præsens speciebus panis, & vini post consecrationem panis, & vini per conuersionem in ipsum. Secunda propositio licet corpus Christi sit præsens speciebus panis, non est tamen ibi localiter, nec vt sic potest esse ibi, quia vt sic, id est, localiter est tantum in cœlo, quoniam secundum istos corpus Christi non potest esse localiter in pluribus locis. Conueniunt itaque D.Thom. & Scot. in vno, & differunt in duobus, primo conueniunt in hoc, quod corpus Christi post consecrationem panis est præsens speciebus panis, differunt autem primo, quia D.Tho. vult quod ratio quare corpus Christi sit præsens speciebus panis post conuersionem sit ipsamet conuersio, ex eo enim (dicit ille) corpus Christi est vbi fuit panis, quia panis conuersus est in ipsum. Secundo differunt, quia D. Thom. vult quod corpus Christi non possit esse localiter nisi tantum in vno loco, quia localiter esse in pluribus locis includit contradictionem. Doct. autem sub. vtrumque istorum impugnauit in præcedenti quæstione. Sed vltra illa argumenta argumentatur adhuc alijs rationibus, & prima est talis.

Conuersio non est ratio formalis corporis Christi essendi hic, ergo falsum est D.Thom. fundamentum, antecedés probatur, quia corpus manet post cõuersionem, ergo conuersio non est ratio formalis corporis Christi essendi hic, consequentia patet, quia effectus formalis, & causa formalis simul sunt, & non sunt, & antecedens est de fide, nam facta conuersione, atque adeo transacta manet corpus Christi sub speciebus vsque dum manent species. Et si dicas quod conuersio, & ratio corporis Christi essendi hic vt præterita. contra hoc est argumentum supra de simultate effectus formalis cum sua causa, & præterea si conuersio, vt præterita esset causa formalis corporis Christi essendi hic, Deus nõ posset facere corpus suũ non esse hic, sicut nõ pōt facere conuersionẽ præteritã, non esse præteritã. Et si iterũ dicas, ꝙ facta cõuersione species sunt causa formalis corporis Christi essendi hic. Contra, species non sunt formaliter in corpore Christi, nec per eas inest aliquid formaliter corpori Christi, ergo corpus Christi non potest determinari formaliter existens hic ab ipsis speciebus, quia effectus formalis non denominat formaliter subiectum, in quo non est formaliter causa formalis. Ex his arguitur sic. Deus potest facere in creatura aliquid sine eo, quod non est sibi formalis ratio essendi, nec aliquo modo de essentia eius, sed nec conuersio nec sacramentum est formalis ratio corpori essendi hic, nec aliquo modo de essentia eius, ergo Deus potest facere corpus esse hic sine vtroque illorum.

Ad hoc argumentum respondet Caiet. 3. par. quæst. 75: *Caietanus.*
articulo secundo, dicens, quod maior est diminuta, debet enim addi nec necessario connexum, atque etiam minor, dicit, quod est diminuta, quoniam connexio præsentiæ ad conuersionem omittitur; sed contra. Si conuersio est necessario connexa præsentiæ corporis Christi, vel vt præsens, vel vt præterita, non vt præsens, quoniam dum fit conuersio non est præsens Christi corpus, se statim facta conuersione, neque vt præterita: quoniam quod non est potest habere necessariam cum aliquo connexionem, at conuersio præterita non est, ergo, &c. dicit, quod connexio præsentiæ ad conuersionem nec est vt ad præsentem, neque vt ad præteritam, sed vt ad viam in ipsam, habet enim se vt factum esse in termino ad fieri, contra via ad terminum nõ est causa termini, sicut motus ad caliditatem non est causa caliditatis, & maxime accipiendo motum pro fluxu formæ, & non pro forma fluente, sed ignis est causa caloris, saltem generatio non est causa substantiæ genitæ, ergo conuersio vt est via ad præsentiam non est causa præsentiæ, quærendum ergo manet a quo corpus Christi fiat speciebus præsens, cum ipsa conuersio nullo modo possit esse causa.

Præterea

Præterea, & est secundum argumentum Doct. Non est maior repugnantia corpus Christi esse simul cum substantia panis, quam cum eius quantitate, quia non magis substantia repugnat substantiæ, quam substantia quantitati, quo ad talem simultatem, sed corpore Christi existente in cœlo localiter, potest Deus facere idem corpus simul cum quantitate panis secundum omnes, ergo potest facere idem simul cum substantia panis quâ ita, & per consequens sine conuersione, atque adeo conuersio non habet necessariam connexionem ad præsentiam, vt fieri ad factum esse in termino.

Sed contra secundum dictum D. Tho. arguitur primo sic. Non est maior repugnantia, quod Deus faciat corpus Christi esse præsens substantiæ, quam quod faciat esse præsens quantitati panis, vt nunc sit; sed sic est, quod Deus per suam potentiam potest facere corpus Christi esse præsens quantitati panis, ergo poterit facere, quod sit præsens substantiæ panis, quo facto habeo, quod corpus Christi erit ibi præsens, & non per conuersionem panis in ipsum, vt dicit D. Thom. ergo erit ibi localiter, & non sacramentaliter, atque adeo idem corpus potest esse in pluribus locis simul nedum sacramentaliter, sed etiam localiter.

Etsi dicatur, quod bene potest Deus facere corpus Christi præsens substantiæ panis manente substantia panis, tamen corpus Christi non erit localiter, sed sacramentaliter. Contra, magis difficile est, quod Deus faciat corpus sub modo non naturali, puta quod faciat, quod sit totum in toto, & totum in qualibet parte, quam quod faciat, quod sit sub modo sibi naturali, scilicet localiter, sed D. Tho. concedit primum, ergo non videtur ratio, quare non debeat cōcedere secundum, si ergo Deus potest facere corpus Christi esse simul cum substantia panis modo sacramentali, ergo & modo naturali.

Et si dicas euadendo primam rationem, quod Deus non potest facere corpus Christi sub modo sacramentali, quin sit præsens illis speciebus, quia relatio præsentialitatis dependet essentialiter à fundamento, & termino, & sicut non potest fieri sine proprio fundamento, ita nec sine proprio termino, proprius autem terminus istius præsentiæ est aliquod sacramentum, id est, aliquod sensibile replens secum cum quo, vel sub quo corpus Christi non est localiter, vt puta species panis.

Contra. Non magis impossibile videtur corpus Christi esse cum illo, id est, sub speciebus panis quam cum isto, id est, cum substantia panis, ergo nō magis repugnat esse cum substantia panis, quam cum quantitate, vt dictum est, atque ita de quocumque alio à se. Tunc vltra si potest esse alibi quam vbi est sub modo non naturali sibi, ergo & sub modo naturali, id est, si non repugnat vt corpus Christi sit localiter alibi, id est, in alio loco ab eo in quo est sub modo suo non naturali, id est, sacramentaliter, ergo & in loco in quo est sacramentaliter potest esse sub modo naturali, id est, localiter, atque ita idem corpus Christi potest esse localiter in pluribus locis.

Impugnato modo dicendi D. Tho. & Henric. respondet Doct. ad quæstionem per aliquas conclusiones.

1. Conclusio. Prima conclusio. Etsi corpus Christi sit realiter in sacramento altaris sub aliquo signo sensibili, tamen non sequitur quin Deus per suam potentiam possit facere esse ibi corpus Christi absque aliqua conuersione, atque adeo posita conuersione panis in corpus Christi remanet signum aliquod sensibile, scilicet, species panis, quod signum sensibile dicitur sacramentum continens vere, & realiter corpus Christi, adeo quod post consecrationem, vel cōuersionem corpus Christi est realiter sub sacramento, non tamen sic, quin posset esse non per conuersionem, nec sub sacramento loquendo de quocumque signo sensibili determinato, prima pars concl. est de fide, secunda pars est probata supra & quæstione præcedenti.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Probabile est quod illi, qui negant corpus Christi per Dei potentiam non posse esse simul in pluribus locis nisi per conuersionem alicuius in ipsum, & sacramentaliter, negarent etiam quod possit esse in pluribus locis sacramentaliter, & per conuersionem alicuius in ipsum nisi fides cogeret eos.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Non est dubium quin corpus Christi possit esse in pluribus locis localiter, id est, circumscriptiue, quia sicut Deus facit de facto corpus Christi, quod est in cœlo localiter, esse in sacramento modo non naturali, id est, sacramentaliter, ita potest facere, quod sicut est in cœlo localiter, ita etiam sit alibi localiter, quoniam vt supra dictū est, faciendo primum facit duo miracula, & in secundo non facit nisi vnum miraculum. In primo enim sunt duo miracula, scilicet, primum causando præsentiam corporis hic adhuc existentis in cœlo, & aliud separando ipsum à suo modo naturali, atque adeo si isti concedunt, quod Deus facit duo miracula, non videtur quare negent, quod possit facere vnum.

Ex his infertur primo sm Doct. quod corpus Christi vere, & realiter est, & continetur sub speciebus panis, & vini post consecrationem. Secundo infertur, quod licet corpus Christi post consecrationem fiat præsens accidentibus, manet tamen præsens in cęlo localiter. Tertio infertur, quod corpus Christi post consecrationem non sit præsens speciebus ex vi conuersionis panis in ipsum, sed sit pręsens per mutationem localem acquisitiuam tantum, vel per nouam præsentialitatem. Quarto infertur, quod ratio formalis existentiæ corporis Christi in sacramento est præsentialitas, nam præsentialitate est præsens, ratio autem effectiua est potentia diuina ponens corpus Christi pręsens ipsis speciebus. Quinto infertur, quod sicut Deus facit, quod corpus Christi sit in diuersis locis simul sacramentaliter, ita potest facere, quod sit in pluribus locis simul localiter, & quantitatiue.

QVAESTIO IV.

Vtrum corpori Christi naturaliter existenti, et eidem sacramentaliter existenti necessario insint eadem partes, et proprietates.



PRo intelligentia huius tituli obseruandum est, quod esse naturaliter in loco est esse in loco secundum quod aliquid ex natura sua natum est esse in loco, atque adeo corpus esse in loco sub modo suo naturali, est esse in loco circumscriptiue, sic quod totum locatum correspondeat, & præsens sit toti loco, & pars parti. Esse verò in loco sacramentaliter est esse præsens secundum realem præsentiam aliquibus signis sensibilibus, vel sub aliquibus signis sensibilibus verè, & realiter, ita, quod ad ipsa habeat veram habitudinem realis præsentiæ secundum naturam suam, & entitatem, qua realiter præsens est. Explicatio tituli.

Secundo obser. est, quod per proprietates Doct. in hac quæst. intelligit accidentia absoluta alicui conuenientia, per partes vero intelligit tam partes essentiales, quam integrales.

Tertio obser. est, quod titulus quæstionis non intelligitur de necessitate vnius extremi, vel alterius in existendo, ita quod necessario determinet hoc, vel illud extremum, vt sit sensus. Vtrum corpori Christi necessario naturaliter existenti, & eidem sacramentaliter necessario existenti insint necessario eædem partes, & proprietates, sed intelligitur de necessitate concomitantiæ, ita vt sit sensus: Vtrum bene sequatur corpus Christi habet partes, & proprietates sub modo naturali, igitur habet easdem sub modo sacramentali.

Quarto obser. est, quod ly necessario prout dicit necessitatem concomitantiæ potest accipi dupliciter, vno modo pro necessitate simpliciter, & absolute, alio modo pro necessitate secundum quid, vel ex suppositione; Illud dicitur necessarium simpliciter, & absolutè, quod non potest aliter se habere; Illud vero dicitur necessarium secundum quid, & ex suppositione, quod sequitur necessario ad aliud, exēplum, non est necesse hominem moueri simpliciter, sed posito, quod homo currat bene sequitur homo currit, ergo necessario mouetur, quia cursus includit necessario motum, atque adeo esto, quod homo currat, necessario mouetur: In proposito quando quæritur. Vtrum corpori Christi naturaliter existenti, & eidem existenti sacramentaliter, &c. Non intelligitur de necessitate simpliciter, & absolute, sed de necessitate consequentiæ, seu concomitantiæ, & hoc dupliciter, vel de necessitate concomitantiæ

secundum

Digitized by Google

secundum necessitatem simpliciter, & absolutam, vel tantum secundum quid, hoc est dictu, an ex suppositione antecedentis simpliciter, necessario sequatur consequens, vel sequatur tantum secundum quid, siue ex suppositione, id est, supposita existentia subiecti consequentis, & vtroque modo intelligitur quæstio.

Hæc quæstio supponit corpus Christi duplici modo existere, scilicet modo naturali, & modo sacramentali, modo naturali corpus Christi existit in cœlo, & modo sacramentali in Eucharistia, & vtrumque est satis manifestum, quod existat modo naturali in cælo, patet per D. Augustinum telatam de cons. d. 2. prima hæresi dicentem. Donec finiatur sæculum sursum est Dominus, quod in Eucharistia sit sacramentaliter patet per ea, quæ dicta sunt q. 1. huius d. art. 1. sed quoniam hæc quæstio est satis difficilis, ideo pro eius faciliori intellectu diuido eam in sex articulos.

Primus Art. Vtrum corpus Christi secundum omnes suas partes sit in Eucharistia, & quæ sint illæ, quæ continet tanquam partes.

Secundus Art. Vtrum de necessitate simpliciter, & absoluta, id est, nulla suppositione facta si corpori Christi existenti sacramentaliter conueniant aliquæ proprietates, & partes sit necessarium, quod etiam conueniant ei sub modo naturali existenti, & è conuerso.

Tertius Art. Vtrum Christus potuerit esse sub Eucharistia sacramentaliter priusquam in propria specie existens conciperetur, aut incarnaretur.

Quartus Art. Vtrum si corpus Christi haberet simul vtrumque modum essendi posset desinere esse secundum modum naturalem absque eo, quod desinat esse secundum modũ sacramentalem.

Quintus Art. Vtrum supposito, quod Christus existat sub vtroque modo naturali, & sacramentali necessario illi conueniant partes, & proprietates, quæ sub alio modo illi conueniunt.

Sextus Art. Vtrum supposito, quod Christi corpus existat naturaliter, et sacramentaliter fieri posset per Dei potentiam absolutam, vt partes et proprietates, quas habet sub vno modo non habeat sub alio.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus Christi secundum omnes suas partes sit in Eucharistia, et quæ sint illa, quæ continet tamquam partes.

Trid. PRo intelligentia huius difficultatis obseruandum est, vt docet Conc. Trid. sess. 13. ca. 3. quod eorum, quæ existunt in hoc sacramento, quædam sunt ibi ex vi verborum, quædam verò per concomitantiam, ea autem dicuntur poni ex vi verborum in Eucharistia, quorum præsentia ad verborum veritatem necessaria est, seu (quod idem perinde est) quæ præcise per verba significantur, nam tam vnitas, quam efficacia significationi respondet, nam verba efficiunt conuersionem, quam vere significant, vnde etiam dici potest esse ex vi verborum id quod per se terminat conuersionem. E contrario verò per concomitantiam dicitur esse quicquid in hoc sacramento ponitur, non quod sit simpliciter necessarium ad veritatem verborum, sed quia habet realem vnionem cum eo, quod necessarium est ad verborum veritatem.

[Conc]lusio Hac explicata distinctione, dico primò, totum Christũ, totamque substantiam eius esse in hoc sacramento, & sub singulis speciebus eius. hæc conclusio est de fide, & patet ex his quæ diximus quæst. prima huius d. & est determinata in Conc. Constan. sess. 13. & Basileen. sess. 30. quæ traditur etiam in Concilio Florentino in decreto Eugenij, & definitur in Trid. sess. 13. cap. 3. & cano. 1. & 3. & sess. 21. & habetur etiam in c. qui manducat, cap. singuli, cap. vbi pars c. 3. Inuitat, & de alijs de cons. d. 1. *[C]onst. [Flo]re. [Tri]d.*

[Conc]lusio Dico secundo, sub speciebus panis esse corpus Christi Domini ex vi verborum. concl. est de fide definita in Concilio *Trid.* Tridentino vbi supra, & ab omnibus catholicis Doctoribus recepta, & satis per se clara, quia verba formæ qua consecratur panis nihil aliud immediatius significant, vel ad suam veritatem requirunt. Per corpus autem intelligimus corpus indiuiduum, quod est altera pars compositi, scilicet hominis cum omnibus suis partibus organicis, & integralibus, tum quia illa particula, meum, determinat corpus humanum, corpus autem humanum intrinsece requirit, quod sit organicum, tum quia propria caro non intelligitur sine organizatione, est autem sub speciebus panis ex vi verborum propria, & vera caro iuxta illud. Caro mea verè est cibus, atque adeo sancti indifferenter dicunt conuerti panem virtute verborum in corpus, vel carnem Christi, tum demum quia corpus Christi proferentis illa verba non erat mutilum, sed perfectè integrum, partes autem organicæ, seu integrales necessariæ sunt in corpore humano integro, & perfecto.

Dico tertio. Anima non est hic definite, & determinate *3. Conclusio* ex vi verborum. hæc conclu. certa videtur nam Concilium Tridentinum sess. 13. ca. 3. diserte docet animam esse sub v- *Conc. Trid.* traque specie per concomitantiam, & satis concluditur ea ratione, quia corpus Christi non est hic viuum ex vi verborum, tum quia alias etiam sanguis esset in hostia ex vi verborum, quia corpus viuum includit sanguinem, vt partem sui, consequens autem est contra Conc. Trid. tum etiam, quia in forma nulla fit mentio viui, aut mortui, sed corporis, quod vt sic ab vtroque statu præscindit. Nec illa particula, meum, aut tota forma prolata a Christo viuẽte determinat significationem ad corpus viuum, sed solum ad corpus proprium, quod a viuo, & mortuo præscindit, nam sicut Christus dixit. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, potuisset addere sepelietur, resurget &c. atque ita sancti de hoc Sacramento loquuntur dicentes illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in cruce, iacuit in sepulcro, & gloriosum resurrexit.

Præterea non est contradictio corpus Christi esse sine anima, atque adeo si esset per casum sine illa adhuc vere esset ibi, & per consequens non est ibi ex vi verborum. Præterea hoc etiam est congruum, quandoquidem illæ species repræsentant alimentum, sed anima non habet rationem alimenti, igitur congruum est, quod illæ species solum de per se corpus Christi repræsentent, demum si Diuus Petrus in triduo consecrasset, quando anima Christi erat a corpore separata, fuisset in Eucharistia verum Christi corpus, & tamen non fuisset ibi anima, igitur corpus Christi, vt est præsens in Eucharistia ex vi verborum non continet animam.

Dico quarto, corpus Christi, vt est in Eucharistia ex vi *4 Conclusio* verborum non continet accidentia absoluta. hæc conclusio certa etiam videtur ex definitione Con. Tri. vbi supra c. 3. & *Conc. Trid.* 4. dicentis corpus esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, cætera vero vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, & probatur conclu. quoniam corpus Christi separari posse ab accidentibus non inuoluit contradictionem, nec accidentia ad alimentum pertinent, sed substantia, cum species Eucharistiæ alimentum repræsentent, ex vi verborum erit ibi substantia corporis, & non accidentia. Præterea transubstantiatio, quæ fit vi verborum non terminatur ad quantitatem, vel alia accidentia, sed ad solam substantiam, ergo ex vi verborum est ibi sola substantia.

Dico quinto, sanguis Christi non est sub speciebus panis *5. Conclusio* ex vi verborum, atque adeo corpus Christi existens in Eucharistia ex vi verborum sanguinem non continet. hæc conclu. patet ex Conc. Trid. vbi supra, nam cum dixerit *Conc. Trid.* sanguinem esse sub speciebus panis per concomitantiam, videtur determinasse non esse ibi per se ex vi verborum, & probatur, quia verba consecrationis panis de sanguine nihil dicunt, vnde in triduo illorum veritas integra, & efficax esse sine præsentia sanguinis sub specie panis. Præterea sanguis non est animatus, at corpus vt est signatum per species panis sumitur solum pro aggregato ex partibus, quæ possunt animari, atque adeo corpus Christi in Eucharistia non continet sanguinem. Præterea sanguis continetur, primo & per se ex vi verborum, sub speciebus vini, vt patet ex Concilio Tridentino vbi supra, ergo non continetur primo, & per se ex vi verborum sub speciebus panis, consequentia probatur, quia sanguis, & corpus distinguuntur essentialiter, ergo potest habere aliud signum ad placitum, sanguinem primo, & quod se signans ex institutione diuina ab illo, quod primo & per se signat, vel corpus repræsentat, & probatur a minori, quoniam sanguis potest habere

bere aliud signum naturale ipsum significans ab illo, quo significatur corpus, ergo multo magis potest habere proprium signum ad placitum, antecedens probatur, quia corpus, & sanguis sunt duo conceptus obiectiui, essentialiter distincti, ergo possunt habere duos conceptus formales essentialiter distinctos, at conceptus formales sunt signa rerum naturaliter primo Perhierme. c. 1. ergo &c.

Deinde possibile fuit totum sanguinem separatum fuisse à corpore in Christi morte, & tamen si tunc fuisset Eucharistia consecrata, fuisset in hostia res eadem, quæ modo, id est, idem corpus Christi, & tamen non fuisset ibi sanguis per casum ergo &c. Dicendum est ergo quantum ad istum art. quod corpus Christi, vt est primum signatum speciei panis, & contentum, non includit animam, nec accidentia, nec sanguinem.

ARTICVLVS II.

Vtrum de necessitate simpliciter, et absoluta, id est, nulla suppositione facta; si corpori Christi existenti sacramentaliter conueniant aliqua proprietates, et partes, sit necessarium, quod etiam conueniant ei sub modo naturali existenti, et è conuerso.

Explicatio tituli. PRo intelligentia huius tituli obseruandum est, quod sensus difficultatis est. An Christus possit existere sacramentaliter absque eo quod naturaliter existat. secundo obseruandum est, quod per existere naturaliter non intelligimus existentiam, qua substantia in se ipsa subsistit, quoniam certum est nullo modo posse corpus Christi existere etiam sacramentaliter absque tali existentia: sed per existere naturaliter intelligimus modum existendi, quo naturaliter homines existunt extensiue sensibiliter, & localiter: nam existentia naturalis corporis Christi est occupare locum, & ad extensionem loci extendi, existentia verò sacramentalis est contineri sub aliquo signo, & non occupare locum, neque ad extensionem loci extendi, est igitur quæstionis sensus. An corpus Christi possit existere sacramentaliter, absque eo quod alibi existat extensiue, atque localiter.

Tertio obseruandum est, quod aliud est loqui de esse naturali corporis Christi, & aliud de naturali præsentia, seu existentia in loco, sunt enim hæc duo ex natura rei distincta, & separabilia: nam quando corpus localiter mouetur, mutatur naturalis præsentia, & tamen non mutatur ipsum esse naturale corporis, quod non est aliud quam ipsamet substantia corporis quantitate affecta, vltra quam addit naturalis præsentia talem modum occupandi locum corpori quanto connaturalem; non quærimus ergo de esse naturali corporis Christi, nam extra controuersiam est omnem præsentiam tam naturalem, quam sacramentalem essentialiter pendere a corpore, quod fit præsens, & ab existentia, seu actuali entitate illius tam quam a subiecto, quod modificat: sed comparamus in hac quæstione vnam præsentiam ad aliam, & inquirimus an corpus Christi, vt recipere possit vnam præsentiam, scilicet sacramentalem necessario alicubi debeat habere naturalem præsentiam, seu modum existendi in loco, ita vt illa præsentia ab hac necessario pendeat.

Hoc pacto intellecta quæstione est de hac re duplex opinio, prima affirmat non posse corpus Christi habere sacramentalem præsentiam absque eo, quod alibi habeat naturalem præsentiam, atque adeo easdem proprietates, & partes habet corpus Christi sub modo sacramentali, quas habet modo naturali existens, quæ videtur fuisse opinio Al-*Altisiodor.* tisiodorensis libro quarto, sum. tracta. quinto, capitulo *Caietanus.* quinto, quæstione sexta, quam defendit Caiet. tertia parte quæstione 76. articulo secundo, fundamenta huius opinionis hæc sunt posterius alio essentialiter, & ab eo dependens non potest esse, nec poni priusquam illud, vel non posito illo, sed modus essendi sacramentalis præsupponit modum essendi naturalem, & dependet ab eo, ergo non potest esse, nec poni priusquam illud: Et confirmatur quia si destrueretur existentia corporis Christi extra sacramentum, destrueretur etiam in sacramento, ergo signum est, hanc præsentiam pendere ab illa, nam si non penderet manere posset illa destructa, antecedens est communis sententia omnium Theologorum, & sequitur ex alio principio, quod si corpus Christi extra sacramentum exanimaretur, in sacramentum etiam fieret exanime. Secundum fundamentum est tale, Esse secundum quid, vel accidentale præsupponit necessario esse substantiale, & simpliciter, sed esse Christi sub Eucharistia est esse secundum quid, & accidentale, ergo præsupponit esse naturale, maior patet nam, quod aliquid habeat esse secundum quid, vel accidentale, & non habeat esse primum simpliciter, & substantiale implicat contradictionem.

Praeterea arguit Caiet. secundum Scot. esse sacramentale supra corpus Christi verum, quod est in cœlo nihil addit in hoc Sacramento nisi respectum extrinsecus aduenientem id est, respectum præsentiæ ad species, quomodo ergo potest fingi, si auferatur corpus Christi per annihilationem remanere aliud etiam per diuinam potentiam quam illum respectum præsentiæ Deo iisum conseruante? nam si nihil aliud remanet, quam dictus respectus, quomodo fingi potest, quod remaneant partes, & proprietates corporis Christi, & si aliquid aliud, quam ille respectus remaneat oportet, quod esse sub sacramento plus addat supra corpus Christi quam illum respectum.

Praeterea si conseruaretur a Deo respectus ille non conseruato Christi corpore in rerum natura, non esset corpus Christi sub sacramento, quemadmodum si conseruaretur respectus localis quo corpus Christi est in cœlo non conseruato corpore Christi non esset corpus Christi in cœlo, aliud est enim conseruari respectus illos extrinsecos, & aliud cōseruari corpora, quæ sunt. Dicit itaque Caiet. opinionem Doct. sub chimæricam esse, & absque fundamento, atque adeo pudet ipsum afferre multa ex Scot. ne tanto tempore in chimæris versetur.

His tamen non obstantibus est secunda opinio, quam docet hic Doct. & quam sequuntur Maior. distinctione decima, 4. quæstione prima. Bassolus eadem distinctione, quæstione quarta. Sotus distinctione octaua, quæstione prima, articulo quinto, & d. 10. quæstione prima, articulo secundo, Suarez tertia parte tomo tertio, quæstione 75. dispu. 47. sect. secunda, & omnes Scotistæ, quæ negat esse naturalem connexionem, atque dependentiam inter istas duas præsentias. Quapropter ponit Doctor. duas conclusiones, quarum prima est talis. *Maior. Bassolus. Sotus. Suarez.*

Hæc consequentia non est necessaria simpliciter. Corpus Christi habet partes, & proprietates sub modo naturali, ergo habet eas sub modo sacramentali, probatur conclu. quia corpus Christi potest habere modum naturalem sine modo sacramentali, ergo non sequitur necessario si corpus Christi habet partes, & proprietates sub modo naturali, ergo habet eas sub modo sacramentali, consequentia est manifesta, & antecedens probatur, ante vltimam cœnam corpus Christi habebat modum naturalem essendi sine modo sacramentali, quia Eucharistia instituta fuit in vltima cœna, ergo &c. probatur secundo quia post diem Iudicij corpus Christi habebit modum essendi naturalem, & tunc non erit sacramentum Eucharistiæ, quia non erunt, viatores, & per consequens neque viaticum, & tamen tūc corpus Christi sub modo essendi naturali habebit ista ergo &c. *1. Concl.*

Secunda conclusio. Hæc consequentia non est necessaria simpliciter. Corpus Christi habet, partes, & proprietates sub modo sacramentali, ergo habet eas sub modo existendi naturali, probatur conclusio, quia sacramentalis præsentia non pendet a præsentia naturali, ergo non est necesse, quod habent partes, & proprietates sub modo sacramentali, quod habeat eas sub modo naturali consequentia est manifesta, & antecedens probatur, & primo a contrario, quia naturalis præsentia non pendet a sacramentali, ergo & è conuerso sacramentalis præsentia non pendet a naturali, neque illam necessario supponit, antecedens patet ex prima conclusione, & consequentia probatur a simili, ex eo enim naturalis præsentia non pendet a sacramentali, quia nulla habet habitudinē ad illam, neque in vllo genere causæ est effectus illius, sed idem est de præsentia sacramentali respectu naturalis, quia hæc non est causa illius, nec conditio necessaria in aliquo genere causæ, vt illa sit, sunt enim diuersorum ordinum, & vna non respicit aliam, vt subiectum, sed vtraque immediate respicit ipsum corpus, sunt ergo disparatæ, nullam que inter se habent connexionem. *2. Concl.*

Praeterea secundo, quandocumque aliqua res est indifferens

Digitized by Google

ferens ad duos modos essendi, vel illud cuius esse actualis existentiæ contingenter se habet ad duos modos essendi, quorum sensus non dependet ab alio, potest indifferenter primo poni sub quocumque illorum, sed corpus Christi, vel esse actualis existentiæ Christi indifferenter, & contingenter se habet ad duos modos essendi, scilicet sacramentaliter, & naturaliter, seu circumscriptiuè, & vnus eorum non dependet ab alio necessario, ergo corpus Christi potest indifferenter primo poni sub quocumque illorum: Maior patet, quia nulla contradictio includitur, & minor probata est supra.

Caiet. Respondet Caietanus, quòd minor est falsissima: quia nulla substantia est indifferens ad esse absolutum vel respectiuum, nisi absolutum sit indifferens ad se, & genus ad aliud, quòd implicat contradictionem, quia nullum ens est indifferens ad se, quoniam esset antequam esset, & per consequens esset, & non esset, nam ex eo quod est indifferens ad aliquod, est, ex eo autem quod est indifferens ad se non est, ergo est, & non est; atque adeo corpus Christi (inquit) est ita determinatum ad modum essendi naturalem, sicut est determinatum ad se ipsum, quia tunc perdit se ipsum cum perdit esse modo naturali, ad modum autem sacramentalem se habet corpus Christi, vt ad esse superueniens tanquam accidentale quoddam.

Et propterea dicit, quòd modus sacramentalis dependet à naturali: quia ille est primus modus essendi in sacramento.

Refellitur Caiet. responsio. Sed hæc responsio falsum supponit, nec positionem Doctor. subtil. Caietani intellexit, nam Caietanus non distinguit modum essendi naturalem in loco ab existentia naturali corporis Christi, valde enim hæc duo diuersa sunt scilicet esse naturale corporis Christi, & præsentia naturalis, vel existentia naturalis in loco, vt ostendimus supra, & vnum ab altero dependet, nam præsentia naturalis pendeat à corpore, quoniam est modus eius, & eodem modo præsentia sacramentalis à corpore pendet, supponitque necessario esse naturale corporis, seu existere corporis Christi, neque oppositum vnquam docuit Scotus: corpus tamen Christi indifferens est ad vtrumque essendi modum, quia potest absque vtroque modo esse, non enim potest corpus Christi secundum suam substantiam, & existentiam pendere ab vlla præsentia locali, siue sacramentali, siue naturali, nam illa extrinsecus tantum potest illi aduenire per diuinam potentiam, & efficaciam; hæc verò licet ex natura rei intrinsecus illi conueniat, non tamen vt intrinseca causa eius, sed vt effectus manens ab ipsa media quantitate, vnde posset Deus alicubi conseruare corpus absque actuali extensione in ordine ad locum; atque adeo posset etiam illud conseruare realiter existens, etiamsi nullibi haberet actualem extensionem in loco, ergo potest existere corpus quantum in rerum natura sine vlla præsentia naturali, atque adeo corpus Christi ex se quantum ad suum esse substantiale indifferens est ad vtrumque modum essendi, siue ad vtramque præsentiam, scilicet naturalem, & sacramentalem, verissima est ergo minor Doctor. subtil. & responsio nulla est, qua dicitur quòd modus sacramentalis dependet à naturali.

Nam modus essendi naturalis non est de essentia sacramentalis, neque eius causa, ergo modus sacramentalis non dependet à modo naturali, antecedens probatur, quo ad primam partem, quia quæ sunt de essentia alicuius includuntur essentialiter in eo, itaque non potest illud quod includit aliquid essentialiter esse sine eo, patet, quia animal est de essentia hominis, vel includitur essentialiter in homine, & homo esse non potest sine animali, sed modus sacramentalis potest esse, & de facto est sine modo naturali, patet, quia corpus Christi in Eucharistia habet modum sacramentalem, & non naturalem, ergo modus naturalis non est de essentia modi sacramentalis.

Secunda pars antecedentis probatur: quia modi essendi sacramentalis solus Deus est causa mediante consecratione, & non aliquis modus essendi naturalis, ergo Christus potest esse in loco sacramentaliter, esto quòd in nulla parte mundi esset in loco localiter, & hoc non est dicere, quòd corpus Christi sit in loco sacramentaliter sine sua substantia, vt perperam intellexit Caietanus, sed est dicere quod corpus Christi habet hunc modum sacramentalem accidentalem sine alio modo accidentali locali, & hoc modo Scotus intellexit suam conclusionem, consequentia patet, quia nihil pendet ab eo, quod non est causa eius, aut de eius essentia.

Præterea secundo. Modus essendi sacramentalis solum dependet à tribus, primo à sacramento, id est, à speciebus, secundo à corpore Christi, quod continetur sub illis speciebus, quod vocatur res sacramenti, tertio à causa eius, sed modus essendi naturaliter non est sacramentum, neque res sacramenti, neque eius causa, ergo modus essendi sacramentalis non dependet à modo essendi naturali, maior patet, & etiam minor: quia sacramentum sunt species, res sacramenti est corpus Christi, quod à modo essendi localiter distinguitur, vt probatum est supra, & causa est ipse Deus, vt etiam dictum est supra.

Præterea corpus Christi potest esse sine modo locali, & etiam sine modo sacramentali, ergo multo fortius potest esse cum modo sacramentali absque modo locali, antecedens probatur, quia Deus potest conseruare quodlibet absque suo extrinseco accidenti, sed tã modus localis, quam sacramentalis sunt accidentia extrinseca corpori Christi, ergo &c. consequentia autem est manifesta, quia potius repugnat modus localis, quam iuuet ipsum, imò comparando hos duos modos inter se, potius in modo suo dicunt repugnantiam, nam vnus dicit extensionem in ordine ad locum, ac alter indiuisibilitatem.

Caietanus vbi supra respondens his rationibus dicit, ꝙ modus sacramentalis dependet à modo naturali, non solum ea ratione, qua superueniens dependet ab eo cui superuenit, sed ea ratione qua denominatio pendet à re denominata, & respectus à termino, seu fundamento, vnde ad primam rationem Scoti dicit, quòd aliud est loqui de ipsa existentia, id est, præsentia in sacramento, & aliud est loqui de re existente, id est, præsente in sacramento, si enim sit sermo de ipsa existentia, seu præsentia, consequentia non valet, quia respectus dependet ab aliquo quod nec est de essentia eius, nec causa eius, dependet enim à termino, seu ad terminum, & non potest esse sine termino, qui nec est de essentia eius, nec causa eius. si autem sit sermo de toto hoc, scilicet, re existente, seu præsente, tunc falsum est antecedens pro prima parte, quia de essentia rei præsentis sacramento est ipsa res præsens, id est, corpus Christi habens suum esse naturale, & ad probationem dicit, quòd est sophisma, quia mutatur res præsens in modum præsentiæ; est siquidem res præsens Eucharistiæ modus Christi naturalis, sed modus præsentiæ non est modus naturalis, sed modus sacramentalis, & propterea dixit, quòd est de essentia rei præsentis, & non de essentia modi præsentiæ. *Responsio Caiet.*

Ad aliud dicit, quòd corpus Christi verum in suo esse naturali est Eucharistia, & sacramentum, & res sacramenti, vt patet à Magistro in 4. d. 8. & August. ibidem allegato.

Sed in hac responsione Caietanus permanet in ignorantia distinctionis modi naturalis, ab esse substantiale, & existentia reali corporis Christi, nam per modum naturalem intelligit Scotus (vt diximus supra) præsentiam localem prout distinguitur à præsentia sacramentali, modo certum est, quod præsentia localis, seu modus naturalis non est de essentia præsentiæ sacramentalis, neque est eius causa, atq; adeo non potest sacramentalis modus à modo naturali dependere, in secundo membro distinctionis patet, ꝙ æquiuocat de modo naturali, & de esse naturali corporis Christi, præterquam quod est valde impropria loquutio dicere quod idem sit de essentia sui met, quod vtique sequeretur si rei præsentis res præsens esset de essentia; Et quando dicit ad probationem, quod est sophisma, quia mutatur res præsens in modum præsentiæ, patet, quod non distinguit esse naturale a modo naturali, falsum est enim quòd modus essendi naturalis corporis Christi sit ipsum corpus Christi, atque adeo ex ignorantia abstractionis vnius ab alio ipse potius sophisticè loquitur; secunda responsio etiam ad secundam rationem nulla est, licet enim corpus Christi sit sacramentum, & res sacramenti, vt dicit Magister, non tamen sacramentum propriè accipiendo sacramentum vt est signũ sensibile, prout patet ex littera Magistri ibidem, vbi tria distinguit in hoc sacramento: vnũ quod tñ est sacramentum, vt species visibilis panis, & vini; alterũ quod est sacramentũ & res, vt caro Christi propria, & sanguis, tertiũ quod est *Refellitur Caiet. responsio.*

res, & non sacramentum, vt est corpus Christi mysticum, cuius sacramentum est corpus Christi proprium de Virgine sumptum: quoniam vt corpus Christi ex multis membris purissimis, & immaculatis constat, ita Societas ecclesiastica, seu corpus mysticum ex multis personis à criminali culpa liberis consistit, ex quibus verbis patet, quod alio modo species sunt sacramentum, & alio modo corpus Christi. præterea corpus Christi verum in suo esse naturali falsum est, quod sit in Eucharistia, neque hoc dixit Magister, quia vel per Eucharistiam intelligit species sacramentales, & hoc modo patet, quod corpus Christi non est Eucharistia, vel per Eucharistiam intelligit præsentiam sacramentalem, nec isto modo corpus Christi est Eucharistia, quia corpus Christi potest esse sine hac præsentia, at sine se ipso esse non potest, vel accipit Eucharistiam pro aggregato ex corpore Christi præsente, & speciebus, atque ita etiam patet qd corpus Christi præcisè non est Eucharistia; Præterea esto, quod corpus Christi sit sacramentum, & res iuxta modum loquendi Magistri sent. Vnde locus; corpus Christi est sacramentum & res, ergo præsentia sacramentalis dependet à præsentia naturali, nam licet præsentia sacramentalis dependeat ab esse naturali, & substantiali corporis tamquam à fundamento, tamen non dependet à modo essendi naturali, seu à præsentia naturali. Dices fortè quod dependet ab ea tamquam à termino, atque adeo illa propositio Scoti. Deus potest producere, seu causare aliquem effectum sine illo, quòd non est de intrinseca ratione eius, est vera de absolutis, non de respectiuis.

Contra hanc responsionem est ratio Doct. quia licet eadem existentia corporis Christi sit sub duobus modis, scilicet sub modo naturali, & sacramentali, tamen existentia corporis Christi non est terminus relationis sacramentalis, vt est sub modo naturali, sed vt est sub modo disparato, id est sub modo sacramentali, quia hic modus sacramentalis præsentia sufficienter terminatur in ipso corpore Christi prout hic sub speciebus sacramentalibus existente, nam illud vt sic afficit, & in illo vt sic excipitur, & conseruatur, quòd autem alibi alio modo existat accidentarium est huic præsentiæ, quæ te vera non dicit habitudinem ad aliud sub tali ratione, quod probatur: quoniam eo modo est res contenta in Eucharistia, quo modo est primum signatum huius signi; (nam hæc est differentia huius sacramenti ab alijs, quia realiter hoc sacramentum continet suum primum signatum, id est, corpus Christi vt est suum signatum primum) sed existentia sub modo naturali, id est, sub modo essendi localiter, non continet hic realiter, quia corpus Christi non est in hoc sacramento sub modo quantitatiuo, sed sub alio modo disparato, scilicet sub modo sacramentali, & indiuisibili, quia est totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ, ergo existentia corporis Christi non est terminus relationis sacramentalis sub modo naturali, atque adeo sacramentalis præsentia non dependet à præsentia naturali, vt à termino.

Caietanus persistendo in eadem responsione dicit, quòd terminus, seu fundamentum respectus præsentiæ est corpus Christi in esse suo naturali, & ad improbationem dicit, quòd committit manifestè sophisma figuræ dictionis diuertendo à re ad modum rei, hoc est a re præsente ad modum præsentiæ, à re contenta ad modum quo continetur; existentia enim corporis Christi in suo modo naturali est res primo contenta, & signata, dicente Christo. Hoc est corpus meum, dicendo enim corpus meum sine additione aliqua, procul dubio significauit corpus suum in suo esse naturali, modus autem quo continetur non est res signata, neque contenta in hoc sacramento, sed modus continendi, & constat (inquit) non valere argumentum. Corpus Christi non continetur modo naturali extensiuo, ergo res contenta, non est ipse modus naturalis, & extensiuus corporis Christi.

Cæterum hæc responsio procedit ex eadem ignorantia abstractionis modi essendi naturalis, ab esse naturali, nam verum est quòd terminus, seu fundamentum præsentiæ sacramentalis est corpus Christi in suo esse naturali, verum non sub modo essendi naturaliter, sed falsum est quòd existentia corporis Christi sub modo naturali (vt modus naturalis dicit præsentiam naturalem, vel modum essendi in loco naturaliter) sit res primo contenta, & signata sub Eucharistia; nam si hoc esset verum, corpus Christi esset in Eucharistia dimensiuè, & circumscriptiuè, nam naturalis modus essendi in loco est esse in loco dimensiuè, & commensuratiuè, quod est falsum, ex quo patet, quod optimum est argumentum. Corpus Christi non continetur in Eucharistia modo naturali extensiuo, ergo res contenta non est modus ipse naturalis, & extensiuus corporis Christi, nam ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis: si enim modus existendi naturalis, & extensiuus est res contenta, id est, corpus Christi, sequitur necessario, quòd corpus Christi continetur in Eucharistia modo naturali, & extensiuo, & certè valde miror de ingenio Caietani, quod hæc non animaduertent; patet ergo quomodo responsiones Caietani non soluunt rationes Doct.

Respondendum est modo ad fundamenta oppositæ sententiæ.

Ad primum dico, quòd modus essendi corpus Christi naturaliter in loco, id est circumscriptiuè secundum modum naturalem aliorum corporum non est prior essentialiter modo sacramentali, nec iste dependet ab illo, sed vterque indifferenter potest primo poni, vel vterque simul, vnde simul potuit Christus incipere esse in vtero Virginis, & in Eucharistia.

Et quando dicis, quòd prius habet aliquod esse naturaliter, quam sacramentaliter, dico quod accipiendo esse naturaliter pro esse naturæ, & actuali existentia eius, prius natura saltem habet aliquid esse naturaliter in se, quam in sacramento, sed accipiendo esse naturaliter pro modo essendi naturaliter, & circumscriptiuo corporis in loco falsum est.

Et ad confirmationem nego, quod destrueretur corpus Christi in Eucharistia, si extra destruatur; sed quoad modum loquendi obseruandum est in eo casu, quo Christi corpus conseruaretur in sacramento, & non extra, non posse propriè dici destrui simpliciter, seu annihilari corpus Christi, vt magis explicabimus in quarto articulo huius quæst. quia supponitur absolutè conseruari substantialiter, & in existentia reali, solum ergo amitteret vnam præsentiam localem, quod fieri posset per localem mutationem priuatiuam, sicut quando abscissa manu, ibi desinit esse anima, non annihilatur ibi, nec propriè destruitur, sed amittit partialem modum præsentiæ, seu informationis. Et ad id quod dicitur, quòd si corpus Christi extra sacramentum exanimaretur, fieret etiam in sacramento exanime, ergo præsentia sacramentalis à naturali dependet, nego consequentiam; nam ex hoc quod corpus Christi esse desinat secundum modum essendi naturalem extra sacramentum, & non in sacramento, nulla sequitur contradictio, vel repugnantia, sed solum quòd corpus Christi sit in vno loco, & non in duobus, seu quod habeat vnum modum tantum existendi, & non duos, quod nullum est inconueniens, ex hoc vero quòd extra sacramentum animam amittat, & intra sacramentum retineat, sequitur contradictio scilicet, quod simul viuat, & non viuat.

Ad secundum dico, quod esse Christi sub sacramento, vel sacramentaliter præsupponit simpliciter esse suum substantiale, nec vnquam oppositum docuit Scotus.

Ad argumenta Caietani dico, quod falsum præsupponunt, nempè, casu posito, corpus Christi esse sacramentaliter in Eucharistia absque suo esse naturali, vel substantiali, & semper paralogizat commutando rem in modum rei, neque Doctor. subt. fingit corpus Christi extra sacramentum annihilari, & in sacramento tantum conseruari modum essendi sacramentaliter, vel respectum præsentiæ ad species sine esse substantiali corporis Christi, hoc enim intelligibile est, sed ponit corpus Christi desinere esse secundum quid extra sacramentum, scilicet, secundum modum præsentiæ localis, & remanere tantum sub speciebus sacramentalibus secundum esse substantiale sub modo sacramentali, atque adeo cum non solum remaneat in Eucharistia respectus præsentiæ sacramentalis, sed necessario sit ibi fundamentum talis præsentiæ, scilicet esse substantiale corporis Christi, erunt etiam ibi partes, & proprietates corporis Christi.

Et ex hac responsione patet responsio ad aliud eius argumentum. Non enim ponimus conseruari à Deo respe-

cum

Digitized by Google

ctum illum præsentiæ sacramentalis sine corpore Christi; atque adeo non sequitur, quòd sub Eucharistia non sit corpus Christi, sed ponimus corpus Christi in Eucharistia cum solo respectu præsentiæ sacramentalis, sicut post diem Iudicij erit corpus Christi in cœlo cum solo respectu locali, & post incarnationem, & ante vltimam cœnam erat in mundo sine respectu sacramentali, ita ab initio mundi virtutem diuina potuit corpus Christi, imò totus Christus idẽ numero, qui est modo, fuisse sub Eucharistia, ita quòd non alibi localiter.

Ex his ergo patet opinionem Doct. subt. non esse chimęricam, sed veram, & realem; nec est cur puderet Caietanus, multa alia ipsius Scot. afferre, si ea intellexisset, nec tempus consumpsisset in chimęris, sed in subtilissimis Methaphysicis, atque Theologicis speculationibus, & contemplationibus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus potuerit esse sub Eucharistia sacramentataliter priusquam in propria specie existens conciperetur, aut incarnaretur.

VT intelligatur quæstionis titulus, & tollatur æquiuocatio, in qua videtur elaborasse Caietanus obseruandum est primo, quòd corpus Christi non potuit esse in Eucharistia ante coniunctionem carnis cum diuinitate, quia ante illam coniunctionem corpus non esset corpus Christi, ex quo sequitur, quòd si per incarnationem intelligamus coniunctionem carnis cum diuinitate, corpus Christi non potuit esse in Eucharistia ante incarnationem, potuit autem esse in Eucharistia antequam ex vtero Virginis conciperetur, sicut quilibet homo potuit formari, antequam in vtero matris conciperetur siue per creationem, siue per quamcumque aliam rationem, & hoc modo Scot. declarat apertissimè sententiam suam per incarnationem intelligendo illam conceptionem factam in vtero Virginis, vt patet in responsionibus argumentorum.

Secundo obseruandum est, quòd aliquod potest incipere esse dupliciter, videlicet simpliciter, & secundum quid; Incipere esse simpliciter est totius suppositi inceptio, ita vt sit verum dicere, hoc suppositum nunc est, & immediatè ante hoc non fuit, & illud quod sic incipit esse, accipit esse primum; incipere autem esse secundum quid est incipere secundum modum aliquem accidentalem, vt quando aqua fit calida non incipit esse simpliciter, sed secundum quid.

Tertio obseruandum est, quòd corpus Christi realiter distinguitur ab vtroque modo essendi, scilicet à modo essendi naturaliter, & à modo essendi sacramentaliter, nam potest existere, & existit absque altero istorum modorum, nam modo est in cœlo, & non sacramentaliter, & est in hostia, & non modo naturali.

Paludanus. Caietanus. His suppositis de hac re est duplex opinio altera Palud. in 4. d. 8. quæst. 1. artic. 3. & Caietani, loco supra citato dicentium hoc esse impossibile, fundamenta huius opinionis sunt hæc. Impossibile est, quod aliquid incipiat esse postquam fuit, sed si Christus posset esse in Eucharistia sacramentaliter ante incarnationem, posset incipere esse postquam fuit, ergo impossibile est corpus Christi esse in Eucharistia ante incarnationem; maior patet, & minor probatur, quia potuisset incipere esse in vtero Virginis per incarnationem verbi, atque ita incipere esse postquam fuit, & cum vtrobique sit simpliciter, & substantialiter, sequuntur contradictoria, scilicet quod simul fuit, & non fuit, incepit, & non incepit.

Secundo arguitur. Eadem est inceptio rei, & sui esse simpliciter; sed res incipit esse sub suo modo naturali, ergo tunc simpliciter incipit, atq; adeo non potuit corpus Christi habere prius esse modo sacramentali.

Tertio arguitur. Impossibile est aliquod corpus prius esse realiter alicubi, quam illud de cuo formetur tale corpus sit in rerum natura, sed secundum Damascenus corpus Christi fuit formatum ex purissimis sanguinibus Virginis, & secundum Doctor. Virgine ipsa actiue cooperante, ergo non potuit prius realiter alicubi, nec sacramentaliter, nec aliter.

Damascen. ...us.

Quarto. Pro quocumque instanti aliquid potest esse alicubi sacramentaliter, pro eodem instanti diuisim potest esse naturaliter, & sub suo modo naturali, sed corpus Christo ante incarnationem verbi non potuit præesse naturaliter, & sub modo suo naturali, ergo ante incarnationem non potuit esse sacramentaliter, maior est manifesta, & conceditur ab Scot. & minor probatur: quia per incarnationem, vel in ipsa incarnatione accipit primo esse naturaliter, vel secundum modum naturalem.

His addi possunt rationes Caietani; nam tunc esset præsentia sine re præsente, & relatio sine fundamento, siue modus sine subiecto, quæ sunt impossibilia, probatur sequela, quia præsentia sacramentalis etiam secundum Scot. non addit super existentiam corporis Christi in propria specie nisi relationem, siue modum præsentiæ, ergo si potest esse hic modus sine existentia in propria specie, erit nunc præsentia sine re præsente.

His tamen non obstantibus est opinio Doct. quam sequitur Bassolus vbi supra, & Gabriel in Can. lect. 47. & inter Thom. Suarez, & Sotus vbi supra, Fundamenta autem pro opinione Doctor. sunt ista. Vbicumque aliquid potest esse verè, & realiter, ibi potest recipere esse post non esse, vel postquam non fuit, patet, quia nulla contradictio est, sicut enim non repugnat sibi esse ibi realiter, ita non repugnat sibi ibi primo esse aliqua virtute, sed corpori Christi, vel Christo non repugnat esse sub sacramento verè, & realiter, ergo sibi non repugnat primo esse sub sacramento, ita quòd sicut de facto prius fuit in vtero Virginis, quam sub sacramento, ita prius potuit esse sub sacramento, quam in vtero Virginis; Et confirmatur, & est quasi idem. Corpus Christi potest existere sacramentaliter etiamsi nullibi existat localiter, vt patet ex præcedenti articulo, ergo potuit etiam primo produci & venire verbo sub speciebus sacramentalibus, etiam si antea nullo modo existeret; quia eadem est ratio de prima productione, & de quacumque existentia, siue conseruatione. Scotus. Bassolus. Gabriel. Sotus. Suarez.

Et si dicas, quòd quando incepit esse hic, scilicet in sacramento, oportet quòd simul alibi incipiat esse secundum suum esse naturale, atque adeo non potuit primo habere esse sub sacramento, quin prius habuerit esse alibi, & probatur, quoniam si est inceptio simpliciter, id est, si in sacramento incipit esse simpliciter est inceptio ad esse secundum se, vel simpliciter, & si cum hoc oportet, quòd incipiat esse simul in alio non minus oportet (ad hoc quod sit inceptio simpliciter) quod res incipiat esse in se, quia eadem est simpliciter inceptio rei, sicut est idem simpliciter esse eius: esse autem simpliciter istius rei in se, est ipsius sub esse naturali, ergo non potest primo habere esse sub sacramento, nisi prius habuerit esse alibi.

Breuiter ratio stat in hoc, quòd corpus Christi, vel ipse Christus non potest incipere esse in sacramento quin incipiat alibi esse secundum suum esse naturale; quia si incipiat esse simpliciter, incipit esse secundum suum esse naturale, atque adeo oportet, quòd si corpus Christi incipit esse in sacramento, quod alibi habeat esse naturale, quod esse habere non potest, nisi per incarnationem in vtero Virginis.

Contra hanc responsionem arguitur, quia si corpus Christi secundum suum esse substantiale est æque indifferens, vt sit sub illo modo, scilicet sacramentali, sicut sub alio, id est sub modo naturali, vt supra in secundo articulo probatum est, & modus essendi sacramentaliter non dependet a modo essendi naturaliter, vt etiam ibi probatum est, sequitur quòd potest habere simpliciter inceptionem sub illo modo sacramentali; absque hoc quod habeat inceptionem sub modo illo naturali, & potest sic formari ratio. Corpus Christi cum præsentia sacramentali non dependet ex præsentia naturali eiusdem corporis, neque ab ipso corpore, vt alibi naturaliter existente, ergo posset Deus infinita sua efficacia efficere corpus Christi sub speciebus panis, etiamsi alibi non præextitisset.

Secundo principaliter arguitur, posito fundamento completo, & termino potest poni respectus, sed ante modum essendi naturalem corporis Christi potuit poni fundamentum huius respectus præsentialitatis, & terminus, ergo ante modum essendi naturalem

corporis Christi potuit poni hic respectus præsentialitatis, maior est manifesta, & minor probatur; potuit enim poni fundamentum, scilicet corpus Christi, esto, quod formaretur à Deo antequam conciperetur in vtero Virginis, & posset illud absoluere a modo essendi naturaliter, quia omne absolutum prius naturaliter, & distinctum ab alio Deus potest ponere in re, & in effectu sine illo; sed corpus Christi est aliquod absolutum essentialiter distinctum à suo modo essendi in loco naturaliter, & prius eo, ergo Deus potest illud ponere in re, & in effectu sine illo; posset enim fieri quod esset extra cœlum, atque ita non esset in loco, potuit etiam ponere terminus nempè species ipsæ sacramentales, ergo potuit facere ipsam esse modo sacramentali.

Ex his ergo dicendum est, quòd Eucharistiæ sacramentum potuit esse ante incarnationem, seu antequam Verbum assumeret carnem in vtero Virginis, quia Deus potuit antequam nata fuisset beata Virgo producere illud idem corpus Christi, quod postea fuit in vtero Virginis formatum, & ipsum informare eademmet anima intellectiua, quæ modo est, atque etiam eamdem humanitatem, quæ modo est verbo vnita. Potuissetque instituere, quòd Melchisedech diceret super panem verba consecrationis, & in eodem instanti prolationis verborum efficere, quod humanitas acciperet esse simpliciter, essetque verbo vnita, & constituere corpus Christi sub speciebus panis sacramentaliter, absque eo quod alibi habuisset modum essendi in loco naturaliter, quia hæc nullam inuoluunt contradictionem, vt ex solutione argumentorum oppositæ sententiæ clarius apparebit.

Ad primum ergo argumentum dico, supponendo primo, quòd in explicatione tituli etiam suppositum est, quod per incarnationem non intelligimus vnionem humanitatis ad verbum, sed per incarnationem intelligimus illam conceptionem factam in vtero Virginis, hoc stante dico quòd non oporteret, quòd corpus Christi acciperet esse simpliciter, & substantialiter, dato quod inciperet esse modo naturali in vtero Virginis, sed illa inceptio, seu formatio corporis Christi solum fuisset inceptio secundum quid, quod nihil aliud est dicere, quam quod corpus Christi incepisset esse sub modo naturali, seu circumscriptiuè in vtero Virginis, vnde non valet, ista consequentia. Incipit esse modo naturali in vtero Virginis, ergo incipit esse, sed est sophisma à secundum quid ad simpliciter, quod patet exemplo, nam clarum est quod panis transubstantiatur in corpus Christi, & tamen per illam transubstantiationem corpus Christi non accipit esse simpliciter, sed secundũ quid scilicet, esse modo sacramentali, ita similiter posito casu quòd stante hypothesi corpus Christi fuisset postea formatum in vtero Virginis non accepisset esse simpliciter, sed secundum quid, & hoc nullum est inconueniens, ꝙ accipiat esse secundum quid post esse simpliciter.

Et si dicas, in conceptione Christi prout facta est, fuit inceptio corporis simpliciter, quia corpus Christi in conceptione incepit esse simpliciter, ergo si præcessisset in Eucharistia, & postea formatum fuisset in vtero Virginis fuisset inceptio simpliciter, & per consequens habuisset esse simpliciter, atque adeo bis inciperet esse simpliciter postquam fuit, quod est inconueniens: probatur consequentia; nam non fuisset minus verum esse corporis Christi, sub esse naturali tunc in vtero Virginis ex casu posito, quam nunc id est quam modo de facto, & per consequens acquirendo illud esse non fuisset minus vera inceptio corporis accipiantis tale esse scilicet naturale in vtero Virginis.

Respondet Doctor negando similitudinem, quia inceptio simpliciter non tantum requirit, quòd sit inceptio esse simpliciter eius, quod dicitur incipere, sed quod sit ad primum esse eius; modo in casu posito, non fuisset inceptio corporis secundum primum esse absolutè, scilicet secundum primum esse substantiale, sed tantum secundum primum esse secundum quid, id est, secundum primum esse in vtero Virginis; non tamen præcessisset primum idem esse simpliciter, scilicet substantiale sub alio modo, id est sub modo naturali, atque adeo fuisset tunc inceptio secundum quid, id est sub modo naturali, non autem simpliciter; Nunc autem de facto in incarnatione non tantum est inceptio esse sub modo naturali, sed etiam primi esse, & per consequens incepit esse simpliciter.

Ex hoc infertur, quòd si corpus Christi præcessisset in Eucharistia, quòd potuisset concipi, & formari in Beatæ Virginis vtero; conceptio tamen & formatio essent diuersæ species ab illa conceptione, & formatione, quæ fieret si corpus Christi non præcederet, quia si corpus Christi non præcederet, illa conceptio, & formatio esset actio substantialis terminata ad substantiam corporis Christi, si vero præcederet corpus Christi esset actio, & conceptio accidentalis non terminata ad substantiam corporis Christi, sed ad modum essendi accidentalem, videlicet ad modum essendi in loco localiter, veluti si quando corpus Christi ponitur in Eucharistia non præcederet actio per quam poneretur in loco localiter, illa actio esset actio substantialis, quia per illam haberetur substantia corporis Christi, at vero modo quando præcedit corpus Christi, ponitur corpus Christi per actionem accidentalem, quæ terminatur ad præsentiam corporis Christi in Eucharistia, de quo tamen inferius agendum est.

Sed est dubium, an si præcederet corpus Christi in Eucharistia posset concipi, & formari in Beato Virginis vtero ex eius purissimis sanguinibus. Caietanus enim 3. parte quæstione 76. articulo secundo. hoc chimericum reputat, & videtur hoc esse impossibile, quia si corpus Christi formaretur ex purissimis sanguinibus, illi purissimi sanguines destruerentur, destructio autem sanguinis necessario est actio substantialis, quia sanguis substantia est, ergo male dicit Scotus, quòd tunc conceptio esset actio accidentalis. Vide Fest. de may. d. q. 10.

Respondetur ad hoc dubium duabus conclusionibus.

Prima conclusio. Si Deus vellet formare corpus Christi in vtero Virginis, & non ex sanguinibus eius purissimis posset quidem, sicut etiam posset ex nihilo, & tunc vitaretur incommodum allatum; & illa actio esset omnino accidentalis. 1. Concl.

Secunda conclusio. Quamuis corpus Christi præcederet in Eucharistia posset Deus conuertere purissimos sanguines in corpus Christi in vtero Beatæ Virginis, ita quòd per illam conuersionem corpus Christi acciperet esse in vtero Virginis, probatur, quia quamuis corpus Christi sit in cœlo, Deus de facto conuertit in corpus Christi panem in Eucharistia, ergo quamuis corpus Christi esset in Eucharistia posset Deus conuertere purissimos sanguines in corpus Christi in vtero B. Virginis. 2. Concl.

Respondetur igitur ad argumentum: quòd secundum Scoti sententiam destructio sanguinum esset actio substantialis, positio autem corporis Christi in vtero Beatæ Virginis esset actio accidentalis terminata ad modum essendi localiter, sicut secundum eumdem Scotum desitio panis est actio substantialis, positio tamen corporis Christi in Eucharistia est accidentalis actio terminata ad præsentiam corporis Christi in Eucharistia, de quo tamen latius disputandum est distinctione sequenti; at verò secundum S. Thom. Corpus Christi posset incipere esse in vtero Virginis per conuersionem sanguinis in ipsum, quæ conuersio primo, & per se terminatur ad substantiam corporis Christi, secundario autem ad esse in loco localiter, sicut conuersio panis in corpus Christi in Eucharistia primo, & per se terminatur ad substantiam corporis Christi; secundario verò ad præsentiam accidentalem corporis Christi in Eucharistia.

Contra. Conceptio, & formatio est idem quod generatio, sed non est idem quod positio in loco, sed si corpus Christi præcederet in Eucharistia non generaretur in vtero Beatæ Virginis, sed solum poneretur ibi, sicut in loco, ergo illa non esset conceptio, & formatio, sed potius positio in loco.

Respondetur, quòd illa esset impropriè conceptio, & formatio, diceretur tamen conceptio, & formatio propter locum in quo fieret, quia fieret mutatio in loco, in quo fierent aliæ conceptiones.

Ad secundum argumentum dico, quòd non oportet, quòd res incipiat esse simpliciter, & substantialiter, dato quod incipiat esse naturaliter in loco, id est, modo naturali corporum, sed potest præexistere tali modo, sub alio modo essendi sacramentaliter.

Ad tertium dico, ꝙ impossibile est corpus Christi fuisse

al-

alicubi realiter antequam sua materia (ex qua cum forma intrinsecè consistit) esset. Sed bene antequam aliquod corpus cuius fuit illa materia, vel futura erat, esset; atque ita antequam essent purissimi sanguines Virginis, nec etiam ipsa Virgo potuit esse corpus Christi, licet non antequam esset materia illorum sanguinum, quia sanguines non pertinent ad substantiam corporis Christi, sed materia ipsorum, quæ præfuit sub alijs formis antequam sanguines essent. Et esto, quòd sanguines ipsi intrarent substantiam corporis Christi, & non solum eorum materia, dico quòd Deus potuit producere, sine facere sanguines illos eosdem numero, antequam esset beata Virgo, & de illis potuisset adhuc formasse immediatè corpus Christi, & ipsum potuisse sub sacramento priusquam esset sub modo naturali.

Ad quartum dico, quòd Deus potuit facere corpus Christi ante incarnationem verbi, hoc est, ante conceptionem in vtero Virginis de potentia absoluta esse naturaliter, vel modo naturali, in aliquo loco, nec oportuit quòd corpus Christi inciperet esse simpliciter, vel localiter alicubi in illa conceptione, vel per illam generationem temporalem, sed alio modo, & prius sicut dictum est supra. Nec cogit quòd Beata Virgo cooperata fuit actiuè, quia quicquid Deus potest facere mediante causa actiua secunda, potest immediate sine ipsa.

['nditur ar menta ... iet.] Ad argumenta Caietanus dico, quòd ipse versatur semper in æquiuocatione, quia non distinguit inter corpus Christi existens, & modum existendi naturaliter, seu localiter cum tamen hæc distincta sint, illud enim prius abstractius est; corpus enim Christi existens in rerum natura præscindit à modo existendi naturaliter, & à modo existendi sacramentaliter. Vnde sicut corpus Christi prout in cœlo, est verè existens, ita prout in sacramento est verè existens, etiamsi ibi tantum esse supponatur, & non alibi. Cum autem dicit præsentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens modo naturali, si intelligat, quod præsentia sacramentalis addit ad corpus Christi consideratum secundum suum esse substantiale modum essendi sacramentaliter verum dicit, si autem intelligat præsentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens sub modo naturali falsum est, hoc enim significat supponere illum modum essendi localiter, & addere alium, quod falsum ostendimus; nam illi duo modi existendi disparati sunt, nec habent inter se intrinsecum ordinem; ac propterea non sequitur in prædicto casu dari præsentiam sine re præsente, aut relationem, seu modum sine fundamento, quia nunquam est præsentia sacramentalis sine corpore Christi existente, non alibi, sed ibi sub speciebus sacramentalibus, & ipsummet ibi est præsens, & fundamentum, seu potius subiectum talis modi, seu relationis. Quo circa licet hæc præsentia sacramentalis non addat supra substantiam, & quantitatem corporis Christi nisi modum, tamen sub speciebus sacramentalibus non est tantum ipse modus, sed corpus ipsum Christi realiter existens tali modo affectum; & hoc ipsum esset sub speciebus, etiamsi alibi non existeret, tunc autem necessarium esset substantialiter produci corpus Christi sub sacramento, hoc autem nullum est inconueniens, vt per se constat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si corpus Christi haberet simul vtrumq; modum essendi posset desinere esse secundum modum naturalem absque eo, quod desinat esse secundum modum sacramentalem.

Titulus huius quæstionis ex dictis in superioribus articulis est satis clarus, vnum solum pro ampliori eius intellectu obseruandum est. Corpus Christi posse desinere esse vel simpliciter, vel secundum quid, simpliciter quidem si eius humanitas corrumperetur, secundum quid vero quantum ad modum existendi tantum, exempli causa, desinere esse sacramentaliter nil aliud est, quam non contineri sub speciebus panis, habereque modum quantitatiuum, & extensum, atq; hoc est corpus Christi desinere esse secundum quid sacramētaliter. Perinde desinere esse solum quantum ad modum naturalem existendi est non habere modū quantitatiuum, id est extensionem ad loci mensuram, & non occupare locum; atque adeo facta hypothesi, quòd corpus Christi desineret esse secundum modum naturalem, & conseruaretur in sacramento non posset propriè dici destrui simpliciter, seu annihilari corpus Christi, quia supponitur absolutè conuersari substantialiter, & inexistentia reali sub sacramento, sed tantum amitteret vnam præsentiam localem, quod fieret per localem mutationem priuatiuam.

Hoc supposito est de hac re duplex opinio altera negatiua, quæ est Caietani vbi supra, & altera affirmatiua, quæ est Doct. nostri, fundamenta Caiet. sunt hæc. *Caiet.*

Impossibile est, quòd aliquid desinat esse postquam esse desijt, sed si corpus Christi desineret esse modo naturali, ipso in Eucharistia manente, posset postea desinere esse in Eucharistia, ergo bis desineret esse, vel desineret esse postquam desijt esse, quia desinendo esse sub modo naturali desineret esse, & tamen maneret si Eucharistia vere maneret, & tunc posset etiam desinere esse sub Eucharistia ergo &c. & cum vtrobique sit simpliciter, & substantialiter sequuntur contradictoria, scilicet quod desijt, & non desijt. *Fundamēta Caietani.*

Secundo arguitur. Sequeretur tunc formam sacramenti. Hoc est corpus meum, esse falsam, si tantum esset sub modo sacramentali, nam facit hunc sensum, Hoc corpus sub speciebus contentum est idem corpus, quod sub modo naturali præexistit.

Sed his non obstantibus dico posse conseruari corpus Christi in sacramento, etiam si extra illud modo naturali esse desinat, quod sic probatur ab Scot. ad corpus Christi realiter contineri in Eucharistia non sequitur necessario corpus illud habere existentiam modo naturali, ergo esto quòd desinat esse modo naturali poterit contineri in Eucharistia modo sacramentali, antecedens patet ex superius dictis, & consequentia probatur, quia non est maior connexio, vel dependentia in conseruatione, quam in prima effectione; si ergo potuit in principio fieri corpus Christi in sacramento, & non extra, poterit etiam postea conseruari, probatur etiam à contrario, nam Christus nunc existens in sacramento, & in cœlo; desinit esse in sacramento, quin desinat in cœlo, & existens in multis hostijs, desinit in vna, quin desinat in alia, & si vnum corpus posset existere in pluribus locis quantitatiuè posset desinere in vno loco, & non in alio, & è conuerso, quia nec necessarium esset inchoatum miraculum perpetuò conseruari, nec esset maior ratio de vno, quam de alio; Ergo similiter simul existens in cœlo, & in sacramento, licet ibi, & omnino extra sacramentum non desineret, posset in sacramento conseruari, quia non est inter has præsentias necessaria connexio, & intrinsecè, & per se ica dependentia, vt ostensum est supra. *Opin. Scoti.*

Et confirmatur: quia vbicumque res temporalis habet veram existentiam, dum ibi manet sub vno modo non omnino desinit quomodocumque desinat sub alio modo, exemplum Socrates est verè hic existens albus, & calidus, esto quòd hic maneat sub caliditate, non diceretur omnino desinere esse, & si desineret esse albus, vel sub albedine; sed sic est, quòd corpus Christi verè existit sub modo naturali in cœlo, & sub modo sacramentali in Eucharistia, ergo esto quòd maneat in Eucharistia sub modo sacramentali, non diceretur omnino desinere esse, esto quòd in cœlo, vel alibi desineret esse sub alio modo, scilicet sub modo naturali, nam ex se indifferens est ad vtrumq; modum, vt diximus supra, cum ab vtroq; essentialiter distinguatur, & sub vtroq; sit contingenter.

Ad argumenta in oppositum, ad primum dico, quod desitio corporis Christi, sub modo naturali non esset desitio nisi secundum quid, quia maneret ex casu idem corpus habens eamdem existentiam realem sub modo sacramentali, & hoc modo non est inconueniens, quòd aliquid desinat esse simpliciter postquam desijt esse secundum quid, vel etiam quod desinat esse secundum quid, postquam desiuit esse secundum quid, nam Socrates albus, & calidus potest primo desinere esse calidus, ac etiam postea potest fieri niger, & desinere esse albus, & tamen non sequitur, quòd simpliciter desineret esse; ita corpus Christi posset primo desinere esse secundum quid si amitteret modum essendi in loco naturaliter, & postea posset,

etiam desinere esse simpliciter si corpus Christi destrueretur, vel etiam tantum secundum quid, si ammitteret modum essendi in loco sacramentaliter, non tamen sequitur desinit esse secundum modum essendi naturalem, ergo simpliciter desinit esse, sed est fallacia à secundum quid ad simpliciter, nec ex hoc sequuntur contradictoria, scilicet desijt, & non desijt, quia non sunt ad idem, & secundum idem.

Contra, sequeretur, φ corpus Christi simul corrumpatur, & non corrumpatur, probatur consequentia, quia si ammittit esse naturale, ergo corrumpitur; quia desitio sub modo naturali est desitio simpliciter, sed corruptio nihil aliud est, quam ammittere esse naturale, ergo si non corrumpatur hic id est, in Eucharistia manet postquam corruptum est, ergo corrumpitur, & non corrumpitur, manet, & non manet.

Respondet Doct. φ nulla contradictoria sunt de eodem concedenda propter distinctionem istorum modorum essendi, & ideo negatur, quòd idem corpus simul esset; & nõ esset, & quando dicitur desijt esse, ergo non est.

Desitio est duplex. Dico, φ desitio potest accipi dupliciter, vno modo pro corruptione simpliciter, & propriè dicta, quæ fit per separationem partis à parte, puta formæ à materia, vt animæ à corpore, vel formæ corporeitatis à materia, & de hac bene sequitur desijt, ergo non est: Alio modo sumitur desitio pro corruptione impropriè dicta, scilicet pro desinere esse secundum quid, quod est desinere esse sub aliquo modo accidentali, & de tali non sequitur desijt esse, ergo non est, sed est fallacia à secundum quid ad simpliciter.

Ad propositum, dico φ si corpus Christi ammitteret esse naturale substãtiale corrumperetur quidẽ, atq; ita si in vno loco non haberet animam, neq; haberet in alio, & si talis corruptio esset existentis sub tali modo, scilicet naturali, esset etiam eiusdem sub quocumque modo sacramentali, alioquin eadem forma simul informaret idem, & non informaret; & per consequens non posset corpus Christi, sub modo naturali fieri inanimatum, quin fieret sub sacramento inanimatum, & è conuerso, nec etiam resolui in materiam separata forma corporeitatis hic, quin ibi fieret tale sub modo sacramentali, & è conuerso, at verò ammittere esse accidentale non esset corrumpi simpliciter, sed secundum quid, veluti si ignis ammitteret calorem, non corrumperetur simpliciter, sed secundum quid. Vnde data hypothesi corpus Christi ammitteret esse accidentale naturale, quia ammitteret esse in loco localiter, quod est naturale, & accidentale, atque ita corrumperetur secundum quid, & secundum existentiam localem, non tamen corrumperetur simpliciter, quia nullum esse substantiale ammitteret, atq; adeo posset desinere esse vt hic, non desinendo esse ibi, & è conuerso, quia posset desinere habere vnum modum suæ existentiæ retinendo sibi alium modum, sub quorum modorum vtroque verè tota ista existentia saluaretur.

Ex quo infertur, quòd per corruptionem, quam natura posset facere in corpore Christi, scilicet separando partem à parte, necesse esset separationem fieri partium huius rei eodem modo hic, & ibi; sed per illam desitionem, quam Deus de potentia absoluta facere posset, non quidem esse rei simpliciter, sed rei sub isto modo, posset res illa non habere istũ modum essendi, & tamen habere illum. Et si contra hoc arguatur, quia bene sequitur, non habet esse sub modo naturali, ergo non habet esse sub sacramento, & probatur consequentia, quia quod nihil est in se nihil est in altero, ergo si corpus Christi non habet in se existentiam, scilicet sub modo naturali non potest eam habere sub sacramento.

Respondet Scot. negando consequentiam, & ad probationem dicit, quòd si maior intelligatur intermendo, vel præscindendo omne modum essendi in aliquo, maior est vera, sed minor falsa, nam corpus Christi æque verè habet esse suum reale sub modo existendi in alio, sicut in se, id est existens modo naturali; si autem intelligatur maior, quòd nihil est in se, id est sub sacramento, quòd non existat modo naturali, non præscindendo, vel intermendo propriam existentiam eius realem, sed ponẽdo eam, nego maiorem, nam si corpus Christi esset tantum in Eucharistia, non sequitur, quod non sit hoc modo in se scilicet, secundum suum esse substãtiale; quia ita verum esse habet isto modo in se, id est secundum esse substantiale in Eucharistia vbi est sub signo, sicut in cœlo vbi est non sub signo.

Ex hac responsione apparet vel Caiet. non vidisse litteram Doct. vel perperam intellexisse; nam in tota ista quæstione nullum verbum inuenitur annihilationis apud Sco. super quod tamen Caiet. vbi supra fundat totum suum ædificium contra Scot. male imponendo illi, quod dicat corpus Christi annihilatum in se posse manere cum modo sacramentali, quod nec somniauit Scotus, imò apertè docuit oppositum, vt patet ex littera eius.

Ad secundum argumentum. Quod est Caiet. dico quòd forma sacramenti Eucharistiæ modo, & de facto facit illum sensum, quem dicit Caietan. at vero data hypothesi, scilicet quod non esset sub modo naturali, esset nihilominus vera: nam significaret corpus sub speciebus cõtentum, atq; ita virtute horum verborum, siue aliorum posset Deus efficere vt corpus Christi, simpliciter sub sacramento esse inciperet, esto quòd non esset alibi sub modo naturali.

ARTICVLVS V.

Vtrum supposito, quod Christus existat sub vtroq; modo naturali, & sacramentali necessario illi conueniant sub vno modo partes, & proprietates, quæ sub alio modo illi conueniunt.

SEnsus tituli est. Vtrum sequatur corpus Christi est in cœlo, & corpus Christi est in Eucharistia, & in cœlo habet partes, & proprietates, ergo easdem partes, & proprietates habet in Eucharistia. Pro cuius ampliori intelligentia obseruandum est, quòd quatuor modis potest aliquod prædicatum alicui conuenire, vel per se in primo modo, vel in secundo modo, vel per accidens sicut inferius suo superiori, vel sicut accidens suo subiecto. *Explicatur tituli.*

Secundo obseruandum est, quòd accidentium quædam sunt inseparabilia, & absoluta, quædam separabilia, & absoluta, alia respectiua intrinseca, & alia respectiua extrinseca.

Tertio obseruandum est, quòd quattuor modis potest aliquid alteri inesse, vtpotè corpori Christi in Eucharistia circumscribendo modum illum, quo aliqua sunt ibi ex vi verborum directè, quia aliqua sunt ibi antecedentia ex vi verborum intrinsecè, aliqua autem extrinsecè, aliqua ex concomitantia intrinseca, & aliqua ex concomitantia extrinseca, primo modo sunt ibi illa, quæ continent Christi corpori in primo modo non tamen explicitè vt substantia; & huiusmodi, quæ includuntur in corpore essentialiter, alia autem antecedunt extrinsecè sicut sunt raritas, & densitas, non enim posset forma corporis esse nisi in debita raritate, & densitate, si ergo de necessitate insunt hæc indiuiduo, videtur quòd ex vi verborum non quod sint de esse corporis, sed præ requiruntur; Alia insunt ex concomitantia, quæ etiam inessent, dato quod non esset in Eucharistia, vt beatitudo, vel actus beatificus; alia autem ex concomitantia secundaria, qui non inessent si non esset nisi hic.

Quarto obseruandum est, quòd titulus quærit, potest intelligi, vel de facto, vel de possibili.

Loquendo de facto est de hac re cõmunis opinio Theologorum, scilicet, quòd corpus Christi in Eucharistia, & in cœlo existens habet easdem partes, & proprietates absolutas, potest autem hæc opinio explicari per sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Quæcumque conueniunt Christo Domino in primo modo dicendi per se sub modo naturali, sed in cœlo existenti, conueniunt eidem existentia in Eucharistia, probatur, quia vbi est definitum, ibi est definitio, sed in Eucharistia est verè, & realiter Christus Dominus sicut in cœlo, ergo ea quæ Christo Domino conueniunt in cœlo in primo modo dicendi per se, eadem sibi conueniunt existente in Eucharistia. *1. Concl.*

Secunda conclusio. Quæcumque conueniunt Christo Domino in secundo modo dicendi per se sub modo naturali, vel in cœlo existenti, conueniunt eidem existenti in Eucharistia, patet, quia passiones necessario insunt subiecto, & per definitiones demonstrantur. *2. Concl.*

Tertia conclusio. Omnia accidentia absoluta inseparabilia, quæ habet Christus Dominus in cœlo habet etiam existens in Eucharistia, verbi gratia, Christus in cœlo habet dotes inseparabiles per naturam, & easdem habet in Eucharistia. *3. Concl.*

Quarta

Digitized by Google

4. Conclusio Quarta conclus. Omnia accidentia separabilia absoluta, quæ habet Christus Dominus in cœlo, habet etiam existens in Eucharistia; atque adeo si videt, & audit in cœlo, videt, & audit in Eucharistia.

5. Conclusio Quinta concl. Omnes relationes intrinsecus aduenientes, quas habet Christus Dominus in cœlo, habet etiam existens in Eucharistia, atque adeo sicut in cœlo est filius similis, & æqualis, ita est filius similis, & æqualis in Eucharistia.

6. Conclusio Sexta concl. Nõ omnes relationes extrinsecus aduenientes, quas Christus Dominus habet in cœlo, habet etiam in Eucharistia, patet de vbi, & de respectibus ipsũ consequẽnbus, nam corpus Christi in cœlo est immediate coniunctum cœlo, at non est immediate coniunctum cœlo, vt existens in Eucharistia, item in Eucharistia habet respectum præsentiæ ad altare, quem non habet, vt existens in celo, & confirmatur, quia hoc ipso, quod corpus in diuersis locis constituitur habet aliquam varietatem in ipsis proprietatibus, nam in primis necesse est, quod modus ille præsentiæ, qui est in vno loco non sit in alio, neque è conuerso, quia vnaquæque præsentia ita respicit spatium illud, quod replet, vel cui adest, vt extra illud esse non possit, sed statim corrumpatur, vel mutetur; vt satis patet in motu locali, per quem amittitur, vel acquiritur vbi, & modus præsentiæ, ex quo sequitur, quod ea, quæ intrinsece fundantur in his modis præsentiæ variari possunt in diuersis locis, vt sunt quiescere, moueri, stare, sedere, &c. hæc conclusio quomodo debeat intelligi explicabitur in fine huius art.

Quinq; priores conclusiones probantur hic a Doct. duabus rationibus, & prima est talis. Si corpus Christi (supposito quod habeat vtrumque modum existendi, naturalem videlicet, & sacramentalem) nõ haberet easdem partes corporis, & proprietates absolutas, atque etiam easdem relationes intrinsecus aduenientes, quas habet existẽs sub vno modo, etiam sub alio, sequeretur, quod de illo darẽtur duæ contradictoriæ simul veræ, consequens est impossibile, ergo & antecedens, probatur sequela, quia in cęlo erit corpus quantum, candidum, & rubicundum, & non in Eucharistia careret istis proprietatibus, ergo idem corpus erit quãtum, & non quantum, candidum, & non candidum, & sic de alijs, quæ contradictoria sunt, probatur consequentia, nam ista affirmatio, & negatio. s. album, & non album non possunt dici inesse secundum diuersa, puta secundum hoc vbi, & illud vel præsentiam hanc, & illam; quia sicut affirmatio illa. s. esse album, non est nata inesse secundum vbi, quia est prior ipso vbi ita neque negatio; Posset autem hæc ratio sic deduci, de eodem secundum idem non sunt simpliciter vera contradictoria, & non oportet addere ad idẽ quando illud prædicatum est absolutum; sed sic est, quod si corpus Christi in vno loco habeat absoluta, quæ non habeat in alio loco. v. g. si absoluta, quæ habet in cœlo non habet in Eucharistia duo contradictoria verificabũtur de eodem secundum idem; sed hoc non est dicendum, ergo quęcumque absoluta habet in cœlo, habet etiam in Eucharistia. Duæ primæ conditiones patent. s. quod de eodem, & secundum idem non possunt verificari contradictoria, sed quod non sit necesse addere tertiam conditionem. s. ad idem probatur; quia nihil aliud est hic, & ibi, nisi vbi, & vbi, hoc est dictu si huiusmodi affirmatiu, & negatio nõ essent contradictoria in proposito, quia non verificarentur de eodem, & ad idem, hoc non esset nisi respectu diuersorum vbi, sed hoc non impedit, quia nec affirmatio absoluta, nec negatio sibi correspondens inest secundũ vbi, ergo nõ variatur propter variationem vbi, atque adeo quæcumque conueniunt corpori, vt sic secundum vnum vbi, conueniunt eidem in quocumque vbi, nam ea solum ad variationem vbi variantur, quæ sunt posteriora, vel simul cum ipso vbi, vt diximus supra q. 2. posito enim, quod corpus possit localiter moueri hic, & non ibi, hoc prouenit pro tanto quia ista. s. moueri, & & non moueri sunt posteriora vbi, & insunt corpori secundum aliud, & aliud vbi, atque adeo si argueretur non mouetur hic, ergo non mouetur, esset fallacia consequentis, licet teneat gratia materiæ, hoc est in prædicatis absolutis, & in his, quę sunt priora vbi, nam in his bene sequitur corpus est album hic, ergo est album, est filius hic, ergo est filius, &c. Similiter si idem subiectum haberet duas superficies, secundum vnam posset esse album, & secundum aliam nigrum, & non esset contrarietas, nec contradictio, quia non inessent secundum idem; sed de absolutum affirmatione, & eius negatione, si insunt eidem in quo non sit differentia, nisi tantum respectuum extrinsecus aduenientium, manifestum est, quod secundum idem inerunt, quia illi respectus non poterant esse ratio secundum quam affirmatio, vel negatio inesset, quia respectus est posterior naturaliter absoluto.

Secunda ratio est talis. Nullum absolutum potest variari per aduentum solius respectus extrinsecus aduenientis, sed corpus Christi esse sub speciebus est quidam respectus extrinsecus aduenicns, ergo propter istum respectum, qui est esse in sacramento non variantur partes, & proprietates absolutæ, quas Christi corpus habet in cœlo, atq; adeo easdem partes, & proprietates, quas corpus Christi habet in cœlo, habet etiam in Eucharistia, consequentia est nota cũ minori, & probatur maior, quoniam si propter aliquam rationem variari posset absolutum ex aduentu respectus extrinsecus aduenientis; maxime esset quia inter absolutum, & talem respectum esset aliqua repugnantia, sed nulla est talis repugnantia, ergo absolutum non variatur propter respectum extrinsecus aduenientem, maior patet, & minor probatur, quia si esset aliqua repugnantia, aut esset formalis, aut virtualis, non formalis, quia illa dicuntur repugnare formaliter, quæ per suas proprias actiones possunt se expellere ab eodem subiecto, vt caliditas, & frigiditas, quod nõ cõtingit inter absolutum, & respectiuum, quoniam in vno absoluto fundantur multi respectus; Nec etiam virtualis, quoniam illa virtualiter repugnãt, quæ se habẽt sicut causa naturalis, & oppositum sui proprij effectus, sicut ignis, & frigiditas, sed absolutum, & respectus non se habent isto modo, quia oppositum istius respectus non oritur ex principijs absoluti; Tunc enim ille respectus non esset contingenter inhærens, nec extrinsecus aduenicns.

Quæ formaliter et quæ virtualiter repugnant.

Tertia ratio. Omne absolutũ naturaliter prius inest cui inest, quam respectus fundatus in illo, & maxime extrinsecus, & contingenter adueniens, ergo in illo priori antequam intelligatur corpus habere istum respectum nouum in Eucharistia habet quãtitatem, & qualitatem, & oĩa absoluta quæ sunt in eo, alioquin sequeretur cõtradictoria simpliciter esse vera de eodem; nã ista affirmatio, & negatio. s. quantum, & nõ quantum, non posset dici inesse sm diuersa, puta secundum hoc vbi, & illud, vel præsentiam hanc, & illam, quia sicut affirmatio ista non est nata inesse secundũ vbi, ita neque negatio ei opposita, vt deductum est supra. Constat ergo ex dictis, quod de facto conueniunt Christi corpori sacramentaliter existenti omnia, quæ illi cõueniũt existenti in cœlo sub modo naturali; omnia enim quæ habet in cœlo habet in Eucharistia, alia quidem ex vi consecrationis, alia vero propter naturalem connexionem, & cõcomitantiam, vt ex superioribus constat. *Dicimus* autem corpus Christi habere omnia in *Eucharistia*, quæ habet in cœlo, intelligendo de absolutis, & intrinsecis relationibus, quæ eidem corpori conueniunt, licet sit in locis diuersis, vt probatum est supra q. 2. huius d. an autem habeat etiam eosdem respectus extrinsece aduenientes explicabimus in solutione argumentorum, quæ formari possunt contra determinata, & primum est tale.

Nihil potest esse vbi prius non fuit, nisi aliquid conuertatur in ipsum, sed in Eucharistia nihil conuertitur in proprietates corporis Christi, ergo proprietates corporis Christi non sunt in Eucharistia, probatur maior. Quicquid incipit esse vbi prius non fuit, incipit esse per aliquam mutationem, sed nulla mutatio est in illo, quod incipit esse. s. in corpore Christi, quia manet vbi prius fuit, puta in cœlo, ergo est in aliquo, cui, vel in cuius ubi incipit esse præsens, sed hoc non est nisi per conuersionem, ergo, &c. Minor patet, quia sola substantia hic conuertitur in substantiam, ergo non in passiones, atque adeo quantitatem, & alia absoluta non habet Christi corpus in Eucharistia; Ad hoc argumentum Thomistæ, quorum est propositio maior, sic respõdẽt, quod maior illa est uera de illo, quod est in sacramẽto primo, & per se ex vi verborum, non autem de his, quæ incipiunt esse ibi concomitanter, & non primo, quemadmodũ sunt proprietates, & passiones, quæ non sunt ibi ex vi conuersionis, sed solum concomitanter, eo quia corpus Christi est ibi. Cõtra quam solutionem Doct. arguit duabus rationibus; primo si tu dicis, quod proprietates, ex partes corporis Christi non sunt in sacramento ex vi conuersionis, saltẽ

ego

Digitized by Google

ergo habeo, quod aliquid est in sacramento, & non per conuersionem alicuius in ipsum, & per consequens habeo, quod conuersio nõ est ratio formalis, nec præcisa essendi in sacramento. Præterea secundo sicut anima, & corpus Christi sunt diuersa, & realiter distincta, ita habent in sacramento diuersas præsentias; nam non potest idem respectus præsentiæ fundari in duobus fundamentis realiter distinctis, sed sic est, quod anima Christi est præsens in sacramẽto, & non per aliquam conuersionem alicuius in ipsam, ergo falsa est maior propositio. s. quod nihil potest esse præsens vbi prius non fuit nisi per conuersionem alicuius in ipsum.

Ideo Doct. aliter respondet ad argumẽtum negando maiorem propositionem, nam partes, & proprietates corporis Christi sunt in sacramento, & non ex vi conuersionis alicuius in ipsa, sed tota ratio quare sunt hic est virtus ipsa diuina, quæ sicut facit corpus Christi esse præsens in Eucharistia, ita proprietates, & partes eius, & hoc facit per mutationem tantum acquisitiuam, sicut diximus supra.

Secundo arguitur. Sanguis non est sacramentaliter in Eucharistia nisi post consecrationem vini, ergo non est sub hostia, at sub hostia est corpus Christi, ergo corpus Christi in hostia non habet omnes partes, &c. Prima consequentia probatur, primo, quia si sanguis Christi esset sub hostia, frustra poneretur contineri sub specie vini; Secundo, quia sicut nihil incipit esse simpliciter postquam iam est simpliciter, ita nihil incipit esse sacramentaliter postquam iam est sacramentaliter, sed sanguis, sacramentaliter incipit esse sub specie vini; ergo sanguis non est sacramentaliter sub specie panis, alias inciperet esse sacramentaliter postquam esset sacramentaliter, quia consecratio sanguinis sequitur cõsecrationem corporis, & sub specie panis, est corpus Christi, ergo corpus Christi sub speciebus panis non habet sanguinem, quem habet in cœlo.

Duplex opinio de sanguine Christi.

Respondet Doct. & primo supponit, quod de sanguine sunt duo modi dicendi, aliqui enim dicunt, quod sanguis non est pars corporis animati, & ratio est quia sanguis non est animatus, licet necessario requiratur ad animationem, & hunc modum dicendi secutus est Doct. in primo art. huius q. & iuxta hunc dicendi modum diceretur, quod sanguis non est sub hostia primo, & per se, sed bene concomitanter, & quod est in corpore, quo supposito ad argumentum respondendo negatur antecedens, & ad primam probationem dico, quod non ponitur frustra, quia ponitur ad saluandam veritatem rei contentæ. i. corporis Christi, quod vbicumque ponitur semper habet eadem absoluta; sed bene concedo, quod nõ est ibi ex vi sacramenti, sed semel est ex vi sacramenti sub speciebus vini, & semel est concomitanter sub speciebus panis, & ad secunda probationem nego, quod incipiat esse sanguis sub sacramento post consecrationem vini eo modo quo præfuit concomitanter sub speciebus panis, quia incipit esse ex vi sacramenti post consecrationem vini. Alius modus dicendi est aliquorum qui dicũt, quod sanguis est per se pars corporis animati, & quod informatur anima intellectiua, & secundum illum modũ dicitur, quod sanguis est sub hostia non per se primo, sed tamquam signatum inadæquatum eo, quia est pars signati adæquati. s. corporis, & per consequens concedunt, quod bis est hic sanguis ex vi sacramenti, semel sub speciebus panis, & semel sub speciebus vini, sed non eodem modo, quia sub specie vini est per se, & primo, quia est primum signatum eius, sub speciebus vero panis est per se, sed nõ primo, quia est aliquid primi significati. s. corporis, & iuxta hunc modum dicendi ad argumentum dicitur per antecedẽs est falsum, & cum probatur dico, quod nõ est ibi frustra, quia per se est sub specie panis, vt saluetur veritas rei contentæ primo, i. corporis Christi, & cum probatur secundo dico, quod non incipit esse postquam est eodem modo essendi, sed incipit esse primo postquam non fuit licet per se habuerit ibi esse.

Tertio arguitur. Quantitas corporis Christi non potest esse simul cum quantitate hostiæ, ergo corpus Christi non habet in Eucharistia omnia accidentia absoluta, quæ habet in cœlo, antecedens probatur, & primo sic, quia inter duas quantitates est repugnantia formalis respectu eiusdem loci, sicut contrariorum respectu eiusdem subiecti; quia nullo modo possunt esse simul, quia secundum Phy. 4. Meta. t. c. 9. & 27. ad contraria simul esse vera sequitur cõtradictoria simul esse vera, ergo quantitas corporis Christi, quæ est propriætas eius non potest esse in eo, vt est sub hostia; Secũdo probatur antecedens. Si quantitas corporis Christi esset in hostia, sequeretur, quod illa quantitas repleret locum, & per consequens non posset corpus Christi esse sub tam parua forma hostiæ, quod est falsum; consequentia probatur, quia posito fundamento, & termino necessario consurgit respectus, sed quantitas est ibi fundamẽtum proprium circumscriptionis passiuæ, & terminus eius est continens, ergo necessario ponitur respectus. s. repletio loci, seu occupatio, sed in hostia non est quantitas corporis Christi circumscriptiue, ergo nullo modo est ibi.

Respondetur negatur antecedens, & ad probationem dico, quod non est formalis repugnantia inter duas quantitates, vt ostendetur, d. 49. q. 16. huius 4. Et cum probatur secundo dico, quod quantitas corporis Christi non est in hostia circumscriptiue, & ad probationem dico, quod bene respectus intrinsecus aduenientes ponuntur necessario positis extremis, sed non est verum de respectibus extrinsece aduenientibus cuiusmodi est vbi circumscriptiuum.

Quarto arguitur. Non est ponenda pluralitas sine necessitate ita in creditis, sicut neque in naturalibus, sed tota veritas Eucharistiæ potest saluari non ponẽdo hic nisi solam substantiam corporis Christi, ergo non est dicẽdum, quod sint ibi proprietates, & partes eius, atque adeo potest esse hic corpus Christi sine anima, & sanguine, minor probatur, quia corpus potest esse sine anima, cum sit materia susceptiua eius, & ita in potentia cõtradictionis ad animam; & etiam sine anima habet rationem cibi spiritualis, & satis est ad veritatem sacramenti, quod contentum sub sacramẽto habet rationem cibi spiritualis, ergo, &c. Et confirmatur, substantia potest esse sine suis proprietatibus, quia prius naturaliter potest esse sine posteriori, sed prius naturaliter est substantia corporis Christi, quam sint proprietates, igitur sine contradictione posset hic in sacramento fieri sola substantia nuda corporis Christi sine proprietatibus, quoniam vt sic esset res sufficiens sacramenti, quia sicut effectus viuæ nutritionis spiritualis, ergo, &c. Respondet Doct. quod licet absolute posset corpus Christi poni esse sine alijs, puta sine anima, & sine alijs, tamen posita existentia corporis Christi alibi cum istis proprietatibus, & partibus, non potest hic esse sine illis, propter contradictionem de affirmatione, & negatione absoluti sub duobus respectibus, vt probatum est supra.

Et ex ista solutione inquit Doct. apparet, quod est in Eucharistia primo, vt signatum, & contentum, & quod est ibi non primo, sed concomitanter; quoniam omne illud est in Eucharistia non primo sine quo primum significatum nõ haberet esse modo naturali, atque adeo sub Eucharistia, vt primum signatum, & contentum non est nisi corpus Christi, & similiter sub speciebus vini primum signatum, & cõtentum non est nisi sanguis Christi, cætera autem hic, & ibi sunt concomitanter.

Quinto arguitur. In cœlo corpus Christi habet dotem agilitatis, quam non habet in sacramento, ergo, &c. antecedens quoad secundam partem probatur, quia dos agilitatis est quæ, quis potest se mouere velociter, sed corpus Christi in hoc sacramento non potest se mouere, vt infra patebit q. 5. ergo. &c. Dico, quod dos est quædam vis se mouendi sic, quæ si impeditur non minus dicitur vis; hic autem impedimentum; quia non est in sacramento circumscriptiue, quod requiritur ad motum localem; ad argumẽtum ergo nego secundam partem antecedentis, & ad probationem dico, quod licet corpus Christi in sacramento non possit mouere se, tamen non caret dote agilitatis, quo ad actum primum.

Sexto arguitur. Corpus Christi in cœlo habet aliquã præsentiam, quam non habet in Eucharistia, ergo non habet easdem proprietates, antecedens patet, quia in cœlo habet præsentiam localem, quam non habet in Eucharistia.

Ad hæc argumentum respondetur communiter concedendo consequens, & consequentiam quoad proprietates relatiuas, quemadmodum est præsentia, per proprietates autem dicunt se intelligere accidentia absoluta, vel si respectiua non tamen extrinsecus aduentitia.

Contra. Vnio ad verbum est respectus extrinsecus adueniens, & tamen eamdem habet Christus in cœlo, & in altari; præterea substantia corporis Christi in altari mensuratur æuo, quia est incorruptibilis, sicut mensuratur in cœlo, ergo

habet

Digitized by Google

habet idem quando; & tamen quando est respectus extrinsecus aduenies. Respōdet Franciscus de Mayr. quòd Christus non caret omni respectu extrinsecus adueniente existens in altari, quia non respectibus, qui præcedunt ipsum vbi. Vnio autem hypostatica, & quando præcedunt vbi, atque idem quando potest sibi inesse hic, & ibi, & eadem vnio ad Verbum, non tamen eadem præsentia localis. *Franciscus Mayronius.*

Contra. Si vbi circumscriptiuum ad cœlum circumscribens, quod corpus Christi habet in cęlo non habet in sacramento, sequitur contradictio de eodem, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia si in cœlo existens circumscribitur à cælo, & in sacramento existens non circumscribitur à cœlo, sequitur affirmatio, & negatio eiusdem respectus ab eodem subiecto secundum idē fundamentum, & respectu eiusdem extremi. Atque adeo dico, quod idem vbi circumscriptiuum, quod habet in cęlo ad ipsum cęlum circumscribens, & eumdē situm partium corporis ad partes cęli; habet etiam vt est in sacramento, nō quod illud vbi sit habitudo ad sacramentum, vel ad speciē sacramentalem, sed ad cęlum; sicut etiam in sacramēto habet æqualitatem ad aliquod corpus sibi æquale, & non ad speciem sacramentalem, quæ est minor, sed habet inæqualitatem ad ipsam, ita vtrobique omnia sibi insunt. Verum est tamen, quod aliqua accidentia respectiua: quæ insunt sibi in sacramento, non insunt sibi, vt in sacramento, quia ratio essendi in sacramento non est ratio quare sibi conueniant talia accidentia, nec tales respectus sunt habitudines ad sacramentum: Vnde licet vbi circumscriptiuum respectu cęli conueniat Christo in sacramento, non tamen vt in sacramento, quia esto, quod Christus non esset in sacramento nihil minus sibi conueniret tale vbi, & esto, quod Christus esset solum in sacramento non conueniret sibi vbi circumscriptiuum, quod modo habet in celo, tale etiam vbi circūscriptiuum non est habitudo Christi ad sacramentum, licet conueniat sibi in sacramento, sed est habitudo ad cęlum circumscribens, neque oppositum vnquam docuit Doct. subt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum supposito, quod corpus Christi existat naturaliter, & sacramentaliter fieri posset per Dei potentiam absolutam, vt partes, & proprietates, quas habet sub vno modo non habeat sub alio.

nel. filius. s. ez. s.

DE hac re fuit opinio Gab. in 4. d. 10 q. 1. art. 2. & in can. lect. 46. Mars. in 4. q. 7. ar. 7. & Soti d. 10. q. 1. art. 2. & 5. dicentium, quod de potentia Dei absoluta fieri potest, vt idem corpus habeat quasdam proprietates in vno loco, & nō in alio, quam opinionem sequitur etiam Suarez tom. 3. q. 75. art. 1. disp. 48. sect. 5. & Sotus dicit hanc opinionem esse etiam Doct. nostri, sed perperam, nusquam enim dixit Scot. quod per diuinam potentiam Christi corpus posset in cęlo habere quantitatem, & non in sacramento, atq; etiam quod in sepulcro posset fuisse absque anima, & sanguine, & in sacramento cum anima, & sanguine; immo Sco. oppositum expresse docet cū dicat esse impossibile corpus Christi sub modo naturali habere aliquas proprietates absolutas, quibus careat sub modo sacramentali, atque adeo apud Scot. impossibile est corpus Christi extra sacramentum esse mortuum, vt erat in sepulcro, & in sacramento viuum, vt asserit Sotus.

Cæterum quoniam occasionem errandi forte accepit Sotus ex illis verbis Scot. dicentis ad vltimum argumentum sub lit. M. §. ex ista. Et etiam posset dici, quod non est necesse, posita existētia corporis Christi hic, & ibi, quod illa quæ insunt corpori sub vna existentia insint sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis; nec tamen sequitur contradictio. s. quod sit quantum, & non quantum, imò est quantū hic, sed non quantitate, quæ sit hic, sed quantitate quæ est in celo; Ideo obseruandum est, quod Doct. non vult dicere ꝙ Christi corpus non habeat quantitatem in Eucharistia, quā habet in cęlo, quoniam hoc implicat contradictionem, nā idem corpus numero esset quantum, & non quantum, nā in cęlo esset quantum, in Eucharistia autem minime, nec posset dici, quod in Eucharistia esset quantum quantitate quæ esset in cęlo, quoniam non potest corpus Christi esse alicubi quantum, nisi ibidem quantitatem habeat, atque adeo non poterit esse quantum in Eucharistia quantitate illa, quæ est in cęlo; nihil enim potest alicubi constitui in aliquo esse, nisi ibidem habeat principium formale, quo in tali esse constituatur; Petrus enim non potest hic esse albus albedine, quæ est Romæ, quantitas autem est principium formale, quo corpus est quantū, ergo non potest corpus Christi in Eucharistia esse quantum, nisi in Eucharistia ipsa habeat quantitatem.

Intentio ergo Doct. est, quod licet corpus Christi sit in sacramento cum sua quantitate, & sit formaliter quantum per ipsam, & vtrumque. s. tam corpus Christi, quam sua quantitas sit substantialiter, & realiter præsens, tamen posset Deus facere, quod corpus Christi esset quantum sub sacramento, & sua quantitas non esset præsens, licet substantia corporis esset præsens, itaque esset quantum formaliter quantitate non præsente sacramento, sed cęlo, & possibile est secundum ipsum, quod subiectum informatum ab aliquo accidente sit præsens, & tamen accidens quantumcūque informans non sit præsens, vnde licet quantitas informet corpus in cęlo, & in sacramento, & det sibi esse quantum; non esset tamen præsens sacramento, sed tantum cęlo; Quod autem hoc sit possibile probat optima, & pulcherrima ratione, quæ est talis.

Quęcumque contingenter coniunguntur inter se, & eidem tertio, potest vnum illorum conuenire illi tertio, vel stare cum illo absque hoc, quod aliud sibi conueniat, vel altero non posito; sed præsentia substantia hic, & præsentia quantitatis eius contingenter coniunguntur inter se, & respectu tertij, quod est corpus Christi quātum, ergo potest corpus manere quantum posita vna pręsentia sine alia. i. posita præsentia substantiæ sine præsentia quantitatis; maior videtur plana, quia non est ratio inseparabilitatis eorum inter se cum contingenter coniungantur, nec ex parte tertij, quia contingenter coniunguntur illi tertio; minor habet duas partes: prima est, quod præsentia corporis Christi, & præsentia quantitatis vniuntur inter se contingenter, secunda est, quod ambæ contingēter vniuntur tertio. Prima pars probatur, quia præsentialitas corporis, & præsentialitates quantitatis sunt duæ præsentiæ realiter distinctæ cum habeant fundamenta realiter distincta, & vna non includit aliā essentialiter, neque aliam præsupponit necessario quia vna nō est causa alterius, ergo vna potest esse sine alia, quia si Deus faceret corpus sine quantitate, tunc esset præsentia corporis sine præsentia quantitatis, & in sacramento altaris vbi est quantitas sine substantia panis est præsentialitas quantitatis ad locum in quo est sine præsentialitate substantiæ panis.

Probatur secunda pars; forma absoluta prius natura perficit suum perfectibile, quam huiusmodi perfectibile, vel ipsa forma habeat respectum extrinsecus aduenientem, id est prius natura inhæret substantiæ quam aliquis respectus extrinsecus adueniens eidem substantiæ inhęreat. Vnde obseruandum est, ꝙ quando quantitas inhæret corpori sunt ibi respectus; primus est respectus informationis, quæ informatio est ratio vnionis, quia quantitas inhæret corpore, secundus & tertius respectus sunt præsentialitas corporis, & præsentialitas quantitatis. Istorum autem respectuū primus. s. informationis præcedit alios duos, atque adeo quantitas prius inhæret corpori Christi, quam ipsa quantitas sit præsens illi, cui est præsens corpus, igitur habeo, ꝙ illa quantitas potest informare corpus Christi, & non habere præsentialitatem ad illud, cui est præsens corpus, puta ad species sacramenti, atque adeo illa præsentia contingenter coniungitur corpori Christi quanto. Et confirmatur, scilicet, quod istæ duæ præsentiæ se habeant contingenter, & separabiliter respectu tertij, quia corpus Christi potest esse quantum sine qualibet istarum, si enim corpus Christi esset extra cęlum adhuc esset quantum, & neutrum esset hic præsens, quia nec substantia, nec quantitas.

Et dicit Doct. quod istud esset euidentius si argueretur de corpore, & anima, nam coniunctio animæ ad corpus requiritur ad existentiam substātiæ compositæ, ista autē substantia composita prius est naturaliter quocumque respectu extrinsecus adueniente, ergo substantia composita, vel quanta, seu corpus animatum non habet in illo priori hāc præsentiam, vel illam, & hoc ad aliquod extrinsecum ab istis, nisi contingenter sibi aduenientem, & sic posterius naturaliter.

Ex hoc

Digitized by Google

Ex hoc breuiter potest sic argui. Quod potest esse sine aliquibus coniunctis, quorum coniunctio est contingens potest esse sine altero illorum præcise, sed corpus animatū, vel substantia quanta potest esse sine duabus illis præsentijs. s. præsentia huius partis. i. corporis, & præsentia alterius partis. s. quantitatis ad species Eucharistiæ, & illæ duæ præsentiæ contingentes coniunguntur, quia neutra est per se causa alterius, ergo & substantia quāta, vel corpus animatum potest esse cum vna præsentia sine alia, & tunc nihil aliud esset, nisi quod quantitas informaret suum perfectibile, sed non haberet duplicem præsentiam. s. ad cęlum, & ad species Eucharistię, sicut habet suum perfectibile, sed tantum haberet præsentiam ad cęlum, atque adeo suum perfectibile esset quantum vtrobique, sed non quātitate præsente vtrobiq; sequitur ergo concl. quod corpus Christi quantum existens potest poni præsens sub Eucharistia, & tamē sua quantitas non erit præsens Eucharistiæ: sed cœlo tantum. Non enim quantitas per hac dat esse quantum, quia est præsens loco, sed per hoc quod informat, vel inhæret subiecto, sicut anima non dat corpori esse viuum per hoc quod est præsens, sed per hoc quod informat, vnde posset Deus facere animam præsentem corpori, vel loco, sicut ēt Angelum, dato quod non informaret, sic etiam posset facere quantitatem præsentem corpori, vel loco eius, dato quod non informaret, & pari ratione ē conuerso, quod informaret, & non esset præsens.

Et confirmatur ista ratio, quia Deus potest facere vnum respectum extrinsecum inter aliqua duo, esto, quod non faciat aliquem alium, qui non est sibi mutuus, & est essentialiter distinctus, nec alium præsupponēs, nec ē conuerso, sed sic est de respectu inhærentiæ subiecto, & respectu præsentiæ quantitatis ad locum corporis, ergo potest primum facere sine secundo, minor patet; quia sicut dictum est supra respectus inhærentiæ non est respectus præsentiæ, quia potest esse vnus sine alio, vt dictum est, nec sunt respectus mutui, quia respectuum mutuorum vnus non potest esse sine alio, nec vnus necessario præsupponit alium, nam indifferenter vnus potest esse sine alio, & ē conuerso. Et confirmatur secundo. Non est minus possibile esse corpus quantū, & quantitatem eius esse sine præsentia quantitatiua ad locum, quam sine præsentia aliqua ad aliquem locū, sed possibile est esse corpus quantū sine præsentia locali, seu quantitatiua ad locum, sicut patet de corpore Christi existēte in Eucharistia, ergo non est minus possibile, quod quantitas corporis Christi nullam habeat præsentiam ad locum, atq; adeo licet quātitas corporis Christi sibi inhæreat in Eucharistia, & insit formaliter existenti in sacramento, & etiam de facto sit speciebus præsens secundum aliquem respectū extrinsecum præsentiæ, tamen virtute diuina possibile est, quod quantitas corporis Christi inhæreat sibi in sacramento, & tamen non sit præsens sacramento secundum aliquem respectum præsentiæ extrinsecum, fundatum in quantitate ipsa ad sacramentum, vel ad speciem sacramentalem, licet esset præsens in cœlo, & in sacramento.

Sed cōtra. Vbicumque aliquod est quantum habet ibi illud, quod est formale principium essendi quantum, sed habet ibi illud nisi illud sit sibi præsens, ergo, &c. & confirmatur, quia vel quantitas est præsens vel absens, si est absens nō potest informare, ergo oportet, quod sit præsens.

Præterea. Quale est aliquid hic, tale esset circumscripto per impossibile omni alio esse, sed si circūscriberetur quantitas sub modo naturali, corpus istud non esset quantum, ergo ipsum vt hic non est quantum.

Pręterea res Eucharistię, id est, corpus Christi posset sub sacramento veraciter contineri absque hoc quod haberet alicubi esse modo naturali, vt patet ex secundo art. huius q. sed si quantitas corporis Christi nullibi esset modo naturali, res contenta sub sacramento esset sola substantia, ergo ipsa non esset quanta, & qualis tunc esset secundum formā absolutam, talis est nunc ergo, &c. Vult dicere Doct. tu dicis, quod possibile est, quod corpus Christi sit quantum in sacramento, & quod quantitas non sit ibi præsens; sed ponamus, quod sicut non est præsens hic, sit etiam nullibi præsens, igitur hoc facto erit hic in sacramento substantia corporis Christi sine quantitate, & per consequens erit hic quantum (quia qualis esset tunc secundum formam absolutam talis est nunc) & nullibi erit sua quantitas, quod est inconueniens.

Respondetur, & ad primum dico distinguendo maiorē, quia aut intelligitur, quod habeat ibi quantitatem informantem, & sic concedo, aut præsentem, & sic nego; cum ergo dicitur. Vbicumque aliquod est quantum habet ibi illud, quod est principium essendi quantum, cōcedo formaliter, & per inhærentiam, & cum dicitur in minori, sed nō habet illud, nisi illud sit ibi præsens, si intelligas, quod non habeat illud formaliter, & per inhærentiā, nisi illud habeat præsentiam ad locum, hoc falsum est, & probatione indiget, vt patet ex dictis. Ad confirmationem dico, quod si absentia dicat negationem præsentiæ ad locum, quæ non est nisi respectus extrinsecus adueniens præsentis ad illud cui est præsens, quod potest informare, esto quod non habeat præsentiam, quia esse potest sine tali respecto, & respectus informantis est prior respectu pręsentiæ ad locum, vt diximus supra, si vero absentia dicat respectum distantiæ concedo, quod si esset distans à subiecto distantia entitatiua, & locali quod non posset informare subiectum.

Ad secundum dico, quod quantitas semper inest corpori qualemcumque habeat essendi modum, & si corpus esset nullibi, vt si esset extra cœlum, adhuc quantitatem haberet, ita in proposito licet non habere quantitatem, vt hic præsentem, haberet tamen informantem, atque ita esset quantum.

Ad tertium dico, quod corpus Christi esset quantum licet non modo naturali, id est, quantitatem circumscribente corpus in loco, nec quantitate præsente. i. quantitate, quæ haberet respectum præsentiæ ad locum, sed quantitate sibi inhærente.

QVAESTIO V.

Vtrum qualibet actio immanens, quæ est in Christo naturaliter existente, eadem insit illi vt in Eucharistia sacramentaliter existenti.



Ctio immanens est quæ in ipso producente; actio autem transiens est quæ accipitur in passo alio à producente obseruandum est tamen, quod actio sumitur dupliciter, vno modo pro actione respectus, alio modo pro actione acta, & producta; actio respectus vel est ad terminum transeuntem extra agens, vel est ad terminum manentem in agente, si primo modo dicitur transiens, si secundo modo appellatur immanens. Secundo obser. est, quod actio quæ est respectus non appellatur transiens ratione sui, eo quod ipsa transeat, vel recipiatur extra agens, sed ratione termini producti per ipsam, dicitur tamen immanens & ratione sui, & ratione termini, eo quia & ipsa, & terminus per ipsam productus manent in ipso met agente; Actio vero producta, quæ est primus actionis terminus, si in ipso agente manet immanens appellatur, si vero recipiatur extra agens, transiens nuncupatur. In pręsentiarū autem non est sermo de actione respectiua, sed de actione producta.

Tertio obs. est, quod actiones immanentes in proposito sunt omnes operationes sensuum, vel potentiarum sensitiuarum, seu cognitiuarum interiorum, & exteriorum, & similiter intellectus, & voluntatis, vt sunt videre, audire, phantasiari, intelligere, & velle, ex quo sequitur, quod sensus quæstionis est ille. Vtrum Christus ita videat, audiat, intelligat, & videat in sacramento, sicut videt, audit, intelligit, & vult in cœlo, vel vtrum omnia quæ Christus videt, audit, intelligit, & vult in cœlo, videat, audiat, intelligat, & velit in sacramento.

Quarto obs. est, quod Christo existenti in Eucharistia potest aliquid dupliciter inesse, vel conuenire, vno modo primo, & per se, hoc est, principaliter, alio modo concomitanter. Illud dicitur conuenire primo, & per se, seu principaliter, quod etiam si alibi non esset illi conueniret, vt intellectus, voluntas, & alij sensus, quia hæc omnia, & similia conueniunt Christo in Eucharistia, licet Christus non esset in alia parte mundi. Illud autem dicitur concomitanter ei conuenire, quod ita conuenit Christo in Eucharistia, quod si alibi non esset non conueniret illi, vt infrigidari, calefieri, &c. quæ Christo in Eucharistia non conuenirent, si illi extra Eucharistiam non competerent. His suppositis pro faciliori explicatione huius quæstionis diuido illam in duos articulos.

Primus

Primus art. Vtrum actiones immanentes potentiarum sensitiuarum quæ sunt in Christo naturaliter existente insint illi sacramentaliter in Eucharistia existenti.

Secundus art. Vtrum actiones immanentes intellectus, & voluntatis, quæ sunt in Christo naturaliter existente insint illi sacramentaliter in Eucharistia existenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum actiones immanentes potentiarum sensitiuarum, quæ sunt in Christo naturaliter existente insint illi sacramentaliter in Eucharistia existenti.

Conclusio. HAec difficultas duabus conclusionibus explicatur. Prima conclusio. Omnis actio immanens, quæ primo competit Christo in cœlo conuenit illi concomitanter in Eucharistia. Hæc concl. loquendo de potentia ordinaria est communis sententia omnium Theologorum; & probatur primo sic, si Christus videret in cœlo, & non videret in sacramento sequeretur, quod idem Christus esset videns, & non videns; consequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis patet: quia contradictoria non possunt de eodem secundum idem verificari; consequentia probatur, quia vt dictum est in q. præcedenti art. 5. illa prædicata absoluta videns, & non videns non variantur ad variationem vbi, seu loci, igitur si in vno loco videt, & in alio videt, altas affirmarentur ad eodem contradictoria.

Secundo arguitur supponendo primo, quod in potentia sensitiua, sicut in intellectiua inueniuntur passiones, quæ sequuntur potentiarum operationes; Secundo supponitur, quod beatitudo consistit in operationibus potentiarum nō in passionibus consequentibus; beatitudo enim alicuius potentiæ est optima eius operatio; nam perfectio vltima agētis consistit in actu primo quo coniungitur optimo; ex quo sequitur, quod quælibet potentia est suo modo beatificabilis, vt visus potest dici beatus, quando videt perfectissimū obiectum visibile, atque ita de alijs sensibus, licet huiusmodi sensuum beatitudo sit beatitudo secūdum quid; quia vna est tantum beatitudo summa, & optima, quæ consistit in operationibus intellectus, & voluntatis; passiones autem consequentes operationes potentiarum sunt gaudium, tristitia, delectatio, dolor, &c. His suppositis sic deducitur ratio. Si oculus Christi in sacramento careret visione, quam habet in cœlo, sequeretur quod in sacramento careret sua propria perfectione, quæ est eius beatitudo, cōsequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis probatur, quia si careret eius operatione perfecta, careret etiam delectatione illam consequente, atque adeo oculus Christi esset in sacramento cum dolore, & tristitia, quia quod tollit delectationem est dolorosum, & triste, & esse in sacramento esset simpliciter contra eius appetitum naturalem, consequentia probatur, quia operatio est perfectio potentiæ operatiuæ, & in ipsa consistit eius beatitudo, vt patet ex secundo supposito, ergo si oculus Christi in sacramento careret ea visione, quam habet in cœlo careret sua propria perfectione, & beatitudine.

Tertio probatur concl. Nullū absolutū, quod conuenit alicui corpori desinit cōuenire propter respectum extrinsecus aduenientem, sed oīs actio sensitiua immanens est absoluta, ergo actio immanens non desinit conuenire propter respectum extrinsecus aduenientem, qualis est noua præsentia in Eucharistia, vnde actio immanens, quæ conuenit Christo in cœlo non desinet conuenire in Eucharistia, & declaratur hæc ratio, absolutum prius natura conuenit corpori quā respectus extrinsecus aduenientēs, ergo in illo priori naturæ corpus habet illum absolutum, & non habet respectum extrinsecum, & per cōsequens respectus extrinsecus aduenientēs nedum aduenit posterius corpori, sed etiam absoluto; atque adeo cum visio & auditio sint actiones immanentes, & sint entitates absolutæ, sequitur quod respectus extrinsecus non solum debet aduenire corpori, sed istis etiam actionibus, ergo non solum corpus Christi est præsens in Eucharistia, sed etiam visio, & auditio, quam habet in cœlo.

Huic rationi respondent aliqui, quod maior est vera de formis simpliciter absolutis, visio autem, & auditio nō sunt absoluta, sed relatiua, quia pendent à suis obiectis. Sed cōtra hanc responsionem instat Doct. quia etiam calor pendet à sua causa efficiente, & tamen calor est absolutum quid, ergo quamuis visio pēdeat ab obiecto, nihilominus est forma absoluta, atque adeo & si operationes in suo fieri includant respectum, vbi primo fiunt, non tamen includunt illū respectum, vbi fiunt concomitanter & non primo, & licet etiam quoad fieri includant respectum vbi primo fiunt ad obiectum, tamen in suo esse sunt simpliciter absolutæ. Vnde sicut corpus Christi si in cruce fuit infrigidatum, & in flagellatione calefactum; si in triduo fuisset sacramentaliter in pixide conseruatum; frigus, & calor fierent etiam in corpore Christi, vt in pixide concomitanter & non primo, & ad illud fieri non requirebatur approximatio agentis ad passum ibi. s. in pixide, ita à simili, ista qualitas, s. pē visio, & auditio cum sit in se absoluta, licet in fieri requirat præsentiam obiecti ad potentiam; hoc non est nisi vbi primo inest; cæterum potest concomitāter fieri sine tali respectu.

Sed huic instantiæ iterum respondetur, quia operatio magis includit respectum quam aliæ formæ de quibus arguitur, id est calor, frigus, & huiusmodi, quia illa tantum requirunt respectum agentis ad passum, & hoc vbi insunt primo, sed post suum fieri in esse proprio non requirunt huiusmodi respectum: nam calor secundum in fieri pendet à causa efficiente, sed ipsa ablata manet adhuc calor in ligno, vel in aqua in esse quieto, sed operatio vt visio, & auditio pendet in esse, & fieri ab obiecto, quia operatio est in continuo fieri, atque adeo requirit illam continuam approximationem potentiæ ad obiectum, ita ut sublato obiecto auferatur, & visio.

Sed contra licet operatio sit continue in fieri, tamen non sequitur quin concomitanter possit inesse, & continue in fieri sine obiecti præsentia, vel approximatione; hoc est dictu, licet operatio dependeat continue in fieri obiecto, ex hoc tamen non sequitur quin concomitanter possit inesse sine præsentia obiecti, vel sine approximatione potentiæ ad obiectum, quod probat Doct. à simili; nam esto, quod esse caloris continue dependeret ab agente, tamen posset calor infieri corpori in Eucharistia sine approximatione agentis; vt si corpus Christi calefieret primo in cruce concomitanter calefieret in pixide, & si calefaciens non esset sibi approximatum in pixide; non enim magis requiritur continuus respectus ad fieri cōtinuum ad agens, quam requiratur respectus non fieri transiens ad agens pro tunc præsens; non magis ergo dependet visio ab obiecto quam productio caloris a causa calefaciente, sed eadem productio caloris aut frigoris, quæ conueniebat primo corpori Christi in cruce si semper esset in fieri, conueniebat cōcomitanter in Eucharistia, ergo idem iudicium est de visione; maior probatur, quia si calor, aut frigus occiderent Christum in cruce, ab eisdem fuisset occisus in Eucharistia.

Sed adhuc dubitatur, quia nulla causa producit effectū nisi sit præsens, sed obiectum, quod est in cœlo præsens oculo Christi, non est præsens in Eucharistia, ergo non causat visionem in Eucharistia: præterea ad operationem requiritur respectus ad obiectum, nō tantum vt est causa in fieri, sed cum hoc requiritur obiectum in ratione terminantis; sicut ergo impossibile est operationem esse, & non terminari ad obiectum, ita impossibile est, quod alicubi insit, & non terminatur ad obiectum præsens.

Ad primum dico, quod causa debet esse præsens in eo loco, in quo primo causat effectum, non autem in eo in quo causat concomitanter effectum; velut si idem homo esset in duobus locis, & in uno loco combureretur ab igne, etiā in alio, quia si moritur in vno etiam in alio, & tamē ignis non est præsens nisi tantum in illo loco, vbi primo comburit, sed non in eo, vbi comburit concomitanter. Sed contra hanc responsionem est secunda instantia, quia obiectum nedum requiritur vt causans, sed magis, vt terminans, & maxime loquendo de cognitione intuitiua, de qua modo loquimur, quæ nō potest esse nisi obiecti præsentis, vt præsens est in propria præsentia, & existentia.

Respondet Doct. quod non oportet obiectum in se esse præsens propter terminationem actus, sed tantum propter causationem, ita quod quando est aliqua causa sufficiens ipsius actus nō requiritur præsentia obiecti propter terminationem, sicut patet de vidente creaturam in essentia diuina; si essentia esset causa illius visionis non requiritur illud obiectum ad quod terminatur hæc visio præsens propria præsentialitate. Hæc littera Doct. est sanè intelligen- *Explicatur Scotus.*

da; non

da; non enim vult dicere, quod notitia intuitiua absolute loquendo non requirat obiectum præsens, & maxime in ratione terminantis, cum ipse oppositum doceat vbique, sed loquitur hic de notitia intuitiua, quæ habetur concomitanter; nam licet notitia intuitiua in eo, in quo causatur primo ab obiecto requirat obiectum præsens, tamen notitia intuitiua, quæ non habetur primo, sed concomitanter nō est necesse, quod habeat obiectum præsens. v. g. Ad hoc quod Christus videat intuitiue B. Virginem in cœlo requiritur, quod ipsa sit pręsens, vt obiectum terminans illam visionē, tamen non requiritur ad hoc, quod Christus videat ipsam in Eucharistia, quod habeat ipsam sibi præsentem, & ratio est, quia notitia intuitiua in Eucharistia est concomitanter habita, & non primo sicut in cœlo, quod patet exemplo de visione obiecti secundarij in diuina essentia; quia enim videns diuinam essentiam, concomitanter videt Antichristū, non est necesse quod Antichristus sit præsens, sed satis est, quod obiectum, cuius primo habet notitiam, sit præsens.

Posset etiam dici, quod vtrobique Christus habet notitiam intuitiuam, vt vtrobique Christi oculus est præsens eidem visibili, & eadem præsentia, non enim videtur, quod corpus Christi sit alicui præsens in cœlo, cui non sit præsens in sacramento, & è conuerso, alioquin sequeretur contradictio, quod idem esset simul præsens, & non præsens eidem; Dico tamen, quod licet Christus habeat sub sacramento talem præsentiam, non tamen habet eam primo, vt est sub sacramento, atque adeo non oportet, quod visibile sit præsens ibi vt sic, & alia præsentia quam illa qua est præsens sibi in cœlo, & forte hoc voluit hic intelligere Doct. subtilis.

Quarto probatur concl. & primo supponitur, quod modus intelligendi viatorum est talis, quod numquam intellectus viatoris intelligit nisi per dependentiam a sensibus; oportet enim intelligentem phantasmata speculari, hoc supposito arguitur sic. Si Christus existens in Eucharistia esset viator haberet modum intelligendi viatoris, sed viator non intelligit nisi mediante sensatione ex præsupposito, ergo non haberet notitiam, vel intellectionem intuitiuā alicuius obiecti sine sensatione concomitante eiusdem, atque adeo cum illam eamdem intellectionem habeat hic in sacramento, & ibi in cœlo, sequitur quod etiam sensationē requisitam ad ipsam haberet hic in sacramento sicut ibi in cœlo, & per consequens visionem quam habet primo in cęlo, habet etiam concomitanter in Eucharistia.

Vltimo probatur conclusio. Eadem passiuo appetitus sensitiui, puta idem dolor, quæ in vno loco potest inesse Christo inesset in alio, ergo eadem sensatio, seu operatio; antecedens patet, quia si in vno loco Christus moreretur, vt pote in cruce, etiam in Eucharistia moreretur, sed ibi fuisset sequuta mors ad immoderatum dolorem, ergo & hic in sacramento, & per consequens eumdem dolorem habuisset in cruce, & in Eucharistia; consequentia prima probatur, quia non est idem effectus sine eadem causa, & hoc nō ponendo miraculum, & loquendo de causa naturali præcisa, sed sic est, quod dolor est effectus sensationis, vel obiecti non nisi sensati, ergo non potest esse idem dolor sine sensatione eadem sine miraculo.

Respondent aliqui ad istam rationem dicentes, quod non oportet, quod si Christus habeat eumdem dolorem in vno loco quem habet in alio, quod propter hoc sequatur, quod habeat eamdem sensationem, & ideo negant cōsequentiam, & ratio est, quia talis dolor potuit causari in Christo ex actu potentiæ imaginatiuæ, scilicet ex forti imaginatione.

Sed contra hanc responsionem instat Doct. dupliciter, & primo sic. Hæc responsio destruit seipsam, ergo non est bona; antecedens probatur, quia bene sequitur est imaginatio, ergo est sensatio; impossibile enim est actum imaginationis inesse cui actus secundum sensum non potest inesse; quia secundum Aristot. 2. de anima t. c. 160. imaginatio est motus factus à sensu. Secundo improbatur responsio, quia dolor prouenιens ex imaginatione non est eiusdem speciei cum dolore proueniente ex sensatione sensus exterioris; alioquin somnians doleret dolore eiusdem speciei cum dolore vigilantis. Ex his ergo patet, quod easdem sensationes, seu operationes immanentes habet Christus in Eucharistia concomitanter, quas primo habet in cœlo, vel haberet aliunde, si esset sub modo naturali.

Arist.

Obseruādum est, quod Sot. d. 10. q. 1. ar. 6. ad finem dicit hanc primam conclusionem Doct. esse falsam, & adducit instantiam, quoniam si moueretur in cœlo localiter non posset moueri in Eucharistia, ergo non haberet Christus in Eucharistia omnem operationem, quam habet in cęlo, si etiam loqueretur in cęlo non videtur, quod posset loqui in sacramento, ergo, &c. Sotus.

Respondeo, quod concl. Scot. non intelligitur de actionibus transeuntibus cuiusmodi sunt moueri localiter, &c. Sed de actionibus immanentibus, vel non loquitur de operationibus quæ sunt posteriores loco, sed de actionibus absolutis, quæ sunt loco priores, & quæ non variantur ad loci variationem, quemadmodum variari possunt operationes, quæ sunt loco posterioris, & à loco dependent ut sunt motus localis, & loquela, quare Sotus non bene intellexit Scotum.

Sed contra hanc concl. sunt quatuor argumenta principalia Doct. & primo sic. Obiectum, & potentia debent esse in debita proportione, sed oculus Christi in Eucharistia non est in debita proportione ad visibilia, quæ sunt in cœlo, ergo in Eucharistia non potest inutari ab obiectis, quæ sunt in cœlo, & consequenter Christus in Eucharistia non videt ea, qua videt in cęlo. Respondetur, quod proportio inter obiectum, & potentiam non requiritur nisi in illo loco, vbi primo fit sensatio, atque ita in cęlo non potest Christus videre nisi obiecta, quæ sunt in debita distantia. In Eucharistia autem non fit primo visio, sed concomitanter, atque adeo non est necessaria aliqua proportio inter obiectum, & potentiam, vt in Eucharistia existentem.

Secundo arguitur. Oculus in Eucharistia non habet dispositionem requisitam ad hoc, vt immutari possit ab obiecto, quia non habet hic modū extensiuum sub quo, & non aliter est receptiuum sensationis, ergo in Eucharistia nō videt. Respondetur, quod organum hoc verè est quantū hic, sicut in cęlo, & per cōsequens potest recipere sensationem non obstante, quod sensatio non recipitur absoluté nisi in quanto habente modum quantitatiuum, sed non habet hic modum quantitatiuum, id est, coextensum quanto cui est præsens, nec replet locum, atque adeo, vt hic non potest primo recipere sensationem; iste enim modus quantitatiuus requiritur in organo ad hoc, vt primo recipiat sensationem, quæ cum sit materialis non potest primo recipi nisi in extenso modo quantitatiuo; sed non requiritur ad hoc quod concomitanter sibi insiat, vel insit, quia non est causa necessaria recipiendi sensationem huiusmodi modus quantitatiuus, sed tantum conditio requisita per comparationem ad agens primo transmutans, quod agere non potest nisi per contactum vt diximus supra; ad argumentum ergo negatur consequentia, quia dispositio sensus non requiritur nisi vbi fit primo sensatio, scilicet in cęlo.

Tertio arguitur. Inter oculum, vt hic, & obiectum vt in cœlo est obstaculum prohibens multiplicationem coloris, vel lucis, ergo non potest oculus Christi in Eucharistia videre ea, quæ sunt in cęlo. Respondetur, quod argumentum concludit respectu sensationis quę primo recipitur in oculo; obstaculum enim non est obstaculum nisi ad sensationem primo recipiendam, sed non sunt obstacula ad hoc quod sensatio obiecti existentis in cęlo insit Christo in sacramento concomitanter.

Quarto arguitur. Christus non videt in Eucharistia oculis corporalibus ea quæ sunt sibi præsentia, ergo multo minus potest videre ea, quæ sunt in cęlo, antecedens probatur, quia organum sensus non est hic sub modo requisito ad sensationem. Respondetur negando consequentiam, quoniam illa quæ sunt propinqua Eucharistiæ propterea non possunt videri à Christo, vt ibi existente, quia non posset videre illa nisi per visionem, quæ primo fieret in Eucharistia, sed in Eucharistia non potest primo fieri visio, vt dictum est, nec etiam sensatio eorum quæ sunt præsentia in Eucharistia potest primo infieri oculo, vt in cęlo propter distantiam inter potentiam, & obiectum: Cæterum Christus existens in Eucharistia videt ea quæ sunt, & videt in cęlo, non primo, sed concomitanter, nam ad hoc quod fiat sensatio concomitanter alicuius obiecti in oculo, vt hic, scilicet, in Eucharistia existenti sufficit, quod illud sit proportionaliter præsens oculo, vt alibi, & vt possit sibi, vt ibi primo in fieri, sic autem est de obiectis quæ sentit sensus Christi, vt in cęlo.

Secunda

Digitized by Google

1 Conclusio Secunda concl. huius art. est talis. Nulla sensatio conuenit primo Christo in Eucharistia. Est tamen controuersia in hac concl. cum nominalibus. Nam Ocham in 4. quæst. 5. & Maior. d. 10. quæst. 5. & Gab. in can. lect. 45. aiunt Christum in sacramento oculo corporeo videre adstantes, & audire canentem clerum, fundamentum Ocham est, quod illic habet vere principalia actiua, & passiua; passiuo autem & actiuo debite approximatis, & non impeditis necessario sequitur actio, ergo, &c. Cæterum hæc opinio ferè ab omnibus alijs Theologis reijcitur; Tenenda est ergo conclusio Doct. quam etiam tenent D. Thom. 3. par. quæst. 76. art. 7. & q. 81. art. 4. Aegidius Theorem. 16. Hen. de Gan. quodlib. 1. q. 6. Rich. d. 10. ar. 5. q. 2. Quæ sic probatur. Sine speciebus sensibilibus sensationes fieri nequeunt, vt supponitur ex libris de anima, at Christi sensus in sacramento existens species ab obiectis externis recipere non possunt, ergo actus sensationis recipere nō possunt, minor probatur, quia Christi corpus ab extrinsecis agentibus in sacramento existens pati non potest, ergo ab externis obiectis species recipere non possunt, antecedens probatur. Omne agens agit per contactum secundum Arist. contactus autem fieri nequit nisi per quantitatem, sed corpus Christi prout est in sacramento est ibi quemadmodum Angelus, qui nec agere, nec pati potest, ergo, &c.

Præterea sensus corporis Christi in Eucharistia non est proportionatus obiecto sensibili, quod est causa sensationis, quia non est illi approximatum secundum locum cum nō sit in loco, sed nullum agens naturaliter agit nisi in passum sibi debite approximatum secūdum locum, corpus autem Christi non est in sacramento localiter, sed solum species est ibi isto modo, nec corpus Christi est magis præsens in Eucharistia sicut corpori agenti in ratione passi, quam si Angelus esset ibi, ergo nulla sensatio potest illi inesse primo, vt existit in Eucharistia.

Et concl. intelligitur nedum de sensatione sensuum exteriorum, sed etiam de sensatione sensuum interiorum, & ratio est, quia actus sensus interioris est materialis, & naturaliter fieri non potest nisi à principio materiali, & extenso, & cum modo existendi quantitatiuo, & extenso, & consequenter etiam in subiecto eodem modo existente, sed hæc omnia deficiunt supposita sacramentali existentia corporis Christi in sacramento, ergo, &c. dico, ergo, quod etiam si interior sensus Christi in hoc sacramento sit phantasmatibus, seu speciebus in actu primo constitutus, non potest tamen naturaliter illis vti, neque actum secundum elicere, quia licet in sensu interiori non procedat prior tatio facta de sensibus externis, tamen procedit illa quæ modo facta est, scilicet, quod actus sensus interioris est materialis, &c. Ad fundamentum Ocham dicitur, quod approximatio debita in actione physica est secundum situm. Corpus autem Christi vt in Eucharistia nō habet situm, atque adeo ita est hic præsens cuicumq; corpori, vt agēs, ac si non esset præsens, quia sic est hic, ac si nusquam esset quantum ad rationem patiendi a corpore, etenim agens requirit passum approximatum sibi localiter, quomodo non est corpus Christi in sacramento.

ARTICVLVS II.

Vtrum actiones immanentes intellectus, et voluntatis, quæ sunt in Christo naturaliter existente insint illi sacramentaliter in Eucharistia existenti.

HAec difficultas potest bifariā intelligi, priori modo an actiones immanentes, quę primo insunt Christo in cęlo naturaliter existenti, insint et ei concomitanter in Eucharistia sacramentaliter existenti, & in hoc sensu oēs Theologi vnanimi consensu affirmāt easdem intellectiones, & volitiones, quas Christus habet in cęlo primo vbi naturaliter existit, habere concomitanter sacramentaliter in Eucharistia existens. Posteriori modo intelligi potest difficultas an Christo sacramētaliter existenti in Eucharistia possint primo inesse actiones immanentes intellectus, & voluntatis, & concomitanter in cęlo vbi naturaliter existit. Et in hoc sensu difficultatione est opus, quia aut sit sermo de Christo existēte in Eucharistia eo modo, quo de facto existit in Eucharistia. s. beatus, & gloriosus, aut posita hypothesi, q̄ esset in Eucharistia viator, & passibilis, sicut fuit in vltima cęna; si sit sermo in secundo sensu dico, q̄ intellectus Christi corpori humano passibili coniunctus sacramentaliter modo existenti non posset naturaliter nouas species acquirere, quia naturaliter non potest illas acquirere per sensus; corpus autem illud non posset vti sensibus, vt dictū est. Dico secundo, 1 Conclusio q̄ præcise vt sic existens nō posset vti speciebus prius acquisitis, quia intellectus non potest naturaliter intelligere, neque vti speciebus, quas in memoria retinet, nisi cum cōuersione ad phantasmata, i. nisi simul phantasia cooperetur, cū intellectu, vt experientia docet, & scientia de anima, sed ostēsum est supra in eo statu. i. sub sacramentali existendi modo non posse esse vsum phantasmatū, ergo neq; intelligibilium recipi. 2. Conclusio Dico tertio, quod Christus si hoc modo sacramētaliter in Eucharistia existens haberet species aliquas infusas (quēmadmodū omnium rerū species fuerunt sibi in instanti conceptionis infusæ) cum lumine, seu auxilio proportionato recte posset illis vti sine conuersione ad phantasmata, 3. Conclusio quia neq; ex parte intellectus, neq; ex parte actus vlla esset repugnantia, nā ille species cū essent supernaturales, naturale illis esset isto modo induttibili, neq; intellectus caret ex hac parte modo connaturali ad operandum, nec actus est materialis, atque adeo subiecto extenso non indiget.

Ex his infertur primo, q̄ Christus passibilis, & viator existens in Eucharistia sacramentali modo non posset habere primo actus immanentes intellectus, & voluntatis, quia de nouo nō posset acquirere species, nec speciebus prius acquisitis vti posset. Infertur secundo q̄ respectu specierum sibi à Deo supernaturaliter infusarum posset in Eucharistia existens habere primo intellectiones, & concomitanter in cęlo, & è conuerso, patet, quia species illæ possent mouere primo intellectū aīæ Christi existentis in sacramēto, & causare vna cū intellectu cognitionē, & tunc intelligeret primo in Eucharistia, & concomitanter in cęlo, & è conuerso possent primo mouere intellectū aīę Christi existētis modo naturali i cęlo, & causare vna cū intellectu cognitionē, & tūc intelligeret primo in cęlo & concomitanter in sacramēto.

Si aūt sit sermo de Xp̄o prout modo in sacramento existit. s. beatus, & gloriosus, dico, q̄ velle, & intelligere possunt conuenire Christo in Eucharistia primo, & in cęlo cōcomitanter. 1. Conclusio declaratur ista conclusio supponendo, q̄ ad intellectionē intellectualē intuitiuā requiritur debita distantia inter potentiam, & obiectum; nā vt dicit Doct. immoderata distantia impedit intellectionē intuitiuā creatā. Secundo supponitur, q̄ Christus beatus existens non intelligit per cōuersionē ad phātasmata; quia hoc est propriū viatoris, anima vero Christi nunc beata intelligit sicut Angelus, quo ad hoc quod non dependet à sensibus neq; à sensibilibus in intelligendo, atq; adeo pōt sicut Angelus intuitiue intelligere obiectū sibi proportionaliter præsens; quibus suppositis, demus, q̄ aliquis Angelus habeat debitam distantiam respectu Christi in Eucharistia, & non habeat illā respectu Xp̄i in cęlo, & tunc dico, q̄ ille Angelus primo videretur à Christo, vt in Eucharistia, quia respectu illius hēt debitā distantiā, & nō videtur primo à Christo, vt est in cęlo, sed concomitanter, quia vt Christus est in cęlo Angelus non habet respectu illius debitam distantiam.

Ex hac concl. infertur primo, q̄ quicquid aīa Christi pōt nunc intelligere, & velle, posset etiā, etsi Christus vt homo nullibi haberet modū essendi naturalē, patet, quia vt dictū est, modus supernaturalis existendi in sacramento non impedit aliquem intelligendi aut volendi actum, nec ad tales actus est magis opportunus alius modus essendi, s. naturaliter, quo Christus existit in cęlo, quam iste supernaturalis, quo existit in Eucharistiæ sacramento, quia Christus beatus non intelligit per conuersionem ad phantasmata.

Secundo infertur, quod sicut Christi anima, vt in cœlo aliquid intelligit notitia vespertina, quod non posset intelligere, vt in sacramento, ita è conuerso aliquid potest intelligere, vt in sacramento, quod non potest primo intelligere, vt in cęlo, & sicut prima notitia inest concomitāter animæ Christi existenti in Eucharistiæ sacramento, ita secunda inest consimiliter, vt existenti in cęlo, probatur, quoniam notitia vespertina, qua beati cognoscunt res in proprio genere, & loquor de intuitiua, impeditur ex immoderata distantia obiecti: non enim videtur, quod intellectus creatus possit elicere actum intuitiuæ notitiæ respectu obiecti quantumcumque remoti; quo supposito sicut anima CHRISTI in cœlo existens intuetur

notitia

notitia intuitiua a se elicita ibi sibi præsentia, quæ non potest, vt in sacramento existens cognoscere, quia vt absentia, & remota, ita propter consimilem rationem, anima Christi in sacramento existens circa ibi existentia, & per consequēs a cœlo absentia, & remota vt circa sacerdotem, & alia ibi sibi præsentia potest elicere actum intuitiuæ notitiæ, in quem non posset si in cœlo tantum existeret, atque sicut in cœlo existentia cognoscit primo, vt ibi existens, & concomitanter in Eucharistia, ita è conuerso cognitio ipsi præsentium, vt in sacramento, & distantium a cœlo, inest sibi primo, vt existenti in sacramento, & secundario & concomitanter, vt in cœlo existenti.

Tertio infertur, quod Christus propter existentiam in Eucharistia non solum non priuatur aliqua perfectione, quam habet vt in cœlo, sed etiam vt in Eucharistia habet aliquam perfectionem primo, quam non haberet si in Eucharistia non haberet; patet quia habet actum intuitiuæ cognoscendi naturaliter ibi præsentia, in quem (vt dictum est) nō posset si in cœlo tantum existeret propter distantiam obiectorum, atque adeo non est ad imperfectionem suam, vt sit in Eucharistia, sed ad ampliorem perfectionem.

Hæc quæ dicta sunt in hac quæst. procedunt de facto, & secundum naturalem rerum ordinem, sed dubium est contra secundam conclusionem primi articuli, an de potentia Dei absoluta possit Christus in sacramento existens videre oculo corporali, & audire obiecta præsentia sacramēto Eucharistiæ, ita ut possit videre sacerdotem celebrantem populum circumstantem, & sacerdotes in choro canentes audire &c. Dico breuiter supponendo aliqua. Primo suppono, quod dupliciter potest aliquis sentire, sicut & intelligere, vno modo mediante actu producto naturaliter, scilicet a potentia, & obiecto, alio modo actu sibi supernaturaliter a Deo infuso. Secundo suppono, quod sensus Christi in Eucharistia sunt quanti, quemadmodum, & corpus eius in Eucharistia est quantum secundum se, & extensum habens ordinem partium in toto, licet non in sacramento, quia nō est in sacramento modo quantitatiuo. Tertio suppono, quod nec Christus, nec aliquis homo sentit, vt actum elicit, sed tantum vt eum recipit, quia sentire est pati, vt patet ab Ari. 2. de anima. Quarto suppono, quod modus quantitatiuus, vt dicit Doct. in solutione 2. principalis huius q. non est necessaria causa recipiendi sensationem, sed tantū modo conditio requisita per comparationem ad agens, primo transmutans.

His suppositis dico, quod Christus in Eucharistia existēs potest videre, & audire obiecta sibi præsentia, non quidem actu sensationis a potentia sensitiua, & ab obiectis productis, sed a Deo sibi immediate infuso, conclusio patet, quoniam organa sensuum Christi in Eucharistia sunt quanta, & extensa extensione, quæ est differentia quantitatis, atque adeo recipere possunt sensationem, nec modus quantitatiuus est necessaria causa recipiendi sensationem, nisi respectu agentis primo transmutantis, & sentire non est producere, sed sensationem recipere, vt ex suppositis patet, ergo si Deus immediate produceret actum visionis, vel auditionis in auribus, & oculis Christi in Sacramento existentis, posset Christus in Sacramento existens, & videre, & audire primo.

Dubium.

Arist.

Conclusio.

QVAESTIO VI.

Vtrum corpori Christi vt in Eucharistia existenti possit inesse aliquis motus corporalis.


T abstineamus a quæstione de modo loquendi obseruandum est primo, hic non esse sermonē de motu proprie Physico, qui requirit extensionem mobilis secundum partes subiecti in ordine ad spatiū, & qui terminatur ad vbi quantitatiuum, seu circumscriptionum, nam constat corpus Christi in Eucharistia non esse mobile, hoc genere motus, cum non sit ibi modo quantitatiuo. Est ergo sermo de motu proportionato sacramentali præsentiæ. secundo obseruandum est, quod motus potest sumi duobus modis, vno modo pro mutatione successiua, qua non acquiritur aliqua forma tota simul, sed per partem post partem, & hanc mutationem appellat Doct. mutationem diuisibilem. secundo modo capitur motus pro quacumque mutatione siue successiua, siue instantanea, & hoc modo capitur large, vt si Deus immediate causaret albedinem in pariete, vel calore in ligno. Ex hoc sequitur quod motus, vel mutatio large est genus ad mutationem diuisibilem, seu successiuam, & ad mutationem indiuisibilem, vel instantaneam.

Tertio obseruandum est, quod motus adhuc sumi potest dupliciter, vno modo strictè vt contrahit sub se mutationem Physicam diuisibilem, & indiuisibilem, eo modo quo sumitur ab Arist. 5. Phy. t. c. 7 & 9. quando dicit, quod ad quatuor prædicamenta est per se motus, scilicet ad substantiam, qui dicitur generatio, vel corruptio, ad quantitatem, qui appellatur augmentatio, vel diminutio, ad qualitatem, qui dicitur alteratio, & ad vbi qui appellatur loci mutatio, alio modo sumitur large pro quacumque acquisitione formæ de nouo habitæ siue illa forma sit absoluta, siue respectiua, siue substantialis, siue accidentalis, siue sit vbi proprie dictum siue non, & isto modo dicimus, quod acquisitio præsentialitatis, qua corpus Christi fit præsens sacramento dicitur mutatio, vt diximus in prima quæstione huius d. ar. 2.

Quarto obseruandum est, quod mutatione propriè, vel impropriè dicta potest corpus Christi in Eucharistia existēs mutari dupliciter, scilicet primo, & concomitanter, mutatur primo quando in Eucharistia mutaretur, etiam si alibi non existeret, concomitanter verò mutatur, quando in Eucharistia non mutaretur, nisi alibi primo mutaretur v. g. si in cœlo calefiat, in Eucharistia erit calidum concomitanter.

Postremo obseruandum est, corpus Christi existens in Eucharistia moueri quacumque istarum mutationum, siue primo, siue concomitanter potest intelligi dupliciter, vno modo quod moueatur a virtute creata, alio modo, quod moueatur a virtute increata. His suppositis, vt facilius intelligantur, quæ docet Doct. in hac quæstione diuido eam in octo articulos.

Primus Art. Vtrum Christus existens in Eucharistia possit moueri per se, & primo motu locali ab aliquo mouente creato.

Secundus Ar. Vtrum corpus Christi existens in Eucharistiæ sacramento possit a Sacerdote per accidens moueri motis speciebus.

Tertius Art. Vtrum corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ existens possit moueri concomitanter motu locali quo primo moueri potest in cœlo.

Quartus Art. Vtrum Christus existens in Eucharistia possit moueri mutatione extensiua, & impropriè capta.

Quintus Art. Vtrum Christus in Eucharistia existens possit primo moueri motu augmentationis, & nutritionis.

Sextus Art. Vtrum Christus in Eucharistiæ Sacramento existens possit primo moueri motu alterationis, & corruptionis.

Septimus Art. Vtrum Christus existens in Eucharistiæ Sacramento possit moueri communiter omni motu ad formam absolutam ab eodem agente a quo mouetur primo sub modo naturali existens.

Octauus Art. Vtrum Christi corpus existens naturaliter corrumpi possit, & tamen non corrumpatur in Eucharistia.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus existens in Eucharistia possit moueri per se, & primo motu locali ab aliquo mouente creato.

QVod Christi corpus existens in Eucharistia possit aliquo modo mutari in hoc omnes conueniunt, quomodo autem, vel a quo, id est quod a nobis in hoc articulo explicandum est: nam de modo Caie. 3. p. q. 75. art. 7. ait solum dici mutari per denominationem extrinsecam propter mutationem, quæ fit in speciebus, de motore autem tenet quā moueri potest a sacerdote mouente species, nonnulli verò ab Angelo, vel etiam ab anima eius. Quantum ergo spectat ad istum articulum. Caietan.

Est de hac re duplex opinio, prima est Gulielmi Rubionis hac d. q. 6. dicentis, quod Christus in Sacramento existēs potest ab aliquo motore creato per se moueri, fundamenta eius sunt hæc. Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento existens, aut est a quacumque virtute creata immobile secundum se, aut ratione modi existendi in Sacramento: Rubion.

non

Digitized by Google

non primo modo, vt de se patet, quia corpus Christi secundum se potest moueri ab aliqua virtute creata, nec secũdo modo, quia omnis anima separata à corpore, & etiam Angelus habet consimilem modũ essendi in loco ei, quo Christus existit in Eucharistiæ sacramento, & tamen non est negãdum vnum Angelum posse mouere localiter alium, vel etiam animam à corpore separatam, cum etiam de facto legatur animam Lazari portatam fuisse ab Angelis in sinu Abrahæ, vt habetur Luc.16. Et cõfirmatur, nullum corpus est mobile ad locum aliquem, quem nõ habet propter modum essendi aliquem, quem habet in loco; ergo non potest effici immobile propter quemcumque alium essendi modum, consequentia videtur manifesta, quia si vnus modus essendi in loco non facit corpus mobile, nec alius modus illi contrarius reddet illud immobile, antecedens probatur, quia corpus extra omnem locum existens posset moueri tam à seipso, quam ab alio, nam sicut superficies existens sub nigredine, non ideo est mobilis ad albedinem, quia est sub nigredine, quia etiam carens omni colore esset ad albedinem mobilis, sed ex hoc præcise quia caret albedine, quã potest recipere, ita nec corpus aliquod ex eo est à se ipso, vel ab alio mobile ad alium locum, quia in uno loco existens est naturaliter, sed tãtum quia eo loco caret ad quem moueri potest, sed Christus, vt existens in Eucharistiæ sacramento caret omni alio loco à cœlo, in quo non est ipsum sacramentum, & ad ipsum secundum se est mobilis, ergo ex hoc, quod est in sacramento non efficitur immobilis.

Secundum fundamentum est. Modus essendi non impedit aliquem localem motum possibilem, cũ igitur Christus existens sine isto modo sacramentali, & cum alio naturaliter in cœlo sit mobilis à se ipso, & etiam ab aliquo alio creato mouente, sequitur, quod etiam erit mobilis, vt existens in Eucharistiæ sacramento: Confirmatur, quia non minus videtur, quod Angelus, vel anima possit mouere corpus sibi propinquum in loco existens cum eis vniformiter, quam corpus existens difformiter, sed corpus Christi existit in sacramento, & eius loco vniformiter, sicut & eius anima, vel Angelus existeret si ibi esset, quia videlicet est sicut & anima, totum in toto, & in totum in qualibet parte, sed si ibi existeret sicut existit in cœlo, puta quod esset totum in toto, & pars in parte, nullus negaret corpus Christi vt in sacramento existens posse ab eius anima, vel ab Angelo localiter transmutari, ergo, &c. Patet ergo inquit Rubion corpus Christi (esto, quod non esset nisi supernaturaliter in sacramento) posse moueri naturaliter localiter à seipso, & etiam à quocumque alio, à quo potest localiter nunc moueri.

Scotus. Secunda opinio opposita est Doct. subtil. dicentis, quod corpus Christi, vt in Eucharistia nõ potest moueri primo motu, vel mutatione proprie dicta à virtute creata, atque adeo neque à seipso, neque ab alio agente creato; probatur concl. Nulla creatura potest agere in corpus aliquod, quod non est ei localiter in debita proportione approximatum, sed corpus Christi, vt in Eucharistia existens, non est localiter approximatum alicui, ergo vt in Eucharistia existens nõ potest moueri primo mutatione corporali proprie dicta ab aliqua creatura. Præterea si corpus Christi posset ab aliquo motore creato localiter moueri, vt existẽs in Eucharistia; vel hoc esset ab agente creato corporeo, vel ab eius anima, vel ab Angelo, sed à nullo istorum potest moueri localiter, ergo à nullo agẽte creato potest per se primo moueri. Maior patet, & minor probatur, & primo, quod nõ ab agente corporeo, quia agens corporeum non potest mouere aliud corpus, nisi aut trahendo, quod facit (vt creditur) præuia aliqua alteratione, & impressione alicuius qualitatis; aut impellendo, quod facit per contactum physicum; sed neutro modo potest mouere corpus Christi immediate & per se, quia neque illud possunt tangere, neque alterare, vt dicemus art. 6. ergo, &c.

Secundo probatur, quod non potest naturaliter moueri localiter à propria anima, & interna virtute motiua naturali, quia nõ potest anima mouere corpus suum nisi per membra organica, quibus non potest vti, vt in hoc sacramento sunt, quia naturalis motus horum membrorum requirit extensionem eorum in loco, ita, vt in diuersis locis partialibus existant, & vnum impellat aliud; membra autem corporis Christi non existunt hoc modo in hoc sacramento, ergo, &c. Præterea anima non habet virtutem motiuam sui corporis nisi existentis modo naturali in loco; sed corpus Christi in sacramento non existit naturaliter, ergo, &c. Et si dicatur, quod ratio concludit de motu progressiuo, & similis, non autem de motu simplici, aut impulsiuo, qui vno impetu fit, ad quem non est necessaria extẽsio organorum in loco, sed sola vis imprimens impulsum, seu motum. Contra huiusmodi motus impulsiuus, aut fit per aliquem vehementem contactum physicum, aut per impetum efficax alicuius voluntatis habentis huiusmodi virtutẽ motiuam sibi subordinatam, sed neutro modo potest anima Christi mouere eius corpus, ergo, &c. Probatur minor. Primus modus non habet locum in toto corpore humano respectu suipsius, quia non potest idem corpus secundum se totum seipsum contingere, quia contactus supponit distinctionem, vel saltem extensionem quantitatiuã in loco, & multiplicationem illius, atque adeò quamuis secundum diuersas partes possit aliquo modo anima impellere corpus suum, vt per saltum, tamen ad hoc ipsum necessaria est extensio partium in loco, & aliquod genus contactus physici, vel partium inter se, vel cum corpore circumstante, atque adeo huiusmodi motus non potest habere locum in corpore sacramentaliter tantum existente. Secundus etiam modus mouendi est præter virtutem naturalem animæ informantis corpus; non enim potest anima solo imperio voluntatis totum suum corpus transferre ab vno loco in alium, ita ut nec moueat vnam partem mediãte alia; sed totum per se primo; nec corpus ad illum motum concurrat, sed tantum passiue recipiendo illum, quemadmodum communicatur corporibus gloriosis; de quo genere motus erit sermo in seq. quæstione; nam modo loquimur de virtute naturali ipsius animæ; atque adeo quamuis id genus motus repugnantiam non inuoluat, tamen ipsa experientia docet excedere naturalem animæ virtutem; constat igitur corpus Christi, vt est in sacramento seipsum per se mouere non posse virtute naturali. Præterea nullum agens naturale continet formam supernaturalem, sed anima Christi, & omne aliud à Deo naturaliter agit, ergo non continet hanc præsentiam sacramentalem, quæ est forma supernaturalis, atq; adeo non potest eam in corpore Christi inducere.

Tertio probatur, quod nec etiam ab Angelo potest moueri, quia Angelus virtute propria nõ potest habere actionem aliquam circa aliquod corpus, quod non est localiter in loco, at corpus Christi in sacramento existens non est ibi localiter, ergo Angelus non potest illud transmutare, seu mouere; maior probatur, quia Angelus si agat circa corpus realiter mouendo, seu transmutando illud; Corpus illud realiter sibi approximatur localiter, vel saltem habet localem existentiam, quia virtus eius non potest esse ad aliquem motum in corpore nisi præsupposito vbi illius corporis. Et si dicatur, quod licet corpus Christi non sit Angelo localiter præsens, est tamen sibi præsens sicut alius Angelus esset sibi præsens, & tamen nullus negaret, quod Angelus non posset localiter mouere virtute propria alium Angelum, ergo, & vnum corpus dato, quod non sit in loco localiter: dico, quod non sequitur, quod si potest mouere Angelum, quod possit mouere corpus non existens localiter in loco. & ratio est; quia Angelus motus ab alio esset in loco suo naturali, corpus autem sacramentaliter existens non est in loco naturaliter, sed supernaturaliter; Angelus autem nullum habet influxum in hanc præsentiam corporis Christi, vt ea possit corpus Christi priuare, neque aliam consimilem præsentiam potest in corpore Christi efficere, quia illa supernaturalis est, & per consequens non potest fieri ab Angelo naturali virtute; Quandocumque est aliquod agens, quod non contineat aliquam formã virtualiter, non potest aliquod mobile mouere ad illã formam, si enim virtualiter non continet illam formam, non potest eam inducere, sed Angelus istam præsentialitatem non continet, ergo, &c.

Et si dicas, quod etsi hic modus præsentiæ sit corpori Christi supernaturalis, & ideo nõ possit Angelus illum efficere primo in corpore Christi, tamẽ postquam Christi corpus supponitur ita existens, non videtur adeo supernaturale, vel difficile illud corpus transferre ab vno loco in alium, mutando habitudinem eius ad spatium, & propinquitatem, vel distantiam ad alia corpora. Contra, si huiusmodi præsentia secundum speciem suam superat naturalẽ virtutem

Digitized by Google

angelicam, in quolibet indiuiduo superabit, quia & tota species clauditur in vno indiuiduo, & actio per se prim o circa indiuiduum versatur, ergo sicut Ang. non potest virtute naturali conferre corpori primam sacramentalẽ præsentiam, ita neque corpori iam habenti vnam præsentiam sacramentalem potest dare alterã, vt priorem auferat; quia non est minus supernaturalis secunda quam prima, & ꝙ prima præcesserit nihil refert, quia nec dedit corpori naturalem aptitudinem ad similem præsentiæ modum, nec auxit virtutem causæ agentis, nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectus; nam ipsamet præsentia prior appetit suam conseruationem, & suo modo resistit alteri præsentiæ sibi incompossibili, excedit ergo hic effectus naturalem virtutem etiam Angelorum.

Respondetur ad fundamenta Rubionis.

Ex his patet responsio ad fundamenta Rubionis; Ad primum dico, quod corpus Christi in Eucharistia existẽs non est immobile secundum se, sed moueri à virtute creata non potest ratione modi existendi in sacramento; Et ad improbationem patet responsio, nam licet Angelus possit aliũ Angelum, vel animam mouere, quia essent in loco naturali, & quia cõtinet virtualiter Angeli præsentialitatem, quæ est sibi connaturalis, atque adeo potest illam inducere, sed corpus Christi non habet ex sui natura modum essendi in sacramento, quem habet Angelus, sed tantum supernaturaliter, atque ita licet possit mouere se, & alium Angelum, nõ potest tamen mouere corpus non existens in loco naturaliter, sicut est corpus Christi in Eucharistia; & ratio assignata est à Doct. quia Angelus nõ potest transmutare corpus nisi præsupposito vbi naturali illius corporis, non immobiliatur ergo secundum se Christi corpus ratione modi existendi in Eucharistia, sed respectu agentis creati non potentis mouere nisi corpus localiter existens in loco.

Ad secundum fundamentum dico, quod assumit falsum, nempe quod modus essendi non impediat aliquem motum localem possibilem, nam motus localis progressiuus est possibilis corpori Christi secundum se, tamen sacramentaliter existens non potest hoc genere motus moueri; cum huiusmodi motus requirat, quod corpus, & eius organa sint in loco circumscriptiue, patet ergo, quod modus essendi impedit motum aliquem possibilem corpori, atq; adeo licet Christus in cœlo existens modo naturali possit mouere se ipsum, & ab alio moueri motu locali physico, tamen vt in Eucharistiæ sacramẽto existens neque se ipsum mouere, neque ab alio hoc genere motus moueri potest; quia hoc genus motus physici requirit extensionem secundum partes subiecti in ordine ad spatium, & terminatur ad vbi quantitatiuum, seu circumscriptiuum. Corpus autem Christi in sacramento existens non est mobile hoc genere motus, cum non habeat ibi illum extensionis, seu locationis modum, vt per se constat. Et ad confirmationem dico, quod bene Angelus, & anima possunt mouere mobile sibi propinquum, cũ eis vniformiter in loco existens, quando mobile est naturaliter in loco, vel in loco sibi naturali; sed corpus Christi in sacramento existens licet sit in loco vniformiter cum Angelo, & anima quoad hoc, quod est in loco indiuisibiliter, id est, non modo quantitatiuo, non est tamen in loco naturaliter, sed supernaturaliter, quod non contingit de alio corpore existente in loco difformiter ab Angelo, quia tale corpus est in loco naturaliter, & habet necessariam conditionem requisitam ad hoc quod Angelus possit illud transmutare.

ARTICVLVS II.

Vtrum corpus Christi existens in Eucharistiæ sacramento possit à sacerdote per accidens localiter moueri motis speciebus.

Quæ sit vnio specierũ in Eucharistia sacramẽto ad corpus Christi. D. Thomas. Caietanus. Sotus.

HAec quæstio supponit inter Christi corpus, & species sacramentales aliquam esse vnionem, qualis autem sit huiusmodi vnio non est vna Theologorũ sententia. Aliqui enim tenent in hoc sacramento esse veram, & realem vnionem inter Christum, & species, ineffabilem tamen, & incomprehensibilem, ita videtur sentire D. Thom. in 4. d. 11. quæst. prima, artic. primo, quæstiuncula prima, ad 1. & Caietan. 3. par. quæst. 75. art. primo, & quæst. 76. artic. 6. Sotus in 4. d. 9. quæst. secunda, ar. primo, & d. 10. quæst. 1. ar. 6. Alij vero distinguunt duplicem esse vnionem, vnam intrinsecam, quam vocant formalem, & est illa in qua duo extrema ita vniuntur physice, vt proprie, & realiter componant vnum, quæ compositio semper requirit in vtroque, vel altero extremo intrinsecum, & realem modum vnionis; alteram vero vnionem effectiuam appellant, & eam esse dicunt, quando duo sunt ita inuicem præsentia, vt ex efficientia, quam habet vnum circa alterum non possint separari, eo modo quo ferrum dicitur vnitum magneti non solum propinquitate locali, sed vnione effectiua, quia magnes effectiue illud trahit, & continet ne a se separetur. Priorem vnionem ab hoc sacramento excludunt, nõ enim inter corpus Christi, & species intercedit formalis vnio, seu compositio physica, ex qua resultet vnum physicum compositum tamquam ex duabus partibus, seu extremis esse componentibus, sed ponunt secundam, explicando autem huiusmodi effectiuam vnionem dicunt, quod corpus Christi per suam substantiam, & entitatem, quæ ab accidentibus panis non pendet efficere, & instrumentaliter conseruare illa in existentia, tum in modo existendi, tum etiam in præsentia, species vero efficere circa corpus Christi præsentiam, seu coniunctionem, aut ad se attractionem: communicatur enim diuinitus his speciebus virtus trahendi, & coniungendi sibi corpus Christi, & consequenter cõseruandi sacramentalem præsentiam eius. Hanc sententiam docet Suarez tom. 3. disp. 47. sect. 3. *Suarez.*

Alij autem negant omnem vnionem realem inter Christum, & species præter inseparabilem præsentiam ex pacto diuino, ita docet Doct. hic, & Gab. ar. 2. concl. 10. & lect. 47. in can. Maior d. 10. quæst. 6. Thom. de Argent. q. 2. art. vltimo, & Petrus de Aliacu q. 5. art. 2. Ex hac opinionum diuersitate respectu vnionis specierum cum Christi corpore pendet diuersitas opinionum circa hanc difficultatem, nam licet omnes conueniant in hoc, quod sacerdos mouens hostiam nõ mouet corpus Christi per se, quia moueri corpus Christi per se non potest nisi esset sacerdoti præsens localiter; Conueniunt etiam in hoc, quod in quemcumque locum mouetur hostia consecrata in eumdem locum mouetur corpus Christi, & hoc est certum, & de fide tenẽdum, aliter enim qui adoraret hostiam quãdo eleuatur esset idololatra, si quidem cum hostia nõ moueretur corpus Christi, & in Conc. Trid. sess. 13. can. 8. definitum est, quod manente hostia semper cum illa manet corpus Christi, atque hoc significant verba consecrationis. Hoc est corpus meũ, id est, sub istis speciebus latet corpus meum, & dum species durant necessario saluandus est illorum verborum sensus. Vnde solum est dubium à quo moueatur corpus Christi in hostia consecrata, quando hostia ipsa mouetur. *Scotus. Gabriel. Maior. Tho. de Argent. Aliacu. Conc. Trid.*

De qua re duplex est opinio, prima est S. Thom. 3. p. q. 76. art 6. & Caiet. ibidem, Soti hac d. q. 7. art. 6. Rub. eadem d. q. 6. Suarez loco supracitato, & omnium nominalium, qui tenent, quod sacerdos, qui mouet hostiam consequenter mouet corpus Christi, & non est necessarium, quod specialiter moueatur à Deo, sed sacerdos motione qua per se mouet hostiam, mouet etiam per accidens corpus Christi. Huius opinionis fundamenta sunt primo. Corpus Christi eodem modo se habet ad species panis, quo se habebat panis ante consecrationem excepta inhæsione, sed si panis sub speciebus maneret adhuc ablata inhæsione, eadem motione moueretur panis, qua mouerentur species, ergo eodem modo dicendũ est de corpore Christi; Secundo probatur, quod mouet aliquid per se, mouet per accidens quicquid est in illo, ergo virtus creata, quæ per se mouet hostiam, per accidens mouet corpus, quod per se est in hostia. Tertio probatur, quia si sacerdos mouens species non moueret corpus Christi, sed Deus moueret illud, sequeretur, ꝙ singulis diebus acciderent noua miracula; quia Deũ mouere corpus Christi in Eucharistia miraculũ est. Quarto probatur, quia dũ sacerdos consumit hostiam mouet etiam corpus Christi, ergo hæc sententia est vera, antecedens expresse habetur de cons. d. 2. c. Ego Berengarius, cõsequentia probatur, quia non est maior ratio de manducatione, & consumptione q̃ de alio motu corporis Xpi. Et confirmatur ea Soto, nã Xps Dñ. (ait Sot.) dixit discipulis suis. Accipite, & comedite, & de consec. d. 2. dicitur, quod corpus Christi à sacerdote comeditur, & manibus suis tractatur, & dentibus teritur, comestio autem corporis fieri nequit sine motu locali ipsius corporis, ergo sacerdos comedẽs corpus Christi mouet ipsum localiter saltem per accidens, & consequenter cum *D. Thom. Caietanus. Sotus. Rubio. Suarez.*

non

non sit major ratio de comestione, quam de eleuatione, sequitur, quod quando eleuat hostiam mouet etiam corpus Christi per accidens, probatur minor in qua est difficultas, quoniam cibus qui comeditur dentibus teritur, & deglutitur mouetur localiter, ergo comestio corporis Christi non potest fieri sine motu locali.

Scotus. His tamen non obstantibus sententia Scot. probabilissima est, qui tenet, quod quando hostia mouetur à sacerdote corpus Christi non mouetur ab ipso, sed immediate a Deo, cui consentit Durandus hac d. quæst. 3. Bassolus, q. 4. articulo quarto, Thom. ab Argent. vbi supra, & Gab. eadem d. quæst. prima, concl. 10. & super can. lect. 47. quæ sic probatur. Quando aliquid agēs nullo modo habet virtutem motiuam super aliud, quando illud est per se, non mouet illud per accidens, quando est cum alio, cum quo non facit vnū, sicut actus, & potentia, vt patet de anima, & corpore, sed virtus creata omnino nō potest super corpus Christi in se sub isto modo existendi, id est, vt habet modum essendi sacramentaliter ad mouendum ipsum, vt probatum est in primo art. ergo quando est cum alio respectu cuius non est sicut potentia, nec sicut actus, sequitur quod eadem virtus non poterit corpus illud mouere etiam per accidens, sic autem est cum hostia, quia species non est forma eius, nec ipsum forma speciei, ergo, &c.

Durandus. Bassolus. Thom. ab Argent. Gab.

Et confirmatur. Corpus Christi non est forma specierū, neque species sunt forma corporis Christi, ergo qui mouet hostiam non mouet corpus Christi, neque è conuerso; antecedens est manifestum quo ad primam partem, & quo ad secūdam probatur; quia forma semper denominat subiectum, at vero corpus Christi nec denominatur ab hostia calidum, aut frigidum, siue rotundum, seu aliqua alia denominatione, ergo non est forma corporis Christi.

Si dicatur, quod nauta qui mouet nauim mouet etiam homines in naui existentes. & tamen neque nauis est forma hominum, neque homines sunt forma nauis, ergo quāuis corpus Christi non sit forma specierum, neque species sint forma corporis Christi, non colligitur, quod corpus Christi non moueatur à sacerdote mouente hostiam; quando quidem corpus Christi est in hostia. Cōtra inquit Sco. hęc responsio non est ad propositum, quia virtus motiua nautæ ideo mouet existentes in naui per accidens, quia potest eos mouere per se, si per se essent extra nauim; Et præterea ideo nauta mouet nauim, & homines eodē motu, quia homines sustentantur a naui, corpus vero Christi neque formaliter sustentat species, neque sustentatur ab illis, & propterea inquit Doct. addidi in maiori, quorum neutrum est actus alterius, quia etsi aliquid, quod quasi actus alterius ex eo, quod ei innititur nō posset per se moueri ab aliquo, tamen potest moueri per accidens ab eodem potente mouere totum, cuius iste est actus, vt si in naui esset magnum aliquod pondus, quod si per se esset nauta non posset illud mouere, tamen ex eo, quod naui innititur, & ab ea continetur mouendo nauim mouet & illud. Sacerdos autem nullam accipit potestatem mouendi corpus Christi, nec habet ex hoc, quod mouet species, vel quantitatem hostiæ, quia corpus Christi non est ibi sicut pars speciei, vel accidēs, vel forma eius, nec sicut aliud innitens necessitate naturali speciei, vel quantitati, quod posset mouens mouere per se ipsum, sicut graue est in naui mota, sed tantum ex voluntate diuina, ergo non mouetur per se, nec per accidens à virtute creata, sed tantum à diuina voluntate.

Secundo probatur. Ad hoc quod ad motum vnius rei moueatur alia per accidens, necessarium est quod ipsę duę res naturali aliqua necessitate coniungātur, vel sicut actus, & potentia, vel sicut pars, & totum, vel sicut graue, & illud super quod innititur, vt si graue, id est, lapis esset super tabulam, sed corpus Christi, & hostia non coniunguntur aliqua naturali necessitate, ergo ad motum hostiæ non mouetur corpus Christi à sacerdote: maior patet, quia numquam aliqua res moueretur ad motum alterius nisi aliquo modo ex illis sit inter ea coniunctio, vt patet experientia, minor autem est ex se manifesta, quoniam corpus Christi non est præsens hostiæ nisi tantum per voluntatem diuinam.

Tertio probatur. Quando aliqua coniunguntur præcise per actum voluntatis contingenter se habentis ad illam coniunctionem, si vnum illorum secundum se sit mobile improportionatum alicui mouenti, & alterum proportionatum, mouens nō potest eadem motione mouere vtrumque istorum coniunctorum patet, quia si mouent vnum, quod est sibi proportionatum, non propter hoc per accidens mouet alterum, id est, quia alterum non est præsens illi moto, nec sicut actus potentiæ, nec è conuerso, nec simpliciter ex aliqua necessitate naturali, sicut graue est præsens illi cui innititur, & propter hoc simul mouetur cum illo, & sed tantummodo est sibi præsens voluntate aliqua contingenter se habente ad illam coniunctionem, quia per consequens potest non velle coniunctionem illam, stante tamen motione alterius illorum, sed sic est, quod corpus Christi in Eucharistia, & species panis sunt huiusmodi respectu mouentis, & respectu sacerdotis mouentis, igitur ipse sacerdos eadem motione non potest mouere vtrumque; consequētia est nota cum maiore, & minor sic declaratur, & primo, quod corpus Christi tantum sit coniunctum cū hostia aliqua naturali necessitate de se patet, quoniam & si fingere libeat, & liceat, imaginari non poterimus, quæ necessitas naturalis sit inter hostiam, & corpus Christi, atque adeo si sacerdos moueat vnum, quod est sibi proportionatum, nempè species non mouet alterū, scilicet corpus Christi per accidens, quoniam in isto motu corpus Christi non est pręsens illis speciebus, sicut actus, vel potentia, neque sicut pars, neque necessitate aliqua naturali, quæ ita requiruntur ad hoc, quod aliquid dicatur moueri per accidens ad motum alterius, nam propter primum mouens corpus mouet per accidēs animam, quia anima est forma, & actus corporis, & propter secundum mouens totum mouet partes, vt mouens caput mouet oculos, & aures, quia sunt partes eius, & propter tertiū mouens lapis mouet eius quantitatem, & mouens nauim mouet graue, quia sunt eis coniuncta naturali necessitate.

Et manifestatur exemplo. Nā si Angelus faceret se pręsentem lapidi voluntarie, qui mouet lapidem non mouet Angelum, quia nec est mobilis per se à virtute eius, nec per accidens, quia nec est forma, nec pars alicuius mobilis per se ab alio, nec illi naturaliter cōiunctus; si Angelus semper manet cum lapide sua voluntate, ipse etiam voluntate sua vult moueri cum lapide, qui ab alio mouetur, ergo cum corpus Christi sit in Eucharistia, sola Dei voluntate sacerdos qui mouet hostiam, non mouet corpus Christi, sed Deus sua voluntate mouet ipsum.

Respondendum est modo ad rationes alterius opinionis, & primo obstest, quod corpus Christi eodem modo se habet ad species panis, quo se habebat panis ante consecrationem excepta inhæsione, continetur enim sub speciebus consecratis, sicut panis antea cōtinebatur, mouetur sub speciebus, & cum speciebus sicut substantia panis, propter quā similitudinem ea, quæ dicebantur de pane dicuntur etiā de corpore Christi, & sicut qui videbat species dicebatur videre panem, sic modo qui videt species dicitur videre corpus Christi propter illam similitudinem; & qui manducabat species dicebatur manducare panem, & modo qui manducat species dicitur comedere corpus Christi propter similitudinem corporis Christi ad panem; istæ tamē loqutiones non sunt ita propriæ de corpore Christi sicut de pane. Secundo obstest in proposito de motu, quod hæc propositio. Sacerdos qui mouet species panis mouet corpus Christi, in vno sensu est vera, in alio vero falsa; est quidem falsā si intelligamus, quod sacerdos eadem naturali motione, qua mouet species panis, moueat corpus Christi, in eo vero sensu quo Dux dicitur mouere exercitum, dicitur etiam sacerdos mouere corpus Christi. Vere enim Dux non mouet exercitum, ita vt eadem motione naturali, qua mouet seipsum, moueat etiam milites. & Centuriones, sed sensus est, quod quocumque Dux mouetur exercitus sequitur illum; sic sacerdos quando mouet hostiam dicitur mouere corpus Christi, non quod eadē sit motio hostiæ, & corporis Christi, sed quęcumque sacerdos mouet hostiam sequitur illam corpus Christi alia tamen motione, diuina scilicet.

His prænotatis respondetur ad primum argumentum D. Tho. concessa ma. nego min. quia si auferamus ab accidentibus inhæsionē, panis accidentia, & substantia panis, se haberent sicut duo corpora in eodem loco, vnde sicut duo corpora nō mouerentur eadem motione si essent in eodem loco non coniuncta aliqua necessitate, sed solum per liberā volūtatem illorum, ita nec panis. & accidentia mouerētur.

Ad secundū respondet Doct. ꝙ antecedēs est falsum nisi intelligatur de illo, ꝙ est ī moto, vel sicut actus in potētia,

Digitized by Google

vel ſicut pars in toto, vel ſicut aliquid neceſſitate naturali coniunctum, vt graue illi cui innititur, ſi enim tantum per actum voluntatis contingenter coniungitur hoc illi mouens iſtud non propter hoc mouebit illud, ſed oportet, quod illa voluntas, quæ eſt cauſa coniunctionis ſit etiam cauſa motionis illius, quod nulla naturali neceſſitate coniungitur moto, ſic eſt in propoſito, & patet exemplum de Angelo, non enim mouens lapidem per ſe propter hoc mouet Angelum per accidens, vt dictum eſt, & per hoc patet ſolutio ad tertium principale Doct. quo dicitur, quod motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, ergo mota hoſtia mouetur corpus Chriſti in hoſtia, &c. Reſpondetur, quod mota hoſtia mouetur corpus Chriſti, ſed non à ſacerdote, ſed à Deo, mouetur, inquam, accipiẽdo motum large, prout eſt idem, quod acquirere nouam præſentiam aliam à priori, & ſic concedo, quod quando hoſtia mouetur corpus Chriſti habet aliam, & aliam præſentiam, & per conſequens aliud, & aliud vbi, eo modo quo Chriſtus habet vbi in ſacramento, illud tamen vbi non habet à virtute creata, ſed increata.

Ad tertium dicit Doct. quod non eſt miraculum illud, quod fit à Deo ordinarie, quamuis ſit ſupernaturale, productio namque gratiæ ſupernaturalis eſt, quia tamen eſt ordinaria non eſt miraculoſa, productio etiam animæ intellectiuæ ſupernaturalis eſt, & tamen non eſt miraculoſa, niſi miraculum appelletur illud, ad quod non ſufficit ſola virtus creata, ſed hoc modo nimis large acciperetur miraculũ, nam vt ſic hominis natiuitas in vtero ſemper fieret cũ miraculo, eo quod fieri non poſſet ſine ſpeciali actione diuina, qua creatur anima rationalis, atque adeo dico, quod in propoſito non eſt nouum miraculum; quia Deus ea voluntate, qua inſtituit Euchariſtiam in Eccleſia, determinauit facere corpus Chriſti ſemper præſens ſpeciei poſt conſecrationem, & ideo ſpecie manente qualitercumque transferatur, quod Deus faciat corpus præſens alia præſentia loquendo de præſentia reſpectu cõtinentis, ſicut ſpecies habet aliã præſentiam, & aliam, vt primo contenta, quia de nouo fit præſens loco, cui ſpecies ipſa præſens eſt, licet de nouo non fiat præſens ſpeciei, nõ eſt nouum miraculum, ſed antiqua determinatio voluntatis diuinæ. Sicut ſi Angelus per voluntatem determinaſſet, quod ſemper ſimul eſſet cum iſto lapide, non diceretur miraculum, quia transferente translato lapide, non tamen transferens lapidem per actionem ſuam transferret Angelum, ſed Angelus volũtate propria; ita in propoſito ex eo tempore, quo Deus decreuit ponere corpus Chriſti ſub hoſtia conſecrata decreuit etiam mouere illud quocumque hoſtia moueretur, atque ita non eſt nouum miraculum.

Ad vltimum dico, ꝙ in illo cap. citato. Ego Berengarius, ipſe retractat hæreſim in qua fuerat; nam exiſtimabat poſt conſecrationem nõ manere corpus Chriſti, neque eius ſanguinem in Euchariſtia, ſed ſolum ſigna corporis, & ſanguinis Chriſti, atque ita dicit, ꝙ quamdiu manẽt ſpecies panis conſecrati, & vini; corpus, & ſanguis Chriſti ſub illis continẽtur; Vnde ſiue diuidantur ſpecies, ſiue dentibus ſacerdotis premantur, ſiue ab illo deglutiantur, ſemper ibi manet corpus Chriſti, quod nos etiam fatemur, quia vero corpus Chriſti non habet neceſſariam connexionem cum ſpeciebus, quia naturaliter hæc duo coniungantur; imò à mera Dei voluntate coniunguntur, ideo mouens hoſtiã non mouet corpus Chriſti; ſed mouetur corpus Chriſti à Deo, cuius voluntate eſt præſens in hoſtia, unde cum neq; corpus Chriſti ſit forma hoſtiæ, neque é conuerſo, neque corpus Chriſti ſuſtẽtetur ab hoſtia, neq; hoſtia à corpore Chriſti, & ſolum propter hanc cauſam contingat, ꝙ quando mouetur vnum moueatur & aliud eadem motione, infertur, quod corpus Chriſti non mouetur à ſacerdote, ſed à Deo immediate.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus exiſtens in Euchariſtia poſſit moueri mutatione extenſiua, & improprie capta.

DIximus in titulo, mutatione extenſiua, quia non eſt hic ſermo de motu proprie phyſico, qui extenſionem ſecundum partes ſubiecti in ordine ad ſpatium in mobili requirit, ſed eſt ſermo de motu proportionato ſacramentali præſentiæ. Pro cuius ampliori intelligentia obſer. eſt primo, quod cum Chriſtus ſit in hoc ſacramento vere realiter, & ſubſtantialiter, quædam poſſunt de illo hic exiſtente abſolute, & ſimpliciter dici ratione ſuæ ſubſtantiæ, vt omnia prædicata eſſentialia, & accidentalia omnino abſoluta, quędam vero ratione modi exiſtendi hic, quemadmodum eſſe hic ſubſtantialiter, realiter, indiuiſibiliter totus in toto, & in ſingulis partibus, &c. Quædam propter coniunctionem ad ſpecies, & propter relationes, quæ inde conſequuntur, vt eſſe, vel contineri ſub ſpeciebus, & ſimilia, quia inter ſpecies, & corpus Chriſti intercedit aliqua vnio ſaltem per inſeparabilem & intimam præſentiam, & quædam denique ratione ipſarum ſpecierum, quæ dupliciter eſſe poſſunt, aliqua quæ reuera conueniunt corpori, quamuis medijs ſpeciebus, vt ſunt prædicata, quæ ſignificant mutationem aliquam vere, ac proprie factam in corpore Chriſti, vt eleuari, circumferri, & ſimilia, alia quæ reuera ſolis ſpeciebus inſunt, denominant tamen corpus, veluti per quamdam idiomatum communicationem, vt tangi, frangi, & ſimilia.

Secundo obſer. eſt aliud eſſe aliquod prædicatum dici de Chriſto hic exiſtente, aliud vero conuenire illi prout hic exiſtit, primum eſt verum de omni prædicato conueniente Chriſto quacumque ratione, quia ſolum denotat eam formam conuenire ſubiecto hic exiſtenti, non vero conuenire hic, ſeu formam ipſam eſſe in illo prout eſt hic, & hoc modo de Chriſto in ſacramento exiſtente, vere dicitur eſſe in cęlo, eſſe in loco modo naturali, &c. Quia eſt idem omnino Chriſtus, at vero in poſteriori modo prædicationis denotatur prædicatum, quod dicitur de Chriſto prout eſt hic, ſeu forma, quæ per tale prædicatum ſignificatur eſſe hic præſentem, ſeu dicere reſpectum præſentialitatis ad ſpecies.

Tertio obſer. eſt, quod ſicut præſentia realis corporis licet non ſit proprium vbi quantitatiuum ſignificatur tamẽ terminis localibus, vt eſſe hic, & ibi, quia non habemus alias voces, quibus veritatem illius pręſentię ſignificemus, ita hanc mutationem, de qua in præſenti art. eſt ſermo, licet non ſit proprius motus phyſicus quantitatiuus, ſignificamus vocibus indicantibus motum localem, quia non habemus alias, quibus declaremus hanc veram, & realem mutationem, quæ fit in corpore Chriſti.

His obſeruatis poteſt eſſe de hac re duplex opinio. Vna Durandi, & Caiet. affirmantium nullam realem mutationem vere, & intrinſeca denominatione denominare corpus Chriſti prout in Euchariſtia exiſtit, ſed quod tota mutatio inhæreat in ſolis ſpeciebus, corpus autem Chriſti ſolum extrinſece ab ea denominatur, licet hoc affirment diuerſo fundamento, nam Durand. in 4. d. 10. quæſt. 3. negat eas voces quæ mutationem localem ſignificant proprie, ac vere dici de Chriſto in ſacramento, quia re vera (inquit) in ſe non mutatur etiam per accidens, ſed ſola denominatione extrinſeca, & fundatur in eo errore, ſcilicet, Chriſtum non eſſe hic præſentem niſi ſola præſentia ordinis, vnde loco citato negat hic vere, & realiter contineri; vnde conſequenter etiam negat vere, & realiter moueri; Caiet. vero 3. p. qõ. 76. art. 6. mouetur ex alio falſo Metaphyſico principio. exiſtimat enim Angelos, & quamlibet ſubſtantiam nõ exiſtentem in loco quantitatiue nõ mutare locum per mutationem intrinſecam ſibi inhærentem, ſed per denominationem extrinſecam. *Durandus.* *Caietanus.*

Cæterum hæc opinio falſa eſt, & nullo ſolido fundamẽto nititur; Et contra Durand. ſufficiens argumentum eſt, quod ex falſo, & erroneo fundamento procedit, definitum eſt enim c. Firmiter, & in Conc. Tridẽt. ſeſſ. 13. c. 3. Corpus, & ſanguinem Chriſti Domini vere, & realiter ſub ſpeciebus panis, & vini contineri, quod autem in aliquo continetur, vel mouetur motu illo, vel deſinit ſub illo contineri. Contra Caietan. poſſent primo afferri omnia argumenta Doct. quæ de Angelis fiunt in 2. d. 2. qõ. 9. & in vniuerſum fieri poſſunt de omni eo, quod mutat præſentiam realem, & conſequenter propinquitatem, vel diſtantiam; oſtendimus enim ſupra hanc præſentiam eſſe aliquid reale in re præſenti, ergo non poteſt mutari ſine vera mutatione ipſius rei, deinde mutata præſentia mutantur relationes, & nõ propter mutationes terminorum, vt ſuppono, ergo per mutationem ipſius ſubiecti, ſeu fundamenti, quod in illo eſt; Tandem in ipſa voce eſt repugnantia, cum dicitur aliquid *Conc. Tr.*

mutari

Digitized by Google

mutari per solam extrinsecam mutationem; alias Deus mutaretur cum creat, & verbum cum est vnitum humanitate, & ratio est quia mutatio propriè est actus mobilis, seu subiecti, atque adeo nihil propriè, ac verè dicitur mutari, nisi quod est subiectum motus, vel secundum se totum, vel secundum partem.

Præterea mutari non est aliter denominari, sed aliter se habere, seu esse quam prius, & ideo Deus quamuis desinat esse in creatura illa corrupta non, mutatur nec per se, nec per accidens, quia totum illud est sola extrinseca denominatio in Deo, deinde sequeretur, quod posset corpus Christi per accidens mutari, non solum mutatione locali, sed alteratione, & alia simili, quia calefactis, vel frigefactis speciebus sacramentalibus per denominationem extrinsecam posset etiam dici corpus Christi calefieri, vel frigefieri, esset enim eadem ratio, quod tamen falsum est.

Præterea vltimo hoc manifestari potest in desitione huius præsentiæ corporis Christi destructis speciebus, hoc.n. propriè & verè dicitur, quia verè fit in Christo aliqua mutatio amissiua illius præsentiæ: cum enim illa aliquid reale sit in corpore Christi, illa amissa aliter se habet corpus Christi quam antea, ergo mutatum est.

...tentia. ...conclusio. Est ergo secunda opinio, quæ est Doct. nostri subtil. quæ stat in hac concl. Mutatione extensiua, & non propriè accepta, id est, mutatione non physica, sed conueniente sacramentali præsentiæ corpus Christi in Eucharistia potest primo moueri; probatur quia tenemus ex fide post consecrationem, vbicumque est hostia, ibi verè est corpus Christi, ergo propter præsentiam vniformem corporis ad hostiam; quæ hostia habet aliam, & aliam præsentiam localem primo ad aliud, & aliud continens; hæc autem alia, & alia præsentia non est hic sine mutatione sic extensiuè sumpta, & isto modo inest corpori, vt hic: quia nullo modo corpus Christi, vt in cœlo habet istam præsentiam, imò neutram. Potest autem hæc ratio sic deduci. Dum mouetur hostia, & acquirit nouam præsentiam ad aerem cui applicatur, mouetur simul corpus Christi, cum corpus Christi habeat semper vniformem præsentiam ad hostiam, in quocumq. enim loco sit hostia consecrata, eamdem semper vniformem præsentiam sacramentalem habet corpus Christi ad hostiam, atque adeo mota hostia, cum ipsa acquirat nouam præsentiam ad nouum continens ipsam, scilicet ad aerem cui applicatur corpus Christi, quod simul cum hostia mouetur, acquirit simul nouam præsentiam ad illum eumdem aerē, ergo hac mutatione, quæ non est ad vbi Physicum, neq; ad quantitatem, neque ad qualitatem, neque ad substantiam, sed est mutatio impropriè dicta, potest primo moueri corpus Christi in Eucharistia; consequentia patet, & antecedēs probatur, quia post consecrationem vbicumque est hostia, ibi est verè corpus Christi, quod autem huiusmodi mutatio sibi primo competat patet, quia tunc mutatur Christi corpus in Eucharistia primo, quando mutaretur etiamsi alibi non existeret, sed hac mutatione mutaretur etiamsi alibi non existeret, ergo mutatur primo, vt in Eucharistia existit.

...itum. Sed dubium est an corpus Christi sub speciebus existēs possit habere aliam, & aliam præsentiam ad alium, & alium aerem immotis manentibus ipsis speciebus, ita, quod esset præsentialitas alia, & alia in corpore Christi ad alium, & alium locum, licet species non haberent aliam præsentiam ad nouum locum, & hoc est quod vult dicere Doct. ibi. Et si quæras. Posset ne corpus Christi habere aliam, & aliam præsentiam, & non tantum respectu continentis, scilicet, speciei, id est, non ratione specierum eo modo, quo motis speciebus (quia ipsæ habent aliam, & aliam præsentiam ad aliū, & alium locum) concomitanter (corpus Christi cum ad motum specierum moueatur, habeat aliam, & aliam præsentiam, vt dictum est supra, sed immotis manentibus speciebus, ita q̄ etsi species ipsæ non habeant aliam præsentiam; incipiat tamen corpus Christi habere nouam præsentiam respectu alterius, id est, loci continentis species, licet respectu speciei non habeat aliam præsentiam.

Pro solutione supponit Doctor, q̄ non est simpliciter necessarium corpus Christi esse præsens speciebus, & quod sit eis præsens de facto, est tantum ex ordinatione diuina, de qua Deus certificauit Ecclesiam, & qua statuit, q̄ facta consecratione, (quamdiu illæ species erunt) esse illis præsens corpus Christi.

Secundo supponendo est corpus Christi existens sub speciebus habere respectum continentiæ ad species, qui fundatur in ipso corpore, & terminatur ad species, & insuper respectum præsentialitatis ad aerem continentem species, qui respectus, seu præsentialitates distinguuntur realiter cū sint ad terminos distinctos realiter, nam aer continens species realiter distinguitur ab ipsis speciebus, atque adeo respectus, qui terminatur ad aerem continentem est alius ab eo, qui terminatur ad species, cum idem respectus non possit ad duos terminos essentialiter dependere.

His suppositis respondet Doctor, quod Deus posset de potentia absoluta facere corpus suum non esse præsens speciei isto modo, id est, modo non quantitatiuo manente specie, & facere ipsum isto modo præsens, scilicet præsentialiter aeri circumstanti hostiam, atq; etiam successiuè nunc vni parti aeris, nunc alteri, & sic transferre corpus de loco hostiæ vsque ad quamcumque partem vniuersi, & semper sub eodem modo existendi non localiter cum alio corpore non replente locum, ita quòd Deus efficere posset de potentia sua absoluta, quòd corpus Christi contineretur sub speciebus, & tamen non esset præsens illis, sed alteri loco, imò posset transferre ipsum corpus Christi ad quamcumq; partem vniuersi, manente semper illa continentia sub speciebus, & ratio huius posset assignari, quia illæ duæ præsentialitates, scilicet ad species, & ad aerem continentem species distinguuntur realiter, atque adeo potest Deus facere vnam sine alia.

Ita exponit Doct. Tataretus, sed non bene iudicio meo, quatenus dicit, q̄ posset Deus facere corpus Christi præsens alteri loco, à loco continente species non ipsis speciebus manente continentia corporis Christi sub speciebus; hoc enim videtur contradictionem inuoluere, quòd corpus Christi contineatur, & sit sub speciebus, & non sit speciebus præsens, neque hoc dicit Doct. nam quando dicit, quòd Deus de potentia absoluta potest facere corpus suum non esse præsens speciei, isto modo scilicet, modo sacramentali manente specie; non vult dicere manente corpore sub speciebus, sed vult dicere, quòd & si de facto, & secundum legem positam non possit corpus Christi non esse præsens speciebus, ipsis manentibus, tamen de potentia absoluta posset Deus etiam manentibus speciebus, id est, non corruptis facere corpus suum non præsens ipsis speciebus, & ratio est, quia vt inquit Doct. non est simpliciter necessarium corpus illud esse præsens speciei. Tataretus.

Vnde infero, q̄ licet iuxta legem statutam corpus Christi nunquam separari possit à speciebus, nec moueri nisi motis illis, si tamen Deus vellet posset in hac lege dispensare, atq; adeo transferre posset de potentia absoluta corpus suum ad alium locum relinquendo ibi species, vel constituendo corpus Christi sub alijs accidentibus, vel sub nullis, quia in his omnibus nulla est contradictio, nec repugnantia. Secundo infero, q̄ posset mouere simul totum sacramentum vt ex Christi corpore, & speciebus sacramentalibus constat, imprimendo tamen primo, ac per se motum in corpus Christi, & efficiendo, vt ipsum corpus concomitanter, & per accidens secum traheret species, nam in hoc nulla est difficultas supposita vnione intimæ præsentialitatis, quam supra diximus esse inter corpus Christi, & species.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Corpus Christi in sacramento Eucharistiæ existens posset moueri concomitanter motu locali, quo primo moueri potest in cœlo.

PRo huius difficultatis intelligentia obseruandum est primo, quòd totus ille motus conueniens Christo vt in cœlo primo, dicitur ipsi conuenire concomitanter, & secundariò vt in Eucharistiæ sacramento existenti, qui posset ipsi inesse, etsi q̄ non existeret nisi in sacramento, non autem ille, qui esset ubi in possibilis, si tantum in ipso Eucharistiæ sacramento existeret, & quia motus localis non posset ipsi conuenire existenti præcisè in Eucharistiæ sacramento, ideo talis motus dictus de Christo primo, vt in cœlo, non potest dici de ipso secundariò, & concomitanter, vt existente in Eucharistiæ sacramento.

Secūdo obseruandum est, quòd corpus dupliciter potest moueri de vno loco ad alium locum, vno modo dimitten-

do

do locum priorem, & hoc est in omni motu locali naturaliter possibile, alio modo non dimittendo locum priorem, sed tantum nouum locum acquirendo, & hoc est tantum possibile supernaturaliter, & hoc modo Christus mutatur de cœlo ad Eucharistiæ sacramentum.

Tertio obseruandum est, quòd motus localis in termino dicit respectũ præsentialitatis ad vbi, illud enim quod mouetur localiter acquirit in termino motus respectum præsentialitatis ad vbi, & si mouetur successiuè cum sit continuò in alio, & alio vbi, acquirit continuò aliam, & aliam præsentialitatem ad vbi.

Quarto obseruandum est, ꝙ aliqua accidentia respectiua licet insint Christo in sacramento existente, non tamen est in sacramento, quia ratio essendi in sacramento, vel sub speciebus non est ratio, quare sibi conueniant talia accidentia, huiusmodi autem accidentia respectiua sunt præsentialitates ad locum, quas habet corpus Christi existens in cœlo, esto quod moueatur in cœlo, qui tamen respectus & si insint Christi corpori in sacramento existenti, non sunt tamẽ habitudines ad sacramentum, neque sibi inessent si tantum esset in sacramento; Vnde licet esse circumscriptiuè, vel vbi circumscriptiuum respectu cęli conueniat Christo in sacramento, non tamen vt in sacramento, quia esto quòd Christus non esset in sacramento, tamen sibi conueniret tale vbi, & posito quod Christus solum esset in sacramento non conueniret sibi tale vbi circumscriptiuum, nec ipsum haberet in sacramento.

Quinto obseruandum est, quod aliud est loqui de motu locali, & aliud de respectu præsentialitatis, qui per motum localem acquiritur, patet, quia motus localis non potest cõuenire Christo in Eucharistiæ sacramento existenti, respectus autem præsentialitatis conuenit Christo vbicumque, & quomodocumque existenti.

His obseruatis circa hãc difficultatem est duplex opinio;
Rubion. Prima est Guilhelmi Rubionis in 4.d. 10.q.6.art.2. concl.7. vbi respondens ad vnum argumentum dicit, ꝙ siue Christus moueatur in cœlo ad locum nouum dimittendo antiquum, siue moueatur in cœlo non dimittendo priorem locum, semper Christus mouetur consequenter in sacramento Eucharistiæ, licet non eodem modo, quia si moueatur in cœlo primo modo, mouetur etiam in sacramento, aliter tamen quam in cœlo, si autem secundo modo moueatur in cœlo, mouetur vniformiter in Eucharistiæ sacramento.

Primum sic probat. Omne corpus vbicumque existens nouum locum acquirens dicitur moueri localiter, esto ꝙ locum priorem non amittat, sed Christus in sacramento existens licet nec sacramentum ipsum, nec eius locum amittens acquirit nouum locum in cœlo, ergo Christus mouetur localiter tam à sacramento, quam a cœlo sibi deputato loco licet differenter, quia à loco quem prius habebat in cęlo sic mouetur ad alium, ꝙ ex supposito priorem locum amittit acquirendo nouum locum, à sacramento autem sic mouetur, quòd locum nouum acquirendo in cœlo non dimittit illum, quem habet in sacramento, vel cum ipso sacramento; minor patet, & maior probatur, quia moueri localiter absolutè non est aliud, quam nouum locum acquirere.

Et si dicatur, quòd Christus in sacramento quiescit localiter, ergo non mouetur, quia quiescens in loco non mouetur in ipso, respondet concedendo, ꝙ quiescens in loco non mouetur in ipso, sed bene potest moueri ab ipso, quemadmodum subiectum habens albedinem moueri potest motu alterationis non in albedinem, nec ad albedinẽ, sed ad dulcedinem, & ad quamcumque aliam formam albedini compossibilem; dicitur tamen moueri ab albedine non quidem amissa, non tamquam à termino primo, sed concomitante; ita existens in vno loco potest moueri non in ipso, nec ad ipsum, sed ab ipso non amisso ad quẽcumque alium illi compossibilem, non enim est maius inconueniens subiectum localiter mobile in vno loco quiescere, & manere, & alium acquirere, quam sub vna forma accidentali manere, & ab illa ad aliam transmutari.

Secundum sic probat, videlicet, ꝙ si Christus moueatur in cœlo à loco ibi sibi debito ad alium non dimittendo primum, vniformiter moueatur à loco cœli primo, & ab Eucharistiæ sacramento, quia corpus motum idem est vtrobique, & sicut in cœlo non dimittit primum locum, ita nec in Eucharistiæ sacramento; atque adeo sicut subiectũ habens diuersas formas accidentales vniformiter mouetur ab eis ad quacumque formam aliam, quam acquirit prioribus non dimissis, ita videtur ꝙ corpus in pluribus existens locis, simul vniformiter moueatur ab illis omnibus ad omnem locum alium, quem acquirit de nouo nullo priorum amisso.

Tertio arguitur, & est argumentum primum principale Doct. Quando Christi latus fuit perforatum in cruce, fuisset etiam apertum in Eucharistia, si ibi esset Christus, ergo eundem motum localem, quem habuisset in cruce, haberet in Eucharistia, probatur antecedens, quia continuitas, & discontinuitas sunt accidentia absoluta, quæ eadẽ vt visum est supra conueniunt corpori existenti in diuersis locis, ergo si Christi latus discontinuatur in cruce, etiam in Eucharistia discontinuatur, consequentia verò probatur: quia vulneratio lateris fuit separatio, & diuisio partium corporis Christi, pars autem quę ab alia separatur mouetur localiter, quia ponitur in alio loco distanti ab illo, in quo erat prius, ergo latus Christi vulnerari non posset in Eucharistia sine motu locali, atque adeo si corpus Christi in cęlo, vel in alio loco mouetur localiter, etiam in Eucharistia concomitanter localiter mouetur.

Secunda opinio est Docto. in hac q. qui concl.6. dicit, ꝙ Christus non mouetur cõcomitanter motu locali, quo mouetur primo, vt in cęlo, nec aliquo motu simili motui locali, probatur concl. quia motus localis dicit ordinem ad locum, sed dictum est, ꝙ corpus Christi non habet in Eucharistia ea, quæ habet in cęlo per respectum ad locum, quoniam talia non habent naturalem connexionem cum corpore Christi, ergo motu locali, quo mouetur, vel moueri potest Christi corpus in cęlo, non mouetur concomitanter in Eucharistia. Scoto.

Præterea motus localis intrinsecè includit locum, locus autem idem non potest esse in diuersis locis, quia iuxta Aristot. 4. Physicor. locus non est in loco, & est immobilis; ergo, &c.

Pro ampliori intelligentia opinionis Docto. & solutione argumenti Rubionis obseruandum est, quod Doctor non negat Christum in sacramento Eucharistiæ habere illummet respectum, quem habet corpus Christi vt in cęlo existens ad locum, in quo est, vel ad quem mouetur, nam vt ostendimus supra in 4.q.art.5. si aliquid in esset Christo in cęlo, quod non inesset ei in sacramento, & è conuerso, sequerentur contradictoria simul esse vera, vel posse verificari de eodem respectu eiusdem; nam simul eidem inesset respectus, & non inesset, atq; adeo si in cęlo existens habet respectum ad locum, ad quem mouetur, & in sacramento, existens respectum illum non habet ad eumdem locum, sequitur affirmatio, & negatio eiusdem respectus ab eodem subiecto secundum idem fundamentum, & respectu eiusdem extremi, quapropter omnem respectum habet in sacramento concomitanter ad eumdem terminum, quem habet in cęlo; sicut in celo existens habet respectum præsentiæ sacramentalis non ad celum, sed ad species sacramentales, bene verum est, quod huiusmodi respectus insunt sibi in sacramento, sed non vt in sacramento, vt explicauimus supra.

Sed negat Doct. motum illum localem, quo Christus moueretur in cęlo ei conuenire in sacramento, adeo quòd & si Christus motus in cęlo non moueatur in sacramento, respectum tamen præsentiæ, quem acquirit ad locum nouum motus in cęlo, habet etiam in sacramento.

Et fortè hoc voluit intelligere Rubion, quando dixit ꝙ Christus motus in cęlo licet moueatur à sacramento non tamen in sacramento, & si hoc intellexit nullum est discrimẽ inter ipsum, & Doct. subt.

Cum ergo dicit, quòd Christi corpus in sacramento existens, licet nec sacramentum ipsum, nec eius locum amittẽs acquirit nouum locum in cęlo; si intelligat quòd acquirit nouum respectum ad locum in cęlo per motum tamen qui fit in cęlo, & non in sacramento verum dicit, tamen ex hoc non sequitur, quod moueatur in sacramento localiter, licet posset dici quod mutatur ad illum respectum, quem primo recipit in cęlo; nam prius non habebat illum respectum, & modo habet, ergo mutatum est; sed in hoc articulo non est sermo de mutatione extensiua, & impropriè dicta, sed de locali motu. & in hoc sensu interpretanda sunt, quæ docet Bassolus hac d. q. 4. art. 4. dicens Christum habere in sacramento, & recipere quemcumque motum, vel mutationem, quam habere, vel elicere potest in cęlo, nam non loquitur Bass.

(quan-

Digitized by Google

(quantum ad motum localem) de ipso motu locali propriè, sed de termino motus scilicet de respectu ad locum, siue de vbi passiuo, atque ita patet quòd nullus motus localis, qui conuenit Christo in cælo, vel conuenire potest, conuenit illi in Eucharistia concomitanter, licet respectus ad locum consequens ipsum motum localem conueniens Christo in cœlo primo, conueniat ei concomitanter in sacramento, sed non vt in sacramento.

Ad tertium respondet Doct. negando consequentiam, & ad probationē dicit, quòd vulnus potest accipi dupliciter, vno modo pro diuisione partis ab alia parte, & tunc idem vulnus quod habuisset in cruce, habuisset in pixide; alio modo capitur vulnus pro illo actu, seu diuisione carnis vt hic facta à corpore, id est, lancea subintrante, & diuidente partes corporis, & hoc modo non sequitur, corpus Christi vulneratur in cruce, igitur & in pixide; licet sequatur corpus Christi habet vulnus in cruce, ergo habet vulnus in pixide, quia continuitas, & non continuitas non possunt saluari propter aliud, & aliud vbi. Et si dicas si habuit diuisionem in sacramento, ergo mouetur ibi localiter.

Respondet Doct. quòd quemadmodum corpus quantum habet duplicem positionem vt supra notauimus, altera quę est ordo partium inter se, & ad totum, altera vero, quæ est ordo partium corporis ad partes loci, ita partes corporis Christi dupliciter possent diuidi per vulnerationē lateris, primo in se, ita vt partes, quę per se erant coniunctæ, postea essent distinctæ, diuisæ, & distantes; secundo possent diuidi in ordine ad locum, ita vt partes, quæ ante erant coniunctæ in ordine ad locum, postea essent diuisæ in ordine ad ipsum locum, ita vt diuersis partibus loci responderent. prima harum diuisionum fieret sine motu locali, quia pars diuisa non mouetur à loco, quem antea habebat in alium, quia nō esset in loco; secunda verò diuisio non fieret sine motu locali, quia lancea intrans per latus separaret partes corporis ab vno loco in alium.

Dico ergo ad argumentum, quòd corpus Christi vulneraretur primo modo in Eucharistia, vt sic sine motu locali. Et per hoc inquit Docto. solui potest vnum argumentum, quod fit ad 2. q. quia si vinum posset esse in duobus locis, esto quòd hic sit in dolio clauso, & ibi in dolio perforato, & per consequens hic maneret continuum, ibi autem flueret.

Respondet, quòd comparando partes ad totum, eodem modo haberent continuitatem hic, & ibi, sed comparando ad continens possent habere continuitatem continentis correspondentem hic, quia hic non moueretur, & non ibi, quia ibi moueretur, & flueret; atque adeo quando vinum egrederetur per foramina haberet duas separationes, alteram quantitatiuam, qua eius partes essent diuisæ, alteram verò localem, quia essent in locis separatis, in dolio tamen sano partes haberent separationem quātitatiuam eamdem, cum tamen in loco essent contiguæ. vide Tacta, q.2. huius d. in fine.

ARTICVLVS V.

Vtrum Christus in Eucharistia existens possit primo moueri motu augmentationis, & nutritionis.

TItulus huius difficultatis duplicem potest habere sensum, primo modo intelligi potest de motu respectu agentis increati; an scilicet Deus possit effectiuè nutrire, & augere corpus Christi existens in Eucharistia, apponendo scilicet nutrimentum corpori nutribili: Secundo intelligi potest respectu agentis creati, an videlicet agens creatum possit primo augere, & nutrire corpus Christi in Eucharistia existens.

Secundo obseruandum est, quòd nutritio potest accipi bifariam, vno modo pro appositione, vel approximatione nutrimenti ad os, vel ad stomachum, ac etiam pro cibi comestione, fractione, ac deglutitione, quæ prima digestio appellari solet, secundo pro conuersione nutrimenti in substantiam nutriti, quæ propriè, & in rigore nutritio appellatur.

Tertio obseruandum est, quòd in hoc articulo loquimur de corpore Christi passibili, & mortali, nam certum est, quod corpus Christi gloriosum, neque nutriri, neq; augeri potest.

Quarto obseruandum est, quòd quando dicimus agens increatum nutrire, vel augere, non loquimur de agente intrinseco nutritionis, vel auctionis, nam tale agens est anima vegetatiua; sed loquimur de agente extrinseco apponente, vel approximante nutrimentum, & in eodem sensu etiam loquimur de agente creato, nam principium intrinsecum nutritionis præsupponimus, & appellamus illud intrinsecū principium, prout distinguitur contra extrinsecum agens nutrimentum apponens.

Si sit sermo de nutritione in primo sensu, & de agente increato nutrimentum apponente, sit hæc concl. Licet Deus posset apponere in ore Christi nutrimentum, tamen Christus nutritione impropriè dicta non posset primo in sacramēto nutriri; prima pars probatur, quia ad hoc quòd Deus agat, vel moueat corpus motu corporali non requiritur approximatio pasti secundum locum, ergo poterit Deus immediatè apponere nutrimentum in ore Christi; secunda pars probatur: quia masticatio, & deglutitio cibi non potest fieri sine motu locali, at Christus in sacramento existens nō potest localiter moueri, cum non sit in loco dimensiuè, ergo in sacramento existens non posset nec masticare, nec deglutire cibum, atque adeo nutriri non posset nutritione impropriè dicta. 1. Conclusio

Secunda conclusio. Si sit sermo de nutritione in secundo sensu, ac etiam de agente increato nutrimentum apponente, si Deus apponeret nutrimentum in stomacho Christi, adhuc Christus non posset nutriri, & augeri primo, vt in sacramento existens; sed oppositum huius concl. tenent Bassolus, & Rubion vbi supra, quod ita probant. Omne corpus corruptibile quantum, & extensum vegetatiua anima informatum est aliquo mediante nutribile, & etiam augmentabile vsque ad gradum debitæ sibi quantitatis, sed corpus Christi in Eucharistia existens (esto quòd Christus posuisset suum corpus sub sacramento Eucharistiæ in 12. suæ ætatis anno) esset quantum, & extensum, passibile, augmentabile, & anima vegetatiua informatum, ergo si Deus apponeret in stomacho eius nutrimentum, nutriri, & augeri posset. 2. Conclusio. *Bassolus. Rubion.*

Et confirmatur, nam si Christus instituisset hoc sacramētum diu ante mortem suam, & antea sumpsisset alimētum, & seipsum fecisset sub sacramento, tantum cum illo alimento sumpto, alimentum fuisset digestum, & conuersum in substantiam eius corporis, atque adeo potuisset sic nutriri, & augmentari, patet, quia talis mutatio non requirit nisi ordinem partium corporis inter se, & ad totum, non autem ad locum, & Christus ita est sub sacramento, esto, quòd tātum esset sub ipso, ergo, &c.

His tamen non obstantibus vera est concl. Tum quia nutritio, & actio fieri nequeunt sine alteratione partium corporis Christi; corpus autem Christi ab agente creato non potest vt existens in Eucharistia alterari, atque adeo nec ab eius anima vegetatiua, quæ est agens creatum; tum quia & si fingatur nutrimentum diuinitus applicari, oporteret tamen existere modo indiuisibili sicut existit corpus Christi, alioquin non posset esse intra illud, sed vt sic non posset pati, neque alterari, neque ad partes corporis distribui, nec in corpus Christi conuerti, quæ omnia ad nutritionem requiruntur, ergo &c.

Tertia conclusio. Si sit sermo de nutritione absolutè, & de agente creato apponente nutrimentum, Christus non posset primo nutriri, nec augeri in Eucharistiæ sacramento existens: probatur, quia nutritio, & auctio non fiunt naturaliter sine alteratione partium corporis, sed agens naturale non potest alterare corpus Christi, vt videbimus articulo sequenti, ergo &c. 3. Conclusio

Præterea agens creatum non posset applicare Christo nutrimentum, nec ipsemet posset sibi nutrimentum applicare per intus sumptionem, prout ad vitalem nutritionem necessarium est; ergo non potest corpus Christi vt hic naturaliter nutriri, & consequenter neque augeri, quia auctio intrinsecè requirit nutritionem, antecedens patet, quia ad huiusmodi actiones, & passiones necessarius est modus existendi in loco quantitatiuus, & connaturalis corporibus; quia agentia naturalia agunt per contactum.

Ex his apparet, quid dicendum sit ad difficultatem, & consequenter cum corpus Christi non possit primo in sacramento Eucharistiæ nutriri, & nutritio est necessaria ad cōseruationem vitæ mortalis, si non nutriretur alibi primo,

non

Digitized by Google

non posset corpus Christi in sacramento continuari. Sed esto quòd corpus Christi habet et esse tantum sacramentaliter, adeo quòd non existeret extra sacramentum, quid esset de corpore Christi moreretur ne, vel conseruaretur in esse?

Respondet Doct. in calce huius quæstionis sub lit. L. §. & ex hoc, quod si corpus Christi nusquã alibi esset modo naturali; vel moreretur in Eucharistia deficiente nutrimento iam conuerso, vel perpetuò maneret in vita mortali sine susceptione nutrimenti, si ergo nusquam esset localiter, sed esset tantum in Eucharistiæ sacramento semper maneret ibi sub eodem modo essendi quo inceperat esse ibi, non enim magis posset vt in sacramento mori, quam nutriri.

Quo posito infert Doct. vnum mirabile corollarium, quod esset possibile corpus sub aliquo modo essendi, scilicet sacramentali, viuere vita mortali, & tamen immortaliter sine nutritione, & respiratione, & alijs, quæ ad vitam naturalem communiter requiruntur. & ratio est: quia nullum agens creatum posset habere actionem in tali corpore.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Christus in Eucharistiæ sacramento existens possit primo moueri motu alterationis, & corruptionis.

IN hoc articulo est sermo de motu propriè dicto, & potest difficultas intelligi vel de mouente increato, vel de mouente creato; si fiat sermo de mouente increato, nulla est inter Doctores controuersia, nam omnes vnanimi consensu affirmant Christum in Eucharistiæ sacramento existentem posse à Deo moueri primo motu alterationis, atq; corruptionis; sit ergo hæc conclusio.

Conclusio. Corpus Christi prout est in Eucharistia potest per se primo moueri à Deo ad omnem formam accidentalem absolutam, vt ad albedinem, vel calorem, vel quamcumque aliã formam, ad quam potest moueri, vt existens in cœlo, sed antequam probetur eôcl. obseruandum est, quod non agimus hic de Christi corpore glorioso, quod propter dotes gloriæ inalterabile est, & impassibile propria passione corruptiua, sed agimus de Christi corpore solum secundum suam præcisam naturam considerato, & sub speciebus sacramentalibus constituto, prout in nocte cœnæ fuit.

Hoc supposito probatur sic côcl. Omnem dispositionem necessariam ad recipiendum calorem habet corpus Christi vt existens in Eucharistiæ sacramento, ergo ipsi vt hic non repugnat recipere calorem, esto quod nusquam esset alibi, sed virtus diuina potest passo cuilibet imprimere omnem formam, cuius ipsum est susceptiuum, ergo ipse Deus potest corpus suum, vt existens in Eucharistiæ sacramento transmutare ad calorem, vel quamcumque formam aliam absolutam ipsi possibilem, vt in cœlo; & confirmatur primo: quia ad hoc quòd Deus agat motu corporali non requiritur approximatio passi secundum locum, ergo per se primo poterit corpus Christi moueri à Deo ad quamlibet formã, cuius ipsum corpus est receptiuum, cum virtus diuina omnem formam possit imprimere passo, cuius passum est receptiuum.

Confirmatur secundo: quia si corpus Christi de facto in cœlo calefieret, etiam calefieret concomitanter in Eucharistia, ergo in Eucharistia est capax caloris, Deus autem potest causare in subiectum omnem formam, cuius subiectũ est susceptiuum, ergo poterit Deus causare calorem in illo, & quamcunque aliam formam absolutam, quamuis corpus Christi nullibi existeret localiter; sed tantum in sacramento existeret, quia Deus in actione sua non pendet à loco, tempore, aut modo existendi, atque adeo sine difficultate posset qualitatem quamcumque imprimere in corpus Christi simul illam efficiendo, & modum sacramentalem illi præbendo, & eadem ratione posset Christi corpus corrumpere, & in illam materiam aliam formam introducere, & in hoc vt diximus nulla est controuersia.

Cæterum, si fiat sermo de agente creato, est nominalium opinio affirmantium posse naturalia agentia alterare, & immutare Christi corpus in hoc sacramento existens Deo permittente ad omnem accidentalem formam ipsi possibilem vt in cœlo, ita sentit Ocham in 4. q. 5. Rubion d. 10. q. 6. Aliacus, q. 5. art. 2. Maior d. 10. q. 5. & Gabriel lect. 45. in Ca- (Ocham. Rubion. Alia. Ma. Ga. b.)
no & probatur primo per rationem Doct. Omne quod vt existens in alio est receptiuum alicuius formæ, potest mutari ad formam illam à quocumque ipsam virtualiter continente, hæc maior patet in omnibus; nam omne calefactibile potest calefieri à quocumque calefactiuo, & infrigidabile infrigidari à quocumq; frigefactiuo, & sic de alijs quibuscumque, sed corpus Christi vt existens in sacramento, est calefactibile sicut vt existens in cœlo, cum habeat omnem dispositionem necessariam ad calorem, vt hic existens in sacramento, quam habet vt existens in cœlo, ergo vt hic existens potest mutari ad calorem, vel quamcumque aliam formam, ad quam est dispositum à quocumque agente creato formam illam virtualiter continente.

Et confirmatur. Nam quod ignis, vel quodcumq; aliud calidum non posset calefacere hoc est, vel quia non habet passum, vel quia non habet ipsum dispositũ, vel quia Deus non sinit agere ipsum, vt apparet de igne trium puerorum. Sed corpus Christi est passum sufficienter dispositum ad calorem recipiendum ita, vt est in sacramento, sicut vt est in cœlo, ergo Deo permittente potest ad ipsum mutari à quocumque sibi approximato calorem ipsum virtualiter continente.

Et si dicatur, quòd corpus Christi vt in sacramento est dispositum ad calorem, vel quãcumque aliam formam sibi possibilem, vt in cœlo, non à quocumque agente, sed à Deo tantum. Contra, quoniam vt in sacramento non sit dispositum ad recipiendam formam aliquam sibi possibilem ab agente creato, hoc non potest esse nisi propter modum existendi in ipso sacramento supernaturalem, quia videlicet totum est in toto, & in qualibet eius parte, sed hoc non obstat, quia nec modus existendi in loco huic contrarius, id est modus existendi extensiuus, & quantitatiuus est necessarius ad formam subiecto introducendam. probatur quia si sic, ergo corpus Christi vt in sacramento, non habet dispositionem omnem necessariam ad recipiendum calorem, quam habet vt in cœlo, cum sit in cœlo circumscriptiuè, non autem in Eucharistiæ sacramento.

Præterea ad hoc quod aliquod corpus sit calefactibile, vel ad quamcumque formam naturaliter mobile, nihil facit locus cum calefactibile extra totum vniuersum, & per consequens extra omnem locum existens posset calefieri, & calefieret à quocumque sibi propinquo extra omnem locum similiter existente, & calorem virtualiter continente, sed si locus non requiritur, nec est necessarius ad hoc quod aliquid possit naturaliter calefieri, vel ad quamcumque formã absolutam aliam transmutari, nec aliquis vnus determinatus modus essendi in loco, puta circumscriptiuè adhoc aliquid facit, nec per consequens alius modus essendi in loco videlicet sacramentaliter impediet.

Et confirmatur, quia sicut se habet subiectũ inextensum ad accidens in eo receptibile inextensum, puta Angelus ad notitiam, ita corpus quantum, & extensum ad accidens in ipso receptibile extensum, & quantum, vt corpus Christi ad albedinem, vel calorem; sed subiectum indiuisibile vt Angelus non est receptiuum etiam naturaliter alicuius sibi possibilis indiuisibilis accidentis propter aliquem modum essendi eius in loco, sed præcisè quia tale ens quidditatiuè, ergo similiter in proposito corpus Christi, vel aliud quodcumque quantum nõ est caloris, vel albedinis susceptiuum naturaliter ab aliquo propter aliquem eius modum essendi in loco, sed præcisè quia est tale ens sic extensum, & quantum, ergo sicut Angelus quomodocumque existens, dum tamen maneat sicut est essentialiter indiuisibilis, & inextensus est subiectum receptiuum indiuisibilis accidentis, ita corpus Christi quomodocumq; existens, dum tamen maneat quantum, & extensum est subiectum receptiuum cuiuscumque diuisibilis accidentis; sed corpus Christi vt in sacramento existens est quantum, & extẽsum, cum habeat in ipso ordinem partium in toto, licet non in sacramento, ergo, &c.

Secundo arguitur, & est secundum principale Doct. Nutritio est ad substantiam, ergo non potest idem simul nutriri, & non nutriri, Christi corpus nutriebatur in existentia naturali, ergo nutritum fuisset in existentia sacramentali, sed nutritio est mutatio corporalis, & fit à virtute creata, nempè ab anima vegetatiua, ergo &c.

His tamen non obstantibus tenenda est opinio Doct. quæ est

Thomas. Richardus in lusso. est etiam opinio D. Thom. p. 3. q. 76. art. 7. & q. 91. art. 4. Richard. art. 4. q. 2. & omniũ modernorum. Sit ergo hæc concl. Corpus Christi non potest per se primo moueri ab aliqua creatura motu corporali alterationis, & per consequens nec corrũpi prout est in Eucharistia; prima pars probatur, quia nulla creatura agit per se primo, nisi in corpus approximatum secundum locum, sed corpus Christi in Eucharistia nõ est vt in loco, ergo nulla creatura potest per se primo, illud mouere, neque in illud agere, quia secundum locum nulli agenti creato est approximatum, sed solum species sub quibus continetur approximantur cuicumq; agenti localiter, maior patet, quoniam omne agens naturale secundũ Arist. agit per contactũ, qui quidem contactus non nisi per quantitatem fieri potest, corpus autem Christi quantum spectat ad hanc rationem est in sacramento sicut Angelus, qui corporaliter nec agere, nec pati potest, approximatio autem seu contactus agentis ad passum aliter fieri nequit, quam per quantitatem extensam in ordine ad locum, si actio sit corporea; probatur secunda pars, quia Christus in Eucharistia existens neque ab intrinseco corrumpi potest cum inter partes eius nulla possit esse actio, neque vna pars possit ab alia pati, vt diximus in calce superioris art. neque ab intrinseco per alterationem quia est illius incapax, neque per diuisionem, seu partium sectionem, quia hæc nõ fit naturaliter nisi per motum localem, vel interpositionem alterius corporis, quæ necessariò supponit extensionem in loco; præter autem hos modos nullus est alius, quo humanum corpus corrũpi
go. possit, & fortasse hoc sensu dixit Hugo de Sancto Victore in nocte cœnæ fuisse corpus Christi in sacramento impassibile, nam potuit hoc dici non propter dotem gloriæ, quam Christi corpus tunc non habuit, licet si voluisset potuisset ea vti, sed propter modum existendi in sacramento.

Pro solutione autem argumentorum Nominalium aliqua obseruanda sunt, primo obseruan. est, ꝙ actio naturalis agentis cum sit transiens recipitur in passo, atque adeo cum omne quod recipitur ad modum recipientis accõmodetur, si deberet talis actio recipi in corpore Christi reciperetur per modum eius, ita vt sicut ipsum est indiuisibiliter præsens, & totum in qualibet parte, ita actio, vel qualitas, quæ in eo fieret acciperet similem indiuisibilem præsentiæ modum, & tota esset præsens in qualibet parte spatij, seu specierum sacramentalium, nullum autem naturale agens potest efficere actionem suam, vel terminum eius cum tali modo existendi, nam sicut corpus natura sua postulat modum existendi in loco extẽso, ita etiam qualitates, & passiones eius, & sicut hic modus sacramentalis est supernaturalis corpori, ita & qualitatibus, & passionibus eius, cum ergo agentia naturalia nihil supernaturale efficere possint virtute naturali, sequitur ꝙ non possunt producere qualitates cum tali modo, vel sub tali modo.

Secundo obseru. est, ꝙ ad actionem naturalem necdum requiritur dispositio passi, sed etiã dispositio agentis, ad hoc quod agere possit, inter alias autem conditiones quas requirit agens naturale vna, & præcipua est, quòd habeat passum sibi localiter approximatum, vt omnis philosophia docet, quam appropinquationẽ aliter fieri posse negat, quam per quantitatem extensam in ordine ad locum, adeo per modus existendi quantitatiuus, & connaturalis corporibus existendi in loco est necessaria conditio ad huiusmodi actiones, & passiones cum naturalia agentia agunt per contactum, qui quidem contactus (vt sæpè dictum est supra) nisi per quantitatem fieri non potest.

His obseruatis respondetur ad argumenta, & ad primum respondet Doctor sub litter. K. § Ad quartum ibi ad quartum concedo quod probatur, scilicet, quòd absolutè potest hoc corpus moueri primo, motu corporali propriè dicto, sed non à quocumque sed à Deo immediatè; sed nego quod possit primo moueri ab agente creato, & ratio est: quia ad hoc quod aliquid recipiat aliquam qualitatem duæ conditiones requiruntur, prima quod sit illius susceptiuum, secunda quod tale corpus sit approximatum localiter, modo licet corpori Christi conueniat prima conditio, deficit tamen sibi secunda, atque adeo non potest alterari ab aliqua creatura; nulli enim agenti est corpus Christi in sacramento existens approximatum localiter, cum non sit in loco circumscriptiuè.

Creatura autem in sua actione non solum respicit per se susceptiuum, id est, non solum respicit passum secundum quod est susceptiuum formæ, sed etiam secundum illas conditiones accidentales, id est, secundum debitam approximationem, vel distantiam, & secundum quod est localiter in loco, Deus autem gloriosus non sic, imò potest agere in corpus quantumcumque distans, siue non approximatum localiter, quia potentia eius respicit passum absolutè secundum quod est susceptiuum formæ absque aliqua alia conditione, quæ necessaria est respectu agentis cuiuslibet naturalis; nam ordo præfixus causæ, vel agenti inferiori non est præfixus agenti superiori, & maxime primo.

Ad argumentum, ergo nego maiorem absolutè, sed vera est præsuppositis necessariò requisitis ad agendum, sed illis præsuppositis minor est falsa, quoniam licet Christus in sacramento existens habeat omnem dispositionem necessariam ad calorem recipiendum, non tamen respectu cuiuscumque agentis, quia non respectu agentis creati.

Et ad improbationem dico, quòd assumit falsum, scilicet, quod modus existendi in loco circumscriptiuè non sit necessarius ad formam in subiecto introducendam ab agente creato, & ad probationem cum dicit primo, quòd tunc corpus Christi vt in sacramento, non haberet omnem dispositionem necessariam ad recipiendum calorem, quam habet vt in cœlo, cum in cœlo sit circumscriptiuè, non autem in sacramento, dico quòd modus existendi in loco circumscriptiuè non est modus necessarius respectu cuiuscumque agentis, sed solum respectu agentis creati, atque adeo cum in sacramento, non habeat talem modum ab agente creato moueri non potest, & cum talis modus non sit necessarius respectu agentis increati, ab agente increato etiam vt in sacramento potest moueri primo, & cum dicit secundo, quod nihil facit locus ad hoc, quod alterabile possit moueri, falsum assumit, si intelligat respectu agentis creati, & ad probationem dico, quod si calefactibile esset extra totum vniuersum non posset ab aliquo agente creato calefieri, quia nullum agens creatum esset sibi approximatum, nam illud calefactibile esset nusquã, & per consequens non esset propinquius huic agenti, quam alteri, nec ab vno remotius, quam ab alio, quia nullam penitus habitudinem haberet ad quemcumque locum, atque adeo nulla esset ratio quare magis calefieret ab hoc calido, quam ab alio, vt in simili de lapide extra cęlum posito docet Richar. in 4 d. 10. art. 4. q. 2. in solutione secundi. Richardus.

Et ad confirmationem dico, quod non est simile de Angelo respectu motus, & de corpore respectu actionis corporalis, non enim sufficit ad hoc, quod corpus recipiat corporalem actionem quod sit quantum, & extensum, sed requiritur quòd agens sit sibi approximatum, non potest autem agens naturale quantum approximari quanto passionis receptiuo nisi tam agens, quam passum sint in loco circumscriptiuè, quia vt diximus, non agit nisi per contactum, qui fieri nequit nisi ratione quantitatis extensæ in loco.

Ad secundum dico, quòd nutritio potest accipi dupliciter: vno modo impropriè, scilicet pro prima digestione, quę fit in ore, puta pro comestione, et deglutitione cibi in stomachum; alio modo propriè pro aggeneratione partis substantiæ ipsi toti nutrito; si hoc secundo modo accipiatur nutritio, dico quòd si Christus fuisset nutritus in vno loco, & in alio, & cum infertur ergo vtrobique mutatur, distinguo aut eodem modo & sic nego, aut diuersimodè, & sic concedo, nam Christus existens sub modo naturali nutriretur primo per nutrimentum, si esset sibi approximatum, & nutriretur concomitanter prout est sub modo sacramentali propter approximationem nutrimenti alibi factam; quia alibi nutriretur, sed esto, quod Christus esset tantum sub modo sacramentali non posset vllo pacto nutriri, vt diximus supra, atque adeo non sequitur si Christus nutriatur primo sub modo naturali, quod fiat nutritio corporis Christi primo, vt in sacramento, quia non fieret per nutrimentum approximatum vt hic, sed tantum esset hic concomitanter propter conuersionem nutrimenti alibi approximati. & propter identitatem substantiæ hic, & ibi, quam oportet vbique habere, easdem partes.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Vtrum Christus existens in Eucharistiæ sacramento possit moueri concomitanter omni motu ad formam absolutam ab eodem agente, à quo mouetur primo sub modo naturali existens.

HÆc quæstio non quærit, an easdem proprietates, quas primo habet Christus antequam constituatur sub Eucharistiæ sacramento habeat etiam concomitanter sub Eucharistiæ sacramento constitutus, de hoc enim disputatū est supra hac d. q. 4. in qua determinatū est corpus Christi prius existens alicubi sub modo naturali, si ponatur postea in alio loco sub modo sacramentali ex natura rei afferre secum omnes suas proprietates, & passiones, quas in priori loco habebat, sed quæstio quærit, esto ꝙ Christus habeat simul duas existentias, sicut de facto modo habet. i. existat sub modo naturali. & sub modo sacramentali, an moueatur, seu recipiat omnem formam absolutam concomitanter in Eucharistiæ sacramento, ad quam mouetur, vel primo recipit in existentia naturali, adeo quod si Christus modo in cœlo existens moueretur ad calorem, calefieret etiam concomitanter in Eucharistiæ sacramento existens.

Pro cuius solutione obser. est, ꝙ potest esse sermo vel de motu respectu agentis increati, & per potētiam ordinariam agentis, vel operantis per absolutam potentiam, vel potest esse sermo de motu causato ab agente creato; si fiat sermo de motu respectu agentis increati per potentiam ordinariam operantis est vnanimis omnium Theologorum consensus, quòd qualibet mutatione corporali propriè dicta terminata ad formam absolutam potest Christi corpus mutari concomitanter vt in Eucharistia existit, quod patet ex his quæ dicta sunt in 4. q. huius d. in qua determinatum est, quòd omnem formam absolutam, quam Christi corpus habet in cœlo, habet in Eucharistia concomitanter, & probabitur infra in hoc art.

Suarez. Si autem fiat sermo de motu respectu agētis increati per potentiam absolutam operantis, est opinio Suarez 3. p. to. 3. q. 75. disput. 48. sect. 5. & 6. dicentis, quod si idem corpus ponatur in pluribus locis, potest moueri in vno loco ad qualitatem, vel formam absolutam, & non in alio, cuius fundamentum est, quia huiusmodi mutatio superueniens rei existenti in loco, semper terminatur ad aliquid ex natura rei distinctum, & separabile à subiecto, quod ex volūtate Dei pendet, quod in vtroque loco habeat, vel non habeat, ergo potest Deus efficere, quod habeat in vno loco, & nō in alio; probatur: quia hæ proprietates neque ex re ipsa intrinsecè sequuntur, neque ei sunt debitæ ex natura rei, vt supponitur; ergo quando res fit vt aliquam habeat ex his proprietatibus, necessaria est noua actio, quæ non solum est distincta ab actione, qua fit subiectum, sed etiam nullam habet connexionem cum illa, ergo quod de facto coniungantur, ex voluntate, & concursu extrinseci agentis pendet, ergo similiter quod coniungantur in vno loco, & non in alio pendet ex voluntate Dei, qui supernaturaliter operatur, atque adeo poterit Deus mouere corpus Christi in cœlo ad calorem absque eo, quòd moueatur in Eucharistia, & per consequens erit in cœlo calidum, & non in Eucharistia.

Reijcitur opinio Suarez. Sed hæc positio stare non potest, nam ad eam sequitur manifesta contradictio, nam esset affirmatio, & negatio eiusdem de eodem simul, & respectu eiusdem; nam de eodemmet corpore Christi diceretur, simul calidum, & non calidum; si enim Christus mouetur in cœlo ad calorem, & eadem mutatione non mouetur in Eucharistia, sequitur, quòd idem subiectum simul mouetur, & non mouetur ab eodem mouente, & respectu eiusdem formæ, quod manifestam inuoluit contradictionem, præterea impossibile est vnum, & idem esse vna, & eadem forma simul informatum, & non informatum, sed totus Christus est vnus, & idem in cœlo simul, & in Eucharistiæ sacramento, ergo eadem forma informatur necessario vtrobique.

Ad fundamentum autem Suarez respondetur, quòd quamuis quæcumque forma absoluta, quo ad esse, vel non esse, atque ita ad inesse, & non inesse dependeat à voluntate diuina, neque sit necessariò Christi corpori debita ex natura rei; tamen esto, quod Deus in cœlo illam in corpore Christi inducat, necesse est, vt eam habeat etiam in Eucharistia, cum idem corpus Christi numero sit in cœlo, & in Eucharistia, alias haberet eam, & non haberet eam, quod est manifesta contradictio.

Suarez. Si autem fiat sermo de motu causato ab agente creato Suarez vbi supra sentit, quòd mutatio facta ex sola virtute agentis naturalis in vno loco non fit in alijs locis distantibus, in quibus idem corpus existit, quod probat in singulis mutationibus, quæ sunt ad formas absolutas, & primo de alteratione, quia si corpus (inquit) existat hic, & Romæ, & hic calefiat ab igne ex virtute illius agentis non potest illa calefactio Romæ fieri, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum, nisi intra suam sphæram, ergo non potest calefactionem, seu calorem Romæ transmittere.

Et si dicatur, quod quamuis agens per se consideratum non habeat hanc virtutem, nihilominus illum effectum sequi ex necessitate materiæ, quia quod actioni huius agentis hic subijcitur idem omnino est Romæ.

Contra primo: quia hic effectus quod hic calor adsit Romæ est nouus effectus realis, ergo necessariò esse debet ab aliqua causa reali efficiente, quæ habeat vim effectricem illius, sed hanc non habet ignis ex se, neque identitas subiecti eam illi confert, ergo &c.

Secundo ex illa actione sequetur, quòd ille calor habeat duas præsentias reales, vnam hic, alteram Romæ, sed hic est effectus valde supernaturalis, ergo non potest illum efficere ignis virtute sua etiamsi subiectum sit idem in vtroque loco.

Tertio, calefactio facta in corpore Christi existentis, verbi gratia, in cœnaculo non posset virtute agentis naturalis transire in idem corpus sub speciebus panis existens, quia oporteret calorem illum recipere modum sacramentalem existendi sub speciebus, totumque existere in toto, & totum in qualibet parte; hoc autem neque ab agente naturali virtute, neque ex vi materialis alterationis fieri potest, quia ille modus sacramentalis supernaturalis est.

Secundo probat de motu augmentationis, & primo de motu augmentationis, qui fit per modum continuationis, vel diuisionis, vt cum aqua aquæ infunditur, vel ab aqua separatur, & de hoc constat non necessario consequi ex vno loco ad alium; Vnde si eadem aqua esset hic & Romæ in duplici vase, posset hic effundi, & in vase hic existente diminui, & non Romæ, & eadem ratione quamuis perforarentur manus Christi in cruce ex vi talis agentis naturalis non perforarentur in Eucharistia; quia per se, & formaliter solum est quædam diuisio continui motu locali facta, & simili modo, quamuis in propria specie effunderet sanguinem, non egrederetur hic sanguis ex corpore prout in Eucharistia existeret, atque adeo maneret sanguis in sacramento intra corpus, & continuus reliquo sanguini, sicut erat antea.

Secundo probat de augmentatione, & diminutione, & dicit quòd huiusmodi motus factus in corpore in vno loco, non fit necessario in alio, vt factus in corpore Christi extra sacramentum, non necessario fiat in sacramento, vt patet de nutritione, quæ non fit sine coniunctione extrinseci corporis, scilicet nutrimenti, seu materiæ eius, sed potest esse corpus in duobus locis, & nutrimentum tantum in vno, ergo applicabitur nutrimentum viuenti in vno loco, & non in alio, ergo continuabitur illi in vno loco, & non in alio. præterea. Si ignis existens hic, & Romæ hic generet ignem ex ligno non sibi illum continuando, nemo dicet ignem illum denuo genitum statim incipere esse hic, & Romæ, quia lignum ex quo genitus est, vt supponitur non erat Romæ, ergo & si ignis genitus esset sibi continuatus non propterea inciperet esse Romæ, atque adeo posset ignis per iuxtapositionem augeri in vno loco, & non in alio, ergo eadem ratione posset viuens per intus sumptionem, quia reuera est ferè eadem ratio.

Tertio probat de corruptione, & eius potissima ratio est, supponendo, quòd eadem forma possit informare duas materias, atque adeo si anima esset vni parti materiæ vnita in vno loco, & non alteri, cui est tantum vnita in alio loco posset separari, & amittere vnionem in vno loco, & non in alio, ergo eadem ratione posset diuina virtute esse in vno loco vnita vni corpori, & in alio alteri, & tunc licet separaretur ab vno per actionem alicuius agentis naturalis, non propterea necessariò separaretur ab alio; ergo pari ratione è con-

Digitized by Google

è conuerso posset materia in vno loco esse vnita formæ, & non in alio, & tunc quamuis ab vna forma separaretur in vno loco, non separaretur ab alia in alio, ex quo sequitur, quòd si causæ naturales applicentur corpori in vno loco, & non in alio possent illud corrumpere in vno loco, & non in alio.

Scotus. D. Thomas. Altisiod. Aegidius. Petr. Soto. Innoc.

His tamen non obstantibus tenenda est opinio Doctor. quæ est etiam opinio D. Thomæ tertia parte quæstione septuagesimasexta, articulo primo, & octuagesimaprima, articulo quarto, & idem frequentius sentiunt Theologi in quarto distinctione decima. Altisiodorensis libro quarto, summæ tract. 5. capitulo quinto, quæstione sexta, Ægidius Theoremate 46. Petrus Soto libro 6. de Eucharistia, quæ videtur etiam fuisse opinio Innocentij libro 4. de hoc mysterio cap. 6. Hi omnes doctores tenent, quòd si corpus Christi in cœlo mouetur ad aliquam formam primò & per se, ad eamdem mouetur in Eucharistia concomitanter, & ab eodem agente à quo mouetur in cœlo, probatur, quia nullum absolutum desinit esse in aliquo propter nouum respectum extrinsecus aduenientem, neque variatur, ergo illa præsentia, qua corpus Christi est præsens sacramento, cum sit respectus extrinsecus aduenìens, non variat quin corpus Christi habeat eadem absoluta, quæ habet in cœlo, vel posset habere, ex quo sequitur quod omnia absoluta tam in esse quam in fieri, quæ conueniunt Christo in cœlo, conueniunt Christo in sacramento, tàm quo ad esse, quam quo ad fieri, id est, si Christus in vno loco habeat albedinem, etiam & in alio, & si in vno loco mouetur ad caliditatem, mouetur concomitanter & in alio.

Probatur secundo discurrendo per omnes mutationes, quæ sunt ad formas absolutas, & primo de alteratione. Clarum est enim, quod si Christus mutatur ad caliditatem in cœlo, vel alibi in existentia naturali, concomitanter mutatur, & erit calidus in sacramento.

Idem patet de augmento & diminutione, quia si pars quantitatiua adueniret, vel recederet à corpore in existentia naturali, consimiliter adueniret, vel recederet in Eucharistia, quia easdem partes habet corpus sub vno modo essendi, quas sub alio, vt probatum est quæst. 4. huius distinctionis, alioquin verificarentur contradictoria de eodem simul respectu eiusdem, scilicet habere, & non habere, vel non habere, & habere eamdem partem; Consimiliter dicendum est de nutritione, quia nutritio propriè est aggeneratio partis toti nutriendo, sed non potest aliqua pars esse hic aggenerata, quæ non sit aggenerata ibi, quia alias sequeretur contradictio.

Eodem modo dicendum est de corruptione, quæ opponitur nutritioni, si enim aliqua pars deperit corpori in existentia naturali existenti, ipsa non manet pars eiusdem in sacramento, & è conuerso propter eamdem rationem contradictionis.

Diluuntur rat. Suarez.

Respondendum est modo ad argumenta Suarez, & primo obseruandum est, quod approximatio agentis ad passum non requiritur nisi in loco, in quo primo mouet, & causat effectum, non tamen in eo loco, in quo concomitanter mouet, vel causat effectū, veluti si idem homo esset in duobus locis, si in vno combureretur ab igne, combureretur etiam in alio, & tamen ignis non esset præsens, nisi tantum in eo loco, vbi primo comburit, sed non in illo vbi comburit concomitanter.

Hoc supposito ad primum de alteratione dico, quòd si corpus existat hic, & Romæ, si calefiat hic, calefiet concomitanter etiam Romæ, & cum dicit quòd non: quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum nisi intra suā sphæram, &c. dico quòd falsum supponit, scilicet, quod ignis calefaciens hic, calefaciat idem corpus Romæ, nam ignis existens hic calefacit hic, & non Romæ, sed quia idem corpus, quod est hic, & etiam Romæ, ideo est calidum etiam Romæ, sed non fit Romæ calidum, quia non est Romæ primo calidum, sed concomitanter, atque adeo non est necesse, quod corpus existens calidum Romæ fiat calidum per transmissionem caliditatis ab igne hic calefaciente, sed est calidum Romæ, quia est idem corpus Romæ quod est hic, & quod hic fit primo calidum.

Et cum dicit, quod ille calor haberet tunc duas præsentias, concedo, sed illas non haberet ab igne, sed à constituente corpus in duobus locis, ignis enim non poneret calorem nisi hic, in quo primo calefacit, at quia illud corpus, quod calefit hoc in loco, est etiam Romæ, consequenter calor ille, est etiam præsens Romæ, sed hanc præsentiam non habet ab igne causante, sed concomitanter à Deo corpus illud Romæ constituente, nā posito primo miraculo concurrit Deus ad omne id, quod necessariò sequitur ad illud, sed posito eodem corpore in duobus locis, si in vno loco corpus illud calefiat, necessariò sequitur quod calefiat in alio propter contradictionem euitandam, ne idem corpus simul, & in eodē tempore diceretur calidum, & non calidum, atq; adeo idem calor ratione subiecti est etiam præsens Romæ ab eodem agente, quod idem corpus hic existens constituit etiam Romæ.

Ad tertium dico, quod falsum supponit, scilicet, quod calor quo Christi corpus fieret calidum in cœnaculo, transiret in corpus Christi sub speciebus panis existens, nam si calor transiret corpus Christi, id est, migrasset à corpore Christi non esset corpus Christi calidum in cœnaculo; eodem ergo calore, quo corpus Christi esset calidum in cœnaculo, esset etiam calidum sub speciebus, sed in cœnaculo primo, & sub speciebus concomitanter; & sub speciebus panis existens calor ille in corpore Christi haberet modum consimilem essendi cum corpore Christi non tamen ab igne calefaciente, sed à Deo corpus Christi sub speciebus sacramentaliter constituente, vt dictum est.

Ad secundum de motu augmentationis, dico, quod si eadem aqua esset hic, & Romæ in duplici vase; quod si diminueretur, vel augeretur in vno, diminueretur, & augeretur in alio, bene verum est quòd effunderetur, vel intromitteretur in vno, & non in alio, quia effundi, & intromitti dicit motum localem, qui cum sit vbi posterior, variari potest ad vbi variationem, & si ab vno vase tota effunderetur non esset necesse retenta totali eius quantitate, quòd effunderetur ab alio, atq; ita vnum vas posset euacuari aqua, & nō aliud; quia posset eadē aqua effusa ab vno vase conseruari in alio, cum idem corpus possit per Dei potentiam esse in pluribus locis, & ita posset esse effusa in terra, & clausa in vase, sicut ex supposito potuit esse in duplici vase, nec inconuenit idem corpus figurari duplici extrinseca figura; vt diximus in secunda quæst. esset bene inconueniens, quòd eadem aqua augeretur, vel minueretur in vno loco, & non in alio, cum auctio, & diminutio sint absoluta, & priora ipso vbi, quæ nō variantur ad vbi variationem. Concedo, quod si perforarentur manus Christi in cruce, quod non perforarentur in Eucharistia, cum perforari dicat motum localē, tamen si Christus in cruce haberet perforatas manus, haberet etiam perforatas in Eucharistia, vt diximus supra de vulnere laterali, nego tamē quod si effunderetur sanguis Christi ab eius corpore existente in cruce, quod non esset effusum ab eodem corpore in Eucharistia existente, licet non effunderetur vt in Eucharistia, atq; adeo falsum est, quod sanguis effusus à corpore Christi in cruce maneret in eodem corpore existente in Eucharistia, esset que continuus reliquo sanguini sicut antea; hæc enim manifestam inuoluunt contradictionem, videlicet quòd haberet, & non haberet sanguinem, vel aliquam partem sanguinis.

Et ad id, quod dicit de nutritione, quod posset fieri in corpore Christi in vno loco, & nō in alio, dico, quod falsum est, & cum dicit, quod nutritio non fit sine coniunctione extrinseci corporis, & q; potest applicari nutrimentū corpori existenti in vno loco, & non in alio, concedo, & cum infert, ergo nutriretur in vno loco, & non in alio, si intelligat absolutē, nego consequentiam; nam nutriretur vtrobique, sed in vno loco primo vbi scilicet, approximatur nutrimentum, & in alio concomitanter propter conuersionem nutrimenti alibi approximati, & propter identitatem subiecti hic, & ibi, ad quam identitatem requiritur subiectum habere vbique easdem partes, nec est imaginandum quod materia, vel quantitas cibi in alium transferatur locum ad hoc vt in illo nutriatur, vt falso imponit Scoto, quod nunquam somniauit, vt patet ex responsione eius ad secundum principale huius quæstionis, ac etiam ad secundum quæstionis sequentis; sed satis est, quod nutrimentum approximatum viuenti nutriendo in vno loco conuertatur in substantiam nutriti, vel nutriendi, nam hoc posito statim sequitur, quod nutriatur concomitanter vbicumque sit.

Ad aliud de igne dico (posito per possibile, vel impossibile) quod ignis generaret ignem de ligno, & ignis genitus esset distinctus, & non continuatus cum igne generante; quod ignis genitus ex hoc solo non esset hic, & Romæ, esto quòd ignis generans esset hic, & Romæ, sed hoc stante, sicut ignis Romæ non esset auctus, ita nec ignis hic existens esset auctus.

Sed nego, quòd si ignis generaret ignem de ligno, & ignis genitus continuaretur igni generanti, adeo quod fieret hic maior, quod non continuaretur eidem igni Romæ existenti, & per consequens quòd ignis Romæ existens non fieret maior concomitanter, si esset penitus idem ignis numero hic, & Romæ.

Ad vltimum de corruptione admisso supposito, quod tamen est falsum, scilicet eamdem formam posse informare plures materias. Dico quod nullum sequeretur inconueniens, quod forma separaretur ab vna materia in vno loco, & non in alio, sed è conuerso, esto quod eadem materia informata ab eadem forma esset in pluribus locis, vt quod idem corpus humanus esset in duobus locis eadem anima intellectiua informatum non posset anima separari ab illo corpore in vno loco, & esse cum eodem met vnita in alio; nam sequeretur manifesta contradictio, scilicet quòd idem homo esset viuus, & non viuus, mortuus, & non mortuus, vt etiam diximus supra in 2. quæst.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Christi corpus existens naturaliter corrumpi possit, & tamen non corrumpatur in Eucharistia.

Sensus est, an si Christus corrumperetur in cœlo, corrumperetur in Eucharistia, vel non; Et videtur quod sic, quoniam corruptio mutatio est ad formam absolutam, scilicet ad substantiam.

Explicatur Scotus. Respondet tamen Doct. esse diuersam rationem de corruptione, & de alijs mutationibus, quoniam inquit, quamuis corrumperetur in cœlo, vel in existentia naturali, non corrumperetur propter hoc in Eucharistia. Quæ responsio prima facie videtur impossibilis, & implicatiua contradictionis, nihilominus si bene percipiatur mens Doct. vt ipsemet statim se explicat verissima est eius assertio; quoniam intentum illius non est asserere, quod si Christi corpus corrumperetur in cœlo, & conuerteretur per impossibile in cineres, maneret in Eucharistia integrum, & incorruptum, quoniam hoc manifeste contradictionem inuoluit. Vult ergo dicere Docto. quod si corpus Christi corrumperetur in cœlo non maneret in Eucharistia corruptum eo modo, quo maneret in cœlo, quoniam in cœlo maneret materia corporis Christi sub forma cinerum, in Eucharistia autem nullo modo maneret materia corporis Christi, nec cum forma cinerum, neque sine illa, sed statim ac in cœlo separaretur forma corporis Christi à materia, statim itaquam in Eucharistia separaretur à materia corporis Christi, atque desineret esse materia corporis Christi in Eucharistia, atque ita nihil Christi in Eucharistia maneret; quia nec forma, nec materia.

Probatur conclus. & supponitur primo, quòd corruptio propriè dicta est separatio formæ à materia, manente postea materia sub priuatione formæ.

Secundo supponitur, quòd anima perficit primo, id est, adæquatè suum primum, id est adæquatum perfectibile, scilicet totum corpus humanum; partes autem non perficit primo, sed quatenus sunt aliquid primi perfectibilis.

Tertio supponitur, quòd corpus habet propriam formam distinctam ab anima, quæ appellatur forma corporeitatis, qua corpus constituitur in esse corporis, & qua mediante materia informatur ab anima.

Quarto supponitur, quòd primum signatum in Eucharistia sacramento est corpus compositum ex materia, & forma corporeitatis siue includat sanguinem, siue non; patetque, ta si in triduo mortis D. Petri consecrasset panem, sub speciebus panis facta consecratione esset tantum corpus Christi sine anima, ac etiam sine sanguine, quia anima erat à corpore separata, & sanguis effusus; Postremo supponitur, quòd vniuersaliter quando aliquid competit primo toti, & parti non conuenit parti, nisi quia conuenit toti, destructo toto in ordine ad illud, pars non haberet eumdem ordinem ad idem, verbi gratia, esse in sacramento Eucharistiæ conuenit primo corpori composito ex materia, & forma corporeitatis, materiæ autem conuenit quatenus est pars corporis, & ratione corporis, atque adeo corrupto corpore in ordine ad illum essendi modum, materia non habet eumdem ordinem ad sacramentum.

His suppositis probatur sic conclusio. Corruptio est separatio formæ à materia manente materia cum priuatione formæ, sed si forma corporis Christi, scilicet corporeitas separaretur à materia in cœlo, materia corporis Christi non maneret vllo modo in sacramento Eucharistiæ, ergo in Eucharistia non fieret corruptio corporis Christi.

Maior patet ex primo supposito, & declaratur exemplo, nam quando lignum ab igne corrumpitur, materia ligni manet cum priuatione formæ ligni, & minor probatur, quia materia corporis Christi non est in Eucharistia, nisi ea ratione, qua est pars corporis Christi, vt patet ex vltimo præsupposito, quia panis non conuertitur nisi in corpus Christi, omnia autem quæ sunt in corpore Christi in Eucharistia, ideo sunt in Eucharistia, quia sunt aliquid ipsius corporis; sed si corpus Christi in cœlo esset corruptum, iam materia non esset pars illius; ergo materia corporis Christi non maneret in Eucharistia; quoniam non manente aliquo toto sub ratione primi signati, nihil eius remanet tamquam signatum eius per se, separata autem forma corporis à materia in existentia naturali, non maneret illud primum signatum eius per se sub Eucharistia; quia materia haberet simul formam, & non haberet, haberet si maneret signatum primum sub Eucharistia, non haberet si esset corruptum in existentia naturali, atque adeo sub illo signo, id est, sub sacramento nihil omnino maneret istius signati, scilicet corporis, neque enim materia sub forma propter contradictionem, neque materia sine forma omnino; quoniam non continetur hic scilicet, sub sacramento, nisi quia est pars totius, id est, primi signati, scilicet corporis, neque materia sub alia forma puta sub forma cinerum, quia sub ea forma non est signatum huius signi, scilicet sacramenti, vel sub quacumque alia forma, quia tunc simul haberet, & non haberet illam aliam formam, nam ex posito haberet eam sub sacramento, & non haberet eam extra sacramentum.

Sed contra prius concessum est in quæstione quarta huius distinctionis, quòd posset manere res Eucharistiæ, & si corpus namque haberet existentiam naturalem, imò posito, quod corrumperetur in existentia naturali, non sequitur, quin possit manere verè idem, vt est res Eucharistiæ.

Respondet Doctor, quòd illa desitio corporis sub existentia naturali posset esse tota, & totalis, quasi esset annihilatio, & verè esset annihilatio, si corpus alicubi non esset, tamen maneret totum idem hic sub alio modo existendi, vult dicere Doctor, quòd esto quod corpus Christi nullibi esset sub existentia naturali, id est, sub modo essendi quantitatiuo, posset tamen idem corpus esse sub sacramento, sub modo sacramentali, adeo quod si accipiatur desitio pro non esse simpliciter, sub modo naturali, non sequitur corpus Christi non habet esse sub modo naturali, ergo non est sub modo sacramentali, nam ostensum est supra præsentiam sacramentalem non dependere ab existentia naturali.

Si autem accipiatur desitio pro corruptione illa partiali, scilicet pro separatione formæ corporis à parte manente, scilicet à materia, illa non potest esse ibi, id est, in existentia naturali, quin sit vbique; illa tamen corruptio non fit hic, scilicet in sacramento, quasi aliquid corporis maneat in sacramento à quo separatur forma, quoniam nihil corporis (posita separatione formæ corporis ab eius materia in existentia naturali) est in sacramento; materia enim corporis non est in sacramento, nisi quatenus est pars totius, pars autem materialis separata à parte formali non est pars totius: atque adeo non sequitur si potest desinere esse hic, scilicet sub modo sacramentali non, desinendo esse ibi, id est sub modo naturali, ergo potest corrumpi ibi, san esse naturali,

turali, & non corrumpi hic scilicet, sub esse sacramentali; quia primum nullam includit contradictionem, non enim ponit nisi vnum respectum manere in absoluto, scilicet respectum præsentialitatis circumscriptiuè manere in corpore Christi in esse naturali, & non manere in eodem respectu præsentialitatis sacramentalis, vel è conuerso; Secundam autem ponit contradictionem, scilicet eamdem formam absolutam informare idem, & non informare sola variatione respectuum, nam si separaretur forma corporeitatis à materia in esse naturali, & non separaretur in sacramento, eadem materia esset informata, & non informata; tamen esto, quòd separetur in esse naturali, non dicitur tamen separari in esse sacramentali, quasi materia sit in sacramento, & ab ea separetur forma corporeitatis, vt in sacramento propter rationem superius assignatam.

Et si dicas, quod vtrobique forma non informet materiam, ergo vtrobique corrumpitur totum, vel corpus. Contra inquit Doct. quia contra veritatem huius sacramenti est partem corporis contineri hic nisi prius contineatur totum corpus, atque ita materia sine forma nullo modo continebitur hic, nec per consequens poterit corrumpi vt hic, licet totaliter possit corrumpi vt hic, quia materia non potest transmutari vt hic, id est, sub sacramento à forma ad priuationem, quæ transmutatio est corruptio, imò materiam desinere habere formam, est desinere esse partem totius, & per consequens desinere esse sub sacramento.

Sed esto, quòd per potentiam absolutam Deus relinqueret materiam in Eucharistia, si corpus Christi corrumperetur in esse naturali, corrumperetur ne in Eucharistia? dico quod sic, quia alias si corpus Christi corrumperetur in esse naturali, & maneret vt in Eucharistia sequeretur, quod maneret, & non maneret, & quòd corrumperetur, & non corrumperetur, quæ contradictionem inuoluunt.

QVAESTIO VII.

Vtrum Corpus Christi, vt in Eucharistia existit possit per potentias naturales transmutare aliquid aliud à se.

VIrtus naturalis, seu potentia naturalis est, per quam potest quis aliquid producere, siue operationem aliquam naturalem habere, quæ non est supra communem naturæ cursum, vel quæ non excedit agentis naturalis facultatem; trãsmutare autem idem est omnino, quod mutare, ita quod illud transmutari dicitur, quod aliter se habet nunc quam prius; duo autem requiruntur ad hoc quod aliquod subiectum transmutari possit: primo quod sit, quod enim non est, transmutari non potest; secundo quod possit aliquam formam recipere, quam prius non habebat, ex quo sequitur, quòd Antichristus transmutari nequit cum non sit; Deus etiam haud transmutari potest, cum non possit aliquid de nouo recipere. *o du- habe tias.*

Secundo obseruandum est, quod sicut homo componitur ex anima, & corpore, sic etiam duplices habet potentias, aliàs enim habet spirituales, quæ conueniunt ipsi animæ, alias vero corporales.

Potentiæ spirituales sunt duplices, quædam sunt mere spirituales, quæ videlicet sunt spirituales tàm respectu sui, quam respectu termini, quæ secluso quocumque corpore ipsi animæ conueniunt, vt sunt intellectus, & voluntas, & huiusmodi potentiæ habent actionem mere spiritualem scilicet, tàm ex parte agentis, quam ex parte termini; Vnde illa actio est spiritualis ex parte vtriusque, quando agens est spirituale, & effectus spiritualis, vt quando intellectus producit intellectionem, intellectus enim est agens spirituale, & etiam intellectio effectus est spiritualis; quædam autem sunt spirituales tantum ex parte sui, sed non ex parte termini, & hæ potentiæ habent actionem, quæ est spiritualis ex parte agentis, sed corporalis ex parte termini, vt est potentia motiua Angeli, qua mouet lapidem, in hac actione potentia motiua est spiritualis, sed terminus actionis est corporalis, atque adeo actio illa spiritualis est ex parte agentis, & corporalis ex parte termini, quoniam agens est spirituale, scilicet Angelus, & effectus productus est corporalis, scilicet motus lapidis.

Potentiæ etiam corporales sunt in duplici differentia, nam quædam sunt, quæ conueniunt toti composito in quantum animatum, vt sunt potentia visiua, & auditiua, & cæteræ sensitiuæ potentiæ; quæ non sunt potentiæ animæ per se, sed totius coniuncti ex anima, & corpore vt patet ex primo de sensu, & sensato, & istæ sunt magis approximantes ad naturam animæ, quoniam consequuntur corpus animatum in quantum tale, & istarum potentiarum operationes recipiuntur, secundum Gregor. de Arimi. immediatè non in ipsis potentijs, sed in composito ex materia & forma. *Gregor. de Arim.*

Aliæ sunt quæ conueniunt ipsi toti, id est, homini magis ratione corporis, quam ratione animæ, & sunt illæ, quæ consequuntur naturam corporis sic mixti, vt fortè est potentia motiua corporalis organica.

His obseruatis diuiditur hæc quæstio in duos articulos.

Primus art. Vtrum corpus Christi in Eucharistia existens possit agere per potentias corporales.

Secũdus art. Vtrum Christus in Eucharistia possit agere per quamcumque potentiam spiritualem.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus Christi in Eucharistia existens possit agere per potentias corporales.

DE hac re duplex est opinio, prima est opinio nominalium affirmantium corpus Christi in hoc sacramento existens posse extrinseca corpora propinqua alterare per calorem suum, frigiditatem, & similes qualitates, nec non corpus suum mouere, sicut & alia corpora sibi propinqua, ita sentiunt Ocham in 4. q. 5. Aliacus quæst. 5. articulo 2. Mainr. dist. 10. quæstione 5. Gabriel lect. 45. in Cano: & Rubion in quarta distinctione 10. quæstione 6. & 7. fundamenta istorum sunt hæc. Corpus Christi non fit incapax istarum actionum propter modum existendi in sacramento, sed nihil est aliud quod possit istas actiones impedire, ergo &c. probatur maior, quia localis præsentia respectu actionum solum requiritur, vt conditio necessaria, vt agens, & passum sint propinqua, sed quod huiusmodi præsentia sit sacramentalis non impedit hanc propinquitatem, sed magis illam auget, ergo non est cur hic modus præsentiæ actionem, vel passionem impediat. *Ocham. Aliacus. Mair. Gabriel. Rubion.*

Præterea secundo & est primum argumentum principale Doct. Christus in Eucharistia habet potentiam corporalem actiuam, ergo potest operari per illam; antecedens patet ex supra dictis, quoniam omnem formam absolutam, quam Christus habet in existentia naturali in cœlo, habet etiam in Eucharistia, consequentia verò probatur: quia potentia actiua est principium transmutandi aliud inquantum aliud, vt inquit Aristot. tex. cap. 17. & 9. tex. c. 2. ergo si Christus in Eucharistia habet potentiam actiuam corporalem potest per illam aliud transmutare. *Arist.*

Tertium fundamentum est. Homo viuens vita mortali semper nutritur, sed corpus Christi in Eucharistia vixisset vita mortali dum Christus esset mortalis, ergo semper nutriretur, & nutrimentum conuerteretur in substantiã eius, & non nisi mediante anima vegetatiua, qua est potentia corporalis, ergo &c.

Præterea quarto. Homo viuens vita mortali semper indiget respiratione aeris, & inspiratione, sed corpus Christi existens in Eucharistia in nocte cœnæ vixisset vita mortalis, ergo inspirasset, & respirasset, sed istæ sunt actiones corporales, ergo &c. Maior patet: quia suffocatio siue in aqua, siue in aere semper fit propter defectum inspirationis, & respirationis, vt dicitur in lib. de respiratione.

Quinto arguitur. Christus vt in Eucharistia habet eamdem potentiam actiuam, quam habet vt in cœlo, [illegible] impedita vt est hic, ergo secundum illam potentiam [illegible] Christus hic exire in actionem eius, & per consequens [illegible] re corpus suum motu locali.

His tamen non obstantibus est secunda opinio, quæ affirmat Christi corpus, vt est in hoc sacramento, non posse naturaliter habere actionem aliquam corporalem vel in se, vel in aliud corpus, ita sentiūt D. Thomas parte tertia quæstione 76. articulo septimo, & quæstione 91. articulo quarto. Richardus distinctione 10. quæstione secunda articulo quarto, & Doctor noster hic, quos sequuntur omnes moderni, qui non afferunt aliud fundamentum, nisi quia modus existendi in loco quantitatiuus, & connaturalis corporibus est necessaria conditio ad huiusmodi actiones, sicut ad passiones, quia hæc naturalia agentia agunt per contactum, & de facto experientia constat corpus Christi non alterare species sacramentales, sub quibus est, nec corpus tangentis, aut recipientis ipsum, nec dici potest quod accidentia panis impediant huiusmodi actionem naturalem, tum quia ipsamet accidentia sunt capacia huius actionis, tum etiam quia corpus Christi æquè est præsens, siue propinquum circumstantibus corporibus, ac ipsæ sacramentales species; neque hoc tribuendum est soli Christi voluntati, aut speciali miraculo; si supposito priori mysterio potest huius effectus probabilis, & naturalis ratio reddi, non enim facilè sunt multiplicanda miracula.

D. Thomas. Richardus. Scotus.

Conclusio. Dicendum est ergo cum Docto. subtil. quòd Christus in Eucharistia non potest vti aliqua potentia actiua corporea, siue illa sit mere corporea, scilicet consequens naturam corporis mixti, siue sit corporea hoc est consequens totum animatum primo, ex quo sequitur, quòd manu sua non potest tangere sacerdotem, nec ad illum loqui lingua, neque alios similes actus præstare.

Probatur conclusio. Omnis potentia actiua corporea requirit passum in quod agat approximatum sibi localiter, sed ista potentia vt est hic non est alicubi localiter approximata, ergo vt est hic non potest habere passum sibi approximatum, sicut requiritur ad actionem talis potentiæ, maior patet, 7. Physicorum textu, capitulo octauo, & nono, vbi probatur, quod oportet agens corporeum approximatum esse passo immediatè, vel mediatè; agens enim duobus modis agit, vno modo in passum, sibi immediatè approximatum, alio modo in passum à se remotum, & tunc agit in illud per id, quod est sibi immediatè approximatum; agens enim nunquam haberet actionem in remotum, nisi prius ageret in propinquum, vt si calefactibile esset ab igne remotum non posset illud calefacere, nisi prius calefaceret aerem intermedium, &c.

Præterea omne agens Physicum agendo repatitur vt patet 3. Physicorum, textu, capitulo octauo, sed corpus Christi in hoc sacramento non potest pati Physicè, vt probatum est in præcedenti quæstione, ergo, &c. Deinde corpus agens in aliud requirit determinatam approximationem, secundum locum ad aliud corpus, nam sicut corpus, & qualitas naturalis natura sua postulant extensum modum occupandi locum, vt existere possint, ita eumdem modum postulant vt naturaliter possint agere, quia modus agendi consequitur modum essendi, tum quia agens & patiens debent esse proportionata; tum quia actio ipsa cum sit materialis & extensa eamdem conditionem postulat in agente proportionato, & eiusdem ordinis, sed Christi corpus non est hic localiter extensum, imò quantum ad omnem habitudinem ad aliud corpus est hic ac si non esset hic, quia non replet hic locum, ergo &c.

Ad argumenta oppositę sententiæ respondetur, & ad primum nego maiorem, & ad probationem dico, quòd minor est falsa, nam corpus Christi sub sacramento existens non habet neque distantiam, neque propinquitatem ad aliquod corpus, nam distantia, & propinquitas sunt conditiones situs, seu corporis existentis in loco circumscriptiuè, corpus autem Christi quantum ad distantiam, vel propinquitatem ad aliud corpus est in hoc sacramento, ac si non esset hic, quia non replet hic locum.

Ad secundum nego consequentiam, & ad probationem dicit Docto. quòd nihil aliud sequitur, nisi quod potentia corporalis, quam habet Christus in Eucharistia de se est sufficiens ad operandum; illa enim descriptio potentiæ actiuæ, scilicet, quod est potentia transmutandi, &c. debet intelligi quantum est ex parte sui, & nisi adsit impedimentum, multa autem impedimenta possunt prouenire, vel ex parte habentis, vel ex parte obiecti, vel medij, propter quæ non potest habens illam potentiam exire in actum, exempli causa v. scis. Impeditur tamen hic eius operatio propter modum existendi sacramentalem.

Contra non videtur quod soluatur argumentum, quia in definitione potentiæ actiuæ dicitur, quod est principium transmutandi, sed gerundiuum constructum cum potentia denotat actum egredientem à supposito cuius est potentia, ergo si Christus in sacramento existens habet potentiam transmutandi potest transmutare.

Respondetur quandocumq; ponitur gerundiuum cum termino significante potentiam duo denotantur, primo quòd illud cui attribuitur habeat potentiam; secundo quòd illa potentia possit exire in actum, nisi adsit impedimentum.

Modo ad propositum, quando dicitur quod potentia actiua est principium transmutandi, &c. & quod talis potentia est in Christo, concedo quòd Christus in sacramento habet potentiam, & quod posset ea mediante exire in actum, nisi esset impedimentum, sed hic est impedimentum, quia Christus non est in sacramento sub modo quantitatiuo, qui est necessaria conditio ad hoc, quod agens corporeum possit transmutare, corpus vt dictum est supra.

Ad tertium distinguo maiorem, cum enim dicitur, quòd homo viuens semper nutritur, vel intelligitur primo, id est quod primo nutriatur vbi viuit, vel concomitanter, quòd nutriatur hic, quia nutritur alibi; si intelligatur primo modo maior est falsa, si autem secundo modo concedo maiorem & minorem, sed nego consequentiam, non enim sequitur Christus nutritur, ergo Christus in Eucharistia agit, seu transmutat, quia nutritio propriè dicta non est nisi ad aggenerationem partis substantiæ nutriendæ, quæ aggeneratio fit alibi, id est, in existentia naturali, & per consequens non sequitur, quòd in Eucharistia agat, vel nutriatur nisi concomitanter.

Ad quartum nego antecedens, & ad probationem admitto suppositum, scilicet, quòd Christus esset in Eucharistia prout viuebat vita mortali, sed nego adhuc consequentiam, quia verum sit quòd viuens vita mortali indiget semper inspiratione, & respiratione aeris, atque adeo verum sit etiam de Christo, tamen non est verum de Christo existente in Eucharistiæ sacramento, quia ibi nec inspirat aerem, neque respirat, & ratio est quia oporteret tunc ponere in Eucharistia aerem cum corpore Christi, quod est absurdum, etsi dicatur, ergo Christus in Eucharistia moreretur, nego consequentiam, quoniam & si pulmo Christi non refrigeraretur in Eucharistia, habetur tamen hic pulmonem refrigeratum, sicut alibi in existentia naturali, quia fungus causatum in cœlo per aerem ibi attractum, causatur in sacramento, licet non primo, sed concomitanter.

Ad quintum dico, quod potentia motiua Christi corporalis, licet sit in corpore Christi vt hic, tamen non potest exire in actum, vt hic, quia requirit partem extra partem non solum in toto, sed etiam in comparatione ad locum, ad hoc vt per vnam partem motam localiter moueat aliam, & si potentia spiritualis, id est, non organica possit hic exire, in actum suum sicut in cœlo; & per consequens possit mouere corpus aliud sibi approximatum, sicut Angelus posset vt videbimus in sequenti articulo; tamen non potest Christus Dominus mouere corpus suum vt hic, quia vt sic illud corpus non subest alicui potentiæ motiuæ, nisi diuinæ immediatè, vt dictum est in superioribus; nullum enim corpus est capax alicuius passionis corporalis, nisi localiter existat, atque ita licet potentia spiritualis motiua, quæ est in Christo de se sit sufficiens ad operandum, vt ibi existit, tamen circa corpus suum operari non potest, quia corpus vt ibi existit non est capax suæ operationis, & confirmatur: quoniam Angelus non potest mouere corpus Christi, vt in Eucharistia existit, sed potentia ista spiritualis, quam dicimus habere corpus Christi ad mouendum corpus est similis potentiæ Angelorum, vt dicemus in sequenti articulo, ergo sequitur, quòd ipse Christus per istam potentiam non potest mouere corpus suum, vt in Eucharistia existit.

Sed dubium est, an Christus in Eucharistia existens possit se tangere, an videlicet manu possit tangere caput suum, vel aliam partem corporis, & videtur quòd non, *Dub.*

quo-

quoniam, vt dictum est supra, Christus vt in Eucharistia existens nullum potest habere motum localem, ergo nullo modo potest se tangere.

Tic. vbi supra in solut. primi prin ipalis. Dicunt aliqui, quòd quamuis Christus sub sacramento non possit tangi ab alio, potest tamen tangi à se aliquo modo, & aliquo modo non, quia cum corpus suum sit dimensionatum potest ducere manum ab vna parte ad aliam, hoc enim posset facere vnus homo si nusquam esset, supposito quòd conseruaretur in vita, non posset tamen manum elongare à corpore, & postea coniungere, quia talis elongatio, & iterata coniunctio includunt distantiam, & ex consequenti dimēsionem inter extrema, ad quod sequitur quod manus & corpus applicarentur dimensionibus vt ad locū, quod corpori Christi vt est sub sacramento non conuenit. *Assolus.* Vide Bassolum hac d.q.4.art.3.

Alij dicunt, quòd homo si nusquam esset non posset ducere manum ab vna parte corporis ad aliam, etiam tenendo eam semper corpori coniunctam: quia primus locus vbi erat manus relinqueretur vacuus, & poneretur vbi prius nihil erat. Sed ista ratio nihil valet, quia ista positione facta, manus non esset in loco, atque ita non relinqueretur aliquis locus vacuus, & sicut manus iuncta pectori esset non in loco, ita iuncta ventri esset non in loco.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus in Eucharistia possit agere per quamcumque potentiam spiritualem.

Supposita distinctione de potentia spirituali, atque de actione spirituali, quam supra posuimus in titulo quæstionis.

Pro exacta huius difficultatis intelligentia obseruandum est primo, quòd quilibet homo præter intellectum, & voluntatem, habet etiam potentiam motiuam spiritualem, quę quidem potentia est motiua corporis secundum locum, estque similis illi, quam Angeli habent ad mouendum corpora.

Secundo obseruandum est, quòd hæc potentia motiua spiritualis, quæ appellatur potentia non organica, non est se ipsa distincta ab organica potentia, ita quòd non est imaginandum esse in homine duplicem potentiam motiuam, alteram inorganicam, & alteram organicam, sed vna & eademmet potentia sortitur hæc diuersa nomina ex motuum diuersitate, quod optimè declarat Doctor in hac quarta distinctione quadragesimanona, quæstione decimaquarta, *us.* sed primo ostendendum est, quomodo in anima sit potentia motiua organicè, & non organicè, pro quo obseruandum est tertio, quòd certum est in anima esse vim motiuam ad vnum modum mouendi corpus, scilicet organice per motum aliarum partium organicarum, sicut patet in motu progressiuo, in quo vna pars mouetur mota alia per virtutem motiuam animæ prout determinatur à Philosopho in libro de motu animalium.

Sed quòd in anima sit vis motiua ad mouendum corpus non organice non est ita manifestum; conuincitur tamen ex ipsius animæ conditione, nam inconueniens esset, quod anima existens aliquo in loco non posset se de illo mouere, quoniam quantum ad hoc esset imperfectior corpore, quod potest moueri de loco quamuis non libere nec progressiuè.

Præterea agens illud potest in aliquem terminum, quod in virtute sua actiua habere potest terminum illum; terminus autem motus localis non est nisi vbi, quod est imperfectius termino cuiuscumque alterius motus, atque adeo nullum est corpus ita imperfectum, quod non habeat in virtute sua istum terminum, & similiter ad mouendum aliud ad istum terminum; quia lapis trahit secum ad locum suum aliud, si sibi coniungatur; cum ergo anima sit susceptiua istius termini, quia est in loco definitiuè, & per consequens competit sibi vbi definitiuum, oportet quod habeat in virtute sua actiua terminum istum, atque ita anima separata potest se & aliud corpus mouere de loco ad locum non tamen organicè, quia anima non habet organa de se, & confirmatur, si repugnat animæ separatæ mouere se, & aliud corpus, aut hoc esset ex intellectualitate sua, aut propter imperfectionem suam, non primo modo, quia mouere se, & aliud corpus conuenit naturæ intellectuali, vt Angelo, qui potest mouere se, & cœlum; nec secundo modo, quia conuenit corpori, quod est ens imperfectum; Præterea corpora glorificata post resurrectionem mouebuntur ab anima, & non organicè, sed totum corpus simul mouebitur, non vna parte mota, & alia quiescente; quia volabunt, & non deficient Isaiæ 40. hæc autem motio simul totius corporis nō est per organa, ergo in anima est virtus alia quam illa, quæ potest mouere organice.

Sed est ne vna, & eadem virtus cum alia? videtur quod sit alia, & alia virtus; quia virtus organica, & non organica est alia, & alia virtus vt patet in intellectu, & sensu, & de appetitu intellectiuo & sensitiuo, ergo similiter in proposito virtus organica, & non organica est alia, & alia virtus.

Scotus. Dicendum est tamen cum Doctore in quarto distinctio ne quadragesimanona, quæstione decimaoctaua, quòd non sunt duæ virtutes, sed vna, quoniam nunquam est ponenda pluralitas sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi in anima duplicem virtutem motiuam respectu sui corporis, cum vterque motus, scilicet progressiuus, & non organicus saluari possit ponendo tantum vnam virtutem motiuam in anima.

Vnde obseruandum est quarto: quod aliqua perfectio potest competere animæ secundum se, quam tamen exequi non potest, vel mediante qua non potest exire in actum in remotiori, nisi prius exequatur effectum illum in propinquiori, verbi gratia, anima non potest animare partem remotiorem à corde, nec dare sibi organicè vitam, nisi det cordi vitam, quo mediante influat vitam in cęteras partes magis distantes, sicut patet per Philosophum in libro de animalibus.

Ita in proposito, licet aliqua potentia sit in anima ad causandum motum in corpore, tñ impossibile est quod causet in parte remotiori minus dispositā, nisi causet illum in parte propinquiori magis dispositā; atque adeo in aliquo statu in quo pars propinqua est magis disposita quam remotiore non potest anima causare motum in remotiori parte nisi prius in propinquiori causet motum.

Si autem ista eadem virtus posset habere partem remotam ita dispositam, sicut propinquam, posset pro illo statu immediate causare motum in quamlibet partem. Causare autem motum in parte remotiori mediante propinquiori est mouere organicè; causare autem æquè immediate motum in omnes partes est mouere non organicè, ergo eadem virtus animæ, quæ mouet organicè potest mouere totum corpus non organicè in statu illo, in quo omnes partes erūt æquè dispositæ ad recipiendum motum, & secundum hoc est dicendum, quòd eadem virtus, quæ modo mouet corpus organicè, post resurrectionem mouebit non organice, nec obstat, quòd dictum est supra de intellectu, & sensitiuo, appetitu intellectiuo, & sensitiuo; quia licet eadem potentia operatiua eadem existens non possit esse organica, & non organica, quia potentia operatiua, & organica est illa, cuius operatio per se primo recipitur in toto composito ex potentia & organo; & operatio quæ sic primo recipitur in toto contracto est, quòd primo recipitur in parte, vt quod visio recipiatur in anima separata; potentia autem operatiua non organica est cuius operatio per se primo recipitur in ipsa potentia, vt patet de intellectu, & voluntate, atque adeo non potest eadem potentia eadem manens, si est operatiua esse organica, & non organica; sed de potentia factiua nōn est inconueniens, quòd eadem existens sit organica, & non organica, quia illa potentia non causat actum informantem se, sed effectum in alio.

In proposito autem mouere non est operatio, sed actio, seu factio, nec causatur necessariò in illo, in quo est potentia motiua, atque adeo ponitur motiua alterius; & si talis potentia potest causare motum immediate in omnes partes (quod vtique faceret, si omnes partes essent æque dispositæ ad receptionem motus) mouet non organicè; si autem non sint omnes æquè dispositæ mouebit vnam partem corporis mediante alia, atque ita mouebit organicè, patet ergo quomodo in anima est virtus qua potest mouere organicè, & non organicè.

Conclusio. His obseruatis respondeo ad difficultatem hac vnica conclusione. Christus in Eucharistia potest vti quacumque potentia actiua spirituali, probatur quia potentia spiritualis vt agat non requirit approximationem in loco cum ipsa non sit in loco, ergo quamuis Christus in Eucharistia non existat localiter poterit operari per quamcumq; potentiam spiritualem.

Ex hac conclusione infert Doct. duo corollaria: Primum quod Christus in Eucharistia potest habere actionem mere spiritualem tam ex parte principij, quam ex parte termini. Secundum corollarium. Christus in Eucharistia potest habere aliquam actionem spiritualem ex parte principij agendi, corporalem tamen ex parte termini.

Primum corollarium probat; quia Christus existens in Eucharistia potest illuminare Angelum sibi præsentem, atque illi loqui mentali loquutione; pro cuius probationis intelligentia obseruandum est primo, quòd tria requiruntur ad illuminationem, primum est, quòd illuminatio est species loquutionis, loquutio enim est manifestatio conceptus alteri, & illuminans alterum ei aliquid manifestat. *Tria requirũtur ad illuminationem.*

Secundo illuminatio est de vero perfectiuo sibi noto, atque adeo de malis, & falsis non fit illuminatio, nisi per modum speculationis.

Tertio illuminatio non est de aliquo viso in verbo, quia sicut cognitio verbi est supernaturalis, ita cognitio cuiuscumque obiecti in verbo contenti est supernaturalis, quod autem est supernaturale, non subiacet causalitati causæ secundæ.

Quid sit loquutio, & quot modis fiat. Secundo obseruandum est, quòd loquutio est manifestatio conceptus loquentis ei cui loquitur, quod fieri potest tribus modis, nam loquens aut causat in audiente solum actum intelligendi, quod fit, quando audiens habet species eius, de quo alter sibi loquitur, aut causat solam speciem, velut si Angelus inferior loquatur superiori, & superior sit conuersus ad aliud intelligibile, tunc non causat actum, sed speciem, aut causat simul actum, & speciem, vt si Angelus superior loquatur inferiori de aliquo singulari, de quo non habet speciem.

Auditio tria requirit. Tertio obseruandum est, quod ad auditionem tria requiruntur, primum quod intellectus audientis se habeat mere passiue, ita quòd solum recipiat, & non agat; Secundum quod intellectus loquentis, vel eius memoria sit causa totalis cognitionis, quæ recipitur in audiente, Tertium quod causet in quantum intelligens, non in quantum obiectum, nam si causaret in quantum obiectum, non causaret auditionem.

De quib. fit illuminatio. Quarto obseruandum est, quod quædam est notitia de diuina essentia, siue in verbo, & de ista nullus illuminat, vel docet alium, vel loquitur alteri Angelo, quia omnes immediate vident eam: quædam autem est cognitio de exequendis mysterijs diuinæ prouidentiæ, & de huiusmodi superiores Angeli illuminant inferiores, & non è conuerso. Quædam verò est cognitio de conceptibus proprijs, & de istis etiam inferiores loquuntur superioribus. Numquam tamen de potentia Dei ordinata inferior illuminat superiorem, nam quicquid Deus reuelat inferioribus reuelat superioribus; de potentia tamen absoluta secus esset, nam posset Deus reuelare aliquod mysterium inferiori Angelo, non reuelando illud superiori, & tunc inferior posset de illo reuelato illuminare superiorem.

Loquutio, & illuminatio tripliciter differũt. Quinto obseruandum est, quòd illuminatio, & loquutio tripliciter differunt, primo differunt ex parte vniuersalis sicut magis commune, & minus commune, quia omnis illuminatio est loquutio, & non è contra.

Secundo differunt ex parte obiecti, quia obiectum loquutionis est omne intelligibile, sed obiectum illuminationis est cognoscibile supernaturale, quod sciri non potest nisi à Deo reuelante.

Tertio differunt ex parte principij, quia principium illuminationis est Angelus superior tantum, sed principium loquutionis est quilibet Angelus siue bonus, siue malus, siue superior, siue inferior, ex his patet corollarium scilicet, quòd si Christus non esset nisi in Eucharistia, & aliquis Angelus esset illi præsens posset anima Christi illum illuminare, & illi loqui loquutione mentali eo modo quo Angelus ibi existens posset Angelum alium illuminare, vel illi loqui, quod ex eo patet, quòd talis reuelatio, vel illuminatio fit per intellectum animæ Christi, & fit in Angelo quorum neutrum est in loco localiter. Nam illuminatio, & loquutio non requirit nisi principium actiuum sufficiens in illuminante, & loquente, & subiectum capax ex parte illuminati, siue cui fit loquutio, & fortè approximationem secundum vbi definitiuum, seu approximationem simplicem illuminantis ad illuminatum, vel loquentis ei cui loquitur; hæc autem omnia sunt in proposito, nam anima Christi cum videat omnia in verbo, quæ verbum videt, & omnium quidditatum, & fortè singularium habeat species inditas, habet principium sufficiens illuminandi, & loquendi eis intellectualiter, & Angeli ex se capaces sunt illuminationis, & loquutionis, ergo, &c.

Secundum corollarium sic probatur. Quilibet homo præter intellectum & voluntatem, & per consequens Christus Dominus habet potentiam motiuam spiritualem, quæ quidem potentia est motiua corporum secundum locum, quemadmodum Angeli habent potentiam motiuam ad mouendum corpora, ergo potest habere actionem spiritualem ex parte principij, & corporalem ex parte termini Christus Dominus in Eucharistia; antecedens probatur: quia Angelus habet potentiam motiuam non organicam, ergo & anima, antecedens patet: quia Angelus habet principium mouendi corpus secundum totum, & non secundum partes eo modo quo corpus nostrum mouetur organice, quia Angelus non habet potentiam aliquam organicam, cum sit spiritus; consequentia patet, ex superius dictis, tùm quia anima separata potest mouere se de loco, & etiam aliud corpus, tùm quia animæ tribuendum est illud, quod perfectionem ponit in illa, nisi aliqua repugnantia appareat, sed nulla apparet repugnantia obstans, quod illa perfectio ponatur in anima, ergo talis potentia ponenda est in anima, consequentia est nota, & maior probatur ex Aristo. 2. de generatione, tex. capitulo 59. & 8. Physicor. tex. cap. 56. dicente. Natura semper est dignificanda secundum melius quantum possibile est; minor verò inde constat, quòd anima rationalis in multis alijs Angelo similis est, ergo in anima est ponenda ista potentia motiua spiritualis similis potentiæ motiuæ, quæ est in Angelis. *Ang.*

Contra hoc tamen esse videtur, quòd homo haberet duplicem potentiam motiuam corporis, secundum locum eiusdem rationis, habet enim vnam organicam, & præter illam illam spiritualem non organicam, quod tamen ponere videtur superfluum, ergo talis potentia spiritualis non est ponenda, maior probatur, quia potentiæ distinguuntur per actus, sed actus illius potentiæ spiritualis esset eiusdem rationis cum actu potentiæ organicæ, quia actus vtriusque est mouere corpus secundum locum, ergo illæ duæ potentiæ essent eiusdem rationis.

Respondet Doct. quòd actus potentiæ spiritualis, & organicæ sunt diuersi, quoniam homo per potentiam organicam non potest mouere corpus, nisi ordine quodam mouendo primo vnam partem, & per illam alias, & sic totum, sicut modo virtus progressiua primo mouet quasdam partes corporis, & per illas alias, deinde totum corpus, per potentiam verò spiritualem potest homo mouere totum corpus simul non ordinate per partes vel sursum, siue deorsum, antrorsum, retrorsum, & eo modo quo Angeli corpora mouent, atque ita istæ potentiæ sunt diuersæ rationis, sicut patet ex proprietatibus, & actionibus earum, quæ sunt diuersæ rationis.

Sed hæc responsio non est ad aures Doct. nam vt diximus supra Doct. in hoc quarto distinctione quadragesimanona, quæstione decimaquarta, tenet quòd prædictæ potentiæ non differunt specie, nec sunt alterius rationis, imò ipsa anima sine quacumque distinctione eadem virtute mouet organice, & non organice; ipsi enim animæ de per se conuenit quod sit potentia motiua non organica, quia ex natura sua habet, quod possit mouere totum corpus simul, atque adeo ex se habet, quòd possit mouere non organice, sed per accidens est, quòd moueat corpus organice, nam hoc prouenit (vt diximus supra) quia omnes partes corporis non sunt æqualiter dispositæ ad motum; imò vna pars est magis disposita quam alia, & ideo pro statu isto propter indispositionem prædictam partium mouet organice, sed quia post diem Iudicij corpus erit bene dispositum ad motum; ideo animam poterit ipsum

simul

Digitized by Google

simul totum mouere, atque ita non organicæ. Est ergo eadem potentia quæ mouet organice, & non organice, estq; spiritualis quia est ipsa anima realiter, & essentialiter, tamē propter diuersos respectus sic, vel sic. i. organica, vel non organica, atque adeo negatur, quod anima haberet duplicem potentiam motiuam.

Sed contra frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, sed hæc potentia pro statu viæ est huiusmodi, quia numquam anima mouet corpus nisi motu progressiuo, ergo frustra ponitur hæc potentia spiritualis. Respōdet Doct. quod quāuis pro statu viæ, anima non vtator hac potentia ad mouendum corpus non organice, illa tamen ad hunc motum vtetur in statu Patriæ, atq; ita nō ponitur frustra, quia pertinet ad perfectionem illius in quo est, veluti etiam aliquæ potentiæ sensitiuæ, vt generatiua, nutritiua, augmentatiua, & gustus in patria non erunt frustra in beatis licet illis non vtentur; quia pertinebunt ad perfectionem naturalem illorum, ita quia in via non vtimur hac potentia spirituali ad hunc effectum propter magnitudinem, & grauitatem corporis, atque etiam quia in via corpus non est plene subiectum animæ; in patria vero corpus est agile, pleneque subiectum animæ, ideo anima pro arbitrio vtetur illo; neque in via est forma, quia pertinet ad ornamentum, & splendorem animæ, neque ponitur, vt eo, quo ad hunc effectum vtamur, sed vt decoretur anima, sicut gustus, & olfatus in patria ponuntur solam ad decorem animæ, neq; sunt frustra etiam si suos actus non exerceant.

Cum ergo anima Christi in Eucharistia habeat hanc potentiam motiuam non organicam, quemadmodum eam habet anima cuiuslibet beati, non tantum quantum ad habitum, sed quantum ad actum, & vnus possibilitatem, sequitur, quod poterit uti hac potentia immediate mouēdo aliquod corpus secundum se totum, sicut Angelus posset mouere, quoniam vt virtus motiua spiritualis agat, non requiritur, vt sit in loco localiter, atq; ita per istam potentiam motiuā poterit Christus prout est in Eucharistia mouere immediate aliquod corpus totum secundum se, qua potentia inquit Doct. vsus est Christus forte in vita mortali, quando elapsus est de manibus Iudeorum ducentium illum ad montē, vt illum inde præcipitarent, vt legitur Luc. c. 4. & similiter quando vt super Lucam c. 2. dicit Origenes Elapsus est de manibus parentum, & mansit in Hierusalem, ergo anima Christi in Eucharistia existens poterit vti ista potentia mouendo species illas, vel hostiam, & forte, vt dicit Doct. sic aliquādo mota est hostia immediate à Christo, legimus. n. interdum hostiam consecratam nullo deferente sua sponte fuisse motam, vel ad aliquem iustum, & Dei amicum, vt communicare posset, vt de S. Bonauentura legitur, qui cū per multos dies ob sacramenti reuerentiā, & demissæ mentis humilitatem ab Eucharistiæ perceptione abstinuisset, quadam die dum deuote Missam audiret, & passionem dominicam contemplaretur, Deus inspiciens ad illius humilitatem, particulam consecratæ hostiæ de manu sacerdotis acceptam illius ori clemēter immisit; velut infidelium iniuriam euitaret, & pertinaciam confunderet, & legi potest Zozomenus lib. 7. hist. c. 29.

Et si quæratur an, Christus prius mouerit in casu proposito corpus suum per istam potentiam motiuam quam hostiam ipsam. respondet Doct. hoc non fuisse necessariū, sicut non est necessarium Angelum prius mouere se localiter ad hoc quod corpus sibi approximatum moueat localiter, imò per istam potentiam non potest Christus in Eucharistia existens mouere corpus suum licet ea posset mouere sacerdotem, vt diximus supra, nam nō potest corpus Christi in Eucharistia existens moueri nisi à Deo.

QVAESTIO VIII.

Vtrum aliquis intellectus creatus possit naturaliter videre existentiam Christi in Eucharistia.

DIctum est in superiorib. de omni genere actionis, & passionis, seu receptionis propriæ, quæ vel formaliter recipiuntur in corpore Christi, vel ab eodemmet Christo virtualiter producuntur, nunc dicendum est de extrinsecis denominationibus actuum immanentium, qui circa Christi corpus versantur.

In qua re non est difficultas de actibus appetitus; nam dubium nō est, quin possit Christus amari, & diligi prout est in hoc sacramento si eius cognitio supponatur; sed difficultas versatur circa cognitionem, quæ in hac quæst. tractabitur de intellectiua, in sequenti vero de sensitiua. Pro cuius intellectu obs. est primo hic non esse sermonem de cognitione fidei; nam per se constat posse hoc mysterium cognosci per fidem non solum diuinam, & supernaturalem, sed etiam humanam, & naturalem, si quis vellet ex humano tantum testimonio id credere.

Duobus modis potest Deus infundere cognitionē mysterij Eucharistiæ.

Secundo obser. est, nō esse difficultatem vllam de cognitione supernaturali euidente, ac per se infusa, nam duobus modis potest Deus infundere cognitionem huius mysterij, primo per visionem beatam, quomodo non solum potest, sed etiam credibile est omnes beatos videre in Verbo hoc mysterium, secundo potest supernaturaliter infundi scientia huius mysterij infundendo speciem propriam repræsentantem Christum in sacramento, & modum existēdi, quem ibi habet, & modum quo accidentia existunt, & vnionem si quæ est inter Christum, & accidentia panis dando lumen, & auxilium visui talis speciei accomodatum, quam scientiam habet anima Christi, & eamdem pie credendum est habere B. Virginem in statu gloriæ, & hæc vocari potest scientia perfecta in proprio genere.

Intellectus creatus est duplex.

Tertio obser. est, quod intellectus creatus est duplex, alter est materiæ coniunctus dependens à corpore in operatione sua, cuiusmodi est intellectus hominis viatoris, qui non intelligit nisi imaginabilia, vel illa quæ relucent in phantasmatibus, vt tradit Arist. 3. de anima t. c. 30. Alius est separatus à materia, & iste est duplex, quidam est omnino separatus à materia, imò in tantum separatus, quod impossibile est ipsam informare materiam, vt est intellectus angelicus; alius vero est, quia licet sit à materia separatus potest tamen coniungi materiæ per informationem, vt est intellectus animæ separatæ, qui est similis in operatione intellectui angelico, quemadmodum etiam intellectus coniunctus corpori beato, qui est etiam similis Angelis in operatione, vt hic supponit Scot.

Arist.

Naturaliter intelligere bifariam contingit.

Quarto obserua. est, quod ly naturaliter posito in titulo quæst. potest bifariam intelligi vno modo, quod intellectus dicatur intelligere naturaliter, adeo quod ex sola sua natura possit obiectum intelligere, vel cognoscere, & sic non accipitur in proposito, quoniam clarum est, quod intellectus noster numquam intelligeret lapidem, nisi lapis concurrat in se, vel in sua specie ad intellectionem, quia anima de se est sicut tabula rasa, quæ nihil potest ex se sola cognoscere, vt patet 3. de Anima t. cap. 14. alio modo capitur intelligere naturaliter, vt idem est, quod intelligere cōcurrentibus omnibus causis naturalibus naturaliter mouentibus, & causantibus, scilicet, actiuo, & passiuo, & sic capitur in proposito.

Cognitio est duplex intuitiua, & abstractiua.

Quinto obseruat. est, quod videre in titulo quæst. importat intellectionem intuitiuam. Duplex est enim cognitio, scilicet, intuitiua, & abstractiua. Notitia intuitiua est rei præsentis, vt præsens est. Notitia autem abstractiua est notitia rei absentis secundum, quod relucet in aliqua specie, vel similitudine, id est, notitia abstractiua est, quæ non causatur ab ipsa re immediate, sed causatur à similitudine, & specie ipsius rei.

Est autem inter istas notitias triplex differentia, prima qualibet notitia intuitiua est perfectior omni notitia abstractiua, & hoc propter notitiæ claritatem. Secunda est, quod notitia intuitiua immediate causatur ab obiecto, notitia autem abstractiua non causatur immediate ab obiecto, sed à specie ipsius obiecti. Tertia differentia est, quia notitia intuitiua causat iudicium de propositionibus contingentibus, abstractiua vero non; vnde si intuitiue video Socratem esse album, hæc notitia causat iudicium, & veram assensum, quo iudico, & assentio Socratem esse album; sed si haberem speciem Socratis, & albedinis, & formarem hanc propositionem Socrates est albus, hæc notitia abstractiua non causaret iudicium huius propositionis.

Duplex est cognitio abstractiua.

Postremo obseruan. est, cognitionem abstractiuam esse duplicem, scilicet, perfectam, & imperfectam, cognitio abstractiua perfecta est, quæ habetur per speciem causatam ab ipsamet re, vel à Deo infusa, cognitio abstractiua imperfecta est aliqualis cognitio, quæ causatur non à spe-

ciebus

Digitized by Google

ciebus proprijs illius rei, sed ab alijs consimilibus, vt magis explicabimus infra. His obseruatis diuiditur hæc quæstio in duos articulos.

Primus artic. Vtrum intellectus hominis viatoris possit naturaliter cognoscere corpus Christi in Eucharistia existens.

Secundus art. Vtrum intellectus creatus non alligatus sensibus intelligendo siue angelicus, siue anima separata, siue hominis beati possit naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectus hominis viatoris possit naturaliter cognoscere corpus Christi in Eucharistia existens.

CVm ex superius explicatis duplex sit cognitio, scilicet, abstractiua, & intuitiua, respondetur ad difficultatem per duas conclusiones, quarum prima est de cognitione abstractiua, secunda vero de cognitione intuitiua.

1. Conclusio. Prima conclusio. Quilibet intellectus creatus potest cognitione abstractiua intelligere naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia, probatur conclus. Impossibile est cognoscere aliquod complexum nisi cognoscantur illius extrema; sed quilibet intellectus creatus cui proponatur hoc complexum corpus Christi est in Eucharistia, potest illud naturaliter intelligere, alioquin non posset illud formare, ergo intelligere potest eius extrema, scilicet, corpus Christi, & Eucharistia, atque adeo potest intelligere corporis Christi existentiam in Eucharistia; Et si quæras quomodo potest corpus Christi, vel existentia eius intelligi à nobis abstractiue? cum non habuerimus notitiam intuitiuam de ipso? & communiter dicitur, quod notitia abstractiua intuitiuam præsupponit. Respondet Doct. quod Diuus Augustinus lib. octauo, de Trinit. cap. quarto, & quinto, docet nos, quomodo possimus habere fidem de Christo, cum tamen Christum non viderimus. Hoc enim fit secundum ipsum in quibusdam intentionibus, seu conceptibus communibus acceptis à singularibus, quos conceptus communes ipsi Christo attribuimus, verbi gratia. Ego cognosco abstractiue Christum esse flagellis cæsum, vel mortuum; quia habeo notitiam intuitiuam alicuius hominis singularis, ac etiam notitiam intuitiuam de flagellatione, vel morte alicuius; Tunc ex illis formo conceptum, quod Christus fuit homo flagellatus, & mortuus, intellectus enim ex vi specierum intelligibilium formare potest aliquod complexum, quod numquam vidit, vt ex specie montis, & ex specie auri, quas habet quis in intellectu possibili potest formare vnum complexum, quo cognoscat montem aureum, quem numquam vidit. Ita in proposito concipere possemus abstractiue existentiam corporis Christi in Eucharistia ex alijs existentijs, nempe vel alicuius contenti in continente vel signati in signo, vel tecti in tegente, atque ista appellatur à Scoto intellectio abstractiua. Sed contra, si modus iste cognoscendi Christum esset bonus contingeret interdum error in fide, quia possem formare conceptum, quod Christus esset magnæ staturæ, vel quod haberet amplam faciem, &c. Et tamen fuit moderatæ staturæ, &c. Respondet Scot. quod nihil interest fidei nostræ vtrum erremus in quibusdam conditionibus singularibus conceptis de Christo, quia fides nostra nō respicit per se illas conditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, cuius notitia potuit nobis causari ex notitia cuiuscumque singularis hominis, verbi gratia, ad fidem nostram spectat credere, quod Christus erat homo, & Deus, quod fuit crucifixus, & mortuus, & sic de alijs, non tamen spectat ad fidem nostram cognoscere, qualis fuerit staturæ vel coloris, &c. Ita in proposito existentia corporis CHRISTI in sacramento potuit nobis causari ex alia existentia, vtpote alicuius contenti in continente, seu signati in signo, vel tecti in tegente.

Caietanus. In hac conclus. videtur Caietan. tertia parte quæstione septuagesimasexta, articulo septimo, in solut. ad secundum argumentum Scot. esse contrarius Doctori, nam dicit ibi falsum esse, quod naturaliter possit haberi abstractiua cognitio huius mysterij; Tamen si mens vtriusque bene percipiatur non sunt contrarij, quoniam Caietanus, vt ex eius ratione colligitur nihil aliud prætendit, nisi quod naturaliter non possit haberi perfecta abstractiua cognitio huius mysterij, & hoc certum est. Doct. aut intelligit de aliquali cognitione abstractiua videlicet imperfecta, nam cum hoc mysterium à viatoribus non cognoscatur nisi per fidem, fidei autem cognitio sit imperfecta, quia obscura, & ænigmatica, est certum, quod hoc mysterium non cognoscitur cognitione abstractiua perfecta, & ratio est, quia intellectus non potest elicere cognitionem abstractiuam perfectam alicuius rei, nisi talis res præsententur sibi perfectè in aliqua specie, vel similitudine, nulla est autem species in qua perfectè præsentetur hoc mysterium intellectui naturaliter, ergo naturaliter non potest illud cognoscere abstractiue.

Secunda conclusio. Intellectus noster pro statu viæ hoc est dependens à corpore in operando, non potest videre naturaliter, id est, habere notitiam intuitiuam huius mysterij; probatur conclus. Intellectus viatoris non potest aliquod cognoscere nisi mediantibus sensibus, sed sensus viatoris non possunt percipere existentiam corporis Christi in Eucharistia, ergo intellectus dependens à corpore non potest intuitiue cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia, consequentia patet cum maiori, & minor probatur, quoniam si existentia corporis Christi in Eucharistia perciperetur à sensibus, vel perciperetur mediantibus ipsiusmet Christi, & hoc non: quia accidentia Christi, vt ibi existunt, non possunt mittere species sensibus, aut perciperetur mediantibus accidentibus panis, & hoc non; quoniam accidentia panis non præsentantur sensibus alio modo quando adest panis sub illis, quam postquam abest, ergo postquam abest panis nihil amplius possunt percipere sensus, quam ante percipiebant, atque adeo sicut ante consecrationem, non videt existentiam corporis Christi in Eucharistia, quia non est ibi, similiter neque post consecrationem videbit, nam accidentia panis eodem modo se habent post consecrationem ad sensus nostros sicut ante. In hac conclusione nullus contradicit Doct. sed omnes conueniunt cum illo. 2. Conclusio

ARTICVLVS II.

Vtrum intellectus creatus non alligatus sensibilibus in intelligendo, siue Angelicus, siue anima separata, siue hominis beati; possit naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia.

DE hac re est duplex opinio, prima est D. Thomæ in 4. distinct. decima, articulo quarto, quæstione quarta, & tertia part. quæstione septuagesimasexta, articulo septimo, quæ consistit in tribus propositionibus. D. Thom.

Prima propositio est. Intellectus viatoris non potest cognoscere naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia, probatur, quia talis existentia est obiectum fidei, id est, nos habemus fidem, quod corpus Christi in est in sacramento Eucharistiæ, igitur intellectus viatoris non potest naturaliter intuitiue cognoscere istā existentiam, consequentia probatur, quia intellectus creatus ex naturalibus non habet fidem.

Secunda propositio est. Intellectus beatus, siue angelicus, siue humanus non potest naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia, probatur, quia existentia corporis Christi in Eucharistia non est obiectum proportionatum viribus naturalibus intellectus creati, ergo intellectus creatus non potest eam videre naturaliter, consequentia patet, & probatur antecedens, quoniam hæc existentia est supernaturalis, obiectum autem supernaturale est omnino improportionatum viribus naturalibus alicuius potentiæ creatæ, ergo hęc existentia non potest videri ab intellectu creato.

Tertia propositio. Intellectus beatus potest cognoscere in Verbo, & cognoscit illam existentiam corporis Christi in Eucharistia, nam intellectus beatus, vel Angeli, vel hominis,

minis, qui secundum participatam claritatem diuini intellectus vident ea, quæ supernaturalia sunt, videre possint modum existendi corporis Christi in Eucharistia in essentia diuina, probatur, quia fidei succedit visio, id est, ea quæ obscure, & ænigmatice cognoscimus per fidem, in patria cognoscemus clare, & in præsentia, sed nunc habemus fidem, quod corpus Christi est in Eucharistia, ergo beati in patria illam existentiam clarè cognoscent. Hæc est opinio Diui Thomæ quam sequuntur omnes Thomistæ; citantur etiam pro hac opinione Alexand. de Ales par. quarta, quæstione decima, memb. septimo, §. octauo, & D. Bonauentura in quarto distinct. decima, par. secunda, articulo secundo, quæst. prima, sed ipsi non loquuntur nisi de intellectu viatoris.

Ale. de Ales. D. Bonau.

Richard.

Richardus in quarto dist. 10. art. 5. quæst. prima, in aliquo conuenit cum Diuo Thoma, & in aliquo differt, conuenit in hoc, quod intellectus viatoris non potest cognoscere naturaliter existentiã corporis Christi in sacramento, quia modus existendi corporis Christi in sacramento transcendit facultatem naturalis luminis nostri intellectus, atque adeo á nostro intellectu corpori vnito naturaliter videri non potest, conuenit etiam in hoc, quod nec intellectus animæ separatæ, nec intellectus angelicus potest cognoscere existentiam corporis Christi in sacramento, quia quamuis secundum aliquos spiritus separatus possit quantum est ex vi naturæ suæ se facere præsentem corpori existenti sub sacramento, eo quod per naturam non habet naturalem habitudinem ad locum, sed tantum per ordinem diuinum, tamen quia ille modus existendi transcendit facultatem naturalis luminis cuiuscumque intellectus creati, ideo si præsens ei esset suo naturali lumini relictus illum modum existendi videre non potest. Differt aut à D Thoma, quoniam Richard. dicit intellectum beatum nedum videre existentiam corporis Christi in sacramento visione beatifica, seu in Verbo, sed etiam per lumen gloriæ in proprio genere; Vnde supponit Rich. cum antiquis Doctoribus duplex lumen, scilicet, lumen naturale. & lumen gloriæ; lumen naturale est ipsemet intellectus, qui potest cognoscere obiectum sibi proportionatum, lumen autem gloriæ, siue supernaturale est qualitas quædam informans intellectum qua mediante intellectu eleuatur ad cognoscẽdam aliquod obiectum, quod est improportionatum sicut Deum; ita quod dicunt, quod intellectus noster non potest videre Deum nisi eleuetur lumine supernaturali, supponit etiam Richard. duplicem notitiam in beatis, vnam quæ dicitur notitia in Verbo, & est notitia quæ immediate terminatur ad Verbum, qua beati nedum vident Verbum, sed etiam obiecta relucentia in Verbo, licet ea notitia primo terminetur ad Verbum; Itaque beatus videns Petrum, vel Ioannem in Verbo, illa notitia immediate terminatur ad Verbum, & mediate, vel secundario ad Petrũ, vel Ioannem; altera est notitia in genere proprio, quæ est notitia alicuius rei, quæ terminatur immediate ad illam rem in se, & non in alio, Ex his dicit Ric. quod licet modus existendi corporis Christi in sacramento excedit facultatem luminis naturalis, tamen non excedit facultatem luminis gloriæ, atque adeo quicumque intellectus beatus modum existentiæ corporis Christi in sacramento, & omnia, quæ sunt fidei videt clare non tantum in Verbo, sed etiam illa visione, quæ dicitur esse in genere proprio.

...modus.

Diuus Thomas tamen, Richard. & omnes Thomistæ vna cum Durando in quarto distinct. decima, quæstione quarta, conueniunt in hoc quod non potest intellectus creatus virtute naturali videre modum existendi, quem corpus Christi habet in sacramento, & consequenter neque intueri corpus Christi, vt est sub speciebus, seu cognoscere, clare quod ibi sit; Fundamenta huius sniæ præter ea, quæ in explicando illam adducta sunt; sunt quæ adducit Doct. in principio quæstionis, & primum est tale; Existentia corporis Christi in Eucharistia est supernaturalis; ergo non potest cognosci naturaliter; quia verum supernaturale est tantum supernaturaliter cognoscibile, consequentia probatur, quia sicut factibile supernaturale non potest fieri nisi supernaturaliter, ita cognoscibile supernaturale non potest cognosci ab aliquo intellectu creato naturaliter.

Secundo probatur, cognitio fidei est simpliciter euidentior omni cognitione naturali, & omne illud, quod cognoscitur per fidem excedit omne illud, quod cognoscitur naturaliter, sed modus existendi corporis Christi in Eucharistia cognoscitur à nobis per fidem, quia est de illis articulis, qui spectant ad illum art. Credo sanctam Ecclesiã, &c. ergo non potest cognosci ab intellectu creato naturaliter, consequentia est nota cum minore, & maior probatur, quia si cognitio fidei non excedit omnem cognitionem naturalem non esset necesse fidem esse infusam simpliciter, atque adeo frustra esset fides, quia ad cognitionem illam posset natura attingere, & intellectus ex natura sua posset cognoscere illa, quæ cognoscuntur per fidem, si non esset simpliciter cognitio fidei eminentior omne cognitione naturali.

Tertio arguitur. Si intellectus separatus posset naturaliter cognoscere istam existentiam corporis Christi in Eucharistia mali angeli possent eam cognoscere. Consequens est falsum ergo & antecedens, consequentia patet, quia Dæmon est intellectus separatus, & secundum Dionys. quarto, de diuinis nominibus. In Dæmonibus naturalia remanserunt integra; falsitas consequentis probatur: quia inimici gratiæ non possunt cognoscere sacramentum gratiæ. Et quod Demones non possint videre corporis Christi existentiam in hoc sacramento confirmatur Auth. Diuus Ambrosij super illud Lucæ cap. primo. Missus est, &c. vbi scribit, quod Demones latuit mysterium incarnationis, sed si possent Demones naturaliter cognoscere hoc mysterium Eucharistiæ potuissent etiam naturaliter cognoscere mysterium incarnationis, quia qua ratione istud est cognoscibile naturaliter, ita & illud, quod est contra D. Ambros. Confirmatur secundo ex D. Damas. lib. quarto, de fide decimaquarto, vbi loquens de isto sacramento dicit. Nam quemadmodum omnia, quæcumque fecit Deus Spiritu sancto operante fecit, sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides; & paulo post interrogans qualiter panis fit corpus Christi. Respondeo (inquit) tibi, & dico Spiritus sanctus obumbrat, & hęc operatur super sermonem, & intelligentiam, ex quibus verbis colligitur hoc mysterium excedere naturam, & intellectum, ergo ab intellectu creato naturaliter cognosci non potest.

D. Ambr.

D. Damas.

Quarto arguitur. Nullus intellectus creatus potest cognoscere futurum contingens propter eius indeterminationem ad fore, vel non fore, sed sic est, quod corpus Christi in sacramento contineri est tam indeterminatum sicut futurum contingens, quia dependet mere à voluntate diuina ad hæc contingenter se habente, ergo nullus intellectus creatus potest videre corpus CHRISTI in Eucharistia.

His non obstantibus est secunda opinio, quæ est opinio Doct. hic, quam sequuntur Ocham in 4. quæst. quinta, Maior, dist. decima, quæst. quinta, Basiolus, d. 10. quæst. 8. articulo tertio. Palacios disput. 3. conc. septima. Aegidius Theoremate 16. Thomas ab Argent. d 10. quæstione prima, articulo quarto, concl. 3. Franciscus de Mayr. dist. decimaprima, artic secundo, quæstione secunda, & Rubion d. 10 q. 8. artic. primo, & Gab. lect. 45. in can. quæ duabus conclusionibus explicatur.

Scotus. Ocham. Maior. Bassolus. Palacios. Aegidius. Thomas ab Argent. Mayron. Rubion. Gab.

1 Conclusio

Prima concl. Intellectus angelicus, siue animæ separatæ, siue hominis beati naturaliter potest uidere existẽtiam corporis Christi in Eucharistia, probatur conclus. Anima Christi naturaliter cognoscit se esse vbicumque est, sed sic est, quod anima Christi est in Eucharistia, ergo cognoscit se esse in Eucharistia, & per consequens aliquis intellectus creatus naturaliter cognoscit intuitiue existentiam corporis Christi in Eucharistia.

Secundo probatur. Existentia corporis Christi in Eucharistia non est excellentius cognoscibile, quam existens cuius est existentia, sed Christus est naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato, ergo & quæcumque existentia eius, siue modus existendi, consequentia est nota cum minori, & maior probatur, quia non potest aliquis modus improportionabiliter siue in infinitum excedere illud, cuius est modus.

Tertio arguitur. Vnus beatus potest cognoscere intuitiue actum beatificum in intellectu alterius, ergo potest cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia, consequentia patet, quia actus beatificus nõ est minus supernaturalis, quam existentia corporis Christi in Eucharistia,

ante-

Digitized by Google

antecedens probatur, quia licet vnus beatus non videat in Verbo beatitudinem alterius beati, nec in se per aliquam specialem reuelationem, hoc est dictu, ergo quod vnus beatus non videat in Verbo beatitudinem alterius, nec in se per aliquam specialem reuelationem potest videre aliū esse beatum, sicut potest videre animam alterius beati, vel Angelum, vel essentiam alterius Angeli, quia non magis excedit intellectum naturalem beatitudo alterius beati, vel Angeli quam anima, vel essentia Angeli, sed vnus beatus potest naturaliter videre essentiam alterius, vel animæ, vel Angeli, ergo eius beatitudinem. Et si dicatur, quod vnus beatus non potest cognoscere actum beatificum alterius, quoniam si cognosceret beatitudinem alterius posset se facere naturaliter beatum, quod est falsum, & probatur, nam cognoscens aliquam notitiam cognoscit eius obiectum, ergo si aliquis intellectus posset cognoscere beatitudinem alterius naturaliter, posset ea notitia mediante naturaliter cognoscere obiectum beatificum, sed videre obiectum beatificum est esse beatum, ergo, &c.

Dico, quod beatitudo potest sumi bifariam, vno modo pro qualitate illa existente in intellectu, & voluntate, & hoc modo vnus intellectus potest cognoscere beatitudinem alterius, quia potest cognoscere illam qualitatem; alio modo capitur beatitudo pro eadem met qualitate cum tendentia ad obiectum beatificum, & hoc modo dico, quod intellectus vnius beati non potest videre beatitudinem alterius sub illo respectu, quo tendit in obiectum beatificum, quia vt sic non cadit sub obiecto naturali intellectus creati, quod est ens finitum, absolutum, vel respectiuum, cuius terminus non est Deus, nisi prius viderit obiectum beatificum.

Quarto arguitur supponendo aliqua, primo supponitur quod intellectus viatoris ideo nō potest videre Christum hominem esse in Eucharistia, quoniam pro statu isto non potest intuitiue videre substantiam, sed tantum arguitiue ex accidentibus sensibilibus, & ratio est, quoniam pro statu isto nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, quoniam oportet intelligentem phantasmata speculari, intellectus autem in materia abstractus non dependens à corpore in operando intuitiue cognoscere potest obiecta sibi præsentia eo modo quo sunt intelligibilia, & per consequens substantiam priusquam accidentia. Secundo supponitur, quod intellectus, qui se habet ad intelligibilia sicut ipsa sunt in se intelligibilia, intelligit prius illud, quod est in se prius intelligile, & per consequens illud, quod est in se prius ens, quia iuxta Aristotel. secundo Meta. t. 4. Vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, id est, intelligibilitatem secundum se. tertio supponitur, quod sicut substantia est prior in entitate, siue quo ad esse omni accidente, sic etiam est prior cognoscibilis quocumque accidēte, vel modo eius accidentali, quoniam secundum Arist. substantia est prior accidēte natura, tempore, & cognitione; Quarto supponitur, quod intellectus creatus ex natura potentię habet pro obiecto adęquato naturali ens finitum, & limitatum, absolutum, vel respectiuum, cuius terminus non est Deus, atque adeo respicit pro obiecto sibi proportionato totum ens creatum, quod respectum non dicit ad ens infinitum; Quinto supponitur, quod intellectus creatus ex natura potentiæ, & ex ordine obiectorum inter se prius intelligit ipsam substantiam, quia est prior cognoscibilis, quam quicumque modus eius accidentalis, & per consequens nullus modus sub quo est substantia potest impedire intellectionem substantiæ à tali intellectu.

His suppositis arguitur sic. Modus accidentalis per se obiecti nō impedit cognitionem ipsius obiecti, sed ista pręsentia corporis Christi in Eucharistia est modus accidentalis corporis Christi, ergo non impedit cognosci illam substātiam ab intellectu, cuius ipsa est per se obiectum, qualis est intellectus separatus, vel hominis beati, qui non dependet à sensibilibus in intelligendo. Secundo probatur. Quilibet intellectus similis Angelis in cognoscendo sine phantasmate, qualis est Angeli, & animæ separatæ, ac etiam coniunctæ corpori glorioso potest viribus suis naturalibus videre intuitiue ipsum corpus Christi secundum se, ergo etiam potest videre existentiam corporis illius in Eucharistia, antecedens patet, quoniam corpus Christi secundum se est obiectum proportionatum tali intellectui sicut alia corpora humana; consequentia vero probatur: quoniam existentia corporis Christi in Eucharistia non est cognoscibile perfectius, quam ipsum Christi corpus secundum se, ergo si talis intellectus potest videre naturaliter corpus Christi secundum se, poterit etiam videre existentiam corporis illius in Eucharistia, consequentia patet, & probatur antecedens, quia existentia corporis in Eucharistia est modus accidentalis ipsius corporis, modus autem accidentalis alicuius rei non potest esse perfectius cognoscibile re ipsa cuius est modus, ergo existentia corporis Christi in Eucharistia non est perfectius cognoscibile quam ipsum corpus Christi in se.

Et si dicatur, quod huiusmodi rationes concludunt substantiam corporis Christi posse cognosci à tali intellectu, sed non intuitiue videri, quia illa existentia est supernaturalis, & per cōsequens improportionabilis cuicumque intellectui creato naturaliter cognoscenti, hæc responsio est fundamentum oppositæ sententiæ, nam dicunt Thomistæ existentiam corporis Christi in Eucharistia non esse obiectum proportionatum viribus naturalibus intellectus creati, quoniam hæc existentia est supernaturalis, obiectum autem supernaturale non est proportionatum viribus naturalibus alicuius potentiæ creatæ.

Sed contra hanc responsionem instat Doct. dupliciter, & primo instat contra conclusionem, secundo contra rationem; contra concl. arguit dupliciter, & primo sic. Omnis virtus, quæ potest cognoscere intuitiue obiectum dum est præsens, potest cognoscere eius absentiam dum est absens, sed intellectus separatus potest cognoscere intuitiue substātiam panis dum est præsens, ergo potest cognoscere absentiam eius quando est absens, & hoc intuitiue: hunc vltra potest cognoscere absentiam panis dum est absens intuitiue, ergo potest cognoscere præsentiam corporis Christi dum est in sacramento intuitiue; Maior primi argumenti est nota ex Arist. 2. de Anima t. c. 105. vbi ait, quod per visum nō tantum cognoscimus lucem, sed tenebras; & min. probatur, quia substantia panis ante consecrationem non est obiectum supernaturale; Tum quia intellectus separatus nō dependet à sensu in intelligendo, atque adeo potest cognoscere substantiam panis intuitiue; vltima consequentia probatur, quia qua ratione potest videre substantiam panis, eadem ratione potest videre substantiam corporis Christi, quoniam corpus illud est ita obiectum proportionatum intellectui separato, sicut substantia panis, & vltimum instans non esse panis sub illis accidentibus est primum instans esse corporis Christi sub eisdem.

Secundo arguitur. Omne ens creatum potest cognosci ab intellectu separato iam notitia intuitiua quam abstractiua, & hoc ex natura sua, sed corpus Christi existens in Eucharistia est ens creatum, & potest cognosci à tali intellectu, ergo potest cognosci cum sua existentia intuitiue, & abstractiua; consequentia patet, quia istæ notitiæ non differunt nisi penes aliam, & aliam præsentiam obiecti, ergo si aliquod ens cognoscitur abstractiue, illud idem si fuerit præsens in se cognoscetur intuitiue, & ex hoc patet etiam maior, nam cum huiusmodi notitię non differant nisi propter aliam, & aliam præsentiam obiecti, si aliquod ens potest abstractiue cognosci à tali intellectu, quando est sibi præsens vno modo, scilicet, per speciem intelligibilem; illud idem potest ab eodem intellectu intuitiue cognosci quando est sibi perfecte præsens in propria existentia actuali; sed corpus Christi potest abstractiue cognosci ab intellecto separato, quando est sibi præsens per speciem, ergo potest intuitiue ab eodem cognosci, quando est sibi præsens in propria existentia actuali, quemadmodum potest sibi esse pręsens in Eucharistia.

Secundo arguitur contra rationem responsionis, & formetur sic ratio. Si propter aliquam rationem non posset intellectus creatus videre naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia, maxime esset quia existentia hæc est supernaturalis, sed hæc ratio est insufficiens, ergo nulla est ratio propter quam intellectus creatus non possit videre naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia, maior est fundamentum, & ratio responsionis; minor verò probatur, quoniam si hæc existentia esset naturalis, posset naturaliter ab intellectus separato videri, vt omnes concedunt; sed propterea, quod sit supernaturalis non variatur eius cognoscibilitas, ergo si posset naturaliter cognosci,

quando

Digitized by Google

quando esset naturalis, etiam potest naturaliter cognosci quando est supernaturalis; consequentia patet, & probatur minor, quoniam ex hoc quod est supernaturalis non variatur eius entitas, ergo neque cognoscibilitas, consequentia patet, quoniam sicut res se habet ad esse ita ad cognosci, antecedens probatur, quoniam naturale, & supernaturale (inquit Doct.) non sunt differentiæ diuidentes rem secundum se, sed solum per respectum ad agens, ideo enim aliquid dicitur supernaturale, quia est à supernaturali agente, & illud dicitur naturale, quia ab agente naturali habet esse; sed diuersa habitudo ad aliud, & aliud agēs non concludit necessario aliquid esse aliud, & aliud secundum se secundum Augustinum tertio de Trinit. capitulo nono, quia homo productus supernaturaliter per creationem est eiusdem rationis cum producto naturaliter, ergo non concluditur necessario illud esse aliud, & aliud in ratione intelligibilis; homo enim naturaliter per generationem productus, & supernaturaliter per creationem est eodem modo cognoscibilis. Item aliquando sunt aliqua entia, quæ sic se habent, quod vnum est naturale, & aliud supernaturale, sicut est in proposito de corpore Christi, & eo modo eius existendi sacramentaliter, & tamen illud quod est supernaturale est imperfectius, quod autem naturale perfectius, sicut omnis substantia est simpliciter perfectior omni accidente, septimo Metaph. tex. capitulo secundo, & quarto, sed corpus Christi potest intuitiuè cognosci ab intellectu separato, ergo quod aliquid sit supernaturale non tollit, quin sit cognoscibile ab intellectu separato, atque adeo & modus existendi in sacramento potest intuitiuè cognosci; Et confirmatur, quia virtutes Theologicæ, vt charitas, & huiusmodi sunt in determinata specie qualitatis; & secundum multos Angelus habet naturaliter principia cognoscendi omnes species entium, ergo habet naturaliter principia cognoscendi istas virtutes licet sint entia supernaturalia.

[Ca]ietanus et [Sot]us conantur soluere [ra]tiones Sco[ti]. Circa hanc conclus. est manifesta repugnantia inter Scotum, & Sanctum Thomam cum Caietano, & Soto, quoniam hi Doctores expresse asserunt, quod nullus intellectus separatus etiam Angelicus potest viribus naturalibus intueri existentiam corporis Christi in Eucharistia, ideo conantur soluere rationes Doct. nostri, sed antequam eorum responsiones videamus obseruan. est, quod dissidium hoc inter Scot. & Thomistas non consurgit ex hoc loco, vt aduertit Caietan. & bene, sed ex alia radice ortum habet scilicet, ex eo quod Thomistæ asserunt nullum intellectum separatum posse cognoscere rem aliquam accipiendo cognitionem à rebus, quia nulla res potest mittere species in intellectum separatum, sed quicquid cognoscunt intellectus separati, vel intuentur illud in essentia diuina, vel sibi reuelatur ab alio intellectu superiori, vel per species inditas in se ipsis alia cognoscunt: nam quando Deus creauit Angelos dedit eis species omnium rerum pertinentium ad naturalem ordinem vniuersi, ad quas species conuersi cognoscunt ipsas res; rerum autem supernaturalium, quæ pertinent ad perfectionem gratiæ, cuiusmodi sunt mysteria fidei, non sunt datæ Angelis species vllæ, & hinc fit, vt talia mysteria cuiusmodi est incarnatio Verbi, & existentia corporis Christi in sacramento non possunt viribus naturalibus cognoscere, nisi sibi à Deo reuelentur in essentia diuina.

Scotus autem tenet, quod quilibet intellectus separatus potest videre quamcumque creaturam accipiendo species, & cognitionem ab ipsamet creatura, & de Angelis ostendit in secundo distinct. tertia, quæstione decimanona, & de animabus separatis in hoc quarto distinct. quadragesimaquinta, quæst. secunda, & hinc fit quod quamuis intellectui separato non sint concreatæ species mysteriorum fidei, nihilominus potest accipere cognitionem ab ipsis mysterijs in se, quia omnia sunt quid creatum, illa inquam de quibus loquimur, nimirum incarnatio Verbi diuini, & existentia corporis Christi in Eucharistia.

Hoc supposito videndum est modo quid Caietan. respondeat ad rationes Scot. Ad primam de anima Christi dicit, quod excipienda est anima Christi ea ratione, quia ad ipsam spectat licet concomitanter talis modus essendi, ita quod sicut dicimus cogitationes cordis mei latere naturalem cognitionem Angelorum, manifestas tamen esse animæ meæ quia ad ipsam spectant, & per hoc fiunt sibi præsentes, quæ non sunt præsentes Angelis, ita in proposito modus iste essendi præsens est naturali cognitione animæ Christi per hoc, quod ad ipsam spectat, nec est simile de alijs intellectibus, vt patet; Secundo dicit, quod anima Christi non intuetur naturaliter modum quo Christus est in hoc sacramento, sicut cognitione naturali non intuetur mysterium incarnationis, & ratio est, quia modus essendi in hoc sacramento est penitus supernaturalis.

Ad secundam dicit, quod non ratione excellentiæ, sed ratione absentiæ seu non præsentiæ existentia in sacramento latet, & tamen corpus patet.

Ad tertiam negant assumptum, scilicet, actum beatificum vnius beati videri naturali cognitione ab altero, quoniam actus beatificus spectat ad ordinem supernaturalem.

Ad quartam negat intellectum abstractum habere se ad omne intelligibile secūdum ordinem intelligibilitatis, tum quia non sic se habet ad primū intelligibile, quod est Deus, tum quia quilibet intellectus abstractus intelligit, & quod est supra se, & quod est per modum sui, deinde dicit, quod licet intellectus abstractus videat corpus Christi, non propterea sequitur, quod videat eius modum essendi in sacramento, & hoc non quia modus iste sit excellentioris cognoscibilitatis in se, sed quia cognoscibile alterius ordinis, scilicet, supernaturalis, & propter hoc est extra totum ordinem rerum præsentium cognitionibus naturalibus.

Ad aliud de obiecto intellectus negat totum ens creatū esse obiectum proportionatum intellectui separato, quia quædam sunt entia creata supernaturalia, quæ non sunt de ordine cognoscibilium naturaliter, atque adeo argumentum supponit falsum, scilicet, modum essendi in sacramento præsentem quandoque esse naturali cognitioni intellectus abstracti.

Ad rationem contra fundamentum responsionis adductæ respondet, quod naturale, & supernaturale sunt differentiæ quandoque solum secundum respectum ad agens; quandoque verò sunt differentiæ entis, nam dupliciter cōtingit rem aliquam esse supernaturalem, vel quo ad modū fiendi tantum, vel quo ad modum fiendi, & in facto esse, priori modo dicitur aliqua res supernaturalis accidentarie inquit Sotus, quia licet possit per naturam res eiusdem speciei produci, fit tamen à Deo, sicut primi parentis, visus cæco nato restitutus, & vinum factum in nuptijs erant eiusdem speciei cum alijs hominibus, & oculis naturalibus, & vino naturaliter facto ex vite, & differebant tātum ab alijs hominibus oculis, & vinis secundum naturale, & supernaturale quo ad modum fiendi tantum, atque adeo sunt entia pariter naturaliter cognoscibilia; Secundo modo dicitur aliqua res supernaturalis ex suo genere, quia non potest per naturam produci, eo quod sunt extra ordinem vniuersi, vt vnio hypostatica humanitatis ad Verbum, lumen gloriæ, charitas, & modus existendi corporis Christi in Eucharistia, & hæc quia sunt quoad esse supernaturalia, non sunt nisi supernaturaliter cognoscibilia, & propterea inquit *Sotus.*
Caiet. falsum est, quodcumque ens postquam factum est, esse naturale, de aliquo enim est verum, & de aliquo non; *Caietanus.*
Ad primam confirmationem dicit, quod est impertinens, quia non est quæstio de perfectione, vel imperfectione; sed de naturalitate, & supernaturalitate, dicit tamen quod posset dici, quod qualitates supernaturales sunt perfectioris ordinis, quam totus ordo naturalium, quia sunt ordinis diuini. Ad secundam confirmationem dicit, quod Angelis non sunt datæ species omnium specierum, sed tantum earum quæ ad naturalem ordinem vniuersi spectant, & propterea fidem, spem, & charitatem non per naturalem cognitionem in proprio genere norunt nisi habentes illas in se ipsis, vt pote ad eos spectantes. Ita Caietan. & Sotus ad rationes Doct.

Basis tamen & fundamentum omnium istarum respōsionum est, quod ens supernaturale est duplex, quoddam *Ens supernaturale est duplex.*
est producibile viribus naturæ, quale fuit vinū factum ex aqua in nuptijs Galilææ, & hoc dicunt isti naturaliter esse cognoscibile, quia est proportionatum viribus naturalibus intellectus creati. Aliud vero est ens supernaturale, quod viribus naturæ produci non potest, quales sunt virtutes infusæ, & existentia corporis Christi in Eucharistia, & similia; & ista sunt obiecta improportionata cuicumque intellectui creato, atque adeo non possunt à tali intellecto videri

Digitized by Google

deri viribus naturalibus, & per hanc distinctionem arbitrantur se soluere rationes Doct. Verum enim vero hæc responsio insufficiens est, quoniam anima rationalis, & Angelus non possunt produci naturæ viribus, sed solum virtute diuina, & nihilominus vnus Angelus viribus naturalibus cognoscit alium, & animam rationalem; & potest esse simile de claritate corporis gloriosi, quæ non est naturaliter factibilis, & tamen est visibilis ab oculo mortali, vt patet de claritate corporis Christi transfigurati, quę fuit gloriosa, & tamen visibilis ab Apostolis, manet ergo dissolutum fundamentum Thomistarum, & licet hoc sufficeret ad ostendendum quomodo responsiones istorum non euacuant rationes Doct. tamen vt magis earum insufficientia appareat per singulas discurrendo.

Quando dicit ad primam rationem, quod anima Christi potest cognoscere modum existendi in sacramento, quia modus ille spectat ad ipsam; dico, quod est hoc impertinens ad hoc, quod aliquid sit naturaliter cognoscibile vel non, nam nihil est naturaliter cognoscibile, quod non cadit sub obiecto naturali potentiæ, si ergo anima Christi naturaliter cognoscit modum existendi in sacramento, oportet necessario, quod sub obiecto eius naturali côtineatur, alias non posset illum naturaliter cognoscere; nec quod ad ipsam spectet, modus ille est in causa, quod cadat sub eius obiecto naturali, si ergo naturaliter cognoscitur ab anima Christi à quocumque intellectu creato beato poterit cognosci, cum quilibet intellectus creatus habeat idem obiectum adæquatum naturale. Et ad secundam responsionem cum dicit, quod anima Christi non potest intueri naturaliter modum existendi, &c. Quia est supernaturalis, dico, quod licet modus ille sit supernaturalis, quia non potest fieri nisi ab agente supernaturali, tamen in se modus ille est ens creatum, finitum, & limitatum, atque adeo ens naturale prout ens naturale distinguitur contra ens supernaturale, quod est Deus, & quamuis non possit produci nisi supernaturaliter, id est, ab agente supernaturali, est tamen naturaliter cognoscibile, quia post quam positum est in esse quantumque supernaturaliter est quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognitiuæ, & per hoc patet quomodo responsio ad secundam rationē Doc. falsum supponat, & ita de singulis, nam & præsentia Christi in Eucharistia est ens naturaliter cognoscibile, & actus beatificus, & charitas, & cæteræ virtutes supernaturales, cum in entitate sua sint entia finita, & contenta sub obiecto adæquato naturali intellectus ex natura potentiæ, quęadmodum Angelus, & anima licet sint entia supernaturalia ex eo, quod non possunt produci nisi ab agente supernaturali.

Et quādo dicit ad quartum, quod intellectus abstractus non se habet ad omne intelligibile secundum ordinem intelligibilitatis, quia non sic se habet ad primum intelligibile, quod est Deus, patet quod non intelligit rationē Doct. nā loquitur Doct. de intelligibilibus naturaliter, quæ sub obiecto naturali potentiæ continentur, modo Deus nō est intelligibilis naturaliter, neque cadit sub obiecto naturali potentiæ, quia Deus non est obiectum naturale, sed voluntarium; & quando dicit, quod intellectus abstractus licet videat corpus Christi, non videt tamen eius modum existēdi in sacramento, hoc probatione indiget, & ratio adducta est falsa, nam ita modus ille est cognoscibilis naturaliter sicut corpus Christi, cum sit accidens finitum, & limitatum, & si respectiuum nō est tamen ad terminum infinitum, & per consequens côtinetur sub obiecto naturali intellectus, atque adeo totum ens creatum, absolutum, vel respectiuum, cuius terminus non est Deus, est obiectum proportionatum intellectui creato ex natura potentię.

2. Conclusio. Secunda conclus. principalis huius art. est talis. Nō est de essentia visionis beatificæ in homine, vel Angelo beato, quod videat existentiam corporis Christi in Eucharistia, atque adeo beati non vident existentiam corporis Christi in Eucharistia per actum beatificum. Pro intelligentia huius conclusionis observandum est secundum Doct. in 3. d. 31. q. 1. in solut. ad tertium principale, quod credibilia, vt ad propositum spectat sunt in duplici differentia, quædam sunt quorum visio per se pertinet ad beatitudinem, sicut est visio Deitatis, & Trinitatis, non quod Trinitas vt huiusmodi sit ratio formalis obiecti beatifici, sed quia Deitas est formaliter in tribus personis, ideo tres personæ sunt per se obiecta

Scotus. Credibilia sunt in duplici differentia.

beatifica, quia quælibet per se includit deitatem, & talia credibilia sunt visibilia intuitiue ab intellectu, & istorum visio in patria succedit fidei; Alia sunt credibilia quorum visio aliquo modo pertinet ad beatitudinem non tamē per se, & essentialiter, sed concomitanter, vt sunt credibilia de incarnatione, & de mysterijs sacramentorum, & istorum visio succedit concomitanter fidei, non tamē tei in se, quia non videbitur in patria Christus in cruce, nec in vtero Virginis, sed tantum videbitur in Verbo, & dicuntur pertinere ad beatitudinem concomitanter, quia ad perfectam visionem Deitatis concomitanter sequitur, quod etiam videantur omnia relucentia in Verbo.

Hoc supposito probatur sic conclusio. Beatus non distinguitur à non beato nisi per visionem obiecti beatifici, & eorum quæ includuntur in eo in quantum beatificum est, sed existentia corporis Christi in Eucharistia non includitur in obiecto beatifico in quantum beatificum est, ergo beatus per visionem obiecti beatifici non videt existentiam corporis Christi in Eucharistia, consequentia patet cum maiori, & probatur minor, quia obiectum beatificum est solum essentia diuina in tribus personis; quia beatitudo in solius Dei visione consistit, ergo videre existentiam corporis Christi in Eucharistia non includitur essentialiter in actu beatifico; cum existentia corporis Christi sit quid creatum. Et confirmatur, quia æque essentialiter pertinet ad obiectum beatificum includere in ratione obiecti vnam rem, vel veritatem vnius sacramenti sicut alterius, sed nullo modo pertinet ad obiectum beatificum includere istud sub ratione ostensi, scilicet, gratiam conferri paruulo in baptismo, vel confitenti in confessione, & ista atque veraciter includerentur in sacramentis istis, sicut corpus Christi in Eucharistia, ergo nullo modo obiectum beatificum, vt est obiectum tale includit corpus Christi vt visum in Eucharistia; Et ex hoc infero, inquit Doct. quod multo minus requiritur ad beatitudinem, quod beatus videat existentiam corporis Christi in genere proprio, quia multo minus ad beatitudinem requiritur talis perfectio visionis, quam visionis in Verbo.

In hac conclus. videtur Doct. contrarius Diuo Thomæ, nam Diuus Thomas loco supracitato, inquit, quod beati vident in essentia diuina existentiam corporis Christi in Eucharistia. Caiet. tamen optime conciliat Doct. cum Diuo Thoma, pro quo obseruandum est, quod actus beatificus nō includit essentialiter nisi visionem essentiæ diuinæ, quia vt dictum est, beatitudo non potest essentialiter consistere in visione alicuius creaturæ. Nihilominus credibile est Deū ex sua liberalitate multa alia ostendere beatis in essentia diuina, sine quorum visione nihilominus essent beati, inter quæ credibile est ostendi eis mysteria fidei, quæ à viatoribus valde desiderantur clare cognosci, cuiusmodi sunt mysteria humanitatis ad Verbum, & existentia corporis Christi in Eucharistia. Scotus ergo est intelligendus de actu beatifico secundum ea, quæ includit essentialiter. D. vero Thomas est intelligendus de eodem actu beatifico secundum quod se extendit ad multa alia, quæ non sunt de essentia beatitudinis, atque ita non sunt contrarij, quoniam diuersimode de actu beatifico loquuntur. *D. Thom. Caietan.*

Respondendum est modo ad fundamenta oppositæ sententiæ, & primo ad fundamenta opinionum; ad primum de fide patebit respondendo ad secundum principale, sed pro nunc dicit Doct. quod intellectus noster ex natura sua potest cognoscere omne ens finitum, & cum ista existētia sit vnum ens finitum quantum est de se potest cognosci ab intellectu viatoris, sed quod viator non possit cognoscere illam, hoc ideo est, quia cognitio nostra pro statu isto depēdet à sensibus, atq; adeo licet pro statu isto talis existētia sit obiectum fidei respectu intellectus viatoris intelligentis cū conuersione ad phantasmata, non est tamē obiectum fidei intellectus eius secundum se, & ex natura potētiæ, atque adeo intellectus qui non dependet à sensibilibus in cognoscendo potest existentiam illam naturaliter cognoscere.

Ad aliud, quando dicitur, quod fidei succedit visio, dicit Doct. quod hoc verum est de principali obiecto fidei; vt quod Deus est trinus, & vnus, quod Pater generat, quod Pater, & Filius spirant, & sic de alijs, nam istorum fidem sequitur visio, quoniam istorum visio per se pertinet ad beatitudinem, sed fidei non succedit visio, quæ per se ad beatitudinem pertineat, de omnibus alijs respectu quorū est fides,

sed

sed bene succedit visio, quæ concomitatur beatitudinem, sed non est illa visio essentialiter beatitudo, alioquin oporteret beatum videre in Verbo gratiam fuisse collatā in baptismo, pœnitentia, & confirmatione, videret etiam semper in Verbo Incarnationem Verbi, natiuitatem, passionem &c. quæ non sunt necessaria, vt videantur in Verbo, nec in se, vt aliquis sit beatus, quoniam istorum visio non pertinet essentialiter ad beatitudinem, sed tantum concomitanter, atque adeo eodem modo non oportet de isto sacramento magis quam de alijs sacramentis, vel de alijs credibilibus, quorum visio non pertinet essentialiter ad beatitudinem, veritatem, semper videre in Verbo ad hoc, vt aliquis intellectus simpliciter sit beatus, quia beatitudo simpliciter, & essentialiter consistit in visione obiecti beatifici, ſ. essentiæ diuinæ.

Ad fundamenta, quæ adducuntur ex Doct. subt. ad primum respondet Doct. quod quando arguitur, est ens supernaturale, ergo cognoscibile supernaturale, quod ly supernaturale potest accipi in antecedente, & consequente, vel vniformiter, vel difformiter v.g. cum dico existētia corporis Christi in sacramento est supernaturalis, ergo est cognoscibile supernaturale, ly supernaturale in antecedente, & consequente si referatur ad idem est bona consequentia, quia in consequente refertur supernaturalitas ad entitatem, si autē in antecedente, sed tunc non sequitur, ergo tantum supernaturaliter potest cognosci.

Intelligibilitas est passio entis. Pro intelligentia huius responsionis obseruandum est, quod intelligibilitas est passio entis, & passio consequitur subiecti entitatem, adeo quod si entitas est, supernaturalis, id est, habet esse per agens supernaturale, & eius intelligibilitas eodem modo est ens supernaturale, quia a quo habet esse subiectum, ab eodem habet esse, & passio realiter consequens ipsum subiectum, ita quod si aut existentia Christi in sacramento est ens supernaturale, ita est vnum ens intelligibile supernaturale, quia & eius entitas, & intelligibilitas habent esse ab agente supernaturali. Secundo obseruandum est, quod supernaturalitas prout coniungitur cum intelligibili potest referri, vel ad entitatem ipsius intelligibilitatis, vel ad intellectum cognoscentem, & intelligentem subiectum cuius ipsa est passio, si primo modo hæc consequentia est bona, hoc est ens supernaturale, ergo est intelligibile supernaturale, nam est sensus, hoc ens habet esse ab agente supernaturali, & eodem modo ab agente supernaturali habet, quod sit intelligibile; quia a quo quis habet entitatem, habet & consequentia entitatem, si autem referatur ad cognoscibilitatem, non tenet consequentia, non enim sequitur, hoc est ens supernaturale, ergo est cognoscibile supernaturaliter; quia in antecedente ly supernaturale dicit habitudinem ad causam suam a qua potest accipere esse, & sensus antecedentis est, hoc est ens supernaturale, id est, habet esse per agens supernaturale, ergo non potest cognosci nisi supernaturaliter, non valet cōsequentia, quia licet non possit accipere esse nisi a causa supernaturali, tamen est cognoscibile naturaliter, quia quantumcumque aliquid ponatur in esse supernaturaliter, postquam tamen positum est in esse, est quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoscenti, sicut patet de anima, & de Angelo, quæ non possunt poni in esse nisi supernaturaliter, & tamen sunt entia cognoscibilia naturaliter.

Et per hoc patet ad aliam probationem adductam. Factibile supernaturale non est naturaliter factibile, ergo cognoscibile supernaturale non est naturaliter cognoscibile, quia si ly supernaturale vbique per se determinet illud cui additur potest concedi consequens, sicut & antecedens, sed tunc minor est falsa, scilicet quod ista existentia sit cognoscibile supernaturale, si autem supernaturale non determinet per se illud cui additur, sed quoddam aliud implicatum, vt potē ens, consequentia non valet, quia in antecedente ly supernaturale determinat ipsum sub ratione factibilis, & ideo repugnat ei hoc quod est fieri naturaliter, nam quando dico factibile supernaturale, in ly factibile implicatur ens, quod determinatur per ly supernaturale in ratione factibilis, atque adeo si est factibile supernaturale non potest fieri naturaliter, in consequente vero dicitur cognoscibile supernaturale non est naturaliter cognoscibile, non determinatur cognoscibile sub fieri, id est, respectu intellectus cognoscentis, ita ut sit sensus, est ens cognoscibile tantum supernaturaliter, ergo non est naturaliter cognoscibile, nam si implicitum in consequente determinatetur, quod ly, supernaturale, id est, sub cognosci repugnaret ei, hoc quod est cognosci naturaliter, & hoc vult dicere Doct. in hac litera, quæ est satis obscura.

Ad secundum respondet Doct. quod hæc propositio est falsa, scilicet quodcumque cognitum per fidem excellit, quodcumque cognoscibile naturaliter loquendo de cognoscibili ab intellectu abstracto: vera est tamen loquendo de cognoscibili naturaliter ab intellectu nostro pro statu viæ, & ideo nobis necessaria est fides, non autem illi intellectui abstracto, ratio huius negationis satis patet, quia Angeli intuitiue possunt naturaliter cognoscere Christum pati, & mori sicut poterant naturaliter cognoscere ipsum viuere vita humana, nos autem de illa morte habemus cognitionem fidei, vnde nos multa habemus, & cognoscimus per fidem, quæ Angelicus intellectus clare, & intuitiue, & naturaliter potest cognoscere, & de facto cognoscit: Illa autem cognitio intuitiua multo perfectior est nostra ænigmatica, & de eodem obiecto, ita dico de existentia corporis Christi in Eucharistia, de qua nos habemus fidem, tamen intellectus separatus naturaliter, & intuitiue potest illam videre: & ad probationem cum dicitur, quod tunc habitus fidei non est simpliciter necessarius.

Respondet Doctor in fine huius quæst. ibi. Ad argumenta pro opinione dicens, quod nobis est necessarius, quia intellectus noster intelligens ex sensibilibus nihil potest habere vnde determinate assentiat tali veritati, & ideo requiritur habitus inclinans ad assentiendum, sed alius intellectus, nimirum intellectus separatus respiciens totum ens finitum pro obiecto naturali, & per consequens hoc ens, scilicet existentiam corporis Christi in sacramento bene potest habere assensum de illo ex rationibus externorum intuitiue visis, atque adeo non est sibi necessaria fides.

Ad tertium de malis Angelis, dicit Doctor, quod quicumque malus Angelus si permittatur, vt potentia sua cognitiua potest absolute intelligere quodcumque intelligibile creatum sibi præsens, & per consequens potest intelligere cogitationes cordium, & mysteria gratiæ, scilicet omnia sacramenta, & effectus sacramentorum ex quo hæc posita sunt in effectu. Et si quæras, an de facto cognoscant illa, dicit Doctor iuxta sententiam Magistri in secundo distinctione septima, quod multa possunt ex natura sua, quæ non permittuntur eis, & creditur, quod Angelus malus videre non permittitur mysteria gratiæ, & secreta cordis, & forte non permittitur Angelo malo videre corpus Christi in Eucharistia. Magister.

Vnde Aegidius Theoremate decimo sexto, inquit. Probabile videtur, quod Deus tam excellens Sacramentum velet aliquibus substantijs separatis, & non permittat dæmones omnes illam cognitionem habere de Sacramento Eucharistiæ, quam habere possent ex eorum naturali virtute. Ægidius.

Et sic exponenda est authoritas Ambrosij de mysterio incarnationis dicentis ipsum malignum spiritum latuisse, non absolute, quin quilibet Angelus malus posset videre integritatem Virginis Mariæ tam in mente, quam in carne, æque sicut potest cognoscere tactum digiti ad digitum, vel aliam intellectionem naturalem, alicuius intellectus, sed non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur redemptio nostra eo modo, quo præuisa est, si enim cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent, id est, numquam me redimi eius morte procurassent. Ambros. 1.Cor.2.

Vnde sicut non semper permittuntur dæmones facere, quæ possunt ex naturali virtute, sicut deducit Diuus Augustinus, quod Magi Pharaonis dæmonum auxilio fecerunt ranas, & serpentes, non tamen eorum auxilio facere potuerunt ciniphes, de quo ita Beatus Augustinus dicit. Ex ineffabili Dei potentia fit, vt quod possunt mali Angeli si permitterentur, ideo non possunt, quia non permittuntur, neque occurrit alia ratio, cur non potuerint facere ciniphes, qui ranas, serpentesque fecerunt, nisi quia ibi aderat maior dominatio prohibentis Dei per Spiritum sanctum. Hæc prohibitio est, non per modum præcepti, sed per subtractionem causalitatis, sic in proposito creditur Deum non cooperari Dæmonibus ad visionem Sacrosancti corporis. D. August.

Ad confirmationem ex Damasceno dicit Doct. quod Damasc. loquitur de nobis pro statu isto, quamuis D. Thom. dicat eum loqui tam de Angelo quam de nobis, sed hoc nō potest esse verum loquendo de naturali potentia intellectus angelici, vt probatum est in prima conclusione huius artic. sed tantum de potentia Angeli, vt permissi, & hoc de malo Angelo. Ad argumentum ergo nego minorem, imo ex natura sua possent cognoscere si sibi esset permissum. Ad confirmationem dico, quod Dam. intelligit, quod Spiritus sanctus fecit super intellectum alliga um sensibus, qui dependet in intelligendo a phantasmatibus, sed non super intellectum separatum.

Ad quartum dicit Doctor, quod contingens dum est contingens, scilicet dum est in causa sua non potest cognosci ab intellectu creato, nam res contingens tam diu est contingens, quamdiu non ponitur in esse, sed quantumcumque aliquid contingenter sit in causa sua, postquam tamen contingenter positum est in esse, sicut iam habet determinatam entitatem, ita habere potest determinatam cognoscibilitatem, & hoc in quocumque intellectu respiciente totum ens, licet ergo aliquis intellectus non possit praescire, quod in ista hostia continebitur corpus Christi, tamen ex quo illud factum est, bene potest intellectus naturaliter intueri corpus ibi existens.

Suarez. Multa contra hanc opinionem Doctor. congerit Suarez Tomo 3. 3. parte quaest. 76. articulo septimo. disput. 13. sect. 5. quae falso innituntur fundamento, scilicet quod neque Angeli, neque animae separatae possunt cognoscere res accipiendo cognitionem ab ipsis rebus, atque adeo non possunt intueri res creatas in se ipsas, sed tātum per species inditas. In proposito aūt intellectus angelicus non habet ex natura sua species istius modi existendi in Sacramento, quia talis species non debetur ei ex natura rei, quia solum species rerum pertinentium ad ordinem naturae datae fuerunt Angelis in eorum conditione, quae omnia esse falsa patet ex his, quae docet Doctor in secundo d. stinctione tertia quaest. decima, *Scotus.* & in hoc 4. d. 45. quaest. 2. atque adeo alia impugnatione non indigent.

QVAESTIO IX.

Vtrum existentia corporis Christi in Eucharistia possit videri oculo corporali.



Git Doct. in superiori quaest. de eo genere actionis immanentis, quae spectat ad partem intellectiuam prout respicere potest pro obiecto Christi corpus existens in Sacramento. In hac quaestione agit de cognitione sensitiua respectu eiusdem obiecti, scilicet corporis Christi, & cum supra conclusum sit Christum, vt sic est non posse loqui, certum est etiam non posse audiri, & cum in aliis tribus sensibus, scilicet gustu, odoratu, & tactu non possit fieri multiplicatio specierum sine materiali contactu, & actione, quam corpus Christi hic exercere non potest, de illis non est hic quaestio specialis, & quamuis interdum possint species huiusmodi tantum intentionaliter multiplicari, vt in odoratu, eadem tamen ratio est de illo, quae de visu, atque adeo de hoc sensu fere omnes Theologi tractant praesentem quaestionem, ex cuius resolutione facile etiam constabit, quid sit de interiori sensu dicendum.

Res tribus modis potest esse visibilis. Pro cuius quaestionis explicatione obseruandum est primo, quod tribus modis potest aliqua res dici visibilis, vno modo per se primo tamquam proprium obiectum visus, & illud per se videtur, quod videretur si esset ab omni alio separatum, & sine quo nihil videtur, & hoc modo tantum videtur color, vel lux, quia color etiamsi esset a subiecto separatus videretur, & sine colore, vel luce nihil potest videri oculo corporali, atque adeo color, vel lux est proprium obiectum visus. Secūdo dicitur aliquid visibile per accidēs, & est id quod accidenti per se visibili subiicitur, sicut dicitur visibilis substantia materialis, quia est subiectum coloris, & sol dicitur visibilis, quia est subiectum lucis, & de hac non est hic sermo, quia esse aliquid isto modo visibile est valde improprium, nam visus re vera non attingit nec in se concipit, aut sibi repraesentat rem, quam solum per accidens videre dicitur, sed videt formam, quae cum tali re coniuncta est, seu quae in tali re subiectatur, quia tamen videt per modum vnius, dicitur per accidens videre subiectum ipsum, aut aliam formam in illo inhaerentem, sic dicit Phi. 2. de anima, quod Ditraij filius videtur per accidens, quia color, qui in ipso est videtur per se.

Tertio modo potest aliquid esse visibile, nec omnino per accidens, nec per se primo, sed per se secundo tanquam sensibile commune, quomodo videntur motus, aut quies, aut magnitudo rei &c. Possumus addere duos alios modos, quibus res aliqua potest videri, videlicet vel propter ordinem ad aliud visum, vel propter coniunctionem similem cum visu, priori modo dicitur aliquid videri propter certum ordinem ad aliud visum per se, non propter ordinem informationis, sed continentis, & contenti, & hoc modo videndo continens dicimur videre contentum, & hominem armatum dum arma quibus induitus est videmus, & hominem cum tamen tantum vestes videmus, & hoc modo in scripturis dicuntur quidā Angelos vidisse, quia corpus ab Angelo assumptum viderunt, vt legitur de Manuae iud. 13. vbi legitur. Intelligit Manuae Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam. Moriemur quia vidimus Dominū. Posteriori modo propter spiritualem vnionem, vel coniunctionem alicuius, cum eo quod videtur aliquo priorum trium modorum, sicut dicitur Deus in terris visus ab hominibus. Post haec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est Baruch. 3. quia scilicet ei iunctus est spiritualiter vnione corpori Christi, quod visum est, secundo modo per accidens, & hoc modo intelliguntur verba, quae dixit Christus Dominus Beato Thomae Apostolo, Io. 20. Quia vidisti me Thoma credidisti, me demonstrat Christum illum Dei loquentem, quem ex eo vidit, quia corpus Domini cui vnitum erat verbum vidit.

Secundo obseruandum est, quod discrimen est inter corpus Christi & modum existendi in Sacramento, atq; adeo aliud est quaerere an corpus Christi cum modo sacramētali videri possit oculo corporali, aliud est, an quamuis modus ipse sit inuisibilis corpus tamen ipsum praecise, & secundum se videri possit non viso modo; nam primo modo esset sensus, quod modus sacramentalis esset pars obiecti visi, quod est omnino falsum, nam quod est omnino inuisibile non potest esse pars obiecti visibilis; modus autem sacramentalis est omnino inuisibilis oculo corporali, cum sit respectus, vt de se patet; non quaerimus ergo an corpus Christi cum modo sacramentali videri possit oculo corporali, sed quaerimus an corpus Christi in sacramento existens videri possit oculo corporali, & si modus existendi in sacramento videri non potest.

Tertio obseruandum est, quod duplex est oculus corporalis, scilicet gloriosus, vt est oculus corporis beati, & non gloriosus, vt est oculus hominis viatoris, & de vtroque oculo intelligitur quaestio.

Quarto obseruandum est, quod videre aliquid potest accidere duobus modis, scilicet naturaliter virtute agentis creati, & iuxta ordinem agentium naturalium, vel miraculose, seu supernaturaliter, vel de potentia Dei absoluta, & vtroque modo potest intelligi quaestio, atque adeo potest haec quaestio diuidi in articulos quinque.

Primus Art. Vtrum oculus corporalis siue gloriosus, siue non gloriosus possit naturaliter videre corpus Christi in Eucharisti. S. Sacramento.

Secundus Art. Vtrum quando in Sacramento apparet miraculose caro, vel puer sit ibi corpus Christi.

Tertius Art. Quid agendum sit quando apparent huiusmodi mutationes in hostia.

Quartus Art. Vtrum concedi possit aliquo modo Christum in Sacramento videri oculo corporali.

Quintus Articulus Vtrum supernaturaliter, id est, per potentiam Dei absolutam fieri possit, vt oculus corporeus videat corpus Christi in Sacramento existens.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis oculus corporalis, siue gloriosus, siue non gloriosus possit naturaliter videre corpus Christi in Eucharistia Sacramento.

DE hac re est duplex sententia. Prima est nominalium, qui affirmant Christi corpus, vt hic existens, & eum suo modo sacramentali posse naturaliter videri oculo corporeo, diuinitus tamen nunc impediri propter fidem, ita sentit Ocham in 4.q.5. Aliacus q.5.art.2. Maior. d.10.q.5. Rubion d.10.q.8.art.2.& Gab.lect.45.in Cano. fundamenta istius sententiæ sunt ista, quia vel ad videndum nō requiruntur species, vel Christi corpus potest illas efficere, sicut de quacumque alia actione tam seunte ipsi opinantur, ergo in oculo sufficienter propinquo Eucharistiæ sufficiens erit virtus naturalis ad videndum corpus Christi, ergo poterit videri, quia nihil est quod possit illud exercitium virtutis impedire, quia neque ex parte ipsius oculi, neque ex parte medij, vt de se patet, neque ex parte sacramentaliū specierum, nec denique ex parte ipsius corporis Christi, nam si quid esset maxime modus ipse existendi, nihil enim aliud fingi potest, modus autem ille licet fortasse possit esse in causa, vt visio minus sit clara, & distincta non potest tamen illam omnino impedire, quia solum efficit, vt omnes partes corporis sint æque propinquæ visui, & per eamdem lineā, & non per vnam tantum, sed per infinitas, prout Christus infinities in potētia existit in infinitis partibus totus, ex quo fit, vt æqualiter, & varijs modis multiplicentur species ab omnibus partibus corporis, quod non potest non parere aliquam confusionem in visione, ita vt non videatur Christus distinctè secundum suam figuram, & organizationem, non tamen omnino impeditur specierum multiplicatio, & ideo saltem videri poterit per modum cuiusdam obiecti lucidi, sicut si duo homines essent penetratiue in eodem loco non impediretur eorum visio, sed solum ne tam distinctè, & clare vnusquisque videretur.

Ocham. Aliacus. Maior. Rubion. Gabriel.

Secundo probatur, quod possit videri ab oculo glorioso. Beatus videndo species, sub quibus continetur verum Christi corpus non decipitur, sed si non videret clare corpus Christi deciperetur, vel posset decipi, ergo clare vidit sub speciebus corpus Christi, consequentia est nota, & maior patet, quia deceptio repugnat beatitudini, minor probatur: quia posset dubitare si non vidisset corpus Christi an esset ibi substantia panis, vel non, vel posset credere, quod non esset ibi corpus Christi, cum tamen ibi esset, & tunc deciperetur, sed vtrumque repugnat beatitudini, scilicet dubitatio, & deceptio, igitur beatus potest ibi videre corpus Christi. Præterea, inquit Magister in hoc quarto distinctione vndecima, quod sub alia specie creditur corpus Christi, vt fides habeat meritum, sed fides non habet locum in beatis, ergo illis apparet corpus Christi in propria specie. Deinde status gratiæ velamen sustinet, status gloriæ nequaquam, quia in statu illo omne velamen aufertur, ergo licet oculis viatorum veletur corpus Christi, oculis beatorum teuelatur. Subinde si non videretur sensu comprehensoris hoc est vel ratione corporis Christi gloriosi, vel ratione velationis, non ratione prima, quia sicut claritas corporis non glorioso non latet visum non gloriosum, nisi sit infirmitas ex parte visus, vel organi, sic claritas corporis gloriosi non latet visum gloriosum, neque ratione secunda, quia in statu illo omne velamen aufertur, vt dictum est.

Magister.

Præterea potentior est virtus oculi gloriosi ad penetrandum, quam virtus corporis inanimati, sed virtus lunæ, quæ est corpus inanimatum, penetrat totam terram, aliter enim in eadem hora in qua causat fluxum maris in quarta terræ sibi opposita, non causaret in quarta opposita, ergo multo fortius virtus oculi glorificati potest penetrare speciem, & attingere corpus Christi.

Tertio probatur, quod videri possit ab oculo non glorioso. Si esset lux punctalis, id est, recepta in puncto, illa posset videri, ergo corpus Christi in Eucharistia existens potest videri oculo corporali, consequentia patet, quia non est minus visibile corpus Christi in Eucharistia, quam illa lux punctalis, antecedens probatur, tum quia illa lux diffundit suas species sphærice, atque ita videtur sphærice, tum etiam quia a puncto fit reflexio secundum lineam rectam, nam secundum perspectiuos reflexio radij visualis fit a puncto corporis reflectentis, & planum est, quod illud a quo fit reflexio potest videri.

Præterea facilius est videre corpus Christi sub Sacramento, quam illud quod non est, sed nos per naturam possumus videre illud, quod non est, ergo multo fortius possumus videre corpus Christi sub Sacramento, maior est nota, & minor patet per Auicennam 6. naturalium tracta, quarto capitulo secundo, vbi inquit, possibile est describi in sensu communi, vt audiat, & videat sonos, & colores, qui non habet esse extra.

Auicenna.

Postremo in hoc Sacramento quandoque apparet species carnis, vel pueri, sed tunc, vt videtur, apparet ipsummet corpus Christi, ergo &c. Maior patet, quia Pascasius Diaconus scribit in suo libro de Sacramento, quod cuidam Sacerdoti deuoto apparuit Christus sub specie pulcherrimi pueri in Eucharistiæ Sacramento, quem puerum sacerdos deuotissime osculabatur, legitur etiam in legenda B. Greg. quod sibi apparuit Sacramentum per modum carnis habentis figuram digiti, minor probatur, quia alioquin esset deceptio sicut in præstigijs.

Pascasius.

His tamen non obstantibus est secunda opinio, quæ communis est omnium aliorum Theologorum affirmantium non posse quocumque oculo corporeo naturaliter videri corpus Christi in hoc Sacramento, ita sentit Alex. de Ales. parte quarta, quæst.10.m.7. articulo tertio, §.8. Diuus Thomas tertia parte quæstione 76. articulo septimo. Diuus Bonauentura dist 10. parte secunda, articulo secundo, quæst.2. Richar. dist.10 articulo quinto, quæst.2. Durandus distinc. 10. quæst. quarta. Franciscus de May. dist. 11. articulo secundo, quæst.2. Bass. dist.10. quæst.4. articulo tertio, Caie. Sotus & omnes Thomistæ, & est expressa sententia Doct. in hac quæstione, quæ hac conclusione continetur.

Ale de Ale. D. Thomas D. Bona Richard. Durandus. Mayronis. Bassolus Caietanus. Sotus Scotus. Conclusio.

Nullus oculus corporalis potest videre naturaliter corpus Christi, vt in Eucharistia existit. hæc conclu. probatur primo rationibus Rich. & Diui Thomæ, quas tamquam inefficaces refellit Doct. subt. deinde probatur rationibus Doctor.

Prima ratio D. Thomæ est talis, quæ habetur in 4. d. 10. q. 4. Non potest esse actio naturalis sine contactu, sed corpus Christi in Sacramento existens non potest habere contactū, ergo ibi non erit actio, & per consequens non videbitur, probatur minor, quia Christus non respicit ibi species ratione quantitatis, sola autem quantitas est ratio contactus.

Hæc ratio non probat intentum (inquit Doct.) quoniam ad actionem, qua producitur aliqua forma absoluta non requiritur contactus v.g. ad immutationem potentiæ non requiritur contactus, & ratio est, quia contactus dicit respectum extrinsecus aduenientem ad corpus, quod tangitur, sed actio absoluta potest præcedere quemcumque respectū extrinsecus aduenientem, atque adeo licet corpus Christi in Sacramento non contingat excludendo talem respectum extrinsecus aduenientē ad corpus aliud, non sequitur quin possit alterare, quod est immutare ad formam absolutam sensationis. Et si dicatur omne agens est simul cum passo ex Aristo. ergo ad actionem requiritur contactus. Dico quod duplex est contactus, scilicet mathematicus, & virtualis, contactus mathematicus est inter illa, quorum vltima sunt simul, vt duo digiti ad inuicem vniti, contactus autem virtualis est inter ea, quæ se habent, quod vnum producit aliquid in aliud, & ad hoc quod virtualiter se tangant oportet, quod passum sit intra sphæram actionis agentis, atque ita inter cœlum, & ista inferiora est contactus virtualis, ex quo sequitur, quod ad actionem requiritur contactus, vel mathematicus, vel virtualis, sed non propter hoc requiritur mathematicus, hoc etiam patet de Angelo qui numquam est præsens localiter, sed tantum definitiue, & tamen mouet localiter corpus sibi proportionaliter præsens, & si haberet virtutem alterandi ipsum, alteraret corpus, vt ibi præsens, ergo non requiritur ex parte mouentis existentia corporalis ad hoc, quod alteret organum ad sensationem.

Contactus est duplex.

Secundo arguit D. Thomas. Color corporis Christi non potest immutare potentiam, ergo corpus Christi non potest videri, consequentia est nota, & antecedens probatur: [illegible] color ad hoc, vt possit mouere potentiā recur[illegible] te in quantitate, sed corpus Christi non [illegible]

modo quantitatiuo, quia non habet ordinem ad locum ratione quantitatis, igitur neque ratione coloris, ergo corpus Christi nõ potest immutare medium immutatione aliqua virtute coloris, atque ita nec ad visionem. Sed neque hæc ratio concludit propositum; quoniam licet verum sit colorem recipi immediate in quantitate, quoniam nulla est qualitas extensa nisi pro quanto recipitur in quantitate, & licet verum sit colorem corporis Christi haud habere ordinem ad partes loci eo modo quo quantitas, quæ est subiectum eius non habet ordinem ad locum, tamen non sequitur ex hoc quod color non possit alterare medium, quia licet verum sit ad hoc, quod color immutet oportere colorem habere ordinem partium ad partes loci, hoc tamen hac ratione non probat D. Thomas, & ideo nihil sd 6.

Tertio arguit Richard. vbi supra sd hoc, vt oculus corporalis possit per naturam videre aliquod corpus, requiritur, quod ab illo corpore possit vsque ad oculum per naturam deriuari similitudo illius corporis repræsentans ipsum oculo, sed talis species deriuari non potest per naturam nisi in corpore existente in loco, & per medium corporale, si enim vt dicit Phi. secundo de anima t. capit. septuagesimo-quarto. Vacuum esset inter cælum, & terram nihil omnino videremus, sed corpus, vt existens in sacramento non est alicubi, vt in loco, ergo ab ipso ad oculum nostrum non potest species naturaliter deriuari. Sed hæc ratio non concludit quoniam, vt dictum est supra, Angelus potest habere aliquem effectum ordinate deriuatum in passo secundum partes passi, licet ipse Angelus, vt agens non habet alicubi esse localiter, atque adeo ad hoc quod aliquid agat in aliquod corpus non oportet quod sit in loco localiter, atque ita insufficienter, neque vniuersaliter probat intentum.

Secundo probat Richardus, quod corpus Christi non possit videri, vt in sacramento ab oculo glorioso, quoniam ad hoc, quod oculus gloriosus videat oportet ipsum esse informatum specie visibili, sed per virtutem gloriæ oculus corporalis non potest abstrahere à corpore Christi existentis sub sacramento eius speciem, quia lumen corporale non potest attingere rem non habentem existentiam alicubi, vt in determinato loco, quam non habet corpus Christi, vt est sub sacramento; sed hæc ratio (inquit Doct.) non concludit, quia non est euidens quomodo propter non existentiam corporis in loco non possit attingi in ratione obiecti ab habente tale lumen, neque hoc probat Richar. atque adeo petit principium.

Præterea corpus Christi, vt existit sub speciebus panis sacramentaliter, non est præsens alicui, quod sit minus minimo sensibili, quia nulli indiuisibili est præsens, sed solum est præsens partibus sensibilibus quantumcumque minimis, minimum autem sensibile potest percipi à sensu perfectissimo secundum Arist. in fine de sensu, & sensato in dubitatione vltima, ergo corpus Christi sub sacramento existens potest percipi ad minus sensu perfectissimo, & per consequens ab oculo glorificato, quia ille oculus habet perfectissimũ visum non obstante suo modo existendi hic; sed quoniam hæc ratio videtur probare conclusionem Nominalium, quam non tenet Doct. ideo respondeo ad eam, & dico, quod licet corpus Christi sit totum præsens toti quãtitati panis conuersi in ipsum, & cuilibet parti eius, tamen est sic præsens, quod nec extenditur toti illi quantitati, nec alicui parti eius, ideo ratione eius præsentiæ non conuincitur, quod ab aliquo sensu percipi possit ibi esse, cum nulla eius extensio appareat secundum illud esse.

Ratio Scoti. Improbans rationibus Diui Thomæ, & Richard. probatur conclus. ratione Doct. pro qua supponendum est, quod res quæ videtur multiplicat species per modum pyramidis, cuius basis, vel latitudo est in obiecto, & conus, seu angulus in oculo; est enim pyramis figura lata in basi, quæ quo magis distat, magis angustatur; basis huius figuræ est illius latitudo, conus autem illius est angulus, & hæc est causa per quam res, quæ videntur à longe minores apparent, quia videntur sub minori cono, seu angulo. hoc supposito arguitur sic. Si corpus Christi videretur in Eucharistia, non videretur maius quam hostia, sed consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia si corpus Christi in Eucharistia videtur, species quæ procederent à corpore Christi, vel haberent æqualem basim, & conum cum basi, & cono specierum panis, vel maiorem, non secundum, quia tunc maior angulus contineretur in minori, quod est impossibile, ergo æqualem, atque adeo corpus Christi videretur ab oculo corporeo æquale cum speciebus panis, quia videretur sub æquali basi, & cono.

Præterea sequeretur, quod corpus Christi videretur rotundum, consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentia probatur, quia si corpus Christi in Eucharistia videretur, species, quæ procederent à corpore Christi, haberent æqualem basim, & conum cum basi, & cono specierum panis, quia illa esset simul cum base pyramidis sub qua videretur hostia; nam vbique est corpus cum hostia, & tunc corpus CHRISTI, & hostia simul viderentur sub æquali angulo correspondenti, sed quæ videntur sub eodem angulo videntur æqualia, ergo corpus Christi videretur æquale speciei & rotundum, quia basis, sub qua videtur species est rotunda.

Ocham volens huic rationi respondere negat principia perspectiuæ; dicit enim quod regula Perspectiuorum intelligitur de re aliqua, secundum quod ipsi videbant; tamen potest aliquid videri, & non sub figura pyramidali, sed magis credendum est perspectiuis quam Ochamo. Ocham.

Secundo probatur conclus. Terminus actionis corporalis debet esse approximatus secundum locum, sed corpus Christi in Eucharistia non est approximatum secundum locum potentiæ visiuæ, ergo non potest esse terminus visionis, quæ est actio corporalis.

Ex his patet responsio ad fundamentum primæ opinionis, supponit enim falsum quoad omnes partes, scilicet, vel quod species intẽtionales non requirantur ad videndum, vel quod illæ naturaliter fieri possint a corpore inextenso in ordine ad locum, aut quod repræsentare possint talem modum existendi, aut corpus ipsum præscindendo ab omni præsentia, & situ, neque corpus Christi sub tali modo existens est obiectum visibile, non enim satis est, quod sit coloratum, nisi existat modo accommodato visioni.

Ad primum de oculo glorioso respondet Doct. quod sensus etiam noster non decipitur circa Eucharistiam, quod enim percipit per se, hoc est ibi, nam sensus non percipit nisi accidentia, quæ sunt ibi, scilicet, quantitas, figura, color, & huiusmodi, nec est possibile modo, quod circa Eucharistiam decipiatur visus noster, sed bene decipi potest intellectus sophistice arguens his, quæ sensus apprehendit, verbi gratia, si intellectus argueret sic, hic sunt accidentia panis, scilicet, odor, & sapor panis, ergo hic est substantia panis, sed hoc argumentum est sophisticum, quoniam licet hæc consequentia sit vera, vt in pluribus, non tamen est vera necessario, vt patet. In proposito autem de beatis dicit Doct. quod sensus beati perciperet hoc, quod sensus noster, scilicet, accidentia, nec iste aliquo modo deciperetur, sicut nec noster, immo minus quam noster; sed nec intellectus beati sic sophistice argueret ex actu sensus sicut noster arguit; quia beatus cognoscit absentiam panis in altari, atque adeo non dubitat an ibi sit substantia panis, immo per intellectum ibi clare videt corpus Christi. Ideo ad argumentum dico; quod beatus non decipitur per sensum exteriorem, nec etiam per intellectum, immo clare videt.

Ad secundum dico, quod causa defectus comprehensionis Christi ex parte sensus ipsis beatis non est velamen sacramenti, sed modus existendi, ad quem vis sensitiua non potest attingere, sed quamuis sensus non percipiat, tamen intellectus hoc clare videt. Per idem patet ad aliud: quoniam vt dictum est, velamen non est causa huius incomprehensionis, sed quia corpus Christi est ibi per modum, ad quem sensus non attingit.

Ad quartum dico, quod neq; gloria, neque claritas corporis Christi, neque velamen est causa incomprehensionis ipsis beatis, sed modus existendi ipsius corporis, cuius perceptio est super potestatem sensitiuam, licet enim corpus CRHISTI sit sensibile beatis, tamen est sub sacramento insensibiliter, sicut corpus Christi ante passionem fuit passibile, tamen sub sacramento fuit impassibiliter.

Ad quintũ dico, quod oculus non videt per tramissionẽ virtutis visiuæ vsq; ad rẽ visã, sed p intus receptionẽ specierũ;

quæ

Digitized by Google

quæ multiplicantur a corpore visibili vsque ad visum, & propterea nulla est similitudo de virtute corporis inanimati, & virtute oculi glorificati. Et etiam esto quod visio fieret per extramissionem iuxta opinionem Platonis adhuc radij visualis, protendi non possent vsque ad corpus Christi, vt existens sub Sacramento, quia illa virtus visiua protendi non posset nisi mediante medio cuius superficies non tangit corpus Christi, vt existens sub sacramento.

Ad primum de oculo non glorioso, dico primo, quod forte non est dabilis lux punctalis, sicut nec color punctalis, & esto, quod daretur talis color, vel lux non esset alicuius intentionis, quia non multiplicaret se ad organum corporale, ita quod esset visibile secundum communem opinionem, quæ dicit, quod non est possibile indiuisibile moueri ex 6. Phy. t. c. 7. & 87. Sed hoc inquit Doct. discussum est in 2. d. 2. q. 9. de motu Angeli. Ideo ad argumentum nego antecedens, quia præsupponit falsum, s. quod talis lux sit visibilis, quod falsum est quia non posset diffundere suas species, vt patet per Philo. dicentem, quod ad hoc, quod aliquid agat oportet, quod habeat certam quantitatem, & diuisibilitatem partium, quam lux illa punctualis non haberet, & cum probatur, quia multiplicaret se sphærice, negandum est, secundum istam viam, quia oporteret, quod haberet in se diuisibilitatem quantitatiuam ad hoc, quod ageret in quantum passum.

Et cum probatur secundo de reflexione luminis a puncto non cogit, quia illa reflexio non fit à luce punctali, quæ tangit corpus a quo fit reflexio, sed est primum obiectum lucidum a quo multiplicatur illa lux. Idem enim agit in visione recta, reflexa, & fracta, iuxta triplicem radium visualem, scilicet rectum, reflexum, & refractum, radius rectus est, qui procedit ab aliquo visibili per lineam rectam, qui si inueniat obstaculum reflectitur per lineã rectam, vt patet in speculo in quo videmus per radium reflexum, radius factus est qui procedit a visibili per lineam curuam, vt si videatur aliquid in aqua, radij illi, qui procedunt ab aqua vsque ad aerem franguntur, atque adeo in prædicta reflexione illa lux punctalis si esset, non esset primum agens a quo multiplicaretur illa lux, sed esset obiectum visibile, quod multiplicat lucem vsque ad oculum, siue per lineam rectam, siue reflexam. Vnde punctus tangens superficiem speculi non multiplicat radium reflexum sed primum luminosum, quod vsque ad speculum multiplicat lumen suum, illud etiam immediate in ratione causæ multiplicat radium reflexum, & ratio ad hoc est Phylosophica, quia agens naturale ex quo agit secundum vltimum suæ potentiæ quando impeditur agere secundum illam lineam, quæ est maxime conueniens actioni naturali, puta per lineam rectam, quæ est breuissima agit secundum eam, secundum quam potest. s. secundum lineam reflexam, & hæc est ratio quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata vsque ad speculum, sed ipsum corpus cuius est imago, non enim est imaginandum, quod quando aliquis videt se in speculo, quod ille causet species suas vsque ad speculum, & quod postea illæ species terminatæ ad speculum causent alias species vsque ad oculum, sed ipsemet causat primas, & secundas species per diuersas lineas, eo quod inuenit obstaculum, & hæc est ratio, quod non videtur in speculo imago corporis, sed ipsum corpus, quia in potentia visiua sunt species receptæ per lineã reflexam ab ipso corpore, & ideo potest corpus per illas videri. Ad argumentum ergo negatur antecedens, nam lux punctalis si daretur non esset visibilis.

Ad secundum dico, quod nõ possumus videre oculo corporali illud quod non est. Vnde illa visio de qua loquitur Auic. non est vera visio, sed similitudo visionis, quæ accidit dormientibus, & aliquando vigilantibus propter excessum fortificationis imaginationis, seu ex reductione speciei visibilis ab imaginatione ad sensum communem, vbi est radix omnium sensuum particularium.

Ad vltimum dico, quod in talibus apparentijs non videtur corpus Christi immediate, quia corpus Christi prout habet esse sacramentaliter non excedit species sacramẽti, sed tales apparentiæ excedunt huiusmodi species, vnde in talibus apparentijs minus immediate videtur corpus Christi quã quando videtur sub speciebus panis, quia in tali apparentia est duplex velamen, nam talis apparentia velat species panis, & species panis velat corpus Christi.

ARTICVLVS II.

Vtrum quando in Sacramento apparet miraculose caro, vel puer sit ibi corpus Christi.

DVplicem sensum facere possunt verba huius tituli, vnus est an in his apparitionibus id quod exterius videtur sit verum Christi corpus. Alius est an facta huiusmodi apparitione sub speciebus sic immutatis maneat adhuc Christi corpus. Pro cuius explicatione obseruandum est, quod huiusmodi visio interdum fit per immutationem obiecti, id est, specierum, interdum per immutationem solius potẽtiæ, aut organi seu medij, & ad hoc discernendum adhibet D. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. & Duran. d. 10 q. 4. duplex signum, primum est si quando apparet aliquid tale in hoc sacramẽto, aut apparet vni tantum, aut pluribus, sic quod eodem tẽpore vni, vel alteri apparet talis immutatio, alij verò solum vident species panis sicut antea, sic videtur contingere propter immutationem factam circa oculum videntis, & non circa species panis, quia si esset talis mutatio circa species panis, eadem ratione qua apparet vni, appareret omnibus ibi presentibus, secundum signum est si immutatio breui tempore duret, adeo quod apparet ad horam, vel transitoriè, & statim post videntur sub pristina specie sicut in principio erant, signum est quod talis apparitio est tantum ex immutatione videntium, non ex immutatione specierum, nec tamen hoc pertinet ad aliquam deceptionem sicut fit in præstigijs, quia talis immutatio diuinitus fit in oculo per aliquã speciem ad aliquam virtutem significandam, vt scilicet credatur quod in hoc sacramento non solum sunt species, sed aliquid aliud præter ipsas, quando autem apparet forma carnis, vel pueri non solum ad horam, sed deinceps durat multo tempore, signum est, quod immutatio facta est in speciebus, & in hoc secundo sensu intelligitur dubitatio, id est, quando fit apparitio per immutationem factam in ipsis speciebus, itaque ab omnibus videntibus eodem modo appareant, & quod diu permanent an id quod apparet sit verum Christi corpus, & vera Christi caro, vel sanguis.

D. Thomas. Durandus.

De hac re est duplex opinio, prima affirmat quoties per realem immutationem specierum apparet videri Christus sub specie pueri, vel carnis, aut sanguinis reuera videri Christum, ita opinatur Alexand. de Ales. parte quarta, q. vndecima, de manducatione Eucharistiæ m. 2. articulo 4. Gab. lect. 51. in Cano. & Palacios dist. 10. disp. vltima circa finem, omnes tamen loquuntur modeste, & magna cum dubitatione, & fundantur in hoc, quia hoc non est impossibile, quia vt diximus, potest idem corpus simul esse, & per consequens simul videri in duobus locis, item potest corpus gloriosum se se prout voluerit humanis sensibus manifestare in maiori, vel minori quantitate, & secundum vnam partem, & non secundum aliam, quod maximè verum est in corpore Christi, qui quamdam omnipotentiam participat circa corpus suum, potest ergo, vel retinens sacramentalem presentiam, vel illam mutans si voluerit, incipere esse in Eucharistia modo quantitatiuo, ostendendo humano sensui partem, & non totum, aut sub hac, vel illa figura, sicut se ostendit Magdalenæ, & discipulis euntibus in Emaus. Et hic modus cum sit possibilis, videtur etiam conuenientior, quia hæc ostensio fit in veritatis testimonium, aut in singularem fauorem, & solatium alicuius iusti, veritas autem confirmanda est veris, & non tantum apparentibus indicijs, & signis, iusto etiam non erit vera consolatio rem tantum apparentem, & non veram Christi carnem videre, imo videtur ei creare quoddam idololatriæ periculum, nam adorabit, vt carnem Christi, quæ vere non est.

Ale. de A. c. Gabriel. Palacios.

Secunda opinio affirmat in huiusmodi apparitionibus non videri Christum Dominum in se, nec carnem eius, & sanguinem, ita docet Diuus Thomas tertia parte quæst. 76. articulo octauo, & communiter Theologi in 4. distinct. 10. Richar. articulo quinto, quæst. 2. Durand. q. 4 & omnes Thomistæ, & ratio eorum est, quia vel hæc immutatio diu permanet, ita vt caro, & sanguis Christi semper ibi videri diuque in pixide conseruari videatur, aut cito transit, & sacramentales species eodem modo sicut antea apparent, si contingat priori modo nefas est credere (inquit D. Tho.)

D. Thomas. Richardus. Durandus.

illud quod apparet, & pixide clauditur esse carnem Christi in propria specie existentem, quia videtur valde indecens, & non necessarium, quia tangi facile potest, & contrectari ab hominibus, imo experientia docet diuturnitate temporis mutari, & rabescere id quod caro, aut sanguis esse videbatur, quod non potest vlla ratione carni Christi attribui, nec etiam est necessarium, quia neque ad vitandam deceptionem, quia in huiusmodi apparitionibus nullum miscetur mendacium, siue fiat immutatio in obiecto, siue in sensu tantum, eo quod semper ad aliquam veritatem significandam ordinatur, nam quando simulatio (inquit Aug.) ad aliquid verum significandum refertur non est mendacium.

Si autem fiat sermo de his apparitionibus, quæ breui tempore durant probabilissimum est non fieri tunc vllam mutationem in obiecto, nam quis facile credat, quando visus est sanguis in hostia fluere, illum esse Christi sanguinem, & in terram, vel linteum cadere, & similiter quando calix visus est repleri Christi sanguine, ibi esse verum sanguinem Christi extra venas corporis, ita ut & tangi, & bibi possit, & simile est quando apparet quasi frustum carnis, nam per se se apparent indecentia, siue multo, siue breui tempore durent, & nulla est necessitas toi multiplicandi miracula.

Sed si id quod videtur non est caro, nec sanguis Christi, estne forsan vera caro, & sanguis, vel similitudo, & figura tantum carnis, & sanguinis? Dico non esse veram carnem, nec verum sanguinem, sed aliquid affectum colore, & figu-

Ægidius. ra carnis, & sanguinis, sed cui inhærebunt illa accidentia carnis, quæ ibi apparent. Aegidius Theorem. 43. respondet species sacramentales conuerti in dimensiones carnis, sed hoc est impertinens, quia si sit sermo de quantitate eiusdem rationis est in pane, & carne, non est ergo necessaria talis con-

Richardus. uersio, vt omittam, an proprie loquendo sit possibilis. Rich. dicit illa accidentia inhærere in quodam corpore circumdante species sacramentales, sed hoc est negare quod supponimus, id est, immutationem fieri in speciebus. D. Thom. ait illum colorem adhęrere ipsismet speciebus sacramentalibus quod verum est, quando id quod apparet est eiusdem figuræ, & magnitudinis, cuius erant species sacramentales, sed si fuerit in maiori magnitudine, necessario dicendum est, cum Richard. immutationem simul factam esse in corpore circumstante, aut certe sacramentales species fuisse corruptas.

Quantum ad secundum sensum difficultatis, an scilicet caro Christi, & sanguis maneant sacramentaliter sub speciebus, in quibus sensibiliter apparent, duæ sunt sententiæ extremæ contrariæ, prima absolute negat manere in sacramento cor-

Durandus. pus Christi post prædictam immutationem, ita sentit Dur. dicta q. 4. nu. 10. fundamentum eius est, quia sub speciebus sic immutatis non potest substantia panis conseruari. Cum enim sacramentum sit signum sensibile, quando circa accidentia, seu species sacramenti talis fit immutatio, quod secundum naturam non maneret sub eis substantia panis, tunc non manet sub eis corpus Christi, atque adeo cum substantia panis secundum naturam non possit manere sub accidentibus pueri, vel carnis, non videtur quod facta tali immutatione circa species sacramenti, quod continue appareat in eis forma carnis, vel pueri, quod pro tunc maneat in eis corpus Christi, nec adorandæ sunt tales species sub prædicta apparitione tanquam verum corpus Christi, sed solum tanquam reliquiæ nobis miraculose ostensæ, secus autem esset si circa species fieret immutatio de calido in frigidum, vel de albo in nigrum, propter quam immutationem substantia panis, vel vini non desineret esse ibi, quia propter consimilem immutationem non desineret ibi esse corpus Christi, & hoc

Palacios. inquit Palacios intelligendum est, si talis immutatio carnis facta sit in tota hostia, quia si facta esset in aliqua parte simpliciter dicendum esset manere ibi corpus Christi saltem ratione illius partis, quæ immutata permansit.

Alia opinio est Christum manere sub speciebus sacramentalibus, quamuis facta sit mutatio in qualitatibus dummo

D. Thomas. do eadem quantitas perseueret, ita sentire videtur D. Tho. loco supraciтato, & in 4. d. 10. q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. dicit

Caietan. autem Caiet. manere species in eadem quantitate, quando manet eiusdem magnitudinis, quando verò multum augetur, vt quando calix in quo erat modicum vinum sanguine plenus apparet, tunc, inquit, immutatam esse quantitatem, & ideo non manere ibi Christum, fundamentum huius sententiæ est, quia quantitas est primum fundamentum specierum panis, atque adeo quamdiu illa manet, Christi etiam præsentia conseruatur.

Est tertia opinio medians, quæ consistit in duabus propositionibus, prima propositio est talis: quotiescumque fit tanta immutatio in qualitatibus harum specierũ, vt sub eis non possit conseruari substantia panis, & vini nõ manet sub eis Christus, siue maneat eadem quantitas, siue non, & ratio est quia facta prædicta immutatione qualitatum non maneret substantia panis, sed generaretur alia, ergo nec manet corpus Christi, sed generatur alia substantia.

Secunda propositio in his apparitionibus regulariter loquendo non fit tanta mutatio accidentiũ panis, quæ ad substantiam corrumpẽdam sufficiat, atque adeo manet hic corpus Christi sacramentaliter post prædictam apparitionem, probatur quod mutatio in accidentibus communibus non sufficit ad corrumpendam substantiam nisi fiat in propriis, sed hic præcipua immutatio fit in accidentibus communibus, vt sunt color, qui potest esse diuersus in indiuiduis eiusdẽ speciei, & in eodem indiuiduo facilius mutari potest, quamuis non omnino dissoluatur temperamentum primarũ qualitatum ad conseruandam substantiam necessarium, vt do-

Sotus. cet Sotus d. 10. q. 1. art. 8. vbi refert etiam per artem id sæpe fieri. & idem facile est in figuræ mutatione, & hæc duo ferè sufficiunt, vt appareat caro, sanguis, & similia, accidentia autem magis intrinseca, & propria sunt odor, & sapor, quæ nõ necessario mutantur propter has apparitiones, & multo minus è conuerso sentiuntur ibi similes proprietates carnis, aut sanguinis, huiusmodi etiam est tanta condensatio, nam re vera ob nimiam rarefactionem corrumperetur substantia, sed hæc regulariter non intercedit, præcipue quando apparent species in eadem magnitudine, licet iuxta opinionem Rich. posset dici in eo casu non rarefieri species, quæ si tangerentur videntur sentiri æque densæ, sed ex corpore circumstanti adiungi partem aliquam eisdem coloribus affectam, vt illa magnitudo appareat, & consequenter manere Christum sub speciebus, & hæc opinio videtur probabilior, nam hoc modo sunt hæ apparitiones proportionatæ fini earum, nam vel fiunt ad confirmandam fidem præsentiæ corporis Christi, atque ita conueniens est, vt illa duret, vel ad solatium alicuius iusti, quod non esset solidum, si Christus discederet quo ad veram præsentiam sacramentalem, solumque appareret secundum sensibilem repræsentationem. Tandem huic sententiæ videtur consentanea Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias cõsecratas mutatas in colore carneo, aut sanguineo diu conseruat, & veneratur, vt verum Eucharistiæ sacramentũ. Et si dicatur, quod interdum tam diurno tempore conseruãtur, vt in eis non possit substantia panis conseruari sine corruptione. Respondetur fortasse interdum diuinitus conseruantur, sicut aliæ sanctorum reliquiæ, maxime quando eodem modo, & eiusdem omnino coloris semper apparent, fortasse etiam substantia panis si ab extrinsecis corrumpentibus multum actiuis reseruetur, longo tempore durare potest. Et tandem non est negandum aliquando posse diuturnitate tẽporis apparere sufficientia signa corruptionis, quod obseruandum est, vt iam tunc nõ adhibeatur veneratio, quæ corpori Christi ibi existenti dari solebat, sed quæ dari potest signo, seu vestigio corporis Christi, quod ibi fuit.

ARTICVLVS III.

Quid agendum sit quando apparent huiusmodi mutationes in hostia.

PRimo dubitari potest, quid agendum sit quãtum spectat ad adorationem talium specierum, & hoc est iam sufficienter explicatum. secundo dubitari potest quo ad vsum, et quo ad hoc omnes conueniunt non esse consumendas, sed conseruandas in loco decenti, & sacro quam diu sunt sub tali forma ita docet Alex. Aleu. vbi supra, vbi adducit factum *Ale. de Ale.*

ex narratione magni, & fide digni viri Lanfranci: nam Sigismundus (inquit Alex.) de corpore Domini dicit. Satis mihi placet, vt quando aliqua apparentia, vel certe miraculum nouum de tantis mysteriis accidit, id vnum fieret quod magnus vir sine dubitatione credendus Dominus Lanfrancus se puero in Italia factum esse narrauit: narrat cum presbyter quidam Missam celebrans inuentam super altare veram carnem, & verum in calice sanguinem secundum propriã carnis, & sanguinis speciem sumere trepidaret, rẽ protinus suo Episco-

Episcopo consilium quæsiturus aperuit, Episcopus autem cum multis Episcopis ad hoc conuocatis calicem illum cum eadem carne, & sanguine Domini diligenter opertum, & sigillatum inclusit in medio altaris, pro summis reliquijs perpetualiter reseruandum, quod hodie obseruat Ecclesia, quãdo aliqua negligentia, vel miraculum nouum in tantis mysterijs accidit. Idem docet D. Thom. vbi supra, & ratio est ad hoc, quia sub illa forma non possunt sine horrore sumi, & quia tunc non proponuntur sub specie cibi humani, nempe panis, & vini, sub quibus tantum Christus sumi voluit.

D. Thomas.

Vt probat Alex. vbi supra ex cap. de hac quidem hostia d. 2. de Consec. vbi recitatur verba D. Hieron. super Leuit. De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit edere licet, de illa verò, quam Christus in ara crucis obtulit secundum se edere non licet, quæ verba exponẽs Alex. dicit de hostia quam obtulit Christus in cruce secundum illam formam, in qua apparebat cum inter nos conuersabatur visione corporali nulli licet edere q. d. si Deus faceret, vt appareret sanguis in calice, aut humana caro in altari, non est sumendum. obseruat tamen Suarez rationes has nõ concludere hoc esse proprie, & rigorose præceptum, seu prohibitum, quia posset esse Minister, qui nullum haberet horrorem, nec desunt omnino ibi species panis, & vini, sub quibus Christus sumatur, nihilominus obseruandã esse Ecclesiæ consuetudinem, a qua non licet facile discedere, præsertim, quia hoc conferre potest ad maiorem sacramenti reuerentiam, & ad vitandum omne periculum horroris, & vomitus. Et hoc intelligendum est quamdiu species manet sub forma carnis, vel sanguinis, quia si ad priorem redeant, tunc consumi possunt, quia cessant rationes factæ, & est probabile non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis. Et hinc potest sacerdos sumere documentum si hoc sibi accideret, vt celebranti hostia in forma pueri, & in calice sanguis appareret. Debet enim primo fundere preces ad Deum, & ipsum deuotius exorare, vt sua misericordia dignetur sacramentum hoc reducere in pristinam formã manducatione congruentem. exemplo B. Greg. & Paschas. & dum forma panis redit debet reuerenter sacramẽtum illud sumere. Quod si forte sacerdotis preces non exaudirentur debet a sumptione abstinere, & de Sacramento facere, quod dictum est.

Suarez.

Sed quid aget sacerdos si post perfectam consecrationem vtriusque speciei talis accidat immutatio, cum sit Ecclesiæ statutum d. 2. de consec. peracta, & c. relatum ordinans quod celebrans sumat sacramentum? Dicunt quidam esse necessarium ex præcepto consecrare iterum, & cõsumere alias species, ita sentit Antoninus ex Alber. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 14. & Angles in 4. q. 4. de existentia Sacramenti art. vltimo diff. 2. quia est præceptum, vt sacerdos consũmat sacrificium, a quo non absoluitur sacerdos, inquit Angles per huiusmodi apparitionem, & huic opinioni videtur fauere D. Thom.

D. Antoninus. Angles. D. Thomas.

Nihilominus verius est, quod docet Durandus præceptũ illud intelligi quando sacramentum apparet in specie consueta, leges enim aptantur ad ea, quæ communiter accidunt, vel dicendum est cum Caietano, Soto, Paludano, & Siluestro. Verbo Eucharistia 3. in fine, hoc non esse præceptum, sed consilium in hoc casu, vt notat Sotus in 4. d. 13. q. 1. art. 4. in fine. & ratio est, quia in eo casu non potest impleri illud præceptum in inchoato sacrificio, seu in speciebus consecratis, denuo verò consecrare alias non esset prius sacrificiũ consummare, sed aliud inchoare, quod est vt prioris cõsecrationis præceptum non est prout nunc loquimur, nam aliud, & per accidens posset occurrere aliud præceptum, vt v. g. audiendi Missam, vel quid simile, de quo hic non agimus.

Durandus. Caietanus. Sotus. Paludanus. Siluester.

ARTICVLVS IV.

Vtrum concedi possit aliquo modo Christum in sacramento videri oculo corporali.

SVpposita distinctione quot modis aliqua res possit dici visibilis oculo corporali, quam adduximus in titulo huius quæstionis. Dico primo quod corpus Christi, vt contentum in sacramento, non videtur oculo corporali nec; per se, neque per accidens, non per se quidem, quia corpus est substantia, & nulla substantia per se videtur. nam si substantia separaretur a colore, & luce, inuisibilis redderetur, neque per accidens, quia accidentia, quæ videntur non subiectantur in corpore Christi, atque adeo per ea non videtur corpus Christi, alioquin infidelis eadem accidentia videns, videret etiam corpus Christi. Præterea fidelis eodem modo videt hostiam ante consecrationem, & post, nec aliud iudicat visus post consecrationem, quam prius iudicauit, & prius non iudicauit ibi esse corpus Christi, ergo nec post, cũ vt suppono sit eadem visio continuata, cuius natura, & significatio non variatur, atque ita nec iudicium sequens præcisé cognitionem illam.

Conclusio

Dico secundo corpus Christi non videri in sacramento, quarto modo, nempe per spiritualem vnionem, vel coniunctionem, quia corpus Christi non habet specialem vnionem ad species, quæ videntur, cum nõ sint partes corporis Christi rate informent ipsum, nec supposita tantum ab eo.

2. Conclusio

Dico tertio corpus Christi videri in sacramento tertio modo, vt contentum incontinente, quia videntur species, sub quibus verè, & realiter continetur Christus, licet non per omnia sicut contentum incontinente locatur, vt vir armatus sub armis, & vinum in vase, quia corpus continetur sacramentaliter, illa circumscriptiuè, neque species sunt proprie locus corporis Christi, sed locus specierum est locus corporis Christi; verum iste tertius modus est etiam improprius, quia videndo vas continens vinum, non videtur in veritate vinum, ideo in iudicio quo iudicamus nos videre vinum in vase visus sæpe decipitur, nec est illud iudicium sensus, sed intellectus, atque adeo frequenter sancti dicunt corpus Christi sub Sacramento non videri, sed fideliter credi, aliud; videri, & aliud intelligi, hoc etiam modo licet impropriè satis concedi posset, quod videns Sacramentum videat Deum, quia videt corpus Christi tertio modo, cui specialiter vnitus est Deus.

3. Conclusio

Possent tamen saluari loquutiones, quæ communiter audiuntur, scilicet vidi Christum in Sacramento, vel vidi eleuari corpus Christi, vel eleuatur sanguis, & sic de alijs per cognitionem ænigmaticam, quam habent fideles de præsentia corporis Christi per habitum fidei longe certiorem qua cumque notitia naturali experientia causata, quia illi falsũ subesse non potest, nec falli potest, experientia autem fallax. Quapropter interdum ea videre dicimur, quæ fide tantum cernimus, siue cognoscimus, & fides oculus dicitur, qui decipi non potest, atque ita admitti potest modus loquendi dicentium Christum vidi sub hostia, id est, firmiter credo, vidi Christum in Sacramento, id est, vidi Sacramentum, in quo continetur veraciter Christum firmiter credo, & iuxta hunc sensum intelligenda sunt verba quorundam sacerdotum ostendentium Eucharistiam infirmis, & quærentiũ. Credis hoc quod vides esse verum corpus Christi. vt sit demonstratio, & relatio ad intellectum, id est, credis hoc quod fide concipis esse sub hostia visa, esse corpus Christi, vel quod fiat demonstratio, & relatio ad Sacramentum, id est, credis sub hac specie, quam vides esse corpus Christi. Cautius tamen dicerent. Credis sub hoc Sacramento esse verum corpus Christi.

ARTICVLVS V.

Vtrum supernaturaliter, hoc est, per potentiam Dei absolutam fieri possit, vt oculus corporeus videat corpus Christi in Sacramento existens.

DE hac re duplex est opinio. Prima negat hoc posse fieri etiam de potentia absoluta, ita sentit Rich. vbi supra, Palud. & Capreolus d. 10. q. vltima, fundamentum esse debet, quia corpus Christi, vt hic non est obiectum visibile, quo itarte sic probatur concl. Per nullam potentiam fieri potest id quod repugnantiam includit, sed includit repugnãtiam corpus Christi existens in Eucharistia videri oculo corporali, ergo per nullam potentiam fieri potest, vt corporalis oculus illud videat, consequentia patet cum maiore, & minor probatur, quoniam repugnat obiectum aliquod videri, nisi ipsum producat species in oculo, ex modo quo explicatum est in prima concl. præcedentis ar. sed corpus Christi existens in sacramento nõ potest vllo modo mittere species in oculum, ergo repugnat ipsum videri, vt existens in sacramento.

Richardus. Paludanus. Capreolus.

Secundo arguit Ric. Sicut oculus corporalis eleuari non potest per quodcumque miraculum ad videndum existentiam

tiam substantiarum spiritualium, nec est possibile illam repræsentari expresse per quamcumque speciem corporalem, vel sensibilem; ita cum corpus Christi sit sub Sacramento ad similitudinem spiritualis existentiæ, inquantum est ibi primo, & per se ratione substantiæ, & quantitas non est ibi nisi per concomitantiam, impossibile est corporalem oculũ per quamcumque potentiam ad hoc eleuari, vt corpus Christi, quod est sub Sacramento videat; impossibile est etiam talem speciem corporalem fieri, quæ sit illius existentiæ expresse repræsentatiua.

Sed his non obstantibus est secunda opinio affirmans per potentiam Dei absolutam corpus Christi sub Sacramento
Ale. de Al. videri posse oculo corporali, ita sentit Alexand. de Ales. 4. p. q. 10. m. 7. art. 4. §. 8. vbi dicit B. Virginem speciali priuile-
D. Thomas. gio videre corpus Christi. Idem sentit etiam D. Thom in 4.
D. Bonauē. d. 10. q. 1. art. 4. quæst. prima, & d. 11. q. 3. art. 2. ad 4. & D. Bonauentura eadem d. 10. p. 2. art. 2. q. 2. & est expressa sententia Doct. in hac q. quem sequitur Sotus d. 10. q. 1. art. 7. quæ
Scotus. *Sotus.* duabus conclusionibus explicatur.

1 Conclusio Prima concl. Oculus corporalis potest per potentiã Dei absolutam videre corpus Christi etiam si alibi nõ existeret, sed in Sacramento tantum, adeo quod Deus de potentia absoluta potest causare in oculo glorioso, vel non glorioso visionem corporis Christi in Eucharistia, quamuis Christus non esset alibi, probatur conclu. quamcumque formam absolutam, quam potest Deus producere mediante causa, secunda potest producere se solo per potentiam suam absolutam, sed visio qua oculus videt corpus Christi est forma absoluta, quia in prima specie qualitatis, & producitur naturaliter mediantibus speciebus ab ipso corpore missis, ergo Deus se solo sine speciebus a corpore missis in oculum, potest de potentia absoluta causare visionem istius corporis in oculum, totus iste discursus est manifestus.

2. Conclusio Secunda conclusio. corpus Christi, vt existit in Sacramento non potest per potentiam Dei absolutam concurrere ad visionem sui causandam in oculo, nec tamquam causa efficiens producendo species, nec tamquam terminus terminando actionem oculi, atque adeo talis visio non esset visio corporis Christi prout est in Eucharistia: probatur quia talis visio concluderet corpus Christi, vt est in Eucharistia, vel esse causam visionis, vel terminum illius, sed corpus Christi vt est in Eucharistia neque potest causare, neque terminare visionem, ergo talis visio nõ esset corporis Christi prout est in Eucharistia, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, quia tam causatio quam terminatio visionis requirit in obiecto causante, & terminante debitam approximationem localem. sed corpus Christi, vt constat ex superioribus prout est in Eucharistia non potest habere talem approximationem, quia non est in loco ergo &c. videretur igitur corpus Christi in se per talem visionem, non tamen prout existit in Sacramento, quia vt sic non est visibile oculo corporali.

Et per hoc patet ad dubium, quod posset hic moueri, nam posset quis dicere, ex hoc non dicis mihi, an per visionem illam causatam a Deo de potentia absoluta possit videri Christi corpus eo modo, quo existit in Sacramento: nam dicendum est quod non; quia huiusmodi visio est impossibilis oculo corporali, vt concedit Diuus Thomas in solutione ad
D. Thomas secundum, atque etiam ex secunda conclusione Doct. deducitur, inuisibile autem non potest vllo modo videri, ergo Christi corpus non potest oculo corporali videri eo modo, quo existit in sacramento. nec miraculum (inquit Doct.) ad hoc iuuat, quia miraculum non est ad id, quod implicat cõtradictionem, sed corpus in Sacramento absolute non est visibile, nec vt causatiuum visionis, nec vt terminatiuum, si enim videretur causaret, & terminaret visionem sine debito modo causandi, & terminandi.

Difficultas. Sed adhuc manet difficultas, quia dictum est in prima concl. posse videri Christi corpus oculo corporali per potentiam Dei absolutam, etiam si non esset nisi in sacramento, sub quo ergo modo ostenderetur tunc corpus Christi a Deo? videntur enim hæc dicta Doct. inconnexa, quia secundum primam concl. potest Deus causare visionem corporis Christi existentis tantummodo in Eucharistiæ Sacramento, quo posito, ergo eius vt existente in Sacramento potest esse visio quæro quomodo eius? vel esset eius, vt obiecti ipsam terminantis, vel vt principij eam causantis, non secundum quia Deus ponitur totalis causa visionis, ergo huiusmodi visio esset corporis, vt obiecti terminantis, sed non nisi vt in Sacramento existentis, quia res non videtur nisi vbi existit, supponitur autem quod corpus non existeret nisi in Sacramento ergo &c. Respondeo quod ostenderetur sub modo existendi naturali contra sequitur, quod Deus non possit ostendere corpus Christi nisi fallendo oculum, cui illud ostenderet, hoc autem est inconueniens ergo &c. sequela probatur quoniam supposito, quod Christi corpus existeret tantum in sacramento, & non alibi non haberet existentiam naturalem, tu autem dicis quod non potest ostendi nisi sub modo naturali, ergo non posset ostendi nisi fallendo oculum, patet consequentia, quia non potest ostendi eo modo, quo existit, sed alio modo, quo non existit. *Solutio.*

Respondeo negando consequentiam, & ad probationem dico, quod Christi corpus in Sacramento habet duplicem positionem, vt sæpe diximus, alia quæ est ordo corporis Christi ad species sacramentales, & hæc positio est modus existendi sacramentalis; aliam vero habet positionem sibi intrinsecam, quæ est ordo partium inter se, & ad totum, per quam positionem habet in Sacramento eamdem quantitatem, eamdem figuram, & cætera omnia, quæ habet in cœlo, & hanc positionem appello modum existendi naturalem, sub quo Deus ostenderet Christi corpus in casu proposito, atque ita patet, quod non falleretur oculus, siquidem ostenderetur Christus eo modo, quo in se ipso existit, sub quo etiam modo visionem terminaret, licet non ostenderetur, nec terminaret visionem eo modo, quo existit in Sacramento, quia vt sic non est visibile oculo corporali, & quod hoc sit possibile patet: quia corpus Christi est indifferens de se ad modum existendi naturalem, & ad modum existendi sacramentalem, atque adeo est prius modo existendi sacramentali, & vt sic potest videri, & non sub modo sacramentali.

Ad fundamenta opinionis contrariæ, ad primum patet solutio ex probatione primæ conclusionis Doct. ex qua habetur Deum posse supplere causalitatem specierum visibiliũ, quæ ab obiecto visibili multiplicantur, atque etiam causalitatem obiecti causantis visionem.

Ad secundum Rich. respondet Doct. quod non valet similitudo, quia licet existentia corporis Christi in Sacramento quo ad aliquid similis sit existentiæ Angeli, nõ tamen quo ad sensibile, & visibile, quia Angelus caret illis principijs, quæ requiruntur in aliquo obiecto ad actum sensationis, scilicet quantitate, & qualitatibus sensibilibus ista autem substantia, nempe Christi corpus habet quantitatem, & qualitates sensibiles, licet modus aliquis eius auferatur; oporteret, ergo probare, quod talis modus esset simpliciter necessarius ad hoc, quod esset sensatio istorum, nam vt dictum est supra q. 4. modus quantitatiuus non est conditio necessaria, nisi per comparationem ad agens primo transmutans.

DISTINCTIO XI.

Si autem quæritur qualis sit illa conuersio &c *In præcedenti distinctione determinauit Magister de modo, quo Christus existit in Sacramento, in hac autem dist. determinat de causa propter quam existit in Sacramento, scilicet de conuersione panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, & tota distinctio diuiditur in duas partes, in quarum, prima determinat de conuersione, & in secunda de materia conuersionis.* *Continuatio* *Diuisio.*

In prima ergo parte dicit tria, primum. s. qualis sit ista conuersio. secundum quibus verbis sit explicanda. tertium denique quomodo fiat. Quantum ad primum dicit hanc cõuersionem non esse formalem, quia species rerum, quæ ante fuerant remanent, vt sapor, & pondus, erit ergo hæc conuersio substantialis, quoniam substantia panis conuertitur in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem, tamen propter istas conuersiones non augetur, inquit, corpus Christi, quia ad hoc vt augeretur deberet forma corporis Christi extendi ad aliam materiam, per conuersionem autem panis

non

Digitized by Google

non extenditur forma corporis Christi ad materiam panis, quia non manet panis materia informata forma Christi sed cum forma, quam materia panis conuertitur in corpus Christi.

Quantum ad secundum dicit conuersionem istam optime explicari dicendo, quod panis fit corpus Christi, non quia tamquam ex materia, ex pane fiat Christi corpus, sicut ex ligno fit ignis, sed quia panis transit, & conuertitur in ipsummet corpus Christi, tamquam si lignum quantum ad materiam, & formam conuerteretur in ignem.

Quantum ad tertium refert duos errores, quorum primus asserebat conuersionem fieri propterea quod Christi corpus est sub accidentibus panis annihilato pane, secundo verò asserebat propterea fieri conuersionem, quia Christi corpus est sub substantia panis manente tamen pane sub accidentibus simul cum corpore Christi. Verumque tamen dicit esse falsum ostendens Sanctorum authoritatibus panem non annihilari, nec manere cum corpore Christi, sed in ipsum corpus conuerti.

In secunda parte soluit tria dubia. Primum quare Christus noluit dari nobis sub propria specie, sed sub specie panis, & respondet triplicem esse causam, prima propter meritum fidei, quia vt dicit D. Gre. hom. 20. in Euangelica fides non habet meritum, vbi humana ratio prabet experimentū, & sic nullum esset meritum credere Christum esse in Sacramento si nobis in propria specie ostenderetur. secunda causa est propter horrorem vitandum, quoniam homines naturaliter abhorrent carnes humanas crudas comedere, & sanguinem bibere, vt illi aiebant, qui a Christo discesserunt, durus est hic sermo &c. tertia ne hoc Sacramentum ab incredulis religionis Christianæ insultaretur. Vnde D. August. & habetur de Cons. d. 2. c. Verum sub figura. Nihil rationabilius quam vt sanguinis similitudinem sumamus, vt & ita veritas non desit, & ridiculum nullum fiat a paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus. ne ergo hoc fieret, & ne veluti quidam horror esset cruoris in similitudinem accipimus sacramentum. D. Greg. D. August.

Secundum dubium est, quare Christus voluerit dari nobis sub duplici specie in hoc Sacramento, & respondet causam esse, vt ostenderet totam humanam naturam assumpsisse, & reparasse. scilicet corpus & animam, quia in pane significatur corpus, in sanguine verò anima, & aduertit Magister, quod sub vtraque specie totus, & integer Christus sumitur, quod inquit in manna secundum Hilarium fuit figuratum, de quo non habebat maiorem abundantiam, qui amplius colligebat, nec minorem, qui minus colligebat. Hilarius.

Tertium dubium est, an aqua sit necessario vino admiscēda, & respondet non esse de necessitate sacramenti, esse tamē de necessitate præcepti, cuius præcepti ratio fuit, quia aqua admixta vino significat vnionem possibilem Christianis ad Christum, aqua enim populum significat, vinum verò Christi sanguinem, vnde dum aqua vino admiscetur, vnio populi ad Christum significatur. Quid si quis ex obliuione, vel ignorantia offerat vinum sine aqua conficiet ne Sacramentum? conficeret vtique, grauiter tamen esset corripiendus, denique quamuis Christus in cœna corpus passibile, & mortale dedit sumitur tamen nunc impassibile, & immortale, nam tale tunc corpus, quale habebat dedit Christus suis Apostolis, nunc verò quia impassibile, & immortale corpus habet, tale sub duplici specie nobis tradit corpus. hactenus de 11. distin.

Circa quam quærit Doct. principaliter de duobus primo de conuersione, seu de transubstantiatione, secundo de materia apta transubstantiationi: circa primum primo quærit de possibilitate, secundo de actualitate, de possibilitate quærit duo. Primo vtrum sit possibilis transubstantiatio. secundo vtrum sit possibile, quodlibet ens conuerti in quodcumque.

QVÆSTIO I.

Vtrum sit possibilis transubstantiatio.

HÆretici qui, vel negant præsentiam Christi, vel affirmant præsentiam substantiæ panis, conuersionem tollunt, & in hoc inter se consentiunt Lutherani, & Caluinistæ, qui omnes nomen transubstantiationis nouum appellant, peregrinum, atque barbarum, atque adeo dicunt esse signum nouæ, peregrinæ, atque barbaræ sententiæ. Cæterum in primis stultum est cum de re constat litigare de nomine, de re autē ita constat, vt non possit magis constare, nam Patres omnes affirmant panem substantialiter conuerti in carnem Christi manentibus tamen accidentibus panis, & Hugo dixit substantiam in substantiam ire, & Guismundus, Algerus, Petrus Cluniacensis ante Lateranense Concilium ex professo disputauerunt mutari substantiam panis accidentibus non mutatis, quę actio non potest vno verbo significari, nisi dicamus transubstantiari. Hugo. Guismūdus Petrus. Algerus.

Secundo licuit Concilio Niceno in ipso symbolo apponere nomen Omusion, & Conc. Ephesinu nomen Theotocos, maiori igitur ratione licuit Con. Lateranensi in confessione fidei nomen transubstantiationis ponere: nā in Conc. Niceno 318. Episcopi fuerunt, in Ephesino 200 at in Lateranensi Episcopi supra 400. & Patres in vniuerso plusquā M. deinde ante Nicenum, & Ephesinum Concilium pauca testimonia veterum existebant de re ipsa, at ante Lateranense innumerabilia. Præterea ante Concilium Nicenum non extabat aliquod vnum nomen æquiualēs nomini Omusios, sed ante Concilium Lateranense extabant multa nomina æquiualentia nomini transubstantiationis: nam Patres passim vocant conuersionem, & transmutationem, & Theophilactus in c. 14. Marci vocat transelementationem, quæ certe vox nihilominus significat quam transubstantiatio, nam transelementatio significat mutationem totius rei vsque ad elementa, id est, vsque ad materiam primam, quæ ab Arist. elementum vocatur, denique si mutatio solius formæ rectè dicitur a Græcis Methamorphosis, & a Latinis transformatio, & mutatio, extremæ figuræ dicitur transfiguratio in Euangelio, cur mutatio substantiæ non poterit rectè dici transubstantiatio? Conc. Nice. Conc. Ephe. Conc. Lat. Theophilact.

Secundo obseruandum est, Lutherum libro de captiuitate Babylonica c. 1. nō semel affirmare transubstantiationem esse inuentum S. Thomæ, & opinionem Thomistarum, eamque opinionem probatam fuisse a Papa in cap. firmiter, quod desumptum est ex Conc. Lateranensi sub Innocentio III. Verum Lutherus turpiter errat in historia, siquidem S. Thomas nondum erat natus, cum ederetur cap. firmiter, & Conc. illud celebraretur. Constat enim Conci. celebratum anno 1215. Sanctum verò Thomā natum postea anno 1224. Petrus Martyr in li. contra Stephanum Gardinerum obiectione 128. Innocentium III. vna cum Conci. Lateranense facit authorem primum transubstantiationis, tum quo ad nomen, tum etiam quo ad rem; Caluinus lib. 4. Institu. ca. 17. §. 15. inquit tempore S. Bernardi non dum innotuisse orbi transubstantiationem. Cæterum hæc sunt expressa mendacia, nam Iustinus Martyr, & Irenæus qui ab anno Domini 100, vsque ad 200. floruerunt indicant fieri conuersionē panis in corpus Christi: nam Iustinus in apologia secunda prope finem dicit, eum cibum ex quo carnes nostræ alūtur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum esse carnem Domini. Irenęus lib. 4. c. 34. Quomodo, inquit, constabit eis eū panem, in quo gratiæ actæ sunt esse corpus Domini sui &c. vterque igitur vult hanc propositionem esse veram. Panis consecratus est corpus Domini, atque hæc vera esse non potest sine mutatione panis in corpus Domini, neque enim panis manens panis esse potest corpus Domini, igitur mutatio fit, eo modo panis mutatus vere est corpus Domini. Idem loquendi modus legitur apud Tertullianum, Cyprianum, Cyrillum, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, & apud omnes Patres tam Græcos, quam Latinos, vt diserte ostendit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ c. 20. Iustinus. Ireneus. Bellar.

Idem

Concil. Ro.

Idem etiam habetur in Conc. Romano sub Nicolao 2. in abiuratione Berengarij, & expressius in alio Conc. Romano sub Greg. 7. In quo alia fidei professio clarior ab eodem Berengario edita est sub his verbis. Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem, & vinum, quæ ponuntur in altari per mysteriũ sacræ orationis, & verba nostri Redẽptoris substantialiter conuerti in veram, ac propriam, & viuificatricem carnem, & sanguinẽ Domini nostri Iesu Christi &c. nihil igitur noui si de re ipsa agatur statuit Lateranense Conc. bene verum est (vt inquit Sotus in 4. d. 9. q. 2. art. 4.) quod nomen transubstantiationis a tempore Innocentij vsurpatum est, quoniam in nulla vetustiori scriptura reperitur, res tamen ipsa sub alijs nominibus, scilicet transmutationis, vel conuersionis, non solum res est antiqua in Ecclesia, verum ex ipso Euangelio collecta, vt q. 3. huius dist. magis explicabimus. Hæc præmisisse volui, vt exactior de nomine transubstantiationis notitia habeatur. Quibus præsuppositis diuido quæst. Doct. in 4. art.

Sotus.

Primus Art. Queritur quid sit transubstantiatio.
Secundus Art. Vtrum transubstantiatio sit possibilis virtuti creatæ.
Tertius Art. Vtrum transubstantiatio possibilis sit virtuti diuinæ.
Quartus Art. Vtrum transubstantiatio sit mutatio.

ARTICVLVS I.

Queritur quid sit transubstantiatio.

PRo ampliori intelligentia eorum, quæ docet Doct. in hoc art. obser. est, cum transubstantiatio sit conuersio, quod aliquid conuerti in aliud potest multipliciter intelligi primo quod a, conuertatur in b, ita vt remaneat ratio formalis a, & dicatur vere conuerti in b, & talis conuersio est impossibilis, quia tunc sequeretur quod a, esset formaliter b.

Multipliciter potest aliquid in aliud conuerti.

Secundo quod a, terminetur in b, sic quod totaliter annihiletur, & in eodem instanti, quo a, annihilatur immediate succedat b, non præexistens, sed quod in eodem instanti mutatur in b, & hoc modo Deus annihilando vnum Angelũ, & in eodem instanti creando alium diceretur vnum Angelum conuertere in alium, scilicet per annihilationem vnius, & per creationem alterius immediate succedentis, & talis conuersio est possibilis, quia sicut Deus potest annihilare lapidem in instanti c. & in eodem instanti potest creare Angelum, & tunc diceretur lapis conuerti in Angelum.

Tertio potest intelligi a, conuerti in b, non secundum totum nec categorematice, nec syncategorematice, sed præcisè secundum vnam partem, ita ut conuertatur in totum non acceptum categorematice, nec syncategorematice, sed præcise acceptum secundum vnam partem, ita ut talis pars in qua fit conuersio non sit præexistens, & hoc modo terra conuertitur in aquam, ita ut in eodem instanti in quo forma substantialis terræ, loquendo de forma partis definit esse, forma partis substantialis aquæ incipit esse in eadem materia, in qua erat forma terræ, & talis conuersio est possibilis, etiam per agens naturale.

Quarto potest intelligi a, secundum totum cathegorematice acceptum conuerti in b, secundum totum etiam categorematice acceptum, & hoc in b, non præexistens, & hoc modo terra dicitur conuerti in aquam, ita ut in eodem instanti quo forma terræ desinit esse, immediate succedit forma totius aquæ, & hæc conuersio est possibilis etiam per agens naturale, nam in eodem instanti, quo agens corrumpit terram, quod tunc fit, quando corrumpit formam partis in eodem instante generat aquam secundũ esse totius, quod fit inducendo formam aquæ in eadem materia terræ, nam aqua secundum esse totius generari dicitur, cum per agens forma aquæ inducitur in materia terræ, & terra ex opposito dicitur corrumpi quando corrumpitur forma partis terræ, seu separatur a materia terræ, vt patet a Doct. in hoc 4. d. 1. q. 1.

Scotus.

Sed an hoc modo accipiendo totum possit totum conuerti in totum præexistens, ita ut in eodem instanti, quo terra secundum esse totius desinit esse per aliquod agens, succedat in eodem loco definitiuo esse totius aquæ præexistens. Dico quod hoc est possibile per agens supernaturale, vt patebit in sequenti art. sed non per agens naturale, quia agens naturale non potest aliquid corrumpere nisi generando aliud, non enim posset conuertere terram in aquam nisi corrumpendo terram, & nouam aquam generando.

Quinto potest intelligi a, conuerti in b, secundum esse totius, & hoc syncategorematice. f. secundum totum, & secundum omnes partes totius, & hoc modo si lapis desineret esse secundum omnem partem sui, & in eodem instanti sibi succederet in eodem loco. v. g. lignum, ita vt lignum nec secundum totum, nec secundum aliquam sui partem præexisteret, sed secundum omnem partem sui de nouo inciperet esse, & hoc modo diceretur totum syncategorematice conuerti in totum syncategorematice, & talis conuersio est solum possibilis per agens supernaturale, vt patebit in sequenti art. nullo enim modo est possibilis per agẽs naturale, quia agens naturale siue corrumpendo, siue generando necessario præsupponit aliquod præexistens, scilicet materiã. Deus autem posset in instanti a, annihilare lapidem secundum omnem sui partem, & in eodem instanti posset creare lignũ secundum omnem sui partem in eodem præcise loco in quo erat lapis, nam vt habemus ex Physicis, in mutatione, quæ fit inter positiuos terminos ipsum instans mutationis, in quo substantialis mutatio simul fit, & facta est, est primum esse termini ad quem, & primum non esse termini a quo, v. g. cum aer conuertitur in ignem, instans illud in quo ignis simul fit, & factus est, est primum esse ignis, quia ignis nunc est, & immediate ante illud nunc non erat, & est primum non esse aeris, quia aer nunc non est, & immediate ante illud nunc erat.

Sed an possit totum syncategorematice cõuerti in aliud totum syncategorematice præexistens ita ut lapis totaliter desinat esse, & in eodem instanti quo desinit esse fiat lignũ præexistens in eodem loco definitiue in quo erat substantia lapidis? dico quod hoc est bene possibile per diuinam potentiam, sed non per agens naturale, vt infra patebit.

Sexto potest intelligi a, conuerti in b, intelligendo per a, quantitatem molis, quæ præcise sit in loco palmali, & per b, intelligendo corpus quantum, v. g. lapidem, an talis quantitas possit conuerti in lapidem, ita ut in eodem instanti, quo talis quantitas desinat esse, succedat lapis in eodem præcise loco, in quo erat talis quantitas, loquendo de lapide præexistente, ita vt dicatur quantitas conuerti in lapidem præexistentem, dico quod huiusmodi conuersio est possibilis per agens supernaturale, vt sapientissime demonstrat Doct. in quol. q. 10.

His præmissis declaro primum articulum, vbi dicit Doc. quod transubstantiatio est transitio totalis substantiæ in substantiam. In hac definitione ponitur transitio, id est, conuersio loco generis, quid autem sit conuersio, & quot modis fieri contingat dictum est supra, dicitur totalis. Vnde obs. est quod totum sumitur dupliciter, scilicet categorematice, & syncategorematice, primo modo significat idem, quod quęlibet pars, secundum hoc igitur potest esse transitio totius in totum, vno modo accipiendo totum pro toto integro ex partibus, scilicet quod vni toto integro ex partibus succedat aliud totum integrum ex partibus, & hoc modo dicit Aristo. primo de Gene. c. 10. & 24. quod generatio est transmutatio totius in totum ex partibus, quod fuit vere totum, scilicet per se vnum non manet, sed aliud totum succedit, quia tam corruptum, quam generatum est per se vnum, & ideo vere totum, non tamen quęlibet pars succedit, quia materia manet communis secundum Philosophum.

Transubstantiationis definitio explicatur.

Arist.

Et per oppositum in alteratione, non transit hoc modo totum in totum, quia quodlibet totum per se vnum, quod præcessit alterationem manet in termino alterationis, nam quando aqua de frigida fit calida, aqua, quæ est per se totũ, & quæ præcessit alterationem manet eadem in termino alterationis, nam eadem aqua, quæ erat frigida, & quæ fit calida est actu calida, sed tantum transit vnum secundum quid, siue totum per accidens in aliud totum per accidens nempe frigidum in calidum, vt lignum frigidum in lignum calidum, quorum neutrum est totum proprie loquendo, sed tãtum per accidens totum, sicut per accidens vnum, quodcũque autem totum, quod est per se vnum, & per consequens de genere substantiæ manet idem sub vtroque termino trãsmutationis huius, scilicet alterationis.

Et ex hoc infert Doct. quod licet teneamus in quolibet cõposito animato esse duas formas substantiales, vt in homine formam corporeitatis, & animam intellectiuam, tamen

illa

illa definitio Arist. non est contra nos, vt aliqui arbitrantur, quia esto, quod ponantur istæ duæ formæ in composito, nihilominus generatio est immutatio huius totius in totum, quia est mutatio alicuius totius in totum compositum ex materia, & forma. Vnde obser. est, quod forma est duplex, quædam est generica, & quædam est specifica; formam genericam appello, quæ est immediate in materia prima, atque ob id dicitur generica, quia determinabilis est per formam specificam; velut genus est determinabile per differentiam, verbi gratia, forma carnis est generica, quia compositum ex forma carnis, & materia prima est in potentia ad recipiendum formam vltimam: formam autem specificam eam appello, quæ vltimate determinat, adeo quod cōpositum ex ipsa non est amplius in potentia ad aliam formam substantialem recipiendam; velut anima intellectiua est forma specifica; quia compositum ex anima intellectiua, & corpore est in vltima actualitate, ita quod non potest informari alia forma substantiali. Dicit itaque Doct. quod & si ponantur istæ duæ formæ in animato, scilicet generica, & specifica, quantumcumque ponatur prima forma, scilicet generica, vt forma corporeitatis, manere secundum rei veritatem in generato, & corrupto, tamen non manet totum idem, etiam isto modo loquendo de toto, scilicet categorematice, quia totum simpliciter præcedens corruptione; puta Socrates includebat formam vltimam specificam, scilicet animam intellectiuam; ille idem Socrates non manet in termino occupationis, sed tantum pars eius, scilicet corpus, & per consequens est transmutatio totius in totum.

Forma est duplex.

Secundo modo potest esse transitio totius in totum accipiendo totum secundo modo, scilicet pro toto syncategorematico prout significat totum, & quamlibet partem; & hoc modo in transubstantiatione est mutatio totius in totum, ita quod quando aliquid transubstantiatur, totum, & quælibet pars eius corrumpitur, scilicet tam materia, quā forma, & sibi succedit aliud totum, scilicet alia materia, & alia forma, verbi gratia, si ignis transubstātiaretur in aquā, totus ignis, & quælibet pars eius corrumperetur, & aqua sibi succederet. Vnde bene dictum est in definitione transubstantiationis, eam distinguendo contra transmutationē, quod non est transitio totius in totum, quia ibi posset esse æquiuocatio de ly totius; posset enim verificari etiam de generatione, quæ est etiam transmutatio totius in totum, sed quod est totalis transitio.

Vnde breuiter dicendum est, quod conuersio totius substantiæ potest intelligi dupliciter, vno modo, quod sit conuersio totius substantiæ, sed non totalis, & est illa, in qua non manet idem totum, quod erat ante, sed bene manet aliquid eius, & isto modo generatio aeris ex aqua est conuersio totius, & non totalis, qua ratione definita est generatio ab Arist. primo de generat. cap. tertio, cum dixit, Generatio est transmutatio totius in totum nullo sensibili permanente eodem; hæc enim conuersio est totius, sed non totalis cum maneat materia prima; tunc autem est conuersio totius substantiæ, quando conuertitur totum, & omnes partes eius, ita vt nulla pars eius remaneat, velut si aqua ita mutaretur in aerem, vt nec materia, nec forma remaneret aquæ, sed vtrumque conuerteretur in aerem. Transubstantiatio igitur est conuersio totalis totius substantiæ in totam substantiam.

Dicitur autem substantiæ in substantiam, vt distinguatur transubstantiatio à transaccidentatione, quia propter ad rationem transubstantiationis, oportet quod vterque terminus sit substantia, nam si fieret totalis transitio accidentis in accidens, illa non diceretur transubstantiatio, sed transaccidentatio; & hæc transitio, vel transubstantiatio inter alias magis assimilatur illi mutationi naturali, quæ est de subiecto in subiectum; sit enim secundum Phil. 5. phys. mutatio de non subiecto in subiectum, & de subiecto in non subiectum, & de subiecto in subiectum, & accipit ibi subiectum, & non subiectum pro terminis, non pro illo quod manet commune sub vtroque termino; cum isto modo non est aliqua mutatio naturalis in non subiectum, nec est aliqua, quæ non habeat subiectum, sicut patet; inter mutationes autem, vel transitiones supernaturales est vna à non subiecto in subiectum, id est, à non esse ad esse, & est creatio, alia est à subiecto in non subiectum, id est, ab esse ad non esse, & est annihilatio, tertia est a subiecto ad subiectum, & est transubstantiatio, vel totalis conuersio alicuius in aliud habens per se duos terminos positiuos, quorum vnus totaliter desinit esse, & alter præexistit, vel totaliter accipit esse, & hoc est quod vult dicere Doct. ibi, sed quod dicitur substantiæ in substantiam intelligendum est secundum Phil. 1. phys. tex. cap. quinquagesimooctauo, quod dupliciter dicitur aliquid fieri ab aliquo, vno modo tamquam ex opposito, alio modo tamquam ex subiecto; Vnde aliquid dicitur fieri ex opposito, quando terminus à quo corrumpitur, illud autem dicitur fieri ex subiecto, quando id quod fit manet sub termino ad quem, aliter enim ignis generatur ex materia ligni, & aliter ex ligno, siue ex non igne, nam ignis fit ex materia ligni tamquam ex subiecto, ex ligno autem tamquam ex opposito. Transitio ergo illa substantiæ in substantiam potest esse vel subiecti a termino in terminum, hoc est, vel subiectum, scilicet materia transit à termino, id est, de vna forma in terminum, id est, ad aliā formam sicut fit in generatione, vel totius termini, scilicet à quo transeuntis in terminum oppositum, adeo quod nihil termini à quo remaneat, sed transeat totus, & totaliter; In proposito autem cum dicitur in definitione transubstantiationis transitio totalis excluditur primus intellectus, quia in transubstantiatione nihil commune vtrique extremo transit à termino in terminum velut fit in generatione; Tunc enim non esset transitio totalis, sed partialis; est ergo hic tantum transitio substantiæ in substantiam, sicut termini à quo totaliter desinentis esse in terminum ad quem, scilicet in substantiam totaliter incipientem esse. Quando ergo quæritur an transubstantiatio sit possibilis, idem est ac si quæreretur vtrum aliqua substantia secundum omnes partes suas possit conuerti in aliam substantiam, ita vt nulla pars eius maneat, sed omnes partes conuertantur in aliud.

ARTICVLVS II.

Vtrum transubstantiatio sit possibilis virtute creata.

SEnsus est an creatura possit transubstantiare substantiam totalem, & totaliter in substantiam; pro cuius intellectu obseruandum est, quod substantia vel est simplex non habens materiam, & formam; vel est composita ex materia, & forma; si est substantia simplex, vel est forma subsistens, & spiritualis, vt Angelus, & anima rationalis, vel est forma corporalis non educta de potentia materiæ, sicut est forma cœli, non ponendo in ipsum materiam secundum mentem Arist. & Auer. vel est materia ipsa, vel forma educibilis de potentia materiæ; hoc supposito dico.

Et primo, quod nullum agens creatum potest transubstantiare formam simplicem per se subsistentem; probatur. In cuius potestate est totale esse, vel non esse rei, in eius potestate est conuersio vnius rei in aliam, & per consequens vnius substantiæ in aliam, sed in potestate agentis naturalis non est esse, vel non esse formæ substantialis per se subsistentis, ergo, &c. Maior patet, & magis explicabitur sequenti articulo; minor probatur, quia substantia simpliciter non habet esse nisi per creationem, nec desinit esse nisi per annihilationem, at nullum agens creatum potest creare, nec annihilare, ergo non est in eius potestate esse vel non esse creaturæ spiritualis. *1. Conclusio*

Dico secundo, quod nullum agens creatum potest transubstantiare materiam; probatur, quia nulla creatura habet in potestate sua esse, vel non esse materiæ, quia materia non habetur nisi per creationem; est enim materia ingenerabilis & incorruptibilis, primo Physicorum. Præterea in actione circa materiam creatura quæcumque necessario præsupponit materiam, vel subiectum, atque ita non potest habere actionem productiuam materiæ, ergo, &c. *2. Conclusio*

Dico tertio, quod nulla creatura potest transubstantiare formam educibilem, vel eductam de potentia materiæ, probatur, & primo de Angelo; Nam Angelus non habet in potestate sua esse, vel non esse alicuius talis formæ, ergo non potest illam transubstantiare, consequentia est nota, & antecedens probatur, Angelus non potest transmutare materiam ad aliquam formam, vt docet Diuus Augustinus tertio de Trinitat. ergo non habet in potestate sua formam talem educere, atque adeo nec transubstantiare; *3. Conclusio* *D. Aug.*

E. si

Et si dicatur, quod saltem potest Angelus transmutare materiam ad vbi: dico quod ad nullam formam potest transmutare materiam, quæ non educatur, at super esse, vel non esse formæ eductæ non habet potestatem nisi educendo, vel reducendo in potentiam, atque ita non transubstantiando, & eadem ratione sequitur de creatura corporali, quod non potest transubstantiare aliquam formam substantialem, nec conuertere aliquam accidentalem.

4 Conclusio Dico quarto, nullum agens creatum potest transubstantiare substantiam compositam. probatur, nulla creatura potest agere ad substantiam nisi præcedente motu, vel mutatione dispositiua ad terminum actionis, sed ad terminum transubstantiationis habendum non requiritur dispositio talis, ergo &c. consequentia est nota cum maiori, & minor probatur: nam terminus transubstantiationis præexistere potest, imo saltem natura præexistit, ergo ad illud agens naturale disponere non potest. Præterea omnis actio, vel passio productiua substantiæ possibilis creatura est mutatio vera, & accidens quia est actus materiæ, & subiecti, materia enim subiectum est mutationis substantialis, & per consequens necessario præsupponit materiam, sicut accidens subiectum, sed per aliquam actionem non potest destrui, vel desinere esse illud, quod ipsa præsupponit in ratione subiecti. ergo substantiam totam compositam non potest agens naturale transubstantiare.

Sed contra arguitur. Illud agens potest transubstantiare substantiam compositam, in cuius potestate est totum esse substantiæ compositæ, sed in potestate agentis naturalis est totum esse substantiæ compositæ, ergo agens naturale potest transubstantiare substantiam compositam, maior videtur manifesta, & minor probatur. generans naturale continet totum esse geniti compositi, quia producit totum compositum, similiter etiam corrumpit ipsum, atque ita habet in potestate sua non esse suum, & per consequens esse, & non esse materiæ, quæ est pars essentialis, & essentialiter inclusa in composito, & pari ratione esse, & non esse ipsius formæ. Cum ergo agens naturale possit vnum generare, & aliud corrumpere, vtrumque habet in sua virtute quantum ad esse, & non esse totale, atque adeo potest ipsum transubstantiare, eodem modo posset argui de toto composito per accidens ex substantia, & accidente.

Dico quod licet generans creatum contineat in virtute sua esse geniti, & non esse, si potest idem genitum corrumpere, & similiter de alio generato, & corrupto, tamen non potest vnum in aliud transubstantiare, nec materiam in materiam conuertere, nec eam continet totaliter quantum ad suum esse, vel non esse, & quando dicis continet esse, & non esse totius, & per consequens cuiuslibet partis intrinsece sibi. Dico quod continet esse totius sic, quod potest ipsum producere per mutationem substantialem, quæ est actus, & accidens materiæ, & per consequens præsupponendo materiam, de qua educatur forma, quæ est terminus formalis generationis, & similiter sic potest corrumpere per mutationem corruptiuam, quæ est actus, & accidens materiæ, per quam redirur forma in potentiam materiæ, atque ita semper relinquitur materia. Et quia nullo modo aliter continet totum, quantum ad esse suum, vel non esse, patet quod non potest ipsam transubstantiare nec materiam, nec formam, vt dicebamus supra. Et patet etiam, quia aliter continet esse, vel non esse totius, & aliter esse, vel non esse formæ, & minus inter omnia esse, vel non esse materiæ, nam esse totius continet sicut esse per se primi, & completi termini generationis, quod primo generatur, & illud esse distinguitur ex natura rei ab esse materiæ, & formæ, & addit aliquid positiuum absolutum super eas, atque ita primo continet illud esse compositi, sed formam continet sicut terminum formalem accipiens suum esse partiale, & incompletum per generationem, vel mutationem tanquam formalis terminus generationis, quo primus, & totalis habet esse sicut sua causa formalis intrinseca. Esse verò materiæ minus, quia materia, cum præsupponatur generationi nullo modo accipit esse suum per ipsam a generante in se ipsa, licet & totum in ratione totius, & forma ipsa.

Ex quo patet, quod licet generans in sua virtute contineat esse totius primo non tamen esse materiæ secundum se quia continet non esse totius nisi secundũ virtutẽ productiuam per mutationẽ præsupponentẽ ipsam materiã, ergo &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum transubstantiatio possibilis sit virtuti diuinæ.

CErtum est rationem transubstantiationis haud esse rationem in se falsam, atque adeo possibile est huic rationi aliquid subesse, quod patet, quia possibile est aquam desinere esse secundum omnes suas partes, & possibile est etiam aliquam substantiam incipere esse secundum omnes suas partes, vt aer, atque etiam possibile est, quod aer incipiens esse succedat aquæ desitienti, & ad illius desitionem, ergo transubstantiatio est possibilis, antecedens est notum, quia non includit contradictionem, quod omnes partes aquæ destruantur, neque quod omnes partes aeris producantur de nouo, neque quod aer productus succedat aquæ destructa, & ad destructionem illius, ergo &c. consequentia verò probatur, quia transubstantiatio supra totalem desitionem aquæ, & totalem inceptionem aeris, non addit nisi quod aer incipiens succedat aquæ, & ad illius desitionem. Sit ergo

Prima conclusio, quę est præsuppositum quæstionis. trãsubstantiatio est possibilis. probatur breuiter sic. Quicquid potest esse totaliter nouum potest succedere alicui, quod totaliter desinit esse, sed aliqua substantia potest incipere esse totaliter, & aliqua potest desinere esse totaliter, ergo illa, quæ totaliter incipit esse potest succedere illi, quæ desinit esse totaliter, atque adeo possibilis est transubstantiatio, quia transubstantiatio est transitio totalis substantiæ in substantiam modo supra explicato, maior probatur a simili, quia sicut aliquid, quod potest esse nouum particulariter succedit alicui, quod desinat esse partialiter, ita vt potest esse totaliter nouum, potest succedere ei, quod desinit esse totaliter, verbi gratia, esse ignis, qui desinit esse partialiter, id est, secundum formam potest succedere aliquid, quod incepit esse partialiter, id est, secundum formam, nempe aqua, ergo non implicat, quod illi, quod desinit esse totaliter, id est, tam secundum materiam, quam secundum formam succedat aliquid, quod incipit esse totaliter. 1. Conclusio

Sed contra hanc conclusionem sunt argumenta principalia Doct. Primo arguitur sic. transubstantiatio idem est, quod mutatio substantiæ in substantiam, sed talis mutatio non est nisi generatio, vel corruptio secundum Phi. 3. Phys. t. capitulo septimo, quarum nulla est transubstantiatio, ergo non est possibilis transubstantiatio, formetur sic ratio, transubstantiatio est mutatio totalis substantiæ in substantiam, sed talis non est possibilis, ergo &c. maior patet ex diffinitione transubstantiationis, minor probatur, quia secundum Philosophum non est nisi duplex mutatio substantialis, scilicet generatio, vel corruptio, quibus non fit mutatio totalis substantiæ in substantiam, sed partialis, ergo & cætera.

Præterea secundo. Impossibile est, esse aliquam mutationem in qua non maneat aliquod commune vtrique termino, sed in transubstantiatione nihil commune manet vtrique termino, sed totum secundum totum transit in totum, & nihil manet intrinsecum vtrique termino, ergo transubstantiatio non est possibilis, maior patet ex definitione mutationis sexto Physic. t. capitulo trigesimo secundo, & septuagesimo tertio, mutari est aliter se habere nunc quam prius, & etiam discurrendo per omnes species mutationis 5. Phys. t. c. 7. & 9. minor patet ex quid nominis, transubstantiationis.

Præterea tertio. In omni mutatione termini sunt incompossibiles, sed termini transubstantiationis non sunt incompossibiles, quia possunt esse simul, nam substantia panis, & corpus Christi simul possunt stare sub sacramento, ergo transubstantiatio non est mutatio, & per consequens non est possibilis, quia nihil aliud potest poni transubstantiatio, quam mutatio.

Præterea quarto, illud non est possibile, quod implicat contradictionem, sed aliquid transubstantiationis implicat contradictionem, ergo transubstantiatio non est possibilis, consequentia patet cum maiori, & minor probatur, quia transubstantiari aliquid in aliud, est, aliquid fieri aliud,

sed

Digitized by Google

sed implicat contradictionem, quod aliquid fiat aliud à se ipso, sicut quod fit aliud à se ipso, ergo, &c.

Sed his non obstantibus dico transubstantiationem esse possibilem simpliciter, & absolute respectu virtutis diuinæ, ita quod illa ratio nominis posita in primo articulo non est ratio in se falsa, & contradictionem inuoluens, sicut sunt rationes nominum, quæ habentur de figmentis, & impossibilibus contradictionem implicantibus; probatur conclus. In cuius potestate est totale esse vel non esse rei in eius potestate est conuersio vnius rei in aliam, & per consequens vnius substantiæ in aliam, quæ conuersio est transubstantiatio, sed in potestate Dei est totale esse, vel non esse totius substantiæ creatæ, ergo, &c.

Præterea secundo, sicut se habet agens naturale, & creatum ad mutationem, vel conuersionem partialem, sic agẽs supernaturale ad totalem, sed agens naturale eo ipso, quod in virtute sua continet formam rei generabilis, & corruptibilis saltem quantum ad formas eductas, quãtum ad esse, vel non esse ipsarum potest in conuersionem partialem substantiæ in substantiam, ergo agens supernaturale potest conuertere totam substantiam in substantiam, & totaliter, atque adeo transubstantiare; maior patet, & minor patet: cuius enim virtuti actiue subest esse, & non esse partiale vtriusque extremi eius virtuti subest transitio partialis extremi in extremum, patet de generatione, & corruptione, virtus enim potens super non esse formæ præcedentis, & esse formæ consequentis manente illa parte compositi communi, scilicet, materia potest super generationem huius ex illo, quæ est transitio partialis vnius partialis in aliud, ergo à simili virtus potens super esse, & non esse vtriusque extremi totaliter, potest super transitionem totalem extremi in extremum. Obseruand. est tamen, quod non se habet omnino similiter conuersio partialis ad conuersionem totalem, quia nec pars ibi mutatur in partem, nec fit alia pars, vna enim forma non fit alia, sed magis reducitur in potentiam materiæ, & alia educitur, sed in transubstantiatione totum fit totum, hoc fit hoc, tamen in conuersione partiali formatum priori forma, scilicet, materia fit formatum posteriori forma, eadem materia manens; in transubstantiatione autem vnum fit aliud non manens, sed totaliter desinens esse.

Tertio arguitur. Non est magis impossibile, vel minus possibile Deo conuertere totaliter vnum ens in aliud quã facere aliquid esse ens postquam totaliter non fuit, quia nõ est maior repugnantia, vel incõpossibilitas entis ad ens, quam non entis ad ens, nec minus ordinatur ens ad ens, quam non ens ad ens, sed primum est Deo possibile, vt probatum est in secundo distinct. prima, quæst. secunda, ergo & secundum.

Quarto arguitur. Illud est Deo possibile, quod non implicat contradictionem, sed quod vna substantia non manens fiat alia, nullam inuoluit contradictionem, ergo, &c. maior est nota, & minor declaratur, nam licet contradictionem inuolueret, quod maneret, & cõuerteretur, quia vt sic simul esset, & non esset; atque etiam vnum ens manens esset aliud à se, & non esset idem sibi; tamen nulla contradictio est, quod non manens conuertatur, & habeatur aliud desinente conuerso totaliter esse.

Ambros. Quinto arguitur Auth. Diui Ambrosij de sacramentis, & habetur de consecratione dist. secunda, capit. 69. Re vera mirabile, non minus est dare quam mutare veras naturas rebus; ex quibus concludit, quod cum Deus possit dare nouas naturas rebus, quæ prius non erant, potuit mutare naturam in naturam, & per consequens transubstantiare.

nc. Trid. Probatur sexto ex Concil. Trident sess. decimatertia, canon. secundo, de Eucharistia. Si quis negauerit mirabilem illam, ac singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Ecclesia catholica aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit; ex quo habetur hæreticum esse conuersionem illam negare esse possibilem, quam nos dicimus transubstantiationem.

nc. Arel. Septimo probatur ex Concil. Arelatensi, & habetur de summa Trinit. & fide catholica, cap. Firmiter, vbi dicitur Christi corpus, & sanguis sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina; ergo colligitur transubstantiationem esse possibilem, siquidem Concil. dicit eam fieri in consecratione Eucharistiæ.

Ad argumenta in oppositum respõdetur, quod proprie accipiendo mutationem, & stricte non sunt nisi duæ mutationes substantiales, generatio, & corruptio, de quibus loquutus est Philosophus; sed accipiendo mutationem large pro quacumque acceptione esse, vel desitione, bene sunt aliæ mutationes sicut creatio, annihilatio, multiplicatio, & transubstantiatio; quas Philosophus forte non intellexit, saltem quantum ad omnes licet creationem aliquo modo intellexerit, de quo dictum est in secundo dist. 1. q. 2. vide ibi quæ diximus.

Ad secundum dico, quod transubstantiatio nõn est proprie mutatio sicut bene concludit argumentum, & nos demonstrabimus in sequenti art. quia nec habet aliquod commune vtrique termino per modum subiecti, nec etiam habet terminos per se incompossibiles, large tamen, & communiter accipiendo mutationem, mutatio dici potest, vt dicemus infra.

Ad tertium dico, quod verum est in mutatione proprie dicta, quia in ea succedit in eodem susceptiuo oppositum post oppositum, nam post corruptionem vnius formæ in materia succedit alia; est enim ibi transitio partialis, scilicet formæ in oppositum eodem subiecto manente, atque adeo termini primi ibi sunt incompossibiles, & ratio est, quia mutatio proprie fit in aliquo subiecto, quod non potest habere illos duos terminos simul, patet in aere, qui non potest simul habere tenebras, & lumen, sed non est idem in proposito; nam terminus a quo puta panis, & terminus ad quem, s. corpus Christi non sunt circa idem susceptiuum, quia nihil est ibi commune: hic n. sufficit, quod esse huius termini, i. panis, & illius, i. corporis Christi sint disparata, licet simul se possint compati in entitate, quia ad nihil idẽ informandum comparantur, circa quod sibi succedant.

Vel posset cõcedi, quod sunt incompossibiles circa idem numero, hoc est, idem non potest transubstantiari in se ipsum, adeo quod terminus à quo transubstantiationis est incompossibilis cum termino ad quem respectu eiusdem numero, licet non sint incompossibiles in essendo absolute, sicut simul sunt in entitate album, & nigrum, id est, non repugnant in entitate Socrates albus, & Plato niger, licet album, & nigrum sint vere contraria secundum species, in quibus sunt, id est, secundum albedinem, & nigredinem, nec tamen simul sunt, imò sunt incompossibiles in aliquo eodem susceptiuo; Vel dicatur, quod termini mutationis sunt incompossibiles in prædicando, sed non in essendo, adeo quod non est verum in omni mutatione, quod termini mutationis sint incõpossibiles in entitate, sed in prædicãdo; ita quod vnus non possit prędicari de alio, bene verum est, quod sunt incompossibiles; atque ita licet panis, & corpus Christi non sint incompossibilia in essendo, quia corpus Christi potest simul stare cum substantia panis, sunt tamen incompossibiles in prædicando, quia vnum non potest prædicari de alio, nam ista est falsa, panis est corpus Christi, sicut ista, albedo est nigredo.

Vel dicatur, quod licet termini transubstantiationis sint compossibiles in rerum natura, non tamen in eadem substantia, sicut licet albedo, & nigredo sint compossibiles in rerum natura, non sunt tamen compossibiles in eodem susceptiuo simul.

Ad quartum dico, quod aliquid transubstãtiari in aliud non implicat contradictionem, & cum dicitur aliquid esse aliud implicat contradictionem, sicut idem esse aliud à se ipso; dico, quod non est simile, nam quando dicitur aliquid esse aliud intelligitur vtrumque manens, atque ita contradictionem inuoluit, sed quando dicitur aliquid fieri aliud per conuersionem, intelligitur conuersum non manere, sed alterum tantum, quod non potest verificari de alio non manente, ergo, &c. licet ergo implicet contradictionem aliquid manens conuerti in aliud, vel fieri aliud, quia ad hoc sequitur idem esse aliud, non tamen inuoluit contradictionem, aliquid non manens conuerti in aliud, vel fieri aliud, atque ita illud non esse aliud.

ARTICVLVS IV.

Vtrum transubstantiatio sit mutatio.

Mutatio est duplex. De hac re est duplex opinio prima fuit aliquorum affirmantium transubstantiationem esse mutationem, procuius opinionis intelligentia obseruandum, quod secundum istos duplex est mutatio, vna subiectiua, altera obiectiua; subiectum autem mutationis est materia, qua transmutatur, vt subiectum calefactionis, verbi gratia, est lignum, generationis materia prima, & intellectionis intellectus, obiectum vero mutationis est terminus ad quem mutatio terminatur, sicut obiectum calefactionis est calor, generationis est forma substantialis geniti, vel ipsum genitum; mutatio itaque subiectiua est, quæ se tenet ex parte subiecti, mutatio vere obiectiua, quæ se tenet ex parte obiecti, vel termini, quod probatur à simili de generatione; nam generatio aliquando se tenet ex parte subiecti, vt quādo dicimus materiam generari. & est sensus, quod materia prima est subiectum generationis; sicut quando dicitur lignum calefit, est sensus, quod lignum est subiectum calefactionis; Interdum autem se tenet generatio ex parte obiecti, vel termini, vt patet in primo distinct. quinta, quæst. secunda, dicimus enim quod Verbum diuinum generatur, cuius est sensus, quod Verbum diuinum est obiectum, vel terminus generationis, & ex hac distinct. varia Arist. loca conciliantur; nam aliquando dicit Aristot. quod materia prima generatur, alijs vero in locis dicit materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem; primum enim istorum significat materiam primam esse subiectum generationis; secundum vero significat nullatenus posse esse terminum generationis, hac itaque distinctione isti opinantes dicunt primo, quod transubstantiatio non est mutatio ex parte subiecti, quia omnis transmutatio ex parte subiecti requirit, quod subiectum sit sub termino à quo, & ad quem, sicut aer dicitur mutari subiectiue, quando illuminatur, quia idem aer qui modo habet lumen fuit sub tenebris; sed in transubstantiatione nullum subiectum manet sub vtroque termino, ergo transubstantiatio non est actio, seu mutatio subiectiua, minor patet ex superioribus; nam hæc est differentia inter transubstantiationem, & generationem, quod in generatione non corrumpitur tota substantia cum maneat materia prima, in transubstantiatio ne vero totum corrumpitur, & totum ponitur ibi de nouo.

Secundo autem dicūt isti, quod transubstantiatio est mutatio ex parte obiecti, quia transmutari aliquid obiectiue nihil aliud est quam esse terminum transmutationis, sed transubstantiatio habet terminum ad quem terminetur, igitur ex consequenti ille terminus dicetur transmutari obiectiue.

Secundo arguitur. Omnis transitus à contradictorio in contradictorium est vere mutatio, sed transubstantiatio est huiusmodi, est enim transitus ab esse panis ad non esse panis, ergo, &c.

Tertio arguitur. Omne quod aliter se habet nunc quam prius mutatur, sed panis aliter se habet per transubstantiationem nunc quam prius; quia prius erat panis, modo non est, ergo, &c.

Quarto arguitur. Si transubstantiatio non esset mutatio ex eo esset, quia non manet commune subiectum vtrique per se termino, si enim subiectum commune maneret, ꝙ mutaretur videretur esse mutatio proprie, sed hoc non impedit, quia non obstante, quod corruptum non sit mutatū per modum subiecti, quod sit subiectum mutationis, sed magis materia ipsa remanet, tamen dicitur mutatum, & nō nisi aliqua mutatione, ergo similiter esto, quod non maneat subiectum commune, quod dicatur mutari à termino in terminum, tamen panis totus non manens dicetur mutari, & non nisi per transubstantiationem, ergo transubstantiatio est mutatio.

Quinto arguitur. Si transubstantiatio nō est mutatio aliqua, tunc nihil mutatur circa panem, vel circa hostiam, seu in hostia per transubstantiationem, sed si nihil immutatur non magis est ibi corpus Christi quam antea, quod est falsum, & hæreticum. ergo, &c.

His tamen non obstantibus est secunda opinio, quæ negat transubstantiationem esse vere, & proprie mutationem accipiendo stricte mutationem, quæ est communis opinio omnium Theologorum. Nam licet D. Thomas nihil expresse sit loquutus de hac re, tamen ex doctrina quam tradit in quæstione septuagesimaquinta, articulo octauo, tertia parte, colligitur eiusdem esse sententiæ cum Doctor. nostro; quoniam ibi dicit transubstantiationem conuenire cum creatione in hoc, quod in transubstantiatione, sicut in creatione non est aliquod subiectum commune vtrique extremorum, id est, non est aliquod subiectum, ꝙ prius sit sub termino à quo, & postea sit sub termino ad quem. Ex quo colligitur, quod secundum D. Thom. transubstantiatio non est mutatio; quoniam ipse tenet prima p. quæst. 45. ar. 2. ad secundum, creationem non esse mutationem, quod alia ratione non probat, nisi quia in creatione non est aliquod subiectum commune vtrique extremo, tum, quod necessario, inquit ipse, requiritur ad mutationem, cum igitur dicat in tertia parte, transubstantiationem conuenire cum creatione in illa ratione propter quam ipse tenet creationem non esse mutationem colligitur optime esse sententiam eius, quod transubstantiatio non est mutatio.

D. Thom. *Scotus.*

Pro ampliori tamen intelligentia opinionis Doct. obseruandum est primo, quod mutatio proprie accipiendo mutationem siue sit instantanea, siue successiua est actus & forma alicuius subiecti, vel materiæ propter quod dicit Philosophus 3. phy. accipiendo motum pro mutatione, non distinguendo inter mutationem instantaneam, & successiuam, quod motus est actus existentis in potentia secundum ꝙ huiusmodi, & est actus mobilis in eo quod mobile, mobile autem est ens in potentia, vt mobile dicit ens in potentia subiectiua, & subiectum; Mutatio etiam, vt dicitur 6. phy. est secundum quam aliquid se habet aliter nunc quā prius, planum est autem quod illud, quod non manet, nūc, non se habet aliter nunc quam prius, quia si non manet non se habet aliter, sed nullo modo se habet.

Secundo obseruandum est, quod de ratione mutationis est ordo subiecti ad terminum ad quem, atq; etiam de ratione mutationis est successio immediata termini ad quem à termino à quo, sicut quando generatur aer ex aqua, generatio dicitur mutatio, quia materia prima habet ordinem ad formam aeris, quæ est terminus ad quem, & includit immediatam successionem formæ aeris geniti ad formam aquæ corruptæ: Transubstantiatio autem non habet ordinem subiecti ad terminum ad quem, est totus aer secundum omnes suas partes, qui non habet subiectum in quo recipiatur, conueniunt autem transitio & mutatio in eo, quod sicut quando generatur aer ex aqua, forma aeris succedit immediate formæ aquæ, ita quādo transubstantiatur aqua in aerem, totus aer secundum omnes suas partes succedit toti aquæ secundum omnes suas partes.

Tertio obseruandum est, quod annihilatio, creatio, mutatio naturalis, & transubstantiatio differunt inter se, atque conueniunt, res, n. quæ destruitur in transubstantiatione cōuenit, & differt cum re, quæ destruitur per annihilationem. In eo quidem conueniunt, quod sicut res, quæ annihilatur omnino destruitur secundum omnes suas partes, sic res, quæ conuertitur in transubstantiatione destruitur secundum omnes suas partes, differunt tamen primo, quia destructio in annihilatione terminatur ad non esse omnino rei; destructio autem in conuersione terminatur ad esse rei, in quam fit transubstantiatio; differunt etiam secundo, quia res, quæ annihilatur non destruitur per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab agente, sicut aer nō tenebrescit per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab illuminatione; vnde annihilatio non est actio, sed cessatio à conseruatione rei; destruere autem rem, quæ cōuertitur in transubstantiatione est aliquid agere, & non est cessare ab actione, quæ quidem actio positiua est terminata ad rem, in quam fit transubstantiatio. Similiter etiam transubstantiatio ex parte termini ad quem conuenit cum creatione, & differt ab illa; cōuenit quidem primo in hoc, quod neque in transubstantiatione, neque in creatione est aliquod subiectum commune vtrique termino, & secūdo cōueniunt in eo, quod sicut creatio non est mutatio, ita neq; transubstantiatio; Mutatio aūt naturalis, & transubstantiatio primo cōueniunt in eo, ꝙ sicut in generatione eadē actio positiua est, productio aeris, et corruptio aquæ, ita in transub-

Annihilatio, creatio, mutatio naturalis, et transubstantiatio quomodo differunt.

transubstantiatione eadem actione positiua, qua producitur aer, destruitur aqua, & sicut in generatione eadem actione forma geniti succedit formæ corrupti, ita in transubstantione tota substantia producta secundum omnes suas partes succedit toti substantiæ corruptæ; secundo etiam conueniunt, quod sicut in generatione finis generantis non est destruere rem, quæ corrumpitur, sed introducere formam rei genitæ, sic in transubstantiatione non est finis destruere, sed producere totam substantiam, quæ producitur; differunt tamen, quia in generatione aliquod subiectum manet commune vtrique termino, quod est materia prima, in transubstantiatione vero nihil est, quod non conuertatur, vt dictum est supra; erit itaque definitio transubstantiationis, vel eius explicatio, ista transubstantiatio est conuersio totalis substantiæ in substantiam, vel clarius sic, transubstantiatio est desitio totalis substantiæ terminata ad totum esse alterius substantiæ.

Quarto obseruan. est, quod circa transubstantiationem non oportet laborare an transubstantiatio ad genus mutationis pertineat, nam cum mutatio tria debet intelligere, scilicet, subiectum, formam, ad quàm est mutatio, & successionē formæ ad formam, hæc oīa in transubstantione reperiri non possunt, vnde sicut in baptismo tria sunt, scilicet, ablutio, verba, & significatio, quæ fundatur in ablutione, & verbis, & terminatur ad signatum, scilicet, ad gratiam, horum autem trium ablutio si comparetur ad verba est quid materiale, verba autem sunt quid formale; si autem ablutio, & verba comparentur ad significationem, significatio est quid formale, vel habet rationē formæ, ablutio autem, & verba sunt quid materiale, vel habent rationem materiæ; comparando tamen verba ad ablutionem, verba dicuntur forma, & ablutio materia, licet significatio sit simpliciter forma; Ita in mutatione sunt hæc tria, scilicet, subiectum, forma, & habitudo subiecti ad formam, atque etiam successio formæ ad formam, & tam subiectum, quam terminus est materiale in mutatione; respectu habitudinis tamen comparando inter se subiectum, & terminum, terminus est forma, & habet magis rationem formæ quam subiectum; sed vltra hæc tria est etiam vt diximus in mutatione successio termini ad terminum, adeo quod quatuor considerantur in mutatione, subiectum, forma, habitudo subiecti ad formam, & successio formæ ad formam, & istorum formalius in mutatione est habitudo subiecti ad formam, & formalius importatur mutatio per formā, quam per respectum illum successionis, licet vere ille alius respectus, scilicet, habitudo subiecti ad formam sit formalior, quia est aliquid verius in se, quia forma absoluta, vel ad minus ens positiuum, ille autem ordo posteritatis, vel successionis non est nisi respectus secundum quid. Non haberetur ergo genus transubstantiationis si esset mutatio, nisi quantum ad illud formale, quod addit vltra terminum respectus, scilicet, qui est ordo immediatus alterius ad aliud præcedens, sicut forma geniti dicit ordinem immediatum ad formam corrupti; & successionem formæ ad formam.

Postremo obseruan. est, quod si extendatur mutatio, ita vt dicatur de transubstantiatione, potest dici, quod sicut secundum Philosophum 5. phy. triplex est mutatio, scilicet, à non subiecto in subiectum, à subiecto in subiectum, & à subiecto in non subiectum, & accipit ibi subiectum pro ente positiuo, & non subiectum pro priuatione eius; sic potest versio extendendo ad mutationem supernaturalem, distingui, vt illa, quæ est à subiecto in non subiectum dicatur annihilatio, quæ autem à non subiecto in subiectum creatio, quæ vero à subiecto in subiectum transubstantiatio; sed per hoc quasi nihil habetur de genere remoto transmutationis, quod est genus versionis, nisi quod vtrumque formaliter est inferius ad relationem quamdam ordinis, seu successionis. His obseruatis sit hæc conclus. Doct.

Concl. Scoti. Transubstantiatio nullo modo est mutatio, probatur, quia mutari est aliter se habere nunc quàm prius, ergo transubstantiatio nullo modo est mutatio, antecedens est
Arist. definitio mutationis quam Arist. affert sexto phys. tex. capit. vigesimo secundo, consequentia vero probatur, quia quando per transubstantiationem ex aqua fit aer, non se habet aliter aer nunc quam prius, quia prius nullo modo se habebat, nunc autem simpliciter est; aqua etiam non se habet aliter nunc quam prius, quia nunc non est, & per consequens non se habet aliter nunc quam prius, ergo illa actio non est mutatio. Sed huic argumento respondent aliqui, quod transubstantiatio est mutatio, & tamen illi non conuenit definitio mutationis tradita ab Aristot. quia omnes Philosophi existimabant hanc actionem non esse possibilem, nam Philosophus negauit aliquid produci nisi de subiecto, & ideo mutatio apud eum requirebat subiectum, sed nos ponimus aliam mutationem possibilem, atque ita illi possumus atribuere rationem mutationis, scilicet obiectiue, licet non istam, de qua loquitur Philosophus, scilicet, subiectiuam.

Sed contra hanc responsionem arguit Doct. sub lit. D.§. contra primam responsionem; & vult dicere Doct. aliud est quærere an transubstantiatio sit possibilis, & aliud vtrum si esset possibilis esset mutatio, si enim quæreretur ab Arist. an transubstantiatio esset possibilis, responderet, quod non; si autem ab illo quæreretur esto, quod transubstantiatio esset possibilis an esset mutatio, responderet etiam quod non; cuius ratio est, quia illi non conuenit definitio mutationis, etiam si possibilis sit; & confirmatur, quia si esset bona hæc solutio, eadem ratione dicere possent quod creatio est mutatio; si enim obijcias, quod illi non conuenit definitio mutationis tradita ab Aristot. responderent consequenter, quod quamuis creatio sit mutatio, illi tamen non conuenit definitio mutationis tradita ab Aristot. quia Philosophus non existimauit creationem esse possibilem, quod tamen est contra omnes Theologos; quamuis enim Theologi contra Arist. dicant creationem esse possibilem, definitionem tamen mutationis traditam ab Aristot. inuiolabiliter seruant; ita in proposito ratio mutationis, quæ posita est à Philosopho s. mutari, &c. non conuenit nisi vbi manet aliquod subiectum; atque adeo licet nobiscum supponeret transubstantiationem esse possibilem, tamen cum sibi repugnet ista ratio, quia in transubstantiatione non est subiectum commune vtrique extremo, negaret eam esse mutationem.

Secundo respondent, quod definitio mutationis tradita ab Arist. conuenit transubstantiationi; nam si propter aliquam causam non conueniret, maxime propter illam particulam aliter, quæ importat diuersos terminos positiuos, sed hoc non obstat, ergo nihil impedit quo minus transubstantiatio sit mutatio, quia subiectum nunc existens sub priuatione, & prius sub forma dicitur aliter se habere, & tamen esse sub priuatione non est taliter, seu entiter se habere, quia priuatio non est aliqua entitas, ergo ex eo quod additur aliter, non potest concludi, quod sit entitas communis vtriusque termini, verbi gratia, illuminatio aeris est vere mutatio, & tamen non est inter terminos positiuos, quia terminus à quo sunt tenebræ, quæ non sunt res positiua, similiter quando aer fit tenebrosus aliter se habet nunc quam prius: quia nunc est sub priuatione, & prius erat sub forma, & tamen esse sub tenebris non est ens positiuum, quia tenebræ non sunt entia positiua. Contra inquit Doct. hæc responsio non valet, quia non arguitur ab eo, quod in descriptione mutationis ponitur aliter, verum est enim quod aliter ibi accipitur generaliter ad entitatem positiuam contrariorum, vel priuationis, & formæ; sed aliter arguitur ex eo, quod dicitur se habere; nam istud includit aliquod cōmune manere, & ei quod est aliter se habere nūc, & aliter se habere prius, quia se habere aliter affirmatur æqualiter ex parte vtriusque. Vult dicere Doct. quod non excluditur transubstantiatio à ratione mutationis, solum propter illam particulam aliter, quia hoc vere probat argumentum non esse necessarios terminos vere positiuos; sed tantum excluditur per has duas particulas aliter se habere; nam ad hoc quod aliter se habeat aliqua res, oportet, quod illa duos modos habeat, & sit sub vtroque termino illud idem, & quia illi termini sunt diuersi, inde dicitur aliter se habere per illos diuersos terminos, siue illi ambo sint positiui, siue eorum alter sit priuatiuus, vt patet in illuminatione: nam quia idem aer prius habuit tenebres, & deinde lumen, inde est, quod dicitur aliter se habere, quia eadem omnino res habet successiue illos duos terminos; in transubstantiatione vero nulla eadem res habet diuersos terminos.

Secundo probat Doct. transubstantiationem non esse mutationem ex definitione tradita à B.Greg[illegible]

Digitized by Google

Moralium, quæ talis est; mutari est ex alio in aliud ire, ex quo sic arguitur. Mutari ex alio in aliud nihil aliud est, quã quod eadem res procedat ex vno termino ad alium, sed in transubstantiatione omnia, quæ fuerant in termino à quo destruuntur, & omnia quæ sunt in termino ad quẽ, omnia de nouo producuntur, ergo nihil est idem, quod progrediatur ab vno termino in alium, & ex consequenti nihil est, quod mutetur.

Præterea arguitur tertio per rationem, quia si obiectiue dicitur aliquid mutari, hoc est, quia obiectum distinguendo contra subiectum mutatur, id est, si transubstantiatio dicitur mutatio obiectiua, quia termini mutantur, & non subiectiua, quia nullum subiectum commune vtrique termino mutatur, hoc patet esse falsum, quia terminus ad quem transubstantiationis non mutatur, neque subiectiue, ergo, &c. Et si dicatur, quod obiectiue sumitur hic generaliter pro termino siue à quo, siue ad quem, & in creatione verificatur mutatio obiectiua pro termino ad quẽ, in transubstantiatione vero pro termino à quo, quia dicimus hic, quod panis conuersus est in corpus Christi, ergo panis mutatus est, quia non eodem modo se habet quo prius. Hoc improbatum est pertractã lo rationem Philosophi, quia neuter terminus se habet nũc aliter quam prius; terminus enim à quo, scilicet, panis non manet, atque ita non se habet aliter, quia se habere aliter includit entitatẽ, se habentis aliter. & tunc potest dici, quod non sequitur, panis est conuersus in corpus, ergo est mutatus, quia antecedens non denotat nisi transitum termini à quo ad terminum ad quem; consequens autem denotat transitum alicuius subiecti communis vtrique termino, atque adeo negatur consequentia.

Et si adhuc obijciatur, corruptum est mutatum, nam aqua dicitur mutari quando corrumpitur, & tamen non manet eadem aqua, & per consequens non mutatur subiectiue, ergo obiectiue; ita à simili, & si nihil maneat in transubstantiatione, quando corrumpitur terminus à quo, dicetur etiam transubstantiatio mutatio. Respondet Doct. quod id quod dicitur de parte per se, dicitur de toto per accidens, vt tradit Arist. 5. phys. tex. cap. 1. & 7. Met. t. cap. primo, & secundo, & quia materia corrupti est per se mutata à forma ad priuationem, ideo totum potest dici mutatum per accidens, ergo quando aqua corrumpitur, materia mutatur, quæ pars est aquæ, atque adeo dicitur aqua mutari; at vero in transubstantiatione nulla pars mutatur, cuius causa dicatur totum mutari; vel secundo responderem, quod aqua non mutatur quando corrumpitur, quia tunc nõ est aqua, nam denominatio, quæ tribuitur materiæ, quando aqua est corrupta, non redundat in aquam.

Ad rationes oppositæ sententia respondetur, & ad primam dicit Doct. quod illa ratio potius facit pro nobis, q̃ contra nos; potest enim ea ratio reduci ad oppositum, sic generatio non distinguitur in subiectiuam, & obiectiuam, quamuis distinguatur generari, ergo neque mutatio debet distingui in subiectiuam, & obiectiuam, antecedens est manifestum, quia eadem omnino generatione, & non alia dicitur materia prima generari subiectiue; vt homo dicitur generari obiectiue, atque adeo ibi non est distinctio generationis, sed ipsius generari. Contra, si generari distinguitur in generari subiectiue, & obiectiue, ergo & mutari distingui debet eodem modo; consequentia probatur. generatio est per se mutatio, ergo sicut ab eadem generatione aliquid dicitur generari subiectiue, & aliud obiectiue, ergo ab eadem mutatione dicetur aliquid mutari subiectiue, & aliud obiectiue, ergo terminus generationis, qui est homo dicetur mutari obiectiue; præterea quomodo potest generari, sic distingui, & non generatio.

Ad primum respondet Doct. quod generatio non est inferius ad mutationem, nisi vt conuenit subiecto generationis vt autem comparatur ad terminum habet rationem productionis, vt dictum est primo lib. d. quinta, quæstione secunda. Vult dicere Doct. quod generatio habet duplicẽ habitudinem vnam ad subiectum, alteram ad terminum, generatio ex termino habet, quod sit productio, atque ita Verbum diuinum dicitur produci per generationem, quæ est productio illius, at vero generatio non habet, quod sit mutatio à termino, sed à subiecto, & ob eam causam generatio diuina non est mutatio, quia quamuis habeat terminum, non tamẽ habet subiectum, in quo recipiatur. Dico, ergo, quod terminus generationis non dicitur mutari à generatione, licet generatio sit mutatio, quia generatio non est mutatio ex termino, sed ex subiecto.

Ad secũdum dicit Doct. quod ab eodem abstracto vniuoco deriuatur concretum æquiuoce acceptum, sicut sanitas est nomen vniuocum, non tamen sanum deriuatum à sanitate, nam sanum primo dicitur de illo, quod habet sanitatem, scilicet, de animali, deinde vero de his, quæ vel causam, vel signa sunt sanitatis, ita ab eadem generatione vniuoce, quæ est abstractum, deriuatur concretum generati, quod est æquiuocum, dicitur enim de materia, quę est subiectum, & similiter de termino, qui est obiectum.

Ad secundum principale oppositæ sententiæ dico, quod non quicumque transitus à contradictorio in contradictoriũ est mutatio sed alia requiruntur, quæ dicta sunt supra, & ideo non sufficit, quod conuersum ab esse transeat in non esse. Secundo dico, quod esse & non esse panis non sunt per se termini transubstantiationis, sed esse panis vel transubstantiati, & esse termini in quem transubstantiatur aliquid, vel conuertitur, & ideo adhuc non est mutatio.

Ad tertium patet per prædicta, quia conuersum non se habet aliter nunc quam prius, quia prius se habebat, nunc autem non se habet, quia non est.

Ad quartum dico, quod in transubstantiatione non manet subiectum commune vtrique termino tam quam affirmationi, & negationi, & hoc sufficienter impedit ne sit mutatio, & cum dicitur, quod corruptum dicitur mutatum, & tamen non manet, &c. Iam responsum est quomodo corruptum potest dici mutatum, scilicet, per accidens ratione materiæ, &c.

Ad quintum dico, quod corpus Christi verè, & propriè mutatur, quando fit ibi præsens per transubstantiationem, non tamen mutatur per transubstantiationem, sed per mutationem propriè dictam, vt latius patuit d. 10. quæst. prima, art. secundo.

QVAESTIO II.

Vtrum sit possibile quodlibet ens conuerti in quodcumque aliud ens.

Conuersio secundũ omnes Theologos est, quid communius transubstantiatione, quia transubstantiatio est conuersio substantiæ in substantiam, sed conuersio est communius, est namq; transitio totalis vniuscuiusq; alterius à substantia, vel in quodcumq. aliud à substãtia, ac etiam substantię in substantiam: Vnde obser. est primo, quod conuersio est transitio totalis vnius entis in aliud ens non dico substantiæ in substantiam, nec accidentis in accidens; quoniã transubstantiatio est transitio totalis substantiæ in substantiam ad quam requiritur, quod vterque terminus sit substantia; Transaccidentatio autem est transitio totalis vnius accidẽtis in aliud accidens, ad quam requiritur, quod vterq; terminus sit accidens, transubstantiatio, accidentatio est, si terminus à quo fuerit substantia, & terminus ad quem fuerit accidens transaccidentis transubstantiatio est si terminus à quo fuerit accidens, & terminus ad quem fuerit substantia. — *Conuersio quid sit.*

Secundo obs. est ad veram conuersionem quatuor conditiones requiri, prima vt aliquid desinat esse, non enim est intelligibile, vt vnum conuertatur in aliud, nisi id quod cõuertitur desinat esse, quod antea erat. Hinc D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 18. docet non fuisse veras conuersiones illas, quas gentiles iactabant factas à suis Magis, vt Arcadũ in lupos, sociorum Diomedis in aues, sociorum Vlyssis in varias bestias, Iphygeniæ in ceruam, & alias similes, nam cum Iphygenia inuenta esset alibi viua post conuersionẽ in ceruam intelligi potuit non vere eam conuersam fuisse, sed Dæmonis arte subito inde abductam, & in eius locum ceruam substitutam. — *Ad veram conuersionem quot conditiones requirantur. D. Aug.*

Obs. est tamen ad conuersionẽ non requiri, vt desinat esse nisi id, quod conuertitur, atque adeo si id quod conuertitur sit aliquod compositum, satis est vt desinat esse ipsum compositum etiam si forte pars aliqua, vel etiam omnes post dissolutionem compositi maneant; nam & Phi. vere dicunt aquam conuerti in aerem, licet materia remaneat, quia quod conuertitur est aqua, non materia, & vere post

conuersio-

Digitized by Google

conuersionem non remanet aliquid, quod sit aqua, vel quod fuerit aqua; at si id quod conuertitur non solum sit compositum, sed etiam partes eius, tunc etiam partes debent simpliciter desinere esse, & hoc fit in Eucharistia; nam ideo Concil. Tridentin. dixit conuersionem fieri totius substantiæ panis, id est, tam formæ, quam materiæ.

Conc. Trid.

Secunda conditio est, vt aliquid succedat ei, quod desinit esse, nõ tamen est necesse, quod succedat in eius locum, nam licet conuersio dicat desitionem alicuius rei, & successionem alterius (alioquin si nihil succederet non esset conuersio, sed corruptio, vel annihilatio) tamen non est necesse quod id quod succedit per conuersionem succedat in locum eius, quod desinit esse, quantum est ex ratione conuersionis, sed hoc contingit quatenus conuersio est adductiua; nam conuersionis secundum se consideratæ non est de essentia, quod in locum eius, quod conuertitur succedat id, in quod dicitur conuerti; licet oppositum doceat Ocham citatus à Gab. lect. 40. in canon. nam illud dicitur succedere, quod ad desitionem alterius nouum esse recipit, aut in esse quod habet conseruatur, ita quod nisi aliud desineret ipsum non reciperet nouum esse, nec in esse, quod habet conseruaretur, ex quo sequitur, quod verme corrupto non succedit Sol in cœlo, quamuis corrupto verme conseruetur; maneret enim nihilominus si vermis corruptio non præcessisset. Secundo sequitur, quod de ratione successionis non est quod succedens sit in eodem loco, in quo fuit id, cui succedit; Vnde si Deus conseruaret Solem in cœlo ad destructionem alicuius animalis in terra alias non conseruaturus, Sol quantum ad esse in quo conseruatur succederet animali, & animal desinens conuerteretur per consequens in Solem; Tertio sequitur, quod non est de ratione successionis, vt sit aliqua nouitas in succedente; quia si res aliqua in suo esse, quod habuit sine sui mutatione conseruaretur ad corruptionem alicuius rei alias non conseruande, illa succederet rei corruptæ, sine sui mutatione, & qualibet nouitate; hæc est doctrina Scot. in quolib. quæstione decima.

Ocham.

Scotus.

Tertia conditio est, vt sit connexio quædam, & dependentia inter desitionem vnius, & successionem alterius, ita vt vnum desinat, & alterum succedat, & vi desitionis fiat successio, nam si ista non essent connexa non esset vna actio, quæ dici posset conuersio, sed essent duæ actiones per accidens se concomitantes, quarum vna annihilatio, altera creatio, vel conseruatio diceretur, vt exempli gratia. Si Deus annihilaret lapidem, & deinde vbi fuit lapis crearet Angelum nulla ibi esset conuersio; at conuersio esset si illa ipsa actio, per quam desijt esse lapis in eius locum, vel sibi Angelus succederet.

Quarta conditio est, vt tam terminus à quo, quam terminus ad quem sit vere positiuus, in hoc enim distinguitur perfecta conuersio, non solum à creatione, & annihilatione, sed etiam à naturali conuersione, licet ex vno fiat aliud, vt ex aqua aer, & proinde sit aliquando vterque terminus positiuus, tamen quia non introducitur forma aeris in materia aquæ, nisi ea disposita sit per certas qualitates; inde est, quod præcedit priuatio formæ aeris in materiam aquæ ipsam introductionem formæ aeris; Tunc enim materia dicitur priuata cum habeat dispositionem ad formã; atque adeo terminus à quo in tali conuersione non tam est aqua, quam priuatio aeris, & proinde terminus à quo non est positiuus, sed priuatiuus proprie loquendo.

Tertio obs. est ens diuidi vt ad propositum spectat in ens increatum, & in ens creatũ, ens increatũ est Deus, ens creatum diuiditur in substantiam & accidens, substantia vero in simplicem & compositam, substantia simplex in substantiam integram per se subsistentem, vel existentem, vt sunt Angeli, & anima, vel partialem, vt sunt materia, & forma; Accidens vero diuiditur in absolutum, & respectiuum, vt de se patet, potest ergo esse quæstio an ens creatum possit conuerti in ens increatum, & è contra; vel substantia composita in simplicem, & è conuerso; an composita in compositam, vt corpus in corpus; an substantia in accidens & è conuerso; an accidens absolutum in respectiuum, & è conuerso; & de omnibus his erit sermo in hac quæstione, & secundum hoc diuiditur hæc quæstio in quinque articulos.

Primus Articulus. Vtrum Creatura quæcumque possit conuerti in Deum, vel è conuerso Deus in creaturam.

Secundus art. Vtrum creatura spiritualis conuerti possit in spiritualem.

Tertius art. Vtrum creatura corporalis possit conuerti in spiritualem, et è conuerso.

Quartus art. Vtrum omnis creatura corporalis possit conuerti in corporalem.

Quintus art. Vtrum absolutum possit conuerti in relationẽ, vel relatio in relationem, et è conuerso.

ARTICVLVS I.

Vtrum creatura quæcumque possit conuerti in Deum, vel è conuerso Deus in creaturam.

DE hac re fuit quorumdam opinio affirmantium creaturam aliquam siue corporalem, siue spiritualem posse in Deum, vel diuinam substantiam conuerti; quod his probant rationibus, quæ ponuntur à Doct. in principio quæstionis. Non repugnat personæ diuinæ terminare aliquam rationem realem, ergo non repugnat terminare conuersionem alicuius creaturæ in ipsam; consequentia patet, quia non magis repugnat Deo terminare vnam actionem realem quam aliam, antecedens patet, quia Verbum diuinum terminat actionem incarnationis, consequentia probatur, quia non magis repugnat Deo terminare conuersionem, vt terminum ad quem, quam terminare aliquam actionem realem, sed non repugnat Deo terminare aliquam actionem realem immanentem, vel transeuntem, vt intelligere, & velle creatum, quæ terminantur ad obiectum diuinum, vel incarnationem, quæ terminatur ad Verbum.

Secundũ probatur. Non repugnat diuinæ naturæ aliquam terminare actionem, quæ non requirit in termino mutabilitatem, possibilitatem, nec finitatem, sed transubstantiatio est huiusmodi, ergo diuinæ naturę non repugnat terminare transubstantiationem; maior patet, quia non repugnat naturæ diuinæ terminare intellectionem, & volitionem, pro tanto, quia illæ actiones non requirunt mutationem, possibilitatem, nec limitationem in termino, vel in obiecto, minor probatur: quia transubstantiatio non requirit terminũ suum mutari, quoniam vt diximus supra, panis conuerti potest in corpus Christi manens in cœlo, nec incipiens esse in sacramento; nec per consequens possibilitatem aliquam in termino, nec requirit termino suo aliquid addi, & per consequens nec finitatem, nec compositionem, vel incompossibilitatem.

Præterea tertio. Illud non est impossibile, quod non implicat contradictionem, sed creaturam in Deum conuerti non implicat cõtradictionem, ergo, &c. maior patet, & minor ostenditur, quia non implicat contradictionem creaturam esse Deum, puta hominem esse Deum. Ex his potest argui, quod Deus possit conuerti in creaturam. Non.n. magis repugnat Deo conuerti in creaturam, quam creaturæ in Deum, sed creatura conuerti potest in Deum, vt probatũ est, ergo Deus potest conuerti in creaturam; maior patet, quia æqualis distantia, vel proportio, siue improportio est vtrobique. Cæterum hæc opinió sustineri non potest; ideo arguo contra eam, & primo probo, ꝙ repugnat Deo conuerti in creaturam, & primo sic. Deus est simpliciter necesse esse, sed simpliciter necesse esse repugnat conuerti in aliud, ergo Deus non potest conuerti in creaturam, maior patet, & minor probatur; et quod est simpliciter necesse esse repugnat non esse, sed quod conuertitur per conuersionem desinit esse, vt dictum vt supra, ergo Deo, qui est summe necesse esse repugnat conuerti in aliud.

Secundo arguitur. Transubstantiatio, vel cõuersio vnius entis in aliud possibilis est solum virtute diuina, vt dictum est in q. præcedenti ar. 2. & 4. ex hoc sic arguo. Impossibile est conuertens aliquid in aliud eadem conuersione conuerti in illud, tunc.n. se ipsum in illud conuerteret, atque ita se ipsum destrueret, sed solus Deus potest aliquid in aliud conuertere, & conuerti, ergo impossibile est quod tali cõuersione in aliud conuertatur.

Tertio arguitur. Illud quod potest in aliud conuerti totaliter quantum ad esse, vel non esse subest potestati, & vir

tui convertentis, vt dictum est supra q. 2. ar. 2. sed diuinum esse non subest potentiæ diuinæ, ergo non potest in aliud conuerti; maior probatur, quia nulla res potest conuerti in aliam nisi esse, & non esse vtriusque rei totaliter subsit virtuti conuertentis, vt dictum est quæst. præcedenti ar. secundo, & tertio, minor etiam probatur, quia nihil intrinsecum Deo subest alicuius virtuti, imo neque potentiæ diuinæ, tum quia potentia diuina non respicit pro obiecto nisi possibile, & quicquid est Deo intrinsecum est necesse esse; tum etiam quia idem est esse Dei, & sua virtus.

Secundo probo, quod nulla creatura potest conuerti in Deum, & primo sic. Necesse esse simpliciter immutabile non potest esse primo terminus alicuius mutationis, vel quasi mutationis realis; quia necesse esse semper necessario est necesse esse; sed omne illud in quod potest aliud cõuerti, vel transubstantiari est possibile esse, & terminus mutationis, vel quasi mutationis esse potest, ergo Deus nõ potest esse terminus ad quem conuersionis, vel transubstantiationis; maior patet, & minor probatur, quia licet conuersio non sit proprie mutatio, est tamen quasi mutatio realis, quæ est idem realiter (vt præsuppono) cum termino ad quem, & in quem aliud conuertitur, ergo sicut conuersio est possibilis esse, ita & terminus ad quem conuersionis, cũ quo conuersio ipsa est idem realiter, est possibilis esse, sed hoc Deo repugnat, ergo, &c.

Secundo arguitur. Impossibile est agens, & per se terminum realem alicuius mutationis, vel quasi mutationis esse idẽ, sed Deus est agens cuiuslibet cõuersionis, vel mutationis, seu quasi mutationis, igitur impossibile est ipsum esse terminum ad quem talis conuersionis, atque ita nihil potest conuerti in ipsum. maior patet de creatione, & de quacumque alia mutatione, vel quasi mutatione, impossibile enim est, quod aliquid creet, vel generet, vel producat se ipsum; minor est manifesta: quoniam vt dictum est supra, transubstantiatio, vel conuersio totalis vnius entis in aliud est solum possibilis virtute diuina.

Tertio arguitur. Non minus esse termini ad quem est in potestate conuertentis quam esse, vel non esse termini à quo, sed in potentia Dei non est suum esse, nec est in obedientiali potentia respectu sui ipsius. igitur non potest esse terminus conuersionis, ita quod in ipsum nihil potest conuerti; præterea Deus non potest conuerti in aliud, ergo neque aliud in Deum antecedens patet, cum id quod conuertitur destruatur, Deus vero destrui non potest, vt ostensum est supra; consequentia probatur, quia termini conuersionis possunt esse sibi inuicem termini.

Præterea Deus non potest produci de nouo, ergo nihil potest conuerti in Deum, antecedens est notum, quia contra immutabilitatem, necessitatem, & infinitatem Dei est, quod possit esse terminus alicuius actionis proprie dictæ de genere actionis; terminus enim actionis de genere actionis est aliquid, quod accipit esse per illam actionẽ; consequentia etiam probatur: quia id quod conuertit habet facultatem corrumpendi terminum à quo, siue id quod cõuertitur, & producendi terminum ad quem, siue illud in quod fit conuersio.

Ad rationes oppositæ sententiæ respondetur, & ad primam dico, quod antecedens est falsum, neque enim Deus potest esse terminus nouæ actionis, seu productionis realis, ad probationem dicit Doct. quod duo includuntur in incarnatione, primo enim includitur actio, & productio realis, & secundum hoc incarnatio non terminatur ad Verbum diuinum, sed ad naturam humanam, quę producitur sub vnione. Secundo includitur in incarnatione relatio vnionis, quæ est in natura humana, & terminatur ad Verbum diuinum; quamuis autem sit inconueniens Deum esse terminum nouæ actionis, & productionis, vt patet ex superioribus, non est tamen inconueniens, quod sit terminus nouæ relationis; certum est enim quod Deus est terminus nouæ relationis, quę est in creatura ad ipsum. Contra filius Dei est incarnatus, ergo est subiectum, vel terminus illius actionis; quia incarnari significat passionem, quam oportet ponere in subiecto, vel termino. Et præterea cuilibet actioni respondet propria passio, sed tres personæ diuinæ incarnabant actione proprie dicta, ergo respondet illi actioni passio proprie dicta, hoc autem est incarnatum esse, ergo filius Dei est subiectum, vel terminus illius actionis.

Ad primum respondet Doct. quod incarnatum esse, vel vnitum esse carni in vnitate personæ, & hoc secundum quod vnitum esse dicit relationem non realem, sed rationis, tantum in Verbo diuino, quamuis in natura humana sit relatio realis ad Verbum vnitum. Vult dicere Doct. quod incarnationem esse prout dicit vnitum esse carni in vnitate personæ est terminus totalis vnitionis, seu actiuorum incarnationis, nam ipsa vnitione fit Verbum homo, adeo quod Verbum homo, seu hoc totum vnitũ carni in vnitate personæ terminat incarnationem actiuam; sed hoc esse vnitum in Verbo non dicit nisi respectum rationis.

Ad secundum dicit, quod actioni Trinitatis correspondet aliqua passio realis, illius tamen subiectum est natura humana, & terminus est aliquid in natura humana, videlicet vnio formalis naturæ illius ad Verbum, quæ vnio est realiter in natura humana, ita quod vnio Trinitatis, siue magis vnitio, quæ est actio Trinitatis est ad vnionem formalem naturæ humanæ ad Verbum, quæ vnio formalis est terminus formalis vnitionis, terminus vero totalis est Verbũ homo, vel hoc totũ vnitũ carni in vnitate personæ. Et cum dicitur, quod incarnatum esse dicit passionem, sicut incarnare actionem. dicit, quod quamuis incarnari, vel incarnatum esse grammatice importet passionem propter modum significandi, tamen non importat illam realiter in eo de quo dicitur, hoc est non importat illam passionem realiter in Verbo, sed tantum in natura humana, quã connotat verbo diuino vniri, eo quod dicitur esse subiectum passionis importatæ realiter per incarnari, quæ quidem passio correspondet actioni, quam importat incarnare.

Ad secundum dicit Doct. quod est contra immutabilitatem, necessitatem, & infinitatem cuiuscumque, quod possit esse terminus alicuius actionis proprie dictæ de genere actionis; & cum probatur de actionibus intelligendi, & volendi, dicit quod hoc non est ad propositum, quia sicut dictum est in lib. 1. ad 3. qõ. vlt. istæ non sunt actiones, sed operationes, nam per actionem de genere actionis aliquis terminus accipit esse simpliciter si producatur; per intellectionem autem nullo modo obiectum intellectum accipit esse, imò præsupponitur omnino ipsi intellectioni, & hoc ideo, quia istæ operationes, quæ dicuntur actiones sunt vltimi termini, non autem gratia aliorum terminorum, id est, sunt quidam effectus per quos non producuntur alij effectus. Posset etiam dici, quod licet conuersio non arguat in suo termino mutationem actualem, tamen arguit possibilitatem mutationis, vel quasi mutationis, quæ simpliciter repugnat Deo, & potentialitatem, & excludit ab ipso necessitatem essendi, sicut ostensum est supra. Posset etiam dici, quod licet conuersio non arguat mutationem in termino ad quem, tamen Deo repugnat, sicut creatio non arguit mutationem proprie, cum creatio non sit mutatio, & tamen Deus non potest esse terminus creationis.

Ad tertium, quod repugnat, & implicat contradictionẽ aliquid fieri Deum per conuersionem totalem alicuius in ipsum, vel è conuerso, sicut implicat contradictionem aliquid esse necesse esse, & possibile esse; Et cum dicitur, quod non repugnat Creaturam esse Deum; dico, quod Creaturam esse Deum (si tamen hoc concedatur) potest dupliciter intelligi; vno modo per vnionem hypostaticam creaturæ ad Deum, & per communicationem idiomatum; Et dixi si hoc cõcedatur, quoniam communiter negatur hæc propositio. Christus est creatura, sicut dictum est in tertio; Alio modo potest intelligi per identitatem, sic quod nihil sit ibi nisi Deus, & eo modo quo dicimus creaturam posse fieri creaturam aliam per conuersionem, & isto modo est impossibile, si non est ibi dare nisi Deum, creatura non est Deus, quia creatura non est, & similiter non sit Deus sicut probatum est supra.

Ad quartum quo probatur, quod Deus potest conuerti in creaturam, patet responsio ex dictis.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum Creatura spiritualis conuerti possit in spiritualem.

Durandus. DVrandus in 4. d. 11. q. 2. dicit, quòd non quodlibet potest conuerti in quodlibet, sed tantum ea, quæ communicant in materia; vnde habet Durandus hoc fundamentum, quòd nulla creatura potest totaliter conuerti in aliam, sed necessario (inquit) debet manere aliquod subiectum cõmune sub vtroque termino cõuersionis; huiusmodi autem subiectum non potest esse nisi materia; ex quo deducit ꝙ illa, quæ in materia non communicant non possunt inuicẽ conuerti; ex quo fundamento habet dicere, quòd Deus de potentia sua nullam creaturam spiritualem potest in aliam conuertere, quod probat sic. In omni conuersione debet manere aliquid illius, quod conuertitur in alio in quod conuertitur; sed nihil vnius Angeli potest manere in alio, ergo Angelus non potest in alium conuerti; probatur maior, quia si nihil manet illius, quod conuertitur, non erit conuersum, sed nihil; minor patet: quia cum Angelus non habeat materiam nihil vnius Angeli poterit in alio manere, & hoc argumentum probat, quòd nec materia potest conuerti in formam substantialem, nec è contra; præterea arguit secundo. Creatura spiritualis non potest produci nisi per creationem, sed conuersio vnius in aliud non est creatio, ergo creatura spiritualis non potest produci per conuersionem alterius in ipsam.

Tertio arguitur. Illa non possunt conuerti ad inuicem, quorum vnum non est in potentia ad aliud, sed creatura spiritualis non est in potentia ad creaturam spiritualem, ergo non possunt ad inuicem conuerti; consequentia patet cum minori, & probatur maior, quia posse in aliud conuerti dicit potentialitatem ad illud.

Scotus. His tamen non obstantibus tenenda est concl. Doct. ꝙ Deus potest vnam creaturam spiritualem in aliam conuertere, quæ potest sic probari. In cuius potestate est totale esse, vel non esse rei in eius potestate est conuersio vnius rei in aliam; sed in potestate Dei est totale esse, vel nõ esse creaturæ spiritualis, ergo potest vnam creaturam spiritualem in aliam conuertere & confirmatur. Non est magis impossibile, vel minus possibile Deo conuertere vnum Angelum in alium, quam creare vnum Angelum postquam non fuit, quia non est maior repugnantia, vel incompossibilitas entis ad ens, quam non entis ad ens, nec minus ordinatur ens ad ens, quam non ens ad ens, sed Deo est possibile primum ergo & secundum.

Pro solutione tamen argumentorum Durandi recolere oportet, vt supra q. superiori adnotauimus, quòd annihilatio differt à conuersione vnius in aliud; annihilatio enim lapidis, verbi gratia, terminatur ad non esse lapidis, conuersio autem lapidis in lignum non terminatur ad non esse lapidis, sed ad esse ligni, ideoq. conuersio lapidis non est annihilatio, quia licet nihil lapidis maneat, eius tamen desitio non terminatur ad non esse sui, sed ad esse alterius rei; ex quo patet solutio ad primum illius argumentum; quamuis enim non maneat aliquid illius, quod conuertitur, non tamen ideo annihilatur, quia desitio eius terminatur ad esse alterius rei, in quam fit conuersio, indeq. patet differentia inter annihilationem vnius Angeli, & destructionem alterius per conuersionem in alium, quia destructio vnius terminatur ad non esse Angeli, atque ita est annihilatio; desitio vero alterius terminatur ad esse alterius Angeli, & propterea non est annihilatio, sed conuersio in alium.

Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem dicitur, quòd de potentia Dei ordinata creatura spiritualis non producitur nisi per creationem, tamen per potentiam Dei absolutam bene potest produci per conuersionem.

Ad tertium dico, quòd quamuis creatura spiritualis non sit in potentia naturali ad aliam creaturam spiritualem, est tamen in potentia obedientiali ad Deum, vt de illa faciat quicquid non inuoluit contradictionem; transubstantiatio autem respectu Dei non inuoluit contradictionem, vt probatum est in prima quæst.

ARTICVLVS III.

Vtrum Creatura corporalis possit conuerti in spiritualem, & è conuerso.

Durandus. DVrandus vbi supra tenet, quòd creatura spiritualis in corporalem conuerti non potest, neque è conuerso, & hoc probat primo sic. Eorum quorum vnum non est in potentia ad aliud, vnum non potest in aliud conuerti, sed creatura spiritualis non est in potentia ad corporalem, neque è conuerso, quia non habent materiam communem, quæ est potentia vnius ad aliud; est enim potentia passiua transmutandi vnum substantialiter in aliud, ergo, &c.

Secundo sic. Illa substantia, quæ non potest sortiri conditiones alterius, non potest in aliam conuerti, sed creatura spiritualis non potest sortiri conditiones, vel proprietates creaturæ corporalis, nec è conuerso sicut Angelus proprietates lapidis, nec è conuerso, ergo &c.

D. August. Boetius. Tertio sic. Quia ad hoc videtur expressa sententia Aug. 7. super Gen. ad litteram, c. 4. & Boetij de duabus naturis, & vna persona Christi, c. 7. dicentium nullo modo corpus posse conuerti in spiritum, nec è conuerso. Authoritas D. August. est illa. Omne corpus posse in omne corpus mutari, non defuerunt, qui assererent; corpus autem aliquod conuerti in animam, fierique materiam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides habet; & expressius hoc asserit in eodem libro, c. 10. & 26 Vbi inquit, omne corpus in omne corpus mutari credibile est, quodlibet autem corpus posse mutari in animam credere absurdum est. Boetius autem vbi supra in ea parte, in qua disputat contra Euthicem dicit. Neque corporea substantia in corpoream mutari potest, nec incorporeæ in se inuicem proprias formas mutant, sola enim in se mutari possunt, quæ habent vnius naturæ subiectum commune; hæc ille. & quid clarius?

Scotus. Sed his non obstantibus sententia Doct. tenenda est tam quã certissima, scilicet, quod virtute diuina potest vna creatura corporalis conuerti in spiritualem, & è conuerso, quod probatur sic, illa quorum esse, & non esse cuiuslibet sunt in plena obedientia respectu virtutis diuinæ possunt in inuicẽ conuerti; non obstante quod neutrum habeat materiam, nec aliquod commune intrinsecum vtriusque, sed creatura corporalis, & spiritualis sunt huiusmodi, ergo possunt in inuicem conuerti.

Secundo arguitur sic. Non magis repugnat, nec contradictionem inuoluit spiritualem creaturam in corporalem conuerti, & è conuerso, quam vnam corporalem in aliam corporalem, quia possunt dari duæ creaturæ corporales, quæ non habeant aliquod commune nec vniuocum, nec intrinsecum, sicut substantia corporea, & quantitas, sed creatura vna spiritualis potest habere aliquod commune vniuocum, saltem cum alia corporali, sicut patet, quia ambo possunt contineri in genere substantiæ, sed corporalis in corporalem conuerti potest, vt ipsemet Durandus concedit, & probabitur infra, ergo &c.

Tertio arguitur. Si creatura corporalis non posset conuerti in corporalem, & è conuerso, hoc esset quia vna non est in potentia transmutabili ad aliam, quia spiritualis non habet materiam, sed illud non impedit, quia conuersio non est mutatio, nec actus materiæ, sicut dictum est supra, vnde licet vna non possit conuerti in aliam per generationem, non sequitur, quòd non possit conuerti per transubstantiationem.

Quarto arguitur. Creatura corporalis, scilicet lapis potest virtute diuina totaliter desinere esse, quia potest annihilari, & creatura spiritualis, scilicet Angelus potest virtute diuina incipere esse totaliter, quia potest creari, & hoc non potest negare Durandus. Sed ad hoc quod lapis conuertatur in Angelum nihil aliud requiritur, nisi quòd desitio lapidis terminetur ad esse Angeli, ergo lapis potest conuerti in Angelum; patet consequentia, quia nulla est repugnantia in hoc, quod desitio lapidis terminetur ad esse Angeli, non enim ponitur aliquid lapidis in Angelo per istam desitionem, vel conuersionem.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dico, quòd licet vnum non sit in potentia transmutabili ad aliud secundum aliquam mutationem propriè dictam, quæ fit actus subiecti, vel materiæ manentis sub vtroque termi-

no,

no, tamen vna potest conuerti in aliam, & possibilis est desinere esse in aliam, in qua dicitur conuerti, neque ad hoc requiritur materia communis in vtroque.

Ad secundum dico, quòd non oportet conuersum sortiri conditiones eius in quod conuertitur, sicut nec manere, sed sufficit ꝙ illud in quod conuertitur habeat proprias conditiones, & aliud in ipsum conuertatur, sicut patet ꝙ non oportet, ꝙ panis habeat conditiones corporis Christi, licet possit conuerti in ipsum.

Ad tertium respondet Doct. in quolib. q. 10. & ad Augustinum dicit, ꝙ intentio D. August. est probare ꝙ anima in prima productione non sit producta de materia, vel de aliquo corpore, quod probat inductiuè de omni corpore, & hoc verum est; non vult tamen negare D. Augustinus, quin Deus possit conuertere corpus in animam, quia nulla est repugnantia, nec contradictio, adeo ꝙ loquitur ibi D. Augustinus de facto, non de possibili, id est, negat corpus in animam esse conuersum; sed contra, sicut omne corpus in corpus mutari est possibile secundum D. Augustinum, ita corpus in animam mutari est impossibile, sed corpus in corpus mutari est præcisè possibile Deo; ergo corpus in animã mutari est impossibile.

Maior est D. Augustini dicentis, id esse impossibile de spiritu respectu Dei, quod dicit esse possibile de corporibus; minor patet: quia tota natura creata non posset conuertere cœlum in ignem, nec è contra, & per hoc patet, ꝙ nulla est responsio ad auth. D. Augustini, & Boetij, quam affertũc Hen. de Gand. in quolib. & Ægidius de Roma quol. 1. q. 4. scilicet ꝙ D. Augustinus, & Boetius loquũtur in comparationem ad potentiam creatam; quoniam nulla virtus creata, vt inquit hic Doct. potest quodcunque corpus conuertere in quodcumque: transsubstantiatio enim est solum possibilis per potentiam infinitam.

Ad argumentum tamen contra solutionem respondet Doct. in quoli. vbi supra, ꝙ Augustinus non intendit, quòd conuersio in spiritum sit simpliciter impossibilis, quoniam hoc falsum est, sed vult ꝙ hoc est impossibile comparatiuè: Vnde duplex potest dari impossibile, scilicet simpliciter, & est cuius impossibilitas habetur ex ratione formali extremorũ, vt hominem esse asinum; & in respectu, & est cuius impossibilitas sumitur in cõparatione ad alterum, vt si Rex nõ potuit expugnare castrum; impossibile est militem illud expugnare, non tamen est simpliciter impossibile, & per oppositum possibile est duplex, scilicet simpliciter cuius possibilitas sumitur ex ratione formali eius, vt hominem videre; & in respectu, & est cuius possibilitas sumitur per comparationem ad aliud impossibilius, verbi gratia lapidem, animal cæcum, & catulum ante nonum diem impossibile est videre; in istis tamen semper posterius est possibile respectu prioris, quia in posteriori non remanet illa ratio, quæ est præcipua ratio impossibilitatis in priori.

In cane ante nonum diem est vna ratio, quare non potest videre, scilicet, quia natura nondum disposuit organum visus in eo, sed disponitur vt post nonum diem videat; In animali excæcato est duplex ratio impossibilitatis videndi, & non deficit sibi nisi vna earum, quæ sunt in lapide, puta negatio aptitudinis, quia priuatio est in subiecto apto nato, prima ratio nõ videndi in animali cæco est, quia non habet organum dispositum, secunda quia habet organum destructum. In lapide non solum non est dispositio organi; nec solum est destructio eius, sed etiam omnino caret organo, & aptitudine ad videndum, ergo lapidem videre est simpliciter impossibile, hominem cæcum videre erit possibile in comparatione ad lapidem, tñ naturaliter non potest videre.

Ad propositum modo ignem conuerti in cœlum habet multas rationes impossibilitatis, prima est quia ista corpora carent qualitatibus actiuis, & passiuis formaliter, vel virtualiter oppositis, quæ sunt principia transmutandi se inuicem, non enim recipiunt peregrinas impressiones. Secunda ratio impossibilitatis est, ꝙ ista corpora non habent subiectum receptiuum transmutationis, puta materiam, quia cœlum non habet materiam secundum Philosophum 8. Meta. & conuersio naturalis requirit simul materiam communẽ, & qualitates actiuas, & passiuas; Corpus autem conuerti in animam, vltra istas duas rationes impossibilitatis habet etiam tertiam rationẽ impossibilitatis, quia scilicet corpus, vt cœlum est extensum, anima autem, vel Angelus non est extensus, atque ita non conueniunt in aliquo, quòd natum sit manere commune in transmutatione, nec habent qualitates actiuas, & passiuas, & Angeli, & anima non sunt extensi; ad hoc quod possint conuerti in corpus, ex his ergo patet, quòd nõ concludit corpus conuerti in animam esse impossibile simpliciter, sed tantum in respectu; quia illud non est ita possibile sicut corpus conuerti in corpus.

Et hoc est ꝙ vult dicere Doct. hic, quando, inquit, quod quot sunt rationes repugnantiæ, tot sunt rationes impossibilitatis, & vna illarum remota est aliqua possibilitas, quæ prius non fuit; non quidem possibilitas simpliciter; sed ex parte illius impossibilitatis remotæ, verbi gratia, potentia visiua nõ potest recipere intellectionem propter duas causas; prima: quia intellectio est inextensa, & potentia visiua extensa; modo inextensum non potest recipi in extenso; secunda causa est, quia intellectus potest intelligere vniuersale, atque adeo intellectio potest esse vniuersalis, sed potentia visiua est tantum singularium, atque ita non potest habere cognitionem terminatam ad naturam vniuersalem; sed si secludatur vna istarum rationum impossibilitatis, puta dicendo ꝙ potentia visiua potest cognoscere vniuersale, tunc diceremus ꝙ visus habet potentiam ad intelligere, non simpliciter, sed secundum quid, quia haberet possibilitatem quantum est ex parte illius causæ, & si aliunde non haberet impedimentum posset intelligere; at quia remanet alia ratio impossibilitatis; simpliciter esset impossibile, diceretur tamẽ possibile, quia illa ratio impossibilitatis in potentia, quæ est extensa, & quæ non potest cognoscere vniuersale, non est ratio impossibilitatis in potentia, quę posset cognoscere vniuersale.

Ad propositum, Omne corpus habet quandam non repugnantiam, vt conuertatur in corpus, quia habet materiã, & quantitatem, & similes rationes concurrentes ad conuertibilitatem; spiritus autem habet oppositas rationes istis; habet enim duas causas, quare non potest conuerti virtute agentis naturalis, prima quia spiritus non habet quantitatem, neque materiam, quæ requiruntur ad hoc quod agens naturale agat; secunda causa est: quia spiritus non potest corrumpi ab aliquo agente naturali, siue creato, ergo licet sit impossibile simpliciter corpus cœleste conuerti in elementare isto modo, quo impossibile est spiritum conuerti in ignem, quia respectu agentis cuiuscumq; creati vtrumque est impossibile; respectu tamen agentis increati, sicut vnum est possibile, ita & aliud, tamen illud dicitur possibile, & aliud impossibile, quia hic est aliqua ratio impossibilitatis, quæ non est ibi.

Hæc est responsio Doct. quæ vtique subtilis est, verumtamen intelligenda est respectu potentiæ creatæ, & naturalis, respectu cuius potest concedi, ꝙ vnum est magis possibile altero, tamen respectu diuinę potentię, cui omnia subsunt, vnum non est magis possibile altero; nam ex pluribus causis non habet corpus, ꝙ possit conuerti in corpus, quam in spiritum, loquendo de conuersione in proposito nostro, nam omne sic conuertibile siue habeat materiam, siue non, ex hoc præcisè est conuertibile, quia est in plena obedientiali potentia, & suum esse, vel non esse totale, est totaliter in virtute primi agentis, & hæc est præcisa causa, non per hoc quod habeat materiam partem sui, nam & ipsa materia conuertibilis est in aliam materiam, vel in formam, vt diximus supra. Augustinus ergo loquitur de vera mutatione naturali, atque adeo non vult negare D. Augustinus, quòd Deus possit conuertere corpus in animam, scilicet annihilando illud corpus, & in eodem instanti creando animam, sed vult dicere, ꝙ hoc in prima rerum productione non fuit factũ; patet quia in eodem instanti, in quo anima Adæ fuit creata, de qua loquitur ibi Augustinus, non fuit creata de aliquo corpore, sic quòd in eodem instanti, quo fuit creata, aliquod corpus fuit annihilatum, cui immediatè succederet.

Ad authoritatem Boetij dicit Doct. ꝙ Boetius vult ad conuersionem requiri duas conditiones, primam ꝙ ea, quæ conuertuntur in inuicem habeant naturam communem; secunda ꝙ habeãt qualitates oppositas actiuas, & passiuas, secundum quas agunt, & hanc secunda conditionem innuit cum dicit, sed ea tantum, quæ in se facere, & pati possunt, ex quibus patet, quòd non loquitur de conuersione possibili Deo, sed naturali, & immediata, & sic æs (inquit Boetius) non potest in lapidem conuerti, nec acetum in vinum, sed requiruntur multi processus, & sic patet ꝙ auth. Boetij non est ad propositum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnis creatura corporalis possit conuerti in corporalem.

FVit aliquorum opinio affirmantium substantiam aliquam corporalem conuerti posse in aliam, vt panis substantiam in corpus Christi, veruntamen non omnem substantiam corporalem in quamcumque, quod probant primum de cœlo; quia cœlum cum non sit transmutabile ad substantiam non potest conuerti in aliam substantiam.

Præterea secundo. Si potest conuerti quælibet substantia in quamlibet substantiam, eadem ratione posset conuerti forma substantialis in aliam, atque ita conuerteretur sensitiua bruti in vegetatiuam plantæ, & è contrario, quod est impossibile, quoniam tunc brutum non esset brutum, & planta non esset planta.

Tertio. Quantitas non potest conuerti in quantitatem, puta quantitas panis in quantitatem corporis Christi, nam sequeretur, quòd corpus Christi esset in altari modo quantitatiuo, & dimensiuè, sicut per conuersionem substantiæ est ibi non dimensiuè, nec quantitatiuè.

Sed hæc argumenta non concludunt, ideo dicendum est, quòd Deus potest conuertere vnam creaturam corporalem in aliam: & probatur, quia vtrumq; extremum conuersionis subest potentiæ diuinæ, & quantum ad esse totale, & quantum ad non esse totale, ergo Deus potest vnam creaturam corporalem in aliam conuertere; secundo probatur: quia ad hoc quòd aliquid possit in aliud conuerti, non est necessarium nisi quod conuertens possit destruere vnum, & producere aliud, ergo cum Deus possit destruere quamlibet creaturam corporalem, & producere quamlibet, sequitur, quòd potest conuertere quamlibet creaturam corporalem in quamlibet aliam; antecedens patet ex dictis, consequentia verò ex eo patet, quòd licet causæ naturales possint corrumpere contraria, & generare sibi similia; in hoc tamē differunt à Deo, quòd omnes creaturæ sunt Deo plene subiectæ, ideoque Deus potest destruere quamlibet secundum se totam, aliæ verò causæ non possunt materiam primam destruere, ergo Deus potest conuertere quamlibet creaturam corpoream secundum se totam in quamlibet secundum se totam.

Ad argumenta in oppositum respōdetur; & ad primum dico, quòd licet cœlum non sit transmutabile mutatione naturali proprie dicta secundum generationem, & corruptionem, est tamen transmutabile quasi mutatione, scilicet conuersione totali, & hoc virtute diuina.

Ad secundum dico, quòd bene posset Deus conuertere animam sensitiuam in vegetatiuam, & è contra, sed hoc esset destruere brutum, vel plantam, quia non stat, quòd anima sensitiua bruti conuertatur in vegetatiuam plantæ, & quod brutum non corrumpatur, vt magis patebit in sequenti articulo.

Ad tertium respondet Docto. concedendo, quòd Deus posset conuertere quamlibet quantitatem maiorem in minorem, & è conuerso, & ad probationem respondetur, non esse necessarium, quòd substantia quæ producitur succedat in totum locum illius in quod fit conuersio, imò vt visum est supra d. 10. q. 1 Deus potest destruere panem in Eucharistia, & illud in quod fit conuersio panis ponere in alio loco. Contra quando aqua conuertitur in aerem per generationem, tunc aer succedit in locum aquæ, ergo idem dicendum est de conuersione. Respondet Doct. quòd quando ex aere generatur aqua, generatio aquæ est in materia prima, quæ fuit aeris, & quia materia manet in eodem loco in quo fuit aer, ideo aqua genita manet in eodem loco, at verò in conuersione totali nihil manet in eodem loco cuius causa vnus terminus possit succedere in locum alterius.

Contra materia prima non est causa, quare aliquid sit localiter in loco, sed quantitas, sed in aqua non manet quantitas, quæ fuit in aere, quia non manet eadem quantitas in generato, & corrupto, nisi vt materia, ergo quamuis eadē materia maneat, nō sequitur quòd aqua maneat in eadem loco: Pro solutione notat Docto. quòd aliquid esse in loco contingit dupliciter, vno modo definitiuè, alio modo circumscriptiuè; definitiuè est in loco Angelus, & similiter substantia, si non haberet quantitatem; circumscriptiuè verò est in loco corpus, quod ambitur loco. Secundo notat, quòd esse in loco definitiuè non competit ratione quantitatis, sed esse in loco circumscriptiuè; Ex his dicit, quòd materia prima prius natura, quam generetur aqua in illa est in loco, in quo fuit aer non circumscriptiuè, quia non habet quantitatem, sed definitiuè, eo modo, quo substantia potest esse in loco sine quantitate, & quia ibi est materia definitiuè, ideo ibi ponitur forma aquæ, & quantitas ipsius, à qua quantitate tam aqua, quam materia ponuntur in loco circumscriptiuè; quod si dicatur, ergo materia prima est ratio existendi in loco circumscriptiuè, siquidem est ratio quare ibi sit quantitas; Respondetur, quòd materia prima est ratio remota, proxima autem ratio est quantitas ipsius corporis, & hoc nullum est inconueniens: Posset etiam dici, quòd vbi agens inuenit passum, ibi informat ipsum, sed agens in generando non transmutat localiter, ergo informat ibi passum; & vbi passum informatur ibi est compositum ex passu, & forma inducta.

Secundo respondet Doct. quòd licet concedamus quod in quod fit conuersio succedit in locum eius, quod conuertitur; non tamen est necessarium quòd succedat in eundē locum adæquatum, sed solum requiritur, & sufficit, vt tantum occupet antiqui loci, quantum occupare potest, vt si corpus in quod fit conuersio sit maius, satis est quod occupet totum locum antiqui corporis, etiamsi occupet magis, & si conuersio sit in minus, satis est quòd occupet de loco antiqui corporis, quantum ipsum corpus est, vt patet in conuersione rerum naturalium; nam quando corpus densum conuertitur in rarum maiorem locum occupat rarum in quod fuit conuersum, quam ante densum occupabat, vt constat manifesto experimento in lignis, quæ quando inflammantur conuertuntur in flammam, & fumum, quæ multum maiorem locum occupant, quam antea ligna; quod si hoc per naturam fieri potest non mirum est, si de potentia Dei absoluta fiat.

Vel tertio concessa maiori probationis antecedentis, negatur minor, dicituque esse possibile, quòd quantitas maior succedat in locum, in quo fuit minor quantitas adæquatè; & quando dicitur quòd semper maior quantitas debet esse in loco maiori, & minor in minori.

Respondetur hoc esse verum, quando vtraque quantitas est in loco localiter, quando autem altera est in loco indiuisibiliter ad modum substantiæ, Tunc dico quòd maior potest succedere in locum minoris, & è contra, vnde cum hac ratione sit corpus Christi in Eucharistia non mirum, quod succedat aliquando minori, & aliquando maiori quantitati. Et hoc est argumentum contra aliam viam, scilicet D. Thomæ, quæ ponit propter hoc quantitatem Christi non esse ibi localiter, quia est secundus terminus, & non primus: quia esto quòd esset primus terminus conuersionis, adhuc non esset ibi localiter necessariò: ita cum posset iste modus essendi in loco localiter separari à primo termino conuersionis, sicut a secundo. D. Thomas.

ARTICVLVS V.

Vtrum absolutum possit conuerti in relationem, vel relatio in relationem, & è conuerso.

ET videtur, quòd non, quia si absolutum posset conuerti in respectum, respectus posset per se esse sine fundamento, & sine termino sicut & absolutum conuersum in ipso, consequens est impossibile manifeste, quoniam contradictionem inuoluit respectum esse sine fundamento, & termino.

Præterea. Si posset conuerti vna relatio in aliam, sequeretur quòd vna relatio esset sine opposita relatione, consequens est falsum, ergo & antecedens, patet: quia si Deus conuerteret paternitatem in filiationem, esset filiatio sine paternitate, atque adeo filius sine patre quod implicat; patet: quia relatio conuersa desineret esse, relatio autem in quam conuerteretur esset, ergo, &c.

Pro intellectione horum argumentorum obseruandum est primo, quòd aliqui sunt respectus, qui realiter distinguuntur à fundamentis, & sunt quorum fundamenta possunt esse sine termino relationis, aliqui vero sunt idem realiter cum fundamentis, & sunt quorum fundamenta non possunt esse sine termino relationis, sicut est relatio creaturæ

ad

Digitized by Google

ad Deum; Item respectus aliqui sunt oppositi, aliqui verò sunt disparati, oppositi respectus sunt correlationes, vt paternitas, & filiatio, disparati vt paternitas, & similitudo, æqualitas & filiatio, & sic de alijs.

Secundo obseruandum est, sicut dictum est supra, quòd illud, quod conuertitur in aliud oportet necessario, quod desinat esse, & illud, in quod conuertitur oportet, quod incipiat esse, vel quod præexistat, & maneat in esse pro instanti saltem conuersionis.

Tertio obseruandum est, aliquas esse creaturas, quæ ad sui existentiam ita requi unt aliqua, quòd implicat contradictionem sine illis existere, verbi gratia, homo ita includit corpus & animam rationalem, vt implicet contradictionē, sine aliquo eorum existere, & similiter relatio ita requirit fundamentum & terminum, vt implicet ipsam existere sine fundamento, vel sine termino, & sic de nullis alijs.

Quarto obseruandum est, esse principium per se notum in Theologia quòd illud, quod implicat contradictionem, non pō: à Deo fieri, ex quo sequitur impossibile esse Deum facere aliquam conuersionem manente termino ad quem cum modo repugnanti suæ naturæ, atque ita anima Petri non potest conuerti in ipsum Petrum, quia aliàs Petrus existeret sine anima sua, nam quod conuertitur desinit esse, & similiter fundamentum alicuius relationis non potest in ipsam relationem conuerti, quia alias relatio maneret sine fundamento, quod est implicatum contradictionis, est ergo necessarium, quòd in omni conuersione dentur termino ad quem illa omnia, quæ ad sui existentiam necessario requiruntur, atque ita ad hoc quòd Deus conuertat lapidem in relationem debet dare relationi fundamentum, & terminum, quia sine istis relatio esse non potest.

1. Conclusio. Ex his dico primo, quòd omne absolutum, quod potest esse in re, & in effectu, vel magis propriè loquendo quæcumque creatura corporalis potest conuerti in aliam, quæ potest esse, & poni in re sine alia, dum tamen non sit pars alterius.

2. Conclusio. Dico secundo, quòd si esset aliqua creatura, quę non posset esse in re, & in effectu sine alia, non posset huiusmodi creatura in illam conuerti.

3. Conclusio. Dico tertio, quòd nullum fundamentum potest conuerti in respectum in eo fundatum.

4. Conclusio. Dico quarto, quòd nullus respectus potest conuerti in respectum sibi mutuum, quia sequeretur vnum respectum mutuum esse sine alio, quod est impossibile.

5. Conclusio. Dico quinto, quòd omne absolutum, quod non est subiectum, vel fundamentum, vel terminus alicuius respectus essentialiter distincti ab ipso, vel respectus sibi mutui potest conuerti in illum; quia nulla contradictio in hoc implicatur, & dico in respectum essentialiter distinctum, quia nihil potest conuerti in id, quod est essentialiter idem sibi, Tunc enim simul posset esse, & non esse, vnde nec genus potest conuerti in differentiam in ipsa specie, nec respectus vestigialis in substantiam.

6. Conclusio. Dico sexto, quòd omnis respectus potest conuerti in absolutum, quod non est essentialiter idem sibi, nec pertinet ad respectum sibi oppositum, vel mutuum, patet, quia omne tale absolutum potest esse sine tali respectu, &c.

7. Conclusio. Dico septimo, quòd omnis respectus potest conuerti in quemlibet alium respectum, cuius non est fundamentum, vel terminus, vel qui non est sibi oppositus, sed tantum disparatus, & essentialiter distinctus, nec idem essentialiter cum aliquo necessariò ad ipsum, nec ad mutuum terminū, vel oppositum, sicut patere potest ex prædictis, & etiam è conuerso ille altus in ipsum, nisi præsupponatur necessariò ab illo.

Ex his respondetur ad rationes in oppositum, ad primam respondet Doct. ꝙ absolutum potest conuerti in relatiuum, sicut lapis in paternitatem; & si quæratur an maneat ibi absolutum quod conuertitur, respondet quòd non, dicit tamen quòd simul cum illa relatione erit absolutum, in quo debeat fundari ipsa relatio. Contra lapis qui conuertitur nō habet fundamentum, ergo paternitas in quam sit conuersio non debet habere fundamentum, negatur consequentia; quia termino conuersionis seruanda est natura termini, in quam fit conuersio, cum ergo de ratione relationis sit fundamentum, ibi necessario debet esse conuersio in relationem, & fundamentum.

Contra, quia ex hac solutione sequitur, quòd nulla res potest conuerti in solam relationem cum relatio non possit esse sine fundamento & etiam sequitur, quòd non qualibet creatura potest conuerti in quamlibet, quia illud absolutum in quo fundatur paternitas, non potest conuerti in paternitatem, quia paternitas sine illo non potest manere, id autem quod conuertitur non manet.

Dico primum, quòd nihil potest conuerti in solam relationem, si per relatio sit solitaria, aliquid tamen potest conuerti in solam relationem, ita quòd quamuis relatio sit coniuncta cum alio, illa tamen sola terminet relationem.

Ad secundum dico, quòd ea, quæ sunt de ratione alicuius non possunt conuerti in ipsum, sicut anima non potest conuerti in hominē, quia homo maneret sine anima, quod enim conuertitur non manet, atq; adeo paternitas non potest conuerti in filiationem, quia tunc maneret filiatio sine paternitate, quod non est intelligibile, ita dico quòd fundamentum non potest conuerti in relationem, quia habitudo ad fundamentum est de natura relationis.

Contra ex hoc infertur, quòd non potest quælibet creatura conuerti in quamlibet, siquidem nec anima in hominem, nec paternitas in filiationem conuerti potest; respondetur, quòd hæc propositio absolutè intellecta, quælibet creatura potest conuerti in quamlibet est falsa, quia nulla creatura potest conuerti in se ipsam; est ergo huius propositionis sensus; quælibet creatura potest conuerti in aliam à se distinctam, & habēt em naturam distinctam ab ea, quæ conuertitur, hæc enim sola intelligitur in ista q. esse aliam ab ea, quæ conuertitur.

Ad argumentum ergo dico, quòd potentia diuina potest absolutum conuerti in respectiuum, vt puta lapidē in paternitatem, & è contra; & cum infertur, ergo respectus esset sine fundamento & termino, nego consequentiam, quia terminus conuersionis habet esse per conuersionem, quo modo habuit esse per naturam, quia conuersio non dat terminum aliam naturam, atque adeo si absolutum conuertatur in respectum ille respectus non esset sine fundamento, & termino, quia respectus de se, & ex natura sua non potest esse sine fundamento, & termino; atq; adeo quæcumque conuersio fiat respectus semper habebit fundamentum, & terminum, exemplum, si lapis conuerteretur in scientiam, clarum est quòd scientia non habebit alium modum essendi, quam illum, qui sibi conuenit ex natura sua, quia ita facta prædicta conuersione adhuc scientia esset in subiecto: nam in conuersione terminus ad quem accipit naturam, & conditiones termini à quo, atque adeo non sequitur, lapis non informat aliquem intellectum, ergo nec scientia, sed in omni conuersione semper terminus ad quem habet suum proprium modum existendi, sicut terminus à quo conuersionis habuit ante conuersionem suum proprium modum existendi.

Ad secundum, quòd Deus non potest conuertere respectum in alium sibi mutuum, sed bene in alium disparatum essentialiter distinctum, nisi præsupponatur ab illo, in quē conuertitur, sicut forē diceretur de situ, qui præsupponit vbi, vel huiusmodi, &c.

QVAESTIO III.

Vtrum panis in Eucharistia conuertatur in corpus Christi.



EXplicata veritate de reali, & vera præsentia dominici corporis in sacramento Eucharistiæ in 1. q. 10. d. s. quitur modo explicanda veritas de ratione, & modo, quo corpus Domini in Eucharistia adesse incipit.

Et quidem catholica Ecclesia semper docuit per conuersionem substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinē Domini, quę conuersio postmodum transubstantiatio appellata est fieri, vt corpus, & sanguis Domini verè, ac realiter in sacramento Eucharistiæ præsentia fi t, sed præter hanc sententiam, quæ sola est antiquissima, & verissima septem extiterunt errantium opiniones.

Prima fuit Berengarij, & discipulorum eius, qui coacti fidelium argumentis, cum defendere non possent Eucharistiam non esse tantum signum corporis Dominici, sed verum

veram Christi Domini præsentiam in sacramento contestentur, docuerunt tamen verum panem, & vinum simul cũ corpore, & sanguine Domini in Eucharistia consistere.

Secunda fuit aliorum sententia, qui panem asserebant partim mutari in corpus Christi, partim non mutari, atque id propterea asserebant; quia improbabile reputabant omnino verum Christi Domino corpus ab impijs sumi, atque adeo eam partem panis, quæ sumenda erat per consecrationem à pijs in corpus Domini verti affirmabant, eam vero, quæ ab impijs erat accipienda non conuerti.

Durandus. Tertia sententia fuit Durandi, qui affirmat partem vnam essentialem, id est, formam panis conuerti, partem alteram, id est, materiam non conuerti existimat enim Durandus in 4. d. 11. q. 3. Conuerti panem in corpus Christi per consecrationem, sed ita vt forma panis recedente materia panis maneat informata Christi anima ad eum prorsus modũ, quo cibus conuertitur in carnem nostram per nutritionem.

Alij autem (vt nullus deesset error) è contrario docuerũt materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eamdem, refert hunc errorem

D. Thomas. sine nomine S. Thom. 3. p. q. 75. art. 6.

Rupertus. Quinta sententia est Ruperti Abbatis, qui docuit panem Eucharistiæ hypostaticè assumi à verbo, eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem verbo assumpta est; id patet ex lib. 6. in Ioan. vbi exponens illa verba. Panis quem ego dabo caro mea est, &c. dicit verbum æternum per incarnationem factam hominem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem; & eodem modo per consecrationem Eucharistiæ idem verbum fieri panem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem; atque idem in 2. lib. de diuinis officijs cap. 2. fusius docet, ibique declarat ipsum panem fieri corpus Christi, non quia vertatur in carnem Domini, sed quia assumitur à verbo, ex quo sequitur panem esse corpus Christi, sed corpus non humanum, neque carneum, sed panaceum; & longe diuersum ab illo, quod de Virgine sumptum est. Hæc tamen duo corpora docet posse dici vnum, quia vnum est suppositum vtriusque siue vnus est Christus, qui vtrunq; assumpsit, & disertis verbis dicit illa corpora panaceum, & carneum esse vnum, quia idem Christus sursum, id est in cœlo est in carne, deorsum, id est, in altari est in pane; Et tandem in eodem lib. c. 9. docet impios in communione sacra nihil accipere nisi corpus panaceum, pios autem accipere vtrumque corpus: nam quia idem Dominus sursum est in carne, deorsum in pane, ideo solum in pane sumitur ore corporali, quod est commune pijs, & impijs, in carne autem quæ est sursum non sumitur nisi ore spirituali, quo caret impij.

Sexta opinio, seu potius hæresis est cuiusdam Ioannis Parisiensis, qui docuit panem assumi à verbo, sed mediante corpore parte, idest, mediante corpore Christi, vt corpus accipitur pro parte hominis, non vt accipitur pro toto homine, dixit autem mediante parte hominis, non mediante toto, ne admittere cogeretur Deum esse panem. Quomodo enim Æthiops non dicitur albus absolutè, quia non est candor in toto eius corpore, sed solum in dentibus, ita existimabat Deum non debere dici panem absolutè, quia non coniungebatur Deo panis, nisi mediante parte humanitatis eius.

Septima opinio, seu hæresis Lutheranorum est, qui quatuor docent ex Luthero, primum non esse articulum fidei vtrum panis maneat, vel non maneat cum corpore Christi in Eucharistia, sed vtrumque posse defendi sine periculo hæresis, secundum videri sibi probabilius, & conformius scripturis, vt panis maneat, tertium veram esse hanc propositionem; Panis est corpus Christi propter vnionem panis cum corpore, sicut est vera, Christus homo est Deus, vbi insinuant impanationem Ruperti, vel Ioannis Parisiensis, tamen apertius id non explicant, quartum ex eo corpus Domini cum pane coniungi, quia sicut corpus Domini per vnionem ad verbum id assequutum est, vt sit vbicumque est verbum, id est, vbique, atque adeo si vbique est, certe etiam in pane cœnæ corpus Domini erit.

Quare mirum non est si hæc quæstio varijs erroribus, imò hæresibus, atque opinionibus etiam catholicorum implicata difficillima sit; eam tamen Scotus diuidit in duos articulos, in quorum primo determinat, quid sit de fide tenendum circa quæst. propositam; in secundo autem art. explicat quo pacto in Eucharistia fieri possit transubstantiatio panis, siue conuersio in corpus Christi præexistens, atque etiam explicat in eodem art. quis nam sit terminus formalis huius mirabilis conuersionis; nos autem vt exactam cognitionẽ, & intelligentiam eorum, quæ in hac quæst. tradit Doct. faciliori modo, quo fieri potest habeamus, primum, atque secundum art. in partiales plures articulos diuidimus, id est in 9. artic.

Primus Art. Vtrum post consecrationem maneat substantia panis in Eucharistia.

Secũdus Art. Vtrum ex verbis Christi. Hoc est corpus meũ, necessario, & euidenter deducatur substantiam panis in Eucharistia Sacramento haud manere.

Tertius Art. Vtrum rationes quibus transubstantiatio probatur euidenter propositum concludant.

Quartus Art. Vtrum panis & si non secundum suppositum, tamen secundum naturam maneat in Sacramento Eucharistia.

Quintus Art. Vtrum aliqua pars Physica substantia panis, & vini maneat sub speciebus consecratis.

Sextus Art. Vtrum substantia panis transubstantiari possit in corpus Christi.

Septimus Art. Vtrum aliquid possit transubstantiari in præexistens, secundum esse pristinum manens.

Octauus Art. Vtrum in homine sit aliqua forma substantialis alia ab anima intellectiua.

Nonus Art. Vtrũ in termino ad quem conuersionis, terminus formalis sit forma corporis, vel anima intellectiua vt dat esse corporeum, vel aliquid aliud.

ARTICVLVS I.

Vtrum post consecrationem maneat substantia panis in Eucharistia.

Omnes hæretici, qui negauerunt præsentiam corporis Christi, affirmauerunt substantiam panis manere, imò, & ipse Berengarius, qui veritate coactus fuit realem Christi corporis præsentiam confiteri in eumdem incidit errorem, vt simul Christum cum substantia panis esse diceret, licet postea in Conc. Romano sub Greg. vij. etiam cõuersionem substantialem confiteri compulsus est; Qui autem affirmant substantiam panis manere post consecrationem cum corpore Christi circa modum differunt, nam aliqui dicunt corpus Christi esse simul cum substantia panis solum secundum intimam præsentiam, & aliquam accidentalem habitudinem; Aliqui verò dixerunt non solum esse simul, sed etiam substantiam panis esse ibi hypostaticè vnitam Christo; Nos autem in hoc art. primam sententiam examinabimus.

Fuit ergo prima opinio, quòd substantia panis in hoc sacramento manet secundum rei veritatem, & secundum id, quod est, & non conuertitur, vel transubstantiatur, ita q; non maneat; quod probant rationibus, & authoritatibus, prima ratio est talis, quæ hic ponitur à Doct. sicut in naturalibus non sunt plura ponenda, quam ratio naturalis conuincit, 1. Physic. tex. c. 50. quia pluralitas est superflua, ita in credibilibus non sunt ponenda plura, quam conuinci possint ex veritate credibilium, sed veritas Eucharistiæ saluari potest sine ista transubstantiatione, ergo in Eucharistia panis non cõuertitur in corpus Christi, probatur minor, quia ad veritatem Eucharistiæ requiritur signum, & signatum realiter contineri sub signo, ac substantia panis cum suis accidentibus potest æquè esse signi præsentiæ corporis Christi, imò magis, quia substantia panis sub speciebus magis est nutrimẽtum, quam accidentia, ergo magis repræsentat corpus Christi in ratione nutrimenti spiritualis, & Deus posset ponere corpus Christi in Eucharistia simul cum substantia panis, quia non magis repugnat substantiæ esse simul cum substantia, quam cum quantitate illius substantiæ, ergo, &c. Opinio prima.

Et confirmatur; quia ponenda sunt pauciora miracula quãtum possibile est, sed ponendo panem manere cum suis accidentibus, & corpus Christi esse verè in Eucharistia, pauciora ponuntur miracula, quam ponendo panem ibi nõ esse, ergo, &c. minor probatur, quia tunc non poneret aliquod accidens sine subiecto.

Secundo

Secundo arguitur, quia in his, quæ pertinent ad fidem, facilior intellectus recipiendus est, & difficilior reijciēdus, sed facilius intelligitur quòd substātia panis maneat, quam quod destruatur, ergo dicendum quod maneat; consequentia est nota, & probatur maior, quia cum fides sit nobis data, vt sit via ad salutem, ita determinari debet, & teneri ab Ecclesia, sicut magis idonea est ad salutē, magis autem idonea videtur ad salutem, si intellectus credibiliū sit facilior, quam difficilior, auertens, vel impediens homines ne conuertantur ad fidem; Philon. & sequentes rationem naturalē auerterentur à fide, vel saltem non conuerterentur, si talia dicantur eis ad nostram fidem pertinere; minor etiam probatur: quia ad hunc intellectum, ꝙ in Eucharistia non sit substantia panis, sequuntur plura inconuenientia, quā ponendo ibi esse substantiam panis, videlicet accidentia esse sine subiecto, destructio etiam substantię panis, & similiter conuersio totalis, quæ vix intelligibilis est.

Tertio arguitur. Si substantia panis non maneret in Eucharistia cum corpore Christi, hoc haberetur expresse in aliquo loco scripturæ, vel in aliqua declaratione expressa facta ab Ecclesia, vel euidēter sequeretur ex aliquo expresse contento in scriptura, vel expresse determinato ab Ecclesia; sed ex nullo istorum habetur substantiam panis ibi non manere, ergo non videtur de fide tenendum; quod in Eucharistia non maneat substantia panis; cōsequentia patet cum maiori, quis nihil est tenendum de fide, nisi quod expresse habetur ex scriptura, vel expressa declaratione Ecclesiæ, vel euidenter sequatur ex aliquo apertè contento in scriptura, vel declaratione Ecclesia; pro nullo enim alio haberet quis causam exponendi se morti, & pro omni eo, quod est de substantia fidei, quis laudabiliter se morti exponeret: minor verò probatur, quia non videtur expresse haberi non esse ibi substantiam panis: Nam Ioan 6. vbi multum prædicatur veritas Eucharistiæ, planum est vbi Christus dicit. Ego sum panis vitæ, qui manducauerit ex hoc pane, &c. & primæ Corinr. 10. dicit Paulus. Panis quem frangimus, nonnè communicatio corporis Christi est? nec videtur esse aliqua determinatio Ecclesiæ de hoc art. nec etiam qualiter illud possit ex aliquo manifeste credito euidenter inferri, ergo &c.

Et si dicatur, ꝙ Mat. 26. vbi Christus Dominus dixit. Hoc est corpus meum, expressè insinuat panem nō manere; quia tunc esset propositio falsa; sed ex hoc loco non habetur non adesse ibi panem, quoniam licet maneret in Eucharistia substantia panis cum corpore Christi, verum esset dicere. Hoc est corpus meum, quia pronomen, hoc, non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane, sicut modo non demonstrātur accidentia, quia tunc esset propositio falsa, sed est sensus, hoc ens contentum sub hac specie sensibili est corpus meum.

Item in sacramento veritatis nulla debet esse falsitas, sed accidentia ista significant naturaliter substantias, quas afficerunt, & si non sit ibi earum substantia, significatio illa naturalis erit falsa hoc est inconueniens, ergo, &c. Et si dicas, ꝙ significant corpus Christi, & sanguinem, & illa significatio est vera. Contra naturalis significatio non mutatur propter significationem ex institutione ad placitum, ergo ista accidentia naturaliter significant eadem, quæ prius significabant, ergo ex illa parte in significatione naturali erit falsitas, nisi significata subsint signis; sed posito ꝙ illa significata subsint veritas habetur in significatione naturali accidentium, posset etiam haberi in significatione ad placitum, quia in illis subiectis possunt contineri illa, quæ significantur ad placitum ex institutione, atque ita haberetur omnimoda veritas in significatione, sed secundum aliam viam falsitas est in significatione naturali, ergo magis congruit alia via, quam ista.

Secundo probatur authoritatibus, quia in scriptura sæpè hoc sacramentum vocatur panis Ioan. 6. panis, quem ego dabo caro mea est, &c. manet ergo panis, qui dicitur caro propter intimam cōniunctionem, & penetrationem, sicut
Damascen. ferrum ignitum solet vocari ignis, quo exemplo vtitur Damascen. lib. 4. de fide, c. 14 Ita Actuum, 2. & 1. Cor. 10. Panis, quem frangimus, & c. 11. Sic de pane illo edat, &c. Matth. 6.
Cyprianus. dicitur panis quotidianus, vt exponunt Cyprianus de oratione dominica, & August. lib. 2. de serm. Domini in monte, c. 12. & Damascen. supra.
August. Damascen. Item D. August. 3. de Trinit. cap. 6. Christi corpus dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum sumimus; sed non est aliquid acceptum ex fructibus terræ nisi panis, vel vinum, ergo non transubstantiatur; Præterea idem D. August. in Glossa super illud 1. ad Corint. 10. Vnus panis, &c. inquit, sicut vnus panis ex multis granis, & corpus Christi ex multis membris, ita Ecclesia ex multis personis, ergo Eucharistia propter istam similitudinē significat corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum, sed ex multis granis non colligitur aliquid sic signatiuum nisi panis, ergo ille manet in Eucharistia.

Præterea Gelasius lib. 2. contra Euthichen in fine, sacra- Gelasius.
menti, inquit, corporis, & sanguinis Christi diuina res est, & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini; Item Chrysost. Episcopus ad Cęsareum Monachū. Post Chrysost.
consecrationem (inquit) liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione dominici corporis, etiamsi natura panis in ipso permaneat; Idem Theodoretus dialo- Theodoret.
go. 1. non longe à princ. inquit. Symbola, & signa, quæ videntur nomine corporis, & sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adijciens.

His tamen non obstantibus est conclusio de fide tenēda, Conclusio.
scilicet, ꝙ in sacramento Eucharistiæ non manet substantia panis; probatur primo ex cap. Ad abolendam extra de hæreticis, vbi habetur ꝙ de sacramentis Ecclesiæ tenendum est id, quod tenet Sancta Rom. Ecclesia, sed ipsa tenet panem transubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanguinem, ergo in sacramento Eucharistiæ non manet substantia panis, si enim maneret non esset transubstantiatio, indeque (vt dicit Doct.) percepta Eucharistia posset sacerdos iterum celebrare in art. necessitatis, vt habetur extra de celebratione Missarum, cap. Consuluisti, vbi legitur. Excepto die natiuitatis Domini, nisi te necessitas superueniat sufficit sacerdoti semel in die Missam celebrare, & ex hoc innuit, ꝙ in die natalis Domini, & quando necessitas inurget, licet plures Missas celebrare in die, & ratio est, quia adhuc sacerdos manet ieiunus, consequentia est nota cum maiori, probatur minor
ex Conc. Trid. sess. 13. c. 4 vbi habentur hæc verba. Quoniam Conc. Trid.
autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub speciebus panis offerebat verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit id, quod nunc de nouo Sancta hęc Synodus declarat, per cōsecrationem panis, & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiā sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter, & propriè ab Ecclesia catholica transubstantiatio est appellata; & in eadem sess. canon. 2. sic legimus: Si quis dixerit in Sacro Sancto Eucharistiæ Sacramento manere substantiam panis, & vini simul cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritq. mirabilem illam, ac singularem conuersionē totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, anathema sit.

Secundo idem probatur ex Concilio Florentino, sub Conc. Flor.
Eugenio quarto, vbi in decreto fidei sic legimus. Forma huius sacramenti, sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur, ergo non manet substantia panis in sacramento Eucharistiæ; & denique probatur minor ex capitulo. Firmiter. §. Vna verò, extra de summa Trinitate, & fide catholica, vbi manifestè habetur panem transubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanguinem, sic enim ibi dicitur.

Ipse Iesus Christus sacerdos est, & sacrificium, cuius corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina; hæc in symbolo illo edito sub Innocentio 3. Pontifice maximo in magno illo Concilio Lateranensi, quod denique secundum Concil. Lat.
fuit œcumenicum Concilium, omnium, quæ vnquam fuerunt in Eunopa celeberrimum sub anno Domini s215. celebratum, in quo præfuit ipse Innocentius Papa, cui interfuerunt duo Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Archiepiscopi 70. Græci, & Latini; Episcopi vero 400. cum alijs Prælatis, quam plurimis; quorum omnium Patrum numerus fuit vsque ad 1285. absque legatis omnium Potentatuum Ecclesiæ tam Græcæ, quam Latinæ,

Digitized by Google

næ, vt habetur in tom. 3. Conciliorum, cuius Concilij authoritate transubstantiationis vocabulum ad cauendas omnium hæreticorum tergiuersationes in Ecclesia vsurpari certum est, idque non aliter (vt supra diximus, & hic obiter dicam) quam verbum Omusion antea decreto Concilij Niceni, neque aliud significat transubstantiatio, quam id quod apud Cyprianum serm. de cæna significat panem, & vinum in carnem, & sanguinem Domini mutari, atque conuerti, & panem omnipotentia verbi factum carnem, & apud Eusebium Emissenum hom. 4. in Pascha, terrena commutari, & transire, & iterum creaturas conuerti in substantiam corporis Christi, & apud Chrysostomum serm. de Encenijs, nihil substantię panis remanere, & in Liturgia Deum visibilia in corpus Christi transmutare, & apud Augustinum ser. vigesimo octauo, de verbis Domini. Iam non esse panem, sed corpus Christi, & apud Hierony. in Marcum Christum transfigurare panem in corpus suum, & apud Ambr. lib. 4. de Sacramentis c. 4. & 5. & libro de his, qui initiantur ca. 9. creaturas, & naturas, siue substantias mutari, & apud Dam. libro quarto, de fide cap. quatuordecim, & Hesichium libro sexto, in Leui. capitulo 22. Panem in carnem Domini supernaturaliter transmutari, & fieri sensibilem translationem, & commutationem, & apud Theophilactum in quatuordecim cap. D. Marci transelementari panem in corpus Christi. Superest ergo ad argumenta in oppositum respondere.

Ad primum respondet Doct. concedendo, quod in rebus fidei non sunt plura ponenda, nec multiplicanda miracula sine necessitate, & ad min. dicit. Possibile Deo fuisse, quod corpus Christi vere esset præsens in Eucharistia substantia panis manente, vel cum accidentibus pane annihilato, sed non sic placitum est Deo instituere, vt constat ex authoritate Ecclesiæ, & authoritate sanctorum superius relatis, imo Deus instituit, sit tantum sub accidentibus, vt sub signo, & cum dicitur, quod ad veritatem Eucharistię nihil requiritur nisi verum signum, & verum signatum & cætera dicit quod verum est eo modo, quo signum est institutum, quod sibi debet respondere signatum, atque adeo etsi fuisset veritas Eucharistiæ, si panis maneret cum corpore Christi, quia & signum verum, & signatum verum, si ita Deus instituisset, tamen modo non est tota veritas Eucharistiæ ponendo ibi esse panem, quia Deus sic non instituit, sed institutum est nunc, quod signatum sit tantum sub accidentibus, vt sub signo, adeo quod non est indistincte sacramentum Euchatistiæ a Deo institutum, vt corpus Christi sit sub aliquo signo, scilicet vel cum pane, vel cum accidentibus tantum, sed institutum est, vt præcise sit sub accidentibus, vt sub signo.

Ad secundum respondet, quod non est arctandus aliquis fidei articulus ad intellectum difficilem, nisi ille intellectus sit verus, si tamen sit verus, & euidenter probatur esse verum, oportet secundum intellectum difficilem tenere talem articulum, quia nullus alius intellectus est verus, authoritates autem sanctorum, & Ecclesiæ præcitatæ ostendunt nullum alium intellectum esse verum huius articuli de Sacramento Eucharistiæ nisi istæ transubstantiationis panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

Ad tertium respondet, quod Ecclesia declarauit istum intellectum transubstantiationis panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini esse de veritate fidei in relato Con. Later. in quo explicite ponitur veritas aliquorum credendorum magis explicite, quam habeatur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Niceni, & breuiter quicquid sibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei.

Et si quæras, inquit Doct. quare voluit Ecclesia intelligere intellectum adeo difficilem huius articuli, cum verba scripturæ, ex quibus illum eliciunt, possent saluari secundum intellectum facilem, & veriorem secundum apparentiam. Respondet optime, atque præclare, quod cum eo spiritu expositæ sint scripturæ ab Ecclesia, quo conditæ fuerunt ita credendum est, quod ipsa Ecclesia edocta spiritu veritatis, quo auctore tradita est nobis fides, & scriptura, hunc intellectum elegit, quia verus est, neque fuit in potestate Ecclesiæ huius articuli intellectum facere verum, vel non verum, sed hoc fuit in potestate Dei instituentis, intellectum tamen a Deo traditum per scripturas, & traditiones diuinas, ecclesia explicauit directa veritatis spiritu, atque ita patet, quomodo Alma Mater Ecclesia ex literis sacris, & traditionibus, docuit in Concilijs supra citatis conclusionem de fide assertam a Scoto. Quando vero dicitur in argumento, quod huius oppositum videtur manere in Eucharistia panis substantiam, testantur plurima loca scripturæ, vt est ille locus Diui Pauli. Probet autem se ipsum homo, & cætera ad hæc, & similia facilis est responsio, panis enim, & vinum dicitur Eucharistia, propterea, quod ante consecrationem fuit panis, & vinum, eorumque adhuc remanent species, nam & Virga Aaron iam in serpentem versa, cum etiam speciem virgæ non haberet, vocabatur priori suo nomine Virga, cum dicitur Exod. capitulo septimo, deuorauit Virga Aaron virgas Magorum, non ergo mirum si cum panis, & vini adhuc remaneant species, Eucharistia nominetur panis, & vinum, quamuis eorum substantia in aliud iam conuersa sit.

Ad quartum dicit Doct. quod accidentia non semper significant substantiam esse in actu quam affecerunt, sed aptitudinaliter, vel si modo significant in actu non est ibi falsitas in signo, vt est signum institutum ad placitum, quia vt sic habet signare ad quod institutum est, & redit in idē, vel dicatur, quod nihil est falsi in signo sensibili Eucharistiæ, quia illa accidentia significant naturaliter sub illa specie latere substantiam panis, atque adeo nisi præter cursum, & naturæ ordine Deus aliquid faciat, illa accidentia ducunt in cognitionem substantiæ.

Cæterum in Eucharistia non naturaliter, sed supra ordinem naturæ fit, vt sub illis accidentibus desit substantia panis, atque ita in illis signis nulla est falsitas cum id solum significent naturaliter sub illa specie latere substantiam panis, quod si imaginatio hominum fallitur in hac re, id nascitur ex ipsorum vitio, nam vel sunt fideles, vel infideles, si fideles non falluntur, quia sciunt testimonio Dei, & Ecclesiæ ibi esse accidentia sine substantia, si infideles falluntur, vel quia credere nolunt Deo, & Ecclesiæ, vel si forte non audierunt quidquam de hoc mysterio falluntur simpliciter ex ignorantia mysterij non ex falsitate, quæ sit in re, & hoc nullum est absurdum, nam hoc modo fallebantur etiam sancti viri, Abraham, Loth, Tobias, Manue, Gedeon, & alij, qui Angelos in specie humana sibi apparentes veros homines esse credebant, & duo discipuli fallebantur, qui Dominum Peregrinum aliquem esse existimabant, & Magdalena, qui eumdem hortulanum esse putabat.

Ad authoritates ex Euangelio iam responsum est, Sacramentum Eucharistiæ interdum vocari panem, tum quia ex pane confectum est, & species, & figuram sensibilem panis refert, & panis vsum retinet, cibat enim hominem, & nutrit, tum quia sæpe res, quæ fit per conuersionem alterius in ipsum, appellatur nomine rei conuersæ, vt Ioann. secundo. Cum vidisset Architriclinus aquam factam vinum, & cætera, vbi ipsum vinum aqua adhuc appellatur, & Genesi secundo, dixit Adam. Hoc nunc os ex ossibus meis, & per hoc patet ad Authoritates Diui Augustini. Nam sicut panis dicitur collectus ex granis, ita species remanentes dicuntur collectæ, quia sunt aliquid ipsius collecti.

Ad aliam dico, quod species panis, & vini ita repræsentant corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum sicut faceret panis si ibi esset, & ratio est, quia panis est ibi quantum ad sensibilitatem, puta quantum ad accidentia sua, & hoc sufficit quantum ad hoc, quod dicatur repræsentatio panis.

Ad id, quod obijcitur ex Gelasio, dicitur primo librum illum non esse Gelasij Papæ, sed alterius Gelasij Cæsariensis Græci scriptoris cuius meminit Hieronym. de scriptoribus Ecclesiasticis, quod ex eo patet, quod Theodoretus, qui antiquior fuit Gelasio Papa in dialogo contra Euthichen. multa ex illo libello sumpsisse videtur. Possunt tamen verba Gelasij exponi sicut, exponit Sixtus Senensis libro sexto annotationum, scilicet non desinere naturam panis quo ad proprietates, & effectus panis quia eodem modo nutrit sicut antea, quæ expositio eo facilius admitti potest, quod in alijs verbis ibi indicat transmutationem panis in corpus Christi, dum dicit panem, & vinum in diuina transire. *Sixtus.*

Digitized by Google

Ad verba Chrysostomi eadem expositio accōmodari potest, præsertim cum constet Chrysostomum alijs in locis veram de transubstantiatione doctrinam docuisse, vt hom. 83. in Matth. & sæpe alibi, vera tamen responsio est, illum Ioannem Constantinopolitanum, cui illa Epistola tribuitur non fuisse Chrysostomum, sed quemdam alium, vt late ostendit Turrianus libro primo, de Eucharistia capitulo decimo octauo.

Turrianus.

Ad tertium ex Theodoreto optime quadrat expositio data, cum inquit, non naturam mutans, scilicet quo ad externam speciem, & sensibilem, vere enim illa, quæ manent sunt accidentia panis; quamuis non in pane maneant, sed sub illis positum sit corpus Christi, vnde ibidem ait. Non esse attendendum ad naturam eorum, quæ videntur, sed credendum mutationi, quæ hic fit ex gratia.

ARTICVLVS II.

Vtrum ex verbis Christi. Hoc est corpus meum, necessario, & euidenter deducatur substantiam panis in Eucharistiæ Sacramento haud manere.

Diuus Thomas tertia parte quæst. 75. artic. 2. & libro 5. contra Gentes cap. 36. & fere omnes Thomistæ explicantes locum illum Matth. 26. concludunt ex illis verbis Christi Domini panem non manere in Eucharistiæ Sacramento: nam si finita consecratione maneret panis, non posset vere dici, hoc quod in manibus habent esse corpus Christi, sed solum potuisset dicere Christus. hic est corpus meum, illud enim pronomen, hoc, quod substantiale est præsertim substantiue sumptum, non potest per aduerbium locale explicari, quia non esset expositio, sed corruptio propriæ significationis vocis, non ergo designat locum, sed substantiam præsentem, & sub accidentibus contentā, ergo si ibi maneret substantia panis ex vi suæ significationis designaret illam, ergo redderetur propositio tota falsa, quia falsum est dicere panem esse corpus Christi, solum enim intima præsentia non est satis, vt vnum posset de alio vere prædicari.

Scotus. Durandus. Paludanus. Ocham. Tho. ab Ar. Gabriel.

Doct. tamen hic, & Durandus quæstione prima, huius d. & Paludanus quæstione secunda, & Ocham quol. 4. q. 29. & 30 & Thom. ab Arg. in 4. d. 11. quæstione prima, art. secundo, & Gab. in cano. lect. 41. dicunt ex his verbis non concludi necessario conuersionem, seu transubstantiationē panis in corpus Christi, quamuis enim sub speciebus maneret substantia panis, dummodo cum illa simul adesset, substātia corporis Christi vere, at proprie potuisset a Christo dici. Hoc est corpus meum, quia dato, quod substantia maneret, non demonstraretur substantia panis, sed cōtentum sub pane, sicut modo non demonstrantur accidentia, quia tunc esset propositio falsa, sed est sensus, hoc ens contentum sub isto signo sensibili est corpus meum.

Quapropter pro huius difficultatis resolutione obseruandum est, quod aliud est quærere an ex istis verbis. hoc est corpus meum, concludatur euidenter realis, & vera præsentia corporis Christi sub Sacramento Eucharistiæ, & aliud est quærere an illis verbis concludatur euidenter panem conuerti in corpus Christi, de primo omnes Theologi conueniunt illis verbis euidenter concludi corpus Christi veré, & realiter esse (facta consecratione) in sacramento Eucharistiæ, & eo potissimum testimonio vtuntur ad veritatem illam confirmandam; de secundo autem est. difficultas. Vnde

Secundo obseruandum est, quod quando quærimus an ex verbis Christi Domini &c. intelligimus de illis verbis præcise, & nude sumptis, nullo habito respectu ad Ecclesiæ declarationem, seu explicationem, vel determinationem.

Tertio obseruandum est, verba illa Christi Domini veritatem hanc quam maxime indicare, atque sensum illū, quem communiter ex illis verbis colligunt Theologi, & Patres propriorem, & simpliciorem esse, verum verba illa non esse sufficientia ad conuincendum intellectum, atq; adeo etsi Ecclesia catholica spiritu veritatis edocta ex illis colligere potuit substantiæ panis desitionem, cum ille sit verus illorum verborum sensus, tamen non est sensus ille manifestus, & espressus in illis verbis absque Ecclesiæ declaratione.

His obseruatis dico primo, quod verba illa præcise, & nude sumpta non cogunt intellectum ad credendum panis substantiam conuerti in corpus Christi, quoniam etsi substantia panis maneret possent habere illa verba verum intellectum, vt Doct. exponit hic in littera. *1. Conclusio*

Dico secundo verba illa quam maxime insinuare panē in sacramēto altaris non manere sicut de facto nō manet, atque adeo in hūc sensum ea semper intellexerunt Patres. *2. Conclusio*

Dico tertio, quod Ecclesia, quæ veram a Spiritu sancto scripturarum intelligentiam habet, declarauit, atque determinauit ex illis verbis colligi substantiam panis non manere, sed in substantiam corporis Christi conuerti. Quapropter Conc. Trid. sess. 13. c. 4. inquit. Quoniam Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter, & proprie a Sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata. *3. Conclusio* *Conc. Trid.*

Ex his patet manifeste, quā immerito Dominicus a Soto libro 4. d. 9. q. 2. art. 4. imponat Scoto, quod dixerit in ista quæst. Ecclesiam suscepisse a Doctoribus conuersionem, seu transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini, quodque percontatus Scotus, cur art. tam difficilem intellectu Ecclesia susceperit in Conc. Later. respondeat nihil aliud quam quod hoc fecit illuminata Spiritu sancto, hæc enim, quam vere imponantur Scoto ostēdunt ipsa verba a nobis superius relata in solutione ad tertium argumentum, in quibus verissime docuit, quod ex litteris sacris Ecclesia catholica spiritu veritatis directa exposuit fidelibus transubstantiationis articulum. Et quidem quid sibi velit non satis Sotus declarat si enim vult Sotus imponere contineri corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento propter Ecclesiæ authoritatem, & nō propter scripturæ authoritatem falsissime hac nota ipsum inurit, nam quid Scotus dicat audiamus, ait namque d. 10. q. 1. artic. 1. sub litt. a. §. de primo dico Christi corpus esse in Sacramento vere, & realiter est simpliciter de substantia fidei, fundamentum est Matth. 26. & Lucæ 22. vbi in cæna ait Christus. Hoc est corpus meum, deinde respondet hæreticis declarātibus hunc locum figuratiuè, & non propriè, vt ex toto illo art. patet, quare non probat Sco. veritatem Eucharistiæ solum propter Ecclesiæ authoritatem, verum etiam propter authoritatem scripturæ. *Contra Sotum Scotus defenditur.*

Si autem vult Scoto ascribere dixisse panis conuersionē in corpus Christi non constare authoritate scripturæ, sed Ecclesiæ tantum, est plusquam falsum, vt patet in hac q. sub litt. g § dico. eo enim dixit Scotus spiritu scripturæ expositæ sunt ab Ecclesia, quo conditæ fuerunt, an ne hoc est dicere, quod illi imponit Sotus, Ecclesia suscipit a Doctoribus articulum transubstantiationis, vel nihil aliud respondere, quam quod Ecclesia illuminata Spiritu sancto art. transubstantiationis accepit, quid est, si hoc non est verba imo verborum sensum decurtare, seu detruncare? Quod verò Sotus inferius dicit (Scotum carpendo) quod quia Ecclesia nō immediata reuelatione, quemadmodum Apostoli, vtitur, sed diuina ope, & opera, ne in eruendis a sacra pagina articulis fidei erret, non sat est Theologo dicere, Ecclesia in veritatibus fidei sic decreuit, sed munus eius est ostendere ex quibus locis scripturæ id collegerit, hoc, inquā, frustraneè dicitur contra Sco. quamuis enim hoc loco Scotus non ostenderit in speciali, quibus ex locis scripturæ Ecclesiæ hauserit articulum transubstantiationis, ostendit tamen expresse in communi, quod ex sacris litteris edocta Spiritu sancto hausit hanc veritatem, supersedit autem Sco. locis specialibus ostendendis in hoc loco, quia iam supra d. 10. q. 1. ea loca ostenderat dicens, quod erat de substantia fidei corpus Christi sub speciebus panis, & vini realiter contineri, cuius veritatis fundamentum erat verbum Domini nostri Iesu Christi dicentis Lucæ 22. & Matt. 26. Hoc est corpus meū, & hic est sanguis meus, & Io 6. Caro mea est, &c. vbi Dominus astruxè prædicauit veritatem Sacramenti Eucharistiæ Imo in hoc lib. 2. q. 1. non solum de Sacramento Eucharistiæ, sed ēt de alijs sacramentis ostendit Sco. quib. ex locis

diuinæ

diuinæ scripturæ possit ostendi eorum institutio, & veritas ex quib. constat Sco. nõ defuisse muneri optimi Theologi siquidem tot loca, ex quibus veritas Sacramenti Eucharistiæ colligi poterat ostenderat, & specialiter articulus trãsubstantiationis. Cum enim hæc propositio. Hoc est corpus meum, de rigore sermonis possit significare, quod totum, quod est sub panis substantia est corpus Christi, vel quod totum, quod est sub speciebus panis est corpus Christi, non habetur vt bene dixit Sco. etiam in ista q. ex ipsis verbis, in quo sensu sint accipienda, quoniam verba indifferentia sunt ad vtrumque sensum, constat tamen quod ex declaratione Ecclesiæ accipienda sunt in secundo sensu, ideoque dixit Scot. quod Ecclesia spiritu veritatis edocta exposuit scripturam in eo sensu, quia ipse solus est verus, & intentus a Spiritu sancto sanctarum scripturarum authore, licet enim verba Domini Iesu habeant hunc sensum, quod tamen in hoc sensu sint accipienda non constat ex ipsis verbis, sed potius ex declaratione Ecclesiæ, vt dixit Scotus. Vnde si Magister Sotus intendit loco supracitato, quod colligitur ex diuina scriptura hunc esse sensum, & non alium, falsum est: nam etiam si cum suo corpore Christus Dominus daret etiam panem, & vinum, hæc verba. Hoc est corpus meum &c. essent verissima, sicut extensa crumena plena auro, & clausa vere dicimus, hoc est aurum, cuius sensus est singulare, quod continetur sub hac crumena, quæ vere substantia est, est aurum.

Ad illud autem, quod Sotus vbi supra dicit, quod nisi ex diuinis scripturis eliciamus panem non manere cũ corpore, marcescit, elanguetque authoritas aduersus hæreticos, qui sanctiones Ecclesiæ, nisi in sacris literis fundentur reiiciunt, illud enim verbum Omusion, id est, consubstantialis Patri, Nicena Synodus numquam in vsum recipisset nisi ex verbo ipso Euangelico elicuisset. Ego & Pater vnũ sumus, ad hoc inquam (cum bona venia Patris Soti) respondeo, quod magis ponit fidem nostram irrisui hæreticorum, qui diceret ex sola scriptura deduci artũ transsubstantiationis absque Ecclesiæ explicatione, quam qui diceret contrarium. Veluti si aliquis vellet ex solo Euangelio persuadere adorationem imaginum, quæ tamen habetur ex Ecclesiæ traditione, sicuti & pleræque aliæ sanctiones Ecclesiæ.

Qua de re operæ pretium me facturum existimaui, si quæ de hac re grauissima doctissimus Stanislaus Hossius *Hosius.* Cardinalis in Concilio Tridentino Præses fusius scribit in eo libro, quem inscripsit de traditionibus, qui quartus est illorum quinque quos contra Brentium hæreticum scripsit, sic loquitur post principium. Verbum Dei non sola scriptura, verum etiam traditione continetur, cui si quis fidẽ non habet, is non omni sed scripto tantum Dei verbo fidẽ habet, at qui vere dici vult, & esse Christianus, is sicut scripto, ita & omni Dei verbo credere tenetur, siue scriptum id sit, siue traditum. Certe multo maxima pars eorum, qui priscis etiam temporibus illis hæretici fuerunt declarati, nõ propterea sunt hæretici declarati, quod scripto, sed quod tradito Dei verbo fidem non habuerunt. Eiusdem esse substantiæ cum Patre filium ex verbo Dei Patres catholici docuerunt, negabant id scriptum hæretici, concedebant illis catholici, non esse scriptum, sed esse traditum, vides quæ res catholicos ad hæreticis discreuerit, illi non recipiebant verbum Dei, nisi quod esset scriptum, ij non modo scriptum Dei verbum, verum & traditum recipiendum esse putauerunt, hæc ibi Hossius. & idem ipse in libro de expresso Dei Verbo profert in medium vetustissimum, & doctissimum Tertullianum Apostolorum temporibus vicinum, in suo illo libro præclaro de præscriptionibus hæreticorum inter alia sic scribentem. Disputatione cum hæreticis congressum interdixit Apostolus, quoniam nihil proficiat congressio scripturarum nisi plane aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri, ista hæresis nõ recipit quasdam scripturas, etsi quas recipit adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit, etsi recipit non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit, tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ vincuntur. Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris defendatur. Post hæc, & alia, quæ Tertullianus ibi doctissime perorat subdit ipse Hossius hæc verba. Cum talibus igitur, qui non nisi, quas ipsi volunt scripturas recipiunt, quas autem recipiũt adiectionibus, & detractionibus ad institutũ sui dispositionem interuertunt, aut diuersas expositiones commentati conuertunt disputare, Tertullianus de scripturis prohibet, sed eos ad ecclesiasticam traditionem remitti iubet, hæc ibi.

Ex quibus omnibus, & alijs quàm plurimis, quæ copiosius in medium facile proferre possemus, constat in primis non semper munus esse Theologi ostendere quibus ex locis diuinæ scripturæ Ecclesia dogmata illa collegerit, quę ad fidem docet pertinere, vt videtur dicere Sotus, cum multa pertineant ad Christianam doctrinam, & fidem, quæ neque aperte, neque obscure in sacris litteris continentur, vt probat Innocentius in capitulo cum Marthæ, *Innocent.* extra de celebratione Missarum. Verba enim quibus in consecratione calicis vtimur, quibusque Christum Dominum vsum esse profitemur, scilicet mysterium fidei, & æterni testamenti, in Euangelistis non habentur, ac nec illud quidem eleuatis oculis ad Deum Patrem suum, quemadmodum enim non omnia gesta Domini Iesu Euangelica scriptura complexa est, ita nec omnia verba quidem, sed quædam per traditionem accepta sunt, similiterque implorandum esse sanctorum martyrum auxilium, eorumque memorias celebrandas, imagines venerandas esse, sacramenta confirmationis, & ordinis non esse iteranda, sacræ litteræ forte numquam tradiderunt, ac denique quatuor Euangelia, quæ nunc recipit Ecclesia, quatuordecim Epistolas Pauli, & breuiter vt in summa dicam, & vetus, & nouum testamentum firmissime retinemus, nec tamen ea tenere possumus scripturæ authoritate. imo Basilius il- *Basilius.* le magnus libro de Spiritu sancto capitulo vigesimo septimo, post multa, quæ diuinitus de traditionibus est loquutus sic inquit, deficeret me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere. hæc ille, cum multa igitur sint fidei catholicæ dogmata, quæ sacris litteris non habentur in talibus muneri suo satisfaceret Theologus, si sic tradita a Christo Domino, & eius Apostolis Ecclesiæ, & sanctorum authoritate doceat.

Secundo ex prædictis constat eiusdem esse substantiæ cum Patre filium in Nicena Synodo Patres catholicos docuisse potius ex verbo Dei tradito, quam ex verbo scripto (vt dicebat Sotus) tertio demum ex scripturis contra hæreticos pertinaces, & protrahentes potius reuinci ecclesiastica traditione, quam disputatione scripturarum, quapropter Magister Sotus temperare se potuisset a reprehensione Doctor. subt. cum potius laudem non modicam mereatur ex doctissima, & sanctissima responsione, quam reddidit ad argumenta contraria, explicans articulum transsubstantiationis in ista quæstione. Neque tem transsubstantiationis sub alijs nominibus videtur transmutationis, aut conuersionis nouam esse in Ecclesia a Doctoribus fuisse susceptam asserit Scotus; vt illi imponit Sotus vbi supra, neque dixit ante Lateranense Conc. non fuisse dogma fidei transsubstantiationem, vt falso illi imponit Bellarm. libro tertio de Eucharistia capitulo vigesimo tertio, sed verissime docuit intellectum articuli transsubstantiationis in Concilio Lateranensi ex diuina scriptura, doctore Spiritu sancto, explicatum non contineri expresse in litteris sacris, quod ipse Magister Cano libro tertio, de locis Theo- *Cano.* logicis capitulo tertio, fatetur his verbis. Perpetuam Beatæ Mariæ Virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum paruulorum, conuersionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi non ita expressa in libris Canonicis inuenies, sed adeo tamen certa in fide sunt, vt contrariorum dogmatum authores Ecclesia hæreticos iudicarit. Quemadmodum igitur articulus resurrectionis continebatur in illo. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & cætera, quod postea Christus Dominus minus intelligentibus exposuit, ita nonnulla per spiritum veritatis explicuit Ecclesia, quæ in sacris litteris habentur obscura. Dixitque Doctor subtilis, quod in capitulo illo firmiter credimus multorum credendorum veritas ponitur magis explicite, quam in Symbolo Apostolorum, Athanasij, vel Niceni habetetur, & quicquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei, & hoc post istam declarationem solemnem factam ab

Ecclesiæ. hæc Sco. ex quibus verbis non potest colligi ipsũ sensisse ante Lateranense Conc. non fuisse dogma fidei trãsubstantiationem, sed solum quod ea, quæ ibi determinantur esse de fide, tamquam de fide esse credẽda, & si ante determinationem Concilij erant de fide, eo magis tenendum est esse de substantia fidei post factam adeo solemnem declarationem ab Ecclesia catholica.

ARTICVLVS III.

Vtrum rationes, quibus transubstantiatio probatur euidenter propositum concludant.

D. Thomas in 4. d. 11. q. 1. dicit, quod opinio tenens, q̃ substantia panis manet cum substantia corporis Christi est inconueniens, impossibilis, & hæretica. Primum probatur ex tribus, primo quia tollit reuerentiam debitã Christo, vt continetur in Eucharistia, sibi enim (vt in Eucharistia) debetur cultus latriæ, sed si ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idololatriã adorando creaturam. Secundo dicitur inconueniens, quia tollit significationem huius Sacramenti, debet enim illud primo significare corpus; vt primum signatum, sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationẽ primi significati, ergo &c. Tertio quia tollitur debitus vsus Sacramenti, quia si maneret vere substantia panis, ipsa est vere cibus corporalis, huius autem Sacramenti visus est, quod sit cibus spiritualis.

Secundum vero, scilicet quod hæc positio sit impossibilis arguit, quia nihil potest incipere esse, vbi non fuit prius, nisi per sui mutationem, vel alterius in ipsum, sed corpus Christi non mutatur per hoc, quod Eucharistia conficitur quia manet in cœlo sicut prius, ergo si nihil conuertatur in ipsum, non est magis realiter in altari, quam prius fuit, hoc est impossibile ergo &c.

Tertium, scilicet, quod sit hæretica probatur sic: quia est cõtra verbum Christi instituentis Sacramentum Matt. 26. Hoc est corpus meum, non dicit hic est, sed hoc est, si autẽ substantia panis maneret, & non conuerteretur, verius diceretur hic est corpus, quam hoc est corpus. hæc argumenta habentur in hac q. sub litt. b. §. Contra istas opiniones. Cæterum istæ rationes non concludunt propositum, atque adeo ne videamur hanc mirabilem conuersionem inefficacibus rationibus confiteri, & ne ab hæreticis irrideamur soluendæ sunt, atque soluuntur a Doct. hic in littera vbi supra §. Quicquid sit, sed primo dicimus hanc veritatem tenendam esse præcise propter Ecclesiæ determinationem, quæ spiritu veritatis edocta in hunc sensum verba Christi esse intelligenda declarauit, atque docuit, determinauitq; istum intellectum esse de veritate fidei, nam eo spiritu expositæ sunt scripturæ sacræ, quo sunt conditæ, atque ita Ecclesia catholica eodem modo exposuit, quo spiritu veritatis edocta fuit, & hunc intellectum elegit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit hunc intellectum verum facere, vel non verum, sed Dei instituentis, intellectũ autem hunc a Deo verum factum, & traditum Ecclesia explicauit directa in hoc a spiritu sponsi sui Christi, quem promisit Christus Ecclesiæ, vt maneat cum ea in æternũ. Vnde licet Christus potuisset instituisse, quod ad verba consecrationis corpus suum esset præsens substantiæ panis remanenti simul, & eius accidentibus, ita tamen non instituit, sed ordinauit, quod fieret præsens accidentibus tantum, ad substantiæ panis desitionem, ordinatio autem hæc fortasse innotuit Ecclesiæ longo tempore post Sacramenti institutionem, & creditur primum Sanctis Patribus reuelata, qui scriptis suis posteros docuerunt, vel saltem ipsi per studiosam scripturarum explanationem inuenerunt. Non ergo facit Ecclesia hanc veram, quod panis conuertitur in corpus Christi, dum hanc veritatem primo tenendam statuit, sed eam ab initio institutionis sacramenti fuisse veram declarauit, quæ ante eius declarationem non sciebatur fuisse vera ex sufficienti authoritate, nam quamuis Diuus Ambrosius, & alij Patres illam docuerunt, *Ambros.* tamen quia ipsorum authoritas ad assentiendum ipsorum dictis neminem compellit, nisi in diuinis fundata fuerit scripturis, aut Ecclesiæ traditionibus, ideo antequam hoc constaret, licuit quibusdam contradicere eorum dictis, & oppositum opinari. Cum autem Ecclesia aliquam veritatem determinat innititur diuinæ reuelationi, aut saltem diuinis scripturis, per quorum diligentem expositionem veritates quasdam extrahit, quas vt credendas proponit. Ita in proposito declarauit Ecclesia panem transubstantiari in corpus Christi, & non manere, atque ita corpus Christi esse præsens speciebus panis sine substantia panis, nõ sua voluntate, beneplacito, aut sapientia, quia non est fides in sapientia hominum, quæ stultitia est apud Deum secundũ Apostolum, sed quia verum hoc esse ex diligenti scripturarum perscrutatione spiritu veritatis edocta cognouit, atque adeo non per inefficaces rationes, sed per Ecclesiæ determinationem hæc veritas credenda, atque confitenda est.

Ad rationes ergo respondet Doct. & ad primam dicit, quod modo non est idololatria adorare Christum in Eucharistia, & tamen negari non potest, quin ibi sit creatura aliqua, scilicet species illæ, sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus: ita si panis maneret diceretur Christus contineri sub pane quanto, & quali, & tamen non adorari panem, sed Christum contentum in pane, vt in signo. Et si obijcias, saltem simplices, qui non sic distinguunt essent idololatræ, dicit Doct. quod ita posset nunc argui contra nos, quia simplices non distinguunt accidentia illa a Christi corpore, & tamen non sunt idololatræ. In omnibus autem talibus est vna responsio, quod simplices adorant in fide Ecclesiæ, & hoc sufficiens ad salutem, maiores autem distincte adorant contentum Christum, & non signum continens, & hoc siue signum continens sit accidens tantum, siue sit substantia panis cum accidente.

Ad secundam dicitur, quod est magis ad oppositum, quia vt dictum est supra, si ibi maneret panis duplex significatio esset vera, naturalis, & ad placitum; nam accidentia significarent substantiam panis significatione naturali, & significatione ad placitum significarent esse ibi vere corpus Christi, sed nunc non potest saluari nisi præcise altera vera, scilicet ea, quæ est ad placitum. Nec potest dici, quod cesset significatio naturalis propter aliam, quæ est ex institutione, quia si sic tunc non ducerent accidentia naturaliter, quantum est de se ad deprehendendum substantiam panis; sed totaliter cessaret in eis ista significatio, vel repræsentatio, quæ tamen prius infuit eis, & tunc aliquo modo immutassent aliter intellectum ante consecrationem, quam post, quod est falsum. Dicit ergo Doct. ad rationem, quod primum significatum ex institutione diuina debet esse corpus Christi, & ita est siue maneat substantia panis, siue nõ, primũ autem significatum accidentium, quod naturaliter significant, semper est substantia illa, quam primo affecerunt, quia illa naturalis significatio non mutatur, atque illa idem significant fideli, & infideli.

Ad tertiam dicit, quod non valet, quia modo manifestum est, quod illæ species nutriunt secundum Apostolum primo Cor. vndecimo. Vnus quidem esurit, alius autem ebrius est, & hoc ex perceptione specierum sacramentalium, & tamen non negatur hic esse cibum animæ cum datur contentum sub cibo corporali. Ita etiam si poneretur ibi panis manere, esset ibi nutrimentum corporale, & tamen contentum sub illo esset tantum nutrimentum animæ spirituale.

Ad aliud de impossibilitate satis dictum est dist. 10. q. 1. Vbi ostensum est, quod corpus Christi vere mutatur localiter acquirendo præsentiam nouam ad diuersa vbi, diuersas scilicet species sacramentales, atque adeo incipit esse hic non sine omni mutatione extendendo mutationem ad illam præsentiam simplicem.

Ad vltimum de hic, & hoc nihil ad propositum. Verũ est enim, quod hoc est corpus meum, & similiter verum est. hic est corpus meum, sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente, eodem modo si esset substantia panis non hoc, quod est substantia panis, esset corpus Christi, sed hoc, quod esset contentum sub pane est corpus Christi. Maluit autem Saluator vti hoc vocabulo. Hoc, quam hic, quia magis exprimitur veritas, licet vtrumque dictum esset verum.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis, et si non secundum suppositum, tamen secundum naturam maneat in Sacramento Eucharistiæ.

FVit Ruperti Abbatis, ac Ioãnis Parisiensis opinio, in Eucharistia manere substantiam panis secundum propriã naturam, ita ut natura panis manet ibi, vel paneitas ipsa, non tamen in proprio supposito, sed assumpta a Verbo diuino, vel immediate, quemadmodum humanitas assumpta est secundum opinionem Ruperti, vel mediante corpore Christi parte, id est, mediante corpore Christi, vt corpus accipitur pro parte hominis, non vt accipitur pro toto homine secundum opinionem Io. Parisiensis, & hinc est, inquiunt, quod vere dici potest per communicationem idiomatum, quod panis est corpus Christi, & è conuerso, quia ambo sunt idem supposito, & verè etiam posset quis dicere videndo panem, quod videt corpus Christi, sicut aliquis videndo Christum videbat Deum, quod tamen modo non potest dici propriè; si ponatur substantia panis non manere, & accidentia remanentia non assumi, omnia etiam quę de conuersione dicuntur saluari possent ponendo panem hoc modo manere, quia panis non manet quantum ad suppositum, atque ita dicitur conuerti, vel transubstantiari, manet tamen quantum ad naturam, vel paneitatem, atque ita dicitur manere. Item non esset idololatria adorando Eucharistiam, esto quod ibi maneat panis, vel paneitas assumpta, sicut nec erat idololatria adorare Christum hominem, deinde licet aliquis Eucharistiam sumeret, ieiunium haud solueret, & si maneat ibi paneitas, quia non sumeretur ibi panis per modum refectionis corporalis, tum quia sumitur paneitas assumpta, sicut & caro Christi assumpta, & sicut vnum non soluit ieiunium naturæ, nec aliud; deinde ex ista positione verificaretur Eucharistiam esse Sacramentum assumptionis secundum Dionysium, & Damascenum, atque ibi non esset corpus Christi tantum in signo, contra Berengarium, & Caluinum, sed vere, & realiter transubstantiatis pane, & vino, & si non secundum naturam, tamen secundum suppositum.

Eusebius. Ambrosius. Iustinus. Hæc opinio sic explicata potest sic confirmari, nam Eusebius Emissenus hom. 5. de Pascha, Ambrosius lib. 4. de Sacramentis c. 4. Iustinus apolog. 2. ad hunc modum videntur hoc mysterium explicare, sicut per verbum Dei caro factum, Iesus Christus carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis sacratam ab ipso alimoniam illius incarnati Iesu carnem, & sanguinem esse didicimus. *Damascen.* Item Damasc. li. 4. c. 14. Quemadmodum in baptismate, quia consuetudo est hominibus aqua lauari, & oleo vngi, coniunxit oleo, & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis, hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare, & vinum, & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus, & sanguinem, vt per assueta, & quæ sunt secundum naturã in his, quæ sunt super naturam collocemur; vult dicere Damas. (inquit Doct.) quod sicut in baptismo abluimur aqua, & hoc ideo constitutum est, quia consuetudo hominibus lauari in aqua, ita in Eucharistia pascimur, & potamur pane, & vino, quia ista sunt consuetus cibus, & potus humanus, ergo sic in Baptismate est verè aqua eiusdem rationis cum aqua communi, qua abluimur, ita in Eucharistia vere est panis, & vinum cum communi cibo, & potu humano, & quia panis est corpus Christi requiritur sicut dicit, quod diuinitatem suam cum ipsis coniunxit. hoc est secundum argumentum principale huius quæst.

Cyprianus. Præterea Cyprianus in ser. de cæna Domini comparans incarnationem cũ Eucharistia sic ait, sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili diuina se se infudit essentia. *Remigius.* Item Remigius Remensis in cap. 10. prioris ad Corint. Caro, inquit, quam verbum Dei Patris assumpsit in vtero virginali in vnitate suæ personæ, & panis, qui consecratur in Ecclesia vnum corpus sunt, diuinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illa, replet & istum panem.

Contra Rupertum, & Io. Parisiensem. Sed hæc opinio nedum falsa est, atque hæretica, sed quibusdam etiam impossibilis esse videtur, & maximè ea, quę est Io. Parisiensis, atque adeo ita arguunt contra eam. Impossibile est, quod mediante creatura assumatur aliquid a Verbo, sicut impossibile est, quod creatura assumat aliquod proprium suppositum, sed corpus Christi pars est creatura, ergo impossibile est, quod ipso mediante assumatur panis a Verbo. Secundo arguitur sic, mediante illo, quod non habet intimum illapsum ad aliud non potest assumi aliud, sed corpus Christi non habet intimum illapsum ad panem, sed solus Deus, ergo &c. Tertio sic, omne illud, quod facit Deus in natura corporis assumpta, posset facere Deus, vt agens sine natura assumpta, sicut curare sine manu assumpta, sicut cum assumpta, sed per te corpore assumpto potest facere, quod corpus assumat panem, quia mediante verbo assumit panem, ergo potest facere, quod corpus non assumptum assumat panem, hoc est impossibile, ergo &c. Quarto arguitur. Soli naturæ humanæ conceditur esse assumptam a verbo, & non alicui creaturæ irrationali, cuiusmodi est natura panis, ergo &c.

Cæterum istæ rationes non concludunt huius opinionis impossibilitatem, nam posset dici, quod verbum assumeret substantiam panis effectiue causando assumptionem illam, vel vnionem paneitatis, & etiam terminare ipsam, prius tamen ordine quodam præexigentiæ ex diuina ordinatione terminando vnionem, vel assumptionem ipsius corporis, ita ut sint duo assumpta, quorum vnum prius est assumptum, & aliud posterius secundum ordinationẽ diuinam, ita ut corpus Christi nec causaret, nec terminaret illam assumptionem panis, sed magis ipsum verbum, prius tamen assumptionem corporis, ita ut præexistente assumptione corporis quoties conficeretur hoc Sacramentum adesset corpus Christi, mediante quo assumeretur paneitas ipsa modo prædicto, atque ita posset intelligi esse possibile, quod paneitas maneret assumpta a verbo substans suis accidentibus. Quo posito rationes non concludunt impossibilitatem, atque adeo ad primam dici posset, quod creatura non potest aliquid assumere effectiue, potest tamen manens in proprio supposito assumptionem, vel vnionem alicuius terminare, & aliud sustentare in proprio supposito. In proprio tamẽ dico, quia corpus Christi nec causaret, nec terminaret talem assumptionem, quod non causaret patet, quod nec etiam terminaret apparet, quia nihil potest terminare dependentiam alicuius in ratione suppositi nisi sit suppositum, corpus Christi pars nõ est suppositum vt patet, atque adeo non terminaret naturam panis in ratione suppositi, tamen mediante ipso diceretur fieri talis assumptio modo prædicto.

Ad secundam rationem diceretur, quod illud de intimo illapsu non concludit, quia creatura manens in proprio supposito posset aliam sustentare; in proposito etiam non concludit, quia nec corpus Christi ponitur causare, nec terminare illam assumptionem, sed verbum mediante corpore, vt dictum est.

Ad tertiam dicitur, per idem, quod non potest dici pari ratione, quod mediante corpore non assumpto possit assumi panis illo modo, quo poneretur assumi, similiter argumentum concluderet, quod Deus posset assumere panem immediate, sicut mediante corpore, quod est verum, vt ostensum est in tertio, distinctione secunda, quæst. prima art. 2.

Ad quartam diceretur, quod soli naturæ humanæ conceditur esse assumptam de facto, atque adeo modus ille assumptionis paneitatis est fallus, sed non est impossibilis, vt ostensum est.

Cæterum hæc positio licet non sit impossibilis, est tamen falsa, & hæretica, dicendum est ergo panis substantiam non manere in hoc Sacramento vnitam hypostatice verbo Dei. Hæc conclu. est de fide, & primo probatur, *Conclusio.* quod panis substantia non sit immediatè Dei verbo vnita, quia alias verbum esset impanatum, sicut fuit incarnatũ, quod est absurdissimum, & inauditum in scripturis, & Patribus, quis enim dicat verbum tam proprie, & vere esse panem sicut est homo? & cum in natura humana semel tantum incarnatum fuerit, in natura panis quoudie impanari?

Secũdo quęro ad quid ponatur hęc hypostatica vnio inter panẽ, & verbũ? dicet, vt sit vera illa loquutio, hoc est cor

pus meũ, nã ibi designatur panis, vnde necesse est vt adsit, vt aũt illi conuenire possit illud prædicatum, necessariũ est esse vnitum Verbo. Sed contra, nam si propter hanc solam vnionem esset vera hæc loquutio. Hoc est corpus meum, ergo es ui illorum verborum non esset hic realiter præsens corpus humanum Christi, nam si illud Hoc designat panem, qui dicitur corpus Christi, propter hanc vnionem eodem modo dici posset, etiam si corpus humanum Christi hic non adesset, consequens autem est hæreticum, & repugnat verbis a Christo subiunctis. Quod pro vobis tradetur, quia etiam si panis fuisset assumptus, non posset dici, quod pro vobis tradetur: nam corpus illud panaceum non fuit pro nobis traditum, nisi fortasse aliquis dicat, illud verbum tradetur, non esse referendum ad passionem, sed ad ipsam sacramentalem distributionem, quod posset quidẽ accommodari Lucæ 22. dicenti. Quod pro vobis datur, sed prior sensus est verior, magisq; a Christo intentus, vt ex ipso mysterio, & ex omnibus patribus constat.

Præterea Io. 6. inquit Dominus. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, ac panis ille assumptus a verbo esset quidem corpus Christi, sed non caro Christi, neq; enim per assumptionem illam speciem suam mutaret, panis autem corpus est, caro autẽ non est, & si dicatur, quod corpus panaceum appellatur caro propter vnionem hypostaticam. Contra, propter solam vnionem in eodem supposito non posset panis appellari caro, sicut non potest corpus Christi appellari anima, licet enim propter vnionem hypostaticam posset dici, hic panis est Deus, vel est Christus, vel est homo, non tamen posset dici, hic panis est caro Christi, vel hic panis est corpus carneũ Christi, caro enim, vel corpus carneum significantur, vt partes naturæ humanæ, non vt integra supposita. Nec potest dici corpus Christi carneum per concomitantiam naturalem esse in Eucharistia simul cum corpore Christi panaceo, quandoquidem vnita sunt illa corpora in eodem supposito, atque adeo vere dici potuisse de Eucharistia. Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur, nec potest, inquam, hoc dici, quia vnio hypostatica non trahit secum concomitantiam vnius naturæ cum altera, alioquin vbicumque est verbum cum sua diuinitate, ibi etiam esset humanitas Christi, per naturalẽ concomitantiam, quod falsum esse docent omnes catholici contra Vbiquistas, præterquam, quod Rupertus ipse non admittit talem concomitantiam, nam lib. 2. de officijs diuinis cap. 2. dicit eumdem Christum sursum, id est, in cælo esse in carne, deorsum, id est, in altari esse in pane, atque ita patet confutatio opinionis Ruperti, quæ etiam refutari posset omnibus fere testimonijs Patrum, qui vnanimiter confitentur nobis in Eucharistia dari corpus Christi carneum de Virgine sumptum, & in ligno crucis extensum &c.

Secundo probatur non assumi substantiam panis a Verbo Dei medio corpore Christi, tum quia alia vnio hypostatica præter incarnationem inaudita est, tum quia hoc modo tollitur conuersio, & transubstantiatio, tum etiam quia illa vnio non esset satis, vt panis diceretur corpus Christi, aut vinum sanguis. Præterea vnio hypostatica non fit in natura sed in persona, seu substantia, in Christo autem homini abstracta, seu præcisa subsistentia Verbi nulla manet subsistentia in humana natura, sed sola natura, ergo non potest fieri vnio hypostatica immediate in tali natura, seu in corpore, aut in partibus eius, sed si aliqua sit necesse est vt immediate fiat in subsistentia Verbi tamquam in termino vnionis, quo posito etiam secundum modum supra explicatum, adhuc non obtinet iste error, quod cupit: nimirum, vt possit vere dici panis est corpus, & non cogamur admittere panem esse Deum, nam adhuc posita illa assumptione panis a Verbo mediante corpore Christi non est vera propositio, panis est corpus, siquidem corpus vt hic sumitur, est pars quædam naturæ humanæ, & proinde non potest prædicari vel de toto, vel de altera parte coassumpta, sicut enim non dicimus Verbum est corpus Christi, nec diuinitas est corpus Christi, sed solum Verbum, vel Deus est homo, ita non potest dici panis est corpus Christi, vel essentia panis est corpus Christi, licet in eodem supposito subsisterent. Et præterea posita illa assumptione poterit omnino vere dici, panis est Deus, & Deus est panis, quod est alterum incommodum, quod Io. ille vitare cupiebat, nam licet panis a Verbo assumatur mediante solo corpore Christi, tamen quia verbum indiuisibile est, a toto verbo assumitur, & in toto verbo subsistit ille panis, & præsertim quoniam secundum illum modum exponendi, verbum solum dependentiam panis terminaret, quare vere dicitur Deus Verbum esse panis. Vide plura apud Durandum in 4. d. 10. quæst. 1. Durandus.

Ad ea, quæ pro confirmatione istius opinionis adducebantur, respondetur, quod licet Dam. & August. hoc mysterium appellent Sacramentum assumptionis, nolunt tamen intelligere in hoc sacramento fieri panis assumptionẽ a verbo, sed ex eo dicitur sacramentum assumptionis, quia in hoc Sacramento totus Christus per modum cibi veraciter sumitur, quod non fit in alijs Sacramentis, vel etiã quia Christus modo specialissimo in hoc Sacramento sumptus, assumit sibi per inflammationem amoris animam digne sumentis istud Sacramentum.

Ad sanctos Patres comparantes hoc Sacramentum cum mysterio incarnationis respondeo, quod hoc faciunt propter quamdam similitudinem, non quod in omnibus paria sint, similitudo autem in eo sita est, quod sicut in Eucharistia sunt species panis, & etiam est caro Christi, & non confunduntur ista, nec permiscẽtur, ita in Christo sunt duæ naturæ inconfusæ, & impermixtæ. Quod aũt attinet ad substantiam panis mutari illam non negant, nam etiam ipsi ibidem aperte meminerunt mutationis terreni panis in tẽ cęlestem, id est, in carnem Christi gloriosam.

Ad Dam. pro quanto videntur eius verba concludere manere substantiam panis, & vini, respondet Doct. in solutione ad secundum principale, quod Dam. non intelligit, quod ibi maneat panis quo ad substantiam, sed quo ad vsum, atque adeo non intelligit omnimodam similitudinẽ, vnde sicut per panem nutrimur, ita per illas species, sub quibus continetur totus Christus nutrimur, ex quo patet, quod Dam. vult habere, quod sicut vtimur aqua in Sacramento baptismi ad lotionem corporalem, & ad lotionem spiritualem animæ, ita etiam in Sacramento Eucharistiæ vtimur illis speciebus, quo ad vsum cibi carnalis, ac etiam spiritualis, & non vult habere, quod sicut in baptismo est vera aqua, ita in isto Sacramento sit verus panis, expresse enim vult oppositum in eodem cap. nam supra dixit ipse panis, & vinum transit in corpus, & sanguinem Dei. Si autem modum inquiras sufficiat tibi audire, quoniam per Spiritum sanctum fit, & paulo post: panis, & vinum, & aqua per inuocationem, & super aduentum Spiritus sancti, supernaturaliter transubstantiatur in corpus Christi, & sanguinem.

Ad Cyprianum, & Remigium dico, quod cum Cyprianus, & Remigius ac etiam Dam. dicunt pani se infundere diuinitatem, intelligunt ita se infundere, vt conuertat panem in corpus Domini omnipotentia sua, non autem, vt hypostatice sibi coniungat, nam Cyprianus dicit ibidem aperte panem mutari quo ad naturam, & sic fieri carnem omnipotentia verbi, Remigius quoque dicit esse idem corpus panem consecratum, & corpus ex Virgine, quia panis in corpus vertitur, sicut & Dam. multis verbis conuersionem panis in carnem docet, & probat.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqua pars Physica substantia panis, & vini maneat sub speciebus consecratis.

IN superioribus articulis ostensum est non manere suppositum, neque integram naturam panis, & vini, nunc videndum superest de partibus naturæ, scilicet materia, & forma. Et certe quoad formam fuit aliquorum opinio post consecrationem manere formam panis vt D. Tho. refert D. Thom. 3. p. q. 75. ar. 6. Et sunt qui hanc opinionem tribuant Scoto hac d. q. 6. Maiori q. 2. & Gabrieli in 4. d. 11. q. 2. & in Can. lec. 25. eo quod sentiant formam, qua panis constituitur in esse panis, esse accidentalem, ex quo sequi videtur illam formam manere post consecrationem, sicut manent cætera accidentia. Cæterum Doct. subt. eo in loco nec verbum quidem de hoc dixit, nec ipse, neque alij dicunt manere formam substantialem illius rei, seu substantiæ, quæ est panis.

Neque Doct. subt. existimauit panem esse rẽ mere artificiolam ac formã panis nihil esse nisi figuram illam externã, & accidentariam, quã in Sacramento remanere videmus,

sed

Digitized by Google

sed panis res est naturalis, & actione naturali agentium naturalium ab hominibus applicatorum conficitur.

Cæterum cuiuscumque fuerit hæc opinio ineptissima est, nec alio fundamento nititur nisi imperitiæ, si panis formam dicat accidentalem tantum, nam pugnat hæc opinio cum principijs naturæ, imitaturque antiquũ Philosophorum errorem asserentium panem, & vinum, & huiusmodi res alias constitui, & distingui non per formas substantiales, sed solum per accidentia, quibus substat vnum, & idem subiectum, siue illud appelletur materia prima, siue simplex quædam substãtia completa, atque etiam pugnat cum multis principijs fidei, vt de se patet. Si autem intelligat panem habere propriam formam substantialem, eamque in hoc Sacramento manere, opinio falsa est, & hæretica, nam certum est, secundum fidem post consecrationem non manere formam substantialem panis, & vini, nam alias non esset transubstantiatio integra, quia non esset conuersio totius substantiæ, sed alterius tantum partis, quod est expresse contra Conc. Trid. sess. 13. cap 4. *Conc. Trid.* Et confirmatur nam si maneret, vel maneret cum sua materia, vel sine illa, aut si absque illa, aut informaret materiam corporis Domini, aut sine informatione, & separata a materia omnino maneret, si primum tunc nulla fieret conuersio, atq; ita non maneret illa forma, sed totius panis, si secundum tunc non panis fieret corpus Christi, sed è contrario corpus Domini fieret panis, & Eucharistia formaliter esset panis non corpus, & Dominus non dixisset accepto pane. Hoc est corpus meum, sed ostenso corpore dixisset. Hic est panis meus, a forma enim res vnaquæque accipit esse, & nomen, si tertium frustra fieret miraculum hactenus inauditum, vt forma essentialis, & tamen materialis sine materia maneret. Quorsum enim istud miraculum? nam accidentia quidem externa vtiliter manent in Eucharistia ad velandum corpus Domini, & conseruandam fidem de hoc mysterio, at vero substantialis forma cum omnino insensibilis sit non potest ad rationem sacramenti deseruire, atque adeo sine vlla ratione maneret, vt falsa, ita ut, & improbabilis hæc opinio reijcienda est.

Quo verò ad materiam fuit opinio manere materiam panis, quæ sit subiectum accidentium, & totius conuersionis, hæc fuit antiqua sententia, vt patet ex D. Bonauentura d. 11. art. 1. quæst. 2. & Alex. de Ales p. 4. q. 10. m. 5. art. 3. §. 2. & Doct. hic in littera sub litt. h. & §. sed de modo possibilitatis &c. tribuitur Aegidio Theore. 1. & 2. sed præcipuus eius defensor fuit Duran. hac d. q. 3. qui vt fugeret annihilationem panis, & mysterium conuersionis panis in corpus Christi faceret intelligibilem, dixit conuersionem istam fieri ad modum mutationis, scilicet quod quemadmodum in mutatione forma alimenti corrumpitur, & materia manet informata forma aliti, sic etiam in ista conuersione forma panis corrumpitur, & materia panis manet informata forma corporis Christi. Fundamenta eius sunt duo. *[D.] Bonau. [A]le. de Al. [Sc]otus. [A]egidius. [D]urandus.*

[D]amas. Primum ex Dama. dicente lib. 4. de fide cap. 14. quod quemadmodum naturaliter panis per comestionem, & vinum per potum transmutatur in corpus, & sanguinem comedentis, ita per inuocationem, & aduentum Spiritus sancti substantia panis, & vini supernaturaliter transit in corpus, & sanguinem Christi, est autem manifestum panis materiam manere in alito per mutationem naturalem, ergo similiter in ista conuersione supernaturali panis, & vini materia manet cum corpore Christi.

Secundum fundamentum eius est: quia si non maneret materia, neque forma panis in Eucharistia non posset dici panis conuersus in corpus Christi, sed annihilatus, sed est de fide, quod panis conuertitur in corpus Christi, & vinũ in sanguinem, ergo saltem manet in sacramento materia panis, & vini. Et confirmatur primum fundamẽtum, quia Christus post resurrectionem vere manducauit Lucæ vltimo, & proinde vere nutritus est, ergo potest verti in corpus eius gloriosum panis per modum nutritionis.

His tamen non obstantibus dicit Sotus d. 9. quæst. 2. ar. 4 sententiam Durandi esse erroneam, & Suarez Tom. 3. disp. 49. sect. 3. dicit sententiam Durandi etiam tempore Durandi hæreticam fuisse, quia tunc etiam erat de fide transubstantiari panẽ in corpus Christi ex definitione Cõ. Later. sub Innoc. 3. & ex traditione sanctorum, licet ipse hæreticus non fuerit, quia sine contumacia ed alicuit determinationi Ecclesiæ obedire paratus. *[So]tus. [Su]arez. [Co]nc. Later.* Et quidem ex Conci. Trid. sess. 13. capitulo quarto, & ex cano. 2. conuincitur esse plusquam falsam, dicit enim cap. 4. *Conc. Trid.* Denuo hæc sancta Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, si fit conuersio totius substantiæ non manet, ergo materia, & in can. inquit. Si quis dixerit in Sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis, & vini &c. negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus &c. manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, anathema sit, ex quo infertur, quod non manet materia panis, & vini in Eucharistię, quia materia pars est substantiæ panis, & vini, Concilium autẽ damnat asserentes remanere in Eucharistia substantiam panis & vini, imo expresse asserit, quod solum manent species panis, & vini, ergo qui asserit ibi manere materiam panis contradicit Concilio, est igitur omnino reijciẽda hęc opinio Durandi.

Præterea Concilium dicit conuersionem istam esse mirabilem, & singularem, id est, non habentem similem, vocatque eam transubstantiationem, si autem fieret ad modum nutritionis, vt inquit Durandus, non esset singularis conuersio, nisi quantum ad modum fiendi, quinimo esset similis alijs transmutationibus naturalibus, vt ipse Durandus fatetur in solutione ad primum argumentum, ergo cõtra mentem Concilij est asserere, quod in ista conuersione maneat materia panis cum corpore Christi.

Præterea argumentor ratione, quia si materia panis manet, vel manet informata aliqua forma, vel non, posterius nec Durandus dicit, nec in alicuius mente venire potuit, licet non implicaret contradictionem materiam manere per Dei potentiam ab omni forma separatam, vt docet Doct. in secundo distinctione duodecima, quæstione secunda, *Scotus.* sed nulla esset necessitas hoc miraculum faciendi, quæram etiam rursus an in illa materia maneant accidentia panis, & hoc dici non potest sine hæresi, quia de fide est accidentia manere sine subiecto, vel maneret illa materia sine accidentibus panis, & sine vlla forma substantiali, & hoc esset nouum inusitatum miraculum, impertinens omnino ad hoc Sacramentum, & sine vllo fundamento, vel manet illa materia informata aliqua forma substantiali, & hoc dici non potest, quia illa non esset forma panis, alioquin maneret panis, neque alia quæcumque præter formam corporeitatis corporis Christi, vel animam Christi, sed primam Durandus non admittit, & si illam admitteret, adhuc hoc fieri non posset, quia eadem forma numero non potest duas informare materias, denique non potest illa forma esse anima Christi, quę est sentẽtia Durandi, tum quia iam non esset transubstantiatio, sed transformatio per veram corruptionem panis, & generationem noui corporis, vel saltem nouæ partis corporis Christi, quod est contra Ecclesiæ traditionem, & definitionem, & per se absurdissimum. Quid enim indignius, & absurdius gloriosam animam, & impassibile corpus Christi esse in continua resolutione partium materialium, quotiescumque enim consecraretur sacramentum, anima Christi inciperet informare nouam materiam, & quoties species sacramentales corrũpuntur, corrumperetur pars corporis anima Christi informati, alioquin oporteret nunc Christi animam informare pene infinitam materiæ molem, quæ omnia Durandus non ducit incommoda, cum sint absurdissima.

Ad fundamenta ergo Durandi respondetur, & ad primum dico, quod Dam. non loquitur ad propositum Durãdi, eius enim verba sunt ea, quæ adduximus supra ex lib. 3. capitulo decimo quarto, ex quibus constat non esse Dam. mentem explicare modum, quo fit ista conuersio sacramẽtalis, sed solum assignare rationem, ob quam voluit Christus panem, & vinum esse materiam huius sacramenti, & causam eam assignat, vt ex appetitu etiam naturali trahantur homines ad huius Sacramenti participationem. Et si aliquando Patres dixerunt eo modo mutari panem in carnem Christi per consecrationem, quo mutabatur olim, dum ille in terris viueret per nutritionem, vt dicere videntur Grego. Nissenus in orat. catechet. cap. 37. & Theophil. in cap. 6. Io. dicimus, quod Patres illi vtuntur ea nutritionis similitudine, vt veram, & realem mutationem ostendant, non autem, vt in omnibus similia esse velint consecrationem, & nutritionem, neque exempla, & similitudi- *Greg. Nisse. Theophil.*

tudines id vnquam exigunt, vt in omnibus omnino conueniant.

Ad confirmationem ex D. Luca respondeo, Christum post resurrectionem verè comedisse, quia vero palato, verisque dentibus, & lingua verum cibum sumpsit, & ad stomachum traiecit, sed potuit non inde nutriri, sed eum cibum in aerem conuertere, id quod indicare videtur Beda in Comentario cap. vltimi Lucæ, vbi ponit hanc similitudinem inter manducationem nostram, qui ex indigentia manducamus, & illam Christi, quæ ex potestate facta est; sicut, inquit, aliter aquam terra sitiens absorbet, aliter solis radius cadens, sic etiam aliter nos manducamus, aliter ille manducauit. Porrò terra vere sibi adiungit aquam, & ea iuuatur, & pinguescit, solis autem radius non sibi adiungit aquam, quam absorbet, sed eam in auram, & vapores dissoluit. Beda.

Ad secundum fundamentum dico, conuersionem posse fieri totius in totum, distingui autem eam ab annihilatione, & creatione, quia per conuersionem vna, & eadem actione, ex vno fit aliud, cum per creationem ex nihilo fiat aliquid, & per annihilationem ex aliquo nihil.

Posset hic quæri an substantia panis per desitionẽ reducatur vsque ad materiam primam, & an post consecrationem maneat aliquis realis modus, seu gradus, vel existentia panis, sed hæc commodius explicabuntur in sequenti quæst. in qua inquiritur, an substantia panis annihiletur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum substantia panis transubstantiari possit in corpus Christi.

PRo declaratione huius articuli obseruandum est, quod fuit aliquorum opinio ad transubstantiationem vnius substantiæ in aliam sufficere, quod tam terminus a quo, quam terminus ad quem sint substantiæ, eo quod sint in potentia obedientiali Dei, adeo quod subijciantur diuinæ potentiæ quo ad suum esse, & non esse totale, aliorum vero opinio fuit hoc non sufficere, sed vltra hoc requiri mutabilitatem inter terminum a quo, & terminum ad quẽ, vnde volunt, quod ad hoc, quod vna substantia conuertatur in aliam necessario requiri, quod quælibet earum habeat idem principium potentiale transmutabile a forma vnius ad formam alterius. secundo dicunt, quod licet materia vnius possit informari forma alterius, tam secundum agens naturale, quam supernaturale, tamen per agens naturale non potest vnica transmutatione hoc fieri, sed per multas transubstantiationes, quia prius alteratur illud, quod corrumpitur, & deinde corrumpitur, & postea informatur forma eius; sed agens supernaturale puta Deus non respicit illum ordinem in transubstantiando, sed immediate potest transubstantiare materiam de vna forma in aliam, & ad propositum applicando, quod dicit Doct. in hac quæst. sub litt. h. §. De primo sciendum &c. quod vtrumque istorum. i. & primus, & secundus modus dicendi saluatur, quia tam panis, quam corpus Christi totaliter est in potentia Dei quantum ad totale esse, & totale non esse, habent etiam materiam eiusdem rationis, propter quam quantum est ex parte vtriusque possit fieri transitus per naturam, id est, per agens naturale ab vno in aliud, licet per multa media, & hoc intelligendum est de agente naturali quantum est ex parte sua; potest enim agens naturale quantum est de se per multas transmutationes transmutare materiam ad quamcumque formam, atque ita in materiam panis introducere posset formam corporis, verum loquendo de agente naturali per respectum ad corpus Christi, in quantum est nunc immortale, & impassibile, non posset illud per naturam conuerti in panem, sed hoc non est, quia careat materia receptiua formæ panis, sed quia materia eius inseparabiliter continetur a forma sua, id est, ab anima impassibili, ita ut corpus Christi impassibiliter contineatur a forma sua, atque adeo non potest agẽs naturale transmutare materiam corporis Christi in aliam formam, quia omne quod transmutatur patitur.

Hoc etiam posset declarari de partibus vtriusque termini, Deus enim in potestate sua habet tam materiam, quam formam vtriusque termini, & per consequens potest materiam conuertere in materiam, & formam in formam, atque ita totum in totum, & totaliter. Hoc autem non potest naturale agens, quia in potestate eius nõ est materia, sed supponitur actioni suæ ex prima q. huius quarti. Et sic patet quomodo substantia panis põt conuerti in corpus Christi.

Hoc supposito circa modum possibilitatis istius conuersionis fuit opinio Ægidij de Roma Theor. 1. & 2. vbi volens ostendere quomodo panis possit transubstantiari in corpus Christi duo supponit, primo supponit, quod duplex est agens, scilicet principale, & instrumentale, vocat Ægidius agens principale, agens independens, agens instrumẽtale appellat omne agens causatum, agens principale potest agere absque hoc, quod agat per motum, agens autem per instrumentum non potest agere nisi per motum, ex quo sequitur, quod Deus non est agens per motum, quia non est agens instrumentale, sed agens principale, probatur, Deus est primum agens, & independens ab alio, at instrumentum non est primum agens, sed dependens a principali agente, ergo Deus non agit vt instrumentum. secundo sic, instrumentum non mouet nisi motum, non sic Deus, ergo Deus non agit vt instrumentum, tunc vltra non agit, vt instrumentum, ergo non potest agere per motum. Ægidius.

Secundo præsupponit, quod materia potest duobus modis considerari vno modo, vt quid, & est quando sumitur vt præcisa ab omni forma, alio modo vt qualis, & quanta, id est, sub aliqua forma, & vt distincta, primo modo materia est omnino indistincta, quia non distinguitur nisi per formas, primo de Gene. t. c. 12. id est materia considerata, vt est nulla quidditas, & indistincta, & vt sic nullo modo distinguitur, nec mutatur, quia non distinguitur nisi per formam, & non mutatur nisi quatenus est sub forma, ex quo sequitur, quod agens respiciens materiam, vt quid, respicit eam, vt omnino indistinctam, quapropter cum Deus respiciat materiam, vt quid, & agens naturale respiciat eam, vt qualis, & quanta, sequitur, quod Deus respiciens materiam non transmutat eam, agens autem creatum cum agat per motum requirit materiam quãtam, quia vt sub forma quam corrumpit inducendo aliam, sequitur etiam, quod sicut Deus potest omnem formam in materiam inducere, ita potest quamlibet formam in quamlibet materiam ponere, quia respicit materiam, vt quid, & vt indifferẽtem ad omnem formam, & cum non agat per motum non requirit dispositionem aliquam in passo.

Ex his duobus suppositis arguit Ægidius sic. Deus agit, & non per motum ex primo supposito, ergo potest formã destructã reparare. probatur sequela, quia tota ratio, quia agens naturale non potest reparare corruptum, est, quia agit per motum, & motus est successiuus, & de ratione successiui est continuitas, cum ergo motus est interruptus nõ erit idem motus, & ita nec idem terminus, atque ita non erit eadem forma ab agente naturali, quia nec idem motus; ergo si Deus agit, & non per motum, potest eamdem formam reparare, & hoc in suam materiam, quia illa non est destructa, vnde obs. est, quod quicquid creatura agit per motum, & mutationem, Deus etiam agit: nam creatura nihil potest agere nisi Deo cooperante, & agente, ergo si creatura potest agere per motum, & Deus etiam, potest enim mouere aliquid mobile sicut creatura, nec minus enim cõtinet motum, & mutationem in virtute sua actiua, quam agens creatum, licet oppositum dicat Ægidius, obs. est tamen quod Deus non dicitur agere per motum, & mutationem, & quod in Deo sit mutatio, vel motus, sed quia illud in quod agit dicitur mutari, vel moueri, vide inf. d. 43. q. 1.

Tunc vltra Deus respicit materiam, vt quid ex secundo supposito, ergo potest illam formam in quamcunque materiam inducere, ergo pari ratione formam manentem in materia propria potest in quamcumque materiam inducere, sed ad identitatem formæ in numero sequitur, quod eadem sit materia, atque ita secundum Ægidium si a materia ligni remoueret Deus formam ligni, & illam induceret in materiam lapidis, esset eadem materia ligni cum materia lapidis propter identitatem formæ in numero, atque ita lignum esset lapis, ergo Deus potest facere, quod quæcumque materia fiat hæc materia, sicut potest facere, quod fiat sub hac forma, atque adeo Deus potest facere, quod forma corporis Christi ponatur in materia pania, sicut potest facere, quod materia panis sit sub hac forma pania, atque ita ista materia panis conuertitur in materiam corporis Christi, & forma in formam, & totum in totum.

Bre-

Breuiter ratio Ægidij stat in hoc, ignem conuerti in aquam, est materiam ignis informari forma aquæ, sed materiam ignis informari forma aquæ est possibile, ergo ignem conuerti in aquam est possibile, maior probatur, quia materiam ignis informari forma aquæ est materiam ignis fieri materiam aquæ, quia identitas in forma concludit identitatem in materia, minor probatur, quia tam materia ignis, quam materia aquæ est, quid indistinctum, ergo eadẽ forma potest induci in vnaquaque illarum ab illo agente, qui respicit materiam, vt quid, tale agens est Deus, ergo Deus hoc potest. Cum ergo ad identitatem formæ sequatur identitas materiæ, ergo si aliqua forma producatur in aliqua materia, quandocumque erit eadem materia numero, sed sic est, quod forma corporis Christi producitur in materia panis, ergo materia panis sit materia corporis Christi.

Conuenit itaque Aegidius cum Doctor. & cum cæteris Theologis in concl. 5. quod panis potest cõuerti in corpus Christi, sed in modo probandi hanc possibilitatem deficit, atque adeo impugnatur a Doct. & primo impugnat primã eius propositionem, quæ est fundamentum rationis Aegidij, scilicet istam. Materia, vt est quid, est omnino indistincta, nam quæro, inquit Doct. quomodo hanc propositionẽ intelligat, aut enim intelligit, quod sit indistincta secundũ numerum, scilicet quod quæcumque materia, vt est quid est omnino eadem numero cuicumque materiæ, ita quod omnes materiæ, puta ligni, lapidis, Petri, Io. & sic de singulis sunt vna numero materia, atque ita vnica est materia numero in omnibus in quibus est, vt consideratur, vt quid id est, prior forma; aut intelligit, quod est indistincta secũdum rationem, hoc est, vt est quid, vt est substãtia, & prior forma est vnius rationis in omnibus, adeo quod omnes materiæ particulares sunt eiusdem rationis, & conueniunt in materia, quemadmodum indiuidua, quæ continentur sub eadem specie sunt eiusdem rationis, & natura specifica est eiusdem rationis in omnibus.

Si intelligat primo modo, ille intellectus est omnino impossibilis, quia contra Philosophum, & contra rationem naturalem, & contra illud, quod intendit probare. Contra Philosophum, quia ex intentione loquens 12. Meta. c. secundo, t. cap. 27. de per se principijs dicit, quod sicut principiata sunt alia, sic eorum per se principia, & hoc secundum genus, speciem, & numerum, & ad propositum expresse dicit. Horum quæ sunt in eadem specie diuersa, simple sunt principia non præcise, sed quia singularium alia est tua materia, & mouens, scilicet efficiens, & species, scilicet forma, & mea materia, ratione autem vniuersali eadem, ergo ex intentione vult, quod materia mea, & tua, vt est per se principium meum, & tuum est alia numero, est autem per se principium, vt quid est, quia pars substãtiæ non potest esse aliquid, nisi vt substantia, & vt quid, & si dicatur, quod illa diuisio materiæ naturalis est præcise per aliam, & aliam formam; contra, quia materia est prior forma, ergo in illo priori alia est materia lapidis, & alia est materia ligni.

Hoc etiam patet ex processu Philosophi, 1. Phy. t. ca. 82. & primo de generatione t. cap. 24. & 20. t. cap. 5. in quibus in locis inuestigando materiam dicit eam esse eamdẽ substantiam toti transmutationi, & vtrique termino, atque adeo est eadem materia in corrupto, & in genito, quo modo non est eadem in duobus simul genitis, quia tunc generatio, & corruptio non magis concluderent materiam vnam, quam simul existentia diuersorum erga materiam, vt est quid, si est eadem in aere corrupto, & in igne genito ex ipso, ipsa vt quid est nõ est eadem in aere, & in igne simul existentibus.

Et confirmatur, quia si posset esse eadem simul sub forma aeris, & ignis, non requireretur transmutatio corrumpens præcedens ad hoc, quod materia fieret sub alia forma. Hac confirmatione probat Doct. quod si materia aquæ, & materia aeris, vt quid acceptæ essent idem numero, tunc forma aeris non posset educi de materia aquæ, quia eam actu habet, atque adeo vt in materia aquæ forma aeris nõ requiritur transmutatio corrũpens præcedens, patet, quia materia non potest recipere formam, quam iam actu habet, cum ergo forma aeris sit in materia, & materia aeris, & materia aquæ est vna numero, ergo si forma aeris est in materia, sequitur quod etiam est in materia aquæ, quia est vna numero, ergo illa materia aquæ non potest recipere formam aeris, quia habet eam si est eadem numero cũ materia aeris, quod est contra rationem.

Secundo probatur, quod illa propositio Aegidij sit contra rationem, quia materia est prior ordine naturæ, quam ipsa forma recepta, quia materia est fundamentum omnium iuxta illud. 1. Meta. t. capitulo decimo septimo, in antiqua translatione in fundamento natura nihil est distinctum, prius autem, vt est prius essentialiter non variatur per posterius, ergo si materia, vt est quid, est omnino eadem in se, nullo modo potest esse alia propter aliam formam receptam, ergo ipsa omnino eadem recipiet formas contrarias substantiales, vel saltem impossibiles, vt aeris, & ignis, & tunc sequeretur, quod generans posset generare, nihil corrumpendo, posset etiam materia simul esse eadem sub forma hominis, & asini, atque ita nullæ duæ formæ substantiales repugnarent insimul perficiendo materiam, quod autem materia sit prior natura ipsa forma patet, quia materia vt puta aeris est sub oppositis formis, quia eadem materia quæ actu est sub forma aeris manens eadem potest fieri sub forma ignis corrupta prius forma aeris, cum ergo materia possit manere sine forma, & forma non possit manere sine materia, sequitur quod materia sit prior forma, sed ad variationem posterioris non sequitur variatio prioris, atque adeo non sequitur, quod si hæc forma recipitur in illa materia, quod hæc materia fieret illa, nam ibi non est nisi inductio formæ in materiam, quæ materia prius illam formam non habuit, materia autem transiens a priuatione alicuius formæ ad illam formã, non propter hoc talis materia fit illa materia, quæ præfuit sub forma ad quam transijt, vel da oppositum, quod fit, vel fiat eadem, ergo eadem materia habebit simul formas contrarias substantiales, vel saltem incompossibilis. v. g. aeris, & ignis.

Tertio probat Doctor, quod ille intellectus propositionis Aegidij sit contra propositum suũ, quia deducit, quod Deus potest ponere formam corporis Christi in materia panis, sed hoc non posset de nouo, si ista materia esset de nouo eadem numero sub forma panis, & corporis secundũm intellectum istum, quia eadem materia præerat sub forma corporis Christi, sicut & sub forma panis, cum per Aegidium materia, vt quid, sit vna numero, & indistincta in omnibus materiam habentibus, & per consequens eadem numero est materia panis, & materia corporis Christi, ergo in materia panis præest forma corporis Christi, ergo non potest Deus formam corporis Christi de nouo in materiam panis inducere, quia tam habet illam, & si habet non potest sibi imprimi, quia tunc simul haberet, & non haberet.

Si autem intelligat, quod materia sit indistincta, hoc est eiusdem rationis, & sic deducat, quod Deus potest formam eamdem numero imprimere illi materiæ, & cætera. Hic Doctor impugnat secundum intellectum propositionis Aegidij, nam si Aegidius intelligat materiam esse indistinctam secundo modo, quia vnius rationis communis, & vniuersalis in pluribus materijs, ex hoc nihil potest concludere, quia tunc materia panis, quæ est diuersa numero a materia corporis, & ipsa materia corporis, licet sint eiusdem rationis communis informarentur simul ab eadem forma corporis Christi; quod non videtur verum, quia eadem forma numero non potest simul informare duas materias, quarum vtraque est sufficiens susceptiuum & totale eius, nam ista vnitas rationis stat cum distinctione numerali huius materiæ ab illa, & dato quod esset verum, quod plures materiæ numero distinctæ informarentur ab eadem forma numero, non tamen propter hoc materia hæc fieret illa, nec conuerteretur in illam, atque ita nihil ad propositum; quia non fieret transubstantiatio totius in totum, de qua est hic sermo, quod autem hæc materia non fieret alia, probatur, quia prius non variatur propter nouitatem posterioris, sed materia est prior forma, ergo non variatur, nec fit alia quam prius fuit, ex hoc quod recepit aliam formam, quam prius non habuit.

Præterea si materia recipiendo formam fieret alia, verbi gratia, si materia panis recipiendo formam corporis fieret materia corporis, ergo forma corporis non posset sibi imprimi, quia iam habet illam, vt arguatur sic. Si pro eodem instanti, in quo materia panis recipit formam corporis fit materia corporis, ergo in illo instanti non potest recipere

formam

formam corporis, quia materia corporis non potest recipere formam corporis, quia eam præhabet, nam primo intelligitur materia panis fieri materia corporis, quam recipiat formam corporis, quia materia est prior forma, & recipiens est prius recepto, sed pro eodem instanti, pro quo fit materia corporis habet formam corporis, quia alias non esset materia corporis, sed panis, ergo non potest recipere formam corporis.

Præterea ista impressio formæ corporis in materiam panis non esset transubstantiatio, sed generatio, quia esset vera mutatio, & transitus materiæ a priuatione illius formæ ad illam formam, illa enim materia, scilicet panis fuit prius sub priuatione formæ corporis, quia eam non habebat. Postremo non habetur per hoc quomodo forma panis transeat in formam corporis, & quomodo fiat forma corporis, sed magis è conuerso forma corporis fieret forma panis, quia informaret materiam panis, non autem forma panis materiam corporis.

Præterea etiam ista propositio, quod solus Deus respicit materiam, vt quid, videtur esse falsa. Hic Doctor impugnat aliud dictum Aegidij, scilicet quod solus Deus potest attingere materiam, vt quid, & vt substantia est, & non agens creatum, & ratio est talis, omne agens sub ea ratione respicit passum, sub qua inducit in eo terminum actionis, sed agens creatum potest inducere formam substantialem in materiam, vt est quid, quia sic est per se receptiua formæ substantialis, non enim recipit formam substantialem, vt est quanta, vel qualis, id est, vt est sub forma, sed vt est distincta, & separata ab omni forma, ergo agens naturale attingit materiam, vt quid, & ex hoc sequeretur, si ista propositio esset vera, quod agens creatum potest transubstantiare sicut Deus. probatur, agens respiciens materiam, vt quid, potest eamdem formam in quamcumque materiam imprimere, sed agens creatum respicit materiam, vt quid, sicut probatum est, ergo agens creatum potest eamdem formam in quamcumque materiam inducere, atque adeo posset transubstantiare, quod est euidenter falsum.

Contra probationem, qua Aegidius probat, quod Deus non agat per motum, arguit Doctor, nam Aegidius ex eo probat, quod Deus non agit per motum, & omne aliud agit per motum, quia nunc aliud est instrumentum Dei, & Deus est prima causa, hæc ratio, inquit Doctor, non concludit, imo magis probat oppositum, nam licet Deus non agat de necessitate mediante motu, tamen potest causare motum, & agere aliquid mediante motu, quia potest mouere instrumentum, vt patet, at instrumentum in quantum instrumentum est, non oportet agere per motum nisi, quia ipsum est mouens motum, ergo oportet illud respectu cuius est instrumentum mouere ipsum, & per consequens illud cuius est instrumentum poterit agere per motum in ipsum instrumentum, imo potest Deus aliquid causare mediante motu sicut creatura, sicut mediante creatura, vt patet, siue immediate, vt docet Doct. in tertio distinctione quarta, quæstione prima, & sic patet improbatio opinionis Aegidij. Concludit, ergo Doct. *Scotus.* quod possibilitas cõuersionis panis absoluta in corpus Christi est ex plena obedientia vtriusque extremi respectu virtutis diuinæ, vt probatum est supra quæstione prima, articulo tertio.

ARTICVLVS VII.

Vtrum aliquid possit transubstantiari in præexistens secundum esse pristinum manens.

Duplex trā substantiatio. AEgidius de Roma dicit duplicem esse transubstantiationem, scilicet partialem, & totalem, transubstantiatio partialis, quæ etiam formalis appellatur est quando forma transit in formam, seu quando in materia introducitur forma, qua prius materia illa carebat, & ista conuersio fit per agens naturale, & numquam fit in præexistens, vt patet, transubstantiatio totalis est, qua totum conuertitur totaliter in totum, & ista fit tantum per agens supernaturale, atque ista fieri potest in præexistens, quia non oportet, quod terminus ad quem istius conuersionis accipiat esse, sicut dictum est de prima, nam prima conuersio est mutatio, per quam potentiale, id est, materia recipit actum, id est, formam, qua prius caruit, & per consequens compositũ ex illo potentiali, & illo actu nouum est, quia succedit priuationi illius actus, sed oppositum est in transubstantiatione totali, quia ibi non est mutatio, vt dictum est, quæstione prima, huius dist art. 4. atque adeo non oportet terminum illius transubstantiationis sequi priuationẽ, seu negationem oppositam suo esse, & in hoc non discordat Doct. ab Aegidio quantum ad distinctionem, sed deficit Aegidius, quia ex hoc non ostendit quomodo transubstantiationis, quatenus fit actio noua, non sit nouus per se terminus ad quem, nam licet non oporteat terminum ad quem huius transubstantiationis totalis esse nouum propter rationem mutationis, vt bene deducit Aegidius, tamen videtur, quod oportet ipsum esse nouum, quia est terminus nouæ actionis, atque adeo difficile est videre quid sit terminus formalis huius mirabilis conuersionis.

De qua re duplex est opinio, prima est D. Thomæ 3. p. *D. Thom.* quæstione 75. articulo quarto, & quinto, qui tenet, quod panis per transubstantiationem totaliter, & simpliciter desinit esse, eius tamen desitio terminatur ad corpus Christi secundum esse substantiale, ita ut terminus huius mirabilis conuersionis est Christi corpus secundum esse substantiale.

Cæterum, quia tota illa substantia præexistit ante consecrationem, non videtur quomodo possit esse terminus nouæ actionis, atque adeo Thomistæ varijs modis explicant hanc sententiam D. Thomæ. Aliqui enim dicunt substantiam corporis Christi secundum se præexistere, per hanc verò actionem fieri, vt suppleat officium substantiæ panis, atque adeo terminum formalem huius actionis esse vnionem corporis Christi ad species sacramentales, quam vnionem dicunt esse substantialem modum in corpore Christi, quo supplet vicem substantiæ panis, & sustentat accidentia eo modo, quo substantia panis, seclusa inhærentia, ita sentire videtur Sotus distinctione nona, quæst. 2. ar. 2. ad secundum argumentum Scoti, & huius art. 4. §. Igitur conuersio. *Sotus.*

Sed hæc opinio stare non potest cum opinione D. Thomæ, nam præter hanc actionem vnitiuam, quam fingit, necesse esse ponere actionem adductiuam, & terminum eius, quam fere omnes Thomistæ respuunt, nam non potest res aliqua alteri vniri, vbi antea non erat, sed necesse est vt ibi fiat de nouo, & producatur, vel vt aliunde illuc adducatur, res constat exemplo, nam quando anima rationalis vnitur materiæ, quia non eadem actione, qua vnitur fit, necesse est vt alia actione prius fiat, & creetur, & in resurrectione quia de nouo non creatur, necesse est vt ad eum locum, in quo vnienda est corpori adducatur, quia vnio requirit præsentiam vniendorum, & actio vnitiua, vt sic, non facit illam, ergo præexigit illam, cum ergo iuxta hanc sententiam corpus Christi nullo modo fiat, aut producatur per consecrationem, & ante illam non sit præsens, vbi sunt species panis, non potest illis vniri, nisi prius illuc adducatur, ergo necessario hæc sententia supponere debet totam actionem, & terminum conuersionis.

Præterea hæc opinio ex falso procedit fundamento, nec propositum ostendit, primum patet, quia supponit vnionẽ formalem inter corpus, & species, quod falsum est, & supra improbatum, secundum patet, quia admissa hac formali vnione, & concesso, quod sit terminus formalis transubstantiationis, non assequitur, quod intendit; scilicet assignare terminum substantialem huius actionis, quia hæc vnio non potest esse substantialis modus, quandoquidem ad accidens terminatur, & ad componendum ens per accidens, & non substantiale ordinatur.

Alij ita Diuũ Thomam exponunt, scilicet quod substantia corporis Christi potest bifariam considerari, vel secundum se, & hoc modo præexistit, & non est terminus huius actionis, vel prout id, quod erat panis nunc incipit esse corpus Christi, & hoc modo non præexistit, sed fit per actionem hanc conuersiuam, & hanc expositionem indicat Caietanus articulo quarto, quæstione 75. vbi dicit substantiam panis, vt conuersam; seu id quod erat panis aliquo modo pertinere ad terminum ad quem huius actionis, sed hic modus, vel incidit in errorem infra quæst. sequenti improbandum, vel non assignat terminum substantialem huius conuersionis, si enim ille terminus id, quod *Caietan.*

erat

Digitized by Google

erat panis designet aliquam rem indiuiduam, & substantialem, quæ prius fuerit panis, & postea fiat corpus Christi deuoluitur in errorem reprobandum, & destruit transubstantiationem in verum Christi corpus, quia ponit terminum a quo manere aliquo modo in substantia sua, ex quo fit non posse conuerti in verum corpus Christi, vt ex superius, & infra magis dicendis patet, si verò id quod erat panis designet habitudinem corporis Christi ad species, quam prius habebat panis secundum speciem sine inhærentia, adeo quod id quod erat panis, id est, eam habitudinem ad species, quæ erat panis, habet Christi corpus ad ipsas species, adeo quod habitudo ad species, vel continert sub speciebus sit terminus formalis conuersionis, hæc expositio non differt ab opinione Scoti, quam tamen ipse gratis impugnat, nam Scotus solum dixit substantiā corporis Christi, vt contentam sub speciebus esse adæquatum terminum huius actionis, & consequenter formalem terminum huius actionis solum esse Christum continere sub speciebus loco panis, quod quomodo debeat intelligi explicabimus statim.

Alij verò exponunt D. Thom. vt intelligat terminū formalem huius actionis esse substantiam corporis Christi, nō quia nunc de facto hæc actio influat esse substantiale in illud corpus, sed quia de se efficax est, ad illud influendum si alibi non existeret, & hoc satis est, vt hæc actio nunc dicatur transubstantiatio, sicut absolutio sacramentalis simpliciter est absolutio, etiam quando actu non confert gratiam, & remissionem peccati.

Sotus. Hanc expositionem indicat Soto d. 9. q. 2. artic. quarto, in solutione arg. quamquam ille non omnino acquiescat. Cæterum hæc expositio stare non potest, nam aliud est loqui de virtute verborum, quæ significat actum primum, aliud de actione, quæ significat actum secundum, hic non quæritur de virtute, sed de actione, non de eo quod fieri potest, sed de eo quod per actionem producitur, actualis enim consecratio, & transubstantiatio non solum requirit virtutem, sed actionem, & de hac actione inquirimus quem terminum habeat, loquendo autem de actione implicat dicere esse aptam ad influendum in aliquem terminum, & actu non influere, quia actio non dicit actum primum sed secundum non posse agere, sed agere, ergo si actio non solum est in potentia, sed etiam in actu, necesse est, vt actu influat in terminum, quia in hoc actuali influxu consistit essentia sua, & confirmatur, quia aut conuersio influit actu in substantiam corporis Christi, aut nō, si primum, ergo male negatur, & hoc inquirimus quomodo fiat, si secundum, ergo conuersio non est actio, quæ de facto ad substantiam corporis Christi terminetur, atque adeo si conuersio est necessaria ad transubstantiationem, nunc de facto non fit transubstantiatio, nec exemplum de absolutione aliquid concludit, nam actio effectiua gratiæ non est necessaria ad constituendum sacramentum pœnitentiæ, sed potius manat ab illo iam constituto, & ideo quando impeditur effectus propter obicem cessat actio manente Sacramento, quod de se dicitur habere virtutem ad illam actionem, quia ad illam est institutum, & de facto illam habet si non ponatur obex, at verò in præsenti, actio de qua agimus est simpliciter necessaria ad constituendum hoc Sacramentum, & ex parte materiæ impediri non potest si sit verus panis, & ex parte ministri, & verborum si concurrant omnia necessaria.

...tus. Secunda opinio est Doct. qui primo dicit, quod possibilitas conuersionis panis in corpus Christi prouenit ex plena obedientia vtriusque extremi panis videlicet, & corporis Christi ad Dei virtutem, & potentiam, sed cum sit difficile intellectu, quod conuersio terminetur ad corpus Christi secundum esse substantiale, quandoquidem per conuersionem non producitur corpus Christi secundum esse substantiale cum præexistat transubstantiationi, quæ fit per consecrationem, ideo ad euitandam hanc difficultatem dicit transubstantiationem esse duplicem, alteram productiuam, alteram verò adductiuam, transubstantiatio productiua est illa per quam aliqua res producitur secundum esse substantiale, velut si corpus Christi non præexisteret consecrationi, sed per conuersionem panis acciperet esse substantiale nouum, velut quando Christus conuertit aquam in vinum in Galilæa, transubstantiatio vero adductiua seu acquisitiua substantiæ est, per quam res, quæ est terminus, non producitur, sed adducitur, vt sit præsens alicubi, vel breuiter sub alijs verbis transubstantiatio potest esse, vel ad entitatem sui termini, vel ad præsentialitatem eius alicubi, ita ut transubstantiatio productiua non præsupponit rem, in quam fit conuersio, sed per ipsam transubstantiationem producitur, adductiua verò præsupponit terminum conuersionis præexistentem, quo supposito dicit Sco. probabiliter dici posse, quod transubstantiatio panis in corpus Christi non est productiua, sed adductiua, atque adeo transubstantiatio panis non terminatur ad entitatem substantialē corporis Christi, sed ad præsentialitatem illius, hoc est, terminus formalis ad quem terminatur conuersio panis, non est corpus Christi secundum esse substantiale, sed secundum esse accidentale, quia terminus est, quod corpus Christi fit præsens speciebus sacramentalibus, quia hæc transubstantiatio non est productiua, sed adductiua, hæc opinio defenditur ab Illustrissimo Bellar. in lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ c. 18. & est sententia valde probabilis, licet Doct. aliam doceat, & sequatur in quol. q. 10. art. 2. vt videbimus. Bellar.

-ansubstā... ...o est du... ...x.

Probatur autem hæc sententia dupliciter, & primo sic. Terminus noua actionis accipit esse per ipsam actionem, sed per transubstantiationem, quæ est actio noua non accipit corpus Christi esse substantiale, sed præsentialitatem ad species, ergo corpus Christi non est terminus transubstantiationis secundum esse substantiale, sed solum secundum præsentialitatem, consequentia patet cum minori, quia corpus Christi non producitur de nouo per conuersionem panis, sed solum fit præsens ad species panis, maior verò probatur, quia nihil aliud est esse terminum alicuius actionis, quam produci per ipsam actionem, & hoc saltem secundum illud, quod est formalis terminus actionis illius, vnde etiam filius Dei, qui est terminus actiuæ generationis Patris, per illam generationem accipit esse, & personam esse, & Deum esse, alioquin si nullum esse acciperet per illam, non videtur esse intelligibile quomodo sit ibi aliquid terminans generationem, quæ est actio de genere actionis, quod pro tanto dico (inquit Doctor) ad excludendum operationes, quæ dicuntur æquiuoce actiones sicut sunt visio, intellectio &c. illarum quidem terminum non oportet accipere esse, quia non sunt actiones de genere actionis, sed sunt termini, vt dictum est, distinctione tertia primi libri. Et si dicatur hoc verum esse de termino actionis positiuæ, transubstantiatio vero non est nisi actio destructiua termini a quo, & in hoc magis est non actio. Contra, hoc non videtur probabile, quia ipsa est inter terminos positiuos, itaque nec est creatio, nec destructio tantum.

Secundo probatur sic hæc sententia. Illud est terminus alicuius conuersionis, quod succedit per ipsam conuersionem, sed corpus Christi per conuersionem panis non succedit secundum esse substantiale, sed solum secundum præsentialitatem, ergo non est terminus huius conuersionis secundum esse substantiale, sed secundum præsentialitatem, consequentia patet cum minori, & probatur maior, quia illud est terminus conuersionis, ad quod terminatur conuersio, sed conuersio terminatur ad illud, quod per ipsam succedit in locum illius rei, quæ conuertitur, sicut conuersio ligni in ignem terminatur ad ignem, qui per ipsam conuersionem succedit in locum ligni, ergo illud est terminus quod per ipsam conuersionem succedit.

Præterea verba consecrationis sunt causæ instrumentales efficientes ad modum causæ Physicæ hanc conuersionem, sed non possunt esse causæ efficientes conuersionis, si conuersio terminatur ad substantiam corporis Christi secundum esse substantiale, ergo conuersio non terminatur ad corpus Christi secundum esse substantiale, maior est D. Thomæ tertia parte quæstione 78. articulo quarto, & minor probatur, quia nulla creatura potest esse causa instrumentalis creationis, quia creatio terminatur ad totam rei substantiam nullo præsupposito, vt etiam tenet S. Thom. prima parte quæstione 45. articulo quinto, igitur si ista conuersio terminatur ad totam substantiam corporis Christi secundum esse substantiale, sequitur quod nulla creatura potest esse causa huius conuersionis.

Sed contra: hæc sententia videtur esse contra rationem transubstantiationis in se, & contra Doct. contra transubstantiationem quidem, quia si corpus Christi secundum

entitatem substantialem non esset terminus conuersionis panis, sed solum ratione præsentialitatis, sequeretur, quod conuersio panis non posset dici transubstantiatio, consequens est plus quam falsum, ergo & antecedens, probatur sequela, quia omnis actio sumit speciem, & denominationem a termino ad quem, sicut calefactio a calore, dealbatio ab albedine &c. ergo si terminus huius conuersionis non est substantia, sed accidens, hoc est præsentialitas corporis Christi nonpoterit dici transubstantiatio, sed potius transpræsentatio, vel transaccidentatio. Præterea panis proprie loquendo dicitur conuerti in corpus Christi, ergo corpus Christi est terminus huius conuersionis secundum rationem substantialem, & non secundum rationem accidentalem, antecedens notum est, & consequentia probatur, quia illa particula, in, quando regit post se accusatiuum non dicit ordinem ad subiectum, sed ad terminum, quia non dicitur bene frigidum conuertitur in lignum, sed in calidum, quamuis lignum sit subiectum calefactionis, ergo a simili quando dicitur panis conuertitur in corpus Christi, non denotatur, quod corpus Christi sit subiectum termini conuersionis, sed quod ipsummet corpus est terminus conuersionis.

Contra Doct. autem, quia dictum fuit supra d. 10. q. 1. contra D.Thom. quod corpus Christi non est sub speciebus panis per conuersionem panis in ipsum, sed per aliam mutationem, ergo sibi contrarius est modo dicens, quod conuersio panis est adductiua corporis Christi, vt sit sub speciebus sacramentalibus. Præterea ipse Sco. q. 1. huius distinct. docuit transubstantiationem non esse mutationem, cuius oppositum colligitur ex his, quæ hic dicit, nam si per transubstantiationem corpus Christi adducitur, vt sit vbi prius non erat, ergo per transubstantiationem mutatur. Item si præsentialitas esset terminus conuersionis, sequeretur, quod quot essent hic præsentia, tot essent conuersiones, probatur, quia quot sunt præsentia, tot sunt præsentialitates, & præsentialitas est terminus conuersionis, ergo quot sunt præsentialitates, tot sunt conuersiones, multa autem sunt in Christo, quorum quodlibet est hic præsens, ergo sunt multæ præsentialitates, atque adeo multæ conuersiones.

Rubion. Maior. Mayronus. Ocham. Pe. de Alia. Ale. de Al. D. Bonaue. Marsilius. Ad hæc argumenta sustinendo hanc opinionem, vt probabilem, quam defendit Gulielmus Rubion distinctione vndecima, quæstione prima, art. 3. Maior. q. 1. Franciscus de Mayron. q. penultima, Ocham quæst. 6. Petrus de Aliaco quæstione sexta, cui videtur fauere Alexand. de Ales p. quarta quæstione decima, m. 5. articulo tertio, D. Bonauentura distinctione decima, quæstione prima, articulo secundo, Marsilius q. 8 art. 2. concl. 7. & 8. qui dicunt per hanc actionem non fieri, quod non erat, sed quod alicubi erat poni alibi, item per conuersionem corporis Christi non accipere esse, sed accipere esse hic, nec multum ab hac sententia discordat D. Tho. 3. p. q. 78. articulo quinto, dicens per consecrationem non fieri, vt contentum sub speciebus sit corpus Christi, iam enim hoc antea erat, sed fieri vt contentum sub his speciebus sit corpus Christi; præsefert etiam hæc sententia facilitatem quamdam, estque satis ad veritatem verborum consecrationis: quia si Christus vere fiat præsens sub speciebus non amplius ex hac parte requiritur. & Conc. Trid. docuit totam hanc actionem, & conuersionem excogitatam esse, quatenus in verbis Christi fundamentum habet, & adeo tum veritatem esse necessariam, ad quod sine dubio satis esse videtur, quod Christi corpus adducatur sub speciebus, & inde expellatur substantia panis, ad argumenta ergo contra hanc sententiam respondetur, &

D. Thomas.

Conc Trid.

Ad primum respondet Doct. negando sequelam, & ad probationem dicitur, quod hæc conuersio terminatur ad substantiam, quia substantia succedit substantiæ, non tamen secundum esse substantiale nouum, sed tantum secundum præsentiam nouam. In conuersione etiam attenditur præcipue terminus a quo, sicut in corruptione, & annihilatione, id enim conuertitur, quod desinit esse, cum ergo panis substantialiter mutetur, hæc conuersio substantialis non accidentalis dicenda est, terminus etiam ad quem est substantia, non enim per conuersionem istam fit præsentia (relationis enim non fiunt sed consequuntur) sed fit vt corpus Christi succedat pani, proinde substantia in substantiam transit, & substantia substantiæ succedit, non enim panis conuertitur in præsentiam corporis Domini, sed in ipsum corpus Domini. Et si dicatur, ad hoc quod conuersio dicatur transubstantiatio, non sufficit conuersionem panis terminari ad substantiam corporis Christi sub ista ratione, ergo argumentum manet in sua ui, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia omnis actio sumit appellationem a termino formali, & non a subiecto termini formalis, ergo licet substantia corporis Christi sit subiectum termini formalis conuersionis, scilicet præsentialitatis, nihilominus conuersio non sumet appellationem ab ipsa substantia, sed a præsentialitate, quæ est accidens, atque ita nō poterit dici transubstantiatio, antecedens est notum, quia calefactio non sumit appellationem a ligno in quo fit, sed a calore in quem terminatur. Respondetur, quod multæ actiones non sumunt appellationem a termino formali, sed a subiecto termini formalis, sicut lapidare, & grandinare; terminus enim formalis lapidationis est vbi, & tamē lapidare sumit appellationem a lapide, qui est subiectum vbi, similiter incarnatio non denominatur a relatione, sed a subiecto illius, nimirum a natura humana, quæ est subiectum relationis, vel vnionis, qui est terminus incarnationis, vnde nec nouum est, nec præter rationem, quod conuersio panis appelletur transubstantiatio, quamuis terminus eius formalis sit præsentialitas Christi corporis.

Ad secundum concedo antecedens, & nego consequentiam, & ad probationem dico, quod particula, in, non dicit ordinem ad subiectum, quatenus subiectum est sub termino a quo, atque ita non dicitur calidum conuertitur in lignum, quando lignum infrigidatur, sed in frigidum, dicit tamē ordinem ad subiectum, quatenus est sub termino ad quem, quoniam subiectum est pars termini ad quem, vt exitur sub illo, nam vt inquit Arist. 7. Meta. capitulo sexto, non generatur forma, sed compositum, neque enim bene dicitur frigidum conuertitur in calorem, sed in calidū, quia terminus totalis istius actionis non est calor, sed calidum, atque ita in proposito proprie loquendo panis conuertitur in corpus Christi, quamuis terminus formalis sit præsentialitas, quoniam corpus Christi est pars termini totalis istius conuersionis, neque enim panis conuertitur in præsentiam, sed in præsens, sicut frigidum non conuertitur in calorem, sed in calidum, vnde substantia corporis Christi absolute potest vocari terminus, quia terminus totalis conuersionis non est præsentia, sed præsens, sicut terminus calefactionis non est calor præcise, sed calidum, sic cum substantia corporis Christi sit præsens simpliciter loquendo potest appellari terminus totalis, præsentia verò eius terminus formalis.

Et si dicatur, quod eodem argumento probaretur, quod lignum est totalis terminus calefactionis, respondetur, quod lignum absolute non est terminus, neque totalis appellari potest, cuius ratio est, quia de ratione termini est differre ab alio termino, lignum autem, vt lignum in termino a quo, & in termino ad quem nullam habet differentiam, quia lignum, vt calidum est terminus ad quem & vt frigidum est a quo, substantia autem corporis Christi absolute dicitur terminus sine aliqua additione, quia includit in substantia differentiam ab alio termino, nec, que Concilium Tridentinum determinauit, quisnam esset terminus formalis huius admirabilis conuersionis, sed dixit, quod per consecrationem fit conuersio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi.

Ad ea, quæ adducta sunt contra Doctor. ad primum respondet ipse Doctor, quod transubstantiatio productiua non facit terminum ad quem esse, vbi prius non fuit, & de tali conuersione intelligi debet conclusio probata contra Diuum Thomam in illa quæstione prima, distinctione decima, transubstantiationis verò adductiuæ, de qua hic est sermo, proprium est officium substantiam vnam adducere in locum alterius, ideoque sibi non est contrarius Scot.

Ad secundum similiter respondetur, quod Scotus loquebatur ibi de transubstātiatione productiua, quæ nō est mutatio, nec ad eam sequitur, cum de ratione eius non sit quod terminus ad quem succedat in locum termini a quo, hic vero loquitur de adductiua, quæ non est sine mutatione aliqua termini ad quem, vt per illam sit, vbi non præfuit.

Ad ter-

Digitized by Google

Ad tertium respondet Doctor, quòd in hac conuersione non est nisi vnicum primum præsens, scilicet illud quod est primum signatum huius signi, id est, corpus Christi, alia autem præsentia, vel sunt partes ipsius, vel concomitantia ipsum, atq; adeo vnica est conuersio, quia vnius substantiæ panis prius præsentis istis speciebus in vnum corpus vt præsens eisdem.

Et sic patet, quomodo hæc via sustineri potest, quam tamen Doct. non sequitur.

Conuersio quid sit. Vnde obseruandum est, quòd conuersio, quæ est transitio vnius in aliud duo dicit, scilicet desitionem alicuius rei, & successionem alterius; si enim legitur aqua conuersa in vinum in Nuptijs Ioann. 2 desijt in hydrijs aqua, & successit vinum, hoc est quòd forma aquæ in hydrijs desijt esse, & successit forma vini in materia aquæ, vel tota aquæ substantia desijt, & tota substantia vini successit, quippe fieri vtrumque potuit; quod autem horum factum sit nouit, qui fecit, est ergo conuersio entitatis positiuæ ad entitatem positiuam desinentem.

Secundo obseruandum est, quòd illud dicitur succedere quod ad desitionem alterius nouum esse recipit, aut in esse quod habet conseruatur, ita quod nisi aliud delineret, ipsum non reciperet nouum esse, nec in esse quod habet conseruaretur, ex quo sequitur, quòd de ratione successionis non est, quòd succedens sit in eadem materia, sub iysdem accidentibus, vel in eodem loco, in qua, quibus, vel quo fuit id, cui succedit, vnde si Deus conseruaret solem in cœlo ad destructiones vermis in terra aliàs non conseruaturus, sol quantum ad esse, in quo conseruatur, succederet animali, & animal desinens conuerteretur in solem.

Secundo sequitur, quòd de ratione successionis non est, vt sit nouitas aliqua in succedente, quia si res aliqua in suo esse, quod habuit sine sui mutatione conseruaretur ad corruptionem alicuius rei, aliàs non conseruanda, illa succederet rei corruptæ, sine sui mutatione, & qualibet nouitate; Doctrina est Doctoris, in quolib. quæst. 10. artic. 2. sub littera L.

Scotus.

Tria concurrunt in transubstantiatione panis in corpus Christi. Tertio obseruandum est, quòd tria concurrunt in transubstantiatione panis in corpus Christi, scilicet duæ mutationes, & vna successio, primum est mutatio deperditiua termini à quo, scilicet substantiæ panis, qui desijt esse simpliciter. secundum est successio corporis Christi, quæ secundum esse suum non nouum, sed præexistens succedit desitioni panis, & illa successio fieri posset sine mutatione corporis Christi; posset enim Deus velle conseruari corpus suum in cœlo ad desitionem panis in terra, ita quòd pane in terra desinente; si corpus suum non esset in cœlo, ipsum de nouo produceret in cœlo, in quo casu esset successio corporis sine sui mutatione, tertium est mutatio localis acquisitiua termini ad quem, scilicet corporis Christi, qua incipit de nouo esse præsens speciebus panis sine amissione sui vbi in cœlo ad desitionem panis.

Quarto obseruandum est, quòd hæc tria sunt à se inuicem separabilia, primum separabile est à secundo: quia panis posset desinere esse simpliciter, licet non succederet aliud, & tunc illa desitio esset annihilatio; secundum etiam separari potest à tertio: quia posset corpus Christi conseruari in cœlo in ordine ad desitionem panis in terra, absque hoc quod fieret præsens speciebus panis; tertium etiam posset separari à primo, quia posset corpus Christi fieri præsens speciebus panis pane non desinente, & esset simplex mutatio localis sine transubstantiatione; posset etiam illud tertium separari à secundo: quia posset fieri præsens speciebus panis, & conseruari, non autem ad substantiam panis desinentem.

Transubstantiatio tribus modis fieri potest. Quinto obseruandum est, quòd secundum hanc doctrinam, quæ est Doctoris loco supra citato, triplex potest fieri transubstantiatio, vel sic quòd vna substantia desinens esse conuertatur in aliam succedentem sibi secundum esse nouum simpliciter, siue in loco substantiæ desinentis, siue in alio loco, vt si ad desitionem lapidis secundum se totum Deus produceret aurum, vel Angelum, lapis transubstantiaretur in aurum, vel Angelum, vel secundo, quòd substantiæ desinenti succedat alia substantia secundum esse suum non nouum, sed præexistens in locum, siue sub accidentibus prioris substantiæ, sicut in proposito corpus Christi secundum suam substantiam succedit substantiæ panis, & fit præsens eius speciebus, vel tertio quòd substantiæ desinenti succedat alia substantia quo ad conseruationem in suo esse iam habito sine sui mutatione, quomodo panis transubstantiari posset in corpus Christi, vt in cœlo.

Sexto obseruandum est, quòd Deus posset velle suum corpus esse non solum post desitionem panis, sed in ordine ad eius desitionem, ita quod si non præhaberet esse, vellet ipsum de nouo producere in esse, & secundum hoc sicut dicitur Deus rem creare, quando vult eam esse post non esse simpliciter, & conseruare, quando vult eam esse post idem esse præacceptum, ita potest velle aliquid esse, siue quantum ad esse nouum, siue quantum ad esse antiquum in ordine ad aliam rem totaliter desinentem, atque ita dicit Doct. vbi supra, res desinens dicitur conuerti, & transubstantiari in aliam.

Septimo obseruandum est, quòd sicut idem homo, & ratione eiusdem quantitatis dicitur magnus, & paruus respectu diuersorum hominum, ita eadem actio diuina propter diuersas habitudines, seu relationes illarum rerum, ad quas terminatur, dicitur creatio, conseruatio, & conuersio; creatio enim dicitur propter habitudinem, seu relationem rei productæ ad suum non esse immediatè præcedens, conseruatio verò propter relationem rei ad suum esse præexistens; conuersio autem propter habitudinem rei ad rem in illo instanti non existentem, sed immediatè antea existentem, ex quo infertur primo, quòd sicut conseruatio diuina terminatur ad entitatem substantialem rei, absque eo quod res accipiat nouum esse substantiale, ita conuersio eodem modo potest terminari ad entitatem substantialem corporis Christi absque eo quod entitas substantialis corporis Christi de nouo producatur per conuersionem; quoniam conuersio, & conseruatio sunt eadem actio.

Secundo infertur, quòd conuersio non est actio noua, sed antiqua, qua Deus conseruat corpus Christi.

Et si dicatur conuersio est noua, quia antea non erat, & conuersio est actio, ergo conuersio est actio noua, & non antiqua; præterea si nihil agit Deus circa corpus Christi, nisi conseruare illud, quando destruit panem; nulla videtur ratio, quare magis panis dicatur conuerti in corpus Christi, quam in solem, vel in aliam quamcumque rem, cum in eo instanti, quo panis destruitur, & conseruatur corpus Christi, similiter conseruentur res aliæ.

Respondetur ad primum, quòd sicut non valet hæc consequentia, album fit nouiter, & album est homo, ergo homo fit nouiter, supposito quòd homo præexisteret, quia arguitur à dicto secundum quid ad simpliciter, ita non valet in proposito, conuersio est noua, & conuersio est actio, ergo conuersio est actio noua; quia actio diuina dicitur conuersio propter habitudinem illius rei, ad quam terminatur, quæ habitudo potest esse noua, actione existente antiqua, sicut dealbatio in homine potest esse noua homine præexistente.

Ad secundum dicitur, quòd aliquid agit Deus circa corpus Christi in illo instanti conuersionis, quod non agit circa solem, vel alias res ratione cuius panis dicitur conuerti in corpus Christi, & non aliæ res, nam per suam actionem, quatenus terminatur ad corpus Christi, & per ipsum corpus Christi tamquam per se terminum actionis diuinæ destruitur substantia panis, quod non facit per solem, neq; per alias res, nam vult corpus Christi conseruare in ordine ad desitionem panis, quod non facit in alijs rebus.

Et si quæratur, quod sit velle corpus Christi in ordine ad desitionem panis, vel quid sit destruere substantiam panis per corpus Christi tamquam per terminum actionis diuinæ.

Dico, quod sicut in conuersione naturali, quando v.g. aqua calefit ab igne, frigiditas aquæ expellitur dupliciter, & à calore, qui est in igne, & à calore, qui est in aqua; à calore quidem, qui est in igne effectiuè, à calore verò qui est in aqua ipsa formaliter tamquam per terminum actionis ignis, quod est dicere, ideo expellitur frigiditas aquæ à calore, qui in aqua producitur, quia frigiditas, & calor non se compatiuntur in aqua in gradibus intensissimis in proposito per corpus Christi tamquam per terminum actionis diuinæ destruitur substantia panis, quæ latebat sub eisdem speciebus, sub quibus est corpus Christi, quia quatenus corpus Christi est terminus huius actionis conuersiuæ, repugnat simul esse cum substantia panis.

Et si dicatur, quòd ex hoc sequeretur, quòd prius esset corpus Christi in Eucharistia, quã panis destruatur, quod videtur inconueniens; atque etiam quòd corpus Christi, si potest destruere totaliter substantiam panis, posset etiam illam creare, quòd tamen est falsum.

Dico, quòd in genere causæ formalis, prius est illa quasi productio corporis Christi in Eucharistia; in genere autem causæ materialis prius est destructio panis; vt patet in exẽplo de calore in aqua producto.

Ad secundum dico, quòd destruere panem isto modo non est agere in panem, sicut dictum est de calore producto in aqua: calor enim qui est in aqua non expellit effectiuè frigiditatem, quæ est in aqua, nam alias in aqua esset duplex actio, altera à calore ipsius aquæ, altera verò à calore ipsius ignis, igitur corpus Christi destruere panem tamquam terminum actionis diuinæ nihil aliud est, quam esse terminum, qui secum non compatitur panem.

Ex his omnibus patet Doctorem subt. non fuisse diuersum ab opinione D. Thomæ, si considerentur ea, quæ ipse docet in quæstione decima quolib. articulo secundo, atque adeo licet opinionem superius explicatam, vt probabilem

Tataretus. in hac quæstione proposuerit, eam tamen (vt inquit Tataretus) Doctor non tenet, quòd ex eo colligitur, quòd tractando viam distinctionis transubstantiationis in productiuam, & adductiuam, verbis vtitur modestis, & non assertiuis, respondendo potest dici, & similia; & in verbis primis, & vltimis huius dubij absolutè dicit, quod in corpus Christi fit per se conuersio panis, ipsumque corpus vocat terminum conuersionis primum in Eucharistia; & in articulo primo huius quæstionis, tam ex authoritate Concilij Lateranensis, quam etiam plurimorum sanctorum defendit cum opinione communi, quòd panis conuertitur in corpus Christi, & in fine huius quæstionis, sub littera KK. dicit, quòd corpus Christi per se includit materiam, & formam corporeitatis, & in istud compositum, quod per se est pars hominis fit per se conuersio panis, imò in quolib. quæstione decima, sub littera L. declarat quo pacto aliquod præexistens possit esse terminus nouæ conuersionis illo exemplo conseruationis, qua Deus conseruat creaturam, sicut à nobis supra explicatum est, & ibidem sub littera M. dicit, quòd ista conuersio est productiua æquiualenter, quia ipsa quantum est ex parte sufficeret ad hoc, quòd corpus Christi acciperet esse per eam, nisi illud præhaberet. & infra sub littera N. sic ait, nunc autem substantia corporis Christi est per se terminus transubstantiationis, licet concomitetur præsentia illa, qua de nouo est præsens speciei panis; itaque videtur, quòd opinio communis tandem visa est Scoto probabilior, sicut & mihi videtur, quia est magis consona verbis Concilio-

Ale. & Ales. rum, atque Sanctorum, & Doctrinæ Alexandri Alensis, parte quarta, quæstione decima, membro quinto, articulo

D. Bonau. tertio, & Sancti Bonauenturæ, atque Richardi, in hac

Richardus. distinctione, isti enim cum alijs antiquis Doctoribus docuerunt, quòd in hac mirabili conuersione terminus ad quem primarius est corpus Christi, & sanguis Christi; terminus verò ad quem secundarius est præsentia corporis Christi in sua substantia in ordine ad accidentia, & ratione accidentium in ordine ad locum altaris in Ecclesia.

Atque hæc adnotare volui propter Sotum, & alios Thomistas, qui Scoti opinionem referentes solum recensent illam viam de transubstantiatione productiua, & adductiua, quæ vt diximus visa est Scoto minus probabilis, nec viderunt, quæ Scotus docet in quolib. quæst. 2. artic. 2. atque adeo non est mirum, si ad pauca respicientes de facili enunciant.

Ad rationes autem, quæ pro confirmatione primæ opinionis adducta fuerunt, respondetur, negando maiorem, nam conuersio non est actio noua, sed antiqua, vt diximus supra, quia formaliter est ipsa conseruatio corporis Christi in ordine ad desitionem panis.

Ad secundam concedo maiorem, & ad minorem dico, quòd corpus Christi secundum entitatem substantialem succedit pani per conuersionem, sicut dictum est.

Ad tertium dico, quòd hoc argumentum in via Scoti nullam facit difficultatem, quia Scotus negat, quòd verba consecrationis sint causa effectiua Physicæ huius conuer-

Cano. sionis; imò aliqui Thomistarum, vt Magister Cano in relectione de sacramentis parte quarta dicit, quòd verba consecrationis non sunt causæ naturales conuersionis, sed morales, idemque dicit de formis aliorum sacramentorum, de quibus supra distinctione prima, quæstione sexta, dicit ergo Cano, quòd verba consecrationis non causant conuersionem, tamquam causa naturalis, & Physica, sed sunt causæ morales, quæ inclinant Deum ad efficiendam hanc conuersionem.

Vltimo iuxta hanc viam soluendum est argumentum, quo probabatur, quòd ista conuersio, quæ fit in sacramento non sit transubstantiatio, quia non est ad substantiam tamquam ad terminum formalem, sed ad vbi, id est, ad præsentiam corporis Christi in loco, & speciebus panis, nam ad illud est conuersio, tamquam ad terminum formalem, quod succedit desitioni panis, huic autem non succedit substantia corporis Christi, sed præsentia, quia substantia corporis Christi non recipit nouum esse ad desitionem panis, quia præfuit, nec conseruatur in ordine ad desitionem panis, quia etiam si non fuerit conuersio, id est, si panis non desineret, nihilominus substantia corporis Christi conseruaretur in esse.

Ad hoc nego, quòd hæc mirabilis conuersio non sit ad substantiam, tamquam ad terminum formalem; ad probationem cum dicitur, est ad vbi tamquam ad terminum formalem, ergo non est ad substantiam corporis Christi, negatur consequentia, quia vt patuit supra, hic sunt duæ mutationes, & successio substantiæ ad substantiam, & propter successionem substantiæ ad substantiam principaliter dicitur transubstantiatio, & non propter alias mutationes, licet ipsæ requirantur, atque ita vocando terminum formalem transubstantiationis, illud quod principaliter connotatur per nomen transubstantiationis, vbi, seu præsentia non est terminus formalis, sed substantia corporis Christi conseruata in ordine ad desitionem panis; sicut in generatione naturali forma, quæ producitur in materia formæ corruptæ, atque ita in loco formæ corruptæ acquirit nouum vbi, & tamen vbi non est terminus formalis generationis, siue productionis formæ.

Et cum dicitur, quòd substantia corporis Christi non conseruatur in ordine ad desitionem panis, negatur, & ad probationem concedo, quòd corpus Christi permaneret, si panis non desineret, sed propter hoc non tollitur, quin conseruetur ad desitionem panis, quia illud dicitur conseruari ad desitionem alterius, quòd si aliud non desineret non conseruaretur, aut si aliud desineret ipsum denuo produceretur si non esset, & secundum est in proposito, quia desinente pane per verba consecrationis, si corpus Christi non esset in naturali sua consistentia de nouo produceretur à Deo ad prolationem verborum consecrationis, per quam desijt substantia panis.

Et si dicatur, quòd vbi est terminus formalis, quia corpus Christi accipit nouam præsentiam ad species panis, quibus (desinente pane) nunc de nouo est præsens, atque adeo succedit quantum ad præsentiam localem; concedo quòd vbi est terminus formalis; sed non transubstantiationis, sed mutationis localis, quæ est alia mutatio à transubstantiatione, licet non necessario requisita ad transubstantiationem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in homine sit aliqua forma substantialis alia ab anima intellectiua.

HÆc quæstio, licet sit Physica, tamen necessario est hic examinanda, vt cognoscatur quid sit hic formale in termino ad quem conuersionis, nam dicit Docto. quòd sicut in conuerso, vt pane, sunt duo, scilicet materia, & forma, ita & in termino ad quem conuersionis videlicet, in Christi corpore est etiam materia, & forma, quòd ex eo probat, quia in Sacramento Eucharistiæ ponitur compositum, hoc est, panem conuerti in compositum, id est, in corpus Christi, atq; adeo in vtroq. termino aliquid debet esse formale, & aliquid materiale, igitur dubium est, an panis solum conuertatur in solum corpus Christi compositum ex materia prima, & forma corporeitatis, vel in corpus Christi compositum ex materia prima, & anima rationa-

li, qua-

Digitized by Google

li, quatenus dat esse corporeum, atque adeo dubium hoc exigit discussionem quius quæst. an detur forma corporeitatis.

D.Thom. De qua re triplex est opinio, prima est D. Thomæ, & omnium Thomistarum, q. in homine, nec in aliquo animato, vel composito per se vno sunt plures formæ substantiales, & per consequens in homine non est aliqua substantia- lis forma præter animam intellectiuam. Fundamenta Diui Thomæ sunt hæc. Vnius per se entis substantialis est vnum esse per se, sed forma substantialis dat esse substantiale, ergo vnius per se entis tantum est vna forma substantialis. Et confirmatur per illud Philosophi septimo Metaphysic. tex. capitulo quadragesimotertio, vbi vult, quod genus nihil est præter eas, quæ sunt generis species, & ibidem, finalis, id est, vltima differentia substantia erit rei, & definitio; & ibidem non est ordo in substantia; quomodo enim oportet intelligere hoc prius, illud vero posterius; ex quibus omnibus accipitur, quod vnitas definitionis per hoc est, quod genus nihil est præter ea, quorum est, id est, genus non habet esse nisi in speciebus, & differentia, quæ habet rationem finalis, id est, differentia vltima dicit totam substantiam rei; Ex his ergo sequitur, quod non est ibi alia, & alia forma; probatur, quia si ponantur duæ formæ in vno animato, tunc genus erit aliquid aliud à specie, quia genus tunc sumeretur ab vna forma, scilicet, à forma corporeitatis, & differentia ab alia forma, id est, ab anima intellectiua, & per consequens genus esset aliquid præter speciem, saltem secundum esse quidditatiuum, sequeretur etiam, quod differentia non esset tota substantia definiti, probatur, quia si ponatur alia forma ab anima, ab illa non sumitur differentia, sed genus, igitur illa differentia non est tota substantia rei, atque etiam esset ordo in substantia rei secundum ordinem formarum.

Fundamēta Thomistarū

Item ibidem videtur dicere Philosophus, quod differentia posterior includit priorem, nā fixio pedis est quædam pedalitas, sed non includeret si alia, & alia forma sumeretur, nam si differentia communior sumeretur ab alia forma, quam differentia inferior, vt si sensiuum sumeretur ab alia forma, ab ea, à qua sumitur rationale, rationale non includeret sensitiuum; quod est contra Philosophum.

Secundum fundamentum Diui Thomæ sumitur ex differentia formæ substantialis ad formam accidentalem, forma enim substantialis dat esse simpliciter, accidentalis autem secundum quid.

Item forma accidentalis aduenit enti simpliciter, forma autem substantialis aduenit tantum enti in potentia, & constituit ens simpliciter. Tertia differentia est, quod substantiæ est generatio simpliciter, id est, generatio simpliciter est ad formam substantialem; accidentis autem secundum quid, id est, generatio, quæ terminatur ad formam accidentalem est generatio secundum quid. hoc supposito sic arguitur. Si in composito essent plures formæ substantiales non possent saluari differentiæ inter formam substantialem, & accidentalem, consequens est falsum, ergo & antecedens; probatur sequela, quia illa secunda forma non esset substantialis; omne enim quod aduenit enti in actu per formam substantialem est accidens: hæc enim est ratio accidentis per quam distinguitur à forma substantiali; sed si in animato, vel in composito per se essent plures formæ substantiales posterior adueniret composito existenti in actu per primam, igitur posterior esset accidens, & transmutaretur tale subiectum ad accidens, & non ad formam substantialem, & per consequens esset generatio secundum quid.

Et confirmatur, quia secundum Philosophum quinto physic. textu capitulo octauo, generatio non est motus, quod patet duobus medijs, primum medium, quod generatur non est, quod mouetur est, igitur subiectum generationis, vel transmutationis ad aliquam formam est non ens in actu, ergo non est ens actu per aliquam formam substantialem, sed si poneretur forma prior, saltem per istam subiectum haberet esse simpliciter, & per consequens ad posteriorem formam non esset generatio, sed motus.

Secundum medium, quod generatur non est in loco (& loquitur vtrobique Philosophus de subiecto generationis, scilicet, de eo, quod generatur subiectiue) quod mouetur est in loco; sed si ponerentur in composito plures formæ substantiales, saltem per formam priorem esset in loco, ergo ad posteriorem formam non esset generatio, sed motus.

Tertium fundamentum sumitur ex prædicatione. Vnum eorum quæ accipiuntur in aliquo ex diuersis formis non prædicatur per aliud per se primo modo, sicut nec vna forma de alia, sed prædicantur vel per accidens, si formæ non habent aliquem ordinem inter se, ita quod non sunt subordinata secundum prius, & posterius, vel magis commune, & minus commune, sicut hic album est dulce, vel per se secundo modo si formæ habent ordinem, sicut superficiatum est coloratum vel huiusmodi; sed si in homine essent plures formæ substantiales, ab vna acciperetur genus, & ab alia acciperetur species, sicut corpus à forma corporea, animal à forma sensitiua, homo ab anima intellectiua; & tunc genus per se primo modo non prædicaretur de specie, nec per consequens definitio de definito, sed hoc est falsum, & absurdum, ergo, &c.

Quartum fundamentum, quod plus valet omnibus præcedentibus est tale. Pluralitas non est ponenda frustra, & sine necessitate ex primo physic. textus capitulo quinquagesimo, sed non est necessarium ponere illas plures formas, quia omnia saluari possunt per vnicam formam, & multo melius quam per plures, ergo, &c. mai. patet, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & eque bene, minor probatur, quia cum forma posterior sit perfectior, videtur, quod contineat virtualiter, & eminenter imperfectiores formas, vt patet ex sententia Arist. secundo de anima textu capitulo vigesimo primo, dicentis, quod sicut trigonum in tetragono, & tetragonum in pentagono, sic & circa animam, nam sicut vegetatiuum in sensitiuo, & sensitiuum in intellectiuo, ergo per vnam formam possunt saluari omnia, & multo melius est saluare omnia per vnum nobilius, & perfectius, quam per multa ignobiliora, & imperfectiora; Et potest confirmari ista ratio, quia quæ sunt dispersa in inferioribus, & minus nobilibus conuenienter est, quod vniantur in ipsis, & vnitiue contineantur in ipsis, cum igitur corporea in elementis, vegetatiua in plantis, & sensitiua in animatis distinguantur, & tamquam in pluribus entibus imperfectis, & inferioribus, sequitur, quod in homine debeant omnes vnitiue contineri in intellectiua, atque ita in alijs superioribus inferiores formæ secundum gradus suos.

Henric. Secunda opinio est Henric. de Gandaun quolib. primo, quæstione quarta, quolib. secundo, quæstione secunda, quolib. 3. quæstione sexta, octaua, & decimaquinta, & postsume quolib. quarto, quæstione decimatertia, qui partim conuenit, & partim differt ab opinione Diui Thomæ, conuenit in hoc, quod in nullo composito, quod vnica tantum productione producitur sunt ponendæ plures formæ substantiales; atque adeo primæ quatuor rationes Diui Thomæ secundum Henric. concludunt de omni composito producto ab agente creato, quibus ipse addit alias rationes, & prima est talis, omne quod est ideo est, quia vnum numero est secundum Boetium de vnitate, & vno, & super Porphyrium, ergo ad vnum ens est tantum vna mutatio, & vna productio, & vltra, ad vnum ens est tantum vna mutatio, & vna productio, ergo ad vnum ens est tantum vna forma, consequentia patet, quia mutationes, & productiones distinguuntur per formas, ad quas sunt, ergo vbi est tantum vna productio est tantum vna forma, sed in composito ab vno agente producto est tantum vna productio, ergo est tantum vna forma.

Boetius.

Et si dicatur, quod in generatione vnius entis sunt multæ generationes partiales, & illæ sunt ad diuersas formas tamquam ad proprios terminos. Contra aut illæ plures formæ educuntur de vna potentia materiæ, aut de diuersis; non de vna, quia secundum Comment. duodecimo Metaphysic. commentario 11. numerus potentiarum in materia est secundum numerum specierum, id est, formarum, & ita illæ duæ formæ, quibus esset vna potentia, essent eiusdem speciei, sed tales duas est impossibile esse simul

simul in eodem; nam impossibile est in eodem animali esse duas animas sensitiuas, & ita in alijs; & præterea tunc illæ duæ formæ perficerent materiam secundum eamdem potentiam, & tunc duo actus essent eiusdem potentiæ, quod est contra Philosophum 3. Physicorum, tex. capit. 10. vbi vult, quòd potentiæ distinguantur sicut actus, quia si posse sanari, & posse ægrotari essent idem, sanari, & ægrotari essent idem.

Nec potest dici, quòd illæ formæ educantur de diuersis potentijs materiæ, quia cum illa potentia, inesset materia sine ordine naturæ, quia vna potentia non esset in materia mediante alia, sequeretur, quòd formæ illa sine ordine naturæ perficerent materiam illam, ita quòd non vna mediante alia, quod est impossibile; Tum etiam sequeretur, quòd materia, vt est terminus à quo generationis plures mutationes includentis esset ens per accidens, quia habens plures potentias, sed de ente per accidens non generatur, nisi ens per accidens, ergo generatum non esset vnum nisi per accidens.

Præterea forma substantialis per se constituit ens in actu simpliciter, ergo in vno composito non possunt esse plures formæ substantiales, consequentia probatur: quia vnum ens esset plura entia simpliciter.

Et si dicatur, quòd prior forma non dat esse simpliciter completum, sed incompletum; contra, si hoc esset verum, non remaneret via distinguendi formam substantialem ab accidentali; posset enim dici quòd omne accidens erit forma substantialis completior, & perfectior, & quod aliæ omnes sunt incompletæ, & imperfectæ.

Ex hoc potest formari ratio sic. Illa positio est irrationalis, quæ excludit distinctionem formæ substantialis ab accidente, hæc est huiusmodi, quia per istam non potest concludi aliquam esse formam accidentalem per hoc quod adueniat enti in actu, quia per te illud fuit in actu incompleto, & ita dicam (si forma accidentalis adueniat) quod præexistens sit in actu incompleto.

Differunt autem Henric. à D. Thoma, quia Henric. ponit in homine, qui producitur à duobus agentibus, & duabus mutationibus, corpus enim producitur à propagante, & anima creatur à Deo, plures formas saltem duas, scilicet, formam corporeitatis, quæ terminat actionem propagantis, & intellectiuam, quæ est terminus creationis, quod probat tali ratione, Omne per se agens habet aliquem proprium terminum suæ actionis, ergo vbi sunt diuersa agentia, & diuersæ actiones non potest esse forma eadem per se terminus, consequentia probatur per Philosophum quinto Physicorum textus capitulo trigesimo-octauo, & circiter, vbi vult quòd non potest eadem sanitas redire propter diuersitatem actionis ad hanc, & ad illam sanitatem; sed agens increatum per se agit ad generationem hominis, quia infundit animam intellectiuam, & agens creatum per se agit ad eius generationem, alterando, corrumpendo, & transmutando, alioquin non magis esset bos pater bouis, quam asinus, nisi quia per actionem bouis de semine bouis generatur bos, & ita in homine.

Et confirmatur ratio, quia si idem est per se terminus vtriusque agentis, aut est idem compositum, aut eadem forma; si detur primum, ergo homo est creatus, quia est per se terminus creationis, si forma, ergo homo non est per se à propagante, quia per se est terminus creationis, vtrumque est inconueniens, ergo, &c.

His Henric. addit quatuor, primo addit, quòd ad duas formas eductas de potentia materiæ, sunt potentiæ distinctæ, sed ad duas formas, quarum altera educitur de potentia materiæ, altera creatur non sunt duæ habilitates, vel potentiæ, & ideo magis est vna generatio ad duas formas secundo modo, quam primo modo, atque adeo ad animam intellectiuam, quæ creatur, & ad formam corporeitatis, quæ educitur de potentia materiæ, non sunt duæ potentiæ in materia, sed vna tantum potentia.

Secundo addit, quòd illa forma, quæ potest dare esse naturaliter seorsum sine altera, nata est constituere suppositum, & ideo omnis forma superueniens illi est accidens, sed forma non nata dare per se esse sine alia non est nata constituere suppositum nisi miraculosè, & ad propositum forma mixtionis, vel corporeitatis non sit nata perficere, nisi dum anima intellectiua perficit, & ideo nata est separari à materia, quando anima desinit informare, & ideo miraculum est, quòd forma mixtionis maneat in materia sine intellectiua, nec anima adueniens illi est accidens, quia illa prima non est nata constituere suppositum nisi miraculosè, id est, nisi ab anima intellectiua separata, à qua manens separari non potest nisi per miraculum, adeo quòd si maneat forma corporeitatis in homine post animæ separationem, hoc secundum Henric. non potest fieri nisi per miraculum.

Tertio addit, quòd eadem materia est proprium perfectibile formæ mixtionis, & animæ intellectiuæ. Verum forma prior, scilicet mixtionis non constituit proprium receptiuum animæ, tunc enim anima adueniret enti in actu, & non esset forma substantialis, adeo quòd vult Henricus, quòd compositum ex materia prima, & forma corporeitatis non est primum receptiuum animæ intellectiuæ, sed anima intellectiua immediatè informat materiam sicut forma corporeitatis.

Quarto addit, quòd intellectiua continet in se vegetatiuam, & sensitiuam, illa autem forma mixtionis continet virtualiter omnes formas, quæ possunt esse seorsum in alijs formis corporis.

Cæterum anima intellectiua non continet virtualiter formam mixtionis, & ratio est, quia anima intellectiua impermixta est, & inextensa, atque adeo illas tantum continet, quæ possunt tali modo se habere, forma autem mixtionis continet omnes alias extensas, & extensibiles, & ideo istæ duæ, scilicet, anima intellectiua, & forma mixtionis sufficiunt in homine.

In brutis autem cum anima vegetatiua, & forma corporeitatis contineantur in sensitiua, vna tantum ponitur forma, & cum etiam vegetatiua in plantis contineat virtualiter formam corporeitatis, non ponitur in eis secundum Henricum, forma corporeitatis distincta a forma vegetatiua.

Sed contra istas opiniones arguitur, & primo probo, quòd in quolibet animato sunt plures formæ substantiales, quòd est contra D. Thomam, & Henricum; secundo ostendam Henricum contradicere sibi ipsi ponendo in homine plures formas substantiales, vel saltem quòd suæ rationes non concludant, quod ipse intendit. tertio specialiter de homine, quòd in quolibet homine sunt plures formæ substantiales.

Quantum ad primum arguo primo sic. Anima est actus corporis Physici organici potentia vitam habentis, ex secundo de anima, sed corpus non dicit solam materiam, nec materiam cum quantitate, quia illud totum non est per se informabile ab anima cum sit vnum per accidens; nec materiam cum modo quantitatiuo, quem fingunt aliqui derelictum in materia ex quantitate, quia nulla talis derelinquitur, vt ostenderemus in sequenti articulo, ergo dicit materiam cum forma substantiali aliqua, sed anima est alia forma substantialis, ergo in quolibet animato sunt plures formæ substantiales.

Respondent Thomistæ, quòd Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis Physici potentia vitam habentis, & dicit postea, quòd talis potentia non est abijciens animam, vnde manifestum est, quòd in eo, cuius anima dicitur actus, scilicet in corpore etiam ipsa anima includitur, eo modo loquendi, quo dicitur quod calor est actus calidi, & lumen lucidi, non quod seorsum sit lucidum sine luce, vel non includens lucem, sed quia est lucidum per lucem; ita dicimus, quòd anima est actus corporis, non quia corpus sit per aliam formam, quam per animam non includens animam, sed per animam, & est corpus, & organicum, & potentia vitam habens.

Contra, hac responsio destruit totam intentionem Aristotelis, primo: quia in eadem serie textus dicit, quòd ita ex corpore, & anima fit vnum, sicut ex cera, & figura, & sicut ex pupilla, & visu, sed planum est, quod nec cera includit figuram, nec è conuersu, nec visus includit pupillam, nec è conuerso, ergo nec anima includit corpus, nec è conuersu.

Secundo: quia anima definitur ab Arist. ad modũ formarum naturalium per proprium subiectum, & perfectibile

suum

Digitized by Google

sum proportionatum, sed subiectum nullo modo includit formam, nec perfectibile perfectionem, alioquin se ipso intrinsecè esset perfectum non expectans perfectionem, ergo nec corpus, per quod Philosophus definit animam, animam includit; Vnde ridiculum est dicere, quòd accipiat ibi corpus pro toto, & animam pro parte.

Tertio: quia Aristot. probat ex intentione reprobando illos, qui non fecerunt mentionem de corpore definiendo animam, quòd animæ diuersæ requirunt diuersa corpora, sicut propriis actus propriam materiam, sed planum est quòd materia non includit formam, nec è conuerso, ergo nec corpus animam; ex quibus planè liquet, quia quando subiunxit, est autem potentia non abijciens animam, quòd non intellexit potentia vitam habens includere animam, nam dixisset actu vitam habens, quia includens vitam, vel animam, sed pro tanto dixit potentia non abijciens animam, quia corpus Physicum organicum non est in potentia remota ad vitam, vel ad animam, sic quòd non possit immediatè informari anima, sicut est semen vel fructus, vt dicit ibidem ipsemet, sed est in potentia propinqua ad animam non abijciēs ipsam, non quia includat ipsam; sed quia immediatè potest per ipsam informari, sic proprium perfectibile dispositum à sua perfectione.

Secundo arguitur. Impossibile est ponere accidentia terminata in materia, nisi cum aliqua forma substantiali; licet *Auerroes.* enim secundum Com. de substantia orbis quantitas interminata præcedat formam substantialem in materia, pro tanto, quia non requirit, nec determinatur ad certum gradum quantitatis, sed indifferens est, vt sic ad maiorem, vel minorem gradum, tamen vt terminata est sequitur formā, & non est terminata, nec exigit certum gradum in maius, vel minus nisi per formam aliquam, & hoc etiam ipsi fatentur, quòd accidens determinatum non est in materia sine forma substantiali, sed in corporibus omnium viuentium post separationem animæ, vel corruptionem manent multa accidentia terminata eadem, quæ prius, ergo manet eadem forma substantialis, quæ prius, quæ in ipsis erat cum anima, & per consequens in quolibet animato sunt plures formæ substantiales, probatur minor; & in vegetabilibus mortuis, & in animalibus, & in hominibus, patet quòd remanet eadem quantitas, & figura, & multa alia, quæ prius, vt videtur, ergo, &c.

Dicitur ad hoc, quòd non sunt eadem accidentia numero, quæ prius, sed similia consequentia nouam formam inductam vicinam tamen, vel proximam præcedenti formæ.

Sed contra, si non sunt eadem accidentia numero, quæro à quo effectiuè causentur ista accidentia consimilia, non ab essentia materiæ primæ, quia illa quantum est de se est in pura potentia passiua, & indifferens ad quamlibet formam, nec è priori animato corrupto, nec à prioribus accidentibus, quia illa non sunt in eodem instanti, in quo corrumpuntur, nec à forma de nouo introducta, quia à quocumque agente, & qualitercumque non euenit idem effectus, sed determinatus effectus à causa determinata, sed forma de nouo introducta non est eiusdem speciei cum forma corrupta, vel separata, ergo non potest producere eadem accidentia, nec à natura noui generati fiunt talia accidentia, quia cum formæ, & naturæ sint alterius, & alterius rationis, non determinant sibi talia accidentia consimilia, vel eiusdem rationis, tum quia ita remanent accidentia inflicta per violentiam, sicut cicatrices, vel per artem sicut ferratura equi, vel huiusmodi alia; cum ergo à nulla causa naturali possint esse ista accidentia consimilia, vt patet, ergo prius existebant ista accidentia, & non sunt noua, nec alia, sed non manent nisi cum aliqua forma substantiali manente, ergo, &c.

Tertio arguitur. In vltimo instanti, in quo corpus animabile est vltimatè dispositum ad animam, & in quo anima ipsa habetur, vel manet forma præcedens, & per consequens accidentia dispositiua, vel non? si sic, habeo propositum, quòd simul in instanti eodem sunt plures formæ substantiales in materia, scilicet forma prior, & anima ipsa, quæ habetur in illo instanti, & qua ratione possunt simul stare in illo instanti, eadem ratione per tempus sequens; si non manet, sed corrumpitur, ergo nec forma præcedens, nec accidentia sunt dispositiones respectu animæ, quia non manent cum ipsa, sed omnia corrumpuntur, atque ita in illo instanti, manet materia nuda, sed non magis est disposita materia nuda ad formam vini, quam ad formam lapidis, nec magis ad formam asini, quam ad formam equi, igitur totum est frustra quidquid præcessit, quia non habetur finis naturæ, nec aliquid animatum, ergo, &c.

Respondetur, quòd forma præcedens est dispositio in fieri, & non in esse, atque adeo non oportet ipsam manere cum forma, nec etiam accidentia illa; secundo dicitur, quòd si ratio concluderet, quòd in quolibet generali substantialiter sunt plures formæ substantiales; quia in illo instanti vltimo oporteret per eamdem rationem manere formam priorem, sicut dispositionem ad formam posteriorem, quia cum dispositiones sint accidentia terminata non possunt manere, nisi manente forma substantiali per quam terminantur, atq; ita erit forma vini cum forma aceti, quod est falsum.

Contra primum arguo, quòd non solum sunt dispositiones in fieri, sed etiam in esse: quia Aristoteles non definit animam nisi per corpus dispositum secundum dispositiones in esse, & necessarias ad hoc vt actus sit in corpore, & informet ipsum; sed tales sunt dispositiones in esse, ergo, &c.

Præterea omnis dispositio, vel reducitur ad genus causæ efficientis, vel ad genus causæ materialis, sed dispositiones ad animam intellectiuam saltem non possunt reduci ad genus causæ efficientis ipsam, ergo reducuntur ad genus causæ materialis, sicut rationes recipiendi, vel pertinentes ad receptiuum, sed causa materialis est causa non solum in fieri, sed etiam in esse, ergo, &c.

Item materia proxima animæ non est nisi corpus, quod non dicit materiam nudam, sed materiam, & formam, ergo talis forma dispositiua per quam corpus est corpus non corrumpitur, nec etiam accidentia illius.

Ad secundum dico, quòd non est par ratio de quolibet generabili, & de composito animato, & cum dicitur; quòd forma præcedens est dispositio ad formam posteriorem; dicò quod falsum est in omnibus alijs ab ipsis animatis; quia nulla forma præterquam anima est actus corporis Physici, & quando dicitur; quòd accidentia præcedentia sunt dispositiones, & oportet quòd sint terminata: Dico; quòd sufficit ipsa non esse interminata adueniente posteriori forma in alijs ab animatis, & dico quòd manent eadem quantumcumque forma prior corrumpatur, & numquam sunt interminata, quia numquam carent aliqua forma; semper enim sunt cum aliqua forma, vnde in eodem instanti prior corrumpitur, & posterior introducitur; sed in rebus animatis dico, quòd non sufficit ipsa non esse interminata, sed oportet quòd sint terminata, & priusquam adueniat anima sicut requiritur necessariò aliqua forma substantialis prior, per quam corpus sit corpus, quia anima est actus corporis Physici, &c. ideo non valet.

Quarto arguitur. Omne animatum est corporeum, habens corpus substantiam partem sui, & est animatum; sed impossibile est, quòd hoc sit per vnicam formam substantialem, ergo, &c. Probatur minor: quòd si sit hoc per vnicam formam substantialem, tunc anima contineret in se per identitatem, & vnitiuè formam corpoream, per quam constituitur corpus, sed hoc est impossibile, sicut probatum est supra, ergo, &c.

Quo ad secundum probo, quòd Henric. contradicat sibi ipsi in hoc quod dixit in vltimo dicto, quòd sensitiua in brutis, & vegetatiua in plantis continet virtualiter formam corporeitatis, & arguitur sic; Anima intellectiua continet sensitiuam; ergo continet formam corporeitatis; antecedens est Henric. & consequentia probatur, quicquid continet virtualiter aliquam formam continentem virtualiter aliam formam continet etiam illam formam, sed sic est, quòd per Henric. anima intellectiua virtualiter, & perfectè continet animam sensitiuam, & sensitiua continet formam corporeitatis, ergo anima intellectiua continet formam corporeitatis, quòd tamen Henric. negauit, ergo sibi ipsi contradicit.

Si dicatur, quòd non sequitur eo quia sensitiua, & vegetatiua continentur in intellectiua modo inextenso, & vt sic vt continentur in intellectiua sunt inextensæ, &

per consequens non possunt continere formam corporeitatis, quæ est extensibilis.

Contra aut sensitiuæ, & vegetatiuæ repugnat modus inextensibilis, aut modus extensibilis, aut indifferenter se habent ad vtrumque modum; si primo modo i. si repugnat eis modus inextensibilis, ergo non continentur in intellectiua, si secundo modo id est, si repugnat eis modus extensibilis, ergo non continent formam corporeitatis; si verò indifferenter se habent, tunc indifferenter poterunt continere formam corporeitatis vt sunt in se, vel vt continentur in intellectiua, tunc enim continent corporeitatem propter ordinem perfectionis forma ad formam, non autem propter modum existendi talem, vel talem, sed ordo perfectionis semper est idem, hoc est dictu, sensitiua, & vegetatiua continent formam corporeitatis per ordinem perfectionis formæ ad formam, & hoc velut sunt in se, id est, seorsum ab anima intellectiua, vel vt continentur in anima intellectiua; formam autem continere formam propter ordinem perfectionis est formam perfectiorem præsupponere formam imperfectiorem, atque ita anima intellectiua continet formam corporeitatis, id est, præsupponit eam, sed sic non est propriè continere, quia id quod præsupponitur non continetur ab eo cui præsupponitur, atque ita sensitiua non continet corporeitatem, sed eam præsupponit, cuius oppositum dixit Henric.

Præterea exclusa fide manifestius videtur, quòd possit concludi in alijs animatis formam mixtionis differre ab anima, quam in homine ab anima intellectiua; probatur quia non potest esse regulariter idem effectus à quibuscumque, & quantumcumque diuersis agentibus sed à quocumque, & qualitercumque corrumpatur corpus viuum, dum tamen non statim resoluatur in elementa, semper producitur cadauer idem, & eiusdem rationis, patet ad sensum; sed idem non potest esse terminus proprius actionis huius, & illius agentis, ergo non est nouum productum per actionem corruptiuam ipsius animati, sed est derelictum, apparet istud in speciali, si bos per cultellum, submersionē, interfectionem, vel alijs modis corrumpatur, semper derelinquitur idem cadauer, & eiusdem rationis, corrumpentia autem hæc, & illa non sunt nata inducere eamdem formā, & hoc statim absque aliqua actione præuia, imò si deberet eadem talis forma induci, & ab eodem agente adhuc videtur vniformis alteratio necessariò præuia; sed hæc quantumcumque difformis alteratio præcedat ab alio, & alio agente semper sequitur idem terminus: Ratio Doct. stat in hoc, per actionem corruptiuam, nihil nouum producitur in bruto, ergo forma corporeitatis, quæ informat eius corpus post mortem nō est quasi productum, sed derelictum, ergo anima sensitiua bruti, & forma corporeitatis eius distinguuntur, & sic patet quomodo quartum additum Hen. est falsum cum sua probatione.

Contra secundum additum, s. de forma perficiente naturaliter seorsum sumptum arguitur sic, & intendit Doct. probare ꝙ est falsum, quòd forma corporeitatis non sit nata constituere corpus, vel non sit nata perficere corpus sine anima intellectiua, & quòd si perficit ab anima intellectiua separata, quòd sit miraculum, & arguitur sic. Omne agens, quod potest sufficienter in actionem suam sine actione alterius, & in terminum actionis, potest informare passum illa forma sine actione alterius; sed agens naturale potest cum communi influentia, sine speciali actione diuina in actionem suam, & in terminum actionis, qui est forma mixtionis, quòd enim tunc in eodem instanti Deus creet animam, hoc non est prius naturaliter, quam propagans inducat formam mixtionis, imò est posterius naturaliter, sicut forma ad quam est dispositio sequitur dispositionem, nec necessariò simpliciter Deus creat animam; imò merè contingenter, ergo agens illud potest informare suum passum per illam formam mixtionis absque speciali actione Dei, & per consequens nulla contradictio est respectu agentis creati, quòd forma mixtionis informet absque anima intellectiua, ergo agens naturale potest informare passum illa forma, sine actione alterius, & per consequens nulla est contradictio respectu agentis creati, quia forma corporeitatis informet absque anima intellectiua, atq; adeo nullum est ibi miraculum.

Et confirmatur, quia posterius natura Deus creat animam, quam ipse propagans introducat formam mixtionis; quia anima intellectiua, ad quam est dispositio formæ corporeitatis sequitur dispositionem, ergo saltem in illo priori forma corporeitatis dat esse corpori absque anima intellectiua, & absque aliquo miraculo.

Confirmatur secundo: quia Deus non necessariò creat animam, sed merè contingenter, ergo agens naturale potest inducere formam suam in passum absque actione speciali Dei, & per consequens forma corporeitatis potest dare esse formale corpori absque miraculo, & absque anima intellectiua, consequentia patet: quia Deus potest non creare animam, cum merè contingenter creet ipsam.

Contra tertium additum de proprio perfectibili animæ intellectiuæ arguitur dupliciter, & primo sic. Hic Docto. intendit probare, quòd sit falsam animam intellectiuam immediatè informare materiam, vel materiam immediatè informari ab anima intellectiua, & non à forma corporeitatis, & primo arguit sic. Omne perfectibile potest perfici propria perfectione ab agente sufficiente secluso quocumque alio agente cum sua actione, & perfectione, & maxime ab illo, qui in agendo non dependet ab actione alterius agentis, sed materia prima est proprium, & primum perfectibile animæ intellectiuæ secundum Henric. ergo materia prima poterit informari anima intellectiua ab ipso Deo, qui non dependet in agendo ab aliquo creato seclusa actione cuiuscumque agentis creati, & secluso termino eius, atque ita absque omni forma mixtionis posset anima intellectiua immediatè informare materiam, conclusio falsa, ergo altera præmissarum, non maior, ergo minor, quæ est sententia Henric. falsitas conclusionis probatur, quia tale compositum ex materia nuda, & anima intellectiua non videretur esse homo cum non haberet illud, quod est de essentia hominis, scilicet formam mixtionis, quæ est de essentia hominis, cum homo sit quoddam mixtum, nec etiam esset non homo, quia haberet illud, quo formaliter homo est homo, scilicet animam intellectiuam, ergo, &c.

Secundo probatur esse falsum, quòd forma corporeitatis, & anima intellectiua simul perficiant materiam, & non secundum ordinem prioris, & posterioris, & tamen est talis. Ex duobus actibus, quorum vnus non est potentia respectu alterius non potest fieri per se vnum, sed per te forma mixtionis, & anima intellectiua sunt duo actus, & neuter potentialis respectu alterius, sic quòd neuter est ratio recipiendi alterum; ergo non fit per se vnum ex eis; consequentia est nota cum minori, quæ est Henric. & maior probatur ex Aristot. 7. Meta. tex. 49. & inde, & 8. Meta. tex. 15. quia ibi vterque illorum actuum manet actus simpliciter respectu alterius, & ex duobus actibus in se, & inter se non fit per se vnum ex Arist. ibidem.

Et si dicatur, quòd ex illis duobus actibus fit per se vnum, eo quòd simul recipiuntur in materia, Dicit Doctor, quòd hoc non facit ad propositum, quia vnitas per se alicuius entis est ex actu, & potentia secundum Aristotelem, vbi supra, ad hoc enim, quòd aliquod ens vnum per se fiat vnum ex aliquibus, oportet quòd illa se habeant sicut actus, & potentia, sed per Henric. nulla istarum formarum se habet vt potentia respectu alterius, sed ambæ sunt duo actus simpliciter, igitur ex illis non potest fieri aliquod vnum per se.

Quantum ad tertium probo, quòd in homine sunt plures formæ substantiales, & primo per rationes naturales, oportet in homine ponere aliquam formam substantialem, per quam sit corporeus à corporea parte, sed impossibile est, quòd homo sit corporeus per animam intellectiuam, sicut impossibile est, quòd corpus pars sit corpus per aliquod spirituale, sicut est anima intellectiua, ergo in homine cum anima intellectiua est alia forma substantialis; maior probatur, quia corpus non solum genus, sed etiam pars dicit aliquid in genere substantiæ per reductionem saltem, sicut etiam anima, & non dicit materiam solam, igitur cum hoc aliquam formam substantialem; minor etiam probatur: quia nulla forma dat formaliter oppositum esse sui proprij esse, ergo forma spiritualis cuiusmodi est anima non potest dare esse corporeum; quod est esse oppositum sui proprij esse, ergo in homine cum anima intellectiua est alia forma substantialis; præterea anima intellectiua est forma simplex, indiuisi-

Digitized by Google

bilis, & per se & per accidens, quia est tota in toto, & tota in qualibet parte, ergo non potest dare esse diuisibile, & extensum, at corpus est diuisibile, & extensum, habet ergo cum anima intellectiua formam aliam substantialem, à qua habet esse diuisibile, & extensum, nec potest dici, quod forma hæc sit quantitas, quia vt probatum est supra, quantitas non est terminata, nisi prout est coniuncta cum forma substantiali in materia.

Respondetur, quod anima potest dare esse corporeum, quod virtualiter, & vnitiue per identitatem continet formam corporeitatis. Contra differentia est inter causam efficientem, & formalem, quia efficiens largitur, & dat aliud esse essentialiter distinctum, quod continet virtualiter in virtute sua; sed causa formalis non largitur nisi esse suum, vel se ipsam, atque adeo licet aliquid, quod non est formaliter tale nec in abstracto, nec in concreto possit virtualiter per modum causæ efficientis continere aliquid formaliter, non tamen in ratione formæ, cum igitur anima intellectiua sit simpliciter spiritualis, & incorporea, impossibile est, quod det esse formaliter corporeum.

Si dicatur, quod sicut per animam intellectiuam homo est corpus, quod est genus, & substantia, & animal, & omnia intermedia, ita per animam potest esse corporeus à corpore parte eius. Contra. Hoc non est simile de corpore parte in genere substantiæ per reductionem, & de corpore, quod dicit totum, & est genus subalternum substantiæ; quia corpus pars præcise dicit aliquid se toto habens partem, & partem, & extensibile per quantitatem, & per consequens qualibet pars eius extensibilis est, & corporea habens partem, & partem; sed corpus genus dicit aliquod commune ad aliquid materiæ, & se toto corporeum, eo modo, quod dictum est de corpore parte, sicut ad lapidem, vel ignem, vel aquam, quæ se totis sunt corporea, & ad aliquid non se toto corporeum, puta ad hominem, atque adeo sicut per animam rationalem homo est substantia, & animal, ita & corpus, quod est genus, sed impossibile est, quod per illam corpus pars sit corpus, vel per illam homo, sit corporeus à corpore parte.

Secunda ratio est talis, oportet in homine ponere aliquã formam substantialem, per quam materia sit actu subiectũ quantitatis, quia homo est quantus, sicut ad sensum patet, sed hoc est impossibile per animam intellectiuam; ergo cũ anima intellectiua oportet in homine ponere formã aliam substantialem; maior patet ex principijs opposita sententiæ, nam secundum eos impossibile est, quod materia sit immediatum subiectum alicuius accidentis, sed necessario requiritur forma substantialis, minor probatur, quiacunq; anima intellectiua necessario esset quanta, & extensa tãtũ per accidens ad extensionem totius, ita bene sicut materia: quod est manifeste falsum, tunc enim posset diuidi in partes per accidens ad diuisionem totius, & tota esset in toto, & pars in parte, quæ sunt falsa, & hæretica.

Tertio arguitur. Si non esset in homine alia forma substantialis ab anima intellectiua, tunc virtute nutritiuæ nihil per se conuerteretur de alimento in virtutem humanæ naturæ, consequens est falsum, & contra omnes Philosophos, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia ad hoc quod fiat conuersio, oportet, quod aliquid nouũ educatur de potentia alimenti, vel de ipso alimento, aliquid dico de forma aliti, sed materia hominis non educitur de potentia materiæ, nec anima intellectiua secundum aliquid sui, ergo, &c.

Dicitur, quod virtute nutritiuæ conuertitur alimentum, non ita quod aliqua forma, vel aliquid de forma aliti educatur de potentia alimenti, sed per istum modum, quia forma alimenti corrumpitur, & materia eius vnitur materiæ aliti, & tunc totum illud à forma, siue ab anima informatur, vel etiam quia nutritiua disponit alimentum, vt per istum modum conuertatur. Contra: corruptio vnius entis, & indiuidui secundum speciem specialissimã non manente aliquo eius nisi materia, est generatio alterius, dico autem non manente aliquo eius, quia quando homo moritur, & corrumpitur nihil generatur, manet enim illa alia forma in materia recedente anima, sed generatio naturalis per se, & directe attingit formam substantialem, sed nutritiua respicit substantiam, vel aliquid de forma substantiali sicut generatiua, ergo cum alimentum simpliciter corrumpatur, & nihil de ipso remaneat nisi materia, sequitur, quod aliquid de forma substantiali, vel forma substantialis acquiritur non præexistens, & attingitur per actionem nutritiuæ, vnde & nutritio est generatio quædã, sed hoc non est anima intellectiua, ergo, &c. si enim natura posset sic alimenti materiam expoliare propria forma non educendo aliquid, non video quare non posset facere materiam sine forma aliqua; ex quo etiam patet, quod nihil valet fuga illa de attingere dispositiue.

Secundo probo per rationes Theologicas, & primo sic. Si non est in homine alia forma ab anima intellectiua, sequitur, quod corpus Christi pars non fuit idem numero viuum, & mortuum, consequens est falsum, ergo, & antecedens, probatur sequela, quia corpus substantia nõ manet idem numero, nisi manente eadem forma substantiali, sicut nec aliqua substantia composita manet eadem numero nisi manente sua forma substantiali, sed anima rationalis quam ponis ibi solam formam, non mansit in sepulcro, sed fuit in morte separata à corpore, & descendit ad Lymbum iuxta art. Descendit ad inferos, ergo corpus Christi non remansit idem numero; falsitas, & error consequentis patet per omnes sanctos, qui de materia illa loquuntur; Nam Amb. de cons. d. 2. ait. Veritas ait ad discipulos: Hæc, inquit, *Ambros.*
caro mea est pro mundi vita, & vt mirabilius loquar non alia plane, quam quæ nata est de Maria Virgine, & passa in cruce, & surrexit de sepulcro, sed planum est, quod illa eadem numero, quæ iacuit in sepulcro mortua, resurrexit viua, ergo expresse vult D. Amb. quod eadem caro Christi fuit viua, & mortua in sepulcro, sicut etiam dicit psal. Caro mea requiescet in spe, sed planum est, quod caro non dicit solam materiam, nec materiam cum quantitate, ergo dicit aliquam formam substantialem, quæ fuit eadem in corpore Christi viuo, & mortuo, atque ita in Christo viuo fuerunt plures formæ substantiales simul, & per consequens in quolibet alio homine, quia Christus fuit vniuoce homo cum alijs hominibus.

Respondetur, quod corpus Christi fuit idem materialiter, & suppositaliter, non autem formaliter, & essentialiter, quia non remansit forma illa, per quam formaliter, & essentialiter erat corpus, s. anima, sed materialiter, quia mansit eadem materia, & suppositaliter, quia fuit vnitum eidẽ supposito Verbi, & in hunc sensum interpretandæ sunt omnes authoritates sanctorũ; sed inquit Bassolis puto, quod *Bassolus.*
si dedissent illam solutionem Ambrosio, & alijs sanctis, quod ipsi non acquieuissent, solutio enim penitus nihil valet, primo quia secundum eos materia non potest etiam virtute diuina existere sine forma, igitur recedente anima aduenit secundum eos in materia Christi vna forma noua penitus non pertinens ad Christum intrinsece, puta forma cadaueris. Tunc arguo, aut Verbum assumpsit totum compositum ex materia, & illa forma noua, & sic Verbum assumpsit in morte Christi vnam nouam substantiam ad vnitatem suppositi sui, quod est falsum, & cõtra sanctos, similiter etiam sequitur secundum hoc, quod nõ plus fuit illud corpus numero propter illam assumptionem, quam si fuisset inducta in materia illa forma asini & Verbum assumpsisset corpus asini, quod est error etiam, quia sequeretur, quod corpus asini, vel asinus materialiter, & suppositaliter esset idem numero cum corpore Christi viuo, quod est absurdissimũ, probatur consequentia, quia est eadem materia, & idẽ suppositum, quod sufficit secundum eos ad hoc quod dicatur idem numero; præterea secundum eos, vel ipsorum aliquos Verbum prima assumptione, & noua non potest assumere naturam irrationalem; aut Verbum assumpsit materiam illius compositi, & non formam; quod videtur primo contra eos, quia sicut non potest facere materiam sine forma, ita videtur, quod non possit assumere materiam sine forma. Secundo quia ad hoc sequuntur eadem inconuenientia quæ adducta sunt ad primum membrum; Tertio, quia accidens inhærens assumpto subiecto assumitur, ergo & forma informans materiam assumptam assumitur; Præterea remansit post aiæ Christi separationem à corpore caro, sed nec materia cum forma cadaueris est caro, nec materia sine forma cum quantitate tantum, nec assumptio ad Verbum dat materiæ, vel alicui esse carnem, vel corpus, atque ita non manet caro, nec corpus, nec per consequens idẽ corpus, nec eadem caro, nec assumpta, nec non assumpta; si dicatur, quod mansit eadem caro partialiter quantum ad materiam; contra quia pari ratione in quolibet gladiato-
maneret

Digitized by Google

maneret eadem natura corrupti; quia eadem materia; quod nullus diceret.

D. August. Secundo arguitur auth. D. Aug. lib. 1. retractationum c. 5. in fine, vbi sic dicit à summa essentia speciem corporis per animam tribui, qua est in quantumcumque est per animam, ergo corpus subsistit, & eo ipso est, quo animatur, siue vniuersaliter, ut mundus, siue particulariter, vt quodcumque animal intra mundum. Hoc totum prorsus temere dictum est. hec Aug. quibus verbis capt esse retractat illud quod dixerat in lib. de immortalitate animæ. s. quod nó esset aliqua alia forma ab anima, per quam corpus esset corpus, & subsisteret, vel esset in rerū natura ab ipso Deo, vel à summa essentia, & dat capt esse intelligere, quod est alia forma substantialis ab anima, per quam corpus est in rerum natura, nam dicit nec est corpus eo ipso quo animatur.

Athanas. Tertio arguitur auth. D. Athanasij in symbolo, vbi dicitur, quod Christus est verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, & planum est, quod intelligit sicut ex partibus essentialibus, quarum neutra includit aliā; & non dicit ex materia, & anima, sed ex carne, & anima, caro autem non est caro nisi per aliquam formam substantialem manentem cum anima, sicut caro cum anima in Christo, ergo, &c.

Opinio Sco. Est ergo tertia opinio Doct. quod in quolibet animato est saltem duplex forma substantialis, vt probatum est cōtra opinionem D. Thomæ, & Hen. respondendum est modo ad rationes pro opinione Thomistarum, & ad primam

Soluuntur fundamenta Thomistarum. dicitur concedendo mai. quod minor est falsa, accipiendo esse vniformiter in maiori, & in minori, nam sicut ens diuiditur in compositum, & simplex, ita & esse, & vnum esse distinguitur in esse compositum, & simplex, atque ita esse per se vnum non determinat sibi esse simplex præcise, sic nec aliquid diuisum determinat sibi præcisè alterum diuidentium, sed vnius entis simplicia est vnum esse simplex, & vnius entis compositi per se est vnum esse compositum, & isto modo totius compositi est vnum esse, & tamen includit multa esse partialia. s. esse materiæ, esse formæ, &c. sicut totum est vnum ens, & tamen multas entitates partiales habet. Et ideo (inquit Doct.) nescio istam fictionem, quod esse est quid superueniens essentiæ, non composito; imaginantur enim Thomistæ, quod esse sit quoddam accidens superadditum essentiæ rei, & quod toti composito aduenit vnum esse, quod non est aliquid compositum, imò simplex; sed hanc fictionem, dicit Doct. non intelligo, nam esse totius compositi includit esse omnium partium, & includit multa esse partialia multarum partium, vel formarum, sicut totum ens ex multis formis includit alias actualitates partiales.

Si tamen omnino fiat vis in verbis concedo, inquit Doctor. quod formale esse totius compositi est principaliter per vnam formam, & illa forma est qua totum compositū est hoc ens, ista autem est vltima adueniens omnibus præcedentibus, & hoc modo totum compositum diuiditur in duas partiales entitates. s. in duas partes essentiales, in actū, proprium. s. vltimam formam, qua est illud, quod est, & propriam potentiam illius actus, quæ includit materiam primam cum omnibus formis præcedentibus, & isto modo concedo, quod esse illud totale est completiue ab vna forma, quæ dat toti illud, quod est, sed ex hoc non sequitur, quod in toto includatur præcise vna forma, vel quod in toto includantur plures formæ, non tamquam specifice cōstituentes illud compositum, sed tamquam quædam inclusa in potentiali illius compositi: exemplum huius est in composito ex partibus integralibus, vel heterogeneis; quāto enim animatum est perfectius, tanto requirit plura organa, & probabile est, quod specie distincta per formas substantiales, & tamen ipsum est verius vnum (verius inquam, id est, perfectius) sed non verius vnum, id est, indiuisibilius; in compositis enim frequentius inuenitur cum maiori compositione verior vnitas, & veritas, quā in partibus cum minori compositione.

Ad argumentum ergo cum dicitur forma dat esse substantiale, concedo, sed sicut vna forma potest concurrere cum materia ad vnum esse compositi alicuius, quod est vnum per se, ita & plures formæ, quarum vna non est in actualitate completa, sed in potentia ad aliam, vel pars eius quod est per se in potentia essentiali ad aliam, possunt concurrere ad vnum per se magis compositum; aliter dicitur simplicius ēssē. Vnum per se est vnum esse, verum est completum, & per se, & ita non est nisi vnica forma completa, & perfecta in quolibet animato, & hoc nihil est contra nos.

Ad confirmationem de 7. Meta. dicit Doct. quod illud cap. non bene exponitur, sicut patet per expositionem quā ipse edidit super illud cap. Et ratio est, quia illæ authoritates truncatæ adducuntur, & nō ad propositum, prima quidem dicitur, quod genus nihil est præter eas, &c. truncata est, quia sequitur, ergo genus non est præter eas, quæ sunt generis species, aut si est quidem, materia est; & secunda pars disiunctionis est vera, vnde ad illud secundum membrum subdit exemplum. Vox quidem genus est; Est ergo intentio Philosophi, quod illud quod importatur per genus est nihil nisi potentiale respectu speciei, & eodem modo illud quod sequitur, quod finalis, id est, vltima differentia erit terminus, & definitio, nullo modo potest intelligi, quod tota ratio quidditatiua sit vltima differentia; Tunc enim omnino genus superflueret in definitione, quia totā essentiam rei sola vltima differentia exprimeret, sed debet intelligi, quod completiue est tota substantia rei, sicut à forma vltima est completiue tota essentia habentis formam. Eodem modo enim modo assignat ipse hic vnitatem definitionis, quomodo dixit se præmisisse in analyticis, & quomodo in 8. Meta. c. penultimo assignat vnitatem rei, quia sicut ibidem dicit, quod ex duobus constituitur compositum reale, qua hoc actus, illud potentia, ita hic dicit, quod ex duobus conceptibus componitur vnus cōceptus quidditatiuus, seu definitiuus, quia iste conceptus. s. generis, & potentialis, & illæ. s. differentiæ, & actualis, & sic ibi actus est principalior quam potentia, & per consequens principalior ratio vnitatis, sicut & entitatis, ita & hic quia cōceptus vltimæ differentiæ est conceptus actualior, & principalior ratio vnitatis definitionis.

Quod autem additur ibi, quod in substantiá non est ordo, nihil est ad propositum; ante enim immediate voluit, quod si est nugatio addendo priorem differentiam posteriori, quod pari ratione erit nugatio è conuerso, non enim est ordo talis in substantijs hoc est in his quæ pertinent ad rationem substantialem alicuius siue definitiuam, quod alius & alius ordo faciat, vel tollat nugationem.

Quod etiam additur, quod differentia inferior includit superiorem, hoc est manifestè falsum, quia tunc impossibile esset per genus proximum, & differentiam proximam definire, quia idem bis diceretur. s. illa differentia superior per se inclusa tam in ratione differentiæ inferioris, quam in ratione generis proximi, vt si diceretur homo est animal rationale, sensitiuum; quod est differentia superior bis diceretur de homine, semel ratione generis in quo includitur essentialiter, & iterum ratione differentiæ, si eam includeret essentialiter, nam ponendo rationes generis, & differentiæ pro nominibus manifestè apparet nugatio, vt si diceretur, homo est animal, id est, substantia sentiens, & rationalis. s. substantia sentiens, & hæc est intentio Philosophi ibidem, quomodo debeat nugatio cognosci in definitione, ponendo. s. rationes pro nominibus. Nec etiam posset definitio dari per genus remotum, & plures differentias, quia eadem differentia proxima illius generis constitutiua, & diuisiua remoti; pluries diceretur in illa multis differentijs additis generi, vt si diceretur homo est corpus animatum, sentiens, rationale; nam corporeum, quod differentia constitutiua corporis, & diuisiua substantiæ diceretur de homine ratione corporis animati, sentientis, & rationalis, nā in omnibus secundum istos includeretur quidditatiuè; consequens autem est contra Philosophum ibidem, vt patet, nā dicit ibi. Nihil aliud est in definitione quā primum dictum genus differentiæ, alia vero genera sunt primum, & cum hoc comprehensæ differentiæ; & exemplificat statim, vt animal alatum, vel animal bipes non alatum; similiter autem & si plura dicantur, omnino nō differt per plura, aut per pauciora dici. Vult dicere (inquit Scot.) quod nihil aliud est definitio quam primum genus cum multis differentijs, vel proximum genus, & vna differentia, quia proximum genus nihil est nisi genus remotum cum multis differentijs inclusis, & quilibet modus definiendi includeret nugationem si differentia inferior per se includeret superiorem.

Quod

Quod autem arguens addit ibi, quod Arist. velit hoc dicere, cum dicit, fixio pedis est quædam pedalitas, hoc (inquit Doct.) non est ad propositum; intelligit enim ibi non de prædicatione per se primo modo, qualis intelligitur per ista abstracta; sed quod inferior differentia debet per se diuidere superiorem in quantum huiusmodi, adeo, quod non vult, quod fixio pedis essentialiter, & quidditatiue sit pedalitas, sed vult denotare, quod fixio pedis est vnum membrum in quod immediate debet diuidi pedalibus, & quod sic intelligat, patet ex præcedentibus; nam in princip. cap. dicit, quod oportet diuidere differentiæ differentiam, & subdit quomodo intelligit non dicendo habentis pedes aliud alatum, aliud non alatum, sed aliud habens fixos pedes, aliud non fixos pedes; hę namque sunt differentiæ pedum, & sequitur id, quod allegatur, nā fixio pedis est quædam pedalitas, hoc est dictu fixio pedis per se particulat, id est, contrahit pedalitatem, & ideo diuidit per se habens pedes, non sic autem alatum.

Ex toto ergo illo cap. (inquit Doct.) si conuenienter per totum exponeretur, sicut alibi expositum est, neque habetur, quod genus nihil est per se in definitione præter rationes differentię, neque, quod differentia vltima sit definitio tota, vel indicans totam substantiam rei, neque quod non est per se ordo in his, quæ importantur per se per differentias ordinatas, neque differentia inferior per se includat superiorem; Nec breuiter aliquid pro vnitate formæ, imò vere saluatur totum illud cap. ponendo rationem quidditatiuam compositam ex conceptu potentiali, & actuali, & actualem esse principaliorem causam vnitatis, sicut de ente composito dicendum esset quantum ad vnitatem, vt ipse dicit in 8. lib. c. vlt. t. c. 15.

Ens simpliciter dicitur trib. modis.

Ad secundum fundamentum dico, quod ens simpliciter dicitur vno modo ens in actu, secundum quod actus dicitur differentia entis, & ens in potentia. s. obiectiua dicitur ens secundum quid; alio modo dicitur ens simpliciter primum genus entis, quod est substantia, & isto modo ens secūdum quid dicitur accidens; tertio modo dicitur ens simpliciter illud, quod est nobilius ens, & ens secūdum quid, illud quod est ignobilius iuxta modum loquendi Arist. 1. de generatione; generatio nobilioris est generatio simpliciter, sed generatio ignobilioris est generatio secūdū quid, primo modo dico, quod non plus forma substantialis dat esse simpliciter, quam forma accidentalis, nec è conuerso forma accidentalis dat magis esse secundum quid, quā forma substantialis; secūdo modo dico, quod quælibet forma substantialis dat esse simpliciter, quia esse substantiale, & subiectum eius est ens in potentia ad tale esse simpliciter, nec illud tangit propositum; dico enim, quod plures formę substantiales sic se habentes, sicut dictum est supra, possunt concurrere ad vnum esse simpliciter cum materia; tu dicis subiectum perfectioris esset ens in actu, concedo in actu incompleto per formam incompletam, quia ex ratione talis imperfectionis, & incompletionis est per se pars compositi existentis in potentia per se ad vltimam formam, & vtraque dat esse simpliciter: quia esse substantiale, sed vna esse incompletum, & altera completum: tertio autem modo non quælibet forma substantialis dat esse simpliciter in eodem composito, sed tantum vltima, quæ est specifica, & perfectissima, & illud quod aduenit enti in actu per talem formam est accidens.

Ad primam confirmationem de 5. phy. ad primam dicit Doct. quod non esse potest accipi dupliciter, vno modo negatiue, ita quod neget vniuersaliter omnes formas in subiecto generationis, alio modo priuatiue, ita quod est non ens secundum illam formam, ad quam est in potentia, & qua priuatum est, cuiusmodi est forma specifica in proposito, intelligit autem Arist. non esse priuatiue, non negatiue, ita quod est sensus, quod generatum, id est, quod subijcitur generationi caret esse simpliciter, id est, caret forma vltima, quæ dat esse simpliciter, quod autem mouetur, id est, quod subijcitur motui non caret esse aliquo simpliciter. E. similiter ergo nullam formam substantialem habet, quæ dat esse simpliciter, non sequitur, sed est fallacia consequentis; potentia habere aliquod esse simpliciter per vnam formam substantialem, & tamen carere esse simpliciter, quod alia forma substantialis est nata dare. Aliter potest dici, quod Arist. distinguit generationem à motu pro tanto, quia ... vnum ipsum non est hoc vniuersaliter verum; quod subiectum generationis sit ens in actu per formam substantialē, sicut est de subiecto motus; vnde sufficit Arist. quod sit aliqua generatio, cuius subiectum non sit ens in actu, licet nō sit necessarium de omni; Vel dicatur, quod subiectum generationis non est ens in actu secundum formam specificam, & completam, sicut est subiectum motus.

Ad secundam confirmationem de esse in loco requirit, inquit Doct. aliam difficultatem. Vnde de motu locali, & alterationis potest faciliter responderi per idem, nam quod generatur, id est subiectum generationis non est in loco occupatiue, cuius ratio est, quia quantitas est ratio essendi in loco circumscriptiue, sed subiectum generationis, sicut est materia, non habet de se quantitatem, quia quantitas non inhæret immediate ipsi materiæ, sed toti composito, igitur subiectum generationis non est in loco circumscriptiue; & cū dicit Arist. illud quod mouetur est in loco, i. illud quod mouetur habet aliquid, quod est ratio essēdi in loco, illud declaratur per exemplum de motu alterationis, quia subiectum, quod alteratur est quantum, & quantitas præsupponitur illi motui, vt ad hoc quod aliquid fiat album requiritur quod sit quantum; sed forte dicet aliquis hoc non soluit argumentum, quia si tu ponis duas formas substantiales, illud quod generatum semper erit in loco. Respondet Doct. quod ponēdo duas formas substantiales, id quod generatur per formam, quam habet non est per se in loco, quia & si habeat formam substantialem, & etiam quantitatem aliquam, quæ est ratio locandi, tamen non habet quantitatem, vt est subiectum generationis, quia quantitas non est ratio recipiendi terminum istius mutationis, & ita vniuersaliter subiectum generationis, vt est per se subiectū non includit aliquid, quod sit per se ratio essendi in loco, quia non est nisi tantum substantia, licet eam concomitetur quantitas, sed illa non est per se aliquid eius in quātum subijcitur generationi; Posset etiam dici, quod ponendo duas formas substantiales, consequenter debemus dicere, quod prius natura corpus est organizatum, & quantum, quam introducatur anima intellectiua in illud, licet non prius tempore, atque adeo illud quod generatur. i. illud quod est subiectum generationis vltimatum prius natura est in loco, quam anima intellectiua introducatur, sed non illud quod est subiectum generationis remotum, vt est materia prima sine quantitate, de qua intelligit Philosophus, & non de materia quanta, quæ est subiectum proximum generationis in animatis.

Sed si quæratur quomodo illud, quod mouetur motu augmentationis est in loco, respondet Doct. quod ista difficultas non est necessaria in hoc loco, tamen potest responderi secundum aliquos, quod illud quod mouetur motu augmentationis est in loco, & ratio est, quia quantitas, vel quantum præsupponitur in motu augmentationis, & diminutionis, terminus autem quantitatis talis i. maioris, vel talis i. minoris terminat motum hunc. i. augmentationis, vel illum, id est, diminutionis; sed Doctor non est contentus de ista responsione, quæ est Aegidij in Theor. Theorematę r.

Ideo arguit contra hoc, quia nulla quantitas omnino eadem manet in toto motu sub vtroque termino, subiectū autem manet idem, ergo quantum non est subiectū istius motus; præterea vel augmentatio pertinet ad genus quantitatis, vel ad aliud, non est dicendum quod ad aliud, quia per augmentationem acquiritur quantitas, igitur pertinet ad genus quantitatis; Tunc vltra per ipsam augmentationem acquiritur quantitas, ergo quantitas nō præsupponitur ... Ideo Doctor respondet aliter ad dubium ... duo intendit, primo quid sit subiectum augmentationis, secūdo quomodo illud quod mouetur tali motu sit in loco: Pro declaratione primi dicit, quod sicut subiectum alterationis non est substantia qualis, ita subiectum augmentationis non est substantia quanta, vel quantum, quantum est de se; nam licet in tota alteratione subiectum alterabile sit sub qualitate, tamen non est proprie dicēdum, quod quale sit subiectum alterationis, quia talis qualitas accidit ei, quod est subiectum alterationis, ita licet augmentabile dum augmentatur semper sit quantū, tamen ex quo variatur secundum quantitatem, sicut alterabile secundum qualitatem; quātitas non est ratio nec per se conditio subiecti augmentationis. Quid ergo est subiectum augmentationis. Dicit Doct. quod sicut subiectum

per se

Digitized by Google

per se alterationis est ens in actu secundum formas priores qualitate, non tamen ens in actu secūdum qualitatem, ita per se subiectum augmētationis est aliquod ens in actu secundum aliquam formam priorem quantitate, non autem per se ens est in actu secundum quantitatem, forma autem prior non est nisi substantialis, ergo per se subiectū augmentationis, & diminutionis non est nisi substantia tantum.

Pro explicatione secundi. s. quo id, quod mouetur motu augmentationis sit in loco, respondet Doct. vniuersaliter cuiuscumque motus subiectum est in loco, vel per formā prius acquisitam in mobili, quod mouetur tali motu, vel per ipsam formam, secundum quam mobile fluit, vel mouetur, & primum membrum verum est de eo, quod mouetur motu alterationis, & lationis; secūdum membrum verum est de eo, quod mouetur motu augmentationis, & diminutionis. Sed quod subijcitur generationi, neutro modo est in loco, nec enim præsupponitur isti mutationi, scilicet, generationi in subiecto aliquid, quod sit ratio locandi puta quantitas, nec illud secundum, quod fluit, scilicet, forma substantialis, quæ acquiritur per generationem est ratio locandi.

Ad tertium de prædicatione dicit Doct. quod prima facie non videtur, nisi quod prædicatum acceptum à forma posteriori nō dicatur per se de eo, quod accipitur à forma priori, sicut hæc non est per se, homo est albus, vel superficies est colorata. & per hoc nō potest plus haberi nisi quod hæc non est per se, animal est homo, quod conceditur; in his enim omnibus prædicationibus subiectum sumitur à forma priori, & prædicatum à forma posteriori; Et si dicatur, quod nec etiam è conuerso, hæc enim non est per se coloratum est superficiatum. Respondet Doct. quod illud, quod præcisè accipitur à forma priori, & quod præcisè accipitur à forma posteriori sic se habēt, quod neutrum per se includitur in altero, ideo nō est prædicatio per se, sicut nec è conuerso, sicut ista non est per se, sensibile est rationale; ita neque ista rationale est sensibile; & in proposito sicut ista non est per se superficiatum est coloratum, ita neque è conuerso, ponendo autem genus accipi à forma priori, & differentiam à forma posteriori, concludendum est, quod nec genus prædicabitur per se de differentia, nec è cōuerso, quod concedo, sed non sequitur, quod genus non prædicetur per se de specie, quia species & si importat differentiā vltimam tamquam principalem in ratione sua, non tamen præcisè importat illud, sed cum hoc conceptum generis, tamquam de per se conceptu eius.

Et si vlterius dicatur, quod nec ista est per se, superficiatū coloratum est superficiatum, vbi tamen non accipitur pręcisè intellectus prioris, & posterioris, vt distinguuntur cōtra se, sed vt intellectus posterioris includit prius comparando ad intellectum prioris secundum se. Respondet Doct. quod hoc verum est, quia subiectum istud superficiatum coloratum non habet vnum per se conceptum, & quod non est per se vnum in se, non videtur esse alicui per se vnum, non sic autem est ex alia parte, quia conceptus prioris, & posterioris faciunt cōceptum per se vnum, nam de conceptu vno per accidens nihil per se dicitur, sicut nec ipse de aliquo per se dicitur.

Et si quæras quare magis hic, quam ibi, id est, quare magis ex genere, & differentia fit vnum per se, quam ex subiecto, & accidente; Dicit Doct. quod sicut quærere quare ex actu, & potentia fit vnum, nulla est quæstio ex 8. Meta. t. c. 15. nam nulla est ratio, nisi quia hoc est per se actus, & illud per se potentia, ita quærere quare ex isto actu, & ex ista potentia fit per se vnum, siue in rebus, id est, ex materia & forma, siue in conceptibus, id est, ex genere, & differentia, non est alia causa nisi quia hoc est potentiale respectu huius, & illud actuale; & huius vlterius nulla est ratio, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud, & eodem modo de vno per accidens, quia hoc est hoc, & illud est illud, ideo hoc est actus per accidens, & illud potentia per accidens: immediatior enim est mat. Calor constituit calidum, & humanitas hominem, & per consequens calor ens per accidens constituit, & humanitas ens per se; quam ista calidum calefacit, & tamen secunda est immediata, cuius quærere medium est indisciplinati 4. Meta. t. c. 9. & 26.

Ad quartum dicit Doct. quod argumentum habet euidentiam contra Henr. frustra enim poneretur corporeitas alia ab intellectiua, si ipsa includat vegetatiuam, & sensitiuam, & vegetatiua, & sensitiua includant corporeitatem; sed non concludit contra Doct. nam falsa est minor; est .n. hic necessitas ponendi plura; quæ necessitas est contradictio, quæ est immediata ratio distinguendi plura sub ente, de vna enim & eodem non possunt contradictoria verificari, atque adeo si hoc est, & illud non est, hoc & illud non sunt idem ens in essendo: Ita in proposito forma animæ non manente corpus manet, atq; ideo vniuersaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa, qua est animatum. Et non loquor, inquit Doct. de illa forma, quæ est corpus, hoc est indiuiduum corporis, quod est genus, nam quodcumque indiuiduum sua forma taliter est corpus, vt corpus est genus habens corporeitatē, sed loquor de corpore, vt est altera pars compositi, per hoc enim non est indiuiduum, nec species, nec genus in genere corporis, nec in genere substantiæ, quod est superius, sed tantum per reductionem. Vnde corpus, quæ est altera pars manens quidem in suo esse proprio sine anima, habet per cōsequens formam, qua est corpus isto modo, & non habet animam, atque ita illa forma necessario est alia ab anima, sed non est aliquid indiuiduum sub genere corporis, nisi tantum per reductionem vt pars, sicut nec anima separata est per se inferior ad substantiam, sed tantum per reductionem.

Contra: dispositio necessaria, vel necessitans, &c. Hic Doct. vult probare, quod anima desinente informare corpus non manet aliqua forma, quæ vocetur forma corporeitatis, vel forma mixti, & ratio est talis, dispositio necessitans non manet absque illo, ad quod disponit necessario, sed forma mixtionis est dispositio necessaria ad animam, ergo non manet sine anima. Et confirmatur specialiter de anima intellectiua, anima enim intellectiua cum sit immortalis nō separatur necessario à materia, nisi quia aliqua forma substantialis, quam requirit, vt dispositionem necessariam separatur, ipsa enim secundum se non habet in materia aliquid sibi repugnans, sed illa necessario requisita nō potest poni nisi forma mixtionis, ergo intellectiua sine illa non potest esse, nec separatur illa stante.

Pro solutione notat Doct. quod quælibet forma substantialis alicuius mixti, quæcumque sit illa, & cuiuscumq; sit, requirit aliquam proportionem quatuor qualitatū ad hoc vt informet materiam, & per consequens aliquæ qualitates consequuntur formam mixtionis, & in aliquo gradu sunt necessariæ ad hoc, vt intellectiua maneat, quia quicquid est necessarium ad dispositionem, est etiam necessariū ad formam, ad quam disponit, sed hoc possunt qualitates esse necessariæ simpliciter ad intellectiuam, vt informantē, & hoc in gradu perfectiori, quam necessario requiratur ad formam mixti; possibile est enim formam perfectiorem requirere illud, quod imperfectior requirit, & non præcisè secundum gradum æqualem, sed secundum gradū perfectiorem; adeo quod forma mixtionis requirit aliquam proportionem primarum qualitatum ad hoc, quod informet materiam in tanto gradu; forma autem intellectiua requirit & ipsa, vt corpus informet proportionem aliquā primarum qualitatum, sed in maiori gradū, atq; adeo corruptis illis dispositionibus in gradu illo quæ necessario requiruntur ad intellectiuam, non manet intellectiua, & tamen illa alia forma disponens ad eam potest manere; quia dispositiones illæ non sunt corruptę secundum gradum necessarium ad illam formam, sed illa alia etiam non manet in esse perfecto, & quieto, quia qualitates consequentes eā sunt corruptæ secundum gradum, secundum quem consequuntur eam in esse perfecto, & quieto, & ideo nullū corpus animabile habet simpliciter esse perfectum, & quietū recedente anima, imò statim est in continua tendentia ad resolutionem sui in elementa.

Ad formam ergo argumenti dicit Doctor, quod forma mixtionis, vel corporeitatis nō est dispositio necessaria, vel necessitans ad intellectiuam, & licet in generatione intellectiua statim sequatur eam, hoc non est propter necessitatē inter eas, adeo, quod forma corporeitatis sit necessitans ad animam intellectiuam, sed hoc prouenit, quia agens superius habet passum proportionatum compositum, quia ex materia, & forma mixtionis, & quando habet passum proportionatum compositum statim inducit in illud illam formam cuius est capax.

Et

Et quod etiam additur in confirmatione; quod anima intellectiua non habet in materia repugnantiam, dicit Doctor, quod nulla est forma substantialis informans materiam, quin illam consequantur, vel ipsa requirat qualitates consequentes, & in certo gradu, in quo si nō maneant, nec forma illa informabit materiam; licet ergo intellectiua nō habeat propriam repugnantiam ad aliquam formam naturalem, tamen in informando materiam requirit qualitates aliquas, & in gradu aliquo perfecto, in quo si nō maneāt, nec ipsa informabit materiam; illæ autem sunt qualitates consequentes priorem formam, sed non necessario requisitæ ad esse formæ prioris in tanto gradu, in quanto requiruntur ad hoc, quod intellectiua informat materiam.

Ad argumentum formaliter respondendo nego min. & ad probationem dico, quod non valet; quia licet anima intellectiua contineat formas perfectiores perfectionaliter, tamen non potest in se continere formaliter formam corporeitatis, nam si sic, posset formaliter extendi, & diuidi sicut corpus, quod tamen sibi formaliter repugnat, & ideo non potest dare esse formaliter corpori; hoc patet exemplo, quia anima rationalis cum sit superior, & perfectior forma cœli continet illam perfectionaliter eo modo, quo perfectius continet imperfectius, & tamen non potest formaliter dare esse cœlum, vel esse cœli; & cum probatur per Philosophum 2. de anima, quia sicut est in figuris, ita in formis; dico, quod Philosophus non dicit id esse verum vniuersaliter in formis, sed tantum in animabus, atque adeo dico, ꝙ vnica tantum anima est in animato, & quod superior in eodem continet inferiorem per identitatem essentialē formaliter, atque adeo potest dare formaliter esse secundum gradum essendi correspondentem inferiori animæ, quia in hoc nulla repugnantia inuenitur, sed sic nō est in omnibus formis, vt supra deductum est. Ad confirmationem dico, quod ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, non oportet poni vnita in superioribus, quando repugnantia formalis in hoc inuenitur.

Diluuntur rationes Hē. Ad rationes pro opinione Henric. de Gandauo respondet Doct. & primo impugnat fundamentum Hen. dicebat enim Henr. quod ideo in animalis alijs ab homine est ponenda tantum vna forma substantialis, quia quodlibet animatum aliud ab homine producitur vnica productione, vel mutatione. Contra hanc rationem instat Doct. ibi: Contra rationem istius opinionis, &c. Et ratio est talis. Aut ad vnitatem compositi, vel geniti sufficit, quod sint duæ mutationes ordinatæ ad duas formas ordinatas, aut requiritur tantum vna mutatio, si secundo modo, id est, si requiritur tantum vna mutatio, ergo à quibuscumque agentibus sint plures mutationes, licet ordinatæ, genitum non erit vnum, sed sic est, quod homo secundum Henr. producitur duabus mutationibus, ergo homo non erit vnus, quod est absurdum; Si autem primum sufficit. i. si dicatur, quod ad vnitatem geniti sufficit, quod sint duæ mutationes ordinatæ, ergo licet illæ plures mutationes sint ab vno agente, nō minus productum poterit esse vnum, quam si illæ mutationes essent à diuersis agentibus, immò cæteris paribus videtur, quod magis sufficiat vnum agens, quam plura agentia.

Respondet Henr. quod duæ mutationes, ad quas est vna potentia materiæ sufficiunt ad hoc, quod productum sit vnum, nō autem duæ mutationes, ad quas in materia sunt duæ potentiæ, modo ad formas eductas de potentia materiæ sunt diuersæ potentiæ; ad formam autem eductam de potentia materiæ, & ad formam non eductā, sed inductam est eadem potentia materiæ. v.g. quia forma corporeitatis educitur de potentia materiæ, forma autem intellectiua non educitur de potentia materiæ, ideo ad formam corporeitatis, & ad animam intellectiuam est una potentia in materia; In bruto autem, puta in equo, sicut forma corporeitatis, ita anima sensitiua educuntur de potentia materiæ, & ideo in materia ad istas duas formas est duplex potentia. Et ideo concedit, quod istæ duæ mutationes, quæ respiciunt diuersa agentia subordinata, vtpote Deum, & hominem, sufficiunt ad producendum vnum hominem, sed non sufficiunt illæ duæ mutationes, ad quas in materia sunt diuersę potentię ad hoc, quod sit vnum compositum, vel genitum.

Contra. aut potentiæ numerantur ad numerationē formæ, aut numerantur mutationes non respectu formæ, sed respectu agentis; si numerantur ad numerationem formæ, ergo cum vtrobique sint duæ formæ, siue ab eodem, siue à diuersis agentibus, sequitur vtrobique esse duas potentias in materia. i. tam respectu formarum eductarum de potentia materiæ, quam respectu formarum, quarum una educitur de potentia materiæ, & alia non, quod est cōtra Hen. si autem numerentur ad numerationem agentis, ergo erūt plures potentiæ in materia respectu formæ corporeitatis, & animæ intellectiuæ, quandoquidem producantur à diuersis agentibus, & multo magis sequitur numeratio potētiæ quando sunt diuersa agentia quam quando est vnum agens. Diceret Hen. quod numerantur secundum numerum formarum non absolute, quæ recipiuntur in ipso composito, sed secundum numerum earum, quæ educuntur de potentia materiæ per agens naturale, id est, quæ terminant actiones agentis naturalis; sed illa quæ terminat actionem creantis non educitur de potentia materiæ, & ideo propter illam non numeratur potentia in materia.

Contra hoc arguit Doct. subtiliter, & intendit probare, quod formas educi de potentia materiæ, vel non educi nō est causa, quare potentiæ in materia numerentur secundū numerationem formarum, & ratio est hæc, accidit materię, quod forma perficiens ipsam educatur de potentia materiæ, vel non educatur. i. quod forma producatur virtute agentis naturalis, vel producatur per creationem, ergo materia eodem modo se habet in ratione perfectibilis ad formam eductam, & nō eductam, atque adeo eodē modo respectu huius, & illius numerabitur, vel non numerabitur potentia materiæ, antecedens probatur: quoniam si esset possibile aliquam formam esse in materia, & tamen non educi de ea virtute agentis naturalis eodem modo, & ita perfecte perficeret materiam, sicut si educeretur de potentia eius.

Per hoc patet ad primam rationem Henr. nam potest concedi primo, quod ad vnum ens est tantum vna productio, & hoc loquendo de mutatione vltimata, & cum dicitur vnius mutationis est tantum vna forma, cōcedo, quod est tantum vna forma per se terminans illam mutationem, sed sicut sunt plures mutationes partiales, ita sunt plures formæ partiales terminantes illas mutationes, quæ formæ partiales procedunt (vel ordine durationis, si ponatur vna forma prius tempore induci, quam alia, vel ordine naturę, si ponamus omnes illas simul tempore induci) formam vltimam, ad quam formam vltimam dicit Doct. nō esse proprie mutationem, sicut dictum est in q. 10. 9. Meta. in solutione secundi argumenti, exemplum esset, si ponantur partes organicæ differre secundum formas substantiales, tunc enim præcedit generatio vnius non solum natura, sed etiā tempore generationem alterius partis, & etiam generationem illam, quæ est simpliciter generatio totius, qua. s. inducitur forma totalis, præsuppositis iam formis omnium partium; ēt sic ponendo vnam, vel plures mutationes; cum dicitur aut est vna potentia, vel plures, in materia respectu istarum plurium formarum ordinatarum posset dari hoc, vel illud, id est, & quod esset vna potentia, & quod essent plures potentiæ, si enim accipiatur potentia pro principio passiuo susceptiuo formæ, sic est tm̄ vna potentia, s. fundamētaliter, nec ista multiplicatur ad multiplicationē formarum; atque adeo si detur, quod est una potentia, tūc ad duas improbationes contra hoc factas respondet Doct. & ad primam cum dicitur vna potentia specie est ad vnam formā specie, dicit, quod verum est ad vnam formam eiusdem ordinis. i. ad formam completam, licet aliam præsupponat ordinatam ad ipsam. Et ad authoritates Philosophi dicit, ꝙ intelliguntur non de potentia receptiua, & actu receptio, sed de potentia, & actu vt sunt differentiæ oppositæ entis, id est, non intelliguntur de potentia subiectiua, & actu formali, sed de potentia obiectiua, & actu sibi opposito correspondente. i. actu existendi, vt apparet de posse sanari, & posse ęgrotari, de quibus exemplificat, nam alia est potentia obiectiua ad sanitatem, & alia est potentia obiectiua ad ęgritudinem, sed eadem est potentia subiectiua, quia idem corpus, & eadem potentia receptiua potest poni in corpore respectu duorum contrariorum, licet actus nō sint idē; Nam animal eadem potentia est subiectum sanitatis & ægritudinis, licet non sit idem sanari, & ęgrotari, sicut eadem potentia superficies est subiectum albedinis, & nigredinis, licet non sit idem fieri album, & fieri nigrum.

Si detur

Si detur etiam quod sunt duę potentiæ respectu huius, & illius formæ, & hoc accipiendo potentiam pro formali, quæ dicit ordinem ad actum potest facilius ad duas impugnationes responderi; cum enim dicitur primo, quod illæ duæ potētiæ insunt materiæ sine ordine potest negari; imò essentialius, & immediatius inest materiæ ordo ad vnam formam, quam ad aliam, sicut in subiecto respectu passionum diuersarum potest esse potentia prior, & posterior respectu alterius; Si autem concedatur, quod potentia sunt ex æquo, non sequitur, quod actus sint ex æquo, potest n. esse ordo potentiarum ad terminos, licet non sit ordo earū quantum ad fundamentum, sicut patet in multis alijs, vbi duo respectus sine ordine insunt vni fundamento, & tamē termini illorum respectuum habent ordinem inter se, & in comparatione ad fundamentum; posset ergo dici ad argumentū, quod in subiecto. in materia sunt plures potentiæ secundum formas specificas completas tamen ad duas formas eiusdem ordinis, quarum vna esset incompleta, & imperfecta, & altera specifica, & completa, potest esse eadē potentia, non obstante, quod illæ formæ essent alterius rationis; Vel aliter potest dici, quod in materia est potentia ad primam formam; sed in materia secundum se non est potentia ad animam, sed in toto composito ex materia, & prima forma.

Alia probatio de ente per accidens non habet apparentiam, si enim de igne posset generari aer, & aqua, non propter hoc sequitur, quod ignis in ratione termini à quo sit ens per accidens, quia ista potentialitas, & illa non constituunt per se terminum à quo, ita etiam ex parte subiecti si habeat potentiam aliam, & aliam non sequitur, si illæ potentiæ inter se accidunt, ergo habens illas est ens per accidens.

Ad secundam rationem Hen. dicit Doct. quod dare esse simpliciter non dicitur vno modo, nam secundum Philosophum primo de generatione t.c. 12. & inde, vbi arguit, ex non ente simpliciter non potest aliquid fieri; Non ens simpliciter potest accipi vno modo prout ly simpliciter accipitur pro vniuersaliter, & tunc non ens simpliciter est purum nihil, & sic secundum Philosophum ex non ente simpliciter non potest aliquid fieri, & isti non enti opponitur, quodcumque ens quantumcumque minimum habeat de entitate; alio modo accipitur ens simpliciter prout distinguitur contra ens secundum quid, & hoc modo ens simpliciter est substantia, & ens secundum quid est accidens, & non ens simpliciter oppositum enti simpliciter hoc secundo modo est ens secundum quid, scilicet, accidens. Sic (inquit Doct.) in proposito, quod forma substantialis dat esse simpliciter non quod det esse primum, quod. s. immediatè sequitur non esse simpliciter, sed dat esse simpliciter vt distinguitur contra ens secundum quid; primum patet, quia si accidens, vt puta quantitas primo aduenit et materiæ, & si daret sibi primum esse formale; non tamen daret sibi esse simpliciter, sed secundū quid, quia nū est nisi actus secundum quid, nulla etiam forma substantialis materialis est, quæ det esse simpliciter materiæ, & hoc si tenetur esse simpliciter. i. esse recedens à non esse, quia materia est ens, & non per formam, quia secundum aduersarios. i. secūdum Hen. quol. 1. q. 10. materia habet esse simpliciter isto modo etiam sine omni forma; non ergo sola forma substantialis dat esse simpliciter, id est, vniuersaliter, nec etiam simpliciter, id est, primum; sed accipiendo esse simpliciter secundo modo prout distinguitur contra esse secundum quid; dicit Doct. quod sicut ens diuiditur in prius, & posterius, vel primum & secundum, & prius continet sub se substantia, & posterius accidens; ita ista vox simpliciter in isto intellectu æquiualet ei, quod est primum naturaliter, & ista vox secundum quid æquiualet ei; quod est posterius naturaliter, & illo modo omne accidens dat esse secundū quid; Dico ergo, quod forma substantialis siue adueniat alicui iam habenti esse, siue non, dat esse simpliciter hoc secundo modo, id est, dat esse substantiale, sed non primo modo, id est, non dat esse simpliciter primum sicut forma accidentalis cuicumque adueniat, dat esse non simpliciter. s. substantiale, sed secundum quid, id est, accidentale.

Et si quæratur vnde potest probari, quod hæc forma dat esse simpliciter, & illa non; si de ratione neutrius est dare illud esse, quod immediate recedit à non esse? Respondet Doct. quod aut quæritur de re in se, vel de re in comparatione ad cognitionem nostram; si quæratur de re in se, nulla causa est, quare ista dat esse simpliciter, & illa secundum quid, nisi quia hæc est forma substantialis, illa accidentalis, sicut enim nulla est causa quare calor calefacit, quia immediata est, & inter causam immediatam, & effectum non est alia causa media, in tam genere causæ formalis, hæc est immediata calor constituit calidum, & anima hominem, & est immediatio formæ ad actum formalem. Si autem quæras in comparatione ad cognitionem nostram, de qua videtur procedere argumentum. Quasi opinio ponens pluralitatem formarum substantialium destruat omnem distinctionem inter formam substantialē, & accidentalē quo ad nos; dicit Doct. qđ Philosophi distinxerunt inter formā substantialē, & accidentalē à posteriori, vtpote per ista media, habere contrariū, & nō habere contrariū, suscipere magis, & minus, & non recipere, sm eam posse esse motum, & non esse, & huiusmodi. Sed ad rem breuiter dicit vnū esse medium, per quod manifestius distinguitur quantum ad cognitionem nostram, quæ forma adueniens enti in actu sit substantialis, & quæ accidentalis. Quamdiu enim proceditur in substantialibus semper posterior est perfectior prioribus, quando autem venitur ad accidentales, sequens est imperfectior vltima præexistente; quæ autem sit perfectior, hoc nobis innotescere non potest nisi à posteriori, & illud est rationabile & in se, & in nobis; in se quidem quia in eodem genere non aduenit forma, nisi vt perfectios constituat in illo genere, in alio autem quidquid aduenit. s. vt accidens imperfectius est quacumque præsupposita forma substantiali. Patet ergo responsio ad formam argumenti, quia ista opinio non destruit distinctionem inter formam substantialem, & accidentalem, quia non in se, ista enim est immediata, quia hac est hæc, & illa est illa; nec quantum ad cognitionem nostram per media illa, per quę possumus cognoscere distinctionem illam sicut à posteriori; nec mirum si distinguendo hanc formam ab illa secundum intellectū nostrum oportet vti posterioribus hac forma, & illa, quia nec alio modo cognoscimus quasi in aliquo formas substantiales, nisi à posterioribus.

Ratio quam facit Hen. ad aliud membrū, scilicet, quod illæ quatuor rationes D. Thom. non concludunt de homine, pro nobis facit; tamen in quantum conclusionem negat de alijs animatis potest responderi, quia respectu cuiuscumque animati potest poni, quod habeat duo agentia, vel quasi; quæ licet enim forma vitæ est excellentior simpliciter quacumque forma mixtionis, atque ita quodcumque inducens formam vitæ oportet esse perfectius se ipso, vel alio, vt patet, inducit formam mixtionis, & ita licet ab eodem genere in corpus mixtum in planta, vel bruto, & inducitur anima; tamen ibi idem agens est quasi duo agentia, quia habens in se rationem perfectioris, & imperfectioris agentis.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in termino ad quem conuersionis terminus formalis sit forma corporis, vel anima intellectiua, vt dat esse corporeum, vel aliquid aliud. D Th.

De hac re est triplex opinio principalis. Prima est Diui Thomæ 3. p. q. 75. art. 6. ad secundum, vbi dicit, quod terminus formalis conuersionis est anima intellectiua, vt dat esse corporeum, adeo quod primus terminus conuersionis illius est compositum ex materia, & anima intellectiua, non vt intellectiua, nec vt constituit compositum, quod est homo, sed vt dat esse corporeum, & constituit cōpositum, quod est corpus. Ipsa enim eadem anima, & constituit in esse hominis, & animalis, & corporis, & substantiæ, & hoc sine distinctione reali formæ, & formæ, sed propter continentiam virtualem formæ perfectioris, & sicut potest aliquid primo agere per animam, vt dat esse corporeum, licet nō agat eandē actionē per aiam, vt dat esse intellectiuum, ita potest terminare actionē sub tali ratione, licet non sub tali. Cæterum hanc opinionem D. Tho. non eodem modo Thomistæ interpretantur; quidam enim dicunt corpus in forma consecrationis supponere tantum pro materia, connotare vero animam, vt dat esse corporeum, ita Soto d. 10. q. 1. art. 2. Scot.

Sed hæc sententia stare non potest, quia secundū D. Th. corpus per animam nedum constituitur in esse corporis, sed

Nō ens simpliciter bifariam sumitur.

sed etiam in esse viuentis, at nemo diceret viuens supponere pro materia connotando animam, quia compositum ex materia & forma substãtiali, vt sic, est per se vnũ, quod per modum absolutum significatur per vocem corporis, sicut per vocem viuentis, & animalis, sicut ergo hæ voces non supponunt pro materia prima connotando formã, sed pro subsistente in tali natura composita ex materia, & forma in tali gradu, ita corpus non supponit pro materia connotando animam, vt dantem esse corporeum; sed pro natura corporea, id est, composita ex materia, & forma dante esse corporeum.

Caietan. Caiet. autem 3. p. q. 75. art. 6. dicit, quod directe, & ex vi verborum terminus conuersionis est corpus substantiale, quatenus dicit compositum ex materia, & anima dante esse corporeum. Sed contra hanc opinionem arguit Doct. in hac q. sub lit. P. §. contra istud. Si hostia consecrata à Christo in cœna in pixide fuisset in triduo seruata permansisset ibi eadem res primo contenta, illud autem in quo primo fiebat cõuersio, nec fuit materia prima, quia materia prima non est corpus, nec accidentis, eadem ratione, nec compositum ex materia, & accidente, ergo compositum aliquod ex materia, & forma substantiali, atque illud permansisset in triduo, sed tunc non erat compositum ex materia, & anima intellectiua; quia Christus vere fuit mortuus in cruce, atque ita anima intellectiua vere fuit separata, sed non põt esse simul separata, & vnita eidem corpori, ergo, &c.

Et confirmatur, Si terminus conuersionis esset compositũ ex corpore, & anima intellectiua, vt dat esse corporeũ, sequeretur, quod sacramentum Eucharistiæ fuisset aliquando falsum, & non verum sacramentum, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela. Sacramentum Eucharistiæ species panis, & vini repræsentant verum corpus Christi, & verum sanguinem Christi, qui de latere suo fluxit, & idem corpus numero, & carnem eamdẽ, quæ pro

D. Amb. nobis passa est in cruce, & tracta de Virgine dicẽte D. Ambros. vt habetur d. 2. de cons. licet figura panis, & vini videatur; nihil tamẽ aliud est quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda, & sequitur. Panem enim istum, quem sumimus in mysterio, illum vtique intelligo panẽ, qui manu sancti spiritus formatus est in vtero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Ponamus ergo sicut possibile fuit, quod aliquis consecrasset Eucharistiam in triduo, quando Christus iacebat in sepulchro, si opinio eorũ est vera non fuisset sub speciebus eadem caro Christi, nec idem sanguis Christi, quia non remãsit anima corpori vnita, nec sanguini in triduo, ergo sacramentum Eucharistiæ fuisset falsum signum, quod est insanum, & hæreticum. Nec valet illa euasio de identitate suppositali, quia nõ plus fuisset idem corpus Christi, quam corpus equi, vel equus assumptus ad vnitatem diuini suppositi, quod est derisibile.

Et confirmatur iterum, quia virtute verborum sacramẽtalium substantia panis conuertitur in corpus, & carnem Christi veram, & alia omnia sunt ibi per concomitãtiam,

Conc. Trid. vt determinat Concil. Trident. sess. decimatertia, cap. tertio, similiter substantia vini in sanguinem, sed vniuoce, quantum ad illa, quæ sunt sub speciebus virtute verborũ, & per se fuisset consecratum in triduo, sicut & consecratur modo, ergo fuisset sibi verissime eadem caro Christi, & idem corpus Christi, quod est modo, sicut & sacramentũ eiusdem rationis, & per se vniuocum sicut modo, & non fuisset ibi anima, ergo aliqua alia substantialis forma, per quam caro est caro, & corpus est corpus intrinsece pertinens ad ipsum Christum, & alia forma sub anima intellectiua, ergo terminus primus conuersionis non est compositum ex materia, & anima intellectiua.

Secundo arguit Doct. terminus istius cõuersionis oportet, quod sit reale, & vt reale, si oportet, quod sit ens reale, et quod terminet sub ratione reali, quia conuersio est realis, sed anima intellectiua, vt dat esse corporeum non distinguitur à se ipsa vt dat esse intellectiuum nisi ratione, quia secundum quod sic, vel sic concipitur, seu consideratur, ergo anima vt sic considerata, & sub tali ratione non potest esse terminus conuersionis realis.

Caietanus & Sotus ad rationes Sco. Ad istas rationes respondent Caiet. & Sotus vbi supra, & ad primam dicunt, quod in triduo fuisset idem corpus numero in sacramento Eucharistiæ eo modo, quo in esse naturali mansit idẽ in sepulchro, in sepulchro autem mansit idẽ quantũ ad materiam, & hypostaticã subsistentiam, non tamen mansit idẽ formaliter, quia non ab eadẽ forma habebat esse corporis, sed à forma cadaueris. Ad secundam negant consequentiam, quia anima vt dat esse corporeum non est ens rationis, quia licet distinctio ipsius dantis esse corporeum à se ipsa dante esse animatũ sit ratio, seu rationis ens, ipsa tamen tam dans esse corporeum vt sic, quam dans esse animatũ vt sic non minus est realis ut realis. Sed

Reijciuntur responsiones Caiet. & Sot. istæ responsiones non tollunt rationes Doct. & prima est satis impugnata in superiori art. secunda nõ percipit quid concludat Sco. non. n. concludit Sco. quod anima terminãs esset ens rationis, sed quod terminaret sub ratione, quæ esset ens rationis, nam si dare esse corporeum, & dare esse animatum in ipsa anima sunt entia rationis, quia nõ distinguitur anima à se ipsa vt dat esse corporeũ, & esse animatum nisi ratione etiam secundum ipsos, ergo si anima terminaret, vt dat esse corporeum, terminaret sub ratione entis rationis, quod est id, quod concludit Scotus.

Secunda opinio est Aegidij de Roma Theor. 28. 29. & 30. Qui tenens cum D. Tho. quod in nullo composito animato sunt ponendæ plures formæ substantiales, differt tamen à D. Tho. quantum ad terminũ formalem huius conuersionis dicens, quod saluari non põt, quod cõpositum ex materia prima, & anima intellectiua, vt dat esse corporeũ sit primus terminus conuersionis, proinde dicit ipse, quod materia prima habens modum quãtitatiuum est terminus conuersionis. Et si quæratur ab eo, quid intelligat per modum quantitatiuum, dicit, quod non intelligit quantitatẽ, quia pars termini conuersionis non est aliquod accidẽs, sed intelligit aliquid derelictum per quantitatem, nimirum quemdam modum extensiuũ partium ipsius materiæ, nec tamen secundum ipsum iste modus derelictus in materia à quantitate est aliquid accidens ipsi materiæ, eo quia in termino transubstantiationis non est ponendum accidẽs, materia tamen sub illo modo est compositum in tantum, quod potest dici corpus, & istud est terminus huius cõuersionis. Et si quæratur quare non ponat quantitatẽ esse terminum huius conuersionis; respondet, quod tunc nõ esset transubstantiatio, & ẽt quia tunc quantitas esset in hoc sacramento ex vi verborum & primo; quod cõiter negatur, quia est tantum in sacramento concomitanter. Hæc est opinio Aegidij cui tamen firmiter non adhæret, nam confitetur de veritate hac sibi sufficienter non constare dicens, sufficit mihi scire, quod panis conuertitur in corpus Christi, quod fuit formatum ex sanguinibus Virginis, quod fuit immolatum in cruce, & vinum in verum sanguinem, qui pro redemptione humani generis fuit effusus, cui hoc non sufficit cum sitæ no fidei quærat vlterius; mihi autem hoc sufficit, nam malo in simplicitate manere, quam de arduis temere iudicare.

Sed contra hanc opinionem arguit Doct. vbi supra. §. Alius tenẽs, &c. multipliciter, & primo sic. Aut ille modus quantitatiuus est idem materiæ præcise sumpta, aut non, si sic, & conuersio fit in materiam sub isto modo, ergo fit conuersio totius panis in materiam præcise acceptam & per consequens non est materia conuersa in materiam, nec forma in formam, quod ipse negat; si autem ille modus quantitatiuus non est idem materiæ præcise sumptæ, ergo vel ille modus quantitatiuus nihil est, & tunc conuersio fit in nihil, quia formalis terminus conuersionis est purum nihil, vel conuersio fit præcise in ipsam materiam, & per consequens non est materia conuersa in materiam, & forma in formam, & tunc multiplicantur verba sine fructu, quia nullus sanæ mentis diceret, quod fieret conuersio naturalis tantum, si autem dicatur, quod conuersio fit in aliquod aliud à materia, quæro vel illud est forma substantialis, vel accidentalis, si substantialis, & non anima intellectiua habetur propositum, quod est alia forma substantialis in corpore Christi, si accidentalis, sequitur illud inconueniens, quod intendit vitare, scilicet, quod in per se termino huius conuersionis requiratur aliquid accidens.

Secundo arguitur. Nihil causatum à posteriori naturaliter potest esse idem realiter priori naturaliter, modus iste per te causatur, & derelinquitur à quantitate, quæ est posterior naturaliter substantia materiæ, ergo non potest esse idem substantiæ materiæ; maior probatur, quia quod est idem realiter priori non dependet essentialiter ab eo, sed posterius dependet realiter à priori, prius non depẽdet realiter à posteriori, ergo nec illud, quod est sibi idem rea-

liter dependet à posteriori, sequitur ergo, quod dependet, & non dependet; nam modus iste quantitatiuus, quatenus derelinquitur à quantitate, est quid causatum à quantitate, atque adeo quantitate posterior, & ab ea dependens; quatenus autem est idem realiter substantiæ materiæ, est prior quantitate, quia & ipsa materia est quantitate prior, & vt prior quantitate non dependet à quantitate, ergo est prior, & posterior quantitate, dependet, & non dependet ab ea, quæ sunt contradictoria. Præterea contradictio est, quod aliquid possit simul esse, & non esse. at si iste modus quantitatiuus est causatus à quantitate, & esset idem realiter substantiæ materiæ posset simul esse, & non esse, ergo, &c. min. probatur, quia iste modus quantitatiuus ex eo quod est idem realiter cum materia, quæ non dependet à quantitate potest non existente quantitate, & ex eo, quod derelinquitur à quantitate dependet à quantitate, & non potest esse sine quantitate, ergo potest simul esse, & non esse; & hoc est, quod vult dicere Doct. quando dicit contradictio est aliquid esse, puta materiam esse, & non esse aliquid, quod est idem sibi, id est, & non esse modum illum quantitatiuum, qui ponitur esse idem materiæ, sed si istud, id est, materia non dependeret ab aliquo, puta à quantitate, & illud quod est sibi idem. i. modus quantitatiuus depẽderet, posset illud. i. materia esse sine illo, id est, sine quantitate, & per consequens modus quantitatiuus, quod est idẽ materiæ, posset esse sine quantitate, & quia ex altera parte dependet à quantitate, non posset esse sine ea, ergo posset simul esse, & non esse.

Tertio arguitur. Aut illud corpus, quod ponis primum terminum conuersionis est corpus mathematicum, vel naturale, non enim distinxit Philosophus corpus in plura, si mathematicum, ergo includit actu quantitatem, quia corpus mathematicum dicit materiam cum trina dimensione, vel secundum aliquos est trina dimensio, & per consequens tu concedis illud, quod cupiebas vitare, videlicet, quod in termino conuersionis non debet poni accidens. Si corpus naturale, vel ergo est naturale per aliquam formã substantialem, vel per aliquam qualitatem, si primo modo habetur propositum, quia illa forma non est anima intellectiua; si secundo modo & qualitas naturalis præsupponit quantitatem, adhuc habetur propositum contra te, quia primus terminus conuersionis includit materiam cum quantitate, & qualitate, atque ita non tantum erit ens per accidens, sed dupliciter ens per accidens.

Quarto arguitur, & supponitur, quod sanguis est quid compositum ex materia, & forma substantiali, hoc supposito arguitur sic. Non sunt efficaciora verba super sanguinẽ, quam super corpus, sed dicendo. Hic est calix sanguinis, non potest fingi terminus conuersionis esse sola materia sub modo quantitatiuo, quia illud non est sanguis, sanguis enim dicit aliquam substantiam, quæ generatur à nutrimento assumpto, & est proximum conuertendum in carnem; non autem generaretur, aut conuerteretur nisi haberet propriam formam substantialem.

Quinto arguitur. Quando dicitur. Hoc est corpus meũ, non ponitur aliquid distrahens à veritate carnis, vel ossis, & huiusmodi, sed potius includit omnes partes eius, quod est primo animabile; sed si diceretur; hæc est caro, vel os, vt detegatur fictio ponere terminum conuersionis esse tantum materiam sub modo quantitatiuo, ergo multo magis in proposito accipiendo corpus, vt est quoddam includẽs omnia ista, sicut accipitur hic; atq; adeo neuter modus tenens non esse plures formas substantiales in homine saluat sufficienter veritatem Eucharistiæ.

Sed nec saluat sufficienter vnitatem rei contentæ in Eucharistia, scilicet, vnitatem corporis Christi, quia sicut in existentia naturali, ita in Eucharistia erat idem corpus mortuum, & viuum; quod probatur per multas authoritates, quarum vna est Ambro. & ponitur de consecrat. dist. secunda, cap. Omnia quæcumque; loquens de Eucharistia (D. Amb.) quomodo efficitur corpus Christi. Idem (inquiens) sanè corpus, quod ex Virgine sumptum est, quod passum est, & sepultum, quod resurrexit, & in cœlum ascendit. Idem dicit Leo Papa in ser. de Ascen. Domini; non dubia fide, sed (Leo Papa.) certissima scientia tenemus eam naturam in Patris consessuram Throno, quæ iacuerat in sepulchro; Idem habetur ab Aug. in ser. de Ascẽ. qui incipit. Omnia charissimi. Item Aug. de fide ad Petrum; Idem homo in vtero matris; & (D. August.) pependit in cruce, & iacuit in sepulchro, & resurrexit, sed non potest intelligi hic ista idẽtitas nisi ratione partis, quæ est corpus. Hoc etiam vult Dam. lib. 3. c. 30. Nullam, inquit (Damasc.) partium naturæ deposuit. Idem Greg. super illud Ioan. 20. (Gregorius.) Maria stabat, &c. Quod moriendo in sepulchro posuit, surgendo super Angelos leuauit; Hoc etiam habetur ab Aug. ad Felicianum, & habetur lib. 3. d. 21. Illam carnẽ in sepulchro non deseruit, quam in vtero formauit. Hoc etiam cõfirmatur per Innocentium extra de celebratione Missarũ, (Innoc.) c. In quodam. De latere Saluatoris fluxit sanguis, & aqua, in quibus instituta sunt duo principalia sacramenta Baptismus, & Eucharistia, ergo Eucharistia, vt ibi innuitur, & habet significationem illius sanguinis fusi de latere, & habet efficaciam virtute illius sanguinis, sed nõ significat sanguinem, nisi qui est pars corporis, nec habet efficaciam nisi virtute sanguinis effusi de corpore Christi, sed de corpore mortuo fusus fuit, quia Io. 19. dicitur, quod eo iam mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit. Cum viderẽt (inquit) Iesum iam mortuum, ergo illud corpus iam mortuum fuit idem cum corpore Christi viuentis. Item Hieron. super Ionæ 2. Et subleuabis de corruptione, dicit: Illud (Hieron.) idem corpus, & eamdem carnem resurgere, qua homo conditus fuerat. Ex omnibus istis authoritatibus habetur idem numero fuisse corpus Christi viuum, & mortuum, quod saluare non possunt ponẽtes tantum vnam formam substantialem in homine.

Nam tenentes illam opinionem habent dicere, quod in illo instanti, in quo moritur homo introducitur in materia vna forma substantialis, cum materia numquam sit sine substantiali forma, & ex hoc habent dicere, quod ante mortem nulla erat forma carnis, vel ossis in composito alia ab intellectiua, licet post separationem sit quidem talis forma, atque adeo de necessitate habent dicere, quod non est idem corpus Christi viuum, & mortuum, nam in materia corporis Christi mortui est alia forma substantialis, quæ in ipso viuente numquam fuit secundum ipsos, & per cõsequens illud corpus est aliud ab ipso, id est, corpus Christi mortuum est aliud numero à se ipso viuente, quia habet aliud esse, & aliam formam, cuius contrarium expressè ostendunt authoritates adductæ.

Est ergo tertia opinio Doct. Richard. in quarto dist. vndecima, quæst. secunda, art. secundo, Ocham in 4. quæst. 6. & Hen. quol. 3. quæst. 6. & quol. 4. quæst. decimatertia, dicit ergo Doct. in hac quæst. sub lit. kk. §. Quãtum, ergo, &c. quantum ad istud dubium secundum huius secundi art. (Scotus. Rich. Ocham Henricus.) Dico, quod corpus Christi per se includit materiam, & ad minus formam vnam mixti priorem intellectiua, & per istam formam est in actu partiali, & est proximum receptiuum animæ intellectiuæ; adeo, quod forma mixti, vel corporeitatis in hominibus est dispositio ad animam intellectiuam, ita vt compositum ex ipsa, & materia prima est susceptiuum adæquatum animæ intellectiuæ, licet corpus non sit per illam formam mixti in genere corporis, vt corpus est genus, nisi per reductionem, & in istud compositum (quod tamen per se est pars hominis) fit per se conuersio panis, ita quod terminus totalis conuersionis est corpus Christi prout est altera pars compositi, id est, corpus Christi prout est compositum ex materia prima & forma corporeitatis, est id, in quod fit per se conuersio panis, quia totius in totum, & partium in partes, & per consequens hæc forma est formalis terminus conuersionis, siue forma termini conuersionis. Hæc autem forma manet eadem, siue anima vniatur illi, siue non vniatur, quia hæc prior est naturaliter saltem in informando ipsa aĩa, & in triduo mansit aĩa non manente ibi. Et in triduo fuisset eadẽ res huius sacramẽti, si sacramentum tunc mansisset; quia in illo triduo forma corporeitatis non fuit separata à materia sua in Christo, & per consequens nec separata a materia sua vt in Eucharistia. Sicut. n. eadẽ numero fuit res ĩ in se in existẽtia naturali, ita ẽt idem compositũ numero, quod est terminus conuersionis primus mansisset semper in Eucharistia.

Nec valet in ista identitate saluanda fugere ad identitatem materiæ, seu hypostasis. Hic Doct. remouet responsionem Thomistarum, quam etiam in medium adducunt Caiet. & Soto ad omnes authoritates sanctorum, & ad ra- (Caiet. Soto.) tionem Doct. dicunt enim, vt vidimus supra, quod si D. Petrus consecrasset in triduo esset ibi cõpositum ex materia prima, & forma substãtiali de nouo producta, puta forma

cadaueris

Digitized by Google

cadaueris,& non ex forma substantiali derelicta, quæ fuit in Christo viuente; & ad rationem, & ad authoritates, quę probant vnitatem numeralem corporis Christi viui, & mortui, respondent, & dicũt, quod erat idem numero corpus vnitate materiæ, & suppositi, sed non vnitate formæ, Dicit Doct. quod hæc responsio est fuga, quia si propter identitatem ad suppositum diuinum, & propter identitatẽ materiæ, diceretur idem terminus conuersionis manere ante, & post mortem, & non propter identitatem formæ, sequeretur, quod lapis posset dici terminus conuersionis, probatur, quia si lapidi vniretur suppositũ diuinum, iam lapis diceretur idem naturæ humanæ propter identitatem materiæ, & suppositi. Item si in materia corporis Christi in instanti separationis animæ induceret Deus formã equi, equus constans ex materia illa, & forma inducta esset idẽ numero cum corpore Christi viuo, quod nullus sanæ mentis diceret; Item si propter identitatem materiæ esset idem numero corpus viuum, & mortuum, sequeretur, quod vnum contrarium esset aliud, probatur, quia vnum cõtrarium potest succedere alteri in eadem materia manente eadem subiectiue, ergo si vnitas, vel identitas materię sufficit ad identitatem numeralem sine formæ vnitate, vel identitate, vnum contrarium alteri succedens in eadem materia erit aliud, quod nullus credo admitteret, & valde miror quomodo Caiet. & Soto non viderint hanc replicam Doct. contra eorum responsionem.

QVAESTIO IV.

Vtrum panis in ista mirabili conuersione annihiletur.

Ota difficultas huius quęstionis oritur ex incertitudine quid nominis vocabuli annihilationis, non enim eodem modo apud omnes accipitur annihilatio; Certum est autem, quod annihilatio dicit desitionem rei, non tamen omnem.

Desitio quid sit. Vnde obseru. est primo, quod desitio est transitio rei aliquando existentis in non esse, siquidem desinit, quod incipit non esse, vt patet per eius expositionem; transit autẽ res in non esse multipliciter, quandoque per solam separationem partium suitum partibus ipsis separatim manẽtibus, sic homo desinit, & transit in non esse separata anima intellectiua à corpore, licet maneat ipsa anima, & similiter corpus, sicut totum integrale, siue sit homogeneum, vt lignum, lapis, &c. Siue heterogeneum, siue naturale, vt corpus animale, siue artificiale vt domus, desinit esse si partes ad inuicem separentur localiter, ipsis tamen manentibus in suo esse. Interdum transit res in non esse per desitionem alterius partium essentialium, altera parte remanente, sicut omnis res naturalis composita ex materia, & forma materiali, siue extensa corrumpitur, & transit in non esse per hoc, quod forma eius substantialis non manet manente tamen materia, quæ est suæ compositionis pars altera, sic lignum desinit simpliciter, & transit in non esse, dum ex eo generatur ignis, quia manente materia ligni corrumpitur forma eius, & introducitur forma ignis in eandem materiam. Interdum res desinit, & transit in non esse secũdum se totum, quia nihil ipsius manet, sed quodlibet eius ita trãsit in nihil, siue in non esse, hoc est, ita simpliciter secũdum se, & quodlibet sui non est, sic enim fuit ante mundi productionem, & isto modo transeunt in non esse omnes res cõpositæ ex partibus diuersarum rationum, siue habeant partes, siue nondum desinunt, siue etiam sint res totales per se subsistentes, vt Angelus; siue materiæ inhærentes, vt formæ substantiales, & accidentales; Vnde in corruptione cõpositi substantialis, vtpote bruti, vel aeris, ita forma substantialis transit in non esse, & nihil ipsius formæ manet, sicut ante mundi creationem nihil ipsius fuit, & ita transit in nõ esse forma substantialis in corruptione compositi sicut Angelus si simpliciter destrueretur, nec refert quantũ ad non esse, quod forma desinat in materia, & quod Angelus desinat extra materiam, nam vbicumque res secundum se, & quodlibet sui desinit nihil ipsius manet.

[Al]iquid an[nih]ilari bi[fari]am con[tin]git. Secundo obseruand. est, quod aliquid annihilari potest intelligi dupliciter, scilicet large, & strictè, seu communiter, & proprie; priori modo illud dicitur annihilari, quod primo fuit aliquid, & postea non est aliquid quidditatiue, nec etiam subiectiue, ita, quod nec remanet aliquid, quod fuit ipsi intrinsecum, nec etiam eius subiectum, atq; ita dicitur non remanere neque in actu, neque in potentia, non in actu, quia quidquid fuit formaliter est destructum, nec in potentia, quia non manet eius subiectum. s. substantia composita, si fuit accidentalis forma, vel materia si substantialis, eo modo quo dicimus ignem ab aqua corruptũ manere in ipsa aqua in potentia ratione materiæ informatæ forma aquæ; quia licet sit actualiter spoliata forma ignis, est tamen adhuc in potentia ad ipsam, cum possit in ea naturaliter introduci, & hoc modo annihilatio sumpta dicitur improprie, & large, dum tamen sit transitus ab esse aliquid ad nihil prædicto modo sumptum, videlicet actualiter, & potentialiter, non per se primo, sed per se primo sit transitus ab esse aliquid aliud, ad quod sequatur secundario, & per accidens illud primum ens totaliter esse nihil; secundo modo proprie annihilatio dicitur transitus ab esse aliquid ad esse nihil totaliter, actualiter videlicet & potentialiter, & hoc per se primo, & hoc modo omne illud ꝙ transit per se primo de aliquo ad nihil, annihilatur non autem illud, quod per se primo transit ad aliquid, & secũdario ad nihil, tale enim non dicitur annihilari proprie isto modo, sed large, & improprie primo modo.

Tertio obser. est, quod Deus potest facere, ꝙ ens desinat dupliciter, aut secundũ se, aut in ordine ad aliud, si res desinat tota, & totaliter, sic quod nihil eius maneat, & hoc secundum se, annihilatur, si autem desinat tota, & totaliter non in se, sed in ordine ad aliud, tunc ex tali ordine saluatur, quod res illa non annihilatur. v.g. Deus nõ destruit hominem quin creet vnum Angelum, adeo quod ordinat hominis destructionem ad Angeli creationem, atque adeo ex hoc, quod principaliter intendit aliquid positiuum, id est, Angelum esse, potest dici, quod homo non annihilatur, sed in Angelum conuertitur. His obseru. diuido hanc quæst. in quinque articulos.

Primus art. Vtrum in conuersione panis fiat resolutio vsque ad materiam primam.

Secundus art. Vtrum post consecrationẽ maneat aliquis realis gradus, vel entitas metaphysica substantiæ panis.

Tertius art. Vtrum substantia panis per conuersionem non annihiletur, quia post conuersionem manet substantia panis in potentia in corpore Christi.

Quartus artic. Vtrum panis in hac admirabili conuersione annihiletur.

Quintus art. Vtrum substantia panis hac conuersione annihiletur.

ARTICVLVS I.

Vtrum in conuersione panis fiat resolutio vsque ad materiam primam.

FVit aliquorum opinio, vt notat Innoc. III. summus Põtifex in 2. p. de officio Missæ c. 26. qui tenebant substantiam panis manere simul cum corpore Christi in Eucharistia; aliqui vero dicebant, ꝙ substantia panis non manet simul cum corpore Christi in Eucharistia, non tamen cõuertitur, sed desinit esse, vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud. *Innocent.* Alij autem dicebant, ꝙ panis transubstantiatur in corpus Christi, & vinũ in sanguinẽ. Quælibet aũt istarum opinionum valuit hoc cõe saluare, ꝙ in Eucharistia est vere corpus Christi. Impugnata in superiori q. opinione prima, in hoc art. refellenda est secũda opinio, quæ posuit substãtiã panis non manere, sed resolui vsq; ad materiã primã. Contra quam sic arguit D. Tho. in 4. d. 11. q. 1. & 3. p. q. 75. ar. 3. *D. Thomas* Si panis desineret esse per resolutionem in materiam primam præiacentem, vel hoc fieret in materiam nudam, vel fieret in materiã sub aliqua alia forma, nõ primũ, quia hoc est impossibile, & cõtradictionem inuoluẽs, probatur, quia tunc sequeretur, ꝙ materia esset, & non esset, nam si fieret resolutio panis in materiã nudã, materia esset sine forma, sed forma est actus materiæ, ergo nõ existente forma materia non esset, & ex posito esset, quia in eam ponitur fieri resolutio, ergo esset, & non esset.

Si fieret in materiam sub aliqua forma, ergo vel illud corpus aliud nouum, cuius est illa materia pars, es-

sit simul cum speciebus, & corpore Christi, vel mutaretur de loco illo, sed vtrumque est inconueniens, ergo, &c. Primum inconueniens probatur, quia impossibile est duo corpora esse simul; Secundum etiam quia ille motus localis illius corporis posset percipi per expulsionem corporis alterius circumstantis. hæc argumenta habentur in superiori q. sub lit. B. §. contra opinionem.

Cæterum licet hæc opinio sit falsa, quod panis desinat esse per resolutionem in materiam primam, tamen non improbatur efficaciter à D. Tho. nam posset responderi, quod in materiam nudam, & in materiam sub alia forma fieri posset resolutio; & si daretur primum non efficaciter improbatur, nam quando arguitur, quod tunc materia esset sine forma, atque ita in actu, & non in actu; Dicit Doct. vbi sup. sub lit. D. § Ad aliud contra secundam opinionem, quod æquiuocatur de actu; nā duplex est actus, scilicet formalis, & entitatiuus, vel existentiæ; actus entitatiuus est differentia entis, qui vna cum potentia diuidit ens, prout omne ens diuiditur in ens, quod est in actu, & in ens, quod est in potentia; Actus autem formalis dicit habitudinem illam, quam dicit forma ad informabile, & ad totum cuius est forma.

Eodem modo æquiuocatur etiam de potentia; est enim duplex potentia, scilicet, obiectiua, & subiectiua; potentia obiectiua, quæ opponitur actui entitatiuo dicit ens diminutum, cui, scilicet, non repugnat esse extra causam suam; Vnde illud dicitur esse in potentia obiectiua, quod non est, & potest esse, vt Antichristus modo est in potentia obiectiua: quia non est, & sibi non repugnat esse; ens autem in actu oppositio isti potentiæ est ens completum in suo esse, id est, est ens existens extra causam suam, quodcumque sit illud. Potentia autem subiectiua, siue ens in potentia subiectiua est principium receptiuum actus secundo modo dicti, id est, actus formalis, seu formæ, sic materia dicitur potentia, & forma actus.

Hæc distinctio plane patet per Philosophum 9. Meta. in principio t. cap. 1. & 2. & etiam membra diuisionis probari possunt per dicta Philosophi in multis locis loquentis de actu, & potentia nunc sic, nunc sic, id est, nunc de potentia obiectiua, & actu existentiæ, nunc de potentia subiectiua, & actu formali; nam in 7. Meta. c. vlt. t. c. 15. inquit, ex actu, & potentia per se fit vnum, quod non potest intelligi de istis, vt opposita sunt, quia sic non sunt simul, imò acceden te actu existendi recedit potentia obiectiua, nam id, quod existit non est amplius in potentia ad esse, quia alias esset in actu, & in potentia simul, quod est absurdum, loquitur ergo ibi Arist. de potentia subiectiua, & actu formali; In 9. afit Metaph. cap. 5. t. cap. vndecimo, inquit. Est autem actus existere rem, & non ita sicut dicimus potentia, & post explanando istam descriptionem manifestat in multis oppositis vt vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculū, & elaboratum ad illaboratum, huiusmodi inquit, differentiæ est alteri parti actus determinatus, alteri autem potentiale. Hic Arist. ponit potentiam obiectiuam, & actū eius oppositum existendi, nam quæro quæ potentia est ista, qua aliquis est videns, & habet potentiam ad claudendum oculum, & est vigilans, & habet potentiam ad dormiendum, certum est, quod est potentia, cum ipsemet in fine subdat huiusmodi differentia alteri parti est actus determinatus; alteri autem potentiale, hęc potentia non potest esse subiectiua, quia subiectiua manet cum actu, cum ex actu, & potentia fiat vnum per se, & vigilans non stat simul cum dormiente, adeo, quod ex eis fiat vnum, ergo est potentia obiectiua, quæ non stat simul cum actu.

Ad propositum ergo inquit Doct. materia sine forma est in actu primo modo, i. est in actu entitatiuo, & existentiæ, & non in potentia obiectiua, quod probatur per D. August. 12. confess. ecce verba sua. Materia ipsa accipit à Deo hoc imperfectum esse, quod habet, scilicet, in potentia, & necesse est ipsum hoc ponere, quia materiam concedit à Deo creari, sed antequam crearetur erat in potentia primo modo, id est, in potentia obiectiua, probatur, quia aliter crearetur, quod impossibile est creari; id autem dicitur esse in potentia obiectiua, quod non est, & sibi non repugnat esse, ergo post creationem fuit in potentia non isto modo, scilicet, obiectiua, quia tunc per creationem non esset aliqua entitas materiæ productæ, tantum igitur per creationem fuit in potentia secundo modo, quia fuit receptiuum actus secundo modo dicti, id est, actus formalis. [D. Aug.]

Sed tunc arguēdo, materia est in actu primo modo, id est, in actu existentiæ, & non est in actu secundo modo, id est, in actu formali, ergo est in actu, & non in actu, committitur fallacia æquiuocationis, & est ignorantia elenchi, eodē modo est æquiuocatio de potentia hinc inde.

Si etiam daretur secundum, scilicet, quod materia reciperet aliam formam, & maneret simul cum corpore Christi non posset improbari quin esset Deo possibile, quia licet duo corpora non possint esse naturaliter in eodem loco, tamen respectu potentiæ diuinæ contradictionem non inuoluit, si enim corpus Christi etiam quantum potest simul esse cum quantitate panis, & plus quantum ad simultatem repugnat quantum quanto, quam substantia substantiæ, & per consequens plusquam substantiæ cuicumque; sic enim arguit Philosophus 4. phys. t. ex. cap. 76. capit. de vacuo, quod si duo corpora possunt esse simul, & quodlibet, sequitur, quod non est impossibile aliquam substantiam compositam ex illa materia, & noua forma manere simul cum corpore Christi. Si iterum daretur, quod expelluntur, non tamen sic, quod manifeste appareat expulsio aeris, neque hoc potest probari impossibile Deo; quia nullam includit contradictionem, atque ita patet quomodo ratio D. Tho. non improbet sufficienter illam falsam opinionē.

Dicendum est ergo in hac admirabile conuersionem panem vtique desinere esse, sed non per resolutionem eius in materiam, quia materia panis non remanet, sed totus panis, & totaliter transubstantiatur in corpus Christi, adeo, quod post consecrationem nihil remanet, nisi accidentia panis, sub quibus Christus continetur. Hæc propositio sub his terminis iam est de fide, nam licet in Concil. Romano contra Berengarium coacto, & in Concil. Lateran. sub Innocentio III. in cap. Firmiter de summa Trinit. & de fide catholica, Constan. sess. octaua, & Florentino in decreto Eugenij, tantum sit definitum substantiam panis conuerti; Vnde in Concil. Triden. sess. 13. capit. 4. additum est totam substantiam conuerti; sic enim legitur in Conc. Trident. Hæc sancta Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, & idem repetit in canon. 2. vbi explicatius dicit, manentibus dumtaxat accidentibus panis, & vini; non enim sine mysterio addidit Conc. particulam illam, totā, vt nimirum significaret quicquid substantiæ est in pane totum id conuerti, quod magis explicat can. secundo dicit, mysterium hoc perfici per conuersionem totius substantiæ panis, & vini, & addit manentibus dumtaxat speciebus panis, vbi accidentia species vocat iux ta vsitatum Theologorum morem: Vnde Concil. Colon. par. septima, cap. 15. rectissime dixit. Quid enim panis, vinique species post consecrationem sunt, nisi species sacramentales, & accidentia sine subiecto? Et in cap. Omnia de consf. dist. 2. ex Amb. dicitur post cōsecrationem nihil aliud manere nisi accidentia panis & corpus Domini; ex quibus patet falsitatem huius opinionis, vt etiam ostendimus in quæst. præcedenti art. quinto, improbando opinionem Aegidij, & Durandi. [Conc. Rom.] [Conc. Lat.] [Conc. Cō.] [Conc. Flo.] [Conc. Trid.] [Conc. Col.] [D. Amb.]

ARTICVLVS II.

Vtrum post consecrationem maneat aliquis realis gradus, vel entitas Metaphysica substantiæ panis.

TRes sunt de hac re falsæ sententiæ, prima fuit Godfr. quol. 8. quæst. decimaseata, vt refert Palud. dist. duodecima, quæst. tertia, & Picus Mirand. in Apolog. quæst. 9. qui dicebat post consecrationem manere panis subsistentiam integram eius natura destructa. Fundamentum eius erat, quia subsistentia est distincta à natura, ergo potest conseruari sine illa: Rursus tantum illud desinit in pane, quod conuertitur in corpus Christi, sed in corpus Christi non potest conuerti subsistentia, sed sola natura, quia sola natura humana est in Christo, subsistentia vero est increata, in quam non potest fieri conuersio, ergo conuertitur natura, & manet subsistentia, quæ deseruit, vt per illam subsistant accidentia. [Godf.] [Palud.] [Ioan.]

Sed hæc opinio stare non pōt, quia subsistentia panis nō est accidens, sed per Conc. Trid. accidentia solum manent, ergo [Conc. Trid.]

ergo non potest manere subsistentia; deinde si subsistentia manet, vt sit verum, ac proprium subiectum accidentium,
Conc. Cōst. vt dicit Godfr. hoc repugnat determinationi Concilij Cōstantiensis sess. octaua, si uero dicitur manere, vt terminet, & faciat subsistere accidentia, illud in primis non est necessarium, quia non oportet, vt accidentia illa subsistant propria subsistentia substantiali, deinde non est possibile, neque ex parte accidentium, neque ex parte subsistentiæ creatæ: non ex parte accidentium, quia si accidentia terminarent, & subsisterent tali subsistentia, oporteret fieri nouum miraculum cuiusdam vnionis hypostaticæ inter quantitatem panis, & subsistentiam panis, nam sine hac noua vnione non potest intelligi quantitas panis subsistens tali subsistentia magis post consecrationem quam antea; quia quantitas non esset prius vnita substantiæ immediate, sed rei subsistenti ratione naturæ; & propterea non subsistebat, sed inhærebat, ergo si postea subsistit, & terminatur noua subsistentia, oportet vt noua vnio quasi hypostatica facta sit, sed accidens non est capax talis vnionis secundum probabilem opinionem, vt diximus in 3. d. 2. & esto, quod sit capax, prout ibi sustinemus, in proposito tamen esset vanū, & superfluum tantum, & tam nouum miraculum sine fundamento affirmare.

Quod etiam non sit possibile ex parte subsistentiæ creatæ, quia iuxta veriorem sententiam subsistentia formaliter non est aliud quam duplex negatio communicabilitatis, vt quo, & vt quod actu, & aptitudine; modo hæc duplex negatio potest intelligi manere siue re, siue natura singulari, quam suppositat. quia non habet entitatem propriam, sed consequitur substantiam singularem propter negationem agentis extrinseci assumentis, vt diximus in 3. dist. 1. quæst. 1.

Ad fundamentum Godfr. dico, quod non obstāte distinctione subsistentiæ a natura non potest subsistentia manere destructa natura, cum talis subsistentia non sit entitas aliqua positiua; Ad confirmationem cum dicitur subsistentiam panis non posse conuerti in substantiam corporis Christi, quæ increata est, & ideo manere, negatur consequentia, quia sicut subsistentia corporis Christi est in hoc sacramento non ex ui conuersionis, sed per concomitantiam, ita intelligi potest subsistentiam panis desinere esse, non ex vi conuersionis formaliter loquendo, sed per concomitantiam, scilicet, quia ipsa natura panis desinit esse, sine qua non potest manere subsistentia panis.

Secunda sententia affirmat manere existentiam substantialem panis, quam hoc tempore moderni quidam Tho-
Bannes. mistæ defendunt, vt Bannes prima parte, quæst. 4. art. secundo, dub. secundo, & fundatur super duo principia Metaphysica, primum est, existentiam esse realitatem omnino distinctam ab essentia, ex quo colligunt posse conseruari sine essentia, sicut è contrario in humanitate Christi existimant conseruatam esse essentiam sine existentia propria, ex quo fundamento potest sic argui: Id post consecrationem manet, quod non conuertitur in corpus Christi, sed existentia panis non conuertitur in corpus Christi, ergo post consecrationem manet, consequentia patet cum maiori, & minor probatur, quia in Christo Domino solum est essentia creata, & non existentia, ergo existentia non conuertitur; probatur, quia conuersio solum fieri potest in id, quod creatum est.

Secundum principium est, accidentia non habere proprias existentias, sed existere eodem esse, quo existit substātia in qua sunt, ex quo fit necessariam hic esse existentiam panis, vt per illam existant accidentia, quæ manent: quia vt D. Thom. docet 3. p. quæst. 77. art. quarto. Post consecrationem quamuis subiectum accidentium non maneat, remanet tamen esse, quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium, & conforme subiecto, accidentia ergo manent cum existentia, quam acquisierunt in subiecto, sed illa existentia non distinguitur tamquam res à re ab existentia per quam antea existebat substātia, ergo separat Deus illam existentiam, vt accidentia maneant, & existant per modum substantiæ, atque inde est, ut ita nutriant hominem, & corrumpātur, sicut si eadem substantia panis maneret, vt docet D. Thomas vbi supra.

Cæterum hæc opinio est fere contra communem sententiam omnium Theologorum, nec videtur stare posse cū principijs fidei, nam certum est, quod tota substantia panis conuertitur, nomine autem totius substantiæ non intelligitur substantia abstracta, & præcisa ab existentia, sed intelligitur substantia singularis completa prout existebat in rerum natura, quæ maximè existentiam includit tamquam proprium gradum intrinsecum constituentem hanc entitatem in esse actualis entitatis, imò sic productio est rei existentis, ita conuersio potissimū fit ratione rei existentis.

Præterea Concil. Trident. post consecrationem dumtaxat accidentia manere dixit, at existentia substantiæ panis non est accidens, vt omnes quotquot sunt Philosophi docent, & est per se accidens, quia vel est ipsamet entitas substantiæ, vt substantia actualis est, vel eius intrinsecus modus sub ea ratione illa constituens. Nec valet responsio Bannes, quod dictio exclusiua Concilij non excludit à concomitantibus, vnde non excludit existentiam, nam ex eo, quod dixit accidentia manere, definit etiam, quod manent cum existentia; at accidentia non existunt in hoc mysterio per existentiam de nouo creatam, sed eadem prorsus, per quam antea existebant manet cum illis, vt existāt per modum substantiæ. Hæc responsio, inquam, non eneruat vim testimonij Conc. Triden. nam licet verum sit illud non excludere existentiam accidentium, quod tamen non excludat existentiam substantiæ falsum est. Conc. Trid.

Præterea, quod substantia pereat, & maneat existentia impossibile est, cum nihil aliud sit perire, quam existentiā emittere, nam esse essentiæ æternum, & immutabile est, & natura non desinit, neque corrumpitur nisi ratione existētiæ. Dicent substantiam amittere esse, non quia ipsum esse in se destruatur, sed quia desinit actuare hanc naturam, vel substantiam; sed hæc responsio fingit substantiam esse velut subiectum existentiæ, hanc vero esse actum realiter distinctum ab illa, quod esse falsum patet ex his, quæ do- Scotus.
cet Doct. pluribus in locis suæ doctrinæ, Bassolus in tertio distinct. sexta, quæst. prima, & Antonius Tromb. lib. quinto Meta. q. 3. Bassolus. Trombetta

Ex his respondetur ad primum fundamentum illorum, nam falsum est accidentia realiter distincta à substantia realiter existere per ipsam existentiam substantiæ, quia in vniuersum impossibile est, quod aliqua entitas existat per entitatem à se realiter distinctam; Vnde falsum est etiam existentiam realiter ab essentia distingui, vt Sco. & Anton. Tromb. ostendunt locis supracitatis.

Tertia opinio affirmat hanc indiuiduam entitatem, vel substantiam, quæ antea erat panis per conuersionem fieri corpus Christi, atque ita manere, negat tamen manere aliquid substantiæ panis sub eadem differentia specifica, sub qua antea erat; Hanc sententiam insinuat Henric. quolib. Henricus.
9. q. 9. quolib. vndecimo, quæstione quarta, vbi dicit, quod post conuersionem panis non est nihil, quia si esset nihil oporteret dicere, quod esset annihilatus, quod communiter non conceditur, si ergo post conuersionem panis non est nihil sequitur, quod est aliquid, sed non est illud, quod præfuit, id est, post conuersionem non est panis, cum panis sit conuersus, nec est aliquid extra terminum ad quem, id est, non est aliquid in quod conuertitur, ergo post conuersionem est illud, in quod conuertitur, patet quia ex quo panis post conuersionem est verè aliquid, & non est illud, quod præfuit, quia non est panis, nec est aliquid aliud a termino ad quem conuersionis, ergo erit terminus ipsius conuersionis, vt sit verum dicere, quod præfuit panis, est corpus Christi, id est, illud aliquid, quod præfuit panis post conuersionem est corpus Christi, aut si ista negaretur, id est, quod illud aliquid, quod præfuit panis sit corpus Christi, necesse est dare, quod aliquiddas corporis sit eius, quod fuit panis, vult dicere, quod ex quo panis post conuersionem est vere aliquid, & non conceditur, quod illud aliquid sit corpus Christi, saltem oportet concedere è contra, scilicet, quod aliquiddas corporis Christi sit eius, quod præfuit panis, id est, quod sit illud aliquid, quod prius fuit panis, & hoc patet, quia si post conuersionem panis est vere aliquid, & illud tale non est panis, nec corpus Christi, in quod panis est conuersus, ergo aliquiddas corporis Christi erit illius, quod prius fuit panis, hoc est dictu, quod corpus Christi post conuersionem panis habet istud aliquid, quod præfuit panis, siue aliquam aliquiddatem post conuersionem panis, quam prius non habuit, alioquin panis post conuersionem nullo modo posset dici aliquid, sed oporteret dicere, quod omnino esset annihilatus.

Caietanus. Hanc eamdem sententiam maxime insinuat Caiet. 3 p. q. 75. art. 3. circa solutionem ad tertium, & artic. 4. vbi sæpe repetit manere, quod erat panis, & explicat illud relatiuū, quod refertur substantiam, & veram realitatem, quæ manet, & est corpus Christi, & insta concludit pronomen hoc, in verbis consecrationis designare hanc substantiam, quæ est panis, non sub esse panis, sed absolute, & illam dicit esse corpus Christi in fine prolationis verborum; similia se re habet in art. 4. vbi in primo dubio dicit id quod erat panis post conuersionem fieri id quod est corpus Christi, & in fine dicit illud relatiuum quod, referre eamdem substantiam. Est ergo sententia Caietan. quod quamuis non maneat substantia panis post consecrationem, idem tamen illud quod erat panis est corpus Christi, atque ista in ista conuersione panis desinit esse panis, & sic panis non est corpus Christi, tamen illud idem ens, quod erat panis post conuersionem est corpus Christi. Primum eius fundamentum est auth. D. Amb. quæ refertur de consec. d. 2. cap.

D. Amb. Fundamenta Caietani. Panis, vbi dicitur. Si tanta vis est in sermonibus Domini Iesu, vt inciperet esse, quod non erat mundus videlicet per creationem, quanto magis erit operatorius sermo illius, vt sint quæ erant & in aliud conuertantur? ergo si panis est, quod erat ante consecrationem, sequitur quod illud idem quod erat panis est postea corpus Christi. Et confirmatur ex verbis sequentibus in eodem loco, quod erat panis ante consecrationem iam corpus est Christi post consecrationem, vbi aperte fatetur Ambrosius, quod illud, quod ante consecrationem erat panis, postea est corpus Christi.

Secundum Caiet. fundamentum est. Si illud quod erat panis ante consecrationem, non esset postea corpus Christi, sequeretur quod panis non esset conuersus, sed annihilatus, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela, quia si illud quod erat panis non fieret corpus Christi fieret nihil, sed quod desinit in nihilū annihilatur, ergo si panis non fieret corpus Christi iuxta modum explicatum annihilaretur, ergo secundum hanc opinionem neque panis, neque vlla pars eius desinit esse simpliciter, sed res ipsa manet facta corpus Christi.

Sotus cōtra Caietanum Cæterum opinionem Caiet. impugnat Sotus in 4. d. 9 art. 4. eamque dicit esse fere inintelligibilem, neque S. Th. illam somniasse dicit. Dicit tamen vltra Caiet. quod terminus huius conuersionis est substantialis, & nouus, quia terminus huius conuersionis non est corpus Christi, sed est id quod erat panis esse corpus Christi; Vnde quamuis corpus Christi secundum substantiam suam non sit nouū; est tamen nouum id quod erat panis esse corpus Christi, & non est mirandum ait Caiet. quod in tam admirabili sacramento tam mirabilia dicantur, in his enim rebus captiuare oportet intellectum in obsequium fidei.

Opinionem aut Hen. confutat doctissime, & subtilissime Doct. in hac q. sub lit. LL §. Hic dicitur, quatuor rationibus, prima est talis, terminus mutationis in quantum est terminus mutationis includit non esse alterius termini, sed corpus Christi, & panis sunt termini huius conuersionis, & corpus Christi est terminus ad quem, ergo corpus Christi vt est terminus ad quem includit nō esse termini a quo puta panis, & per consequens post conuersionem non manet aliquid panis, quia inuoluit contradictionem, quod illud quod includit totale non esse alicuius, includat aliquid eius; maior probatur, quia esse termini ad quem conuersionis totalis requirit non esse termini à quo, quia termini à quo, & ad quem cum sint oppositi, esse vnius includit necessario non esse alterius, sicut si diceremus, quod lignum conuertitur in ignem, terminus ad quem est ignis, & excludit terminum à quo, id est, post conuersionem ligni in ignem, lignum, & ignis non stant simul in eodem, & si terminus à quo secundum totum suum esse conuertitur in terminum ad quem, sicut est in proposito de conuersione panis in corpus Christi, tunc terminus ad quem totaliter excludit terminum à quo quoad totum suum esse, ita quod nihil ipsius termini à quo stat post conuersionem cum termino ad quem, cum esse vnius oppositi excludat esse alterius oppositi, ergo corpus Christi, quod ponitur terminus ad quem totalis conuersionis panis nō habet in se aliquam entitatem termini à quo, ergo post conuersionem panis non est verum dicere, quod sit aliquid.

Secundo arguitur. Illud quod nullo modo aliter se habet in se post cōuersionem, quam prius se habuit ante conuersionem, nec in se aliquid aliter habet, non habet aliquā aliquiddatem, quam prius nō habuit; ista propositio est nota; sed corpus Christi post conuersionem panis nullo modo aliter se habet in se, patet, quia est illud idem corpus post conuersionem, quod fuit ante conuersionem, nec etiam habet in se aliquid aliter post conuersionem panis, quam haberet prius, sed ante conuersionem panis non habuit in se aliquiddatem panis, patet, quia nihil panis fuit in corpore Christi, nec similiter ante conuersionem aliquiddas corporis Christi erat aliquiddas panis; quia non erat aliqd ipsius panis, ergo nec post conuersionē aliquiddas corporis Christi erit aliquiddas eius, qd prę fuit panis, siue non erit illud aliud, quod prius fuit panis, & hoc manifeste patet, quia ex quo panis totaliter conuertitur nihil panis omnino remanet; & confirmatur, quia quacūque aliquiddate panis non est aliquid ante conuersionem, nec post conuersionem, nam quacumq; aliquiddate intrinseca ens est aliquid, eadem semper est aliquid quamdiu est, & qua non, non; sicut aliquiddate mea quādiu sum oportet me esse aliquid, & non aliquiddate tua; sed panis ante conuersionē non est aliquid aliquiddate corporis Christi vt patet, igitur nec post; quia in nullo aliquiddas corporis Christi mutata est ante, & post, & per consequēs nihil p ipsum est aliquid, nisi quod prius erat aliquid. Et confirmatur iterum, illud, quod in conuersione, vel per conuersionem desinit esse totale, & totaliter, non est aliquid post conuersionem, sed panis, vel terminus à quo conuersionis, in conuersione desinit esse totale, secundum id totum quod est, & includit, & totaliter, ergo nihil est post conuersionem, atque ita non est aliquid aliud etiam in alio, id est, in corpore Christi, quia esse secundum quid in aliquo est propter esse eius simpliciter; quia aliquid est in se tale simpliciter, ideo sic, est aliquid in se, vel in alio, atque adeo, quod nihil omnino est in se, non potest esse aliquid nec in se, nec in alio.

Præterea si panis post conuersionem est aliquid, quæro qua aliquiddate formaliter; non aliquiddate sua propria, quia tunc nō cōuerteretur, sed maneret, & non fieret ex eo corpus Christi nisi per additionē, nec aliquiddate corporis Christi, quia corpus Christi nihil est intrinsecum ipsius panis, per illud autem quod non est alicui intrinsecum; vel per aliquiddatē extrinsecam nō potest esse aliquod ens formaliter aliquid, nam cuius est aliquiddas, illud est ea formaliter aliquid; atq; adeo si aliquiddas corporis Christi est nunc eius, quod fuit substantia panis, illud quod fuit substantia panis, & nunc formaliter aliquid illa aliquiddate, & tunc quid aliquid? aut panis, aut corpus; non potest dici, quod sit panis, quia cōtradictio est, quod aliquiddate corporis Christi aliqd sit formaliter panis, sed aliquiddate corporis est corpus, sicut aliquiddate lapidis nō potest aliquid esse homo, sed lapis tantum; similiter etiam panis præfuit, & nō manet in esse panis; nec potest dici, quod ita aliquiddate illud quod fuit panis sit corpus Christi; quia falsū est dicere, quod panis sit corpus Christi, quia illud, quod fuit substantia panis simpliciter desinit esse, & corpus simpliciter manet in eodē esse, nec potest dici, quod ista aliquiddate est aliquid aliud nisi panis, vel corpus, sed non est panis, neque corpus, ergo, &c.

Quarto arguitur, & pro ista ratione supponitur, quod res secundum Hen. capitur dupliciter, vno modo vt venit a reor reris, quod est idē, quod opinor opinionis, alio modo, vt deriuatur à ratus, rata, ratum, quod est idem quod firmus, firma, firmum; tunc sic. Si panis post conuersionem est aliquid, igitur est res, quia aliquid & res idem sunt secundum Auic. c. 1. vel 2. & 6. si ergo panis post conuersionem est aliquid, sequitur, quod est res; aut ergo res à reor reris, & sic etiam figmenta, & chimęra dicuntur res secundum Hen. atque adeo eodem modo dici posset quod chimęra est ita res, sicut panis, & etiam tale aliquid non excludit annihilationem, quia res postquam est annihilata non minus est res isto modo; aut est res secundo modo, scilicet, à ratitudine, & in actu, sed hoc est falsum, ergo & consequens, probatur falsitas, quia aut est res quidditatiue panis, & tunc panis non est quidditatiue conuersus, aut est res quidditatiue corporis Christi, & hoc est impossibile propter quidditatiuam distinctionem eius, quod fuit panis, & corporis. Dicendum est ergo, quod panis post conuersionem non est aliquid, sed est nihil, & tamen non oportet, quod annihiletur, sicut dicam in sequenti art. *Auicenna.*

Contra

Contra Caiet. arguitur. Si illud, quod erat panis esset postea corpus Christi, sequeretur quòd panis non esset transubstantiatus, sed realiter mutatus, consequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis patet, quia transubstantiatio non est mutatio, probatur sequela, quia illud mutatur realiter, quòd ab vno esse transit in aliud, ergo si panis transit ab esse panis ad esse corporis Christi, ita vt illud idem, quod erat sub esse panis, postea sit sub esse alio, videlicet sub esse corporis Christi, realiter mutatur.

Secundo arguitur: quia Caiet. concedit, quod quemadmodum illud, quod erat panis, postea est corpus Christi, ita corpus Christi est illud, quod erat panis, sed panis nihil aliud erat, quam panis, ergo si corpus Christi est id, quod erat panis, corpus Christi est panis, sed consequens est plus quam falsum, ergo & antecedens.

Tertio arguitur. Corpus Christi nihil est post transubstantiationem substantialiter, quod non esset ante consecrationem, sed ante consecrationem non erat id ipsum, quod erat panis, ergo nec post consecrationem est id ipsum, maior ex eo constat, quia si post consecrationem esset aliquid substantialiter, quòd non erat ante illam per consecrationem mutaretur substantialiter, quod S. Thom. millies negat in illa q. 75. & secundo sequitur, quòd corpus Christi à se ipso differret substantialiter ante consecrationem, & post, atque ita esset aliud corpus substantialiter. Alias impugnationes legito in Soto d. 9. q. 2. art. 4. & in Suarez tom. 3. disput. 49. sect. 4. Ex quibus omnibus constat hanc opinionem esse fugiendam, atque reijciendam, ideoque

Ad fundamenta Caietani. Ad primum eius fundamentum respondetur, quòd S. Ambros. in loco citato nihil aliud intendit quam ostendere hanc panis conuersionem in corpus Christi esse Deo possibilem, quod ex eo probat, quia Deus potuit ex nihilo mundum creare, ex quo infert, quod à fortiori poterit Deus ex rebus præexistentibus res alias producere, atque ita ex pane præexistenti potestate diuina fieri poterit corpus Christi, atque adeo si aliquid aliud eius verba videantur sonare, in sano sensu sunt accipienda, vnde illa verba, vt sint, quæ erant, &c. Ex quibus colligit Caiet. illud idem, quod erat panis, postea esse corpus Christi, non sunt accipienda in rigore, quo sonant, quia alias sequeretur primo, quòd panis secundum esse panis postea est corpus Christi, quoniam panis secundum esse panis præexistebat consecrationi; cum ergo dicat Ambros. panem esse post consecrationem illud, quod erat antea, sequitur quòd panis secundum esse panis manet post consecrationem, si eius verba in rigore accipienda sunt, atq; ita sensus authoritatis ex D. Ambros. adductæ hic est, quod illud, quod erat panis transmutatur in corpus Christi virtute diuina, neque significare voluit Ambr. aliquo modo panē manere in corpore Christi. Vnde ad confirmationem respondetur, quòd illud relatiuum quod, non refert idem determinate indiuiduum, sed refert illud solum sub ratione contenti sub speciebus, ita vt sit sensus, contentum sub speciebus, quod ante consecrationem erat panis est corpus Christi.

Ad secundum eius fundamentum respondetur, negando sequelam, & ad probationem dico, ꝙ secundum sententiam omnium doctorum præter Durandum certum est, ꝙ post consecrationem nihil panis manet magis in Eucharistia præter species, quam si esset annihilatus, licet panis propterea non dicatur annihilatus, quia eius desitio non terminatur in nihilum, sed ad esse corporis Christi. Vnde Caietano conceditur, quòd post consecrationem nihil manet substantiæ panis aliquo modo, negatur tamen ꝙ panis fiat nihil, ideoq. non est annihilatus.

ARTICVLVS III.

Vtrum ex eo substantia panis per conuersionem non annihiletur, quia post conuersionem manet substantia panis in potentia in corpore Christi.

DE hac re fuit opinio Ægidij de Roma in Theor. Theore. 1. & 34. dicentis ꝙ panis non annihilatur, quia post conuersionem in corpus Christi manet in corpore Christi in potentia, hoc est, quia in termino, in quem conuertitur panis manet materia, de qua quantum est ex se posset educi forma panis, & ad illam posset transmutari ab aliquo agente corrumpente humanitatem Christi, & educente formam panis de materia corporis Christi, nam corpus Christi & panis habēt subiectum commune, scilicet materiam; atque adeo substantia panis potest redire educendo nempè formam panis de materia corporis Christi, de ratione autem annihilationis est, quod non maneat aliquod subiectum commune, de quo forma annihilati possit educi, ergo cum in conuersione panis in Christi corpus maneat materia corporis Christi, quæ est subiectum commune, & in potentia ad recipiendam formam panis, sequitur ꝙ panis non annihilatur.

Secundo dicit Ægidius, quòd panis non est annihilatus, quia de corpore Christi, in quod conuersus est panis, posset idem panis numero separari per conuersionem, vel ab aliquo alio, & illa reditio non esset creatio: nam si corpus Christi conuerteretur in substantiam panis, tunc panis per illam conuersionem rediret, & tamen illa reditio non esset creatio, quia præsupponitur materia, ergo nec illa conuersio panis in corpus Christi est annihilatio, quia semper ibi est materia, quæ est in potentia ad recipiendum quamcūque formam, siue formam termini, à quo, s. panis, siue formam termini ad quem, scilicet corporis Christi, & hoc est quod vult dicere Ægidius cum dicit, & hoc propter communem substantiam, vel commune subiectum, in cuius potentia est vterque terminus.

Contra hanc opinionem arguit Doct. in hac q. sub litt. a. §. Alio modo dicitur, &c. & primo cōtra primum dictum, si propter hoc substantia panis non annihilatur, quia manet materia in corpore Christi, de qua potest educi forma, & illa materia potest esse pars panis, sequeretur quòd non posset panis, neque quodcunque corpus annihilari, manente aliquo alio corpore habente materiam transmutabilem, consequens est euidenter falsum, & ergo antecedens; consequentia probatur, quia si aliquid aliud corpus saltem corruptibile manet, manet materia eiusdem rationis, in cuius potentia est vterque terminus, quia de materia cuiuslibet corporis potest educi forma alterius, pari ratione, qua de materia corporis Christi potest educi forma panis, & per consequens manet panis, sicut modo dicitur manere in materia corporis Christi, ergo non posset annihilari panis, nisi tota substantia corporea annihilaretur.

Secundo arguitur, possibile est, simpliciter annihilari panem, & cum hoc corpus Christi manere in esse, & esse pœnes vbi annihilatur panis, quo posito, materia corporis Christi eodem modo esset in potentia ad formam panis, sicut ponitur in potentia modo, quando conuertitur in ipsum, & de eius materia ita bene posset educi forma panis, sicut quando conuertitur in ipsum secundum eum, sed tūc per hoc non excluderetur annihilatio à pane totaliter corrupto, igitur nec modo à pane transubstantiato propter hoc, quòd nunc manet in potentia in materia corporis Christi.

Præterea tertio, subiectum commune vtrique termino non est necessarium nisi ad transmutationem propriè dictam, sed transubstantiatio (sicut dictum est supra) non est propriè mutatio, quia est transitio totalis, ergo non requirit subiectum commune; cum ergo in isto transitu non sit propriè mutatio, nec subiectum manens, sed sint tantum duo termini transitus, nihil commune; & sic dabit, vel auferet aliquam rationem ab isto transitu, atque adeo si ille transitus esset annihilatio, excluso quocumque communi erit & modo, igitur non excluditur à transubstantiatione annihilatio per hoc, quod aliquod subiectum manet, de quo potuit educi forma transubstantiati; maior patet: quia excludendo subiectum, & accipiendo præcisè duos terminos alicuius transmutationis, magis requiritur inter eos oppositio, quam aliquid idem commune; imò idem commune in aliquibus prohibet ipsa esse per se terminos alicuius transitus, vt patet in his, quæ sunt eiusdem speciei.

Et confirmatur: quia panis potest conuerti in Angelum, vel Angelus in Angelum, in quo tamen transitu non esset aliquod subiectum commune.

Quarto arguitur, licet de alia materia, à materia huius panis, vt de materia corporis Christi posset educi forma alia panis, & eiusdem rationis cum forma præcedente conuersionem tamen fortem naturaliter loquendo posset educi hæc forma panis, nec forte etiam absolutè per agens supernaturaliter, vt aliqui probabiliter sustinent, atque ita non faceret ad propositum illud quod Ægidius assumit.

Contra secundum eius dictum arguitur primo: quia si panis

panis non annihilatur, quia manet corpus Christi, de quo potest reparari idem panis numero; pari ratione sequeretur, quòd nullum ens conuertibile in aliud posset annihilari manente illo alio, quia qua ratione panis potest reparari idem numero de corpore, in quod conuertitur, ita & quodlibet aliud de alio, in quod potest conuerti, vel conuertitur, consequens est falsum, ergo, &c.

Secundo arguitur; quia aut excluditur annihilatio, quia panis potest reparari idem numero, aut quia de aliquo potest reparari idem numero, puta de corpore ipso, non propter primum: quia dato quod esset annihilatus, adhuc posset reparari idem numero, nec propter secundum: quia ita bene posset reparari de alio, in quod non est conuersus, sicut de corpore, in quod est conuersus, esto quòd panis esset annihilatus, ergo, &c.

Tertio arguitur dato, quod panis esset annihilatus, adhuc posset ita bene reparari de corpore, sicut quando est in ipsum conuersus, ergo hoc non excludit annihilationem, vel quod panis sic annihilatus.

Quarto arguitur. Si panis potest reparari de corpore Christi, aut hoc est per creationem, aut per conuersionem corporis Christi in ipsum, aut per generationem panis ex ipso; non per creationem, quia non esset de nihilo, nec per conuersionem, quia panis non præexistit prius natura hoc aût oportet de termino ad quem conuersionis, nec per generationem, vt probatum est supra, quia per hoc non excluditur annihilatio à pane conuerso, ergo hic modus dicendi omnino improbabilis est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis in hac admirabili conuersione annihiletur.

Sensus quæ. OBseruandum est, quòd aliud est quærere an panis in hac conuersione annihiletur, & aliud an annihiletur hac conuersione, vel per hanc conuersionem; nam primo modo est sensus an quando conuertitur panis in corpus Christi cum substantia panis totaliter desinat esse, desitio illa panis sit annihilatio, & in hoc sensu intelligitur hæc difficultas.

Secundo modo esset sensus, an per conuersionem, qua Christi corpus est præsens speciebus panis, ipse panis annihiletur, & in hoc sensu examinabitur in sequenti art. loquendo ergo primo modo videtur, quod desitio panis sit annihilatio, & primo sic.

Quod præcessit, & nihil eius manet annihilatur, sed panis præfuit, & nihil eius manet, ergo in ista conuersione panis annihilatur, consequentia cum maiori patet, & minor probatur: quia tota substantia panis in hac conuersione destruitur.

Et confirmatur, quod nihil est in se, nec in alio, & præfuit aliquid annihilatur, sed panis post conuersionem nihil est in se: quia non manet, nihil est etiam in Christi corpore, quia tunc corpus Christi augeretur per conuersionem panis in ipsum; illud enim fit maius in quo est aliud, & aliud quantum manens, & panis ante conuersionem fuit aliquid in se, ergo in conuersione annihilatur.

Huic rationi respondetur communiter, quòd quamuis substantia panis in hac conuersione destruatur, tamen eius desitio non est annihilatio, quia terminatur ad Christi corpus, atque adeo esset maiori addendum, & nihil ei succedit vt per se terminus, id est, quod præcessit, & nihil eius manet, nec aliquid succedit vt per se terminus, annihilatur, sed postea falsa est minor, nam desitioni panis succedit, vt per se terminus corpus Christi, & per idem patet ad confirmationem, nam maior confirmationis tacet vt falsa, oportet enim ei addere aliquid ad hoc vt sit vera, scilicet, quod nihil est in se, neque in alio, & prius fuit aliquid, & destruitur, & nihil ei succedit annihilatur, sed tunc minor est falsa, quia pani succedit corpus Christi, atq; adeo licet in conuersione nihil sit in se, nec in alio, & destruatur, tamen non annihilatur.

Sed contra hanc responsionem arguitur. In hac conuersione sunt duo, scilicet positio qua ponitur corpus Christi, & desitio qua desinit esse panis, igitur sicut terminus ad quem positionis corporis Christi est aliquid, ita terminus desitionis panis est nihil, & per consequens illa desitio erit annihilatio, consequentia probatur. Respectu quorumcumque duorum terminorum, qui non sunt essentialiter idem, sed sunt separabiles, oportet dare per se duas mutationes, vel quasi mutationes eis correspondentes, patet de generatione; quæ correspondet esse generati, & de corruptione, quæ correspondet non esse corrupti, & similiter patet de creatione, & annihilatione, quarum vna correspondet non esse, & altera ipsi esse eiusdem rei; & breuiter patet de omnibus, sed in proposito sunt duo per se termini habiti, non idem essentialiter, sed separabiles, scilicet, non esse panis simpliciter, & esse corporis, & patet quod vnum potest esse sine alio, igitur oportet dare duas per se mutationes terminatas ad istos terminos, acceptio ergo illa, quæ per se terminatur ad non esse panis, illa potest dici annihilatio, vt patet, ergo panis ita verè annihilatur, sicut si alius terminus, puta Christi corpus per aliam non haberetur, quia alia non variat rationem huius mutationis, vel ita ratio deducatur; non esse panis, & esse corporis Christi sunt duo termini essentialiter distincti, sed inter duos terminos essentialiter distinctos necessariò est danda duplex mutatio, ergo inter non esse panis, & esse corporis Christi est danda duplex mutatio, quarum altera terminetur ad non esse panis, & altera ad esse corporis Christi; illa verò, quæ terminatur ad non esse panis non potest esse nisi annihilatio, si quidem non terminatur ad aliquid positiuum, sed ad purum nihil, ergo panis conuersio est annihilatio; maior probatur, quia non esse panis potest separari ab esse corporis Christi, nam posset panis desinere esse absque eo, quòd corpus Christi in loco panis poneretur, ergo non esse panis essentialiter distinguitur ab esse corporis Christi, minor verò probatur inductiuè in omnibus mutationibus, quoniam ad non esse corrupti datur vna mutatio, quæ est corruptio, & ad esse geniti datur alia, quæ est generatio, & similiter in omnibus alijs mutationibus.

Et confirmatur per simile de corruptione, quia corruptio non propter hoc non est annihilatio, quia ipsam concomitatur generatio, quæ terminatur ad aliquod positiuũ reale, quia aliàs si corruptio non est annihilatio, quia ad ipsam sequitur generatio, quæ est ad terminum positiuum, corruptio esset mutatio positiua propter terminum positiuum generationis, quia cõcomitanter esset ad terminum positiuum, quòd est falsum, sed ex eo corruptio non est annihilatio, quia aliquid corrupti manet, scilicet materia, & ex hoc quòd negatio ad quam est negatio in apto nato; Ergo in proposito in conuersione panis in corpus Christi cũ nihil panis remaneat, & negatio esse panis non sit priuatio, quia non in apto nato, cum materia panis nõ maneat, in qua sit negatio formæ panis, sed non esse panis sit purum nihil, sequitur quòd ista desitio panis secundum propriam rationem sui, sit annihilatio, vel formetur sic ratio; Eodem modo se habet desitio totius panis ad positionem corporis Christi, sicut in transmutationibus naturalibus se habet desitio formæ corrupti ad positionem formæ geniti, sed si in desitione formæ corrupti nulla alia ratio reperiretur, propter quam diceremus non esse annihilationem, nisi quia positio formæ geniti concomitatur desitionem formæ corrupti, desitio formæ corrupti adhuc esset annihilatio, ergo cum in desitione panis nihil aliud reperiatur propter quid dicatur non esse annihilationem, nisi quia eam concomitatur positio corporis Christi, sequitur quòd panis desitio est annihilatio; maior patet, nam sicut vnius corruptio est generatio alterius, ita destructio panis se habet ad positionem corporis Christi, minor probatur, quia si non maneret materia, in qua erat forma corrupti, desitio formæ corrupti esset annihilatio, quamuis alia res in eodem instanti, & in eodem loco generaretur.

Præterea, si corpus Christi non succederet post desitionem panis, desitio panis esset annihilatio, sed positio corporis Christi in loco panis per accidens se habet ad desitionẽ panis, ergo panis desitio est annihilatio, quamuis corpus Christi succedat post desitionem panis, consequentia probatur; ratio per se alicuius non variatur ex eo, quòd per accidens aliquid concurrit cum eo, nam generatio alicuius non variatur propter loci mutationem, quæ cum ipsa generatione concurrit; maior autem conceditur ab omnibus, & minor probatur, quoniam si positio corporis Christi includeretur per se in desitione panis non possent ab inuicem separari, quod tamen est falsum.

Præ-

Præterea, si panis annihilaretur, & corpus Christi crearetur in loco, quo panis erat, eodem modo se haberet panis sicut se habet in ista conuersione, ergo sicut tunc panis annihilaretur, ita & nunc annihilatur, consequentia videtur euidens, & patet antecedens, quoniam nihil panis magis manet in hac conuersione, quam si panis annihilaretur, & corpus Christi totaliter produceretur de nouo.

Præterea, in corruptione partiali alicuius formæ forma annihilatur, quia nihil eius manet, ergo in conuersione panis in corpus Christi panis annihilatur, quia nihil panis manet; consequentia patet de se, & si dicatur, quòd antecedens est falsum, quia forma illa non annihilatur, quia manet in potentia illius materiæ, quæ erat illius formæ subiectum.

Contra saltem habeo, quòd tota ratio, quare forma illa non annihilatur postquam nihil eius manet, est quia manet in potentia materiæ, sed in proposito forma panis non manet in potentia susceptiui sui, eo quia materia panis non manet, cum totus panis, & totaliter desinat esse, ergo annihilatur.

Et probatur etiam, quòd in corruptione forma annihiletur, quia quando, verbi gratia, corrumpitur aer, forma aeris actu non manet, vt patet, nec manet in potentia materiæ, ergo annihilatur, quod autem non maneat in potentia materiæ probatur, quia si maneret in potentia materiæ, posset eadem numero per agens naturale in actum reduci, consequens est contra Philosophum 5. Physi. tex. c. 38. & 2. de generat. tex. c. vltimo ergo, &c. cõsequentia probatur, quia natura potest potentiam naturalem reducere ad actum, ergo si ista forma destructa remaneret eadem numero in potentia materiæ posset per agens naturale reduci ad actum; Si dicatur, ipsam non eamdem numero, sed eamdẽ in specie manere in potentia subiecti hoc non prohibet annihilationem, quia & si ista esset annihilata, adhuc posset alia numero educi de potentia materiæ.

Panis in conuersione nõ annihilatur

His tamen non obstantibus dicendum est, quòd panis non annihilatur, probatur, terminus ad quem desitionis panis non est purum nihil, ergo eius desitio non est annihilatio, consequentia patet, quia sicut terminus à quo creationis est purum nihil, ita terminus ad quem annihilationis debet esse purum nihil, antecedens verò probatur, quia terminus ad quem desitionis panis est corpus Christi, vel secundum rationem substantialem, vel secundum præsentialitatem iuxta modum explicatum in præcedenti quæstione; probatur etiam ista concl. tam authoritatibus Sanctorum, quam Conciliorum allegatis, & explicatis in præcedenti quæst. in quibus docemur panem conuerti in corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, ergo non annihilatur, conuersio enim secundum omnes Doctores non est annihilatio.

Pro solutione argumentorum obseruandum est, quòd non est par ratio de desitione panis, & positione corporis Christi, sicut de generatione, & corruptione in materia; nã generatio, & corruptio sunt duæ mutationes distinctæ essentialiter, simul currentes, quarum vna est ab esse corrupti ad non esse eiusdem, alia vero à non esse generati ad esse eiusdem, vel formæ eius, & sunt simul in eodem instanti durationis, & fortè naturę, ita quòd simul natura, & duratione non esse corrupti, & corruptio, & esse generati, & generatio sunt simul; In conuersione autem non sic: quia conuersio, quæ est positio corporis Christi est vna simplex mutatio inter duos terminos positiuos, scilicet inter esse panis, & esse corporis Christi, ita quòd de pane fit corpus Christi, & ista conuersio per se primo terminatur ad esse corporis Christi, bene verum est quòd ipsam conuersionem concomitatur non esse panis, vel termini à quo; non per vnam aliam mutationem distinctam terminatam ad non esse panis simpliciter extra genus, quia tunc non posset vitari annihilatio, sed eadem conuersione, & simul omnino panis conuertitur in corpus, & desinit esse, non sic quòd non esse sit aliquis per se terminus conuersionis, sed concomitatur ipsam conuersionem; sicut suo modo (licet non sit omnino simile) eadem generatione habetur esse ignis per se, & esse vnum, vel ab aere distinctum, id est, non esse aerem secundum Philosophum 4. Meta. non quod non esse aerem sit terminus generationis, vel pertinens intrinsecè ad ipsum, sed concomitatur necessariò ipsum, sicut vnum concomitatur ens.

Corruptio annihilatio, & conuersio differunt.

Secundo obseruandum est, quòd differunt inter se corruptio, annihilatio, & conuersio, nam in corruptione sunt duo, primum est quod aliquid corrupti manet, scilicet subiectum commune termino à quo, & ad quem, secundum est, quòd terminus eius ad quem est priuatio, cum ibi maneat materia corrupti apta nata, & in his duobus differt corruptio ab annihilatione, nam quatuor sunt, quæ requiruntur ad annihilationem, primum in annihilatione non manet aliquid annihilati, nec materia, nec forma; secundũ terminus annihilationis est negatio extra genus, quæ idem est, quod omnino nihil, tertium nihil commune vtriq. termino manet; quartum priuatio non est eius terminus ad quem; & in his duobus vltimis conuenit annihilatio cum conuersione, in qua tria sunt, primum est quòd nihil commune vtrique termino manet, secundum quòd terminus ad quem est negatio in genere, inclusa in termino, scilicet in forma disparata, tertium quòd priuatio non est eius terminus ad quem.

Negatio est triplex.

Tertio obseruandum est, quoniam aliter sumitur negatio in corruptione, aliter in annihilatione, & aliter in conuersione, quòd triplex est negatio, scilicet extra genus, in genere, & priuatio; negatio extra genus libera est nullum subiectum determinatè respiciens, estque transcendens, & cum ente constituit primum principium complexum, scilicet de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, &c. atque adeo contradicit enti, & affirmationi semper, & est vera de quolibet, de quo falsa est affirmatio, conuenitque tam enti quam non enti, estque terminus à quo creationis, & terminus ad quem annihilationis, nullam aptitudinẽ connotat, nec præsupponit, nullamque dicit dignitatem. Negatio in genere potest appellari negatio nupta, quia semper de aliquo certo dicitur, & propterea non est libera, requirit enim aliquod subiectum, de quo dicatur, mediat inter negationem extra genus, & negationem priuantẽ, quoniam licet præsupponat aliquid ens, nullam tamen aptitudinem supponit, quia non dicitur indifferenter iam de ente, quam de non ente. Negatio priuans est, quæ negat formam ab aliquo subiecto, & speciali nomine vocatur priuatio, addit aptitudinem in subiecto in quo, & est terminus à quo cuiuslibet generationis, & terminus ad quem corruptionis.

Quarto obseruandum est, quòd negatio extra genus, & negatio in genere (loquendo de negatione absoluta in genere prout distinguitur à priuatione) non distinguitur à negatione priuationis secundum rationem formalem negationis, quia tam negatio in genere, quam negatio extra genus, & negatio quæ est priuatio est formaliter negatio, atq; adeo istæ negationes non distinguuntur in ratione formalis negationis, sed præcisè distinguuntur ex hoc quòd negatio extra genus dicitur illa, quæ nullum subiectum sibi determinat, negatio in genere absoluta dicitur illa, quæ aliquod subiectum sibi determinat absolutè, quia non sibi determinat subiectum aptum natum; negatio verò, quæ est priuatio est negatio in subiecto apto nato, & hæc est doctrina Sco. in quol. q. 10. art. 2. & in hac quæst. sub litte D. §. hic potest dici sustinendo hanc conclusionem. Ex his respondetur ad argumenta. *Scotus.*

Ad primum patet responsio supra, quæ est bona. Et ad primum contra responsionem respondetur, quòd non esse panis, & esse corporis Christi absolutè cõsiderata sunt duo termini essentialiter distincti, vt probat argumentum, quatenus tamen sunt termini conuersionis sunt coniuncti essentialiter, posita enim conuersione necessariò panis desinit esse per conuersionem, & per eamdem corpus Christi succedit, atque ita est vnica tantum mutatio, sicut à non esse rei genitæ, & esse illius est vnica mutatio, videlicet generatio, ita ab esse panis ad esse corporis Christi est mutatio, vel quasi mutatio simplex, vt supra dictum est ex Sco. quæ est conuersio, panis in corpus Christi, estq. tantum inter duos terminos positiuos. Si enim desitio panis terminaretur ad non esse panis non posset dici conuersio, sed annihilatio; similiterque si corpus Christi inciperet esse per aliam mutationem distinctam ab illa, per quam panis desinit esse, corpus Christi non esset ibi per conuersionem, sed per creationem, vel quasi creationem.

Ad tertium argumentum conceditur maior, tunc enim desitio panis terminaretur ad negationem extra genus atque ita esset annihilatio, negatur tamen minor, quia desi-

tio

Digitized by Google

tio panis, & positio corporis Christi per se coniunguntur, non enim desitio panis est ad non esse panis per se primo, sed est per se primo ad corpus Christi, ita quòd si transitus ab esse panis tenderet per se primo ad non esse panis, panis vtique annihilaretur; sed in proposito in hac conuersione, transitus ab esse panis tendet per se primo ad aliquid, scilicet Christi corpus, & secundario ad non esse panis, & per consequens panis non annihilatur, quia esse corporis Christi per se coniungitur desitioni panis.

Et ad probationem respondetur, quòd absolutè considerata possunt ab inuicem separari, non tamen quatenus sunt termini istius conuersionis, quia ista conuersio, vt dictum est, tendit per se primo ad esse corporis Christi.

Ad secundum respondetur, negando maiorem, quia desitio formæ corrupti est distincta mutatio à productione formæ geniti, prima enim est corruptio, secunda est generatio, desitio tamen panis est eadem mutatio cum positione corporis Christi.

Ad tertium respondetur, quòd quamuis in ista conuersione nihil magis maneat panis, quam si esset annihilatus; sola enim manent accidentia, vel species, tamen quantum ad mutationem, vel quasi mutationem, per quam panis desinit esse non eodem modo se habet, ac si esset annihilatus, imo diuerso modo, quia panis desitio in hac conuersione non terminatur ad negationem extra genus, quia nō tendit desitio panis ab esse panis ad non esse panis per se primo, quia actio per quam panis desinit esse non terminatur ad non esse panis, sed ad positionem corporis Christi, quod sufficit ad hoc, quod panis non sit, neque dicatur annihilatus, quamuis nihil eius maneat.

Ad vltimum negatur, quòd forma in eo casu annihilaretur, licet corrumpatur, cuius ratio est, quia ad hoc quòd forma dicatur annihilari, oportet quòd non remaneat aliqua pars, quæ erat essentialis, & per se illius compositi, cuius erat forma corrupta, & quia materia ignis manet corrupta forma, quæ materia est pars essentialis, & per se ipsius ignis, igitur forma ignis manet per accidens, quia manet in potentia materiæ, cuius autem aliquid siue per se, siue per accidens manet, non annihilatur.

Et cum dicitur, quòd posset idem numero redire per agens naturale; non sequitur, quia potentia illa in qua manet forma, debet intelligi principium potentiale, nō autem respectus; nam potentia materiæ capitur duobus modis, vno modo pro ipsamet materia, quæ dicitur principium potentiale, in quo potentiali inducūtur formæ, & hoc modo forma dicitur manere in potentia materiæ, quia manet ipsa materia, quæ dicitur principium potentiale, & receptiuum formæ, alio modo sumitur potentia materiæ pro significato formali, atque ita potentia materiæ est quidam respectus fundatus in materia, & terminatus ad formam, quam potest recipere, & iste respectus quando forma aduenit materię corrumpitur, quia cum iste respectus fundetur in materia, prout est priuata forma, adueniente forma, non est amplius priuatio in materia, & per consequens non dicit amplius materia ordinem ad illam formam; Vnde accipiendo potentiam materiæ isto modo, scilicet pro formali, non est imaginandum, quòd corrupta forma maneat iste respectus potentiæ ad formam, quia non est respectus potentię omnino ad præteritum, sicut nec omnino ad impossibile, sed ipsum principium potentiale manet, & in hoc totum corruptum manet per se secundum aliquid eius, quia manet materia, quæ erat per se pars essentialis corrupti, & forma, quæ erat aliquid totius, manet per accidens, quia manet materia receptiua formæ.

Vel posset dici breuiter, quòd etsi nihil formæ corrupti maneat, tamen negatio succedens sibi est negatio in apto nato, & ideo priuatio; priuatio autem non est nata terminare annihilationem, nam terminus ad quem annihilationis, vt distinguitur à corruptione est negatio extra genus, non est ergo corruptio annihilatio, ex hoc præcisè, quia corruptionem concomitetur generatio, sed quia in corruptione subiectum commune vtrique termino manet; & quia negatio terminans est priuatio, seu negatio in apto nato, & esto quòd in corruptione subiectum non maneret, & per consequens negatio terminans non esset in apto nato, si negatio terminaret in aliquo positiuo disparato, adhuc corruptio non esset annihilatio, & talis est ista conuersio; nam licet in conuersione panis in corpus Christi non maneat subiectum commune vtrique termino, quia materia transit in materiam, & forma in formam, & terminus non sit negatio in apto nato; non est tamē negatio extra genus, sed est negatio in genere, puta in aliquo disparato positiuè, id est, in corpus Christi, atque adeo desitio panis non est annihilatio, quia semper manet ibi negatio disparationis in corpore Christi, quia desitioni panis succedit corpus Christi.

Sed contra: terminus, vt terminus actionis nouæ nouus est, ergo negatio, scilicet non esse panis, vt est terminus actionis nouæ nouus est; sed vt in corpore Christi non est noua, ergo, &c. probatur minor, nam illo modo, quo disparatum includit negationem disparati, vt ignis includit negationem aeris, nam ignis non est aer, corpus Christi ante desitionem panis fuit non panis, ergo non panis non est negatio noua in corpore Christi, atque adeo non potest esse terminus actionis nouæ.

Si dicatur, quòd non panis vt in corpore non est negatio noua, sicut nec disparatio noua corporis ad panem, quia ante desitionem panis corpus Christi erat disparatum à pane, sed non esse panis est nouum, quia prius erat panis, & modo non est panis, & ideo licet non panis non sit negatio noua in corpore Christi, tamen non esse panis est negatio noua, cum sequatur panis desitionem.

Contra, ex hoc sequitur, quòd non esse panis est terminus, sed non esse panis non terminat, vt in corpore per rationem disparationis; quia per rationem disparationis, id est, quia corpus non est panis negatio non est noua, quia & ante conuersionem corpus non erat panis, quod est contra responsionem, quæ dicebat panem non annihilari, quia terminus desitionis non est negatio extra genus, sed est negatio in genere in aliquo positiuo disparato.

Præterea, quando simul concurrunt duæ mutationes diuersorum generum; negatio non est per se terminus vnius, vt includitur in termino alterius; exemplum, si simul fiat generatio, & loci mutatio, negatio terminās corruptionem concomitantem generationem non terminat eam per se vt saluatur in vbi, verbi gratia, ex ligno generatur ignis, ignis genitus cum hoc quòd gignitur est etiam in loco corrupti, vel in alio loco, adeo quod in igne genito est duplex mutatio, alterius, & alterius generis, scilicet generatio, & loci mutatio; In vbi saluatur negatio forma ligni, quia vbi non est lignum, & tamèn ex hoc quòd in vbi saluatur non esse ligni, negatio formę ligni non dicitur terminare corruptionem; sed in proposito corpus Christi non includit non esse panis, patet, quia disparatio illa corporis ad panem fuit manente vtroque extremo, scilicet pane, & Christi corpore; non includit ergo corpus Christi illam negationem esse panis, nisi vt hic, id est, nisi prout corpus Christi est hic, scilicet in sacramento, nam ex hoc quod corpus Christi est in loco panis, panis desijt esse, sed iste terminus vt hic non pertinet ad genus substantiæ, quia est, vel reducitur ad prædicamētum vbi; ergo negatio illa non terminat per se desitionem vt saluatur in corpore vt hic.

Respondet Doct. q duplex est negatio, scilicet contradictionis, & alia quæ saluatur in aliquo disparato, negatio vt includitur in disparato, non est incompossibilis suæ affirmationi in ambitu communi entis, alioquin disparata non possent simul esse entia, verbi gratia, ignis, & aqua sunt duo disparata, & vnum includit negationem alterius, nā ignis includit negationem aquæ & è contra; hæc negatio puta non aqua, quæ includitur in igne, non est incompossibilis in toto ambitu entis suæ affirmationi, i. aquæ, quia alias igne existente non posset esse aqua; sed negatio contradicēs repugnat suæ affirmationi, etiam in toto ambitu entis, ita quod esse & non esse, quæ sunt contradictoria, impossibile est quòd sint simul; ex his dicit, quòd licet negatio panis disparata præfuit in corpore Christi, atq; adeo non potest esse noua, non tamen præfuit negatio contradictoria esse eius, scilicet panis, sed post conuersionem illa negatio contradictoria est in corpore Christi, atque ita est noua, quia sequitur affirmationem contradicentem sibi, scilicet esse panis, nam prius erat esse panis, & per conuersionem sequitur non esse panis.

Sed contra, non videtur aliquo modo hæc negatio contradictoria esse in corpore Christi magis, quam prius, ergo vt noua est, & vt terminat desitionem panis non terminat vt in corpore, negatio enim contradictoria est purū nihil,

&

& ita est purum nihil, si dicitur de aliquo positiuo, sicut si de chimæra dicitur, ergo si illa negatio terminat desitionẽ, sequitur, quòd illa desitio erit purum nihil, & per consequens desitio panis erit annihilatio; Potest dici quòd termino ad quem conuersionis, vt conuersio est, per se conuenit, quòd negatio termini à quo includatur in positiuo eius, id est, de ratione conuersionis est, quòd terminus eius ad quem sit talis negatio in genere, vel sit negatio contradictionis, vel disparationis, non cuiuscunque; si esset alia negatio nõ esset conuersio; sicut terminus à quo creationis si esset negatio in genere non esset creatio, vt si ex lapide Deus faceret Angelum, licet non esse Angeli includeretur in lapide, non tamen Angelus crearetur, sed magis lapis conuerteretur in Angelum, atque ita esset conuersio, & non creatio, & nulla alia ratio est, nisi quia talis mutatio est talis naturæ, quòd requirit talem terminum, & si illum non haberet nõ esset illa mutatio, sed alia. Quia ergo hæc conuersio est talis mutatio, necessariò est ad terminum includentem negationem in genere, & terminus desitionis non est negatio extra genus, neque purum nihil absolutè, sed est negatio in positiuo disparato, quia desitioni panis immediatè succedit corpus Christi.

Ad aliud dicitur, quòd non esse panis, vt contradicit esse panis, aliter est in corpore Christi quam prius, quia in corpore Christi, vt hic includitur, illud non esse contradictorium, id est, ex eo quòd corpus Christi est hic, sequitur nõ esse panis, quod non esse contradicit esse panis; In corpore autem absolutè, id est, prout abstrahit ab esse hic non includitur nisi negatio disparata, quæ potest stare cum esse panis, vt dictum est supra.

Sed contra. Terminus posterior non est ratio nouæ incompossibilitatis ad aliquid prius naturaliter, sed corpus Christi esse hic est quid posterius ad non esse panis, nam prius intelligitur panis desinere esse, quam corpus Christi sit hic, ergo illud esse hic non est aliqua ratio incompossibilitatis, id est, non includit illud non esse contradictoriũ ad esse panis, ergo oportet dicere quòd ista negatio non est noua, & tunc non terminat desitionem, vel si est noua, & non est in corpore vt hic, quia illa præsentia non est ratio, secundum quam inest talis incompossibilitas, nullo modo illa negatio terminabit, vt in corpore desitionem panis, quia prius est desitio panis, quam sit talis præsentialitas corporis Christi.

Respondetur negando minorem, quia panis transit per se primo ad aliquid, puta ad corpus in quod conuertitur, transit quidem non sicut materia transit ad formam, sed sicut illud quod antecedit ad illud, quod sibi succedit; secundario autem & per accidens transit ad non esse, nam si prius ordine naturæ panis desineret esse, quam corpus Christi succedens sibi inciperet esse hic, panis non diceretur conuerti in corpus Christi, nam conuersio non dicitur non entis in ens, sed est conuersio, scilicet entis in ens, at si panis prius desineret esse, quam corpus Christi inciperet esse, non esse panis præcederet ipsam conuersionem; & confirmatur, quia conuersio panis est causa desitionis panis, quia enim conuertitur ideo desinit esse, & non è conuerso, quia desinit esse ideo conuertitur.

Vnde imaginandum est, quòd primo est panis, secundo panis conuertitur in corpus Christi, & ex hoc sequitur tertio non esse panis; nisi enim panis conuerteretur non desineret esse, ergo non quia desinit conuertitur, sed quia conuertitur desinit, cum præcisa causa suæ desitionis sit conuersio. hæc probabiliter volui dixisse pro solutione argumentorum Doct.

ARTICVLVS V.

Vtrum substantia panis hac conuersione annihiletur.

...substan... ...est au... PRo huius difficultatis explicatione obseruandum est duplicem esse transubstantiationem, vnam quę appellatur productiua, & est qua terminus accipit esse simpliciter, alteram, quæ dicitur adductiua, & est qua terminus accipit esse hic, si sit sermo de prima transubstantiatione, in qua terminus vnus, scilicet ad quem accipit esse simpliciter, & alius scilicet, terminus à quo, simpliciter non esse; saluatur optime, quod desitio termini à quo non est simpliciter annihilatio, quia in illa per se terminus ad quem ipsius conuersionis est oppositus termino à quo desitionis, sicut est de termino à quo, & ad quem generationis, & corruptionis, atque ita posset ibi negatio termini à quo, vt in termino ad quem terminare desitionem, & cum talis negatio non sit negatio extra genus, sed negatio in genere, in positiuo disparato immediatè succedente desitioni termini à quo, illa desitio non est annihilatio, vt explicatum est in præcedentibus.

Sed tenendo, quòd hæc conuersio sit tantum adductiua iuxta vnum modum probabilem explicatum in præcedenti quæst. cum in hac conuersione terminus ad quem per se positiuæ mutationis, non opponatur termino à quo mutationis priuatiuæ, atque adeo non possit esse ratio concludendi negationem eius, non ita faciliter defendi potest panis desitionem non esse annihilationem. Tamen posset dici, inquit Doct. quòd ista conuersio adductiua est, sicut substantiæ in substantiam non quantum ad esse substantiæ simpliciter, sed quantum ad hoc esse, vt sicut corpus vt hic succedit pani vt hic, ita panis vt hic conuertitur in corpus vt hic, & illæ mutationes licet sint inter substantias, tamen nõ sunt inter substantias, vt inter terminos; termini enim sunt tantummodo præsentialitas, & non præsentialitas, quæ possunt reduci ad genus vbi, vt dictum est d. 10. q. 1. vult dicere Doct. quòd sicut in transubstantiatione adductiua terminus ad quem conuersionis est corpus Christi secũdum præsentiam, ita terminus à quo est non præsentia panis, id est, panem non esse præsentem: Sicut ergo mutatione positiua non acquiritur simpliciter esse corporis, sed tantum esse hic, ita mutatione deperditiua correspondente, quam inclusit conuersio ista, in quantum ista conuersio est transubstantiatio translatiua, non autem productiua, ista inquam conuersione non deperdit panis esse simpliciter, sed hic esse. Et patet satis pulchra correspondentia, quia sicut corpus Christi habet nouam præsentiam non deperdendo antiquam, & mutationem acquisitiuam sine deperditiua vt dictum est d. 10. q. 1. ita etiam panis habet deperditiuam sine acquisitiua, quia desinit esse hic, & non acquirit aliam præsentiam alibi, quia ergo non deperditur, sicut non acquiritur per hanc conuersionem, vt est adductiua, nisi tantum esse hic, & non esse hic, sequitur vt per hanc conuersionem vt hic est non deperditur esse substantiale, & per consequens non annihilatur, immò non destruitur panis hac conuersione, quia tamen panis non manet in esse substantiali, & hac conuersione non destruitur vt dictum est, oportet quod desinat esse alia desitione, quæ est à simpliciter esse eius ad simpliciter non esse eius, illud autem non esse eius licet quasi concomitetur præsentiam corporis vt hic, non tamen vt terminum eiusdem generis, & per consequens si ista desitio secundum se considerata sit annihilatio, tamen nullo modo ista conuersio est annihilatio, exemplum huius. Si panis destrueretur, & crearetur Angelus de nouo, & fieret pręsens speciei panis, conuersio panis in Angelum esset panis vt hic in Angelum hic præsentem, & per illam conuersionem Angelus non acquireret nisi illam præsentiam; cõcomitaretur tamen illam præsentiam nouam nouũ esse, quod terminat creationem propriam.

Per istum modũ dicendi apparet inquit Doct. quæ transubstantiatio potest esse in præexistens & quæ non, & quę potest esse manente termino à quo, & quæ non; Transitio enim quæ est à termino in terminum secundum esse, & non esse simpliciter terminorum, non potest esse alicuius conuersi, & tamen manentis, nec in terminum præexistentem; sed transubstantiatio, quæ est transitus substantiæ in substantiam quantum ad esse hic potest esse, & termini à quo manentis, si desinat hic esse, non tamen simpliciter desinat esse, & succedat sibi aliud vt hic, potest etiam esse in terminum præexistentem, si incipiat hic esse absque hoc, quod incipiat esse simpliciter, potest etiam esse quòd terminus à quo destruatur, sed non hac conuersione, & potest esse quod terminus ad quem incipiat esse, & non hac conuersione, sicut exemplificatum est de Angelo creato.

Breuiter secundum istum modum dicendi vult dicere Doct. quòd quidquid fit de substantia panis secundum se habebit se per accidens, & concomitanter ad cõuersionem panis, quoniam panis substantia secundũ se non est terminus conuersionis, & vlterius quemadmodum si corpus Christi non præexisteret conuersioni esset producendum

per

per aliam actionem, quæ actio concomitaretur conuersionem; ita substantia panis desinit esse per annihilationem, quæ quidem annihilatio non est conuersio, sed conuersionem concomitatur, ita quod sicut terminus ad quem conuersionis est corpus Christi secundum præsentiam, ita terminus à quo est panis solum secundum præsentiam, atque ita per hanc conuersionem panis non desinit esse, sed desinit esse præsens, cum hac tamen conuersione annexa est annihilatio substantiæ panis; Vnde secundum hanc viam duo concedit Scotus: primum quod panis substantia desinit per annihilationem: secundum quod conuersio non est annihilatio, & hoc secundum putat esse certissimum, & de fide.

Et per hoc soluitur vltimum argumentum principale, quod est tale: Annihilatio, & creatio sunt opposita, sicut generatio, & corruptio, quia sicut dicitur 5. Phy text c. 7. & 8. idem est terminus à quo generationis, & terminus ad quẽ corruptionis, & è conuerso, id est terminus ad quem generationis, & terminus à quo corruptionis, ita idem est terminus ad quem annihilationis, & terminus à quo creationis, & è conuerso, terminus enim à quo creationis est nihil, & nihil est terminus ad quem annihilationis; sed quando tota substantia, & totalis, est terminus ad quem productionis, productio eius est creatio, ergo quando substantia tota, & totalis est terminus à quo destructionis, illa destructio est annihilatio, sed in proposito substantia panis tota, & totaliter est terminus à quo conuersionis, ergo eius destructio est annihilatio.

Respondetur sustinendo modum dicendi explicatum in art. præcedenti, quòd non omnis productio totius substantiæ est creatio, sed quæ est à termino à quo, vt à pure nihil; si enim Deus de corpore Christi per conuersionem iterum reproduceret panem, & si substantia panis tota, & totaliter produceretur, illa tamen reductio panis non esset creatio, quia non esset simpliciter de nihilo, vt de termino à quo, ita per oppositum non omnis desitio totius substantię, & totalis est annihilatio, nisi sit ad terminum ad quem, qui sit purum nihil, & negatio extra genus, modo desitionis panis terminus ad quem non est negatio simpliciter extra genus, sed est negatio in genere, scilicet in positiuo disparato, quia desitioni panis immediatè succedit corpus Christi.

Iuxta autem secundum modum dicendi explicatum in hoc articulo concedendum est, quòd panis annihilatur, sed non per conuersionem, quoniam desitio panis sequitur conuersionem, & terminum ad quem conuersionis.

Ex dictis patet, quòd Docto. ponit duos modos probabiles, primus est quòd panis non annihilatur, quia tunc oporteret, quòd terminus ad quem conuersionis esset nihil, quod est falsum, quia est corpus Christi, & ad hunc modum videtur magis declinare, secundus est quòd licet panis annihiletur in hac conuersione, tamen non annihilatur per hanc conuersionem, atque adeo hæc conuersio non potest dici annihilatio.

Defenditur Scotus contra Sotum. Et ideo Magister Sotus in hoc lib. d. 9. q. 2 art. 4. parum attente legit Scot. dum dicit (quamuis non verbis expressis) se opinionem Sco ab errore liberare non posse, nam inquit se non posse ab errore liberare eos, qui panem annihilari asserunt hac conuersione, ante hæc tamen dixerat opinionem Sco. esse quod panis annihilatur in ista conuersione, ex quibus videtur latentibus verbis velle dicere opinionem Scot. esse erroneam; existimat enim, quòd Scotus dicat cõuersionem esse annihilationem, quod quam alienum sit à sententia Sco. visum est satis apertè, nam in ista q. magis propendet Sco. ad hoc, quod panis non annihilatur, nã sub littera. b. ponit hanc conclusionem. Panis non annihilatur, vel saltem ista conuersione non annihilatur, soluitq. ad finem q. argumenta principalia, quæ intendebant probare annihilationem, vnde potius existimãdus est negasse annihilationẽ quam concessisse, quicquid arguendo in corpore q. videatur subtilizzasse, imò quol. 10. sub litte. O. ponit Scotus exemplum de corruptione, quia si totus aer secundum materiam, & formam conuerteretur in ignẽ, licet non maneret materia communis, adhuc non esset annihilatio, quia talis corruptio ordinabatur ad successionem termini contenti subente, & nõ ad negationem extra genus, id est, ad purum nihil, sed ad negationẽ inclusam in igne, quæ non erat ante conuersionem; ita in proposito, quia hæc panis desitio ex vi suæ desitionis intenditur à Deo tamquam à principali agente huius conuersionis supernaturalis, ad successionem corporis Christi, ipsa non est annihilatio.

Et in lectura Parisiensi, quam vocant reportata Sco. li. 4. hac d. & q. sic dicit non est simile de conuersione, & alijs mutationibus, quia licet in generatione ignis ex aere possent distingui duæ mutationes, quarum vna est ab esse aeris, ad non esse aeris, alia à non esse ignis ad esse ignis, & virtute diuina posset esse vna sine alia, tamen non sunt hic duæ mutationes, sed vna simpliciter quam generatio, vel corruptio; quia si hic essent duæ mutationes substantiales essent hic quatuor termini, & tunc esset hic vna mutatio à non corpore Christi ad corpus Christi, & sic corpus Christi per illam mutationem acciperet esse simpliciter: Ideo dico quòd non possunt esse hic, videlicet in hac conuersione nisi duo termini per se, panis videlicet, & corpus Christi, & quælibet alia mutatio potest habere proprios terminos, vt priuationem, & formam, & cum dicitur corruptio esset annihilatio nisi relinqueret subiectum commune; verum est loquendo de ipsa solum vt est ab esse aeris, ad non esse aeris extra genus; sed in hac conuersione non reperitur, talis mutatio ab esse panis ad non esse panis, sed versio panis in corpus Christi, quæ tantum est inter duos terminos positiuos; Vnde non sequitur panis præfuit, & nihil eius manet, igitur annihilatur, sed oportet addere in antecedenti, neque conuertitur in terminum positiuum.

Et si quis vellet dicere, quòd hic sunt duæ mutationes, licet esset magis difficile euitare annihilationem panis, Vnde inquit Sco. oportet dicere, quòd mutatio, quæ est ab esse panis, ad non esse panis non est annihilatio, quia non est ad negationem extra genus, & si non esset subiectum commune. Si ignis conuerteretur in aerem, adhuc licet nõ maneret materia termini à quo nec forma, quia tamen nõ terminatur ad negationem extra genus ideo non est annihilatio.

Hæc ibi Scot. quæ quidem consonãt illis, quæ dixit in quolib. loco supra citato, & in præcedenti quæst. in lectura Oxonensi artic. 2. vt ibidem animaduersum est, videlicet, quòd hæc cõuersio est compositi in compositum, & quod in corpus Christi fit in se conuersio panis, ipsumq. corpus vocat terminum conuersionis primum.

Ex quibus, & alijs constare videtur, quòd in ista quæst. Scotus solum disputatiuè processit, nam sub littera I. huius quæst. dixit, potest teneri secundum membrum disiunctiuè, quòd licet desitio panis sit annihilatio absolutè, non tamen hac conuersione, & cum ex alijs locis habeatur mens eius firma, & expressa, illud tenendum est, & ea quę in hac quæst. dicta sunt à Doct. non assertiuè, sed tantum disputatiuè intelligenda sunt. Cæterum quidquid Scotus dicat de panis annihilatione, volo dare; esto quòd Sco. admitteret panem annihilari, nihilominus illius sententia nullam erroris suspicionem haberet, imò nec esset omnino improbabilis; quapropter valde miror quam ob causam Sotus vbi supra dixerit annihilationis opinionem minimè citra errorem sustineri posse; cum enim hæc sit opinio grauium, & catholicorum Doctorum, nimirum Gulielmi Rubion d. 11. quæstione 2. articulo 3. Bassoli distinctione 11. quæst. 4. Gabrielis in quarto distinctione vndecima, quæstione prima, & in Cano: lectione 40 & 41. Maioris distinctione 11. quæst. 1. Ocham in 4. quæst. 6. dub. 7. Angeli verbo Euch. 1. num. 31. & habeat probabilia fundamenta, & probabiliter saluet omnia, quæ docet fides; non video quo fundamento aut ratione possit ita notari. Rubion. Bassolus. Gabriel. Mayron. Ocham. Angelus.

Præsertim cum Innocentius iij. lib 4. de hoc mysterio c. 20. hanc attingens opinionem, etiam probabilem censeat, præterea Concilia id solum dicunt, scilicet panem conuerti in corpus Christi, ex quo solum deducitur, quòd panis conuersio non est annihilatio, quòd omnes Doctores firmissimè tenent, & Scot. vbique defendit; vnde quamuis dicat in hac quæst. esse probabile quòd annihilatio panis concomitatur illius conuersionem, id non militat contra Concilia, siquidem illud, quod ex Concilijs deducitur constanter ab Scoto defenditur. Inno.

Igitur omissa sententia de panis annihilatione, quæ sine assertione posita est ab Scoto, teneamus illam, quæ absolutè conceditur ab illo in locis supra citatis, in quibus docet, quòd nullo modo panis annihilatur in hac mirabili, & singu-

lari

Digitized by Google

sari conuersione, quæ etiam sententia conformior est verbis Conciliorum, atq; sanctorum anthoritatibus, nam eodem argumento, quo Doct. compulsus fatetur posse dici, quòd panis annihilatur secundum substantiam, probaretur eodem modo, quòd panis annihilatur quantum ad præsentiam, atque ita non maneret locus, ex quo saluaretur panis conuersionem annihilationem non esse, probo assumptum, nam sicut annihilatio potest contingere in substantijs, ita in accidentibus, ergo si non sufficit substantiæ panis quòd eius desitio terminetur ad præsentiam corporis Christi ad hoc, vt dicamus substantiam panis non esse annihilatam, ita non sufficiet præsentiæ panis, quod eius desitio terminetur ad præsentiam corporis Christi, ad hoc quod dicamus panis præsentiam non esse annihilatam. Et si dicatur diuersam esse rationem de panis præsentia, & de eius substantia per respectum ad præsentiam corporis Christi, quoniam cum præsentia panis sit accidens poterit terminari eius desitio ad præsentiam corporis Christi, quæ est etiã accidens, atq; ita non erit annihilatio, quod fortè non erit possibile de panis substantia; hoc tamen nihil valet, quoniam vt supra dictum est, non solum accidens potest conuerti in accidens, sed etiam in substantiam, ergo sicut panis secundum præsentiam potest conuerti in præsentiam corporis Christi, ita posset conuerti secundum substantiam, atque adeo quicquid per conuersionem potest conuenire panis præsentiæ per respectum ad præsentiam corporis Christi, idem potest conuenire panis substantiæ per respectum ad præsentiam corporis Christi, atq; ita si panis non annihilatur secũdum præsentiam ex eo, quia desitio istius præsentiæ terminatur ad præsentiam corporis Christi, ita panis non annihilatur secundum substantiam panis ex eo, quòd desitio substantiæ panis terminatur ad præsentiam corporis Christi.

QVAESTIO V.

Quibus propositionibus possit hæc conuersio verè exprimi, siue enunciari.

HÆc quæstio mouetur à Theologis propter varios modos loquendi Sanctorum Patrum, quæ optimè explicatur hic à Doct. sex conclusionibus.

1 Conclusio. Prima conclusio. Conuersio ista non exprimitur verè per has propositiones, quæ significant aliquid substantiæ panis esse, vel manere in Eucharistia, quales sunt istæ, panis est corpus Christi, vel panis fuit corpus Christi, siue erit, aut è conuerso, corpus Christi est panis, vel fuit panis, siue erit panis, probatur, quia esse significat vnionem extremorum essentialem, vel accidentalem pro eo tempore, quod assignat, sed pro nulla temporis differentia hæc extrema videlicet panis & corpus Christi habent essentialem, vel accidentalem vnionem ergo conuersio ista non verè explicatur per aliquam differentiam temporis huius verbi esse, minor probatur, quia hęc extrema, scilicet panis, & corpus Christi habent pro omni instanti, vel disparationem vt potè, quando extrema sunt entia positiua, vel maiorem repugnantiam, scilicet non entis ad ens pro illo instanti, quo vnum est scilicet corpus Christi, & aliud non est, scilicet panis facta conuersione. Etsi aliquæ propositiones inueniantur, in quibus id, quod erat ante consecrationem affirmetur de corpore Christi, vt veræ sint, debent sumi non pro re aliqua indiuidua, sed abstractiuè pro re contenta sub speciebus panis, & vini, ita exponenda est hæc loquutio panis, & vinum post consecrationem sunt verum corpus, & sanguis Christi, quæ habetur in cap. Ego Berengarius de consecr. d. 2. & apud Damasc. lib. 4. de fide cap. 14. Quomodo potest, qui panis est corpus esse Christi consecratione? & similes reperiuntur apud Innocentium li. 4. de hoc mysterio c. 6. & apud alios patres, & ratio assignari potest, quia præter accidentia nulla res indiuidua manet cõmunis vtrique termino, ipsa autem accidentia in recto, & propriè de nullo terminorum prędicãtur, non n. quantitas potest dici esse id, quod erat panis, neq; Christi corpus, ergo istę loquutiones non possunt esse veræ, si subiectum earum supponat pro re aliqua singulari communi vtriq. termino panis etiam nec essentialiter, nec accidentaliter coniungitur cum Christi corpore, non quidem essentialiter vt possit verè dici panis est essentialiter corpus Christi, nec è conuerso, nec etiam accidentaliter habent inter se vniónẽ, sicut accidens vnitur substantiæ, cum vterque terminus sit substantia, & sint extrema disparata, atq; termini huius cõuersionis inter se conueniunt in ratione contenti sub his speciebus, vt loquutiones illæ sint veræ oportet vt subiectũ præcisè supponat pro contento, & hoc modo sunt veræ, licet non admodum propriè, quia illud subiectum in rigore priorem modum supponendi indicat, vsurpantur tamen ad indicandum proprietatem veræ conuersionis, vide Alex. de Ales. p. 4. q. 10. memb 6. art. 1. 2. & 3. Alex. de Ales.

2 Conclusio. Secunda conclusio. Ista propositio non est vera panis fit corpus Christi, vel factus est corpus Christi, vel fiet neque è conuerso, probatur, quoniam quando aliquod subiectum dicitur fieri tale, significatur subiectum fieri secundum formam prędicati, sed pro nulla temporis differentia panis fit corpus Christi, neque è conuerso, ergo ista propositio panis fit corpus Christi falsa est de rigore, seu virtute sermonis; consequentia cum minori patet, & maior probatur à simili, nam ideo hæc est vera, homo est albus, quia hic homo fit sub forma albedinis, & hæc est impossibilis, homo fit asinus, quia homo non potest fieri sub forma asini, sic est in proposito, nam panis nõ fit, nec fieri potest immediatè sub forma corporis Christi, nec è conuerso, ergo hæc propositio in rigore sermonis est falsa, panis fit corpus Christi.

Quapropter obseru est, q; fieri vel prædicat secundum, vel tertium adiacens, tunc prædicat secundum, quãdo post verbum non ponitur prædicatum, & è contra tunc prædicat tertium, quando ly fieri habet prędicatum post se; exẽplum primi, homo fit, exemplum secundi, homo fit albus, & est maximum discrimen, quando prædicat secundum, vel tertium adiacens; nam quando prædicat secundum significatur subiectum fieri simpliciter, adeo quod accipiat esse simpliciter, & hoc modo panis fit, vel fiebat, quando coquebatur in furno, & corpus Christi fiebat, quando generabatur in vtero Virginis, quando verò prædicat tertiũ adiacens denotatur subiectum fieri non simpliciter, sed sub forma prædicati, vnde ad hoc quòd hæc sit vera homo fit albus oportet, quòd homo fiat sub albedine; Ex hoc sequitur quòd est maxima differentia inter has duas propositiones homo fit albus, & album fit homo, quia prima est vera, secunda est falsa, & impossibilis, nam ad veritatem istius homo est albus, sufficit q; in homine producatur albedo, & q; homo fiat sub albedine; sed ad veritatem istius album fit homo, requiritur q; res illa, quæ est alba fiat secundum humanitatem, vel sub humanitate; ex quo sequitur secundo, q; lata est differẽtia inter istas duas propositiones, Deus fit homo, vel factus est homo, & homo factus est Deus, nam prima est vera propriè, & in rigore, secunda vera non ita propriè, licet non sit neque falsa, neque hæretica, vt falsò hic dicit Tataretus, nam Doct. in 3. d. 7. q. 2. concedit eam esse simpliciter veram, & vide ibi expositionem nostram; Tataretus Secundo obseru. est, q; huiusmodi propositiones, panis fit caro, & vinum fit sanguis in rigore denotant subiectum substantiale, seu materiam communem vtriq. extremo manente, nam in formali conuersione verificantur ratione subiecti communis, & quidem in conuersione accidentali sunt proprijssimè, quia manet idem suppositum sub vtroq. termino, & sic dicimus calidum fieri frigidum, tamen in conuersione substantiali etiam formali videtur minus propriè, quia non manet idem suppositum commune, nihilominus tamen habent aliquod veritatis fundamẽtum, quia manet eadem materia communis, atq; hoc modo dicitur Ioan. 2. Cum vidisset aquam vinum factam, atque adeo in conuersione totali, vbi non est commune subiectum in rigore non est propria, nec vera loquutio, tamen quia apud Patres quandoque istæ loquutiones inueniuntur, possunt altero ex duob modis explicari; prior est vt non tam panis dicatur fieri corpus, quã corpus fieri panis, non quidẽ sumendo panẽ specificè pro tali cibo materiali, sed pro cibo reficiẽte homines, & præsertim pro illo cibo, q sub forma panis datur; quomodo 1. ad Cor. 11. Quotiescumq; manducabitis panẽ hunc, &c. & multæ loquutiones q̃ sunt Io. 6. possunt in hũc modũ explicari, & in 7. Synodo act. 6. to. 3. circa finem dr, verè nos confiteri diuinum corpus panem fieri, sic etiam Ambr. lib. 5. de sacramentis, c. 3. Non iste panis est (inquit) 7. Synodus. D. Ambros.

qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Cyprianus. Sic Cyprianus serm. de cœna Domini. Ipse enim & panis, & caro, & sanguis idem cibus, & substantia, & vita factus est Ecclesiæ suæ. Secunda explicatio est vt verbum illud explicetur transitiuè, scilicet panis fit corpus id est, trāsit in corpus, sicut *Damasc.* Damascenus li. 4. de fide cap. 14. dicit, panis ipse, ac vinum in corpus, & sanguinem Dei immutantur, nam verbum faciendi valde commune est, & ad significandam quamcumque similem habitudinem inter terminos conuersionis extendi potest, sicut exponendus est *Beda.* August. citatus à Beda 1. ad Corint. 11. & habetur in capit. Non omnis de conse. dist. 2. cum ait. Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi, sic *Cyrillus.* etiam exponi potest Cyrillus Cat. 4.

3. Conclusio Tertia conclusio. Hac propositio, panis potest esse corpus, vel potuit esse corpus Christi, seu poterit esse non est vera, neque è conuerso, probatur, illa propositio de possibili est falsa cuius illa de inesse est impossibilis, sed in proposito quæcumque de inesse correspondens cuilibet istarum de possibili est impossibilis, ergo ista panis potest esse corpus Christi est falsa, consequentia est nota, & minor probatur ex prima conclus. huius q. maior verò probatur: quia quælibet propositio de possibili potest exponi in aliquam de inesse possibilem, licet forte falsam; & si aliqua *Damascen.* loquutio similis inueniatur, sicut est illa apud Damascen. libro quarto de fide capitulo decimoquarto. Quomodo potest, qui panis est corpus esse Christi? exponenda est vt intelligatur non pro re aliqua indiuidua, sed abstractiuè pro re contenta sub accidentibus panis & vini, vt explicauimus supra in prima concl.

4. Conclusio Quarta conclusio. Vt vera sit propositio enuncians hanc conuersionem, alterum extremum accipiendum est in obliquo, vt denotetur ordo extremi ad extremum addendo termino à quo hanc præpositionem ex, vel de, sicut Arist. *Arist.* dicit 2. Metaphysicæ, cap. 3. quod ex mane fit meridies, & hoc modo hæc propositio est vera ex pane, vel de pane fit corpus Christi.

5. Conclusio Quinta conclusio. Verè etiam enunciatur ista conuersio addendo termino ad quem hanc propositionem, in. & hoc modo ista est vera, panis transit in corpus Christi, dicitque Doctor, quòd omnes aliæ loquutiones de rigore sermonis reducendæ sunt ad aliquam expressarum in superioribus huius quæst. dicit insuper, quòd ista, panis transit in corpus Christi, est magis propria, quia non denotat aliquod subiectum commune manere, sicut aliquo modo denotat ista, ex pane fit corpus Christi, atque etiam ista, de pane fit corpus Christi, in quo sensu sunt falsæ, neq; enim ex opposito, vel de opposito fit oppositum, nisi quia ex subiecto communi vtrique secundum Philosophum primo Physic. text. cap. 38. & 605. & secundo de generatione text. capit. 10. & 24. & 1. Meta. tex. 6. & idem 7. Meta. text. capitulo 22. Vnde illæ tres loquutiones de pane fit corpus Christi, ex pane fit corpus Christi, & panis transit in corpus Christi, habent inter se se ordinem quantum ad proprietatem sermonis: nam prima est minus propria, quam secunda, & secunda quam tertia; vnde illa particula de, in rigore significat consubstantialitatem, atque ita in illa loquutione significatur aliquam materiam, vel substantiam panis transire in corpus Christi, vel communicari corpori Christi, potest tamen illa particula accipi non in tanto rigore, sed vt idem sit dicere de pane, quòd ex pane, in quo *D. Ambros.* sensu accipit eam D. Ambrosius 4. de sacramentis capit. 4. dicens, vbi accesserit consecratio de pane fit caro Christi. Illa autem particula ex, licet etiam aliquando materiam significet de qua fit aliquid, velut cum dicitur ex ære fit statua, vel ex vino fit acetum, tamen non dicit necessariò habitudinem causæ, vel principij, sed successionis, vel termini à quo, sicut quando dicimus cœlum fieri ex nihilo, & ex nocte diem, cæterum confunduntur quandoque & sine discrimine eis vtuntur Authores; Verum illa particula in, nō denotat aliquod commune manere, sicut aliquo denotant illæ particulæ ex, vel de; atque adeo hæc propositio panis conuertitur in corpus Christi est magis propria, quam omnes aliæ, quoniam iuxta communem loquendi modum in hac materia non potest accipi, nisi in vero sensu.

6. Conclusio Sexta conclusio. Nulla propositio, quæ significet mutationem, vel motum explicat verè hanc conuersionem, licet vnum extremum enuncietur in recto, & alterum in obliquo; atque ita ista, panis mutatur in corpus Christi, non est vera de rigore sermonis, patet, quia transubstantiatio non est mutatio, vt dictum est in prima quæstione huius distinctionis, transire autem, seu verti abstrahit à ratione mutationis, ponit enim habitudinem termini ad terminum non importando subiectum commune manere, ideo istæ sunt magis propriæ vt dictum est supra, panis transit in corpus, vel vertitur in corpus Christi. Illæ igitur propositiones sunt falsæ in hac materia, quibus significatur panem manere, vel esse subiectū, vel quod illud, quod fuit panis est corpus Christi, illæ autem sunt veræ, quæ significant panem non esse subiectum, sed significant ordinem termini ad terminum, atque adeo aliquæ loquutiones Sanctorum, quæ de rigore sermonis aliud significare videntur, in sano sensu sunt accipiendæ, & exponendæ.

QVAESTIO VI.

Vtrum solum panis triticeus cum aqua elementari coagulatus sit conueniens materia conuersionis in corpus Christi.

Circa materiam sacramenti Eucharistiæ pluribus modis erratum est, nam vt refert D. *D. Thomas.* Thom. 3. p. q. 75. art. 1. aliqui conficiebant in pane, & caseo, vt patet ex Epiphanio hæresi *Epiphanius.* 49. & ex D. Augustino lib. de hæresibus cap. *D. August.* 28. Aliqui verò conficiebant in pane ex farina, & sanguine infantis compacto, vt patet ex eodem Epiphanio hæresi 43. in fine, D. Augustino capit. 26. & 27. & D. Damasceno, *Damascen.* hæresi 48. & 49. His coniungi possunt Gnostici, & Manichæi quorum errores forte propter modestiam D. Thom. prætermisit, hi enim in semine humano corpus Christi conficiebant, vt ex Gnosticis refert Epiphanius hæresi 26. *Epiphanius* vel in pane humano semine consperso, vt de Manichæis refert D. Augustinus, capitulo quadragesimosexto. Possent *D. August.* etiam hic numerari Ophitæ, qui vt idem Augustinus refert, capitulo decimoseptimo, colubrum alebant iuxta altare, qui per incantationem sacerdotis sacrificij tempore egrediebatur, & panem lambebat, in quo Eucharistia consecrari posset, quod etiam refert Tertullianus de præscri- *Tertul.* ptionibus hæreticorum capit. quadragesimoseptimo. Fuerunt etiam hæreses insanissimæ circa vini materiam, quas sequenti quæstione referemus.

Sed dubium esse potest an propriè panis, & vinum sint materia, vel causa materialis Eucharistiæ? & ratio dubitandi esse potest, quia nec panis, nec vinum perseuerant, quando Eucharistia est, & similiter Eucharistia non pendet per se ex substantia panis, vel vini desinentis esse, ergo videtur quòd panis, & vinum non sit materia Eucharistiæ. Ioannes Maior in 4. distin. 11. quæst. 1. tenet quòd panis & *Maior.* vinum solum dicuntur materia, quia præsupponuntur ad consecrationem, & ad Eucharistiam; Pro cuius resolutione dico primo, quòd non solum panis dicitur materia, quia præsupponitur, aliàs quælibet forma corrupti diceretur materia geniti, quia certè illa supponitur ad genitum, & hoc maximè patet in anima respectu cadaueris, quæ per se, aut verò ratione cadaueris præsupponit illam.

Secundo dico, quòd panis non dicitur materia Eucharistiæ secundum rigorem causæ materialis Physicæ, patet: quia causa materialis Physica est, quæ manet in composito, & ex cuius virtute forma educitur, vel saltem in quo sustentatur; sed panis non est componens Eucharistiam, nec consecratio educitur de virtute illius, aut in ipsa sustentatur Eucharistia, ergo non dicitur rigorosè causa materialis Physica, & hoc bene probat argumentum Maioris.

Tertio dico, quòd semper appellatur materia Eucharistiæ, & causa materialis ad illam, quia ita loquuntur omnes Theologi, & Concilia, atque adeo absolutè ita & nobis loquendum, & sentiendum est.

Quoniam Doctor circa materiam sacramenti Eucharistiæ valde concisus est, & breuis, ideo pro doctrina abundantiori nonnullas quæstio. explicandas duxi sequentibus articulis.

Primus

Primus art. Vtrum panis & vinum sint propria materia huius sacramenti.

Secundus art. Vtrum vtraque species panis, et vini sit de necessitate huius sacramenti, vel tantum praecepti.

Tertius art. Vtrum si in aliqua tota prouincia vel regione non reperiretur vinum, neque aliunde asportatum ibi consecrari posset; Summus Pontifex habeat authoritatem ad dispensandum vt in illa Prouincia posset consecrari sola species panis.

Quartus art. Vtrum de necessitate huius sacramenti sit, vt materia consecranda sit præsens ministro consecranti.

Quintus art. Vtrum requiratur determinata quantitas ad materiam Eucharistiæ.

Sextus art. Vtrum requiratur ad materiã huius sacramenti, quod sit panis triticeus.

Primum Dub. An ex amylo, vel ex amido possit effici panis consecrabilis.

Secundum Dub. An massa, id est, pasta ex farina triticea sit materia apta consecrationis.

Tertium Dub. An panis triticeus, vt sit consecrabilis debeat esse azymus, vel fermentatus.

Quartum Dub. An Græci peccent consecrando in fermentato.

Quintum Dub. An ex omni genere panis possit hoc sacramẽtum confici.

ARTICVLVS I.

Vtrum panis, & vinum sint propria materia huius sacramenti.

EX fide certissima est illa sententia, quæ docet materiam Eucharistiæ esse panem, & vinum, quæ fides colligitur primo ex facto Christi Matth. 26. accipiens enim panem consecrauit in illo, & similiter postea accipiens calicem, quòd vero in calice illo fuerit vinum videtur colligi ex verbis; non bibam amodo ex hoc genimine vitis, quæ Matth. & Marcus statim post consecrationem calicis referunt, atque ita esse dicta de illo calice consecrato indicat Chrysostomus homil. 28 in Matth. exponens illa verba. Non bibam, &c. & exponit Augustinus, lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 1. Lucas autem cap. 22. apertè distinguit duos calices, alium communem, qui præcessit in cœna legali, & alium consecrationis, & refert illa verba ante consecrationem, vnde indicat dicta esse de priori calice, vt exponit Hieronymus in Matth. Theophilactus, & alij in Lucam. Quidquid verò sit de hoc, Ecclesia tamen semper intellexit vtrumque calicem fuisse vini, quod præter contextum euangelicum ex ipsa voce calicis colligi potest, significare enim solet in scriptura sacra vas continens, vel aptum ad continendum vinum, vel è contrario potum vini in vase contentum. Vnde Psal. 22. Calix tuus inebrians, quam præclarus est. Ex hoc autem facto Christi colligitur necessitas huius materiæ, quia in illo facto instituit hoc sacramentum, vnde subdit. Hoc facite in meam commemorationem.

Chrysosto. D. August. Hieronymus. Theophilactus.

Probatur secundo hæc veritas ex definitione Conciliorum, habetur enim hæc veritas in Concilio Bracharensi 3. cap. 1. in Concilio Carthaginensi 3. cap. 24. & cann. 57. in Concilio Turlano post 6. Synodum, in Concilio Florent. in decreto Eugenij, & in Lateranensi in cap. Firmiter, colligitur ex Trident. sess. 13. 21. & 22. Sed potissima, & præcipua ratio huius veritatis est Christi instituentis voluntas, vt docet hic Doctor subtil. dicens. Ratio principalis est, quia Christus talem materiam consecrandam instituit, & in signum institutionis tali materia consecranda vsus est.

Conc. Brach. Conc. Carth. Conc. Turl. Conc. Flor. Conc. Late. Conc. Trid. Scotus.

Alexandro de Ales 4. parte quæstione decima membro quarto, articulo 1 §. 1. quem sequuti sunt D. Thom. 3. parte quæstione 74. art. 1. D. Bonauentura in quarto distinctione vndecima parte secunda, articulo primo quæstione prima, & Richardus articulo secundo, adducit nonnullas congruentias, prima est expressa similitudo signi ad signatum, vnde 1. Corint. 11. Hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem; Glossa. Porrò species illa visibilis sacramentum est geminæ rei contentæ, & signatæ, & species illa vtramque rem signat, vtriusque gerit expressam similitudinem, nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit, & sustentat, & vinum homines lætificat, & inebriat, sic caro Christi interiorem hominem magis cæteris gratijs spiritualiter reficit, & saginat, & sanguis spiritualiter lætificat, & sic inebriat, vt sobrium reddat, vnde psalm. 22. Calix tuus inebrians quam præclarus est, habet etiam similitudinem cum re significata tantum, quæ est vnitas fidelium, quia sicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis vinum confluit, sic ex multis fidelium personis vnitas Ecclesiæ constat.

Ale. Alexand. D. Thomas. D. Bonau. Richardus.

Secunda congruentia est consuetudo, siue generalitas alimenti, quo vita nostra sustentatur, huiusmodi enim conuenientissimè ducunt ad illud, quo vita spiritualis in omnibus nutritur. Vnde Damascenus, quia consuetudo est hominum lauari aqua, & oleo vngi, coniugauit aquam, & spiritum sanctum, & fecit id lauacrum regenerationis, & quia consuetudo est hominibus panem comedere, & vinum bibere coniugauit eis deitatem, & fecit ea corpus eius, & sanguinem, vt per hæc, quæ sunt secundum naturã consueta, in quibus vita conseruatur ad ea, quæ sunt super naturam anima transferatur.

Damascen.

Tertia congruentia est propter sacramenti celebrationem. Hoc enim sacramentum debet celebrari valde mundè, & ideo congruum est illud celebrari in pane, & vino, quæ mundius possunt tractari, quam caro, & sanguis animalium, vel aliæ materiæ conuenientes ad vsum humanum. Multæ aliæ congruentiæ adducunt ab alijs, quæ omnia ad hæc duo capita reduci possunt, scilicet ad sacramenti celebrationem, & significationem; ad sacramenti celebrationem spectat munditia, vt dictum est, quo ad significationem in hoc sacramento quinque significantur, scilicet res contenta, quæ est corpus Christi verum, & res non contenta, sed significata, quæ est corpus Christi mysticum; Christi passio, spiritualis refectio hoc sacramentum suscipientis, & salus animæ, & corporis; Panis autem, & vinum ratione suæ institutionis conuenientissimè repræsentant corpus Christi verum, & mysticum, quia sicut panis constituitur ex pluribus granis, & vinum ex pluribus acinis, vel racemis, ita corpus Christi verum constitutum est ex pluribus purissimis membris, & corpus mysticum ex pluribus personis, vt adnotarunt Cyprianus epistola sexagesimatertia, & Augustinus tractatu vigesimosexto in Ioann. Ratione etiam suæ præparationis conuenientissimè repræsentat Christi passionem, quia panis in clibano igne coquitur, & vinum torculari exprimitur, & calcatur, ita aliquo modo simili corpus Christi fuit igne passionis quasi decoctum, & in cruce quasi in torculari, fluxit sanguis, & quia tunc fuit sanguis à corpore diuisus, ideo in hoc sacramento corpus, & sanguis conficiuntur de materijs distinctis, & distinctè. Ratione etiam vsus, panis & vinum conuenientissimè repræsentant spiritualem refectionem suscipientis hoc sacramentum, sicut enim dicitur in Glossa super illud 1. Corinthios 11. Hoc facite, &c. Panis præ cæteris cibis corpus reficit, & sustentat, & vinum hominem lætificat, vnde panis, & vinum efficacem constituunt corporis refectionem, quæ in cibo, & potu consistit, similiter spiritualis refectio animæ integratur ex potu per fidem in intellectu, & spirituali delectatione per charitatem in affectu; & quia hæc refectio ordinatur ad salutem corporis, & animæ, ideo ex consequenti panis & vinum vtramque repræsentant salutem, vnde vt dicit Glossa vbi supra. Caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra sumitur, & effusus est, sicut præfigurauit, Moyses dicens Leuit. 17. Caro pro corpore nostro offertur, sanguis vero pro anima, vt notat etiam Ambrosius, 1. ad Corinthios 11.

Cyprianus. Augustinus. Glossa. Ambrosius.

ARTICVLVS II.

Vtrum vtraque species panis & vini sit de necessitate huius sacramenti, vel tantum præcepti.

EX superiori articulo constat hanc duplicem partem materiæ esse necessariam ad integram perfectionem, & significationem huius sacramenti, quod

ergo nunc inquiritur est, an hæc integritas ita necessaria sit, vt non possit vna ex his materijs fine, alia consecrari, & potest esse quæstio, vtrum de necessitate sacramenti, & potestate simpliciter, vel de necessitate præcepti, & potestate licitè faciendi. De hac re tractat Alexander, vbi supra, D. Thom. vbi supra in respon. ad secundum, & D. Bonauent. quæst. 2.

Ale. & Alex. D. Thomas. D. Bonau.

1. Conclusio Dico primo vnam ex materijs prius tempore consecrari quam aliam, statim enim vt sacerdos absoluit verba consecrationis panis adest ibi corpus Christi, antequam sanguis conficiatur, hæc de se patet, & est communis consensus omnium Theologorum, & colligitur apertè ex consuetudine Ecclesiæ, statim enim ac perficitur corporis consecratio, proponitur Populo adorandum, vt habetur in cap. Sanè de celebratione Missarum.

2. Conclusio Dico secundo non esse de necessitate sacramenti, seu consecrationis vnius partis materiæ consecrationem alterius, sed posse vnam sine altera consecrari; sequitur apertè ex præcedenti concl. patet, quia confectio sacramenti non pendet ex futuro effectu, nec præsentia corporis Christi, sub speciebus panis ex futura præsentia sanguinis sub speciebus vini, præsertim cum de fide sit conseruari species panis consecratas etiam si consumptæ sunt species vini, & quod dictum est de speciebus panis, est etiam intelligendū de speciebus vini, nam licet ex Christi exemplo, & ex vsu Ecclesiæ colligi possit esse præceptum vini consecrationem panis consecrationem præsupponere, tamen hic ordo non est omnino necessarius, quo circa si sacerdos ex malitia prius consecraret vinum, quam panem, vel solum vinum sine dubio peccaret, factum tamen teneret; quia vna consecratio non dependet ab alia, tum quia debita forma prolata super debitam materiam à Ministro necessario cum sufficienti intentione infallibiliter habet effectum, tum etiam: quia species vini consecratæ conseruari possent, etiam si species panis omnino non manerent, ergo etiam in fieri non necessariò supponunt illas, loquendo de necessitate sacramenti.

3 Conclusio Dico tertio de necessitate præcepti esse vt vna materia non conficiatur sine alia, ita docent omnes Theologi de hac materia loquentes, & habetur in cap. Comperimus de consecratio. distinctione 2. vbi dicitur non posse absque grandi sacrilegio diuidi mysterium, & vsus ecclesiæ, hoc satis probat, & ratio est, quia licet vna materia non sit de necessitate alterius, tamen vtraque est de integritate sacrificij; est autem contra rationem diuinum sacrificium mutilare, sed

Dubium. Dubium est quale præceptum sit, an, scilicet, sit præceptum diuinum, vel ecclesiasticum tantum; Quidam sentiunt esse præceptum ecclesiasticum tantum, quod indicare

D. Thomas. videtur D. Thom. in 4. distinct. 11. quæst. 2. articulo 1. quæstiuncula 1. ad quartum, vbi negat consecrandam esse alteram speciem solam tantum, quia est contra morem Ecclesiæ; idem videtur sentire Adrianus, quæstione 6. de Eucharistia, vbi ex sententia Alex. de Ales dicit potius esse relinquendum hoc sacramentum mutilum, & in vna specie confectum, quam sumendum à non ieiuno, vt frequenter accidit, quando sacerdos post sumptionem calicis intelligit fuisse aquam, & non vinum in calice. Maior. etiam in 4. d. 9. quæst. 3. ad tertium hanc tenet sententiam, quamuis dicat in prædicto casu magis obligare hoc præceptum, quā aliud de ieiunio, quia licet vtrumque ecclesiasticum sit, illud tamen est grauius, & in eamdem sententiam videtur inclinare Nauar. cap. 25. num. 31. vocans hoc præceptum Ecclesiæ.

Adrianus.

Maior.

Nauar.

Scotus. Oppositam sententiam tenet Doct. in hoc 4. d. 8. q. 3. vbi docet, quando sacerdos post sumptionem calicis intelligit fuisse aquam, & non vinum teneri consecrare sanguinem de nouo, & consecratum percipere, & reddens rationem dicit, quod ad hoc necessariò tenetur ex institutione Christi propter integritatem sacramenti conficere sanguinem, & ex strictissimo præcepto Ecclesiæ sub pœna repulsæ vno anno teneri consecratum percipere, eamdem sententiam tenent Thom. ab Argent. in 4. Marsilius q. 6. art. 1. Caiet. in 3. p. q. 80. art. 12. Gab. lect. 10. in Cann: littera D. Hosius in confessione Pollnna cap. 40. vbi non solum dicit esse à Christo præceptum sacerdotibus, vt simul vtramque speciem conficiant, sed etiam vt sumant quando sacrificant; & fauent huic sententiæ Alex. de Ales. vbi supra, D. Bonauentura loco supra citato, ac etiam D. Thom. 3. p. q. 80. artic. 12. ad tertium vbi sic inquit: repræsentatio dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, & ideo non debet corpus sine sanguine consecrari; & ferè idem dicunt Alex. & Bonauentura vbi supra, & potest hęc veritas confirmari ex decretis Conciliorum Tolet. 7. cap. 2. Tolet. 11. cap. 14. in cap. Illud, & cap. Nihil 7. quæst. 1. quibus probatur vt in omni euentu consecratio integrè perficiatur, etiam si necessarium sit, vt vnus Minister perficiat, quod alter inchoauit, & de consecrat. dist. 2. per 12. prima capita hoc apertè traditur tamquam à Christo institutum; Idem colligitur ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. vbi dicit Christum Dominum in nocte cenę corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Patri suo obtulisse, & Apostolis eorum que in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcipisse, & in can. 2. inquit. Si quis dixerit illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, alijq. sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum anathema sit. Et potest etiam sumi ratio à posteriori, quia aliàs stando in solo iure diuino, voluntarium esset vnam, vel alteram speciem conficere, vnde non esset malum etiam sine vrgente causa vnam tantum speciem consecrare, consequens autem à nullo Doctore catholico conceditur, sequela vero patet, quia si de hac re nō est præceptum diuinum, non erit per se malum vno, vel alio modo conficere.

Argentina. Marsilius. Caiet. Gabriel. Hosius.

Ale. & Alex. D. Bonau.

D. Thom.

Conc. Tolet.

Conc. Trid.

ARTICVLVS III.

Vtrum si in aliqua tota Prouincia, vel regione non reperiretur vinum, neque aliunde asportari vini ibi conseruari posset, Summus Pontifex habeat auctoritatem ad dispensandum vt in illa Prouincia possit consecrari sola species panis.

DE hac re sunt tres sententiæ, prima est affirmatiua, quā docet Albertus Magnus, quem referunt, & sequuntur Turrecremata in cap. Comperimus de consecra. distinctione 2. & Gabriel. in Cann: lect. 55. dub. 4. de materia panis. Alanus libro secundo de Eucharistia qui tribuit Alensi, sed falsò: nam Alexander, quæstione decima, membro quarto, §. 7. ad secundum oppositum docet, & Claudius Saynth. repetitione decima, capitulo tertio, vbi refert pro hac sententia D canum Louaniensem articulo decimoquinto, & certè Decanus Louaniensis multum fauet huic sententiæ, quoniam apertè docet, quòd ad dispensationem liberam Ecclesiæ pertinet consecrari, istud sacramentum, vel in vtraque specie, vel in altera tantum.

Albertus. Turrecremata. Gabriel. Alanus. Ale. & Ales. Claudius.

Probatur hæc sententia, quoniam vt refert Volaterranus libro septimo, Geografiæ capitulo, de Saxonibus, Innocentius octauus hanc dispensationem illis gentibus concessit, & Onuphrius in Cronico anni 1490. idem refert. Sunt qui asserunt Innocentium iiij. cum nouergijs dispensasse, (quia in ea Prouincia propter nimiam frigiditatem vinum non conseruatur, sed statim acescit) vt in solo pane possent consecrare, at non est dicendum Summum Pontificem errasse in huiusmodi dispensatione.

Volaterranus. Innoc. 8. Onuphrius.

Secundo probatur hæc sententia, quia ex opposito sequeretur, quòd in illa Prouincia in qua totaliter deficeret vinum non esset verum sacrificium, ex consequenti nec verum sacerdotium, quod per se ordinatur ad sacrificium, imò neque esset vera lex, neque vera Religio, quoniam hæc omnia concomitanter se habent, vt colligitur ex illo Pauli ad Hebr. 7. Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat, consequens autem est valde absurdum, ergo &c.

Tertio in Concilio Tridentino, sessione vigesimaprima, capitulo secundo definitur Ecclesiam habere potestatem, vt salua substantia sacramentorum possit statuere ea, quæ vel suscipientium vtilitati, vel sacramentorum venerationi pro temporum, aut locorum diuersitate magis expedire iudicauerit, ergo in isto casu potestatem habet Ecclesia ad faciendam hanc dispensationem, probatur consequentia: quia hæc dispensatio cadit in vtilitatem vnius integræ Prouinciæ, & non mutat substantiam Eucharistiæ, neque in ratione sacramenti, quia altera species seorsum consecrata est verum sacramentum continens totum Christum, & causat totum effectum fidelibus necessarium

Conc. Trid.

cessarium ad salutem, neq; in ratione sacrificij quoniam vt videbimus infra ratio essentialis sacrificij in vna tantum saluatur specie, atq; ita valde probabile est in die Parasceue Ecclesiam offerre verum sacrificium in sola specie panis.

Quarto integritas Eucharistiæ in vtraq; specie non est de iure diuino, sed tantum positiuo, at Summus Pontifex dispensare potest supra totum ius positiuum, ergo &c. maior probatur: quia nô reperitur diuinum præceptum, neq; in Euangelio, neq; in traditionibus Ecclesiæ, quo præcipiatur hæc integritas sacrificij. Et confirmatur, esto sit de iure diuino integritas Eucharistiæ in vtraque specie adhuc probabilissime dicitur, Papam posse facere hanc dispensationem, quoniam potestatem habet à Christo dispensandi supra ius diuinum, quando expediet saluti fidelium, & ita videmus ꝙ dispensat in votis, & iuramentis, & quandoq. etiam in matrimonio rato non consummato, quorum obligatio oritur ex diuino iure, ergo ad ipsum poterit in nostro casu, & id quidem à fortiori, quoniam hæc dispensatio expedit communi vtilitati vnius Prouinciæ, illa autem vtilitati tantum priuatæ personæ.

Vltimo probatur hæc sententia, quando occurrunt duo præcepta diuini iuris, & vtrumq; non potest adimpleri, illud est præferendum, quod magis cedit in vtilitatem animarum, & in gloriam Dei, sed in nostro casu occurrût duo pręcepta diuini iuris, alterum de consecranda Eucharistia, vt habetur in ratione sacramenti, & in ratione sacrificij, alterum de integritate ipsius sacramenti, & primum præceptum cedit magis in salutem animarum: quia expedit saluti illius Prouinciæ, & etiam in gloriam Dei, quoniam gloria Dei manifestatur in salute animarum, & ita præceptum cuius obseruatio magis cedit in gloriam Dei, ergo in isto casu primum præceptum præferendum est secundo.

Secunda sententia in altero extremo est negatiua, quam docent Sotus d. 9. q. 5. art. 1. Siluester verbo Eucharistia r. §. 5. Caieta. 3. parte quæst. 74. articulo 2. eamdem insinuat sententiã dum dicit, quòd integritas Eucharistiæ pręferenda est cuicumque necessitati, eamdem insinuat Hostius in libro primo Contra Brentium capitulo 40. & D. Thom. 3. parte quæst. 74. articulo 2. in solut. ad secundum, videtur præsupponere integritatem Eucharistiæ in omni casu esse seruandam. & Innocentius 3. libro quarto de hoc mysterio cap. 23. quamuis non meminit de dispensatione Papæ, videtur tamen absolutè docere, ꝙ in casu huius dubitationis præferenda est integritas communi vtilitati talis Prouinciæ. Moderni Thomistæ communiter inclinant in hanc sententiam.

Sotus. Siluester. Caiet. Hostius. D. Thomas. Innocen. 3.

Et probatur primo. Integritas Eucharistiæ in vtraque specie est necessaria necessitate præcepti dominici, sed Summus Pontifex non habet authoritatem dispensandi supra diuina præcepta, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 10. ad secundum, & q. 89. artic. 9. ad primum, & colligitur ex cap. Contra decreta, & cap. Præcedenti 25. q. 1. Maior patet ex art. præcedenti, ergo &c.

Conc. Trid. Secundo probatur ex Concilio Trident. sess. 21. capit. 2. vbi definitur, quòd Ecclesia non potest aliquid statuere, vel mutare circa sacramenta, quod ad substantiam sacramentorum spectet, sed vt probauimus in secundo articulo huius quæstionis vtraque species est necessaria ad substantiam, & essentiam specificam Sacramenti Eucharistiæ, ergo Ecclesia non potest aliquid disponere circa Sacramentum Eucharistiæ, nisi salua integritate eius in vtraque specie, atque adeo non est potestas in Ecclesia ad dispensandum in casu huius disputationis.

Tertio probatur. Sacramentum Eucharistiæ in se susceptum non est omnino necessarium ad salutem, nam per eius votum potest haberi salus, ergo non est prætermittenda integritas illius etiam in illo casu; Et confirmatur, quia præter hanc causam, si infirmus nequit suscipere Eucharistiam absque periculo vomitus, atque alterius notabilis irreuerentiæ, non est illi tribuenda Eucharistia, ergo id ipsum dicendum est in vtroque casu quòd non est conferenda, nec consecranda Eucharistia, nisi salua eius integritate à Christo instituta, & præcepta. denique confirmatur ex testimonijs Conciliorum, & Patrum adductis in superioribus art. quibus asseritur sacrilegium esse alteram speciem seorsum consecrare; nam in his testimonijs præsupponitur integritatem Eucharistiæ esse omnino necessariam, atque adeo præferenda cuicumque vtilitati.

Tertia sententia asserit duo, primum quòd Summus Pontifex in illo casu non potuit dispensare, quia supra ius diuinum, quo præcipitur integritas Sacramenti Eucharistiæ non habet authoritatem dispensandi, & in hoc conuenit hæc opinio cum secunda sententia; secundum quòd dicit est, quòd in illo casu Summus Pontifex poterit interpretari ius diuinum, & declarare quòd in illo casu non procedit diuinum præceptum de integritate Eucharistiæ perficienda, probatur, quoniam in multis casibus côtingit huiusmodi interpretatio, & declaratio diuini iuris, verbi gratia. Residẽtia Episcoporum suis in dięcesibus est præcepta diuino iure, & in Conc. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformatione interpretatur ius diuinum non procedere in quibusdam casibus ibidem expressis. *Conc. Trid.*

Et confirmatur. Integritas sacramenti pœnitentiæ quatenus constat confessione, absolutione, & satisfactione est præcepta diuino iure, & tamen hoc ius diuinum interpretatum est ab Ecclesia, non procedere in casu extremæ necessitatis, nam instante morte pœnitentis, potest illi, & debet conferri absolutio, nulla satisfactione imposita; similiter de iure diuino est necessaria integra peccatorum confessio, vt pœnitens possit absolui, & tamen ex Ecclesiæ interpretatione istud ius non habet locum in extrema necessitate, in qua cum primum sacerdos audierit vnum peccatum etiam leuissimum, potest, & debet absoluere pœnitentem, ergo quamuis integritas Eucharistiæ sit ex diuino iure absolute loquendo, poterit Ecclesia interpretari tale ius, & declarare illud non habere locum in isto casu extraordinario propter communem vtilitatem illius Prouinciæ. Hanc sententiam docet Palatius in 4. d. 11. disput. 3. *Palatius.*

Pro resolutione dico primo, omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, vnde existimo quòd Summus Pontifex, si casus ille contingeret posset absque scrupulo sequi quamlibet harum opinionum. *1 Conclusio*

Dico secundo, quòd secunda opinio est probabilior prima, quoniam probabilius est in Ecclesia esse authoritatem ad interpretandum ius diuinum, quam ad dispensandum in ipso iure; minus enim est interpretari, quam dispensare, quomodo autem differant interpretatio, & dispensatio nô est huius loci explicare, pro nunc dico breuiter, quòd dispensatio consistit in hoc quòd in eo casu, in quo lex obligat eximitur aliquis ab obligatione legis permanente ipsa lege in suo vigore, verbi gratia, si modo Pontifex deobligaret me ab obligatione ecclesiastici ieiunij, vere dispensaret mecum in lege ieiunij. Cæterum interpretatio côsistit, quòd declarat Pontifex legem communem non se extendere ad talem casum, neque ad talem materiam, verbi gratia, cum Prælatus declaret infirmum aliquem non teneri ad ieiunium, tunc non dispensat in lege ieiunij, sed interpretatur hanc legem non obligare infirmum. *2 Conclusio*

Dico tertio, secunda opinio est longe probabilior cæteris, secundũ quam dicendum est, ꝙ in Ecclesia neq; est potestas ad dispensandum super integritatem Eucharistiæ, vt probant argumenta quæ fecimus pro hac sententia, neque etiam ad interpretandum, ius diuinum non procedere in casu huius dubij, aut in quouis alio casu, quoniam interpretatio iuris in eo tantum casu locum habet, in quo est dubium, vel vt melius dicam, ferè certum ius non extendi ad talem casum, at si simul supponamus id, quod nobis videtur vero similius integritatem vtriusq; speciei esse necessariam ad essentiam specificam sacramenti Eucharistiæ non est dubium an ius diuinum, quod præcipit hãc integritatẽ procedat in istis casibus; imò vero est certissimũ illud procedere, quia essentia specifica cuiuscumque sacramenti in omni casu saluari debet, & præferenda est cuicumque necessitati, neque Ecclesia authoritatem habet ad ius mutandum, vt retulimus ex Conc. Trid. *3. Conclusio*

Tandè dico, ꝙ casus de quo disputamus in præsenti, nullo modo est admittendus existimo.n. pertinere ad diuinã prouidẽtiam, ꝙ ad omnem illam Prouinciam, ad quã peruenit fides possunt peruenire omnes materiæ sacramentorum, illorum præsertim, quæ sunt necessaria ad salutẽ, quoniam hęc sacramenta sunt fundamenta religionis Christianæ; Vnde disponente Deo cum primum Insulani receperunt fidem plantauerunt vineas, & seminauerũt triticum, & prædicatores, qui ex Hispania illuc accesserunt habuerunt semper materiam sufficientem ad consecrandum corpus, & sanguinem Christi, vide Alex. vbi supra. *4 Conclusio*

Vnde ad argumenta primæ opinionis, quatenus procedunt contra nostram sententiam respondetur, & ad primum, ꝙ Summus Pontifex sequutus est opinionem probabilem, vel dispensando, vel interpretando.

Ad secundum respondetur, quòd Authores illi retulerunt dicta aliorum, quæ vulgo circumferebantur, quare non est illis tanta fides adhibenda, eo vel maximè quod varient in referendo Pontificem, nam quidam dicunt, ꝙ fuit Innocentius 8. & quidam ꝙ fuit Innocentius iiij.

Ad secundum nego consequentiam, quia sacerdos instituitur in sacrificium tanquam in finem, non autem requiritur, ꝙ quotiescunque medium in re existat etiam finis, vt patet in medicina respectu salutis futuræ, sed satis est ꝙ medium ordinetur de se in consequutionem, aut positionem talis finis; Secundo respondetur, quòd nostra sententia nunquam dabit sacerdotium vt lex, quin etiam detur materia sufficiens actu, vel proxime ipsorum sacramentorum.

Ad tertium respondetur, ꝙ in tali casu mutaretur substantia Eucharistiæ, quæ vt supra diximus essentialiter includit vtramque speciem panis, & vini continentes Christum.

Ad quartum nego antecedens, sed est de iure diuino, vt constat per traditionem Ecclesię tempore Apostolorum & per dicta Pontificum, & decreta Conciliorũ, qua referunt Auctores supra citati pro nostra sententia.

Ad confirmationẽ respondetur esse magnum discrimen inter votum, & iuramentũ, quæ dispensantur, & interpretantur à Prælato, quia votum, & iuramentum pendent à voluntate humana, quæ voluntariè se subiecit superiori, aut legi, atque ita Prælatus congruenter potest interpretari, & dispensare in illis. Integritas verò Eucharistiæ à sola voluntate Christi instituentis pendet. Ad illud de matrimonio respondetur similiter, ꝙ ea ex parte, qua est contractus quidam naturalis, & moralis, qui fit inter homines subiectos Prælato, aut superiori potest superior dispensare super matrimoniũ ratum non consummatum, & potest declarare materiam huius contractus reddendo inhabiles, aut verò habiles personas contrahentes.

Ad quintum respondetur, ꝙ est sophisma, quia si daretur Prouincia in qua non esset possibile asportare vinum, neutrum præceptum obligaret de facto, neq; aliquis teneretur pro illo tunc consecrare, aut in consecrando seruare integritatem, sicut si non esset possibilis aqua, & sacerdos deobligaretur ad baptizandum de facto, esto ꝙ esset homo; quia baptismum peteret.

Ad argumenta tertiæ opinionis, quatenus ex parte procedunt contra nostram sententiam, respondetur, & ad primum quòd Summus Pontifex, sicut non potest dispensare super integritatem Eucharistiæ, ita neque potest interpretari, aut mutare, quæ ad eandem integritatem pertinent, & ex nostra sententia secundum ius diuinum iam determinatum est, quòd vtraque species requiratur.

Ad illud verò de residentia Episcoporum, ꝙ est de iure diuino, moraliter tamen interpretandum est illud præceptum, atq; ita pro temporum diuersitate personarum, aut locorum poterit Pontifex dispensare cum Episcopis aliquo modo, aut verum modum residentiæ declarare.

Ad illud autem de satisfactione, & integritate confessionis, respondetur, ꝙ in casibus commemoratis salua manet essentia confessionis, quia est materia requisita, & superuenit absolutio, veruntamen si consecratio fiat in sola vnica specie non manet integra essentialis ratio Eucharistiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum de necessitate huius sacramenti sit, vt materia consecranda sit præsens Ministro consecranti.

PArs negatiua probatur primo, hostia, quę latet sub aceruo multarum hostiarum non est pręsens sacerdoti consecranti, & tamen consecrari potest, & de facto multoties cõsecratur à sacerdotibus, ergo & c. maior probatur. Illa hostia non percipitur à sacerdote per aliquẽ sensum, ergo non est illi præsens præsentia sensibili.

Et confirmatur, huiusmodi hostia non est magis præsens sacerdoti, quam si esset illi à tergo, vel post parietem, at si esset post parietẽ, vel à tergo non esset illi præsens, ergo &c.

Secundo arguitur: necessitas præsentialitatis non colligitur ex facto Christi, quoniam si ad factum Christi recurrimus non solum præsentia censenda esset necessaria, sed necessarium esset, ꝙ sacerdos manu teneret materiam consecrandam, etenim Christus Dominus accepit panem, & vinum cum consecrauit, neq; colligitur ex forma huius sacramenti, quoniam iuxta probabilem sententiam verba in forma huius sacramenti accipiuntur recitatiuè, & non ostensiuè, ergo sine ratione colligitur ista necessitas.

Tertio arguitur. Ex dispensatione Summi Pontificis sacerdos cæcus potest conficere hoc sacramentum vt Soto d. *Sotus.*
9. q. 1. art. 2. testatur fuisse factum apud Tridentum, ergo præsentia materiæ non est necessaria, probatur consequentia, quia in illo casu materia vini nullo sensu perciperetur à sacerdote consecrante, ergo non esset illi præsens.

Quarto arguitur. Si præsentia materiæ est per se necessaria ad cõsecrationem, sequitur ꝙ etiam sit per se necessaria determinatio materiæ ad certam quantitatem, consequẽs est falsum, vt videbimus in sequenti art. ergo & antecedẽs, probatur sequela; determinatio materiæ ad certam quantitatem est per se requisita, vt materia sit præsens, etenim si materia sit in magna quantitate, non poterit tota esse præsens humano cõspectui, ergo sicut est necessaria per se præsentia materiæ, ita erit necessaria determinatio materię per se requisita ad præsentialitatem.

In hoc dubio Ioan. Maior d. 11. q. 2. docet præsentiã non *Maior.*
esse simpliciter necessariam ad consecrationem, solent citari pro hac sententia Marsilius, & Ledesma, sed oppositũ docent, quapropter hic Auctor singularis est pro hac sententia sic igitur

Prima concl. Præsentia materiæ est simpliciter necessaria *1. Conclusio*
ad consecrationem: ista conclusio est communis omnibus
Theologis excepto vno Maiore, sic docet D. Thom. in 4. d. *D. Thom.*
11. q. 2. art. 1. & in 3. p. q. 74. art. 2. Durand. q. 6. nu. 6. Sotus *Durandus.* *Sotus.*
d. 9 art 2. q. 1. Gab. lect. 35. in Can. & omnes Thomistę. Vn- *Gabriel.*
de suspicor ꝙ opposita sententia nõ potest affirmari absq; aliqua temeritate, eo quod in re graui discedit à sententia omnium Theologorum.

Probatur primo, Pronomina, quæ habentur in forma huius sacramenti faciunt ostensionem materiæ consecrandæ, hæc autem ostensio non potest verificari absq; præsentia materiæ, ergo, &c. Dices, ꝙ ostensio potest fieri ad intellectum, ac proinde non erit necessaria præsentia materiæ. Contra hoc arguitur, Ostensio quæ fit his pronominibus secundum communem vsum loquentium non est ad intellectum, sed ad sensum; verba autem sacramenti accipienda sunt iuxta communem vsum loquendi, ergo &c. Et confirmatur. sacramentum ex natura sua est quid sensibile, ergo ostensio quæ fit per verba sacramentalia non est ad intellectum, sed ad sensum.

Secundo probatur, ꝙ attinet ad ostẽsionem eodem modo se habet materia huius sacramenti ad hoc sacramẽtum, sicut subiectum susceptiuũ aliorum sacramentorum se habet ad alia sacramenta, sed in alijs sacramentis requiritur præsentialitas subiecti suscipientis; non n. baptizari potest, qui non fuerit præsens baptizanti, neque absolui, qui non sit præsens absoluenti, vt colligitur ex formis horum sacramentorum. Ego te baptizo, Ego te absoluo; Verum est ꝙ in sacramento matrimonij accomodatur contractui naturali, qui non requirit hanc præsentialitatem.

Vltimò probatur concl. nam aliàs sequeretur ꝙ sacerdos existens Florentię posset consecrare hostiam existentẽ Romæ, consequens aũt est absurdum, & contra consuetudinẽ Ecclesiæ, inauditũ est n. in Ecclesia quod aliquo modo facta fuerit consecratio nisi super materiã pręsentẽ, ergo &c.

Secunda concl. Non requiritur præsentia realis ad hoc *2. Conclusio*
sacramentum, sed sufficit, & requiritur præsentia moralis, ista concl. est communis omnibus Theologis supra citatis, & explicatur primo quo ad priorem partẽ, pręsentia Physica, seu realis in hoc consistit, quod obiectum actu percipiatur aliquo sensu, sed non requiritur ad hoc sacramentum, quòd materia consecrata percipiatur actu à sacerdote per aliquem sensum, vt probant efficaciter aliqua argumenta ex his, quæ proposuimus in initio dubij, & docent communiter Theologi locis citatis, ergo &c.

Explicatur autem secunda pars conclusionis, necessaria est præsentia materiæ in hoc sacramento, vt diximus

Digitized by Google

mus in prima conclusione, sed non requiritur præsentia physica, ergo sufficit, & requiritur præsentia moralis; dixi & requiritur, quoniam præsentia sola physica nisi adsit simul præsentia moralis non sufficit, verbi gratia, si sacerdos videat hostiam ad mille passus non potest illam consecrare, nec factum tenebit si attentauerit, quoniam licet hostia sit illi præsens physice non tamen est præsens moraliter. Quid autem requiratur ad præsentiam moralem vix potest certa regula statui, sed recurrendum est ad commune iudicium prudentium, itaque illa hostia erit moraliter præsens sacerdoti, quæ secundum communem explicationem hominum censebitur præsens.

Potest autem vtcumque præsentia moralis in hunc modum explicari, quod illa materia est præsens, quæ facili negocio quantum est ex se, & ex dispositione, quam habet respectu sacerdotis potest percipi à sacerdote per aliquem sensum, & præterea est in tali dispositione constituta, quod est apta materia, circa quam sacerdos potest operari, ita quod est intra sphæram actiuitatis moralis sacerdotis consecrantis.

Ex quo sequitur primo requiri, quod materia sit aliquo modo coram sacerdote, & non omnino à tergo, ita sentit D. Thom. vbi supra, & consequuntur omnes Theologi excepto Maiore. Dixi aliquo modo, quia licet non esset coram facie, si tamen digito, vel aliquo alio signo indicaretur, esset sufficienter præsens, & satis proprie designari posset hoc pronomine hoc; quia aliquo modo iam res ipsa est coram sacerdote, quia ad illam ex parte se conuertit.

D. Thom.

Secundo requiritur, vt non sit nimis distans, etiam si oculis videri possit, quia res valde distans proprius designatur pronomine illud, quam hoc, tum quia illa præsentia magis est speculatiua in ordine ad cognitionem, quam practica, & in ordine ad operationem qualis hic requiritur.

Et ex his sequitur tertio, quod poterit quandoque constare materiam alicuius sacramenti esse præsentem moraliter sacerdoti, quando videlicet omnes viri prudentes iudicant illam esse præsentem; quandoque vero res ista erit dubia, nempe quando viri prudentes non omnes eodem modo sentiunt, sed quidam aiunt esse præsentem, quidam negant, alij vero dubitant, & in tali casu peccabit mortaliter sacerdos si attentauerit consecrare talem materiam, si tamen de facto in tali dubio materia fuerit præsens constabit, & valebit eius consecratio, (quamuis forte sacerdos, sed dubio illam consecrauit) faciens tamen quod poterat; ita quod quamuis in tali casu grauissime peccet sacerdos, nihilominus non est simpliciter necessarium, quod sacerdos sit moraliter certus de præsentia materiæ, sed satis fuerit quod intendat consecrare illam materiam si consecrabilis est ibi illo, vt constet substantia sacramenti, sicut in alijs sacramentis communiter docent Theologi, asserentes sufficere quandoque voluntatem conditionatam ministri, vt in baptismo, si non es baptizatus ego te baptizo, &c.

Ad argumenta respondetur, & ad primum, quod hostia latens sub aceruo hostiarum secundum communem æstimationem est sine dubio moraliter præsens. Ad confirmationem dico, quod hostia, quæ est à tergo sacerdotis, moraliter non est præsens, eo quod quantum est ex parte ipsius non est in ea dispositione, vt possit percipi à sacerdote, & possit sacerdos circa illam operari, & multo minus erit præsens si fuerit post parietem. Dubitant tñ Theologi, an si sacerdos teneret manu hostiã à tergo positam illa hostia censeri debeat p̃sens moraliter, atq; ibi posita possit cõsecrari; Non desunt, qui docent affirmatiuam sententiam, quoniã id quod manu tenetur in quacumq; sit dispositione, & distantia censetur moraliter præsens ipsi tenenti. Alijs vero pluribus Theologis opposita placet sententia, & certe videtur illis fauere communis existimatio, nam id quod est à tergo non solet præsens reputari, etiam si percipiatur aliquo sensu, verbi gratia, auditu, vel olfactu, & huic sentẽtiæ adhæreo, & inclino; Verum tamen si in tali casu sacerdos attentauerit, illa materia habenda est in veneratione, non enim certe constat illam non esse consecratam.

Ad secundum argumentum respondetur, quod ista veritas non colligitur ex facto Christi, vt argumẽtum probat, colligitur tamen ex ipsa significatione verborum, quæ in forma continentur; falsum enim est omnino, quod verba formalia huius sacramenti non accipiantur significatiue, sed pure materialiter, & recitatiue, vt diximus supra. Præterea dico, quod si illa opinio præsupponatur vera, dicendum est, quod hæc veritas habetur ex communi intelligentia Doctorum, imò & totius Ecclesiæ, quæ semper intellexit hoc sacramentum non posse celebrari, nisi super materiam moraliter præsentem.

Ad tertium dico, quod argumentum probat primam partem secundæ concl. & in illo casu sacerdos absque peccato poterat celebrare etiam si nullo sensu perciperet materiam, dum tamen haberet moralem certitudinem præsentiæ ipsius materiæ vndecumque proueniret illa certitudo, imo absque aliqua dispensatione sacerdos qui potest propriis oculis hostiam, quam nullo sensu percipit, sed ex relatione fide digna cognoscit esse præsentem, vt solet contingere quando consecrantur multæ hostiæ ad communicandum populum.

Ad vltimum nego sequelam, & ad probationem alijs omissis, dico, quod necessitas præsentiæ prouenit ex propria ratione huius sacramenti, ita, quod virtus sacramentalis Christi institutione determinata est ad materiam præsentem, vnde præsentia materiæ per se est necessaria ad hoc sacramentum; cæterum si determinatio materiæ secundum quantitatem forsitan simpliciter est necessaria, vt materia possit esse præsens sacerdoti, id non prouenit ex propria ratione, & virtute huius sacramenti: nam si per impossibile ingens materia fiat præsens sacerdoti, virtus sacramentalis potens est ad consecrandam totam illam materiam, sed illud prouenit ab extrinseco, nimirum ex debilitate humani sensus, cuius non potest subijci per modum præsentialitatis moralis nisi limitata, & determinata materia, quod est prorsus extrinsecum determinationis materiæ, & per accidens ad rationem huius sacramenti, ita, quod non ex eodem principio oritur necessitas præsentialitatis materię, & necessitas determinationis ipsius, quo ad quantitatem, atque adeo non valet illa consequentia argumenti.

ARTICVLVS V.

Vtrum requiratur determinata quantitas ad materiam Eucharistiæ.

NOn loquimur hic de materia certa in indiuiduo, & in particulari, cuius certitudo, seu definitio ex intentione consecrantis sumenda est, sed loquimur de materia determinata secundum magnitudinem, & secundum paruitatem, hoc est, an tanta materia possit assignari, quam non possit sacerdos consecrare, aut vero, ita exiguam, & paruam, quod similiter eam consecrare non possit, sicut enim Philosophi agentes de proprietatibus rei naturalis distinguunt duos terminos quantitatis, scilicet, magnitudinis, & paruitatis, ita Theologi in præsenti materia eosdem inquirunt, vt explicent quanta sit materia, quæ consecrari potest; Vnde obseruand. est primo, quod non agimus hic de materia apta ad conuenientem modum, supponimus enim in hac re sumendum esse vsum Ecclesiæ, & non esse permagnam aliquam quantitatem consecrandam, quia esset præter finem, & contra reuerentiam debitam huic sacramento, agimus ergo de his, quæ necessaria sunt, vt consecratio teneat.

Secundo obseruand. est dupliciter considerari posse hanc quantitatem panis, & vini, vel per se separatam, vel vt coniunctam alijs partibus totius, in quo dupliciter potest intelligi consecrari pars, primo sola ipsa, secundo simul cum toto, hoc ergo posteriori modo si pars existens in toto simul cum toto consecretur nulla erit adeo modica, vt minor consecrari non possit, quia sicut ex philosophia cõstat in toto non datur pars minima, atque ita certum est in Theologia consecrata tota hostia consecrari omnes, & singulas partes, nec signari posse quantitatem minimam cõsecratam, quin sub quacumque minori totus Christus existat, quo ergo ad paruitatem materiæ duplex est dubitatio, prima an panis per se separatus possit in quacumque minima quantitate consecrari, secunda an pars existens in toto, possit in illo consecrari in quacumque minima quantitate non consecrato toto pane, loquor autem, exempli gratia, de pane, nam in omnibus eadem est ratio de vino. His

suppo-

Digitized by Google

suppositis arguitur pro parte affirmatiua. Virtus sacerdotis determinata est, & effectus Eucharistiæ similiter, ergo & materia. consequentia patet, quia materia præcipue concurrit ad essentiam sacramenti, imò virtus, & effectus extrinsece se habent ad materiam Eucharistiæ. Confirmatur, quia sacramētum hoc habet determinatam essentiam, sicut res aliæ naturales, ergo determinat sibi certam quantitatem materiæ, probatur consequentia: quia ideo res naturales sunt determinatę quantitatis, quia sunt determinatæ essentiæ, & quia habent determinatam formam, ergo si Eucharistia est determinatæ essentiæ, & habet formam determinatam, habebit etiam determinatam materiam.

Secundo arguitur ex forma consecrationis, quæ fit medijs pronominibus demonstrantibus materiam, ergo materia huius illa debet esse, quæ possit demonstrari, ac subinde determinata necessario esse debet; & idem colligitur ex consecratione calicis, quia dicitur. Hic calix, &c. manifestum est enim quod vinum inclusum vase debet esse determinatæ quantitatis, quocirca cum consecratio ex forma ostendat vinum, existens citra calicem determinabit materiam.

Et confirmatur, quoniam, vt diximus supra, cōsecratio debet fieri ad materiam distantem intra certum locum, ergo multo magis erit ad determinatam materiam, probatur consequentia, quia magis requiritur materia ad Eucharistiam, quam certus locus in quo existat.

Tertio arguitur. Tanta potest esse paruitas vini, vt nullatenus percipiatur ab aliquo sensu, ergo saltem quo ad paruitatem requiritur determinata materia Eucharistiæ, antecedens patet, quia tam exigua portio vini potest esse, vt eius color non videatur, & reliquæ qualitates non possint experiri, neque per tactum, neque per gustum; ergo, &c. consequentia patet: quia de essentia sacramenti est quod sit signum sensibile, vt supra diximus.

Quarto, si non requireretur determinata materia, hoc potissimum esset ex vsu, & indeterminatione finis Eucharistiæ, sed hæc ratio nulla est, ergo, &c. Maior est Theologorum sententia, qui ex vsu, & indeterminatione finis Eucharistiæ colligunt indeterminationem materiæ, minor probatur, hostiæ, quæ modo sunt necessario sunt determinatæ, & in quantitate continua, & etiam in numero similiter, quæ antea consecratæ sunt, & quæ post modum consecrabuntur, & sunt determinata, & tamen vsus fidelium, & numerus illorum illimitatus est, vt docet D. Thom. ergo male ex indeterminatione finis colligitur indeterminatio materiæ. *D. Thomas.* Et si dicatur, quod etiam fideles, & vsus illorum est determinatus de facto, non tamen de possibili. Contra eadem ratione colligitur, quod panis materia, aquæ, & reliquorum, quæ ordinantur à Deo in vsum, & sustentationem hominum, & animalium non sit determinata, neque determinatam habeant quantitatem, probatur, quia similiter finis, & vsus illorum est illimitatus de possibili.

In hoc dubio est sententia Palud. in 4 distin. vndecima, *Paludanus.* quæst. 3. art. secundo, concl. prima, quod materia Eucharistiæ est determinata quantum ad magnitudinem, ita vt possit dari tanta quantitas panis, vt in illa non possit fieri consecratio; & si quęras à Paludano quanta sit hæc determinata materia, respondet, quod ignoratur ab hominibus, Deus tamen solus cognoscit illam.

Ale de Ales D. Bonau. Alexand. de Ales p. 4. quæst. decima, memb. quarto, articulo secundo §. 6. quem sequitur D. Bonauentura in quarto, dist. decima, par. 1. art. 1. quæst. 4. dicit, quod non est data virtus verbis conuertendi elementa cuiuscumque quantitatis, sed solummodo elementa alicuius quantitatis, super quæ rationabiliter conuerteretur intētio ordinata, quæ conformis est aliquo modo intentioni Ecclesiæ; Ecclesia autem nullo modo intenderet consecrare totum panem, qui est in foro, sed solum qui potest sumi à fidelibus; Dicit *Hugo.* enim Hugo ex quo quodlibet sacramentū contra institutionē celebratur irritum reputatur. Vnde inquit (licet sine assertione) quod in hoc sacramento etiam requiritur intentio conficiendi, vt sumatur in vsum, nec sufficit intentio consecrandi simpliciter, sed requiritur intentio consecrandi, vt sumatur in vsum, quod videtur ex forma tradita à Domino dicente. Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum; Vnde sicut intentio Domini dantis formam consecrandi fuit, vt sumatur, ita est intentio Ecclesiæ, & debet esse cuiuscumq; sacerdotis: quia igitur si aliquis intēderet consecrare totum panē qui est in furno, vel foro nullo modo conformaret intentionem suam intentioni Ecclesiæ nō consecraret. Hæc Alexād. quam opinionem sequitur etiam Ang. verbo Euch. 1. §. 25. Maior etiam dist. vndecima, q. 1. concl. 1. tenet dari certum terminum in quantitate maxima, quia sphęra actiuitatis verborum habet certum terminum, cum verba sint agens finitum. *Angelus. Maior.*

Si autem sit sermo quo ad minimum, fuit opinio Maioris loco supracitato dicentis, quod versus minimum datur terminata materia consecrationis, ita vt possit separari à vino portio ita exigua, quæ non possit consecrari, & mouetur tertio argumento, concedit tamen quod eadem portio intra totum poterit consecrari, ex quo infert duo corollaria, primum quod sacerdos poterit consecrare partes pares hostiæ relictis imparibus; secundum est, quod non potest totaliter fieri consecratio ista, quod dentur infinitæ partes actu separatæ, & diuisæ intra totum. *Maior.*

Oppositam sententiam tenent Alexand. vbi supra, ad secundum D. Thom. 3. p. quæst. 73. artic. secundo, D. Bonauentura, vbi supra, ad vltimum Durand. dist. vndecima, qō. sexta, Gabriel quæstione secunda, art. tertio, & reliqui fere omnes. *Ale de Ales D. Bonau. Durand. Gabriel.*

Pro huius resolutione sit prima concl. Per se, & ex vi formæ, & potestatis, quæ est in ministro potest consecrari quæcumque materia absque vllo termino magnitudinis, quia ex fide habemus dedisse Christum sacerdotibus potestatem consecrandi panem, & nulla authoritate, aut traditione, vel alio principio constat limitasse hanc potestatē ad certum terminum, sed potius simpliciter, & indefinite illam tradidisse, ergo, &c. Et confirmatur, quia panis in tanta quātitate est verus panis, ergo est sufficiens materia subiecta huic potestati, quia fides nihil aliud docet quam panem esse materiam. *1. Conclusio.*

Secundo arguitur specialiter contra Palud. sequeretur enim ex sententia illius, quod nullus sacerdos posset consecrare licite omnes hostias, quæ requiruntur ad communionem totius vnius populi, aut exercitus, consequens est falsum, ergo, &c. sequela patet, quia tu dicis numerum materiæ sacramenti esse in se determinatum, licet Deus solus cognoscat illum, ergo sacerdos consecrans tantam copiam formularum, quæ requiritur ad exercitum exponit se periculo excedendi numerum hostiarum determinatum in te, ac subinde illicitè hoc faceret, imò etiam sequeretur, quod Ecclesia vsque nunc deficeret in necessarijs circa materiam huius sacramenti, quod non est admittendum, probatur sequela, quia si numerus, & quantitas Eucharistiæ debent determinari in re, & nos ignoramus vsque nunc, deficit Ecclesia in non explicanda re grauissima.

Tertio arguitur contra Alexand. quia si coniectura Alens. aliquid valeret, etiam probaret per multas cōsecrationes non posse confici nisi certam quantitatem panis vsui fidelium sufficientem, quod est euidenter falsum, tum quia de fide certum est sacerdotem vere conficere etiam si post primam, aut secundam consecrationem, vel post quemcūque numerum consecrationum conficiat, quia valor præsentis sacramenti non pendet ex præterito, nisi quis fortasse dicat præsentem consecrationem non esse validam, nisi vel materia panis iam consecrata consumpta sit, vel præsens sit ad vsum necessaria, quod absurdissimum est, contra vim verborum, & totius ecclesiæ sensum, quia valor sacramenti non pendet ex circumstantijs extrinsecis, & futuro euentu, sed ex proprijs principijs & causis, atque adeo si adsit uera materia, & forma, & minister cum debita intentione conficietur sacramentum, etiam si ab eodem, vel á diuersis sacerdotibus consecrationes in infinitum multiplicentur, seu repetantur. Constat autem per se loquendo omnem materiam quæ pluribus consecrationibus confici potest, si tota simul præsens fiat, vnica verborum consecratione posse etiam consecrari, quia tota potest signari pronomine hoc.

Secunda conclusio. Si magnitudo materiæ tanta esse fingatur, vt non possit tota simul fieri moraliter præsens, verbi gratia, si daretur congeries panis, qua ab hinc versus occidentem protenderetur per mille milliaria, in tali casu sacerdos non posset consecrare totam illam materiam. hæc concl. est S. Thomæ opusculo 59. cap. quinto, Richar. dist. decima, artic. primo, quæst. prima, & Durand. d. 11. q. 6. *2. Conclusio. D. Thom. Rich. Durand.*

hæc

Digitized by Google

hæc conclus. constat ex supradictis, quia hæc præsentia est conditio necessaria, vt forma consecrationis locum habere possit, si autem per miraculum Deus faceret, quod tota hęc substantia fieret præsens sacerdoti, absque dubio consecraret illam, etiam si esset infinita. Sed quid si sacerdos attentaret consecrare totum illum panem, vtrum saltem partes sibi proximas, & præsentes consecraret? Respondetur, quod si intendat consecrare totum panem non apponendo aliam conditionem non magis manet consecratus, quam si existeret Romæ, & hic proferantur verba; verum tamen si limitet intentionem dicendo, volo consecrare totum panem si possum, sin minus volo ex parte, quod possum cōsecrare, crederem, quod manerent consecratæ omnes partes, quæ essent præsentes ipsi sacerdoti.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Panis consecrari potest in quacumque quantitate minima, quæ humanis sensibus obijci potest hac concl. ex Alex. D. Thom. D. Bonau. & Gab. locis supracitatis, & ratio est, quia licet quantitas sit minima, tamen panis est verus, & si potest obijci sensibus potest per formam signari, & potest esse signum sensibile, paruitas etiā quantitatis nō obstat, quo minus sub illa forma totus Christus existere possit, vt de facto constat de partibus coniunctis in toto, vel etiam separatis post consecrationem totius, ergo nihil hic deest ad materiæ veritatem.

4. Conclusio. Quarta concl. Si detur panis in tam parua quantitate, quod non posset sensibus obijci, licet conseruari posset, tamen non posset esse consecrationis materia; hæc concl. est contra nonnullos Thomistas, qui dicunt illam exiguam particulam panis per accidens non posse consecrari, quia non potest videri, tamen per se loquendo posse, ita vt si diuina virtute fieret, vt sacerdos certo sciret, aut crederet talē particulam panis esse in patena, posset in illo consecratio fieri, quia talis quantitas posset in toto consecrari, & separata maneret consecrata, ergo eadem ratione posset consecrari per se separata; nihilominus dicendum est illam materiam non esse aptam ad consecrationem, & ratio est, quia supponimus obiectum esse tam paruum, vt sit extra naturale obiectum visus humani, etiam si perfectissimus, & acutissimus sit in sua specie, est ergo illa res humano modo insensibilis, ergo ex hac parte non est sufficiens materia sacramenti, & præterea non potest pronomine hoc, sensibiliter demonstrari, ergo etiam ex parte formæ non potest in ea confici.

Ad confirmationem dico esse discrimen inter fieri, & factum esse in hoc sacramento, nam ut fiat necesse est totam materiam esse sensibiliter præsentem ministro, & posse sensibus demonstrari pronomine hoc; accidere autem potest vt particula aliqua sit adeo exigua, vt non possit fieri materia hoc modo præsens, nec capax sit, vt in ea cadat forma; at vero postquam materia consecrata est, & postea separatur in quantitate nimis parua, nam non est necessaria prolatio formæ nec pręsentia, vt ibi Christus conseruetur, atq; adeo quamdiu ibi conseruatur substantia panis, tam diu conseruatur præsentia corporis Christi, exemplum esse potest de anima rationali, quæ per se separata consecrari non potest, seu charactere signari, coniuncta autem corpori, & quodammodo sensibilis effecta consecrari potest, & postea separata consecrationem retinet.

5. Conclusio. Quinta concl. Licet non sit determinata materia huius sacramenti modo iam explicato, necessario tamen intentio ministri debet tendere in materiam determinatam, quod si non determinet materiam ex intentione, consecratio nō tenet, probatur quia intentio ministri necessaria est, & intrinseca, vt consecratio teneat, intentio autem ista determinata est, ergo debet determinare materiam, probatur consequentia, quia intētio determinatur potissime ex obiecto, & materia; Ex quo sequitur, quod non posset sacerdos consecrare partes impares hostiæ, quia istæ sunt illimitatę; sequitur etiam, quod non possit consecrare materiam, quæ sibi non constat, quia cum non constet determinatio illius, vt respondet intentioni consecrantis non est determinata moraliter, quamuis forsitan physice determinata sit; non tamen ita intelligenda sunt ista, quod sacerdos debeat numerare hostias, seu formulas, sed satisfuerit, quod cognoscat terminum moraliter illius materiæ, ita vt possit dicere determinate Hoc est corpus meum de tota materia sibi apposita.

Tertio sequitur, quod si sacerdos designet numerum hostiarum non tamen determinet illas in particulari. v. g. si appositis pluribus formulis, id est, si habeat præsentes octo hostias, & intendat consecrare sex tantum in particulari in confuso non determinando illas, cōsecratio est nulla; quia materia illa non est definita, item illæ non consecrauit omnes, quia non intendit, neque has potius quam illas, quia non est maior ratio, ergo, &c. Ita docent omnes Theologi. Idem erit iudicium si sacerdos dicat volo consecrare 8. formulas, & credidit 8. tantum se accepisse, & postmodum reperiantur nouem, quia omnibus consideratis circumstantijs in re manet materia moraliter illimitata; secus est si sacerdos existimaret falso, quod ibi solum essent 8. & nihilominus absolutè, & non limitando suam intentionem profert verba super totam materiam sibi præsentem, quia tūc per accidens se habet ignorantia numeri hostiarum, & virtualiter volt consecrare vltra 8. si quidem absolutè protulit formam super totam materiam præsentem. Ex quo patet ad casum communem, si sacerdos existimans se solum deferre vnam hostiam ad altare, duas tamen complicatas deferat, & intendat consecrare, vt communiter consecramus supponentes habere vnicam hostiam quicquid dicat Ioan. Maioris consecrabuntur illæ duæ hostiæ; quia non determinatur intentio sacerdotis ad vnam illarum excludendo aliam; nam illa est priuata deceptio, quæ non tollit intentionem debitam, quæ esse debet, & moraliter est circa hāc materiam præsentem prout in re proponitur, secus esset si præcise vellet minister consecrare hostiam, quam oculis videt, sed hoc nec fit, nec fieri debet.

Et idem iudicium fieri debet de intentione habenda circa materiam calicis, nam sacerdos intendere debet consecrare illud, quod per modum vnius continui intra calicem existit, vnde si aliquæ sint guttæ, vel extra calicem, vel etiā intra separatæ tamen à toto vino, verisimilius est non manere consecratas iuxta vsitatam, & debitam intentionem ministri, quod tamen multo certius est de tota materia, quæ extra calicem reperta fuerit.

Idem proportionabiliter iudicandum est si consecratio ex intentione sacerdotis feratur in partes panis, aut hostiæ, quam videlicet si partes signantur in particulari, & moraliter sint præsentes omnes, & singulas consecrabit, si autem ex intentione sacerdotis non signentur partes in particulari consecratio erit nulla, quo fit vt si sacerdos dicat volo consecrare alteram medietatem istius panis non determinans in particulari de ista, vel illa medietate, nullam consecrabit.

Similiter existimo probabile, quod si sacerdos intendat consecrare hanc medietatem in particulari, quatenus terminatur per lineam mathematicam, vbicumque illa fuerit, quod consecratio est inualida, quia non videtur hæc moralis designatio, quia vero oppositum dixerit probabiliter etiam loquetur, quia in se medietas hostiæ vera est, & mihi præsens, aut quod certius dicam reputabitur consecratio dubia, igitur moralis debet esse determinatio materiæ, quę requiritur, illa videlicet quæ sufficit, vt in communi vsu, & iudicio prudentum materia dicatur præsens, & determinata respectu huius actionis, & per modum cibi, & potus exposita.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum respondetur, quod quamuis virtus sacramentalis & in ministro, & in verbis consecrationis sit determinata, in principali tamen agente, scilicet, Deo est illimitata, & infinita, & hoc satis est, vt non expostulet necessario determinatam materiam, exemplum quemadmodum ad efficiendum miraculum est necessaria virtus infinita, satis tamen fuerit, quod in agente principali resideat hæc infinita virtus, & non est necessaria infinita in instrumento. Secundo potest dici, quod sicut non requiritur in igne maior virtus ad calefaciendum magnam materiam, quam illa, quæ sufficit ad paruam materiam, quoniam calor receptus in magna materia non differt in perfectione intensiua à calore suscepto in minori materia, sed tantum differt secundum extensionem, quæ est differentia secundum quid, ita eadem virtus sacramentalis, quæ sufficit ad conuertendam paruam substantiam panis in corpus Christi, sufficit ad conuertendam quamcumque magnam substantiam panis, quoniam secūda conuersio differt tantum extensiue à prima conuersione, negatur ergo consequentia argumenti.

Ad confirmationem respondetur, quod essentia Eucharistiæ

Digitized by Google

ritiæ formaliter loquendo est relatio rationis, ex qua non desumitur virtus huius sacramenti, sicut in rebus naturalibus virtus, & quantitas perfectionis sumitur ex essentia reali, vnde negatur consequentia.

Ad secundum argumentum, & ad primam eius partem respondetur, quod illa demonstratio, quæ fit per pronomina expostulat quidem determinationem materiæ, sed per accidens tamen, nimirum propter præsentialitatem, eo quod infirmitas humani sensus non potest sibi habere præsentem quamtamcumque materiam & ad quamcumque distantiam, sed necessario requirit aliquam determinationem, nam si attendamus tantum virtutem sacramẽtalem, quæ est consideratio per se, nulla requiritur determinatio materiæ; Ad secundam partem argumenti dicit Caietan. quod licet calix sit determinata mensura non inde colligitur, quod materia huius sacramenti sit determinata, nam sicut possumus consecrare plures hostias ita vt quod non tot, quin plures. Secundo dici potest, quod calix non denotat mensuram determinatam, sed potest esse maior, & maior in infinitum. Ad confirmationem negatur consequentia, ratio est, quoniam distãtia loci potest aliquo modo impedire consecrationem per accidens, quatenus impedit præsentialitatem materiæ.

Caietan.

Ad tertium dico, quod probat quartam concl. est tamen obseruand. quod vt minimum panis censeatur materia inepta consecrationis, non satis erit, quod non possit percipi per sensum ipsius consecrantis; sed requiritur, vt nullo humano sensu virtute naturali percipi possit, nam tunc semper esset imperceptibile sensu, saltem propter defectum cõditionis, quæ simpliciter est requisita ad sensationem, quæ conditio est debita extensio coloris, & aliarum sensibilium qualitatum, si autem naturaliter posset percipi ab aliquo sensu humano esset insensibile secundum quid dumtaxat, quod non impediret consecrationem. Et si quæras à me an si per Dei potentiam eleuaretur oculus ad videndum particulam illam minimam, quę naturaliter videri non potest, posset tunc consecrari? dico, quod sic: quia hic, & nunc iam sentitur, & potest tunc signo sensibili designari, nihil ergo deest ad veritatem sacramenti, & quod dixi de minimo dicendum est etiam de maxima, id est, si Deus eleuaret oculum, vt videret maximam illam quantitatẽ, ad quam oculus naturaliter pertingere non poterat.

Ad quartum dico, quod solutio ibidem assignata est sufficiens, ad replicam dicitur, quod alimenta necessaria ad vsum humanum licet de facto sint determinata in vniuerso, de possibili tamen nullam habent determinationem, sed possunt esse plura, & plura maiora, & sic in infinitum syncategorematice.

ARTICVLVS VI.

Vtrum requiratur ad materiam huius sacramenti, quod sit panis triticeus.

PRo huius difficultatis facili explicatione obseruand. est primo, quod panis ex triplici rerum genere confici solet, primo ex fructibus arborum, vt ex castaneis, ficubus, & amygdalis, &c. & apud Indos dicitur confici ex radicibus. Secundo ex leguminibus, vt ex fabis, &c. quæ in siliquis, aut leguminibus, vel folliculis crassioribus nascuntur. Tertio ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur, quamquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ falce metuntur, siue quæ habent culmum, & aristas, & grana; sine siliquis.

Panis ex triplici rerũ genere confici potest.

Secundo obseruand. est, panem factum ex fructibus, vel leguminibus non esse materiam consecrationis, & in hoc conueniunt omnes Theologi, quia hic non est panis simpliciter, sed secundum quid. Tota ergo quæstio reuocatur ad panem frumentaceum; Tertio obseruand. est, quod loquendo de pane tritico potest intelligi quæstio an panis triticeus sit materia sufficiens ad hoc sacramentum, vel an sit materia necessaria, ita quod panis, qui non sit triticeus non sit materia apta huius sacramenti.

Panis ex leguminib. nõ est materia Eucharistia

De hac re fuit aliquorum opinio totum frumenti genus sufficere ad huius sacramenti materiam, atque adeo panem siue triticeum, siue hordeaceum, vel similem esse conuenientem materiam huius sacramenti, ita Gabriel lect. 35 in canon. vbi refert Thomam ab Argentina d. 11. q. prima. Qui simpliciter affirmare non audet, negat tamen posse contrarium satis probari. Idem tenuit Caietan. tertia par. quæst. septuagesimaquarta, art. tertio, fundamenta esse possunt.

Gabriel.

Caietan.

Primo ex decretis in cap. Firmiter de summa Trinit. & in cap. Cum Marthæ de celeb. Missarum, & in cap. In sacramento de consec. d. 2. In quibus tantum habetur, quod panis est materia huius sacramenti, quod etiam colligitur ex huius sacramenti institutione, in qua tantum habetur Christum conuertisse panem in substantiam corporis sui, sed panis latius patet quam panis triticeus, ergo non est restringenda materia huius sacramenti ad solum panem triticeum, quoniam talis restrictio esset voluntaria, & sine fundamento, minor patet, quia ex alijs multis granis solet confici panis.

Secundo arguitur panis confectus ex frumento est vera materia huius sacramenti, sed frumentum non est idem, quod triticum, sed potius est genus ad ipsum, significat. n. quodcumque granum producens aristas, vt author est Plinius lib. 18. cap. sexto, suæ historiæ, ergo nõ solus panis triticeus est materia Eucharistię: maior cõstat, quia in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat dicens. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, ergo panis frumenti est materia huius sacramenti. Confirmatur ex cap. In sacramento supracitato, vbi inquit Pontifex, quod in hoc sacramento non est efficiendum aliud quam ex frumento, & vuis, ecce quod frumentum asserit esse materiam huius sacramenti.

Plinius.

Tertio arguitur. Non est certum Christum Dominum consecrasse panem triticeum, quin potius est valde probabile consecrasse panem hordeaceum, quoniam isto pane solebat Christus Dominus aliquando vti, vt patet Ioan. 6. ergo ex facto Christi non certè colligitur, quod tantum panis triticeus sit huius sacramenti materia, & per consequẽs absque firma ratione asseritur. Et cõfirmatur Io. 6. vbi Christus distribuit turbis quinq; panes hordeaceos, in illo miraculo præsignauit hoc sacramentum postea instituendum, vt ibidem aduertunt sacri interpretes, & colligitur ex ipso contextu, nam occasione sumpta ex illo miraculo, continuo Christus sermonem instituit de necessitate huius sacramenti, ergo valde probabiliter colligitur, quod panis hordeaceus est sufficiens materia Eucharistiæ.

Quarto arguitur, etiam si admittamus Christum Dominum consecrasse panem triticeum, non inde colligitur solum panem triticeum esse materiam huius sacramenti, ergo, &c. probatur antecedens, nam licet Christus consecrauerit vinum album, non inde colligitur solum vinum album, & non rubeum esse materiam Eucharistiæ; (supponimus enim disputationis gratia, quod consecrauerit vinũ album) nam idem argumentum fieret si consecrasset rubeum, ergo ex eo, quod consecrauit panem triticeum non sufficienter colligitur, quod hic solus panis sit materia Eucharistiæ. Et confirmatur. Satis probabile est, quod vinum album, & rubeum differunt specie, & nihilominus vtrumque vinum est sufficiens materia Eucharistiæ, ergo quamuis panis triticeus specie differat à pane ex alijs granis confecto, non sufficienter colligitur, quod solus panis triticeus sit materia Eucharistiæ.

Quinto arguitur. Materia huius sacramenti à Christo instituta est panis communis, & vsualis, vt docent omnes Doctores Theologi, sed panis vsualis, & communis nõ est idem in omnibus prouincijs: nam apud Indos orientales solus panis maiceus est in vsu, & referente Plinio lib. citato cap. 11. Aethiopes tantũ vtebantur pane hordeaceo, ergo omnis etiam panis, qui communis est, & vsualis est materia Eucharistiæ, quæ enim maior ratio est, vt panis, qui in vna Prouincia communis est debeat censeri materia Eucharistiæ, & non panis communis, & vsualis alterius Prouinciæ? Et confirmatur, quia vt docent Alens. & D. Thom. & D. Bonauentura, & alij Theologi in quibusdam Ecclesijs speltam consecrari in isto sacramento, at spelta granum est specie differens a tritico, vt D. Thom. fatetur, cum ergo non sit asserendum illas ecclesias errare in re tam graui cõsequenter credendum est non solum panem triticeum esse materiam Eucharistię.

Pro resolutione huius dubij sit prima concl. Solus panis triticeus est materia Eucharistiæ. hanc conclusionem docent

1. Con

Digitized by Google

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Rich. Scotus. cent vniuersi Theologi, Alexãd. de Ales p.4.q.10.memb.4. art.1.§. secundo,& quarto, D.Thom.3.p.quæst.74.artic.3. D.Bonauentura in 4.d.11.par. secunda, art. primo, q.4. Richard.dist.11.art.secundo, quæst.2.& Doct. subt. hic. & hęc conclusio iam hoc tempore tam certa, vt sine temeritate, & erroris periculo negari non possit. Vnde Gab. super canon. lect.35. licet multis argumentis conetur persuadere probabilem esse contrariam sententiam, tamen ab hac communi opinione recedere non audet.

Probatur primo ex cap.de sacramento de consec.d.2.& ex cap. Non oportet,& ex alijs capitulis,& potissima ratio huius est, quia Christus Dominus talem materiam consecrãdam instituit in signum, quod huius institutionis vsus est tali materia consecranda, vt constat ex Matth.26. & Lucæ vigesimoquarto,& 1.Cor.11. Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem,&c.panis autem absolutè non dicitur nisi panis triticeus coagulatus aqua elementari, alij enim panes non vocãtur absolutè panis, sed cum addito pa nis hordeaceus, panis milij,&c. Cõfirmatur, quoniam propter istam rationem, quod nulla præter naturalem vocatur absolutè aqua, colligimus solam aquam naturalem esse materiam baptismi ex illis verbis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. ergo cum solus panis triticeus coagulatus ex aqua elementari vocetur absolutè panis, optime colligitur ex verbis Euangelij prædictis solum huiusmodi panem esse materiam huius sacramenti.

Et huius congruentia (inquit Doct.) accipitur ex illo verbo Ioan.12. Nisi granum frumenti cadens in terram, &c. vbi Christus Dominus se grano frumenti comparat, vnde Aug. ibi. Cum sint multa grana frugum nulli se comparat nisi illi; vnde mos cœpit ecclesiæ de hoc solo grano confici corpus Domini. Et explicatur hæc congruentia, quia sancti, & Doctores grauissimi communiter docent panem ex frumento esse propriam materiam Eucharistiæ: frumentũ autem licet apud authores profanos sumatur generali acceptione pro omni grano proferente aristas, vt retulimus ex Plinio; in sacris autem litteris, & apud sacros authores ferè semper accipitur strictè pro tritico, ergo panis triticeus, seu quod idem est panis frumenti est adæquata materia Eucharistiæ; Maior est D. Augustini loco supracitato.
Aug. Conc. Cart. Magister. Idem dicunt Patres Concilij Carthag.3. vt patet ex cap. citato in sacramento. Idem asserit Magister sent. d.11.c.4.c.sinali, & quam plurimi interpretes scripturæ super citatum locum Ioan.

Probatur Deuter.cap.7. Hierem.41. Ezechielis 4. Ioelis primo, frumentum distinguitur ab hordeo, & milio,& ab alijs granis, ergo manifestum est, quod frumentum in his locis non accipitur generaliter, vt comprehendit omne granum producens aristas; nam alias male distingueretur ab hordeo,& milio, atque adeo strictius accipitur, scilicet, pro tritico.

Præterea sunt alia loca scripturæ in quibus frumentum accipitur pro tritico, de quo dubitari nequit,& insuper iuxta communem interpretationem Patrum hæc eadem loca intelliguntur de sacramento Eucharistiæ psal.80. Cibauit eos ex adipe frumenti,& psal.147 Et adipe frumenti satiat te, per adipem frumenti absque dubio intelligitur selectissima farina tritici, seu panis ex illa confectus.

Præterea psal.101. Vbi nos legimus. Et erit firmamentum in terra in summis montium, &c. Nicolaus de Lyra, *Nicolaus de Lyra. Iansenius.* Iansenius, & quidam moderni grauissimi legunt conformiter ad textũ Hebraicum, erit placenta, seu torta frumenti in terra,&c. & Hierony. legit memoriale frumenti, *Hieron.* & isti authores, & alij grauissimi interpretantur istum locum ad litteram de Eucharistia, quæ interpretatio placuit olim ante Christi aduentum quibusdam grauissimis Rabbinis, quos referunt Iansenius super istum locum,& Gala. *Galatinus.* tinus lib. decimo, de arcanis sacræ scripturæ capit. quinto, & sexto. Zacharia 9. Quid bonum eius est,& quid pulchrum eius nisi frumentum, &c. Super quem locum D. Hierony. indifferenter vtitur nominibus frumenti, & tritici,& similiter ibidem interpretatur in eundem modum locum Ioan. citatum. Nisi granum frumenti, &c.& idipsum facit super Abdiam in illa verba. Et erit in monte *August.* Syon saluatio; quod etiã fecit Diuus Augustinus in quodam sermone D. Laurentij; Tandem Oseæ 14 Vbi nos legimus: & viuent tritico, D. Hierony. vertit. Et roborabuntur frumento,& alia versio habet, Et reuiuiscent frumento, itaque frumentum,& triticum dicuntur ad conuertentiam. Et hic locus Oseæ etiam intelligitur de Eucharistia, vt optimè explicat Turrianus lib.2.de Euch.c.33. Ergo frumentum in sacris litteris, & apud sacros authores accipitur pro tritico. *Turrianus.*

Potest etiam huius institutionis alia adduci congruentia, quia hoc sacramentum est cibus animæ principalis, & spiritualis, vnde & eius materia debuit esse communissimus cibus,& principalis, qualis est panis triticeus iuxta illud psal.103. Et panis cor hominis confirmet: Vnde Celsus *Celsus Medicus.* Medicus author insignis dixit, valentissimus cibus est panis.

Tandem probatur conclus. ex Concil. Florent. in decreto Eugenij; vbi sic legimus. Tertium est sacramentum Eu- *Conc. Flor.* charistiæ, cuius materia est panis triticeus,& vinum de vite. Respondet Caietan. illis verbis solum significari, panem triticeum esse de necessitate præcepti, non vero de necessitate materiæ; dicit insuper Caiet. quod Concilium *Caietanus.* loquitur de materia adæquata, sed non de materia particulari certa,& indubitata, quæ re uera est solus panis triticeus, ex quo tamen non sequitur, quod absolutè,& simpliciter solus panis triticeus sit materia Eucharistiæ; sed hæc *Expeditur responsio Caietani.* responsio absurdissima est, nam si ibi non esset sermo de necessitate sacramenti, nihil certum relinqueretur in materijs sacramentorum; eadem enim ratione posset aliquis dicere aquam naturalem esse de necessitate præcepti, non tamen sacramenti, atque ita nihil ibi esset certum. Si ergo aliæ materiæ intelliguntur de necessitate sacramẽti, etiam hæc, eo vel maxime, quod illa particula, scilicet, vinum de vite explicat materiam necessariam necessitate sacramenti, ergo eodẽ modo est altera particula intelligenda. Quod confirmatur expressè ex Catechismo ad Paro. hos, vbi ha- *Catechismus.* betur hanc esse apostolicam traditionem. Item non potest dici absque temeritate,& errore, quod Concilium loquẽs de materia sanguinis, non loquatur de materia adæquata, sed principali,& certa, error enim esset dicere, quod vinũ, quod non est ex vite sit sufficiens Eucharistiæ materia, ergo idem censendum est de materia signata à Concilio pro specie corporis. Et confirmatur, quia ex ipso, quod Concil. Florent. definit materiam baptismi esse aquam veram, & naturalem, credit tota ecclesia solam aquam veram, & naturalem esse materiam baptismi, ergo ex eo, quod Concil. definit panem triticeum esse materiam Eucharistiæ tenemur, quod panis triticeus sit Eucharistiæ materia. Et confirmatur secundo, quia Concilia cum assignant materiam sacramentorum numquam vtuntur verbis exclusiuis, ita vt dicant sola aqua, &c. ergo si interpretatio Caietan. sustineri posset, posset etiam probabiliter accommodari alijs definitionibus Conciliorum in quibus statuuntur, & determinantur materiæ sacramentorum, & consequenter nullam certitudinem fidei haberemus de adæquatis materijs sacramentorum, quod est magnum absurdum.

Ex his ergo sequitur falsam esse, & improbabilem sententiam Caietan. tertia par. quæstione septuagesimaquarta, articulo tertio, asserentis, quod in Eucharistia non est attendendum ad materiam remotam, sed ad materiam propinquam, seu proximam, materia proxima secundum Caietan. est panis, materia vero remota est granum ex quo conficitur panis. Dicit ergo, quod cum sit verus panis, qui conficeretur, parum refert, quod sit cõfectus ex illo grano, vel illo, scilicet, ex grano tritici, vel ex quocumque alterius speciei; existimauit enim Caietan. quod quemadmodũ calor naturalis virtutem habet in homine, vt cibos diuersarum specierum in eundem sanguinem conuertat, ita virtute decoctionis factæ per calorem ignis ex granis diuersarum specierum potest confici panis eiusdem speciei specialissimæ. Sententia ergo Caietan. tam falsa est quam noua,& sine dubio si non est error, habet erroris periculum, nullum facio, quod fundamentum Caietan. scilicet, quod ex granis diuersarum specierum virtute caloris ignis potest confici panis eiusdem speciei, forsan in vera philosophia est falsum, neque quidquam iuuat exemplum caloris naturalis; quoniam calor naturalis operatur in virtute formæ animalis, atque adeo multo maiorem habet virtutem, quam calor ignis.

2. Conclusio Secunda conclus. propria materia,& propinqua,& necessaria Eucharistiæ est panis communis,& vsualis, qui secundum communem existimationem appellatur panis, & illo

Digitized by Google

ipso vtuntur homines per modum panis, ista concl. communis est omnibus Theologis locis citatis, & constat ex dictis & præsertim ex definitione Concil. Trident. qua definitur materia huius sacramenti esse panem, & quidem, vt supra dicebamus, materiæ sacramentorum sumendæ sunt secundum communem modum, quo accipiuntur, vt vsurpantur ab hominibus.

Conc. Trid.

3 Conclusio Tertia conclus. Ille panis solum est propria materia huius sacramenti, qui conficitur ex massa resultante ex farina tritici, & aqua vera & naturali. hæc concl. est Doct. hic, & est fere communis omnium Theologorum, & ratio est inquit Doct. quia ita supponitur panem illum fuisse formatum, quo vsus est Christus consecrando; tum etiam quia panis communis, & vsualis, quo vtuntur homines, solum fit ea materia triticea, & aqua naturali, & vtraque est æque necessaria, vt huiusmodi panis coalescat. ex quo infertur, quod panis confectus ex farina, lacte, oleo, aut simili liquore non est materia huius sacramenti, quia reuera non est panis, sed aliud genus massæ, seu placentæ. Idem intelligendum est si farina subacta sit ex aqua rosacea, aut alia simili, nam sic necesse est, quod tota farina, vel saltem maior pars sit triticea, ita necesse est vt tota aqua, vel maior pars sit naturalis; nam parua aliqua quantitas misceatur alterius aquæ non mutabit substantiam, quia verisimile est conuerti ab alia maiori parte præsertim adiuncta coctione, esset tamen illicitum id facere, quia est præter Christi institutionem, & huius materiæ puritatem. Cum autem dicimus requiri solam farinam, & aquam, non excludimus nonnullam salis admixtionem, nam licet in ecclesia Latina fieri non debeat, quæ conficit in pane azimo, tamen si fieret non esset contra substantiam sacramenti, quia vsualis panis fermentatus ita in aliquibus Prouincijs, & locis fieri solet, secus vero est de butyro, pipere, caseo, &c. quæ nullo modo misceri debent, quoniam si in minima quantitate admiscerentur esset illicitum contra puritatem, & institutionem huius materiæ, si vero in maiori, aut in notabili quantitate esset contra substantiam sacramenti, quia non fieret panis vsualis, sed placenta.

Scotus.

Cōtra Caie. Ex hoc infertur, quod non est tuta sententia Caiet. vbi supra art. septimo, dicentis ex farina, & aqua rosacea fieri panem eiusdem speciei, quoniam aqua non permanet intra substātiam panis, sed tota resoluitur per decoctionem, tum quia licet aliquid maneat, tamen potissima substantia illius mixti est farina, quæ eiusdem rationis manet, & in suam naturam trahit humorem illum; nam hæc sententia est contra auctoritatem, & Ecclesiæ vsum, quæ est in hac re maioris momenti, præterquam quod probabile est valde, mixta illa specie substantiali, & physica differre, quia alterum miscibilium diuersum est, & æque concurrit cum alio ad mixtum conficiendum, nam in magna quantitate ponitur, & est valde actiuum, sequeretur etiam triticum non pertinere essentialiter ad species panis, quia non permanet in facto esse in substantia panis, quapropter & si aqua non permaneat in facto esse, est nihilominus necessaria necessitate physica ad essentiam panis, sed quidquid sit de specie physica satis est illum panem non esse vsualem, atque adeo panis confectus ex aqua rosacea, vel alia huiusmodi nō naturali non est simpliciter panis, sed talis panis cum addito, & secundum quid, & hoc sufficit, vt non sit sufficiens materia huius sacramenti.

4 Conclusio Quarta conclusio. Necesse est, quod hic panis sit calore ignis concoctus, ita quod cruda massa non est sufficiens materia: Hæc conclus. est Doct. & est communis sententia omnium Theologorum, & ratio est inquit Doct. quia sic institutum est, tum quia pasta non est panis, nec cibus, aut alimentum hominum per se loquendo, hoc autem sacramentum est signum nutrimenti spiritualis, atque adeo in illis congrue est institutum, quæ sunt signa principalis nutrimenti corporalis, principale autem nutrimentum quantum ad cibum est panis.

Scotus.

Ad argumenta in oppositum; ad primum respondetur, quod min. est falsa, quoniam panis non triticeus non est simpliciter panis, sed secundum quid.

Ad secundum cōceditur maior, & ad minorē dico, quod licet frumentum vsurpetur a Philosophis in illa ampla acceptione; in sacris tamen scripturis, & apud sacros authores strictè accipitur pro tritico, vt probauimus supra.

Ad confirmationem patet solutio, & præterea dico, quod in illo textu idcirco in numero plurali fit sermo de frumento, vt designaret Concil. quod triticum pro quo ibi sumitur frumentum fortè non est species specialissima, sed quoddam genus grani multas species sub se continens, & eadem ratione in numero etiam plurali designauit vuas, quoniam fortassis sunt diuersarum specierum.

Ad tertium dico, quod ex contextu euangelico non certo colligitur, Christum consecrasse panem triticeum, quāuis satis idonea sit ad hoc persuadendum illa coniectura, quam adduximus, à posteriori tamen efficaciter conuincitur ista veritas; nam cum ecclesia communi consensu in Concil. Florent. sentiat panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, consequenter fateri tenemur Christum consecrasse in pane triticeo, quoniam Christus eadem materia vsus fuit in institutione sacramentorum, quæ nobis est relicta, vt necessaria.

Dico vlterius ad secundam partem argumenti, quod licet Christus aliquādo fortassis vsus fuerit pane hordeaceo, non inde sequitur, quod in illa cœna vsus fuerit pane illo, tum propter festiuitatem paschalem, quæ ea postulabat cibum selectum, tum etiam quoniam apud hominem diuitem fuit epulatus Christus Dominus in illa cœna, vt constat ex Euangelio, & præterea ex illo Ioā. 6. non colligitur, quod Christus vteretur communiter pane hordeaceo, quoniam illi quinque panes hordeacei non pertinebant ad familiam Christi, sed quidam alius ibi eos adduxit.

Ad confirmationem respondeo, quod illud conuiuium ex panibus hordeaceis non præfigurabat conuiuium speciale Eucharistiæ quantum ad qualitatem cibi, sed quantum ad hoc, quod sicut illi pauci panes sufficientissime fuere ad satiandum totam illam multitudinem, ita vna Christi caro sufficiens est alimentum spirituale ad totam ecclesiam reficiendam.

Ad quartum argumentum nego antecedens, ad probationem dicitur, quod sicut ex eo, quod Christus consecrauit in vino vitis efficaciter colligitur solum vinum vitis esse sufficientem materiam Eucharistiæ, quamuis non colligatur requisitum esse vinum album, aut rubeū, quoniam hæc vina conueniunt in ratione communi vini vini, siue sit ratio communis generica, vel specifica, ita ex eo, quod Christus consecrauit in pane triticeo efficaciter colligitur solum panem triticeum esse sufficientem materiam Eucharistiæ, siue panis triticeus sit species specialissima, siue non; hoc enim est impertinens ad materiam Eucharistiæ.

Ad confirmationem patet ex dictis. Et ad quintum argumentum, respondetur Christum Dominum instituisse in materiam huius sacramenti illum panem, qui per se, & ex propria ratione habet vt possit esse communis, & vsualis apud omnes nationes, hic autem est tantum panis triticeus. nam cæteri panes per accidens fiunt communes, & vsuales in quibusdā Prouincijs, scilicet, vel quoniam propter defectum terræ, vel propter incuriam, & inertiam habitantium illam, non reperitur ibi triticum, vnde quoties ibi triticum repertum fuerit, vel productum ex illa, vel aliunde asportatum, continuo panis ex tritico confectus recipitur, vt vsualis, & communis, & cæteris panibus præfertur, quod est manifestum indicium ex sua natura esse vsualem, & communem apud omnes nationes. ac proinde optimo iure Christum illum cæteris præelegisse in necessariam materiam Eucharistiæ.

Ex hoc sequitur, quod in nulla Prouincia potest confici hoc sacramentum in alio quocumque pane, quamtumcumque habeatur, vt vsualis, & communis in tali Prouincia, quia est per accidens communis, & vsualis. Existimo tamen in hac parte dicendum id quod superius dicebam de vino vitis pertinere ad regularem prouidentiam, qua Christus gubernat Ecclesiam, vt ad omnem Prouinciam, & regionem, ad quam defertur Euangelium Christi, deferatur simul & panis triticeus, vt in tali regione non deficiat hoc sacramentum. Ad confirmationem patebit infra ex dicendis.

DVBIVM

DVBIVM PRIMVM.

An ex amylo, vel ex amido possit effici panis consecrabilis.

DE hac re illud certum est, apud omnes, quod amidum in propria forma, & pasta non est materia consecrabilis, quia re vera non est panis, neque est confectum ex farina, sed ex quadam materia lactea deducta ex tritico per expressionem. Cæterum non constat apud Theologos, vtrum si pasta amyli postquam fuerit indurata conteratur, & reducatur in farinam, possit ex illa confici verus panis, qui sit legitima materia Eucharistiæ. De qua re est duplex
Paludanus opinio, vna est Paludani in 4.d. 11.q.1.art.4.conclu.quinta, tenentis partem affirmatiuam, quia amylum est materia triticea, & potest in massam aquæ subiectam reduci, & igne assari, cui sententiæ adhærere videtur
Sotus. Sotus in 4. dist. 9. quæst.1.art.3.sub formidine tamen. Fundamenta huius sententiæ esse possunt, quia ille panis vsualiter reputatur panis triticeus, & Christus instituit sacramentum in pane triticeo vsuali, tum etiam quia illæ præparationes, quæ fiũt circa amidum præparandum non videntur alterare a specie farinæ triticeæ, non enim fiunt ibi nisi decolationes, & purgationes, & huiusmodi, hæc autem non videntur alterare medullam tritici a specie sua.

D. Thomas Secunda opinio est D. Thom. in 4.dist.11. quæst.2. art.
Scotus. 2.quæst.2.ad tertium, & 3.p.quæst.74.artic.4.ad quartum quam sequitur Doctor hic, & omnes recentiores, qui affirmant panem ex amydo confectum non esse materiam Eucharistiæ, & ratio est quia existimant omnino corrumpi triticum, quando ex illo conficitur amylum, transmutatur enim alio longe diuerso modo, quam cum ex tritico fit farina, quia & diuerso modo contunditur, & illi miscetur aqua, & postea lacteus humor colatur, & exiccatur deinde vehementi calore solis: hæc autem multiplex actio, & transmutatio ad finem valde diuersum ordinata, magnam facit coniecturam materiam illam, seu massam, quæ dicitur amylum, esse valde diuersæ rationis a farina triticea, & consequenter quamuis ex illa postea fiat pasta, seu massa, & coquatur, illam non esse panem verum, & vsualem, sed corruptum, & aliud placentæ genus, non ergo erit materia sufficiens. Et probatur a Doctor. quoniam si credamus expertis in rebus de qualitatibus consequentibus eas, quæ innotescunt ex operationibus, per quas qualitates cognoscimus, & distinguimus (aliter enim non cognoscimus ignem ab aqua nisi per ea, quæ innotescunt nobis, ex operationibus) nam pro statu isto non cognoscimus a priori naturas rerum, neque earum distinctionem perfecte, quoniam neque earum differentias proprias, & specificas cognoscimus, sed a posteriori & ex earum effectibus, ex quibus sapientes dederunt nobis certas regulas earum naturas cognoscendi, quarum vna est talis, Quandocumque aliqua sic se habent, quod aliqua operatio conuenit vni a tota specie, & repugnat alteri, illa distinguuntur specie, nam secundum medicos quælibet species habet qualitatem, & operationem a tota specie, quæ non competit sibi per talem mixtionem, sed sequitur formam propriam talis speciei, sed sic est, quod aliqua operatio conuenit amylo, quæ non conuenit alijs panibus triticeis, sicut patet cernentibus eas, & assignantibus proprietates tales, & tales quantum ad effectus, ex quo videtur, quod amidum sit totaliter alterius speciei a pane triticeo. Et confirmatur, non enim per aliud probamus acetum, & agrestum differre specie a vino, & per consequens non esse materiam consecrationis (quantum ad vinum) nisi quantum ad qualitates, & operationes: quia scilicet acetum est a tota specie frigidum, vinum autem a tota specie calidum.

1. Conclusio. Dicendum est ergo primo, quod cum certum sit farinam tritici purgatam secundum communem purgationem eo modo, scilicet quo pistores solent eam purgare, esse materiam conuenientem ad faciendum panem consecrabilem, & dubium sit an amidum sit huiusmodi materia, & pars negatiua multis sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio, maxime ille, qui præparat hostias, quia sibi simpliciter est certum, quod de tali materia præparat.

2. Conclusio. Secundo dico, quod si sacerdos consecraret in pane amido, & non scienter, sed quia ille, qui fecit hostias ita præparauerat, cum hoc non euenerit sua culpa, talis non peccat mortaliter, sed ille, qui eas præparauit, nam vt dicit
Gerson. Gerson, talis sacerdos excusaretur per ignorantiam inuincibilem, nam certum est, quod non est consuetudo sacerdotum inquirere ex qua materia factæ sunt hostiæ.

3. Conclusio Dico tertio, quod si sacerdos non sciat hostias esse ex amido, & in rei veritate tales sunt, & amylum differt specie a pane triticeo, esto quod consecret nihil facit, quia amydum si differat specie a pane triticeo non est materia conueniens consecrationis.

4 Conclusio Dico quarto, quod neq; talis sacerdos facit idololatriã, neque dat populo occasionem idololatrandi, quia quãtum est de se supponit materiam esse idoneam, & a se, & ab alijs adoranda.

5 Conclusio Dico postremo, quod sententia negatiua huius dubitationis mihi probabilior apparet, quoniam illa farina, quæ fit ex ista massa amyli, re uera non est farina tritici, quoniam amylum, vt dicebam non constat ex farina tritici, sed ex quadam materia lactea, ergo panis ex illa confectus non est simpliciter panis. Et confirmatur, quoniam tot, tantæque transmutationes fiunt in materia amyli, vt sit manifestum indicium corruptionis materiæ triticeæ, ita ut non possit ibi vere reperiri farina tritici, atque adeo neque possit confici verus panis, & ex his patet responsio ad obiecta, seu fundamenta alterius sententiæ.

DVBIVM II.

An massa, id est, pasta facta ex farina triticea sit materia apta consecrationis.

CIrca hanc rem dubium est an pasta, seu massa ex aqua, & farina tritici confecta differat specie a pane concocto, uam Diuus Thomas in quarta distinctione 11.q.1.
D. Thomas articulo primo, quæstione tertia, ad tertium, & tertia parte quæst.75.articulo sexto, ad primum tenet partem affirmatiuam, nam & farinam a tritico, & panem a massa, & farina specie distinguit, quem sequuntur Caiet. & alij
Caiet. Thomistæ, & videtur opinio probabilis, quia cum massa & farina sint materiæ facile transmutabiles credibile est nimio calore ignis substantialiter mutari, sicut cum panis per actionem naturalis caloris in chylum conuertitur, quod etiam indicat diuersitas accidentium, & operationum, nam licet vnum, vel aliud signum non sufficiat, tamen multa simul sumpta multum indicant. Addit Caiet. rationem Theologicam, scilicet quia si forma panis esset accidentalis maneret post consecrationem, quod est omnino falsum. Verum hæc ratio non cogit, quia licet panis non differat a massa substantialiter, nihilominus non esset dicendum formam panis esse solum accidens, sed esse formam substantialem massæ, & substantiam massę esse substantiam panis, quamuis illa substantia non habeat rationem panis nisi coniuncta sit talibus accidentibus, vt in alijs exemplis patet, quapropter hæc res Theologica non pendet ex hac quæstione Physica, vt sapienter dicit hic Doctor.

Ideo est alia opinio probabilis, quod pasta, & panis non differant specie, sicut caro cruda, & cocta non videntur specie differre, quod probatur hic a Doctore tali ratione,
Scotus. quia per decoctionem pastæ in furno, vel alio modo ab igne, non fit nisi exhalatio humoris aquei commixti cum partibus farinæ, & hæc mixtio est per iuxtapositionem, talis autem separatio non mutat speciem, quia nec etiam mixtio.

Et si dicatur, ergo si non differunt specie, in ipsa pasta poterit fieri consecratio. Respondet Doctor, quod non, cuius ratio est, quia noluit Christus in sacramentis suis istam subtilem disputationem nobis imponere de differentia specifica, sed quod panem triticeum vsualem haberemus communiter pro materia consecrationis, vt sic secundum Damas. libro quarto, de fide capitulo quinto, vel sexto,
Damas. illud quod communiter consueuit esse nutrimentum corporale, ipsum, vel simile esset nobis sacramentum nutrimentum spirituale.

Dicendũ est ergo, ad hoc ꝙ panis sit materia sufficiẽs cõsecrationis necesse est, vt sit calore ignis cõcoctus, seu assus,

siue hoc fiat in furno, siue sub cineribus, siue ferreis formulis, vt communiter fit in Ecclesia, ita ut massa frixa, seu allixa non est sufficiens materia Eucharistiæ: quoniam non est verus panis vsualis, quin potius huiusmodi massæ frixæ, & allixæ cum pane comeduntur, solentque appellari pultes, panis placenta, vel artolaganum, & non panis, & parum refert, quod huiusmodi massæ Frixæ, aut allixæ sint eiusdem speciei cum pane vsuali, vel nõ, sed satis est, quod secundum communem vsum non habeant rationem panis, nam Plinius libro decimo octauo, capitulo octauo, dicit Romanos multo tempore vsos esse, pulte, & non pane, distinguit ergo vnum ab altero, est tamen necesse, quod panis dicto modo concoctus in sua substantia, & natura perseueret, vt in eo consecrari possit, & eadem ratione necessarium est, vt farina, ex qua conficiendus est panis non sit corrupta, sed sit conseruata in sua natura, quia si fiat corruptio iam non est panis, sicut acetum non est vinum, est tamen interdum difficile iudicare an panis sit substantialiter corruptus, necne; atque adeo accidentium mutatio diligenter consideranda est, nempe coloris, & saporis, ac etiam odoris, & an facile fiat dissolutio, seu resolutio quasi in cineres, nam illud est maximum corruptionis signum. In praxi autem seruandum est, vt quandocumque sunt signa corruptionis non fiat consecratio propter reuerentiam tanti Sacramenti, quod maxime verum est, quando tot sunt signa, vt saltem reddant materiam dubiam.

Plinius.

Dubitari solet de pane prius male cocto, qui postea per compressionem digitorum, quasi in massam redigitur an sit materia conueniens consecrationis. Respondet Doctor, quod ex hoc habetur, quod panis non differt specie a pasta, sed non probat, quod pasta sit materia consecrabilis, & si quæras de pane tali recenti, & redacto in pastam, an sit cõsecrabilis. Respondet Doct. quod vel prædictus panis com primitur tantum, quod in ipso non remanet ratio panis vsualis, ita ut iam non habet rationem panis, & tunc dico, quod in ipso non potest fieri consecratio, vel panis non est adeo constrictus, vel compressus, vt amittat rationem nutrimenti, ita ut quantumcumque remittatur in illo consueta durities, quæ consueuit esse in pane cocto, tamen ex quo semel coctus est, & panis fuit, nisi manifeste recedat a ratione panis vsualis, non recedit a ratione panis consecrabilis.

DVBIVM III.

An panis triticus vt sit consecrabilis debeat esse azymus, vel fermentatus.

QVæstio simul est de necessitate Sacramenti, & de necessitate præcepti, de qua re fuit Græcorum sententia asserentium fermentatum panem esse de necessitate huius Sacramenti ita vt in eo solo tam licite, quam valide confici possit, atque ob id sigillant Romanam, & Catholicam Ecclesiam, quod in pane azymo confic a; Latinos omnes hac de re azymitas vocant, eos anathematizant, vt testatur beatus Anselmus in quadam epistola de fermentato, & azymo, & teste Guidone Carmelita non permittunt Latinos sacerdotes in eorum altaribus sacrum mysterium cõficere, quod si ipsis nescientibus, aut inuitis celebrare contigerit lauant altaria, quoniam ea credunt esse polluta ex falso (vt aiunt) sacrificio per sacerdotem Latinum in azymo confecto. Hanc etiam hæresim amplectuntur Armeni, eamdem tenent Ruteni, vt inquit Pater Castro de hæresibus tit. Euchatistia hæresi secunda. Huius error incepisse creditur post mille, & viginti annos a Christi aduentu, vt colligitur ex Leone nono. Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum c.5. & ex Anselmo loco supra citato.

Anselmus. Guido.

Alphõsus.

Leo.9.

Secunda sententia fuit cuiusdam Hugonis quem refert, & sequi videtur Glossa in c. litteras de celebratione Missarum dicentis panem azymum esse necessarium Latinis de necessitate Sacramenti, fermentatum verò Græcis, ita ut si in altero tentent conficere nihil faciant, sed hæc sententia ineptissima est, & sine fundamento.

Hugo. Glossa.

Tertia sententia est Lutheranorum, & Caluinistarum dicentium, neutrum panem esse Latinis, aut Græcis de necessitate Sacramenti, conuenientiorem tamen, magis quã congruentem materiam esse panem fermentatum, quam azymum, & addunt vsque ad Alexand. 3. Ecclesiam fuisse vsam fermentato, illum verò Pontificem, vt aliquid insuetum faceret azymum introduxisse, quam consuetudinẽ ipsi despicientes fermentato in suis cænis Dominicis (vt aiunt) viuntur.

Quarta sententia est in altero extremo, panem, scilicet azymum esse de necessitate Sacramenti, ita vt fermentatus non sufficiat Fundamentum eius esse potest, quia Christus consecrauit in azymo, sed est parui momenti, quia inde non fit illam substantiam esse essentialem, quia fortasse consecrauit in vino albo, & tamen non sequitur illud esse ita necessarium, vt nigrum non sufficiat.

Sed nos expandamus controuersiam, quæ versatur inter Latinos, & Græcos, nam Latini consecrant in azymo, quia credunt Christum ita cõsecrasse, Græci autem in Fermentato existimantes sic consecrasse Christum, atque adeo obseruandum est in quibus conueniant Græci cum Latinis, & in qu bus differant: conueniunt in hoc, quod Dies ptimus Paschæ Iudæorum erat luna 14. mensis primi vide tur Nisam. i. Martij, incipiebatque Pascha a vesperis diei 14. durabatque per septem continuos dies vsque ad 21. eiusdem mensis, hocque habetur expresse capitulo 12. Exodi; conueniunt etiam in eo, quod Iudæi non manducabant panem Fermentatum, neque poterant illum habere in domibus suis per 7. dies Paschæ, vt habetur expresse cap. 12. Exodi; conueniunt insuper, quod ante diem 14. non erat in vsu Iudæis panis azymus, quia panis azymus propriè pertinebat ad Paschæ solennitatem, & præterea conueniunt in hoc, quod Christus cænauit cum discipulis suis, & consecrauit feria 5. hoc est die Iouis, Pascha autem erat feria 6. Differunt autem in eo quod Latini dicunt feria 5. fuisse 14. mensis primi.i. fuisse primum diem Paschæ Iudæorum ex quo colligitur, quod Christus consecrauit in pane azymo, quia a prima die Paschæ vsque ad vltimum non erat fermentatum in domibus Iudæorum. Græci verò dicunt, quod illa feria quinta, in qua Dominus cænauit cum discipulis suis fuit 13. primi mensis. i. proxima dies immediate ante primum Paschæ diem, ex quo colligunt quod Christus consecrauit in pane fermentato, quia ante primum diem Paschæ panis azymus non erat Iudæis in vsu.

Et si quæratur vnde ortum habuit ista dissensio inter Latinos, & Græcos. Respondet Innocentius lib 4. de mysterio Missæ, quod Ecclesia tota in principio imitata Christum consecrauit in azymo, postea verò surrexerunt hæretici Ebionitæ dicentes Christianos oportere iudizare, & seruare legalia, & per consequens debere consecrare in azymo, sicut etiam refert Doct. in ista quæstione sub littera c. Vnde tota Ecclesia decreuit pro tunc, vt fieret consecratio in fermentato, ne fideles existimarent ante illud tempus consecratum fuisse in azymo, propter obseruantiã legis mosaycæ, quam consuetudinem tam Græci, quam Latini receperunt, at verò illa hæresi extincta, Ecclesia Latina rediit ad consecrandum in azymo, Ecclesia verò Græca permansit in consecratione fermentati, vt dicit Doc. & Alexand. de Ales. p.4. quæstione decima, m.4. artic.1. §. 3. in fine.

Innocent.

Al. de Al.

Fundamenta pro Græcorum sententia sunt ista, primũ est illud Io.13. Ante diem festum Paschæ sciens Iesus &c. & sequitur, quod illo die fecit cænam vltimam cum discipulis suis, & instituit hoc Sacramentum, nam (vt inquit Inno.) asserunt Græci in parasceue lunam 14. extitisse in qua verus agnus est immolatus, vt legis impleretur figura, quæ 14. Luna primi mensis agnum Paschalem inferat immolari, Dominus igitur ea die se passurum esse præno scens in præcedenti vespere necessitate compulsus anticipauit comedere Pascha, & ideo inquit Io. ante die festum Paschæ, ex quo colligitur, quod Christus fecit cænam ante diem 14. qui dies 14 erat primus dies Paschæ, ex quo sequitur, quod consecrauit in fermentato, patet quia consecrauit ante Pascha, sed ante Pascha (vt dictum est) non comedebant Iudæi panes azymos ergo &c.

Secundo est pro Græcis, illud Ioann. 18. Adduxerunt Iesum ad Pilatum in Prætorio, & ipsi non introierunt, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, ex quo manifeste colligitur, quod mane sequenti post noctem comprehensionis, in qua Christus instituit hoc Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum tradiderunt Iudæi Christum Dominnm Pilato, & quod eodem die erant manducaturi Pascha, sed manducare Pascha idem est, quod manducare agnum paschalem, qui non manducabatur nisi primo die Paschatis, qui erat decimus quartus dies mensis primi, ergo constat ante istum diem Christum instituisse hoc Sacramentum, nam Christus cœnaverat in nocte præcedenti. ergo cœnavit die 13. & per consequens consecrauit in fermetato, quia ante Pascha non erit panis azymus.

Tertium argumentum desumitur ex 19. cap. Io. vbi dicitur, Erant autem parasceue Paschæ hora quasi 6. & dixit Pilatus: Ecce Rex vester, & sequitur quod ille die crucifixerunt Iesum, Parasceue autem idem est, quod vigilia, ergo Christus fuit crucifixus in vigilia Paschatis, id est, die prima azymorum ante occasum solis, post quem incipiebat solemnitas Paschæ, & consequenter non potuit consecrasse nisi in fermentato. Et confirmatur quoniam agnus paschalis erat figura mortis Christi, ergo eo tempore, quo immolabatur agnus paschalis erat Christus immolandus, agnus autem paschalis immolabatur die prima azymorum, ergo Christus fuit crucifixus isto die, & consequenter non potuit instituere hoc Sacramentum nisi in fermentato.

Quartum argumentum desumitur ex Matt. 26. vbi dicitur, quod Iudæis congregatis, vt de morte Christi ageretur decreuerunt non comprehendere eum in die festo, ne forte tumultus fieret in Populo, ergo comprehenderunt eum ante Pascha, & consequenter certum est ipsum in fermentato consecrasse, quoniam vt sæpe diximus ante Pascha non erant inter Iudæos panes azymi, consequentia patet, quia illa nocte eum comprehenderunt, in qua cœnauit, comprehensus enim fuit post cœnam, vt constat ex Euangelijs. Hæc sunt fundamenta pro opinione Græcorum.

His tamen non obstantibus certum est, Christum non fuisse comprehensum ante Pascha, sed in ipso die primo paschatis post cœnam agni, & institutionem huius sacramenti, ex quo euidenter colligitur illud instituisse in azymo, quoniam iam non poterat haberi fermentatus panis, & probatur primo ex verbis Matt. 26. Primo autem die azymorum quæsierunt discipuli, vbi uis paremus tibi comedere Pascha? & sequitur quod tandem illo die cœnauerunt cœna vltima, secundo probatur ex verbis Marci 14. Prima autem die azymorum quando Pascha immolabant: Quo vis eamus, & paremus, vt manduces Pascha? tertio probatur ex verbis Lucæ 22. Venit dies azymorum in qua necesse erat comedere pascha, & misit Dominus Petrum, & Ioan. dicens: Euntes parate nobis, vt manducemus Pascha. Ex quibus omnibus manifeste colligitur, quod Christus non fuit comprehensus ante Pascha, sed ipso die paschatis fecit cœnam vltimam cum discipulis, & instituit hoc Sacramentum, nam ex his patet manifeste, quod prima die azymorum, i. 14. Luna comedit agnum Paschalem, & hoc iuxta illud numeri 28. Quarta decima die mensis primi Pascha erit, & quinta decima erit solemnitas, hoc est primus dies integer solemnis solemnitatis Paschæ, & illa die passus est Christus, atque in illa hora, qua comedi debuit agnus Paschalis secundum legem, i. 14. die mensis primi comederunt discipuli verum agnum, id est, Christũ Dominum in sacramento Eucharistiæ.

Ale. de Al. Ad hæc autem omnia respondent Græci, vt inquit Ale. loco supracitato, quod omnes tres Euangelistæ in hoc fuerunt decepti, quos D. Io. qui post illos scripsit Euangelium correxit, atque emendauit dicens Christum fuisse comprehensum ante diem Paschatis, nam Græci, inquit Ale. xand. de Ale. nunquam superbi sepulta Ebionitarum hæresi, & redeunte Romana Ecclesia ad ritum primum, noluerunt ad ritum primum consecrandi in azymo reuerti, & ex hoc coacti sunt defendere se, primo dicentes se hunc ritum accepisse a Patribus, secundo quia hoc non sufficiebat addiderunt rationem, scilicet ne iudaizarent, tertio quia hoc non sufficiebat, si Dominus confecisset in azymis, ausi sunt dicere, quod Dominus confecit de fermentato, & quia Euangelistæ dicunt contrarium, ausi sunt dicere, quod falsum dixerunt, & quod correcti sunt a Ioanne, sed hæc responsio blasphema est impudentissima, quoniam si hoc admittamus nullum robur manebit in diuina scriptura, nec ad reuincendos hæreticos, nec ad comprobandam aliquam veritatem, quoniam quocunque loco scripturæ adducto posset quilibet respondere scriptorem fuisse deceptum.

Pro explicatione ergo huius difficultatis obseruandum est, quod secundum fidem tenendum videtur Christum Dominum celebrasse vltimam cœnam, in qua hoc sacramentum instituit, 14. die mensis primi ad vesperam, quoniam Iudæi secundum legis præceptum Exodi 12. & Leuit. 23. traditum tenebantur sacrificare, & manducare Pascha cum azymis, quod patet Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. vbi dicitur, quod Christus prima die azymorum celebrauit Pascha, & cœnauit cum discipulis suis, primus autem dies azymorum iuxta præceptum legis in locis citatis tradi tum incipiebat 14. Luna primi mensis, i. quatuordecim die Martij ad vesperam. Et consulto dixi, quod illa die Iudæi tenebantur celebrare Pascha iuxta præceptum legis. Quoniam non desunt viri graues, qui existimant fuisse cõsuetudinem apud Iudæos introductam ex traditionibus maiorum, quod quando quinta decima Luna contingebat feria 6. non incipiebatur solemnitas paschalis 14. die ad vesperam, i. feria 5. præcedenti, sed in eadem feria 6. ad vesperam, ita ut Sabbatum esset primus dies solemnitatis, & ita in quinta contigisse de facto illo anno, quo Christus passus est, vnde Iudæi inchoauerunt solemnitatem paschalem in eadem feria 6. ad vesperam, in qua Christus passus est, at Christus Dominus præuenit solemnitatem Iudæorum, & celebrauit illam feria 5. præcedenti ad vesperam sequens ordinem præscriptum a lege, ita docent Burgensis *Burgensis* in additione ad postillam super c. 26. Matt. & ante Burgensem Rupertus Abbas super idem caput Matt. a principio *Rupertus.* ex iunioribus, hoc ipsum docent Iansenius in concordia *Iansenius.* Euangelica c. 128. & Ambrosius Cathar. in annotationibus *Catharinus* contra Caie. li. 2. anno. penultima, & alij quidam, istam sententiam impugnat Sotus in 4. d. q. 1. art. 4. qui licet illam cõ *Sotus.* uincat falsitatis, & fere nullius probabilitatis, non tamen conuincit eam erroris in fide, quoniam Authores huius sententiæ, vt cumque explicant testimonia scripturæ, quæ contra ipsam militant.

Secundo obseruãdum est, non esse certum in fide, quod Christus consecrauerit in azymo, probatur, quia non est certum secundum fidem, quod Christus in omnibus seruauerit cæremonias antiquæ legis, atque adeo non est certũ, quod in illa vltima cœna consecrauerit in pane azymo, & quod non fuerit vsus pane fermentato, & confirmatur, quia non est contra fidem asserere, quod Christus præuenerit solemnitatem Iudæorum, & esto quod præuenerit, vt tenent supracitati Authores, non est certum, quod non reperiretur tunc in mensis, & domibus Iudæorum panis fermentatus, imo oppositum est certum, quoniam Iudæi non vtebantur azymis vsque ad illam horam, in qua incipiebat festiuitas, atque adeo non dicitur improbabiliter iuxta istã sententiam, quod Christus vsus fuerit fermentato præsertim cum obligatio legis præter traditionem maiorum, & ex consequenti non teneretur Christus ex præcepto legis in cœna celebrata feria 6. ad Vesperam vti azymis, sed fuit ei licitum præuenire cœnam in feria 5. ita fuit ei liberum vti fermentato, vel azymo.

Tertio obseruãdum est, quod est valde fidei consentaneum dicere Christum consecrasse in azymo, quoniam ita sentiunt omnes Doctores Latini, tum quia est satis consentaneum textui Euangelij, ita ut oppositum sit fere impinbabile, quod Iudæi inchoauerint solemnitatem Paschalem eadem feria quinta ad vesperam, in qua Christus eam inchoauit, sed in die solemnitatis paschalis non reperiebatur fermentatum in domibus Iudæorum iuxta præceptum legis inuiolabiliter obseruatum, atque adeo valde consentaneum est contextui Euangelico Christum vsum fuisse pane azymo, atq; in hoc contextu. His suppositis sit prima concl.

Vtrque panis siue azymus, siue fermentatus est sufficiens materia consecrationis, hæc concl. est D. Th. in hac q. *1 Conclusio* sub littera B, & est communis consensus omnium Theo- *Scotus.* logorum, probatur primo auth. D. Anselmi, qui in lib. de *D. Anselm.* azymo, & fermentato inquit, quod non differunt spe- cie azymus, & fermentatus, ergo simpliciter tenendum est de necessitate panis consecrabilis non esse, quod sit azymus, nec quod sit fermentatus, probatur secundo ex decreto Conc. Florentini in litteris vnionis Latinorum, & Græ- *Conc. Flor.* corum, vbi inter alia hoc decernitur de fide. Item in azymo, siue in fermentato pane triticeo corpus Christi

veraciter confici &c. Conclusionem istam etiam Græcis credo esse certam saltem post Conc. Florentinum, quamuis antea fortassis tenuerint oppositum, hoc est panem azymum non esse materiam consecrationis, vt docet Pater *Castr. Sotus* Castro, & probat Sotus authoritate Anselmi, & Leonis Papæ 9. probatur, quoniam illa determinatio Concilij no solum fuit a Græcis recepta, quinimo habetur in litteris vnionis Græcorum, & Latinorum, vt dictum est, quæ litteræ a Græcis, & Latinis sunt compositæ, probatur præterea, quoniam ante ista verba citata petente Summo Pontifice a quibusdam Patribus Græcis, qui habebant authoritatem totius Ecclesiæ Græcæ, vt responderent ad certas quæstiones. Dixerunt Græci illi, non Pater Sanctissime, nullam ad hæc respondendi facultatem habemus, scilicet ab Ecclesia concessam pro ista vice, sed ex nobis ipsis profitemus &c. & inter alia hoc profitentur: nam de pane siue azymus, siue fermentatus fuerit Græci non curant dummodo ex tritico constet. Et tandem postea post multas cōgregationes habitas ab omnibus Græcis inter se ipsos, vt determinarent aliqua, quæ deferrent ad Summum Pontificem, hoc determinarunt, præterea Purgatorium esse, & siue in azymo, siue in fermentato pane Sacramentum fieret minime referre, & deinde sequitur, quæ cum Latinis mirum in modum placuissent &c.

2. Conclusio Secunda conclusio. Latini tenentur ex præcepto consecrare in azymo, patet expresse ex Ecclesiæ consuetudine, & ex cap. ex litteris de celebratione Missarum, vbi grauiter punitur presbyter, qui in fermentato consecrauerit, hæc conclusio est Doctor. in hac quæst. sub littera c. & idem dicendum est de sacerdote Græco, qui suæ Ecclesiæ consuetudinem seruare tenetur, vt patet ex Conc. Floren. loco supracitato.

3 Conclusio Tertia conclusio, tam Græcis, quam Latinis licet Ecclesiæ suæ consuetudinem obseruare, hæc conclu. est communis, & certa: Docet eam Leo. nonus dicta epistola capi- *Leo. 9.* tulo vigesimo nono, vbi & Latinorum consuetudinem defendit, & subdit eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem, & prudentiam, vt cum tam extra, quam intra illam, multæ sint Græcorum Ecclesiæ nullam a paterna sua traditione perturbet, sed etiam eam seruare moneat, & suadeat, quod etiam nunc in Romana Ecclesia obseruari conspicimus, vnde constat iure diuino neutram horum, scilicet vel in azymo, vel in fermentato tantum conficere esse præceptum, quia solum Christi factum non satis est ad inducendum præceptum, nam licet consecrauerit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare, neque ex alio testimonio scripto, aut tradito potest huiusmodi præceptum colligi, & supradicta Romanæ Ecclesiæ consuetudo satis docet, nullam esse vniuersale præceptum non modo diuinum, verum e- *4 Conclusio* tiam neque humanum.

Quarta conclusio. Rationabilior est vsus, quem tenet sancta Romana Ecclesia consecrans in azymo, probatur primo, quia Christus sic consecrauit, vt dictum est, & panis azymus magis congruit sinceritati, & simplicitati, quæ requiritur ad suscipiendum hoc Sacramentum iuxta illud Pauli ad Ephesios dicentis. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis, hæc conclusio est Doct. in fine huius quæstionis, & huius Romanæ Ecclesiæ consuetudinis multas, *Alx. de Al* & valde pulcras congruentias assignat Alexand. de Ales. quarta parte, quæstione 10. loco supracitato.

Ad fundamenta pro opinione Græcorum respondetur, & ad primum dico, quod hoc nomen Pascha iuxta sen- *Innocent.* tentiam Innocentij III. libro quarto de Missa capitulo se- *Pascha mult. modis accipitur.* cundo, multis modis accipitur in scriptura, quandoque enim dicitur hora immolationis agni typici Lucæ 22. Appropinquabat dies festus Iudæorum, qui dicitur Pascha, Glossa, Pascha vocatur solus dies, in quo agnus occidebatur ad vesperam. i. 14. Luna primi mensis, interdum Pascha dicitur agnus Paschalis typicus Lucæ 22. venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha. quandoque dicitur verus agnus 1. Cor. quinto, Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, quandoque dicitur festus azymorum, qui fuit 15. Luna post æquinoctium vernale Ioan. 13. Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, & cætera, quandoque cibus paschalis, quem tunc debuerunt, & licebat comedere septem diebus paschalibus Io. 18. & non introierunt prætorium ne contaminarentur, sed manducarent Pascha, id est, cibos paschales, azyma scilicet, quæ tunc licebat comedere secundum legem, vnde Exodi 12. primo mense decimotertio die mensis ad vesperum comedetis azyma vsq; ad 21. eiusdem mensis, vnde patet, quod hoc nomen Pascha est valde æquiuocum, & ex huius nominis æquiuocatione Græci decepti sunt.

Ad propositum tamen Pascha sumitur duobus modis, vno pro die festiuo, & sic accipitur pro toto spatio, quod est inter duas noctes a solis ortu vsque ad occasum, & hoc modo accepto die festo Christus cænauit ante diem festum Paschæ, quia cænauit ante diem 15. quæ erat dies integra Paschæ, dies numero 14. non erat totum festum, sed festum incipiebat a vesperis ipsius.

Alio modo accipitur dies festus pro die festo legali, dies enim festus legalis Iudæorum erat a vespera vsque ad vesperam sequentis diei, dicitur enim Leuit. 23. a vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra, & hoc modo accepto die festo Christus cænauit prima die azymorum, quia cænauit in vesperis diei 14. vnde dies festus legalis Paschæ sumebat initium, licet autem Pascha inciperet a vespere diei 14. solemnitas tamen diei erat 15. atque ita quando Io. dixit Ante diem festum Paschæ &c. intelligi debet ante primum diem solemnem, & integrum Paschæ, in quo mortuus est Christus Dominus. Hoc modo soluit Doct. hoc argumentum in hac q. sub litt. B. & D. *Scotus. D. Thom.* Thom. 3. p. q. 46. art. 9.

Ad secundum argumentum, quod erat Ioann. 18. respondetur, quod Iudæi noluerunt intrare in prætorium ne contaminarentur, quia Pilatus non erat Iudæus, & contaminationem existimabant Iudæi intrare in domum alie- *D. August.* nigenæ, vt inquit Augustinus in Io. quod verò dicitur eo die Iudæos manducasse Pascha non est accipiendum de agno paschali, sed accipiendum est de azymis panibus, qui in paschate manducabantur, vt exponit Innocentius 3. lib. *Innocent.* 4. de mysterio Missæ cap. 2. quem Scotus, & S. Thomas sequuntur.

Ad tertium, ex Io. c. 19. dico, quod Parasceue non significat idem quod Vigilia, sed idem quod præparatio: præparatio autem fiebat in die Veneris, quando Iudæi in die Sabbati non poterant parare cibaria, & ideo die Veneris præcedenti præparabant omnia illa, quæ die Sabbati erant manducaturi, & propter istam præparationem dies Veneris vocabatur parasceue, id est, præparatio, atque ita ex verbis Io. nihil aliud habetur, quam Christum fuisse crucifixum die Veneris.

Ad confirmationem dico, quod agnus paschalis non solum significabat Christi passionem, sed etiam Eucharistiæ Sacramentum, atque adeo debuit hoc Sacramentum institui eodem die, quo agnus immolabatur, dico præterea, quod non significabat mortem Christi tantum, sed omnē eius passionem, atque adeo vt figuratum responderet figuræ sufficiens fuit, quod Christi passio inciperet ab eodem die, quo agnus immolabatur, Christi autem passio incepit ab illa hora, in qua fuit comprehensus, atque ita Christus fuit passus illa nocte, qua agnus immolabatur.

Ad quartum ex D. Matth. Non in die festo &c. Dico, quod Principes sacerdotum nolebant Christum comprehendi in die festo, ne Populus eriperet Dominum Iesum è manibus eorum, tamen eorum sententia non præualuit, sed nocte festi Christus fuit comprehensus, non autem ipsa die festi. Nihil ergo aliud colligitur ex illo loco Matthæi nisi quod Iudæis videbatur consultius non comprehendere Christum Dominum in die festo, ne forte Populus concitatus propter scandalum eriperet illum sibi de manibus, postea tamen oblata occasione, quia venit proditor promittens se Christum traditurum facillimo negocio mutauerunt consilium, atque ita decreuerunt Christum comprehendere tempore a Iuda constituto, hoc est, primo die azymorum, atque intentum opere compleuerunt.

Digitized by Google

DVBIVM IV.

An Græci peccent consecrando in fermentato.

Richardus. *Innocent.* RIchardus in 4. d. 11. art. 2. q. 3. apertissime dicit Græcos conficientes in fermentato grauiter peccare, eo quod Christus de azymo cõfecit, & quia Petrus Christi Vicarius sic conficiendum Ecclesiæ tradidit, & sancta Romana Ecclesia sic obseruat, & præcepit obseruari, vnde Inn. 3. lib. 4. de mysterio Missæ ca. 4. inquit: Cæterum id solum Latinis sufficeret contra Græcos, quod Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæreseon corruptio fermentauit, vt nõ solum hæreticos, verum etiam hæresiarchas produceret. Romanam autem Ecclesiam super apostolicæ fidei petrã stabili soliditate fundatam, nulla prorsus hæretica prauitatis procella potuit conquassare, sed illud semper integra fide seruauit, quod ab ipsis accepit Apostolis, qui præsentialiter eam sacris, vel instituere doctrinis, & ecclesiasticæ ritus regulam docuere, ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro, & Paulo quos & viuos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificij ritum accepit, quem hactenus inuiolabili cultu seruauit, Græci vero postquam tunicam Domini inconsutilem diuiserunt, vt perpetuæ diuisionis scandalum interponerent sacrificij ritum temere mutauere, quod autem temere fit culpabiliter fit, videtur ergo ex sententia Innocentij Græcos grauiter peccare conficiendo in fermentato.

Paludanus. *Scotus.* Sententiam Ric. sequutus est Paludanus relatus a Soto q. 1. ar. 4. Doct. subt. hac q. sub lit. c. in fine de hac re dubitare videtur, inquit enim, & forte etiam grauiter peccãt Græci, qui non se conformant Ecclesiæ Petri, maxime cum hic habeatur fundamentum solidum, quod sic Christus instituit istud sacramentum celebrandum. Sco. sequutus est Gabriel lect. 34. in Cano. *Gabriel.*

Conc. Flor. Cæterum licet ante Conc. Flo. licitum fuerit Græcos notare de crimine, vel saltẽ de hoc dubitare, nihilominus modo, quia Conc. Flor. hanc litem dirimit dicens in litteris vnionis, vnamquemque sacerdotem iuxta Ecclesiæ suæ siue orientalis, siue occidentalis consuetudinem conficere debere siue in azymo, siue in fermentato, dicendum est Græcos minime peccare ex hoc tantum, quod in fermentato cõficiunt, quare licet Græci sint schismatici arbitrãtes nos exẽplum Christi non sequi, & in hoc grauiter peccent, sintq; hæretici tamen quia illis permissum est conficere in fermẽtato propter similitudinem, quam ait Gre. quia scilicet verbum diuinum corruptione carnis nostræ vestitum est, non peccant consuetudinem suæ Ecclesiæ obseruantes, imo eam seruare tenentur.

Paludanus. Sed dubium est, an sacerdos Græcus non sequens Ecclesiæ suæ consuetudinem peccet. Paludanus d. 11. q. 1. art. cõcl. 6. videtur tenere partem negatiuam, quia sacerdos Græcus consecrans in azymo sequitur Ecclesiam Romanam, quæ est omnium Ecclesiarum caput, ergo non peccat, quin potius bene facit, patet consequentia, quia benefacit is, qui sui capitis exemplum imitatur, nam membra debent se conformare capiti suo, & confirmatur, nam sacerdos Græcus non peccaret etiam venialiter (dummodo absit scandalum) ministrando Sacramentum baptismi per formam, qua vtitur Ecclesia Romana. s. Ego te baptizo &c. prætermissa forma, qua vtitur Ecclesia Græca, & ex permissione Concilii Florentini. s. baptizetur N. seruus Christi &c. ergo quamuis panis fermentatus sit materia permissa Ecclesiæ Græcæ a Conc. Flor. poterit nihilominus absq; vllo peccato sacerdos Græcus consecrare in azymo, si non adsit scandalum.

His tamen non obstantibus dicendum est sacerdotẽ Græcum peccare mortaliter, si absq; rationabili causa in azymo confecerit, dixi sine rationabili causa, quia sacerdos Græcus transiens per Ecclesias Latinas licite potest in azymo consecrare, nam hospites, & peregrini possunt in humanis consuetudinibus ad illius Ecclesiæ consuetudinem per quam transeunt se conformare, vt docent D. Amb. & Aug. Vnde si Græcus sacerdos versetur in Ecclesia Latina, & in propriis eorum Ecclesijs conficiat optimè faciet eorum mori, & consuetudini se conformando, iuxta doctrinam Ambr. ab Aug. relatam, & probatam epistola 118. ca. 1. & epistola 119. c. 18. & habetur in cap. Ille d. 12. Verum si in Ecclesia Latina inueniantur monasteria, vel Ecclesiæ Græcorum, in *D. Ambros.* *D. August.* quibus Græcorum ritus seruantur, debent Græci suæ Ecclesiæ consuetudinem seruare, quia proinde se habent, ac si in propria Ecclesia versarentur, si autem inter Latinos non extant Ecclesiæ Græcæ, & Græcus sacerdos habitans in Ecclesia Latina non sit aduena, & peregrinus (quia peregrinus posset Episcopo sciente, & permittente, seu facultatem præstante Ecclesiæ suæ ritum seruare) sed habeat certũ & stabile domicilium in azymo conficere tenetur, quia tunc nõ esset reputandus sacerdos Græcus licet antea esset, sed Latinus, quia iam factus est membrum Ecclesiæ Latinæ, atque adeo secluso speciali priuilegio debet se illi cõformare, & in azymo conficere tenetur.

His autem casibus exceptis tenetur in fermentato consecrare, & aliter conficiens peccaret mortaliter. probatur, quia sacerdos Latinus peccat si consecret in fermentato pane, vt manifeste colligitur ex cap. ex lit. de celebratione Missarũ, vbi grauissime punitur sacerdos, priuaturque officio, & beneficio, quia consecrauit in pane fermentato, tam grauis autem pœna non solet imponi nisi pro mortali culpa, sed sicut peccat sacerdos Latinus consecrando in fermentato, ita peccat sacerdos Græcus consecrando in azymo. Et confirmatur ex definitione Conc. Florentini, vbi sicut dicit sacerdotem Latinum debere sequi consuetudinem Ecclesiæ occidentalis, ita dicit sacerdotem Græcum sequi debere consuetudinem orientalis Ecclesiæ. *Conc. Flor.*

Et confirmatur. Sacerdos Græcus, vt diffinit, Conc. tenetur sequi consuetudinem Ecclesiæ suæ, sed istud præceptũ est in re grauissima. ergo eius transgressio est mortale peccatum, & quod diximus de sacerdote Græco, intelligi volumus etiam de Latino.

Ad argumentum in oppositum nego consequentiam, et ad probationem dico, quod Ecclesiæ particulares non tenẽtur in omnibus imitari Ecclesiam Romanam, quæ est caput omnium, debent autem in omnibus illi parere, cum ergo Ecclesia Romana in Conc. Floren. præcipiat sacerdotibus Græcis, vt sequantur consuetudinem suæ Ecclesiæ necessarium est, vt in hoc pareant illi sacerdotes Græci, hoc enim est conformare se suo capiti, id est, voluntati, & dispositioni eius.

Ad confirmationem nego similitudinem, & ratio discriminis est, quoniam consuetudo Ecclesiæ Græcæ ministrandi baptismum per illam formam baptizetur seruus Christi &c. tolerata quidem fuit ab Ecclesia Romana in Cõc. Florent. non tamen fuit approbata, atque adeo non præcepit Ecclesia Romana, vt sacerdotes Græci sequerentur istã consuetudinem suæ ecclesiæ, sed solum permisit. Cæterũ consuetudo celebrandi in fermentato non solum fuit permissa sed probata, & ex consequenti posita in præcepto ipsis sacerdotibus Græcis. Huius ratio est, quoniam consuetudo ministrandi baptismum in illis verbis baptizetur seruus &c. fuit male introducta, & habuit fundamentum in quorumdam errorem, existimantium in forma Sacramenti baptismi nõ esse licitum explicare personam ministri, atque adeo censebant errare Ecclesiam Latinam vtentẽ hac forma. Ego te baptizo. Quo circa illa forma Græcorum si consideretur habita ratione ad suum initium est protestatiua erroris, & schismatis introducti in Ecclesia Græca, atq; adeo Conc. noluit illam approbare tamquam rationabilẽ, & rationabiliter introductam, sed tantum permisit eo, quod secundum substantiam hæc verba sufficiunt ad veritatem huius Sacramẽti, & ne impediretur vnio Ecclesiæ Græcæ, & Armenæ cum Ecclesia Latina, Concilium in decreto vnionis facultatem concessit, & si non formaliter saltem virtualiter ministris Ecclesiæ Græcæ, & Armenæ vtendi illa forma, verum tamen consuetudo celebrandi in fermentato rationabiliter introducta fuit in Ecclesia Græca, vt diximus supra ex Innocentio 3. vt patet ex Doct. in hac q. sub lit. c. & non sine probabili ratione, vt diximus supra ex D. Greg. & ex consequenti non est protestatiua alicuius erroris aut schismatis, vnde Romana Ecclesia merito illam probauit tamquam rationabilem, quamuis amplexa sit oppositam consuetudinem celebrandi in azymo, vt rationabiliorem.

Digitized by Google

DVBIVM V.

An ex omni genere panis possit hoc Sacramentum confici.

Tho. Argē. *Gabriel.* *Albertus.* *Caietanus.*

DE hac re fuit opinio Thomæ ab Argentina in 4. d. 11. p. 2. q. 1. art. 1. qui affirmat totum genus tritici esse sufficiens materia huius Sacramenti, atque adeo sufficere, quod panis sit ex frumēto, siue triticeus sit, siue hordaceus, vel similis, quam sententiam sequi videtur Gab lect. 35. in Cano: & primo fuit sententia Alberti in 4. d. 11. ar. 7. idem tenuit Caiet. 3. p. q. 74. art. 3. quamquam in Romana impressione pars illa cōmentatij expuncta sit, fundamentum huius sententiæ esse potest, quia si ad institutionem huius Sacramenti recurratur solum legimus Christum accepisse panem, & consecrasse, si ad Ecclesiæ traditionem, solum docet panem esse materiam c. firmiter de summa Trinit. c. cum Marthæ, de celebrat. missarum c. 1. & sequenti de cōs. d. 2. ergo non licet nobis hanc materiam restringere, nam panis, vt sic abstrahit, & indifferens est ad omnem panem fermētaceum, & quilibet panis ex frumēto confectus dicitur simpliciter panis, siue triticeus sit, siue hordaceus & c. Præterea materia sacramenti debet esse certa, si autem dicamus genus frumenti sufficere erit certissima, si verò requiramus aliquam speciem. v. g. tritici erit nimis incerta, tum quia vix potest distingui triticum a non tritico, vt a siligine, spelta, & similibus, tum etiam quia in granis tritici videtur esse diuersitas specifica, & non erit maior ratio admittendi vnam speciem, quam aliam, si autem omnes admittantur, eadem ratione poterunt omnes species frumenti admitti.

Pro huius difficultatis resolutione obs. est. non esse necesse ad confirmandam veritatem sacramenti Eucharistiæ, quod panis triticeus sit species specialissima, neque ad hoc est attendendum, sed tantum, quod secundum communē existimationem, & familiarem modum loquendi possit cēseri triticum, volo dicere, quod quamuis probabiliter forsan, triticum quod est apud nos, & triticū selectum, quod apud nos appellatur siligo, vel spelta sint diuersarum specierum, vtrumque tamen est sufficiens materia Eucharistiæ, quia vtrumque secundum communem existimationem est verum triticum aptum ad conficiendum verum panem, quemadmodum etiam si dicamus multa vina vitis reperiuntur specie distincta, vt maluaticum, mosatum, Græcum &c. nihilominus vniuersa illa vina esse materiam Eucharistiæ, quoniam omnia secundum communem appellationem, & existimationem conueniunt simpliciter in isto nomine vinum vitis. Sicut in alijs Sacramentis hoc est verificandum, nam licet aqua pluuialis forte differat specie ab aqua, quæ generatur in uisceribus terræ, vtraque tamen aqua est materia baptismi sine dubio, quoniam vtraque secundum existimationem communem est aqua vera, & naturalis, & quidem cum materiæ sacramentorum debeant esse certæ, & determinatæ, distinctio autem specifica sit fere incognoscibilis, materiæ sacramentorum non debent reduci ad huiusmodi vnitatem, vel diuersitatem specificam, vt optime notauit Scotus in hac q. sub litt. a. §. Quo ad secundum dubium.

Secundo obser. est, quod ad materiam Eucharistiæ requiritur, quod illud granum, ex quo conficitur panis secū dum communem appellationem appelletur triticum, vel saltem sit eiusdem speciei specialissimæ cum aliquo grano ex his, quæ communiter appellantur triticum, potest enim contingere, quod aliquod granum sit re vera triticū, quod tamen propter sui imperfectionem non solet communiter appellari triticum, sicut infans reuera est homo, & tamen ob imperfectam ætatem non solet vocari homo. Hinc sequitur, quod siligo quamuis secundum appellationem cōmunem non soleat vocari triticum, sed secal, vel materno nomine segala. Alex. de Ales. & D. Thomas probabiliter existimant esse eiusdem speciei cum tritico, & consequenter esse veram materiam Eucharistiæ. *Ale de Al.* *D Thomas.* An verò ita sit, quod siligo sit eiusdem speciei cum tritico, vix potest a me certo definiri, nam ratio qua id sibi suadet D. Thom. non est satis firma, quamuis reuera sit probabilis, ratio D. Thom. ea est, quoniam sæpe contingit, quod ex tritico nascatur siligo propter debilitatem terræ, in qua seminatur, næc ratio non est solida, quoniam multi dicunt, & existimant, quod etiam ex tritico generatur hordeum, & tamē sine dubio distinguitur specie ab hordeo, & etiam quando ex tritico generatur lolium, atque etiam videmus, quod ex equo generatur mulus, sed nihilominus ratio D. Thom. probabilis est vt dixi, quoniam ex tritico ad siliginem facilis est trāsitus, & ita inquit Columella li. 2. quod in terra sterili ad tertiā, & quartam seminationem tritici, si immediate fiant huiusmodi seminationes nascitur siligo. *Columella.*

Postremo obser. est, quod aliqua nomina, quibus significantur grana varias habent acceptiones apud diuersos authores, & idcirco varie etiam procedunt Theologi, sed reuera fere omnes idem docent, quamuis videantur opposita docere, eo quod ista nomina in diuersis acceptionibus desumunt. Ex his

1. Conclusio *D. Thomas.* *Caiet.* *Sotus.* *Ale de Al.*

Dico primo. Panem confectum ex filigine, hoc est ex segala esse sufficientem materiam Eucharistiæ ita D. Thom. Caiet. Sotus, & Summistæ verb. Eucha. & quamuis Alex. de Ales. vbi supra neget siliginem esse materiam sufficientem Eucharistiæ, accepit siliginem prout auenam significat, quæ interdum ex tritico per corruptionem generatur, & interdum siligo a Latinis nominatur.

2. Conclusio *Ale. de Al.* *Palud.* *Sotus.* *Dioscorides.*

Dico secundo, speltam, seu panem ex granis speltæ confectum esse materiam sufficientem Eucharistiæ, ita docent Alex. de Ales. vbi supra, Paludanus, & Sotus indicat esse materiam sufficientem, & re vera si consulantur dictionarij, omnes affirmant speltam, quæ Græce dicitur Zea esse speciem tritici, imo esse delicatum panem, Dioscorides etiam lib. 2. cap. 30 fauet huic sententiæ, dicit enim speltam esse medium quoddam inter hordeum, & triticum proximius accidens ad triticum, & videtur insinuare, quod accidentaliter solum differt a tritico, sic diximus de silígine.

3 Conclusio *Palud.* *Sotus.* *D. Thomas* *Marsilius.* *Siluester.* *Angelus.* *Plinius.*

Dico tertio, probabile est, panem factum ex farre esse sufficientem materiam Eucharistiæ, quoniam ita sentiunt grauissimi Authores, vt Palu. & Sotus, & fortē far idem significat quod candit apud Alensem, estque vt inquit Sotus far species tritici delicatissima. At vero D. Thomas, quem Marsilius, Siluest. Ang. & alij sequuntur negant far esse materiam, quia non existimant esse triticum, sed fortasse isti Authores nomen satis vsurpauerunt, vt Plinius loco supracitato, vbi ait quandam speciem farris esse durissimam, ex qua forsan non fit humanus panis.

4 Conclusio

Dico quarto sub censura tamen doctiorum, quod regulariter loquendo erit peccatum mortale consecrando panē ex farre confectum, vel ex alio quocumque grano, de quo non constat apud omnes, vel fere apud omnes Authores esse eiusdem speciei cum tritico, itaque erit peccatum mortale prætermittere panem triticeum cū potest facile haberi, & consecrare panem ex silígine, vel spelta, siue ex farre, quoniam huic Sacramento debetur specialis reuerentia inter omnia alia sacramenta. Cæterum quando non adest copia panis tritici, neque potest haberi existimo nullum esse peccatum sequi opinionem vere probabilem, quia in qualibet materia siue iustitiæ, siue Religionis licitum est sequi opinionem vere probabilem, & quæ viris grauissimis placet.

Ad argumenta contrariæ sententiæ solutio patet ex his, quæ diximus in superioribus art. Ad primum ostensum est nomine frumenti, & panis simpliciter dicti intelligi panem triticeum, & ita esse explicatum in Concilijs, & communi consensu, & traditione Ecclesiæ. Ad secundum respondetur panem triticeum esse satis certam, satisque communem materiam, cuius signum est quia hactenus practice, & moraliter numquam fere dubitatum est in particulari, & in indiuiduo de tali materia, neq; alicubi defuit, quia quamuis fortasse in aliqua regione non generatur triticū facile asportare potest. Nec refert ad materiam Sacramenti, quod specie differant tritici grana, nec ne, quia sacramenti veritas non pendet ex specifica vnitate materiæ tantum, ergo de illius necessitate est, quod sit panis triticeus. Verisimile tamen est quod D. Thom. 3. p. q. 74. art. 3. & D. Bonauentura, & Duran. hac d. ac fere alij Theologi sentiunt omne triticum esse eiusdem speciei substantialis, quia inter ea non apparet tanta diuersitas accidentium, atque effectuū, quæ substantialem diuersitatem indicent. *D Thomas* *D. Bonauent.* *Durandus.*

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆSTIO VII.

Vtrum solum vinum expressum de vuis sit conueniens materia conuersionis in sanguinem Christi.



D. Cyprian. Chrysost. August. Circa hanc materiam sanguinis errauerũt Aquarij, ideo sic appellati, quoniam aquam tantum in calice offerebant, cõtra quos disputat D. Cyprianus lib. 3. Epistolarum epistola 2. ad Cæcilium, & Chrysostomus hom. 83. in Matth. & Aug. in lib. de hęresibus, hæresi 64. Itẽ Manichęi non adhibebant omnino vinum eo quod illud abominabantur, sed tantum in altera illa sua turpissima specie, quam ante diximus contra Christi institutionem Eucharistiam conficere conabantur, & August. passim commemorat in lib. contra Faustum Manichęum, & *Leo.* Leo etiam refert serm. 4 de Quadragesima. Item Marcosiani a quodam Marco dicti in aqua conficiebant pauxillo albo vino admixto, quam quidem aquam incantatione quadam rubram reddebant, vt facerent aptam materiam Eucharistiæ, sicut colligere licet ex *Irenæus.* Irenæo lib. 1. aduersus hæreses c. 9 & Epiphanio hæresi 34. *Conc. Brac.* Alij offerebant lac vini loco, vt ex Conc. Bracarensi 3. in præfatione apparet, vbi etiam fuerunt alij quidam notati, quod vuarum botros compressos etiam sine succo offerrent in calice pro vino. Et denique aliqui in sanguine menstruo mulieris conficiebant, vt de Gnosticis refert *Epiphanius* Epiphanius hæresi 26. Sed hi omnes errores nullum habẽt, vel apparens fundamentum, quod dissoluere oporteat, atque adeo omissis huiuscemodi erroribus.

1. Conclusio Primum omnium certum est materiam huius sacramẽti, sine qua sanguis confici non potest, esse vinum vitis, in hac conclusione nulla est controuersia, & probatur primo ex institutione Christi Domini, qui vinum vitis consecrãdum instituit in sanguinem, iuxta illud Matt. 26 De hoc genimine vitis non bibam donec illud bibam vobiscum nouum in regno Dei: namquamuis hic locus Matt. diuersis habeat expositiones, tamen ex illo satis colligitur vinum illius cœnæ fuisse vitis, addidit autem Christus. Hoc facite, &c. *Conc. Aure.* Vnde in Concilio Aurelianensi 4. ca. 4. dicit non esse in calice offerendum aliud, quam quod ex mandatis sacratissimis Christus tradidit, quod explicans dicit esse illud, quod ex fructu vineæ nascitur. Conuenientia autem huius institutionis inde constat, quod Sacramentum Eucharistiæ est plena refectio animæ, secunda verò pars principalis est potus. Vinum autem vitis est potissimus potus confortans, & lętificans cor hominis testante ps. 103. & vinum lætifi. et cor hominis, & confirmatur concl. ex defini*Conc. Flor.*tione Concilij Florent. in decreto Eugenij. in quo expresse definitur materiam sanguinis esse vinum vitis, & colligitur ex c. firmiter de summa Trinit. & ex c. cum Marthæ de celebratione missarum, habetur etiam hæc concl. ex grauissimis Patrum testimonijs, quæ referuntur de consf. d. 2. & licet vinum possit esse multiplex, & specie diuersum, vt si*Arist.*gnificat Arist. 4. Metheororum. c. 10 & patet in vino albo, & nigro, hoc tamen ad rem Theologicam non refert, satis est enim si absolute, & simpliciter sit vinum de vite, præterquam, quod Arist. exponi posset, sed de diuersitate accidentali, vt volunt Rich. d. 10. art. 2. q. 5. ad primum, & So*Richardus. Sotus.*tus d. 9. q. 1. art. 5. & est verisimile, quia sola illa differentia coloris subtilitatis, & grossitiei non satis indicant substantialem diuersitatem, cum alias sit maxima in effectibus, & alijs proprietatibus similitudo, vt inter homines etiam videre licet.

Conclusio Secunda cõcl. In vino alio quocumque siue pomorum, siue aliorum fructuum non potest fieri consecratio sanguinis Christi, probatur, quia alia vina præterquam vitis non sunt vina nisi secundum quid, & æquiuoce, & non absolutè, sed cum addito, vt potè vinum cereuisiæ &c. nam huiusmodi vina non solum specie differunt a vino vitis, sed quodammodo etiam genere. hæc concl. est Scoti in hac q. sub litt. a.

Conclusio Tertia concl. Vinum consecrandum debet esse expressum de vuis, atque in sua substantia permanens, probatur, quia quamdiu liquor est in vua, magis habet rationem comestibilis, quam potabilis. Item quamdiu liquor est contentum in vuis non est per se præsens. Vnde si dicatur, hic est sanguis in rigore pronomen illud non demonstrabit vinum sed vuam, quia liquor clausus in vua semper est per modum partis, & per se latens, & quasi insensibilis, hæc conclusio est Scoti vbi supra.

4 Conclusio Quarta conclusio. Agresta non est materia sufficiens cõsecrationis sanguinis, vt docent omnes Theologi *Ale. de Al. D. Thom. Richardus.* Alex. de Ales, p. 4. q. 10. m. 4. art. 1. §. 9. D. Thom. 3. p. q. 74. art. 5. ad tertium, & Rich. vbi supra, & habetur in Missali Romano in defectibus Missæ, & ratio est, quia non est vinum, neque eiusdem speciei cum vino formaliter loquendo, sicut pasta cum pane (inquit Alex.) ad esse enim vini requiritur, quod liquor vini sit digestus, vt enim habetur ab *Isaac.* Isaac, vinum odoriferum liquorem habet penitus, quia est digestum, liquor autem agrestæ est indigestus, item vinum naturale est calidum effectiue, agresta autem frigida, hæ autem proprietates digestum, & indigestum, effectiue calidum, & effectiue frigidum, & aliæ quam plures, quibus distinguitur agresta a vino attestantur diuersitatem specierũ quibus differunt, nec differt agresta a vino, sicut incompletum a completo in eadem specie, sed sicut sanguis differt a carne, quem constat non esse in eadem specie cum carne, sed sicut per complementum digestionis cõuertitur in carnem, sic agresta per complementum digestionis in vua cõuertitur in vinum, sed quicquid sit de hoc satis est non esse materiam potabilem per modum vini.

5. Conclusio Quinta concl. mustum ex vuis maturis expressum est quidem in rigore sufficiens materia, nõ tamen conueniẽs donec sit purum, & satis concoctum, ita docent *Ale. de Al. D. Thom.* Alex. D. Thom. vbi supra, vnde in c. cum omne crimen de consf. d. 2 dicitur. Si necesse fuerit posse botrum in calice exprimi, & aqua misceri, & ita confici, ratio vero est quia illud in substantia est vinum licet accidentaliter non omnino perfectum, nec purum, quia nondum separatus est aqueus humor, fęces, & fęx, quæ per decoctionem vini decerni solent, vt late patet ex *Plinius.* Plinio lib. 23. a principio, vnde *Arist.* Arist. 4. Metheororum c. 10. vocat mustum vinum recens. ex quibus patet mustum esse materiam aptam consecrationis. Cæterũ permixtio illa, & imperfectio quam habet ante plenam decoctionem sufficit, vt non sit materia conueniens, atque adeo, quod sit peccatum in illo conficere, & quidem ex suo genere graue, tum propter Ecclesiæ consuetudinem, tum propter indecentiam, & irreuerentiam.

6 Conclusio Sexta concl. acetum non est materia huius sacramenti, quia fit ex corruptione substantiali vini, vt ex effectibus colligi potest, & quia non potest iterum in speciem vini redire, & ideo Arist. 8. Met. c 14. acetum comparat cadaueri, & hæc concl. est sententia fer. omnium Theologorum, & habetur in Missali Romano. Contrariũ tamen sentit *Glossa.* Glo. de consf. d. 2. & indicat *Innocent.* Innocentius li. 4 c. 30. in fine vbi habet ita verba. Licet autem diligenti studio vinum optimũ sit quærendum, vt sacrificium offeratur, vitium tamen vini non maculat munditiam sacramenti, quocirca siue vinum nouum, quod dicitur mustum, siue vinum acidum, quod appellatur acetum in sacrificium offeratur sacramentum conficitur, & diuinitus consecratur. Fauet *Isidorus.* Isidorus lib. 20. Etymol ca. 3. vbi acetum numerat inter species vini, sed si hæc sententia intelligatur proprie de aceto omnino falsa est, si vero exponatur cum *Ale. de Al.* Alex. de Ales. vbi supra §. 8. de vino acido, seu acescente, quod nondum formam substantialem amittit, illud sufficiens esset materia, vnde obs. est ex eodem Alex & *Richardus.* Rich. loco supracitato ad primum, quod acetum potest accipi pro vino vergente ad acidam qualitatem manente adhuc forma substantiali vini, ita ut nõ sit tanta corruptio, vt sit exhalatio siue euaporatio partium ignis, & radicalis, & fluxibilis, sed fluxibilis tantum, & cũ vt sic maneat vinum in substantia, potest in eo confici, & de isto intellexit Innocentius. Alio modo pro aceto completo, ita ut facta est tanta vini corruptio, vt facta sit euaporatio, siue exhalatio partium ignis nedum fluxibilis, sed etiam radicalis, & vt sic cum non sit vinum neque in natura, neque in substantia de tali non potest confici. Hæc distinctio videtur posse trahi a *Galenus.* Galeno in cõmentario Aphorismorum, qui comparat corruptionem in vino ad corruptionem in sanguine sic. Cum vinum soleat mutari in acetum, & imperfectum acetum deuenerit, impossibile est in vinum redigi amplius, quod si parum mutetur, & non ad acredinem ducatur, plurimum ad naturam vini vertitur. Idem in sanguine intellige, quia si corruptus est nimium, impossi-

Digitized by Google

impoſſibile eſt, quod in purum ſanguinem reducatur, ſi parum ſuperſluitate minuta remanens in ſuam materiam reuertitur, eſſet tamen interdum graue peccatum in aceto priori modo accepto conficere pro ratione dubij, vel irreuerentiæ, vt D. Thom. adnotauit. *D. Th. mas.*

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum vinum congelatum ſit ſufficiens materia huius Sacramenti.

NOn loquor quantum ad decentiam, res enim eſt manifeſta, quod erit peccatum mortale conſecrare vinũ omni ex parte congelatum, ſed loquimur quantum ad neceſſitatem Sacramenti, de hac re eſt duplex opinio, quidã enim negant vinum congelatum eſſe materiam ſufficientem Euchariſtiæ, vt Armilla verbo Euchariſtia num. 19. Martinus a Ledeſma in 4. q. 15. arti. 5. dubio 1. & Alanus lib. 1. de Euchariſtia c. 11. quæ ſententia duobus modis explicari poteſt, primo affirmando per huiuſmodi congelationem vinum ſubſtantialiter corrumpi, cuius ſignum eſt, quia perdit colorem, ſaporem, & ſimiles qualitates, ſecundo defendi poteſt hæc ſententia dicendo in vino congelato manere quidem vini ſubſtantiam, & ideo ſi liquefiat eſſe ſufficientem materiam, tamen dum congelatum eſt non eſſe aptum conſecrationi, quia non habet formam, & rationem potus, ſicut aquæ gelu, licet ſubſtantialiter aqua ſit non poteſt tamen eſſe materia Baptiſmi, quia non eſt aptũ ad lauandum, fundamẽta huius ſententiæ eſſe poſſunt iſta. *Armilla. Ledeſma. Alanus.*

Vinum congelatum non eſt in forma potabili, ſed hoc eſt omnino neceſſarium ad veritatem huius ſacramenti, quoniam cum ſit alimentum ſpirituale requirit materiam, quæ ſit in forma alimenti. Et confirmatur. Aqua congelata non eſt ſufficiens materia baptiſmi, eo quod nõ eſt in forma ſufficienti ad abluendum, ergo cum vinum congelatũ non ſit in forma potabili non erit materia ſufficiens Euchariſtiæ.

Secunda ſententia affirmat eſſe materiam conuenientẽ, ita ſentit Siluest. verbo Eucha. 2. q. 10. Ang. verbo Miſſa n. 23 Sotus d. 9. q. 1. art. 5. Et probatur, vinum congelatum nõ differt ſpecie a vino liquido, quoniam tantum differunt ſecundum denſitatem, & raritatem, quæ ſunt differentiæ accidentales, ergo &c. probatur ſecundo, ſi vinum conſecratum conuertatur in gelu, verè manet ibi ſanguis Chriſti, ergo ibi eſt ſufficiens materia huius Sacramenti. Hoc argumentum dupliciter ſoluunt Authores contrariæ ſententiæ. Alanus, & quidam moderni negant antecedens, dicunt enim, quod quamuis vinum congelatum non differat ſpecie a vino liquido, tamen eo ipſo quod conſtituitur in forma non potabili deſinit ibi eſſe ſanguis Chriſti, ſed hæc ſolutio improbabilis eſt primo, quia ſecundum vſum Eccleſiæ Romanæ vinum congelatum poſt conſecrationem reſoluitur per calefactionem calicis, & ſumitur a ſacerdote, vt diſponitur in Miſſali Romano, vbi agitur de defectibus contingentibus circa Miſſam, vbi ſic legitur: Si in hieme ſanguis congeletur in calice inuoluatur calix pannis calefactis, ſi id non proficeret ponatur in feruenti aqua prope altare dummodo in calicem non intret donec liquefiat. Hoc autem non deberet fieri ſi non remanſiſſet ibi ſanguis Chriſti, ſed aliud vinum conſecrandum eſſet, ne ſacrificium imperfectum maneret, ſecundo in illo caſu non generatur aliqua ſubſtantia ſub ſpeciebus conſecratis, manet ergo ſub illis ſanguis Chriſti, conſequentia eſt ab omnibus admittenda, & antecedens probatur, ſi ſub illis ſpeciebus eſſet ſubſtantia vini non corrumperetur per coagulationem, vt admittunt nobiſcum Authores oppoſitæ ſententiæ, ſed numquam generatur aliqua noua ſubſtantia ex ſpeciebus conſecratis, niſi quando corrumperetur ſubſtãtia vini ſi adeſſet ibidem. Et confirmatur, congelatio non eſt ſufficiens diſpoſitio ad corrumpendam ſpeciem, & ſubſtantiã vini, ergo nec eſt ſufficiens diſpoſitio ad introducendam aliquam nouam ſubſtantiam, & ex cõſequenti in noſtro caſu non poterit generari aliqua noua ſubſtantia ex ſpeciebus conſecratis, niſi recurramus ad nouum miraculum, quod non eſt admittendum in ſacramentis abſque grauiſſima neceſſitate. *Silueſter. Angelus. Sotus.*

Alia ſolutio eſt, quæ negat conſequentiam illius argumenti vnde dicunt, quod vinum congelatum eſt ſufficiens materia in facto eſſe, non autem in fieri huius ſacramenti, neque hoc eſt mirabile, quia plus requiritur ad generationem rei, quam ad eius conſeruationem, hæc ſolutio videtur probabilis, ſed certe non ſatisfacit, quoniam licet ad generationem rei requiratur aliquid amplius per modum diſpoſitionis, & cuiuſdam conditionis neceſſariæ, quam ad eius conſeruationem, tamen materia illa, quæ ſecundum ſubſtantiam eſt ſufficiens ad conſeruationem rei, eſt etiam ſufficiens ad eius productionem, at in præſentia tantum attenditur neceſſitas materiæ ſecundum ſubſtantiam, nam diſpoſitiones naturales, quæ non ſufficiunt mutare ſubſtantiam materiæ huius Sacramenti, per accidens ſe habent ad veritatem huius Sacramenti, nam quod ſit materia calida, frigida &c. nihil refert ad hoc Sacramentum.

Pro ſolutione ergo obſ. eſt aliud eſſe loqui de vino iam conſecrato, & poſtea congelato, vel de vino congelato ante conſecrationem, & rurſus illud conſiderari poteſt, vel in illo ſtatu, vel ſi iterum liquefiat. Hoc ſuppoſito dico primo, vinum conſecratum etiamſi congeletur retinere conſecrationem, & ſanguinem Chriſti, quia reuera non eſt ſubſtantialiter corruptum, cuius ſignum eſt, quia ſi poſtea liquefiat habet qualitates, & effectus vini, ergo vinum eſt, ſi autem fuiſſet corruptum non potuiſſet per ſolam liquefactionem ad vini naturam redire. *1. Concluſio*

Dico ſecundo. Si vinum congelatum ante conſecrationem poſtea liquefiat eſſe materiam ſufficientem conſecrationis, hæc concl. ex ſuperiori concl. certa eſt, conſultius tamen exiſtimarem non conſecrare in illo, ſi aliud vinum haberi poteſt, vnde ſi contingat in Miſſa inuenire congelatũ vinum ante conſecrationem etiam poſt oblationem, optimum conſilium erit mutare, & iterum offerre, & poſtea conſecrare. *2. Concluſio*

Dico tertio, vinum congelatum eſſe materiam ſufficientem, quia illud eſt vinum vitis, & conſequenter eſt per ſe materia potabilis, accidentarium enim eſt, quod ſub illa diſpoſitione potari non poſſit, ſatis verò eſt, quod in ſe, & ab intrinſeco habeat materiam, & formam potabilem, ad quam facile, & ab extrinſeco redigi poſſit. Ex his reſpondetur ab argumenta in oppoſitum, & *3 Concluſio*

Ad primum dicitur communi ſolutione, quod per ſe vinum congelatum potabile eſt, per accidens autem bibi non poteſt propter accidentalem diſpoſitionem, ſecundo dico, quod licet vinum congelatum non eſt in vltima diſpoſitione, vt poſſit bibi, eſt tamen in diſpoſitione quaſi proxima, quoniam facile poteſt reduci ad diſpoſitionem, in qua bibi poteſt, quod autem parum diſtat ſecundum regulam iuris nihil diſtare videtur, atque adeo ſimpliciter dici poteſt vinum congelatum eſſe potabile, quia facile poteſt, & ſolet reduci in formam potabilem. Ad confirmat. negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt quoniam baptiſmus conſiſtit eſſentialiter in vſu materiæ, atque adeo requirit materiam in vltima diſpoſitione conſtitutam, vt illa vtamur. Cæterum Euchariſtia non in vſu, ſed in conſecratione materiæ conſiſtit, & ex conſequenti ſatis fuerit, quod materia ſit in proxima diſpoſitione, vt ſecundum morem humanum poſſimus facile illa vti in potum, & hæc eſt ratio fundamentalis noſtræ ſententiæ.

DVBIVM II.

Vtrum in hoc Sacramento aqua ſit vino miſcenda.

ALphonſus a' Caſtro contra Hereſ. verbo Euchariſtia hæreſi 7. dicit Græcos ſic vinum in calice apponere, quod nullam penitus miſceant aquam, atque aſſerere minime miſcendam eſſe, qui error potius fuit Armenorum, quam Græcorum, & colligitur aperte ex Conc. Florent. & ex 6. Synodo generali can. 32. præterquã, quod in Liturgia Chryſoſtomi legitur Græcos ante verba conſecrationis infundere in ſacrum calicem vinum, & aquam dicendo illa verba. Et ſtatim exiuit ſanguis, & aqua, non ergo videntur Græci hanc mixtionem omiſiſſe, vnde Theophilactus Græcus Io. 19. circa finem hunc errorem tribuit Armenis, idem Nicephorus lib. 1. c. 53. dicit Armenos non miſcere aquam, vt ſignificent Chriſtum vnius tantũ eſſe naturæ, at verò Græcos illam miſcere propter duarum naturarum ſignificationem, itaque non videtur dubium quin Græci aquam vino miſceant, vt etiam ex can. 32. Trullano, & Græcis Patribus, *Conc. Flo. 6. Synodus. Chryſoſt. Theophil. Niceforus*

& ex

Digitized by Google

& ex Conc. Florent. in decreto Eugenij certissimũ est. Ad hunc errorem accessit Caluinus negans aquam vino esse miscendam, quia non est in Euang. expressum. Lutherus verò in formale Missæ: nondum (inquit) mecum constitui miscenda ne sit aqua vino, vt refert Sanderus lib. 7. Visibilis Monarch. anno 1549. sed oppositum est veritas fidei definita in Conc. Trullano, in 3. Carthag. can. 24. & 3. Bracharensi can. 1. & Aurelian. 4. cap. 4. Affricano cap. 4. & in Conc. Florent. in decreto Eugenij, & à multis summis Pontificibus instituendis.

Sanderus. Conc. Trul. Cõc. Carth. Cõc. Brach. Conc. Aure. Conc. Affri. Conc. Flor.

Dubium autem esse potest an aqua miscenda sit de necessitate sacramenti, vel de necessitate præcepti, de qua re fuit quorundam opinio affirmantium mixtionem aquæ esse de necessitate sacramenti, ita vt si merum vinum quis tentet consecrare nihil efficiat, ita refert Bernardus epistola 96. & opinatur Armachanus lib. 9. de quæstionibus Armenorum quæst. 9. fundamentum esse potest: quia illa materia, quam Christus instituit est de necessitate sacramenti, sed vinũ aqua mixtum est necessariũ ex Christi institutione, ergo est de necessitate sacramenti, minor probatur primo, quia institutionem colligimus ea facto Christi, nam Christus cõsecrauit in vino aqua mixto vt habet antiqua Ecclesię traditio, Iacobus in Liturgia. Similiter (inquit) postq. cœnauit accipiẽs calicẽ, & permiscens ex vino & aqua &c. similia verba habet Basilius in Liturgia. Clem. lib. 8. Const. cap. 12. vel 17. Irenæus lib. 4. cap. 17. vbi temperamentum calicis vocat, & lib. 5. c. 2. vocat calicem mixtum. Et in Cõc. Carthaginensi 3. c. 24. præcipitur vt in sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum. Et confirmatur auth. D. Cypriani lib. 4. epistolarum epistola 3. vel 63. dicentis ita non posse consecrari vinum solum, sicut nec aquam solam, sed vtrumq. mixtum.

Bernardus Armachan. Iacobus. Basilius. Clemens. Irenæus. Cõcil Carthagine ise. Cyprianus.

Cæterum hæc sentẽtia est omnino falsa, & forsan temeraria, tum quia aduersatur communi Theologorum sententię, qui oppositum docent, tum etiam quantũ in Conc. Florent. dicitur materiam huius sacramenti esse panem triticeum, & vinum vitis, postea dicit, quod vino est miscẽda aqua propter quasdam rationes ibi assignatas; ex isto autem modo loquendi Conc. Florentini satis colligitur mentem Concilij fuisse solum vinum vitis esse materiam necessariam, & aquam ibi admiscendam pertinere tantum ad decentiam, positam tamen in præcepto obligante ad culpam mortalem, vt dicemus infra.

Cõcil. Flor.

Dicendum est ergo hanc mixtionem non esse de necessitate sacramenti, quin si aliquis tentet consecrare in solo vino vere conficiat, & conuertat illud in sanguinem Christi est certa & cõmunis concl. Alex. de Ales p. 4. q. 10. mem. 4. art. 1. § 6. D. Thom. 3. p. q. 74. art. 8. Ric. d. 11. art. 3. q. 4. & Doct. in hac q. sub lit. B. dicentis. huic autem vino apponere aquam non est simpliciter necessarium de necessitate sacramenti. Colligitur concl. primo ex Conc. Trid. sess. 13 vbi agens de hoc sacramẽto nihil prorsus de aquę mixtione dixit, postea vero sess. 22. agens de sacrificio solum dixit, Ecclesiam hanc mixtionem præcepisse indicans eam non esse de necessitate sacramenti, sed esse ritum quendam, & cęremoniam sacrificij *Missæ*. Fauet etiam Concil. Florent. loco supracitato, vbi præcipit vt Armeni se se cum vniuerso orbe conforment, quo in loco non reprehendit eos, vt non conficiant, sed solum quòd ab vniuersali consuetudine discordent.

Conclusio. Alex. de Ales. D. Th. Richardus. Scotus. Conc. Trid. Conc. Flor.

Ad fundamenta alterius sententię concedemus Christũ cõsecrasse in vino aqua mixto, vt magis explicabimus infra, sed negamus ea hoc hanc mixtionem esse de necessitate sacramenti; & ratio est, quia Christus Dominus non instituit hanc cæremoniam, vt essentialem, quod habemus ex Ecclesiæ traditione, quæ simpliciter docet vinum esse materiam sufficientem, vnde in Euang. vini tantum fit mentio in illis verbis. Non bibã amodo de hoc genimine vitis, sed vinum purum est simpliciter vinum, ergo in rigore est sufficiens materia, atq. adeo mixtio aquæ absolutè non est de necessitate sacramenti. Ad confirmationem ex Cypriano dico aliud esse significare vnum sine alio, & aliud significare vnum sine alio, illud prius potest significationem efficere falsam, hoc posterius per se non reddit significationem falsam, sed aliquam omittit, & ita est in proposito, nam qui consecraret vinum sine aqua, non significaret posse nos saluari sine Christo, aut Christũ non effudisse sanguinem suum pro nobis, sed significaret ibi esse sanguinem Christi aliam significationem omittendo; secus verò esset si quis tentaret conficere in sola aqua, nã ille significaret, vt Cyprianus ait, nos incipere esse sine Christo .i. sanctificari sine sanguine Christi, aliter autem dicitur esse in sacramento sanguis Christi, & aliter dicimur nos ibi esse, ille realiter per conuersionem vini in ipsum, nos autem significatione per mixtionem aquæ, atq. adeo contra substantiam sacramenti est significare nos ibi esse sine sanguine Christi, non verò significare sanguinẽ non significando nos; Et quod hæc sit intentio Cypriani patet expresse ex verbis eiusdem in citata epistola vbi dicit, eis, qui sine mixtione aquæ interdum consecerunt, posse veniam concedi, quia ex ignorãtia fecerunt, quibus verbis indicat eos quidem confecisse, & verè sacrificasse, & ex ignorantia à culpa excusari, vnde ibidem subdit; si vinum sine aqua conficietur incipere sanguinem Christi esse sine nobis .i. sine significatione naturæ sanctificationis, incipit ergo ibi esse sanguis Christi ex Cypriani intentione. Vide Alex. loco supracitato, & Mag. sent. hac d.

DVBIVM III.

Vtrum admixtio aquæ sit necessaria diuino præcepto, an tantum positiuo Ecclesiæ.

De hac re est duplex opinio, prima affirmaris hanc mixtionẽ necessariã esse necessitate diuini præcepti, ita sentire videtur Alex. Alen. vbi supra. Hossius in Confess. Polona cap. 14. in initio, & Castro verbo Eucha. hæresi. 7. cui sentẽtiæ multum fauet Cyprianus loco supracitato, qui absolute vocat hoc diuinum mandatum. Concilium Affricanum, & Aurelian. quæ vocant sacratissimũ mandatum, & saluatoris institutionem, Concilium Carthag. & Trullan. quæ vocant diuinam Christi traditionem, ergo cũ sit traditus à Christo mos iste, & diuinitus ab Apostolis, pertinet ad Ius diuinum, & præceptum.

Ale & Ales. Hosius. Castro. Cyprianus. Concilium Affrican. Cõc Aurel. Concilium Carthag. Concilium Tur.

Secundo probatur ex illa regula tradita à D. Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. vbi inquit, quòd quoniam aliqua cõsuetudo est adeo vetusta in Ecclesia, & inuiolabiliter obseruata, & non constat eius initium, credendum est illam esse apostolicam traditionem, sed hæc consuetudo miscendi aquam vino in isto sacramento est huiusmodi, ergo est traditio apostolica, & ex consequenti posita in diuino præcepto.

D. August.

Et confirmatur, quia omnia Concilia, & vniuersi Pontifices, & sancti Patres, qui de hac re loquuntur, loquũtur tamq. de consuetudine antiquissima in Ecclesia, & ponderandum est in hoc proposito quòd Alex. 1. Pontifex, qui fuit V. à D. Petro, & vicinus Apostolis (nam sub Ælio Adriano Imperatore Ecclesiam rexit) sic ait in decretis suis, quæ in primo Tomo Conciliorum generalium inserũtur. In sacramentorum quoq. oblationibus, quæ inter Missarũ solemnia Domino offeruntur passio Domini miscenda est, vt eius cuius corpus, & sanguis cõficitur passio celebretur, ita vt repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumq. permixtum, quia vtrumq. ex latere eius in passione legitur, hæc ille, ex quibus verbis patet quod loquitur de hac re tamq. de veritate iam olim statuta in Ecclesia; & Clemens Romanus illo antiquior lib. 8. apostolicarũ traditionũ c. 17. inquit. Similiter & calicem miscẽs ex vino & aqua, & sãctificans tradidit eis dicens. Bibite ex eo oẽs &c.

Alex. 1. Clemens.

Confirmatur secundo, nam Conc. Florent. cum in alijs cæremonijs morẽ gereret Armenis multaq. illis permitteret contra cõsuetudinem Ecclesiæ Latinæ, non tamen illis permisit quòd conficerent vinum non mixtum aqua, ergo signum est hanc cæremoniam miscendi aquam vino non habere ex solo præcepto Ecclesiæ, sed ex præcepto Christi. Et quidem vbicũq. Concilia, & Pontifices sermonem faciunt de hac cæremonia, loquuntur de illa tamq̃ de grauissima re, & valde necessaria; & adiungi potest coniectura, quia nisi Christus præcepisset non esset ausa Ecclesia miscere aliquid materiæ sacramenti, quod ad perfectionem sacramenti non spectet, in nullo enim sacramento hoc fecisse legimus.

Conc. Flor.

Sed

Digitized by Google

1. Concl. Sed his non obstantibus sit prima concl. miscere aquam vino in hoc sacramento non est præceptum diuinum, sed tantum preceptum Ecclesiæ, hanc sententiam docet Magister sent. in 4. d. 11. Ric. d. 11. ar. 3. q. 1. & Doct. in hac q. sub lit. B. vbi dicit quòd apponere aquã est de necessitate Ministri propter praeceptum Ecclesiæ; & est fere communis opinio; & confirmatur quia facta Cõcilia Florent. & Trid. sess. 22. c. 7. non reducunt istud præceptum ad Christi institutionem, & factum, quoniam non expresse definiunt Christum consecrasse vinum aqua permixtum, sed Conc. Florent. dicit quod ex testimonijs Patrum id credimus, & Trident. dicit quòd ita creditur Christum fecisse, hic autem modus loquendi, ita creditur &c. non definitionem, sed probabiliorem, & saniorem doctrinã denotat in Concilijs. probatur præterea ex Conc. Trid. loco citato expresse dicente, hoc esse præceptum Ecclesiæ, improprie autem Concilium appellaret Ecclesiæ præceptum id, quod habetur ex diuino iure, & ex præcepto Christi, neq. aliquando in sacris Concilijs modus hic loquẽdi reperitur, ergo &c. Et confirmatur ex cap. cum omne crimen de Consf. d. 2. vbi Iulius Pontifex dicit hunc morem haberi ex decretis canonum, ergo &c. & confirmatur etiam ex Conc. Trid. sess. 21. c. 2. vbi definit Ecclesiam habere potestatem in dispẽsatione sacramentorum ad mutandum ea, quæ magis expedient vtilitati fidelium; salua tamen substantia sacramentorum, ex qua definitione manifeste videtur colligi quòd illa sola, quæ sunt de substantia sacramentorum sunt posita in præcepto Christi, cætera vero omnia pertinent ad authoritatem Ecclesię, sed vt dictum est in præcedenti dubio, aqua nõ est de essentia huius sacramenti, ergo eius permixtio non est necessaria ex præcepto Christi, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ, si enim hoc esset diuinum præceptum, vix posset euadi quin esset de necessitate sacramenti, quia hæc necessitas solum oritur ex institutione, & præcepto Christi, nam in omnibus alijs materijs sacramentorum quicquid ex institutione, & præcepto Christi necessarium est, est etiam de necessitate sacramenti.

2. Concl. Secunda concl. Præceptum miscendi aquã vino in hoc sacramento traditum fuit ab Apostolis, atq. ita hęc consuetudo habenda est vt traditio apostolica, hanc concl. docent multi grauissimi Theologi, & specialiter Ric. vbi supra, & probatur efficaciter ista concl. secundo argumento cũ suis confirmationibus proposito à principio dubij. Sed obs. est quòd non ex eo quod aliqua consuetudo est traditio apostolica colligitur statim illam haberi ex præcepto diuino. Constat enim multa tradidisse Apostolos, & præcepisse Ecclesię non ex mandato speciali Christi, sed ex ordinaria Prælatorum potestate, quam in Ecclesia gerebant; quæ præcepta non sunt diuina, sed ecclesiastica, & subiectã potestati Ecclesiæ, ita quod summus Pontifex posset si vellet in eis dispensare, immo penitus ea abrogare, quòd tamen nõ faciunt propter apostolicam authoritatem aqua dimanarunt, & præceperunt, quæ sunt maximi momenti in Ecclesia; Ex quo infertur primo hoc præceptum esse per Ecclesiam dispensabile. Secũdo infertur Alexandrum primum non instituisse, neq. præcepisse hunc ritum, sed a temporibus Apostolorum hoc præceptum manasse, Cæterum Alexandrum fuisse primum qui tradidit scriptum hoc praceptum, atque adeo legi in eius vita, quæ extat in Breuiario Romano ipsum iussisse aquam vino misceri propter aquam, & sanguinem, quæ de latere Christi fluxerunt, ante ipsum tamen traditione, & vsu habebatur in Ecclesia, vt ex liturgia Iacobi, & ex can. 32. Trull. ex Conc. Trid & ex ipso Alex. aperte colligitur. Dicit enim se tradere quod à Patribus acceperat, & alijs in locis dicitur Romanam Ecclesiam hoc ab Apostolis didicisse, & perpetuo obseruasse.

Ad argumenta in oppositum, & ad primum testimonium dicitur, quòd Concil. Carthagin. non intellexit Christum tradidisse per præceptum hunc morem, sed per suum factum consecrando vinum aqua permixtum, Ecclesia verò rationabiliter vt Christum in hoc facto imitetur hunc morem præcepit, & in hunc modum est interpretandus D. Cyprianus lib. 2. epistolarum epistola 3. cuius verba referuntur de cons. distinctione 2. in capitulus 2. & 3.

Ad secundum testimonium ex 6. Synodo generali respondetur, quod nihil aliud potest colligi ex illo decreto Concilij quam quòd ista consuetudo est apostolica traditio, dicitur autem diuinitus tradita, non quia speciali constitutione diuina Apostoli illam tradiderint, sed dicitur diuina propter regularem assistentiam spiritus sancti, qua assistit Prælatis Ecclesiæ in eius gubernatione, & cui merito tribuitur quicquid à Prælatis fuerit recte dispositum, vel quia hanc consuetudinem induxerunt moti a diuino Christi exemplo, qui vinum cum quo fuit aqua mixta consecrauit, vt docet D. Damasc. lib. 4. de fide cap. 4. relatus hic a Doct. Ad secundum argumentum patet ex secunda conclusione, & similiter ad suas confirmationes. Damasc.

DVBIVM IV.

Quæ circumstantiæ seruandæ sint in aqua vino miscenda.

QVatuor possunt hoc loco inquiri, primum de qualitate, seu aquæ natura, secundum de quantitate, tertium de tempore, & quartum addi potest persona, a qua miscenda est.

Quo ad primum dico aquam illã debere esse naturalem, seu elementarem, ità docent Alex. de Ales loco supracitato § 6. D. Thom. vbi supra, Gab. lect. 35. in Cano. Richardus vbi supra qua st. 4. & cæteri Theologi in 4. dist. 11. Rationes sunt traditio & Ecclesiæ consuetudo, secunda quia Christus hanc aquam miscuit vino quod consecrauit, tertia quia hac sola accommodata est ad significationem, tum quia cum scriptura dicit aquarum nomine significati populos plane intelligit de naturalibus aquis, tum maxime quia aqua, quæ de latere Christi exiuit fuit vera, & naturalis. Est autem aquæ naturalis mixtio necessaria ea necessitate, qua aquam est necesse misceri vino in hoc sacramento, scilicet necessitate præcepti non sacramenti, ex qua infertur quod si aqua artificialis apponeretur si apposita conuerteretur in vinum, quod fieret si in parua apponeretur quantitate de illo vino posset confici, & conficeretur sanguis Christi alijs rite completis, sed ille qui apponeret grauiter peccaret, quia contra institutionem Domini faceret, ità Alex. vbi supra. Secundo infertur quòd si quis simul cum naturali aqua adiungeret rosaceam, vel aliquam similem in in parua quantitate conficeret sacramentum, quia haberet veram, ac necessariam materiam, nec contra affirmatiuum præceptum de aqua miscenda peccaret, quia hoc non omittit; peccaret tamen grauiter contra negatiuum præceptum, non miscendi aliquid in materijs sacramentorum præter Christi institutionem, & Ecclesiæ consuetudinem. Tertio infertur quòd non refert ad sacramenti veritatem, an aqua naturalis, quæ miscetur sit calida, vel frigida, pura, vel impura, seruanda est tamen semper sacramenti reuerentia, & ordinaria Ecclesiæ consuetudo, & nullus est nouus ritus introducendus. Alex. & Al. D. Thom. Gabriel. Richardus.

Quo ad quantitatem dicunt omnes Theologi debere misceri in parua quantitate seruata proportione ad quantitatẽ vini, quæ vero debeat esse hæc proportio non eodẽ modo nec facile explicatur; Vnum tamen est in hac re certissimum, aquam non debere esse tantam, vt possit corrumpere vinum, alias deficere posset materia necessaria, ex quo sequitur non debere apponi in maiori quantitate quam vinum, vt habetur in cap. Perniciosus de celeb. Missarum, & certum non debere esse æquale. Vnde obs. est ex Richar. vbi supra quæst. 5 quòd æqualis commixtio ex aqua & vino dupliciter potest fieri, aut secundum mixtorum æqualem quantitatem molis, aut secundum æqualem proportionem virtutis; primo modo aqua non solueret speciem vini, magis enim est vinum actiuum, quam aqua, nec generatur tertia ex duabus, nec cito posset vinum aquam conuertere in suam naturam: quamuis satis cito alteraret se in excellentijs suarum qualitatum accidentalium, vnde & si per formam consecrationis vini, substantia vini transsubstantiaretur in sanguinem, tamen hic modus miscendi aquam, & consecrandi materiam est indebitus & præter vsum Ecclesiæ. Ricar.

Secun-

Digitized by Google

Secundo modo generatetur ex duobus natura tertia, quæ nec esset vinum, nec aqua, sed non statim, operationes enim naturæ non sunt in instanti, quamuis earum termini in instanti sint, atque adeo ità cito posset sacerdos conficere post talem vini, & aquæ mixtionem, quod illud, quod fuit ibi vinum, cum adhuc non esset transmutatum ad compositionem naturæ tertiæ conuerteretur in sanguinem; si tamen antequam sacerdos proferret verba consecrationis esset ex illis duabus natura tertia constituta, ex illa non posset confici corpus Christi, quia species componentium ex quibus per essentiam constituitur vnum in composito non manent secundum suas essentias, nisi fortè valde diminute, vel secundum quid, quod dico propter opinionem illorum qui dicunt, eas manere incompletas; cæterum & si in huiusmodi mixtione aliquid vini conferuetur, & per formam consecrationis conuertatur in Christi sanguinem, tamen ille modus miscendi aquam, & consecrandi materiam est indebitus, & præter vsum Ecclesiæ, & interdum potest reddere materiam vel nullam, vel dubiam.

Oportet ergo, vt aqua sit in minori quantitate quam vinum, in quanta verò proportione debeat esse minor quantitas vix potest definiri; nam licet in Concilio Tiburiensi capit. 19. dicatur duæ partes sint vini tertia aquæ, quia maior est maiestas sanguinis Christi, tamen Concil. Florent. dicit, miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam quibus verbis multo minorem quantitatem indicat, & hoc etiam videtur vsus Ecclesiæ docere, nec potest certior regula præscribi, quam vt sit aqua in modicissima quantitate, ex quo infertur quamlibet guttulam aquæ, dummodo satis sensibilis sit esse sufficientem, quia illa est vera aqua sensibilis, & ad significationem sufficit vt dicit Alex. de Ales vbi supra § 5. in fine. *Tibur.* *Flor.*

Quo ad tertium scilicet, quo tempore miscenda est; dico primo certum esse hanc mixtionem esse faciendam tēpore sactificij, & in ipso sacro Calice, ita quod non fiat erit quod domi, vel in dolio fiat, quia illa non esset sacra ceremonia, nec sacram haberet significationem, ita Alex. de Ales loco supracitato §. 5. & reddit rationem, quia ad mixtionem aquæ facta ante Missam, immediate cum vino statim conuertenda est sacramentalis, illa autem quæ fit in dolio nequaquam, & D. Thom. tertia parte, quæstione septuagesima quarta, articulo octauo, ad tertium, Richard. vero quæst. sexta, aduertit aquam debere infundi in calice iam habente vinum ad consecrationem deputatum ex intentione Ministri, aqua enim (inquit Ric.) prius apposita vino non apponitur ad significandum illud quod significatur appositio aquæ cum vino offerendo. Sotus, & Syluester magis probare videntur quòd aquæ appositio fiat in initio Missæ; quia est maior mora temporis, vt aqua in vinum conuertatur. Alex. loco supracitato dicit in Missis solemnibus fieri post Euangelium In priuatis autem propter periculum obliuionis potest permisceri antea, scilicet quando ponitur vinum in Calice; Contrarium autem à multis seruatur scilicet, vt in priuatis missis fiat post Euang. in solemnibus autem antea, scilicet post epistolam, vel dum canitur epistola, Diacono deferente calicem ad sacerdotem sedentem iuxta Altare; in Missali, autem Romano dicitur fieri debere post Euang. facta hostiæ oblatione, & hic modus est satis tutus, & sufficiens, & grauiter peccaret, qui voluntarie eum omitteret, si tamen ex negligentia accidat, & ante consecrationem aduertatur, statim adhiberi debet, si verò facta iam sit consecratio omittenda est mixtio, quia iam cessat ratio, & tempus præcepti, & significationis, nec est iam aqua sanguini Domini miscenda. Denique in hoc qui sequutus fuerit suæ Ecclesiæ consuetudinem non errabit. *Thom.* *Ric.* *Syl.*

Quo ad quartum quis debeat aquam infundere, Guilielmus Durandus in rationale diuinorum officiorum lib. quarto, capitulo trigesimo, dicit solum Præsbiterum debere hoc facere, quia solus ipse Christum repræsentat, qui suo sanguine Populum redemit. Addit Ledesma questione decimaquinta, articulo septimo, dubio tertio, debere esse eundem sacerdotem, qui sacrificium offert, quia alias non significaretur quod Ecclesia intendit: sed neutrum puto esse simpliciter necessarium, seu præceptum, quia in Missali Romano præscribitur, vt in Missis solemnibus Subdiaconus infundat aquam à sacerdote benedictam in calice, & de hoc sunt diuersæ consuetudines præsertim in Missis solemnioribus, vnde tutum erit seruare propriæ Ecclesiæ consuetudinem. *Durand.* *Ledesma.*

DVBIVM V.

Vtrum aqua, quæ miscetur vino possit in sanguinem Christi immediate conuerti.

Sensus quæstionis est vtrum si fiat consecratio antequam aqua vino apposita conuertatur in ipsum vinum per mixtionem ex vi verborum sacramentalium ipsa aqua in sanguinem Christi sicut ipsum vinum conuertatur. Innocentius iij. in cap. cum Marthæ de celeb. Missarum & in cap. in quadam refert tres sententias; prima dicebat aquam conuerti non in sanguinem sed in quendam humorem aqueum, seu phlegma, quod secundum hanc sententiam de latere Domini in morte exiuit; hanc sententiam damnat Innocentius vt absurdam, erroneam, & catholicæ veritati contrariam; primo quia hæreticum est negare aquam, quæ de latere Christi exiuit, fuisse veram, & naturalem aquam, tum quia verba formæ non significant talem conuersionem, sed id totum quod demonstratur pronomine, Hic, dicitur esse sanguis, ergo non fit alia conuersio per illam formam. *Innocen.*

Secunda sententia est. Aquam vino mixtam non conuerti, sed manere in propria specie, & natura admixtam speciebus vini post consecrationem, hanc sententiam relinquit Innocentius vt minus probabilem, atque ita est ab omnibus scholasticis reiecta, vt patet ex Alex. loco supracitato, D. Thoma, Gabriele locis supracitatis, qui omnes docent aquam infundi calici, vt conuertatur in sanguinem. *Alex. & Al. D. Thomas. Gabriel.*

Est ergo tertia sententia, quæ docet aquam non immediate conuerti in sanguinem, sed prius conuerti in vinum, & tunc transsubstantiari in sanguinem Christi, & hanc sententiam docuit Innocentius lib. 4. c. 32. quam sequuntur omnes scholastici, ex hoc tamē oritur dubium, Vtrum sit probabile quod aqua antequam conuertatur in vinum possit transsubstantiari in Christi sanguinem. *Innocent.*

Pars affirmatiua probatur primo ex eo quod Inno. in c. citato illam tertiam sententiam modo expositam non definit vt certam, sed vt probabiliorem acceptat, ergo contraria sententia censetur ab illo probabilis. Et confirmatur quoniā Pontifex ibi non dicit aquam prius in vinum conuerti quam conuertatur in sanguinem Christi, sed quod aqua cum vino in sanguinem Christi transubstantiatur ergo &c.

Secundo arguitur ex Concil. Tiburtiensi can. 19. vbi præcipitur, vt in Calice apponantur duæ partes vini, & tertia pars aquæ, sed cum tanta apponitur vino non potest facile in vinum conuerti, ergo iuxta definitionem huius Concilij, & vsum, qui tunc seruabatur in Ecclesia, iuxta quem procedebat Concilij definitio non est necesse quòd aqua prius conuertatur in vinum, quam fiat consecratio, & ex consequenti potest immediate consecrari, & in sanguinem Christi conuerti. *Cōc. Tibur.*

Tertio arguitur etiam post factam mixtionem aquæ cum vino permanet aqua in sua specie, ergo immediate est consecrabilis, immo semper de facto immediate consecratur, antecedens probatur quia experimēto constat, quod post factam mixtionem aquæ cum vino per quoddam artificium aqua separatur à vino, ergo erat ibi aqua in sua specie permanens propter hęc argumenta quidam iuniores Theologi existimant esse vere probabile aquam vino appositam esse immediate consecrabilem, & existimant quòd in tali casu, in quo aqua consecraretur priusquam esset murata in vinum, illud diceretur probabilius scilicet, aquam in sanguinem Christi conuerti.

His tamen non obstantibus existimo tertiam sententiam, quam retuli ex Innocentio adeo esse veram, vt opposita vel sit improbabilis, vel fere improbabilis, & qui illam appellaret temerariam non excederet, quia est contra communem Doctorum sententiam, vt videre poterit, qui

Digitized by Google

Alex. & Ales. D. Thomas. Scotus. Ricardus. Maior. Paludanus. Gabriel. D. Bonau. qui legerit Alexan. de Ales locis supra citatis; D. Thom. Doct. subtil. in hac quæstio. Richardum articulo tertio, quæst. quinta, Maiorem quæstio. secunda, Palud. qua st.1. articulo septimo, Gabriel. lect. trigesimaquinta, in canon. Diuum Bonauentutam distinctione duodecima, parte secunda, articulo primo, quæstio. tertia. Qui aduertit etiam Christum Dominum non consecrasse calicem donec aqua in vinum fuisset conuersa; & reliquos Theologos in 4. distinct. vndecima. Et Cathechismus Pij V. dicit hanc sententiam esse omnium Ecclesiasticorum scriptorum, & probatur primo, nullus est Theologus his nouissimis exceptis, qui doceat aquam esse immediate consecrabilem, & multo pauciores docent illam immediate in Christi sanguinem conuerti; vnde cum Innocentius iij. cap. citato retulerit omnes sententias, quæ de hac re circumferuntur, non meminit alicuius sententiæ asserentis aquam immediate conuerti in Christi sanguinem, igitur sententia quæ ita dicit singularis est, & contraria vniuersis fere Theologis.

Conc. Flor. Probatur secundo, in Conc. Florent. præcipitur vt apponatur in calice modicissima aqua, hæc autem tanta Concilij cautela non ob aliud esset necessaria, nisi quia censuit Concilium aquam prius esse conuertendam in vinum quam consecraretur, & quòd alias non erat consecrabilis, vnde vt aqua non permaneat inconsecrata præcepit Concilium vt modicissima esset, vt ita facile posset in vinum conuerti.

Tertio probatur. Aqua secundum se non est materia huius sacramenti, nam vt definiunt Concilia & sancti Patres propria materia huius sacramenti est vinum vitis, ergo priusquam conuertatur in vinum vitis non est consecrabilis. Confirmatur quia alias sequeretur quod sola aqua potest consecrari, consequens est hæresis, quam docuerunt hæretici Aquarij, vt docet August. in lib. de hæresibus cap.64. ergo &c. probatur sequela, aqua secundum suam speciem est materia consecrabilis, ergo etiam separata à vino si proferantur verba consecrationis consecrabitur de facto, probatur consequentia, quia verba consecrationis operantur quasi per modum naturæ quando proferuntur super materiam consecrabilem. D. August.

Probatur quarto, quoniam si aqua esset immediate consecrabilis non conuerteretur in sanguinem Christi, sed in aquam, quæ fluxit è latere Christi, sed non potest conuerti in aquam, ergo &c. maior constat ex eo quòd sacra Concilia, & sancti Patres locis citatis & vniuersi Theologi docent quòd vinum correspondet sanguini, qui effusus est in cruce, & aqua, quæ illi miscetur, aquæ quæ simul cum sanguine fluxit ex latere Christi; minor probatur quia aqua quæ fluxit ex latere Christi iam non extat, cum enim non pertineat ad compositionem humani corporis non fuit reassumpta à Christo in eius resurrectione, at conuersio quæ fit in hoc sacramento, vt explicatum est supra, fit in præexistens, & non in aliquid de nouo productum ergo &c.

Ad argumenta in oppositum dico, ad primum quod cum sacra Concilia, aut Pontifices in suis decretis approbant aliquam opinionem vt probabiliorem, signum est manifestum quod illa opinio est probabilissima inter omnes, & quòd aliæ viæ sunt probabiles, & parum sunt consentaneæ sanæ doctrinæ cum constat tum exemplo scilicet ex opinione probata in Concilio Viennensi vt probabiliorem, quæ ponit habitus infusos in anima; opinio autem contraria parum tunc erat probabilis, & nunc est error, vel errori proxima, tum etiam ratione constat, non decet grauitatem Conciliorum aut Pontificum vt opiniones, quæ parum referunt ad veritatem fidei tuendam, & explicandam, & non esset valde affinis sanæ doctrinæ, in suis decretis approbarent, & qualificarent vt probabiliorem. Conc. Vien.

Prætetea respondetur, quòd huius opinionis, scilicet, aquam immediate conuerti in Christi sanguinem, non meminit tibi Pontifex, vnde ex illo decreto nulla huic opinioni accrescit probabilitas; immo ante hæc nostra secula nullus Theologorum hanc docuit sententiam. Ad confirmationem respondetur quòd illis verbis aqua cum vino, vt bene aduertit Glossa ibidem, intelligit Pontifex aquam per mixtionem in vinum conuersam. Glossa.

Ad secundum argumentum dicunt aliqui quòd quando tertia pars aqua miscebatur vino, credendum est quòd per miraculum ante consecrationem aqua conuertebatur in vinum, sicut id ipsum credendum est contigisse, cum Christus hoc sacramentum instituit, non enim necessarium est dicere Christum tanto tempore ante consecrationem apposuisse aquam vino, vt naturaliter conuerti posset in vinum antequam consecraretur; sed ista solutio est omnino voluntaria, nam quidquid fuerit de consecratione Christi, de qua tamen dici posset quòd Christus non instituit hoc sacramentum inter cænandum cæna vsuali, ac si rem communem, & vsitatam ageret, sed ante inchoatam illam singulari attentione, & reuerentia quod vt mysterium postulabat, vnde fit vt non oportuisset vi in hoc mysterio vino mixto vsuali modo, sed modo mystico, quòd vt nunc in sacrificio fit. Cæterum inordinatio cursu Ecclesiæ ingerere istud miraculum irrationabile est, non enim miraculis disponuntur a Christo res Ecclesiæ, quæ regulariter in ipsa fiunt; Respondetur igitur his prætermissis primo quòd illud Concilium fuit Prouinciale, vnde ex illo non licet colligere vniuersam Ecclesiæ consuetudinem, & fortassis ad corrigendam consuetudinem illius Prouinciæ, Vniuersale Concil. Florent. præcepit toti Ecclesiæ, vt modicissima aqua apponatur vino consecrando.

Secundo dico, quod cum duæ partes apponebantur, & tertia pars aquæ, credendum est quòd illa mixtio fiebat tanto tempore ante consecrationem, vt naturaliter aqua conuerteretur in vinum, & quidem cum virtus vini tanti excedat qualitates aquæ, duæ partes vini breui tempore possent in se transmutare tertiam partem aquæ.

Ad tertium negatur antecedēs, & ad experiētiam illam respondetur quòd facta mixtione perfecta inseparabilis est aqua à vino, extrahitur autem per artificium humor quidam similis aquæ, sed reuera non est aqua, cuius signum est quod etiam ex puro vino potest extrahi. Quomodo autem fiat mixtio aquæ in vinum non est præsentis loci explicare. Et hactenus de hac materia, & de tota hac vndecima distinctione.

DISTINCTIO XII.



I autem quæritur de accidentibus, quæ remanent, &c. *Postquam distinctione præcedenti determinauit Magister de huius sacramenti conuersione, & de substantijs, quæ sunt materia huius sacramenti, consequenter in hac dist. determinat de earum substantiarum accidentibus, quæ post consecrationem manent, de quibus quærit quatuor; primo quærit an accidentia sint sine subiecto, & respondet quod sic, quia nec sunt in Christi corpore, non enim potest huiusmodi accidentibus affici, nec sunt in substantia, quam afficiebant, siquidem illa non manet cum corpore Christi, ergo accidentia remanent sine subiecto.* Circa... Diuisi...

Secundo quærit quare talia accidentia sine subiecto sint, & ad quid remanent? Respondet quod propter tria, ad mysterium, ad fidei suffragium, & propter gustum.

Tertio quærit, an quando frangitur sacramentum frangantur tantum species, vel etiam corpus Christi nam primo aspectu videtur, vel quod non sit realis fractio, seu partitio, vel quod Christi corpus frangatur cum nulla alia substantia sit ibi, propter quod aliqui dixerunt in hoc sacramento concedendam esse fractionem secundum apparentiam tantum, nec ob id fieri illusionem, quia non fit ad deceptionem, sed potius pertinere ad fidei vtilitatem. Quidam alij existimauerunt Christi corpus

corpus vere frangi, & tamen integrum, & incorruptibile remanere; Alij dixerunt quod sicut ibi species panis est, & non res in qua sit panis, ita debet esse fractio, quæ non sit in aliqua re cum nihil ibi frangatur, quod mirabiliter per Dei potentiam fieri dicunt. Magister autem dicit in hoc sacramento concedendam esse veram ipsarum sacramentalium specierum fractionem, non igitur corpus Christi frangitur, inquit enim D. Hieronymus (Hieron.) *quod sub singulis fractionis partibus est totus Christi Hilarius* (Hilarius.) *quoque dicit, ubi est pars corporis Christi, ibi est totum.*

Quærit quarto. Quid significent tres illæ particulæ in quas hostia dimiditur; Respondet, quod una significat corpus Christi in sepulchro iacens, secunda Christi corpus in mundo viuens, tertia Christi corpus post resurrectionem; fractio etiam ipsa tria significat, scilicet, Saluatoris passionem, fidelium unionem, & virtutis distributionem.

Item vera fractio significat veram Christi mortem factam ex reali separatione animæ à corpore, tres fractionis partes tria separata significant in Christi passione, & morte, vt puta sanguinem, animam & corpus ab inuicem separata; Insuper pars vna comeditur, quæ significare dicitur Ecclesiæ fideles in hoc mundo viuentes, quæ in calice ponitur, & cum sanguine miscetur, denotat in cœlo existentes in plena beatitudinis participatione esse, vltima particula in purgatorio morantes innuit.

Postremo agit de huius sacramenti perceptione, & quærit tria; primo quærit an oblatio huius sacramenti facta à sacerdote in altari possit Christi sacrificium appellari, & respondet quod sic, non quia Christus occidatur, sed propterea solum, quia fit memoria passionis illius, adeo, quod illud, quod offertur, & consecratur à sacerdote vocari potest sacrificium, & oblatio; quia memoria est, & repræsentatio veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. & semel Christus mortuus est in cruce, ibique immolatus in semetipso; quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel, sed aliter offerebatur tunc, aliter nunc; tunc enim offerebatur cruentum, nunc autem incruentum.

Secundo quærit, quare hoc sacramentum frequenter percipiatur, respondet causam esse, quia est nutrimentum animæ, atque etiam medicina præseruatiua à peccatis.

Vltimum quærit vtrum sit licitum quotidie communicare; respondet, quod secundum Diuum Augustinum nec est laudabile, nec vituperabile, sed potest esse bonum & potest esse malum.

Dicit tamen non esse omnino à perceptione huius sacramenti abstinendum, sed esse salutare consilium, vt saltem diebus dominicis recipiatur, vel saltem ter in anno homines communicent in Pascha, id est, Pentecoste, & Natali.

QVAESTIO I.

Vtrum in Eucharistia sit aliquod accidens sine subiecto.

SAcramentum Eucharistiæ, vt omnes Theologi docent ex parte materiæ constat ex duobus, scilicet, corpore, & sanguine Christi realiter præsente, de quo hactenus dictum est, & accidentibus panis, & vini, de quibus subinde dicendum sequitur; Duo autem in illis consideranda recurrunt, vnum est eorum esse, aliud quomodo agant, &

patiantur, primum præstat Doct. in duabus primis quæstionibus, in hac, scilicet, & in sequenti quæst. secundum quæst. tertia, & tertium quæstione quarta, quinta & sexta.

Pro explicatione primi obseruand. est Doct. supponere vt certum manere aliqua accidentia panis, & vini consecratione peracta, quod nō solum fide certum est, sed etiam sensibus est manifestum, est quidem res certa in doctrina fidei, vt patet ex Concil. Trident. sess. decimatertia, cann. secundo. Florent. in decreto Eugenij, Costantiensi sess. octaua, contra Vuicleph, Lateran. in cap. Firmiter de summa Trinit. & ex communi traditione sanctorum, omnes enim illæ authoritates, quibus in distinct. præcedenti probatum fuit substantiam panis, & vini non manere in sacramento Eucharistiæ probant etiam accidentia manere sine subiecto; patet etiam hæc veritas ex multis cap. canonis de consecrat. distinct. secunda, vt in cap. quia corpus, cap. Quia passus, cap. Forte, cap. Sanguis, cap. Hoc est, cap. Vtrum sub figura; in quibus docetur sub eisdem accidentibus corpus, & sanguinem Christi contineri, sub quibus prius substantia panis, & vini continebantur. Est etiam hæc veritas (supposito fundamento fidei, scilicet, quod panis & vini substantia transubstantiata sit in corpus, & sanguinem Christi) sensibus manifesta quicquid dicat Petrus de Aliaco: nam vt docet hic Doct. argumento post oppositum accidentia panis, & vini, vt patet ad sensum post consecrationem manent, quæ tamen non afficiunt corpus Christi, quia illud non est quantum illa quantitate hostiæ, neque figuratum illa figura, sed figura corporis humani, nec coloratum illo colore, sed colore conuenienti corpori humano; sed neque illa accidentia afficiunt aerem, quia aer non est capax talium accidentium, cum talia accidentia sint corporis mixti, panis scilicet, & vini, quæ repugnant elemento; neque etiam afficiunt substantiam panis, & vini, quia neutra manet post consecrationem, vt patet ex dictis, ergo talia accidentia sunt sine subiecto.

Quæst. suppositum. Concil. Tri. Conc. Flor. Conc. Const. Conc. Later. Scotus.

Secundo obseruand. est, quod accidens potest capi dupliciter primo pro per se significato, id est, pro illo, quod in primo intellectu huius nominis accidens intelligitur, pro eo videlicet, quod est esse alteri inhærens. Secundo autem accipi potest pro denominato hoc est pro illo, quod ab inhærentia denominatur inhærens, verbi gratia, pro aliqua qualitate, vt albedine: accidens enim cum sit nomen concretum significat aliquam formam puta accidentiam, seu inhærentiam sicut suum principale significatum, quemadmodum album, quod est concretum de principali significato significat albedinem, & sicut album in concreto significat aliquid, quod per formam illam significatam denominatur album, nimirum subiectum, verbi gratia, parietem, ita accidens significat in concretione aliquid, quod denominatur tale per accidentiam illam, seu inhærentiam, & tale appellatur accidens, vel inhærens.

Accidens bifariam sumitur.

Tertio obseruand. est, quod tale accidens pro denominato est duplex absolutum videlicet sicut albedo, & nigredo, quantitas, vel qualitas, & respectiuum sicut similitudo, paternitas, filiatio, & æqualitas, & similia.

Quarto obseruand. est, quod secundum opinionem communem mediante quantitate recipiuntur in substantia omnia alia accidentia absoluta, vnde etiam quantitas posset appellari subiectum aliorum accidentium, tamen in hac quæst. non agitur nisi de subiecto, quod est substantia, nimirum an accidentia Eucharistiæ sint separata à substantia, quoniam de alio subiecto, quod est quantitas specialiter agitur quæst. sequenti, & licet de veritate hac nullus catholicorum dubitet, tamen quia stando in phylosophia videtur esse contra rationem accidentis, quod à subiecto separetur, ideo mouetur quæstio præsens à Doctoribus, vt inuestigata natura accidentis compertum sit omnibus nullam esse repugnantiam, quod accidens virtute diuina à substantia separetur.

Cæterum quoniam hæc quæstio Doct. est valde prolixa, atque difficilis pro eius faciliori intellectu diuido eam in toto articulos, quibus comprehendetur (licet non eodem ordine, ac serie;) quicquid Doctor. docet in hac quæstione.

Digitized by Google

Primus Articulus. Vtrum inhærentia sit de essentia accidentis.

Secundus Articulus. Vtrum inhærentia sit passio accidentis.

Tertius Articulus. Vtrum inhærentia sit posterior accidente.

Quartus Artic. Vtrum contradictionem inuoluat accidens à subiecto separari.

Quintus Artic. Vtrum separatio accidentis respectiui à subiecto inuoluat contradictionem.

Sextus Artic. Vtrum actualis separatio accidentis absoluti à subiecto cum existentia eiusdem inuoluat contradictionem.

Septimus Artic. Vtrum accidens separatum à subiecto existat per nouum esse sibi à Deo per talem separationem communicatum.

Octauus Artic. Vtrum accidenti separato detur noua virtus per quam possit existere.

ARTICVLVS I.

Vtrum inhærentia sit de essentia accidentis.

Esse de essentia & esse idem essentialiter differunt.

QVæstio intelligitur de accidente pro denominato siue sit absolutum, siue sit respectiuum, obseruand. est tamen, quod aliud est esse de essentia alicuius, aliud est esse idem essentialiter, primo modo aliud est de essentia alicuius, quod est idem illi quidditatiue, & in primo modo dicendi per se, quemadmodum animal est idem quidditatiue homini; Esse idem essentialiter est conuenire in eadem natura existente, & singulari, & propter hoc personæ diuinæ dicuntur esse idem essentialiter inter se, quia habent vnam, & eamdem naturam singularem existentem; Istæ duæ identitates sic se habent ad inuicem, quod quicquid est de essentia alicuius est illi idem essentialiter, sed non è conuerso; quia certum est, quod subiectum, & propria passio sunt idem essentialiter, quia habent vnam naturam contractam ad existentiam, & singularitatem, penes quam neutrum istorum est separabile ab alio, & tamen neutrum istorum est de essentia alterius, quia passio non est de essentia subiecti, nec subiectum de essentia passionis cum cadat in definitione ipsius, vt addetum, es septimo Metaphysi. tex. capit. decimoseptimo, & decimonono.

Inhærentia est duplex.

Obseruand. est secundo, quod inhærentia est duplex, quedam actualis, quæ est ipsa vnio actualis accidentis existentis in ipso subiecto existente, vt actus quidam, & perfectio cum potentiali perfectibili, quædam vero est inhærentia aptitudinalis, quæ est dependentia, seu essentialis ordo accidentis secundum quidditatem suam ab subiectum, inter quas differentia extat non parua, eam nitique, quæ actualis existit, circumscribunt à demonstratione, cum demonstratio abstrahat ab existentia, & a conditionibus existentiæ, aliter enim demonstratio non esset necessariorum. Secunda autem inhærentia, scilicet, aptitudinalis, quæ est passionis ad subiectum demonstratur, prima inhærentia est conditio existentiæ, nec semper accidenti inest; Secunda vero semper inest siue subiecto existente, siue non.

Auicenna. Scotus.

Tertio obseruand. est, quod non inhærere, & non posse inhærere non est ratio substantiæ, vt substantia est genus; similiter neque inhærere est ratio accidentis, vel alicuius generis accidentis, vt docet Auic. secundo suæ Metaphysi. & Doct. in quol. sed substantia est illud substratum, cui conuenit non inhærere, vel cui repugnat inhærere, & accidens, vel quaoitas, vt qualitas est natura cui conuenit inhærere. atque adeo hæc non est vera definitio substantiæ,

D. Thom.

vt etiam docet Diuus Thomas quol. octauo, quæstio. tertia, articulo vnico, substantia est quæ per se est, vel accidens est, quod est in alio, sed est circumlocutio veræ descriptionis, quæ ita intelligitur, substantia est res cuius naturæ debetur esse non in alio; accidens est res cuius naturæ debetur esse in alio; vnde patet, quod quamuis miraculosè accidens sit non in subiecto, non egreditur definitionem accidentis, quia esse in subiecto naturæ eius debetur, & adhuc manet eius natura, cui debetur esse in alio, ex quibus infertur, quod non bene assignatur diuisio entis, quam quidam ad pauca respicientes de facili enunciant dicentes, quod omne ens vel est ens per se, vel ens in alio; datur enim medium, sicuti patet de accidente, quod secundum suam essentiam non includit quidditatiue esse in se, nec esse in alio, sed conueniens diuisio esset talis. Entium quoddam est cuius naturæ competit esse per se, aliud est ens cuius naturæ competit esse, vel debetur esse in alio, inter quæ duo nullum intercedit medium, & hoc loquendo de ente prædicamentali.

His obseruatis fuit opinio Ioan. de Gandauo lib. septimo Metaphysic. quæstio. prima, dicentis secundum intentionem Aristot. & Commentatoris non solum inhærentiam aptitudinalem, verum etiam actualem esse de essentia accidentis etiam absoluti, & adducit rationes ad confirmandam suam sententiam, quas facit hic Doct. sub lit. E. §. Contra istam conclusionem; quarum prima est talis, Illud quo aliquid formaliter est ens est de illius essentia, sed dependentia ad substantiam est illud quo accidens est formaliter ens, ergo dependentia ad substantiam, siue inhærentia est de essentia accidentis; maior est manifesta, & minor patet ex Arist. septimo Metaphysi. tex. capitulo secundo, dicente, accidentia, siue alia à substantia dicuntur entia, eo quod taliter entis, ergo formalis ratio entitatis in accidente est inhærere taliter enti, id est, substantiæ, & paulo post. Nihil ipsorum secundum se aptum natum, nec possibile separari à substantia. *Io. de Gand.*

Secundo arguitur Aristot. dicit, quod ens dicitur de substantia, & accidente, sicut sanum de sanis, id est, sicut sanum de sanitate in animali, & vrina, sed vrina est sana per dependentiam ad animal sanum, adeo, quod sanum nihil de vrina formaliter dicit nisi habitudinem signi ad sanum dictum de animali, ita, quod ille ordo ad sanitatem in animali est ratio formalis sanitatis in vrina, ergo à simili, nec ens dictum de accidente dicit aliquid nisi includens habitudinem ad substantiam, atque adeo habitudo, seu dependentia ad substantiam est totum esse accidentis, similiter in septimo capitulo tertio, videtur dicere Philosophus, quod quemadmodum aliquod non scibile est scibile æquiuoce, & medicabile æquiuoce opus, & uas, ita & ista, quantitas, & qualitas dicuntur entia.

Tertio arguitur: Inhærentia si non est de essentia accidentis erit aliud, & inhæret ipsi accidenti, quia, verbi gratia, albedo dicitur inhærens formaliter illa inhærentia; quæro ergo de inhærentia, qua inhærentia albedini inhæret, aut ipsa est eadem albedini, vel ipsi inhærentiæ, vel aliud, si idem pari ratione standum erat in primo, si est alia à fundamento, ergo inhæret alia inhærentia, & tunc erit processus in infinitum, vel sic deducatur ratio. Si inhærentia est aliud ab accidente, & est accidens, ergo inhæret accidenti, nam omne accidens inhæret suo subiecto, sed nihil inhæret nisi per inhærentiam ergo si inhærentia inhæret, inhæret per inhærentiam, tunc quæro de illa inhærentia, vel est distincta ab accidente cuius est, id est, à priori inhærentia, vel non; si non, eadem ratione standum erat in primo, & etiam sequitur propositum, si sic; ergo erit processus in infinitum.

His tamen non obstantibus dicendum est, quod neutra inhærentia siue actualis, siue aptitudinalis est de essentia accidentis denominatiue sumpti, siue sit absolutum, siue sit respectiuum, & quæstio mota ad hoc ab aliquibus (dicit Doct.) videtur esse trufatica, & sine intellectu, si enim haberet aliquam euidentiam haberet quærere, an illa relatio sit eadem albedini, non tamen propter hoc an sit de essentia eius, & primo, quod inhærentia non sit de essentia accidentis absoluti probatur; quoniam dato opposito tale accidens in suo intellectu quantum ad suum per se conceptum quidditatiuum contradictionem inuolueret, videlicet esse ad se, & non ad esse, ad aliud, & non ad aliud, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela, quia vtraque inhærentia est formaliter respectus, quarum vna est actualis respectus, altera aptitudinalis, vna est ad terminum in actu, altera ad terminum in potentia, & cum neutrius conceptus, aut ratio possit intelligi, aut esse nisi ad aliquem terminum, sequitur vtramque inhærentiam esse formaliter respectum, illa enim

Digitized by Google

enim entitas est formaliter respectus, quæ non potest secundum intellectum præscindi à termino; qualiter est in proposito, si ergo accidens, vt puta albedo includeret in suo conceptu formali inhærentiam esset formaliter, & quidditatiue ad aliud, & esset etiam formaliter, & quidditatiue ad se; nam ex eo, quod est accidens absolutum est formaliter ad se, ex eo autem, quod includit formaliter respectum, esset formaliter ad aliud, & ita non ad se, & ex consequenti secundum eumdem conceptum formalem, qui sibi competeret inquantum tale ens esset ad se, & non ad se, & sic etiam ad aliud, & non ad aliud.

Et confirmatur, quia nihil est de essentia alicuius, quod non pertinet intrinsece ad quidditatem eius, sed nullus respectus pertinet ad quidditatem absoluti, ergo nullus respectus est de essentia absoluti; maior est manifesta, & minor probatur, quia alias omnia essent formaliter ad aliquid, quod est contra Philosophum 4. Metaphys. capitulo vigesimosexto, qui hoc infert tamquam inconueniens contradicentes omnia apparentia esse vera; aut ergo habet pro inconuenienti, quod omnia sint ad aliquid identice, & denominatiue, & hoc non, quia non tantum hoc non est impossibile, verum etiam maximè necessarium: propterea quia omnia entia citra primum ens habent dependentiam essentialem ad ipsum primum, quæ dependentia est eadem realiter cum re dependente, & à qua vnumquodque denominatur dependens, atque adeo denominatiue, & identice omnia sunt ad aliquid præter primum ens; Intelligit ergo Arist. consequens illatum esse inconueniens formaliter, & quidditatiue, sic quod respectus includatur in essentia, & in conceptu formali absoluti, patet ergo minor, & hoc est quod vult dicere Doct. in hac quæstione sub lit. I. §. Ad ista. vbi dicit, nihil est de essentia alicuius, nisi quod pertinet intrinsece ad quidditatem eius, respectus autem aliquis, licet sit idem fundamentum sicut dictum est de respectu creaturæ ad Deum, non tamen est de quidditate eius, quia tunc nulla essentia creaturæ esset absoluta.

Huic rationi respondet de Gandauo ad maiorem, quod nullus respectus est de essentia alicuius totaliter absoluti, sed bene respectus potest esse de essentia alicuius absoluti à termino, licet non sit absolutum à subiecto; modo accidens, scilicet, albedo quamuis sit absolutum à termino ad quem, quia non est secundum suam entitatem, ad aliud quemadmodum Pater est ad filium, non est tamen absolutum à subiecto quia ab ipso essentialiter dependet, vnde nihil est absolutè à subiecto nisi substantia. Sed contra ens absolutum, vt distinguitur contra ens respectiuũ est ens absolutum à termino, quia respectus definitur per esse ad aliud, sicut absolutum definitur per esse ad se; nam esse ad se, & ad aliud sunt differentiæ modales contrahentes ens ad absolutum, & respectiuum, & sicut absolutum præscindit à termino, ita respectiuum secundum se est ad terminum, sicut ergo idem non potest esse ad se, & non ad se, quia hæc est contradictio, ita & in proposito; præterea omne quod includit habitudinem ad terminum tamquam aliquid de essentia sua est ad terminum, sed omne accidens est huiusmodi per te, ergo, &c. maior videtur nota, quia dato opposito aliquid esset per se ad terminum, & absolutum à termino, minor probatur nam quodlibet accidens includit inhærentiam actualem quidditatiue, & essentialiter per te, sed inhærentia actualis est habitudo ad terminum; probatur, nam inhærentia actualis albedinis ad superficiem fundatur in albedine inhærente cum sit actus eius, & terminatur ad superficiem; quia ille est terminus inhærentiæ, cui albedo inhærens inhæret, superficies est huiusmodi, ergo &c.

Responsio Gandauensis

Contra responsionem Gand.

Pro accidente respectiuo probatur eadem concl. In omni eo quod refertur est assignare aliquod, quod per se primo refertur, & aliquod quod denominatiue, seu fundamentaliter refertur, & aliquod quod est principium referendi, siue quo aliquid refertur. Exemplum, patet per se primo refertur ad filium, fundamentum seu subiectum, quod refertur denominatiue est Socrates, vel Plato; principium, seu ratio referendi est ipsa paternitas; ista est doctrina August. septimo, de Trinit. capitulo secundo, & tertio, omne quod relatiue dicitur est aliquid excepta relatione, si igitur accidens respectiuũ refertur, oportet quod sit aliquid præter ipsam relationem, sed inhærentia siue actualis, siue aptitudinalis accidentis respectiui est formaliter respectus, igitur accidens respectiuum est aliquid præter talem inhærentiam, sed illud quod est tale secundum suum conceptum præter aliud non includit illud tamquam aliquid de essentia sua, igitur accidens respectiuum non includit inhærentiam formaliter, & quidditatiue, ex quibus concludo, quod licet inhærentia vel actualis, vel aptitudinalis necessario secundum Arist. consequatur vtrumque accidens, non tamen competit alicui istorum per se perseitate primi modi. Vnde aliud est dicere, quod aliquid necessario consequitur ad aliquid, & aliud quod ei per se competat. Primum conceditur, & secundum negatur; multa enim sunt necessaria, quæ non sunt per se, vt primo Physic. t. capitulo sexagesimosexto, in exemplo de priuatione, quæ necessario requiritur ad generationem compositi, sed tamen per accidens.

D. August.

Ex his ad argumenta in oppositum, ad primum nego, quod inhærentia vel actualis, vel aptitudinalis sit illud quo accidens est formaliter ens, neque hoc dixit vnquam Aristot. vt dicit Doct. in hac quæstione sub lit. F. in fine; numquam enim sensit Aristot. quod forma, quæ per se est in genere absoluto essentialiter includat respectum ad quem; ratio autem inhærentiæ non potest intelligi quin intelligatur talis respectus, nisi non intelligas, quod dicitur per nomen, & ad autho. Aristot. ex septimo Metaph. accidentia sunt entia, quia entis, latet æquiuocatio in illo vocabulo eo quod, vel quia, vt dicit Scot. in hac quæstione sub lit. F. §. authoritas, non enim semper eo quod, vel quia est nota causæ formalis illius, quod præcedit, nam quoties dicitur causa, toties dicitur eo quod, secundum se, vel quia, & huiusmodi habitudines. quæ omnia sunt notæ causalitatis in illo, quod sequitur aliquod istorum, & quia substantia, aut entitas substantialis est aliqua causa accidentis, non est tamen causa eius formalis, sed tantummodo materialis, & efficiens, atque adeo ly, quia importat habitudinem talium causarum designatarum in substantia; vnde causatum vniuersaliter est illud, quod est, pro quanto est à sua causa in quocumque genere causæ, ex hoc tamen non sequitur, quod ordo, & dependentia ad causam sit essentia ipsius causati, quia tunc nullum causatum esset absolutum, sensus ergo propositionis Aristot. est; accidentia non sunt entia, nisi quia essent vnquam nisi quia causantur à substantia, nam accidentia non essent nisi esset substantia.

Aliqui etiam inquit Doct. istum textum peruertunt, accipientes quasi esset textus Aristot. accidentia non sunt entia nisi taliter entis, quam propositionem nec Philosophus dicit, nec est ibi; nec sequitur ex propositione Philosophi: nam, eo quod, sicut in antecedente potest denotare quamcumque causam illius, quod præcedit, vt dicit Arist. quinto Metaphysic. cap. de in eo, quod; ita potest denotare quamcumque causam illius, quod præcedit talem causam non tamen præcisam, ita, quod substantia sit præcisa, & totaliter causa accidentis, quia non est causa eius formalis, atque adeo esto, quod esset eius causa præcisa efficiens, & haberet accidens præcise esse à substantia in genere causæ efficientis, adeo quod tam in antecedente quam in consequente denotetur causa præcisa; neutra tamen propositio facit ad propositum, quod illa habitudo importata per ly taliter entis sit formale in esse albedinis. Sumitur autem ibi taliter entis pro substantia, de qua præcessit sermo, vel totaliter entis secundum aliam litteram; & licet totaliter potest accipi bifariam, vno modo, vt idem est, quod vniuersaliter, alio modo, vt idem importat, quod perfectius, primo modo substantia non est totaliter ens, quia tunc sequeretur, quod accidens esset entis vniuersaliter accepti, & accidens esset accidentis; & idem esset causa sui ipsius, sed substantia est totaliter ens totalitate perfectionis, quia est perfectius ens, & ex hoc non sequitur, quod accidentia non sint entia.

Alia auth. quæ habetur ibi, neque aptum natum, neque possibile, & similia, quæ habentur in t. tertio, ponuntur à Philosopho propter necessarium ordinem causatum ad causam primam, seu proximam, non enim intelligit Aristot. quando dicit. Nihil ipsorum est nec aptum natum, nec possibile separari à substantia, quod subiectum sit de essentia accidentis, imò ex eis constituitur ens per accidens; nec quod de essentia accidentis absoluti sit habitudo, vel respectus quicumque ad subiectum, quia esset contradictio,

ctio, quod in conceptu absoluti includatur per se aliquis respectus, vt deduximus supra; sed tantummodo hoc asserit Philosophus, quia ponit ordinem causarum simpliciter necessarium, ita quod prima causa non potest causare causatum causæ secundæ sine causa secunda, subiectum autem habet aliquam causalitatem respectu accidentis loquendo de naturali ordine causarum, & ideo si ne ista causa posita in ordine suæ causalitatis negaret Philosophus accidens esse, sed non habetur ex hoc, quod habitudo ad causam proximam sit de essentia causati.

Ad secundum de 4. Metaph. & septimo, de sano, &c. de scibili posset adduci inquit Doct. vbi supra, secundum superficiem verborum, quod accidens nullam haberet entitatem formalem, sicut sanitas in vrina nihil habet de ratione formali sanitatis, &c. si ad hoc adducitur non est nisi ignorantia vocabulorum: patet enim quod accidentia sunt principia agendi, & patiendi, & principia cognoscēdi substantiam ex primo de anima tex. capit. vndecimo, & per se obiecta sensum, sed truffa est dicere aliquid esse principiū agendi, vel actione reali in materia, vel actione intentionali in sensum, vel intellectum, & non habere aliquam entitatem formalem, ita enim diceremus chymeram agere, vel sentiri, truffa est etiam aliquid esse per se passionem entis, nisi ipsum per se habeat aliquam entitatem, vel esse terminum alicuius motus, vel mutationis, nisi habeat aliquā entitatem, substantiæ autem omnes si quas habeat passiones sunt accidentia, si quis etiam est motus augmentationis, alterationis, & vbi est accidens, vt ad terminum. Est ergo intellectus Philosophi in illis exemplis, non quod simile currat super quatuor pedes, quia secundum Damas. (Damas.) quod in omnibus est simile, idem vtique erit, & nō exemplum, & ideo præmittit non necesse omnino, & indifferenter assignari exempla, necesse est enim in exemplis, & simile considerare, & dissimile; Ita dico, quod ad hoc faciunt illa exempla Philisophi, quod sicut ordo essentialis est medicinæ ad animal in eo quod est dici sanum, ita habitudo essentialis est inter accidens, & substantiam in habendo entitatem, ita quod sicut inter sana primum est animal, & habitudine aliqua ad sanitatem animalis, alia dicuntur, & denominantur sana, ita accidentia habitudinem aliquam, & analogiam habent ad substantiam, vt ad primum ens, & quo ad hoc tenet similitudo Arist. sed non tamen quo ad hoc, quod ille ordo accidentis ad subiectum sit de essentia accidentia habentis illum ordinem, sicut ratio signi est essentialiter sanum, vt dicitur de vrina, & ratio dissimilitudinis est, quia in vrina non est aliqua forma absoluta, à qua dicatur sana, licet sit ibi aliquod absolutum, super quod fundatur ratio signi, vt patet talis color, vel talis digestio, & alia, quæ apparent ibi, sed ipse ordo ad sanitatem est quo formaliter dicitur vrina sana, & ideo omnino æquiuoce quantum ad nomen impositum ab illo cōceptu, quo animal dicitur sanum, quia licet sit eadem sanitas, quæ est in animali formaliter, & quæ significatur per vrinam, tamen nomen impositum ad denotandum habens sanitatem formaliter, & habens ea vt signum est purè æquiuocum, sed ex alia parte ens non est purè æquiuocum, vt dictum est alias, & in vtroque extremo, scilicet, substantia, & accidente est aliquod absolutum propter quod vtrumque formaliter dicitur ens, licet super vnum absolutam, scilicet, super accidens fundetur ordo ad aliud, scilicet, ad substantiam.

Breuiter ergo dico, quod sanitas in vrina est quædam forma respectiua, quæ est respectus signi, ad signatum, qui respectus fundatur in aliquo absoluto, scilicet, in colore, digestione, & dispositione aliqua qualitatiua vrinæ, propter quam vrina significat sanitatem; sed entitas in accidente nō est præcisè respectus accidentis ad substantiam, sed est aliquod absolutum ad quod consequitur talis respectus, exemplum autem Aristot. valet quantum ad hoc, quod vtrobiq; est respectus, & dependentia essentialis, vrinæ videlicet ad animal, & accidentis ad subiectum, & in hoc est similitudo, dissimilitudo autem quantum ad illa, quæ dicta sunt, quoniam vrina, & vas denominantur sana, licet nullam sanitatem formalite t in se habeant; accidentia vero dicuntur entia, quia secundum se habent entitatem, & aliam entitatem formaliter ab entitate substantiæ.

Ad tertium dicit Doct. loco supra citato sub lit. I. §. Ad rationem illam, quod inhærentia inhæret albedini, alioquin albedo non est formaliter inhærens illa inhærentia, & cum quæris de illa inhærentia, qua inhærentia albedinis inhæret albedini, dico, quod illa est eadem inhærentiæ albedinis, & ibi est status; ratio huius patet libro secundo, distinct. prima, quæstione quinta, quia illa relatio est idem fundamento sine qua fundamentum esse includit contradictionem, huiusmodi est ista inhærentia inhærentiæ, quia contradictio est inhærentiam albedinis ad superficiem esse actu, & non inhærere actu, vel non habere, inhærentiam, similiter impossibile est, & contradictio est esse in aptitudine, quin & habeat in aptitudine, sed propter rationem oppositam nulla inhærentia actualis formæ absolutæ est sibi eadem, verbi gratia, inhærentia actualis quantitatis ad substantiam non est idem realiter cum quantitate, quia non est simpliciter repugnantia quantitatem esse simpliciter, &c. non in esse vt patet in sacramento Altaris.

ARTICVLVS II.

Vtrum inhærentia sit passio accidentis.

Est hic sermo tam de absoluto quam de respectiuo accidente, ac etiam de vtraque inhærentia, scilicet, aptitudinali, & actuali, & tota hæc difficultas duabus conclusionibus resoluitur, quarum prima est talis.

Inhærentia aptitudinalis est propria passio accidentis absoluti substractiuè sumpti, & non inhærentia actualis. Prima pars patet ex dictis, quia talis inhærentia est aptitudo naturalis, & aptitudo naturalis est passio naturæ specificæ.

Præterea passiones entis dictæ de inferioribus non dicunt aliquid reale ab ente in eis, ergo cum substantia dicatur prior, & accidens posterius, quæ duo, scilicet, prius, & posterius diuidunt ens, vt passiones, prius non dicit aliud à substantia, ergo nec posterius aliud ab accidente, seu ente inhærente, per se autem ens, siue in se ens, & ens in alio, siue inhærens pro eodem accipio sicut prius, & posterius.

Præterea omnis ratio positiua alicui inexistens circumscripta ab omni eo, quod est extra eius entitatem realiter est illi idem essentialiter, alias non esset facta totalis circumscriptio, sed circumscripto accidente ab omni eo quod est realiter extra eius entitatem, talis inhærentia inest sibi, ergo, &c. probatur minor, circumscribatur accidens ab omni tali extrinseco, uel Deus potest ponere ipsum in subiecto, vel non, si non ergo Deus non est tantum potens sicut quando ponebat, si sic ergo ipsum accidens poni in aliquo est possibile, nam nulla potentia potest ponere aliquid in aliquo nisi ipsum sit possibile poni in illo, alias potentia esset respectu impossibilis, si ergo accidens facta separatione omnis extrinseci ab ipso realiter distincti potest poni in subiecto, ergo habet aptitudinem ad inhærēdum, & habetur propositum.

Secunda pars probatur, quia illud est propria passio alicuius naturæ, sine quo naturam esse in re implicat contradictionam, sed accidens absolutum esse sine inhærentia actuali non implicat contradictionem, ergo, &c. maior probatur quia cum passio fluat à natura specifica per differentiam eius essentialem, sicut impossibile est naturam esse sine sua differentia specifica, & essentiali absque contradictione, ita impossibile est naturam esse sine propria passione; minor autem apparet, quia si implicaret contradictionem accidens absolutum esse sine dependentia actuali ad subiectum, articulus fidei, qui tenet hoc esset simpliciter falsus, vt magis explicabimus in sequentibus, hæc conclus. est Scot. in hac quæstione sub lit. B. §. tertia conclusio. Sed contra hanc conclus. arguit Doct. in hac quæst. sub E. §. Præterea est secundum dubium, relatio accidentis ad subiectum, hoc est, inhærentia actualis ad subiectum, videtur esse eadem illi accidenti, probatur, quia lib. secundo, distinctione prima, quæstione quinta, dictum est, quod relatio cuiuscumque creaturæ ad Deum in ratione triplicis causæ, scilicet, efficientis, finalis, & exemplaris est eadem fundamento, sed respectus accidentis ad subiectum nō videtur minus idē accidenti, quā ille, ergo inhærentia actualis ad subiectū est idē realiter accidēti, probatur min. quia substantia creata nō definitur per essentiā diuinā additam

in sua

Digitized by Google

in sua definitione, quia tunc nihil posset habere definitionem in suo genere, cum Deus sit extra genus, & tamen accidens propter suum respectum ad subiectum necessario definitur per respectum ad subiectum ex 7. Meta. t. capit. 12. ergo respectus ille ad subiectum nõ est minus idem sibi, quam respectus substantiæ creatæ ad Deum; potest hæc ratio sic formari; Respectus creaturæ ad Deum est idem essentialiter creaturæ, ergo respectus accidentis ad subiectum est idem accidenti essentialiter, probatur sequela, quia talis respectus accidentis ad subiectum videtur esse intimior quam respectus creaturæ ad Deum, quia accidens definitur per subiectum, & creatura non definitur per Deum.

Præterea nihil videtur immediatius inhærere albedini, quam habitudo ad subiectum; sed habitudo ad subiectum est passio, ergo inhærentia actualis est passio accidentis; tunc vitta subiectum esse sine propria passione includit côtradictionem, alioqnin nulla conclus. esset simpliciter scibilis, quia quæcumque talis prędicat passionem de subiecto, & per te nulla talis esset simpliciter necessaria, ergo nulla esset simpliciter scibilis.

Ad hoc argumentum respondet Doct. sub lit. k. §. Et per istud patet ad secundum dubium, dicens, quod inhærentia albedinis non est eadem albedini, & vniuersaliter nulla inhærentia actualis est idem realiter cum accidente absoluto, quia impossibile est, quod idem realiter maneat, & corrumpatur, quia aliter simul esset, & non esset, sed manente, & existente accidente absoluto non manet actualis inhęrentia, vt patet in sacramento Eucharistiæ, vbi accidentia sunt separata sine inhærentia actuali; alias si illa inhærentia maneret cum propter illam subiectum denominabatur prius ab accidente, & dicebatur panis quantus, ita diceretur post transubstantiationem panis, quod contradictionẽ inuoluit, est ergo inhærentia actualis accidens per accidens accidentis absoluti, vt dicit Doct. in hac quæst. sub lit. N. in responsione ad quartũ dubium; oĩs. n. vnio absoluti cũ absoluto est respectus extrinsecus adueniens, & est illi cui inest accidens per accidens, sicut satis declaratũ est supra in quadam quæst. de charactere, quia non necessario consequitur illud etiam posito termino; tunc enim esset intrinsecus adueniens; non enim potest aliquis respectus magis intrinsecus aduenire quam quod necessario consequitur fundamẽtum posito termino; si enim solum fundamentum positum sine termino consequeretur, non esset respectus, illa autem propositio, scilicet, omnis vnio absolutorum est respectus extrinsecus adueniens, probatur: quia neutrum ex ratione sui, nec ambo simul sumpta sunt necessaria causa talis vnionis, potest enim Deus absque contradictione facere vtrumque, scilicet, subiectum, & accidens separatim, quia posset producere accidens sine subiecto, & similiter substantiam sine accidente, posset etiam absque contradictione separare accidens à subiecto, & separatum conseruare manente subiecto, patet: quia neutrum illorum respectu alterius potest esse nisi causa extrinseca, non prima; ex quo patet quo modo albedo potest esse sine inhærentia actuali sicut fundamentum sine respectu extrinsecus adueniente, vel quia terminus respectus non est, sicut in proposito, id est, vel quia panis, qui erat terminus actualis inhærentiæ non est: quia est transubstantiatus; vel quia si est, separatus est, esto, quod Deus separaret accidens à subiecto cum constãtia vtriusque, quod etiam Deus possit separare actualem inhærentiam ab accidente absoluto, patet: quia Deus potest facere quodcumque absolutum sine eo quod non est de essentia eius, inhærentia autem actualis non est essentia accidentis absoluti, vt probatum est supra; nec est idem sibi essentialiter, quia accidens absolutum non dependet à subiecto, nisi vt à causa extrinseca, non prima, & omnis talis dependentia est contingens, & accidens per accidens dependenti.

Ad rationem cum probatur per simile de relatione ad Deum, dicit Doct. quod non est simile, quia nulla relatio causati ad causam extrinsecam est eadem cum causato, nisi relatio ad causam simpliciter primam, propter hoc, quod prima causa potest quodcumque causatum causare sine quacumque alia causa extrinseca, nulla ergo relatio accidentis absoluti ad subiectum, vel ad aliquid aliud est idem realiter sibi præter illam, quam habet in ratione creaturæ ad Deum.

Et cum arguitur de definitione, illud magis probaret, quod accidens non debet definiri per substantiam, quia lapis per Deum non definitur, cum tamen Deus sit causa talis sine qua impossibile, & contradictio est esse lapidem, vel hominem, non autem sic subiectum respectu accidentis absoluti; nam non existente subiecto potest esse accidens, vt patet in sacramento.

Ad rationem tamen respondetur, quod identitas respectus ad fundamentum, vel non idẽtitas non est ratio quare terminus respectus cadat in definitione fundamenti, vt additum. Nec dependentia essentialis, & necessaria est causa, quod terminus dependentiæ addatur in definitione fundamenti dependentis, quia tunc Deus magis poneretur in definitione cuiuscumque creati, quam substantia in definitione accidentis; sed causa est, quia nulla forma potest habere conceptum perfectum quietatiuum, nisi cointelligatur illud cuius est forma, definitio autem exprimit conceptum perfectum definiti, itaque oportet, quod ipsa definitio causet in intellectu conceptum perfectum, & quietatiuum totaliter, adeo, quod habito tali conceptu intellectus maneat quietus; atque adeo quantumcumque essentialia formæ exprimerentur sine illo cuius est forma, quamuis quidditas eius indicaretur, non esset tamen conceptus perfectus quietans intellectum, atque adeo nec definitiuus, sed hoc non contingit de creatura respectu Dei, quia causatum, quod est in se quoddam compositum subsistens, si concipiatur in se, intellectus ibi quiescit non requirẽs aliud cointelligere, vnde si ego cognoscam hominem esse animal rationale, quiesco, nec inquiro an Deus sit hominis creator.

Et si arguas, si accidens absolutum habet definiri per subiectum, ergo forma substantialis materialis habet definiri per materiam, atque ita per additum sicut accidens, probatur sequela, quia sicut intellectus non quietatur cognoscendo accidens nisi cognoscat subiectum, sic etiam nõ quietatur cognoscendo formam nisi cognoscat materiam; Respondet Doct. concedendo consequens, & consequentiam, vtrobique enim est eadem necessitas, quod patet per Philosophum definientem animam, secũdo de anima tex. cap. sexti, & inde, vbi statim ponit corpus, quod est perfectibile ipsius, vel totum compositum, cuius ipsa est pars, nec aliquid ponit pertinens ad essentiam animæ, sed tantummodo hoc quod est actus, quod significat respectum animæ ad illud cuius est forma, non est tamen similis additio hic, & ibi, scilicet, in definitione animæ, & in definitione accidentis absoluti, quia in definitione formæ substantialis additur aliquid, quod fuit per se vnum cum ipsa, vel cuius ipsa est per se pars, quod dico per modum diuersum dicendi formam definiri, vel per materiam, vel per totum, sed in definitione formæ accidentalis additur aliquid, cum quo non facit per se vnum, nec cuius est per se pars.

Obseruan. est tamen, quod accidens absolutum, & quælibet forma absoluta considerati potest vel in abstracto, vel in concreto, si consideretur accidens absolutum in abstracto potest definiri, & intelligi perfecte conceptum, & definitione pure quidditatiua sine subiecto si autem accidẽs absolutum consideretur in concreto, siue in concretione ad subiectum, non potest perfecte definiri sine subiecto; quia vt sic relatiue accipitur, & non absolute, atque adeo non potest perfecte, & quietatiue definiri sine subiecto.

Ad aliud de propria passione respondet Doct. sub lit. O. quod si albedo habet aliquam propriam passionem, illa immediatius inhæret sibi quam inhærentia illa, cuius ratio est, quia passio illa conueniret sibi ex natura sua, & non per aliquam causam extrinsecam, & necessario inesset albedini, siue coniunctæ, siue a subiecto separatæ, vt diximus supra de inhærentia aptitudinali, inhærentia autem actualis tantum contingenter inest, & non ex natura albedinis, sed à causa extrinseca producente albedinem in subiecto; non enim albedo facit se inhærere, sed agens albedinem in subiecto producens; Vniuersaliter enim forma non generatur effectiue, vt terminus quod, sed compositum; & sicut generans compositum per se, facit formam substantialem informare materiam, ita producens compositum per accidens, vt puta album facit albedinem inhærere subiecto, & quod facit albedinem inhærere subiecto facit compositum per accidens, scilicet, subiectum

 albuin,

album, sicut faciens formam substantialem informare materiam facit compositam per se.

Et si dicatur, quod pari ratione, neque reliqua pars. s. potentiale facit totum, id est, si albedo non potest facere illã inhærentiam, ergo nec subiectum, & per consequens subiectum non erit principium effectiuũ veniendi sibi aliquod accidens. Dicit Doct. quod hoc nõ est ad propositum, quia subiectum potest bene facere illam inhærentiam, eo quod subiectum potest virtualiter includere formam, atque ita illam à se ipso producere, non sic autem accidens, quia nõ includit virtualiter se ipsum, nec subiectum, nec per consequens totum ex his, sequitur etiam accidens naturaliter ipsum agens cum sit terminus formalis, non sic autem subiectum.

Secundo responderi posset ad argumentum, quod licet inhærentia insit immediate albedini, & alijs absolutis non sequitur tamen quod sit eius per se passio nisi probetur illud fundamentum Aegidij quol. 3. q. 10. quod accidens variabile non potest inesse alicui nisi mediante accidente inuariabili, super quod fundant (loquit Doct.) magnam harẽgam. i. controuersiam de potentijs animæ; sed vnde probẽt quærant, ita quod mediante hoc fundamento negaret Aegidius inhærentiam actualem esse passionem accidẽtis absoluti, quia accidens variabile non inest alicui nisi mediante accidente inuariabili, actualis autem inhærentia est accidens variabile, atque adeo non inhæret albedini nisi mediante aliquo accidente inuariabili, & ex consequenti non immediate. Cæterum illa propositio, quæ est fundamentũ Aegidij, & Thomistarum non est probanda, & licet aliqua exempla adducant de intellectione, & volitione, quæ sunt accidentia variabilia, tamen principium ad hoc probandum, (scilicet, quod accidens variabile non insit, nisi mediante accidente inuariabili) non habent; atque adeo omissis eorum exemplis oportet quærere aliquam rationẽ coniunctionis extremorum, quoniam si aliquid eiusdem rationis, vt ipsi dicunt, possit esse accidens separabile in uno, & inseparabile in altero, erit debile fundamẽtum, & istud non negatur de calore in igne, & in ligno.

a Conclusio — Secunda conclusio. Inhærentia actualis est propria passio accidentis respectiui; hæc conclus. est Doct. in hac q. sub lit. B. §. 2. concl. & probatur supponendo, quod duæ sunt habitudines accidentis respectiui, vna est esse in, quæ est ipsa inhærentia actualis, alia est esse ad, quæ est habitudo ad terminum, prima est propria passio eius, & competit ei in secundo modo dicendi per se, secunda est de quidditate eius, & competit ei in primo modo, habentque istæ habitudines talem ordinem inter se, quod secunda prius ordine naturæ videtur competere accidenti respectiuo, quam prima, tum quia quod est de intrinseca ratione alicuius prius competit sibi ordine naturæ quam illud, quod est extraneum à ratione eius quidditatiua, habitudo ad terminũ est huiusmodi, ergo, &c. minor probatur, quia respectus semper definitur per habitudinem ad terminum, & non per habitudinem ad fundamentum, vt patet in definitione eorum quæ sunt ad aliquid, vbi dicit

Arist. — Arist. Ad aliquid dicuntur quæcunque hoc ipsum, quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, vbi semper exprimitur habitudo ad terminum, & non ad fundamentum. Et licet Arist. 5. Meta. distinguat species relatiuorum penes fundamenta, & non penes terminos. Dico, quod ex eo hoc facit Arist. non quod relationes sumant à fundamentis esse specificum, sed quia fundamenta sunt nobis manifestiora quam termini: hoc tamen non obstante habitudo ad terminos est intimior relationibus, quam ad fundamenta.

Et probatur secundo idem præsuppositum, quandocũq; aliquod commune diuiditur per differentias formalis pro quocumque signo vna constituit speciem, seu minus commune, & alia; sed ens diuiditur per absolutum, & respectiuum, ergo pro eodem signo pro quo absolutum est ad se, pro eodem signo respectiuum est ad aliud, sed absolutum prius natura est ad se, quam insit alteri, ergo respectiuum prius natura erit ad aliud quam insit suo fundamento. discursus bonus, & maior est nota, nam cum substantia diuidatur per corporeum, & incorporeum, pro quocumq; instanti naturæ corporeum constituit corpus pro eodem incorporeum constituit spiritum: Definitum enim constituitur ex genere, & differentia diuidente, & constituente, minor est manifesta, quia ista duo absolutum, & respectiuũ sunt immediate opposita circa ens, & euacuant totam naturam entis, & ex his patet error Bargij in primo d. 3. q. 5. dicentis vtramque habitudinem esse de essentia accidentis respectiue. — Bargij

Hoc præsupposito probatur concl. Ille respectus identificatur realiter fundamento, & est propria passio eius, sine quo fundamentum esse implicat contradictionem ex natura fundamenti, sed respectum esse sine inhærentia actuali ad fundamentum implicat cõtradictionem ex natura fundamenti, igitur, &c. maior patet ex dictis, & minor probatur, quicquid est essẽtialiter habitudo inter duo extrema, necessario ad sui esse requirit illa extrema, nam si tollantur extrema tollitur habitudo, quæ essentialiter depẽdet ab ipsis in esse, sicut ergo tollere terminum respectus est destruere ipsum respectum, ita tollere fundamentum respectus est destruere ipsum respectum, ergo impossibile est respectum esse sine fundamento, & ex consequenti respectum esset absque hoc, quod actualiter inhæreat fundamento, ergo, &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum inhærentia sit posterior accidente.

QVæstio intelligitur de vtraque inhærentia respectu vtriusque accidentis, scilicet, absoluti, & respectiui; Et videtur primo, quod inhærentia non sit posterior accidente, & maxime loquendo de inhærentia aptitudinali, & suppono, quod inhęrentia aptitudinalis cum sit passio accidentis absoluti distinguitur ex natura rei, & formaliter ab accidente, hoc supposito arguitur sic: circumscripta inhærentia aptitudinalis ab accidente per intellectum in illo priori, in quo intelligitur prior accidente, vel accidenti repugnat inhærentia vel non, non est dicendum, quod sibi repugnet, quia passio egreditur à proprijs principijs subiecti, ei autem non repugnat actus, quod includit ipsa principia essentialiter ordinata ad actum: principia speciei, seu subiecti sunt huiusmodi, & passio est actus ad quem essentialiter ordinantur ipsa principia, igitur passio in illo priori non repugnat subiecto, sed illud cui non repugnat aliquis actus est capax, & receptiuum eius, igitur propria passio præsupponit in subiecto aliquam aptitudinem, & capacitatem naturalem, ergo in illo priori, in quo circumscribitur per intellectum inhærentia aptitudinalis ab accidente, accidens habet aptitudinem ad inhærendum, & per consequens inhærentiam aptitudinalem, ergo inhærentia aptitudinalis non est posterior accidente.

Secundò probatur de inhærentia actuali, quia albedo non requirit subiectum nisi propter istum respectum, quẽ habet ad ipsum, sed si ille respectus est posterior albedine, potest albedo manere isto respectu circumscripto, ergo potest non dependere ad subiectum. Præterea si albedo est prior illo respectu. s. actuali inhærentia, igitur potest complete concipi sine illo respectu, & per consequens complete definiri sicut prius sine posteriori, sed non requirit subiectum nisi propter istum respectum quem habet ad subiectum, ergo potest complete definiri sine subiecto, quod est contra Philosophum vbi prius. Ita Scotus in hac q. sub lit. E. §. Item tertium dubium.

His tamen non obstantibus dicendum est, vtramque inhærentiam posteriorem esse vtroque accidente; — Conclusio
Vnde obser. est, quod duplex est prioritas. s. temporis, & naturæ; illud autem dicitur esse prius tempore alio, quod potest separatim existere sine illo, vt patet per Arist. 7. Metaph. ita quod illud est prius tempore, quod potest habere sine alio existentiam actualem, & priorem quantum est de se; ita, scilicet, quod sibi non repugnat, eo quod in nihilo dependet, quod est illo posterius. — Prioritas duplex.
Prius autem natura dicitur aliquid dupliciter: vno modo, quod sic est prius natura, quod in aliquo instanti naturæ habeat verum esse existentiæ, & pro illo instanti pro quo existit posterius posset non inesse, & tale prius natura est etiam prius tempore quantũ est ex parte sua, sicut dicimus, quod substantia est prior natura accidente, quia in aliquo instanti naturæ substantia habet esse existentiæ, & in quo non est necesse, quod accidens posterius natura sibi insit. Secundo accipitur prius natura non quod detur aliquod instana naturæ, in quo habeat veram, & propriam existentiam, cui priori possit non inesse — Prioritas natura est duplex.

posterius,

Digitized by Google

posterius, vt dictum est de substantia, & accidente; sed dicitur esse prius natura, quia non includit posterius in suo esse quidditatiuo, & sic dicimus quòd homo est prior natura risibilitate, quia non includit illam quidditatiuè, licet sit impossibile hominem actu existere in aliquo priori naturæ, quin risibilitas dicat eamdem existentiam, & hoc modo dicimus vniuersaliter subiectum esse prius sua passione.

1 Conclusio. Ex his dico primo, quòd accidens, & aptitudinalis inhærentia non habent ordinem durationis, & originis inter se, ita quod accidens duratione præcedat ipsam inhærētiam aptitudinalem, vel accidens originetur priusquam inhærentia aptitudinalis, vel quod propria inhærentia aptitudinalis originetur ab accidente; probatur concl. quo ad primam, & secundam partem, quia quodcumque est prius duratione alio potest esse sine posteriori, sed accidens vt probatum est supra, non potest esse sine inhęrentia aptitudinali, ergo &c. & ex hoc patet secunda pars: quia quod originatur prius alio potest esse sine eo; tertia pars probatur: quia causa, & causatum distinguuntur realiter, sed subiectum, & propria passio non distinguuntur realiter, ergo, &c. quod maximè verum est de efficiente propinquo, & Physico, & de causa, quæ est causa ex immediato ordine ad actum causandi, & non tantum ad principia essentialia intrinseca, & non ad actum immediatè; quod dico quia licet subiectum sit causa passionis, tamen non distinguitur realiter à passione, quia subiectum non est causa ex immediato ordine ad actum causandi, sed ad principia essentialia intrinseca, ex eo, quòd propter identitatem realem passionis cum subiecto, passio præuenit in suo esse actuali actum causandi, licet non præueniat principia essentialia causatiua, & hoc est quod dixit

Scotus. Scotus in 2. d. 1. q. 5. loquendo de relatione, quę continetur per identitatem in fundamento, dicit enim quòd ipsa continentia, quæ est per identitatem relationis ad fundamentum, quasi præuenit ipsam accidentalitatem relationis, ne ipsa realiter possit esse accidens, quia ipsa perfectè continetur in substantia, quæ tamen relatio, si non sic contineretur ex se non haberet fortè quòd esset per identitatem substantia. Sic dicimus de passione causata, quæ continetur identicè in causa, ipsa enim continentia identica præuenit ipsum actum causandi, sic quòd per prius habet esse actuale ipsum causatum, puta passio, quam possit ab ipsa causa realiter, & actualiter causari.

2. Conclusio. Secundo dico, quòd inter accidens, & aptitudinalem dependentiam est ordo naturæ, quia ordo naturæ est inter illa, quorum vnum præsupponit reliquum, sed inhærentia præsupponit accidens, & non è contra, ergo accidens est prius natura inhærentia.

3 Conclusio. Tertio dico, quòd accidens absolutum est prius tempore inhærentia actuali, & distinctum essentialiter ab ea, ita quòd ex ratione quidditatiua accidentis non repugnat, sibi separari ab inhærentia actuali, vt probatum est in præcedenti articulo, quia inhærentia actualis est accidenti absoluto accidens per accidens; ex his respondetur ad rationes, & ad primam de inhærentia aptitudinali.

Dico, quòd aliud est loqui de præcisione subiecti in esse quidditatiuo, & aliud de præcisione in esse reali, prima præcisio abstrahit subiectum ab omnibus, quæ sibi non competunt in primo modo dicendi per se, & in ista præcisione nulla capacitas, seu aptitudo naturalis sibi competit, quoniam pro illo signo tantum sunt nata sibi competere prædicata quidditatiua; aptitudo autem naturalis quęcumque aduenit tantum in secundo modo, atque ita in tali præcisione est tantum capax priuatiuè, seu negatiuè, hoc est, non est incapax; vel repugnantiam non includit ad prædicata secundi modi, sed in præcisione reali subiectum est capax positiuè, & actu; quia in tali abstractione sibi non repugnat capacitas positiua, & actualis, cum subiectum tantum accipiatur cum his, quæ sibi identificantur realiter, siue sint quidditatiua sibi, siue non.

Ad secundum dicit Doct. in hac q. sub litt. m. §. Ad tertium dubium, quòd inhærentia actualis est posterior accidente absoluto, sicut vniuersaliter respectus fundatus in aliquo est posterior fundamento, & cum arguitur, ergo albedo non requirit necessariò terminum respectus, negatur consequentia, bene enim potest aliquid dependere à termino respectus, & tamen non dependere à respectu; quia bene stat quòd albedo dependeat à subiecto, quod est terminus respectus, scilicet actualis inhærentiæ, & non depēdeat ab ipsa actuali inhærentia cum sit posterior albedine, quòd patet de respectu lapidis ad Deum, nam substantia lapidis non dependet à respectu, quem habet ad Deum, sed magis è conuerso, respectus lapidis ad Deum dependet à lapide, sicut respectus à fundamento, vel saltem dependeret, si ille respectus esset diuersus, & essentialiter distinctus à lapide; & tamen lapis dependet essentialiter à Deo, qui est terminus respectus: Atque adeo ad illam propositionem, quæ assumitur in antecedente, videlicet quod albedo non requirit terminum respectus nisi propter respectum; dicit Doct. quod accidens non in eodem ordine requirit terminum respectus, & ipsum respectum; nam respectum coexigit vt consequentem ipsum, sicut respectus consequitur fundamentum, & non tamquam aliquid requisitum ad naturam fundamenti, quod est ipsum accidens, quia nullum prius sic requirit ad esse suum illud, quod est posterius, & ita conceditur quod accidens requirit terminum respectus propter respectum, vt ly propter est nota alicuius consequentis, scilicet respectus consequentis ipsum accidens, quod consequens, id est, respectus, requirit ipsum terminum, eo modo quo diceretur, quod homo requirit rationale propter risibilitatem; In ordine tamen prioris, & cuiusdam requisiti ad naturam accidentis, ipsum accidens requirit terminum respectus, qui est subiectum, seu substantia, atque ita non in eodem ordine prioritatis, & posterioritatis, vtrumque requiritur ab accidente.

Ad tertium de definitione accidentis concedo, quod albedo intelligi pōt, quātum ad quodlibet quod per se primo mō includit in ratione albedinis, omnino nihil intelligendo de illo respectu, scilicet de inhærentia actuali, & cum dicitur, ergo posset definiri per essentialia, concedo quod bene posset assignari aliqua ratio per essentialia indicans totam essentiam eius, sed illa non esset definitio, Metaphysicè loquendo, quia non esset expressiua perfecti conceptus, quia non erit conceptus quietans intellectum, vt dictum est prius, esset tamen vera definitio logica, quia constans ex genere, & differentia, sed tamen intellectus habens illum conceptum, dependeret ad aliquid aliud terminans dependentiam illius conceptus. Et si dicatur, si respectus ille non necessariò concomitatur, ergo nec terminus respectus requiritur ad intellectionem albi, nego consequentiam loquendo de intellectu completo, & conceptu quietante intellectum; ad illum enim requiritur cointelligi terminum, non tamen respectum ad terminum, quia inhærentia est respectus quidam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum contradictionem inuoluat accidens à subiecto separari.

Accidens, vt dictum est in explicatione tituli quæstio. sumitur vel pro per se significato, vel pro denominato, hoc est, vel pro ipsa inhærentia, à qua accidens denominatur inhærens, vel pro ipso accidente inhærente, quod vt diximus est duplex, scilicet absolutum, & respectiuum; in hoc articulo est sermo de accidente pro formali: Vnde obseruandum est, quòd accidens pro formali, quod idem est quòd accidentia, seu inhærentia accidentis ad subiectum, quam accidens pro substrato principaliter importat, cum sit aliquid positiuū reale, nec sit aliquid ad se, sed ad aliud, non potest concipi quantum ad id, quod est, nisi concepto alio, nimirum subiecto accidentis, quia inhærēita ista, quæ est accidens pro formali est habitudo accidentis ad subiectum, fundatur enim hæc inhærentia in accidente pro substrato, & terminatur ad subiectum eius, verbi gratia, fundatur in albedine, & terminatur ad parietem, qui est albedinis subiectum; Secundo obseruandum est, quòd huiusmodi accidens per formali, id est, inhærentia differenter se habet ad accidens absolutum, & respectiuum, nam accidentis absoluti, vt quantitatis, vel huiusmodi, inhærentia non pertinet ad proprium genus, vel prædicamentum, nec est sibi consubstantialis, vel essentialis (& loquor de inhærentia actuali) sed pertinet ad aliud genus, quod est respectiuum, atque illa inhærentia respicit accidens absolutum pro subiecto immediato, cui formaliter inest, alioquin non diceretur accidens absolutum formaliter inhærens per eā;

Inhærentia

Inhærentia autem accidentis respectiui non est alterius generis ab ipso, sed est sibi coessentialis, adeo ꝙ respectus iste ad subiectum in accidente respectiuo distinguitur tantum ex natura rei, vel formaliter ab ipso accidente respectiuo.

Conclusio. His obseruatis dico, quòd accidens pro per se significato, seu pro formali separari nequit à suo subiecto, ita ꝙ contradictionem inuoluit accidentiam, seu inhærentiam esse sine suo subiecto, & hoc vniformiter intelligendo in subiecto, & prædicato, vt si actu, actu, si aptitudine, aptitudine id est, si accidens pro denominato actu inhæret, impossibile est inhærentiam illam esse sine tali accidente inhærente, quod est eius subiectum, & si accidens pro denominato non inhæret actu, sed aptitudine, impossibile est inhærentiam secundum aptitudinem ab accidente separari; hæc concl. est Doct. in hac q. sub lit. b. §. Sit ergo prima conclusio, & §. prima concl. probatur. & probatur: nam accidens isto modo anditum, est respectus quidam ad illud cui accidit, & fortè idem respectus, quem importat hæc dictio inhærens ad illud cui inhæret; nam inhærens pro per se significato dicit inhærentiam, & accidens pro per se significato dicit accidentiam (vt ita loquar) & idem significatum est accidentis, & inhærentis; accidentiæ, & inhærentiæ; sicut ergo impossibile est accidentia esse, & non esse inhærētia, si actu actu, si aptitudine aptitudine, ita impossibile est aliquod esse accidens loquendo de per se sigoificato, & primo huius nominis, quin sit inhærens proportionabiliter, hoc est si actu, actu, si aptitudine, aptitudine.

Et si quæras ad quod genus pertinet illud, quod per se significat hoc quod est accidens, vel inhærens, id est, si quæratur in quo prædicamento reponatur accidens pro formali, nimirum ipsa accidentia, vel inhærentia; à qua hoc ens, verbi gratia, albedo denominatur accidens, vel inhærens.

Respondeo, ꝙ loquendo de inhęrentia actuali accidentis absoluti, pertinet ad genus aliquod respectus extrinsecus aduenientis; quod spectet ad prædicamentum respectus, patet; quia non potest intelligi ratio eios ad se; quod autem spectet ad prædicamentum aliquod respectus extrinsecus aduenietis, patet, quia non cōsequitur necessariò positionem extremorum, cum fundamentum eius, & termini possint manere sine isto respectu, quia stat quod sint albedo, & paries, & non sit inhærentia, cum absolutum, vt absolutum est, non requirit terminos, nec etiam necessariò accidens absolutum requirit subiectum, quia si sic hoc esset propter dependentiam aliquam essentialem, sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquod, quod non est de essentia eius, imò nec ad causam extrinsecam, nisi ad simpliciter primam, quia causalitatem cuiuscumque causæ extrinsecæ respectu cuiuscumque causati perfectè supplere potest prima causa, cum contineat in se eminentius omnem causalitatem causæ secundæ, subiectum autem non est de essentia accidentis, ergo fundamentum, & terminus respectu illius, quòd est accidentia, vel inhærentia, potest manere sine illo respectu, atq; adeo ille respectus erit extrinsecus adueniens.

Et si quæratur ad quod genus spectet illorum sex, quæ appellantur respectus extrinsecus aduenientes dicit Doct. Vide si fortè ad genus passionis, si enim passio dicat nedum respectum passi ad agens, sed etiam respectū ad formam, quæ passio inhæret, potest dici ꝙ inhærentia spectat ad genus passionis, & è contra, si genus actionis dicat nedum respectum agentis ad passum, sed etiam formæ inhęrentis ad subiectum cui inhæret, posset dici ꝙ inhæreotia spectat ad genus actionis. Et secundum hoc esset ponenda duplex inhærentia, scilicet actiua, & passiua, actiua est accidentis ad subiectum, passiua vero è contra, & vtroque modo est respectus extrinsecus adueniens. *Bassolus.* Bassolus hac d. q. 1. artic. 1. tenet ꝙ talis habitudo, vel inhærentia accidentis absoluti ad subiectum sit de prædicamento habitus, est enim aliquo modo derelicta ex adiacentia accidentis ad subiectū, vel est ipsamet adiacentia.

Et si dicatur, quòd illud quod est determinati generis, nō potest competere pluribus generibus; accidens autem, vel inhærens quantum ad per se rationem nominis, id est inhærentia conuenit omnibus nouem generibus, ergo non est in aliquo determinato genere.

Respondet Doct. ꝙ bene potest, quod est determinati generis denominare plura genera, nam creatum fortè dicit aliquid per se pertinens ad genus relationis, & tamen fortè denominat quodlibet à Deo, & solum illud aliud à Deo est propriè in genere, ergo potest iste respectus pertinere per se ad vnum genus, & tamen denominatiuè dici de relationibus, vel respectibus nouem generum, & notanter Doctor loquitur dubitatiuè, quia relatio creaturæ ad Deum non ponitur in prædicamento relationis, quoniam ad hoc quod aliqua relatio ponatur in prædicamento relationis, oportet quod distinguatur à suo fundamento, quod negatur de relatione dependentiæ creaturæ ad Deum, quę identificatur cum creatura, sed satis est quòd relatio, quæ ponitur in vno prædicamento, potest denominatiuè prædicari de re alterius prædicamenti, quantitas enim dicitur æqualis alteri quantitati æqualitate, quæ est accidens de alio prædicamento à prædicamento quantitatis, quia de prædicamento relationis, & ita patet de similitudine, quæ est in prædicamento ad aliquid, & tamen denominat prædicamentum qualitatis, nam duæ qualitates dicuntur similes, vel dissimiles.

Et si arguatur contra authoritate Simplicij, super prędicamenta dicentis, quod esse in, non constituit aliquod speciale genus, quia vnum esse in, est omnium nouem generum; Respondet Doct. quòd esse in, potest accipi bifariam, vno modo pro denominato, & sic circuit omnia genera accidentium, sicut hoc quod est inhærere, vel accidere; & hoc intelligendo inhærens, vel accidens in suo conceptu communi ad omne inhærens, vel accidens; Alio modo potest accipi esse in, pro ipsa habitudine per se significata per esse in, id est, pro ipsa accidentia, seu inhærentia, & hoc modo accipitur aliquod genus ab esse in, quia est species determinata in vno genere. Si ergo Simplicius intelligat esse in, pro denominato, concedimus, quòd esse in, non constituit aliquod genus, & quod vnum esse in, est omnium nouem generum, quo ad rationem communem accidentis. Si autem accipiat esse in, pro per se significato, falsum est, quòd non pertineat ad aliquod genus determinatum, & si hoc ipse intelligat negandus est; non enim est tantæ authoritatis, quod propter eius dictum debeat concedi oppositum eius, quod ratio concludit; ratio autem conuincit, quòd ille conceptus, quem importat esse in, potest quidditatiuè contineri in aliquo genere, licet denominatiuè dicatur de formis, quæ sunt in multis generibus, non enim dicitur quidditatiuè de albedine, & linea, tunc enim albedo, & linea nō dicerentur ad se, quia illud, quod essentialiter includit respectum, non est ad se, secundum D. August. 7. de Trinit. capit. 2. *Simplicius.* *Esse in bifariam sum potest.* *D. August.*

ARTICVLVS V.

Vtrum separatio accidentis respectiui à subiecto inuoluat contradictionem.

IN hoc articulo est sermo de accidente pro substrato. De qua re duplex est opinio, prima est opinio Io. Canon. 1. Phy. q. 4. art. 3. dicentis, quod non est impossibile Deo separare relationem à fundamento, cum existentia eiusdem, & specialiter loquitur de illis relationibus, in quibus non est talis dependentia ad fundamentum, quin Deus possit supplere viam terminantis sine imperfectione, pro cuius intellectu ponit quatuor dicta, primum est, quod possibile est relationem actualiter separari à fundamento: probatur, quæcumque essentialiter distinguuntur sunt separabilia mutuo, relatio, & fundamētum sunt huiusmodi, ergo, &c. maior probatur. Sicut se habet impossibilitas separationis ad identitatem essentialem, ita possibilitas separationis ad diuisionem essentialem, sed ad identitatem essentialem sequitur impossibilitas separationis, ergo ad distinctionem essentialem necessariò sequitur possibilitas separationis, minor patet: quia sunt distinctorum generum absolutum, & respectiuum. *Io. Canon.*

Et si dicatur, quòd vera est maior de absolutis, sed non de respectiuis, propter dependentiam essentialem relationis à fundamento; contra illud, quod ita depēdet ad aliud, quod eius dependentiam potest aliud ab illo terminare, potest esse actualiter sine illo, sed relatio sic dependet ad fundamentum, quod eius dependentiam potest terminare aliud ab illo, ergo potest esse actu sine illo; maior est euidēs: quia tota ratio inseparabilitatis probatur ex parte dependentiæ,

Digitized by Google

pendentiæ, & termini eius, si ergo aliquid potest supplere vicem illius termini, ergo illa dependentia non erat necessariò ad illum terminum, minor probatur: quia primum simplicitet independens potest terminare omnem dependentiam, & supplere vicem cuiuslibet terminantis eam, sed Deus est huiusmodi, ergo, &c. Et confirmatur, quia quæro quomodo fundamentum ad quod est relatio dependens, se habeat ad ipsam? vel in genere causæ efficientis, vel finalis, vel formalis, vel materialis, si primis duobus modis habetur propositum, quia potest Deus supplere omnem causalitatem extrinsecam; si tertio modo, vel est materia in qua, vel ex qua; si in aqua in hoc conuenit cum accidente absoluto, sed hoc non obstante accidens absolutum potest esse sine subiecto, ergo & relatio; ꝙ autem fundamentum non se habeat ad relationem velut materia ex qua satis de se patet; Præterea, si dependentia est ratio inseparabilitatis cum materia, & forma ad se dependeant mutuo vnum ab alio non poterit separari actualiter, conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarum non minor, ergo maior. Et confirmatur. Si Deus potest ponere materiam sine forma, quia potest supplere vicem cuiuslibet in ratione termini, ergo potest ponere relationem sine fundamento, quia potest supplere vicem fundamenti in ratione termini.

Secundum dictum Canonici est, quod relatio potest esse actualiter sine extremis probatur, tum quia relatio distinguitur essentialiter ab extremis, ergo potest esse actu sine eis, probatur sequela, quia essentialis distinctio aliquorum est ratio sufficiens separabilitatis, antecedens patet: quia sunt distinctorum generũ, Tum etiam quia si hoc non esset, ex eo contingeret, quòd relatio diceret dependentiam ad extrema, sed hoc non obstat, ergo, &c. minor probatur: quia quod potest esse sine dependentia, potest esse sine termino dependentiæ, sed relatio potest esse sine dependentia actuali ad extrema, ergo, &c. maior patet, quia ratio quare dependens coexigit terminum dependentiæ est ipsa dependentia, minor probatur: quia cum actualis dependentia sit relatio extrinsecus adueniens est alterius prædicamenti à relatione, quæ est intrinsecus adueniens, ergo sunt distincta essentialiter, & per consequens mutuo separabilia; Tum quia si relatio dependentis coexigit extrema: quæro in quo genere causæ? si extrinsecè, Deus potest supplere vicem omnis causæ extrinsecæ, & habetur propositum, si intrinsecæ hoc est absurdum, quia absoluta non sunt intrinseca relationi.

Et confirmatur: quia Deus potest supplere vicem cuiuslibet causæ extrinsecæ terminantis, sed extrema sunt extrinseca terminantia dependentiam relationis, ergo sine ipsis Deus potest facere relationem.

Tertium dictum Canonici est, quòd extrema relationis possunt esse actualiter sine relatione, probatur omne prius natura absolutum, & distinctum realiter à posteriori, potest esse sine contradictione absque posteriori, à quo essentialiter non dependet; sed extrema sunt huiusmodi respectu relationis, ergo, &c. maior est euidens, quia si detur oppositum prius natura dependebit à posteriori, & ex consequenti prius non esset prius, quoniam prius in suo priori non dependet à posteriori.

Præterea fundamentum potest existere, & non existere relatione, quia est prius natura relatione, sed ita prioritas naturæ respectu relationis est in termino, ergo vtrumque extremum potest esse sine relatione, atque ita erunt duo alba absque similitudine, maior est euidens, & minor patet, quia relatio oritur ab extremis.

Quartum dictum est, quòd vnum correlatiuum potest actu existere sine alio, probatur, tum quia distinguuntur essentialiter vt euidens est, ergo vnum potest realiter existere sine alio; Tum quia & si vnum ab alio dependeat, hoc est sicut à causa extrinseca, sed Deus potest supplere omnem causam extrinsecam, ergo, &c.

in Cano. ...citur.

Sed hæc opinio Canonici est falsa, & contra Doct. expressè, nam in hac q. sub litt. b. concl. 2. dicit Doct. ꝙ loquẽdo de eo, quod denominatur à per se accidentis significato, & est per se respectus, contradictio est, quod sit sine subiecto, & hoc actu, ita scilicet, quod non actu inhæreat subiecto extendendo subiectum ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus.

Pro cuius intelligentia obseruandum est, quòd quidam sunt respectus, qui habent idem pro subiecto immediato, & immediatè, & propriè denominato per ipsos, atq; etiam pro fundamento, sicut sunt vbi, vel etiam motus, seu mutatio, fundamentum enim ipsorum immediatè denominatur per ipsos, est etiam subiectum eorum vt corpus mutatum, vel locatum; Alij sunt respectus accidentales, qui respiciunt aliud pro fundamento, & aliud pro denominato, & hoc magis & consuetudine, & modo loquendi, quam ex rei proprietate, sicut similitudo respicit albedinem pro fundamento, & subiectum albedinis pro denominato, quam subiecto: Et de istis patet secundum rei veritatem, quod respiciunt fundamẽtum pro subiecto immediato, quod possent denominare, & tali fundamẽto manente manere, nec oporteret quòd subiectum fundamenti maneret, sed sufficeret quod fundamentum & terminus; nam subiectũ fundamenti non est subiectum relationis accidentalis fundatæ in illo nisi mediatè, & sic determinatum per illam rationem fundamenti cuius est subiectum, sicut substantia dicitur subiectum qualitatis mediatum, & denominatur per eam ratione quantitatis, quæ est immediatum subiectum qualitatis, & quæ informat substantiam, atque ita videretur quòd manente fundamento, vel subiecto immediato, & extremo, id est termino, posset manere relatio; sicut manente quantitate potest manere qualitas in ipsa substantia non manente.

Respectus sunt in duplici differentia.

Et hoc videtur mihi necessariò dicendum ne cogamur ponere in relatione duas inhærentias sibi essentiales ad duo, scilicet ad subiectum, & fundamentum, ita quòd vtrique inhæreat, & ad sui esse requirat subiectum, & fundamentum, quod non videtur verum, quia aliàs separato fundamento à subiecto non remaneret in fundamento relatio.

Secundo obseruandum est, quòd habitudo relationis ad terminum est de essentia relationis, habitudo vero ad fundamentum competit ei in secundo modo; primum patet: quia relatio definitur per esse ad, & non per esse in, ergo immediatius sibi competit habitudo ad terminum, quam ad fundamentum, præterea quandocumquè aliquod commune diuiditur per duas differentias formales, pro quocumque signo vna constituit & alia; sicut pro quocumque signo corporeum constituit corpus, pro eodem incorporeum constituit spiritum, sed ens diuiditur per absolutum, & respectiuum, ergo pro eodem signo, pro quo absolutũ est ad se, quo eodem relatio siue respectiuum est ad aliud, sed omne accidens absolutum prius est naturaliter ad se, quam sit in subiecto, ergo relatio prius naturaliter est ad aliud quam sit in subiecto, atque adeo habitudo ad terminum est de relationis essentia, & immediatius competit sibi, quam habitudo ad fundamẽtum secundum probatum est supra artic. 2 concl. secunda.

Habitudo relationis ad terminũ est de essentia relationis.

Ex his dico, ꝙ separatio accidentis respectiui à subiecto extendendo nomen subiecti ad fundamentũ implicat contradictionem, probatur. Illud cui est essentialis inhærentia ad subiectum, vel fundamentum non potest sine contradictione separari ab illo, vel non potest esse illo non existente, sicut nõ potest aliquid existere sine eo, quod est sibi consubstantiale vel coessentiale, sed habitudo accidentis respectiui ad subiectum, vel fundamentum est sibi essentialis sicut dictum, & probatum est art. 2. huius q. ergo non potest esse sine tali habitudine, & ex consequenti sine termino habitudinis, atq; adeo sine fundamento. Præterea illud, quod quidditatiuè est habitudo formalis alicuius non potest poni sine illo, nec separari ab eo, sicut nec potest esse sine sua quidditate, sed respectus quidditatiuè est habitudo alicuius vt fundamenti, vel habitudo ad fundamẽtum est de quidditate respectus ergo, &c. Vnde obstat ꝙ Bassolus hac d. q. 1 videtur dicere, & tenere ꝙ habitudo respectus ad fundamentum sit ita de essentia relationis, sic habitudo ad terminum quemadmodum diximus, supra opinari Bargium, qui distinguit in fundamento duplicem rationem, nam alia (inquit ipse) in fundamento relationis est ratio fundamenti, & alia est ratio subiecti, habitudo relationis ad subiectum sub ratione subiecti, in quãtum. s. relatio est accidens est in secundo modo dicendi per se, sed eius habitudo ad fundamentum sub ratione fundamenti est æquè sibi essentialis, sicut eius habitudo ad terminum, hac opinione supposita, quam tamen non credimus esse verã, sicut diximus supra; hæc ratio euidentissimè concludit, nam si habitudo

1. Conclusio

Bassolus.

Digitized by Google

tudo ad fundamentum sit de essentia relationis non potest relatione dum esse, sed nec etiam intelligi sine illa habitudine, & cum contradictionem inuoluat habitudinem esse sine termino, inuoluit etiam contradictionem relationem esse sine fundaméto, quod est illius habitudinis terminus, & esto ꝙ habitudo relationis ad fundamentum non sit de relationis essentia, sed magis passio eius, sicut nos credimus

Fräc. May. Anto. Trob. cum Fran. de May. in 1. d. 29. q. 5. & in 4 dist. 12. q. 7. & cum Tromb. in lib. 7. Meta. q. 1. & cum alijs præclarissimis Scotistis, adhuc habetur intentum, quoniam implicat contradictionem subiectum esse sine propria passione, cum sit sibi idem essentialiter, atq; adeo implicat contradictionem relationem esse sine habitudine ad fundamentum, & ex consequenti sine fundamento.

Prçrerea tertio: respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, & ideo sicut tollere terminum ad quem respectus est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud cuius est respectus est tollere respectum, & destruere rationem respectus: Non ergo, quia accidens respectiuum est accidens ideo requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideo requirit cuius sit, & ad quod sit etiam in diuinis. Sed videntur hæc contradicere his, quæ diximus in superiori art. nam dictum est, ꝙ ratio quam significat accidere, vel inhærere, id est, ipsa inhærentia est respectus extrinsecus adueniens, ergo nõ potest competere alicui respectui denominatiuè, quia respectus, non subiectum respectus neque fundamentum, aliàs daretur processus in infinitum, ergo paternitas, vel similitudo non potest inhærere, vel accidere, quia inhærere, seu denominati ab inhærentia requirit, quod denominatum sit subiectum, & fundamentum inhærentiæ. Respondet Doct. ꝙ vnus respectus bene potest fundari in alio, vt posterius in priori, sicut dictum est in quęst. de charactere, & probatum est de proportione, & proportionalitate, atque ita dico, ꝙ sicut albedo potest denominari ab inhærentia, siue ab eo quod potest accidere, ita potest paternitas denominari, & similis est determinatio, quo ad hoc vtrobiq. scilicet, quod prædicatum dicit respectum extrinsecus aduenientem ipsi subiecto: obser. est tamen, ꝙ inhærentia, qua paternitas inhæret non est ita respectus extrinsecus adueniẽs, quemadmodum inhærentia, qua inhæret albedo, quia illa cum sit idem realiter cum paternitate est reductiuè in eodem genere cum ipsa; inhærentia verò albedinis est alterius generis ab albedine, vt diximus supra, sed habet aliqualem similitudinem cũ illa, vel dicitur relatio extrinsecus adueniens, quia est extra conceptum formalem relationis, sicut inhærentia albedinis est extra conceptum formalem albedinis, est tamen differentia in hoc ꝙ inhærentia actualis relationis est idem essentialiter cum relatione, inhærentia autem albedinis distinguitur essentialiter ab albedine.

Soluũtur rõnes Canonici. Ad motiua Io. Canonici ad primum dico, ꝙ Deus potest facere prius sine posteriori, non potest tamen facere posterius sine priori, à quo essentialiter dependet, quemadmodum relatio essentialiter à fundamento dependet, cũ ergo dicitur quæcumq; essentialiter distinguuntur sunt ab inuicem separabilia, dico ꝙ est verum, quando vnum ab altero essentialiter non dependet, & in hoc casu nego minorem.

Ad improbationem dico, ꝙ licet primum independens simpliciter à nullo dependeat, nõ potest tamen immediatè omnem dependentiam terminare, vt docet Doct. in 3. d. 1. *Scotus.* q. 1. & vide ea, quæ ibi diximus, & in quol. q. 19. Et si enim possit supplere causalitatẽ cuiuscumq; causæ extrinsecæ respectu cuiuscumq; causati, & hoc in absolutis, non tamẽ potest supplere vicem causæ materialis, sicut nec formalis vt docet Doct. in hac q. ita etiam in relatiuis non potest primũ independens terminare omnem dependentiam illorũ, cum non possit facere respectum sine termino, vt similitudinem sine simili, sicuti nec hominem sine rationalitate, nã ita est de essentia relationis habitudo ad terminũ, sicut rationale est de essentia hominis: habitudo autem relationis ad fundamentum, licet habeat relationem pro fundamento habet tamen relatiuum fundamẽtum pro termino, atq; adeo sine ipso esse non potest. Ad rationem ergo nego minorem, & ad probationem nego maiorem, si intelligat immediatè, & ratio assignata est, quia terminare relationẽ in ratione fundamenti dicit imperfectionem; Tum etiam quia habitudo relationis ad fundamentum est idem essentialiter cum relatione, & non potest ab ipsa relatione separari, ipsa autem habitudo relationis respicit relationis fundamentum pro termino, atq; adeo sine illo esse nequit, cum ergo habitudo relationis ad fundamentum non possit esse sine fundamento, quia est terminus eius, & relatio non possit esse sine habitudine ad fundamentum, quia est sibi idem essentialiter, sequitur ꝙ relatio non potest esse sine fundamento.

Ad confirmationem, quando quærit quomodo fundamentum se habeat ad relationem dico, ꝙ fundamentum relationis se habet ad relationem sicut materia in qua, & tunc negatur consequentia, accidens absolutum dependet à subiecto suo, sicut à materia in qua, & tamen potest separari ab eo, & separatim conseruari, ergo & ipsa relatio non obstante eius dependentia à fundamento, vt à materia in qua, poterit separari ab eo, & ratio est: quia relatio secundum suam rationem formalem propter sui entitatem debilissimam inter omnia accidentia præexigit fundamentum, ad quod essentialiter dicit habitudinem, neque hoc inest sibi in quantum relatio solum, nec in quantum accidens solũ, sed in quantum relatio accidentalis, vt patet à Doct. in hac *Scotus.* q. & in quolib. q. 4. & in 2. d. 1. q. 5.

Ad aliud de materia, & forma, concesso antecedente nego consequentiam, & cum arguitur, ꝙ vtrobiq; est dependentia, dico ꝙ materia secũdum suam quidditatem est ens absolutum nullam dependentiam dicens ad formam; non sic relatio, quæ essentialiter dicit habitudinem ad fundamentum. Et si dicatur, quòd materia est potentia receptiua, seu principium receptiuum formæ, nec cognoscibilis est, nisi per analogiam ad formam 1. Physic. ergo dicit habitudinem ad formam; Dico vt colligitur à Doctõ. in illo 4. d. *Scotus.* 44. quòd materiæ ad formam est relatio realis, & illa est ratio recipiendi formam, sicuti è conuerso, informatio est realis relatio formæ ad materiam, talis autem relatio, licet sit eadem materiæ realiter, vt pro nunc suppono, non tamen quidditatiuè, ideo similitudo non est bona de relatione accidentali dicente quidditatiuè habitudinem ad fundamentum, vel saltem essentialiter, & de materia, quæ licet realiter non tamen quidditatiuè dicit habitudinem ad formam; Dico etiam ꝙ relatio materiæ ad formam si sit actualis, nedum non est idem quidditatiuè cum materia, sed nec etiam realiter; atq; adeo non repugnat materiæ esse sine forma, & è conuerso, quia etiam relatio actualis informantis ad informatum, quam dicit forma ad materiam est res distincta à forma, licet informabilitatis relatio in materia, & informatiuitas in formam, sint relationes aptitudinales, atque essentialiter idem cum materia, & forma. In proposito autem inhærentia actualis relationis ad fundamentum est idem essentialiter, & si non quidditatiuè cum relatione, atque adeo non est simile de materia, & forma, & de relatione, & fundamento.

Ad secundum dictum Canon. dico, quòd falsum est, & ad probationem nego consequentiam, & ad probationem dico, quòd præcisa causa separationis aliquorum inter se non est essentialis distinctio eorum, sed cum hoc requiritur quòd vnum ab alio non dependeat essentialiter, atque adeo, etsi relatio essentialiter distinguatur ab extremis, quia tamen ab illis essentialiter dependet, non potest ab illis separari, vel esse sine illis, & ad improbationem nego minorem, relatio enim non potest esse sine dependentia ab extremis, quia à termino dependet essentialiter quidditatiuè, & à fundamento saltem essentialiter, neque actualis dependentia relationis est alterius generis à relatione, cum sit quidditatiuè, & essentialiter sibi idem.

Et cum quærit in quo genere causæ relatio, vel dependẽtia relationis exigat extrema dico, ꝙ habitudo relationis ad fundamentum exigit fundamentum, vt materia in qua, vt diximus supra, habitudo autem ad terminum exigit terminum, nedum in ratione efficientis, sed etiam in ratione terminantis, & licet dependentia ad efficiens sit accidentalis, tamen dependentia ad terminum est essentialis, vt docet Sco. in 3. d. 1. q. 5. & ideo & si prima possit suppleri, secunda ta- *Scotus.* men suppleri non potest, quia est essentialis, & ad confirmationem iam responsum est, ꝙ Deus non potest supplere vicem cuiuscumq; terminantis dependentiam, quia non potest propter imperfectionem omnem dependentiam immediatè terminare.

Ad tertium dictum dico, ꝙ extrema relationis esse nequeunt in actu sine relatione, & ad probationem dico, ꝙ illa regula Sco. non est vera in relatiuis, vt ipsemet dicit in 2. d. 1.

Digitized by Google

d.1.q.4.& 5.respondendo ad quæstionem, dico secundo, ꝙ illa propositio non est vera, quando posterius necessario concomitatur prius; nam positis fundamento, & termino necessario consurgit relatio intrinsecus aduenienss, vt positis duobus albis necessario consurgit similitudo, non necessitate dependentiæ prioris ad posterius, sed necessitate naturalis exigentiæ, eo modo, quo dicitemus ꝙ posita totali causa in esse naturaliter agente, & in actu ponitur effectus.

Ad secundum dico, ꝙ fundamentum potest esse sine relatione tamen existente fundamento, & de nouo producto termino non possunt esse fundamentum, & terminus sine relatione, quia necessariò consurgit positis extremis, aliàs non esset relatio intrinsecus adueniens, dico ergo vtrunque extremum potest esse diutius sine relatione, sed ambo simul posita est impossibile, quod sint sine relatione.

Ad quartum dictum patet esse falsum, vnum enim correlatiuum essentialiter dependet ad alterum cum eius esse sit ad aliud se habere, neque intelligibile est, esse patrem non existente filio, nam si non est filius cuius erit pater? & si non est consimile, cui erit simile?

ARTICVLVS VI.

Vtrum actualis separatio accidentis absoluti à subiecto cum existentia eiusdem inuoluat contradictionem.

Circa hunc articulum de fide est accidentia panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ esse sine subiecto, i. sine substantia, vt diximus in initio huius q.& hoc confirmauit Io. Papa 22. qui contra multos fatuos determinauit accidentia illa panis, & vini esse sine aliquo subiecto, nam non defuerunt quidam affirmantes accidentia illa esse in aere subiectiuè, quod absurdissimum est, quia certú est nullo aere existente, imò si per possibile, vel impossibile conficeretur hoc sacramentum in vacuo, adhuc fieret transubstantiatio panis, & vini virtute illorum verborum, & ex consequenti accidentia illa remanerent absq; subiecto; Præterea accidés non migrat de subiecto in subiectum, sed ante consecrationem illa accidentia non erant in aere subiectiuè, ergo nec postea, supponitur ergo in hoc art. ex fide certum accidentia in hoc sacramento esse sine subiecto, & inquiritur vtrú hoc inuoluat contradictionem, & videtur primo, quod sic.

Sicut substantiæ conuenit esse per se, sic accidenti conuenit esse in alio, sed impossibile est esse substantiam, & non esse per se, siue esse in alio, ergo impossibile est esse accidens & esse per se, siue non esse in alio; maior patet, qua eus diuiditur in ens per se, & in ens in alio, & primum membrum conuenit substantiæ, & secundum accidenti, minor probatur: quia quod verè est nulli accidit 1. Phys. ergo cuius esse est esse in alio, esse nequit nisi inhæreat alteri.

Præterea posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter, sed accidens est posterius essentialiter substantia, ergo impossibile est accidens esse sine substantia eius est accidens; maior est Arist. 5. Meta. c. de priori tex c.16. & minor est eiusdem Arist. 7. Meta. text. c.4. vbi dicit, ꝙ substantia est primum omnium entium cognitione, & tépore.

Præterea tertio. Impossibile est definitum esse sine definitione, & per consequens sine quocunque definiente ipsum, sed substantia definit accidés, ergo impossibile est accidens esse sine substantia; maior patet, & minor est Arist. 7. Meta. tex. c.4 14. & inde.

Et si dicas, ꝙ maior est vera de definiente pertinente ad quidditatem definiti, non autem de illo, quod definit vt additum, substantia autem definit accidens vt additum; Contra impossibile est, & incompossibile relatiuum esse sine correlatiuo, tunc enim relatiuum non esset relatiuum, & tamen correlatiuum definit correlatiuum, non vt aliquid de quidditate eius, sed vt additum, ergo maior est vera de definiente vt additum.

Et confirmatur: quia si ad definitionem alicuius creaturæ pertineret ipse Deus, non pertineret nisi vt additum, & contradictio esset, quòd definitum esset sine illo addito, nunc autem secundum Philosophos substantia est causa simpliciter necessaria accidentis, sicut Deus creatura, & propter istam necessitatem causandi cadit in definitione accidentis, sicut tale additum, scilicet simpliciter necessarium, ergo &c.

Item in prædicamentis albú, & albedo idem significant, ergo quantitas, & quantum idem significant, sed impossibile est quantum esse sine subiecto cui quantitas conueniat, ergo impossibile est quantitatem esse sine subiecto; probatur consequentia, quia quantum, & quantitas idem significant. Et confirmatur: quia quando aliqua sic se habent, quod sunt vnum, & idem, vnum non potest esse sine alio, sed quantitas, & quantum sunt huiusmodi, ergo quantitas non potest esse sine quanto, sed quantum est subiectum, ergo &c.

His tamen non obstantibus dico, ꝙ omne accidens absolutum quodcumque sit illud potest separari à suo subiecto, & esse sine illo, & hoc siue subiectum maneat, siue non maneat in re, & in effectu; & hoc dico loquendo absolutè virtute diuina. probatur. Illud est Deo possibile, quod non implicat contradictionem ex terminis, sed nullam implicat ex terminis contradictionem, quod accidens absolutum non inhæreat subiecto, siue subiectum sit, siue non sit, ergo hoc est Deo possibile, maior patet, & minor probatur: quia inhærentia accidentis absoluti ad subiectum est sibi accidentalis, vt dictum est supra, artic. 2. sed nullam implicat contradictionem subiectum esse sine suo accidente, ergo non implicat contradictionem, ꝙ accidens absolutum sit sine actuali inhærentia. Conclusio.

Præterea accidens absolutum non habet dependentiam essentialem ad suum subiectú, igitur potest esse sine subiecto, consequentia est nota, & antecedens probatur; nullius absoluti est dependentia essentialis ad aliud absolutum extrinsecum nisi ad causam eius simpliciter primam, sed subiectum accidentis est quid absolutum extrinsecum respectu accidentis absoluti, ergo accidens absolutum non dependet essentialiter à subiecto, ergo potest esse sine illo; maior patet, & minor probatur. Subiectum non est de intrinseca ratione accidentis, ergo est extrinsecum respectu accidétis absoluti, & per consequens possunt ab inuicem separari, probatur, quia Deus potest supplere causalitaté cuiuscúq; causæ extrinsecæ, atq; adeo cum subiectum non sit de intrinseca ratione accidentis. poterit Deus supplere causalitatem subiecti, antecedens probatur primo: quia si subiectum esset de intrinseca ratione accidentis, esset de essentia illius, si autem esset de essentia accidentis non fieret vnú per accidés ex subiecto & accidente, quod est manifestè falsum, & contra Arist. 5. Meta. cap. de ente, & vno, ex. cap. 13. & 14. & 7. Meta. text. capit 42. ergo subiectum non est de intrinseca ratione accidentis; consequentia secunda probatur: quia addendo aliquid alicui, quod est de essentia eius non fit vnum per accidens, maximè si illud cui additur est vnum per se; subiectum autem per se est de essentia accidentis, & accidens est ens per se, vt est de mente Arist. 5. Meta. tex. cap. 14. vbi vult, quod ens per se diuiditur in decem genera ergo, &c.

Et confirmatur: quia si subiectum esset de essentia accidentis, accidens non definiretur per substantiam ex additione, consequens est contra Arist. 7. Meta. text. c.17. & 19. ergo, &c. consequentia probatur. Illud non definitur ex additione in cuius definitione non ponitur aliquid extra naturam, & essentiam eius, sed sic esset in proposito, ergo &c.

Secundo probatur idem antecedens, si subiectum esset de intrinseca ratione accidentis non posset accidens intelligi sine subiecto, quia nihil potest intelligi sine sua essentia, sed accidens intelligitur sine subiecto, ergo subiectum non est de essentia accidentis, minor probatur ex Arist. 4 Physi. c. de vacuo, vbi inquirens an si esset aliquod spacium, in quo esset tantum color, aut sonus, an esset vacuum, vel plenum; sed hæc quæstio esset irrationabilis, & implicaret contradictionem, si subiectum esset de essentia accidentis, sed respondens Arist. huic quæstioni dicit, ꝙ si tale spacium nullum haberet corpus, & esset corporis receptiuum esset vacuum; sed si de essentia soni, & coloris esset subiectum quod est corpus, ex primo intellectu istius quæstionis sequeretur ipsum spacium esse vacuum, & nó esse vacuum, quia posito ꝙ ibi esset sonus, aut color ex intellectu istius sequeretur ipsum spacium esse corpore repletum, & ex altera parte ponitur esse vacuum, ergo posita illa hypothesi sequeretur contradictio, propter quam ista quæstio esset irrationabilis, neq; esset ad ipsam respondendum; quia non possent saluari regulæ disputationis concedendo consequens, & negando repugnans, ex quibus videtur esse de mente Arist. subiectum

ctum non esse de essentia accidentis, atque adeo cum accidens absolutum sit à subiecto essentialiter distinctum, & ab ipso essentialiter non dependeat potest accidens absolutum separari, & esse sine subiecto.

Hic dicendum est subiectum esse causam simpliciter primam respectu accidentis, quia Deus præcisè est huiusmodi causa, qui non est subiectum accidentis, ergo dependentia accidentis absoluti ad subiectum non est simpliciter necessaria, voco autem (inquit Doct.) simpliciter necessariũ, cuius oppositum includit contradictionem; maior primæ rationis probatur: quia causalitatem cuiuscumq; causæ extrinsecæ respectu cuiuscumque causati perfectè supplere potest causa prima, quia habet in se perfectius, & eminentius omnem causalitatem, quam causa secunda, ergo nulla dependentia cuiuscumque effectus est simpliciter essentialis ad causam secundam cum possit à causa prima suppleri; Et si dicas subiectum esse causam materialem respectu accidentis, & Deus non potest supplere vicem causæ materialis, sicut nec formalis. Contra secundum Philosophum 8. Meta. text. capit. 12. accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua, vel si habent ex qua, illud non est subiectum, quia subiectum cum accidente facit ens per accidẽs vt dictum est; per se autem intrinsecum essentiæ accidentis, siue materia, siue forma non constituit ens per accidens, quia accidens vt totum quiddam est, est ex omnibus pertinentibus ad essentiam eius.

Difficultas. Sed hic insurgit vna difficultas, si subiectum non est de essentia accidentis, neque accidens essentialiter dependet à subiecto, propter quod Arist. ponit accidens secundum esse inseparabile à subiecto ponendo ipsum essentialiter dependere à subiecto.

Solutio. Respondet Doct. & dicit, quòd Philosophi dicerent, ꝙ accidens non potest esse sine subiecto, non quidem quia ponerent subiectum esse de essentia accidentis, imò ex eis cõstituitur ens per accidens, nec quia de essentia accidẽtis absoluti ponerent inhærentiam, vel respectum quẽcumq. ad subiectum; quia contradictio est quod in perfectione absoluti includatur aliquis respectus, quia tũc esset absolutũ, & nõ absolutũ, vt deduximus sup. ar. 1. huius q. sed tantummodo: quia ponerẽt ordinẽ causatũ simpliciter necessariũ. Nam vult Arist. inter causam primam, & secundã respectu effectus prouenientis ab vtraq; esse ordinem essentialem, qui ordo secundum ipsum est simpliciter necessarius, ita ꝙ causante prima causa cum secundum ipsum causet naturaliter, & necessariò etiam necessariò causat causa secunda, &

Auer. hoc est, quod inquit Commentator 9. Meta. c. 7. Cum entia non habuerint actiones proprias, non habebunt essentias, volens ex hoc quòd cum multa entia citra primum eius, sint necessaria in esse, sicut non possunt non esse, ita non possunt non habere causalitatem sibi competentem, atque ita sequitur, quod si non causarent effectus sibi competentes destruerentur essentiæ illarum causarum, & secundum ipsum sicut consequens est impossibile, ita & antecedens.

D. August. Hoc est, quod confirmat August. lib. de libero arbitrio. Deus res quas condidit, sic administrat, vt eas proprios motus agere sinat.

Ex his sequitur, quòd cum subiectum sit aliqua causa respectu accidentis, & non solum materialis in qua, verum etiam effectiua, & cõseruatiua, vt colligitur de mẽte Arist. 7. Meta. tex. c. 32. non poterit ipsum esse sine subiecto, atq; adeo sine ista causa in suo ordine causalitatis posita (loquẽdo de ordine naturali causatum) negaret accidens esse. Et pro tanto dicitur 1. Phy. tex. c. 19. ꝙ intellectus quærens segregationem passionum à subiectis, quærit impossibilia; sed non impossibile, quasi includat aliquid repugnans primæ rationi, seu quidditati accidentis absoluti, ita quod per separationem accidentis absoluti à subiecto tollatur, vel destruatur aliquid, quod sit de essentia accidentis, quia vel hoc esset subiectum; vel ipsa inhærentia, quorum vtrumque probatum est esse extra conceptum formalẽ, & quidditatiuum accidentis absoluti, nam dato opposito quod subiectum, vel inhærentia esset de essentia accidentis, & tali impossibili posito, scilicet, separatio accidentis à subiecto, nulla posset seruari regula disputationis, maximè quantum ad illam consequentiam, quorum opposita includuntur in accidente, patet enim, quòd tunc tali impossibili posito statim concedenda sunt contradictoria, atque ita in proposito includitur maximum inconueniens, scilicet redargutionis ad quod duci potest respondens.

Vnde pro intelligentia huius litteræ obser. est, ꝙ est vna regula in arte obligatoria, quòd sustinens debet concedere sequens ex vna positione, & negare repugnãs suæ positioni ex alia regula, quòd positio includens incompossibilia non debet sustineri, quia statim sustinens posset redargui, exemplum. Si quis sustineret istam, homo non est animal absolutè ab arguente posset redargui, quia sustinens tenetur concedere omne consequens, & sic arguens arguit, homo per te non est animal, ergo homo est, sequitur ex ista positione, & vltra, homo non est animal, ergo homo non est, à negatione superioris à negatione inferioris, ergo sustinens concederet hominem esse, & non esse, atque ita esset redargutus.

Secundo obseruandum est, quòd duplex est impossibile, quoddam est per quod negatur aliquid, quod est de essentia, & quidditate rei, & tale impossibile non debet admittere sustinens, quia statim concederet contradictoria, & incompossibilia, vt ostensum est supra. Aliquod est impossibile, quod non negat aliquid quod est de essentia, & quidditate rei, & tale potest sustinens admittere, quia ex tali numquam sequitur contradictio; Modo in proposito, si inhærere subiecto esset de essentia accidentis, Arist. in 4. Phy. vbi supra admisisset contradictoria, nam potuisset quis argui; Color per te in vacuo est sine subiecto, ergo color est, nam hoc sequitur ex posito, & vltra color non est in subiecto; ergo color non est, quia esse in subiecto est de essentia coloris, ergo Arist. concederet colorem esse, & non esse, atq; ita esset redargutus; accidens ergo esse sine subiecto non implicat contradictionem, quasi esse sine subiecto ponat aliquid repugnans primæ rationi, seu quidditati accidentis; est ergo impossibile secundo modo, qua propter si quis diceret Aristoteli color in vacuo non est in subiecto, diceret ipse admitto, & si arguens diceret color est in subiecto, ergo male admittis negaret Arist. antecedens tamquam repugnans suæ positioni; et si arguens probaret, natura coloris est esse in subiecto, quia esse in subiecto est de sua quidditate, responderet Arist. negando antecedens, aliàs contradictoria admitteret, quia si in quidditate albedinis includeretur subiectum, vel esse in subiecto, positio, quæ poneret accidens sine subiecto esset impossibilis simpliciter, & inuoluens contradictionem, & nullo modo esset admittẽda, & sic patet quomodo Philosophus ponat accidens absolutum non posse separari à subiecto, non ex eo ꝙ subiectum sit de essentia accidẽtis, neq; ꝙ inhærentia sit de eius quidditate, sed propter ordinem causatum simpliciter necessarium.

Ad argumenta in oppositum, ad primum dico, quòd esse per se dicit duas conditiones in substantia, scilicet non posse esse in alio actualiter, neque aptitudinaliter, & similiter esse in alio dicit in accidente alias duas conditiones, scilicet posse esse in alio actualiter, & aptitudinaliter, est ergo primo quod esse per se, & esse in alio non conueniunt accidenti eodem modo, nisi quantum ad duas vltimas conditiones, scilicet, quantum ad affirmationem, & negationem existendi in alio aptitudinaliter, nimirum quod quemadmodum non potest competere substantiæ aptitudo ad existendum in alio, ex quo non sequitur, quòd accidens non possit actualiter separari à subiecto, quamuis sequatur ꝙ semper manet cum aptitudine ad subiectum, & hoc est ꝙ in summa vult dicere Doct. in responsione ad primum principale, cum inquit ꝙ accipiendo per se esse, & esse in alio conformiter, & prout per se esse, negat aptitudinem ad inhærendum, & esse in alio affirmat illam aptitudinem; sic ista duo proportionaliter conueniunt, primum substantiæ, & secundum accidenti, & tunc nõ plus sequitur, nisi ꝙ accidens non potest esse per se, sic quod sibi repugnet inhærere, sicut substantia non potest esse ens, cui conueniat aptitudo inhærendi, sed si accipiatur per se esse, & esse in alio actualiter, scilicet actualiter esse per se, & actualiter esse in alio, dicit Doct. quòd vt sic non diuidunt ens, nec sunt propria, diuidentibus scilicet substantiæ, & accidenti, ita quòd ista diuisio non est bona entium aliud est per se, aliud verò in alio; quia esse per se actualiter, & esse in alio actualiter non sunt propria illis entibus, scilicet substantiæ, & accidenti; nec mirum quia ex parte illius per se primus intellectus infert secundum: repugnantia enim ad in esse infert non inesse, sed ex alia parte non sic, sed est fallacia consequentis,

Digitized by Google

sequentis, est aptum natum inesse, ergo inest, vult dicere Doct. quod licet ista consequentia sit bona, hoc non est aptum esse in alio, ergo non est in alio, tamen hæc consequentia nihil valet, hoc est ap um natum esse in alio ergo est in alio, & ideo non est bona comparatio inter illa duo membra sic actualiter capta in maiori, quoniam non sequitur hoc est natum inhærere demonstrando accidens, ergo inest, sed est fallacia consequentis arguendo à superiori ad inferius affirmatiuè, seu à positione consequentis ad positionem antecedentis.

Difficultas. *Solutio.* Et si quæras, an aptitudo ad inhærendum sit idem realiter cum accidente, vel sit aliquid inhærens sibi. Respondet Doct. quod nulla aptitudo distinguitur realiter ab eo cuius est, & per consequens aptitudo albedinis ad inhærendum, vel cuiuscunque accidentis est idem realiter cum re, cuius est aptitudo, & si quæras, vtrum talis aptitudo sit aliquid absolutum, respondet Doct. quod non est formaliter absolutum, licet sit realiter idem quod absolutum, est tamen respectus formaliter non quidem actualis, sed aptitudinalis, quia nihil dicit quod naturæ congruat tale quid; Et si quæras, quare hoc competat huic naturæ, vel sibi non repugnet, dico, quia hæc natura est hæc natura.

Difficultas. Et si quæratur secundo, vtrum accidens separatum à substantia habeat alium modum essendi dum est separatum ab eo, quam habebat in subiecto? Et videtur quod sic, quia per se, & in alio, quomodocumque accipiantur sunt opposita inter se, sed accidens separatum à subiecto habet modum essendi per se; in subiecto autem habet modum essendi in alio, ergo habet oppositum modum essendi quando est separatum ab illo, quam habet quando est in subiecto; sed oppositum videtur, quia accidens separatum habet idem esse cum eo quod habebat in subiecto, ergo videtur quod non habeat oppositum modum essendi post separationem ab eo quod habebat ante. *Solutio.* Respondet Doct. quod habere alium, & alium modum essendi potest intelligi dupliciter vno modo quod habeat aliam, & aliam entitatem, ita quod varietur ipsum esse; alio modo quod habeat alia, & alia, & posteriora ipso esse; primo modo sicut est idem esse accidentis in pane, & sine pane, ita idem modus essendi, adeoq. si intelligatur primo modo dicit Doct. quod accidentia habent eumdem modum essendi ante separationem à subiecto, & post: quia habent eamdem entitatem.

Si autem intelligatur secundo modo variatur modus essendi, quia esse illud in pane fuit subiectum cuiusdam respectus realis ad panem, scilicet actualis inhærentiæ, quando autem est per se, & à subiecto separatum priuatur illo respectu, & per hoc patet quod dicunt diuersum modum circa esse ponendo respectum ad aliud, & priuando.

Dubium. Si quæratur tertio, Vtrum posito casu quod Deus te produceret substantiam panis, quam nata sunt afficere accidentia panis, accidentia illa possent illam substantiam informare, adeo quod ex sua aptitudine possent actualiter in esse si fieret substantia in actu, quæ esset nata informari ab eis.

Solutio. Respondet Doctor, quod non, quia accidens non potest se vnire effectiue subiecto. Vnde esto quod post separationem substantiæ ab accidentibus Deus faceret iterum substantiam illam præsentem illis, & nihil aliud faceret, ad huc illa accidentia non possent virtute propria effectiue illam substantiam informare, immo ita remanerent sine subiecto sicut prius; cuius ratio posita est supra art. 2. huius q. quia nulla forma potest vnire se subiecto siue sit substantialis, siue accidentalis, quia non potest producere aliquid se perfectius, compositum enim est perfectius suis partibus diuisim sumptis secundum Nominales, & vtroque modo secundum Thomistas, & Scotistas.

Et si arguas, miraculum est, quod non inest, id est, miraculum est quod illa accidentia separata non informent, sed non inhæreant subiecto, ergo si subiectum fiat præsens cessabit miraculum, & remoto omni impedimento poterūt virtute propria illud informare, nam impedimentum inhærentiæ, id est, quod illa accidentia nō inhæreant est non existentia subiecti, ergo impedimento cessante cessabit miraculum, & ex consequenti subiectum informabunt. Respondet Doct. negando consequentiam, & pro solutione ponit notabilem propositionem, scilicet, quod quando aliquid positum est in esse miraculosè semper manet in illo esse quousq. ab alio agente transmutetur, sed sic est, quod illa accidentia sunt miraculosè posita extra subiectum, ergo semper manebunt in illo esse, donec ab aliquo agente transmutentur, ex quo sequitur quod nisi illa accidentia virtute alicuius agentis ponantur in subiecto semper manebunt extra subiectum, huiusmodi autem agens non potest esse agens naturaliter, quia sicut agens naturale non potest ea seruare, neque per tempus neque per instans extra subiectum, ita non potest ea ponere in subiecto.

Ad secundum respondet Doct. quod aliquid dicitur prius alio duobus modis, vno modo actualiter, alio modo aptitudinaliter. Quando ergo dicitur quod posterius non potest esse sine priori verum est capiendo vniformiter prius, & posterius, verbi gratia, posterius actualiter nō potest esse sine priori actualiter, & posterius aptitudinaliter non potest esse sine priori aptitudinaliter, atque ita dico quod accipiendo accidentia panis in sacramento non sunt actualiter posteriora ipsa substantia, sed tantum aptitudinaliter, quia sunt apta nata esse posteriora ad substantiam, tamquam ad aptitudinaliter prius, nam prioritas, & posterioritas actualis, cum sit relatio actualis non potest esse nisi inter extrema actualiter existentia; substantia autem panis in sacramento Eucharistiæ non existit, & per consequens non potest dici actualiter prior accidentibus, nec accidentia dici possunt actualiter posteriora. Si autem capiantur prius, & posterius difformiter, videlicet quod posterius aptitudinaliter non potest esse sine priori actualiter, hoc est falsum propter duo, primo quia potest esse posterius aptitudinaliter, esto quod non sit prius in rerum natura, quo posito erit posterius aptitudinaliter sine priori actualiter; secundo quia illa posterioritas potest terminari per aliquid aliud, sicut est in proposito; vnde dico quod licet accidens dependeat à suo subiecto tamquam posterius à suo priori, tamen Deus potest illam prioritatem substantiæ supplere, atque ita supplet in sacramento altaris, ideo stat quod sit accidens aptitudinaliter posterius sine subiecto actualiter prius.

Contra, illa accidentia facta transubstantiatione nullum respectū posterioritatis habent ad Deum, quem non habebant prius, quando erant in subiecto, ergo non magis suppletur à Deo illa prioritas panis, quando accidentia panis sunt sine subiecto quam quando sunt in subiecto, & per consequens non possunt esse sine subiecto; Respondetur negando consequentiam, & ratio, est quia Deus habet vnam prioritatem respectu omnium effectuum, quæ est illimitata, & infinita, qua Deus potest terminare omnem dependentiam posterioris ad prius respectu cuiuslibet effectus, licet non possit in se habere prioritatem causæ, quia nullus est respectus realis Dei ad creaturam; sed contra non aliter terminat nunc quam prius, sed non terminauit totaliter prius, ergo nec modo, nam quando accidentia erant in subiecto dependebant à Deo, & à causa secunda, & tunc post separationem non dependent totaliter nisi à Deo, ergo vel est nunc ponenda aliqua prioritas in Deo, quæ prius non erat in ipso, & per consequens noua dependentia accidentium ad ipsum, quæ prius non erat, vel Deus non supplet rationem illam prioritatis, si non aliter terminat nunc quam prius.

Respondet Doctor, quod quando illa accidentia erant in subiecto dependebant à Deo, & à causa secunda, & ideo aliqui respectus erant in illis, qui modo non sunt post separationem, & hoc est possibile, quia erant respectus extrinsecus aduenientes, & huiusmodi respectus erant inhærentia actualis ad subiectum, & actualis conteruatio à subiecto, qui per separationem à subiecto destructi sunt, atque adeo prius erant terminati ab ipso subiecto, & modo non sunt terminati, quia nō sunt; sed vnicus respectus, qui prius fuit terminatus ad simpliciter prius, id est, ad primam causam, qui est Deus benedictus, remanet, & etiam nunc post separationem terminatur ad Deum, & terminatio illius vnius respectus sufficit ad esse fundamenti talis respectus, id est, sufficit ad hoc quod accidentia sint, & mediante terminatione illius respectus, seu dependentiæ, quæ est essen-

essentialis Deus efficit quod accidentia sint sine subiecto; ideo negatur consequentia, scilicet, quod si ponenda alia prioritas in Deo, vel alia dependentia in accidentibus ad Deum ad hoc quod sint sine subiecto: sed contra, ista sola dependentia sufficit ad hoc quod accidentia habeant esse, ergo aliæ duæ non sunt essentiales, consequentia patet: quia alijs destructis non minus accidentia habent esse, sed consequens est falsum, ergo, &c. Respondet Doct. quod hoc argumentum videtur tangere ordinem causarũ, quem ponebant antiqui Philosofi, & necessitatem illius ordinis, propter quem ordinem dictum est Philosophum negare possibilitatem separationis accidentis à subiecto, & propter quem ordinẽ dicebant Philosohpi quod causa secũda talem habet connexionem cum causa prima, & è conuerso quod causa secunda non potest causare sine prima, neque prima sine secunda, & ideo dicerent quod Deus non potest agere prius natura quam agat causa secunda, & hoc propter ordinem necessarium in agendo; sed non tenendo istum modum Philosophorum difficile est videre, quomodo causa secunda sit causa effectus, cum illud non sit causa sine quo ab alio prius naturaliter causatum habet totaliter esse, sed de hoc inquit Doct. quære lib. 2. d. 1. q. 1. & lib 1. d. 2.

Ad tertium de definitione responsum est supra art. 2. huius quæst. restat tamen ibi vnũ verbum, quia probatur quod illud, quod cadit in definitione, necessario requiritur ad esse eius, sicut correlatiuum ad esse correlatiui. Respondeo, inquit Doct. quod est verum quod relatiuum non potest esse sine correlatiuo, sed hoc non prouenit ex eo quod relatiuum sit accidens, sed quia relatiuum est relatiuum, cuius esse est ad aliud se habere, patet, quia si esset relatio & non accidens, sicut relatio in diuinis adhuc sequireret terminum; paternitas enim in diuinis non potest esse sine filiatione, sed hoc non prouenit sibi inquantum accidens, quia de facto non est accidens, sed inquantum relatio, quæ non potest intelligi sine correlatione, & hæc est ratio quare relatiuum non potest esse sine correlatiuo; quia relatiuum est relatiuum; sed ex hoc non sequitur quod definitum non possit esse sine eo quod ponitur in eius definitione tamquam additum; Ideo ad formam nego consequentiam, & ratio est quia illud definitum de quo loquimur est absolutum, ideo non requirit additum vt terminum, sed sicut causam aliquam extrinsecam, & qualibet talis non requiritur necessario nisi sit prima causa; At relatiuum requirit id quod ponitur in eius definitione vt additum, quia relatiuum necessario requirit terminum cũ habitudo ad terminum sit de quidditate eius, atque ita si Deus poneretur in definitione creaturæ, licet poneretur vt additum, tamen creatura non posset esse sine Deo: quia Creatura relatiue dicitur ad Deum, & relatiuum non potest esse sine termino, tum etiam quia dependentia ad primam causam est simpliciter necessaria, & essentialis.

Ad quartum dicit Doct. quod album potest intelligi dupliciter, vno modo vt importat formam talem sub tali modo significandi, hoc est, pro per se significato, seu pro forma, quam de significato formali significat sub actuali inhærentia ad subiectum, nam album secundum Philosophum in prædicamentis cap. de substantia solam qualitatem significat, & hoc modo album, & albedo idem significant, licet differant in modo significandi, quia album dicit formam cum concernentia ad subiectum, albedo vero eamdem formam, sed sine concernentia ad subiectum. Alio modo sumitur album, vt communiter accipimus album scilicet, pro substrato, vel pro denominato, vt supponit pro illo aggregato ex subiecto & accidente, & sic accipitur communiter non pro subiecto solo, neque pro sola forma, si primo modo accipiatur album negatur antecedens, & cum probatur quia album solam qualitatem significat, respondeo quod licet primo modo capiendo album solam qualitatem significat, non tamen eodem modo, sed sub alio modo significandi quam albedo; Et ideo dicit Doct. quod de rigore non sequitur, nec debet concedi quod si albedo est, quod album sit, quia licet forma sit, puta albedo, quæ est apta nata inhærere subiecto, tamen non oportet quod sit sub tali modo essendi, id est, sub actuali inhærentia ad subiectum, modo album significat albedinem sub tali inhærentia actuali ad subiectum. Sed si secundo modo capiatur ly album, patet quod non sequitur albedo est, ergo est aggregatum ex ipsa & subiecto, atque ita negatur similiter antecedens, & per consequens patet quod quantitas & quantum non eodem modo significant. Ad confirmationem nego minorem, quantitas enim realiter distinguitur à subiecto.

Et si dicatur, quod nomen tãm adiectiuũ quã substantiuum abstrahit à tempore, quia nomina significant sine tempore; ergo album non significat actualem inhærentiam formæ ad subiectum, quia tunc consignificaret tempus præsens. Respõdet Doctor, quod concederetur quod sicut albedo est, ita album est, nec sequitur ergo aliquid tamquam subiectum est album, id est, sicut dicitur quod album est, ita potest concedi ista, de accidente separato albedo est; & ex hoc non sequitur ergo album est, quia nec in antecedente hoc ponitur, neque per significatum, quia albedo significat præcise formam, neque per modum significandi, quia non significat cum concernentia ad subiectum; Et subdit Doct. quod istud facilius concederetur de quantitate, sicut enim conceditur hic quantitatem esse, ita etiam quantum esse, nam albedo in quantitate existẽs est quanta, non tamen conceditur hic aliquam substantiam perfici quantitate; posset etiam concedi quod hic est album, quia quantitas, quæ est immediatum subiectum albedinis est alba, ex hoc tamen non sequitur quod simpliciter sit album, vt ly album dicit simpliciter subiectum scilicet substantiam.

ARTICVLVS VII.

Vtrum accidens separatum à subiecto existat per nouum esse sibi à Deo per talem separationem communicatum.

HÆc quæstio mouetur vt explicetur modus, quo sacramentales species sine substantia existant, nam cum de fide sit accidentia in hoc sacramento manere sine subiecto, vt vniuersa Ecclesia sentit, & Concilia definiũt, & hoc haud contradictionem inuoluere supra demonstratum est, explicandum remanet, quæ mutatio in ipsis sit necessaria, vt ita sine subiecto conseruentur, id est, quia re pnuentur, aut quid ei addatur, aut in fieri quo ad actionẽ, & dependentiam, per quam sic constituuntur, & conseruantur; aut in facto esse, quoad modum per se existendi.

Dico primo, quantitatem separatam priuari positiuo reali, & intrinseco modo, quem in subiecto habebat, qui appellatur actualis inhærentia, quia hæc inhærentia, vel vnio non est in quantitate sola extrinseca denominatio à subiecto, sed est denominatio intrinseca ab ipsa vnione seu inhærentia fundamentaliter existente in ipsa quantitate, & ipsam intrinsece denominante; in omni enim cõposito ex partibus, seu ex actu, & potentia realiter distinctis præter entitates partium, seu componentium, vnio est aliquid reale distinctum ab illis, & in vtroque, vel altero eorum intrinsecè, & formaliter existens, ergo idem dicendum est in composito ex subiecto, & accidente, & ex consequenti talis modus vnionis vt minimum debet esse intrinsecus quantitati, siue alius correspondeat in subiecto, siue non, atque adeo necesse est quantitatem cum separatur à subiecto priuari hoc intrinseco modo, siue hac actuali inhærentia; hoc vltimum probatur, quia implicat cõtradictionem destructo altero vnibilium manere vnionem, destructa ergo substantia non manet in quantitate vnio, quam cum illa habebat. 1. Conclus.

Dico secundo, accidens separatum priuari speciali conseruatione, qua in esse cõseruabatur à subiecto, patet, quia cum iam subiecto destructum sit non potest amplius accidens conseruari; hæ duæ conclusiones sunt Doct. in hac q. in responsione ad secundum principale sub lit. R. & in hoc conueniunt omnes Theolog.; sed dubium est an accidens separatum mutetur positiue recipiendo modum essendi actuali inhærentiæ repugnantem. De qua re fuit opinio aliquorum dicentium, quod quando Deus separat accidens à subiecto, tribuit accidenti nouum esse existentiæ, cuius ratio est, quia accidens in subiecto existens nõ habet propriũ esse existentiæ, quando ergo separatur à subiecto debet illi tribui nouum esse per quod existat; idque ex eo probatur quia in vno composito non est nisi vnicũ esse 2. Conclus.

esse existentiæ, quod tamen esse neque est formæ, neque materiæ, sed totius compositi, igitur cum accidens est in subiecto non habet esse existentiæ proprium, & hanc sententiam aliqui tribuunt D. Thomæ 3. p. q. 77. art. 1. in responsione ad quartum, vbi dicit, quod accidentia manente substantia panis & vini non habebant ipsa esse, nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem, sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse, vnde sunt composita ex esse, & quod est. hæc D. Thomas. Quod si de esse existentiæ intelligat, videtur hæc D. Thomæ opinio omnino improbabilis; ex ea enim sequeretur accidentia in subiecto non habere proprium esse ab esse substantiæ distinctum, quod improbabile est, & in hoc sensu impugnatur hæc opinio à Doct. in hac quæstione in principio sub lit. B. §. Hic dicitur quod vnius compositi, &c. quatuor rationibus.

D. Thom.

Prima ratio est talis; Vnumquodque sicut habet entitatem propriam extra suam causam, ita habet propriam existentiam, sed sic est quod accidentia habent propriam entitatem extra suam causam, igitur habent propriam existentiam; consequentia est nota cum maiori, quæ hic supponitur probata in 3. dist. 6. quæst. 1. minor autem probatur: quia accidentia sunt vere entia, licet per se non subsistentia, & essentialiter distincta à subiecto, & habent propriam entitatem extra suam causam, & intellectum, igitur habent proprium esse, atque adeo non sunt formaliter per esse subiecti, & confirmatur: essentia, & esse actualis existentiæ non distinguuntur essentialiter, sed sunt essentialiter, & simpliciter inseparabilia, sed accidens in subiecto habet propriam essentiam distinctam essentialiter ab essentia subiecti, ergo habet in subiecto propriam existentiam ab existentia subiecti distinctam; Tunc vltra, accidenti cum à subiecto, separatur non datur noua essentia, nam eadem essentia accidentis, quæ prius fuit in subiecto, & vniebatur subiecto manet separata etiam secundum ipsos, & secundum veritatem, ergo nec esse nouum datur accidenti cum à subiecto separatur.

Secundo arguitur; formam informare materiam de necessitate arguit compositum esse, & si nouiter informet illam, nouiter est illud compositum, patet: quia fieri nequit quod aliqua forma informet materiam, & quod ex materia & forma non fiat compositum, & hoc tam in composito per se, quam in composito per accidēs, & ratio est, quia quando forma informat necessario producitur compositum, sed sic est quod forma naturalis, puta aliquod accidens potest de nouo aduenire ipsi materiæ, id est, subiecto, ergo per illam transmutationem producitur aliquid compositum, verbi gratia, quantum, vel album de nouo, quod habet nouum esse formale illius accidentis, videlicet esse quantum, vel esse album, ergo est ibi aliud esse ab esse subiecti, patet: quia illud esse subiecti præfuit ante mutationem. Et confirmatur, magis videtur esse formæ idem esse cum esse materiæ, quam esse accidentis cum subiecto, sed planum est quod formæ materialis, & materiæ non est idem esse, ergo neque subiecti, & accidentis est idem esse; minor probatur: quia esse materiæ præsupponitur ipsi esse formæ, quæ habetur per transmutationem, ergo habet proprium esse, & existere, sicut etiam propriā essentiam, ergo & accidens, ita quod illo eodem existere, vel esse sibi proprio, quo existebat quando erat in subiecto modo etiam existit non in subiecto.

Tertio arguitur; si accidens separatum acquireret nouū esse, necessario illud acquireret per aliquam mutationem, sed per nullam potest illud acquirere, ergo non acquirit nouum esse, consequentia patet cum maiori, & minor probatur inductiue, quia non per generationem acquiritur tale esse, quia accidens non est subiectum, nec terminus generationis; subiectum enim generationis, est materia, & terminus, forma substantialis, sed neque per augmētationem, quia non acquiritur noua quantitas, neque per alterationem, quia non acquiritur noua qualitas, neque per loci mutationem, quia accidens separatum in eodem loco manet, in quo erat ante separationem. Et si dicatur, quod acquirit nouum esse per augmentationem, vel per alterationem; Contra, vel qualitas esset subiectum augmentationis, & quantitas alterationis, vel quantitas esse augmentationis subiectum, & qualitas alterationis, & tunc quæritur de mutationis subiecto quod esse habet, vel enim habet esse proprium, vel per aliam mutationem; si primum, habetur propositum, si secūdum, daretur processus in infinitum, præterquam quod si est mutatio, necessario præsupponit accidens mutatum esse quod est contra eos.

Quarto arguitur. Illud esse nouum, quod acquirit accidens post separationem, quia non est formaliter esse diuinum; vel est substantia, vel accidens, vel neutrum, si est substantia ergo est independens scilicet, sibi repugnat alteri inhærere, & dependere ad subiectum; & ex consequenti non erit formaliter esse alicuius accidentis: quia nullum accidens potest esse formaliter independens, vel per se esse, adeo quod sibi repugnet in esse; nec etiam potest esse accidens, vel in genere accidentis quomodocumque per reductionem, quia erit æque dependens cū forma, cuius est, & per consequens per illud esse formaliter non erit illud cuius est ens independens, id est si illud esse nouum datum accidenti separato esset accidens, non posset accidens separatum per illud existere, quia sicut primum accidēs seipso non existebat, ita nec illud nouum ipso existeret, quia cum sit accidens, non potest existere per se sine subiecto, ergo dabitur processus in infinitum.

Ad fundamentum opinionis respōdetur, quod esse existentiæ non est realiter distinctum ab esse essentiæ, atque adeo cum accidens in subiecto sine controuersia habeat esse essentiæ, similiter etiam habet esse existentiæ. Ad probationem vero antecedentis respōdetur, verum esse quod in vno composito non est nisi vnicum esse totius compositi, sunt tamen plura esse partialia partium, videlicet componentium.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum accidenti separato detur noua virtus, per quam possit existere.

De hac re fuit duplex opinio. Quidam enim aiunt quod quantitas à subiecto separata licet non acquirat nouum esse existentiæ, acquirit tamen nouum esse subsistentiæ, quale habet substantia, & hanc opinionem defendit Caiet. de mente D. Thomæ, p. 3. quæst. 77. art. 1. diuersimode tamē explicatur hæc opinio ab ipsomet Caiet. & à Suarez Tomo 3. quæst. 77. disp. 56. sect. 7. Caiet. enim inquit post consecrationem quantitatem perdere esse quo, & nouum esse quod subsistentiæ, per miraculum suscipere, per quod naturaliter subsistit; neque vero inquit est quæstio de nomine, imò inter opinionem Scoti, affirmantis Deum effectiue, sustentare accidens separatum semper sine acquisitione alterius esse ab illo quod habebat in subiecto, & opinionis quam ipse docet, quatuor dignoscuntur differentiæ. prima; quod secundum aliam opinionem omnia alia accidentia sicut & ipsa quantitas sustentatur per miraculum, vnam quod qualitates sustenientur in quantitate, quæ per se non est nisi subiectum quo, miraculum est; si autem quantitas acquirat nouum esse, non est nouum miraculum, immo nec quantitas secundum Caietr sustentabitur per nouum miraculum, deinde & quantum ad agere, aget per modum substantiæ, & similiter quantum ad pati, eo modo recipiet, quod secundum aliam opinionem non fit, sed omnia sunt miracula.

Caietanus.

Suarez.

Discrimen inter Caiet. & Scot.

Suarez vero loco supra citato dicit, quod duobus modis intelligi potest addi aliquid quantitati separatæ vt per se sit, primo vt id quod additur sit res aliqua ex se habens propriam entitatem realiter à quantitate distinctam, quā aliqui virtutem quandam supernaturalem appellant, per quam accidens separatum potest per se esse, & sine qua esse non posset; alio modo vt solum sit quidam modus ex natura rei, seu formaliter distinctus à quantitate, non tamen addens propriam entitatem omnio realiter distinctam; prior sensus tribuitur Henr. quol. 4. q. 36. sed re vera illud nec ibi, nec alibi docet, imò quol. 10. q. 8. oppositum docet aperte; Caiet. vero (quamuis non distincte sic explicet suam sententiam, nec illud esse appelet supernaturalē virtute, sed nouum esse subsistentiæ) tamen in discursu, & rationibus suis illam manifeste indicat; dicit enim hanc entitatem supplere vicem subiecti, & esse quasi instrumentum eius, sicut semen, aut calor est instrumentū substantiæ

Suarez.

Henricus.

Digitized by Google

licet in alio genere, tum etiam quia supra dixit substantiam naturæ substantialis esse entitatẽ omnino realiter distinctam ab illa, ergo debet hic cum eadem proportione loqui.

Posteriorem vero sensum sequitur Suarez, dicit enim modum illum essendi, quem habet accidens separatum esse modum quemdam positiuum proportionatum modo subsistendi substantiæ, qui ex ipso accidente separato in ipsomet accidente ex natura rei resultat, quo mediante non solum accidens actu non inhæret subiecto, sed etiã ex vi talis modi existendi est incapax inhæsionis, & in hoc inquit accidens separatum differt ab anima separata; quia illa licet careat actuali informatione, non habet tamen actualem modum repugnantem informationi, vnde quo ad hoc incompleta manet, & quasi interminata, & violenter, quantitas vero separata recipit modum incompossibilem inhærentiæ, vt secundum eum statum terminata maneat, & in statu quasi connaturali supposito miraculo.

Scotus. Secunda opinio est Doct. & omnium aliorum Theologorum, qui affirmant nihil noue addi accidentibus vt existant sine subiecto, sed ea ratione tantum sine subiecto existere, quatenus Deus qui conseruabat in accidentibus duo scilicet existere, & existere in subiecto (licet enim ista duo ratione saltem distinguere) iam conseruat prius sine posteriori, quæ opinio vetustissima est, vt patebit ex aliorum sententiç improbatione.

Ctr. Caiet. Et primo contra modum dicendi Caiet. arguit Doct. in hac quæst. sub lit. B. §. contra illud secundum arguitur quatuor rationibus, & primo sic. Si quantitas, seu accidens separatum acquirit modum quemdam substantialem, vel virtutem aliquam supernaturalem vt existat, ergo transmutatur de non habente illum modum, seu illam virtutem ad habendum illum, vel illam; Tunc quæro de illa transmutatione, vel illa est generatio, vel augmentatio, vel alteratio, sed nullo illorum est dicendum, vt deductum fuit in superiori art. contra alium modum dicendi, ergo non est ponendus talis modus, vel virtus.

Secundo arguitur. Illa virtus, seu ille modus, aut est substantia, aut accidens, non potest dici quod sit substantia, quia (præterquam quod in sacramento Eucharistiæ facta transubstantiatione remaneret aliqua substantia, vel de nouo alia adueniret, quod est inauditum apud catholicos) accidens esset formaliter indepedens, & per se existens, & per consequens non erit formaliter accidens, cum nullum accidens possit per se existere, quod tunc oporteret, si dicas quod est accidens, ergo quomodocumque appelletur id, quod in accidente separato de nouo acquiritur, vel modus substantialis, vel virtus supernaturalis erit çqualiter depẽdens, sicut accidẽtia, & per consequens non debit eis esse independens, vel per se existens.

Tertio arguitur. Quandocumque aliqua virtus supernaturalis, vel aliquis essendi modus datur alicui supernaturaliter, licet tale quid supernaturaliter sibi conferatur; tamen postquam illud inest sibi, naturale est sibi per illud operari; patet, quia si Deus dat cæco virtutem visiuam, licet illa virtus supernaturaliter sibi detur, tamen postquam cæcus habet illam, naturaliter videt per illam; ergo licet esset miraculum in primo instanti consecrationis accidentia manere sine subiecto, tamen consecratione peracta per totum tempus sequens accidentia naturaliter existerent sine subiecto, quod est inconueniens, consequentia patet, quia licet cæco detur miraculose virtus visiua, tamen non videt miraculose, ita licet iste modus essendi, vel virtus miraculose detur illis accidentibus, tñ non existunt per illum, vel illam miraculose, sed naturaliter; quia licet concedamus ista accidentia habere modum illum, siue illam virtutem supernaturaliter, tamen postquam illum, vel illam habent, naturale est accidentibus existere sine subiecto.

Quarto arguitur. Data veritate istius opinionis sequitur hoc impossibile, scilicet, quod Deus posset dare substantiæ virtutem, vel modum essendi accidentis, consequentia patet, quia sicut se habet esse in alio ad accidens, sic se habet esse per se, siue non inhærere ad substantiam, ergo si Deus potest dare accidentibus virtutem, vel modum existendi per se, qui est substantiæ, ita posset dare virtutem, vel modum inhærendi substantiç, qui est modus accidentis, quod est omnio absurdum & impossibile, quia tunc de eodem verificarentur contradictoria.

Contra Suarez. Præterea contra modum dicendi Suarez arguitur. Omnis rei modus est absolute minus ens, & imperfectius quam ipsius rei natura, sed nihil quod sit substantiale est minus, & imperfectius ens accidente, ergo nihil substantiale potest esse modus accidentis; præterquam quod si admitteretur non satis intelligeretur quomodo substantiale aliquid sit accidentalis modus.

Præterea quæro quid intelligant Caiet. & Suarez per istum modum substantialem, aut intelligunt quod ille modus nihil sit aliud, quam quod actu iam accidentia à subiecto non pendeant, sed solius Dei conseruantis virtute existant absque subiecti inhçsione, iam à communi sententia aliorum Theologorum non discordant, & nihil noui dicunt à communi aliorum sententia; nam nemo repugnant quo minus accidentia nouum talem modum substantiæ proprium diuinitus hic acquisierint, immo id ipsum est quod Scot. asserit, cum alijs verbis dicit existere hic accidentia eo ipso, quod diuinitus in illis conseruatur existentia absolute absque hoc quod ijsdem conseruetur existentia in alio; vel intelligunt quod illæ substantialis modus sit natura prior ipsa existentia, atque diuinitus sit additus essentiæ accidentium, vt eo reddantur positiue apta vt existant sine subiecto, & hunc intellectum habent necessario confiteri, vt patet ex verbis eorum; nam Caiet. inquit propter illum substantiæ modum accidentibus additum esse iam ipsis quasi naturalem existentiam per se, atque naturaliter quasi habere vim agendi, & patiendi ad instar substantiarum. Et Suarez inquit quod eo modo mediante non solum accidens non inhæret subiecto, sed etiam ex vi talis modi existendi est incapax inhæsionis, & per consequens existere per se sequitur istum modum substantialem. Sed hæc sententia sic intellecta falsa est.

Quia nihil quod sit substantiale, & natura prius existentia communicatur his accidentibus, vel eis communicaretur vt subiectum, vel vt forma, vel vt essentia, vel pars essentiæ, aut tamquam indiuiduationis principium, aut demum vt pars, sed nullo istorum modorum dici potest, ergo, &c. & primo non communicatur eis vt subiectum, siquidem omni subiecto substantiali carent, neque vt forma quia accidens non informatur substantia, sed è contra, nec tamquam essentia, aut pars essentiæ, cum manifeste repugnet essentiam accidentis, aut omnio, aut ex parte esse aliquid substantiale, nec tamquam indiuiduationis principium, quia cum substantia per substantiam indiuiduatur, & non per accidens, ita è conuerso, accidens per accidens, & non per substantiam indiuiduatur, sicut substantia non potest esse pars accidentis; & si dicant quod communicatur eis vt modus; hoc iam improbatum est. Præterea nihil plus entitatis est in his accidentibus separatis à subiecto, quam antea cum in subiecto essent, id est colorem hostiæ, aut quantitatem post separationem, cum illo modo per se existenti non habent aliam entitatem præter entitatem coloris, aut quantitatis. at impossibile est vt res incipiat se ipsa de nouo esse, aut habere aliquid, nisi vel ei aliquid entitatis accedat, vel per mutationem alicuius rei extrinseca esse desinat, aut incipiat esse in ipsa aliquis talis respectus ad rem extrinsece; vnde fiat vt formaliter incipiat esse, & denominari talis, qualis antea non erat. sed nec noua entitas accidit in proposito, sicut ipse etiam Caiet. fatetur, nec respectus aliquis nouus accidentibus aduenit, vel in eis ita desinit, quod intelligi possit quod formaliter incipiant habere esse nouum, vel nouum aliquem modum substantialem, ergo &c. assumptum patet, quia tantummodo hic esse desinit substantia, quæ erat subiectum illorum accidentium, ex quo solum sequitur, vt diuinitus hæc accidentia conseruentur, & existant non in subiecto, sicut Scotus loquitur, non autem vt acquirant positiuum aliquem modum, qui sit ipse formaliter substantialis, seu substantia, quomodo enim, aut per quem nouum respectum id fieret, cum potius desinant tantum habere respectum inhærentiæ ad subiectum? ex quo vt dictum est tantum sequitur quod non sint in subiecto, idque non ex vi suç essentia, sed per solã conseruationem diuinam, quod vt sic non est aliquid formaliter substantiale.

Et

Digitized by Google

Et quod dicit Suarez modum illum esse idem realiter cum accidente, & tantum ab eo ex natura rei, vel formaliter distingui, mirabile videtur, quomodo aliquid substantiale sit idem realiter cum accidente, vel id quod formaliter est substantiale, sit materialiter, & entitatiue accidens; præterquam quod si iste modus est idem realiter cum accidente, ergo habuit illum modum antequam separaretur à subiecto, vel si non habuit, & post separationem habet, ergo accidens per separationem mutatum est realiter, & entitatiue, quia habet post separationem aliam entitatem, quam non habebat in subiecto; quia post separationem habet modum illum, qui per se est realiter, & entitatiue accidens, quæ omnia absurda sunt, & impossibil

Soluuntur motiua Caiet. Ad motiua Caiet. respondetur, quod non est necesse defendere accidentia illa naturaliter conseruari, immo neq. id defendi potest, & si modus ille substantialis à Caiet. excogitatus concedatur accidentibus communicari; non.n. solũ existentia sine subiecto est rei supernaturalis, quæ caret modo, cui existẽtia p se debeatur, sed et est supernaturalis illi rei, quæ caret essentia seu entitate, cui existentia per se debeatur, esto φ haberet modũ, cui talis existentia debetur, iam vero accidentia etiã secundum sententiam Caiet. carent essentia, seu entitate, cui debeatur existentia per se, quia vt dicit Doct. subt. sicut impossibile est substantiam accipere modum, per quem dependeat ad aliquod vt sibi inhærens, ita impossibile est accidens habere modum, per quem sit ens per se absolutum ab omni inhærentia ad aliud, quia per se esse, & inhærere eque appropriantur substantiæ, & accidenti, & sicut repugnat substantiæ inhærere actu, vel aptitudine, ita repugnat accidenti non inhærere saltem aptitudine, atque adeo existentia in alio debetur naturæ accidentis.

Et cum dicit Caiet. quod ex suo dicendi modo vnum tantum ponitur miraculum, nempe communicatio illius modi substantialis accidentibus, quo miraculo posito, reliqua deinde consequuntur naturaliter &c. Dico hoc posse intelligi dupliciter, primo vt sit sensus esse tantum vnũ miraculum quasi principale, videlicet in ipsa consecratione, quod et eo vnum dicitur esse miraculum, quia si quid aliud in hoc sacramento mirabile cõtingit, totum id quasi consequitur ex illo primo miraculo transsubstantiationis per consecrationem, & conseruationis accidentium sine subiecto, & in hoc sensu etiam nos concedimus vnum esse miraculum, licet illum modum substantialem Caiet. & Suarez in accidentibus non admittamus. Secundo vt sit sensus vnum omnino hic fieri miraculum, nempe transubstantiationem illam, cætera autem, quæ illam consequuntur non esse mirabilia supet naturam; & in hoc sensu neq. necessarium, neq. vero possibile est (etiam secundum eorum opinionem) defendere vnum tantum hic esse miraculum: nam præter transubstantiationem illud saltem sine controuersia est supra naturam, quod ex huiusmodi accidentibus (secundum eos) quandoq, generatur substantia, vt vermes &c. cum tamẽ in accidentibus illis non præfuerit substantialis materia, quæ recipiat formam rei genitæ, quod quomodo fiat explicabitur infra in hac d. q. 6.

QVAESTIO II.

Vtrum quodcunque accidens remanens in Eucharistia sit sine subiecto.



Vantitatem panis, vel vini sine subiecto manere consecratione peracta ex fide certũ est, vt ostensum est in præcedenti quæst. at quia in substantia panis, & vini non solum erat accidẽs, quod est quantitas, sed etiam qualitas, vt albedo, sapor, odor, æqualitas, similitudo, & multa alia accidentia. Ideo quærit Doct. an sola quantitas remaneat sine subiecto, & alia accidentia sint subiectiue in quantitate, vel omnia sine subiecto remaneant; Quæ quæstio supponit duo principia, vnum est quantitatem substantiæ esse specialem formam realiter ab illa distinctam, quæ separari, & conseruari possit sine illa, de quo hic Doct. nihil dicit, sed tamen illud supponit, quod & nobis faciendum est, ne rebus philosophicis implicemur. Secundum principium est quantitatem esse primam materiæ dispositionem, qua mediante recipit alias formas accidentales ita vt

Quæstionis propositum

proxime illi inhæreant, sicut color in superficie, vt ipsa experientia videtur ostendere, & potest etiam declarari, quia per eamdem substantiæ quantitatem extenduntur aliæ qualitates, & omnes quantitatiuas dimensiones recipiunt, & hoc non fit quia informentur quantitate, ergo erit è contrario, quia illæ immediate inhæreant quantitati. Cæterum vt facilius præsens quæstio expliceetur diuido eam in sequentes articulos.

Primus articulus. Vtrum quantitas sit perfectior qualitate.

Secundus articulus. Vtrum omnia accidentia absoluta possint esse sine subiecto.

Tertius articulus. Vtrum accidens relatiuum possit esse sine subiecto.

Quartus articulus. Vtrum accidens possit esse subiectum accidentis.

Quintus articulus. Vtrum omnia accidentia in sacramento Eucharistia sint sine subiecto.

ARTICVLVS I.

Vtrum quantitas sit perfectior qualitate.

Rerum perfectio sumitur penes accessum, vel recessum ad perfectissimum, quod est Deus. Sunt enim in primo simpliciter perfecto scilicet in Deo multæ perfectiones formales ex natura rei, & formaliter inter se, & ab ipso Deo distinctæ, vt ostendit Doct. in primo dist. 8. quæst. 3. atq. adeo esse potest vt aliquod ens sit Deo propinquius secundum vnam perfectionem, & remotius secundum aliam; Qua propter obs. est, quod in ipso Deo glorioso inueniuntur istæ perfectiones, scilicet necesse esse, & intelligere, modo aliquid potest esse propinquius Deo secundũ necesse esse, & remotius secundum intelligere, huiusmodi etiam perfectiones, scilicet necessitas, & intellectualitas reperiuntur secundum suas rationes formales in cælo, & in creatura intellectuali, in cælo enim est necessitas, in homine, vel Angelo intellectualitas, atq. adeo cælum est propinquius Deo secundum necesse esse, quam homo, quia cælum est incorruptibile, & homo corruptibilis, è conuerso autem homo est propinquior Deo secundum esse intellectuale quam Cælum. *Scotus.* *Perfectiones quæ reperiuntur in Deo.*

Secundo obs. est, quod secundum esse intellectuale est ordo, quia secundũ hoc esse est aliquid Deo propinquius alio, vt id quod est magis intellectuale, atq. ita dicimus quod Angelus est propinquior Deo quam homo, immo secundum istam perfectionem natura angelica est propinquissima Deo, deinde natura humana, & postea natura sẽsitiua, deinde natura vegetatiua, ita quod propinquior est Deo secundum esse intellectuale natura mere intellectualis (licet finita) cuiusmodi est natura angelica, post hãc natura intellectus nostri, licet non mere intellectualis & finita, post hanc natura sensitiua, quæ magis appropinquat intellectuali, quam non sensitiua; Ex quo sequitur quod secundum istum ordinem musca est propinquior Deo quam Cælum, quia magis conuenit cum Deo quo ad esse intellectiuum, tamen secundum alium ordinem Cælum est propinquius Deo quam musca, quia Cælum est incorruptibile, & musca corruptibilis. Vnde ex priori ordine habetur quod cælum est perfectius musca, quia est magis necessarium, & quia est incorruptibile, ex posteriori vero ordine habetur quod musca est perfectior Cælo.

Quæ creatura sit censenda perfectior. Tertio obs. est, quod si quæratur quod istorum debeat dici perfectius cælum, vel Musca. Dicit Doct. quod quãdocumque in primo .i. in Deo concurrunt plures perfectiones qualitercumque distinctæ, vel disparatæ, illud est simpliciter perfectius, quod est sibi propinquius secundum illud, quod habet rationem perfectionis; Cum ergo in Deo glorioso sint duæ conditiones, seu perfectiones perfectissimæ, videlicet intellectualitas, & necessitas essendi, & intellectualitas est nobilior, & perfectior quam necessitas essendi eo modo intelligendo magis quo est ibi distinctio; ideo in creaturis secundum quod aliqua magis accedit ad perfectiorem conditionem in Deo, dicenda est simpliciter perfectior, atque ideo homo est simpliciter nobilior cælo, & vniuersaliter natura viuens est perfectior natura non viuente.

In vno quoque ordine datur vnũ principium.

Quarto obser. est, quod secundum diuersas perfectiones quæ sunt in primo. s. in Deo ordinari possunt diuersæ hierarchiæ, vel secũdum Philosophos diuersæ cathenæ aureę, & in vnaquaque hierarchia, seu aurea cathena, vna perfectio diuina potest poni illius hierarchiæ, seu cathenæ principium, atque ita secundum diuersas perfectiones simpliciter in Deo participatas ordinate a diuersis possunt attendi diuersæ hierarchiæ, seu diuersæ cathenæ aureæ. Vt in ordine necesse esse ponitur ipse Deus, vel necessitas Dei tãquam metrum, & mensura perfectionis aliorum necessariorum, & in ordine intellectualitatis, intellectualitas diuina potest esse principium hierarchiæ naturalis illorum, quæ secundum magis, & minus accedunt ad Deum penes perfectionem illam, quæ est intellectualitas.

Perfectio diuina vt imitabilis a creatura nõ est infinita.

D. August.

Quinto obseruandum est, licet quælibet perfectio in Deo sit formaliter infinita, perfectio tamen diuina, vt imitabilis a creatura non est infinita, quia quælibet creatura imitatur perfectionem Dei secundum gradum sibi competentem, & ex hoc sequitur, quod quælibet creatura habeat suam propriam ideam in mente diuina, quæ est mensura rei ideabilis, & ei proportionata, & propter hoc dixit D. Aug. lib. 83. q. q. 46. alia ratione conditus est homo, & alia ratione conditus est equus, id est, secundum aliam, & aliam rationem perfectionis imitabilis in Deo conditus est homo, & secundum aliam perfectionem in alio gradu imitabilis cõditus est equus, ex quo infertur, quod illa creatura magis distat, quæ in minori gradu imitatur aliquam perfectionem in Deo, & illa magis appropinquat, quæ in maiori gradu perfectionali imitatur perfectionem diuinã, & ex hac doctrina soluitur argumentum, quod fieri solet ad probandum, quod vna creatura nõ magis distet a Deo quam alia, ex eo quod omnia distant, distantia infinita, & vna distantia infinita non potest esse maior alia distantia infinita, vt patet primo Cęli com. 35. & 8. Phy. nam licet quælibet creatura distet in infinitum, accipiendo perfectionem diuinã in se, non tamen vt imitabilem a creatura, quia licet in se sit infinita, tamen creatura imitatur eam in gradu finito, atque adeo accipiendo illam perfectionem secundum illum gradum in creatura repertum, illa est tantum finita, atque ita penes talem gradum, quem imitatur distat a Deo distantia finita, & quia alia creatura imitatur perfectionem illam in maiori gradu minus distat distantia finita accepta proportionabiliter ad gradum, quem imitatur, sicut patet de intellectualitate diuina participata ab Angelo, & ab homine.

Posset etiam dici, quod perfectiones in Deo correspondent perfectionibus specificis in creaturis, quæ licet in se sint infinitæ, tamen vna ex sua ratione formali etiam circumscripta infinitate est perfectior alia sicut forte actualitas in Deo est perfectior necessitate, aut simplicitate, & ratio volitiui, vel volũtatis est perfectior ex se ratione intellectiui. Quo stante dici potest, quod licet quælibet creatura distet in infinitum a Deo accipiendo perfectionem sibi correspondentem formaliter infinitam, tamen non distat in infinitum quælibet creatura, accipiendo perfectionem talem simpliciter circumscribendo per intellectũ propriam infinitatem, & tunc illa creatura est perfectior, quæ imitatur perfectiorem perfectionem in Deo, quæ licet vt infinitæ sint æquales, non sunt tamen æquales acceptæ in suis rationibus formalibus.

In substantia duo considerari possunt.

Postremo obseruandum est, quod in substantia duo cõsiderari possunt, scilicet substare, seu recipere accidentia, & actiuitas ipsius substantiæ agentis, & istarum conditionũ actiuitas est nobilior conditio, quam sit substare, vel recipere accidentia, secundum priorem conditionem quantitas magis accedit ad substantiam, quam qualitas, eo quia quantitas magis substat, & recipit quam qualitas, secundũ vero posteriorem conditionem qualitas magis accedit ad substantiam, quam quantitas, quoniam qualitas est actiua, & non quantitas. Ex his ergo dicendum est, quod qualitas a toto genere perfectior est quantitate, quod probat Doct. in hac q. sub litt. D. §. Primo quia qualitas &c. quinque rationibus, quarum prima est talis.

Illud est perfectius alio, quod potest habere aliquam actionem realem, alio nullam habente, sed qualitas potest habere aliquas actiones reales, quantitate nullam talem habente, ergo qualitas est perfectior ipsa quantitate, consequẽtia patet cum maiori, & minor quo ad primam partem cõceditur ab omnibus, nam frigiditas potest producere frigiditatem, & caliditas caliditatem, & quo ad secundam partem, scilicet quod quantitas nullam actionem realem habeat, patet, quia nulla actio realis competit quantitati, licet sibi possit competere actio intentionalis, quia potest producere suam notitiam partialiter.

Secundo arguitur, secundum ordinem substantiarum attenditur ordo qualitatum, substantijs enim nobilioribus correspondent qualitates nobiliores, vt Angeli, & homines habent intellectiones, & volitiones, quia nobiliores substantiæ habent nobiliores qualitates, non sic autem secundum ordinem substantiarum sumitur ordo quantitatũ, non enim semper nobilior substantia est maior in quãtitate, maxima enim corpora in genere corruptibiliũ sunt elementa, & tamen sunt imperfectissima, illud autem videtur perfectius, quod proportionabiliter correspõdet in sua perfectione perfectiori, sed qualitas in sua perfectione correspondet perfectiori substantiæ, quam quantitas, ergo qualitas est quantitate perfectior.

Tertio arguitur. Illud est perfectius, quod perfectiori substantiæ est principium attingendi suum finem, sed qualitas perfectioribus substantijs, scilicet intellectualibus est principium consequendi suos fines, & nullo modo quantitas, ergo qualitas est perfectior quantitate, maior est manifesta, & minor probatur, quia substantiæ intellectuales consequuntur fines suos per qualitates, imo ipsi fines, & operationes beatificæ creaturarum sunt qualitates, substantiæ enim intellectuales, vel per actum beatificum, scilicet visionem, & fruitionem, vel per charitatem, & lumen gloriæ consequuntur ipsum Deum, nam per actus beatificos substantiæ intellectuales immediate coniunguntur vltimo fini, & per habitus disponuntur, vt coniungantur, ac etiam effectiue, etsi non formaliter fini vltimo vniuntur, sed habitus, & actus sunt qualitates, ergo per qualitates substantiæ perfectiores consequuntur finem suum, quantitas autẽ nullo modo est substantiæ principium attingendi suum finem.

Quarto arguitur. Illud est perfectius, quod consequitur ens perfectius, sed qualitas consequitur ens perfectius quam consequatur quantitas, ergo qualitas est perfectior quantitate, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, quantitas sequitur compositum ratione materiæ qualitas autẽ ratione formæ, sed forma est simpliciter perfectior materia 7. Meta. t. c. 7. ergo qualitas consequitur perfectius, & ex consequenti est quantitate perfectior, & hæc ratio inquit Doct. potest esse ratio primi, secundi, & tertij medij, i. ex eo quod qualitas conuenit composito ratione formæ, sequitur, quod qualitas est principiũ agendi actione reali, & non quantitas, & secundum ordinem substantiarum sumitur ordo qualitatum, & quod qualitas est ipsi substantiæ principium attingẽdi finem suum, si enim quæratur quod qualitas est principium agendi actione reali, & non quantitas, respondetur, quod qualitas conuenit agenti ratione formæ, & non ratione materiæ sicut quantitas. si quæratur secundo, quare secundum ordinem substantiarũ sumitur ordo qualitatum secundum perfectionem, & nõ secundum quantitatem, respondetur, quia qualitas conuenit substantiæ ratione formæ, & non ratione materiæ sicut quantitas. Si iterum quæratur, quare per qualitatem consequimur finem nostrum, & non per quantitatem. Respõdetur, quia conuenit nobis ratione formæ, & non ratione materiæ quemadmodum quantitas.

Quinto arguitur. Illud est perfectius, quod magis conuenit cum perfectione simpliciter, sed qualitas vt pote sapientia, intelligere, & velle magis conuenit cum perfectione simpliciter, quam aliqua quantitas, ergo qualitas est quantitate perfectior, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, quia sapientia in creatura magis conuenit cũ sapientia diuina, quæ est perfectio simpliciter, quam quãtitas, patet quia vel est eadem ratio formalis sapientiæ in Deo, & in creatura, vel saltem sapientia creata appropinquat ad sapientiam diuinam, saltem secundum quamdam analogiam, id est, secundum ordinem perfectionis, magis quam aliqua quantitas, ergo qualitas est perfectior quãtitate, ex quo infert Doct. quod qualitas, vt sapiẽtia in creatura est perfectio simpliciter ipsius creaturę, licet non possit reperiri perfectio simpliciter in creatura nisi cum limitatione, & cum quadam imperfectione, quod nullo modo

est

Digitized by Google

est dicendum de quantitate, quia nulla quantitas est perfectio simpliciter, nec etiam sicut possibile est creaturã habere perfectionem simpliciter, & si dicatur, quod ex ista ratione sequitur, quod quantitas sit nobilior, quia quod est propinquius perfectiori est simpliciter perfectius, quantitas est simpliciter propinquior substantiæ quam qualitas, & substantia est perfectissimum entium, ergo quantitas est perfectior qualitate. Respondetur quod non valet hoc de omni qualitate, non enim quantitas est propinquior substãtiæ spirituali, quam sit qualitas spiritualis, imo quantitas non conuenit substantiæ spirituali, dico secundo, quod nec etiam valet de corporali qualitate, & ipsa quantitate, quia licet quantitas sit propinquior, & similior substantiæ quãtum ad subiici, non tamen quantum ad actualitatem, & perfectionem intensiuam, atque ita non est propriè substãtiæ propinquior, vel similior quantum ad id, quod est nobilius, & perfectius in ipsa, scilicet quantum ad actualitatem licet quantum ad potentialitatem receptiuam sit propinquior, quia ipsam substantia immediate suscipit, & mediante ipsa alias qualitates corporales, quas etiam quãtitas suscipit, atque ita non oportet, quod quantitas sit nobilior qualitate, sicut non oportet, quod simia sit nobilior equo quia magis assimilatur homini secundum Philosophum 3. Topicorum ca. 4. quia non est similior homini in conditionibus nobilioribus simpliciter, sed tantum in quibusdam iocosis trufis, ita simpliciter equus est nobilior simia.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnia accidentia absoluta possint esse sine subiecto.

Ægidius. Heruæus. Suarez. SEnsus tituli, est an supernaturaliter possint qualitates per se conseruari separatæ non solum a substantia, sed etiam a quantitate, de qua re duplex est opinio, vna quæ affirmat hoc non esse possibile, & hęc est opinio Ægidij de Roma Theore. 36. & sequentibus, & Heruei relati a Suarez quol. 11. q. 29. & vt aliqui dicunt etiam D. Tho. quol. 7.
D. Thom. art. 10. quia qualitas separata, neque esset indiuidua, neque haberet quo distingueretur ab alijs, sicut habet quantitas, quæ ex se, & ex natura sua est principium distinctionis, vt docet D. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. & in prima p. q. 50 art. 4. dicit, si albedo esset separata non posset secundum numerum multiplicari.

Fundamenta huius opinionis referuntur hic a Doc. sub lit. A. § Hic sunt duæ opiniones, & primum est tale, & supponit omnia accidentia indiuiduari, & esse vna numero per quantitatem, vnde hæc albedo est vna numero per quantitatem cui inhæret, quod suppositum est etiam D. Thom. loco supracitato, quo supposito sic arguit Ægidius, si esset aliquod accidens sine quantitate, v. g albedo sequeretur, quod illud accidens esset vnum numero, & non esset vnum numero, sed hoc est inconueniens, ergo &c. quod sequatur primum patet: quia esset vna res, ergo esset vna numero, & quod sequatur secundum etiam patet, quia tunc non haberet per quam diceretur numero vna ergo alia accidentia alia a quantitate per nullam potentiam a quantitate separari possunt.

Secundo arguitur, si albedo esset separata a quantitate, sequeretur quod esset sensibilis, & non sensibilis, sed hæc sunt contradictoria, igitur qualitas per nullam potentiam potest separari a quantitate, maior probatur, & primo, quod esset sensibilis, quia esset per se de tertia specie qualitatis, ergo esset sensibilis, probatur sequela, quia omnes qualitates de tertia specie qualitatis sunt sensibiles, secundo probatur, quod esset insensibilis: quia non quantum, non potest sentiri, sed in casu albedo non esset quanta, ergo non esset sensibilis, maior probatur per Philosophum lib. de sensu, & sensato c. 7. vbi docet, quod si quantum diuideretur in infinitum virtus sensitiua diuideretur in infinitum, hæc consequentia non valet, nisi quia secundum diminutionem sensibilis oportet crescere virtutem sensitiuam, ergo si improportionaliter est aliquod sensibile minus cresceret sensus improportionaliter, sed sensibile indiuisibile est improportionaliter (vt ita loquar) minus quocumque sensibili, quanto ergo virtus sensitiua aliqua poterit esse improportionaliter maior quacumque alia? consequens est, falsum, ergo & antecedens, ratio stat in hoc, ad uidendum aliquod quantum coloratum requiritur aliqua virtus in potentia visiua, ergo ad sentiendam medietatem illius sensibilis oportet illam potentiã magis augeri, & fortificari, vt videat, & adhuc vt videat medietatem illius medietatis oportet illam potentiam in duplo augeri, & si sensibile diuidatur in infinitum oporteret potentiam augeri in infinitum, sed sic est, quod nihil potest esse minus sensibile, quam illud quod non est quantum, ergo ad sentiendum illud oportet habere potentiam visiuam infinitæ virtutis, sed hoc est impossibile; ergo non quantum non est sensibile.

Tertio arguitur. Si albedo posset separari a quantitate sequeretur, quod esset spiritualis, & non spiritualis, sed ista sunt duo contradictoria, ergo &c. maior probatur, & primo probatur, quod esset spiritualis, quia si esset sine quantitate esset vna forma indiuisibilis, ergo esset spiritualis, consequentia patet, quia forma indiuisibilis est spiritualis, secundo probatur, quod non esset spiritualis; quia talis albedo est forma corporalis, ergo non est spiritualis, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia talis forma est apta nata recipi in corpore, ergo est corporalis, tum etiã quia ponitur in tertia specie qualitatis

Quarto arguitur. Si albedo posset separari a quantitate, sequeretur quod esset spiritualis & vltra ergo posset recipi in Angelo, sed hoc est falsum, quia tunc Angelus esset albus, ergo illud ex quo sequitur est etiam falsum. Prætereа quantitas non potest esse sine qualitate, puta sine figura, igitur multo magis qualitas corporalis non potest esse sine quantitate.

His tamen non obstantibus, est secunda opinio Doctor. *Opinio Sco.* affirmantis, quod Deus alia accidentia absoluta sine quantitate sustentare potest, vt sustentat quantitatem sine substantia, & certe opposita sententia videtur incredibilis, præsertim suppositis mysterijs fidei, & hanc Doct. sententiam sequuntur omnes Scotistæ, & Durandus in 4. d. 12. q. 1. ad secundum Ocham in 4. q. 7. & Gab. in can. lec. 44. & ex *Durandus. Ocham Gabriel. Capreolus. Ferrariens. Sotus.* Thomistis Capreolus in 4. d. 12. q. 1. Ferrar. 4 contra gentes c. 65. & Soto d. 10. q. 2. art. 2. qui dicit D. Tho. eamdem sententiam docere, nam inquit ipse tantum quantitas a substãtia pendet in indiuiduari, quantũ reliqua accidentia a quãtitate, si ergo Deus quantitatem seruat sine substantia, cur non poterit & reliqua sine quantitate custodire? eamdem sententiam docet Suarez Tom. 3. disp. 56. sect. 3. in fine. Pro *Suarez.* batur autem sententia Doct. dupliciter, & primo supponit Doct. quod substantia, & quantitas sunt duo subiecta qualitatis secundum aliquos essentialiter ordinata, ita ut substantia est primum simpliciter sicut ens, hoc supposito arguitur sic: non est magis essentialis habitudo ad subiectum non primum, quam ad subiectum simpliciter, & essentialiter primum, sicut patet de habitudine effectus ad causam simpliciter primam, & ad secundam, sed habitudo qualitatis ad substantiam, quæ subiectum simpliciter primum non est necessaria, quia potest esse sine substantia, igitur nec ad quantitatem est necessaria, ergo qualitas potest esse sine quantitate, vel formetur sic ratio, quãdocumque aliquod sic se habet, quod dependet ad aliquod primum, & ad aliquod posterius absolutum, dependentia ad primum absolutum est essentialior, quam ad posterius, sed albedo sic se habet quod dependet ad substantiam tamquam ad primũ absolutum, & ad quantitatem tamquam ad posterius, ergo essentialior est dependentia, qua dependet ad substantiam, quam illa qua dependet ad quantitatem, sed Deus potest facere qualitatem sine substantia, ergo potest illam facere sine quantitate, consequentia videtur nota, quia si potest in illud, in quo maior videtur repugnantia, consequens est quod possit in illud, in quo non videtur esse tanta repugnãtia, si ergo potest esse qualitas sine dependentia actuali ad substantiam, poterit esse sine dependentia actuali ad quantitatem. hæc ratio est Scoti in hac q. sub litt. c. §. contra opinionem.

Secundo arguitur. Absoluto, & perfectiori non magis repugnat per se esse, quam absoluto, & imperfectiori, sed qualitas est forma absoluta etiam secundum eos, & perfectior, quam quantitas, igitur si quantitas potest esse per se, pari ratione, & qualitas poterit per se esse, nam si quantitas conseruatur a Deo sine subiecto, cur non potest qualitas? neque enim magis est de essentia qualitatis actu inhærere quantitati, quam sit de essentia quantitatis actu inhærere substantiæ, Sco. vbi sup. Præterea & est argumentum Duran.

tan.

ran. Illud de cuius intrinseca ratione non est habitudo ad alterum, nec est idem sibi essentialiter, potest diuina virtute esse absque quocunque altero, sed de ratione intrinseca qualitatis non est habitudo ad quantitatem, vt in quo sit, tamquam in subiecto, nec est idem sibi essentialiter, ergo qualitas potest esse diuina virtute sine quantitate. maior patet. quia Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem, vel repugnantiam intellectuum, quod idem est, sed quod illud quod non includit in ratione sua intrinseca habitudinem ad alterum possit esse sine illo altero nō implicat contradictionem (vt de se patet) quia non est repugnantia intellectuum, vbi aliquid intelligitur absque eo quod non est de sua ratione, ergo Deus potest facere, quodcumque ens, de cuius ratione non est habitudo ad alterum, neque est sibi idem essentialiter sine illo altero, minor similiter patet ex his, quæ dicta sunt in præcedenti quæst. quia inhærentia actualis accidentis absoluti ad subiectum non est de essentia, nec essentialiter idem cum accidente absoluto, vocamus enim accidens absolutum illud, cuius essentia non est respectus, nec esse ad aliud se habere, atque adeo de intrinseca ratione talis accidentis non est habitudo ad aliud, sed si est habitudo aptitudinalis est eius passio, si actualis est accidens per accidens.

Soluūtur rationes Ægidij.

Ad motiua Ægidij respondetur, & ad primum dicit Doctor. in hac quæst. sub littera a. §. Rationes autem istæ, quod nullum ens est singulare formaliter per aliquid alterius generis, igitur albedo, & alia accidentia non habent numeralem virtutem per quantitatem, quæ est alterius generis, nam in quolibet genere inueniuntur genera, species, & indiuidua, & definitiones omnium illorum, atque adeo albedo non est singularis, & vna numero per quantitatem, imo si secluderetur quantitas nihilominus albedo esset intrinsece vna numero per suam differentiam indiuidualem, nam sicut in quolibet genere est inuenire supremum in coordinatione illius generis, & genera intermedia, & species, ita per se est inuenire aliquod infimum in illa coordinatione, de quo omnia prædicantur, & ipsum non de alio, qualitas ergo etiam quando est in quantitate non est hæc per quantitatem formaliter, sed si quantitas est causa eius singularitatis, & tantum causa extrinseca.

Reijcitur responsio Capreoli et Ferrariensis.

Ad argumentum ergo negatur consequentia, & ad probationem patet, quid sit dicendum, & ex hac responsione patet quam friuola sit responsio Capreoli, & Ferrariensis, dicentium, quod in casu posset quidem qualitas sine quantitate conseruari, sed illa non esset indiuidua, neque singularis, impossibile enim est, quod aliquid realiter existat, & non sit singulare, & indiuiduum, & specialiter repugnat eamdem qualitatem, quæ prius inhærebat postea separatam conseruari, & tamen non esse indiuiduam, sicut antea erat cum eamdem entitatem retineat, imo melius potest vna qualitas per suam entitatem numero, & realiter distingui ab alia, quam vna quantitas ab alia, quia qualitas magis habet de actualitate, actus autem est qui distinguit, & separat, præterquam quod non videntur loqui consequenter, quia licet qualitas non sit in subiecto, retinet tamen habitudinem ad subiectum, per quam possunt intelligi indiuidua, sicut de anima rationali separata ipsi docent.

Aliquid potest dici duobus modis sensibile.

Ad secundum negatur, quod si albedo esset separata a quantitate, quod esset sensibilis, & non sensibilis, & cum probatur primum, quia esset qualitas tertiæ speciei, ergo esset sensibilis, negatur consequentia, & ad probationem distinguo, quod aliquid potest dici sensibile dupliciter, vel potentia propinqua, vel potentia remota, illud dicitur esse sensibile potentia remota, quod habet formam sufficientem, sed non habet eam sub modo conuenienti, sub quo oportet eam haberi ad hoc, quod sentiatur, illud autem dicitur esse in potentia propinqua sensibile, quod habet formam sub modo conuenienti, ita ut statim cessante impedimento potest sequi actus, hæc distinctio, inquit Doc. declarata est in primo libro distinctione septima, de potentia generandi, & probata est per authoritatem Philosophi 5. Meta, capitulo septimo, & 3. Meta. 1. cap. 10. patet etiam

D. Ansel.

per D. Ansel. de libero arbitrio, capitulo quarto, vbi vult quod nullam potentiam habemus in nobis, quæ sola sufficiat ad actum, sicut exemplificat de visu, qui non sufficit ad actum videndi sine obiecto, & medio illuminato &c. albedo ergo separata esset sensibilis in potētia remota, quia esset forma, quæ secundum se esset motiua sensus, licet non sub illo modo essendi, qui est necessarius, vt actu moueat, & propter hoc non esset sensibilis potentia propinqua, & ex consequenti posset concedi, quod illa albedo esset sensibilis, & insensibilis, nec propter hoc est aliqua contradictio, quia non esset secundum idem, esset enim sensibilis potentia remota, & insensibilis potentia propinqua, sicut nulla cōtradictio esset si argueretur, quod albedo illa separata esset diuisibilis, & indiuisibilis, esset enim diuisibilis potentia remota, quia posset esse in quanto, & tunc esset in potentia propinqua ad diuidi, sed non esset diuisibilis potentia propinqua, quamdiu esset sine quantitate, ita albedo separata est visibilis potentia remota, quia potest esse sub modo quantitatiuo, & quando est sub illo dicitur visibilis potentia propinqua, sed non est visibilis potentia propinqua quamdiu esset sine modo quantitatiuo.

Et cum arguitur, si esset sensibilis, ergo sensus ille improportionaliter excederet omnium alium sensum, dicit Doctor, quod consequentia esset bona, si esset sensibile alicui sensui in potentia propinqua, tunc enim ille sensus esset perfectior omni alio sensu secundum illam proportionem, secundum quam istud sensibile deficeret ab alijs sensibilibus. Sed in proposito licet albedo separata a quantitate sit sensibilis potentia remota, nullo tamen modo est sensibilis alicui sensui in potentia propinqua, atque adeo non oportet aliquem sensum illam sentire sub isto modo essendi, nec per consequens excedere improportionaliter alios sensus, hoc enim tantum sequeretur si esset sensibilis potentia propinqua, quia sic arguit ibi Philosophus de obiecto sensibili.

Ad tertium negatur consequentia, & ad probationem concedit Doct. quod talis albedo esset simpliciter qualitas corporalis, cuius ratio est, quia esset simpliciter apta nata perficere corpus, esset tamen secundum quid incorporea, & spiritualis, eo quod non esset actualiter in corpore, sicut substantia corporea, licet esset sine quantitate adhuc esset corporea, quia esset apta nata esse sub quantitate, Angelus autem non sic, esset etiam albedo separata indiuisibilis actu, diuisibilis autem potentia remota, vel aptitudine, vt dictum est, ex quo sequitur, quod si omnia agentia creata etiam simul non possent diuidere albedinem a quātitate separatam, & ratio est, quia ad hoc, quod aliquod agens creatum agat in passum, duæ conditiones requiruntur, vna quod illud passum sit quantum, & altera quod sit sub modo quantitatiuo, id est, quod sit circumscriptiue in loco, quod negatur de illa qualitate, &c.

Ad quartum dicit Doctor, quod non habet apparentiā, quia sicut lapis non potest esse sapiens, quia nullo modo habet rationem receptiui respectu sapientiæ, ita Angelus non potest esse albus, quia nullo modo est susceptiuus huius formæ, siue ista forma ponatur indiuisibilis siue non, & ratio repugnantiæ potest assignari duplex, prima est extensio albedinis, quia albedo potest extendi, & Angelus est inextensibilis, secunda ratio est intrinseca, quia hæc forma est hæc forma, & Angelus est Angelus, & hæc secunda ratio est essentialis ratio impossibilitatis, prima autem non. Et si dicatur, ergo ablata prima ratione, scilicet extensio remanet possibilitas ad hoc, quod Angelus sit albus, negatur consequentia, quia adhuc remanet secunda ratio, quæ est essentialis ratio repugnantiæ, nimirum quod Angelus est Angelus, & albedo est albedo, & idem dicendum est de sapientia respectu lapidis. Et si dicatur, motus est accidens corporale, & tamen recipitur in Angelo, vt patet a Doctor. in secunda distinctione, quæstione nona, ergo & albedo recipi potest, probatur sequela, quia non est maior ratio de vno accidente corporali, quam de alio, aliqui dicunt, quod motus corporis, & motus Angeli non sunt eiusdem speciei, ideo negant, quod motus Angeli sit accidens corporale, sed tu vide, quæ scripsimus in secundo Doc. loco supracitato.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum accidens relatiuum possit esse sine subiecto.

Licet hæc difficultas ex his, quæ dicta sunt in præcedenti quæst. art. 5. vlteriori explicatione indigere minime videatur, tamen vt omnis tollatur scrupulus, & quia Doc. subt. in hac q. sub litt. r. §. Item aliquod accidens duabus rationibus probat oppositum eius, quod determinatum in supracitato articulo ideo iterum hæc difficultas examinanda occurrit, probatur itaque duabus rationibus, quod accidens respectiuum per Dei potentiam possit esse sine subiecto, & primo sic.

Aliquod accidens est in Sacramento Eucharistiæ sine subiecto, ergo quodlibet potest esse sine subiecto, antecedens patet de fide, quia quantitas, quæ immediate afficit substantiam est sine subiecto, consequentia probatur, tum quia quodlibet accidens aqualiter dependet a subiecto, ergo si vnum potest esse sine subiecto etiam quodlibet, tum quia dependentia ad primum est essentialior, quam dependentia ad aliquod posterius, patet in causis, quia dependentia ad primam causam est simpliciter necessaria, ergo est magis necessaria dependentia ad substantiam, quam ad quodcumque accidens, sed quodlibet accidens dependet a substantia, tamquam a primo subiecto, & aliquod accidēs potest esse sine tali dependentia, vt patet de quantitate, ergo etiam quodlibet potest ibi esse sine dependentia a posteriori, & a quolibet alio primo subiecto, & ex consequenti, etiam accidens respectiuum potest esse sine subiecto.

Secundo arguitur. Si accidens respectiuum non posset esse sine subiecto, aut hoc ideo esset, quia est accidens, aut quia est relatio, sed nullum horum, vt dicendum, ergo accidenti respectiuo non repugnaret esse sine subiecto, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, quia si accidenti respectiuo repugnaret esse sine subiecto, quatenus accidens, cuilibet accidenti repugnaret, & per consequens nullum accidens posset esse sine subiecto, quod est falsum, quod autem sibi non repugnet quatenus relatio patet, tunc enim repugnaret cuilibet relationi, & per consequens relationibus diuinis repugnaret esse sine subiecto, quod tamen est falsum, quia relationes diuinæ non sunt in subiecto, tum quia relatio diuina est infinita, quia est idem, quod essentia diuina, & essentia diuina est infinita, ergo & relatio est infinita, tum quia infinitum est per se ens, relatio diuina est infinita, ergo est per se ens, maior probatur, quia conditiones entis perfectissimæ se inuicem inferunt, sed infinito competunt perfectiones entis perfectissimæ, ergo habens vnam, habet & alias, conditiones perfectissimæ entis sunt infinitas, necessitas, actualitas, & vna istarum infert aliam, sicut necessitas infert actualitatem, & infinitas necessitatem, sed relatio diuina est infinita, ergo est necesse esse, ergo est actu ens, vel per se ens, cū ergo relatio diuina habeat infinitatem, habet etiam per se esse, quæ est conditio nobilis in ente.

Pro solutione huius difficultatis obseruandum est, quod dependentia relationis ad fundamentum est essentialissima, quia vel est de essentia illius secundum aliquos, vel saltem est sibi idem essentialiter, itaque simpliciter contradictionem inuoluit relationem esse sine fundamento.

Secundo obseruandum est, quod quando aliquod accidens immediatè inhæret alteri accidenti, vt qualitas quātitati, dato quod accidens illud, cui inhæret, alteri subiecto inhæreat, sicut quantitas substantiæ; impossibile est, quod inhærentia qualitatis terminetur per se ad substantiam, vel ad subiectum mediatum, seu remotum, vel vltimatum, quia tunc impossibile esset manere talem inhærentiam ad immediatum subiectum, nisi maneret subiectum mediatum, seu vltimatum, nisi ponerētur duæ inhærentiæ in qualitate, altera qua inhæreret quantitati, & altera qua inhæreret substantiæ tanquam vltimato subiecto, quod non videtur necessarium, si autem ponatur in qualitate vnica tantum inhærentia, illa non terminatur per se nisi ad subiectum, atque adeo per se nec mediate, nec immediate ad vltimum subiectum non terminatur, sed si potest dici, quod terminetur illa inhærentia inhæret vltimato subiecto, atque ita inhærentia qualitatis ad qualitatem per se, & vere non terminatur ad substantiam, cui inhæret quantitas, dicitur tamen per accidens ad ipsam terminari, quia quantitas inest sibi.

Tertio obseruandum est, quod non est essentialior habitudo relationis ad substantiam, quam ad suum fundamentum, quod habet pro subiecto immediato, quia habet habitudinem essentialem ad subiectum immediatum, puta ad fundamentum, quæ non terminatur ad subiectum mediatum, imo nec est essentialior habitudo qualitatis ad substantiam, quam ad subiectum suum immediatum, quia neque ad substantiam, neque ad quantitatem habet essentialem habitudinem, vt probatum est supra, sed in hoc est discrimen inter qualitatem, & relationem, quod qualitas neque ad substantiam subiectum eius remotum, neque ad quantitatem subiectum eius propinquum habet habitudinem essentialem, relatio vero vt similitudo licet non dicat habitudinem essentialem ad substantiam tamquam ad subiectum remotum, dicit tamen habitudinem essentialem ad fundamentum, vt ad proximum, & immediatum subiectum, & ratio est, quia est habitudo, quæ ad sui esse requirit extrema, scilicet fundamentum, & terminum, & sicut non potest esse sine termino, ita sibi repugnat esse sine fundamento, quia non potest esse sine habitudine ad fundamentum. In hoc tamen conueniunt qualitas, & relatio, quod sicut habitudo relationis ad subiectum immediatum, vel ad fundamentum non terminatur per se ad subiectum mediatum, seu remotum, ita inhærentia, seu habitudo accidentalis qualitatis non terminatur per se ad substantiam sed ad quantitatem. Ex quo infertur, quod non est simile de accidentibus, quæ in Eucharistia manent in subiecto comparando ea ad primum subiectum, scilicet substantiam, & ad secundum immediatum, & de effectu comparando ipsum ad causam simpliciter primam, & ad secundam: nam effectus quicumque positiuus habet essentialem respectum sibi consubstantialem terminatum per se primo ad causam primam, & habet respectum alium accidentalem ad causam secundam extrinsecam actu existentem, accidentalem dico, quia causa secunda destructa potest talis effectus manere, & talis respectus sibi non inesse, sed nullum accidens habet essentialem habitudinem ad substantiam, vt ex superius dictis satis patet.

Quarto obseruandum est, quod quando quæritur de aliquibus duobus, quare aliquid eis repugnet non debet assignari ratio repugnantiæ per illud, quod conuenit vni, & non alteri, sed oportet assignare rationem repugnantiæ per naturam propriam rei, quæ includit ambo prædicta coniunctim secundum naturam communē eis, & aliquid, quod conuenit vni, & non alteri, vt si quæratur quare repugnat homini irrationalitas, non potest dici, quod sibi repugnet in quantum animal, quia tunc repugnaret omnibus animalibus, quod est falsum, nec debet dici, quod repugnat sibi quia intellectualis, quia tunc repugnaret Angelo, quod est falsum, sed debent ambo aggregari, & dici quod homini repugnat irrationalitas, quia homo est animal rationale, ita non repugnat accidenti respectiuo esse sine subiecto, quia est accidens, nec ex eo, quod est relatio, sed quia est relatio accidentalis. Ex his respondetur ad rationes in oppositum, &

Ad primam dico, quod argumentum concludit de possibili, & de accidentibus absolutis, sed simpliciter loquendo consequentia est falsa, quoniam accidentia respectiua non possunt esse sine subiecto, & si dicatur quod similitudo potest esse sine substantia, a qua essentialiori modo dependet, quam ab albedine, nego quod essentialior sit habitudo similitudinis ad substantiam, quam ad albedinem, quoniam vt dictum est dependentia relationis ad fundamentum essentialissima est, ita ut simpliciter implicat contradictionem similitudinem esse sine albedine, & hoc non conuenit sibi quia accidens, sed quia est tale accidens, scilicet respectiuum, tum quia habitudo relationis non terminatur per se ad substantiam, sed ad qualitatem, substantia enim non potest esse subiectum alicuius relationis, sed tantum accidens, & si dicatur quod dependentia ad primum est essentialior, quam dependentia ad aliquod posterius, dico primo, quod hæc propositio vera est in absolutis, dico secundo, & melius, quod accidens respectiuum non dependet per se a substantia, sed a fundamēto

pro-

proprio, quia eius inhærentia non terminatur per se ad subiectum mediatum, sed tantum ad immediatum, quemadmodum dictum est, etiam de qualitate respectu substantiæ, & quantitatis. ita Sco. in hac quæst. sub litt. M. §. ad tertium.

Ad secundum nego minorem, nullo enim modo relatio accidentalis potest esse sine subiecto immediato, quomodo fundamentum relationis accidentalis est subiectum eius, & ad probationem per diuisionem autem in quantū relatio, aut in quantum accidens, dicit Doctor. quod diuisio non est sufficiens, est enim dare medium, scilicet in quantum relatio accidentalis, illa enim relatio, quæ formaliter constituit suppositum per se, non est in aliquo subiecto, quia suppositum per se ens non habet formale inhærens proprie loquendo de inhærente, relationes enim diuinæ licet sint in essentia diuina, vt in fundamento, non sunt tamen in ea per inhærentiam, cum sint idem essentialiter cum essentia diuina, sed qualibet relatio accidentalis cum non constituat suppositum est in subiecto per inhærentiam, cum ergo solum illa relatio, quæ constituit suppositum sit non inhærens, ista quæ non constituit erit inhærens, cum ergo dicitur si accidens respectiuum non potest esse sine subiecto, vel inquantum accidens, vel inquantum relatio, dico quod nec sic, nec sic, sed inquantum relatio accidentalis.

Secundo respondetur, quod relatione, vnde relatio repugnat esse sine subiecto aliquo extendendo subiectum ad fundamentum, & cum infertur, ergo omni relationi repugnat, concedo, & cum probatur, quod hoc sit falsum, vt patet de relatione diuina, respondet Doctor. negando, quod hoc sit falsum, quia relationes originis in diuinis habent fundamentum, quia relatio originis in sua ratione formali non est aliquid ad se, sicut ipsa essentia diuina, neque est per se ens sicut est suppositum per se ens, sed secundum suam rationem formalem dicit habitudinē ad aliud, & necessario est in fundamento, vt in præsupposito, & necessario est in supposito, vel vt in præsupposito, vel vt formaliter per ipsam constituto.

Et cum probatur duabus rationibus, quod relatio diuina non sit in fundamento, quia est infinita, dicit Doctor. quod hæc consequentia, relatio diuina est infinita, ergo est per se ens, quod consequentia potest concedi, sed antecedens est falsum, quod licet sit infinita indentice, non est tamen infinita formaliter, sed esto, quod sit realiter infinita, non sequitur, ergo est ens per se, quod autem relatio diuina non sit formaliter infinita, probat Doct. quia nulla persona diuina caret aliqua perfectione formaliter infinita, sed quælibet persona caret aliqua relatione originis, igitur nulla relatio originis est formaliter infinita, consequentia est nota, & maior est manifesta: quod aliqua persona non careat aliqua perfectione, quia non esset tunc simpliciter perfecta, minor etiam patet: quia Pater caret filiatione, & filius paternitate, &c. ergo sequitur, quod relatio originis in diuinis non est formaliter infinita, quod patet etiam ex

D. Ansel. ratione perfectionis simpliciter, quia secundum D. Ansel. Monologion. capitulo decimoquinto, perfectio simpliciter est illud, quod in quodlibet melius est ipsum, quam non ipsum, non potest autem relatio esse melior, id est, perfectior, & nobilior suo opposito, quia relatiua sunt simul natura, ex quo sequitur, quod quando arguitur, essentia diuina est infinita, paternitas, vel relatio diuina est essentia, ergo relatio est infinita, est fallacia figuræ dictionis, sicut quando arguitur Deitas intelligit, paternitas est Deitas, ergo paternitas intelligit, quia commutatur prædicatio identica in formalem, patet, quia ista est identica paternitas est deitas, & ista est formalis, essentia diuina est infinita, & hoc explicatum est frequenter in primo, distinc. secunda, & quarta, quia in abstractis bene potest esse prædicatio identica, vbi autem prædicatum est adiectiuum, non potest esse vera nisi sit formalis, cum ergo maior sit vera formaliter, minor autem est tantum vera identice, & infertur conclus. quæ non potest esse vera nisi formaliter, quia prædicatum est aliquod adiectiuum atque adeo commutatur prædicatio identica in formalem, velut si argueretur, Socrates est homo, Plato est homo, ergo Plato est Socrates, interpretatur hominem fuisse hoc aliquid in præmissis, quia aliter non posset inferri conclus. ex præmissis, & ideo commutatur quale quid in hoc aliquid. ita in proposito essentia est infinita, est prædicatio formalis, paternitas est essentia, est prædicatio tantum identica, si infertur paternitas est infinita non potest esse prædicatio nisi formalis, & illa non sequitur nisi interpretando prædicationem in minori, quæ fuit tantum identica, esse formalem, & per consequens non sequitur nisi commutando prædicationem identicam in formalem, ex vna enim formali, & altera identica, non sequitur nisi identica, sicut ex vna necessaria, & altera contingenti, non sequitur nisi contingens, quia conclusio sequitur semper debiliorem partem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum accidens possit esse subiectum accidentis.

DE hac re fuit opinio Ocham in tracta. de Sacramento Eucharistiæ capitulo vigesimo octauo, & in 4. quæst. septima, quam sequitur Gabriel. in quarta distinctione duodecima, quæstione prima, articulo 1. & in Can. lect. 44. & Maior in quarto distinctione 12. quæstione secunda, isti enim tenent, quod accidens non est subiectum accidentis, sed quod omnia accidentia sunt immediate in substantia tamquam in subiecto. *Ocham. Gabriel. Maior.*

Dicit enim Gabriel. in quarto loco supra citato, quod solum duo prædicamenta ponunt in numero, id est, importan res realiter distinctas, nam omnis res substantia est, aut qualitas, quia omnis res est substantia aut accidens secundum Philosophum, omne autem accidens est qualitas, nā quantitas, secundum ipsum non est accidens distinctū a re quanta, neque relatio a rebus absolutis, & pariformiter dicit de respectibus extrinsecis sex Prædicamentorum cæterorum, vnde infert, quod transeunte panis, vel vini substantia, non manet quantitas panis, quia quantitas panis est substantia panis, non potest autem idem transire, & manere, manet autem quantitas, sed non ista, quæ fuit panis, sed ea, quæ fuit accidentium, manentibus enim accidentibus, quantitas entum manet, cum quantitas accidentium nihil aliud sit, quam accidentia habentia partem extra partem secundum extensionem. quam opinionem sequitur etiam Rubion in quarta distin. 12. quæstione 3. 4. 5. & 6. fundamenta illius opinionis sunt ista, accidens non accidit accidenti nisi quia ambo accidunt eidem subiecto, ergo nullum accidens est accidentis subiectum, antecedēs est Aristot. quarto Meta. t. capituli decimi quarti, consequentia patet ex ipsomet Aristo. dicente nihil enim hoc illi magis, quam illud accidit huic. Et confirmatur: quia sicut substantiæ conuenit esse per se, & substare, ita accidentibus conuenit esse in alio, & non substare, ergo vnum accidens non potest substare alteri, & per consequens nec est subiectum alterius. *Rubion.*

Præterea secundo, nihil potest terminare dependentiā alicuius quod est dependens dependentia eiusdem rationis, nam terminans dependentiam aliquam, oportet quod sit independens, independentia opposita dependentiæ, quam terminat, sed omne accidens dependet dependentia ad subiectum, ergo nullum accidens potest hanc dependentiam terminare, & ex consequenti nullum accidēs potest esse alterius accidentis subiectum.

Tertio arguitur, authoritate Aristo. in Prædicamento Substantiæ, vbi dicit, maxime proprium esse substantiæ, cum sit eadem numero secundum sui mutationem esse susceptiuum contrariorum, si ergo accidens verbi gratia, quantitas, etiam susciperet contraria accidentia secundum sui mutationem, nullo modo esset proprium substantiæ, quia nec omni, nec soli conueniret. vnde cum dicat Philosophus, quod maxime proprium est substantiæ &c. videtur per hoc velle substantiam ab omnibus separare quasi per illud, quod soli substantiæ conuenit, quoniam probat ibi ex intentione, quod non conuenit quantitati, nam faciens instantiam de oratione, quam ponit speciem quantitatis, quod ei insunt contraria secundum sui mutationem, scilicet verum et falsum, soluit instantiā concludens, quod suscipere contraria soli substantiæ sit proprium, & alteri non conueniat.

Sed his non obstantibus dicēdum cum Doct. sub. in hac quæst. sub lit. H §. ad quæstionem, quod accidens potest esse accidentis subiectum, pro cuius intelligentia obseruandū *Opinio S.*

est.

Digitized by Google

est, quod subiectum accidentis secundum communem modum accipiendi subiectum potest accipi dupliciter, vno modo pro subiecto immediato, ad quod terminatur immediate inhærentia accidentis illius, hoc est, pro quocumque cui aliquis actus, id est, forma accidentalis posset inesse per accidens tamquam forma eius, non faciens vnum per se cum subiecto, alio modo potest accipi pro mediato, & vltimo, quod scilicet vel vltimate, vel non immediate terminat inhærentiam accidentis, vel natum est terminate, vel saltem terminat inhærentiam subiecti immediati ipsius accidentis, & isto modo substantia dicitur subiecti accidentium, quantumcumque sibi non immediate inhærentiũ, primo modo planum est, quod aliqood accidens potest esse subiectum accidentis, secundo autem modo nihil potest esse subiectum accidentis nisi substantia, sit ergo hæc concl. resolutiua quæstionis.

Vtrum accidens potest esse subiectum alterius non vltimate, probatur, quia de facto in substantia corporea quantitas est subiectum reliquorum accidentium, ergo &c.

Secundo probatur. Illud est accidens alterius, quod inest ei essentialiter distinctum ab ipso, & prædicatur per se, secundo modo de ipso, & non est substantia, hæc propositio patet ex terminis, sed aliquid quod non est substantia sic se potest habere ad aliquod accidens, patet de passionibus geometriæ demonstratis de quantitatibus, vel figuris, sicut habere tres æquales de triangulo, quæ ita conueniunt subiectis suis accidentibus nulla existente substantia, sicut substantia existente, ergo &c. Et confirmatur, quia superficies est colorata per se secundo modo, ergo &c. Et si dicatur, ex hac ratione videtur sequi, quod propria passio alicuius sit eius accidens, quod tamen est falsum secundum Doct. dico quod non, quia propria passio est quædam inclinatio, seu aptitudo quædã alicuius subiecti ad aliquod accidens illius, vt risibilitas est quædam aptitudo hominis ad ridere, si ergo accidens habeat propriam passionem, verbi gratia, albedo, illa propria passio erit idem realiter cum albedine, & est inclinatio quædam ad aliquod accidens albedinis, & per consequens albedo est subiectum illius accidentis, ex quo infertur, quod etto, quod non esset aliqua substantia in mundo, non minus demonstrarentur propriæ passiones de ipsis accidentibus, quorum sunt, vt habere tres de triangulo non minus demonstraretur si nulla substantia esset, quia non minus essent tres lineæ laterales trianguli.

Tertio probatur auth. Auic. dicentis secundæ suæ Met. quod accidens est subiectum accidentis, vt motus est subiectum velocitatis, & tarditatis, quæ sunt quædam accidentia motus.

Ad argumenta in oppositum respõdetur, & ad primum dicit Doct. in hac quæst. sub litt. I. §. ad secundum, quod ly quia potest capi dupliciter, vno modo causaliter, alio modo concomitanter, sumitur causaliter quando denotat vnum esse causam alterius, concomitanter autem quando denotat vnum sequi ad aliud, vel esse cum alio, & tunc tantum valet sicut quomodo, quando ergo dicit Philosophus, quod accidens non accidit accidenti, nisi quia ambo accidunt tertio, ly quia sumitur concomitanter, ita vt sit sensus, vnum accidens non accidit alteri, nisi quomodo ambo accidunt tertio, & quod hæc sit intentio Aristo. probat Doctor, quoniã Arist. dixisset iuxta sua principia, quod impossibile est, vnum accidens recipi in alio, nisi ambo recipiantur in vno tertio, quoniam secundum eum impossibile est accidens esse sine substantia.

Secundo dicit Doct. quod Aristo. loquitur de accidentibus disparatis, quorum vtrumque æque immediate conuenit substantiæ sicut album, & dulce, vel album, & musicum, istorum enim accidentium vnum non est ratio recipiendi aliud, vt albedo non est ratio recipiendi, musicam, vel dulcedinem, nec è conuerso, atque adeo neutrum est subiectum alterius, sed non intelligit accidentibus ordine quodam respicientibus substantiam, quæ appellari possunt accidentia subordinata, quorum vnum est ratio recipiendi aliud, & patet de albedine, & quantitate, quantitas enim est ratio recipiendi qualitatem, atque adeo est eius subiectum immediatum, & quod hæc sit intentio Aristo. patet, quia statim subiunxit ibi exemplum de albo, & Musico.

Tertio modo respondet Doct. quod Aristo. non dixit illud ex intentione, sed inferebat illud contra alios, vt maximum inconueniens, itaque quod non loquitur ibi ex intentione propria quasi illud dictum sit absolute verum, sed arguit ad hominem. Arguit enim sic, si contradictoria sunt simul vera, ergo omnis prædicatio est per accidens, & per consequens necesse est prędicationem in infinitum ire, sed in infinitis non est ordo 2. Meta. quia vbi non est aliquod primum non est aliquod habitum, ergo nullum accidens habebit ordinem per se ad aliud accidens, & per cõsequens non magis accidet hoc accidens illi quam è conuerso, & huic modo exponendi consonat litera, non enim ait accidens non accidit accidenti, nisi quia ambo eidem, sed accidens non accidenti accidit, nisi quia ambo eidem accidunt, vel secundum aliam litteram accidens non accidenti est accidens, nisi quia eidem accidunt ambo, per quod innuit se illam propositionem asserere, non tamquã veram, sed magis vt falsam, & ex hypothesi, quam sibi intendit improbare seqoentem, & hoc modo exponendo, magis potest ex illa authoritate oppositum concludi, quã propositum, erit enim secundum istam expositionem illud illatum tamquam inconueniens, & non affirmatum tamquam verum, vel dicendum est, quod Aristo. non negat, quod vnum accidens non accidit alteri simpliciter, sed negat, quod vnum accidens accidat alteri tamquam vltimato subiecto, ita ut ambo non accidant alteri, quia hoc erat vnum impossibile apud ipsum, quia tenebat pro principio notissimo, quod accidens non potest esse sine subiecto.

Ad confirmationem de ratione de per se inesse, & in alio esse patet responsio ex q. præcedente, quia eo modo quo per se esse, & substare sunt propria substantiæ non possunt competere accidenti, & eo modo quo esse in alio est, proprium accidenti non potest competere substantiæ, atque ita non potest competere accidenti per se esse, nec substare, scilicet independenter, & vltimate, sicut nec substantiæ potest competere inhærere, hoc autem est accipiendo substare sicut competit vltimo terminanti dependentia inhærentis.

Ad secundum dicit Doct. quod dependens non potest terminare dependentiam, quæ sit omnino eiusdem rationis cum ea, qua dependet, quia alia independentia requiritur in vltimate terminante, & alia in terminante proxime, & dependenter, nam prior independentia prohibet dependentiam omnioo similem illi, quæ est ad ipsum, sed posterior independentia non tollit omnem dependentiam quæ est aliquo modo eiusdem rationis, cum dependentia quam terminat, atque adeo hoc modo dependenti non repugnat terminate dependentiam, sicut omnis creatura dependet ad Deum, & hoc in genere causæ effectiuæ, & tamen vna creatura dependet ad aliam sicut ad talem causam, sed non vt ad caosam omnino primam effectiuam, qualis est dependentia ad primum, ita in proposito omnia accidentia dependent ad substantiam, vt subiectum secundo modo accipiendo subiectum, id est, vt ad subiectum vltimatum, & per consequens nullum accidens potest terminare dependentiam eorum tamquam vltimate terminans, quomodo pertinet ad substantiam terminare. Cum ergo dicitur, quod nihil potest terminare dependentiam eiusdem rationis cum illa, qua dependet, sed quod terminans dependentiam oportet, quod sit independens independentia opposita dependentiæ, quam terminat, posset dici primo, quod hæc propositio non est vniuersaliter vera, quia sol dependet ad Deum in genere causæ efficientis, & tamen sol terminat dependentiam multorum effectuum, qui ad ipsum dependent in genere causæ efficientis, filius etiam dependet ad patrem secundum filiationem, & tamen potest esse pater alterius filij, & terminare filiationem eius manens filium patris sui, secundo dico, quod in proposito est verum, sed dependentia, vel inhærentia quantitatis ad substantiam non est eiusdem rationis cum inhærentia qualitatis ad quantitatem, nec esse potest, sicut nec extrema sunt eiusdem rationis, nec terminantia eodem modo terminant.

Ad tertium dico primo, quod illa proprietas substantiæ non assignatur ab Aristot. per respectum ad alia genera, i. non competit substantiæ prout distinguitur ab accidentibus, sed est proprietas primæ substantiæ prout distinguitur a secundis, adeo quod est fenius proprium est maximè id est, primæ substantiæ &c. prima enim substantia est ma

xima substantia; vt dixerat supra Aristot. adeo, quod per maximam substantiam intelligit Aristot. primam substantiam, cui (vt distinguitur a secundis substantijs) propriũ est, quod existens vna numero sit susceptibilis contrariorum, quia recipere accidentia communia non conuenit secundis substantijs nisi per primas, & tunc ista proprietas est propriè propria, & conuertibilis cum prima substantia, & cum infers, ergo non competit alijs a substantia, & per consequens non competit quantitati, dico, quod eo modo quo competit primæ substantiæ non competit quantitati, id est, tamquam vltimato susceptiuo, cum hoc tamen stat, quod quantitas sit susceptiuum contrariorum non vltimatum.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnia accidentia in sacramento Eucharistiæ sint sine subiecto.

QVæstio intelligitur de qualitatibus, quæ proprias entitates habent, nam de relationibus nulla est difficultas quin in suis fundamentis maneant, quoniam vt ostensum est supra, implicat contradictionem relationes esse sine fundamento. De qualitatibus autem est duplex dicendi modus, quidam enim dicunt qualitates in sacramento Eucharistiæ manere per se separatas, adeo quod omnia accidentia sensibilia, quæ ante consecrationem fuerunt in pane, eadem numero manent post consecrationem sine subiecto, & hæc est opinio Ocham tract. de Eucharistia, cap. 24. & in 4. dist. septima, Aliaci quæst. quinta, Maioris d. 12. quæst. 2. & Gab. in cano. lect. 44. & in 4. dist. duodecima, quæst. prima art. primo, & fundamentum istorum est, quia negant quantitatem esse vnam aliquam rem a substantia, vel a qualitate distinctam, cum autem qualitates sensibiles non sint post consecrationem in substantia, & quantitas non sit alia res a substantia, & qualitate, seu a re quanta, sequitur, quod in nullo subiecto sunt, non enim sunt in substantia cum ipsa non maneat, sed transubstantietur, neque in quantitate, hæc enim vel est realiter substantia, vel qualitas, nec potest aliud subiectum assignari, ergo sunt sine subiecto, de relationibus autem apud nominales nulla est quæstio, quia non distinguunt relationem a rebus absolutis, nec dici potest, quod vna qualitas sit in alia, quia non est ratio quare magis vna qualitas sit in alia, quam è contrario, tum quia omnes sunt qualitates sensibiles, & vna qualitas sensibilis non est in alia.

Ocham. Aliacus. Maior. Gabriel.

Marsilius.

Marsilius verò in 4. q. 9. articulo secundo, admittens propriam quantitatem a substantia distinctam, ex eo negat qualitates manentes in ea inhærere, quia forte existimauit, etiam cum hæ omnes sunt in subiecto neutram alteri inhærere, quia nihil potest substare nisi quod subsistit, iuxta opinionem improbatam in præcedenti ar. Tum quia nullum signum posset huius inhæsionis assignari, nam sicut quantitas est alba, ita albedo est quanta, ergo vel mutuo sibi inhærent, quod est impossibile, vel neutra alteri, cum sit æqua ratio, solum ergo quia in eodem subiecto vniuntur mutuo se denominant, vnde sequitur qualitates omnes mutare existentiæ modum, quia amittunt inhærentiam, quam in substantia habebant, vnde concludit Marsilius acquirere modum per se essendi post consecrationem, atque adeo omnia accidentia esse ibi sine subiecto, potest autem hæc opinio sic confirmari.

Quodcumque accidens in Eucharistia est sine substantia, ergo quodcumque accidens est sine subiecto, antecedens est manifestum ex quæst. præcedenti, & est de fide, consequentia probatur primo ex Philosopho 7. Meta. t. c. 4 substantia est subiectum omnium accidentium, quia secundum Philosophum substantia ponitur in definitione accidentis, & non nisi tamquam additum, id est, tamquã subiectum, alioquin accidens esset per se ens, si substantia poneretur in definitione accidentis tamquam aliquid de substantia, seu essentia eius, quod est contra Aristot. 5. Meta. c. de ente t. cap. 14. vel e contra substantia non esset ens per se, si poneretur in definitione accidentis, vt aliquid de essentia eius, quia cum accidens sit ens in alio, si substantia esset de definitione, & quidditate accidentis, substantia esset ens in alio, quod est contra Aristot. 5. Meta. t. c. 14. ponitur ergo substantia in definitione accidentis tamquam additum, & non nisi vt subiectum, ergo substantia est subiectum primum omnium accidentium, & ex consequenti cum accidentia in Eucharistia sint sine substantia, omnia sunt sine subiecto. Et confirmatur, quia quando accidentia sunt in substantia, substantia terminat dependentiã cuiuscumque accidentis, sed non terminat nisi vt subiectũ, ergo &c. secundo probatur, aliquod accidens in Eucharistia est sine subiecto, ergo quodlibet potest esse sine subiecto, antecedens patet, quia accidens, quod primo natum est inesse substantiæ, scilicet quantitas, non habet ibi subiectũ, quia non est ibi substantia; consequentia probatur dupliciter, & primo sic, quodlibet accidens æque essentialiter dependet a subiecto, ergo si vnum potest esse sine subiecto etiam quodlibet, secundo probatur, dependentia ad primum est essentialior, quam ad aliquod posterius, sed aliquod accidens potest esse sine substantia, quæ est primum subiectum, ergo quodlibet poterit esse sine dependentia ad quodlibet subiectum, maior patet, quia dependentia ad primam causam est simpliciter necessaria, ergo dependentia ad substantiam est magis necessaria, quam ad quodcũque accidens.

Tertio arguitur materia subiecta cum forma sunt causæ omnium accidentium, quæ sunt in ea velut in actu, primo Phy. sed in sacramento non est substantia aliqua sicut subiectum, nec terminat dependentiam accidentium vt subiectum, vt patet, ergo omnia accidentia sunt ibi sine subiecto, hæc Scot. in hac quæstione sub littera t. §. Item aliquod accidens.

Alex. de Al. D. Thom. D. Bonauẽ. Richard. Henricus. Ægidius. Durandus. Scotus.

His tamen non obstantibus est alius modus dicendi communis omnium aliorum Theologorum. Alexand. de Ales parte quarta, quæstione decima, m. 7. articulo primo, D. Thom. tertia parte quæst. 77. articulo secundo, D. Bonauenturæ in quarta dist. 12. artic. primo, quæst. 3. & articulo 2. quæstione 3. Richardus articulo primo, quæst. 2. Henricus quol. 18. quæst 17. Ægidij Theorem. 45. Durandi distinc. decima septima, quæstione prima, & Doctor. hic, qui omnes tenent qualitates panis, & vini post consecrationem inhærere quantitati. Duplex enim ponunt accidentis subiectum, scilicet vltimatum, & proximum, siue remotum, & immediatum, vltimatum subiectum est, quod vltimate terminat dependentiam actus, seu formæ accidentalis, & tale subiectum est substantia, proximum autem, seu immediatum subiectum illud appellatur, quod terminat dependentiam proxime, & immediate, ita ut non vltimate, & tale subiectum est quantitas. fundamentum istius opinionis est quantitatem esse rem a substantia, & qualitatibus realiter distinctam, cuius demonstratio non pertinet ad præsentem locum, ideo dico primo ad quæst. respõdendu, quod si fiat sermo de subiecto vltimato, omne accidens quodcumque sit illud, siue absolutum, siue respectiuum est in Eucharistia sine subiecto, patet, quia substantia non manet, ergo omnia accidentia in Eucharistia sunt sine subiecto primo, id est, vltimato, quod est substantia. *1. Conclusio*

Dico secundo, quod qualitates, vt albedo, sapor, & huiusmodi si fiat sermo de subiecto proximo, & mediato sunt facta transubstantiatione substantiæ in quantitate, probatur, quia ad sensum videmus, quod albedo in sacramento altaris est extensa, sed non extensa extensione intrinseca seu quæ sit idem realiter cum albedine, sed est extensa extensione per accidens, & extrinseca. Tunc sic. illud quod est extensum per accidens, aut ideo est quia recipit extensionem, aut quia recipitur in extensione, sed albedo in Eucharistia non recipit extensionem, ergo recipitur in extensione, scilicet in quantitate, & per consequens quantitas est immediatum subiectum albedinis, & confirmatur per Philosophum in prædicamentis dicentem. Quanta fuerit superficies, tantum album fore dices, quibus verbis vult habere Philosophus, quod albedo ex natura sua, & intrinsece non est extensa, sed tantum per accidens, scilicet per quantitatem ab ea realiter distinctam. Præterea necesse est sacramentales species manere inter se vnitas, alias solum haberent inter se intimam præsentiam, & quasi penetrationem, vnde ex natura rei non moueretur, vel traheretur, verbi gratia, sapor mota albedine, aut è contrario, quia non habent inter se colligationem, sed qualitates non vniuntur inter se immediate, quia nec possunt vniri *2. Conclusio*

per

Digitized by Google

per modum actus, & potentiæ secundum nominales, quia non est maior ratio de vna quam de alia, & quia neutra respectu alterius habet rationem subiecti, aut formæ, nec inter eas fingi potest aliud genus vnionis, ergo oportet vt in aliquo tertio vniantur, ergo in quantitate, quia nullum potest excogitari aliquid aptius magisque proportionatum, nam non potest esse substantia, vt ex principijs fidei constat, nec qualitas cum sit eadem omnium ratio, ergo quantitas, nam de cæteris prædicamentis nul'a potest esse suspicio, vniuntur ergo omnes qualitates in quantitate tamquã formæ in subiecto proximo, cui omnes inhærent.

3 Conclusio. Dico tertio: accidentia respectiua in Sacramento Eucharistiæ, vel sunt immediatè in quantitate vel in qualitate; in quantitate æqualitas, & inæqualitas, loci circumscriptio, &c. in qualitate vt similitudo, & dissimilitudo; probatur: quoniam in hostia consecrata est æqualitas vnius quantitatis ad aliam quantitatem, & similitudo qualitatis ad aliam eiusdem speciei, est etiam locatio passiua, quæ est respectus dimensionis contentæ ad aerem continentem; sed istæ relationes non sunt ibi sine subiecto, quoniam implicat contradictionem accidentia respectiua esse sine subiecto, extendendo nomen subiecti ad fundamentum, vt probatum est supra; præterea nihil dicitur formaliter esse tale nisi per aliquam formam sibi formaliter inhærentem, sed hæc quantitas demonstrata quantitate hostiæ, dicitur formaliter æqualis, & hæc qualitas demonstrata albedine hostiæ dicitur formaliter similis, & hæc hostia dicitur formaliter circumscribi, & esse in loco, igitur non nisi per aliquas formas respectiuas sibi inhærentes; sequitur ergo, quòd non omnia accidentia in Sacramento Eucharistiæ, sunt sine subiecto.

Et confirmatur: quia aliàs motus esset sine mobili, nam circa illa accidentia potest fieri motus, nedum localis, sed etiam alterationis, potest enim hostia moueri de loco ad locum, & potest calefieri, & frigefieri, sed motus est accidens, ergo si omne accidens in Sacramento Eucharistię esset sine subiecto motus esset sine mobili, quòd implicat contradictionem.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum negatur consequentia, quia licet omnia accidentia in Eucharistia, sint sine substantia; quæ est subiectum primum, tamen non sequitur quòd sint sine subiecto propinquo quod est quantitas, nec plus probat illa ratio sumpta ex 7. Metaphysicæ. Ideo enim in definitione omnium accidentium ponitur substantia, quia nullius accidentis potest haberi conceptus perfectus quietans intellectum, sine additione substantiæ, sed non propter hoc substantia est immediatum additum in definitione cuiuscumque accidentis; imò in definitione alicuius, puta, quantitatis est immediatum tamquam proximum receptiuum; in definitione vero alterius puta qualitatis est additum, vt mediatum receptiuum mediatè terminans eius dependentiam ex eo, quòd terminat dependentiam alicuius alterius ad quod illud dependet; ex quo sequitur, quòd licet in definitione accidentis ponatur substantia, hoc non est, quia substantia sit de quidditate accidentis, sed ponitur tamquam additum.

Secundo sequitur, quòd substantia non ponitur eodem modo in definitione cuiuscumque accidentis, & ratio est: quia substantia respectu alicuius accidentis est subiectum proximum, & immediatum verbi gratia, quantitatis, & respectu alterius est subiectum mediatum & remotum, vt respectu qualitatis; in definitione accidentis cuius substantia est subiectum immediatum ponitur vt additum immediatum; in definitione vero accidentis, cuius est subiectum remotum, ponitur vt additum mediatum; patet ergo quòd licet accidentia omnia in sacramento altaris, sint sine subiecto remoto, id est, sine substantia, non sequitur ex hoc quòd sint simpliciter sine omni subiecto, nec amplius ratio concludit. ita Scot. in hac quæstione sub littera K. §. Ad argumenta.

Ad secundum concedo consequentiam de possibili loquendo de quocumque accidente absoluto; & ad probationem dico, quòd non est essentialior habitudo illorum accidentium, qui ponuntur hic in subiecto ad substantiam, quam ad subiectum suum immediatum, in quo ponuntur manere, nam nec ad substantiam, nec ad quantitatem subiectum suum immediatum habent essentialem habitudinem, vt probatum est supra, sed ad quantitatem subiectum suum immediatum habet habitudinem accidentalem, & inest sibi in sacramento, sicut ante quando manebat in substantia panis; & eadem habitudine, & inhærentia, & sicut tunc inhærentia qualitatis non terminabatur per se ad substantiam panis, nec substantia panis erat subiectum per se qualitatis, ita facta transubstantiatione, licet non maneat substantia panis, manet tamen talis inhærentia qualitatis ad quantitatem; & cum probatur per simile de dependentia effectus ad causam primam; Dico, quòd non est simile de accidentibus, quæ ponuntur manere in Eucharistia in subiecto comparando ea ad primum subiectum, scilicet substantiam, & ad subiectum immediatum, & de effectu comparando ipsum ad causam simpliciter primam, & ad secundam, quoniam effectus quicumque positiuus habet essentialem habitudinem sibi essentialem, seu consubstantialem terminatam per se primo ad causam primam, & alium respectum accidentalem ad causam extrinsecam secundam extrinsecam actu existẽte, accidentalem dico, quia causa extrinseca secunda destructa põt talis effectus manere, & talis respectus sibi non inesse, accidens vero absolutum, quodcumque non dicit essentialem habitudinem ad primum subiectum, nempè ad substantiam, & per consequens argumentum non concludit.

Ad tertium dico, quòd licet materia subiecta cum forma sit subiectum remotum, vel partes subiecti potius quã subiectum accidentium aliquorum, quæ insunt toti per se subiecto quamdiu insunt; tamen non oportet, quòd sint omne subiectum puta immediatum, atque adeo destructa substantia bene possunt immediatè manere talia accidentia in subiecto immediato, de illo autẽ accidente quod inest substantiæ immediatè sicut quantitas, dico quòd est ibi sine omni subiecto.

QVÆSTIO III.

Vtrum accidentia in Eucharistia possint habere quamcumque actionem, quam poterant habere in subiecto.



Voniam materia huius, quæstionis Philosophica valde est, eam vt exactius explicemus in sequentes diuidimus articulos.

Primus art. Vtrum causa æquiuoca totalis sit nobilior suo effectu.

Secundus art. Vtrum substantia possit esse immediatum principium producendi aliquid.

Tertius art. Vtrum accidentia sint instrumenta substantiæ, ita, quòd attingant ad productionem substantiæ.

Quartus art. Vtrum omnis actio, quæ competit accidentibus coniunctis competat accidentibus separatis à substantia.

Quintus art. Vtrum accidentia separata possint habere actionem intentionalem in sensum, & realem in passum ipsum alterando.

Sextus art. Vtrum accidens separatum possit esse instrumentalis causa generandi substantiam.

ARTICVLVS I.

Vtrum causa æquiuoca totalis sit nobilior suo effectu.

Causa æquiuoca ea dicitur, quæ est alterius rationis, seu speciei ab effectu ab ipsa producto, adeo quòd effectus distinguitur essentialiter, & specificè à causa æquiuoca, & cum species se habeant sicut numeri, ita quòd vna est essentialiter altera perfectior, sequitur vel causam æquiuocam perfectiorem esse effectu, vel è contra; Dicitur autem causa æquiuoca totalis, quæ in suo ordine causandi potest aliquem effectum sufficienter producere, & sine qua non potest talis effectus produci, vel qua posita, & alio circumscripto potest effectus produci. *Causa æquiuoca quid sit.*

Quod autem causa æquiuoca totalis non sit perfectior

suo effectu, probat Doct. tripliciter in hac quæst. sub litt. f. §. secunda conclusio.

Albedo est causa æquiuoca suæ intellectionis, & tamen albedo non est perfectior intellectione, ergo causa æquiuoca non est perfectior suo effectu, consequentia patet, & antecedens probatur: quoad vtramque partem, & primo, quòd albedo sit causa æquiuoca suæ intellectionis, patet: quia accidens corporale, & accidens spirituale sunt alterius speciei, sed albedo est accidens corporale, & sua intellectio est accidens spirituale, ergo sunt alterius rationis, & per consequens albedo est causa æquiuoca suæ intellectionis; secunda pars probatur, accidens spirituale est nobilius accidente corporali, intellectio albedinis est accidens spirituale, & albedo est accidens corporale, ergo intellectio albedinis est perfectior ipsa albedine.

Galenus. Secundo probatur auth. Galeni dicentis, quòd in semine est virtus diuina formatiua fœtus, quæ tamen virtus est agens æquiuocum, & talis virtus non est ita perfecta sicut ipse effectus, ergo non omne agens æquiuocum est perfectius suo effectu.

Tertio probatur: quia clarum est, quòd genita per putrefactionem generantur generatione æquiuoca, & tamen sunt perfectiora cœlo, vt patet de ipsa rana, & similibus, ergo non omne agens æquiuocum est perfectius suo effectu; maior patet, & minor probatur, quia viuentia sunt non viuentibus perfectiora; Et confirmatur: quoniam generatio istorum non contingit reducere in aliud principium, nec potest reduci in Deum tantum, quia formæ istæ sunt in potentia passiua naturali materiæ, & per consequens eis respondet potentia actiua naturalis, & tamen cœlum, & semen secundum se sunt aliquid ignobilius, quam sit aliquod viuum generatum per putrefactionem, vel per naturalem generationem, ergo, &c.

Conclusio. Sed his non obstantibus dicendum est causam æquiuocam totalem perfectiorem esse suo effectu; per nullas enim particulares instantias neganda est vniuersalior hæc propositio, causa totalis non potest esse imperfectior causato, loquendo de causa totali effectiua, imò semper est perfectior, probatur concl. & primo supponitur, quòd licet hæc propositio (simpliciter imperfectius secundum speciem vel genus non potest esse totale principium actiuum respectu perfectioris) sit atque nota, sicut aliqua in Philosophia, qua negata probari non posset aliquis ordo entium; imò nec quod primum ens est perfectissimum, imò posset proteruiendo dici, quod totum vniuersum, & quodlibet in eo factum est à musca, adeo quòd data falsitate prædictæ propositionis, sequeretur quòd prima causa non esset perfectissima, & quod vna musca posset producere totum mundum, sed ista sunt maxima impossibilia, & maxima inconuenientia, & quod sequatur patet: quoniam si proteruus negaret istud principium, Imperfectius non potest producere perfectius, ex eius opposito sequeretur, quòd vna musca posset producere totum mundum, & equus hominem, & asinus Angelum, nam quis poneret, quòd musca potest producere hominem, & arguerem quòd non: quia imperfectius non potest producere perfectius se, si proteruus negaret hoc principium non remaneret medium ad positum illud improbandum; & ita sequeretur, quod prima causa non esset perfectissima excellens omnia alia in creatione, nec etiam hoc addito, quòd sit causa æquiuoca, imò cum hoc posset stare secundum præteruiam istam, quod esset imperfectissima, vel imperfectior causatis.

Cæterum ne gratis hæc dicta videantur, hoc supposito probat Doctor, in hac quæstione sub littera g. §. Primo sic, prædictam propositionem quatuor rationibus, & primo sic, omnis causa vniuoca habet effectum pro termino adæquato suæ potentiæ, id est, causa vniuoca producit effectum qui est ei similis, & æqualis perfectionis, sed per te qui negas prædictum principium causa æquiuoca totalis potest esse imperfectior suo effectu, ergo causa æquiuoca non potest producere illum effectum, qui producitur ab vniuoca, & per consequens Deus qui est causa æquiuoca non potest producere effectum, cuius causa est creatura, quod est absurdum, consequentia hæc vltima probatur; effectus adæquatus potentiæ perfectiori non potest produci à potentia imperfectiori, sed per te causa æquiuoca est imperfectior causa vniuoca, ergo effectus causæ vniuocæ non potest produci à causa æquiuoca, & per consequens Deus non potest producere hominem se solo, quòd est absurdum.

Vis huius rationis consistit in hoc; impossibile est quòd aliquid sit causa totalis alicuius nobilioris effectus, quam esset effectus illi causæ simpliciter adæquatus, sed ignobilior effectus illo nobiliori esset simpliciter adæquatus, & in esse, & in perfectione illi causæ æquiuocæ minus nobili, & nobilior non potest esse adæquatus, sed excedit, vt patet, ergo, &c.

Secundo arguitur. Quandocumque ad aliquem effectum concurrunt duæ causæ, quarum vna est æquiuoca, & alia vniuoca, semper æquiuoca est simpliciter perfectior, ergo falsum est, quòd causa æquiuoca totalis sit imperfectior suo effectu, antecedens patet per Philosophum 7. Metaphysicæ, textus capitulo vigesimonono, quia oportet ordinem accidentalem reducere ad aliquam causam perfectiorem toto illo ordine, & ratio est: quia oportet quòd difformitas vniformis reducatur in causam vniformem extra, illum ordinem & perfectionem, quæ quidem causa regulet totum illum ordinem, quoniam videmus quòd si capitur ordo generabilium, & corruptibilium aliquorum eiusdem speciei ibi inuenitur difformitas vniformis, id est, difformitas illarum, quæ sunt eiusdem speciei, quia vnum generatur, & aliud corrumpitur, & ideo dicit Aristot. quòd propter istam difformitatem oportet ponere extra illum ordinem vnam causam perfectiorem, quæ regulet totum illum ordinem, & sit causa continuitatis, & vniformitatis in continuationem generationis, & corruptionis, ex quo sequitur quòd si prædictæ causæ concurrunt ad eumdem effectum, quod causa æquiuoca est perfectior vniuoca; sed quòd non nimis causa æquiuoca possit producere suum effectum sine vniuoca, hoc prouenit solum ex imperfectione alicuius causæ æquiuocæ, quia licet Deus posse producere omnem effectum sine causa vniuoca, Sol tamen qui etiam est causa æquiuoca non potest producere animal perfectum, scilicet hominem, vel equũ, licet possit imperfectum producere, vt ranam, vel murem; ergo quæcumque causa æquiuoca, quæ potest in effectum sine causa vniuoca est simpliciter perfectior illa causa æquiuoca, quæ solum potest in effectum mediante vniuoca, & per consequens æquiuocatio talis, id est, causa æquiuoca totalis habet duplicem præeminentiam causalitatis in effectum, vnam quam habet vniuersaliter causa æquiuoca concurrens cum vniuoca, & aliam, quia habet illam perfectionem, quam vniuoca addere in causando, qua carent multæ causæ æquiuocæ, licet longe perfectiores vniuocis, verbi gratia, Deus gloriosus habet duplicem rationem causalitatis in effectum, vnam quia potest producere effectum cum causa vniuoca, & alteram quia potest producere effectum sine causa secunda vniuoca; & ex eo hanc perfectionem habet, quia continet totam perfectionem, quam continent multæ aliæ causæ æquiuocæ, licet sint multis causis vniuocis perfectiores, atque etiam eam, quam continent omnes causæ vniuocæ; ex quo tandem sequitur, quòd quandocumque ad aliquem effectum concurrunt duæ causæ, videlicet æquiuoca, & vniuoca, æquiuoca est simpliciter perfectior.

Et si dicatur, Sol, & homo concurrunt ad generationem hominis, & Sol est causa æquiuoca & homo vniuoca, ergo Sol est perfectior homine quòd est falsum; Dico quòd in productione hominis duo sunt consideranda; primo productio ipsius animæ intellectiuæ, & quo ad hoc dico, quòd nec Sol, nec homo concurrunt.

Secundo est consideranda productio formæ corporeitatis disponens ad animatum, & respectu huius homo est agens æquiuocum, sicut Sol; & sic ratio non procedit. Et si dicatur, ergo homo non erit vniuocè generans, dico quòd homo est generans vniuocum respectu compositi, seu animati, &c. vel dicas, quòd ipsa materia est imperfectior cœlo, atque ita erit perfectius composito ex materia prima, & forma corporeitatis, quod tamen compositum non est homo, ex quo apparet, quòd illud dictum Arist. 2. Physic. Sol, & homo generant hominem, est verum tantum dispositiuè.

Breuiter hæc secunda ratio consistit in hoc, quando possunt esse duæ causæ totales in eodem ordine respectu eiusdem effectus, quarum vna est æquiuoca, & altera vniuoca, planum est, quòd æquiuoca est simpliciter nobilior,

Digitized by Google

nobilior, & perfectior quam vniuoca, sicut patet de calore & virtute solis respectu caloris, sed causa vniuoca totalis non exceditur in perfectione à suo effectu, vt patet, ergo impossibile est, quòd excedatur causa æquiuoca totalis, si enim excederetur, sequeretur quòd & causa vniuoca excederetur, & simpliciter sequeretur, quòd effectus adæquatus perfectiori virtuti, scilicet causæ vniuocæ, quæ est eiusdem rationis cum effectu, & per consequens nobilior, quam causa æquiuoca, sicut & effectus posset esse à minori virtute, & tunc nulla causa est, quare creatura possit in quemcumque effectum, in quem potest Deus; vt deductum est supra.

Dare esse est dupliciter formaliter & effectiue. Tertio arguitur: & supponitur primo, quòd aliquid potest dare esse alicui dupliciter, vno modo formaliter, alio modo effectiuè, illud dat esse effectiuè alicui, quod producit illud; illud verò dat esse formaliter, quod est aliquid per quod aliquid est tale formaliter; exemplum primi, Deus dat effectiuè esse omni creaturæ; exemplum secundi, anima intellectiua dat esse formaliter homini, quia per ipsam Petrus formaliter est homo.

Hoc supposito arguitur. Si forma causæ æquiuocæ daret esse formaliter alicui, non daret sibi perfectius esse, quã ipsamet haberet, ergo causa æquiuoca dans esse effectiuè non potest dare perfectius esse, quam ipsa habeat; consequentia probatur, quia dare esse formaliter est perfectius, quam dare esse effectiuè; sed si daret esse formaliter non daret perfectius esse, quam haberet; ergo dans effectiuè esse non dat perfectius esse, quam habeat, maior probatur: quoniam non est possibile, quòd aliquis modus dandi aliquod esse sit ita perfectus, sicut modus dandi esse formaliter, sicut nec ipsa essentia diuina potest dare alicui esse, in quocumque genere causæ perfectius, quam sit esse quod ipsa dat formaliter, sequitur ergo quòd causa æquiuoca non dat alicui per naturam suam effectiuè nobilius esse quam suũ; atque adeo nullus effectus causæ æquiuocæ totalis potest esse perfectior causa æquiuoca.

Quarto arguitur. Impossibile est, quòd aliquid sit causa totalis alicuius nobilioris effectus, quam esset effectus illi causæ simpliciter adæquatus, sed ignobilior effectus illo nobiliori esset simpliciter adæquatus in esse, & in perfectione illi causæ æquiuocæ minus noui, & nobilior non potest esse adæquatus, sed excedit vt patet, ergo non potest esse effectus causæ æquiuocæ imperfectioris se ipso, probatur: quia nihil est in effectu causæ totalis, quòd non causetur à causa totali, & contineatur in ipsa, si igitur effectus excedit causam totalem, sicut dicis, accipio illum effectum; qui licet sit simplex, tamen secundum istum intellectum potest diuidi in duo, scilicet, in illud in quo æquatur causæ, & in illud in quo excedit causam, primum dicatur a. secundum b. ille effectus secundum a. præcisè est effectus adæquatus causæ suæ, quia simpliciter æquè perfectum ens sicut causa; accipio ergo illud in quo excedit, scilicet b. & quæro à quo sit causatum, certum est quòd non ab illa causa, quia residuum secundum a. est sibi simpliciter adæquatum, & vltra effectum adæquatum causæ non potest esse simul aliquod excellentius ab ipsa, vel ergo erit à se ipso, vel à nullo; à se ipso non potest esse, quia nihil se ipsum producit, nec potest dici, quòd sit ab aliquo alio, quia hæc quæ ponitur causa totalis effectus non esset causa totalis, ergo erit à nullo, & ex consequenti erit incausatum; vel causa totalis non est causa totalis, vel effectus totalis non est effectus totalis, quod est contradictio; patet ergo ex his rationibus, quod causa æquiuoca totalis est perfectior suo effectu.

Ad rationes in oppositum respondetur, & ad primum dico, quod albedo non est causa totalis intellectionis, licet sit æquiuoca, sed tantum partialis, & non est inconueniens, imò est verum de facto, quòd aliquis effectus excellit in perfectione suam causam æquiuocam partialem, vt patet de albedine, & sua intellectione, & de rana respectu solis, cuius ratio est, quia reliquam perfectionem, qua excedit suam causam æquiuocam partialem, potest habere ab alia causa partiali, nimirum ab intellectu, atque adeo licet albedo producat intellectionem partialiter, quæ intellectio est perfectior ipsa albedine, tamen albedo, & intellectus, quę integrant vnam causam æquiuocam totalem non possunt producere aliquid perfectius se ipsis.

Et si dicatur, albedo est totale agens æquiuocum respectu speciei sensibilis, & tamen species sensibilis est perfectior ipsa albedine.

Gregor. de Arim. Respondet Gregorius Arimin. quòd falsum est antecedens: quoniam albedo non est totale agens æquiuocum speciei sensibilis, sed tantum partiale, quia simul cum albedine concurrit lumen existens in medio. Secundo dici potest, quòd species sensibilis albedinis non est perfectior ipsa albedine, quia est accidens corporale sicut ipsa albedo cum recipiatur immediatè in organo.

Et si iterum dicatur, sensibilia communia sunt sensibilia per se, vt quantitas, figura, &c. & certum est, quòd quantitas causat speciem sensibilem sui, cum sit per se sensibilis, sed species sensibilis est perfectior quantitate, quia qualitas à toto genere est perfectior quantitate; ergo causa æquiuoca totalis non est perfectior suo effectu.

Respondetur, quòd sensibilia communia non sunt causæ totales suarum specierum sensibilium, sed cum illis concurrunt semper sensibilia propria, quæ sunt qualitates.

Ad secundum dico, quòd cœlum non est generans aliquod viuum, nec in virtute propria, nec alterius, puta intelligentiæ, quia licet ipsa intelligentia sit nobilior cœlo, tamen non potest viuum producere, sed breuiter quælibet forma viui in quocumque viuo generato, siue per putrefactionem, siue per generationem producitur à Deo immediatè dispositione facta ab alijs agentibus.

Et ad aliud de semine, nego quòd talis virtus sit productiua effectus, sed est tantum dispositiua, vnde imaginandum est, vt dicunt Philosophi, quòd in semine sunt aliquæ qualitates, quæ vocantur spiritus alteratiui, qui alterant, & disponunt semen mulieris ad generationem formæ.

Ad confirmationem dico, quòd non oportet omni potentiæ passiuæ naturali eo modo, quo accipitur in proposito pro potentia de qua aliquid est educibile, correspondere aliquod agens creatum, sed sufficit quod sibi correspondeat agens in tota coordinatione entium, & satis est, quòd sibi correspondeat agens increatum supplens vicem talis agentis, & agens modo naturali educendo, scilicet, talem formam de potentia naturali subiecti modo naturali, quia per veram mutationem realem materiæ, seu subiecti, quæ est actus causatiuus, & productiuus ipsius geniti, licet non eadem mutatione, qua ipsum produceret agens natura le, sed de hac materia videatur, quæ scribit Doct. in 2. d. 18.

ARTICVLVS II.

Vtrum substantia possit esse immediatum principium producendi aliquid.

DE hac re est opinio Thomistarum dicentium, quòd accidens est immediatum principium cuiuscumque actionis, ita quòd substantia non est immediatum principium alicuius actionis sed magis ipsum accidens, differenter tamen; nam accidens in virtute propria est principium actionis terminatæ ad accidens, sed generationis, vel corruptionis, quæ habent terminos substantiales, non est principium in virtute propria, licet sit immediatum principium, sed magis in virtute substantiæ. Imaginantur ergo isti, quòd substantia nullam habet actionem elicitiuam cuiuscumque termini siue substantialis, siue accidentalis, sed accidens est immediatum principium actionis terminatæ ad accidens in virtute propria, & est immediatum principium actionis terminatæ ad substantiam, id est, generationis in virtute substantiæ. Et dico immediatum principium, quia inter vtramque actionem, & accidens ipsum nullum est principium medium.

Quod forma substantialis non sit immediatum principium generandi substantiam probatur ex 2. de anima cap. 4. vbi dicitur, quòd calor est principium, quo anima nutrit, & generat, ergo anima immediatè non nutrit, & generat, sed hoc facit medio calore. Secundo probatur eadem sententia, ab eadem causa procedit generatio, & alteratio, sed alteratio non procedit immediatè à substantia, sed ab accidente, ergo & generatio; maior patet: quia generationis terminus alterationis, terminus autem & id cuius est terminus sunt ab eadem causa.

Digitized by Google

Ex his concludunt, quòd in actionibus naturalibus formæ substantiales non sunt immediata principia agendi, vel principia proxima, sed quòd agentia naturalia agunt mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis tamquam propriissimis instrumentis, & hoc non solum quo ad productionem accidentium, sed etiam quo ad productionem substantiæ, ita vt ipsa accidentia sint, quæ in virtute substantiæ, & corrumpant omnes dispositiones, quibus forma expellenda conseruabatur, & eijciant formam ipsam substantialem à materia, & inducant formam substantialem de nouo generandam; & hanc opinionem docet D. Thomas in quarto distinctione duodecima, quæstione prima articulo primo, & tertia parte quæstione 77. articulo 3.

D. Thomas.

Sed hæc positio videtur falsa, & impossibilis, qua posita eius authores sibi ipsis in multis contradicunt, quod vt appareat pono contra eos duas conclusiones.

1. Conclusio

Prima conclusio, forma substantialis, verbi gratia, ignis generantis est immediatum principium generationis alterius ignis, ita quòd disposita materia in vltimo instanti dispositionis forma substantialis, ignis est principium, quo ipse ignis producit substantiam, & corrumpit formam corrumpẽdam, hæc conclusio est Docto. in hac quæstione sub littera D. §. concedo primam propositionem; probatur conclusio. Nihil est instrumentum alicuius causæ, nisi illa causa sit superior, & principale agens, sed accidens per eos est instrumentum substantiæ ad substantiam generandam, ergo substantia est superius agens, sed superius agens prius naturaliter agit, & si est agens naturale agit quicquid potest, vel quantum potest, quia sicut non habet in potestate sua actionem, ita nec modum agendi, ergo substantia in illo priori (licet in eodem instanti temporis, in quo agit vt superius agens, & accidens vt instrumentum eius) producet terminum quem potest producere. sed potest producere totam substantiam; quia perfectio substantiæ productæ non excedit perfectionem substantiæ agentis, ergo in secundo instanti naturæ accidens agens non producit substantiam, vel eadem bis producetur.

Scotus.

Pro intelligentia huius rationis obseruandum est, quòd licet quando duo agentia subordinata concurrunt, simul ad aliquem effectum producendum agens superius, & principale prius agat, non dicitur tamen prius agere, eo quòd effectus prius producatur ab ipso, & deinde ab agente inferiori, quia tunc bis produceretur, sed in eodem instanti ambo agentia simul agunt; sed ex eo principale agens dicitur prius natura producere, quia quantum est de se non dependet in agendo ab inferiori agente, imò è conuerso, ita quòd quando dicitur, quòd principale agens agit prius naturaliter, quam agens minus principale, intelligitur quòd agit prius, id est, independenter respectu minus principalis; ex æquo tamen concurrunt, atque adeo immediatè vtrumq. attingit effectum; & per consequens cum accidens sit agens instrumentale respectu substantiæ generantis; ex æquo substantia, & accidens attingunt terminum generationis; nam si prius accidens attingeret terminum generationis, quam substantia, vel substantia non generaret substantiam, vel eadem substantia genita bis produceretur, semel ab accidente, & iterum à substantia, ergo si ex æquo terminum generationis attingunt, sequitur, quòd substantia est immediatum principium attingendi substantiam, quod est propositum.

Et confirmatur: quia generatio est actio substantialis, ergo principium generans immediatum ipsius generationis debet esse substantia, probatur consequentia, quia non potest esse accidens, vt probabitur in sequenti art. ergo est substantia.

Præterea illa forma est principium agendi, in qua generans, & genitum assimilantur, sed genitum principaliter assimilatur generanti in forma substantiali, & secundum quid in forma accidentali, ergo forma substantialis est principium generandi substantiam; maior probatur, quia in generatione vniuoca debet poni per se principium generationis aliquid, in quo per se vniuocentur generans, & genitum, & in quo assimilentur; pro tãto enim D. Tho. prima parte, quæstione secunda, articulo quinto, probat, quòd relatio non est principium quo generandi in diuinis, sed magis aliquid essentiale, vel essentia, quia forma est principium agendi in qua generans, & genitum assimilantur;

D. Thomas.

Et si dicant, quòd ratio concludit, quòd forma substantialis est principium generandi substantiam, sed remotum, & quòd hoc sufficit ad hoc quòd genitum, & generans sint vniuoca; Contra, inquit Docto. quia nemo negat in Deo esse aliquam formam, quæ sit principium proximum agendi, non quod sine causis intermedijs agat, sed quod in suo ordine causandi, quòd nihil medium vltra formam suam agit; ita esto in proposito (quòd tamen falsum est, & improbabitur sequenti articulo) quòd accidens habeat quandam actionem ad substantiam posteriorem actione substantiæ, substantia tamen per suam propriam formam erit principium actionis sibi propriæ in suo ordine agendi, adeo quòd sicut Deus est principium agendi remotum; sed tamen propter hoc nullus negat, quin possit producere immediatè aliquid, & esse principium immediatum in suo ordine, ita similiter licet substantia sit principium remotum, & concedatur accidens habere actionem aliquam ad substantiam, tamen substantia per suam formam substantialem est principium actiuum, & immediatum in suo ordine agendi producendi substantiam.

Vnde obseruandum est, quod causæ essentialiter subordinatæ in agendo, si comparentur inter se, quanto causa est superior, tanto dicitur remotior, non quidem ab effectu, sed à causa proxima; si autem comparentur ad effectu omnes immediatè concurrunt, & immediatè in suo ordine effectum attingũt, verbi gratia, Deus, Sol, & homo generant hominem, si huiusmodi causæ inter se se comparentur, Deus dicitur causa remota, & homo causa proxima, sed si effectum, id est, ad hominem genitum, omnes sunt causæ immediatæ, quia omnes simul in eodem instanti immediate effectum producunt, licet vna dependenter ab alia, nimirum inferior à superiori.

Secunda conclusio. Substantia producit effectiuè, & immediatè aliquod accidens: probatur, & primo supponitur secundum Thomistas, quòd potentia purè passiua est potentia contradictionis, vt etiam docet Arist. 9. Meta. tex. capitulo 17. adeo quòd si est, aliquod passum recipiens aliquam formam respectu cuius nullam actiuitatẽ habeat, illud passum potest habere, & non habere illam formam; patet de materia respectu formæ substantialis, & de aqua respectu caliditatis.

2. Conclusio

Arist.

Secundo supponitur secundum illos, & etiam secundum veritatem, quod subiectum respectu propriæ passionis non se habet in potentia contradictionis, quia aliàs posset esse sine propria passione.

Tertio supponitur secundum eos, quòd propriæ passiones sunt accidentia, quia sunt in tertia specie qualitatis. His suppositis arguitur sic, subiectum non est in potentia contradictionis respectu propriæ passionis, ergo habet aliquam causalitatem respectu eius, aliam à causalitate materiæ, seu subiecti, sed non habet causalitatem causæ formalis, vt patet, quia subiectum non est causa formalis suæ propriæ passionis; nec finalis, quia de fine non est hic sermo, ergo habet causalitatem causæ efficientis, sed passiones sunt accidentia subiecti secundum eos, ergo substantia est immediatum principium accidentis.

Præterea potentiæ animæ secundum eos fluunt immediatè ab ipsa anima, & potentiæ animæ secundum ipsos sunt accidentia, ergo aliqua accidentia fluunt immediatè à substantia, sed per istum fluxum non potest intelligi, nisi causatio aliqua istarum potentiarum ab ipsa anima; non enim potest intelligi mera receptio passiua earum in anima; quia anima non determinaret sibi potentias, & posset esse sine eis; prætereaquam quod si huiusmodi fluxus esset tantum receptio passiua accidentium in subiecto, à quo dicuntur fluere, omne id, quod reciperetur in aliquo flueret ab illo, atque ita anima à corpore, & gratia ab anima, & huiusmodi.

Præterea ipsi dicunt, quòd accidentia habent virtutem instrumentalem, quia causantur à principijs essentialibus substantiæ, ergo substantia est immediatum principium accidentis saltem illius, quod immediatè fluit à principijs essentialibus substantiæ, antecedens patet ex D. Tho. 3. p. q. 77. art. 6. ad tertium.

Præterea si accidens producitur, & per aliquod principium productiuum immediatum per se, quod est accidens, quærito ordinem essentialem in istis accidentibus, &c. Pro intelligentia huius rationis obseruandum est, quòd

duplex

duplex est ordo in generabilibus, quidam est ordo accidentalis, & quidam est ordo essentialis; ordo accidentalis dicitur esse inter causas accidentaliter subordinatas, quemadmodum sunt causæ eiusdem speciei, vt Socrates producit Platonem, & Plato producit Aristotelem, talis ordo est accidentalis, sed ordo essentialis inuenitur inter illas causas, quæ sunt alterius speciei, vt inter Deum, Solem, & hominem, quia ista habent ordinem essentialem in producendo hominem.

Secundo obseruandum est, quòd vbicumque est ordo accidentalis oportet, quòd talis ordo habeat aliquam causam perfectiorem extra illum ordinem, à qua totus ille ordo depēdeat, exemplum, Petrus est productus a Victorio, & ille à Francisco, & Franciscus ab alio, & sic de alijs, & quoniam in hoc ordine non contingit ire in infinitum, ideo oportet dare extra istum ordinem vnam causam perfectiorem, quæ sit productiua hominis; nam omne per accidens reducitur ad per se.

His suppositis arguitur sic. Ordinata accidentaliter, siue in causando, siue in essendo reducuntur ad vnum per se principium, inter quod & totam multitudinem ipsorum est per se ordo, sed accidentia in causando, vel in essendo sunt ordinata per accidens; nam sicut est ordo per accidēs, vel accidentalis inter hominem generantem, & genitum, ita inter accidens causans, & causatum, ergo oportet accidentia reducere ad per se principium, quod se habeat in ratione principij primi respectu omnium accidentium, & per consequens sit immediatum principium accidentis, & illud non est nisi substantia, quæ est prior omni accidente; accipio enim calorem ignis, & quæro à quo immediate causetur, si dicas, quòd à substantia ignis, habeo propositum, quòd substantia est immediatum principium accidentis; si ab alio calore quæro de illo alio sicut prius, & cum non sit procedere in infinitum, ergo standum est ad aliquem calorem causatum, & non ab alio calore, sed immediatè à substantia, & per consequens substantia habebit rationem principij actiui, immediatè respectu accidentis.

Et confirmatur per Philosophum 7. Metaphysicæ, text. capitulo 32. vbi dicit per proprium substantiæ ex his accipere est, quia necesse est præexistere aliquam alteram substantiam actu existentem, quæ facit vt sit animal, si sit animal quale verò, & quantum, non necessariò nisi potestate solum, vult ergo ad hoc quòd substantia fiat, est necesse aliā substantiam præexistere, quæ producat, sed adhoc quòd quantum, vel quale producatur, non oportet aliquod quantum, vel quale præexistere nisi potentia tantum, ergo aliquid quod non est actu quantum, nec quale potest esse principium productiuum immediatum quanti, & qualis.

Et confirmatur iterum per Aristotelē 4. Metheororum, vbi dicit quod singulum est id, quod est, dum potest in propriam operationem, ergo si substantia est ens, oportet φ immediatè possit habere operationem propriam.

Et si dicas, quòd istæ authoritates non loquuntur vniuersaliter, quia clarum est, quòd sunt aliqua entia adeo imperfecta, quod non possunt aliquid producere, sicut patet de materia prima.

Respondet Doctor, quòd licet istæ authoritates habeant instantiam de entibus imperfectis, tamen videtur valde inconueniens, quòd ens perfectissimum secundum genus inter creata, nimirum substantia careat actione, ita quòd forma eius nō possit esse principium immediatum, & proximum productiuum alicuius actionis.

Ad primum fundamentum Thomistarum respondetur, quòd calor animalis non dicitur instrumentum nutritionis, nisi quia anima medio calore disponit, & alterat, & dirigit cibum vsque ad instans conuersionis cibi in substantiam aliti, in instanti vero in qua fit conuersio sola forma substantialis animalis est causa effectiua conuersionis.

Ad secundum dico, quòd generatio non est terminus intrinsecus alterationis, sed extrinsecus, quod declaratur exē plo, superficies ignis, quæ tangit cœlum est terminus intrinsecus quantitatis ignis, quia illa superficies est intra quantitatem ignis, at verò superficies cœli, quæ tangit ignem est terminus extrinsecus ignis, generatio ergo ignis ex ligno est terminus extrinsecus alterationis, qua calefactum est lignum, & idem est iudicium de alijs alterationibus, quod sit terminus est manifestum, quia in generatione ignis finitur calefactio ligni, neque vltra procedit, quod verò sit extrinsecus probatur, quia illa generatio est extra alterationem ligni, & in alio subiecto, & alterius rationis, vnde potius colligitur, quòd debent causari à causis diuersæ rationis; siquidem ipsæ inter se diuersæ rationis sunt, atq; ita iuxta Scot. sententiam, quando ignis generat ignem ex ligno tota calefactio, quæ fit in ligno est vsque ad instans generationis exclusiuè, in instanti verò generationis ignis calor ignis generantis nihil agit, sed substantia ignis generantis est tota causa ignis geniti.

ARTICVLVS III.

Vtrum accidentia sint instrumenta substantiæ ita, quòd attingant ad productionem substantiæ.

OBseruandum est primo, quòd agere principaliter potest intelligi dupliciter, vno modo independenter ab aliquo superiori agente, quomodo solus Deus agit, quia à nullo dependet, quo pacto non dicuntur agere principaliter causæ creatæ, quia omnes agunt dependēter a Deo. Secundo modo dicitur agere principaliter, id est per formam intrinsecam propriam agentis, licet in agendo dependeat à superiori agente, similiter instrumentum, vel causa instrumentalis, si opponitur causæ principali primo modo, tunc instrumentum eo dicitur, quia dependenter ab altero agēte operatur, quamuis operetur virtute propria sibi intrinseca, & hoc modo omnes causæ naturales dicuntur instrumenta Dei; Si autem instrumentum opponatur causæ principali secundo modo, tunc id dicitur instrumentum, quod non habet in se formam actiuam intrinsecam in suo ordine causandi, sed ideo agit, quia actualiter mouetur ab aliquo vt instrumentum artificis, v.g. serra.

Ex his sequitur, quòd instrumentum aut dicitur communissime, & sic comprehendit etiam causam secundam, vt accipitur pro eo, quod est pars, per quam totum agit, sic dicuntur in secunda de anima organa sensuum, & aliarum potentiarum instrumenta, per quæ totum operatur, tertio dicitur instrumentum, quo vtitur artifex, & hoc est propriè instrumentum, quia reliqua instrumenta, cum habeant propriam virtutem per quam agunt, dicuntur respectu sui producti propriè actiua; instrumentum autem artificis non est actiuum, serra enim verbi gratia, non habet in se nisi quantitatem, figuram, & motum localem, de quibus omnibus patet, quòd non sunt species actiuæ, neque ipsa durities serræ est forma actiua, quia si Deus de potentia absoluta conseruaret serram confectam de butyro in eadem quantitate, & figura mouendo ipsam localiter æquè diuideret corpus, sicut modo serra ferrea diuidit.

Conficiuntur autem diuersa instrumenta, quia secundum proportionem figuræ cuiuslibet instrumenti expellitur corpus, ideo ad istud instrumentum sequitur iste effectus, & ad istud ille, & non ad quodlibet instrumentum, quilibet effectus.

Hoc autem ideo contingit, quia non actiuè, sed formaliter expellit aliud corpus, quod sic probari licet; Vbicumque est formalis incompossibilitas aliquorum vnum illorum non expellit aliud actiuè, sed formaliter, quamuis agens inducens vnum effectiuè, expellat aliud effectiuè, talem autem incompossibilitatem habent duo corpora respectu eiusdem vbi, ergo vnum expellit aliud formaliter, & non effectiuè; Idem etiam dicendum de duabus qualitatibus contrarijs eiusdem subiecti, verbi gratia, frigus & calor, sic se habent incompossibiliter respectu eiusdem subiecti, quod calor existens in manu mea non expellit efficienter frigiditatem à manu, sed tantum formaliter, agens autem inducens calorem in manu mea effectiuè, frigiditatem effectiuè expellit, quod agens est ignis, & eius calor, qui efficienter producunt calorem in manu mea, pari formiter se habet serra respectu corporis, quod diuidit; Diuisio enim illa non est nisi quædam expulsio partium ad vbi, ad quod mouetur serra ab ipso Artifice.

Secundo sequitur, quod ad hoc quòd instrumentum sit actiuum debet habere in se formam actiuam, per quam agat quamuis dependenter à causa, cuius est instrumentum, & hoc vel in esse quieto antequam agat, quomodo causæ naturales respectu Dei, & accidentia respectu substantiæ dicuntur instrumenta actiua, vel in quantum mouentur à causa principali, vt verbi gratia, ferrum non calefaciet corpus, nisi apponatur igni, à quo recipiat calorem, per quem simul calefaciet, & huiusmodi instrumentum vel agit ad aliquam dispositionem præuiam termino principali, vel attingit ipsum terminum principalem intentum ab agente, aliàs non esset actiuum, verbi gratia, si ignis intendat calefacere, calor ignis attingit ad terminum principalem, si verò ignis intendat producere ignem non attingit calor terminum principalem, scilicet formam ignis producendam.

Secundo obseru. est, quod quando dicitur, quòd accidentia sunt instrumenta substantiæ, & quod agunt in virtute substantiæ, sic debet intelligi, non quod accidentia recipiant aliquã influentiam, aut virtutem nouam actiuam, quam de se nõ haberẽt ante actionem; sed sic quod operantur dependenter à substantia, est enim virtus accidentis subordinata essentialiter virtuti substantiæ, quando accidens est in substantia, sicut & virtus actiua, cuiuslibet substantiæ creatæ est simpliciter subordinata essentialiter virtuti Dei, ita vt sit tantum ordo determinatus in simul causando.

Ex quo sequitur, quod accidens non potest agere in virtute substantiæ plusquam propria virtute, quia agere in virtute substantiæ nihil aliud est nisi agere dependenter ab ea, secundum tamen propriam virtutem. Instrumenta verò, quæ non habent intrinsecam virtutem, qua operentur recipiunt quidem influentiam, & motum à principali agente, vt sic dicantur instrumentaliter agere, si verò instrumentum est actiuum debet habere virtutem propriam, qua operetur, vel in esse quieto ante operationem, vel saltem receptam in eadem operatione.

Tertio obser. est, ad generationem substantialem prærequiri plures dispositiones in materia, vt agens educat formam de illius potentia, quando autem peruenitur ad vltimam dispositionem statim introducitur forma substantialis in materia.

Ex quo sequitur, quòd accidẽs producit actiuè alterum accidens virtute propria, quamuis dependenter à substantia; patet, quia si accidens non haberet virtutem propriam alterius accidentis productiuam, non magis ignis produceret calorem suo calore, quam aqua sua frigiditate; hoc autem non est dicendum, quia nihil creatum agere potest nisi habeat formam actiuam intrinsecam ad talem actionem determinatam; atque adeo ignis calefacere per calorem ex eo est, quia calor est forma actiua talis caloris.

Secundo sequitur, quòd accidentia actiua sunt rationes formales agẽdi instrumentaliter supposito cuius sunt; patet, quia actio tribuitur supposito secundum aliquam rationẽ formalem, accidentia autem sunt formæ accidentales suppositi, atque adeo suppositum secundum ipsa aliquas producet actiones; albedo enim non disgregat, sed album, neq; calor calefacit, sed calidum per calorem, dixi instrumentaliter, id est, dependenter à substantia, quia principium formale principale est ipsa substantialis forma agentis.

Tertio sequitur, quòd cum alteratio sit dispositio ad generationem substantiæ, quòd accidentia possunt appellari causa proximæ dispositiuæ ad terminum principalis agentis, atque ita possunt dici instrumentum substantiæ, quia sunt quædam dispositiones ad generationem substantiæ, & actio illorum potest vocari dispositiua ad terminum generationis, licet nullo modo actiuitatem habeant respectu substantiæ generandæ, quia terminum generationis non attingunt. hæc est doctr. Doct. in hac q. sub lit. H.

His obseruatis de principali quæstio est duplex sententia. Vna Thomistarum, quam docet D. Thom. in 4. d. 12. quæst. 1. artic. 1 & 3. p. quæst. 77. artic. 3. quæ tenet in actionibus naturalibus formas substantiales non esse immediata principia agendi, vel principia proxima, sed quod agentia naturalia agunt mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis tamquam proprijs instrumentis, quod etiam extendit non solum ad productionem accidentium, vt vidimus in præcedenti articulo, sed etiam ad substantiæ generationem, ita vt ipsa accidentia, sint quæ in virtute substantiæ & corrumpunt omnes dispositiones, quibus forma expellenda conseruabatur, & ipsam ejiciant formam substantialem à materia, & inducunt formam substantialem de nouo generandam; fundamenta autem sunt ferè eadem cum his, quæ fuerunt adducta in præcedenti articulo, sed vt exactius examinentur, & è medio tollantur, iterum adduco illa; & primum est tale.

D.Thomas. (margin note)

Aristot. 2 de anima text. cap. 50. dicit, quòd calor naturalis est instrumentum animæ, quo anima agit, & nutrit digerendo cibum, ipsumque in substantiam aliti conuertendo, sed calor naturalis est accidens, ergo accidens potest attingere ad productionem substantiæ.

Secundo arguitur. Si generatio est terminus intrinsecus alterationis, sed accidenti tribuitur alterare, ergo attingere ad terminum alterationis, scilicet ad generationem substantiæ; probatur maior: quia generatio non esset terminus alterationis, nisi idem esset principium alterationis & generationi, cum ergo forma accidentalis sit principiũ alterationis; ergo & generationis.

Tertio arguitur: aliquod agens æquiuocum potest esse ignobilius suo effectu, ergo non est inconueniens, quòd accidens, etsi sit ignobilius substantia æquiuocè producat substantiam, probatur antecedens, quoniam etsi virtute propria nihil agat vltra suam speciem, tamen virtute alterius cuius est instrumentum potest agere vltra suam speciem sicut serra agit ad formam scamni; atque adeo licet accidens non possit virtute propria attingere aliud, quod est nobilius ipso, nec ipsum causare, tamen in virtute alterius potest.

Quarto arguitur: instrumenta artificialia attingunt immediatè effectum artificis principalis, ergo multo melius instrumenta naturalia, quæ sunt accidentia, vt calor attingit immediatè formam substantialem genitam.

Quinto arguitur: accidens potest in omnem gradum alterationis; sed tertia ad generationem, ergo potest in gradum incompossibilem formæ substantialis rei corrumpendæ, ergo potest corrumpere substantiam; probatur consequentia, quia si non potest inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, ergo cum quocumque gradu inducibili ab ipso potest, stare forma substantialis corrumpenda, atq; ita per nullam alterationem potest corrumpi, quod est absurdum.

His tamen non obstantibus est opposita sententia Doct. in hac quæstione sub lit. B. affirmantis, quòd accidens comu et tum non potest per se attingere substantiam, vt terminum, adeo quòd accidentia non attingunt actiuè generationem substantiæ, neque vt instrumenta, sed bene disponunt, probatur conclusio. Nullum imperfectius potest esse principium perfectionis se, sed substantia est perfectior omni accidente, ergo nullum accidens potest esse principium substantiæ, & per consequens nullum accidens potest attingere ad generationem substantiæ; probatur secunda pars, agens quomodocumque agat agit virtute propria, sed propria virtute non potest attingere substantiam; ergo neque instrumentaliter, tertia pars probatur, accidens habet virtutem producendi unum accidentis sibi similis, sed materia disponitur ad recipiendam formam substantialem accidentibus, ergo accidens dispositiuè agit ad generationem substantiæ. Opin gen. (margin note)

Secundo probatur conclusio, agens, si est vniuocum est æquè perfectum sicut effectus, & si est æquiuocum est perfectius, sed accidens non solum non est perfectius substantia, sed neque æquè perfectum cum ea, ergo nullo modo potest attingere ad productionem substantiæ.

Tertio probatur; si aliqua forma daret esse formale alicui, non posset dare perfectius esse, quam habet, ergo si daret esse effectiuè daret imperfectius seipsa; probatur consequentia, quia non est possibile, quòd aliquis modus dandi esse sit ita perfectus, sicut dare esse formaliter, sed accidens dans esse formaliter dat esse accidentale, & non substantiale, ergo multo minus daret effectiuè esse substantiale, & per consequens accidens non potest attingere ad productionem, seu generationem substantiæ.

Respondet Thomistæ, quòd hæc argumenta concludunt, quòd virtute propria nihil agit vltra suam speciem, & ex consequenti, quòd nihil potest producere nobilius se; cæterum non probant, quòd aliquod ens imperfectius virtute alterius, cuius est instrumentum non possit agere

vltra

Digitized by Google

vltra suam speciem, modo accidens attingit terminum generationis non propria virtute, sed virtute substantiæ cuius est instrumentum.

Contra hanc responsionem arguit Doct. sub lit. D. §. cõtra illud. argumento inquisitiuo; Quæro (inquit) quid intelligitur per hoc quod dicitur in virtute substantiæ, vel quid intelligant per istam virtutem; aut enim intelligunt aliquod formaliter receptum in accidente ab ipsa substantia, aut virtutem, & naturam substantiæ, aut subordinationem accidentis ad substantiam, vt possit talem effectum causare sicut instrumentum substantiæ, vel sicut agens respectu ipsius, si intelligunt aliquid receptum in accidente, sicut ex verbis eorum videtur, quod ipsi intelligant; dicũt enim ꝙ causatur ista virtus instrumentalis in accidentibus, vel quod ipsam recipiunt, eo quod causantur à principijs essentialibus substantia; aut illud receptum, quod dicitur virtus, est substantia, aut est accidens; non potest dici substantia, quia non recipitur substantia in accidente, & esto, quod esset substantia adhuc non esset principium agendi, nec ratio illi accidenti, sicut nec alia substantia secundum eos, vel si esset principium agendi sequitur propositum cõtra eos, quia substantia illa saltem erat causata immediate ab ipsa substantia, atque ita substantia est immediatum principium producendi substantiam, quod est contra eos; Si autem dicant, quod illa virtus sit accidens: contra. Illud accidens est simpliciter ignobilius substantia, atque ita non plus per illud accidens posset attingere substantiam quam per se ipsum; & etiam quæritur de illo accidente, in cuius virtute ageret atque ita in infinitum; præterquam quod haberetur quod substantia esset causa immediata illius accidentis, atque ita principium immediatum ad cuius operationis, quod est est contra eos. Si intelligant tertio modo illam virtutẽ pro subordinatione accidentis ad substantiam in causando, vt instrumenti ad agens principale, vel causæ secundæ ad primam, ex hoc habetur propositum contra eos, scilicet, quod substantia nunquam vera causa habet aliquam actionem immediatè sibi debitam, & quod immediate substantiam attingit; non minus enim prima causa est principium alicuius operationis sibi debitæ, & conuenientis, quam causa secunda sua, nam influentiam, quam recipit agens inferius à suo superiori non est aliqua forma tunc causata, sed est tantum ordo determinatus causarum in simul causando, & per consequens quælibet in esse quieto habet formã, per quam immediate agat, & adhuc stat argumentum, quia cum accidens sit imperfectius substantia non potest concurrere ad substantiam producendam, vt causa secũda cum prima; similiter si intelligant, quod accidens sit instrumentum. Contra, nihil est causa instrumentalis illius, ad quod sua virtus actiua sola sufficit producendum, patet, si accipiatur instrumentum strictè, sicut serra, & securis dicuntur instrumenta mouentia mota; tale enim instrumentum non habet de se formam sufficientem ad producendum effectum, sed tantum per motionem principalis agentis producitur, quod producitur, si etiam instrumẽtum accipiatur secundum alios modos supra positos d. 1. q. 1. & d. 6. q. 5. nimirum prout causa inferior, dicitur instrumentum, vel forma, quam huiusmodi causa recipit per motionem agentis superioris, qua forma agit, adhuc nullũ istorum instrumentorum per formam suam potest in effectũ respectu cuius est instrumentum, sed necesse est, quod ad illum effectum concurrat simul concausans illud cuius est instrumentum; modo accidens per formam suam præcise sine omni actione substantiæ in quodcumque agat agit, ergo nullo modo agit in virtute substantiæ, vel vt instrumentum eius ad aliquem effectum; Præterea instrumentum non agit, neque mouet nisi motum à principali agente igitur substãtia habet actionem aliquam immediatè, qua mouet accidens, vt instrumentum, atque ita est immediatum principium alicuius actionis; ex his ergo patet quomodo Thomistæ in hac sententia sibi ipsis contradicant in multis.

Ad fundamenta eorum respondetur. & ad primum dicit Doct. sub lit. C. quod authoritas secundi de anima non plus concludit nisi quod calor est instrumentum animæ, accipiendo instrumentum pro causa præuia dispositiua ad terminum, quia scilicet digerit, & alterat nutrimentum, vt in termino illius alterationis possit ex ipsa generari substantia, vnde sunt ibi duæ actiones, & duo principia agendi, quia respectu alterationis præuiæ principium agendi est calor, respectu autem formæ carnis inducendæ principium est anima, vel forma carnis, & primum agens. s. calor dicitur instrumentum respectu secundi non propriè subordinatione virtutis ad virtutem, adeo quod calor sit instrumentum carnis ad generandam carnem, id est, quod virtus caloris subordinetur virtuti carnis pro carne generanda, sed effectus ad effectum i. calor est instrumentum ex eo, quia est causa alterationis, quæ est instrumentum generationis, qua generatio est effectus carnis, adeo, quod calor est instrumentum carnis; quia effectus caloris. s. alteratio est instrumentum ad effectum carnis. s. ad generationem; vnde magis propriè diceretur agens dispositiuum quam instrumentale; cum ergo dicit Tho. quod accidens attingit terminum substantialem, falsum est, quia accidentia non attingunt nisi remote. i. dispositiue ad substantiam generandam, & cum probat iterum, quod accidens attingat terminum substantialem, ita quod attingit passum, in quod forma inducitur; Respondet Doct. quod attingit passum disponendo, sed non sequitur propterea, quod attingat substantiam producendo eam, quoniam ista consequẽtia non valet nisi virtute huius propositionis, quod ne instrumentum attingit effectum principalis agentis, quæ falsa est in proposito, licet sit vera capiendo instrumentum pro causa secunda prout dicit subordinationem virtutis ad virtutẽ. Illud enim dicitur instrumentum per subordinationem virtutis ad virtutem, quod producit eundem effectum cum agente principali, quemadmodum creatura dicitur instrumentum respectu Dei per subordinationem virtutis ad virtutem; quoniam virtus creaturæ subordinatur virtuti Dei, & cum hac eundem effectum producit.

Ad secũdum dico quod impossibile est & falsum, quod generatio sit terminus intrinsecus alterationis: primo quia actionis non est actio, vt termini, sicut nec passionis passio. 5. phy. Secũdo, quia alteratio est ad qualitatem sicut ad per se terminum intrinsecum, & non ad aliquid aliud; Tertio, quia alteratio non posset esse naturaliter sine generatione, sicut nec motus sine termino intrinseco; Quarto, quia generatio haberetur in tempore, & non esset instantanea, sicut terminus motus habetur in tempore. Quinto, quia sicut accidens in virtute propria est principium alterationis, ita in virtute propria esset principium generationis, vt per se intrinseci termini eius, quod est falsum & cõtra eos; Dico igitur, quod generatio non est terminus intrinsecus alterationis, sed est bene aliquid ad quod ipsa alteratio ordinatur, & quo habito cessat, & propter hoc dicitur terminus licet impropriè eo modo, quo debet accipi terminus in motibus, & mutationibus, sed alteratio, & generatio sunt duæ mutationes distinctæ essentialiter, & disparatæ, quarum vna habet pro per se termino qualitatem, & alia substantiam, quæ est prior omni accidente, & ex hoc sequitur, quod potest argumentum retorqueri in aduersarium tali pacto. Illud quod habet causalitatem respectu posterioris essentialiter non sequitur, quod habeat causalitatem respectu prioris essentialiter, sed accidens habet causalitatem respectu accidentis, quod est essentialiter posterius substantia, ergo accidens non potest habere causalitatem respectu prioris. s. substantiæ, atque adeo ex hoc quod generatio est terminus extrinsecus alterationis, & alterius generis à termino intrinseco alterationis, sequitur ꝙ principium alterationis. s. accidens non attingit terminum generationis, id est, substantiam nisi mediate, & remotè disponẽdo eo, quod attingit aliquod ordinatum ad ipsum terminum generationis, nempe accidens, vel qualitatem aliquã, quæ exigenit ad generationem substantiæ.

Ad argumentum ergo dico, quod terminus alterationis est duplex, alter intrinsecus, & talis est aliquod accidens disponens, & ad talem terminum attingunt accidentia, alius est terminus extrinsecus. s. generatio substantiæ, quæ sequitur talem dispositionem, & ad hunc terminum non attingunt accidentia.

Ad tertium dico, quod simpliciter impossibile est, quod aliquod minus nobile sit causa totalis alterius, siue in propria virtute, siue in virtute alterius, sicut ostensum est in primo art. huius q.

Ad quartum dico disparem esse rationem inter artificis instrumenta, & naturalia accidentia, quia illa enim non possunt operari nisi, vt mota ab artifice, quo cessante, cessant & instrumen-

strumentum cessat, & cum operentur in virtute artificis attingunt ad formam artificialem, at vero accidentia naturalia agunt virtute propria, atque adeo non dicuntur proprie instrumenta, nisi quatenus dependenter agunt à substantia, neque possunt attingere nisi ad illud, ad quod sua virtus contingere valet, videlicet ad aliud accidens producendum, & non ad substantiam, quia est eorum virtutem excedens.

Contra. Quamuis virtute propria nihil agat vltra suam speciem, virtute tamen alterius cuius est instrumentũ, &c. sicut prius. Respondeo in instrumentis, quæ de se non habent virtutem actiuam, qua operentur, verum esse, quod virtute illius cuius sunt instrumenta ad terminum principalem agentis attingere valent; secus de accidentibus naturalibus propria virtute operantibus; quando enim dicitur, quod in virtute substantiæ possunt ad productionem substantiæ, aut illa virtus substantiæ est substantia; aut accidens, sicut prius, ergo, &c.

Ad quintum concedo antecedens, & nego consequentiam, & ad probationem concedo, quod probat, atque ita est verum, quod numquam alterans inducit gradum incõpossibilem alterabili, quia mouens nõ potest inducere gradum incompossibilem suo mobili, quia mobile manet sub omni gradu per motum inducto, atque ita nulla substantia potest ab accidente corrumpi, sed à substantia, dispositiue tamen bene attingit accidens, & ad corruptionem, & ad generationem substantiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnis actio, quæ competit accidentibus coniunctis competat accidentibus separatis à substantia.

PRo huius quæstionis solutione declarãdum est in quo conueniant, & in quo differant, Scot. & S. Thomas. Conueniunt primo in hoc, quod accidentia panis separata causant speciem in sensibus, patet: quia accidentia quando erant coniũcta cum pane, erant propriæ, & per se causæ illarum specierum, sed eadem accidentia manent separata cum eodem esse, quod habebant in pane, ergo eodem modo causabunt species in sensibus; secundo conueniunt in eo, quod accidentia panis separata causant naturales qualitates per alterationem, & frigiditatem, &c. Tertio conueniunt in eo, quod quidquid causabant accidentia panis cõiuncta, idem causant separata, idque probat S. Thom. 3. p. q. 77. art. 3. quia agere sequitur esse, sed accidentia separata à pane virtute diuina retinent idem esse, quod habebant in pane, ergo retinent idem agere. Quarto, conueniunt in hoc, quod accidentia panis, quando erant cum pane coniuncta, non erant causa principalis alicuius substantiæ, & ex consequenti quando sunt separata non sunt causa principalis alicuius substantiæ, idque probat Scot. quia effectus nobilior non potest causari à causa minoris nobilitatis, tamquam à causa principali, sed substantia est nobilior accidentibus, ergo accidentia non possunt esse causa principalis alicuius substantiæ, vt probatum est in præcedentibus articulis.

Differunt vero Scot. & S. Thom. in hoc, quod S. Thom. existimat, quod accidentia panis, quando erant coniuncta cum pane, erant causæ instrumentales producendi substantiam, & ex consequenti dicit, quod accidentia panis separata, sint etiam causa instrumentales producentes substantiam. Scot. vero tenet, quod accidentia panis coniuncta nullo modo attingebant productionem substantiæ, & ex consequenti dicit, quod accidentia panis separata non attingunt productionem alicuius substantiæ.

Quapropter dicit Scot. in hac q. sub lit. B. quod triplex actio potest imaginari, quod conueniat accidentibus, prima est respectu substantiæ generandæ, secunda respectu accidentis, quæ vocatur actio intentionalis, dicitur autem actio intentionalis illa, per quam producitur aliqua cognitio, siue intellectiua, siue sensitiua, vel aliquod prærium ad talem cognitionem, exemplum: albedo diffundit speciẽ in medio, nimirum in aere illuminato, producit speciem in organo, ac etiam sensationem in sensu, id est, visionem in potentia visiua, & quælibet istarum actionum appellatur actio intentionalis, non quod non sit actio realis, sed quia vel est cognitio, vel quid immediate pertinens ad cognitionem. Tertia actio est respectu accidentis realis, vel corporalis, quod prædicta accidentia possunt producere in passo in se habente aliquod accidens contrarium, vt actio qua calor potest alium calorem producere in passo habente frigiditatem; & frigiditas aliam frigiditatem in calido; & de vnaquaque istarum actionum potest esse quæstio, id est, an accidens separatum possit habere actionẽ ad substantiam generandam, vel an accidens separatum possit habere actionem intentionalem, qua possit producere speciẽ sui, vel sui cognitionem in potentia sensitiua, vel tertio, an accidẽs separatum possit transmutare, vel alterare aliquod subiectum producendo in eo aliquod accidens reale contrarium illi, quod in se habet; In præsenti autem art. examinabitur quæstio absolute, non descendendo ad aliquam specialem actionem, & primo probatur, quod accidentia separata nullam habeant actionem; secundo, quod non eamdem.

Quo ad primum arguitur sic. Destructo priori essentialiter destruitur posterius, sed esse accidentis est prius quã agere, ergo destructo esse accidentis, destruitur & agere; sed per transubstantiationem substantiæ panis in corpus Christi destruitur esse accidentium panis, ergo & agere, seu operari, & per consequens accidentia à subiecto separata nullam actionem habere possunt; primus discursus patet, & minor subsumpta probatur; accidentis esse est inesse, sed per transubstantiationem substantiæ corrumpitur accidentium inesse, seu inhærentia, ergo corrumpitur & eorũ esse. Et confirmatur: inhærentia est propria passio ipsius accidentis quæ conuenit immediate ipsi accidenti, agere autem est vnum accidens per accidens. i. est vnum accidens, quod sibi contingenter conuenit, ergo accidentibus non conuenit agere nisi prius inhæreant subiecto; consequentia est nota, quia illud quod conuenit alicui contingenter præsupponit illud, quod sibi conuenit necessario, sed propria passio necessario conuenit illis, & agere contingenter, ergo, &c.

Secundo arguitur. Accidentia separata non possunt agere, igitur in sacramento nullam actionẽ habent. consequentia est nota, quia ibi sunt separata, & antecedens probatur per Arist. 1. Metaph. in proœmio, actio est suppositi, sed accidens separatum non est suppositum, igitur non competit sibi agere, consequentia est nota cum maiori, & min. probatur. Definitio suppositi non conuenit accidentibus, ergo non sunt supposita; consequentia patet per locum à definitione ad definitum negatiue; antecedens patet, quia suppositum est ens singulare, quod non est pars alterius, nec inhæret, neque natum est inhærere, nec informat, neque natum est informare; vel melius: suppositum est ens incommunicabile, vt quod, & vt quo, huiusmodi definitio patet, quod non competit accidentibus separatis, ergo, &c. Et cõfirmatur auth. Boetij dicentis in lib. de hebdomadibus. In omnibus citra Deũ differunt quo est, & quod est, vel quo agit, & quod agit, quibus verbis vult habere Boetius, quod *Boetius.* in Deo non est aliud quod agit, & quo agit, sed ipsemet Deus est quod agit, & quo agit; secundo vult habere, quod in creaturis aliud est, quod agit, & quo agit. i. quod aliud est suppositum agens, & aliud forma quæ agit, sed forma, quæ nata est esse quo respectu actionis non est quod respectu eiusdem, nec potest esse, ergo solum suppositum est agens, sed accidentia non sunt supposita, ergo non possunt agere.

Et confirmatur etiam per exemplum de anima, nam ex eo, quod anima est quo homo, est homo, ideo anima non potest esse homo, ergo à simili forma, seu accidentia, quæ nata sunt esse quo respectu actionis, non possunt esse agentia; patet: quia si accidentia sunt illud quo ipsamet agunt, ergo ipsa non agunt; Confirmatur tandem specialiter in proposito, quia quantitas, quæ est existens in sacramento Eucharistiæ, est quantitas mere mathematica; sed secundũ Philosophum 3. Meta. t. c. 3. in mathematicis non est motus, neque actio, ergo prædicta quantitas non habet aliquam actionem.

Secundo probatur, quod accidentia separata non possũt habere eamdem actionem, quam habebant coniuncta, & primo sic Arist. 1. de generatione t. c. 87. & 54. inquit, quod agens, & patiens debent communicare in materia. i. oportet quod sicut passum habet materiam, vel tamquam partem sui, vel tamquam subiectum, ita oportet, quod agens habeat materiam, sed accidentia separata non habent materiam,

Digitized by Google

tetiam, nec sicut partem sui, nec tamquam subiectum, ergo non possunt habere eamdem actionem, quam in subiecto poterant habere, consequentia est nota cum minori, & maior est Arist.

Secundo probatur. Accidentia separata nō possunt producere compositum, ergo non possunt habere eamdem actionem in se, quam poterant habere in subiecto, consequentia est nota, & probatur antecedens authoritate Philosophi 7. Meta.t. c.28. vbi arguens contra Platonem probat, quod ideæ non sunt ponendæ, & arguit sic. Si ideæ essent ponēdæ sequeretur, quod non essent principia agendi aliquod compositum; patet, quia prædictæ ideæ sunt tantummodo formæ, sed forma non potest producere compositum, ergo, &c. Ita in proposito accidentia separata sunt tantummodo formæ, ergo non possunt producere compositum, & per cōsequens non possunt habere eamdem actionem, quam prius habebant in subiecto, nam accidentia, quæ erant in subiecto poterant producere, & producebant aliquod compositum, ergo, &c.

Tertio arguitur. Si accidentia separata possent habere omnem actionem, quam habent in subiecto, ergo species intelligibiles separatæ ab intellectu, & charitas separata à voluntate possent in easdē actiones, in quas poterant quādo prius erant in subiecto, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia patet, & falsitas consequentis probatur, quia tunc species intelligibilis separata posset intelligere, & charitas separata posset diligere, & ita vtrumque istorum posset esse beatum, vel simpliciter, vel quantum ad aliquam partem beatitudinis, quod est impossibile, quia nec beatitudo tota, nec pars eius potest competere alicui, nisi naturæ intellectuali, hæc argumenta sunt Sco. in hac q. & sunt argumenta principalia.

Sed his non obstantibus dicendum est species separatas posse habere omnem actionem, quas in substantijs panis, & vini habere poterant, quoniam retinent idem esse cum modo naturali ad actionem physicam accommodato; nam tota ratio agendi huiusmodi actionum est accidentalis forma quę eadem eodemque modo perseuerat, quod autem quantitas per se sit, vel in subiecto nihil refert ad hāc actionem, præsertim, quia ipsa non imprimit speciem sui, sed modificat qualitates per se primo sensibiles eodem modo, quo antea.

Et confirmatur, accidentia in sacramento sunt sensibilia, & proportionata sensibus, quia sunt quanta, & extensa, ergo quando sunt separata possunt immutare sensus; sicut quando erant coniuncta, patet, quia clarum est, quod albedo, quæ est ibi, immutat potentiam sensitiuam sicut prius, similiter & accidentia vini possunt alterare passum sibi approximatum, vt patet, nam si ponatur in calice modica aqua, talis aqua alteratur ab illis accidētibus vini sicut prius, igitur signum est, quod habent eamdem actionem, quam prius habebant, & si dicatur, quod licet habeant aliquam actionem, non videtur tamen quod habeant omnem. Contra, agere sequitur esse, sed accidentia separata in sacramento habent idem esse, quod habebāt ante separationem, ergo possunt habere idem agere.

Et confirmatur, quia si accidentia separata habent idem esse, quod habebant ante separationem, ergo habent eamdem virtutem, quia virtus profluit ab essentia rei, & consequenter omnem actionem, quam poterant habere per virtutem suam naturalem quando erant coniuncta substantijs, possunt etiam habere quando sunt separata ab illis; nā forma manens eadem inesse habet eamdem virtutem, & per consequēs potest esse principium eiusdem actionis, accidens autem separatum manet secundum se idem, quod prius, ergo, &c. ita Sco. vbi supra §. ad oppositum.

Ad primum in oppositum respondet Doct. sub lit. Y. §. ad principales rationes tripliciter primo dicit, qđ illa propositio, destructo priori essentialiter destruitur posterius, distinguenda est, quia aliquod dicitur prius alio duobus modis, vno modo simpliciter, quia est illud à quo simpliciter aliud dependet in esse, & de isto priori vera est propositio; alio modo aliquid dicitur prius alio nō simpliciter, sed secundum quid, eo quia licet vnum prius habeat esse quā aliud; posterius tamen à priori non dependet, sicut patet de effectibus ordinatè procedētibus ab eadem causa, ita qđ non potest secundum producere, nisi prius producat primum, & tunc secundus effectus depēdet à primo nō quod accipiat esse à primo, sed quia primus effectus prius habet esse quam secundus, & isto modo capiendo prius propositio est falsa, quia destructo priori essentialiter non destruitur posterius, quia possibile est aliquando causam exire in effectum posteriorem licet impediatur à primo. Sed hæc responsio inquit Doct. dubia est, præsertim quo ad illud, qđ dicit, quod possibile est aliquam causam exire in effectum posteriorem non producto priori effectu, quoniam inter illos est ordo essentialis, modo quando causa nata est producere duos effectus essentialiter ordinatur, non potest exire in effectum posteriorem, nisi prius operetur effectū priorem. Ignis enim qui natus est calefacere, & ignire, & prius calefacere quam ignire, non potest ignis prius ignire quam calefacere, & ex hoc probatum est in primo d. 2 & 10. & in 2. d. 1. q. 1. & in quol. q. 8. quod non potest Spiritus sanctus spirari nisi à Patre, & filio simul, quoniam cum in Patre sit duplex principium productiuum, vnum per modum intellectus, & alterum per modum voluntatis; & principium per modum intellectus prius exeat in actum, quam principium per modum voluntati, sequitur quod prius generetur Verbum, quam spiretur Spiritus sanctus, & cum verbo genito communicetur idem principium spiratiuum, sequitur, quod Spiritus sanctus non potest spirari à Patre quin simul spiretur à filio, ac etiam per hoc probatum est in secundo loco supracitato, quod creatura non potest creari nisi simul à tribus personis diuinis, quia totus ordo productionis ad extra præsupponit totum ordinem productionis ad intra, atque adeo patet, quod si effectus prior non sit, non erit posterior, & per consequens hæc solutio falsa est, vel dubia.

Secundo respondet Doct. concedendo maiorem propositionem. s. destructo priori essentialiter destruitur posterius, sed cum hac limitatione, nisi sit aliquod prius illis, scilicet priori, & posteriori, quod suppleat vicem illius prioris, sicut est in proposito, quia Deus gloriosus, qui est simpliciter prior ipso priori, & posteriori. s. substantia, & accidente supplet vicem prioris. i. substantiæ, & licet sit prius inesse quam agere, tamen quia supplet vicem subiecti, accidentia possunt agere, licet non insint alicui subiecto. Sed neq; hæc solutio placet Doct. quia licet Deus dicatur supplere vicem subiecti, tamen non supplet inhærentiam accidentium ad subiectum, quoniam nulli inhærent, de qua inhærentia agitur in argumento cum dicitur, quod prius est in esse quam agere, nec sufficit, quod suppleat in hoc, quia conseruat illa accidentia sine subiecto; quia conseruare illa accidentia in esse, nihil est aliud quam supplere vicem subiecti.

Ideo respondet tertio negando minorem. s. quod inesse sit prius quam agere, quia in esse accidentis non est prius essentialiter quam agere in extrinsecum loquendo de inhærentia ad substantiam, quia vtrumque, id est, in esse substātiæ, & agere conuenit contingenter accidenti; inhærere tamen quantitate est bene prius quam agere, quia accidentia non possunt agere absque hoc quod inhæreant quantitati, atque adeo licet actio necessario, & essentialiter præsupponat esse ipsius formæ actiuæ, non præsupponit tamen necessario ipsius formæ actiuæ in esse. i. inhærentiam, neque est necesse, quod inesse concomitetur esse ipsius formæ, neque est illud inesse necessario præexactum ad agere, & hoc est, quod vult dicere Doct. cum inquit; & posterius etiam cōtingenter præhabet prius. i. agere contingēter pręsupponit inesse, licet necessario, & essentialiter actio præsupponat esse ipsius formæ actiuæ, sed quod esse formæ concomitetur necessario ipsius formæ inesse non est necessarium, & maxime loquendo de inesse respectu substantiæ, neque inhærentia ad substantiam necessario præexigitur ad agere: bene verum est, quod quando vterque respectus. s. inhærentia, & actio conuenit eidem formæ absolute, licet vterque sit extrinsecus adueniens, tamē primus. i. inhęrentia non ita se habet contingenter ad fundamentum, sicut secundus. s. actio, quia si semper fundamentum stante ordine causarū naturalium habet primum respectum, non sic secundum, & possunt plura impedire, ne secundus respectus insit, quę tamen impedire non possunt quin insit prius, quia contrarium impediens potest auferre isti formæ ne agat, sed ne insit nihil potest auferre nisi Deus. Est ergo minor falsa, quod inesse est prius quam esse essentialiter, sed tantum esse est essentialiter prius, inesse autem est cōmuniter priua

confide-

Digitized by Google

considerando ordinem causarum naturalium, posset breuiter responderi negando, quod inesse accidentis sit eius esse, vt patet supra.

Ad confirmationem dicit Doct. quod non omne immediatius alicui necessario præsupponitur omni mediationi, vtpote si illud immediatius non est causa aliquo modo respectu mediati, neque causa actiua, nec receptiua, neque effectus necessario propinquior eidē causę; vult dicere Doct. quod non oportet, quod illud, quod immediatius conuenit alicui præsupponatur illi, quod sibi mediatius conuenit, si illud quod conuenit immediatius non sit aliquo modo causa illius, quod mediate conuenit; causa inquam vel actiua, vel receptiua, vel saltem sit effectus propinquior, & immediator causæ vtriusque modo licet inhærentia immediatior insit accidenti quam agere, quoniam statim ex causis naturalibus inhærentia consequitur accidens, atque ita statim, quod per nullam causam naturalem impeditur, quod non contingit respectu ipsius agere; tamen inhærentia nullam istarum conditionum habet respectu agere, quia nec est causa eius productiua, nec receptiua, neque est effectus simpliciter necessario prior quam agere, atque adeo licet immediatius conueniat accidenti quam agere, non oportet, quod respectu illius præsupponatur. Et cum dicitur inhærentia est propria passio accidentis, agere autem est accidens per accidens, negatur, inesse enim non est propria passio accidentis, sed accidens contingenter inhærens, vel vt in pluribus; accidens autem vt in pluribus non necessario præcedit accidens in paucioribus, vel ad vtrumlibet.

Ad secundum principale dicit Doct. quod ista propositio; Actio est tantum suppositi, non habetur à Philosopho primo Meta. sed ibi habetur, quod actio est circa singularia, & pro tanto præfert experimentum art. in agendo, vel expertum artifici, quia artifex operatur circa quasdam regulas vniuersales; expertus autem operatur circa singularia; sed vnde locus? est circa singulare vt obiectum, ergo est solius suppositi vt agentis. Si ergo accipiatur ista propositio actio est suppositi sumitur aliunde quam à Philosopho, saltem hic non accipitur; Et si quæras an prædicta propositio sit vera, siue sit accepta à Philosopho, siue non; Respondet Doctor distinguendo, quod actio est suppositi, aut tamquam illius, quod vltimo denominatur ab actione, aut quod sit solius suppositi agentis, vel solius denominati ab ipsa actione; primo modo propositio est vera, secundo modo falsa; hanc responsionem (inquit Doct.) intelligere potes ex 5. d. 1. lib. qō. 1. vbi habetur, quomodo ab eodem abstracto, & maxime dicēte respectum, possunt accipi plura denominatiua denominantia plura ad quæ cadit illa forma, & secundum ordinem; nam quanto concretum plura concernit plures possunt in eo fieri abstractiones. v. g. concretū substantiale concernit tantum suppositum propriæ naturę, ideo in substantijs vnica fit tantum abstractio; concretum accidentis absoluti concernit duo, id est, proprium inferius, suppositumque alterius naturæ. i. subiectum, & ideo in accidentibus absolutis duæ fiunt abstractiones, concretum verò accidentis respectiui tria concernit. s. proprium inferius, fundamentum, & subiectum, atque adeo in accidentibus respectiuis tres fiunt abstractiones, sed de hoc vide, quæ scripsimus in formalitatibus, & super q. 14. vniuersalium Doct. dicit hic Doct. quod ab hoc abstracto potentialitas accipitur hoc concretum proximum, quod est potētia, & hoc concretum dicitur de fundamento. s. de calore, nam calor est potentia calefaciendi, sed non dicitur de subiecto, quia ignis non est potentia calefaciendi; secūdo à potentia accipitur hoc concretum, quod est potens, quod dicitur de igne habēte calorem; eodem modo potest accipi ab actione vnum concretum, quod denominaret principium formale agendi, & illud de calore diceretur, vt calor calefaciat. i. est quo habens agit, sic calor est potentia calefactiua, nec tamen est potentialitas, nec potens; Cæterum communiter non accipitur ab actione nisi denominatiuum denominans vltimatum denominabile, ad quod terminatur tota dependentia illius formæ; & concedo, quod quamtumcumque formæ denominentur ab actione cum ista forma nata sit esse in supposito, potest vlteriori denominatione suppositum denominari ab actione.

Et si dicas, tu dicis, quod communiter actio habet vnum concretum, quod denominat suppositum, v. g. calefaciens, ergo habeo intentum, quod accidentia sacramenti in Eucharistia non dicuntur agere, patet; quia per te suppositum solum vltimate denominatur agens, si ergo illa accidentia denominarentur agentia essent supposita; atque adeo stat primum argumentū; Respondet Doct. quod forma duobus modis potest considerari, vno modo sub ratione formę, vt quando informat aliquod subiectum, vel est forma suppositi, quod vltimate denominatur, tunc enim prædicta forma inest alteri, & est ratio quare illud cuius est forma denominatur hac denominatione, alio modo potest considerari forma non sub ratione formæ suppositi, sed sub ratione per se entis, quia nec inhæret, nec informat, quemadmodum in proposito sunt accidentia in sacramento Eucharistiæ, & hoc modo (inquit Doct.) cum forma vt sic nō habeat rationem formæ potest optime ab actione denominari, eo quod habet rationem suppositi; Ex quo patet ad argumentum negando consequentiam, & cum dicitur, quod actio est suppositi; dico, quod non solum suppositum denominatur vltimate agens ab actione, sed omne, habens modum suppositi, & si dicatur habet modum suppositi, ergo est suppositum, negatur consequentia, quia licet forma habeat modum suppositi in hoc tantum. s. quia non inhæret, sed per se stat, est tamen nata inhærere, vel informare, atq; adeo nō est suppositum, atq; in hoc quod dicitur formam habere modum suppositi nihil positiuum intelligitur vltra essentiam formæ, sed tantum negationem informandi aliquod, quod per istam formam agat.

Ad confirmationem per Boetium potest dici, quod sicut ipse loquitur ibi de quo, & quod, quodlibet causatum habet ista aliquo modo distincta, eo modo, quo nullum creatum est purum esse, de quo in primo lib. d. 2. & 8. sed non oportet, quod in quolibet creato quo agit, & quod agit sint distincta realiter; si enim anima est essentia simplex, & idem realiter suæ potentiæ non est aliud, quod agit actione intellectiua, & quo agit, anima enim per intellectum agit, ita quod anima est, quod agit, & intellectus quo agit, & tamen anima & intellectus sunt eadem res; intelligit ergo Boetius, quod illa, quæ sic se habent, differūt aliquo modo. s. vel formaliter, vel ratione, vel ex natura rei, negatur ergo minor, quia illud, quod agit, & illud quo agit differunt aliquo modo; non tamen propter hoc sequitur, quod accidentia in sacramēto, quæ sunt entia simplicia. i. sine materia, id est, non composita ex materia, & forma, habeant aliquid aliud distinctum ab eis realiter quo agant, imò ipsamet accidentia sunt illud, quod agit, & quo agit. Exemplum adductum de anima, & homine non probat nisi de quo, & quod in essendo, & hoc accipiendo quo partiale, & non quo totale; pro intelligentia huius responsionis obser. est quod humanitas includit totam hominis quidditatem, quę non distinguitur ab aliquo homine particulari, nisi forte ratione, quia abstractum, & concretum sola ratione distinguuntur.

Secundo obs. est, quod duplicia sunt quo, & quod. s. in essendo, & in operando, nam in essendo inuenitur quod, & quo, ac etiam in agendo reperitur quod, & quo. Illud est quod in essendo quod est; illud vero est quo in essendo quo aliquid est, exemplum homo est quod in essendo, sed illud quo homo est homo est anima intellectiua. *Datur duplex quod, & duplex quo*

Tertio obs. est, quod quo est duplex. s. totale, & partiale, quo totale est quidditas, seu forma totius, quo partiale est forma partis; quod in agendo est suppositum agens, quo est forma qua agit, dicit ergo Doct. quod exemplum adductum de homine non probat nisi de quo, & quod in essendo, & hoc accipiendo quo partiale, & non quo totale; quia homo vt quo totali humanitate est homo, sed per animā est homo, vt quo partiali, & hoc est, quod aliquando consueuit dici de forma totius, & forma partis, forma totius est quidditas rei includens vtramque partem essentialē. s. materiam, & formam, vel genus & differentiam, & illa nō est aliud realiter ab ipso; quia forma totius importatur per abstractum, & habens formam per concretum; modo abstractum, & concretum non distinguuntur nisi in modo intelligendi, seu ratione, nam per abstractum, & concretū eadem res significatur, sed aliter & aliter, quia concretum, verbi gratia, homo significat humanitatem cum concernētia ad suppositum; humanitas vero eamdem significat humanitatem, sed per modum præcisionis ab omni differentia indiuiduali, atque adeo si forma totius est aliud ab eo cuius est forma, est tantū aliud in modo intelligendi; sicut

ergo

Digitized by Google

ergo quod,& quo totale in essendo ratione tantum distinguuntur, eodem modo tantum ratione differre possunt quod,& quo in agendo,& hoc quando quo est quo totale, quod semper est, quando ipsum quo nulli alij inest, sicut patet de anima separata, nam illa est quod intelligit,& quo totale, quia tunc nullo modo aliud ab anima denominatur intelligens, & si quæras, an sit possibile, quod aliquid sit quo totale, & tamen inhæreat alteri, dicit Doct. quod sic, & tunc est quando forma, quæ inest subiecto est totale principium actionis, ita ut subiectum nullam causalitatem habet respectu actionis, vt, v.g. si caliditas esset in sacramento, tunc quia tantum inhæreret quantitati, quæ non est forma actiua, caliditas licet inhæreret esset tamen principium totale calefactionis, quia nihil aliud ab illa denominatur ibi calefaciens,& si quæras, an illo casu quantitas denominaretur calefaciens, dicit Doct. quod denominaretur ab illa actione denominatione remota, quia denominatur a principio quo illius actionis, nam quia denominaretur calida a calore sibi inhærente, denominaretur etiam mediante calore calefaciente denominatione remota.

Ad aliam confirmationem respondet Doct. negando antecedens, & ad probationem dicit, quod quantitas in sacramento non est mere mathematica, id est, non est in sacramento eo modo, quo consideratur a mathematico, scilicet nudè sine qualitatibus naturalibus, sed qualitatibus naturalibus affecta,& Physica, quoniam quantitas mathematica prout a mathematico consideratur ita abstrahit a qualitatibus naturalibus, sicut a forma substãtiali, ita enim, vel magis abstrahit mathematicus a naturali, sicut a methaphysico, concedo ergo (inquit Doct.) quod si quantitas esset sola prout a mathematico consideratur, ipsa non esset principium agendi tali actione, de qua loquimur hic, sed qualitas ista naturalis, quæ est hic in quantitate bene potest habere actum virtualem respectu passi, vel dicatur, quod illa fuit opinio Philosophi, quia existimauit impossibile quantitatem separari in re, vel verum dicit Philosophus quod in quantitate omnino separata a qualitatibus Physicis non est motus, neque alteratio Physica, sed sic non est in proposito.

Et si quæras, an quantitas si esset in sacramento Eucharistia modo mathematico, id est, eo modo, quo consideratur a mathematico, id est, sine qualitatibus naturalibus, an esset actiua in sensum? & videtur quod sic, quia quantitas est per se sensibilis secundo de anima t.c.64. ergo potest agere in sensum, est etiam quantitas per se intelligibilis, ergo potest agere in intellectum, sed non posset prius agere in intellectum nostrum coniunctum, nisi prius ageret in sensum, quia oportet intelligentem phantasmata speculari, ergo videtur, quod posset agere in sensum, oppositum tamẽ videtur: quia illud quod non est primo sensibile non potest causare sensationem, sed quantitas si esset separata a qualitatibus non esset primo sensibilis, ergo non posset causare sensationem, consequentia patet cum maiori, quia illud quod est tantũ per se sensibile non primo non potest agere sine illo, quod est primo sensibile, quantitas non est primo sensibilis, sed tantum sensibilia propria sunt huiusmodi, cuiusmodi non est quantitas.

...lex di... modus ... sibiliũ ... muniũ. Respondet Doct. quod de hac re est duplex modus dicendi, tenentes enim sensibilia communia non causare suã speciem, tenent quod quantitas separata sine qualitate nõ sit actiua in sensum, quia cum non posset causare suam speciem, nec etiam causare posset suam sensationem, et si quæratur, quid ergo faciunt sensibilia communia, respondent, quod illa non faciunt nisi modum quemdam immutandi sensum,& si illa sensibilia communia, & maxime quantitas essent sine sensibilibus proprijs, non essent in dispositione conuenienti ad immutationem. Vnde dicunt isti quod quantitas affecta albedine non producit suam speciem, sed confert ad hoc, quod albedo sit sub modo conuenienti ad causandum suam speciem, & ad immutandum sensum, quod separata a quantitate efficere non posset, vt diximus in præcedenti q. ex eo ergo sensibilia communia secundum istum modum dicendi appellantur sensibilia per se, quia conferunt ad hoc, quod sensibilia propria possint immutare sensum.

Alius modus dicendi est, sensibilia communia causare propriam speciem (alias propriè sentiri non valerent) sed mediantibus sensibilibus proprijs, quod potest intelligi bifariam, vno modo, quod species sensibiles sensibilium communium causentur partialiter a sensibilibus proprijs, alio modo quod sensibilia communia non possint suas species causare, nisi primo causauerint sua sensibilia propria, & hoc secundo modo intelligitur cum dicitur, quod sensibilia communia causant suas species mediantibus sensibilibus proprijs, & si quæras, vnde est, quod sensibilia communia non possunt agere nisi prius agant sensibilia propria? Respondet Doct. quod forte ratio est, quia sensus est primo potentia receptiua specierum sui proprij obiecti, atque adeo a nullo alio potest recipere alium actum, nisi prius naturaliter sit in isto actu, id est, nisi prius receperit species proprij obiecti, & secundum istum dicendi modum patet quod quantitas si esset separata a qualitatibus, non potest habere actionem in sensum, & ad primum in oppositum patet, quod quantitas non est primo sensibilis, vel quia nõ causat sui speciem, vel quia non potest eam causare nisi mediantibus sensibilibus proprijs, atque adeo non sufficit ad hoc, quod aliquid sit actiuum in sensum, quod sit sensibile, sed requiritur, quod sit primo sensibile, tum quia quantitas non dicitur per se sensibilis, quia possit causare suas species, sed ex eo, quod concurrit cum sensibilibus proprijs ad hoc, quod sint sub modo requisito ad mouendum.

Ad secundum dico, quod si quantitas separata a substantia, & qualitatibus esset præsens intellectui, posset intellectum mouere, si esset proportionatum, vel proportionabiliter præsens v.g. si esset præsens intellectui Angeli, vel animæ separatæ, sed non esset sic obiectum proportionatum respectu intellectus nostri, quia non potest sibi fieri præsẽs nisi per speciem, quæ non potest causari in intellectu, nisi prius species obiecti fuerit in sensu, sed in casu nostro quãtitas separata a qualitatibus sensibilibus non posset causare speciem sensibilem suam,& per consequens non posset mouere intellectum nostrum.

Ad secundum principale, quo probatur, quod accidentia separata non possunt habere eamdem actionem, quam poterant habere in subiecto. Respondet Doct. & ad primum dicit, quod agens, & patiens debent communicare in materia, vel communicatione actuali, vel aptitudinali, sed non est necesse, quod communicent communicatione actuali, atque ita non est necesse, quod si passum actualiter habeat materiam, quod agens actualiter habeat materiam, sed satis est, quod sit aptum natum habere materiam: ex quo patet, quod sensus illius propositionis, agens, & patiens debent communicare in materia, verificatur secundũ aptitudinem, in proposito autem accidentia separata in sacramento altaris nata sunt communicare cum passo in materia sui subiecti. Aliter dicitur, quod accidentia, quæ sũt hic actiua non sunt separata, imo qualitas est in subiecto suo in quantitate, atque ita in materia, quia subiectum vocatur materia. Secundo respondet, quod illa propositio intelligitur de agente vniuoco, non autem de agente æquiuoco, vt est Deus,& cœlum: nam Deus, & cœlum agunt in ista inferiora, & tamen non communicant in materia cum istis inferioribus. Sed hæc secunda responsio (inquit Doct.) non soluit argumentum, quia huiusmodi accidentia agunt in sua contraria actione vniuoca, nam ex quo hæc forma v.g. caliditas hostiæ est eiusdem rationis cum forma terminante, id est, cum caliditate producta in manu, sequitur q; sicut forma terminans est in materia, ita ista nata est esse in materia, sed non oportet ipsam actu esse in materia, sicut est forma terminans, quia agere est formæ maxime per se entis, sed recipi, vel produci non est nisi formæ in aliquo susceptiuo: vel dicatur, quod non oportet actiuum, & passiuum communicare in materia loquendo de quacumque actione, & passione, alioquin intelligentia non posset mouere cœlum, verum est tamẽ, quod secundum Arist. actiuũ, & passiuum immediate se habentia ad generationem, & corruptionem, vel secundum generationem, & corruptionem oportet communicare in materia, posuit enim Arist. quod nulla forma separata, cuiusmodi erat idea Platonis, poterat esse principium immediatũ alicuius generationis, vel corruptionis, imo nec Deus, tum propter imperfectionem effectus generabilis, & corruptibilis, & non propter imperfectionem talis formæ, tum etiam propter ordinem causarum obseruandum, in proposito autem propositio Arist. non habet locum, quia non ponitur, quod accidentia siue separata, siue coniuncta sint principium generationis,

tionis, & corruptiuus alicuius, sed substantia corporalis, & in proposito Deus.

Ad secundum notat Doct. quod Plato ponebat quasdã ideas separatas a singularibus, quæ Ideæ dant esse inferioribus, contra quem arguit Arist. deducendo, quod si Ideæ separatæ essent, non possent dare esse singularibus, cuius ratio fundamentalis est, quia forma separata non potest agere. Hæc ratio, inquit Doct. est partim pro me, & partim contra me, est pro me, quia probat, quod prædicta accidẽtia non possunt producere substantiam compositam, quod concedo, sed est contra me, quia videtur deducere ad hoc, quod accidentia non possunt producere compositum quale, quod est falsum, vnde prædicta accidentia producere compositum quale non est aliud, quam producere qualitatem in subiecto, ex qua qualitate cum subiecto fit subiectum quale, seu compositum, & subdit Doct. quod ista ratio videtur tangere, quod si forma substantialis esset separata a materia non posset producere compositum substantiale, quod tamen esset negandum, & ratio est, quia si caliditas separata a subiecto, concedis, quod possit producere aliquam caliditatem, & per consequens compositum quale, sic etiam videtur, quod si forma substantialis separaretur a materia posset producere formam substantialem in materia, & per consequens produceret compositum substantiale cum sit regula in hac doctrina, ab illo producitur compositum substantiale, vel accidentale, a quo producitur forma in materia.

Ex quo infert Doct. quod bene Arist. dicebat contra Platonem, quod prædictæ ideæ non possunt esse principium producendi substantiam compositam, quia nulla substantia omnino immaterialis potest generare substantiam compositam, nisi mediante corpore, sed prædictæ Ideæ erant immateriales secundum Platonem, & substantia immaterialis non potest producere immediate substantiam materialem, cuius ratio apud Philosophum erat, quia ponebat ordinem causarum in vniuerso esse simpliciter necessariũ, & quia vidit substantias separatas secundum positionem suam mouere cœlos, vt per talem motum producãt aliqua in istis inferioribus, non autem sic mouerent si possent immediate producere ista, quia tunc ille ordo causarum non esset necessarius, quod ipse reputat inconueniens, atque adeo patet, quod prædictæ Ideæ cum essent formæ separatæ, non poterant immediate producere aliquid. Et ex hoc (inquit Doct.) non oportet imponere Arist. truffas aliquorum, quod substantia separata non possit causare aliquid hic inferius propter aliquam imperfectionem, vel tale aliquid, vel tale in substantia separata, vel propter improportionem simplicis ad compositum, sed tantum propter istum ordinem causarum, adeo quod est truffa asserere, ideo Aristo. negasse substantias separatas posse causare aliquid immediate in istis inferioribus propter imperfectionem talem, vel talem existentem in eis, vel propter improportionem simplicis ad compositum, id est, quia prædictæ substantiæ sunt simplices, ideo substantiam compositam producere non possunt: nam ipse concessit, quod substantia simplex, nimirum intelligentia, causat cœlum motum, quod est compositum per accidens, & tamen tanta est improportio inter substantiam simplicem, & compositũ per accidens, quanta est improportio inter ipsam, & compositum per se, si ergo concedit substantiam simplicem producere compositum per accidens, quare negat, quod possit producere compositum per se? nulla alia ratio assignari potest nisi quia ipse posuit ordinem necessarium inter causas essentialiter subordinatas.

Sed nos, inquit Doct. non communicamus cum Philosopho in ista propositione, ordo causarum naturalium est simpliciter necessarius, ipse etiam diceret, quod accidens simplex non potest producere subiectum quale: non quia negaret accidens simplex quando est in subiecto esse totã rationem agendi, & ideo si posset per se esse posset, per se agere, sed quia negaret illud posse per se esse propter necessitatem ordinis causarum apud eum, adeo quod negasset Arist. accidens separatum a subiecto posse producere subiectum quale, non quia negasset accidens in subiecto existẽs esse principium totale producendi consimile accidens, atq; adeo separatum si esset non posset agere, quoniam esto, quod concederet accidens in subiecto esse principium totale alterandi subiectum, vt puta esto, quod concederet calorem ignis esse totale principium alterandi aquam, adhuc negaret calorem separatum posse alterare aquam, tum quia negaret illum posse per se esse propter necessitatem ordinis, quem habet accidens ad subiectum in essendo, tum etiam quia subiectum concurrebat aliquo modo cum accidente in agendo, ideo separatum non potest agere cum dependeat a subiecto in agendo, & subdit Doct.

Sed quod dicitur ibi, quod forma substantialis si per se esset secundum authoritatem hanc Philosophi, non posset esse principium generandi substantiam compositam, hoc quidem habet dubium, nam videtur primo quod sic, quia qualitas separata a subiecto potest producere compositum quale, ergo a simili forma substantialis separata a materia potest producere compositum substantiale, & hoc maxime verum est si forma substantialis sit totale principium producendi substantiam, & forma accidentalis similiter sit principium totale producendi accidens, quo supposito si forma substantialis separata non potest producere substantiam, hoc ideo esset, quia non esset sub modo conuenienti ad agendum, nihil enim est principium agendi in materiã quantam, nisi ipsum sit quantum loquendo de agente vniuoco, modo forma substantialis separata non posset esse quanta, neque extensa, quoniam omne quantum, vel extẽsum ideo est tale, vel quia recipit quantitatem, vel quia recipitur in quantitate, forma autem substantialis nec potest recipi in quantitate, quia forma substantialis non potest informare accidens, nec potest recipere quantitatem, quia omne recipiens quantitatem est compositum ex materia, & forma, & est substantia composita, quoniam secundum Doct. quantitas non potest immediate recipi in materia prima, sed tantum in substantia composita, quia accidentia immediate recipiuntur in composito ex materia, & forma substantiali, atque adeo si forma substantialis esset a materia separata, cum non haberet modum conuenientẽ ad agendum, quia non esset quanta, non posset substantiã compositam producere, accidens autem separatum a substantia, puta qualitas, cum sit immediate in quantitate, potest producere compositum quale.

Sed dubium est, an forma substantialis substantiæ compositæ sit totale principium quo respectu compositi per se generabilis, & videtur quod non, quia cum compositum totum sit simpliciter perfectius, quam forma, causa autẽ totalis æquiuoca, vel etiam vniuoca non potest esse simpliciter imperfectior, quam effectus eius, videtur, quod forma substantialis non sit nisi principium partiale generationis substantiæ compositæ. Idem argumentum videtur posse fieri de forma accidentali, & toto composito per accidens ex subiecto & forma. *An forma substantiæ substantialis possit esse totale principium quo compositi per se generabilis.*

Ad primum dico, quod forma substantialis non est totale principium quo producẽdi substantiam compositam, sed est tantum partiale principium, quia est principium formale quo totius naturæ concurrens cum materia ad constitutionẽ eius, sed ipsa tota natura generantis est totale principium quo, & generans est principium quod, atque ita forma substantialis, & si esset separata non posset agere, vel generare, quia vt est forma compositi non est totale principium quo generandi.

Ad secundum de composito per accidens, dico, quod cõpositum per accidens nullam tertiam entitatem perfectiorem dicit, quæ non præexisteret, vnde non dicit nisi formam accidentalem, & subiectum, & non aliquam tertiam entitatem nouam, & perfectiorem, sicut per se compositũ substantiæ, & quia forma illa accidentalis, quæ est terminus formalis, non est quid nobilius, nec compositum etiã per se, & proprie loquendo, sicut nec est ens per se, ideo accidens separatum potest producere tale compositum.

Ad tertium respondet Doct. negando consequentiam, & ad probationem dicit, quod si species intelligibilis poneretur totale principium intellectionis haberet aliquam apparentiam, quod separata posset esse principium, & simile dicitur de charitate respectu dilectionis, nam hæc non sunt principia totalia intellectionis, & amoris, sed partialia, nã cum specie intellegibili concurrit intellectus, & cum charitate voluntas, vt principaliora agentia istarum actionum, species verò, & charitas sunt agentia quidem sed partialia, & minus principalia, modo agens minus principale nunquam potest agere sine principaliori agente prius naturaliter, & hoc loquendo de prioritate ex parte agentis, non

vt actio,

Digitized by Google

vt actio, vel terminus recipitur in passo, quia sic simul natura terminatur actio agentium ordinatorum in passo ad formam, non enim forma producitur prius ab agente principali, & posterius ab agente minus principali, quia vel forma bis produceretur, vel agens minus principale nõ produceret, sed ex eo agens principale dicitur prius natura producere, quia principalius producit. Est tamen obseruandum, quod aliter dicitur Deus prius concurrere cum causa secunda ad effectum producendum, & aliter vna causa partialis cum alia, ex eo enim dicitur Deus prius concurrere cum causa secunda ad effectum, quia quantum est de se concurreret sine alia aliqua causa, imo actio diuina est sufficiens ad hoc quod effectus ille producatur sine causa secunda, quia independenter agit: sed causa secunda partialis dicitur prius concurrere non quod actio sua sit de se sufficiens ad producendum effectum, sed quia principalius operatur quam alia causa. Sed numquam contra aliquos tenentes illud antecedens, id est, quod species est totalis causa intellectionis, & charitas amoris, concludit nec ratio, scilicet quod species separata intelligeret, & charitas amaret? *Dicit Doct.* quod species intelligibilis nec vnita, nec separata intelligit, atque adeo licet produceret totaliter intellectionem numquam intelligeret, & ratio est quia nihil dicitur intelligere nisi in hoc, quod formaliter habet in se, vel recipit intellectionem, nam secundum Philosophum 3. de anima t. c. 15. & 18. intelligere est pati, quia intelligere est habere, vel recipere intellectionem, species autem intelligibilis a nullo ponitur esse principium receptiuum intellectionis, vnde magis concluderet hoc argumentum, quod species intelligibilis separata posset intelligere, contra ponentem, quod est ratio formalis recipiendi intellectionem, quam contra ponentem, quod est principium totale actiuum intellectionis. Sed adhuc deduceretur, quod saltem species intelligibilis separata posset causare actiue intellectionem, siue totale, siue partiale principium ponatur producendi intellectionem, quod videtur inconueniens.

Regula Sco. Respondet Doct. quod non sequitur nisi habeat passum approximatum receptiuum intellectiones. Vnde obseruanda est vna regula Doc. quæ habetur in 1. d. 3. & in 2. in materia de cognitione Angelorum, quando cum duæ causæ partiales concurrunt ad eumdem effectum, quælibet habet suam actiuitatem propriam, & ad hoc quod effectum producant nõ est necesse, quod vna informet aliam, sed requiritur duntaxat debita vnio, vel præsentia, seu approximatio, et si aliquando vna informat aliam, hoc est per accidẽs quo ad hoc, quod est producere effectum, & ratio est, quia postquam sunt causæ partiales, & vna non dat alteri propriam actiuitatem, si esset necesse, quod vna alteram informaret, hoc ideo esset, quia vna alteri daret actiuitatem, vnde ad propositum dico, quod posito casu, quod species intelligibilis per se esset, & non informaret intellectum, si tamen esse intellectui debite præsens posset partialiter vna cum intellectu causare intellectionem, quæ in ipsomet intellectu reciperetur, adeo quod quamcumque causalitatẽ tribuimus speciei, vel partialem actiuam secundũ opinionem Doct. vel tantum rationem præsentantis obiectũ secundum alios, istam perfectionem eodem modo haberet si esset separata, sicut si esset coniuncta, & per consequens si separata esset præsens intellectui non per inhærentiam, sed per simplicem præsentiam, posset eodem modo sufficere ad causandum intellectionem in intellectu, sicut quando inhæret, quia vt diximus, intellectus nihil perfectionis pertinentis ad ipsum recipit a specie informante, sed tantummodo oportet speciem, vel aliam causam partialẽ concurrere cum intellectu, sed quod aliquando causa partialis alteri coinhæreat, hoc est omnino accidentale (vt diximus supra) quia æque perfecte posset causare effectum sine inhærentia propter ordinem essentialem, s. subordinationis virtutis actiuæ ad virtutem actiuam, cui accidit ordo subiecti & accidentis, id est, quod intellectus sit subiectum, & species accidens, atque ita breuiter dico (inquit Doct.) quod charitas in patria immediate causabit cognitionem intuitiuam sui in intellectu, & tamen non erit præsens intellectui inhærendo, sed voluntati, & tamen ista præsentia sufficit ad hoc vt ipsa, vt causa partialis concurrat cum alia causa. Istud ergo argumentum, quod frequenter fit quasi in aliquanti ponderis contra nullam opinionem concludit, nisi contra ponentem speciem esse totale principium intellectionis actiuum, & cum hoc propinquum, & proprium receptiuum eiusdem, & idem posse mouere se, sed contra ponentem qualitercumque de actiuitate speciei non concludit, nisi quod separata possit simpliciter agere sicut coniuncta, si tamen habeat passum proportionatum præsens, & eodem modo dicendum est de charitate respectu dilectionis.

ARTICVLVS V.

Vtrum accidentia separata possint habere actionem intentionalem in sensum, et realem in passum ipsum alterando.

QVid sit actio intentionalis, & actio realis dictum est supra. Sensus ergo tituli est, an accidentia separata possint habere actionem intentionalem, qua producitur species sensibilis, vel cognitio, & actionem realem qua producitur aliquod accidens, & hoc quantum est ex natura sua, & nisi sit aliquod impedimentum, ita vt sicut albedo v. g. quando erat in subiecto poterat causare sensationem, ita etiam possit omnino extra subiectum, & sicut frigiditas vini in vino existens poterat causare frigiditatem, ita etiam possit quando est separata a vino, pro cuius solutione obseruandum est, quod qualitates illæ corporales, vt albedo, frigiditas, caliditas, & consimiles sunt in producendo suas species sensibiles agentia totalia, quia licet detur sensus actiuus respectu sensationis, non datur tamen sensus agens respectu speciei sensibilis, vt diximus in expositione nostra 2. de anima, ex quo sequitur, quod respectu sensationis albedo, & consimiles qualitates nõ sunt totalia agentia, quia cum eis concurrit etiam sensus. Secundo obseruandum est, quod qualitates actiuæ, vt sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, quæ appellantur primæ qualitates, sunt totale principium actionis realis transeuntis in passum, nam quando producitur v. g. calor in ligno, forma substantialis ignis nullo modo agit, sed totale principium est caliditas ipsius ignis, cæterum in actione reali immanente forma substantialis est totale principium productiuum, nam quando ignis generat ignem forma ignis generantis est totale principium forma substantialis ignis geniti, & forma substantialis ignis geniti est totale principium caliditatis manentis in igne genito, ita vt caliditas ignis generantis non est principium caliditatis ignis geniti, sed forma substantialis ignis geniti producit immediate in se propriam caliditatẽ. Tertio obseruandum est, quod ad hoc quod aliquod agẽs naturale agat duę requiruntur cõditiones, prima quod sit quantum, secunda quod sit sub modo quantitatiuo, id est, quod circumscriptiue sit in loco, vt explicatum est supra d. 10. huius 4.

His obseruatis videtur, quod accidentia separata nõ habeant has duas actiones, videlicet realem, & intẽtionalem, quia alias sequeretur, quod prædicta accidentia essent agẽtia voluntaria, seu agentia ex electione, & deliberatione, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia agens naturale quantum est ex se vniformiter agit, ergo si illa accidentia habent, vel habere possunt quantum est ex se diuersas actiones, non erunt agentia naturalia, imo libera, nam hæc est differentia inter agens liberum, & naturale, quod agens naturale est determinatum ad vnum modum agendi, & semper vniformiter agit, sed agens liberum potest agere difformiter.

Præterea secũdo vbi est idem agens ibi est eadem actio, sed illa accidentia semper sunt eadem agentia, ergo habent semper easdem actiones, ergo non possunt habere diuersas actiones, scilicet intentionalem, & realem, consequentia est nota cum minori, & maior patet per Com. 3. cœli com. 72. vbi dicit, si vna natura, & actio vna. ita Sco. sub. litt. l. §. contra istas conclusiones. His non obstantibus

Dico primo, quod accidentia in Sacramento Eucharistię possunt habere omnem actionem intentionalem, quam antea poterant, dum erant in subiecto, & hæc concl. est communis sententia omnium Theologorum, Alex. de Ales. p. 4. q. 10. num. 7. art. 2. D. Thom. 3. p. q. 75. art. 5. & q. 77. ar. 8. D. Bonauenturę in 4. d. 12. art. 2. quæst. 3. & Richar. eadem d. art. 3. quæst. 1. & patet experientia, quæ necessaria fuit ad occultandum mysterium, & fidem conseruandam, & ratio est, quia tota ratio agendi huiusmodi actionum est accidẽtalis forma, quæ eadem eodemq; modo perseuerat, *1. Conclusio* *Ale. de Al.* *D. Thomas.* *D. Bonauẽ.* *Richardus.*

Digitized by Google

quod autem quantitas per se sit, vel in subiecto impertinens est ad hanc actionem, præsertim, quia non imprimit speciem sui, sed modificat qualitates per se primo sensibiles eodem modo, quo antea, atque adeo idem omnino efficere possunt in quacumque potentia post consecrationē, quod antea poterant: quia per se nihil aliud possunt, quam efficere species in sensibus externis, in quo eamdem vim semper habent. Vnde fit has species non posse per se causare notitiam substantiæ, sed accidentis per modum cuiusdam concreti, vt huius albi, aut rubei, quia etiam ante consecrationem non habebant maiorem vim, quoniam vt omnes Philosophi docent, substantia nō sentitur per se, sed tantum per accidens. Vnde euidens est sensum non posse discernere clare, & in se præsentiam, vel absentiam substantiæ sub eisdem accidentibus, quia eadem notitia de hoc obiecto sensibili formatur in sensu externo, quæ idem, & eodem modo repræsentat siue adsit substantia, siue non, atque idem proportionaliter dicendum est de simplici notitia apprehensiua, quæ per exteriores sensus in interioribus, vel in intellectu causatur, quia etiam illa præcise sumpta non repræsentat substantiam in se ipsa, sed tantum hoc quantum, vel hoc album, inde verò intellectus per discursum colligit sub his accidentibus esse aliquod subiectum, quod illa sustentat, & in hunc modum peruenit ad aliqualem substantiæ notitiam, ad quam species sacramentales concurrunt, & ministrant quantum est de se, ac si non essent consecratæ, vt in homine infideli videre licet, nam in homine fideli fides corrigit discursum, vt non iudicet ibi esse substantiam, seu quod idem est non concipiat substantiam tamquam ibi existentem. Et ex hoc apparet quomodo in hoc Sacramento nulla sit deceptio, etiam si maneant species sine substantia, quam significare, & referre videntur, quoniam species illa de se eamdem offerunt sensibus notitiam, in quo neminem decipiunt, quod autem homo inde discurrens decipiatur per accidens est, & fide potest eam deceptionem præuenire.

2. *Conclusio* Dico secundo species consecratæ, seu accidentia separata possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam antea poterant, est concl. communis, quam docent supracitati Authores locis supracitatis, & habet idem fundamentum, quia tota ratio agendi in huiusmodi alteratione est aliqua qualitas, quantitas vero per se non concurrit sed solum, vt sustentans qualitatem, quod si interdum ad actionem aliquam videatur per se concurrere, vt ad imprimendum impetum, ad diuidendum aliquid, vel suo loco pellendum id non facit absque qualitatibus, quibus est affecta, vt sunt siccitas, durities, grauitas, & si quid ipsa per se iuuat, etiam separata potest idem conferre, quia non id facit per inhærentiam, sed per entitatem suam, quæ manet & refert quod hæ actiones tribuantur quantitati, quoniā, vt diximus supra, illud est solum secundum quamdam denominationem, quia actiones dicuntur esse subsistentium, quantitas enim hæc suo modo subsistit sub his accidentibus, & ideo ita dicitur calefacere, sicut aqua calida, in qua tota ratio calefaciendi est calor.

Probantur autem hæ duæ conclusiones insimul a Doc. in hac q. sub littera k. §. tertia conclusio, tali ratione: cuiuscumque actionis aliqua forma est principium totale actiuum, illa si esset per se sub modo conuenienti ad agendum posset esse principium eiusdem actionis, sed qualitas est principium totale, & formale vtriusque actionis prædictæ, & quando est separata a substantia est tamen in quantitate siue habens extensionem sicut ante separationem a substantia, atque adeo manet sub modo conuenienti ad agendum, qui est modus extensiuus, ergo potest esse principium vtriusque actionis, maior patet, quia totali principio posito, & sub ratione sub qua natum est esse principiū potest principiare, id est, producere illud, cuius est principium, ergo cuiuscumque actionis aliqua forma est totale principium eiusdem, vel consimilis si est per se sub modo debito potest esse actiuum principium, nam si calidi tas, quæ est in igne, est totale principium producendi calorem in aqua, si caliditas esset per se ab igne separata, & sub modo conuenienti ad agendum, id est, subiectiue in quantitate, adhuc posset producere caliditatem in aqua.

Minor probatur dupliciter, & primo sic, quia nihil aufertur illi formæ per hoc, quod per se est sine subiecto, nam per hoc, quod accidentia separantur ab illis subiectis non aufertur quin possint habere easdem actiones, quas habebant, quando erant in subiecto, ergo accidentia separata existentia in Sacramento possunt esse totalia agentia actionis realis, & intentionalis, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia quando illa accidentia sunt in subiecto faciunt vnum per accidens cum subiecto, sed vnum per accidens non est per se principium agendi, ergo ablatio illius subiecti nihil aufert de per se principio agendi, pro intelligentia huius rationis obseruandum est, quod illæ causæ dicuntur agere in eodem ordine, quæ sic se habent, quod vna non dependet ab alia in agendo, & sunt causæ eiusdem speciei, quæ alio nomine appellantur causæ accidentaliter subordinatæ, & istarum vna tantum augere potest in sua virtute, quæ se sola sine alijs posset effectum producere, vt si essent tres homines trahentes vnam nauem posset virtus vnius tantum augeri, quod solus sufficeret ad nauem trahendam, & de istis dicit *Doctor*, quod numquam ens per accidens est vna causa, vt puta paries, & albedo, quoniam talis causa est semper per se vna, adeo quod duæ causæ eiusdem rationis accidentaliter subordinatæ sic se habent, quod vna non potest aliam informare, sed vnaquæque est per se causa.

Aliæ sunt causæ, quæ agunt in diuersis ordinibus, & sunt causæ essentialiter subordinatæ quarum inferior dependet a superiori in agendo, & in isto ordine non est inconueniens, quod ens per accidens sit causa, id est, quod ens per accidens contineat aliqua, quorum vnum dependeat ab alio in agendo, ita quod causa inferior informet superiorem causam, sicut est de accidente, & substantia, & de intellectu, & specie intelligibili, ideo propter hoc *Doctor* arguit contra probationem minoris, quia facile aliquis responderet ad prædictam probationem, quod licet subiectum non concurrat cum suis accidentibus in eodem ordine causandi, tamen concurreret cum illis in alio ordine, id est, licet subiectum, & accidens non sint causæ accidentaliter subordinatæ, sunt tamen causæ essentialiter subordinatæ, quia vnum dependet ab altero in agendo, & hoc est quod vult cum inquit. Sed istud non probat nisi quod subiectum non habet per se rationem principij in eodem ordine cum accidente, id est, probat quod subiectum, & accidens non sunt causæ accidentaliter ordinatæ, sed non probat quin subiectum possit esse per se principium agendi eiusdem actionis in alio tamen ordine eo modo, quo intellectus est per se principium producendi intellectionem vna cum specie intelligibili, & si species intelligibilis faciat vnum per accidens cum intellectu, in alio tamen ordine nec vnitas illorum per accidens impedit vnitatem ordinis.

Ideo vt omnis tollatur instantia, probatur aliter eadem minor sic, illa forma est totale agens, quæ est principium assimilandi sibi passum, non tantum realiter, vt in actione reali, quæ est in contrarium, sed in actione intentionali, quæ est in sensum, sed accidentia separata sunt forma, quæ sunt principium assimilandi sibi passum, non tantum in actione reali transeunte in contrarium, sed etiam in actione intentionali, ergo accidentia in Sacramento, sunt principia agendi totalia, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur primo de actione reali, quia forma, quæ producitur ab aliquo ab illis accidentibus, & quæ est terminus formalis actionis est simpliciter similis formæ accidentali, verbi gratia, frigiditas, quæ producitur ab accidentibus vini in manu mea est totaliter similis frigiditati existenti in accidentibus vini, seu producenti, secundo probatur de actione intentionali, quia capiatur illa albedo, quæ est in Sacramento, verbi gratia, albedo hostiæ, licet illa albedo non producat formam omnmo sibi similem, cum sensatio non sit omnino similis albedini, tamen aliquo modo est similis, quia est repræsentatiua albedinis, ideo albedo quantum est de se totaliter est productiua sensationis, sicut frigiditas est totaliter productiua frigiditatis, & hoc intelligendum est in ratione obiecti, quoniam etiam sensus concurrit actiue ad sensationem, albedo tamen est totale principium absolute speciei sensibilis. Ex his ergo patet, quod quantum est ex parte huius formæ, vt agentis, potest ita bene esse totale principium huius actionis sicut illius, si autem in illa sensatione sit aliqua perfectio vlterior, hoc non est in quantū est a qualitate sensibili, sed in quantum est a potentia sensitiua.

Ad ac-

Digitized by Google

Ad argumēta in oppositum respondetur, & ad primum dicit Scotus sub litt. I. §. ad primum. præsupponendo (siue actio sit in passo, vel in agente, quod dicetur quæst. 1. d. sequentis) quod actio dicit quemdam respectum extrinsecus aduenientem, sequitur, quod quandocumque formę productæ in diuersis passis sunt diuersæ, atque diuersæ passiones in diuersis passis, actiones etiam sunt aliæ, & aliæ, id est, diuersarum rationum. Ex quo vult habere Doct. ꝙ si accidentia separata producunt diuersos effectus v.g. frigiditas producit frigiditatem, & etiam sensationem, sequitur, quod ibi cum sint diuersæ passiones sunt diuersæ actiones, patet, quia passum receptiuum formæ secundum esse reale, id est, passum receptiuum frigiditatis non est receptiuum sensationis secundum esse intentionale, vt patet ex Arist. 2. de anima t.c. 77. & 121. & 3. de anima t.c 4. oportet enim receptiuum soni esse absonum, nam organum sensus tactus, & subiectum, nimirum animal, vel pars corporis animata non sunt receptiua frigiditatis secundum idem esse eo quod organum recepit intentionaliter, & subiectum realiter, atque adeo prædictum agens, nempe frigiditas non agit in aliud, id est, in organum & in subiectum actionibus eiusdem rationis, imo actionibus diuersarum rationum, & per consequens sicut erunt ibi duæ passiones, ita erunt duæ actiones, & è conuerso, cum agens agat in passum secundum rationem eius receptiuam, vt patet per Ari. 2. de anima t.c. 24. vbi dicit, quod actus actiuorum sunt in patiente bene disposito, & per consequens agens non agit in hoc passum, & illud actione eiusdem rationis, ex quibus sequitur, quod accidentia separata possunt habere diuersas actiones.

Agens duobus modis dicitur difformiter agere.

Ideo ad argumentum negatur consequentia, & ad probationem cum dicitur, quod agens naturale quantum est de se agit vniformiter, & agens liberum potest agere difformiter &c. respondetur, quod agens dicitur agere difformiter duobus modis, vno modo diuersitate disparationis; alio modo diuersitate contradictionis, illud dicitur agere diuersimode diuersitate disparationis, quod potest producere effectus disparatos, illud verò dicitur agere diuersimode diuersitate contradictionis, quod approximato sibi passo potest agere, & non agere, & per oppositum agens dicitur agere vniformiter duob. modis, primo modo quia non potest producere diuersos effectus disparatos. secundo modo quia ita determinatum est ad agendum, quod passo sibi debite approximato non potest non agere. ex his patet ad argumentum, cum enim arguitur accidentia separata agunt difformiter, ergo sunt agentia libera, distinguo antecedens, aut agunt difformiter difformitate disparationis, & sic concedo antecedens, & nego consequentiam, quia non sequitur, sicut etiam non sequitur, non agit secundū electionem, ergo non agit secundum diuersas formas, vt patet de sole, & de igne calefacientibus, & desiccantibus &c. aut tū intelligis, quod agunt diuersitate contradictionis, & sic concessa consequentia nego antecedens, dico etiā quod non sequitur agens naturale agit vniformiter, sed ista accidentia non agunt vniformiter, ergo non sunt agentia naturalia, nam maior est distinguenda, quia aut intelligis, quod agant vniformiter, id est, necessario passo sibi approximato, & sic concedo maiorem, & nego minorem, vel intelligis, quod agens naturale agit vniformiter, id est, quod semper agat eumdem effectum, vel similem, & sic nego maiorem, imo agens naturale potest agere diuersos effectus diuersitate disparationis, vt dictum est, nam agens naturale, quod est illimitatum simpliciter, vel aliqualiter secundum perfectionem actiuam potest ad disparata agere, licet non ad contradictoria.

Ad secundum, cum dicitur vnius agentis est tantum vna actio. Respondet Doct. quod eiusdem principij actiui possunt esse multæ actiones formaliter distinctæ, dum tamen illud nō sit limitatum in sua virtute actiua ad vnam actionem, sicut est vnica forma, & sic omnes authoritates commentatoris, & cuiuslibet alterius deberent exponi de forma vnica in virtute, sicut est vnica in esse naturæ, & sic conceditur, quod vnius agentis habentis vnicam virtutem agendi est tantum vnica actio, in proposito autem accidentia, quæ sunt in Sacramento Eucharistiæ non sunt ita limitata, & determinata ad agendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum accidens separatum possit esse instrumentalis causa generandi substantiam.

CErtum est apud omnes species consecratas posse substantiam dispositiue corrumpere, & generare, cū enim hæc accidentia possint alterare substantiam in ea alteratione eo vsque procedere possunt, quo substantia corrumpatur, quia eadem est ratio de initio, & progressu alterationis, imo cęteris paribus ac per se loquendo, quo magis, ac magis alteratio intensiue procedit, eo facilius agens in ea progreditur, quia semper est minor resistentia in passo, & plura sunt quæ iuuant ipsum agens, atque adeo possunt hæc accidentia alterando disponere substantiam ad corruptionem vnius, & generationem alterius. Cæterum controuersia est, qua virtute efficiant accidentia consecrata formā substantialem, de qua re triplex est opinio.

Prima est Thomistarum, qui opinantur eductionem formæ substantialis immediate fieri a forma accidentali, vt est virtus substantiæ ita tamen, vt quamuis substantia præsens sit immediate nihil influat per substantialem formam, atque adeo consequenter dicunt eodem modo operari nunc species consecratas, quia qualitas manens est eadem virtus substantiæ, & absentia substantiæ non minuit actionem, quia cum est præsens non auget illam, sed tantum conseruat, & sustentat qualitatem, quod supplet Deus in hoc Sacramento, ita docet *D. Tho.* 3. p. q. 77. art. 3. ad tertium, quē sequuntur Caiet. eo loci, Capreolus in 4. d. 12. q. vnica, Paludanus q. 4. Ferrar. 4. contra gentes c. 66. Soto, & recentiores Thomistæ. *D Thomas. Caietanus. Capreolus. Paludanus. Ferrariens. Scotus. Gabriel. Ocham.*

Secunda opinio est, Gabrielis Biel lect. 45. in Cano: qui dicit accidentia cōcurrere partialiter, & Deum supplere reliquum, & hanc dicit esse opinionem Ocham in 4. q. 7. & hanc virtutem partialem generandi substantiā (dicit Gab.) accidens habere a propria natura, adeo quod non oportet recurrere ad virtutem receptam a substantia.

Fundamēta istarum opinionum possunt esse ista, primo accidētia separata possunt in virtute propria alterare, sicut probatum est in præcedenti art. & per consequens ad corruptionem disponere, quia cum quilibet gradus qualitatis sit eiusdem rationis, sicut accidens potest in vnum abijciendo ipsum, & inducendo contrarium, pari ratione, & in quemlibet, sed quod potest sic alterare potest generare, & corrumpere, quia forma corrupti non stat nisi in materia disposita, ergo & generare potest, quia corruptio non est sine generatione, ergo &c consequentia probatur, quia corruptio illa non potest esse in nihil, quia creatura nō potest annihilare, nec potest esse corruptio illa in accidentia separata, ita ut terminus ad quem corruptionis sint accidentia separata, quia creatura non potest facere accidentia aliqua esse per se, ergo corruptio illa est in aliquam substantiam quare &c. ita Scotus sub litt. I. §. aliud dubium est. *Scotus.*

Præterea accidentia hic separata possunt nutrire, sed ꝙ potest nutrire potest substantiam generare, ergo &c. Tertio sic, si poneretur modica aqua iuxta accidentia separata maximi ignis planum est, quod statim corrumperetur, sed hoc non esset nisi ab illis accidentibus separatis, ergo &c. alias sequeretur quod accidentia ignis si essent maxima, vt pote tantæ quantitatis sicut sphęra ignis, & tamen separata a substantia non possent corrumpere guttam aquæ ibi existentem, quod videtur impossibile.

Quarto arguitur, agens naturale posset corrumpere qualitates in Eucharistia, & per consequens posset inducere gradum aliquem incompossibilem illis formis secundum speciem, atque adeo si ponerentur accidentia actiua, & passiua separata, accidentia actiua possent illa passiua separata corrumpere, vt videtur, ergo pari ratione, & illa coniuncta sed tunc oportet, quod corrumperetur substantia, ergo &c.

Tertia opinio est Doc. in hac q. sub litt. o. §. sed contra. dicentis, ꝙ accidentia solū disponunt ad substantię generationē atq; adeo accidentia separata conferre ad generationē substantialē totum influxum, quē darent substantiæ coniūcta tamen at quia ille non sufficit, necessariū esse, ꝙ Deus suppleat illā efficientiam, quā substantia pręsens conferret, & hęc opinio fuit ēt Ale. de Ales p. 4. q. 10. m. 7. ar. 3. D. Bo. in 4. d. 12. ar. 2. q. 3. & Dur. eadē d. q. 1. Cōsistit ergo opinio *Ale. de Al. D. Bonaue. Durandus.*

Digitized by Google

Doct. in hoc, quod accidens separatum, sicut nec coniunctum non potest esse instrumentalis causa generandi substantiam, de accidente coniuncto probatum est supra art. 3 huius quæst. De separato autem probatur, quia instrumentum non operatur nisi concurrente causa principali, scilicet substantia, quæ iam non est, vt patet in Eucharistia, quare accidens separatum respectu generationis substātiæ non erit instrumentum. Præterea quod non se habet aliter secundum actum primum, quam prius, non potest in actū secundum plusquam prius, sed accidentia separata non se habent aliter ad actum primum respectu generationis substantiæ, post separationem a substantia, quam prius, ergo non possunt in actum secundum plusquam prius, sed priusquam separarentur a substantia non poterat attingere actiue instrumentaliter ad generationem substantiæ, vt probatum est supra, ergo nec post separationem a substantia hoc efficere possunt, maior patet, & minor probatur, quia post separationem sunt eadem accidentia, quæ prius, neque eis conserta aliqua virtus noua, sicut nec aliquod esse nouum, vt dictum est in præcedenti quæst.

Præterea si accidentia separata possent corrumpere, vel generare substantiā, aut hoc esset in virtute propria, quod non est verum, nec possibile secundum omnes, aut in virtute alterius, scilicet substantiæ cuius fuerunt, & hoc non, quia substantia non est, quia quod non est, quando non est nihil causat in quocumque ordine causæ, substantia autem non est, quando istud accidens afficit, & cuius erat accidens, ergo illa substantia nullam rationem causæ habet propinquæ, vel remotæ respectu effectus causati ab accidente, & per consequens accidens non causat aliquid virtute eius tamquam in virtute causæ superioris, & confirmatur, quod non est, nullam rationem causæ habet respectu geniti quando generatur patet 2. Phy. t. cap. 17. & 5. Meta. t. cap. 3. quia causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt, præterea instrumentum est mouens motum, sed accidens in proposito non est motum a substantia cum ipsa non sit, ergo accidens non est eius instrumentum.

Deinde accidenti separato non conuenit nisi vna priuatio inhærentiæ, quæ sibi non conueniebat sibi coniuncto, sicut dictum est supra, sed priuatio non est principium agēdi, ergo &c.

Ad argumenta in oppositum dicit Doct. ad primum respondet sub litt. n. §. Ad aliud dubium, quod tota difficultas istius argumenti consistit in hac propositione, videlicet accidentia possunt corrumpere formam substantialē, vel substantiam, quando sunt in subiecto, ideo Doct. dat duas solutiones, quæ in rei veritate non satisfaciunt quousque subiungit tertiam, pro intelligentia primæ solutionis obseruandum est, quod quælibet substantia determinat sibi aliquam qualitatem in certo, & determinato gradu, sub quo minori esse non potest, atque adeo ad hoc quod alterans corrumpat substantiam, necesse est, quod corrumpat qualitatem illam conseruatiuam illius, secundo obseruandum est, quod substantia corrumpenda resistit corrumpenti, adeo quod non solum qualitas substantiæ corrumpendæ resistit qualitati contrariæ corrumpentis, sed etiam ipsamet substantia resistit, atque adeo oportet, quod accidens corrumpens, vel alterans adiuuetur a substantia, ex quo sequitur, quod licet accidentia existentia in subiecto possint producere, & etiam corrumpere substantiam, accidentia tamen separata non possunt, quia non adiuuantur a subiecto, & hoc est, quod vult dicere Doct. cum inquit, quod qualitas, vt puta caliditas separata est principium actionis in passum, puta in aquam, quæ habet qualitatem contrariam, nimirum frigiditatem, & hoc secundum quēlibet gradum, id est, potest corrumpere frigiditatem secundum quemlibet gradum, secundum quem poterat prius corrumpere dum erat igni vnita, & hoc quantum est ex parte qualitatis actiuæ, sed propter subiectum, in quo est contrarium, id est, propter aquam in qua est frigiditas, quod subiectum determinat sibi aliquem gradum magis quam alium, quia substantia aquæ determinat sibi aliquem gradum frigiditatis, sub quo minori esse non potest, possibile est, quod caliditas separata non possit in omnem gradum contrarij inquantum contrarium est in tali subiecto, id est, possibile est, quod caliditas separata a subiecto non possit corrumpere frigiditatem secundum omnem gradum, in quantum frigiditas est in aqua, quæ determinans sibi certū certum gradum frigiditatis resistit tantum, sicut poterat prius quando in subiecto, hæc responsio, inquit Doct. declarabitur in sequentibus vnde secundum hanc responsionē neganda est consequētia, cuius ratio est, quia quælibet substantia determinat sibi aliquem gradum qualitatis conseruatiuum sui ipsius. Et cum dicitur, quod accidentia separata possunt in omnem actionem, in quam poterant existentia in subiecto, dico quod verum est, quod possunt in omnem, in quam poterant sine adiutorio subiecti, sed in vltimum gradum contrarij non poterant in subiecto sine subiecti adiutorio, & per consequens separata in hanc actionem non possunt, sed hæc responsio non satisfacit, neque est ad aures Doct.

Ideo dat aliam responsionem, cum dicitur accidentia cōiuncta subiecto possunt corrumpere substantiam, ergo & separata. Respondet Doct. quod licet accidentia coniuncta possint in omnem gradum alterationis, atque ita etiam accidentia separata, ex hoc tamen non sequitur, quod accidētia separata possint in corruptionem substantiæ, sicut nec poterant coniuncta, & ratio est quia generatio non potest a corruptione separari comparando ad agēs naturale, hoc modo intelligendo, quod causatum, id est, creatum corrūpens aliquid in fine corruptionis aliquid relinquit, quia non annihilat, nec potest creatura corrumpere in accidens per se existens, quia non potest causare accidens sic existēs, ergo si corrumpat corrumpet in substantiam, & per consequens, si non habet virtutem corrumpendi in substantiam omnino non corrumpet, sed accidens separatum non habet virtutem corrumpendi in substantiam, quia nec producendi substantiam, sicut probatum est supra, hæc responsio probatur a Bassolo, nam tenētes, inquit, quod gradus quilibet præcedat formam substantialem in materia, gradus, inquā necessario dispositiuus ad eam, & incompossibilis formæ corrupti præcedit natura licet non duratione in materia formam geniti, sicut dispositio præcedit formam, atque adeo alterans secundum, quod alterans potest inducere vltimum gradum dispositionis, & corrumpere illum, qui est necessarius ad hoc, quod forma alterati stet in materia, nec præsupponit talis alteratio per se primum compositum, vt subiectum, sed materiam, non autem formam necessario. Vnde quantumcumque sic inducat, vel corrumpat vltimū gradum necessarium ad dispositionem, non potest generare, vel corrumpere substantiam, vnde alterans est, sed vnde substantia, & generans, ita ut illo gradu inducto, vel corrupto habetur generatio, vel corruptio ab aliqua substantia, siue a substantia coniuncta accidentibus alterantibus, siue ab aliqua alia; si accidentia alterantia sint separata, puta a cœlo, vel a Deo, vel a quocumque alio, numquam autē ab accidentibus siue coniunctis, siue separatis elicitur generatio, vel corruptio substantiæ. Cæterum hæc responsio præsupponit vnum valde dubium, scilicet quod materia sit primum subiectum qualitatis, & accidentis, & non tantū cōpositum generabile, quod in via Doct. subt. non tenetur, atque adeo hæc responsio non acceptatur a Doct. & ideo impugnat eam, & primo sic.

Qualitas quæ potest in omnem gradum alterationis præcise ad generationem, potest in gradum incompossibilem formæ substantialis rei corrumpendæ, atque ita in corruptionem, sed aliquod accidens potest corrumpere illum gradum, quo corrupto sequitur corruptio illius formæ, ergo aliud accidens potest substantiam corrumpere, & ex consequenti substantiam generare, maior, & minor patent, quia si non potest inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, ergo cum quocūque gradu inducibili ab ipso potest stare forma substantialis corrumpendi, atque ita per nullam alterationem potest corrumpendum corrumpi, patet, quia si per alterationem non induceretur aliquis gradus incōpossibilis formæ substantiali corrumpendæ, sequeretur, quod quacumque alteratione finita circa aliquod alterabile adhuc non corrumperetur forma substantialis, & per consequens per nullam alterationem corrumpentem posset corrūpi, quod est falsum, & contra experientiam, quia clarum est, quod potest fieri talis alteratio, cum qua non stabit forma substā tialis alterati, & per consequens cum accidens possit facere alterationem talem ex responsione præcedenti, sequitur quod possit corrumpere substantiam.

Assignat

Digitized by Google

Assignat ergo Doct. propriam responsionem ad argumentum, quæ est tertia dicens, quod numquam potest alterans inducere gradum incompossibilem alterabili, quoniam alterans, vt alterans est mouens, & alteratum est mobile, sed mouens numquam potest per motũ introducere aliquid, quod sit impossibile mobili, quia tunc mobile nõ esset mobile, quod tamen est falsum cũ maneat mobile in toto motu, sicut ergo mouens non potest introducere aliquod incompossibile mobili, ita nec alterans inquantum alterans, potest inducere aliquod incompossibile alterato. Et confirmatur quia bene sequitur hoc mouet, siue alterat demonstrata caliditate, ergo hoc, scilicet alteratum est, & vltra alteratum est, ergo non producitur in eo aliquid repugnans suæ existentiæ, quia tunc incompossibilia essent simul, scilicet alteratum, & illud quod repugnat eius existentiæ: cum ergo mouens maneat in toto motu sequitur quod maneat sub omni gradu inducto per motum, & cum nihil maneat sub aliquo sibi incompossibili, numquam poterit alterans inducere gradum incompossibilem alterabili, & quando infertur, quod numquam alterans per alterationem corrũpit alteratum, concedo, & ratio est, quia numquã prius natura corrumpitur per aliquod posterius naturaliter, sed forma substantialis est prior natura omni eo, quod inducitur ab alterante, vt alterans est, ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur forma substantialis alterabilis, minor patet, quia omnis forma substantialis est prior accidente, sed per alterationem non producitur nisi accidens, scilicet qualitas, ergo forma substantialis, quæ est prior omni accidente non corrumpitur per alterationem, ex quo sequitur, quod cum quacumque alteratione stat forma substantialis, & per consequens minor primi argumenti est falsa cum suis probationibus, in qua dicebatur, quod accidens separatum potest alterando corrumpere gradum, quem sibi determinat forma substãtialis, quo corrupto corrumpitur forma. Secundo sequitur, quod forma substantialis non corrumpitur ab accidente nisi dispositiue, quia accidens alterans disponit alterando passum, & præparando ad corruptionem formæ substantialis. Corruptio autem formæ substantialis fit a substantia, quia sicut oppositum formæ substantialis corrumpendæ, id est, forma substantialis introducenda non potest generari nisi a substantia, vt supra probatum est, ita forma substantialis non potest nisi a substantia corrumpi. v.g caliditas ignis alterat lignum, sed per istam alterationem numquam potest corrumpi forma ligni, sed solum corrumpitur a forma substantiali ipsius ignis, & si dicas caliditas ignis potest corrumpere illum gradum qualitatis, quem sibi determinat forma ligni, sed illo gradu corrupto statim corrumpitur forma ligni, ergo caliditas ignis corrumpit formam ligni, nego maiorem, quia nec caliditas, nec aliquod accidens potest corrumpere illum gradum, eo quod substantia resistit.

Sed contra, accidẽtia separata possunt in quemlibet gradum alterationis sicut prius, ergo in vltimum, & per consequens cum ille vltimus corruptus immediate disponat ad corruptionem substantiæ, vel isto corrupto immediate concomitetur corruptio substantiæ, sequitur quod substantia corrumperetur, ergo accidentia separata possunt corrũpere substantiam, probatur prima consequentia, nam accipio ignem, & lignum, & approximo ignem ad lignum, agatque ignis in lignum per certum tempus, et sit tempus vnius horæ, certum est, quod caliditas ignis corrũpet qualitatem contrariam vsque ad illum gradum, quem sibi determinat forma substantialis ligni, atque per te per illam alterationem non corrumpitur frigiditas, quam sibi determinat lignum, tunc quæro post illam alterationem habebit ne caliditas ignis actionem aliquam, an non? si dicas quod non, dicas quare non, & videtur quod non possit assignari ratio, cum videatur ignis caliditas vigorata, & minorẽ habeat in passo resistentiam. Si dicas quod sic, ergo aliquid ea actione corrumpitur, & non nisi frigiditas, quæ est vltimus gradus, quem forma substantialis ligni sibi determinat, ergo caliditas ignis potest corrumpere vltimum gradum frigiditatis, sed ad corruptionem istius gradus sequitur corruptio substantiæ ergo &c.

Pro solutione huius rationis obseruandum est, quod aliquis gradus potest dici proximus corruptioni duobus modis, vno modo in ordine ad agens, siue corrumpens, alio modo in ordine ad corruptionem, ille gradus dicitur proximus corruptioni in ordine ad corrumpens, qui primus est qui corrumpitur quando agens corrumpens approximatur. Secundo obseruandum est, quod alterans potest esse duplex, vnum quod sic se habeat, quod agit alterando, & cum hoc habet formam, quæ potest corrumpere illum gradum, quem forma substantialis sibi determinat, alterum est, quod potest quidem alterare passum, sed non est ita potens, quod possit ipsum corrũpere, seu quod corrumpat illũ gradum, quem sibi determinat forma substantialis, exemplum primi, ignis alterat lignum caliditas ignis sufficienter alterat lignum ad corruptionem, non quod caliditas corrumpat vltimum gradũ frigiditatis in ligno, sed forma ignis, cui associatur caliditas ipsum corrũpit, & ille gradus corruptionis, id est, ille gradus frigiditatis corruptus est proximus corruptioni substãtiæ; exemplum secundi caliditas separata a subiecto potest alterare lignum, sed nullo modo potest corrumpere gradũ quem sibi determinat forma ligni, quia non est cum forma substantiali, quæ potest gradum illum corrumpere, & qualitas corrupta per caliditatem separatam non est proxima corruptioni, sed tantum ipsi alteranti, vel corrumpenti ex hoc sequitur, quod duplex est gradus, quidam qui est incompossibilis formæ substantiali, & iste vocatur gradus proximus corruptioni, imo est gradus quo destructo destruitur forma, alius est gradus, qui vocatur proximus corrumpenti, & est ille, quo corrupto, adhuc manet aliquid corrumpendum. Sed quia litera Doct. est difficilis eam sic exemplariter declaro, accipiatur aqua, quæ sit frigida, vt decem, ita ut habeat frigiditatem decem graduum de quibus determinet sibi quatuor, ita ut non possit esse sub minori frigiditate, & hæc frigiditas quatuor graduum vocetur a, alij autem sex gradus sine quibus aqua potest esse, vocentur b, frigiditas a, vocatur gradus incompossibilis, quia ad hoc quod corrumpatur aqua non requiritur nisi, quod corrumpatur a, vel aliqua pars eius, & iste gradus vocatur etiam indiuisibilis eo quia in eo tamquam in puncto consistit conseruatio formæ substantialis, quoniam si aliqui[...] eius destrueretur necesse est formam substãtialem destrui, frigiditas autem b, etsi secundum se totam, vel secundum aliquam eius partem corrumpatur non corrumpitur aqua licet sit proxima ad corruptionem, atq; adeo talis frigiditas b, vocatur gradus proximus corrumpenti, & potest frigiditas b, corrumpi sine corruptione substantiæ: frigiditas autem a, corrumpi non potest sine substantię corruptione, & per consequens frigiditas a, est gradus in alteratione, qui est proximus corruptioni substantiæ si sit agens, quod frigiditatem a, corrumpere queat.

Dicit ergo Doct. sub. litt. q. § ad secundum, quod nullus est gradus in alteratione ad quem necessario sequatur corruptio formæ substantialis alterabilis, sed ille qui est proximus in vno alterabili, potest non esse proximus in alio alterabili, loquendo respectu corrumpentis, vel generantis intrinsece immediate se habentis ipsi alteranti, vt si caliditas ignis alteret aquam corrumpendo frigiditatem a, gradus iste in isto alterabili est proximus corruptioni, quia caliditas habet ignem, qui est corrumpens vltimum gradum frigiditatis, id est, frigiditatem a, & qui etiã est generans formam substantialẽ ignis in materia aquæ: si autẽ esset caliditas ab igne separata licet posset alterare aquã corrumpẽdo totam frigiditatẽ b, tamen ille gradus alterationis nõ esset proximus corruptioni propter defectum corrumpentis. s. ignis, quia non adesset ignis, qui posset corrumpere frigiditatẽ a, atq; adeo esto, quod gradus aliquis quasi proximus illi, qui est incompossibilis formæ aquæ induceretur a caliditate separata in aquam, & quo posito statim sequeretur corruptio ipsius aquę si cum caliditate esset præsens forma ignis, quæ posset corrumpere aquam, cęterum quia caliditas supponitur ab igne separata, non potest caliditas formã aquæ corrumpere, sed facta alteratione, & dispositione ad corruptionem corrumpetur forma aquæ ab aliquo agente vniuersali corrumpente vltimum illum gradum, quem sibi determinat forma aquæ, & inducente formam ignis ad quam materia est disposita, ita esset in proposito si ab accidentibus separatis alteraretur aqua ad gradũ, qui alias esset proximus corruptioni sicut est dare ibi proximum, & dico sicut quia indiuisibilibus nullum indiuisibile est proximũ indiuisibili, tunc quidem statim sequeretur ab ipso alterãte corruptio aquæ, sed non ab ipsis accidentibus separatis, sed ab extrinseco.

Ad formam argumenti respondetur, quod licet accidentia in Sacramẽto possint in quemlibet gradum, sicut prius, negauit, quod possint in vltimum gradum, quem sibi determinat forma substantialis, quoniam nec etiam vnita possunt illum gradum corrumpere, quoniam licet accidentia coniuncta possint alterare aquam vsque ad gradum, qui esset proximus corruptioni, gradus tamen ille corruptioni proximus non corrumpitur ab illis, sed a forma substantiali subiecti, in quo sunt.

Sed contra accidentia separata possunt in aliquam actionem incompossibilem formæ contrariæ, id est, possunt producere aliquem gradum formæ contrariæ incompossibilẽ, ergo potest totam formam contrariam corrumpere, & per consequens potest corrumpere vltimum gradum, quem forma substantialis alterabilis sibi determinat, consequentia probatur, quia aliqua qualitas quando est in subiecto, nimirum calidιtas ignis potest esse principium agendi ad aliquid incompossibile formæ substantiali aquæ, ergo & qualitas separata hoc potest, quia dictum est quod omnẽ alterationem, quam potest accidens in subiecto causare, potest & sine subiecto, antecedens probatur exemplo, sit verbi gratia ignis, vel calor ignis, & agat in aquam, quæ vt diximus determinat sibi frigiditatem vt quatuor, & sit aqua frigiditatis vt decem, dum calor alterat aquam corrumpendo vnum gradum frigiditatis inducit in aquam vnum gradum caliditatis, corruptis ergo sex gradibus frigiditatis, sine quibus aqua potest esse, introducit sex gradus caliditatis, cum quibus forma aquæ stare potest, deinde calor ignis potest adhuc alium gradum caliditatis inducere, ergo corrumpit alium gradum frigiditatis, & per consequens corrumpit gradum illum, quem forma substantialis aquæ sibi determinat.

Et confirmatur, omnes gradus frigiditatis existentis in aqua sunt eiusdem rationis, ergo accidentia, qua possunt corrumpere aliquos gradus frigiditatis per alterationem possunt corrumpere omnes, quo facto corrumpitur vltimus gradus, & ex consequenti substantia corrumpitur.

Respondet Doct. negando antecedens, & cum probatur respondet, quod sicut accidentia separata non possunt corrumpere substantiam, ita nec accidentia subiecto coniũcta, ex quo sequitur, quod sicut accidentia coniuncta non possunt corrumpere illum gradum qualitatis, quem sibi determinat forma substantialis, ita nec separata possunt illũ corrumpere, & hoc est, quod vult dicere Doc. cum inquit: dico quod qualitas actiua aliqua in substantia existens nõ potest esse per se principium actiuum alicuius qualitatis repugnantis substantiæ corrumpendæ, sed tantum potest esse principium causandi qualitatem in tali gradu, ad quem sequitur corruptio substantiæ habẽtis illam qualitatem, sed ibi, id est, in alteratione facta ab accidente coniuncto sequetur istum gradum qualitatis corruptio substãtiæ, hic autem non, id est, in alteratione facta ab accidente separato, & ratio diuersitatis est, quia ibi est quoddam agens coniũctum isti accidenti, nempe subiectum, quod potest corrũpere substantiam hanc, & aliam generare, hic autem non; quia hic accidens est, sine subiecto, & per consequens hic ad illum gradum non sequetur corruptio ab isto agente, scilicet ab accidente separato, sed forte ab aliquo agente vniuersali, vt supra dictum est.

Ad confirmationem dicit Doct. quod omnes gradus frigiditatis possunt dupliciter comparari, vno modo inter se se, alio modo ad agens, siue corrumpens, si comparẽtur inter se se, omnes gradus frigiditatis sunt eiusdẽ speciei, quia omnis frigiditas est eiusdem speciei essentialiter cum qualiber frigiditate, si verò comparentur ad agens dicit Doct. quod possunt dici alterius, & alterius speciei, & rationis, quia aliquod agens corrumpens vnum non potest corrũpere aliud, aliquod verò agens corrumpens vnum potest corrumpere omnes, exemplum primi; accidentia possunt corrumpere omnes gradus præter vltimum, exemplum secundi, forma substantialis ignis cum suis accidentibus potest corrumpere omnes gradus.

Ad argumentum ergo secundum istam responsionem distinguendum est antecedens, & cum dicitur omnes gradus frigiditatis existentis in aqua sunt eiusdem rationis, cõcedo si inter se se, comparentur, sed nego si comparentur ad quodlibet agens. Secundo respondetur, gradus possunt comparare inter se præcise, vel inter se, & ad subiectum in quo sunt, priori modo sunt eiusdem rationis, posteriori modo non, & ratio est quia illud subiectum determinat sibi aliquos illorum, aliquos vero non, atque adeo in ordine ad subiectum non sunt eiusdem rationis, tunc ad formam rationis si maior intelligatur secũdo modo admittitur, sed minor est falsa, quia non sunt hoc modo eiusdem rationis, si intelligatur primo modo maior est falsa, & vt intelligatur hæc responsio formetur sic argumentum: agens eiusdẽ rationis potest corrumpere ea, quæ sunt eiusdem rationis, sed omnes gradus frigiditatis v.g. sunt eiusdem rationis, ergo &c. Si intelligatur secundo modo, id est, agens eiusdem rationis potest corrumpere ea, quæ sunt eiusdem rationis inter se, & in ordine ad subiectum, maior est vera, sed minor falsa quia omnes gradus frigiditatis non sunt eiusdem rationis inter se, & in ordine ad subiectum, vt dictum est, si autem maior intelligatur primo modo, id est, agens eiusdem rationis potest corrumpere ea, quæ sunt eiusdem rationis inter se tantum, est falsa. Ex his omnibus elicitur, quod resolutio Doc. in hac materia est, quod nullo modo forma substantialis neque gradus, quem illa sibi determinat ad sui conseruationem potest corrumpi ab aliquo accidente, siue sit separatum a subiecto, siue sit in subiecto.

Ad secundum argumentum principale respondetur, quod nec accidentia coniuncta, nec separata possunt nutrire effectiue generando, vel attingendo carnem, sed hoc ad substantiam pertinet, accidentia tamen siue coniuncta, siue separata possunt alterare aliquid, vt dictum est supra, cum ergo dicitur, quod accidentia nutriunt, dico, quod verum est eo modo quo dici potest, quod accidentia alimenti nutriũt eo modo quo animal nutrit se ipsum, & saluat, & hoc est magis materialiter, & obiectiue, quàm effectiue, & si effectiue non nisi disponendo, quomodo autem sic nutriant, & quomodo non, inferius patebit.

Ad tertium dicit Doct. quod si tota substantia ignis in sphæra sua destrueretur, & manerent ibi omnia accidentia sine subiecto, gutta aquæ in eis posita numquam destrueretur ab illis, quoniam agens naturale numquam corrumpit aliquid nisi vt generet aliud, quia in suis actionib. semper intendit aliquid producere, & non corrumpere, si ergo prædicta accidentia corrumperent prædictam aquæ guttã hoc esset vt generarent aliquid, sed non generarent substantiam, vt probatum est, neque accidens quia corrumpitur, ergo oporter dicere, vel quod materia aquæ maneret sine forma, quod est absurdum in Philosophia, vel quod illam guttam aquæ annihilarent, & hoc non, cum nullum agens naturale possit annihilare neque accidentia facere sine subiecto, nec in materiam primam simpliciter resoluere, concedit ergo Doct. consequens, & consequentiam, quoniam non solum illud consequens non est falsum, neque absurdum, sed est veritas per se nota.

Et si dicatur, hoc est absurdum, & contra sensum. Respõdet Doct. quod si accidentia aliqua actiua essent sine subiecto, substantia quanta, & qualis approximata eis corrumperetur, sed non ab illis accidentibus, imo ab agente vniuersali causato, scilicet cœlo, ad quod agens vniuersale cõfugiunt communiter Philosophi, & hoc apparet præcipue cum forma ibi introducenda sit imperfecta, & per consequens totaliter sit in virtute cœli, & per consequens nullo particulari agente impediente, imo magis disponente potest forma illa a cœlo induci, sicut inducit quasdã formas imperfectas in materias corruptibilium. Et si forma introducenda sit ita perfecta, quod cœlum non possit illam totaliter producere, tunc recurrẽdum esset ad primam causam simpliciter, scilicet ad Deum benedictum, quia hic induceret illam formam ad quam agens naturale tamen disponit. Et si dicas, quod hoc est fugere ad miraculum, dicit Doct. quod non, quia Deus ordinauit supplere natura impotentiam, & hoc regulariter, nam Deus fecit tale pactum cum natura, quod si ipsa disponeret ad inductionẽ alicuius formæ quæ non possit ab ipsa natura produci, ipse Deus suppleret inducendo talem formam, & hoc tollit miraculum, vt patet in animatione corporis organici, nã ea, quæ Deus facit regulariter non sunt dicenda miracula, licet fiant supra cursum naturæ, ex eo enim, quod tota natura non potest corpus organicum animare, Deus supplendo impotentiam naturæ faciendo animationem non facit miraculum, ita in proposito tota natura creata non sufficeret ad generationem istam, nec ad corruptionem, & ita natura dispo-

nente

Digitized by Google

nente ad eam vltimata dispositione Deus regulariter suppleret impotentiam naturæ.

Ad quartum concedit Doct. ꝙ qualitates, vel species sacramentales possunt corrumpi ab aliquo agente creato, sed qualiter, & quare, hoc fiat dicetur in sequenti, quæst. & etiam qualiter ibi generetur substantia, vel non; ita quòd solutio huius argumenti remittitur ad quæst. sequentem, sed si formetur ratio hoc modo: Accidens potest corrumpere gradum, quem sibi determinat forma substantialis, ergo potest corrumpere substantiam, consequentia est nota, quia ad corruptionem illius sequitur corruptio substantiæ, antecedens autem probatur: quia si prædictus gradus, quem sibi determinat substantia separaretur ab ipsa, & poneretur in quantitate, Tunc accidens posset corrumpere illum gradum, sed accidens non habet minorem actiuitatem respectu illius, quando est in substantia, ergo, &c. atq; ita habetur intentum, quòd talis gradus potest corrumpi à qualitate, & per cõsequens forma substantialis, exemplum potest poni de caliditate, & frigiditate separatis à substantia, & positis in quantitate, verbi gratia, si Deus separaret ab igne caliditatem, & ab aqua frigiditatem, & caliditas esset intensior frigiditate, certum est quòd si approximarentur, quod caliditas ageret in frigiditatem, & corrumperet etiam vltimum gradum frigiditatis, sed non est maioris virtutis, vel magis actiua ista caliditas separata per hoc quod frigiditas est separata, quam si frigiditas esset in substantia, scilicet in aqua; ergo si frigiditas esset in aqua adhuc posset caliditas separata corrumpere vltimum gradum frigiditatis aquæ, & tunc stat argumentum principale, quia ille gradus vltimus frigiditatis non potest corrumpi, nisi aqua corrumpatur, nec potest aqua corrumpi nisi alia substantia generetur, atque adeo calor separatus potest generare aliquam substantiam.

Respondet Doct. quòd ponendo caliditatem ignis, & frigiditatem aquæ in quantitatibus separatis à substantijs, vt argumentum supponit; si caliditas simpliciter vinceret secundum intensionem in specie sua frigiditatem, ita quòd esset frigiditate intensior, posset caliditas frigiditatem corrumpere etiam vsque ad vltimum gradum, sed non sequitur quòd similiter possit vltimus gradus frigiditatis corrumpi, quando frigiditas est in aqua, & ratio est hæc. quia quantitas, quæ subijcitur frigiditati separatæ non determinat sibi necessariò gradum aliquem frigiditatis non magis infimum quam summum; non habet enim aliquam virtutem actiuam, vel necessitatem respectu cuiuscumq; gradus sibi, atque adeo quod potest corrumpere in tali subiecto vnum gradum potest corrumpere alium, & quamlibet, quoniam hi gradus sunt eiusdem rationis inter se, & in ordine ad subiectum, id est æqualis est determinatio, vel indeterminatio subiecti ad quemcumque gradum & è conuerso, sed non est ita, quando frigiditas est in aqua, nam licet aqua nõ determinet sibi necessariò supremum gradum frigiditatis, sed contingenter est in aqua, aliquem tamen gradum necessariò sibi determinat, atque adeo licet ille supremus gradus frigiditatis non possit resistere calori corrumpenti, nec subiectum resisti, quia non necessariò requirit illum gradum, tamen gradus ille infimus, quem aqua sibi determinat, etsi non possit secundum se magis resistere corrumpenti, quam supremus gradus, tamen substantia aquæ, quæ est maioris virtutis potest resistere cõtrario corrumpenti, plus enim potest substantia aquæ ad conseruandum illum gradum, quam possit calor ad corrumpendum, conseruabitur ergo ille gradus, quamdiu aqua est in suo esse manens, atque adeo nisi sit aliquod corrumpens aquã in se non corrumpetur ille gradus. Quando ergo dicitur, quòd non est calor maioris virtutis, nec magis actiuus per hoc quòd frigiditas est sine substantia, quam si esset cum substantia, concedo quod non est in se magis actiuus, sed in hoc contrarium magis potest agere, & resistere, quia hoc contrarium separatum caret causa conseruante suum esse, coniunctum autem habet causam cõseruantem suum esse. Et hæc responsio (inquit Doct.) est vniuersaliter vera de causis contrarijs formaliter, vel virtualiter concurrentibus circa idem passum, non enim est vna magis actiua simpliciter, vel minus, quia alia concurrit circa idem passum, sed tantum vna est minus actiua in illud, quia alia concurrit, quia illa impedit.

QVAESTIO IV.

Vtrum omnis transmutatio, quæ potest causari ab agente creato circa accidentia in Eucharistia manente necessario requirat eamdem quantitatem manere.

Ratio dubitandi est, quia agens naturale non potest agere nisi circa subiectum, in speciebus vero sacramentalibus nullum est subiectum vt dictũ est supra; Vnde videtur consequens, quod agens naturale nihil operari possit circa illa accidentia, seu species sacramentales, nisi eadẽ quantitas, quæ est ibi subiectum aliorum accidentium maneat in principio, & fine talis operationis.

Vnde obseruandum est, quòd non agitur in ista quæstione de transmutatione corruptiua specierum, sed de trãsmutatione, quæ fieri potest manente sacramento, qualis esset calefactio hostiæ, & frigefactio, ideoque dicitur in titulo quæstionis, manente Eucharistia.

Secundo obseruandum est, quòd transmutatio circa species sacramentales fieri potest, vel secundum quantitatem, vt rarefactio, & condensatio, vel secundum qualitatem vt calefactio, & frigefactio, vel secundum vbi vt loci mutatio. Diuiditur autem hęc quæstio pro faciliori intellectu in sequentes articulos.

Primus art. Vtrum motus esse possit sine mobili.
Secundus art. Vtrum in augmentatione quantitas præexistens corrumpatur.
Tertius art. Vtrum rarefactio sit augmentatio, & condensatio sit diminutio.
Quartus art. Vtrum species sacramentales possint moueri localiter.
Quintus art. Vtrum species sacramentales moueri possint motu alterationis.
Sextus art. Vtrum species sacramentales possint naturaliter transmutari motu rarefactionis, & condensationis.
Septimus art. Vtrum agens naturale possit augere, vel minuere quantitatem existentem in Eucharistia.
Octauus art. Vtrum in omni transmutatione, quam agens naturale potest causare circa species sacramentales manente sacramento sit necessarium eamdem quantitatem manere.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus esse possit sine mobili?

Hæc quæstio intelligi potest vel de agente creato, vel de agente increato, id est vtrum motus possit causari ab agente creato sine mobili, vel vtrum agens increatum, vtputa Deus benedictus possit causare motum sine mobili, & in vtroque sensu determinanda est quæstio.

Quoad priorem sensum fuit opinio Gotfredi de fontibus quolib. 11. q. 3. qui non habet pro inconuenienti, quod ab agente creato fiat motus sine subiecto, quia patet ad sensum, quod ignis potest calefacere species sacramentales, sicut si essent in subiecto, & per consequens potest ipsas rarefacere, & cum in rarefactione acquiratur noua quantitas, maior quam præcedens, quæ totaliter corrumpitur adueniente maiori, sequitur ꝙ illa rarefactio in nullo erit subiecto, nam ille motus rarefactionis recipitur in quantitate, quæ corrumpitur, vel in illa, quæ acquiritur, non primum: quia tunc esset, & non esset illa quantitas, non esset quia corrumpitur: & esset quia reciperet motum; nec secundum: quia terminus motus non est subiectum motus, sed quantitas, quę de nouo acquiritur est terminus motus, ergo, &c. Addit tamen Gotfred. ꝙ non omnis motus, qui fit circa species sacramentales est sine subiecto, nam duplex est transmutatio in hoc sacramento, quædam secundum quam primo, & per se fit transmutatio, & ista transmutatio fit sine subiecto quædam est, quæ non fit primo, & per se, sed per accidens, & ista transmutatio fit sine subiecto, prima transmutatio est alteratio, & secunda est rarefactio, seu condensatio, & semper prima præsupponitur à secunda, Gotfredus.

nam

nant rarefactio, & condensatio numquam sunt primi motus, sed præcedit semper alteratio: quando enim aliquid rarent, hoc est propter calorem, qui producitur, & quando aliquid condensatur fit per frigiditatem, quæ producitur, adeo ꝙ prima & per se mutatio est secundum calidum, & frigidum, quæ mutatio est alteratio, & est in subiecto, scilicet in quantitate, quoniam caliditas, & frigiditas producuntur in quantitate, sed istam alterationem per calidum, & frigidum sequitur per accidens condensatio, vel rarefactio, & iste motus rarefactionis, vel condensationis est sine subiecto.

Quoniam ergo illud secundum quod primo, & per se fit hæc transmutatio, vt puta caliditas, vel frigiditas non est sine subiecto, & per consequens mutatio ad qualitatẽ non est sine subiecto, potest dici, quòd hic motus scilicet, qui fit circa species sacramentales non est omnino sine subiecto.

Cęterum quoniam illud, quod hic ponitur pro subiecto eius; secundum quod per se fit transmutatio, etiam transmutatur, vt puta quantitas, & suæ transmutationi non potest assignari subiectum, ideo ratione eius motus dicitur esse sine mobili, hæc est opinio Gotfredi relata à Doct. in principio huius quæst. § Hic est vna opinio, quam probat tribus rationibus.

Et prima ratio elicitur ex dictis eius (vt inquit Doct. §. pro secunda conclusione,) sicut virtute diuina accidens habet esse in facto esse, & quieto sine subiecto, ita in fieri, & in motu potest habere esse sine subiecto, ergo agens creatum potest causare motum sine subiecto; pro intelligentia huius rationis obseruandum est, quod accidens duobus modis potest habere esse, vno modo in esse quieto, quando totaliter est acquisitum alio modo, quando est successiuè, & in fieri, dicitur autem accidens habere esse priori modo, quando est totaliter acquisitum, & permanet totum esse suum acquisitum, vt quando caliditas est acquisita dicitur habere esse quietum, sed accidens dicitur habere esse in fieri, siue in esse successiuè, quamdiu acquiritur.

Dicit ergo Gotfred. ꝙ sicut accidens virtute diuina potest secundum esse quietum esse sine subiecto, ita potest habere esse in fieri sine subiecto, ergo si ab agente creato species sacramentales rarefiant erit motus sine subiecto.

Secundo arguitur. Sicut virtute diuina accidens habet quod sit sine subiecto, sicut etiam idemmet accidens habet virtute diuina vt sibi conueniat sine subiecto existẽti, quidquid sibi conueniebat in subiecto existenti, sed accidenti in subiecto existenti conueniebat, quòd posset agens naturale variari secundum maius, & minus, ergo & sine subiecto existenti potest huiusmodi variatio, & ab eodem agente sibi conuenire, sed huiusmodi variatio est sina aliquo subiecto, ergo motus fieri potest sine subiecto; supponit Gotfr. in hac ratione quòd omnia illa, quę habet quantitas quando est in subiecto, habet etiam quando est sine subiecto, cuius ratio est, quia per hoc quòd Deus facit accidens sine subiecto, supplet illud esse, quod habebat in subiecto, & per consequens omnia illa, quæ possunt conuenire quantitati, quando est in subiecto, possunt sibi conuenire quando est sine subiecto, atque adeo cum quantitas in subiecto existẽs possit ab agente naturali fieri maior, vel minor, ita existens sine subiecto potest ab eodem agente consimili modo variari, atque ita erit motus sine subiecto.

Tertio arguit Gotfred. licet motus non sit secundum cõpletam rationem sibi secundum cursum naturalem conuenientem, nisi sit aliquod vnum aliter se habens secundum aliquam formam nunc quam prius, tamen ad essentiã motus principaliter pertinet ipse fluxus formæ, vel ipsa forma secundum esse in fieri; hæc autem bene inueniri potest; licet nullum subiectum aliter se habeat secundum eam, ergo & essentia motus potest esse sine subiecto; In hac ratione supponit Gotfred. quòd motus non habet aliquid, quod sit de essentia eius nisi solam successionem, vel solum fluxum formæ, seu ipsam formam fluentem; est enim duplex opinio de esse motus, quidam enim volunt quòd motus neq; est mobile, neque forma quæ successiue acquiritur, sed est quædam successio, per quam partes formæ formaliter dicuntur acquiri successiuè. Alij verò dicunt, quòd motus successiuus est forma, quæ successiuè acquiritur, ita quòd secundum primam opinionem de ratione motus non est aliud, quam successio partium formæ, sed iuxta secundam de ratione motus est ipsa forma fluens, sed sic est quod & successio, & forma fluens potest esse sine subiecto, ergo & motus, consequentia patet: quia motus nihil aliud est, quã fluxus formæ, vel ipsa forma fluens.

Sed hæc opinio destruit fundamentum Phil. naturalis, nam Arist. 1. Phys. tex. cap. 82. & 1. de generat. tex. cap. 24. & alibi sæpe probat, quòd oportet aliquod subiectum subesse termino transmutationis, videtur etiam destruere ea, quæ apparent ad sensum, nam agens, quod habet in virtute sua actiua complete terminum potest illum ponere in esse, si non impediatur, ergo agens creatum posset ponere in esse motum sine quocumque passio, & sic posset facere accidens sine subiecto, & formam substantialem sine materia, quod patet manifeste contra sensum.

Præterea tàm motus, quam mutatio requirit, & pręsupponit subiectum, vt patet ex definitione motus 3. Physic. t. cap. 6. & 9. Motus est actus entis in potentia, & est actus mobilis in quãtum mobile; patet etiam ex definitione mutationis 6. Physic. tex. cap. 32. & 73. mutari est se aliter habere nunc, quam prius, sed transmutatio, quæ potest causari ab agente creato vel est motus, vel mutatio, ergo necessariò præsupponit subiectum, & hoc manens idem sub vtroque termino, ergo, &c.

Pręterea 7. Meta. tex. c. 22. & inde tex. cap. 32. probat Philosophus, quòd generans non generat nisi compositum, & exponit in fine capituli, ꝙ non solum de substantia ostendit ratio non fieri speciem, id est, non generari formam, sed de omnibus similiter primis prædicamentis communis est ratio, vt quãtitate, & qualitate, & alijs cathegorijs: fit enim velut ænea sphæra, sed non sphęra nec æs, similiter in alijs categorijs non enim fit quale, sed quale lignum, nec quãtum, sed quantum lignum, vt animal, ex quibus verbis satis aperte patet ꝙ non potest produci accidens sine subiecto, atque adeo nec motus fieri potest sine mobili. hæc sunt argumenta principalia Scoti.

Præterea arguitur rationibus Gotfred. & primo sic. Si virtute agentis naturalis produceretur quantitas sine subiecto, sequeretur ꝙ talis quantitas crearetur, consequens est falsum, & impossibile, ergo & antecedens, quia creatura creare non potest; consequentia probatur, quia illud accidens dicitur creari, quod non educitur de potentia materiæ, sed illa quantitas producta ab agente naturali sine subiecto non educeretur de potentia materià cum sit sine subiecto, ergo crearetur; maior patet, & minor probatur; quia nihil aliud est educi de potentia subiecti, quam in illo fieri cum dependentia in fieri, & in esse ab illo, ita quòd simul natura producitur ab agente, & informat subiectum, adeo quòd quantum est de se repugnat produci, & non in subiecto. hæc ratio habetur in hac quæst. sub litt. hh. §. contra hanc secundam concl.

Respondet Gotfred. huic rationi, & in responsione præsupponit aliqua, primo supponit q. in transmutatione, quæ fit per rarum, & densum circa species sacramentales nõ est aliud, & aliud esse interruptum; neque aliud esse quantitatis est corruptum, & regeneratum aliud simile: est enim discrimen inter corrumpi, & interrumpi, nam illud corrumpitur quod desinit esse, illud vero interrumpitur, quod habet esse, deinde non esse, & iterum habet esse, ita quod inter esse, & esse mediat non esse, atque adeo dicitur esse interruptum.

Secundo supponit, ꝙ in rarefactione non generatur aliquod esse nouæ quantitatis aliud ab esse quantitatis præexistentis, sed quando illæ species rarefiunt est ibi vnum, & idem esse, & vnius rationis secundum formam, & speciem in esse continuo sine interruptione.

Tertio supponit, quòd quantitas separata à subiecto habet esse subiecti, & habet vnum, & idem esse subiecti, ita ꝙ si ponamus, quòd per rarefactionem corrumpatur vna quantitas, quæ sit a. & ibi succedat alia quantitas, quæ sit b. tunc b. habebit idem esse, quod habebat a. quia est subiectũ accidentiũ, sicut erat a. & ita habet idem esse subiecti, quod habebat a. atque adeo concedit Gotfr. quòd b. est alia quantitas, quam a. sed non concedit, quòd sit aliud esse, & ideo dicit quòd est vnum, & idem esse secundum speciem, & secundum formam.

His suppositis respondet Gotfred. ad rationem negando consequentiam, quia esto ꝙ ab agente creato producatur noua quantitas, illa tamen non dicitur creari, quia nihil creatur nisi habeat nouum esse de nihilo, sed hoc negatur

de

Digitized by Google

de quantitate prædicta, & per consequens nō dicitur creare, atque adeo sicut quando illa quantitas erat in subiecto poterat agens naturale producere illam quantitatem de potentia subiecti, puta maiorem per rarefactionem, & minorem per condensationem, ita etiam quando ista quantitas separatur à subiecto; eo quia in ipsa manet vis, & virtus ipsius subiecti, ideo potest agens naturale educere illam de potentia subiecti, & sicut agens naturale producendo post minorem maiorem quantitatem in subiecto non dicitur creare, ita etiam producendo eam extra subiectum, & ratio est: quia ista quantitas separata habet virtutem, & vim subiecti, qua mediante fieri potest vt in ea post minorem fiat ab agente naturali maior quantitas, & sine creatione, ita ꝙ terminus à quo est minor quantitas, secundum gradum à quo incipit motus, terminus autem ad quem est maior secundum alium gradum, ad quem stat transmutatio, motus autem est fluxus quantitatis indeterminatæ inter istos terminos certos habens esse inter illos, secūdum gradus quasi infinitos, & si quæras postquam est alia, & alia quantitas noua, quare non creatur sequens. Respondet, quòd hoc est propter habitudinem ad præcedentem, estq. illa habitudo quantitas sequens, quæ succedit præcedenti secundum idē esse sine aliqua interruptione per fluxum secundum gradus in quantitate infinitos.

Sed contra hanc responsionem instat Doct. fortificando rationem, quam facit Gotfr. contra se ipsum ibi. Quantum ad secundam conclusionem, &c. sub lit. b. in fine. §. quantū ad secundam conclusionem: & arguitur sic. Si per rarefactionem acquiritur noua quantitas, vt dicit Gotfred. sequitur, quòd talis quantitas creatur, consequens falsum, ergo & antecedens; consequentia probatur. Illud quod secundum se totum, & totaliter producitur de non esse ad esse, vel creatur, vel saltem requirit virtutem æqualem virtuti creatiuæ; sed hæc quantitas noua, quæ acquiritur per rarefactionem tota, & totaliter per se producitur de non esse ad esse, ergo creatur, vel saltem requirit virtutem æqualem virtuti creantis, consequentia est nota, & minor conceditur à Gotfred. maior autem probatur: quia si aliquid producitur de non esse ad esse, vel producitur de nihilo, & tunc creatur, vel producitur per cōuersionem alterius in ipsum, & tunc clarum est, quòd requiritur virtus infinita ad hoc faciendum, ergo omne illud quod producitur secundum se totaliter de non esse ad esse, vel creatur, vel requirit virtutem æqualem virtuti creantis, & per consequens virtute agentis creati non producitur talis quantitas, atque adeo nulla talis per rarefactionem acquiritur.

Secundo arguitur. Si illa quantitas noua, quæ acquiritur per rarefactionem secundum istos non crearetur maximè esset: quia succederet præcedenti, sed hoc nihil facit, quoniā ex hoc quòd succedit alteri nihil intrinsecum variatur in ipsa quantitate, ergo si crearetur esto ꝙ alteri non succederet nihil minus creatur, etsi alteri succedat; probatur, quia quando succedens est, tunc non est illud cui succedit, ergo propter illud non variatur succedens in se. Præterea ordo posterioris ad hoc vel hoc non videtur variare fundamentum ordinis in se, id est, non variat productionem de non esse ad esse, sed si a. id est, quantitas noua nulli succederet, & haberet totale esse suum post non esse crearetur, ergo & nunc, licet secundum suum esse totale succedat alicui, cum totaliter, & secundum suum esse totale habeat esse post nō esse, consequentia patet cum maiori, & minor probatur; quia nullum totum quodcumque sit illud, potest produci ab aliquo post suum non esse totale nisi à virtute infinita, igitur si tale sic producitur verè creatur, vel saltem requirit in producente virtutem infinitam.

Et si dicas, quòd quia succedit isti non videtur requiri tanta virtus productiua, quanta requireretur, si succederet tantum nihilo, vel negationi. Contra; Terminus ad quem non requirit aliam virtutem productiuam nisi propter aliā perfectionem in effectu producendo, ita scilicet, ꝙ quando terminus productionis non augmentatur in perfectione semper sufficit æqualis virtus ad producendum illum, sed propter hoc quod ista quantitas succedat alteri, vel non succedat non habet maiorem perfectionem, & per te si nō succederet requiritur ad sui productionem virtus creatiua, ergo etiam si succedat requiritur æqualis; Et confirmatur, quia habens in virtute sua actiua aliquem terminum totum, & totaliter potest illum ponere in esse, seu producere quando non impeditur, sed per te agens creatum habet in virtute sua totaliter illam quantitatem nouam, quæ producitur per rarefactionem, ergo potest producere illam, esto quòd talis non succedat alteri, atque ita post nihil potest illam ponere in esse, & per consequens creare; & si dicas quòd quantitas præcedens est impedimentum agenti creato, vt non possit quantitatem sequentem producere, quin prius corrumpatur præcedens. Contra. Fatuum est dicere corrumpendum esse impedimentum agentis: Et confirmatur iterum; quia si quantitas noua, quæ producitur succederet contrario, vel opposito contradictorio concederetur ipsam creari, ergo & nunc debet concedi, consequentia patet, quia negatio quantitatis præcedentis includeretur in quantitate sequenti, quoniam regula est, quòd quodlibet incompossibile includit negationem alterius incompossibilis, id est, si aliqua sunt incompossibilia vnum includit negationem alterius, & vnum nullo modo includit affirmationem alterius ex eo, quia vnum non includit subiectum alterius, quia non habent subiectum commune, sed illæ duæ quantitates, scilicet præcedens, & sequens sunt secundum Gotfred. incompossibiles, ergo quantitas sequēs includit negationem præcedentis, ergo eodem modo diceretur creari, etiam si non succederet suo contrario.

Et quando dicit Gotfred. quòd ratio quare quantitas sequens non creatur est, quia educitur de vi quantitatis præcedentis, quoniam quantitas præcedēs habet vim subiecti. Contra, nihil positiuū remanet in accidente separato, quod non fuit in eo, vt coniuncto, sed in accidente coniuncto nō fuit aliqua vis propter quam aliquid ex ipso possit produci vt terminus alicuius transmutationis, sed tantum quod ipsum poterat esse alius terminus, & poterat produci de potentia subiecti, ergo in ipso separato non est aliqua vis, per quam possit habere respectu transmutationis, nisi tantum rationem termini, ergo male dicitur, quòd quantitas sequens producitur de vi præcedentis; maior probata est supra dist. ista quæst. I.

Præterea inquit Gotfr. quòd nisi illa quantitas sequens haberet ordinem, vel habitudinem ad præcedentem diceretur creari; sub hac propositione sumatur minor, sed illa habitudo ad præexistentem non prohibet creationē istius, ergo ista creatur; probatur minor, quia illa habitudo non est aliud, quam successio, qua vna quantitas succedit alteri, sed talis successio non impedit creationem, quod patet per exemplum, quoniam clarum est quòd ipsa anima succedit organizationem corporis, & tamen non negatur ipsam animā creari, quia ipsa anima habet totaliter esse post non esse, & eadem est ratio in proposito, quia hæc quantitas licet succedit alteri quantitati, accipit tamen totale esse post non esse sui, vtrum autem cum illo non esse præcesserit aliquod positiuum, vel nihil, vel præcesserit contrariū, vel simile nihil ad h. quia ibi idem sunt primi termini, qui creationis.

Secundo arguitur ad principale secunda ratione Gotfr. Si per rarefactionem acquireretur noua quantitas sequeretur, quòd sub speciebus rarefactis desineret esse corpus Christi, consequens est falsum, ergo & antecedens, consequentia probatur: quia sub speciebus panis tamdiù manet corpus Christi, quamdiù manent ibi accidentia, quæ affecerunt substantiam panis, sed per te quantitas, quæ acquiritur per rarefactionem est omnino noua, vel alia quam prius, ergo non manet corpus Christi sub illa, quod tamen est falsum & hæreticum. hæc ratio habetur sub liter. hh. §. secunda.

Huic rationi respondet Gotfred. vbi supra. §. ad secundum negando consequentiam, & probationem dicit, quòd non desinit ibi esse corpus Christi propter quamcumque variationem illarum specierum; sed solum propter talem, quæ non posset esse nisi mutata substantia panis, vel vini si ibi esset, atq; adeo quamdiù manent species secundum esse non interruptum sub tali rarefactione, vel extensione, & sic de alijs, quòd si panis ibi esset, posset illis affici, tamdiù manet ibi corpus Christi, ita quòd vult Gotfred. quòd illa sola transmutatio, quæ faceret panem non esse sub illis speciebus, si adesset, efficit, vt corpus Christi non sit sub illis speciebus, adeo quòd per nullam transmutationem factam circa species sacramentales desinit esse corpus Christi, sub eisdem, cum qua maneret substantia panis, aut vini, si non fuisset facta conuersio; & quandocumque fit transmutatio

circa

Digitized by Google

circa species sacramentales, per quam corrumperetur panis substantia, aut vini si essent, desinit esse corpus Christi in eo instanti, in quo desineret panis, aut vinum, sed non præcise quamdiù huiusmodi accidentia manent eadem numero.

Contra arguit Doct. subt. sub litt. D. § Deduco autem secundam rationem, & non impugnat illam regulam de falsitate, sed quia non sufficit; nam ista quantitas, quę succedit quantitati præexistenti non est magis eadē quantitas præexistenti, quam quæcumq; alia in vna alia hostia non consecrata, imò minus est eadem, quia ista, scilicet sequens, est incōpossibilis præexistenti in essendo, non sic illa alia quantitas hostiæ non consecratæ: ergo si tu dicas, quòd corpus Christi manet sub ista quantitate noua, pari ratione manebit sub quantitate hostiæ non consecratæ, sed hoc est absurdum, ergo & antecedens, consequentia patet: quia ista quātitas, quæ acquiritur per rarefactionem est per te incompossibilis quantitati præcedenti, ergo non solum non est sibi eadem, quemadmodum nec quantitas hostiæ non consecratæ, imò est minus eadem, quoniam vt dictum est, ista est incompossibilis præcedenti in essendo, & alia non; Et si fugias ad successionem huius quantitatis ad illam, id est, si neges consequentiam, quia licet corpus Christi maneat sub quantitate noua eo, quia succedit pręcedenti quantitati cōsecratæ, tamen non sequitur, quòd maneat sub alia quantitate hostiæ non consecratæ, quia hæc non succedit alteri quantitati consecratæ.

Contra: Sub nulla quantitate noua est corpus Christi, nisi per conuersionem, & consecrationem, sed per conuersionem, & consecrationē non accipit esse nisi sub ista quantitate, id est, sub quantitate præexistente, & illa quæ habetur per rarefactionem est omnino alia quantitas à præcedenti, sicut quantitas alterius hostiæ non consecratæ, ergo per illam conuersionem, & consecrationem non est sub illa quantitate, ergo nullo modo; quia nulla fuit facta consecratio super illam quantitatem sequentem, magis quam super aliam quamcumque alterius hostiæ non consecratæ.

Præterea nō diutius manet corpus Christi sub specie panis, quam natus esset hic manere panis, qui conuersus est, sed sub alia quantitate non maneret hic panis, qui conuersus est, si panis est hic per quantitatem, ergo, &c.

Tertio principaliter arguitur: esse successiuorum consistit in habendo partem post partem, sed non potest assignari pars post partem, nisi sit aliquod subiectum, quod varietur secundum prius, & posterius, id est, quod moueatur secundum diuersas partes, sibi inuicem succedentes secundū prius, & posterius, ergo non potest esse motus sine subiecto virtute agentis naturalis, consequentia patet: quia motus est ens successiuum. hæc ratio habetur vbi supra sub littera hh.

Huic rationi respondens Gotfred. vbi supra. §. Ad tertium negat minorem, & assignat rationem, quia in omni motu, qui est ad quantitatem. i. in omni motu, per quem acquiritur quantitas siue sit per se, vt potè ad augmentationem, siue sit secundum rarefactionem, vt in proposito, est ordo partium prioris & posterioris ipsius quantitatis, ex quo sequitur quòd dato, quòd quantitas sit separata, adhuc tamen partes possunt habere istum ordinem, quem in subiecto potest habere, quoniam partes separatæ nō possunt intelligi habere ordinem nisi in fieri, & successiuè, quia potest pars continuè succedere parti, ita extra subiectum, sicut in subiecto: Hæc responsio (inquit Doct. sub litter. d. §. Contra tertiam.) quatenus dicit ꝙ non est de ratione motus, quod sit in subiecto, sed solum sufficit ꝙ sit successio partium, quæ acquiruntur, vera est; atque adeo non impugnatur in hoc, sed quatenus Gotfred. ex hoc infert, quod motus potest esse ab agente creato sine subiecto, arguit Doct. ꝙ sit falsum, quia nullum agens creatum potest causare accidens sine subiecto in esse quieto, sed hoc soli Deo cōuenit, ergo à simili, vel à maiori nullum agens creatum potest causare accidens in fluxu sine subiecto, consequentia tenet, vt patet.

Ad rationes pro opinione Gotfred. respondet Doct. sub litt. d. in fine. § Per istud ergo, & ad primam dicit, quòd hec ratio bene probat, quod Deus potest facere formam in fluxu, vel in fieri sine subiecto, sicut potest facere eam in esse quieto sine subiecto, sed non sequitur quòd agens creatum possit facere formam in fluxu sine subiecto, imò sequitur oppositum, quia non potest facere formam in esse quieto sine subiecto, ideo nec etiam formam in fluxu potest facere sine subiecto, causans autem motum effectiuè causat formam in fluxu.

Ad secundam dicit Doct. quòd illa ratio concludit oppositum eius, quod intendit Gotfred. nam dicit ipse, ꝙ illa accidentia possunt habere omnia illa sine subiecto, quæ poterant habere in subiecto, quia Deus dat accidenti separato, vt omnia possint sibi conuenire, quæ possunt ei conuenire in subiecto; hoc stante arguitur sic. Quantitas sacramenti extra subiectum non potest se habere nisi, sicut se habebat in subiecto, sed quando erat in subiecto erat terminus rarefactionis, vel condensationis, ergo nullo modo potest sibi aliud conuenire extra subiectum, ergo oportet dare subiectum, quod denominetur ab ipsa quantitate, seu quod denominetur rarefieri, vel condensari, & per consequens non erit ibi motus sine subiecto, patet: quia per ipsum subiectum est semper aliud à termino, & terminus rarefactionis non rarefit, sicut nec albedo albefit, sed subiectum.

Ad tertiam dicit Doct. ꝙ cum Gotfred. dicit, ꝙ non est de essentia motus, quod aliquod subiectum fluat secūdum ipsum, bene probat ꝙ Deus possit facere motum sine subiecto, sed non de agente creato, quia non pōt separare quodcumque ab illo, quod non est de essentia sua; imò sequitur oppositum, secundum respōsionem ad primam rationem, quia non potest agens naturale magis separare à subiecto formam in fluxu, quam in quieto esse, sed non potest creatura aliqua actiuè esse causa formæ in esse quieto siue subiecto, ergo nec in fluxu.

Contra id, quod dicebat Gotfred. scilicet, ꝙ motus qui est hic per se secundum qualitatem non est sine subiecto, licet illud, quod cōcomitatur terminum per se huius motus, scilicet quantitas, sit sine subiecto; dicebat Gotfred. ꝙ duplex est motus circa species sacramentales, quidam est motus per se, & iste est ad qualitatem, nimirum alteratio, & de isto motu dicebat, quod non est sine subiecto; alius est motus per accidens, ex eo quia sequitur priorem motū alterationis, & iste est motus secundum quantitatem, scilicet, motus rarefactionis, & iste motus dicebat, quod est sine subiecto.

Contra hoc arguit Doct. Iste motus rarefactionis nō est sine subiecto, ergo falsum est dictum Gotfred. antecedens patet, quia terminus huius motus non est sine subiecto, ergo iste motus non est sine subiecto; probatur antecedens. Raritas est terminus istius motus, sed raritas non est sine subiecto, ergo terminus istius motus non est sine subiecto, probatur minor, quia illi raritati præsupponitur quantitas, siue quantum, ergo non est sine subiecto.

Et si dicas, ꝙ licet quantitas, vel quantum præsupponatur raritati, ex hoc tamen non sequitur, ꝙ ille motus non sit sine subiecto; Contra: quod prius natura est præsuppositum, illud est prius acquisitum, sed quantitas est prior raritate, ergo ad acquisitionem raritatis non sequitur acquisitio quantitatis, sed magis è conuerso, & ex consequenti quantitas præsupponitur raritati, vt subiectum.

Ex his patet responsio ad quæst. iuxta secūdum sensum; Resolutio
dicendum est enim, quod Deus potest facere motum sine subiecto, quoniam de ratione motus non est subiectum, cum à mobili realiter distinguatur, quod maximè verum est, loquendo de motu pro forma fluente.

Quapropter ad argumenta, quæ probant, quòd motus non potest esse sine subiecto, dicendum est, ꝙ est verum naturaliter, quia agens naturale hoc efficere non potest; Cæterum agens supernaturale, sicut potest facere accidens in esse quieto sine subiecto, ita & accidens in fluxu; Ideo ad primum argumentum, ex 3. & 6. Phy. dicit Doct. sub lit. l. §. Ad argumenta principalia, ꝙ non est de essentia motus, quod sit talis, vel talis entis; nec mutationis, ꝙ sit alicuius aliter se habentis, sed sicut forma aliqua in esse quieto essentialiter est in se talis, licet nullius sit vt informabilis, ita motus essentialiter est actualitas, quædam potentialis (vt ita dicam) & mutatio est quædam aliter habitio, licet nullius denominati ab hoc, vel ab illo, cum ergo non sit de essentia motus, vel mutationis ꝙ aliquod per illum moueatur, vel mutetur, sequitur ꝙ Deus potest facere motum, esto ꝙ nihil moueatur, & similiter mutationem, absque hoc quod per illam aliquid mutetur, vel aliter se habeat nunc quam prius,

prius, quoniam sicut non est de ratione albedinis, quòd aliquid dicatur album per ipsam, ita non est de ratione motus, quòd aliquid moueatur per ipsum, imò Deus potest facere motum, qui sit quædam entitas aptitudinalis ad informandum, & sit actualis in essendo, & idem dico de mutatione.

Et si dicatur, relatio non potest per diuinam potentiam esse sine subiecto, sed mutatio est relatio, ergo non potest esse sine subiecto; Dico quòd duplex est mutatio, quædam successiua, quædam instantanea; mutatio successiua est ipse motus, qui potest accipi vel formaliter, vel materialiter, vt patet ex Philosophia; mutatio instãtanea est ipsa mutatio, quæ reductiuè est in prædicamento quantitatis, quemadmodum motus est in prædicamento quantitatis, negatur ergo minor. Et si dicas, q Scot. dicit, q mutatio est relatio, dico, quod verum est cõsecutiuè, sed non formaliter, id est ad mutationẽ sequitur respectus, sed non vult dicere, quod mutatio sit respectus.

Ad secundum de 7. Meta. dicit Doct. q licet apud Philosophum esset necessarium motum esse in subiecto, non tamen apud nos secundum fidem, & ratio est: quia sicut Philosophus concessit necessarium esse subiectum in mutatione, vel motu, ex eo quia subiectum præexistit termino formali, & etiam pars totalis termini præexistit, cum secundum ipsum accidens non possit esse sine subiecto, ita dixit compositum esse totalem terminum, vt puta calidum, vel album esse totalem terminũ huius productionis, sed apud nos, antecedens non est omnino necessarium, quia ponimus q Deus potest producere albedinem, & quodcunq; accidens absolutum sine subiecto.

ARTICVLVS II.

Vtrum in augmentatione quantitas præexistens corrumpatur.

...ementa ...sumitur ...ng. mo- PRo intelligentia huius tituli obseruandum est, augmentationem multipliciter accipi, primo accipitur pro intensione qualitatis, vt quando calor intenditur; secundo pro additione quantitatis discretæ, quæ nihil aliud est, quã productio cuiusdam accidentis de prædicamento quantitatis, numerus enim variatur addita, vel dempta vnitate; Tertio sumitur pro additione alicuius rei similis, vt si aquę aquam addas, quod est vnam aquam alteri continuari; Quarto pro additione rei dissimilis, vt si ignis fiat maior appositione lignorum; Quinto accipitur propriè pro augmentatione, quæ fit per intus susceptionem nutrimenti, quæ sola in viuentibus reperitur.

In proposito autem sumitur pro accretione, vel diminutione rei secundum quantitatem, quomodocumque fiat, ita quod illud dicatur augeri, quod acquirit maiorẽ quantitatem; illud autem minui, quod minorem quantitatem acquirit adeo q augmentatio capitur hic pro extensione, & diminutio pro restrictione; quæritur itaque, an quando res aliqua augetur, quantitas præexistens corrumpatur & noua quantitas producatur; atque ita in diminutione, an quando res aliqua decrescit diminuitur, atque fit minor, quantitas præexistens corrumpatur, & noua quantitas producatur.

Gofred. ...rdus ...lius. De hac re duplex est opinio, prima est opinio Gotfred. quol. 11. q. 3. & Gerardi Oddonis, quã sequitur Marsilius, isti affirmant, quòd in augmentatione quantitatis acquiritur vna noua quantitas maior quam præcedens, & quod præcedens totaliter corrumpitur; ita quòd adueniente posteriori nihil omnino prioris remanet, imò totaliter corrũpitur, verbi gratia, si aliqua aqua rarefiat, quantitas aquæ præcedens corrumpitur, & de nouo acquiritur vna totalis quantitas noua maior quam fuerat præcedens, similiter quando aqua condensatur, dicunt isti q tota quantitas, quę præcessit condensationem corrumpitur, & de nouo fit vna quantitas minor quam præcedens.

Hoc probant primo: quia per te termini motus augmẽti, vel diminutionis sunt maior, & minor quantitas, sed primi termini motus sunt incompossibiles, ergo adueniente maiori quãtitate minor præcedens totaliter corrumpitur, & è conuerso, maior patet: quia in rarefactione terminus a quo est minor quantitas, & terminus ad quem est maior; & minor est Arist. 5. Physi. tex. cap. 26. Et si dicatur, q non manet eadem quantitas secundum se, sed manet secũdum partem, adeo q argumentum supponit falsum, scilicet, q quantitas est terminus rarefactionis, & condensationis, sed primi termini sunt maius, & minus in ipsa quantitate; & isti termini sunt incompossibiles, nam in tota rarefactione manet eadem quantitas, quæ variatur tantum secundum maius, & minus, ita q eadem numero quantitas prius est minor, & postea maior, & è contra in condensatione; adeo q quantitas est quæ rarefit, & maioritas quantitatis est terminus rarefactionis.

Contra hanc responsionem arguit Gotfred. subiectum motus distinguitur realiter à termino motus, sed maius, & minus non distinguuntur à quantitate, quæ dicitur maior, vel minor, ergo subiectum rarefactionis, & condensationis non est quantitas, & terminus maius, vel minus; probatur minor, quia non potest fieri variatio secundum maius, & minus, quin fiat variatio secundum essentiam quantitatis, cum maior, vel minor quantitas non sit essentialiter nisi quantitas, ergo maius, & minus non distinguuntur ab ipsa quantitate. Vis huius rationis consistit in his duabus propositionibus; prima: subiectum motũ distinguitur realiter a termino motus, atque adeo quantitas non potest esse subiectum rarefactionis, & condensationis, & maius, & minus termini.

Secunda propositio. Terminus à quo, nec aliquid eius non potest stare cum termino ad quem; & ex hoc sequitur quòd nec pars quantitatis potest esse terminus à quo rarefactionis, & condensationis; & ex his duabus propositionibus sequitur, quòd quantitas non extenditur per adiectionem nouæ quantitatis, imò quando aliqua quantitas augetur, quantitas præcedens corrumpitur, quemadmodum in extensione qualitatis gradus præcedens corrumpitur cum inducitur nouus gradus.

Secundo arguitur: quęlibet pars rarioris est rarior, id est quælibet pars illius, quod est complete rarefactum, est rarior quam prius erat, ergo quælibet pars rarioris est maior secundum quantitatẽ, ergo qualibet est quanta noua quantitate, ergo prima quantitas, qua illæ partes erant prius quãtæ corrupta est.

Et si dicatur q quælibet pars noua habet nouam quantitatem, sed non simpliciter, quia cum illa noua est aliqua quantitas antiqua, atq; adeo non est omnino noua, sed tantum secundum partem. Cõtra, si maneret prior quantitas, vel aliqua pars eius, sequeretur, q idem simul informaretur duplici quantitate, quarum vna esset maior, & alia esset minor, sed hoc est impossibile, ergo, &c. consequentia probatur, sicut enim totum rarefactũ est rarius, & maius, ita quælibet pars rarioris est rarior, & maior, sed si quælibet pars est rarior, & per consequens maior, sequitur quòd est quanta noua quantitate, & per consequens, si prior manet, quæ erat minor, sequitur simul esse duas quantitates in Eucharistia, vel quãdo sunt in subiecto, sequitur, quòd idem simul informatur duplici quantitate, maiore scilicet, & minore; accipio enim illud, quod est subiectum illius partis quantitatis nouæ, illud est rarius quam fuit prius, ergo est maiori quantitate quantum, patet ex prima propositione, quia quælibet pars rarioris est rarior, ergo maior, & per consequens quantitas illa noua cuius illa pars ponitur subiectum, est maior quãtitate antiqua, ergo in eodem subiecto erunt duæ quantitates, scilicet minor præcedens, & maior noua, atque adeo idem subiectum informabitur duabus quantitatibus, maiore, & minore, & ex consequenti idem subiectum erit simul rarum, & densum, vel magis rarum, & minus rarum; vel si quantitas noua non est omnino alia ab antiqua, ergo eodem modo tota quantitas totius rari erit maior tota quantitate densi, & tamen nõ omnino noua, quod est absurdum, & impossibile, quia tunc idem esset realiter distinctum à se ipso, cum quantitas parua, & magna distinguantur realiter, sed quantitas præexistens rarefactionem est parua, & quantitas sequens rarefactionem est magna, ergo non sunt idem realiter, ergo si in rarefactione quantitas præexistens, non corrumpitur maiori quantitate adueniente per rarefactionem, sequitur quod idem subiectum informabitur duabus quantitatibus, & ex consequenti idem erit magis rarum, & minus rarum vt deductum est.

Tertio

Digitized by Google

Tertio arguitur: & confirmatur ratio præcedens, si quantitas, quæ præfuit manet, vel aliquid eius, quæro in quo subiecto manet, nõ nisi in subiecto in quo prius manebat; quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, ergo illud quod prius fuit quantum hac quantitate erit modo quantum eadem si illa quantitas non corrumpatur, ergo non potest esse quantum nec secundum se totum, nec secundum partem alia noua quantitate, nisi idem sit simul quantum duabus quantitatibus, quod est impossibile, aut sequitur ꝙ maior quantitas non aduenit illi eidem subiecto præexistenti, sed magis aggenerantur nouæ partes substantiæ, quibus insunt nouæ partes quantitatis, vel maior quantitas, seu illud quod acquiritur nouiter de quantitate, atq; ita pars illa præcedens non est rarior, quod est falsum, nam tunc non quælibet pars rarioris esset rarior formaliter, nam illa pars antiqua non esset rarior formaliter per hoc, quod sibi continuaretur pars alia noua, cum ergo tot sequantur inconuenientia dicendum est, ꝙ quando aliqua res rarefit, quantitas quæ præcedit rarefactionem corrumpitur posteriore adueniente per rarefactionem acquisita. Hæc opinio refertur ab Scoto in hac quæst. in princ. §. Pro prima concl. arguitur sic.

His tamen non obstantibus est alia opinio, quam docet Doct. in hac quæst. § Quantum ad istam, scilicet, quod in augmento quantitatis quantitas precedens non corrumpitur in aduentu quantitatis sequẽtis, quod probatur primo de augmento quantitatis existentis in subiecto, secundo specialiter de quantitate existente in sacramento; & primo probatur sic. Quæ sunt compossibilia in essendo non se excludunt ab inuicem, sed quantitas maior, & minor sunt compossibiles in essendo, ergo &c. minor patet: quia illa, quæ differunt tantum penes positiuum, comparatiuum; & superlatiuum sunt compossibilia, quia superlatiuum non excludit comparatiuum, nec comparatiuum positiuum, quia maximum includit maius, & maius magnum.

Præterea corruptis omnibus accidentibus naturalibus subiecti corrumpitur & subiectum; quia corruptio accidẽtium naturalium est vltima necessitas ad corruptionem subiecti, sed quantitas est accidens naturale substantiæ naturalis, qua corrupta corrumpuntur omnia alia accidẽtia naturalia, igitur si in augmẽto quantitatis corrũpitur tota quãtitas præexistens, sequitur ꝙ corrumpatur subiectum quantitatis, sed subiectum quantitatis est subiectum augmenti, ergo corrumpitur subiectum augmenti, atque ita non erit augmentatio nec diminutio.

Præterea agens naturale non potest expoliare ab omni subiecto quantitatem, nec potest facere ꝙ quantitas transeat à subiecto in subiectum, si ergo in augmento quantitatis quantitas præcedens corrumpatur in aduentu quantitatis sequentis, & quantitas sequens ex qua fit augmentum non transit de primo subiecto ad aliud subiectum, ergo quantitas sequens transit cum suo subiecto in aliud, quod debet augeri, atque ita transit quantitas præcedẽs cum suo subiecto quãtum ad corruptionem, & ex consequẽti illud, quod sequitur in termino augmenti erit indiuiduum numero, & ita non erit subiectum auctum.

Deinde tertio, corrupto subiecto corrumpuntur omnia eius accidentia, ergo si in augmento quantitatis præexistẽs corrumpitur, cum ipsa sit subiectum omnium aliorum accidentium saltem plurium, sequitur ꝙ omnia alia accidentia corrumpãtur, quod est manifestè impossibile, cum augmentabile post augmentum remaneat album, & non habeat à quo postea generetur albedo, vt suppono, ergo, &c.

Amplius, illud ex quo fit augmentum non oportet, ꝙ semper sit maius eo quod augetur, cum ex aliquo minori possit aliquid augmentari, sed ex minori quanto non potest generari maius quantum, ergo si in aduentu quantitatis aduenientis corrumperetur præexistens, sequeretur, quod augmentabile sit solum tantum, quantum est quantitas adueniens.

Secundo arguitur specialiter de quantitate sacramenti, & supponitur, quòd quantitas est subiectum aliorum accidentium, videlicet albedinis, saporis, grauitatis, &c. quæ omnia recipiuntur in quantitate, hoc supposito arguitur sic. Non manente subiecto non manet aliquod accidens illius subiecti, sed per te si vinum rarefiat non manet ibi quantitas vini, ergo non manet sapor, nec color, nec odor vini, consequens est falsum, & manifestè contra sensum, ergo dicendum est, quòd quantitas præcedens non corrumpitur.

Et si dicatur, quòd hoc est argumentum rusticorum fugere ad sensum, quia ratio debet iudicare de eodem, & de diuerso. Contra, Arist. 8. Physic. tex. cap. 26. inquit, quòd fatuum est quærere rationem vbi habemus aliquid certius ratione, sed nos habemus experientiam, ꝙ in vino rarefacto color, & sapor sunt idem, igitur fatuum est ibi quærere rationem vbi habetur experientia, qua nihil certius in Philosophia, ergo, &c.

Item mirabile videtur, ꝙ sensus non possit discernere numerum suorum sensibilium propriorum, cum numerus, vt docet Philosophus 2. de anima tex. cap. 64. sit per se sensibile, ergo aliquis põt optimè discernere, si est ibi alius color quam prius erat, vel alius sapor.

Sed hoc inquit Doct. non pondero, quia in 2. d. 3. q. 3. dictum est, quòd nullus sensus iudicat de radijs solis, vtrum sint ijdem, vel alij continuè in medio, cum tamen illud cuius est numerus, vel vnitas sic sit proprium sensibile.

Hoc ergo omisso arguo sic. Non est possibile, ꝙ agentia quantumcumque diuersa inducant regulariter eumdem effectum post corruptionem eiusdem corrupti, sed a quocumque agente rarefiat vinum, siue à sole, siue à quocumque alio semper per experientiam videmus, quòd in vino est idem sapor, & idem color, ergo non est verisimile ꝙ illa diuersa agentia habeant virtutem producendi illũ eumdem saporem, & colorem, atq; adeo nõ est alius quã prius, ergo non est dicendum ꝙ illæ qualitates sint aliæ à primis; Si dicas, prædicta accidentia esse noua; Contra, ab igne potest rarefieri species illa vini, id est, quantitas vini, sed non est possibile, quòd ab igne inducantur omnes illæ qualitates, quæ ibi apparent, ergo non sunt nouæ, & per consequens nec subiectum, puta quantitas, erit nouũ; minor probatur: quia licet ignis in virtute sua actiua cõtineat aliquas qualitates, tamen non habet in sua virtute quęcumq; accidentia quantumcumq; distincta secundum genus, vel speciem, nam videmus per experientiam, ꝙ sicut est aliud, & aliud rarefactibile, sic habet alia, & alia accidentia, nam si aqua rarefiat ab igne, ignis non poterit in illam producere accidentia vini.

Præterea vinum est vnum elementum, quod non continet in se virtualiter qualitates mixti, sed si vinum consecratum hic sit dulce, & ibi amarum, post rarefactionem remanet in illis speciebus amaritudo, & in istis dulcedo, atque ita de quibuscumq; speciebus saporis, & quibuscumq; coloribus, puta si consecretur vinum album, vel rubeum, ergo solus ignis rarefaciens non inducit omnes illas qualitates, atque adeo non sunt nouæ, & ex consequenti nec subiectum illud, scilicet quantitas, sine quo non possunt manere eadem, est nouum.

Præterea arguitur contra hanc sententiam ex dictis opinantis, scilicet Gotfred. quolib. 7. q. 5. & quolib. 6. q. 16. vbi docet substantiam esse indiuiduam formaliter per quantitatẽ, ergo hic panis formaliter est hic panis per hanc quantitatem, ergo corrupta hac quantitate non manet amplius hic panis, sed alius panis singularis, ergo in quacumq; rarefactione tota substantia prior corrumpitur, & noua generatur, quod videtur valde improbabile, & contra rationẽ; quia quòd talis alteratio statim necessariò requirat nouam substantiam est dicere, quod non possit esse variatio circa posterius, quin sit circa prius, esto quod posterius nec sit propria passio, nec consequens necessariò illud prius, quod videtur inconueniens manifestum, nam licet variata passione, quæ est posterior subiecto, varietur subiectum, quia dicunt eamdẽ rem, non sequitur tamen quod variato quocumque posteriori, quod non est passio, nec sequens necessariò ad prius, varietur ipsum prius.

Ad argumenta oppositæ sententiæ respondetur, sub litera b. §. Rationes ad istam conclusionem, & ad primum dicitur, quòd termini motus sunt duplices, quidam sunt termini motus primi, cuiusmodi sunt forma & priuatio, vnde quãdo in aqua acquiritur vnus gradus caliditatis, termini primi motus alterationis sunt priuatio illius gradus caliditatis, & ille gradus, & de istis verum est, ꝙ sunt incompossibiles, quia non possunt se compati ille gradus caliditatis, & priuatio illius simul in eodem subiecto, imò adueniente termino ad quem, illo gradu caliditatis corrumpitur eius priuatio; Alij sunt termini non primi, sed concomitantes *Termini sunt duplices*

mitantes

Digitized by Google

mitantes illos terminos primos, vt sunt forma, quæ intenditur in termino à quo, & forma quæ per intensionem acquiritur, v.g. aqua habet duos gradus calidıtatis, & acquirit de nouo alium gradum, priuatio huius tertij gradus, & ille gradus sunt termini primi, & incompossibiles, sed illi duo gradus caloris, qui erant in aqua cum priuatione tertij, & ille tertius gradus, qui acquiritur sunt termini concomitantes, & compossibiles; Ita in proposito quantitas præcedens rarefactionem, & quantitas sequens non sunt termini primi, sed termini concomitantes, atq; adeo sunt cōpossibiles; & consequens posterior non corrumpit priorē. & si quæras qui sunt primi termini in rarefactione, respondeo, quòd priuatio quantitatis, quæ acquiritur per rarefactionem, & ipsa quantitas acquisita.

Et si arguas, magis & minus sunt incompossibilia, sed quantitas præcedens rarefactionem est minor, & sequens est maior, ergo prædictæ quantitates sunt incompossibiles, & per consequens adueniente posteriori corrūpitur prior.

Maius & minus bifariā sumitur

Respōdetur, ꝙ maius & minus possunt capi dupliciter, vno modo vt sunt completè denominantia aliquod subiectum totale, & hoc modo est impossibile, ꝙ in eodē subiecto sint maius & minus, quoniam non est possibile quod aliquod subiectum denominetur minus ab aliqua quantitate, & denominetur maius ab eadem quantitate respectu eiusdem; alio modo sumuntur maius & minus non vt sunt vltimatè denominatiua, sed vt maius est aliquo, & minus in alio, & hoc modo dicit Doct. quod in eodem est maius & minus, & per consequens non sunt incompossibilia, atq; isto modo sumitur in proposito, quando per rarefactionē acquiritur maioritas quantitatis. Ad formā ergo argumenti distinguenda est maior, & vera est, quando maius, & minus sunt completè denominantia subiectum, sed falsa est quando minus est aliquid maioris, modo quando aliquid rarefit, quantitas quæ præcessit manet, & efficitur pars, seu aliquid maioris quantitatis, quæ acquiritur per rarefactionem. Nec hoc est inconueniens, quoniam si ratio Gotf. valeret, probaret ꝙ cū aliquid augmentatur semper esset noua quantitas, & per consequens non posset quis vnquam augmentari, quin destrueretur tota eius quantitas præcedens, ꝙ non est probabile, quoniam partes carnis secūdum speciem, quę manent eædem sunt quanta eadē quantitate, qua prius, & tñ aliqua quantitas partiū ipsius subiecti, quę pars aduenit sibi noua est. Et ad id, qđ Gotf. dicebat ꝙ quātitas non manet eadem sub condensatione, & rarefactione, quia quantitas non mouetur, siue non variatur à maiori ad minus, nec è contra, sicut nec ipsa qualitas.

Respondet Doct. ꝙ maius & minus possunt sumi dupliciter, vno modo pro significato materiali. i. pro ipsa quantitate, quæ denominatur maior, vel minor, alio modo pro significato formali. s. pro respectu fundato in quantitate, prio ri modo concedit Doct. ꝙ eadem quantitas non mouetur à quantitate minore ad maiorem existendo vna, & eadem quantitas, quia quantitas maior, & minor differunt realiter, quia sequeretur ꝙ idem realiter differret à se ipso, atq; adeo impossibile est, ꝙ quantitas minor manens eadem in suo esse fiat maior, sed bene quantitas minor efficitur pars maioris; posteriori aūt modo quantitas, quæ est subiectum rarefactionis fit maior, quia in ipsa acquiritur nouus respectus, nempè per rarefactionem maioritas, & per condensationem minoritas, & isto modo capiēdo maius bene variatur quantitas à minori ad maius, & è contra, saltē per denominationem extrinsecam respectu maioritatis. Ratio ergo Gotfr. concluderet contra illum, qui diceret ꝙ quantitas est terminus rarefactionis, & condensationis, & cū hoc tamen maner eadē, quoniā hoc est impossibile, imò nulla forma, inquit Doct. siue quantitas, siue qualitas transmutatur ad maius & minus intra genus suum, i. essentialiter, & realiter manens eadem, sed tota forma, quæ est maior siue in quantitate, siue in qualitate est terminus a quo, & tota forma, quæ est minor est terminus ad quem, & è conuerso, & tamē tota illa forma, quæ est maior potuit esse illa res, quæ est minor, sicut aliquid eius.

Ad secundum dicitur primo, ꝙ illa propositio, quælibet pars rarioris est rarior, potest bifariā intelligi, vel loquendo de partibus secundum formam, vel de partibus s̄m materiam; quemadmodum intelligitur illa propositio Arist. 1. de Generat. t. c. 32. quęlibet pars aucti est aucta; Partes aūt s̄m formam sunt illæ, quę per se possunt exercere operationem totius. i. quæ per se possunt conuertere alimentum in suam propriam substantiam propter suam magnitudinē, & hæc dicuntur partes formales, secundum quas fit augmentatio, quia hæc sola pars est, quæ propriè augetur; pars verò materialis est, quę non potest exercere huiusmodi operationē, nec conuertere alimentum in suam propriam substātiam, atque adeo secundum illam non fit augmentatio, quoniam vt dicit Arist. augmentatio fit secundum formam, & non secundū materiam. Cum ergo dicit Arist. ꝙ quælibet pars aucti est aucta, intelligit de parte secundum formam, secundum quam fit augmētatio, & non de parte s̄m materiam: Ita in proposito distinguēda est illa maior, quælibet pars rarioris est rarior, quia vel intelligitur s̄m formā, & speciē, ita ꝙ quælibet talis rarefit, & sic concedo, vel intelligitur ꝙ quælibet pars s̄m materiam rarefit, & fit rarior, & sic dico, ꝙ non oportet; cęterum hæc responsio est magis euasio.

Ideo r̄ndetur secundū, negando præsuppositum. s. raritatem esse rōne maioris quantitatis, aut nouæ quantitatis superadditę, quia raritas est intensionis extensio, quę extēsio est modus qualitatis, & hæc r̄nsio explicabitur in seq. art.

Tertio respondetur tenendo raritatem inferre maiorem quantitatem, & cum dr̄, quælibet pars rarioris est rarior, concedo, igitur quælibet pars est maior distinguo, aut s̄m eandem quantitatem, & sic nego, aut s̄m aliam & aliam, & sic concedo, & cum dicis, ergo quælibet est quanta dupli ci quantitate. s. noua, & præexistēte, nego; & cum probatur: quia adueniente maiori minor non cedit, ideo fit maior, & prima est, ergo sunt duæ. Dico ꝙ non sequitur, quia non est imaginandum ꝙ maneat prior, quæ est minor, & adueniat alia, quæ est maior, sed imaginandum est, ꝙ totum positiuū prioris manet, & aduenit alia pars vlterior, & efficitur vna quantitas totalis maior, quia quantitas est homogenea, atq; adeo fit vna quantitas, sicut ex duabus aquis simul iunctis non sunt duæ, sed vna aqua, sicut nec quando charitas augetur in anima, anima ipsa informatur duab. charitatibus, atq; adeo concedo, ꝙ quælibet pars rari est rarior, vel fit rarior, & maior quantitatiuè, nec oportet quòd maneat prior quantitas distincta à sequenti, sed prior manet cū illa, quæ acquiritur de nouo, & cedunt in vnā maiorem, quare &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum rarefactio sit augmentatio, & condensatio sit diminutio.

PRo huius difficultatis solutione obser. est, ꝙ condensatio est motus ad densitatem, & rarefactio ad raritatem; raritas autem & densitas qualitates sunt, diciturq. rarum, quod parum materiæ sub quantitate multum extensa continet, densum verò quod multum de materia sub quantitate parum extensa continet, maior autem extensio, quæ inuenitur in rarefactione, an sit quantitas de nouo acquisita nec ne, est maxima dubitatio.

Cōdensatio quid sit, quid nē rarefactio.

Secundo obseru. est, quòd rarefactio prouenit ex calore, calefactio enim est causa rarefactionis, & frigefactio densationis, motus etiam localis est causa condensationis, ex nimia enim partium compressione fit aliquando densatio, & sic aer ex ventorum motu cōdensatur, quo cessante rarefit.

Opiniones diuersæ de rarefactione, & condēsatione.

De proposita autem difficultate plures sunt sententiæ, prima asserit quòd rarefactio fit per iuxta positionem corporum subtilium, ita scilicet, quod rarefaciens, verbi gratia ignis generat aliqua corpora subtilia de aliquibus partibus substantiæ rarefactibilis, & illæ partes sic se habent, quod non possunt esse omnino cum illis partibus, qua de causa illæ partes expellunt alias de suo loco, atque ita secundum quod sunt pauca, vel plura corpora subtilia, maiorem, vel minorem occūpant locum, atque adeo rarefactibile occupat maiorem locum, & ex hoc sequitur, quòd in motu rarefactionis corrumpuntur aliquæ partes substantiæ rei, quæ rarefit, & generantur corpora subtiliora, atque ita rarius esse nihil est aliud, quam habere plura corpora subtiliora permixta, secundum iuxtapositionem cum partibus suis proprijs, atque ita breuiter rarius est, quia habet corpora aliqua permixta, subtiliora hoc modo cum partibus suis adhuc manentibus in propria forma, adeo quòd quatuor dicit hęc opinio, primū dicit quod rarius esse nihil est aliud, quam habere multa corpora subtilia, permixta per iuxtapositionem cum suis proprijs partibus.

Digitized by Google

Secundo dicit, ꝙ in tali motu. s. rarefactionis corrumpūtur aliquæ partes substantiæ ipsius rarefactibilis. Tertio dicit, ꝙ ibi generantur corpora subtiliora. Quarto, ꝙ illa corpora expellunt aliquas partes substantiæ de suo loco; ex eo enim, ꝙ iuxta ponuntur partibus substantiæ, ideo substātia occupat post rarefactionem maiorem locum quam prius, & in densatione non occupatur tantus locus, quia non fuerunt tanta corpora ad generandum, sicut in rarefactione.

Et si contra hanc sententiam arguas, quod non est maior ratio, quare vna pars substantiæ corrumpatur, quam alia in rarefactione, respondetur, ꝙ illæ partes citius corrūpuntur, & magis quam aliæ, quia sunt propinquiores agenti, & prius recipiunt actionem suam, & si iterum arguitur. Si rarefactio fieret per generationem corporum subtilium, sequeretur, ꝙ statim postquam approximatur agens rarefieret, sed hoc est falsum; respōdetur negando cōsequentiam; & ratio est, quia oportet ꝙ illud corpus rarefactibile sit prius calefactum in aliquo gradu notabiliter, antequā generentur aliqua corpora, quibus mediantibus fieret rarefactio. & si iterum dicatur, quòd non apparet per sensum, ꝙ ibi sint plura corpora sensibilia in corpore rarefacto: immò prædictum corpus rarefactum apparet vniforme, negatur consequentia, non enim sequitur, sensus non percipit illa corpora subtilia, ergo non sunt ibi; quoniam aliquando sensus non percipit vapores in aere, & tamen sunt in aere, qui tamen vapores non sunt eiusdem speciei cum aere. Hanc sententiam sequuntur aliqui Scotistæ putantes eam esse Scot. quia illam Scot. refert in hac q. sub lit. b. tamen vt ait Tartaretus falsa est, & improbata ab Arist. 4. Physic. cap. 9. contra quam sic arguitur. Si rarefactio fieret per generationem talium corporum subtilium, sequeretur, quod si species Sacramentales Eucharistiæ rarefierent esset aliud corpus cum corpore Christi.

Tartaretus.

Secundo arguitur. Mirabile est, ꝙ substantia non possit transmutari à densa in raram eadem manens.

Marsilius. Henricus.

Secunda sententia est Marsilij, & Hen. Gandauēsis, qui dicunt, ꝙ in rarefactione acquiritur vna totalis quantitas, & corrumpitur tota præcedens, quæ fuit etiā opinio Gotfr. vt diximus in præcedenti art. Hæc sententia dupliciter exponitur, vno modo sic, ꝙ eadem quantitas prius est minor, & postea maior in rarefactione, & è contra in condensatione ita. s. ꝙ eadem manet quantitas est quæ rarefit, & per rarefactionem acquiritur maioritas quantitatis, vnde termini rarefactionis sunt minoritas, & maioritas quantitatis, & vltra cum maius & minus de materiali significent quantitatem, & de formali respectum. s. talem ordinem ad partes loci, sequitur ꝙ respectus ille acquiritur in rarefactione, ita videlicet, ꝙ quantitas, quæ denominatur, v. g. cubitalis propter talem ordinem partium ad partes loci in rarefactione vocatur bicubitalis propter alium ordinem partiū ad partes loci, & hunc modum dicendi tetigit Doct. in responsione secundi argumenti pro secunda, concl. Gotfred. sub lit. b.

Secundo modo exponitur à quodam moderno dicēte, ꝙ dimensio non est res, quæ extenditur, q. d. ꝙ quantitas nō est quanta, neq; extensio est extensa, sed ratio extēsionis in corpore, Corpus autem est quod extenditur per quantitatem, & cum in rarefactione magis extēditur corpus acquiritur noua quantitas, & cum densatur deperditur, & probatur: quia si eadem manet quantitas est in rarefactu, quæ erat in rarefactione, quomodo non extendebat antea corpus tātum, quantum postea? Et confirmatur; quantitas est ratio extensionis, ergo eadem quantitas est ratio eiusdem extensionis, sed in rarefactione non apparet eadem extensio, ergo neque eadem quantitas.

Secundo probatur: termini motus sunt incompossibiles 5. Phys. sed in rarefactione termini motus sunt minor, & maior quantitas, ergo sunt incompossibiles, ergo adueniente maiori quantitate, quæ est terminus ad quem, corrumpitur minor quantitas, quæ est terminus à quo.

Contra hanc sententiam sic arguo. Accidens corrumpitur aut per absentiam agentis, seu conseruantis, aut corruptione sui subiecti, aut per introductionem contrarij, sed in rarefactione nihil horum contingit, ergo non deperditur quantitas; potest etiam improbari hæc sententia ijs rationibus, quibus Doct. improbauit sent. Gotfred.

Ad primam rationem huius opinionis respondetur negando id, quod supponit, videlicet ꝙ quantitas non sit quāta, & extensio extensa, vt optimè probat Toletus capit. de quantitate q. 1. quo fundamento diruto eius ratio non habet locum, possumus enim dicere ꝙ eadem manet quantitas extensa est in rarefactione, & hoc per aduētum quantitatis nouæ sine hoc ꝙ deperdatur præcedens, vt tenet quædam opinio probabilis, vel per hoc, quod non acquiratur noua quantitas, sed nouus modus quantitatis, & nouus modus extensionis, seu diuersus ordo partium ad partes loci, quod probabilius est.

Toletus.

Ad secundam rationem dictum est in præcedenti art. ꝙ termini motus sunt in duplici differentia, alij namq. sunt primi. s. priuatio, & forma, & de his intelligit Arist. ꝙ sunt incompossibiles, alij termini sunt non primi, sed concomitantes primos, qui sunt formæ positiuæ, & huiusmodi termini non sunt incompossibiles, vt patet in calore duorum graduum, qui si intenditur vt quatuor non proinde duo corrumpuntur, & idem dicendum de quantitate in rarefactione.

Tertia sententia est Buridani, quam aliqui dicunt esse Sco. hæc opinio affirmat, ꝙ in rarefactione acquiritur noua pars quantitatis sine corruptione præcedentis; Intelligitur autem hæc sententia sic, in tota materia adæquatè augetur quantitas antiqua, ita ꝙ non signetur pars, quæ non sit aucta, & neq; fiat in parte determinata, ita ꝙ non in cęteris fere ad eumdem modum, quo augetur quantitas in augmentatione viuentis, quamuis sit discrimen quo ad hoc ꝙ in viuente augmentatio fit secundum illas partes, quas Philosophi vocant formales, non tamen secundum illas, quas materiales appellant; at in rarefactione ita omnes particulæ augentur, vt nulla, quantumuis parua detur, sit, quæ nō augeatur aduentu nouæ quantitatis, prima pars huius sententiæ probari potest rationibus, quibus & præcedens, & secunda pars. s. quod non corrumpitur præcedens, quantitas probari potest rationibus, quibus in superiori articulo opinionem Gotfred. refutauimus.

Buridanus.

Quarta sententia, quæ est omnibus probabilior, tenet ꝙ per condensationem, & rarefactionem nō acquiritur aliud nisi alius, & alius ordo partium ad partes loci, quod probatur, quia per condensationē partes non efficiuntur sibi propinquiores, quā antea in ordine ad inuicem, quia semper sunt continuæ, sed in ordine ad locum, & similiter per rarefactionem partes efficiūtur distantiores in ordine ad locū, & non in ordine ad se, & hoc videtur esse de mente Scoti, quia ipse de figura loquendo corporis Christi in Eucharistia, dicit possibile esse, quod maneat idem ordo penitus partium ad se inuicem, & ꝙ sit alius ordo partium ad partes loci, quoniam notum est, quod si ego faciam digitum meū curuum, tunc idem est ordo partium digiti curui, & recti in ordine ad se inuicē, sed in ordine ad partes loci minimè; si ergo quæratur, an in condensatione partes efficiantur propinquiores quam prius, respondendum est, ꝙ in ordine ad se inuicem non sunt propinquiores quam antea, bene tamen in ordine ad partes loci, & idem de rarefactione, ꝙ partes rarefacti sunt distantiores in ordine ad partes loci, & non in ordine ad se.

Opin. Scoti.

Hac etiam opinio videtur esse S. Thomæ 2. 2. quæst. 24. articulo quinto ad primum, & 1 2. quæstione 52. dicentis, quòd in rarefactione non acquiritur noua quantitas, neque in condensatione deperditur, sed acquiritur nouus modus quantitatis, sicut ex eadem linea modo facimus circulum, modo angulum, qui quidem modus videtur esse ille ordo partium ad partes loci, quod confirmari potest ex Arist. 4. Physic. tex. c. 54. dicente, ꝙ ex raro fit densum sine augmentatione.

D. Thomas.

Ex hac vltima sententia elicio has duas conclusiones responsiuas ad quæstionem; prima est. Rarefactio non est augmentatio, neque condensatio est diminutio.

1. Conclus.

Probatur conclusio: augmentatio est per se motus ad quantitatem, sed rarefactio non est per se motus ad quantitatem, sed per accidens, ergo, &c. maior est Aristotelis 1. Physicorum tex. capitulo decimoctauo. minor est Scoti in fine huius quæstionis, consequentia inde patet, quia motus specificantur à termino per se ad quem, & non à termino per accidens.

Secunda concl. rarefactio, & condensatio sunt motus ad raritatem, & densitatem, quę sunt qualitates, & secundario ad diuersum modū quantitatis. prima pars est Sco. in hac q.

2. Conclus.

&

Digitized by Google

& secunda est etiam de eius mente, vt in quarta opinione dictum & probatum est, & magis patebit in sequentibus articulis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum species sacramentales possint moueri localiter.

HÆc quæstio non solum intelligitur de motu locali causato à principio extrinseco, vt si species illæ ab aliquo agente projcerentur sursum, vel deorsum, sed etiam de motu locali causato à principio intrinseco, adeo quòd nedum quæritur, an species huiusmodi habeant, quòd moueantur secundum locum per principium extrinsecum impellens, sed etiam an habeant quòd moueri possint localiter per principium intrinsecum, quod est conditio grauitatis, nam graue naturaliter mouetur deorsum, motus autem naturalis est qui venit ab intrinseco, passo non conferéte vim. Vnde si fiat sermo de motu locali causato à principio extrinseco est omnium Theologorum communis sententia, ꝙ species sacramentales transmutationi locali sunt subiectæ; si autem fiat sermo de motu locali causato à principio intrinseco, fuit aliquorum opinio, ꝙ accidentia non sunt subiecta transmutationi locali, sed si moueantur deorsum hoc fieri à solo Deo, & non ab aliquo principio intrinseco.

Fundamentum huius opinionis est, ꝙ grauitas non est forma accidentalis, sed substantialis, quod sic probant. Accipio panem ante consecrationem, & volo, ꝙ Deus separet grauitatem illam, quæ ponitur forma accidentalis conseruando substantiam panis; Tunc quæro, si talis panis ponatur in aere, vel descendet, vel non, si descendat, ergo frustra ponitur talis grauitas, quæ est forma accidentalis, cum talis panis sit substantialiter grauis; si dicas ꝙ non descendat.

Contra. Locus proprius terræ est subtus aerem, & aquã, ergo si posita in aere, quiesceret extra locum suum naturalem, & per consequens violenter ibi quiesceret, atque adeo in tali casu panis ille violenter quiesceret, & per cõsequẽs aliquod est impedimentum suæ quietis, atq; ita amoto illo impetu ex inclinatione naturali moueretur deorsum, apparet ergo, quòd terra, seu panis, in quo ratione suæ mixtionis dominatur terra, est substantialiter grauis.

Et ex hoc concludunt, ꝙ nesciunt videre qualiter accidẽtia illa moueantur deorsum, ex quo ibi non est substantia panis, nisi dicatur, quòd Deus mouet illa accidẽtia supplendo vicem grauitatis.

Sed contra hãc opinionem arguo sic, si speciebus in Eucharistia non esset aliqua grauitas, sequeretur, ꝙ ipsis motus sursum non resisterent suo motori, cõsequens est falsum, & contra experientiam; nam volens sursum hostiam projcere apparet manifesta resistentia, vnde posset consecrari panis in tanta quantitate, ꝙ species illæ notabiliter resisterent impellenti; cum igitur talis resistentia non proueniat formaliter nisi à forma grauitatis, sequitur ꝙ in eis est formaliter grauitas. Sed diceretur, ꝙ argumentum nõ probat, ꝙ in accidentibus sit aliqua grauitas, sed bene quod est aliquod principiũ formale, per quod species resistunt motui, qui sequitur; hoc autem principium est durities, vel continuitas; sicut si quis per imaginationem haberet aliquã portionem cœli ad quantitatem vnius pugilli, & illa sursum projceret, ibi esset resistentia ratione continuitatis, & duritiei, & tamen nulla esset ibi grauitas.

Sed quidquid sit de hac responsione, probo ꝙ grauitas secundum Philosophum sit simpliciter forma accidentalis. Quodlibet obiectum potentiæ sensitiuæ est accidens, sed grauitas est obiectum potentiæ sensitiuæ, ergo grauitas est accidens, maior patet, quia nulla forma substantialis est per se sensibilis, sed solum per accidens; ergo omne per se sensibile est accidens, & apparet per locum à fortiori, nam si potentiæ sensitiuæ, quæ inter alias videtur spiritualior, obiectum est accidens à fortiori, & omnium; constat autem ꝙ inter omnes potentias sensitiuas sublimior est potentia visiua, & ipsius obiectum est accidens, scilicet calor sub ratione lucis, ergo propositum; minor verò apparet per locum à fortiori, nam si potentiæ sensitiuæ tactus, asperum, durũ, leue, ponderosum, graue conueniant; ista, à fortiori erunt accidentia quam obiectum visus, sed ista sunt obiecta tactus, quia tactus percipit rei grauitatem, vel leuitatem, igitur talia sunt accidentia.

Dicendum est ergo, ꝙ species sacramentales possunt naturaliter moueri ad locũ, hoc probo primo sic. Illud, quod est ita naturaliter in loco circumscriptiuè sicut prius, & in potentia ad alium locum, est ita mobile ab agente naturali ad alium locum sicut prius, sed quantitas in sacramento est huiusmodi, ergo, &c. Maior patet, & minor probatur; per separationem à substantia; nihil positiuum confertur quantitati, nec datur sibi esse in loco circumscriptiuè, sed eamdẽ circumscriptionem passiuam, quam priùs habebat respectu loci, habet post separationem, & vniformiter, & naturaliter sicut prius, ergo &c. Et cõfirmatur: quia vbi est pars hostiæ, seu quantitatis ibi non est totum, siue tota hostia, vel quantitas, imò tota hostia maiorem locum occupat, quam faciat pars; quare sequitur, quod est in loco circumscriptiuè, sed quodlibet quantum existens in loco circumscriptiuè potest moueri localiter, quia primum, & immediatum subiectum transmutationis localis est quantitas localiter extensa, vt docet experientia.

Secundo arguitur à moto eo, quod est per accidens simpliciter, & omnino; non amouetur aliud, quod est per se quin possit inesse, sed substantia non est locabilis circũscriptiuæ nisi per accidens sicut patet, nam ipsa non est ratio formalis, nec fundamentalis, etiam circumscriptionis passiuæ, sed magis ipsa quantitas, cuius est; primo coexistendi alteri, & commensurari tanquã habens partem extra partem, nec per consequens ipsa substantia est ratio mobilitatis in loco, vel ad locum circumscriptiuum; sed magis quantitas ipsa, ergo ipsa amota manet mobilitas talis in quantitate quantũcũq; separata, & ab agente naturali sicut prius.

Amplius manente quantitate, & amota substãtia manet sensibilitas naturalis ipsius quãtitatis, vt dictum est supra, & similiter sensibilitas qualitatis in quantitate existẽs, quia substantia sensibilis non est nisi omnino per accidens, sed sic quantum ad propositum se habet ad sensibilitatem, sicut ad mobilitatem, & è conuerso, ergo, &c.

Deinde posito sufficienti fundamento, & subiecto disposito alicuius extrinseci respectus, & posito eius termino & agente non impedito sufficienter continente talem respectum in virtute sua, & ipsis approximatis sufficienter, potest poni talis respectus, sed quantitas separata est tale subiectum, vel fundamentum motus localis, qui non est nisi respectus, vt dictum est, & ponitur aliquis locus ad quem potest moueri, licet locus ille non sit terminus motus eo modo, quo accipitur terminus in respectibus, sed magis ipsum mouens, locus autem bene est terminus ipsius vbi, quod acquiritur per motum, & talis motus sufficienter continetur in virtute actiua naturalis agentis, ita bene sic prius, vt videtur, & mouens potest sufficienter approximari quantitati separatæ mobili, ergo &c.

Subinde. Cuicumque inest grauitas potest moueri localiter, si sit in loco circumscriptiuè, sed speciebus sacramentalibus inest grauitas, ergo species huiusmodi possunt moueri localiter, consequentia patet, & maior: quia istæ duæ qualitates grauitas, & leuitas habent ordinate situm sursum, & deorsum, & per consequens habent, quod possint facere ea, quibus insunt moueri ad locum sibi ex conditione intrinseca ordinatum; minor verò patet per experientiam, nam omnem motum, quem habent species illæ ante consecrationem, habent etiam post consecrationem, nunc autem ante consecrationẽ species illæ mouentur deorsum, ergo & post, cum hoc indicat experientia, ergo &c. Dico ergo ꝙ species illæ possunt moueri naturaliter tam à principio intrinseco, quam à principio extrinseco, nec sequitur ex hoc, quòd corpus Christi per accidens possit moueri à sacerdote, sicut dictum est supra.

Ad rationem pro opinante adductam, dico, ꝙ si Deus per suam omnipotentiam separaret grauitatem a terra, seu à mixto, in quo terra prædominatur, quòd illud quantum ad motum sursum, & deorsum remaneret corpus neutrum; Vnde posito illo casu vbicumque tale corpus poneretur quiesceret, nec esset alicubi violenter, ex quo existit corpus neutrum, ideo respectu impulsionis remaneret quo ad motum cum moueretur, prout impellens impelleret sic moueretur corpus illud, quia nõ haberet aliquem motum à principio intrinseco, & ita diceret Philosophus, quo ad formã, licet quo ad materiam casum impossibilẽ reputaret,

quia apud eum consequitur formam substantialem terræ per modum passionis, atque adeo ab ipsa inseparabilis est. Sed Theologus aliud iudicium habet de diuina potentia, & ideo apud ipsum terra potest esse per Dei potentiam sine grauitate, & ignis sine leuitate, & istud apparet maximè in corporibus gloriosis, quæ purificantur à ponderositate terrestri, licet in eis remaneat virtualiter forma substantialis terræ, atque ita apparet quòd speciebus in Sacramento Eucharistiæ inest grauitas, quæ est forma accidentalis, cuius inclinatione species illæ naturaliter mouentur deorsum, & ex hoc sequitur q non solum ab impellēte possunt moueri localiter, sed etiam à grauitate intrinseca.

ARTICVLVS V.

Vtrum species sacramentales moueri possint motu alterationis.

Alteratio est motus ad qualitatem, duplex autem potest fieri mutatio secundum qualitatem; vna est simpliciter ad qualitatem, ad quam scilicet, non sequitur variatio secundum quantitatem, & hæc est duplex prior est ad qualitatem tertæ speciei, quæ est passio vel passibilis qualitas, sicut sunt omnes colores, & omnes qualitates sensibiles; posterior verò est circa qualitatem quartæ speciei, vt est forma, & circa hoc aliquid constans figura; secunda mutatio ad qualitatem est, ad quam sequitur variatio secundum quantitatem, vt est alteratio, per quam acquiritur aliqua qualitas, quam consequitur acquisitio alicuius quantitatis, vt si causaretur in illis speciebus tantus calor, quòd propter eius inductionem sequeretur rarefactio; vel si in illis induceretur tantum frigus, quòd eius inductionem sequeretur densatio, de priori mutatione ad qualitatem est sermo in isto articulo, de posteriori autem fiet sermo in articulo sequenti; quæritur ergo an in speciebus sacramentalibus possit fieri naturaliter alteratio, per quam simpliciter acquiritur, vel corrumpitur qualitas sine variatione quantitatis.

De hac re est duplex opinio, prima est nominalium affirmantium nullam posse fieri transmutationem naturaliter in his speciebus; nam cum ipsi negent qualitates, quæ in his speciebus manent inhærere quantitati, sed esse per se affirment, eo quia secundum ipsos non sunt à suis quantitatibus distinctæ, non enim ponunt quantitatem accidens distinctum à substantia, & qualitatibus vt vidimus supra, consequenter negant posse naturaliter intendi, & remitti, atq; adeo necessarium illis est multiplicare miracula; nam experientia constat has species calefieri, &c. si ergo hoc nō potest fieri virtute agentis naturalis, oportet vt supernaturaliter à Deo fiat ad mysterium occultandum. Probant autem eorum sententiam hoc argumento. In omni transmutatione est aliquod subiectum deferens motum, sed in sacramento Eucharistiæ non est nisi qualitas, quia quantitas non est accidens distinctum à qualitate, ergo nullus potest ibi esse motus; vnde si inducitur in illis speciebus aliquis gradus qualitatis, verbi gratia, caloris, certum est q hoc non fit per transmutationem prioris qualitatis; quia illa manet intransmutata, ergo ille gradus induceretur solummodo creatiuè.

Secundo arguitur. Si virtute agentis naturalis esset alteratio, aut de potentia alicuius subiecti educeretur qualitas terminans alterationem, aut non; si non, tunc crearetur, & agens naturale tunc posset creare; si sic, hoc videtur de potentia quantitatis, sed hoc est impossibile, quia potentia & actus educibilis de ipsa sunt eiusdem generis, patet de materia & forma; quantitas autem, & qualitas nō sunt eiusdem generis, ergo, &c.

Tertio arguitur. Qualitas ad quam terminatur alteratio virtute agentis naturalis est qualitas terminata, sed hic non potest esse terminata, quia non est hic aliqua forma substātialis, per quam habent accidentia quod terminentur, etiā quantitas ipsa ergo, &c.

Quarto arguitur. Non magis potest educi ista qualitas ab agente naturali de potentia quantitatis, quā de potentia materiæ nudæ vt videtur, sed de potentia materiæ nudæ non potest educi ab agente naturali, quia talem materiam non posset attingere, non enim est ens in actu ergo, &c.

Cæterum suppositis, quæ diximus, supra secundum communem sententiam, nempè quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, & qualitate, esse, immediatum subiectum omnium qualitatum; atq; adeo eodē modo qualitates inhærere quantitati, quo ante consecrationem inhærebant, facilè intelligitur posse ab agēte naturali in eadem quantitate qualitas intendi, vel denuo produci, quia ex parte quantitatis est sufficiens potentia passiua, ex qua educantur, quia immediatè in illa recipiuntur, & ab illa pendent, & in suo esse conseruantur; atque adeo fieri etiam possunt ex illa, quia vt diximus supra nihil aliud est educi de potentia subiecti, quam in illo fieri cum dependentia in fieri, & in esse ab illo; Dicendum est ergo, q virtute agentis naturalis possibilis est circa species Eucharistiæ alteratio, quam non concomitatur aliqua variatio, vel mutatio circa quantitatem in se, & in natura sua, vel talem variationem fieri de nouo præsupponit.

Probatur ergo. Posito subiecto alterabili, & sufficienter approximato alteranti, vel alteratiuo, quod potest ipsum alterare non impedito potest poni alteratio, vel variatio qualitatis; sed quantitas non obstante quod sit separata est subiectum alterabile naturaliter, sicut naturaliter est susceptiua qualitatis, secundum quam fit alteratio, & potest approximari alteratiuo naturali non impedito, ergo &c.

Præterea. Vbicumque est subiectum diuersarum qualitatum naturaliter susceptiuum potest naturaliter transmutari ab vna qualitate in aliam, sed quantitas cum sit res distincta à substantia, & qualitate est subiectum diuersarum qualitatum naturaliter susceptiuum, ergo quantitas in sacramento potest naturaliter transmutari ab vna qualitate ad aliam: maior patet, & minor probatur, quia albedo ita potest extendi in quantitate separata, sicut facit in substantia corporea, ergo sicut substantia corporea est susceptiua diuersarum qualitatum, ita & quantitas separata est diuersarum qualitatum susceptiua. Amplius ex hoc vna qualitas corrumpit sibi contrariam, quia transmutat subiectum qualitatis contrariæ: ex hoc enim caliditas ignis naturaliter corrumpit frigiditatem aquę, quia transmutat ipsam aquā, ex qua transmutatione sequitur corruptio ipsius frigiditatis, ergo per applicationem alicuius qualitatis contrariæ potest ipsa quantitas transmutari, & per consequens sequitur corruptio qualitatis præexistentis, sed hoc non fit naturaliter nisi per inductionem qualitatis subsequentis, ergo quantitas naturaliter transmutari potest ab vna ad aliam qualitatem.

Deinde, quandocumq. aliquid conuenit alicui ratione sui, illud vbicumque sit habet illam rationem, sed substantia habet transmutari mediante quantitate, quia transmutationes naturales fiunt per corporeum contactum, ergo per prius fit transmutatio in quantitate, quam in substantia, atque adeo quantitas separata à substantia non minus potest transmutari ad qualitatem.

Sed dubium est, an quantitas in Sacramento Eucharistiæ possit naturaliter transmutari, secundum qualitatem, quæ est figuratio, verbi gratia, si species vini transmutarentur de vase quadrato, & ponerentur in vase triangulari, vel circulari, an alia, & alia figuratio, quæ esset in illis speciebus secundum aliam, & aliam continentium figuram, inducatur in illis per agens naturale, vel per agens supernaturale.

Et ratio dubitationis est; quia dubium est an per illam figurationem acquiratur noua quantitas, nam si alia, & alia figura arguat aliam, & aliam quantitatem, vt videtur dicere Auicenna 7. Metaphysicę suæ, vbi dicit quòd dimensio alia & alia requirit aliam, & aliam quantitatem, non videtur, quòd talis figuratio induci possit per agens naturale, cum agens naturale non possit producere quantitatem sine subiecto, vt videbimus in sequenti art. *Auicenna.*

Pro huius difficultatis solutione obseruandum est, quòd duplex est figura, vt dicit Scot in hac quæstione sub litte. F. §. Sed detur quædā est, quæ est ordo partium ad partes loci, & talis figura, seu ordo potest acquiri per solam curuationem digiti, vnde quando quis curuat digitum, tunc partes digiti non acquirunt aliud, nisi alium ordinem ad partes loci, quem prius non habebant, & de ista non est dubium, an variatio talis figuræ variet quantitatem, quoniam clarum est, quòd licet ego moueam meipsum ad illum locum, tū non variatur mea quātitas; alia est figura, quę est ordo partium ad se inuicem, & ad totum, & de ista

videtur

videtur dubium, an variatio talis figuræ variet quantitatem, verbi gratia, an, scilicet, quando aqua acquirit aliam, & aliam figurationem in alio, & alio vase producatur in aqua noua quantitas; Et dicit Doct. quòd non, quia nimis durum esset dicere, quòd quoties figuratur aqua aliter, & aliter, in alio, & alio vase, toties haberet nouam quantitatẽ simpliciter manentibus partibus eisdem in se, & in toto; figura ergo non dicit vltra quantitatem, nisi relationem partium ad inuicem, vel terminorum includentium partes, hæc autem relatio mutari potest partibus manentibus eisdẽ in se, & in toto; figura ergo siue accipiatur primo modo, quæ est ordo partium ad partes loci, quæ non dicit nisi relationem terminorum includentium partes ad partes loci, siue accipiatur secũdo modo, scilicet pro relatione partium ad se inuicem, & ad totum, mutari potest partibus manentibus eisdem in se, & in toto, atque adeo variatio secundum figurationem non variat quantitatem, & per consequens species sacramentales possunt naturaliter transmutari secundum figurationem.

Ad argumentum Nominalium negatur eorum fundamentum, nimirum, quod quantitas non sit res distincta à substantia, & qualitate.

Ad secundum dico, quòd qualitas terminans alterationem educitur de potentia quantitatis, sicut immediatè recipitur in ipsa, omnis enim forma educibilis de aliquo, potest educi de potentia sui immediati recepti rei, si sit essentialiter distincta ab ipso; & cum dicitur quod potentia, & actus educibilis sunt eiusdem generis, dico, quòd hoc est falsum, vt patet de quantitate, quæ educitur de potentia substantiæ corporeæ, &c. non enim requiritur quando eductum, & illud quod educitur non faciunt vnum per se, sed per accidens tantum, quòd sint eiusdem generis, atq; adeo nõ est simile de materia, & forma, ex quibus fit vnum per se, & de subiecto, & accidente, ex quibus fit semper vnum per accidens.

Ad tertium dico, quòd accidentia in Euchatistia sunt terminata pro tanto, quia sunt accidentia eadem, quæ fuerũt, vel esse possunt formæ determinatæ panis; si autem vocas accidentia terminata, tãtum accidentia consequentia, vel concomitantia formam existentem in actu, dico quòd non oportet accidentia sic esse terminata.

Ad quartum dico, ꝙ qualitas corporalis non potest educi, sic de materia nuda, sed de materia quanta, & magis de quãtitate ipsa, quia quantitas est immediatum susceptiuũ, & subiectum eius.

ARTICVLVS VI.

Vtrum species sacramentales possint naturaliter transmutari motu rarefactionis & condensationis.

EST quadruplex modus dicendi, vt diximus supra, quo modo fiat rarefactio, vel condensatio; primus modus dicendi erat, quòd rarefactio fit per iuxta positionem corporum subtilium; Secundus erat, quòd in rarefactione acquiritur vna totalis quantitas, & corrumpitur tota præcedens. Tertius modus dicendi erat, quòd in rarefactione acquiritur noua pars quantitatis, sine corruptione præcedentis. Quartus autem modus dicendi erat, quòd per condensationem, & rarefactionem non acquiritur aliud, nisi alius, & alius ordo partium ad partes loci, & hunc modum dicendi diximus probabiliorem esse, & magis ad mentem Scoti.

Secundo obseruandum est, quòd rarefactio, & condensatio est motus ad raritatem, & densationem, quæ sunt qualitates, quem motum consequitur, vel iuxta positio corporum subtilium iuxta primum modum dicendi subiecto rarefactibili, vel cõsequitur vna totalis quantitas iuxta secundum modum dicendi, vel noua pars quantitatis iuxta tertium, vel alius ordo partium ad partes loci, siue alius modus quantitatis rarefactibilis, vel condensabilis iuxta quartum.

Tertio obseruandum est, quòd circa hanc quæstionem eamdem difficultatem habent illi, qui ponunt, quòd non desinit tota prior quantitas, nec aduenit tota noua, sed aliqua pars noua aduenit quando rarefit, & aliqua pars desinit, quando condensatur quantum, sicut illi, qui ponunt ꝙ tota quãtitas præcedens desinit, vel corrumpitur, & sequens tota noua aduenit, & generatur, nã eadem difficultas est, ꝙ pars quantitatis non educatur de subiecto, vel non redigatur in subiectum, sicut de tota quantitate, sed circa primum, & quartum dicẽdi modum non videtur difficultas.

Nam iuxta primum modum dicendi non videtur difficultas, ꝙ species illæ possint rarefieri ab agẽte naturali, atq; condensari, nam rarefactio non esset nisi quædam iuxtapositio quarumdam partium corporis grossioris, & corporũ subtilium, vt dicebant antiqui Philosophi, contra quos arguit Arist. 7. Physic. Cæterum iste modus dicendi præterquam quod reijcitur ab Arist. patitur angustias, nam si poneretur casus, quòd vinum rarefieret difficile videretur, quomodo sol, vel ignis per rarefactionem produceret vnã substantiam subtiliorem ipso vino; atque etiam posito ꝙ illæ species rarefierent necesse esset dicere secundum illum modum, ꝙ statim esset ibi alia substantia noua, & ex consequenti non esset corpus Christi vbiq; sub illis speciebus, demum mirabile videretur, ꝙ non posset aliqua substantia eadem numero manere sine aliqua corruptione, & transmutari à raro in densum, & è conuerso sine noua substantiæ generatione.

Si autem teneatur secundus, & tertius modus dicendi, s. ꝙ per rarefactionem acquiratur noua quantitas, vel noua pars quantitatis; potest ad difficultatem dupliciter responderi; primo dici potest, quia agẽs naturale potest in talem alterationem, scilicet potest illas species rarefacere, & condensare; pro cuius intellectu obseruandum est, quod terminus huiusmodi alterationis non esset nisi quædam qualitas, nimirum raritas, vel densitas, quæ reciperetur vt in subiecto in quantitate, atq; ita de ipsa per agens naturale educeretur: Secundo obseruandum est, quòd raritas & densitas sequuntur quantitatem secundum magis, vel minus extensum, nam subiectum præcedit motum & terminum formalem motus; Tertio obseruandum est, quòd in rarefactione, & condensatione sunt duæ mutationes prior mutatio habet pro termino quantitatem secundum maius, vel minus, posterior autem habet pro termino raritatem, vel densitatem; Cum enim, verbi gratia, ignis rarefacit aquam, primo aqua alteratur ad caliditatem; quam alterationem, sequitur secundum durationem variatio quantitatis in se, & hæc variatio prior est secundum naturam densatione, vel rarefactione, quia terminatur ad subiectum densationis, vel rarefactionis, nimirum ad quantitatem ipsam, quę naturaliter præcedit in maius, vel in minus raritatem ipsam, vel densitatem, vel rarefactionem, & condensationẽ, sicut subiectum præcedit motum, & terminum formalem motus. Quarto obseruandum est, quòd licet ad variationem quantitatis in se, quæ sequitur alterationem præcedentem rarefactionem, vel densationem non possit agens naturale attingere, quia non est ibi quantitas in subiecto, variatione tamen illa quantitatis facta à Deo, qui potest variationem illam supplere, quæ vt diximus, prior est secundum naturam raritate, & densitate; potest agens naturale in rarefactionem, & condensationem, ita bene sicut posset in vtrumque, & prius secundum naturam variaret quantitatem in subiecto existentem, & posterius secundum naturam rarefaceret, vel condensaret, licet simul duratione, & non esset ibi mutatio propriè accepta, quia subiectum non præsupponeretur secundum durationem. Quinto obseruandum est, quod rarefactio non est causa variationis quantitatis in maius, nec condensatio in minus, sed præsupponunt secundum naturam ipsam quantitatem sic variatam sicut subiectum suum, atque ita per rarefactionem, vel condensationem non augetur quantitas, vel minuitur nisi concomitanter, non causaliter.

Ex his ergo patet, quomodo agens naturale potest rarefacere, vel condensare species sacramentales, supposita nẽpe actione ipsius Dei variantis quantitatem in maius, vel in minus; hic dicendi modus potest appositissimo explicari exemplo; si enim aliquod agens impediretur per accidens, nec posset mouere, v.g. plumam, pro tãto quia esset pluma alligata lapidi molari, quẽ non potest mouere, nec per consequens plumam alligatam, vel aliquid simile, licet agens ipsum per se posset illam mouere, si lapidi molari nõ esset alligata; si Deus suppleret vicẽ mouentis molarem lapidẽ; ita quòd moueret ipsum; Tunc tali agens motu præsupposito posset plumam molari alligatam mouere ita bene ac si non esset alligata; ita dici potest ad propositum;

Hunc modum dicendi tangit Doct. in hac q. sub lit. G. ibi, & quia tota raritas est per se terminus illius alterationis, tota illa habet pro toto suo subiecto totam quantitatem, sicut pars partem, id est, sicut materia quæ est pars est subiectum formæ, quæ est etiam pars compositi per se, ita quantitas, quæ est pars rarefacti, quod est compositum per accidens est subiectum raritatis, quæ est etiam pars accidentalis rarefacti, atq; adeo tota rarefactio præsupponit istam, id est quantitatem maiorem, & per consequens illi quantitas est prius naturaliter maior, quam in ea sit ista raritas inducta.

Secundo responderi potest ad difficultatem, quod agens naturale non potest in alterationem, quæ vel concomitatur, vel quasi concomitatur variatio aliqua quantitatis in maius, vel in minus: nam licet rarefactio, & condensatio non sint per se motus ad quantitatem, sed magis ad qualitatem (raritas enim & densitas, vt dictū est supra qualitates sunt) tamen concomitatur duratione, vel tempore istas variatio quædam quantitatis; rarefactum enim est maioris quantitatis quam prius, & condensatū minoris. Cum ergo agens naturale non possit producere quantitatem sine subiecto, nec potest alterare quantitatem alteratione, quam sequitur variatio quantitatis, qua enim ratione posset in talem alterationem, eadem posset in variationem quantitatis concomitantem, quæ est sine subiecto, atque adeo posset aliquid annihilare, vel creare, vel producere aliquid de non subiecto, vel redigere aliquid in non subiectum, atq; ita annihilare, quod est inconueniens; quod igitur agens naturale in talem alterationem non possit, hoc non est ex per se ratione alterationis, sed per accidens, quia talem alterationem necessariò concomitatur, secundum durationem variatio quantitatis in qua non potest agens naturale.

Probatur autem hic dicendi modus specialiter contra secundum modū dicendi de rarefactione, & condensatione, qui dicebat quod in rarefactione, & condensatione tota quantitas præcedens corrumpitur, & primo sic. Illud, quod immediatè conseruatur à Deo non potest immediatè corrūpi ab agente creato, cum nulla causa creata habeat maiorem, & perfectiorem virtutem ipso Deo, sed quantitas in sacramento altaris immediatè conseruatur à Deo, ergo nullo modo potest corrumpi à causa creata, nam licet omnia generali influentia à Deo conseruentur, atq; ita stante generali influentia conseruationis vnum cōtrarium possit aliud sibi contrarium destruere, tamen posita speciali conseruatione non posset ipsum corrumpere, huiusmodi specialis conseruatio est in proposito, qua accidentia, & maximè quantitas à Deo specialiter conseruatur. ita Sco. vbi supra. §. Sed quid tenendo opinionem communem?

Secundo probatur. Omne accidens absolutum, vel corrumpitur per actionem contrarij, vel ex defectu, seu corruptione subiecti, sed quantitas in subiecto existens non corrumpitur per actionem contrarij, quia quantitati nihil est contrarium, vt docet Arist. in prædicamentis c. de quantitate, ergo tantum corrumpitur ex defectu, & corruptione subiecti, sed quantitas in sacramento altaris nullum habet subiectum, ergo ab agente naturali nullo modo potest corrumpi; Si ergo quantitas conseruatur à Deo sine subiecto, quæro à quo agente naturali possit corrumpi, nam à contrario: quia nullum est tale, nec defectus subiecti hic impedit propter Dei specialem conseruationem, ergo sequitur quod quantitas sacramentalis non potest virtute alicuius agentis naturalis corrumpi, & ex consequenti agens naturale non potest rarefacere, nec condensare species sacramentales, cum iuxta secundum modum dicendi per rarefactionem vna totalis noua quantitas acquiratur, & præcedens corrumpatur. Sed si quis hunc secundum modum dicendi vellet sustinere, scilicet, quòd quantitas in rarefactione corrumpatur, & noua producatur, à quo ergo producitur, vel corrumpitur quantitas cum rarefiunt, & condensantur species sacramentales?

Respondet Doctor, quòd immediatè illa noua quantitas producitur à Deo, atque etiam præexistens corrumpitur. Et si dicatur ergo est ibi miraculum. Respondet Doctor, quòd non est ibi nouum miraculum, sed antiquum, quoniam eadem voluntate, qua Deus disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, disposuit quòd circa illas species præsente actiuo naturali causaret talem transmutationem, qualem in substantijs conuersis causaret agens naturale; & hoc ordinauit ne meritum fidei destrueretur, seu euacuaretur, nam si videremus species illas non transmutari propter quamcumque agentis naturalis actionem, saltem viri docti cognoscerent euidenter ibi subiectum non esse, atque ita euacuaretur in illis meritum fidei.

Ex hoc modo dicendi infertur, quòd si vna hostia consecrata poneretur in igne, & combureretur, illa combustio non esset ab igne, sed à Deo. sequitur secundo, quòd si vinum consecratum rarefiat, ita quòd acquiratur noua quantitas, non produceretur illa quantitas ab igne, sed à Deo; Hæc sententia, inquit Docto. impugnari non potest neque per sensum, neque per rationem; non quidem per sensum, quia saluat omnia, quæ apparent sensui, vt omnes transmutationes, quæ patent per experientiam; neque per rationem, quoniam si dicatur, quòd hæc sententia aufert agenti naturali suam propriam actionem; Respondetur, quòd hæc sententia non aufert eam actionem, quæ potest agenti naturali competere scilicet, vt transmutet subiectum præsens, scilicet, quantitatem à forma in formam, id est à qualitate in qualitatem; sed illam tantum sibi negat, quæ non potest illi competere, scilicet transmutare, & non aliquod subiectum; nam agens naturale requirit in agendo subiectum, & hoc propter duo, primo propter se, quia passum est concausa cum agente creato, quod habet virtutem limitatam in agendo, & ideo requirit causam aliam, scilicet materialem concurrentem in fieri; & secundu propter effectum, quod est compositum ex materia tamquam ex parte præexistente, & forma tamquam parte adueniente, & per consequens non potest agens naturale agere omnino sine materia.

Et quod dictum est de rarefactione, & condensatione iuxta secundum modum dicendi de rarefactione, dicendum est etiam iuxta tertium modum, qui ponit, quod in rarefactione quantitas præcedens non corrumpitur, nec noua quantitas totalis producitur, sed quòd acquiritur noua pars quantitatis sine corruptione præcedentis, nam eadem est ratio de quantitate totali, & partiali, nam eadem difficultas est, quòd pars quantitatis non educatur de potentia subiecti, vel non redigatur in subiectum, sicut de tota quantitate.

Sed iuxta tertium modum dicendi de rarefactione fuit sententia cuiusdam Ioann. Rodinon in 4 dist. 10. quæst. 3. dicentis, quòd circa Sacramentum Eucharistiæ potest ab agente naturali fieri motus rarefactionis, per quem de per accidens acquiritur noua quantitas, quæ vnitur præcedenti quantitati, quemadmodum in intensione qualitatis vnus gradus vnitur alteri, ita in rarefactione quantitas fit noua non tota, sed pars in eodem subiecto; quia in quantitate, idem in subiecto, id est, in quantitate est motus rarefactionis, per quem per accidens est aliquis gradus quantitatis nouus, sed tamen sine subiecto & si quæratur vtrum postquam quantitas sacramentalis est rarefacta, & est ibi noua quantitas acquisita, vel noua pars quantitatis, vtrum inquam corpus Christi sit sub illa quantitate noua? Respondetur quòd sic; & si dicatur, ergo est miraculum, negatur consequentia, & ratio est: quia quantitas adueniens de nouo quasi adgeneratur priori quantitati, quia quantitas sequens habet modum similem, sicut præcedens eo modo, quo Philosophi dicunt, quòd in nutritione fit ipsius nutriti partis adgeneratio, eo quia fit iuxta positio illarum partium cum alijs, quia iuxta ponuntur illis.

Ioannes Rodinon.

Et si dicatur, quòd hoc est nouum miraculum scilicet, quod illa quantitas adgenerata iuxtaponatur quantitati præcedenti, & habeat similem modum essendi sicut præcedens; respondent, quòd non est miraculum nouum, imò antiquum, quod probant per simile de partibus carnis generatis ex nutrimento in Christo; nam eodem miraculo, quo verbum assumpsit humanam naturam, assumuntur ad vnitatem personæ partis carnis generatæ de nutrimento.

Ita eodem modo dicitur hic, quòd eodem miraculo, quo facta est quantitas separata, factum est, vt quicquid est pars eiusdem quantitatis sit similiter separatum; atque adeo eodem miraculo eademque virtute, qua Deus disposuit corpus Christi esse sub quantitate præcedente, decreuit, siue disposuit esse sub omni parte illius quantitatis, & per consequens sub quantitate sequente.

Contra

Contra hunc modum dicendi arguit Doct. sub. litt. G. §. contra hoc primo, quoniam si isti quantitati apponatur alia quantitas, sicut si vinum non consecratum apponeretur speciebus consecratis, tunc clarum est, quod quantitas illa adueniens non haberet consimilem modum essendi, quem habebat quantitas consecrata, quoniam illa erit in subiecto, & ista non, ergo non oportet, quod quantitas que de nouo aduenieret habeat similem modum essendi sicut illa quantitas consecrata. Nec ratio, nec similitudo illa est, ad propositum de Verbo Dei assumente naturam humanam, quia pars de nouo veniens, siue de nouo genita bene habet similem modum essendi sicut totum, quia ex eo quod natura humana est assumpta a Verbo, necesse est, quod pars de nouo genita per nutrimentum habet similem modum essendi naturæ humanæ; nimirum, quod ita pars generata sit assumpta a Verbo, sicut tota natura humana. Sed quãtitas de nouo adueniens, quæ habet esse per rarefactionem specierum, & quantitas præcedens non sunt partes alicuius totius prius habentis separatum esse, atque adeo non oportet, quod quantitas de nouo adueniens habeat similẽ modum essendi, sicut pars prius existens, quoniam pars prius existens non est pars alicuius nouæ quantitatis, quoniam licet ista pars de nouo acquisita adgeneretur quantitati præexistenti sine nouo miraculo accipiat esse totius, id est, esse sine subiecto, quemadmodum prior quantitas est sine subiecto, tamen pars adueniens non accipit simile esse altexi parte sine nouo miraculo, atque adeo iste modus dicendi non potest euadere quin sit nouum miraculum, quando quantitas noua adgeneratur.

Est tertia sententia circa secundum, & tertium modum dicendi de rarefactione, quæ affirmat, quod per agens naturale potest quantitas sacramentalis augmentari, & diminui per istum modum, materia enim vel subiectum respectu quantitatis duplicem habet rationem, scilicet habet rationem subiecti, & habet rationem concausæ cum agente naturali respectu variationis, vel mutationis ipsius quãtitatis; Deus autem licet non possit supplere vicem substantiæ, vel subiecti, vt subiectum est potentia receptiua quantitatis, potest tamen supplere cõcausalitatem eius partialẽ, quam habet cum agente naturali ad producendum aliquẽ effectum, & hoc siue ista causalitas effectiua sit per se, siue per accidens, vel sine qua non: nam Deus omnem causalitatem effectiuam supplere potest, ergo ad istam variationẽ vel transmutationem quantitatis agens naturale idem facit, quod faceret si materia, siue subiectum cõcurreret, quia Deus supplet vicem subiecti in coagẽdo, vel concausando agente naturali, & probatur, quia sicut Deus potest supplere vicem ipsius subiecti, quantum ad esse ipsius accidentis sine subiecto, ita potest supplere vicem ipsius subiecti respectu agentis, quantum ad productionem ipsius accidentis. Sed Deus de facto supplet vicem subiecti quo ad esse quietum accidẽtis, vt scilicet sit sine subiecto, ergo etiam potest supplere illud quo ad produci illius accidentis, & quo ad fluxum illius per rarefactionem.

Et confirmatur, magis videtur causa requiri ad effectũ, scilicet producendum, quam requiratur, vt concurrat cum alia causa ad causandum, sed Deus potest supplere causalitatem causæ secũdæ, ergo a fortiori potest facere, quod producatur effectus a causa secunda, scilicet ab agente naturali sine alia concausa naturali: declaratur exemplo nã ignis producit caliditatem in passo, & passum dicitur causare, id est, concurrere cum ipso igne ad causandum calorem, certum est autem, quod difficilius est supplere totam causalitatem ignis, & passi, id est, difficilius est producere calorẽ sine igne, & passo, in quo recipiatur calor, quam supplere tantum causalitatem passi, sed Deus potest supplere totam causalitatem ignis & passi, ergo potest efficere, quod remaneat causalitas ignis remota causalitate passi, quando ergo communiter dicitur, quod agens creatum non potest agere sine subiecto, dicerent huius sententiæ Authores, quod verum est vel de se, vel cum aliquo supplente vicem subiecti, in proposito autem Deus supplet vicem subiecti remanente actiuitate agentis creati, atque agens tale potest agere sine passo, quoniam non magis dependet causa a cõcausa, quam effectus causatus ab illis duabus causis.

Contra hanc sententiam, quæ videtur esse Gotfr. de Fontibus quol. 11. q. 3. arguit Doct. sub. lit. N. & probat, quod Deus non possit supplere causalitatem subiecti, & primo sic: causalitas subiecti non est aliud, quam receptio formæ, sed impossibile est Deum recipere aliquam formam, ergo impossibile est Deum supplere rationem subiecti, nam subiectum, vt subiectum non habet causalitatem respectu accidentis nisi materialem, id est, receptiuam. Et si dicatur, quod Arist. dicit, quod subiectum concurrit ad accidens secundum triplex genus causæ scilicet materialis, finalis, & efficientis. Dico, quod dictum Arist. intelligitur de subiecto, & accidente sibi connaturali, aqua enim habet frigiditatem quandam sibi connaturalem, quæ dependet ab ipsa aqua in triplici genere causæ, primo in genere causæ efficiẽtis, quia producitur ab ipsamet aqua, secundo in genere causæ materialis, quia aqua recipit illam, & tertio in genere causæ finalis, quia ipsa frigiditas non est nisi propter esse ipsius aquæ, tamen vt dixi, causalitas subiecti, vt subiectum est, est tantum receptiua, atque adeo Deus non potest supplere illam.

Secundo arguitur, agens creatum requirit passum, siue subiectum, vt concausam, & hoc in ratione receptiui, ergo si Deus suppleret causalitatem receptiuam subiecti respectu accidentis, hoc non esset nisi per nouum miraculum, atque ita erit nouum miraculum, quod agens naturale agat posito aliquo supplente vicem subiecti; sed in actione miraculosa agens creatum non agit totum ex se, ergo oportet redire ad hoc, quod illa actio non sit ab agente creato, & per consequens, quod illa noua quantitas producitur a solo Deo, & non ab agẽte creato, atque ita esto, quod Deus suppleat causalitatem subiecti, adhuc agens naturale non potest cooperari ad productionem quantitatis nõ de aliquo, vel ad corruptionem, siue ad destructionem nõ in aliquid, quia tunc posset cooperari ad creationem, vel ad annihilationem, & per consequens non potest agens naturale rarefacere, nec condensare species sacramentales, si ad rarefactionem, vel condensationem corrumpitur, vel producitur maior, seu minor quantitas. Ad rationes opinantis dicendum est, quod eius fundamẽtum est falsum, scilicet quod subiectum habeat aliam causalitatem respectu accidentis ext in fect, & non connaturalis, quam receptiuam, seu materialẽ, & esto etiam quod Deus suppleret causalitatem subiecti, adhuc agens naturale non posset cooperari ad augmentũ, vel diminutionem quantitatis, sicut non potest cooperari ad creationem, & ad annihilationem.

Postremo si teneatur quartus modus dicendi de rarefactione, quem diximus esse probabiliorem, & magis ad intentionem Doct. s. quod in rarefactione non acquiritur nisi alius, & alius ordo partium ad partes loci, res clara est, quod agens naturales potest rarefacere, & condensare species sacramentales, nam iuxta hunc modum dicendi rarefactio, & condensatio non dicunt proprie augmentum, vel diminutionem quantitatis, quia iuxta hunc modum nulla pars quantitatis additur, vel diminuitur, sed solum mutatur qualitas, seu quidam modus ipsius quantitatis, vnde etiam fit, vt nouis etiam terminis termineiur, & maiorem, vel minorem locum occupet: nam quantitatem rarefieri non est acquirere quantitatem, sed modum quemdam, qui est qualitas, seu dispositio illius. Et si quæratur vtrum per condensationem partes efficiantur propinquiores, quam prius, dico, quod vel intelligis in ordine ad se inuicem, & sic nego, vel intelligis in ordine ad locum, vel ad partes loci, & sic concedo, quod fiunt propinquiores, atq; ita dicatur, quod per rarefactionem partes dicuntur fieri distantiores in ordine ad locum, sed non in ordine ad se inuicem, & ex hoc sequitur, quod cõdensatio est motus, quia partes efficiuntur propinquiores in ordine ad locum, seu ad partes loci, & rarefactio est motus, quia partes rarefacti efficiuntur distantiores in ordine ad partes loci.

ARTICVLVS VII.

Vtrum agens naturale possit augere, vel minuere quantitatem existentem in Eucharistia.

SEnsus huius tituli est, an agens naturale non per productionem nouæ quantitatis de non subiecto, vel reductionem in non subiectum (quia hoc est impossibile, quod agens creatum aliquod agat sine subiecto, vel quod aliquid corrumpatur in non subiectum, sicut impossibile est quod creet, & quod annihilet), sed per additionem quantitatis

alicuius

Digitized by Google

alicuius in subiecto ad illam, quæ est sine subiecto, & per corruptionem eiusdem in subiecto manente priore sine subiecto v.g. quantitati Eucharistiæ, id est, vini consecrati, potest apponi quantitas vini non consecrati, vel aquæ ab aliquo agente naturali, & tunc videtur fieri vna quãtitas maior ex præcedente sine subiecto, & illa posteriori addita cum subiecto, atque ita potest augmentari quantitas, vt videtur; quæritur ergo an hæc augmentatio sit possibilis per agens naturale, similiter dicendum est de diminutione, nam si quantitas illa cum subiecto addita corrumperetur cum suo subiecto, videretur quãtitas illa tota diminui, & dubium est, an illa diminutio fieret per agens naturale.

De hac re est duplex modus dicendi, primus dicit, quod hoc fieri ab agente naturali est impossibile, quod probatur dupliciter, & primo sic. Impossibile est eandem quantitatem numero simul esse, & non esse in subiecto, sed quantitas prior maneret non in subiecto, quantitas autem apposita maneret in subiecto suo, ergo si ex ambabus fieret vna quantitas, illa simul esset, & non esset in subiecto, & sequitur, quod sub eadem quantitate simul esset, & non esset corpus Christi, nam esset sub quantitate existente sine subiecto, & non esset sub eadem, vt est in subiecto.

Secundo probatur, quælibet pars mixti est mixta, si ergo apponatur talis quantitas cum subiecto quantitati præexistenti sine subiecto, quælibet pars totius resultantis erit mixta, & sub qualibet parte quantitatis erit substantia apposita, atque ita in nulla parte, vel sub nulla parte quantitatis præexistentis erit corpus Christi.

His tamen non obstantibus est secundus modus dicendi Doct. qui dicit non esse impossibile quantitatem præexistentem augmentari per additionem alterius quantitatis in subiecto existentis, & ab agente naturali apponente vnã alteri, ita ut ex quantitate præcedente sine subiecto, & ex quantitate apposita in subiecto existente fiat vna quantitas maior, sicut etiam contradictionem haud inuoluit, quod agens naturale vnam quantitatem separatam addat alteri separatæ, & ex ambabus fiat vna maior, vt si quantitati consecratæ vini alia quantitas vini consecrati adderetur, vel ẽt diuidat vnam, & fiant duæ minores, quam prima tota, sic ergo videtur, quod posset quantitas prima augeri per appositionem, vel minui per diuisionem, vel subtractionem.

Pro ampliori tamen huius difficultatis intelligentia obseruandum est, quod diuisio quantitatis sacramentalis non est propriè motus, vel mutatio aliqua, quia non recipitur in illo toto, quod diuiditur, vt in subiecto, quia quando fit diuisio, totum illud, quod diuiditur non est, eo quia partes non sunt continuæ, sed diuisio illa est reductio partium in actu, quæ prius erant in potentia in ipso toto, id est, non est aliud quam reducere partes seorsum discontinuas, quæ prius in ipso toto erant continuæ; quæ partes existentes in toto componebant ipsum, ex eo quod continuabantur ad inuicem, cum autem ipsum totum diuiditur nihil fit aliud, quam reducere partes illas, quæ prius erant indistinctæ, & continuatæ ad ipsasmet discontinuatas, & distinctas ad inuicem. Secundo obs. quod subiectum huius diuisionis sũt ipsæ partes, quæ prius habebant continuationem, & postea discontinuationem, vnde eædem partes omnino secundũ eandem entitatem positiuam, quæ prius erant in toto continuæ ad inuicem, sunt postea in actu extra totum, ex quo sequitur, quod ipsa diuisio in partibus diuisis recipitur. Tertio obseruandum est, quod partes diuisæ transmutantur a forma ad priuationem, id est, a continuitate ad carentiam continuitatis, ex quo sequitur, quod ista diuisio non est generatio, sed est quasi corruptio sine generatione. & hoc ideo est, quia illa entitas ambarum partium prius fuit, antequam esset diuisio, licet non fuerit eodem modo, sicut quando facta est diuisio, quia prius illæ partes erant eædẽ sine præcisione, siue separatione, & nunc sunt cum separatione. Quarto obseruandum est, quod entitas totius, quæ præfuit in forma non manet facta diuisione, quæ entitas totius nihil aliud est, quam continuitas partium, ex hoc sequitur, quod diuisio non requirit quantitatem remanere eandem loquendo de identitate, quæ est continuitas, sed bene manet eadem quantitas loquendo de quocũque positiuo hic, & ibi, hic, id est, facta diuisione, & ibi, id est, ante diuisionem, nam per diuisionem nulla entitas positiua destruitur excepta illa continuitate, qua partes continuabantur ad inuicem, quæ quidem continuitas secundum reales est quidam respectus, secundum verò nominales est vnum taliter se habere. Quinto obseruandum est, quod quando vnum quantum apponitur alteri quanto per continuationem, forsan nullum subiectum manet idem, nisi illæ partes, quæ ad inuicem continuantur, imo illæ quãtitates, quę continuantur manent eædem penitus secundum eandem quantitatem, ita ut nulla noua entitas acquiritur excepta continuitate, quæ est vnus respectus, vel vnum taliter se habere, & est simile quo ad hoc in vnitione, ac diuisione partium quantitatis, quod sicut in diuisione nullum est subiectum diuisionis nisi partes ipsæ diuisæ, ita in continuatione nullum est continuationis, vel vnitionis subiectum nisi ipsæ partes vnitæ. Sexto obser. est, quod in diuisione, & continuatione, siue vnione diuersa est mutatio, nam in diuisione est mutatio priuatiua, qua partes mutantur a continuitate ad discontinuitatem, in vnione autem est mutatio positiua, qua partes mutantur a non continuitate ad continuitatem, ex quo sequitur, quod partes vnitæ habent aliquid, quod non habebant prius dum erant separatæ, nempe continuationem, & partes separatæ carent aliquo, quod habebant dum erant vnitæ, nimirum continuatione.

Septimo obseruandum est, quod speciebus vini conuersi in sanguinem, si alius apponatur liquorum, aut est eiusdem speciei, aut alterius, id est, aut est vinum, aut liquor alius specie distinctus, scilicet aqua. Si vinum, aut apponitur in maiori quantitate, aut æquali, aut minori, similiter si addatur alius liquor, aut additur in tali quantitate, quod virtus eius plene dominatur speciei vini, aut è conuerso, aut ita quod earum virtutes proportionentur conuenienti mutuæ actioni, & passioni, quæ requiruntur ad veram mixtionem. primo modo liquor ille additus conuerteret speciem vini in suam naturam. secundo modo species vini conuerterent liquorem sibi additum in vini naturam, & non tantum in accidentia. tertio modo ex specie vini, & liquore addito cõstitueretur aliqua natura tertia, quæ nec esset eiusdem speciei cum vino, nec cum liquore addito, quia mixtũ non est eiusdem speciei cũ aliquo miscibiliũ.

Octauo obseruandum est quod in speciebus consecratis manet virtus substantiæ ad agendum, sicut si essent in substantia quantum ad colorem, saporem, & alia accidentia, atque adeo ex his fieri potest quicquid ex vino fiebat, quia ita se gerit quantitas affecta illis accidentibus, ac si esset substantia, & ideo nihil obstat, quod secundum Aristo. accidens non potest misceri substantiæ, quia tunc non misceretur quantitas per modum accidentis, sed per modũ substantiæ tanquam per se existens. Obseruandum est nono, quod dupliciter possunt liquores misceri, primo imperfecte per diuisionem in minutissimas partes earumque localem interpositionem, & nonnullam alterationem mutuã, quæ ad substantialem corruptionem non perueniat. secundo fieri potest cum transmutatione substantiali, vel vnius miscibilium in alterum, quod prædominatur, quæ potius est corruptio vnius, & generatio alterius, vel aggeneratio, aut accretio quam mixtio, vel cum transmutatione vtriusque in vnum tertium, si debita proportione misceantur, & hanc Arist. 1. de Generatione t.c. 88. & 2. 1. c. 48. propriam mixtionem appellauit. Arist.

Postremo obseruandum est, quod inter liquores eiusdẽ speciei non potest fieri perfecta mixtio, quia vnus non potest corrumpere alterum substantialiter, nec per diuisionẽ in minimas partes, nec per nimiam alterationem, quia in his rebus homogeneis, vel non datur minimum existens, vel certe non datur minimum inexistens.

In præsenti autem licet diuisio fiat in minutissimas partes, illæ non manent per se separatæ, sed statim vniuntur alijs partibus eiusdem speciei, cum quibus miscentur, vt patet cum vna aqua alteri infunditur, nam quomodocumq; partes se se diuidant, & interponant nulla fit corruptio, nã eadem facilitate, qua diuiduntur vniuntur, posterior pars de alteratione patet, quia nulla res corrumpit alteram suę speciei, vt in alia specie aliam producat, cum omne agens tendat ad producendum sibi simile, neque corrumpit illã, vt in eadem specie producat aliud indiuiduum, quia agẽs non intendit indiuidualem similitudinem, quam consequi non potest, sed specificam, quæ iam præsupponebatur, & licet miscerentur duo vina, quæ essent in accidentibus dissimilia, vt album, & rubeum, dulce, & ponticum, tamen vnum non corrumperet substantialiter aliud, nam cum tota dissi-

ta dissi-

ta dissimilitudo esset in accidentibus, vnum immutaret aliud tantum accidentaliter, vt redderet illud sibi in accidentibus simile, cæterum illa transmutatio ad alterius substantialem corruptionem non esset sufficiens, quia cum substantiæ sint omnino similes, & homogeneæ, accidentia vnius sufficiunt ad conseruandam substantiam alterius, & è conuerso.

1 Conclusio His obseruatis dico primo, quod agens naturale potest frangere, & diuidere quantitatem Sacramenti Eucharistiæ quod ex eo patet, quia per fractionem, aut diuisionem nõ producitur, neque destruitur pars aliqua quantitatis, sed solum illæ partes, quæ in potentia diuisibiles erant reducuntur ad actum, maxime quia diuisio quantitatis est veluti motus quidam localis, per quem vna pars ab alia segregatur, atque adeo per talem diuisionem neque producitur, neque destruitur pars quantitatis sine subiecto, imo si quãtitas illa esset in subiecto posset diuidi ab agente naturali, nec tamen est diuisibilis propter subiectum, imo subiectũ fit diuisibile propter quantitatem, ergo quantitas a subiecto separata est etiam diuisibilis ab agente naturali.

2 Conclusio Dico secundo, quod quantitas sacramentalis potest augeri ab agente naturali per additionem alterius quantitatis, quæ sit in subiecto, vt contingeret si speciebus sacramentalibus vini alterius vini liquor admisceretur, idque probatur, quia ibi non fieret productio alicuius quantitatis sine subiecto, sed solum fieret continuatio illius quãtitatis, quæ est sine subiecto cum alia, quæ est in subiecto: fit vero continuatio hoc modo, quia illa superficies, qua finiebatur species vini consecrati, & illa superficies qua finiebatur quantitas vini non consecrati destruitur, & generatur vna superficies, quæ est terminus, & continuatio ambarum quantitatum. Et si dicatur ergo eadem superficies erit simul, & non erit in subiecto, nã erit in subiecto prout est terminus quantitatis vini non consecrati, & non erit in subiecto prout est terminus quantitatis consecratæ. Dico, quod secundum alteram partem erit in subiecto, & secundum alteram non erit in subiecto, neque hoc est inconueniens, vt dicit S. Thom. 3 p. q. 77. art. 8. ad secundum & Doct. hic in vna additione sub lit. R.

D. Thomas *Doctor*

3 Conclusio Dico tertio, quod si species consecratæ imperfecte misceantur cum liquore alterius speciei, ita ut virtus addit liquoris dominetur speciei vini consecrati, de facto non est ibi corpus Christi cum species vini consecrati desinat esse a sua specie.

4 Conclusio Dico quarto, quod si liquor additus dominetur a virtute specierũ vini consecrati, species vini conuerterẽt liquorẽ sibi additũ in vini naturam, quoniam in specie vini consecrati manet virtus substantiæ ad agendum, vt diximus, sicut si esset substantia, si species vini consecrati permaneant manet ibi corpus Christi, nec tamen esset sanguis Christi sub accidentibus vini generati ex illo liquore, sed tantum sub speciebus vini consecrati. Ex quo sequitur falsum esse, quod aliqui dicunt, scilicet totum illum liquorem manere consecratum, & conuersum in species vini, ex eo quod si ante cõsecrationem facta fuisset illa mixtio, postea per verba tota illa materia consecrata erat, atque adeo idem postea fiet virtute prioris consecrationis, sicut si pars aquæ non benedictæ cum alia benedicta misceatur tota manet benedicta. Hoc inquam falsum est, quia præcedentia verba cõsecrationis tantum potuerunt cõsecrare materiam sibi præsentem; hæc autem materia non erat nec tunc erat præsens, imo neque erat materia, quia non erat vinum, species autem consecratæ non possunt alias consecrare, quia nõ est eis data hæc vis, sed tantum verbis consecrationis, neq; est

Innocentius simile de aqua benedicta, quia vt docet Innocentius de officio missæ p. 3. ca. 25. eius benedictio solum est per quamdam extrinsecam denominationem ab Ecclesia institutam, quæ voluit eam extendi, & ad partes postea admixtas, sic voluit eam fieri solum per contactum, seu admixtionem cum alia aqua benedicta, hæc autem consecratio fit per realem transmutationem, & supernaturalem actionem, ad quam efficiendam solis verbis virtus, & efficacia data est.

5 Conclusio Dico quinto, quod si species vini, & liquor alterius speciei additus habeant virtutes proportionatas conuenientiæ mutuæ actioni, & passioni, quæ requiruntur ad verã mixtionem, cum ex specie vini, & liquore addito continueretur aliqua natura tertia, quæ nec esset eiusdem speciei cum vino, nec cum liquore addito sub speciebus illius naturæ tertiæ, non esset sanguis Christi, nec sub specie vini prioris, quia non remaneret sub propria specie, dimensio enim mixti alia est in mixto a dimensionibus miscibilium.

6 Conclusio Dico sexto, quando species consecratæ misceantur vino non consecrato, siue in maiori, siue in minori, siue in æquali quantitate cum non misceantur perfecta mixtione, nam quæ sunt eiusdem speciei non possunt in se inuicem agere, & pati, actione, & passione, quæ requiritur ad hoc, vt ex pluribus constituatur vnum vere mixtum, semper manet sanguis Christi non sub speciebus vini superadditi, sed sub speciebus transubstantiati, hæc est communis sententia, quam tenent Alex. de Ales 4 p. q. 10. m. 7. D. Bonauent. in 4. d. 10. art. 1. q. 2. Rich. art. 4. q. 1. Durand q. 3. Palud. q. 5. & Doct. in hac q. & idem docuit Inno. lib. 4. de hoc mysterio c. 32. & habetur in cap. cum Martiæ de celebrat. missarũ vbi in § Quæsiuisti, dicitur. Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem non transire in sanguinẽ, sed commixtum manere cum speciebus consecratis.

Ale de Ale. D. Bonauent. Richardus. Durandus. Paludanus. Scotus Innocent.

D. Thomas. Oppositum tamen docuit D. Thom. 3 p. q. 77. art. 8 & in 4. d. 12. art. 2. quæstiuncula prima & quol. 10 art. 3. quibus in locis docet, quod tantum vinum potest superaddi, quod non remaneret corpus Christi sub priori specie, quia quãuis species vini Sacramenti non corrumperentur nec ex ea specie, & vino superaddito aliquid vere mixtum non constituerent, tamẽ diuiderentur in partes paruas admodum, quod in neutra saluaretur ratio Sacramenti, sed hæc ratio non concludit, quia vt probatum est superius, Christus in qualibet hostia consecrata est totus, & totus in qualibet parte etiam tam minima, quæ posset esse, dum tamen remaneat species panis, atque ita dicimus de speciebus vini, & per consequens sanguis Christi remanet in minima parte specierum vini, dum tamen non mutet speciem, vinum ergo vinum additum non mutet speciem, igitur in minima gutta conseruatur sanguis Christi, & quamuis a nobis discerni non posset, discernitur tamen ab intellectu diuino, & beatorum.

Ad argumenta in oppositum, dico ad primum, quod nõ est inconueniens eandem numero quantitatem secundum diuersas partes suas esse simul, & non esse in subiecto, vt dictum est supra. Ad confirmationem patet, quod non sequitur corpus Christi esse simul, & non esse sub aliqua parte quantitatis, nam quomodocumque apponatur quantum præexistenti quantitati, & fiat vna quantitas maior, tamẽ semper pars est extra partem in toto, atque ita dico, quod sub quantitate, vel sub parte quantitatis præexistentis sine subiecto, & manentis sine subiecto est corpus Christi, & manet, non autem sub quantitate apposita, vel parte eius, quæ semper manet in subiecto.

Ad secundum dico, quod quælibet pars mixti substantialis compositi ex materia, & forma mixtionis est mixta, sed loquendo de mixto in proposito, dicunt aliqui, quod non quælibet pars mixti est mixta in se, sed mixtio illa fit per iuxta positionem partis ad partem, & tunc sub parte quantitatis manentis sine subiecto est corpus Christi, sed non in alia parte, vel partibus appositis, quæ sunt in subiecto. Aliter potest dici, quod esto, quod simul essent quantitas in subiecto, & sine subiecto, adhuc corpus Christi posset habere, & haberet respectum præsentiæ ad vnam, quæ non est in subiecto, & non ad aliam, quæ esset in subiecto, nam hoc est possibile, sed nescio an ita esset de facto.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in omni transmutatione, quam agens naturale potest causare circa species sacramentales manente Sacramento sit necessarium eandem quantitatem manere.

HÆc quæstio ex his, quæ in superioribus articulis dicta sunt videtur satis de se clara, tamẽ vt melius capiatur mens Doct. in hoc art. ponam duas conclusiones fundamẽtales, & ex his eliciam aliqua corollaria, quibus comprehenditur tota sententia Doct. in hac 4. q.

1. Conclusio Prima conclusio agens naturale potest causare in speciebus sacramentalibus omnem transmutationem, ad quam non sequitur destructio quantitatis, probatur concl. nam si agens naturale aliquam transmutationem non posset causare in speciebus sacramentalibus, hoc proueniret maxime

Digitized by Google

ex defectu subiecti, sed quantitas id supplet, ergo quamdiu quantitas manet eadem, potest agens naturale quamlibet transmutationem causare in speciebus sacramentalibus, ex quo infertur, quod agens naturale potest mouere localiter species sacramentales, & eas alterare calefaciendo, aut frigefaciendo, &c. huiusmodi, quod ex eo patet, quia ad huiusmodi transmutationes non sequitur destructio quãtitatis, quantitas autem quando erat coniuncta patiebatur, vt subiectum non vltimatum his passionibus, ergo idem conuenit illi separatæ.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Nullum agens naturale potest causare transmutationem in speciebus sacramentalibus, per quam destruatur quantitas illa, aut alia noua producatur. probatur concl. quo ad primam partem, quia quod immediate non seruatur a Deo non potest corrumpi ab agente creato, sed quantitas Eucharistiæ est huiusmodi, ergo non potest effectiuè a creatura corrumpi, quia nullã habet virtutem præeminentem virtuti Dei conseruantis, & quoad secundam partem probatur: quia nullum agens naturale potest agere nisi circa subiectum, sed destructa quantitate non manet subiectum in Eucharistia, ergo nullum agens naturale potest causare transmutationem, per quam noua quantitas producatur ibi, consequentia patet cum minori, & etiam maiori, quia si agens naturale posset agere subiecto non præsupposito, posset creare, quod est impossibile.

Et confirmatur, quia tam motus quam mutatio necessario requirit, & præsupponit subiectum, sed transmutatio, quæ potest causari ab agente creato, vel est motus, vel mutatio, ergo necessario præsupponit subiectum, & hoc manens idem sub vtroque termino, sed hic nihil manet idem sub vtroque termino nisi quantitas maneat eadem, quia non manente priori eodem, non manet posterius idem, in mutationibus autem hic possibilibus non potest inueniri subiectum aliquod nisi quantitas, ergo &c. maior patet ex definitione motus 3. Phy. motus est actus entis in potentia, & est actus mobilis in quantum mobile, patet etiam ex definitione mutationis 6. Phy. mutari est aliter se habere nũc quam prius.

Confirmatur secundo, per Arist. 7. Met. c. 7. vbi probat, quod generans non generat nisi compositum, & exponit in fine cap. quod non solum de substantia ostendit ratio non fieri speciem, id est, formam, sed de omnibus similiter prædicamentis communis est ratio, vt quantitate, & qualitate, et alijs categorijs, fit enim velut ęnea sphęra, sed nec sphęra, nec æs, similiter in alijs categorijs, non enim fit quale, sed quale lignum, nec quantum, sed quantum lignum, aut animal, sed non potest esse hic compositum generatum per accidens aliud, nisi quantitas sit pars illius compositi, illam autem oportet fuisse eamdem in transmutatione, quia secundum Philosophum ibi oportet semper præexistere materiam, quæ transmutatur ad formam, vt fiat compositum, sed destructa quantitate non manet in Eucharistia subiectum aliquod, ergo nullum agens naturale potest causare transmutationem, per quam destruatur quantitas sacramẽtalis, aut producatur alia noua.

Corollar. 1. Ex hoc infertur primo, quod quando fit transmutatio, per quam destruitur quantitas sacramentalis, aut producatur alia noua, talis transmutatio fit a solo Deo, neque tamẽ nouo miraculo, quia ea voluntate, qua disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, disposuit etiam, quod circa illas species præsente actiuo naturali Deus ipse causaret talem trãsmutationem, qualem in substantiis conuersis causaret naturale agens, & hoc ne meritum fidei euacuaretur, si videremus species sacramentales inuariabiles, neque sic auferetur agenti naturali sua propria actio, sed negatur illi ea quę sibi non potest competere, videlicet transmutare, & nõ aliquod subiectum.

2. Corolla. Secundo infertur, quod agens naturale nequit condensare, aut rarefacere species sacramentales, sed talis rarefactio, & condensatio fit a Deo, idque ex eo cõstat, quod per condensationem, vel rarefactionem, aut destruitur tota quantitas, & de nouo producitur secundum quorumdam sententiam, de qua egimus supra, aut saltem aliqua pars corrumpitur per condensationem, & aliqua pars de nouo producitur per rarefactionem, atque ita quantitas præcedens fit maior, aut minor, secundum aliam opinionem probabilem relatam hic a Doct. & ab Arist. 4. Phy. c. 9. vbi scribit, quod rarefactio est motus terminatus ad quantitatem, sed non est minus difficile aliquam partem quantitatis producere, vel destruere sine subiecto quam totam quantitatem, ergo sicut agens naturale nequit totam quantitatem sacramentalem destruere, siue producere, ita nec; partes illius, & consequenter non poterit rarefacere illam, aut condensare, si enim pars aliqua quantitatis produceretur ab agente naturali, aut corrumperetur sine subiecto præsupposito, iam ageret actione creatiua, quod est impossibile.

Quod si dicatur, per rarefactionem, & condensationem non producitur aut deperditur nisi pars præcedentis quãtitatis, ergo quantitas, quæ præexistebat manet post condensationem, & rarefactionem, & illa poterit esse subiectũ rarefactionis, & condensationis, atque adeo ab agente naturali poterit condensari & rarefieri, & præterea licet quãtitas ipsa non possit esse subiectum rarefactionis, & condẽsationis, quæ fiunt ab agente naturali nihilominus Deus posset supplere subiecti causalitatem, & consequenter supplente Deo istam causalitatem agens naturale poterit sine subiecto quantitatem rarefacere, & condensare.

Respondetur ad primum, quod quantitas præexistens non potest esse subiectum condensationis & rarefactionis, siquidem per has transmutationes aliqua quantitatis pars deperditur, vel acquiritur, vt dictum est, alias enim ipsamet quantitas esset subiectum suarum partium sicut est subiectum transmutationum, per quas destruuntur, aut producuntur cætera accidentia sacramentalia, quæ in ipsa fundantur, id verò esse nequit, quia pars quantitatis non est in quantitate, vt in subiecto, sed vt in toto, nam si esset sicut in subiecto pars quantitatis esset accidens ipsiusmet quantitatis.

Ad secundum respondetur, quod Deus nequit supplere causalitatem subiecti in actione agentis naturalis, quia causalitas subiecti est receptio actionis agentis, Deus autem neque potest recipere actionem agentis naturalis, neque facere, quod ipsa sit sine subiecto, quia alias posset facere, quod agens naturale crearet, quod est impossibile. Et si dicatur, causalitas subiecti respectu accidentis postquam accidens est productum est receptio ipsius accidentis, & tamen Deus potest supplere causalitatem subiecti, ergo in ipsa productione accidentis poterit etiam supplere causalitatẽ subiecti, & per consequens ab agente naturali poterit accidens sine subiecto produci supplente Deo causalitatem subiecti. Respondetur, quod causalitas subiecti respectu accidentis iam producti non solum est receptio accidentis, sed etiam sustentatio illius, quæ reducitur ad genus causæ efficientis, vt subtilissime docet Doct. explicando vnionẽ humanitatis ad verbum per vnionem accidentis ad subiectũ in 3. d. 1. q. 1. Deus autem supplet causalitatem subiecti, quod est sustentatio accidentis, non vero receptionem illius accidentis, tale enim accidens separatũ sustentat Deus in suo esse, non tamen Deus recipit illud.

Dicendum est ergo, quod rarefactio a solo Deo potest fieri in Eucharistia sustinendo secundum, & tertium modum dicendi de rarefactione, & condensatione, quia quantitas maior, quæ producitur per rarefactionem non est in subiecto, si autem sustentatur quartus modus dicendi, dicatur consequenter conformiter ad ea, quæ diximus supra in hac q. art. 6.

QVAESTIO V.

Vtrum possibile sit circa Eucharistiam fieri transmutationem corruptiuam illorum accidentium.

Titulus huius quæst. duobus modis intelligi potest, primo indefinite, hoc est, an aliquæ species sacramentales possint corrumpi. & in hoc sensu facilis est quæstio, nam sufficienter intelligitur quo ad qualitates. secundo modo potest intelligi titulus vniuersaliter de omnibus speciebus, & hunc sensum videtur indicare Doct. in progressu huius quæst. & est difficilior propter quantitatem, sed nos abstrahamus ab vtroq; sensu, & intelligimus hanc quæstionem ad eum modum, quo quæstio præcedens definita est, an. s. ita possint corrumpi accidentia separata, sicut poterant coniuncta & hoc sensu intelligitur quæstio vniuersaliter de omnibus accidentibus, quæ pro faciliori intellectu diuiditur in sequentes articulos.

Pri-

Digitized by Google

Primus Artic. Vtrum quantitas Eucharistia corrumpi possit.
Secundus Art. Vtrum quantitas Eucharistia corrumpi possit ab agente naturali.
Tertius Artic. Vtrum species Sacramentales possint corrumpi.

ARTICVLVS I.

Vtrum quantitas Eucharistia corrumpi possit.

IN hac quæst. diuerso modo procedendum esse existimo iuxta diuersa principia Philosophica de subiecto, & natura quantitatis. Est enim duplex opinio de quantitatis subiecto. Quidam enim existimant quantitatem in sola materia recipi, & ab ea sola pendere in genere causæ materialis, ideoque manere eadem numero in genito, & corrupto esseque ingenerabilem, & incorruptibilem sicut est materia, & cum ea sola concreari posse, & coannihilari si materia annihiletur. Et iuxta hanc opinionem dicendum esset quantitatem specierum Sacramentalium non corrumpi, etiamsi alteratio fiat vsque ad corruptionem panis, tũ quia si substantia adesset quantitas non corrumperetur per illã alterationem, ergo nec nunc destruitur, patet consequentia, quia vt sæpe diximus in hoc mysterio, suppositis his, quæ per se ad ipsum pertinent, in reliquis, quoad fieri potest, naturalis ordo seruatur, tum secundo quia sicut substantiæ panis successit corpus Christi conseruans quantitatem, ita præsentiæ corporis Christi succedit aliqua materia, cui potest illa quantitas vniri, & naturaliter conseruari, ergo non destruitur, sed in ea conseruatur, quia hoc est magis consentaneum naturis rerum; tum demum quia iuxta hanc philosophicam opinionem de quantitate, reliquæ etiam qualitates, quibus disponitur materia ad introductionem nouæ formæ non pereunt, sed manent in re genita, ergo multo magis quantitas, quæ est subiectum earũ. Et hanc sententiam docet Hen. de Gand. quol. 8. q. 36. cæterum, hæc opinio communiter non tenetur.

[...]nricus.

Est ergo secunda opinio satis communis, quæ affirmat quantitatem inesse toti composito, atque ita esse per accidens corruptibilem ad corruptionem eius, & nouam aliã cum re genita conproduci, & iuxta hanc opinionem consequenter dicendum est, facta in his speciebus alteratione sufficiente ad corruptionem panis quantitatem corrumpi per accidens, non quia de facto pereat ad corruptionem subiecti, quod non habet, sed quia ex natura rei ita desineret si subiectum adesset. Hic autem supposito mysterio seruatur naturalis ordo in reliquis omnibus, quoad fieri potest. Item quia corrumpitur ad desitionem præsentiæ corporis Christi, quod loco propriæ substantiæ quantitatem conseruabat. Denique quia in termino illius alterationis substantia noua succedit secum afferens quantitatem nouam, quæ aliam secum non admittit, & ideo necesse est præexistentẽ perire, & hæc censetur sententia D. Thomæ p. 3. q. 77. art. 4. & Doct. subt. hac d. & q. & hæc opinio tenenda est.

[...]homas. [...]

ARTICVLVS II.

Vtrum quantitas Eucharistia corrumpi possit ab agente naturali.

[...]omas

DE hac re est opinio Thomistarum affirmantium quantitatem corrumpi posse virtute agẽtis naturalis, cuius fundamentum est id quod ponit D. Thom. in 4. d. 12. art. 2. in solutione principali 3. quæstiun. & in 3 p. q. 77. art. 4. in corpore quæst. videlicet ita posse esse accidentium sacramẽtalium destrui sine substantia, sicut in substãtia poterat, quia esse subsistens, quod conuenit dimẽsionibus separatis, hoc est quantitati a substantia separatæ, est eiusdem rationis, & conforme illi esse, quod prius substantia habebat, atque adeo esse quo dimensiones separatæ existunt, tollitur ab eodem agente, atque iisdem passionibus a quibus tolleretur substantia manente, & per consequens eodem modo corrumpuntur accidentia remanentia sine subiecto in sacramento Eucharistiæ, sicut prius quando inhærebant substantiæ. Prius autem poterant corrumpi dupliciter, vno modo manente substantia panis, alio modo per corruptionem substantiæ, quæ substantiæ corruptio contingit ex transmutatione accidentium, quia sicut generatio est terminus alterationis, in instanti enim terminante alterationem est generatio secundum Philosophos, ita & corruptio est in instanti terminante alterationem: vult dicere D. Thomas, quod accidentia sacramentalia duplici modo corrumpi possunt, scilicet per se, & per accidens, de corruptione per se nulla est difficultas, neque in qualitatibus, quæ per alterationẽ fiunt, & corrumpuntur, quæ alteratio hic fieri potest media quantitate, vt subiecto, neque in quantitate ipsa eo sensu, quem D. Thom. explicat, scilicet non de propria corruptione, sed de diuisione solum, per quam continuum, vt sic potest dici corrumpi, sic enim quantitas separata diuisibilis per se est non minus quam dum erat coniuncta. At verò de corruptione per accidens, quæ est ad corruptionem subiecti, maior est difficultas tam in qualitatibus quam in quantitate, in illis quidem, quia non habent aliud subiectum nisi quantitatem, ergo non possunt per accidens corrumpi nisi corrupta quantitate; hæc autem corrumpi non potest, vt præcedenti quæst. significatum est, vnde in quantitate separata est difficilius hic modus corruptionis, quia illa non habet subiectum, atque adeo corrumpi non potest ad destructionem subiecti.

Cæterum sententia D. Thom. partim in Philosophico principio, partim in Theologico fundatur, supponit namque ex philosophia accidentia per accidens corrumpi ad corruptionem substantiæ, quod absolute verum est non descendendo ad omnia, & singula accidentia, deinde sumit ex Theologia, quamuis in Eucharistia non sit substantia panis, Christi tamen corpus ita substitui loco illius, vt tam diu conseruetur sub accidentibus, quamdiu substantia panis conseruaretur, & è contrario, ita desinant accidentia ablata præsentia corporis Christi, sicut desinerẽt ablata substantia, atque hinc concludit non minus hic corrumpi posse accidentia per accidens, quam corrumperentur præsente substantia, quia retinent idẽ esse, & quodammodo eandem dependentiam, quia licet non sit omnino eiusdem rationis, est tamen eiusdem proportionis quo ad hoc, quod ablato corpore Christi illa accidentia destruuntur, quæ destruerentur ablata substantia panis. Vnde hanc corruptionem per accidens non accipit D. Thomas, vt credo pro ea, quæ est ad corruptionem subiecti proprie, & in rigore sumpta, sed aut de tali subiecto, aut de eo, quod aliquo modo supplet vicem illius.

Posito D. Thomæ breuiter duabus conclusionibus comprehenditur. Prima conclusio. sicut species sacramentales poterant pane, & vino existentibus corrumpi, ita & dum sine illis existunt, & ratio est iam explicata, quia seruant idem esse, quod habebant in pane, in pane autem, & vino bifariam corrumpi poterant, scilicet per se & per accidens & per hunc modum possunt etiam corrumpi huiusmodi accidentia, quia tam species hostiæ, quam calicis possent vsque adeo diuidi, vt in minoribus partibus non possent conseruari. Rursus cum quantitas illic habeat vicem subiecti potest recipere peregrinas alterationes, vt expulso calore inferatur frigus manentibus semper speciebus, quæ possent conseruare panem, secundo modo poterant corrumpi per accidens ad corruptionem subiecti, scilicet panis, & vini, atque cum eo, quod accidentia maneant cum quantitate tamquam in subiecto fit vt ad corruptionem illius quãtitatis sequatur corruptio ipsarum specierum, vt si species mittãtur in ignem, aut per putrefactionem vertãtur in puluerem, aut vermes, quomodo autem quantitas dicatur corrumpi per accidens secundum mentem D. Thomæ explicatum est supra.

1 Conclusio D. Thomæ.

Secunda conclusio. distinguendum est inter hos duos corruptionis modos; enimverò quoniam corpus, & sanguis succedunt pani, & vino, si non fiat tanta immutatio accidentium, quin semper conseruetur panis, & vinum propter talem immutationem non desinit illic esse corpus, & sanguis, vt dum parum immutatur hostia in calore, aut colore, aut sapore, aut si diuidatur in partes, sub quibus potest conseruari forma panis. Si verò fiat tanta immutatio, vt panis, & vinum corrumperentur, tunc desinet, & corpus & sanguis, siue id fiat per tantam alterationem caloris, saporis, & reliquarum qualitatum, vt panis non permaneret, siue per diuisionem in tam minutas partes, quæ requirent substantiam panis, & vini retinere. Et hoc est quod dicit Doct. in littera, quod in hoc Sacramento aliqua transmutatione

2 Conclusio D. Thomæ.

Digitized by Google

tatione facta adhuc manet illud esse dimensiuum substantiæ præcedenti conforme, aliquando tollitur esse prædictu, & tunc desinit esse Sacramentu. Et similiter ex parte quãtitatis, quia si fiat diuisio in partes tantæ quantitatis, quod sufficiat ad species panis, vel vini, etsi sint aliæ dimensiones, nam vt docet Philosophus 3. Meta. per diuisionem vna dimensio corrumpitur, & fiunt duæ, quia partes continui, quæ erant in potentia fiunt in actu, tamẽ esse conforme substantiæ præexistenti manet, si autem quantitas partium ad hoc non sufficiat, quod tunc esset, quando quantitas in tam minutas partes diuideretur, quæ requirerent substantiam panis, & vini retinere, esse vtrumque desinit esse, scilicet dimensio, & esse prædictum, & ideo tunc corpus Christi desinit ibi esse. ita Scot. hac q. sub litt. S. Hic dicitur, ex intentione D. Thomæ.

Cæterum hæc Thomistarum opinio non placet Doctori nostro subt. ideo impugnat eam in duobus, primo impugnat opinionis fundamentum, secundo ostendit quantitatem destrui non posse virtute agentis naturalis, quo ad primum fundamentum D. Thomæ erat, quod esse subsistẽs, quod conuenit illis accidentibus separatis est conforme illi esse, quod habebant illa accidentia, quando erant in subiecto. Contra hoc fundamentum arguit Doct. inquirendo in quo consistat illa conformitas, quia vel ista conformitas cõsistit in aliquo positiuo nouo, vel consistit in aliqua negatione, id est, in non inhærere actu, sicut quantitas illa habet esse conforme substantiæ, eo quia sicut substantia non inhæret, ita nec etiam quantitas inhæret: primum dici non potest, quia nihil de nouo aduenit quantitati per hoc, quod separatur a substantia, sed solum sequitur, quod diuinitus conseruetur, & existat sine subiecto: si dicatur secundum, contra, illa conformitas in negatione non sufficit ad hoc, quod quantitas eodem modo corrumpatur sicut substantia; quia substantia numquam corrumpitur, nisi quia in ea est aliquod passum: substantia enim, quæ corrũpitur semper habet duas partes, vnam quæ est materia, & alteram quæ est forma, & agens naturale numquam corrumperet substantiam si nõ haberet materiam, in quam debet recipi alia forma, sed quantitas Eucharistiæ nullum habet passum, id est, nullam materiam, propterea quod non inhæret, ergo non põt eodẽ modo corrumpi sicut substantia. Præterea quælibet substantia composita necessario determinat sibi qualitatem aliquam propriam, & hoc maxime verum est secũdum D. Thomam, qui tenet quod substantia non corrumpitur nisi ad corruptionem qualitatis, quod non esset nisi necessario determinaret sibi illam qualitatem, sed quantitas non determinat sibi necessario aliquam qualitatem, ita enim est indifferens ad contrarium sicut ad istam, & ad vnum gradum eius sicut ad alium, ita vt nec qualitatem aliquam sibi determinat, nec aliquem certum gradum alicuius qualitatis, quia ex principijs quantitatis nulla qualitas, nec vllus gradus egreditur qualitatis, quemadmodũ egreditur ex principijs substantiæ compositæ, ergo sequitur, quod quantitas non potest eodem modo corrũpi sicut substãtia.

Quo ad secundum, scilicet quantitatem Eucharistiæ nõ posse corrumpi ab agente naturali, ostensum est in art. 6. præcedentis quæstionis, sed corrumpitur solum ex pacto Dei, qui statuit illam non conseruare nisi sub talibus accidentibus, & ideo suspendit in fluxum facta alteratione corruptiua, nec aliunde potest reddi causa huius corruptionis, cum enim hæc quantitas sit primum subiectum alterationum, quæ hic fiunt, non magis potest per illas destrui ex natura rei, quam materia prima per generationem, seu corruptionem substantialem, præsertim quia quantitas de se independens est a qualitatibus, & est æque indifferens, & quasi in potentia neutra ad quascumque qualitates, atque adeo corruptio quantitatis sacramentalis reuocanda est ad institutionem, & pactum diuinũ, quo statuit Deus non conseruare ibi præsentiam corporis Christi nisi sub dispositionibus panis, & vini.

Et si quæratur de modo, & qualitate huius desitionis. Ocham. Respondet Ocham in 4. q. 7. quod desinit solum ex defectu causæ effectiuæ conseruantis, at quia illa conseruatio est per actionem creatiuam, ideo illa suspensio, seu carentia actionis est annihilatio, atque adeo desinit esse quantitas per annihilationem, & cõfirmatur, quia illa desitio omnino sistit in non esse, & in nihilum, neque est ibi aliqua actio positiua tendens ad aliquod esse, ex quo sequatur huiusmodi nõ esse, hoc aũt solũ est de ratione annihilationis.

Nonnulli Thomistarum dicunt desinere quantitatem per conuersionem in materiam, quæ ibi succedit. sed quicquid sit de hoc modo loquendi, de quo erit sermo in sequẽti quæst. certum est talem conuersionem non posse fieri virtute agentis naturalis, prout ipsi affirmare videntur, quia in illa conuersione nullum est subiectum, circa quod versari possit naturalis actio, neque etiam terminus ad quem illius conuersionis potest a naturali agente fieri.

ARTICVLVS III

Vtrum species sacramentales possint corrumpi.

NOn mouetur hæc quæstio, quia de re ipsa sit dubium experientia enim comperitur species illas corrumpi, & comestas digeri, frangi, conteri, quæ absque ipsarum specierum corruptione fieri nequeunt, sed vt declaretur quomodo hoc fit naturale. Pro cuius explicatione obseruandum est ex Sco. quod substantia composita necessario sibi determinat aliquam propriam qualitatẽ, sine qua non potest persistere, vnde tali qualitate corrupta corrumpitur etiam ipsa substantia, quantitas vero non determinat sibi necessario aliquam qualitatem, est enim ad quamlibet qualitatem indifferens, sicut est etiam indifferens ad quemlibet qualitatis gradum, quia ex principijs quantitatis nulla qualitas, nec vllus gradus qualitatis egreditur.

Secundo obseruãdum est, quod vt sæpe dictum est, duæ sunt de quantitate opiniones, vna quod quantitas realiter distinguitur a substantia, altera quod quãtitas nõ est quidrealiter distinctum a substantia, nec a qualitate, sed est realiter substantia, vel qualitas, quam opinionem sequitur Ocham in 4. q. 7. & tota fere schola nominalium, atque iste difficile saluare possunt accidens aliquod Eucharistiæ ab aliquo agente naturali corrumpi posse, quia secundum istos omnia accidentia sunt sine subiecto, atque adeo secũdum illos dum hostia igni admouetur neutiquã calescit, quia calor ille productus cum in quantitate non recipiatur, nõ producitur in hostia, & per consequẽs nec in aliquo subiecto, eo quod albedo, & sapor non est magis subiectum caloris, quam calor subiectum albedinis, & perinde cõsequitur calorem illum creari, sicut si produceretur in vacuo, & cum agens naturale creare nequeat, si secundum eos omnes alterationes, quibus videtur hostiam affici, a Deo solo prouenient sine causa secunda. Quæ quidem omnia Gabriel in 4. d. 12. q. 1. concl. 3. serena fronte concedit, & consequenter concedere debent, quod hostia in ignem missa non corrumpitur ab igne, sed a Deo ob meritum fidei. Ocham. Gabriel.

Rubion in 4. d. 12. q. 7. ar. 1. & ipse nominalis tenet, quod accidentia Eucharistiæ possunt realiter infrigidari, atque calefieri sicut prius, distinguit tamen, quod aliquid infrigidari, & calefieri po est dupliciter intelligi, vno modo quia calori, vel frigori subijcitur, & hoc modo non calefit nisi subiectum, alio modo quia calori vnitur, atque ita potest aliud a subiecto calefieri, omne enim accidens materiale calori vnibile, est calefactibile, quod patet, quia calidum agẽs in aliquod subiectum, mittitur in vinum, nõ tantum calefacit ipsum, in quo recipitur, sed etiam quodlibet accidentium in vino existentium, vt saporem, & colorem, & alia quibus vnitur. Ita in proposito huiusmodi accidentia separata licet non possint esse caloris, vel frigoris, nec alterius accidentis subiectum, possunt tamen talibus vniri, & per cõsequens eis alterari, esto quod non subiectiue. etsi quæratur, quid ergo erit subiectum talium accidentium nouiter productorum, quibus hoc modo ipsa separata accidentia alternantur? Respondet quod est locus, in quo sunt ista accidentia separata; potest enim calix, in quo sunt vini accidentia, & locus similiter hostiæ consecratæ infrigidari, vel calefieri subiectiuẽ, quo calore existente in corpore subiectiuẽ sapor, odor, & color panis, & vini etiam calefiunt, nõ quia calori subijciuntur, sed quia ipsi realiter vniuntur. Rubion.

Et si iterum quæratur, quomodo illa accidentia possint esse vnita, quorum alia sunt in subiecto, alia separata ab ipso? Respondet quod in hoc Sacramento hoc fieri necessario concedere oportet, quoniam constat vinum, vel aquam posse misceri accidentibus in calice consecratis, & a subiecto per consequens separatis, quo facto certum est, quod accidentia separata insimul miscentur cum accidentibus substan-

substantiæ appositæ, nempè vini, vel aquæ, qua mixtione, vel vnione facta, alia accidentia essent sine subiecto, sicut & priora, sicut & erant antea. Ita in proposito non est incõueniens dicere calorem existentem in calice, vt in subiecto esse vnitum cum vini accidentibus in eodem calice non vt in subiecto, sed vt in loco existentibus consequenter dicit in prima q. 13. d. quod omnia accidentia hic existentia separata, sunt per naturam corruptibilia. Cæterum opinio hæc nominalium tanquam absurda, & veræ Philosophiæ haud consentanea, ab omnibus Theologis cõmuniter refellitur.

Tertio obseruandum est, quasdam immutationes fieri posse in speciebus manente nihilominus Eucharistia, quasdam verò fieri posse circa species, per quas desinit esse Eucharistia. Per nullam autem transmutationem factam circa sacramentales species desinit esse corpus Christi sub eisdem, cum qua maneret substantia panis, aut vini si nõ fuisset facta conuersio, & quandocumque fit transmutatio circa species sacramentales, per quam corrumperetur panis substantia, aut vini si essent, desinit esse corpus Christi in eo instanti, in quo desineret panis, aut vinum. Instituit enim Deus sub Eucharistia, id est, sub speciebus panis, & vini, quam ex nimia charitate dedit suæ sponsæ Ecclesiæ tamdiu conseruare species eisque succedẽtes sine subiecto, & sub illis, & quibuscumq; in locum earum succedentib. præsentiam sui corporis, & sanguinis exhiberet, quamdiu maneret substantia panis, & vini, si conuersi non essent.

Conclusio His obseruatis pro explicatione opinionis Doct. pono duas conclusiones. Prima concl. qualitates specierum sacramentalium, quarum transmutatio non requirit aliã quantitatem possunt corrumpi ab agẽte naturali, probatur, omne agens est illius naturaliter destructiuum, quod est alicuius sibi incompossibilis virtualiter contẽtiuum, sed multæ sunt formæ accidentales, seu qualitates incompossibiles huiusmodi Eucharistiæ qualitatibus separatis, quæ in agentibus naturalibus præsentibus virtualiter continentur, nã ignis continet calorem in tali gradu cui est incompossibilis omnis qualitas panis & vini, ergo sicut tali calore mediãte potuit prius ipsos corrumpere, vt in subiecto coniũctas, ita & a subiecto separatas, cum sint æque corruptibiles sicut prius. Præterea virtus agentis non diminuitur per hoc, quod accidens est sine subiecto, sed si accidens v. g. qualitas esset in subiecto posset corrumpi ab agente naturali, ergo licet qualitas sit sine subiecto in Eucharistia poterit corrumpi ab agente naturali, & confirmatur, quia si accidens non posset corrũpi naturaliter, quia separatũ, vel hoc esset, quia ipsum in se esset ex separatione huiusmodi effectũ incorruptibile, aut quia agens naturale nõ est super ipsum æque potens sicut prius, sed neutrũ istorũ põt poni in proposito, ergo &c. Et si dicatur, ꝙ nõ sufficit sola virtus æqualis agẽtis naturalis, sed oportet, ꝙ habeat passum proportionatum ad hoc, quod possit agere sicut prius, agens autem naturale accidentibus in subiecto existentibus habebat passũ dispositũ, nempe eorum subiectum contrariorum accidẽtium receptiuum, in quod poterat agere alia accidẽtia producendo, quod non habet agens ipsis accidentibus existentibus separatis in Eucharistia, ergo non potest eis aliquod incompossibile producere, nec ipsa per consequens corrũpere sicut prius. Rñdetur, quod qualitates Eucharistiæ habent subiectũ cõe videlicet quantitatẽ, quæ eadẽ manet, & per consequens manet passum respectu agentis naturalis, neque. n. omnis alteratio qualitatum contrariarũ requirit quãtitatis mutationem, eadẽ. n. manet quantitas hostiæ consecratæ tunc frigidæ, sicut nũc calidæ in aliquo gradu.

Conclusio Secunda concl. Si talis fiat qualitatum alteratio in Eucharistia, quod cum tali alteratione substantia panis stare non possit, nõ manet ibi corpus Christi, probat Doct. quia Deus instituit non conseruare Eucharistiam, id est, accidẽtia sine subiecto, sub quibus sit corpus Christi nisi quamdiu ibi manent qualitates aptæ natæ ad perficiendum substantiam panis iam conuersam, ideoque posita alteratione, seu destructione talium qualitatum, quas necessario sibi determinat panis substantia ad sui consistentiam, non manebit ibi corpus Christi, ex quo infert Doct. quod Eucharistia potest desinere esse per actionem agentis naturalis, idque absque miraculo nouo, quia eadem volũtate antiqua, qua Deus voluit Eucharistiam esse in Ecclesia, voluit ẽt illam non manere nisi quamdiu qualitates aptæ natæ ad perficiendum substantiam iam conuersam manent. Ex hac conclusione sequitur, quod Eucharistia principaliter consistit in quantitate, & qualitatibus, quas forma substantialis sibi determinat, adeo quod si aliquid istorum desinat esse, consequenter Eucharistia desinit esse, sed nõ est ita de omnibus accidentibus, seu qualitatibus secundum quemcumque gradum, vt de albedine, sapore &c. vt dum parum mutatur hostia in calore, aut colore, aut sapore non desinit illic esse corpus Christi. Sco. ĩ hac q. sub. lit. a. & b. §. dico ergo Cessatiõ in quo Eucharistia cõsistat.

Est tamen hic obseru. quod Doct. videtur dicere in hac littera, ꝙ qualitates, quas sibi determinat forma substantialis possunt desinere esse per actionem agentis naturalis, dum dicit, quod Eucharistia potest desinere esse per actionem agentis naturalis, quod non videtur verum, nam ad corruptionem talium qualitatum necessario sequitur corruptio quantitatis, & per consequens agens naturale ageret sine passo, in illo enim instanti, in quo corrumpuntur illæ qualitates corrumperetur substantia si adesset, cũ forma substantialis illas sibi determinet ad sui consistentiam, ergo & quantitas corrũpitur, & per consequens illa actio agentis naturalis esset sine passo, videtur ergo, quod illæ qualitates a solo Deo corrumpuntur. Respondetur, quod Doct. hic loquitur de actione dispositiua: imaginandu est, enim quod sicut in corruptione formæ substantialis accidẽtia disponunt ad eius corruptionem, qua dispositione facta substantia in instanti terminante alteration. in corrumpit formam substantialem, & accidentia, quæ sibi determinat. Ita in proposito agentia naturalia alterant quantitatem vsque ad corruptionem illarum qualitatum, quas forma substantialis sibi determinat, & in instanti terminante alterationem Deus corrumpit quantitatem, & qualitates illas, quas forma substantialis panis, aut vini sibi determinabat, & producit substantiam, sicut nata esset produci virtute agentis naturalis, si ibi esset materia, vt videbimus in sequenti quæst. quando ergo dicit Doct. quod sñia pñcter saluatur Eucharistiam posse desinere esse actione agentis naturalis, intelligendus est dispositiue, eo quod agens naturale potest disponere ad corruptionem illarum qualitatũ, quas forma substantialis sibi determinat.

Sed contra primam concl. arguitur, nulla forma immaterialis potest corrumpi, sed accidentia sunt formæ immateriales, ergo corrumpi non possunt, maior patet ex Arist. 7. Met. t. c. 22. vbi scribit, quod materia est qua res potest esse, & non esse, minor probatur authoritate Gilberti Porretani in lib. 6 principiorum dicentis quod forma est simplex & inuariabili essentia consistens, i. forma in esse immateriali cõsistit; Item Boetius lib. de Trin. inquit, forma simplex subiectum esse non potest, ergo quantitas non potest esse subiectũ aliorum accidentium cũ sit forma simplex, atque adeo nulla accidentia possunt corrumpi. Respõdetur negando maiorem & ad probationem dicitur, ꝙ secundum Philosophum, nihil propriè loquẽdo potest corrumpi, nisi habeat duas partes, quarum vna sit materia, quæ vocatur potentia & alia forma, quæ vocatur actus, ex quibus fit totum compositum, atque adeo accidentia secundum Philosophũ nõ possunt propriè corrumpi nisi in subiecto existentia, sicut nec forma substantialis corrumpi potest nisi in materia existens, & ideo licet forte Philosophus admitteret qualitates existentes subiectiue in quantitate posse corrumpi, nũquam tñ cõcederet quantitatẽ sine subiecto existentẽ corrũpi posse, tũ quia ipse ponit ordinẽ causarũ simpliciter necessariũ, qui variari non põt sm̃ ipsum, tum quia ponit simpliciter nihil corrũpi posse nisi cuius pars manet post corruptionẽ, sicut ponit nihil proprie posse generari, nisi cuius pars fuit ante generationẽ, & hoc loquendo siue de generatione simpliciter, siue de generatione sm̃ q d, & de corruptione sibi correspõdente. Sed nos sm̃ fidẽ, nec i ordine causarũ, nec in ista partis separatione a toto concordamus cũ ipso. Ad authoritatẽ sex principiorum dicimus, ꝙ Autor ille loquitur de formis respectiuis de quibus ipse tractat, nam sex illa principia sunt formæ respectiuæ extrinsecus aduenientes, nos aũt loquimur de formis absolutis. Ad Boetiũ dicimus, ꝙ intelligit de forma, q̃ est purus actus, atq; ita intelligit p formam simplicẽ ipsum Deũ, qui non põt esse subiectũ, i. nõ põt recipere aliquod accidẽs, quia nõ est natus pficere materiã, forma. n. q̃ nõ est nata pficere aliq̃d potẽtiale nõ est nata recipere accidẽs, et ita est de essentia diuina nisi forte fiat instãtia de essẽtia angeli, & eius intellectione sed de hoc ĩ 2. ĩ q. de simplicitate angeli, an habeat materiã. Gilbertus. Boetius.

Digitized by Google

Secundo arguitur si accidentia Eucharistiæ, vt sunt qualitates, corrumperentur a naturali agente, id esset quia trãsmutarentur, vel in substantiam, vel in aliud accidens, aut in nihil, sed non in nihil, quia tunc agens naturale annihilaret, quod est falsum, non in aliud accidens, quia tunc crearetur causaret accidens sine subiecto, neque in substantiam, quia ex accidenti non potest fieri substantia, ergo agens naturale nõ potest corrũpere accidentia Eucharistiæ.

Respondet Sco. quod non sit corruptio qualitatum Sacramenti in nihil, sed in aliam qualitatem contrariam, vel alterius gradus in eadem specie, nec tamen inde sequitur, quod agens naturale faciat accidẽs sine subiecto, quia qualitas noua habet idem subiectum, quod habuit prior qualitas, videtur eamdem quantitatem, vel saltem quantum est de se habere posset. Si autem fiat sermo de corruptione quantitatis, cui non potest assignari aliquod prius subiectum, illa non corrumpitur actione naturalis agentis sine subiecto, vel præexistente, de quo dictum est in q. præcedenti art. 6. vel de nouo creato, de quo dicitur in q. sequenti. Ex his concluditur, quod aliqua accidentia in Eucharistia corrumpi possunt virtute agentis creati, vt illa quæ in quantitate, vt in subiecto saltem secundum aliquem gradum, & aliqua non nisi virtute diuina, vt sunt quantitas, & qualitates illæ, quas sibi determinat substantia conuersa. Cæterum secundum nominales nullum accidens potest ibi corrumpi nisi a Deo, quia secundum eos nullum eorũ est ibi in subiecto.

QVAESTIO VI.

Vtrum in aliqua transmutatione facta circa Eucharistiam necesse sit substantiam aliquam actione diuina redire.

SI species sacramentales interire possunt, vt dictum est in superiori quæst. inuestigandũ superest, an ex eis potest aliquid generari, & quãuis Doct. subt. quæstionem proponat an sit necesse generationem fieri, præcipue tamen intẽdit explicare quomodo fiat, nam quod fiat dubium nõ est, cum experimentis constet, difficultas ergo circa modũ est, quia generatio substantialis de qua est sermo, non fit nisi ex materia, hic autem nulla est materia ex qua fiat, cum constet ex corpore Christi fieri non posse, de qua re multiplex fuit Doctorum opinio. Quapropter pro faciliori earum intelligentia hanc quæstionem in tot diuidemus articulos, quot de hac re fuerunt opiniones.

Primus Artic. Vtrum ea quæ generantur ex corruptione specierum sacramentalium, ex ipsis speciebus sacramentalibus generentur, vel ex aere circumstante.

Secundus Art. Vtrum facta corruptione specierum Eucharistia, redeat eadem substantia, quæ fuit cõuersa in corpus Christi.

Tertius Artic. Vtrum facta corruptione specierum Eucharistia redeat materia panis, vel alia de nouo creetur.

Quartus Art. Vtrum dum species Eucharistiæ corrumpuntur, ex quantitate ipsa generentur vermes, cineres, & huiusmodi talia.

Quintus Art. Vtrum ex speciebus sacramentalibus possit naturaliter generari substantia.

Sextus Art. Vtrum transmutatione facta circa species Eucharistiæ, necesse sit aliquam substantiam compositam simpliciter actione diuina redire.

1. *Dub. Dubitatur quæ transmutatio requiratur ad corrũpendum illa accidentia.*

2. *Dub. An supposita creatione materia agens naturale ad introductionem formæ substantialis aliquid agat.*

ARTICVLVS I.

Vtrum ea, quæ generantur ex corruptione specierum sacramentalium, ex ipsis speciebus sacramentalibus generentur, vel ex aere circumstante.

FVit Doctoribus antiquis valde difficile videre quomodo ex hostia per putrefactionem oriri possint vermes, & quomodo per vstionem ex ea possit generari cinis. Vermis enim, & cinis dicunt substantias quasdam materiales, quæ esse non possunt nisi habeant materiam partem sui. Cum ergo facta conuersione in Sacramento altaris non remaneat aliqua materia susceptibilis nouæ formæ, videtur est valde difficile, quomodo ibi tales generationes possint contingere. Idcirco quidam volentes hanc euitare difficultatem dixerunt hæc generata fieri ex corpore circumstante. Vermes enim quos aspicimus generati post putrefactionẽ hostiæ ex aere inquiunt generantur.

Verum hæc opinio stare non potest, quia quamdiu durant species & dimensiones panis, non generantur ibi vermes, nec etiam ibi durat ibi aer, quia dimensiones panis sufficientes sunt ad resistendum dimẽsionibus aeris, igitur in eodem instanti erit corruptio specierum, & motus localis aeris ad locũ vbi erant species panis, & generatio vermiũ, quod stare non potest, quia generatio, & corruptio, prout mutationem important, secundum quod de eis hic loquimur, fiunt in instanti, motus autem localis requirit tẽpus.

Præterea, cum vermes illi generantur ex putrefactione, cum putrefactio non fiat in aere, sed in illis speciebus, non est congruum dicere, quod vermes illi ex aere generentur. Amplius ex vno elemento immediate non generatur mixtum, ergo ex aere circumstante non generantur vermes. Deinde si hoc Sacramentum sumeretur in magna quantitate, nutriret, & homo pollet ex illo sustentari, & dicere cõtrarium est contradicere sensui. Ex aere autem non potest fieri nutrimentum, quia vt probat Philosophus circa finẽ 2. de generat. t. c. 50. ex eisdem nutrimur & sumus, non sumus autem ex vno elemento tantum, ergo nec ex vno elemento nutriri possumus. Deinde si inter solida corpora includeretur hostia consecrata, absque eo quod ibi ingrederetur aer, possent, vt communiter contingit generari vermes, ergo non ex aere circumstante. Præterea, quando hostia cõsecrata in ignem in ecta combureretur, ibi totum corpus circumstans habet rationem agentis, & non patientis, ergo non potest aliquid generare ex sua materia. Præterea aeris natura non est talis, vt possit aut per contusionem vel in pulueres, aut per combustionem in cineres. Item tanta hostiarum multitudo possit comburi, aut putrefieri, vt tam ingens generatio ex aere nisi in magnam copiam congesto fieri non possit, quare tunc tanta condensatio aeris sensibilis esset.

ARTICVLVS II.

Vtrum facta corruptione specierum Eucharistia redeat eadem substantia, quæ fuit conuersa in corpus Christi.

DE hac re fuit opinio Innoc. 3. li. 4. de officio missæ c. 11. Vbi quærit quid a mure comedatur cum Sacramentum corroditur, cui quæstioni respondens, inquit. Respondetur quod sicut miraculosè substantia panis conuertitur in corpus Dominicum cum incipit esse sub Sacramento, sic quodãmodo miraculosè reuertitur, cum ipsum ibi desinit esse, non quod illa panis substantia reuertatur, quæ transiuit in carnem, sed quod eius loco aliud miraculosè creatur, quamuis huius accidentia sine subiecto possint sic corrodi, sicut edi. *Innocent.*

Hæc opinio ita a D. Bonau. in 4. d. 12. art. 2. q. 1. ad primum explicatur, nam sicut in alijs operibus mirabilibus expleto officio propter quod condita erant illa, quæ mirabiliter erant condita redacta sunt in pristinum statum, sicut dicitur de columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, videtur quod peracto officio suo in præiacentẽ redijt materiam vnde assumpta est, similiter & de Stella Magorum ductrice, quod peracto officio mox esse desijt recidens in præiacentẽ materiam, vnde sumpta fuerat, vt habetur in Glossa Matt. 2. Sic dicunt esse in proposito, quod sicut panis cõuertitur in corpus, vt fit Sacramẽtũ, sic peracto officio Sacramẽti, ex quo desinit esse Sacramentum desinit ibi esse corpus Christi, & ideo sicut mirabiliter prius substantia panis cõuertitur, ita etiam miraculosè reuertitur. verũ non est omnino simile de speciebus Sacramentalibus, quia in illis apparitionibus colũbæ, & stellæ materia non desijt nec conuersa est, atque adeo peracto officio desinente forma colũbæ, & stellæ materia manet eadẽ ante, & post, sola forma mutata, hic verò tota panis substantia quoad materiã, & formã transijt, quia totum conuertitur in totũ, atque ita nulla materia manet. *D. Bona.* *Glossa*

Hæc sententia ita explicata sic probatur. Christus est in Eucharistia, vt nutrimentũ spirituale, & tãdiu, quãdiu species sunt, vt cõueniẽs nutrimẽtũ corporale. i. quãdiu panis sub

sub huiusmodi speciebus esset conueniens nutrimentum corporale, panis autem, & vinum non quamdiu manent secundum substantiam sunt conueniens nutrimentum corporale, sed per mutationem qualitatum certam cessant esse nutrimentum, quamuis maneant secundum substantiam, atque ita corruptis speciebus secundum eam habitudinem, secundum quam essent conuenientes nutrimento desinit esse corpus Christi ibi, atque adeo redit substantia panis, quæ potest affici speciebus non conuenientibus nutrimento, de qua postea naturaliter gignitur vermis, vel ignis &c.

Nec oportet hic ponere nouum miraculum ad hoc quod corpus Christi desinat ibi esse, quando species non essent natæ afficere substantias conuersas, quia ita Deus instituit Eucharistiam non manere nisi manentibus speciebus conuenientibus. Nec est nouum miraculum, quod scilicet desinente corpore Christi ibi esse redeat substantia, quia Deus ordinauit numquam accidentia esse sine subiecto nisi in Eucharistia, atque adeo desinente corpore Christi ibi esse redit substantia sine miraculo, ne illa accidentia sine subiecto maneant.

Et si quæratur, an huiusmodi substantiæ versio sit naturalis, vel supernaturalis. Respondet Alex. de Ales p. 4 q. *Ale. de Ale.* 10. m. 7. art. 2. §. 4. in fine, quod quando ad putrefactionem specierum sequitur adgeneratio vermis sunt duo mirabilia, & duo naturalia, vnum mirabile est, quod ibi est virtus panis, & vini sine substantia, aliud est quod deficientibus speciebus, atque ita desinente Sacramento reuertitur substantia panis, & vini; vnum autem opus naturale est, quo ipsa species panis, & vini virtute exteriori agente, & interiori cedente cedit in corruptionem, aliud est, quod ex ipsa substantia reuersa panis, & vini post hanc desitionem specierum virtute superiori agente, & inferiori cedente adgeneratur vermis. Quapropter licet vermis generatio dicenda sit naturalis, regressus tamen substantiæ, ex qua vermis generatur supernaturalis simpliciter est appellandus.

D. Thomas. Scotus. Cæterum hæc Innocentij sententia non placuit D. Tho. nec Scoto, nec eorum discipulis, quapropter Diuus Thomas duplici ratione eam impugnat 3. p. q. 77. ar. 4. & primo sic. Si substantia panis, & vini conuersa est in corpus, & sanguinem Christi non potest substantia panis, & vini redire nisi corpore, aut sanguine Christi iterum conuerso in substantiam panis, & vini, quod est impossibile, sicut si cõuersus in ignem non potest aer redire, nisi iterum ignis conuertatur in aerem, si verò substantia panis, & vini sit annihilata non potest iterum redire, quia quod in nihilum decidit non redit idem numero, nisi forte dicatur redire prædicta substantia, quia Deus de nouo creat aliam nouam substantiam loco primæ, & hoc est, quod ait Innocentius. verum Diuus Thomas in hac ratione duo assumit, quæ sunt omnino falsa, primum substantia panis si sit annihilata non potest eadem numero redire, hoc autem est plane falsum, quia certum est posse Deum reproducere per creationem idem indiuiduum, etiam si in nihilum redactum sit, vt idem D. Thomas docet quol. 4. artic. 5. & alijs in locis, & nos in sequenti art. cum Doct. subt. ostendemus. secundum quod assumit, quod si substantia sit in corpus Christi conuersa non potest redire nisi per conuersionem corporis Christi in ipsam, quod etiam est falsum: nam certum est non esse impossibile Deo conuertere corpus Christi in priorem substantiam panis, de quo erit etiã sermo in sequenti articulo.

Secunda ratio D. Thomæ, quę est etiam communis omnium Theologorum, & Doctor. in hac quæst. est talis: si substantia redit, vel ergo redit in vltimo instanti corruptionis illarum specierum, quando scilicet generatur ibi noua substantia, aut ante illud vltimum instans, aut post. Non potest dari primum, quia sequeretur, quod simul esset ibi panis, & non panis, esset ibi panis per se, quia ponis substantiam panis in illo instanti redire, non esset ibi panis quoniam quando generatur vermis panis corrumpitur, & materia eius informatur forma vermis, ergo esset ibi panis, & non panis, tum etiam quia in instanti corruptionis iam facta est sufficiens alteratio ad corrumpendum panẽ, vnde non sunt amplius propriæ dispositiones ad substantiam panis requisitæ, nec materia prima est in eo instanti capax formæ panis, cum habeat formam alterius rei, quæ ex illa in eodem instanti generatur. Et confirmatur, quia instans corruptionis specierum est primum specierum nõ esse, & primum esse substantiæ genitæ, ergo si substantia panis in illo instanti rediret fieret, vt sine suis proprijs accidentibus rediret, quæ sunt incompossibilia. Nec potest dari secundum, scilicet, quod redeat ante illud vltimum instans, quia toto illo tempore non recedit corpus Christi, quia toto illo tempore non est facta alteratio, quæ sufficeret ad corrumpendam substantiam panis, sed quamdiu manent species illæ latet ibi corpus Christi, nam communiter tenetur tamdiu manere Eucharistiam, & corpus Christi per consequens sub speciebus, quamdiu substantia panis maneret si esset ibi, nec fuisset conuersa, nam ad conuersionem substantiæ panis sub ipsis accidentibus panis sequitur ex diuina ordinatione præsentia corporis Christi, sed certum est, quod substantia panis maneret, non solũ quãdiu esset conueniens nutrimentum, sed adhuc postea, quã esset alteratus, vt amodo conueniens nutrimentum non esset, nimirum quia nimis desiccatus, vel etiam factus amarus, & huiusmodi, ergo tamdiu etiam manet ibi corpus Christi, & non redit substantia panis nisi dicatur, quod simul stant substantia panis, & corpus Christi sub illis speciebus, quod est hæresis, nam corpus, & sanguis Christi non admittunt secum panem, & vinum.

Præterea esto, quod posset redire substantia panis, frustra tamen poneretur redire per tantum tempus, antequã ex ipsa aliquid generetur: probatur, quia agens, quod potest in partem motus potest & in totum motum, & terminum, quando non magis repugnat vna pars motus ipsi subiecto quam alia, si enim aliquod agens potest alterare aliquod passum vsque ad duos, vel tres gradus, potest etiã vsque ad decem, & quantum est de se potest inducere formam vsque ad summum gradum si non repugnaret susceptiuo talis formæ gradus, sicut patet de igne calefaciente aquam, qui sicut potest in aquam caliditatem inducere secundum quatuor, vel decem gradus, ita posset summam caliditatem inducere, si aliquis caliditatis gradus aquæ substantiæ non repugnaret, sed non magis repugnat illis speciebus vna pars alterationis quam alia, quã diu illæ species non corrũpuntur simpliciter, sed alterantur, quia quãtitas, quæ ibi est alterationis subiectum est indifferens ad omnem alterationem, ita vt non determinet sibi aliquem gradum qualitatis, propter quem repugnet ei amplius alterari, ergo agens potens in primam partem alterationis, potest etiam in quamlibet partem, atque adeo dum illa alteratio manet non est necesse illam substantiam redire, manet autem alteratio illa vsque ad vltimum instans, in quo generatur vermis, ergo illa substantia non redit antequam generetur vermis.

Nec potest dari tertium, s. quod substantia redeat post instans corruptionis specierum, nõ videtur congruum, quod tunc incipiat esse panis substantia, quando deficit ibi esse panis species, nisi forte per substantiam panis intelligatur tanta materia, quanta fuit materia sub forma panis.

Et forte ita intellexerunt Innocentius, Alesan. de Ales, & Diuus Bonauentura locis supracitatis, quando dixerunt substantiam panis redire, vt ex ea fiat generatio, non est enim verisimile eos loquutos esse de tota substantia panis, tum quia hoc sensu est res valde improbabilis, vt ostensum est, tum etiam quia ad talem generationem impertinens est, quod redeat forma panis, cum potius illam corrumpi necesse sit, sed quicquid sit de hac sententia videbimus in sequenti articulo.

Cæterum posset Innocentius ad hoc secundum argumẽtum hoc pacto respondere, inquit Doct. subt. admittendo scilicet secundum membrum, nempe quod substantia redit ante instans corruptionis specierum, & cum infertur, quod non maneret Eucharistia iam diu, quamdiu manerent ibi species non corruptæ, vel quod simul manebit Eucharistia, & erit ibi substantia panis cum corpore Christi, diceret Innocentius hoc non esse inconueniens, scilicet, quod non maneret ibi Eucharistia speciebus non corruptis, nam ad hoc quod Christi corpus maneat sub illis speciebus duæ conditiones requiruntur, vna quod prædicta accidentia maneant sine corruptione, altera quod sub ea dispositione maneant, quod sint sufficiens nutrimentũ, non enim manet Eucharistia quamdiu manẽt species illæ qualitercũq; se habentes, sed quamdiu manent, vt cõuenientes

Digitized by Google

nutrimento. possunt autem species illæ ita alterari, vt nutrimento haud conueniant, antequam totaliter corrumpantur, vt si fuerint omnino desiccatæ, vel etiam effectæ amaræ, sicut etiam panis nimis desiccatus, vel factus amarus non esset conueniens nutrimentum antequam corrumperetur sapor, & alia accidentia, & hoc casu posito, quod species absque earum corruptione ita alterarentur, quod non essent conuenientes corporali nutrimento, sub illis non esset corpus Christi, & substantia panis ante instans corruptionis specierum rediret, & sustinendo hanc responsionē, inquit Doct. difficile esset inuenire certum gradum alterationis, vel putrefactionis, vsque ad quem præcise maneret Eucharistia.

Ad secundum diceret Innocentius, quod propter totam illam alterationem, quæ præcedit corruptionem specierū, & per consequens corruptionem Eucharistiæ non oportet substantiam redire, sed oportet eam redire propter generationem, scilicet vt vermis ex illa substātia generetur, quę generatio sequitur illam alterationem, & concomitatur corruptionem specierum, & quia non potest redire in illo instanti, in quo est corruptio, quia tunc simul esset, & non esset substantia panis, oportet, quod redeat ante illud instans.

Cæterum inquit Doct. ista responsio non assignat sufficientem causam reditionis substantiæ panis: æque enim posset agens naturale agere vsque ad vltimum instans, in quo debet generari vermis, quo concesso non videtur ratio cur substantia panis habeat necessario redire, atque ita hęc opinio non satisfacit, hæc Scotus in hac q. in principio §. hic est vna opinio.

ARTICVLVS III

Vtrum facta corruptione specierum Eucharistia redeat materia panis, vel alia de nouo creetur.

IN hac quæstione certum est, quod quamdiu manent species panis, & vini consecrati, iam diu sub illis manet corpus, & sanguis Christi, idque patet, quia quamdiu manēt species illæ manet Sacramentum, quamdiu autem manet Sacramentum manet in illo corpus Christi, vnde contra sententiam Innocentij tenent D. Thom. & Sco. & est communis opinio, videlicet, quod per solam illam transmutationem accidētium desinit esse corpus Christi sub speciebus, per quam desineret esse substantia panis si adesset, atque ita tenendum est, estque ratio communis, quia corpus Christi succedit sub speciebus in locum substantiæ panis, atque adeo voluit Deus, quod tamdiu perseueret corpus Christi sub speciebus, quamdiu perseueraret substantia panis si sub illis esset.

Est etiam certum secundum omnes, quod in eo instanti, quod species destruuntur, vel corrumpuntur producitur aliquid de nouo, id autem quod producitur est idē, quod produceretur si tunc panis corrumperetur, & hoc docet ipsa experientia, nam si crementur species panis consecrati cineres generantur, sicut generarentur ex pane, & tunc tēporis necessario producitur materia de nouo, quod ex eo constat, quia res, quæ generatur habet materiam, nec habet materiam rei, quæ destruitur, quia nullam habet, ergo materia de nouo producitur.

D. Thomas Et hæc est opinio, quam tenuit, & docuit D. Thom. in 4. d. 12. art. 2. in solutione principali 2. quæstiū. vbi dicit, quod necesse est redire materiam ad hoc, quod ex speciebus corruptis generetur vermis. Quæ tamen materia (inquit ipse) quæ redit non est eadem materia numero, quæ fuit annihilata, nempe illa materia, quæ prius erat materia panis, quia quod est annihilatum non potest idem numero redire, neque est materia, quæ fuit in corpus Christi conuersa, quoniam illa redire non posset nisi rediret panis, at panis iterum redire non potest, nisi iterum corpus Christi conuerteretur in panem, nam panis redire non potest nisi per conuersionē alterius in ipsum, oportet ergo dicere, quod Deus nouam materiam creat, nec ex hoc sequitur, quod oporteat ponere nouum miraculum, quia hoc est ex antiquo miraculo, ne fides perdat meritum, eadem enim dispositione, & volitione, qua Deus disposuit noua accidentia manere sine subiecto disposuit saluare illas dispositiones, & actiones, quæ fierent circa illa accidentia, vt fides habeat meritum, atque adeo ponitur nouam materiam redire, vt hic omnis transmutatio fieri possit ab agente naturali, quæ fieri posset si illa accidentia essent in substantia, atque ita saluetur actio naturalis, quæ fieri posset si ibi esset panis, si enim actiones illæ fieri non possent, vt si ignis non posset species illas in cineres redigere, sicut redigeret si ibi esset panis, viri Docti saltem perciperent potius per experiētiam, quam per fidem, quod ibi non esset substantia panis, atque ita perderetur meritum fidei, & si quæratur quantum redit de materia, respondet D. Tho. quod tantum, quod nec plus, nec minus redit, quam fuerit materia panis, quæ fuit conuersa in corpus Christi, quia nec substantia materię corporeæ, id est, panis conuersi in corpus Christi minueretur in conuersione, nec in principio creata per istius reditionē augeretur, quia quantum fuit de materia conuersum in corpus Christi tantum redit hic, vel creatur. Hanc opinionem refert Scotus in hac q. post opin. Inno. §. Est alia opinio.

In hac positione D. Thom. tria dicit, quæ impugnantur a Doct. subt. primum quod ad corruptionem specierum necesse est redire materiam. secundum quod hæc materia, quæ redit non est illa, quæ prius fuit annihilata, quia annihilatum non potest iterum idem numero redire. tertium, quod hæc materia non est illa, quæ prius fuit conuersa in corpus Christi, quia illa non posset redire nisi corpus Christi, vel materia corporis Christi ē conuerso conuerteretur in materiam panis.

Contra primum sic arguit Doct. Si materia noua redit ad specierum corruptionem, aut redit in vltimo instanti, quando generatur noua substantia, nimirum vermis, vel cinis, aut ante vltimum instans, non est dicendum, quod redeat ante propter duo inconuenientia, quæ sequerentur, primum inconueniens est, quod Eucharistia manēte esset ibi materia illa cum corpore Christi, quod communis schola Theologorum non tenet, nam toto tempore præcedente illud instans corruptionis specierum manet sub speciebus Christi corpus, sicut maneret substantia panis, atque ita nō est ibi materia aliqua alia a materia corporis Christi. Et cōfirmatur, quia vt ex pane generetur noua substantia ab agente naturali fit alteratio prævia disponente ad formam, alteratio autem prior est duratione, quam illa forma, vel generatio, ita cum ad specierum corruptionem redeat materia illa non potest ante instans corruptionis redire, sicut nec forma producitur ante vltimum instans alterationis. secundum inconueniens est, quia tunc talis materia esset sine forma quousque introduceretur forma, quod est simpliciter impossibile apud D. Thom. cuius principium est quod Deus non potest facere materiam sine forma vt patet prima p. q. 66 art. 1. Et dato quod materia posset esse sine forma, hoc non posset esse sine nouo miraculo, sed non sunt multiplicanda miracula sine necessitate, ergo nullo modo est dicendum, quod redeat illa materia ante vltimum instans, in quo debet generari noua substantia.

Et si dicatur, quod redit in vltimo instanti, in quo debet generari noua substantia. Contra, quia tunc frustra ponitur redire ad hoc, vt agens naturale generet ex ea, quia secundum D. Thom. agens naturale nō generat nisi de materia quanta, sed materia si ponatur redire in illo instāti, in quo generatur vermis non est quanta, ergo male dicitur, quod in illo instanti materia redeat.

Vnde obseruandum est quod est principium apud Thomistas, & nominales, quod numquam agens naturale generat nisi de materia quanta, & ratio est secundum eos, quia accidentia absoluta immediate recipiuntur in materia prima, atque adeo quando accidens producitur prius materia est quanta quam agens generet, ex quo inferunt, quod numquam agens naturale agit in materiam nudam, sed semper in materiam quantam. Cæterum secundum Scot. oppositum est verum, quia ipsa quantitas, & accidentia omnia absoluta non recipiuntur immediatę in materiam primam, sed in composito ex materia, & forma substantiali, atque adeo quantitas non præsupponitur formæ substantiali, quæ generatur, imo in illo instanti, in quo forma generatur quantitas præcedens corrumpitur, & ipsamet forma producit quantitatem secundum sui exigentiam, & cætera accidentia absoluta, quæ forma sibi determinat, vt informet materiam, & hoc est quod dicunt Scotistæ, quod agens naturale agit in materiam nudam,

eo quod

eo quod prius natura informat materiam, quam sit ibi quantitas. Præterea ab agente naturali non fit generatio sine corruptione, quia respectu agentis naturalis generatio vnius, vel est corruptio alterius, vel inseparabiliter se concomitantur, & maxime secundum D. Thom. qui habet pro principio, quod numquam potest fieri generatio alicuius formæ substantialis, quin fiat corruptio alterius formæ substantialis, quod forte nõ est vniuersaliter verum apud Sco. quoniam clarũ est, quando anima intellectiua inducitur in corpore organizato non corrumpitur aliqua forma, imo forma substantialis, quam inuenit nempe forma corporeitatis secum manet, sed sic est, quod in illo instanti, in quo producitur forma substantialis vermis si materia rediret iam produceretur aliquid, & fieret generatio sine corruptione alicuius alterius formæ, cum ibi nulla sit alia forma, quæ expellatur, quia illa materia non redit sub forma substantiali corrumpenda, quia tunc simul haberet eam, & non haberet, haberet quia rediret cum forma, non haberet, quia in eodem instanti corrumperetur, ergo male dicitur, quod redeat in illo instanti.

Contra secundum, quod erat, quod materia annihilata non redit &c. arguit Doctor, & probat, quod materia annihilata potest redire eadem numero: nihil quod sequitur annihilationem materiæ est eiusdem rationis cum nihilo præcedenti materiæ ipsius creationem, sicut terminus ad quem annihilationis, & terminus a quo creationis sunt idem, vel eiusdem rationis, & sicut terminus a quo generationis, & terminus ad quem corruptionis, ergo est eadem distantia materiæ ad nihil præcedens creationem, & ad nihil sequens eius annihilationem, & per consequens eadem potentia potest super hanc distantiam, & illam, ergo potentia, quæ potest creare materiam, potest & ipsam annihilatam reparare, atque adeo sicut Deus potuerat producere materiam de nihilo, ita ipse Deus potest eam reproducere postquam redacta est in nihilum. Præterea, materia annihilata non est magis nihil post annihilationem, quam ante creationem, ergo non magis contradictionem inuoluit, quod accipiat esse postquam fuit non esse interueniente, vel quod annihilata reparetur, quam quod accipiat esse postquam numquam fuit, vel quam de nihilo creetur, sed secundum non implicat contradictionem, ergo nec primum, ergo sicut potuit prius omnipotentia Dei illud producere, quod sic erat nihil, ita & nunc potest illud reproducere postquam redactum est in nihil.

Contra tertium, scilicet, quod materia conuersa non potest redire &c. arguitur sic. Corpus Christi non aliter se habet per hoc, quod panis conuertitur in ipsum, ergo sequitur, quod panis conuersus in corpus Christi eo modo, quo in ipsum conuersus est potest redire idem numero, quoniã corpus Christi non habet aliam entitatem propter hoc, nec etiam panis habet aliud esse, consequentia patet, quia sicut habendo in se istam entitatem post conuersionem corpus Christi non aliter se habet positiue, ita non habendo illam si panis rediret non se haberet aliter priuatiuè.

Hæc opinio D. Thomæ, quæ est opinio quodammodo communis, vt infra explicabimus, non placuit ipsimet D. Thom. in 3. p. q. 77. art. 5. vbi illam reijcit ex eo solum, quia non est asserendum in hoc mysterio miraculum, quod nõ accidat ex ipsa consecratione, ex qua inquit non est, quod materia redeat, vel creetur. Cæterum Ægidius Ro. Theor. 45. sustinens hanc opinionem, inquit, quod si debeat ex hostia generari vermis, quod ibi incipit esse materia, & tamen non est ibi miraculum aliquod (vt credidit D. Tho.) nam corruptis speciebus, & accidentibus panis, sub quibus est corpus Christi, quod per alterationem naturaliter fieri potest, & inductis accidentibus alijs desinit ibi esse corpus Christi, quia corpus Christi non est in hostia nisi quãdiu sunt ibi accidentia panis. In illo autem instanti, in quo desinit ibi esse corpus Christi, & sunt corrupta accidentia panis, & sunt ibi inducta alia accidentia, naturaliter absque miraculo incipit ibi esse materia, ex qua generentur vermes, & cineres, & cætera talia, & non solum (inquit Ægidius) non est ibi miraculum, quod sic incipit ibi esse dicta materia, sed oppositum huius esse non posset absque magno miraculo, miraculum enim esset si non inciperet ibi esse materia, quod vt explicet, inquit, quod aliquid dicitur fieri naturaliter duobus modis, nimirum, vel quia agens naturale illud efficit, vel quia natura, vt illud fiat sufficienter disponit, priori modo ignis ab igne naturaliter generatur, posteriori modo homo naturaliter generatur ab homine, non enim est artificiale, nec supernaturale, quod homo generetur ex homine, & tamen natura non educit animam intellectiuam, per quam homo est homo de potentia materiæ, sed pro tanto dicitur illa generatio naturalis, quia naturaliter disponitur materia, vt ibi introducatur anima intellectiua, quoties enim aliquod agens naturale sufficienter disponit, vt aliquid fiat, dicitur illud naturaliter fieri, & non est miraculum, quod fit, sed esset miraculum si non fieret, quantumque enim anima rationalis fiat a Deo immediate per creationem, materia tamen sufficienter disposita ad susceptionem talis formæ non est miraculum, quod ei talis forma infunditur, sed miraculum esset si manente ea sic disposita non susciperet talem formam. Ita per transmutationem naturaliter factam circa Sacramentũ altaris, inductis ibidem his, quæ non minus habent ordinem, & naturalem connexionem ad materiam, quam habeant illæ dispositiones ad animam rationalem naturaliter, & absque miraculo ibi habebit esse materia, non obstante, quod solus Deus potest in productionem materiæ, & materia solum a Deo habeat esse immediate per creationẽ vnde obseruandum est (inquit Ægidius) quod solis accidẽtibus panis datum est esse sine subiecto, & sine materia; & ideo quamdiu durant accidentia panis, quia virtute diuina est eis collatum, quod nõ actualiter materię insint, absque nouo miraculo, dicere possumus, quod ibi nulla existit materia, quæ sit talium accidentium fundamentum. Miraculum enim fuit cum Deus illis accidentibus contulit, quod possint per se subsistere, propter quod illis sic existẽtibus, & permanentibus, quamdiu durat eorum esse, si nõ sit ibi materia, in qua fundantur non est nouum miraculum, sed totum innititur miraculo primo, at quia accidentia ista panis, & vini corrumpi possunt, & alia accidentia induci, & accidentibus de nouo inductis non est collatum per se esse, sed de se magis actualiter habent ordinem ad materiam, vt fundentur in ipsa, quam habeant dispositiones ad animam rationalem, quia plus est dependentia accidentis ad subiectum, quam sit dispositionis ad formam, miraculum esset si talibus accidentibus inductis sufficienter non esset ibi materia, sicut miraculum esset si materia sufficienter disposita non infunderetur rationalis anima. sicut ergo anima rationalis quamuis fit per creationẽ, absque miraculo tamen infunditur materiæ sufficienter dispositæ. Ita cum Christi corpus desinit esse sub Sacramento, & sunt ibi inducta accidentia, quibus non est collatum per se esse absque miraculo est ibi materia.

Et si dicatur, omnia accidentia fundantur in quantitate, propter quod sola quantitas est ibi sine subiecto, & virtus naturalis agentis non se extendit super quantitatem, sequitur quod quantitas semper manet, alias in Sacramento altaris non possent transmutationes realiter fieri, si ergo quantitas semper manet, & illi solum collatum est esse sine subiecto, non videtur quod per aliquam transmutationem factam incipiat ibi esse materia, nisi hoc fieret miraculo, cum quantitas cui collatum est per se esse semper maneat. Respondet Ægidius, quod quantitati datum est per se esse, inquantum subest accidentibus panis, sub quibus est corpus Christi, atque adeo cum ibi desinit esse corpus Christi, & sunt ibi inducta alia accidentia ab accidentibus panis non competit amplius quantitati per se esse, nisi nouum miraculum fieret, atque illi noua virtus noua potentia ad per se existendum diuinitus conferretur.

Posset etiam dici, quod quantitas facta transmutatione accidentium panis non manet, nam sicut cum ex aqua fit aer dicitur totum mutari in totum, vt patet per Philosophum primo de Generatione t. capitulo vigesimo tertio, & tamen manet materia aquæ. Dicitur ergo totum mutari in totum secundum vnum modum exponendi, quia licet maneat materia aquæ, non manet tamen vt est aquæ, sed vt est aeris, nihil enim manet aquæ, vt aquæ est; ita cum facta est transmutatio tanta in accidentibus panis, sub quibus est corpus Christi, quod inducta sunt ibi accidentia omnino contraria, adeo quod si esset ibi panis substãtia non posset cum illis accidentib. remanere, hac inquam transmutatione facta non remanet ibi aliquod accidens, quod

possit dici accidens panis, & quantitas ipsa nullo modo remanet, vt panis quantitas: non enim potest dici quantitas panis, quia fundatur in panis substantia, quia substantia panis conuersa est in corpus Christi, nec potest dici quantitas panis, quia subest accidentibus, quæ erant panis, quia talia accidentia immutata sunt, ergo dici potest quantitatē non remanere, quia non remanet, vt panis est, atque vt ei collatum erat per se esse, alijs ergo accidentibus inductis, & quantitate quodammodo alia existente, & si non quantum ad essentiam, tamen quantum ad esse, quod habet sub alijs accidentibus non competit ei amplius per se esse, atque adeo propter naturalem ordinem, & dependentiam incipit ibi esse materia nullo miraculo interueniente.

ARTICVLVS IV.

Vtrum dum species Eucharistia corrumpuntur, ex quantitate ipsa generentur vermes, cineres, & huiusmodi talia.

Circa istam quæstionem Sco. in margine refert Ægidiū de Roma Theoremate 44. & 45. dicentem quod quātitas per consecrationem accipit, vt sit subiectum formæ substantialis, & generationis sicut esset substantia si adesset atque ita agens naturale, quod corrumpit species producit substantiam ex quantitate, verum licet Ægidius hanc opinionem Theore. 45. referat, eam tamen non sequitur, imo refellit, & tenet, quod si ex hostia debent generari vermes, quod incipit ibi esse materia, quia inquit ipse ex accidentibus non fit substantia, vt vidimus in superiori articulo. Est autem hæc opinio S. Thomæ 3 p. q. 77. arti. 5. & Henr. de Gandauo quol. 8. q. 36.

D. Thomas. Henricus.

Sed quia hic fit mentio de dimensionibus interminatis, & terminatis, antequam ad explicationem litteræ Doc. accedamus, videndum est breuiter iuxta multiplicem modum dicendi, quid sint huiusmodi dimensiones. Vnde obseruandum est, quod multi sunt modi explicandi huiusmodi dimensiones, primus modus assignat differentiam penes vniuersale, & particulare, & vniuersalitas se tenet ex parte dimensionis interminatæ, particularitas verò ex parte terminatæ: dimensio enim interminata nihil aliud est quam dimensio vniuersalis, vt abstrahit ab hac, vel ab illa, sed dimensio terminata est dimensio particularis hæc, vel illa, & iuxta hunc modum dicendi materia numquam denudatur a dimensionibus interminatis, quia semper cōcomitantur materiam, & est eiusdem speciei in generato, & corrupto, sed quantitas terminata sequitur formam in materia, quia nulla diuensio particularis signata est in materia de se; omnis enim talis dimensio secundum eos sequitur formam, ideo ad variationem formarum sequitur variatio dimensionum, quia alia dimensio numero est, in materia sub vna forma, & alia est sub alia.

Quid sint dimensiones interminata iuxta multorum sententiam.

Secundus modus dicendi est, quod quantitas interminata dicitur quantitas incerta, determinata verò fixa, & certa, & ratio est quia dimensio primo modo inest materiæ existenti in via generationis, secundo vero modo inest sibi generatione completa, & in facto esse; & quia in via generationis dimensiones sunt incertæ, aqua enim in via generationis ignis ex ea, continuè rarescit, & procedit de dimensione in dimensionem, & ideo dimensio non est ibi stabilis, & certa, sed postquam generatio terminata est, & forma inducta in esse quieto, & ideo stabilis permanens, & fixa, ideo dicitur dimensio interminata, id est, instabilis, & incerta, quia est semper in fieri, & dicitur quod talis dimensio præcedit formam in materia, quod intelligendum est pro quanto illa est in fieri, quod est ante factum esse formæ, non autem prout est in facto esse, & hæc videtur fuisse sententia Commentatoris in libro de substantia orbis, vbi dicit. Videmus enim quod calor quando agit in aquam incipit aqua augeri, & crescere in dimensionibus, & vicinari continue dimensionibus ignis, & tales dimensiones, vt sunt in continuo augeri, quibus verbis videtur Commentator vocare dimensiones interminatas, & subdit postea exemplum de determinatis dicens. Tunc autem cum perueniet ad maximam quantitatem amittet quantitatem dimensionum aquæ propriam, & recipiet formam ignis, & quantitatem dimensionum eius, quibus verbis innuere videtur, quod quantitas sequens propriam formam sit dimensio terminata, quia habet esse non in fieri, sed in facto esse.

Auer.

Tertius dicendi modus fuit aliquorum dicētium, quod dimensiones interminatæ sunt dimensiones in potentia. Dimensiones verò terminatæ sunt dimensiones in actu, & quod dimensiones in potentia sunt communes generato, & corrupto, non autem dimensiones in actu, & hunc dicendi modum tangit Commentator 4. Phy. com. 15. ait enim quod necesse est, quod materia sit dimensio in potentia, & post cum abstuleris vltimum, & figuram a materia, non remanebit in materia nisi dimensio non terminata, scilicet, quæ est corpus in potentia, & cum determinata fuerit per vltima, scilicet per superficies, fit corpus in actu. Vnde obseruandum est, secundum istos, quod impossibile est esse aliquam dimensionem non terminatam, sicut est impossibile priuari materiam omni forma, sed cum priuatur vna necessario informatur altera, sicut dimensio cum perdit vnam superficiem, statim terminatur alia, sed pro tanto dicitur dimensio in potentia, seu non terminata, quia est indifferens, & in potentia ad infinitas superficies, quibus potest terminari, sicut materia prima est in potentia ad infinitas formas quibus potest actuari. Secundo obseruandum est, quod per corpus intelligit Commentator secundum istos corporeitatem prædicamenti quantitatis cui insunt tres dimensiones, scilicet longitudo, latitudo, & profunditas, quarum quælibet est ex se interminata, terminatur autem per superficiem.

Quartus modus dicendi fuit quorumdam dicentium, quod quantitas dicitur interminata, quia caret termino: duplex est autem quantitatis terminus, & maxime loquendo de quantitate, quæ est corpus, siue quæ facit materiam esse corpus, scilicet extrinsecus, vt superficies, & intrinsecus, vt bicubitum, vel tricubitum, maioritas, vel minoritas. Primus inquam quantitatis terminus est superficies, nam omne corpus in actu trina superficie terminatur. Secundus verò est esse bicubitum, vel tricubitum: dupliciter ergo potest dici quantitas interminata, vno modo per carentiam termini extrinseci, scilicet superficiei, & hoc modo est corpus non in actu, sed in potentia; & per oppositum quantitas terminata est trina dimensio superficiebus terminata, quibus fit corporeitas in actu, potest enim imaginari trina dimensio, scilicet longitudo, latitudo, & profundum absque omni superficie, & figura, & ideo quasi confuse, & in potentia, quia non est dare corpus, quod sit tale in actu, cum autem intelligatur forma in materia, tunc illa quantitas intelligitur terminata per vltimam superficiē, & figuram, secundo modo potest dici quantitas interminata per carentiam interioris termini, secundum quem terminum attenditur quantitas nempe tricubitum, vel bicubitū, maioritas, vel minoritas, & æqualitas comparando vnam quantitatem ad aliam, hoc enim non consequitur quantitatem simpliciter, sed quantitatem vt est tāta, vel tanta, vnde bicubitum ponitur inter quantitates determinatas in libro prædicamentorum. Sicut ergo vna, & eadem albedo numero aliquando est intensa, aliquando remissa, & manente identitate numerali transfertur de maiori gradu in minorem, & è conuerso, sic eadem quantitas minuitur, & augetur, & sic tanta, vel tanta, manens semper eadem numero potest variari in sua quantitate manente maioritate, & minoritate, & per consequens, vt est indeterminata manebit eadem numero licet determinata: & quia sic est de quantitate, quæ est communis generato, & corrupto, quod in generatione aliquorum corporum necessarium est, ipsam augmentari, nimirum quando ex terra generatur ignis, & in generatione aliorum necesse est illam diminui, cum ex igne generatur aer, ideo dicitur, quod manet eadem quantitas, sed variatur terminus: quia verò dimensiones, sub quibus imaginamur materiam, non habent ex natura materiæ, quod sint tantæ, vel tantæ, imo habent augmentari, & diminui secundum diuersitatem formarum, ideo hoc modo proprium est materiæ, vt imaginetur sub dimensionibus interminatis, & quia quantitas nūquā reperitur in rerum natura actu de facto, quin sit tāta, ideo aspiciens ad hoc dixit Commentator, quod dimensiones sunt in potentia in materia. Est ergo secundum istū modū dicendi quantitas interminata, quātitas carēs termino extrinseco puta superficie, & ex hoc carens ēt termino intrinseco nēpe quantitate hac, vel illa. i. cubitali, vel bicubitali &c.

Et ex

Et ex hoc etiam sequitur secundum istum modum dicendi ꝙ quantitas terminata, & interminata non differunt numero, imò sunt eadem quantitas numero, quantitas enim manens eadem trāsit de vno termino ad alium; augmentatio enim secundum istos non fit per aduentum nouæ quantitatis, sed per aduentum compartibilitatis ad priorem compartibilitatem, & ideo additum non ponit in numerum ad quantitatem præcedentem, sed augmentando transit ad identitatem numeralem prioris quantitatis.

Quintus modus dicendi est, ꝙ quantitas indeterminata est pars, seu pluralitas partium materiæ, quantitas verò terminata est ordo, seu ratio partium, hoc modus dicendi declaratur ex Arist. 2. de generatione, quia in vno pugillo terræ sunt decem aquæ; accipiantur modo duo pugilli, exempli gratia duo modij, vnus terræ, & alter aquæ; Isti pugilli sunt æquales, & inæquales, ergo secundum aliam, & aliam quantitatem; quòd sint æquales patet, quia non se excedūt, vna enim & eadem mensura æqualiter mensurantur; ꝙ autem sint inæquales patet per textum allegatum, consequentia patet per contradictoria, sunt enim æquales secundum quantitatem terminatam, & inæquales secundum quantitatem interminatam, est autem inter istas duas quātitates iuxta hunc modum dicendi quadruplex differētia; prima quantitas terminata est quidditatiuè extensio, indeterminata verò subiectum extensionis, hoc patet: quia positio est ordo, & situs partium in toto; quantitas autem determinata est formaliter, & quidditatiuè extensio, quia extensio non est aliud, quam partem esse extra partem, habere autem partem extra partem est habere ordinem, & positionem partium in toto; sed quantitas terminata est talis ordo, vt patet discurrendo per species quantitatis determinatæ vt sunt bicubitum, tricubitum &c. huius autem ordinis partiū impossibile est aliquid aliud esse subiectum primum, nisi pluralitas partium.

Secunda differentia quantitas determinata augetur per rarefactionem, & minuitur per condensationem; videmus enim rarefactione magis extensam maiorem occupare locum, quantitas autem indeterminata nec augetur, nec minuitur; nam Philosophus 4. Physic. expresse dicit rarefactionem fieri nulla parte extrinseca adueniente.

Tertia differentia. Quantitas determinata posterior est rarefactione, & condensatione, quoniam quantitas determinata per rarefactionem, & condensationem habetur; quantitas verò indeterminata est prior, quoniam extensio, dilatatio, & constrictio supponunt necessario ipsas partes.

Quarta differentia; quantitas indeterminata limitat rarefactionis possibilitatem, & condensationis; quia quantitas, quæ est in vno pugillo nata est extendi tantum, & non amplius; quantitas autem determinata non; cum rarefactionem, & condensationem sequatur.

Quinta differentia; quantitas indeterminata necessariò permanet eadem numero in generato, & corrupto, quantitas verò determinata nō: prima pars patet ex Philosopho 4. Physic. vbi dicit, quòd ex minori potest generari maius, & quod materia, quæ est subiectum transmutationis manet eadem numero; sed certum est ꝙ si materia manet eadem numero, quòd etiam partes materiæ remanent eædē numero; partes autem materiæ sunt quantitas indeterminata secundum istos; nihil enim est partibile sine quantitate: habere autem partem, & partem est esse quantum, at nulla quantitas est per quam materia habeat partem, & partem nisi illa, quam vocamus indeterminatam; secunda pars patet ad sensum in multis, & ex Philo. loco supracitato.

Ex his sequitur primo, quòd quantitas indeterminata secundum hunc modum dicendi non est distincta essentialiter à materia, quia cum ista quantitas non sit nisi partes materiæ, & partes materiæ sint idem essentialiter cum materia, sequitur quòd ista quantitas non est essentialiter distincta à materia.

Secundo sequitur, quòd quantitas indeterminata præcedit formam substantialem in materia: patet quia subiectum præcedit illud, cui substat vt fundamentum, sed materia, & partes eius sunt subiectum, & fundamentum formæ vt patet 1. Physic. ergo, &c.

Est vltimus modus dicendi, quòd quantitas illa, per quā materia est tanta est quantitas indeterminata; quantitas autem illa, per quam materia occupat tantum locum est quātitas determinata; est enim materia generabilium, & corruptibilium tanta, & tanta; & occupat tantum, & tantum locum: dicimus enim, quòd tantum de materia, quantum est in vno pugillo aquæ est in decem pugillis aeris, nec tamen tantum locum occupat materia, vt est sub vno pugillo aquæ, quantum occupat vt est sub decem pugillis aeris, oportet ergo, quòd alia sit quantitas, qua materia est tanta, & alia qua occupat tantum locum. Quantitas illa per quā materia est tanta appellatur quātitas indeterminata Quantitas autem illa per quam materia est tanta est prior ea, per quam occupat tantum locum, & est ei subiecta; nam si manet materia tanta, & non manet occupatio tanti loci, oportet naturaliter materiam prius esse tantam, quam occupet tantum locum; si enim esset posterior non remaneret amoto priore, sed certum est quacumq; transmutatione naturaliter facta, quòd materia semper manet tāta, quanta erat prius, sed non semper occupat tantum locū ergo, &c. quantitas etiam, qua materia est tanta est subiecta quātitati, per quam materia occupat tantum locum, atque ita dimensiones indeterminatæ subijciuntur dimensionibus determinatis: Tantum enim de materia cum est sub forma aquæ occupat minorem locum; cum verò est sub forma aeris occupat maiorem locum; atque adeo oportet easdem dimensiones indeterminatas interdum maioribus subijci dimensionibus determinatis, aliquando minoribus.

Et ex hoc sequitur, secundum hunc modum dicendi ꝙ dimensiones indeterminatæ nō sunt eædem per essentiam cum dimensionibus determinatis; Tum quia potest remanere materia tanta, absque eo quòd remaneat occupatio tanti loci, cum enim ex aqua fit aer remanet materia tanta, quia tantum de materia, quantum erat sub forma aquæ fit postea sub forma aeris; nihil enim ibi de materia deperditur, quia nihil ibi annihilatur, nec aliquid materiæ creatur de nouo: atque adeo remanet materia tanta, sed non remanet occupatio tanti loci, quia plus occupat de loco vt est sub forma aeris, quam vt est sub forma aquæ; dimensiones ergo indeterminatæ non sunt eædem per essentiam cum dimensionibus determinatis: Tum etiam quia virtus agentis naturalis potest immutare quantitatem materiæ pro vt occupat tantum, & tantum locum; naturaliter enim fieri potest quòd materia occupans paruum locum postea occupet maiorem locum, quia naturaliter ex aqua fit aer, & ex aere ignis; nulla autem virtus naturalis agentis potest immutare quantitatem illam, per quam materia est tanta, & tanta; non enim potest fieri, quòd parum de materia fiat multum, quia tunc ex grano milij posset fieri mons vnus, & posset aliquid augeri eo non rarefacto, & nullo addito, quod est falsum.

Quis autem istorum modorum sit magis secundum intentionem Commentatoris, qui primus visus est istam distinctionem materiæ inuenisse declarare non est præsentis speculationis. Hoc autem certum est ex Comment. 1. Phy. comm. 66. & in libro de substantia orbis, quòd in materia generabilium, & corruptibilium oportet intelligere dimēsiones interminatas ante aduentum formæ substantialis, alias non posset intelligi diuisio materiæ, vt in diuersis partibus materiæ sint diuersæ formæ substantiales; huiusmodi autem dimensiones interminatæ post formæ substantialis aduentum accipiunt esse terminatum, & completum, remanentq. huiusmodi interminatæ dimensiones in materia post formæ substantialis aduentum, sed in esse terminato, & completo; quicquid enim intelligitur in materia ante formam substantialem hoc manet idem numero in generato, & corrupto, quia prius non tollitur aduentu posterioris, & posteriori remoto oportet remanere prius; corrupta enim forma substantiali non oportet quātitas interminata corrumpi, quia remoto posteriori, vel corrupto nō oportet corrumpi, vel remoueri, quod est prius, sicut amota forma non oportet corrumpi materiam, Cum ergo conuersio, quæ fit in sacramento altaris sit propriè transubstantiatio (quia ita conuertitur substantia panis in substantiam corporis Christi, & substantia vini in substantiam sanguinis; quod non est conuersio accidentium in accidentia, sed remanent omnia accidentia panis, & vini, sub quibus est corpus, & sanguis Christi) oportet remanere vtrasq. dimensiones panis, & vini determinatas, & indeterminatas, atq; adeo sicut mediantibus his dimensionibus incompletis, id est indeterminatis materia panis reciperet formam eius,

quod

Digitized by Google

quod ex pane generaretur, & hoc pane non conuerso; Ita (cum nunc sit datum dimensionibus vt subsistant, quod est proprium substantiæ, & habeant modum essendi materiæ quantæ, & per consequens habeant esse conforme esse prioris substantiæ) datur eis, vt possint efficere quidquid efficeret substantia si adesset, atque adeo possunt illa accidentia inebriare, & nutrire, & potest ex eis generari vermis, & cinis, & huiusmodi talia, quia collatum est eis, vt possint subesse formæ substantiali, & ad ipsam transmutari, & hoc habent non ex natura sua, quia naturaliter, & ex natura sua non habent, quod subsint nisi tantum alicui formæ accidẽtali; sed hoc habent ex natura substantiali, seu à substantia cuius fuerunt; & tunc ratione talis transmutationis, vel generationis, quæ fit quando corrumpuntur accidentia Eucharistiæ non est necesse redire aliquam materiam, sed si redit aliqua materia, hoc est propter concomitantiam naturalem formæ ad materiam, quia ipsi dimensioni virtute diuina collata est natura materiæ propter propinquitatem ad ipsam, vt illud generatum sit compositum ex materia, & forma: secundum ergo positionem istam non est necesse redire materiam, sed potest genitum constitui ex dimensione, cui est collatum per se esse, & substerni formæ substantiali, & ex forma substantiali.

D. Thomas. Et hæc absque dubio est opinio D. Thomæ 3. p. q. 77. art. 5. vbi scribit, ꝙ in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensiuę panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarũ. Hoc autẽ est proprium materiæ, & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensiuæ omne illud, quod ad materiam pertinet, & ideo quidquid posset generari ex materia panis, vel vini si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis, vel vini, non quidem nouo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. Hæc D. Thom. Quam sententiam dupliciter exponunt Thomistæ, primo modo vt verba præseferunt, s. solam quantitatem esse subiectum huius generationis, ita ꝙ res genita non constet ex forma & propria materia, sed ex forma, & quantitate loco materiæ; atque ita intellexerunt D. Thomam *Ægidius. Ferrarien. Viguerius. Sotus.* Ægidius Theorem 45. & omnes, qui illum impugnant, & ex sectatoribus eius Ferrariensis 4. contra gentes c. 66. Viguerius in summa versi. 9 de Eucharistia, & Soto in 4. d. 10. q. 2. artic. 5. vehementer suspicatur hanc fuisse D. Thom opinionem. Secundo modo non vt verba sonãt, sed iuxta sensum à D. Thoma intellectum, nimirum quantitatem panis in instanti generationis re vera non manere, neq; per se ipsam subijci formæ substantiali, aut substantialiter componere substantiam genitam, sed in illo instanti conuerti in materiam quantam, ex qua proximè fit generatio; atque adeo dici quantitatem accipere vim substantiæ, quia accipit vim transeundi in substantiam, non quod ipsa accipiat vim actiuam huiusmodi conuersionis: hoc enim est impossibile, cum ipsa sit terminus à quo eiusdem conuersionis, & desinat esse per illam, sed quod ex vi institutionis sequatur hæc conuersio, & quantitati datum sit, vt media conuersione suppleat absentiam materiæ, ita *Capreolus. Caiet. Sotus.* exponit D. Thomam Capreolus in 4. dist. 12. ad argumenta contra tertiam conclusionem, quem sequuti sunt Caiet. Soto, & alij; cui explicationi fauere videntur vltima verba illius quinti art. in responsione ad tertium, vbi cum dixisset D. Thom. quantitatem manere in propria natura, & accipere proprietatem substantiæ subdit. Et ideo potest transire in vtrumque, id est, in substantiam, & dimensionẽ, nam verbum transire conuersionem significat, atq; ita ponderauit Capreolus.

Verum, si consideretur argumentum, & cum illo coniungatur solutio, magis videtur significare productionem, seu eductionem formæ substantialis, & accidentalis ex vna quantitate, de hac enim re argumentum procedebat, sic. n. arguebat D. Thom. Si ex eis, id est, ex speciebus sacramentalibus generatur aliqua substantia corporea, illa substantia non erit sine accidente, si ergo ex speciebus sacramentalibus generatur aliqua substantia corporea, oportet, quòd ex accidente generetur substantia, & accidens, duo ex vno quòd est impossibile, ergo impossibile est, quòd ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur. In solutione autem explicat D. Thom. quomodo hoc fiat supposito priori miraculo: atque adeo videtur mihi priorẽ explicationem magis esse ad aures D. Thomæ; quia verba eius aperte hoc sonant; Tum quia dicit quantitati dari, vt sit primum subiectum, quod est proprium materiæ, ideoque dari illi omne illud, quod ad materiam pertinet, Tum quia dicit fieri generationem ex quantitate sine nouo miraculo, at vero quacumque ratione aliqua materia præter quantitatem necessaria sit, non poterit fieri sine nouo miraculo; nam si dicas necessariam quidem esse nouam actionẽ, non tamen esse necessarium nouum miraculum, quia sequitur ex vi prioris consecrationis. Contra hoc est: quia si hic esset sensus D. Thom. male impugnasset tertiam sententiam, nam similiter in ea dicendum esset creationem, seu reditum materię esse ex vi prioris consecrationis: Quid est enim esse ex vi prioris consecrationis, nisi quòd ex vi institutionis hæc actio est cum illa connexa, vt mysterium sit omnino sensibus occultum? hoc autem dici potest de quacumque actione, siue hæc actio vocetur reditus, siue creatio, siue conuersio; parum enim hoc refert, magisq; ad modum loquendi, quam ad rem; Tum etiam quia D. Thom. impugnando tertiam opinionem absolutè negat redire materiam, quod generale est, siue dicatur redire per creationem, siue per conuersionem, siue quocunque alio modo, vt expressè declarat quolib. 9 art. 5. ad tertium. Vbi etiam exponit non loqui solum de eadem numero materia, quæ prius fuit, neque in hoc constitui vim rationis, sed simpliciter de materia, quia non potest redire nisi per nouã actionem miraculosam: Tum demum, quia in solutione ad primum expressè negat ibi esse materiam, ex qua fiat generatio, affirmat verò quantitatem supplere vicem eius & in solutione ad secundum addit, licet quantitas sit accidens habere vim, & actum substãtiæ, & in solutione ad tertium clarissimè subdit quantitatem retenta propria natura accipere miraculosè vim, & proprietatem substantiæ. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiun. 4. dicit. Sicut datur quantitati vt subsistat, ita etiam dari vt subiciatur alteri formæ, & lib. 4. contra gentes c. 66 expressè reprobat opinionem dicentem accidentia miraculosè conuerti in substantiam, vnde concludit sola accidentia ad generationem substantialem sufficere. Opinio ergo D. Thomæ est solam quantitatem sufficere, vt subsit et formæ substantiali aduenienti, siue de potentia eius educatur, siue per nutritionem vniatur.

Contra quam opinionem multipliciter arguit Doctor subt. in hac q. sub lit. a. §. Contra istam opinionem. & primo sic. Forma determinata ad aliquod receptiuum nullo modo potest aliud perficere, sed forma substantialis determinatur ad materiam substantialem, vt ad proprium susceptiuum, ergo nullo modo potest perficere dimensionem de genere quantitatis, quæ non est materia substantialis, maior patet: quia forma non potest habere effectum formalem circa aliquod receptiuum cum quo non habet proportionem, nec habitudinem, aliàs posset vna forma informare aliam, vel quodlibet receptiuum, atque ita albedo posset informare Angelum, vel sapientia lapidem; sed forma substantialis non habet proportionem, nec habitudinẽ in ratione formæ cum quantitate, cum de ipsa non possit educi aliqua forma substantialis. Et si dicatur, ꝙ hoc verũ est nullo præsupposito miraculo, præsupposito tamen ꝙ per miraculum quantitas habeat omnem vim, & efficaciã substantiæ, seu materiæ quantæ, bene potest esse receptiuũ formæ substantialis. Contra impossibile est quantitatem eleuari, vt formaliter suppleat vicem formæ substantialis, & substantialiter aliquid componat, ergo similiter est impossibile, vt quantitas eleuetur ad proprium munus materiæ, & substantialem causalitatem eius: quantitas enim separata nihil acquirit positiuum per talem separationem, sed de ipsa quando erat coniuncta non poterat educi aliqua forma substantialis, sed magis de materia, cui inerat dimensio, ergo neque de ea vt est separata.

Secundo arguitur. Forma de genere priori, non potest perficere susceptiuum de genere posteriori, sed forma substantialis est de genere priori, ergo non potest perficere quantitatem, quæ est de genere posteriori; maior patet: quia forma generis prioris non educitur de potentia generis posterioris; nam forma educta de potentia alicuius præsupponit ipsum origine saltem, quia actus præsupponit potentiam; actus autem, seu forma generis prioris, id est generis substantiæ nec origine, nec perfectione præsupponit aliquid de genere posteriori, id est quãtitatis: patet quia substantia est prior omni accidente ratione, notitia, & tempore 7. Meta. tex. cap. 4.

Præterea tertio. Forma substantialis est talis actus, qui est natus constituere per se vnum cum suo perfectibili per se, sed non potest constituere vnum per se cum aliquo de genere quantitatis, ergo, &c. maior de se patet, & minor probatur, quia inter quātitatem, & formam substantialem non potest esse substantialis vnio: Tum quia cum quantitas sit accidens vnio etiam illius, vel cum illa erit accidentalis, & compositum ex illa non potest esse substanitale, nec potest esse ignis aut carbo, aut aliquid simile, quia de ratione substantiali huius compositi est substantialis materia, propter quod dixit Arist. 1. Physic. Impossibile esse substantiam componi ex non substantijs.

Item quarto. Quod est essentialis ratio terminandi dependentiam alterius non potest ad illud dependere, sed forma substantialis est essentialis ratio terminandi dependentiam quantitatis ad substantiam, ergo forma substantialis non potest à quantitate dependere; dependeret autem si quantitas suppleret vicem materiæ, atque ei vniretur forma substantialis in ratione formæ informantis. Præterea quomodo de potentia dimensionis potest deduci forma substantialis? cum ex natura rei non sit in illa tamquam in proprio potentiali.

Si dicatur, ꝙ in quantitate ex sola natura rei, seu secundum se sumpta non est capacitas naturalis ad huiusmodi formam, at verò in quantitate eleuata, quæ per consecrationem accepit vim substantiæ est huiusmodi capacitas, atq; adeo supposito illo miraculo agens naturale potest naturaliter ex illa educere formam. Contra, hoc intelligi nequit, quia quantitati per cōsecrationem nihil additum est, neque immutatum præter existendi modum, tamen in entitate sua eadem omnino est; at verò capacitas passiua non est in quantitate ratione modi essendi, sed ratione suæ entitatis, ergo si antea non habebat capacitatem naturalem, nec postea habebit; nam quod res, quæ non habet capacitatem naturalem ad aliquid ex se, incipiat habere illam nō mutando entitatem, vel naturam intelligi non potest, sicut in causis agentibus repugnat, quod non habet naturalem virtutem agendi, inciperet habere iam per suam entitatem sine sui mutatione; imò nec posset agere per potētiam obedientialem, nisi hæc intimè innata in ipsa re præsupponeretur; ex his ergo patet improbata prima pars opinionis in generali, scilicet, quòd dimensio non potest habere vicem materiæ respectu formæ substantialis.

Probabat modo Doct. in speciali, quòd ex quantitate separata in Sacramento Euchatistiæ non potest fieri generatio substantiæ, & primo sic. Si ignis generaretur ea tali dimensione, & hoc ab igne, sequeretur ꝙ hæc non esset generatio vniuoca, sed æquiuoca; probatur consequentia, quia vnus includeret materiam partem sui, scilicet ignis generans, & alius non; scilicet ignis genitus, sed includeret dimensionem loco materiæ, atque adeo esset ignis mathematicus secundum materiam, & naturalis secūdum formam; atque ita ignis non vniuocè ageret circa hostiam, sicut circa lignum, vel huiusmodi comburendo hostiam, & lignū; Item nō solum in vno sequitur absurditas, quod erit ignis mathematicus ex quantitate, & forma substantiali, sed erit talis processus in generabilibus, & corruptibilibus vsque ad finem mundi: nam ex illo igne habente dimensionem pro materia, qui appellatur ignis mathematicus generabitur aqua habens idem pro materia, quod habuit corruptū pro materia, & ex illa aqua aer, & sic vsque ad finem mundi, vel in infinitum secundum Philosophos; quia non est maior ratio de vna generatione, quam de reliquis; vnde fiet vt magna pars naturalium rerum iam non constet materia, & forma, sed quantitate, & forma, qua nec substantialia entia erunt, nec accidentalia, sed monstra quadam naturæ.

Præterea contingere potest, ꝙ illa quantitas per varias transmutationes informaretur alia forma panis, & consecraretur; quomodo ergo tunc fieret transubstantiatio? quia si totum compositum transmutaretur non maneret quantitas, si sola forma non esset transubstantiatio: Dicendum ergo esset ex tali pane non posse fieri transubstantiationem, nec consecrationem, quia re vera ille non esset panis cum non constaret ex principijs substantialibus panis, e quod consequenter dicendum esset de quacumque re genita ex huiusmodi speciebus, quod re vera non sit substantia illa, quæ apparet, sed sem. substantia, vt sic dicam.

Vnde si contingeret hominem longo tempore solis speciebus consecratis nutriri, successu temporis, aut totum, aut ferè totum substantiale corpus amitteret, maneretq. anima solam quantitatem informans, nam esto quòd sacerdos esset nutritus de istis speciebus, & pono sicut possibile est per magnum tempus, quousque multæ partes materiæ fluxissent, & nouæ genitæ fuissent, sequitur quòd illæ partes de nouo genitæ non erunt ita veræ partes carnis, & ex partibus essentialibus carnis, id est, ex materia, & forma constitutæ, sicut aliæ partes, quæ non essent genitæ ex speciebus, quia partes illæ nouæ aggenerarentur ea quantitate tamquam ex principio materiali, atque ita non essent partes illæ eiusdem rationis cum partibus præhabitis ex generatione, & in vno homine non esset plus de materia, quam illud quod habuit puer, quæ sunt inconueniētia maxima; quia tunc oporteret eum habere materiam valde raram, quia modicam subiectam magnæ quantitati: Imò possibile esset ponere casum, quod puer nutritus ex speciebus vsque in finem vitæ suæ non resurgeret, nisi homo compositus ex dimensione, & forma substantiali vna. vel pluribus.

Ad hæc vltima incōuenientia respondet Hen. de Gand. quolib. 8. q. 36. dicens, quòd si ea talibus dimensionibus generaretur vermis primo, & post ex partibus nutrientibus generaretur substantia, materia nutrimenti erit tandem materia illius substantiæ. Ita enim scribit Henric. & licet species illæ postquam factæ sunt vermis, & configuratæ ei, non sunt amplius species sacramenti, virtutem tamen adhuc habent materiæ, quæ præfuit, ita quòd istud compositum sine materia eamdem vim habeat in agendo, & patiendo, quam haberet cum materia quæ præcessit, vt videlicet nutrimentum verum attrahat postquam generatum est, & præparet ipsum alterando vi nutritiua, vt propria forma nutrimenti corrupta substernatur materia nutrimenti illi formæ substantiali vermis, vel muris geniti, & ipsa informetur, quemadmodum informata fuisset, si præcessisset materia, cui forma substātialis vermis, vel muris vnita fuisset, & simili modo dimensionibus inuentis in verme, vel mure eadem materia nutrimenti substernetur, vt ipsæ informent iam compositum ex materia, & forma, sicut fecerunt prius illud compositum, quod transubstantiatum est, & sua virtute dimensiones inuentas augmentet, quemadmodum augmentasset si alicui materiæ præcedenti in composito substantiali vnita fuisset, & per hoc vermis, qui prius erat vnum compositum per accidens, & non substantialiter nisi forma absque materia, habens tamen ab illis accidentibus omnem vim, & dispositionem, quam haberet ex materia, per nutritionem fit vnum compositum substantiale ea materia, & forma. Henricus.

Cæterum inquit Doct. hoc dictum Hen. non saluat propositum vniuersaliter in omnibus; nam posito quod genitum non sit nutribile sicut ignis, nihil valet; neque etiam saluat propositum de his, qui ex ipsis speciebus nutriuntur, vt deductum est supra, nec absurda, quæ ex hac positione sequuntur tollere potest, atque adeo hæc positio est omnino relinquenda, cum sit omnino falsa, & incredibilis.

ARTICVLVS V.

Vtrum ex speciebus sacramentalibus possit naturaliter generari substantia.

Richardus de media villa in 4. sen d. 12. artic. 2. q. 2. affirmat, ꝙ in instanti conuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi concreatur ipsis accidentibus vnum ens inferioris entitatis, quam sit materia, quod non est subiectum accidentium, nec esse potest, & illud vocatur purum possibile, quod est naturaliter transmutabile ad formam, vel in formam, & non solum in formam, sed etiam in materiam, & tunc variatione accidentium, vel alteratione facta conuertitur, & transmutatur ab agente etiam naturali transmutante etiam illud purum possibile in materiam aliquam, quæ fit ibi, ea qua vlterius potest aliquid naturaliter generari, sicut vermis, & huiusmodi: & hæc sententia Richardi conuenit cum opinione, quam tenuit D. Thomas in 4. de reditu materiæ, sed differt ab ea, quia ponit, quòd hæc fit virtute agentis naturalis; D. autem Thom. ponit, ꝙ hoc est virtute solius Dei creantis, licet dicat Ric. Richardus. D. Thomas

ꝙ illud

ꝙ illud purum possibile à Deo accidentibus ipsis concreetur. Pro ampliori huius opinionis intelligentia obser. est, ꝙ materia (vt colligi potest ex his, quæ scribit ipse Richar. in 2.d.12.q.1.2.3.& 4.) potest accipi dupliciter, vel pro re pure possibili transmutabili in actualitatem generabilem, & corruptibilem, vel pro materia recipiente ipsam formam, quæ manet altera pars compositi, nam quando aliquid generatur, necessarium est, vt aliquid transmutetur in ipsum, & quod eius forma in aliquo recipiatur, nam quod producitur absque transmutatione alicuius in se.i.in id, quod producitur, creatur; quia fit de non aliquo; Cum etiam forma generabilis, & corruptibilis eo modo, quo formæ generari conuenit, & corrumpi, non possit per se existere per naturam, oportet ꝙ cum generatur in aliquo recipiatur; nec est eadem res, quæ trāsmutatur in id, quod generatur cum ea, in qua recipitur forma eius quod generatur; quia res cuius essentia transmutatur in aliud, non manet post transmutationem illud, quod erat ante, sed illud, in quod recipitur forma, remanet eadem essentia, quæ erat ante.

Secundo obseruandum est, quòd potentia materiæ dupliciter accipi potest. secundum Richar. eadem d.q.10. vno modo pro eo, quo materia potest recipere formam, & sic realiter idem est, quod ipsa materia sola ratione differens ab ea; materia enim per se ipsam potest recipere formam, vel dispositionem ad formam; alio modo pro eo quod de ipsa educi potest forma educibilis de potentia materiæ, & sic non est realiter idem, quod ipsa materia, sed est quoddā principium purum possibile transmutabile in formam educibilem de potentia materiæ per actionem agentis naturalis, quod aliqui antiqui æquiuocato nomine materiæ materiam vocauerunt omnem actualitatem quantumcumq. imperfectam, comprehendentes sub nomine formæ.

Tertio obseruandum est, ꝙ hoc principium pure possibile, transmutabile in formam concreatum est materia, inquit Richard. eadem d.q.4. secundum quod materia accipitur pro natura receptiua formæ, quæ remanet altera pars compositi: Huic autem principio potentiali, inquit Richar. in quolib.2 art.1.q.12. non debetur aliqua actualitas propria, sed pro tanto dicitur ꝙ est, quia est annexum actualitati alienę, neque illud purum possibile est materia, quæ est transmutationis vniuersale fundamentum, quia illa dicit infimum actualitatis gradum, nec est de substantia illius rei cui annexum est; Vnde principium pure possibile, ꝙ est in materia aeris ad formam ignis, vel ad aliam formam, non est de essentia aeris; imò est aliquid, quod requiritur ad naturalem aeris corruptionem.

Ex his, inquit Richar. in 4. vbi supra, quòd quando substantia panis, & vini transubstantiantur in corpus, & sanguinem Christi, nec prima, nec secunda potentia materiæ, id est, nec potentia, qua materia potest recipere formam, nec potentia de qua est forma educibilis remanet post consecrationem; de prima patet, quia cum non remaneat materia, nec potentia, qua recipit forma, remanere potest cum sit realiter idem, ꝙ ipsa materia; secunda etiam non manet, quia cum sit purum possibile, nec sit nisi per actualitatem alienam, non remanente infimo gradu actualitatis, qui est materia, cui illa potentia concreata est, remanere non potest, & si remaneret ex illo generari non posset compositū, sed tantum forma.

Cæterum sicut videmus in substantia concreatum esse principium purum possibile, quod naturaliter est transmutabile in formam, ita possibile est quod concreetur, vel concreatum sit accidentibus Eucharistiæ principium pure possibile, quod per naturam sit transmutabile in totā substantiarum actualitatem. Quamuis ergo accidentia existant in sacramento altaris per se, non naturaliter, sed supernaturaliter; tamen quia est eis annexum principium pure possibile ad totam actualitatem substantiæ, & ad illam actualitatem, quam dicimus formam, & ad illum infimum gradum actualitatis, quem dicimus materiam; ideo potest dici ex eis naturaliter generari tota actualitas substantiæ quātum ad materiam, & quantum ad formam; Quod ergo accidentia per se existant supernaturale est, sed ꝙ de illis possint vermes generari ratione illius principij pure possibilis hoc est naturale, & per istam viam etiam naturaliter nutrire possunt: Et quamuis in transubstantiatione nihil remaneat de substantia panis, & vini; tamē illud principium purum possibile remanere potest, quia vt dictum est, non erat de substantia panis, vel vini. vel si nō remaneat dicendum est, ꝙ in illa transubstantiatione illud principium purum possibile ipsis accidentibus concreatur. Et quamuis creatio illius possibilitatis, & eius annexio cum accidentibus Eucharistiæ sit supernaturalis, tamen conuersio illius possibilitatis in actualitatem, quę est substantia, est per naturam cum accidentia corrumpuntur. hæc est sententia Richar. quam refert Scotus in hac q. sub lit. b §. Quarta opinio.

Contra quam arguit Doct. multis rationibus, & primo sic. Hoc purum possibile secundum ipsum est terminus creationis ergo est aliquid extra causam suam, vel extra primam causam habens entitatem positiuam materia inferiorem; sed hoc est contra ipsummet Richard. & contra D. Augustinum, contra Richar. quia dicit, ꝙ hoc purum possibile nullam actualitatem dicit, at dicere ꝙ illud possibile sit extra intellectum, & terminum creationis, & ꝙ nullam habeat actualitatem sibi propriam est ponere contradictoria; actus enim & potentia sufficienter diuidunt ens, atque ita diuidunt, ꝙ omne ens extra intellectum necessariò est ens actu, & quod non est ens actu, non est ens extra intellectum positiuum, dico, sed nihil positiuum est in actu nisi habens actualitatem propriam, ergo &c. Et etiam contra D. Augustinum, qui lib. 12. Confess. c. 33. inquit. Fecisti Domine duo, vnum prope te, scilicet, angelicam naturā, aliud prope nihil, scilicet materiam primam, ergo de facto nullum ens positiuum reale absolutum est inferius materia prima; sed illud purū possibile, si aliquid esset in materia, & à materia distinctum realiter, vt dicit Richard. esset ens positiuum reale, & absolutum, cum ponat illud transmutari in formam, ergo secundum D. Augustinum non potest esse inferioris entitatis ipsa materia, licet fortè possibile sit aliquid inferius materia creari à Deo, sed quicquid sit de hoc non habet hic locum congruum huiusmodi disputatio.

Præterea illud purum possibile vel est substantia, vel accidens: primum esse non potest, tum quia repugnat mysterio, quod aliqua substantia maneret; non enim manet sub sacramento aliqua substantia; Tum quia si esset substantia, vel esset materia, vel forma, vel compositum, sed non est materia, patet: quia ponitur essentialiter distinctum à materia, ergo erit vel forma, vel compositum, & per consequens erit maioris actualitatis quā materia; quod est contra eum; Si vero est accidens, quomodo potest esse subiectum ex quo fiat materia? ex accidente enim non fit substantia per transmutationem.

Præterea materia est ingenerabilis, & incorruptibilis 1. Phys. atque adeo nequit produci per generationem, cum sit fundamentum generationi positum, ergo agens naturale non potest illud purum possibile admixtum speciebus conuertere in materiam primam, vel in compositum, ita ꝙ actione illa producat materiam primam, vel propriam illi composito, nimirum vt in genitu ex ipsis speciebus, aliàs materia esset generabilis, & corruptibilis.

Præterea illud, quod præsupponitur actioni agentis naturalis non producitur ab eo, nec potest produci per illam actionem, sed materia præsupponitur generationi naturali, sicut subiectum eius, ex primo de generatione, & 1. Phy. ergo non potest per actionem agentis naturalis produci.

Præterea esto, quòd tale purum possibile poneretur in speciebus Eucharistiæ, & quod possibile esset de illo actione agentis naturalis producere materiam, vel compositū, adhuc frustra poneretur, quia non posset attingi ab agente naturali: agens enim naturale nō attingit nisi ens in actu, & quatenus est actu aliqua actualitate, sed illud purum possibile non est ens actu aliqua actualitate, secundum istum, ergo, &c. quod enim est tantum in potentia obiectiua non excludit creationem, quæ non potest fieri ab agente naturali: Vana est ergo, & absq; fundamento hæc Rich. positio.

Sotus in 4.d.10.q.2.art.5. dicit materiam illam comproduci ab agente naturali, idq. naturaliter posito primo miraculo. Sotus.

Cæterum, si loquatur propriè de virtute naturali, dicit rem plane impossibilem, quia primum miraculum, nempè transubstantiatio non dedit virtutem igni, aut simili agenti ad producendum aliquid ex nullo subiecto, cum potius tota necessitas huius materiæ sit, vt possit naturale agens ex subiecto aliquo formam substantialem educere.

Si

Si autem non loquatur de virtute connaturali ipsi agenti secundum se, sed potius ipsi mysterio, ita vt ratione illius debitus sit naturali agenti concursus, quo possit materiam producere, hoc gratis, & sine fundamento dicitur: nam in hoc modo agendi necesse est, vt concurrat causa naturalis solum vt instrumentum Dei, & non qualecumque, sed creationis, sed nulla creatura potest concurrere, nec etiam vt instrumentum ad terminum creationis, vt demonstratũ est in prima q. primæ distinct. huius quarti.

ARTICVLVS VI.

Vtrum transmutatione facta circa species Eucharistiæ necesse sit aliquam substantiam compositam simpliciter actione diuina redire.

HÆc quæstio proponitur propter singularem opinionem Doct. in hac quæst. vt melius, & facilius eius sententia explicetur: Vnde obseruandum est, pro eius explicatione, quòd transmutationum possibilium circa Eucharistiam, quædam stant cum Eucharistia manente, quædam verò non; exemplum priorum sit, quælibet alteratio, per quam non inducitur aliquod incompossibile substantiæ panis si adesset, vt modicus calor, vel frigus aliquod, & etiam transmutatio secundum quantitatem, vt est fractio, & diuisio, & etiam rarefactio, & condensatio, dum tamen non inducatur quantitas repugnans substantiæ panis iam conuersi, si adesset.

Exemplum aut posteriorum erit transmutatio corruptiua qualitatis secundum gradum illum, secundum quem non posset stare cum substantia panis si maneret, licet quãtitas eadem maneret, vnde si possibile esset ꝙ calor ignis induceretur in speciebus consecratis secundum gradum repugnantem substantiæ panis si adesset, & tamen quantitas omnino eadem, quæ prius maneret. Eucharistia corrumperetur, quia Eucharistia non consistit in sola quantitate, sed in alijs accidentibus necessariò consequentibus substantias conuersas panis, & vini.

Conclusio Hoc notabili posito ponit Sco. duas conclusiones, prima concl. Illæ transmutationes primi generis, videlicet quæ possunt stare cum Eucharistia manente, non requirunt substantiam aliquam redire, neque actione diuina, neq; actione naturalis agentis, sed neque de facto subest illi aliqua materia, vel redit.

Conclusio Secunda concl. Transmutationum secundi generis illarum videlicet, quæ non stant cum Eucharistia manente, quædam non requirunt necessariò substantiam redire; redit tamen actione diuina: has duas conclusiones explicat, & probat Doct. per quatuor sequentes.

Conclusio Prima concl. Illa transmutatio specierum cum qua manet Eucharistia, non exigit aliquam substantiam redire, probatur: Omne agens potens in aliquam transmutationẽ, potest in terminum illius, si habet susceptiuum, quod non magis repugnat termino, quam motui; sed in transmutatione, cum qua manet Eucharistia agens naturale potest in totum motum, & susceptiuum non magis repugnat termino quam motui, ergo transmutatio specierum, cum qua manet Eucharistia non exigit substantiam redire, consequentia est nota cum maiori, & minor etiam patet; quia susceptiuum transmutationis huiusmodi in Eucharistia est quantitas, quantitati autem non magis repugnat vnus gradus qualitatis, ad quam potest esse transmutatio, quam gradus imperfectior secundum quem, & alios sibi similes potest esse motus alterationis; nam quantitas secundum suã rationem non determinat sibi gradum aliquem qualitatis, igitur cum ad illam transmutatur cum qua manet Eucharistia non est necessarium redire substantiam.

Et confirmatur concl. quia posita quacumque variatione circa accidentia, vel species, cum qua posset stare naturaliter substantia panis, & vini, non est sub illis speciebus aliqua alia substantia, quam corpus Christi, sicut non est, neque esset ibidem alia substantia à substantia panis, & vini, si ita manerent, & non conuerterentur; ergo manente Eucharistia, & per consequens substantia corporis Christi, sub speciebus quacumque transmutatione facta circa species non est necesse, substantiam aliquam redire, & sic patet prima concl. scilicet, ꝙ manente Eucharistia non est necesse substantiam redire.

Secunda conclusio. In transmutatione specierum cum qua manet Eucharistia, nulla substãtia redit de facto, adeo ꝙ non solum non est necesse substantiam redire, sed de facto nulla substantia redit, probatur: quia vt diximus, dum manet Eucharistia non est ibi substantia nisi substantia corporis Christi, & tunc accidentia manent sine subiecto, sed nullum istorum verum esset, si alia substantia rediret, ergo manente Eucharistia nulla substantia redit de facto per talem transmutationem. 2 Conclusio

Tertia concl. Transmutatio corruptiua Eucharistiæ non requirit necessariò substantiam redire dum tamen ibi maneat quantitas eadem, quæ sit subiectum transmutationis; probatur ista concl. eadem ratione, qua probata fuit prima concl. præcedens: quia tunc agens naturale habet quantitatem pro subiecto, in quam posset inducere, verbi gratia calorem; nam si possibile esset, ꝙ calor ignis induceretur in speciebus consecratis, secundum gradum repugnantẽ substantiæ panis si adesset, & tamen quantitas omnino eadẽ, quæ prius maneret, corrumperetur Eucharistia, quia Eucharistia non consistit in sola quantitate, sed etiam in alijs accidentibus necessariò consequentibus substantias conuersas, & per consequens in inductione illius caloris incompossibilis rediret substantia de facto; in hoc tamen casu non esset necessarium redire substantiam propter actionẽ agentis naturalis, vt constat ex hac tertia concl. & prima, & illius probatione, in quo casu esset ibi quantum calidum calore igneo, & tamen non esset ignis, vt dicit Scotus in fine huius quæst. sub litt. f. 3 Conclusio

Quarta concl. Si per transmutationem qualitatis, vel quantitatis specierum corrumpatur Eucharistia, redit de facto substantia composita, cui talia accidentia conuenirẽt, & hoc in instanti corruptionis Eucharistiæ, & immediatè à Deo. Ista conclusio tres habet partes, & prima probatur, videlicet, quòd in corruptione Eucharistiæ redeat noua substãtia, quia Deus instituit illas species manentes non esse absq; subiecto nisi in Eucharistia, id est ordinauit Deus accidentia illa numquam esse sine subiecto substantiali, nisi Eucharistia manente, & per consequens instituit, quòd desinente Eucharistia non sint species sine subiecto, & consequenter in ipso instanti corruptionis Eucharistiæ producitur ibi aliqua substantia. 4 Conclusio

Secunda verò pars, ꝙ scilicet producatur talis substantia, cui talia accidentia conuenirent probatur; quia si aliqua substantia redit, non est alia, quam illa, quæ potest illis accidentibus nouis affici, quia alia substantia non esset illorum capax.

Tertia denique pars videlicet, ꝙ talis substantia non redit nisi immediatè à Deo probatur; quia nullũ aliud agens habet virtutem actiuam ad hoc sufficientem, sicut patet ex superioribus.

Ex hac concl. infert Doct. quatuor Corrolaria. Primum contra Innocentium, quod non redit substantia composita dum accidentia Eucharistiæ manent, vt probatum est supra.

Secundum corrolarium contra D. Thomam, quòd non redit materia siue per reparationem, siue resolutionem, seu creationem, quia hoc esset omnino superfluum, cum per materiam solam non possit magis saluari actio aliqua agentis naturalis, & maximè secundum D. Thomam, quia agens naturale non potest agere, nisi in materia quanta, quod negatur de illa materia; atque adeo superfluum esset dicere, quòd redeat ibi noua materia, cum agens naturale non posset agere in illam; Tum etiam quia in instanti illo, in quo materia illa rediret, esset ibi substantia composita, atque adeo non præsupponeretur, secundum durationem actionis agẽtis naturalis; huiusmodi autem generatio, quæ subiectum dispositum non præsupponit, de quo educatur forma, non videtur agenti creato conuenire, ergo &c.

Tertium corrolarium est etiam contra D. Thom. scilicet, quod dimensio non est susceptiuum formæ substantialis.

Quartum corrolarium est contra Richardum, quòd possibilitas ista, vel illud possibile, aut nihil est, aut si est aliquid, non est in materiam conuertibile.

Digitized by Google

DVBIVM PRIMVM.

Dubitatur, quæ transmutatio requiratur ad corrumpendum illa accidentia.

Dictum est enim, quòd noua substantia composita redit, post accidentium corruptionem; quæ ergo transmutatio requiritur ad corrumpendum illa accidentia? Posset breuiter responderi, quòd difficile est assignare vniuersaliter, & punctualiter, quæ variatio circa species, siue quantum ad qualitates naturales panis, & vini, siue quantum ad quantitatem, cum quibus stare non possit naturaliter panis, & vinum; atque adeo quæ variatio tollat punctualiter Eucharistiam, tamen potest hoc cognosci, sicut in alijs substantijs suo modo; Vnde quælibet transmutatio, per quam non induceretur aliquod incompossibile pani, si ibi esset, non corrumpitur Eucharistia; atque adeo omnes transmutationes, quæcumque sint illæ, cum quibus staret substantia panis, si ibi esset non tollunt Eucharistiam, & ideo alteratio per quam non desineret esse substantia panis, si ibi esset nō tollit Eucharistiam. Item fractio, seu diuisio, per quam non desineret esse substantia panis, si ibi esset, non tollit Eucharistiā; Item rarefactio, & condensatio per quas non corrumperetur substantia panis, si ibi esset, dummodo per illā non introducatur quantitas aliqua incompossibilis substantiæ panis, non tollunt Eucharistiam.

Omnis autem trāsmutatio corruptiua qualitatis, quam substantia panis sibi determinaret, si ibi adesset est corruptiua Eucharistiæ; nam esto, quòd substantia panis conuersi ad hoc, quòd forma substantialis eius informaret materiā determinasset sibi tres gradus frigiditatis, si ignis illos tres gradus corrumperet, tunc Eucharistia desineret esse, & non esset ampliùs ibi corpus Christi; & esto quod tribus illis gradibus corruptis remaneret quantitas panis conuersi incorrupta, adhuc ibi non erit Eucharistia; (licet de facto ita sit, quòd numquam desinit esse Eucharistia, quin desinat esse etiam quantitas) & ratio est: quia vt diximus supra, Eucharistia non consistit in quantitate solum, sed in quantitate, & alijs accidentibus necessariò cōcomitantibus substantias conuersas.

Et ex hoc sequitur, quòd si inducatur aliquis calor incompossibilis substantiæ panis, si ibi esset corrumperetur Eucharistia, & in eodem instanti produceretur noua substantia à Deo, vt probatum est in quarta concl. Et si maneret quantitas, in qua agens naturale posset agere, adhuc substantia de facto rediret; licet non esset simpliciter necessarium illam redire propter actionem agentis naturalis, vt dicit tertia concl. haberet enim agens naturale quantitatē pro subiecto, in quam posset inducere illum calorem, vt patet ex prima & tertia conclusionibus. Hæc Sco. in hac q. sub litt. E. §. Quæ autem.

DVBIVM II.

An supposita creatione materiæ agens naturale ad introductionem formæ substantialis aliquid agat.

De hac re est duplex opinio, quidam enim dicunt, quòd agens naturale non potest agere ad introductionem formæ substantialis in materiam de nouo à Deo creatam, quia illa materia creatur à Deo in illo instanti, in quo fit generatio; agens autem naturale non potest tam subito illam disponere, nec sine dispositione præuia potest naturaliter formam ex illa educere, ergo cum in primo non esse specierum incipiat esse materia, & simul forma cum ea, fit vt illa forma non inducatur ab agente naturali, sed à solo Deo; quando quidem in instanti non disponitur naturaliter materia.

Quapropter Sco. noster sentire videtur, quòd agens naturale nihil agat circa substantiæ productionem, sed quod totum compositum producitur à Deo, vt dictum est supra. Quidam verò dicunt, quòd creata à Deo materia agens naturale in eam formam substantialem inducit. Pro huius difficultatis solutione obseruandum est, quod agens naturale potest huiusmodi accidentia separata alterare, sicut prius, & per consequens, vsque ad terminum, in quo si essent in proprio subiecto, talis alteratio esset dispositio necessitans ad substantiæ ipsorum corruptionem, & ad alterius generationem, qua alteratione facta circa accidentia illa à subiecto separata prima causa, scilicet Deus, vel creat substātiam illam, ad quam præcedens alteratio est necessitans dispositio secundum primam opinionem, vel creat ibi materiam, in qua agens naturale, quod ita talia accidentia alterauit, potest inducere formam iuxta secundam opinionem; exēplum potest poni de igne; Ipse enim ignis potest quidem huiusmodi species calefacere vsque ad talem gradum, in quo si essent in suis subiectis fuisset necessariò sequuta substantiæ earum subiecti, scilicet panis, & vini corruptio, & ignis generatio; hoc autem facto neutrum horum, scilicet generatio, vel corruptio fieri potest ab igne; non enim potest substantiam corrumpere, quia ibi non est, nec formam inducere, quia non est ibi materia eius receptiua, & ideo quòd post alterationem factam ab igne illarum specierum sequatur ignis substantia; hoc habet esse à Deo, vel totam ipsam, vel eius materiam supernaturaliter procreante, statuit enim hoc Deus facere, id est, in hoc sacramento agentis naturalis impotentiam supplere accidentibus ipsis coassistendo ad producendum actiuè, quidquid poterat produci ab eorum subiectis, præuijs eorum alterationibus.

Hoc autem statuit Deus ad meritum fidei conseruandum, vt supra dictum est, quod meritum nullum est, quando humana ratio præbet experimentum, atque etiam ad occultandum huiusmodi sacramentum infidelibus: nam si huiusmodi accidentia non possent nutrire, nec comburi, nec aliquid in substantiam dispositiuè conuertere, cuilibet tam fideli, quam infideli esset naturaliter notum talia accidentia esse à subiecto separata, atque adeo Deus vel totam substantiam effectiuè producit, vel saltem creat materiam primam, in qua forma substantialis potest postea naturaliter introduci.

Quod autem agens naturale, quod ibi præsens interuenit producere possit formam substantialem tamquam causa secunda, probatur: quia sol potest illuminare aerem in eodem instanti, in quo creatur, ergo agens naturale potest inducere formam in materiam primam in eodem instanti, in quo Deus producit materiam; antecedens est Scoti in solutione ad tertium principale, vbi ait, quòd agens naturale potest habere effectum sibi coæuum, & in se ipso, vt patet de propria passione consequente subiectum, vel in alio, vtpotè si simul crearentur sol, & aer, simul fieret aer lucidus à sole, & tamen non præcessisset in aere oppositum luminis; consequentia verò est manifesta, quia materia in suo primo instanti est capax formæ, & agens præsens, ergo inducit formam; neque est necesse agens præsupponere tēpore passum, sed tantum natura; Præterea, si hæc materia præcessisset, & esset disposita ab hoc agente in hoc instanti, hoc agens induceret formam in hanc materiam, sed in hoc instanti reperitur, simili modo materia disposita, sicut esset si hoc agens disposuisset illam, ergo in hoc instanti induceret formam in hanc materiam.

Item in Eucharistia non est negandum agentibus naturalibus, quod illis sine miraculo potest tribui; sed sic supposita materia agens naturale sine miraculo produceret formam, ergo non est illi hoc negandum, idq. videntur suadere verba nostri Docto. maxime in solutione ad tertium argumentum principale huius quæst. sub litter. H. § Et si quæras.

Quid ergo dicendum est ad Doct. dicentem, quod Deus producit compositum? dicimus quòd hoc est verum, quo ad materiam, vel dicendum est, quòd hic Doctor loquitur probabiliter, neque argumenta eius contra D. Thom. supra in 3. art. probant absolutè, sed sunt argumenta ad hominem sic opinantem.

Et si quæratur, an hæc materia, quæ redit sit eadem materia panis, qui conuersus est in corpus Christi. Respondetur, quòd si vult Deus reparare eamdem materiam potest; an verò eamdem reparet, vel aliam creet de nouo solus ipse nouit, qui hoc, & illud facere potest.

Et si iterum quæratur, vtrum illa substantia, quæ redit sit quanta, vel qualis actione agentis naturalis. Respondent aliqui quòd non; agens enim naturale non dat illi substantiæ quantitatem, neque qualitatem, quia agens naturale inquiunt ad hoc quòd agat, id est, producat formam substantialem, vel accidentalem oportet, quòd in passo præcesserit

rit

Digitized by Google

rit formam repugnantem, vel contrariam; & quia in proposito talis forma non præcessit, cum prius non fuerit passum, ideo non potest agere; sed hoc stante non potest, inquit Doct. in responsione ad tertium: quia ad hoc quòd agens agat non oportet, quòd præcesserit priuatio formæ, quæ producitur, atque adeo si non præcedit hic ordine durationis contrarium, vel priuatio, non propter hoc tollitur actio agentis naturalis, quia bene potest agens naturale habere effectum sibi coæuum, & in se ipso, vt patet de propria passione consequente subiectum, vel in alio, vt patet si simul crearentur sol, & aer, simul fieret aer lucidus à sole, & tamen non præcessisset in aere oppositum luminis; atque ita patet, quòd in illo instanti, in quo passum, siue ipsummet agens naturale producitur potest agere in se ipsum, vel in aliud, & per consequens non est inconueniens, quòd agens naturale habeat effectum sibi coæuum, quemadmodum dicunt aliqui, quod subiectum producit suam propriam passionem in eodem instanti, in quo subiectum ipsum producitur. Sequitur etiam, quòd falsa est aliquorum solutio dicentium, quòd ad hoc quòd agens naturale agat, vel producat aliquam formam, requiritur quòd præcesserit eius priuatio in subiecto, cuius oppositum patuit de sole, & aere. Dicendum est ergo, quòd agens naturale dat substantiæ quantitatem, & qualitatem, cuius ratio est: quia ad hoc quòd agens naturale agat sufficit, quòd sit ibi passum siue præcedat tempore, siue natura; intelligendum est tamen tenendo opinionem communem, (à qua non recedit etiam Doct.) scilicet, quòd Deus tantum creet materiam, & quòd agens naturale in illam inducat formam, quòd pro tanto dicitur agens naturale efficere substantiam compositam genitam quantitate, & qualitate, quia producit formam eius substantialem, à qua omnia accidentia illius substantiæ producuntur. In illo enim instanti in quo agens producit formam, producuntur etiam omnia accidentia ab illa forma.

Contra quartam conclusionem huius art. arguitur primo. Quantitas separata habet modum substantiæ in agendo, ergo & in patiendo, ergo quodlibet potest generari de quantitate separata tanquam de subiecto, & per consequens non est necessarium aliquam substantiam redire, consequentia est nota; quia quicquid posset generari de substantia, si ibi esset, poterit generari de quantitate, cum quantitas habeat modum substantiæ.

Respondet Scot. quòd quantitas separata non habet aliquem modum positiuum substantiæ, sed tantum negatiuū videlicet non esse in subiecto, quod non habeat modum aliquem substantiæ positiuum, probatur; quia quantitas per consecrationem, vel accipit aliquid, cuius causa sit subiectum formæ substantialis, vel nihil; si nihil, ergo non magis habet modum substantiæ nunc, quam prius; si aliquid, vel illud est positiuum, vel negatiuum; non videtur autem quòd illud nouum, quod acquirit per consecrationem sit aliquid præter negationem actualiter existendi in alio, neq; videtur ratio suadere, vt ponatur ibi aliqd aliud; & probatur quod illud positiuum, quod acciperet quantitas per consecrationem, vel esset accidens, vel substantia, non potest dici, quòd sit accidens, quia alienum est à natura cuiuscumque accidentis, quòd sit subiectum formæ substantialis, sicut est alienum à natura quantitatis, ergo quantitas cum quolibet accidente non est magis capax formæ substantialis, quam ipsa per se sola; probatur antecedens: quia quodlibet accidens naturaliter postulat substantiam, in qua sit, sed nulla substantia potest esse subiectum alicuius substantiæ; ergo alienum est à natura cuiuslibet accidentis, quòd sit subiectum formæ substantialis. Quod verò non sit substantia probatur; quia repugnat substantiæ esse in quantitate, vt in subiecto; vel si quantitas ipsa non reciperet illam, substantiam, sed aliquid aliud in illa, sequitur quantitas Eucharistiæ non est separata ab omni substantia, quod est contra fidem; Vnde videtur quòd quantitas separata non habet aliquem modum positiuum substantiæ, sed tantum negatiuum; sed iste modus negatiuus non sufficit ad hoc, quod ipsa possit esse subiectum magis, quam prius, imò cuius potuit prius esse immediatum subiectum, eius præcisè potest esse postea, atque ita quantitas potest esse subiectum alicuius transmutationis, vt dictum est, non tamen transmutationis ad substantiam; ad hoc enim requiritur, quòd subiectum sit principium substantiæ composi-tæ, vt est materia; neque enim ex accidente, & substantia fit vnum per se, quale est id, quod generatur. ita Scotus in hac q. sub litt. F. §. Ad primum dico.

Secundo arguitur. Agens naturale passum approximatum naturaliter transmutat, ergo non requiritur miraculum ad hoc vt transmutetur, sed substantia non potest redire nisi per nouum miraculum, ergo nulla transmutatio possibilis in Eucharistia requirit substantiam redire. Respondet Doct. vbi supra, quòd quando agens naturale non habet passum non potest agere nisi per miraculum detur sibi passum, in speciebus autem sacramentalibus non est passum requisitum ad generationem substantiæ, ideo ad hoc quòd agens naturale possit agere hac actione, oportet quòd per miraculum redeat passum sibi proportionatum, non tamen per nouum miraculum, quia ex institutione Eucharistiæ procedit regulariter talis operatio diuina; atq; ita secundum Scot. solus Deus creat ibi substantiam compositam, si tamen vlterior debeat sequi generatio alicuius rei de illa substantia, agens naturale potest ibi agere ad formam substantialem, quia habet passum sibi conueniens.

Tertio arguitur. Agens naturale non impeditum necessariò agit, ergo non dependet in agendo ab aliqua actione, quæ sit immediatè voluntatis diuinæ; quia voluntas diuina nullius actionis ad extra est principium nisi contingenter, sed necessarium non potest dependere à contingenti, aliàs non esset necessarium, ergo in ista actione non requiritur aliquid, quod causetur à voluntate diuina immediatè.

Respondet Doct. sicut ad argumentum præcedens scilicet, quòd non requiritur actio diuina ad hoc, quòd agens naturaliter agat postquam habet passum, sed requiritur vt habeat passum sibi conueniens, vnde licet agens naturale necessariò agat, & quantum potest, non potest tamen agere nisi habeat passum; In hac autem transmutatione non potest agens naturale agere ad formam substantialem nisi Deus passum producat, nempè materiam, quia quantitas non est passum receptibile formæ substantialis, atque adeo necessariò requiritur actio diuina; & licet Deus ad extra contingenter agat, regulariter tamen agit, quemadmodum regulariter corpore humano debitè organizato creat animam rationalem, & corpori infundit.

Quarto arguitur. Eucharistia potest transmutari sine miraculo, ergo & sine substantia redeunte, consequentia est nota, & antecedens probatur, quia agens naturale potest agere in suum motum naturalem, quia secundum D. Augustinum 7. de Ciuit. cap. 30. Sic Deus res, quas condidit administrat, vt eas proprios motus agere sinat, ergo sinit agens naturale agere motum suum naturalem, & per consequens transmutare Eucharistiam sine omni miraculo, ergo & sine substantia redeunte. *D. August.*

Respondet Doct. quòd August. signanter dicit proprios motus, id est, qui possunt virtute propria agentium naturalium produci; huiusmodi autem non sunt nisi ij motus, qui habent subiectum, in quod agant, & à quibus possit transmutari, cuiusmodi non est quantitas ad transmutationem formæ substantialis, & ideo posita sola quantitate non potest substantia produci nisi actione diuina.

DISTINCTIO XIII.



Olet etiam quæri, vtrum praui sacerdotes, &c. *Superius determinauit Magister de Sacramento Eucharistiæ, quo ad eius esse, & de eius confectione, & de consequentibus ad ipsam confectionem, in præsenti autem distinctione inquirit, à quibusnam possit hoc sacramentum confici; Et diuiditur in duas partes, primo determinat quis hoc sacramentum possit conficere, secundo ostendit bruta animalia hoc sacramentum sumere haud posse.* *Cōtinuatio.* *Diuisio.*

Circa primum tria facit, primo determinat de vita Ministri, secundo de fide, tertio de ordine, & intentione. Quæritur ergo primo. An malus sacerdos possit hoc sacramen-

tum conficere, & respondet affirmatiuè, quod sic. Totum enim quod hic fit in merito consecrantis minime fieri dicitur; sed in verbo creatoris: diuina enim virtus secretius operatur sub tegumento rerum visibilium salutem. Vnde D. August. in sermone de corpore Domini. & habetur 1. quæst. 1. cap. Intra catholicum. Intra catholicum ecclesiam in mysterio corporis, & sanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritussancti. Nec id mirum, quia in verbo Christi creatoris sacramenta conficiuntur. Tam ergo bonus, quam Minister malus conficere dicitur; nam nihil bonitas, vel malitia sacerdotis ad consecrationem facere videtur: Et confirmatur authoritate D. Gregorij dicentis. Putant quidam communionem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quam magnum laqueum incidunt, vt diuina, & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credant: nam vnus, idemque Spiritus sanctus in tota Ecclesia inuisibiliter ea mysteria, & operando sanctificet, & sanctificando benedicat: siue ergo per bonos, siue per malos Ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacramentum tamen est; quia Spiritus sanctus vita ficat; proculdubio ergo tenendum est, quod siue à bonis, siue à malis hoc conficitur sacramentum.

D. August.

D. Gregor.

De secundo inquit Magister, quòd ab Ecclesia Dei per excommunicationem, vel hæresim præcisi non videntur hoc sacramentum posse conficere, quamuis sint sacerdotes; quia nemo dicit in ipsa consecratione offero, sed offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ; & ideo cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari de hoc non videtur: Tum quia vt diximus oblatio huius hostiæ fit ex persona totius Ecclesiæ; excommunicati autem, & hæretici sunt extra Ecclesiam: Tum quia in huiusmodi sacramenti celebratione nuncius cælestis mittitur ad benedicendum: nam hoc sacrificium ideo Missa dicitur, quia cælestis missus ad cõsecrandum viuificum corpus adueniat, iuxta dictũ sacerdotis dicentis Omnipotens Deus iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, &c. Ideo nisi Angelus venerit Missa nequaquam iure vocari potest. Non est autem præsumendum, quòd Deus benedicat benedictionibus præcisorum ab Ecclesia.

Reijcitur opinio Magistri.

Cæterum in hac parte opinio Magistri non probatur; nam siue præcisi ab Ecclesia per excommunicationem, siue per hæresim, extra quam licet corporaliter esse dicantur possunt nihilominus dici & intra hanc esse quantum ad intentionem, quare cum sacerdotes sint, poterunt conficere intendentes quod Sancta Mater Ecclesia intendit. Si tamen aliquo modo Magistrum saluare volumus, dicamus, loquutum fuisse de illis extra intentionem Ecclesiæ conficere tentantibus.

Quo ad tertium, inquit Magister, quòd ad perfectionem huius sacramenti duo requiruntur, scilicet ordo Ministri, & intentio, ordo quidem requiritur, idest quòd Minister sit sacerdos, & intentionem adhiberi oportet vt illud scilicet intendat facere, quod ecclesia facit, & subdit quòd ille qui non credat etiam potest intentionem habere, & per consequens consecrare, dummodo intendat agere, & facere quod facit Ecclesia.

Quo ad secundum principale Magister dogmatizare videtur bruta animalia nullatenus corpus Christi manducare. & si quæratur quid ergo sumunt, quando hostiam consecratam accipiunt? Magister se hoc nescire fatetur: Nam dicit, quòd Deus nouit. Vnde pro intelligentia huius difficultatis quæruntur hic duo.

Quæritur primo. Vtrum creatura irrationalis manducet corpus Christi. Pro huius difficultatis solutione obseruandum est, quòd duplex est modus manducandi Eucharistiam: cuius distinctio à triplici oritur principio, scilicet à dispositione sumentium, quia quidam accedunt male dispositi, & hi manducant sacramentaliter, quidam autem accedunt benè dispositi, & hi manducant spiritualiter.

An bruta comedere Xpi corpus.

Item à modo sumendi, quidam enim sumunt ore corporis, & hi sacramentaliter, quidam ore cordis, & mente quoniam ad intellectum, & hi spiritualiter, præterea ab ipso sacramento, quia duplicem habent rem, scilicet, corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum, quorum vnum accipitur sine altero, sumens corpus Christi verum manducat sacramentaliter, sumens corpus Christi mysticum spiritualiter.

Secundo obseruandum est, quòd manducare sacramentaliter est sacramentum manducare, & vt sacramentum, ad hoc enim quòd actus sit sacramentalis necesse est, quòd respiciat ipsum sacramentum, vt sacramentum, ad hoc etiam, quòd aliquis manducando species manducet sacramentum, duo exiguntur, scilicet existentia cibi, & eius ad cibatum debita conuenientia: primum patet, quia si non præcesserit sacramenti confectio non potest sequi manducatio. Secundum exigitur, quia cibus iste solum hominibus est concessus. Vnde sicut solus homo baptizatur, ita corpus Christi sacramentaliter à solo homine manducatur,

Tertio obseruandum est, quòd ad hoc quòd hoc sacramentum manducetur vt sacramentum necessaria est intentio, & intentionis regulatio, vel secundum fidem, quæ est in ipso, vel secundum fidem, quæ est in alio, intentio inquam necessaria est, nam si quis iret ad mensam, & intenderet corpus reficere, & si quis pro pane communi sacramentum sibi sicut panem offerret, & ipso intenderet omnino cibum corporalem sumere nemo diceret eum sacramentum manducasse. Necesse est etiam quòd illa intentio dirigatur vel secundum fidem, quæ sit in ipso, vel in altero; quia vel oportet, quòd credat quod sub illa specie aliquid latet spirituale, vel quod saltem sumere intendat, quod alios credere existimat, quamuis ipse non credat. Vnde si aliquis hæreticus intendit accipere, quod existimat Ecclesiam credere corpus Christi esse, quamuis non credat, sacramentaliter comedit, quia quamuis intentio sua non reguletur, nec attingat rem sacramenti per propriam fidem, attingit tamen mediante fide aliena.

His obseruatis dico ad difficultatem; quòd cum ad manducare corpus Christi sacramentaliter, secundum quòd propriè sumitur, necesse sit attingere ipsum contentum, vel per modum cogniti, vel per modum crediti, vbi igitur nullo modo attingitur, scilicet sic, nec sic id est, neque per modum cogniti, neque per modum crediti, non est manducatio sacramentalis; atque adeo cum à creatura irrationali non attingatur, neque sic, neque sic; igitur non manducatur sacramentaliter ab huiusmodi creatura; sed est ibi quasi quædam manducatio carnalis, nec tamen propriè, quia ibi non est diuisio substantiæ, sed accidentium solum.

Solutio

Quæritur secundo. Verum corpus Christi trajiciatur in ventrem creaturæ irrationalis. De hac re est duplex modus dicendi. Quidam enim opinantur, quod corpus Christi continetur sub illis speciebus inseparabiliter, quamdiu sunt sacramentum; hoc autem est quamdiu

An corpus Xpi [illegible] ventrem b[illegible]

salua

Digitized by Google

salua est forma panis, & dicunt, quòd vbicumque ponuntur species, siue in loco mundo, siue immundo, siue in ventre muris, ibi est corpus Christi, & in hoc non derogatur corpori, nec sacramento, sed dicunt quòd potius est in laudem vtriusque; corpus enim Christi cum sit glorificatum inquinari non potest; sacramentum etiam ipsum, (vt sæpè dicit Augustinus) sanctum, & mundum est, & inquinari non potest.

D. August.

Secundus modus dicendi est aliquorum dicentium, quod corpus Christi nullo modo descendit in ventrem bruti animalis, & hoc est quia Christus non est sub illo sacramento nisi eatenus, quod ordinabile est ad vsum humanum. scilicet ad manducationem; Vnde quando mus, vel aliud brutum rodit, inhabile fit, & sacramentum esse desijt, & corpus Christi ibi esse desinit, & substantia panis redit, sicut Innocentius dicit. Hanc sententiam D Bonauentura in 4. dist. 13. art. 2. quæst. 1. dicit esse communiorem, & probabiliorem, atque adeo eam sequitur, quia vt inquit honestior, & rationabilior videtur.

D. Bonau.

Ale. & Ales. D. Thomas.

Priorem sententiam sequuntur Alex. de Ales p. 4. q. 21. memb. 2. artic. 2. §. 1. quæst. 2. & D. Thom. p. 3. q. 8 art. 3. ad tertium. Vnde inquit Alex. Si canis, vel mus deglutiat hostiam consecratam integram non video quare, vel quomodo corpus Domini non simul cum specie trayceretur in ventre canis, vel muris; nec ratio alterius opinionis alicuius efficacia videtur, quòd quia corpus Christi non est sub sacramento nisi eatenus, quod ordinabile est ad vsum humanum, quod propter hoc non possit traijci in ventrem alicuius creaturæ irrationalis, sed ex hoc benè sequeretur, quod non possit comedi ab aliqua creatura tali; vsus autem hominis est finis consecrationis huius sacramenti, non finis collationis. D. verò Thomas inquit, si mus, vel canis hostiã consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent, hoc est quamdiu substantia panis maneret, sicut etiamsi proijceretur in lutum. Nec vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi absq; diminutione suæ dignitatis, præsertim cum mus, aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales; Vnde secunda opinio, inquit D. Thomas, derogat veritati Christi, ad quam pertinet quòd manentibus speciebus corpus Christi sub eis esse non desinat, species autem manent quamdiu substantia panis maneret, si ibi adesset: manifestum est autem quòd substantia panis assumpta à cane, vel à mure non statim esse desinit, sed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur; Vnde tamdiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à mure, vel cane sumptis.

Et si dicatur, si traijcitur sacramentum in ventrem muris, traijcitur per modum cibi corporalis, sed omne quod per hunc modum intrat in os in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Matth. 15 hoc autem non conuenit corpori Christi, ergo, &c. Respondet Alexan. quòd corpus Christi non intrat in os bruti vt cibus corporalis, quia nullo modo esset cibus corporalis, sed tantum species, quæ dicuntur sacramentum, licet ipsum corpus simul intret cum speciebus ratione inseparabilitatis vnius ab alio: Si autem ipsa species, quæ est sacramentum ita comminueretur dentibus muris, vel alterius bruti, quod ipsa species non esset in suo esse, non traijceretur corpus Christi in ventrem, & in tali casu potest esse vera secunda opinio; Hanc sententiam tenet etiam Albertus Magnus in quarta distinctione quæstione articulo quinto, & distinctione decimatertia articulo 30.

Ale. & Ales

[Alb]ertus.

Demum Magister in hac dist. post epilogum, in quo dicit se de hoc mysterio breuiter dixisse à fidelibus catholicis fideliter tenenda, quibus si quis contradicit hæreticus videtur, docet quot modis accipiatur hæreticus, & quis propriè hæreticus dicatur. Vnde inquit, quòd quinque modis accipitur hæreticus; vno modo pro omni excommunicato. secundo pro sacrorum peruersore, vti est simoniacus. tertio pro dubitante Christi fidem esse falsam, vel fictam, quomodo omnes Iudæi, Sarraceni, & Pagani dicuntur hæretici, & generaliter omnes infideles, atque ita omnis, qui non tenet articulum fidei, hæreticus largè dici potest, vel qui corde, & ore negauerit fidem; quarto modo dicitur omnis Christianus, vel qui se putat Christianum errans contra catholicam veritatem pertinaciter, hæreticus, & sic propriè capitur; quinto omnis, qui pertinaciter adhæret errori, qui sapit hæresim, vel qui pertinaciter asserit, vel determinat aliquam hæresim; habens ergo prauam, & erroneam circa fidem intelligentiam est hæreticus censendus: secundum verò D. Augustinum de vtilitate credendi ille est hæreticus, qui causa commodi temporalis, & gloriæ, vel falsam, vel nouas gignit opiniones, aut sequitur tamquam meliores; & hæc de tota dist. satis. Circa quam Doct. duo quærit. primo.

Quot modis quis dicatur hæretic...

D. August.

QVÆSTIO I.

Vtrum sola actione diuina possit confici Corpus Christi.

SEnsus huius quæst. est, an conuersio substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi, quam appellamus transubstantiationem, & qua sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficitur, fiat tantum actione diuina: Verum obseruandum est, quòd licet titulus huius quæst. hunc sensum præseferre videatur, tamen hoc est magis quæstionis præsuppositum, quod probauit Doct. supra distinctione vndecima, quæstione tertia, articulo secundo, & nos in eodem loco articulo tertio, quam quæsitum: Vnde potius quærit hic Doctor, an actio qua Deus conuertit substantiam panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi sit vera actio de genere actionis, vt in processu, & solutione quæstionis videbimus. Quapropter vt exactius, & plenius hæc quæstio explicetur diuidenda est in sequentes articulos.

Primus art. Vtrum actio quæ ponitur genus distinctum contra alia 9. genera sit forma absoluta.

Secundus art. Vtrum actio, quæ ponitur genus distinctum sit forma absoluta coæua illi, in quo est, id est, agenti.

Tertius art. Vtrum actio quæ ponitur genus distinctum, sit respectus & relatio.

Quartus art. Vtrum actio respectus sit in agente, vel in passo.

Quintus art. Vtrum relatione aliquid producatur.

Sextus art. Vtrum creatio sit actio.

Septimus art. Vtrum Deus habeat veram actionem de genere actionis tam ad intra, quam ad extra.

Octauus art. Vtrum quando Deus conuertit panem in corpus Christi, sit ibi actio de genere actionis.

Nonus art. Vtrum actione alicuius agentis creati concurrentis principaliter possit panis conuerti in corpus Christi.

Decimus art. Vtrũ creatura possit cõuertere instrumentaliter panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum actio, quæ ponitur genus distinctum contra alia nouem genera, sit forma absoluta.

Actio multis modis sumitur.

HÆc quæstio tangitur à Doct. in hac q. sub litt. b. Pro cuius solutione obseruandum est primo id, quod docet Doct. in hac q. sub litt. H. scilicet, quòd actio est nomen æquiuocum; vno enim modo dicitur de operatione, prout intellectio, vel volitio dicitur operatio, & tamen in rei veritate est qualitas, vt declaratum est in 1. d. 3. quæst. vltima, & q. 15. quolib. Alio modo accipitur actio, vt dicit per se habitudinem, vel respectum, & quandoque accipitur hoc nomen actio pro respectu producentis ad productum, sicut pater dicitur esse causa agens filij; quandoque autem pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, vt calidum dicitur causa agens caloris in ligno; Quandoque etiã accipitur hoc nomen actio pro re acta includendo tamen istum respectum, quem exprimit hoc, quod est esse ab alio, vt docet Aristot. 3. Physic. tex. cap. 18. Aliquando etiam pro respectu transmutantis ad transmutatum, iuxta illam descriptionem lib. 6. Principiorum, cap. de actione. Actio est secundum quam in illud, quod subijcitur agere dicimur: Vnde breuiter actio quinque modis potest accipi; primo pro operatione, quæ est actio immanens, prout intellectio, & visio dicitur actio; secundo pro respectu producentis ad productum; tertio pro respectu inducentis ad inductum; quarto pro respectu transmutantis ad transmutatum; & quinto pro forma acta, & producta, in quantum includit respectum, qui est esse ab.

Secundo obseruandum est, quòd actio secundum primam significationem est forma absoluta in genere qualitatis, appellatur autem actio propter duas conditiones, quas habet similes illis, quas habet actio de genere actionis; quarum prima est, quia operatio est in continuo fieri, & in continua dependentia à sua causa, nimirum ab intellectu, & obiecto, non sic tamen in fieri ꝙ successiuè fiat sicut motus, quia cum intellectio sit indiuisibilis, & permanens tota simul fit, & nõ successiue. Secunda conditio est, ꝙ operatio dicitur quasi in obiectum transire, non quod obiectum accipiat esse per illam; sed quia ad ipsum obiectum terminatur; propter istas duas conditiones intellectio, & visio actiones appellantur, licet in rei veritate non sint actiones de genere actionis, quibus denominamur agentes: sed de hoc vide, quæ scripsimus in formalitatibus art. 1. Secundum aũt secundam, & tertiam significationem actio est respectus intrinsecus adueniens, atque ita est propriè in genere relationis; secundum verò quartam significationem præcisè est genus distinctum, vt patet per descriptionem adductam: secundum quintam significationem; si tamen sit significatio huius nominis sicut communiter exponitur ibi Philosophus, nempè pro forma acta includente respectum, qui est esse ab; actio in ista quinta significatione importat duo; Vnum tanquam aliquod connotatum, & aliud tanquam principale significatum; cõnotatum est ipsa forma acta, formale significatum est ipse respectus importatus per esse ab, de genere passionis, & actio quantum ad illud cõnotatum pertinet ad aliquod genus absolutum, secundum quod passum transmutatur, vt potè quantitatẽ, vel qualitatem, &c. & sic dicit ibi Philosophus de actione, quod est opus, & finis huius. s. actiui; opus autem & finis huius, id est, actiui est ipsa forma absoluta in passo, quæ vt fluens, est motus, loquendo de agente per motũ, vnde præmittit ibi, quod motus est actus actiui, & passiui; actiui vt ab ipso, passiui vt in ipso: dicitur ergo actio ipsum actum, siue opus, vel finis agentis, quatenus est ab ipso agente.

Tertio obseruandum est, ꝙ ista duo, scilicet res acta, & esse ab, nihil vnum per se constituunt: quia ex absoluto, & respectiuo non fit vnum per se; res autem acta, vt diximus est, quid absolutum quantitas, vel qualitas: esse ab dicit respectum; quapropter si nomen actionis in ista quinta significatione significet conceptum per se vnum, non significabit ambo, id est, rem actam, seu formam productã, & esse ab, sed alterum tantum; Et rationabile est, quod principaliter formalius significet, & connotet illud, quod est materiale, vt contingit in alijs nominibus importantibus talia diuersa; & tunc non oportet quærere ad quod genus pertineat ratione connotati, quia potest pertinere ad tot genera, ad quot pertinet forma causata in passo ab agente; nam aliquando forma causata in passo ab agẽte spectat ad genus quantitatis, vt in augmentatione, & diminutione, rarefactione, & condensatione, interdum ad genus qualitatis vt in motu alterationis. Cæterum ille respectus ab alio, qui formaliter importatur per nomen actionis in hac quinta significatione, adhuc videtur æquiuocè intelligi, nam vno modo potest intelligi esse ab. i. ab agente in quantum producens, vel esse ab agente in quantũ est inducens, vel educens, vel ab agente in quantum est transmutans; secundum primum, & secundum intellectum pertinet ad genus relationis, sicut & ipsa productio, vel inductio passiua; sed secundum vltimum intellectum pertinet ad genus passionis, sicut & transmutatio passiua; sed de hac re amplius erit sermo infra art. 3. huius q.

Quarto obseruandum est, ex Scot. in 1. d. 3. q. 6. ꝙ actio propriè sumpta habet tres conditiones; vna est quod est in continuo fieri, i. ꝙ cessante non habet esse permanens, scilicet tantum esse habet quantum agens continuat actionem. Secunda conditio est, quòd est circa aliquod receptiuum in quo est, vt in subiectum; nam actio non est in agente quatenus est agens, sed in passo, id est, est in agente quatenus in se recipit actionem. Tertia est, ꝙ actio est circa aliquem terminum, ad quem terminatur, qui accipit esse per eam: huiusmodi conditiones sic intelligendæ sunt. prima scilicet, quod sit in continuo fieri, non quod sit motus, sed quia cessante agente talis actio cessat, & amplius non denominato agens, verbi gratia, ignis calefacit aquam, calefactio actio non denominat ignem si cessat calefacere. Secunda conditio sic intelligitur, ꝙ actio generationis est quidem in ipsomet agente subiectiuè, & tunc eo ꝙ ipsum agens recipit actionem dicitur recipiens eius, & subiectũ eius à qua actione denominatur agens, sicut album albedine in ipso existente. Tertia conditio est propriissima, & completiua ratio actionis, ꝙ terminetur ad formam, quæ acquiritur in tali actione. *Actio habet tres conditiones.*

His obseruatis dico primo, ꝙ actio in prima significatione accepta est forma absoluta, quia nulla relatio est perfectio vltima agentis, vel operantis, actio autem in prima significatione, vel sunt intellectio, & volitio, & vniuersaliter operationes potentiarum sunt perfectiones vltimæ agentis, vel operantis, scilicet, intelligentis, & volentis, ergo non possunt esse relationes vel respectus, sunt ergo formæ absolutæ. *1. Conclusio*

Dico secundo, ꝙ actio in secunda & tertia significatione accepta non est forma absoluta, quia vt sic est respectus intrinsecus adueniens de prædicamento ad aliquid, vt videbimus in tertio articulo. *2. Conclusio*

Dico tertio, quòd actio pro forma acta, & producta prout accipitur in quinta significatione, quo ad eius connotatum est forma absoluta, quia motus non est ad relationem. *3. Conclusio*

Dico quarto, ꝙ actio in quarta significatione accepta, q̃ facit genus distinctũ non est forma absoluta: probatur, quia tunc esset forma noua, nam agens non semper agit; atque adeo de nouo adueniret agenti, tunc s. quando agẽs incipit agere, sed hoc esse non potest, quia sequerentur duo inconuenientia; vnum generale. s. ꝙ ad actionem esset actio, & sic in infinitum, & est ratio Arist. 5. Phy. t. c. 13. qua probat, ꝙ ad actionem non potest esse motus: si actio vt est 9. prædicamẽtum est forma absoluta, ergo ad actionẽ erit actio, & sic in infinitum, consequens est falsum ex 3. Physi. ergo & antecedens; probatur consequentia. Ad omnem formã absolutam nouam potest esse aliqua actio, quia illa forma non est à se, nec à nullo, ergo est ab aliquo agente, sed actio per te est forma absoluta, & est noua; patet, quia agens non semper agit, ergo ad illam potest esse aliqua actio, & pari ratione ad secundam actionem erit actio, & sic in infinitum. *4. Conclusio*

Præterea, & est secundum inconueniens speciale; si actio esset forma absoluta, vel poneretur in agente, vel in passo; non põt poni in agẽte, quia alias omne agẽs mutaretur ad formã absolutam, antequã passum mutaretur ab ipso, quia passum nõ mutatur ab ipso nisi iã habente actionẽ, ergo oportet ꝙ agens mutetur ad hoc, quod habeat actionẽ cum sit forma absoluta, sed illud cõsequens est falsum, q̃a motus

est

est actus entis in potentia passiua, agens autem non est in potentia passiua, sed actiua, nec potest poni in passo, quia sequeretur, quòd aliquod passum non posset pati, secundum aliquam formam de genere quantitatis, vel qualitatis, quin simul duratione, & fortè priùs natura patiatur secundum formam alterius generis posterioris, scilicet secundum actionem, quæ ponitur alia forma absoluta; est autem inconueniens manifestum, quòd subiectum non possit pati secundum formam absolutam priorem, nisi patiatur secundum posteriorem formam, quæ non est propria passio prioris, patet enim, quòd albedo potest manere in subiecto post actionem transeuntem.

Et si dicatur, quòd non sequitur, quòd agens mutetur, & si actio quæ est forma absoluta ponatur in ipso agente, quia vt dicit Arist. 3. Physic. motus est actus entis in potentia passiua, ita quod vult dicere, quòd numquam aliquid mutatur, vel mouetur nisi in eo præcedat priuatio formæ recipiendæ, ad quam, vel secundum quam dicitur mutari; modo certum est, quòd agens non patitur, quia actiuum antequam agat est in potentia actiua, & ideo exitus eius de hac potentia ad actum non est motus nec mutatio; Contra, si actio est forma absoluta, & noua in agente, necesse est quod habeat aliquod susceptiuum, quia non est per se subsistens cum sit accidens, præterquam quòd si per se actio vt ponitur forma absoluta subsisteret, nihil diceretur formaliter agens per ipsam, sicut nec aliquid dicitur formaliter quantum per quantitatem separatam; susceptiuum autem habet aliquam potentiam susceptiuam vel passiuam respectu susceptibilis, ergo actiuum ante actionem erit in potentia passiua ad actionem, sed quod habet potentiam passiuam, quandoque sub priuatione, quandoque sub forma mutatur propriè, ergo sequitur propositum, quòd agens propriè mutetur.

Et quod adducitur ibi, quòd actio est actus potentiæ actiuæ, & ideo non oportet, quòd agens recipiendo actionem mutetur. Inquit Doct. quòd hoc verum est simpliciter scilicet, quòd actio est actus potentiæ actiuæ. Verum difficile est hoc saluare, secundum istam hypothesim, scilicet supponendo, quòd actio sit quid absolutum in agente, non enim potest esse potentiæ actiuæ, vt susceptiuæ, quia hoc est contra rationem potentiæ susceptiuæ, vel passiuæ; nempè quòd actio conueniat agenti, vt patiens est, nec potest esse eius vt elicitiuè, id est, nec actio potest esse actus potentiæ actiuæ vt elicitiuæ, quia non vt ab ipso agente, quod est propriè esse eius vt actiuæ, id est, quòd actio non est actus elicitiuè ab agente quatenus agens est; quia tunc actiuum vt actiuum per formam absolutam priorem actione ista actiuè se transmutaret ad istam actionem; nam agens actio ne agit, atque adeo si elicitiuè causaret actionem, hoc esset alia actione, qua denominatur agens, seu producens hanc actionem; & tunc esset quæstio adhuc vlterior, quomodo agens transmutaret se ad illam priorem actionem, & sic in infinitum; atque ita tenendo istam hypothesim, scilicet actionem esse formam absolutam, oportet dicere, quòd actio licet sit potentiæ actiuæ, qualitercumque tamen est actus alicuius potentiæ passiuæ, quia hoc est vniuersaliter verum de omni forma, quæ non est separata ab omni susceptiuo, & per consequens non potest saluari cum actio recipiatur in agente, quin agens mutetur recipiendo illam formam, sub cuius priuatione erat antequam ageret.

Et si dicatur, secundum hanc hypothesim, quòd actio est in patiente; sequitur etiam inconueniens supra deductum, scilicet, quod non potest aliquod passum pati, secundum formam de genere quantitatis, vel qualitatis, quin simul duratione, & fortè priùs natura patiatur, secundum formam absolutam alterius generis, scilicet, secundũ actionem, quæ ponitur esse forma absoluta alia à quantitate, & qualitate; consequens videtur esse inconueniens, quod non possit subiectum pati secundum formam absolutam priorem nisi patiatur secundum formam posteriorem, quę non est propria passio prioris; patet quia albedo potest manere in subiecto post actionem transeuntem, ergo actio transiens non est passio albedinis; nam passio non potest separari, nec separatim existere sine subiecto. Ex his ergo patet, quòd actio vt ponitur genus distinctum contra alia nouem genera non est forma absoluta noua neque in agente, neque in patiente. Ita Scotus in hac q. sub litt. B. §. Ad huius antem.

Contra quartam conclusionem arguitur primo sic. Nullus respectus est prior naturaliter suis terminis, sed actio est prior natura suis terminis, ergo actio non est respectus; maior patet: sunt enim correlatiua simul natura ex Arist. in prædicamento ad aliquid; minor probatur: quia terminus ad quem refertur est forma producta, sed actio est principium productiuum formæ, ergo est prior ipsa forma.

Respondetur, quòd duplex est respectus, quidam per modum actus primi, vt productio, & actio, quidam per modum actus secundi, vt filiatio. Vnde licet omnis respectus per modum actus secundi sit posterior ordine naturæ suo termino, & fundamento, respectus autem per modum actus primi, etsi posterior sit ordine naturæ suo fundamento, quia hoc est commune omni respectui, est tamen ordine naturæ ipso termino prior, non quod terminus sequatur ordine naturæ ipsum, sicut ipse sequitur suum fundamentum, sed quia talis respectus est quædam causalitas, siue causa aliquo modo sui termini; Vel dicendum est secundo, quòd minor est falsa, & ad probationem dicitur, quòd actio non est principium productiuum, licet sit principium denominandi agens, quia actione agens formaliter dicitur agens; nullum enim aliud est principium productiuum nisi agens cum virtute producendi; & quando dicitur, quòd generatio terminatur ad genitum, verbi gratia, generatio ignis ad ignem genitum; debet sanè intelligi; si enim accipiatur generatio, vt prior genito, tunc generatio formaliter nihil aliud est in sensu causa generans, & præcisè ipsum absolutum causæ, quæ nihil aliud facit nisi ponere in esse genitum, quod habebat in virtute, quo posito sequitur relatio causati ad causam, & è contra; si verò accipiatur formaliter actio, vel generatio pro relatione, qua generans dicitur agens, talis non est prior genito, neq; mediat inter generatum, & generans; tantum enim absolutum causæ ponit in esse absolutum effectus, & statim quasi posterior sequitur relatio, quæ dicitur actio.

Aliter etiam posset dici, & est ferè idem, quòd duplex est principium, scilicet, quod, & quo, principium quod est ipsum suppositum agens, principium quo est duplex, formale, & fundamentale, formale est, quo producens dicitur producens, fundamentale est natura ipsius producentis, vel forma. exemplum, ignis calefacit aquam, principium quod calefaciens est ipsemet ignis, ignis enim calefacit, principium quo formale est calefactio ipsa, nam calefactione formaliter dicitur ignis calefacere, principium quo fundamentale est calor, nam ignis calore calefacit; quando ergo dicitur, quòd principium est prius termino producto, dico, quòd verum est de principio quod, & quo fundamentali, non autem de principio quo formali.

Secundo arguitur. Nullus respectus est vltimus finis, & vltima perfectio potentiæ actiuæ, sed actio est vltimus finis, & vltima perfectio potentiæ actiuæ, ergo, &c. Maior patet, & minor est Philosophi 9. Metaphysicæ. Non enim videmus, vt habeamus visum, sed è conuerso, ideo habemus visum, vt videamus.

Respondetur, quòd respectus sumitur dupliciter, vno modo secundum se, & formaliter, scilicet, vt excludit terminum, vt calefactio potest accipi prout excludit calorem productum; altero modo potest accipi non vt excludit, sed vt aliquo modo terminum includit, & tunc dico, quòd licet actio non sit perfectio vltima, nec finis alicuius potentiæ, vt actio terminum excludit, sicut nec aliquis alius respectus, est tamen perfectio vltima ratione vltimi termini, quem attingit.

Tertio arguitur. Actio & passio ex Arist. 3. Phy. est idem motus, sed motus cum sit eadem forma in fieri, quæ postea est in facto esse, est quid absolutum, ergo actio non est relatiua, sed quid absolutum. Respondetur, quòd dupliciter sumitur actio, & passio, materialiter, scilicet aut formaliter; materialiter accipitur pro illa forma, quæ fluit, & pro motu, quo peruenitur ad formam, atque ita caliditas in aqua, quando producitur dicitur calefactio, & de hac est verum dicere, quod idem motus est actio & passio; actio autẽ & passio, vt sic non constituunt diuersa prædicamenta, & dicitur actio forma, quia est effectus agentis, & dicitur passio, quia non est in potestate recipientis illam non recipere, si seruãda seruentur: actiuo. n. & passiuo

debitè approximatis, & non impe itis necessariò sequitur actio; si verò actio, & passio accipiantur formaliter dicunt relationes primò diuersas constituentes diuersa prædicamenta; quatum actio est subiectiuè in agente, passio verò in patiente, de quibus vt sic non est verum dicere, quod sunt vnus motus, neque motus.

ARTICVLVS II.

Vtrum actio, quæ ponitur genus distinctum sit forma absoluta coæua illi in quo est, scilicet agenti.

Conclusum est, quòd actio non est aliquod absolutum nouum neque in agente, neque in passo, sed quia posset quis dicere, quod actio est quædam forma absoluta coæua agenti, id est ipsi agenti semper immanens, & per consequens non sequitur, quòd agens mutetur, cum illam de nouo non recipiat, ideo ostendit Doct. sub eadem litter. B. §. Nec potest poni, quòd actio non potest esse forma absoluta coæua agenti, idque probat authoritate Authoris 6. principiorum, & duabus potissimis rationibus; & primo arguitur sic. Si actio esset forma absoluta coæua agenti sequeretur, quòd esset actio, & tamen non esset aliquod passum, consequens est falsum, & contra Authorem. 6. principiorum, ergo & antecedens; consequentia probatur: quia non est passum, nisi quando agens ipsum transmutat, sed agens non semper transmutat, quia non semper agit, & tamen per te agens semper habet actionem, vt formam sibi coæuam, ergo erit actio quando nullum erit passum; falsitas consequentis patet, per definitionem actionis traditam ab Authore 6. principiorum. Actio est, secundum quam in id, quod subijcitur agere dicimur, ex qua definitione, habetur, quod actio nedum requirit agens, quod agat, sed etiam passum, in quod agat.

Præterea hoc idem probatur ratione. Non est vniformiter actio, quando nihil agitur, & quando aliquid agitur, sed si actio esset forma absoluta coæua agenti daretur actio vniformiter actiun agente, ac non operante, ergo non potest dici, quòd actio sit forma absoluta coæua agenti; maior probatur, quia si quando nihil agitur, agens æquè agit, sicut quando aliqui de agitur, ergo non est maior ratio quare illud postea sit; quando scilicet, agens agit, quam modo, quando agens non agit, non enim aliquid fit nisi quia agēs agit; minor patet, quia si actio est coæua, & immanens continuo agenti, sequitur quòd agens nunc ita agit, sicut postea quando res accipit esse; quæ sunt inconuenientia, & absurda: Vnde sequitur, inquit Doct. quòd non videtur intelligere rationem, seu naturam actionis, qui ponit eam ita absolutam, quod simpliciter nullum respectum habeat ad productum, vel passum; Imò nec actio in diuinis est, quin semper per eam aliquid, vel aliquis accipiat esse; nec Deus semper egit actione ad extra æquè ante mundum, sicut in creatione mundi.

Præterea secundo. Si actio esset forma absoluta coæua subiecto, vel poneretur in agente vt in subiecto, vel in passo, sed in neutro istorum potest poni, ergo &c. Maior patet, & minor probatur: quo ad vtramque partem; & primo non potest poni in agente, quia sequeretur, quòd numquam aliqua actio inciperet, vel desineret esse, nisi quando forma actiua ad illam actionem incipit, vel desinit, & tunc quamdiu calidum est calidum manet calefactio; & per consequens quando calidum impeditur à contratio non minus, imò æquè agit, sicut quando non impeditur; atque ita agit, quando terminus est inductus in passum, sicut antequam sit inductus, sed agit ad illum inducendum, & æquè semper manet actio post inductum terminum sicut ante, quæ sunt valde absurda.

Secundo probatur, quòd non possit poni in passo, quia ponere actionem esse formam absolutam, & in passo coæuam sibi est omnia irrationabile, quia destructo agente, adhuc esset actio eadem in passo, in ò idem passum pateretur simul à contrarijs actionibus, si potest successiuè à contrarijs agentibus pati, quod est absurdum.

ARTICVLVS III.

Vtrum actio, quæ ponitur genus distinctum sit respectus, & relatio.

Hæc quæstio tangitur à Doct. subt. sub litt. C. & F. pro cuius explicatione obseruandum est primo, quòd respectus est nomen æquiuocum, non enim dicit vnam rationem quidditatiuam omnibus respectibus communem, aliàs non poneretur, nisi vnum genus respectiuum; atque ita non nisi quatuor prædicamenta. Si ergo debet saluari illa famosa diuisio prædicamentorum, quę ponitur ab Aristot. in lib. prædicamentorum, & 7. Meta. sicut seruanda est; quia secundum Auicen. 3. suæ Meta. cogimur obseruare illam diuisionem prædicamentorum, famosam, qua dicuntur esse 10 generalissima, cogimur inquam propter Philosophorum antiquam authoritatem, cui non debet faciliè contradici, necesse est dicere, quòd respectus habeat sufficientes rationes formales, sufficientes inquam ad distinctionem generum: hæc autem differentia sufficiens ad istud, quæ probabiliter colligitur ex dictis Authorum est respectus extrinsecus, & intrinsecus aduenięns.

Secundo obseruandum est, quod illæ dicitur respectus intrinsecus aduenięns, qui necessariò consequitur ambo extrema in actu posita, vel quod idem est, qui necessariò consequitur suum fundamentum termino non excluso, sed posito; Non dicitur autem intrinsecus aduenięns ratione extremorum, sed quia per aliquam potentiam est impossibile, quod positis fundamento, & termino non consurgat talis relatio, etiam in quacumque distantia posita, vt posito albo Romæ, & producto alio albo Atenis necessario insurgit relatio, id est, similitudo, & per nullam potentiam potest impediri, & ratio est: quia vt dicit Doctor, eadem productione, qua producuntur extrema, producitur relatio; Respectus autem extrinsecus aduenięns est, qui non consequitur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita, ex quo sequitur, quòd respectus intrinsecus, & extrinsecus aduenientes distinguuntur per hoc, quod est necessariò consurgere positis extremis, vel non consurgere necessariò, qui enim necessariò consurgunt extremis positis in actu appellantur respectus intrinsecus aduenientes, qui verò non consurgunt, necessariò extrinsecus aduenientes.

Tertio obseruandum est, quòd hæc respectuum differentia est magis Theologica, quam Philosophica, nam secundum communem cursum naturæ positis extremis cuiuscumque relationis semper consurgit relatio; cæterum de potentia absoluta Dei relatio extrinsecus adueniens potest non insurgere etiam positis extremis, vt paret de igne, & tribus pueris, nam in fornace ignis ardentis erant extrema actionis, & passionis, & tamen nulla fuit actio, vel passio, quia Deus suspendit actionem causæ secundæ, quæ nō causat, nisi prima coagat, atq; adeo diceret Philosophus, quòd ideo relatio dicitur extrinsecus aduenire, quia non consurgit, nisi mediante extremorum approximatione, quæ ab extrinseco fit, vt patet inducendo per omnia illa sex prædicamenta, de quibus agit Author sex principiorum. Ad relationem autem intrinsecus aduenientem non requiritur extremorum approximatio: nam posita albedine in isto, & in illo, siue sint approximata, siue non, non sunt minus similia secundum albedinem.

Posset etiam alia ratione assignari discrimen inter respectum intrinsecus aduenientem, & respectum extrinsecus aduenientem, quia respectus extrinsecus aduenientes est illæ, cuius alterum extremorum est perfectio extrinsecæ alterius, vt agens aliquo modo extrinsecè perficit passum, & locus locatum, & habitus subiectum suum, & quando rem temporalem; sed respectus intrinsecus aduenientes est illæ, cuius vnum extremum non perficit extrinsecè alterum, sicut patet discurrendo per omnes modos relationis; non enim duplum perficit dimidium, nec è contra, licet relatio duplicitet sit perfectior relatione dimidij; similiter pater in quantum pater non perficit filium, licet perficiat ipsum per actum generationis, per quē filius accipit esse, non tamen perficit ipsum per respectum paternitatis.

Quarto obseruandum est, quod agens creatum habet respe-

respectum ad terminum primum, siue totalem, qui dicitur productum, & ad terminum, qui est forma inducta, vel educta, & ad subiectum illius formæ, quod est passum, seu transmutatum; quod autem isti tres respectus sint alij, & alij probatur primo, quia sunt ad alios terminos. Aliud enim est terminus totalis ipsius generationis, qui est ipsum compositum, aliud est forma, quæ inducitur in materia, aliud est subiectum, siue materia substentificans formam, respectus autem distinguuntur ad distinctionem terminorum, nam cum terminus dicitur esse causa relationis, seu respectus, si vnus terminus causat sufficienter, & adæquate ipsam relationem, non poterit idem essentialiter, & primo dependere a duobus, quia impossibile est eumdem effectũ dependere a duabus causis totalibus, & sufficientibus, atq; adeo vbi sunt diuersi termini, erunt alij, & alij respectus, primus respectus appellatur productio actiua, secundus inductio, vel eductio actiua, & tertius transmutatio actiua, siue actio, qua agens formaliter agit: probatur secundo, quia respectus correspondentes è conuerso sunt alij, & alij, nam his tribus respectibus actiuis correspondent tres respectus passiui, vnus in termino totali, qui appellatur productio passiua, alius in termino formali, seu in forma, qui appellatur inductio, vel eductio passiua, tertius in subiecto siue in materia, qui appellatur transmutatio passiua, siue passio; respectus producti ad producens est sicut dependẽtis ad illud, ad quod dependet, & hoc simpliciter secundũ esse suum, sicut simpliciter accipit esse. i. penes primum respectum passiuum terminus totalis producitur per se, & primo respectus autem transmutabilis ad transmutantem non est respectus simpliciter dependentes secundum esse; transmutabile namque secundum esse sui simpliciter concurrit cum agente vt concausa, & non accipit esse simpliciter ab ipso, sed tantum accipit esse secundum formam, quæ inducitur; respectus etiam producti, & inducti patet, quod sunt alij, & si vterque sit dependentis ab ipso producente, quia illud primo dependet, quod accipit primo esse; illud autem secundario, vel per accidens dependet, quod secundario accipit esse, & hoc est eductum, vel inductum. Cum ergo penes primum respectum producatur terminus totalis primo & per se, per quem respectum forma non producitur nisi per accidens, sed bene primo, & per se inducitur, patet quod respectus producti, & inducti sunt alij. Cum etiam penes tertium respectum subiectum transmutetur, & patiatur, & ab hoc respectu denominari nequeat terminus totalis, neque formalis, quia falsum est dicere, quod cõpositum substantiale transmutetur, & similiter de forma, sequitur, quod tertius iste respectus est alius, & distinctus ab alijs duobus. Cum ergo isti tres respectus passiui distinguãtur inter se, & sint alij, & alij, sequitur etiam quod tres respectus actiui, quibus illi tres passiui correspondent sunt alij, & alij.

Quinto obseruandum est, quod istorum trium respectuum ex parte agentis, duo primi, scilicet producentis ad productum, & inducentis ad inductum non sunt extrinsecus aduenientes, quia vel agens non habet relationem realem ad productum, vel inductum, vt patet de Deo producente creaturam, vel aliquid increatum, nimirum habitus supernaturales in anima, vel si habet relationem, ipsa relatio necessario consequitur fundamentum posito termino, & hoc manifestius apparet in respectibus passiuis correspondentibus, scilicet in respectu consequente in producto, vel educto, quod, scilicet non est extrinsecus adueniẽs, quia necessario sequitur fundamentum posito termino, ille autem tertius respectus, qui est ad passum est extrinsecus adueniens, quia bene possibile est actiuum, & passiuũ, vt subiectum esse etiam, vt approximata, & tamen non habere illum respectum, quod agens sit illud, a quo transmutatur, vel illud ab ipso transmutetur, vt porẽ si est aliquid impediens actionem, vt patet de tribus pueris in camino ignis ardentis.

Sexto obseruandum est, quod istorum respectuum talis est ordo, quod primo est respectus agentis ad passum, secundo educentis ad eductum, vel inducentis ad inductum, quando enim forma educitur de potentia materiæ, tũc est respectus educentis ad eductum, quando verò forma non educitur, sed virtute agẽtis inducitur dicitur respectus inducentis ad inductum formæ enim sunt duplices, quædam quæ de potentia subiecti educuntur, vt calor in aqua, quædam inductæ, vt anima rationalis, charitas, & cæteri habitus infusi. tertio loco est respectus producentis ad productum; respectus agentis, qui est productio actiua ad totalem terminum productum, & respectus inductionis actiuæ ad formam inductam sunt respectus de genere relationis, quia non potest poni agens, & terminus totalis in fieri, aut ipsa forma, quin tales respectus de necessitate oriãtur, sed respectus agentis ad subiectum transmutatum cum sit extrinsecus adueniens, vt dictum est, est de genere actionis, & consimiliter dicendum est de respectibus passiuis correspondentibus istis actiuis. ita Scot. in hac q. sub litt. f. §. vlterius.

Ex his ponitur concl. responsiua ad quæstionem, actio est respectus extrinsecus adueniens, probatur primo quod sit respectus, illud quod essentialiter est ad aliud est essentialiter respectus, sed actio est essentialiter ad aliud, ergo est essentialiter respectus; maior patet per Arist. in prædicamento ad aliquid, vbi inquit, quod illud quod non potest in se concepi nullo alio concepto est essentialiter relatio; minor probatur, quia impossibile est concipere actionem, quin cõcipiatur aliquid, quod fit per ipsam, ergo &c. Et confirmatur per Phy. 5. Met. t. c. 17. Qui diffinit potentiam actiuam esse principium transmutandi, ita actio, quæ est actus potentiæ actiuæ erit transmutatio alterius. id est, passi, inquantum alterum est, & per consequens actio est habitudo agentis ad passum transmutatum, habitudo autẽ intelligi nequit sine extremis, ergo est respectus, & relatio. *Conclusio.*

Secundo probatur, quod sit respectus extrinsecus adueniens. Omnis respectus, qui nõ necessario consequitur extrema etiã ambo posita in actu est respectus extrinsecus adueniens, per hoc enim distinguitur a respectu intrinsecus adueniente, vt supra dictum est, sed actio est huiusmodi, nam posito actiuo, & passiuo non sequitur actio, quia potest impediri, vel propter distantiam, vel propter contrarium agẽs impediens, esto quod sint approximata, ergo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actio respectus sit in agente, vel in passo.

RAtio dubitandi est, quia Philosophus 5. Phy. t. cap. 22. vult quod actio, & passio fundantur in motu, & quod non distinguũtur formaliter nisi per esse ab hoc, & in hoc, sed motus est in passo, ergo actio est in passio. Et confirmatur quia Arist. 5. Phy. dicit quod ad actionem non est actio quia ad motum non est motus; ista consequentia nulla esset nisi diceretur, quod actio esset motus. præterea si actio respectiua recipitur in agente, cum actio realiter distinguatur ab agente, & recipiat ipsam, ergo omne agens in quantum agens mouetur, & semper moueretur, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela, omne quod recipit aliquam formam de nouo post eius priuationẽ mutatur, seu mouetur, sed agens respiciens ipsam actionem recipit formam realiter distinctam ab ipso agente, & transit de priuatione illius formæ ad ipsam formam, ergo realiter mutatur, & propter hoc dixit Arist. 3. Phy. actionem esse in passo, & non in agente, quia tunc agens moueretur. Item Arist. 5. Phy. t. c. 13. videtur probare quod actio non recipitur in agente, quia si reciperet actionem hoc esset mediante actione, & illa actio iterum reciperetur mediante alia actione, & sic in infinitum.

Præterea si actio reciperetur subiectiue in agente, sequeretur quod vni actioni correspondeterent duæ passiones, probatur consequentia, certum est, quod omnis receptio alicuius formæ est passio, sed agens recipit formam, quæ est actio respectiua, ergo recipiendo ipsam patitur. secundo actio acta recipitur in passo, receptio autem illius actionis adhuc est passio, ergo actioni respectiuæ correspondent duæ passiones, quarum vna est receptio actionis respectiuæ, alia est receptio actionis productæ, atque ita duæ passiones.

Pro solutione huius difficultatis obseruãdum est, quod actio capitur duobus modis, vno modo pro actione respectiua, alio modo pro actione acta, & producta, actio respectiua, vel est ad terminum transeuntem extra agens, vel ad *Actio est duplex.*

termi-

terminum manentem in agente, si primo modo dicitur trãsiens, si secundo modo dicitur immanens, & non dicitur transiens ratione sui, quia ipsa recipiatur extra agens, sed ratione termini producti per ipsam, secundo modo dicitur ratio immanens, & ratione sui, & ratione termini; actio alio modo potest capi pro actione acta, & producta, & illa est terminus prioris actionis, quæ si manet in agente dicitur immanens, vt sunt operationes potentiarum, si recipiatur extra agens est transiens. In proposito est sermo de actione respectiua, de qua pono hanc conclusionem.

Conclusio. Actio respectiua quæcumque est subiectiue in agente. probatur. In eodem est formaliter, & per se respectus, in quo est suum fundamentum, vt patet in omnibus; sed fundamentum actionis est potentia actiua, qua per se agens agit; sicut fundamentum passionis est per se potentia passiua, qua patitur, & recipit, ergo &c. Præterea respectus oppositi non sunt necessario, & vniuersaliter loquendo, & per se in eodem, sed actio, & passio sunt respectus formaliter oppositi, ergo non possunt esse in eodem, cum ergo passio sit in passo, actio non erit in passo, sed in agente. *Bassolus.* Bassolus in 1. d. 7. q. 4. art. 2. dicit, quod hæc ratio non cõcludit, quia actio, & passio non sunt respectus oppositi, tum quia sunt alterius, & alterius generis, tum quia non sunt simul natura, quia actio cum sit causa passionis, vt dicit Auctor sex principiorum, est prior natura ipsa passione, atq; adeo dicit, quod sunt respectus disparati non oppositi. Ideo arguitur aliter. Quorumcunque principiorum effectus sunt incompossibiles, & ipsa principia sunt incompossibilia, sed ita est, quod effectus actionis, & passionis sunt incompossibiles in eodem, ergo &c. probatur minor. Agere est effectus formalis actionis, & pati est effectus formalis passionis, sed ita est quod agere repugnat pati, sicut passum repugnat agenti, ergo & principia istorum erunt incompossibilia, atque ita actio non erit incompossibilis passo, neque recipietur in ipso.

Præterea quæcumque referuntur mutuo relatione reali, referuntur proprijs relationibus existentibus in ipsis formaliter, sed ita est, quod agens refertur ad passum relatione reali, & refertur per actionem, & per respectum actionis, ergo talis respectus fundatur in agẽte, maior probatur tum quia relatio habet referre proprium fundamentum, tum quia alioquin relatio non esset mutua. Vnde in hoc distinguitur relatio realis a relatione rationis, quia relatio rationis non est in fundamento, quod refertur per ipsam, sed bene relatio realis.

Item impossibile est aliquam formam esse in aliquo subiecto, nisi communicet suum esse formale subiecto; quia forma dum est in aliquo subiecto informat ipsum, & informando dat esse formale, & vlterius constituit ipsum in esse formali, sicut albedo si est in substantia necessario constituit substantiam in esse albo; sed per te actio respectiua recipitur in passo, ergo omne passum aget, & erit agens per talẽ actionem. Dicendum est ergo, quod actio est respectus extrinsecus adueniens, & in agente vt in subiecto, in forma autem, quæ dicitur potentia actiua, vt in fundamento proximo, similiter passio dicit respectũ oppositum correspondentem isti, & in passo vt in subiecto, & in potentia passiua vt in fundamento proximo. Hæc docet Doct. in hac quæst. sub lit. D. & E.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primũ dicitur, quod actio, & passio fundantur in motu concomitanter, concomitantur enim motum, vel sunt in motu, capiendo motum pro materiali, diuersimode tamen, quia actio est in motu, id est, in illa forma producta terminatiue, & passio quasi subiectiue. Pro huius solutionis intelligentia obseruandum est, quod verba Arist. 3. Phy. t. c. 22. vbi dicit, quod doctio, & doctrina non sunt idem, neque actio cum passione, sed cui insunt hæc, sic debent exponi saluando litteram prout iacet, nam alia littera alusque textus habet, cui hæc insunt motus inest, & hoc est verum quia actio est in passo terminatiuè, quia terminatur ad passum, passio autem subiectiue est in passo, & in eodem subiecto recipitur motus, qui est forma fluens, ergo cui insunt hæc duo, scilicet actio & passio, vnum terminatiue, & alterum subiectiue, motus est. Sed stante littera dicimus, quod cui hæc duo sunt (non quidem subiectiue, vt in subiecto, seu in fundamento) quia nec passio de genere passionis inest motui, vel fundamento, quia respectus fundatus super motum ad agens est intrinsecus adueniens, cum motus (accipiendo motum pro forma fluente) sit forma ipsa inducta, vel educta, sed cui insunt hæc, vnum terminatiue, vt dictum est, & alterum subiectiue, terminatiue, vt actio, quasi subiectiue, vt passio, quia passio concomitatur motum in eodem subiecto, passio enim fundatur in mobili, in quo fundatur etiã motus, atque adeo sequi videtur, quod actio insit motui, non quidem tamquam in fundamento sed concomitãter subiectiue, quia in quocumque est vnum tamquam in subiecto, & reliquum, & hæc responsio est Doct. in hac q. sub litt. M. § & si obijcias.

Ad confirmationem dico, quod Arist. in 5. Phy. non probat ad actionem non esse motum per hoc medium, quod actio sit motus, sed per simile, videlicet si ad motum nõ est motus, ergo neque ad actionem est actio, consequentia patet a simili, & tunc vltra, ad actionem non est actio, ergo ad actionem non est motus, ista consequentia patet, quoniam ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis. Da enim quod actio sit motus (cum motus sit necessario causatus ab aliquo agente) ergo motus præsupponit actionem, atque adeo sequitur, quod si ad actionem sit motus, quod ad actionem sit actio. Vlterius sequeretur processus in infinitum, quia si ad actionem est motus, & causa motus, vel effectiua, vel formalis, qua agens agit est ipsa actio, igitur actionis est actio, & tunc vltra, aut illa actio, quæ est causa motus præsupponit motum, aut non. si non, pari formiter standum erat in prima, & dicendum erat, quod ad actionẽ non erat motus, si sic, ergo præsupponitur aliqua actio prior, & tunc quæritur de ista vt prius, & tunc aut erit processus in infinitum, aut stabitur ad hoc, quod ad actionem non est motus. Potest etiam dici, quod argumentum Arist. tenet per locum a minori, videlicet ad motũ non est motus, ergo ad actionem nõ est actio. motus enim est actus potentiæ passiuæ, actio autẽ potẽtiæ actiuæ, si ergo potentia passiua sine motu præcedẽte potest exire in actũ suum, qui est motus, multo magis videtur quod potentia actiua possit exire in actionem nulla actione præcedente, & tunc post modum sequitur propositũ Philosophi, quod ad actionem non est motus, ex quo ad actionem non est actio.

Ad secũdum dico, quod quando Arist. dicit quod actio est in passo, loquitur de actione acta, & nõ de actione, quæ est genus distinctum contra passionem accipiendo actionẽ pro respectu, actione aliquid est formaliter agens, sicut relatione est formaliter relatum, atque ita necesse est, quod illud principium quo sit intrinsecum illi, siue sit in illo formaliter, quod dicitur esse tale per ipsum, sicut similitudinẽ qua aliquid appellatur simile necesse est esse formaliter in eo quod dicitur simile, quemadmodum, & paternitatem necesse est esse formaliter in eo, qui denominatur pater, cũ ergo agens actione dicatur agere, sequitur quod actio formaliter sit in agente, cum ipsum formaliter denominet, appellat autem formam productam Arist. passionem, quia quando sunt aliqua duo, quorum vnum intelligitur, & cognoscitur ab intellectu altero ignorato, vel vnum est manifestius altero, illud, quod est immanifestum, habet significari, & declarari per illud, quod est manifestum, vt docet Doct. in q. 8. lib. de anima. respectus passiuus, qui est transmutatio passiua, siue passio est nobis immanifestior forma acta, & forma producta est nobis manifesta, atque adeo *Scotus.* respectus habet significari nomine ipsius formæ, forma autem talis dicitur actio, quia effectiue est ab actione trãsmutatiua, ergo totum includens respectum, & formam significabitur nomine actionis. Quod si tu quæras, vnde est, quod forma producta denominatur actio? Respondetur, quod effectus quandoque immanifestus nominatur nomine causæ, vbi causa est manifesta, quandoque ẽ conuerso circumloquimur ipsam causam per nomen impositum effectui, sicut charitas est quidam habitus voluntatis, vt dicit Theologus, quem ignoramus, ipsum significamus per effectum, charitas enim idem est quod dilectio. Sic enim in proposito, actio, quæ est quædam forma respectiua est formaliter, & fundamentaliter in agente loquendo de actione, quæ est genus, ipsam tamen formam respectiuam ignoramus, & quia intelligimus, & cognoscimus effectum significamus ipsam per effectũ, & dicimus quod effectus est actio, quia effectiue est ab actione. Hoc apparet etiã 2. Ethic. vbi dicitur, quod actus imperatus a voluntate est elictio,

ctio, non quidem quod sit formaliter electio, quia actus, qui est formaliter electio est ipsa volitio, sed est electio, q a effectiuè, & causaliter est ab electione.

Et si dicatur, quod ex hac responsione sequi videtur, quod actio acta includens respectum ad agens, qui importatur per esse ab, est actio, & iste respectus importatus per esse ab est respectus de genere passionis, quia ly esse ab importat idem, quod esse ab agente in quantũ est trãsmutãs, sed sic importare est importare trãsmutationem passiuam, ergo ly esse ab, importat respectũ de genere passionis. quod videtur esse contra Arist. 3. Phy. t. c. 22. vbi distinguit actionem per esse ab, ab ipsa passione, volens quod actio, & passio sint idem, sed distinguuntur solam per istas habitudines, quæ importãtur per esse ab, & per esse in, cum ergo actio acta quantum ad istam habitudinem, quæ est esse ab distinguitur a passione, non importabit respectum passionis secundum istam habitudinem, atque adeo actio producta incongrue appellabitur passio. Respõdetur, quod Arist. dicens quod esse ab, in actione distinguitur a passione, non loquitur de actione, quæ est genus, & prædicamentũ, sed de actione, quæ est forma producta, & terminus actionis, prout actio est prædicamentum, & quod sit verum apparet ex textu ca. 19. cum enim præmisisset, quod necesse est aliquem vnum actũ esse actiui, & passiui, & dixisset quod actus actiui est actio, actus passiui est passio, probando primum, scilicet quod actio sit actus, subdit, opus enim, & finis est actus huius. s. actiui, actionem igitur appellat ipsum opus operatum, & finem actionis agentis, tale opus operatum est ipsa forma producta, quæ vt in fluxu, & vt fluens est motus materialiter sumptus. Ista autem forma pro quãto est ab agente, & est effectus eius appellatur actio; pro quanto autem recipitur in passo appellatur passio. Vnde esse ab agente, & recipi in passo sunt distinctæ habitudines, & ad diuersos terminos, alia enim habitudo est esse aliquid, per quod passum transmutatur ab agente, & alia est habitudo esse aliquid, quod recipitur in passo, quilibet tamen istorum respectuum est de genere passionis, quorum vnus est transmutatio passiua, vel ratio secundum quam aliquid transmutatur passiue. Alius respectus passiuus est formę receptibilis ad ipsum passum, vt receptiuum, per primum respectum distinguitur actio acta a passione, quam circumloquitur Arist. per istam habitudinem, quæ est esse in, vnde non distinguit Arist. actionem a quacumque passione, seu respectu passionis, sed solum ab illa, quæ importatur per esse in, quia respectus passionis euidentius importatur per talem habitudinem. ita Scotus in hac q. sub litt. k. §. etsi obijcias.

Vel dici potest, quod esse ab hoc potest accipi æquiuocè; vno modo vt est relatio opposita ei, quod est a quo aliud, & tunc debet intelligi aliquod præcedens, quod specificatur per ab hoc vt potè, qui ab hoc, vel quod ab hoc, & hoc modo ab hoc non pertinet ad genus actionis, sed magis respectus oppositus. s. a quo aliud: alio modo ab hoc accipitur non vt determinat aliquid præcedens, & tunc idem est cum isto respectu a quo, & hoc modo concedi potest pertinere ad genus actionis, sed isto modo non est motus, qui est in passo, nisi tantùmodo terminatiue, vult dicere Doc. in hac responsione, quæ habetur sub litt. L. §. Aliter potest dici. Quod formale in actione secundum Arist. est esse ab hoc, quod bifariam intelligi potest, vel vt esse ab hoc dicit respectum passiuum, vel vt importat respectum actiuum, primo modo importat idem, quod esse ab aliquo, & hoc pertinet ad genus passionis, secundo modo significat idem, quod esse illud, a quo est aliud, & vt sic esse ab hoc est formale in actione, prout actio est prædicamentum, & genus, nam actio, quæ est prædicamentum est secundum quam ab aliquo est aliquid, passio vero secundum quam aliquid est ab aliquo, modo esse aliquid, secundum quod aliquid est ab alio, & esse aliquid secundum quod ab aliquo est aliquid sunt rationes distinctæ, atque ita accipiendo esse ab hoc, prout importat, respectum actiuum, & actionem de genere actionis, & esse ab hoc prout importat respectum passiuum, & passionem de genere passionis, ista non sunt idem realiter, & entitatiue, sed sunt idem, quia habent aliquid idem materialiter, motus enim qui est forma fluens est id ad quod actio terminatur, atque ita actio est motus materialiter, & terminatiue, nam de ratione materiæ est terminare agẽtis actionem, cum ergo motus actionem terminet erit quid materiale in actione, passio similiter est motus materialiter, & subiectiue, non quod passio fundetur in motu, sed quia passio, & motus se in subiecto concomitantur eodem, ratione cuius idem materialiter, & subiectiue dicũtur: nam sicut motus est in mobili, ita passio est in mobili subiectiuè. Et hoc sufficit, inquit Doct. ad saluandum verba Arist. nam ibidem vult, quod actio, & passio sint idem, sicut via ab Athenis ad Thebas, & e conuerso, quod est intelligendum de via accepta pro ipsa magnitudine materiali, & non pro ipso motu facto super illam magnitudinem, motus enim hinc illuc, & illinc huc sunt diuersi, & alij penes diuersos terminos, alius enim est motus, vt est ab Athenis ad Thebas, & alius, qui est e conuerso, licet sint idem materialiter, hoc patet per aliud exemplum, quod ponit ipse de distantia hinc illuc, & illinc huc super idem spatium, quia licet sit eadem distantia a sursum in deorsum, & e contra, non tamen idem distare: quoniam distare non tantum importat distantiam, & magnitudinem, sed etiam connotat terminos distantiæ. Ita ad propositum actio, & passio sunt vnus motus materialiter; motus enim est illud, per quod dicitur agens per respectum ab hoc, intelligendo per ab hoc respectum a quo. Agens enim secundum Arist. est agens per istum respectum actiuum, qui est esse a quo, qui respectus est motus materialiter terminatiue, actio enim terminatur ad motum. Similiter passio est idem motus materialiter, & subiectiue iuxta modum supra explicatum. Quod autem actio sit in agente subiectiue (loquendo de actione respectiua) & passio in passo apparet per textum Arist. 18. vbi dicit, oportet autem inesse actum vtriusq; s. motiuo, & mobili, mobile enim est in ipso posse, mouens autem in operari, ergo illum actum mouentis, quem ponit operari, id est, ille actus, qui est operari vult inesse moueuti, & per consequens isti duo respectus, alter qui fundatur in mouente, & alter qui fundatur in mobili, qui vt diximus significantur per esse ab hoc, habent aliquid idem materialiter, vt motum, sed formaliter sunt alij, & in alijs subiectis.

Ad argumentum ergo negatur consequentia, & cum dicitur. Omne quod recipit aliquam formam de nouo mutatur, dico secundum Sco. in 2. d. 1. q. 5. quod duplex est mutatio, quædam ad se, & quædam est mutatio ad alterum, mutatio ad se est ad formam absolutam, quæ acquiri potest propria acquisitione aliquo alio non acquisito; mutatio ad alterum est respectu formæ, quæ acquiritur aliquo alio acquisito. Arist. non ponit ad aliquam formam esse motum, nisi quæ potest per se acquiri, & ideo negauit ad relationẽ esse motum, quia relatio non potest acquiri nisi aliquo absoluto acquisito in aliquo. Si loquamur de mutatione in se nego quod omne illud, quod recipit aliquam formam mutetur ad se, nisi illa forma sit ad se hoc est absoluta sed si forma sit forma ad alterum, concedo, quod tale recipiens talẽ formam mutetur ad alterum, actio autem nõ est forma absoluta, & ad se, sed est forma ad alterum, quia ad terminũ productum, atque ita recipiens actionem mutatur ad alterum, hoc est actio non aduenit ipsi recipienti nisi per hoc, quia terminus aliquis productus absolutus alicui alteri acquiritur, & ita mutatur ad alterum. Motus autem; aut mutatio propria secundum Arist. non est ad formam respectiuam præter vbi, sed ad formam absolutam.

Scotus.

Mutatio est duplex.

Vel aliter quod mutari est aliter se habere nunc quam prius, & hoc dupliciter, quia omnis mutatio proprie est de duplici opposito in duplex oppositum videlicet de priuatione mutationis ad mutationem, & de priuatione termini ad quem ad ipsum terminum, atq. ita mutatio est de opposito termini ad terminum, accipiendo totalem rationẽ mutationis, cum ergo dicitur omne illud, quod recipit aliquam formam de nouo &c. dico quod omne illud, quod habet nunc aliquam formam, per quam transit de opposito in oppositum mutatur, sed agens non sic se habet ad actionem; quoniam actio sic in agente recipitur, quod nihil positiuum ab illo abijcitur, atq. adeo licet agens transeat de priuatione ad habitum, quia de non agente fit agẽs, cum non transit de termino positiuo ad terminum positiuum, & ideo non mutatur proprie, licet de nouo habeat aliquam formam, quam prius non habuit; e contrario autem passum recipiens passionem mutatur proprie, quia sic passio in eo recipitur, quod aliquod positiuum ab eo expellitur, & ideo transit non solum de priuatione ad habitum,

Aliquid mutari contigit dupliciter.

Digitized by Google

tum, sed etiam ab opposito contrario in oppositum contrarium, & ideo omne passum mutatur.

Mutatio est duplex. Vel potest dici aliter, quod mutatio sumitur dupliciter, vno modo stricte, & sic est transitus, vt dictum, est de duplici opposito in duplex oppositum. Alio modo large pro quocunq. transitu etiam de simplici opposito in simplex oppositum; Tunc dico, quod primo modo accipiendo mutationem, maior est falsa. Secundo autem modo accipiendo mutationem maior est vera: non enim omne, quod nunc habet aliquam formam, quam prius non habuit, transit de duplici opposito, videlicet de opposito mutationis ad mutationem, & de opposito termini in terminum, sic in proposito est de agente actionem recipiente; licet enim agens actionẽ recipiens nouiter transeat de opposito actionis, id est, de priuatione eius in actionem, non tamen transit de opposito in oppositum per motum termini, actio .n. non est actionis alicuius, vel mutationis terminus, atq. adeo licet agens mutetur secundum quid, pro quanto transit de opposito actionis ad actionem, non mutatur tamen simpliciter, quia non transit de opposito termino ad oppositum terminum.

Postremo dici potest, quod non est verum, quod omne recipiens aliquam formam mutetur, quod si dicas, quod saltem sequitur quod recipiens actionem patitur; nego cõsequentiam, quia non omne recipere est pati: nam certum est quod actio præcedit passionem, sicut causa natura præcedit effectum: In eo autem instanti in quo agens recipit actionem, nulla est passio, quia in illo instanti naturæ, in quo est prius natura, non est posterius natura, & in eo instanti naturæ, in quo actio aduenit agenti est ipsa receptio, ergo receptio non est passio, quia passio nõ præcedit actionem, sed sequitur actionem. Dico ergo quod omne, quod recipit aliquam formam receptione passionis, & passione insequente actionem patitur; Cæterum quod recipit aliquam formam per simplicem inhærentiam formæ actualem ad ipsum subiectum inhærentis non patitur; nam iste respectus inhærentiæ actionis ad fundamentum est de genere relationis, sicut etiam quæcũq. inhærentia cuiuscunq. respectus est huiusmodi. Ad tertium dico, quod sicut in principijs, quæ se habent vt quod non est processus in infinitum, ita etiam in principijs formalibus, seu elicitiuis (siue sint principia in ratione actus primi, siue in ratione actus secundi productiui) datur status. Vnde obs. est, quod in omni actione veniendum est ad aliquod vnum principium productiuum, quod est ita quod, quod nullo modo potest esse quo, verbi gratia, ignis agens in lignum ita est illud, quod agit, quod nullo modo potest esse alteri quo, siue ratio formalis agendi; Aliquid vero est ita quo, quod nullo modo potest esse quod, verbi gratia potentia intellectiua est ita quo homo intelligit, quod nullo modo potest esse quod intelligit; & sicut datur status in principijs effectiuis, & formalibus, ita etiam in terminis ipsis, qui sunt ab aliquo agente: aliquis enim terminus ita terminat vt qui quod non potest esse alteri ratio terminandi, & aliquis ita est quo, quod nullo modo potest esse qui. Ad propositum autẽ Actio respectiua est illud, quo agens formaliter agit, & est ita quo, quod ei repugnat esse quod non solum in ratione principij, verum etiam in ratione termini; Et propter hoc dixit Arist. 5. phy. quod actionis non est actio, neq. vt termini, neq. vt subiecti; Vnde sicut dicitur de similitudine, quod similitudo non assimilatur, sed est quo aliquid assimilatur; productio non producitur, sed est quo aliquid producitur, albedo nõ est alba, sed est quo aliquid est album, ita dicimus quod actio non agitur, neque agit, sed est quo aliquid agit; atq. ita negatur quod actionis aliquo modo possit esse actio, & quando dicitur quod Arist. scilicet phy. 5. cap. 13. probat per hoc quod actio non sit in agente, quia hoc esset mediante actione, dico quod hoc est falsum, quia de hoc Arist. nullam ibi facit mentionem.

Ad quartũ nego quod vni actioni correspondeant duæ passiones, quod non negatur tãquam impossibile, sed quia non sequitur ex hac positione; & cum dicitur quod actio recipitur in agente mediante aliquo respectu de genere passionis quia ista receptio non est passio, sed recipitur mediante respectu de genere relationis, quæ est ipsa inhærentia actionis ad agens.

ARTICVLVS V.

Vtrum relatione aliquid producatur.

HÆc quæstio pendet ex solutione huius difficultatis, nimirum an productio debeat dici relatio, vel actio. Pro cuius solutione obs. est primo, quod magnum discrimen est inter istos duos respectus .s. actionem, & productionem; Cum enim ignis aquam calefacit duo considerãtur respectus, quorum vnus productio appellatur, qui est respectus ipsius ignis ad caliditatem productam; Alter appellatur actio, qui est ipsius ignis ad aquam recipientem caliditatem; primus respectus est de genere relationis, & est intrinsecus adueniens, quia positis fundamento, & termino necessario sequitur. Secundus est respectus extrinsecus adueniens, & de genere actionis.

Secundo obs. est, quod relatio, & respectus se habent sicut superius, & inferius, quia omnis relatio est respectus, sed non e conuerso: respectus enim dicitur omnis habitudo alicuius ad aliud, at relatio proprie dicitur, & dũtaxat de relationibus, quę ponuntur in prędicamẽto ad aliquid; Cæterum quandoque accipitur relatio, prout conuertitur cum isto termino respectus, & esto quod relatio sit minus communis, quam respectus; non esset tamen minus inconueniens, vel maius ponere illam in Deo, quam respectum; nam omnis ratio, quæ probaret, quod in Deo non est ponenda relatio, probaret etiam quod in illo non est ponendus respectus; & omnis ratio quę probaret quod relatione nihil producitur, probaret etiam quod respectu nihil producitur: nam certũ est quod productio diuina, qua Deus aliquid producit ad extra non est absolutum in eo secũdũ omnes; quia Deus secundum nihil absolutum in se respicit creaturam, atque adeo necesse est omnes dicere productionem illam, qua Deus appellatur producens esse respectũ; sed quid magis inconueniens est dicere, quod relatione producat, quam quod respectu producat? quidquid enim videtur esse contra hoc assertum relatione producit, oportet quod acciperetur ex aliquo medio communi omni respectu, pro vt forma absoluta in genere potest se habere ad productionẽ eo modo, quo nullus respectus potest, id est, sicut ostenditur ex ratione formę absolutę in genere quod hæc forma absoluta potest producere; ita ex ratione respectus in genere ostenderetur, quod nullus respectus potest se habere ad productionem.

Tertio obs. est, quod productum magis formaliter appellatur productum, seu producitur productione passiua sui, quam productione actiua agentis, verbi gratia, quãdo ignis producit caliditatem, duplex potest considerari productio; vna actiua, quę est respectus fundatus in igne & ad caliditatem productam terminatus; & altera passiua, qui est respectus fundatus in caliditate, & terminatus ad ignẽ; & isti duo respectus sunt intrinsecus aduenientes: adeo ꝙ sicut productio actiua non est actio de genere actionis, ita productio passiua non est passio de genere passionis; nam hi duo respectus .s. actio de genere actionis, & passio de genere passionis sunt respectus extrinsecus aduenientes, vt diximus supra; productio vero actiua, & productio passiua sunt respectus intrinsecus aduenientes, quia necessario consequuntur termino, & fundamento positis: productio ergo passiua est relatio proprie dicta, quemadmodum & productio actiua sibi correspondens, & cum productio passiua sit formaliter subiectiue in producto, sequitur, quod productum formaliter producitur productione passiua, sicut producens formaliter producit actiua productione in ipso producente formaliter subiectiue inexistente.

Quarto obseruandum est, quandocumque aliquod abstractum est ablatiui casus, & construitur cum aliquo concreto denominante respectum, semper talis propositio est distinguenda, quia aut est denominatio in ratione principij formalis aut remoti, nam omnis relatio habet aliquod fundamentum, in quo necessario recipitur tamquam in subiecto proximo, velut similitudo, quæ est quædam relatio, habet vnum fundamentum, scilicet qualitatem, in qua immediate recipitur tamquam in subiecto v.g. habet pro fundamento albedinem, hoc autem fundamentum dicitur ratio remota denominandi, relatio verò, quæ fundatur in ipso dicitur ratio proxima; nam si quæratur, quo album dicatur si-

Digitized by Google

tur simile distinguendum est, aut remote, & fundamentaliter, aut proximè, & formaliter; si priori modo quæratur, dico, quod dicitur simile per albedinem, quæ est fundamẽtum similitudinis; si posteriori modo dico quod dicitur simile per similitudinem, nam omne concretum est immediate, & formaliter tale per suum abstractum, vt simile dicitur formaliter, & immediate simile similitudine. Quapropter si dicatur Victorius est similis Ioanni albedine, hęc propositio distinguenda est, quia aut denominatur sic esse denominatione remota, & tunc est vera, quia sensus est, ꝙ albedo est fundamentum similitudinis Victorij ad Ioannẽ, aut denotatur sic esse denominatione proxima, & formali, & ita est falsa, quia album non denominatur simile immediate, & formaliter nisi a similitudine, quia vt dictum est, omne concretum denominatur immediate, & formaliter tale per suum abstractum. Et similiter esset dicendum de ista propositione, Victorius est æqualis Ioanni secundum quantitatem, quæ distinguenda esset vt supra; quia vel illud secundum dicit rationem remotam, & fundamentalẽ, & sic conceditur, quia tunc est sensus, quod quantitas est fundamentum immediatum, in quo recipitur æqualitas, vel ly secundum denotat rationem proximam, & formalẽ, atque ita est falsa, quia nullus formaliter denominatur æqualis nisi per æqualitatem.

1. Conclusio Ex his dico primo, quod relatione aliquid producitur, prout ablatiuus construitur in ratione formæ proximæ denominantis, nam productum formaliter producitur productione passiua, quæ est relatio, & producens aliquid producit formaliter actiua productione, quę etiam est relatio.

2. Conclusio Dico secundo, quod relatione nihil producitur prout ablatiuus construitur in ratione principij formalis remoti, nam principium fundamentale quo producẽdi est forma, seu natura producentis, ignis enim non calefacit fundamẽtaliter calefactione, sed calore, nec calidum fit fundamentaliter calidum calefactione passiua, sed caliditate, vel calore producto, quemadmodum ignis non generat ignem fundamentaliter generatione, sed sua forma substantiali, vel igneitate &c. *Hæc* Doct. in hac q. sub littera P. §. Ad primum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum creatio sit vera actio.

Ad actionẽ tres conditiones requiruntur. PRo solutione huius difficultatis obseruandum est, quod ad veram actionem de prædicamento actionis tres cõditiones requiruntur. Prima quod sit in fieri, siue successiue, siue instantaneè, quæ cõditio tangitur ab Aucto. 6. principiorũ cum dicit, quod omnis actio est in motu, & nõ accipit ibi motum proprie, sed pro quolibet fieri, ex quo sequitur, quod nulla forma permanens, & habens esse quietum in subiecto est actio de genere actionis.

Secunda conditio est, quod actio de genere actionis requirit subiectum, quam conditionem tangit etiam Auct. 6. principiorum cum dicit, quod actio est secundum quam in id, quod subiicitur agere dicimur: siue modo requirat subiectum de quo, vel in quo fiat aliquid, vel in quo corrumpatur aliquid, non tamquam subiectum propriũ, sed tamquam subiectum passionis, & termini formalis ipsius actionis secundum tenentes, actionem esse subiectiue in agente, siue requirat subiectum, ne dum vt subiectum passionis, & termini formalis; sed etiam vt subiectum proprium ipsiusmet actionis secundum tenẽtes actionem esse subiectiue in passo. Certum est, quod actio requirit subiectum, & præsupponit ipsum duratione, vel natura. Tertia conditio est quod habeat habitudinem, vel ordinem in terminum ponendum, vel corrumpẽdum per ipsam, sicut per actum positiuum, vel corruptiuum, tamquam via ad esse positum, vel corruptum, & quodammodo ad non esse, nõ enim semper requiritur, quod actio ponat, vel agat aliquod positiue, sicut dicit Auctor sex principiorũ, est enim aliqua actio vere realis, quæ tamen nihil ponit, sed quod erat positum destruit; nam qui destruit domum nihil videtur facere, sed quod factum est destruit. Vnde concludit Auctor 6. principiorum, quod actio non requirit quid agat, sed in quid agat, id est, actio non semper requirit quid agat, vel producat positiue, sed exigit in quid agat vt in passum. Nam actio de genere actionis, vt superius dictum est, dicit formaliter respectum agentis transmutantis ad passũ transmutatum. Vnde sicut in substantia est quædam mutatio positiua, & acquisitiua, quæ dicitur generatio, & quædam priuatiua, & deperditiua, quæ dicitur corruptio, ita similiter in omni genere motus est duplex actio vna positiua, & acquisitiua, quando scilicet passum transmutatur ad formam aliquam, quam prius non habebat, altera priuatiua, & deperditiua quando passum transmutatur ab aliqua forma, quam prius habebat, & perdit eam, & est actio corruptiua. Vtrobique tamen est actio, quia vtrobique passum transmutatur, licet non vtrobique aliquid positiuum acquiratur, quia actio de sua ratione formali non requirit quid agat, id est, efficiat, vel producat, sed requirit in quod agat, id est, passum, quod transmutet, in actione ergo, qua aliquid corrumpitur, vere manet ratio actionis, habet ergo actio habitudinem in terminum ponendum, vel corrumpendum per ipsam. Ex his dico, quod creatio actiua, quæ denominat Deum creantem non est actio de genere actionis, neque creatio passiua, quæ creaturam denominat est passo de genere passionis, patet, quia actio necessario requirit subiectum, atque ipsum præsupponit duratione, vel natura, sed creatio non requirit subiectum, nec ipsum præsupponit, ergo creatio non est actio de genere actionis. *Conclusio.*

Sed contra. Creatio aut est actio, aut relatio, sed non potest esse relatio, ergo erit actio; maior patet, & minor probatur. Si creatio est relatio, ergo creare est tantum referri, cõsequens est falsum, ergo & antecedẽs, consequẽtia patet, & falsitas consequentis probatur, quia cum creare sit Deũ velle rem esse, sequeretur velle diuinum esse tantum relationem, vel velle diuinum referri, quod videtur inconueniens. Pro solutione huius rationis obseruandum est, nullum esse inconueniens ponere creationem Dei siue actionem esse relationem rationis, cum necesse sit creationem passiuam, quæ creaturam denominat non esse passionem de genere passionis, sed relationem proprie dictam.

Secundo obseruandũ est, quod secundum omnes Theologos. Dei ad creaturam nulla est relatio realis, tum quia Deus necessario ad sui esse requireret creaturam, nã quicquid est in Deo reale est ipse Deus, & cum relatiuũ ad sui esse exigat correlatiuum, si Deus realiter referretur ad creaturam necessario ad sui esse creaturã exigeret, nec esse posset sine creatura, tum etiam quia si illa relatio realis non esset idem, quod Deus, sequeretur quod Deus reciperet accidens, & per consequens, quod realiter mutaretur, quæ omnia sunt absurda, & hæretica. Dicendum est ergo quod creatio actiua in Deo est relatio rationis. Et cum infertur, ergo creare est referri, concedo, quia iste terminus creare significat relationem passionis in creatura, id est, creationẽ passiuam, & connotat actum essentialem diuinum intrinsecum, id est, velle diuinum efficax, non tantum absolute, sed vt transit super obiectum extra, scilicet super creaturã. Sed cum infertur creare est referri, ergo Deum velle creaturam esse, est referri, nego consequentiam, quia Deum velle creaturam esse, principaliter dicit actum diuinum, licet connotet transitum eius super obiectum, modo non sequitur, quod principaliter dicit relationem est relatio, ergo illud, quod quasi fundamentaliter connotat relationem est relatio. Creare enim principaliter significat relationẽ passionis in creatura, vt diximus, & connotat actum essentialẽ diuinum, scilicet velle diuinum; velle autem creaturam esse, principaliter significat velle diuinum, & quasi fundamentaliter connotat relationem, atque adeo non sequitur quod si creare est referri, quod velle creaturam esse sit referri, nam est relatiuum secundum esse, velle autem creaturam esse est relatiuum secundum dici. Et si arguatur syllogistice sic. Deum creare est Deum velle creaturam esse, sed Deum creare est, Deum referri, ergo Deum velle creaturam esse est referri. Respondeo negando consequẽtiam, committitur enim fallacia figuræ dictionis, quia mutatur ad aliquid in ad se, siue respectiuum in absolutum, & do instantiam in simili, non enim sequitur, similem esse est referre, sed album esse est similem esse, ergo album esse est referri, nihil valet. hæc Scotus in hac q. sub litt. R. §. ad secundum.

ARTI.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus habeat veram actionem de genere actionis, tam ad intra, quam ad extra.

PRo solutione huius q. obseruãdum est, quod nec Deus, nec aliquid formaliter dictum de Deo est in genere, *Boetius.* nec Boetius vnquam dixit, vt aliqui illi imponunt, quod duo genera maneant in diuinis: nam in libello suo de Trinitate c. 6. enumeratis prædicamentis, inquit, quod si quis hæc in diuinam prædicationem conuertit omnia mutantur, quæ mutari possunt, ad aliquid verò omnino non mutatur ibi, id est, si aliqua genera debent ad diuinam transferri prædicationem mutantur dupliciter, primo de limitatis fiunt transcendentia, secundo mutant modum sui prædicamenti, vt sapientia, quæ in Petro est limitata, & accidens, in diuinis est transcendens, & substantia, siue essentia, atq; ita dupliciter mutatur, genus vero relationis altero dumtaxat modo mutatur, quia de limitato fit transcendens, sed non fit formaliter substantia, sed etiam in Deo est formaliter relatio. Vnde parum infra dicit, quod essentia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatē, ex quibus verbis accipiunt quidam, quod ipse innuat substantiam, & relationem manere in diuinis. Cæterum expresse dicit ibi, quod nec substantia, quæ est genus, nec aliquid eius manet ibi, dicit enim cum dicimus Deum, substantiam significare videmur, sed eam, quæ sit vltra substantiam. Quo modo Damasc. substantiam dixit super substantialiter. Inten- *Damascen.* dit ergo Boetius quod duo modi prædicandi sunt in diuinis, scilicet prædicati relatiui, & essentialis, quos modos D. *D. August.* Aug. magis exprimit 5. de Trin. c. 6. vel 10. per ad se, & ad aliud, & omnia prædicata formaliter dicta de Deo sub altero istorum membrorum continentur. Vnde inquit Doct. in hac q. sub litt. m. §. Ad propositum, quod si qua ad diuina transferuntur genera, non transfertur aliqua actio de genere actionis, & hoc ad intra, vt sic quantum ad omnia intrinseca simpliciter sit illa propositio vera, quod tantum sunt ibi duo genera (modo superius explicato) s. relatio, & substantia, neque etiam conuenit Deo aliqua actio de genere actionis respectu cuiuscumque totaliter producti, cuius scilicet non præcessit aliqua pars potentialis. Ex quibus verbis duæ eliciuntur conclusiones responsiuæ ad difficultatē.

1. Conclusio Prima conclusio. Deo ad intra non cõuenit aliqua actio *2. Conclusio* de genere actionis. Secunda concl. Deo non conuenit aliqua actio de genere actionis respectu cuiuscumque totaliter producti, cuius scilicet non præcessit aliqua pars potentialis, id est, actio, qua Deus producit aliquid non præsupposito subiecto, quod vocatur pars potentialis non dicitur actio proprie dicta, id est, de genere actionis, vt productio, qua Deus Angelum producit. Istæ duæ cõclusiones simul probantur duabus rationibus, & primo sic. Ad hoc quod sit actio de genere actionis requiritur, quod sit ibi passum, cum actio sit respectus agentis ad passum, vt patet per Aris. 5 Met. t. c. 17. & per Auct. 6. principiorum cap. de actione, sed Deus Pater non producit filium de aliquo potentiali, vel quasi potentiali, vt ostensum est in primo lib. d. 5. nec creat Angelum, vel aliquid aliud de aliquo passo transmutato, ergo non est ibi actio de genere actionis,

Præterea secundo omni actioni de genere actionis correspõdet passio de genere passionis, quæ est respectus extrinsecus adueniens, sicut & ipsa actio, sed in productione Dei ad intra non potest reperiri aliquis respectus extrinsecus adueniens, quia quilibet summa necessario oritur ex natura fundamenti, nec ibi, scilicet in diuinis, nec in creatione potest esse respectus passionis extrinsecus adueniens, quia productum siue ad extra, siue ad intra summe necessario refertur ad producentem, de producto ad intra non est dubium, de producto autem ad extra probatur, quia impossibile est aliquam relationem magis intrinsece creaturæ inesse, quam illam, quæ est ad Creatorem, in tantum quod illa est idem realiter fundamento, vt ostensum est lib. 2. d. 1. q. 4. & 5.

Cæterum licet in Deo non sit actio proprie dicta, & de genere actionis, neque ad intra, neque ad extra, tamē tam ad intra, quam ad extra in totali productione, nempe in creatione est aliqua actio diuina, accipiendo actionem nõ pro aliquo de genere actionis, sed pro aliquo, correspondente illi actioni de genere actionis, sicut in producto tam ad intra, quam ad extra non est passio de genere passionis, sed passio æquiuoce dicta ad passionem correspondentem actioni de genere actionis. Et ista æquiuocatio nominis actionis dicta est prius, cuius similis æquiuocatio potest correspõdere in nomine passionis. Vnde productio actiua, vel actio in diuinis est tantum actio relatio realis tamen, similiter productio passiua est relatio realis. Ad extra autem productio actio est relatio rationis, & e conuerso productio passiua relatio est realis, sicut dictum est in lib. 1. d. 3.

Contra primam conclusionem arguitur. Generatio in diuinis est actio, vt actio distinguitur contra relationem, ergo in Deo ad intra est vera actio de genere actionis, consequentia est manifesta, & antecedens probatur, quia si generatio non esset actio distincta a relatione, sequeretur quod generare non esset agere, sed referri, quod est inconueniēs. Ad hanc rationem respondet Doct. sub. litt. R. ibi ad tertium, & dicit, quod si hæc propositio concedatur, & est vera, scilicet generatio est relatio, vt ostensum est d. 27. 1. lib. ista etiam debet concedi generare est referri, quia vniuersaliter ab abstractis ad concreta tenet consequentia, & maxime habet verum in relatiuis, licet non è contra valeat semper consequentia, scilicet a cõcretis ad abstracta, non enim album est dulce, ergo albedo est dulcedo, sed bene sequeretur si albedo est dulcedo, ergo album est dulce, ita in proposito bene sequitur generatio est relatio, ergo generare est referri, si tamen fiat vis in verbis, & habeatur pro inconuenienti, quod generare, vel dicere sit præcise referri.

Dicit Doct. quod inferius non est præcise superius, quia est superius cum aliqua differentia addita, vt homo nõ est præcise animal, sed est animal rationale, ita generare non est præcise referri, sed oportet limitare ly referri per aliquam differentiam. et si quæratur, quid addat generare ad referri? dicit Doct. quod generare significat relationē productiuam per naturam, seu per modum naturæ, & dicere significat relationem productiuam per modũ intellectus, atque adeo generare non est tantum referri, sed referri relatione originis fundata super memoriam fæcundam, & dicere referri relatione originis fundata super intellectum fęcundum.

Secundo arguitur: correlatiuum non est causa sui correlatiui, sed producere est causa, vel principium producti, ergo productio illa non est solum relatio ad productum; maior patet, quia causa est prior effectu, correlatiua autem sũt simul natura, ergo vnum correlatiuum non potest esse causa alterius, minor patet, quia producens formaliter producit per productionem, atque adeo productio illa non est sola relatio ad productum, quia tunc esset omnino simul cũ ipso, & non prior, nec haberet rationem causæ.

Hoc argumentum inquit Doct. vbi supra §. Ad quartũ, est contra omnem opinionem, nisi forte ponentem personas absolutas, id est, hoc argumentum est contra omnem opinionem, vna excepta, quæ tenet diuinas personas esse absolutas, siue constitui proprietatibus absolutis, & nõ per relationes, ideo inquit Doct. quod omnes catholici ponũt inter diuinas personas originem, quia omnes ponũt, quod Pater est principium productiuum filij, atque adeo omnes habent ponere, vel quod personæ diuinæ constituuntur per absoluta, vel quod vnum correlatiuum sit productiuũ alterius correlatiui, sed primum est falsum, & vt dicit Ger- *Gerson.* son, in quodam Concilio condemnatum, ergo tenendum est secundum, scilicet, quod vnum correlatiuum est causa productiua alterius correlatiui: nam Pater in diuinis est vnum correlatiuum, & est principium productiuum alterius, quia producit filium. Et cum probatur, quod hoc sit falsum, quia correlatiua sunt simul natura. Respondet Doct. quod cum simultate naturæ stat prioritas originis, quæ nihil aliud dicit, nisi quod hoc sit ab alio tamquam a producente, loquendo de ordine originis a quo, simultas autem naturæ nihil aliud est, quam hoc non posse esse sine illo, vel quod non possunt esse sine inuicem. Ad rationem ergo negatur maior propositio, & ad eius probationem patet responsio.

Contra. Aliqua possunt habere ordinem in intellectu, quæ tamen non possunt habere ordinem extra intellectũ, ergo quæ nullũ ordinem habere possunt in intellectu omnino nullum ordinem habere possunt extra intellectũ, sed correlatiua sunt simul in intellectu, quia sunt simul natu-

tali

rali intelligentia, ergo nullum possunt habere ordinẽ extra intellectum, ergo falsum est, ꝙ relatiua habeant inter se ordinẽ originis. Item, ꝙ est simul, vt est simul non est prius sed prius origine, vt est prius origine est simul cũ posteriori origine, vt est posterius origine, cum sint per se correlatiua, ergo prius origine non est prius posteriori origine, & per consequens male dicitur, quod Pater est prior origine filio. Respondet Doctor. & ad primum dicit, quod aliqua dicuntur esse simul in intellectu dupliciter, priori modo prout ly simul determinat actum intelligendi, vt transit su per obiecta, quia si vnica intellectione plura intelligãtur, tunc omnia illa dicuntur simul intelligi, quia vnica cognitione concipiuntur, posteriori modo prout ly simul determinat ipsa obiecta, quæ intelliguntur a Deo, quod illa obiecta sic se habent a parte rei, quod repugnat vnum intelligi sine altero, vel aliter, & redit in idem; simultas potest dici re modum obiectorũ, vt intelliguntur, adeo quod si multas modificet obiecta, quæ simul vna intellectione intelliguntur, vel potest esse modus ipsorum obiectorũ secundũ se. s. ꝙ vnum sine altero intelligi nequeat: si maior intelligatur primo modo, nimirũ quæ sunt simul in intellectu nullum ordinem habent extra intellectum est falsa, quia quãtumcumq; illa oporteat cointelligi si vnica intellectione intelligantur, propter hoc non tollitur aliquid, quod conuenit eis secundum se, & ad minorem cum dicitur ꝙ correlatiua sunt simul in intellectũ, verum est isto modo. i. quod vnica intellectione intelligũtur, nam eadem intellectio numero repræsentat vnum in recto, & aliud in obliquo, quia notitia Patris repræsentat Patrem habentem filium. contra correlatiua prout sub proprijs rationibus intelliguntur habent simultatem omnimodam in intellectu, ergo nullum ordinem, nego consequentiam, nam propter rationes eorũ habent quemdam ordinem nempe originis, & tamen ipsa vt habentia ordinem habent etiam simultatem. s. per comparationem ad actum intelligendi, quia simul intelliguntur cum vnica intellectione intelligantur.

Ad secũdum respondet Doct. ꝙ illa propositio maior. s. quæ sunt simul, vt sunt simul non habent ordinem requirit ad sui veritatem tres conditiones. prima conditio est, quod ly vt debet dicere simultatem, & modum simultatis, ita vt sit sensus, quod est simul cum alio ea simultate, qua est simul, non est prius illo, nam clarum est, quod si est simul cum illo natura, quod non est prius illo natura, & si est simul tempore, non erit prius tempore, atq; etiã si est simul origine, non est prius origine. secunda conditio est, quod ly simul dicat simultatem in ordine. i. quod si multas, & prioritas accipiantur secundum eumdem ordinem, ita vt sit sensus, quod est simul cũ aliquo in aliquo ordine nõ est prius illo prioritate opposita illi ordini, quoniam non est inconueniens, quod illud quod est simul tempore sit prius natura, sed quod est simul tempore cum aliquo, impossibile est, quod sit prius tempore illo, debet ergo accipi prioritas, vt opponitur simultati. Tertia conditio est, quod ly vt dicat simultatem in modo inhærendi ipsius simultatis, & ordinis vnde obi est, quod istæ duæ propositiones simul concedendæ sunt secundum diuersas prædicationes, scilicet prius vt prius, est prius, & prius, vt prius est simul, quia prima, scilicet prius vt prius est prius, est vera pro per se, & necessario, secunda. s. ista prius, vt prius est simul, est vera per prædicationem denominatiuam, & accidentalem, adeo quod concedenda est hæc propositio, prius origine, vt est prius origine, est simul natura. Et si dicatur quod oppositum nõ potest de opposito prædicari, sed prius, & simul sunt opposita, ergo &c. Dicit Doct. quod in talibus intentionibus generalibus non est inconueniens vnum oppositum prædicari essentialiter de alio, & reliquum oppositum de eodem denominatiue intelligendo oppositum, quod secundũ sui conceptus rationem esset oppositum, sed non saluatur omnino oppositionis ratio, vbi est difformis modus prædicandi, id est, non inconueniens vnum oppositum prædicari de alio, quando vnum accipitur, vt quid, & alterum, vt modus, vt patet in istis intentionibus logicalibus genus est species, nam genus vt quid est species, vt modus: nam est sensus ista secunda intentio genus denominatur ab ista secunda intentione species. Doct. dat exemplum in naturalibus, & in logicalibus, in naturalibus, vt dicẽdo potentia est potentia, hæc est vera per se primo modo, dicendo autem potentia est in actu actualitate sibi correspondente, quam habet quando est extra suam causam, est vera denominatiue, similiter in logicalibus hæc est vera per se primo modo singulare est, singulare, hæc autem singulare est vniuersale est vera denominatiuè, similiter in intentionibus grammaticis hæc propositio, masculinum est masculinum, est vera per se primo modo, hæc verò masculinum est, neutrum est vera denominatiuè.

Ita in proposito hæc propositio prius, vt prius est prius posteriori est vera per se primo modo, & per necessariam prædicationem, hæc vero prius, vt prius est, simul est, vera per prædicationem denominatiuam; nam comparando prius ad posterius in quantũ sunt correlatiua, vel in quantum se habent correlatiue, intellectus attribuit priori vnam intentionem, nempe simultatem, & sic patet, quod non est inconueniens vnum oppositum prædicari de alio, vt simul de ly prius, quando prius capitur, vt quid, & simul vt modus. His notatis patet quomodo illa maior est vera sec vatis illis tribus conditionibus, & cum dicitur in minori, sed prius origne, vt est prius origine est simul & cætera. dico quod verum est, quod sunt simul natura, nego tamen, quod sint simul origine, quia impossibile est, quod prius origine sit cum aliquo simul origine, si est eo prius origine.

Tertio principaliter arguitur, & est ratio communis ad actionem et actionem ad extra, & ad actionem ad intra. Aristo. 5. Met. cap. de ad aliquid t. ca. 20. inquit, quod relatio secundi modi fundatur super actionem, & passionem, sed relatio non fundatur super relationem, ergo actio non est tantum relatio. Pro intelligentia huius rationis obseruandum est, quod Aristot. assignat tres modos relatiuorum, relatiua primi modi sunt illa, quæ referuntur modo numeri, & vnius, vt duplum, dimidium, simile, dissimile, æquale, inæquale &c. & hæc dicuntur fundari super numeri, & multa, relatiua secundi modi sunt illa, quæ referuntur per modum potentiæ, & fundantur super naturali potentia actiua, vel passiua relatiua tertij modi sunt illa, qua referuntur modo mensuræ, sicut scientia refertur ad scibile tãquam mensuratum ad suam mensuram.

Huic rationi affert Doct. triplicem responsionem, prima responsione negat maiorem, relationes enim secundi modi non fundantur super actionem, & passionem, sed super potentiam actiuam, vel passiuam patet, quia illæ relationes, quæ videntur fundari super actionem, & passionem, non insunt quando actio, & passio non sunt, insunt etiam quando actio, & passio non sunt, hoc patet quando enim aliquis in creaturis generat, tunc non est Pater, sed postea quando proles formata est, nam sicut illa proles incipit esse filius, ita incipit, qui genuit esse Pater, & tamen tunc non est aliqua eius actio, posset enim tunc generans, vel non esse, vel non omnino agere aliqua actione noua, præter illam primam. Relatio autem non potest esse nisi dum est fundamentum, & si sit fundamentum completum, & hoc ex vtraque parte simul erit, & relatio, actiones ergo illæ non sunt fundamenta relationum, sed se habent tantum, vt præuiæ dispositiones ad illas relationes. saluatur ergo dictum Phyl. quod relationes secundi modi dicuntur secundum potentiam actiuam, & passiuam vt secundum fundamenta, & dicuntur secundum actiones potentiarum, vt secundum dispositiones præuias ad illas relationes. Et si dicatur paternitas fundatur super generatione actiua, & filiatio super generatione passiua, ergo aliquæ relationes fundantur super actione, & passione. Respondetur, quod sunt quædam relatiua, quæ duplex fundamẽtum requirunt, vnum quantum ad suum fieri, & alterum quantum ad suum esse, & permanere verbi gratia, paternitas quantum ad suum fieri fundatur super actione Patris, quia dicitur Pater ille, qui genuit, sed quantum ad suum esse, & permanere fundatur super naturali potentia actiua patris, similiter filiatio quantum ad suum fieri fundatur super passione filij licet quantum ad esse, & permanere fundetur supernaturali potentia passiua, & hoc est, quod dicit Doct. quod relationes secundi modi quantum ad suum esse fundantur super potentiam actiuam, & passiuam mediantibus actionibus potentiarum tamquam dispositionibus ad illas relationes, vt paternitas fundatur super potentia actiua naturali præcedente tamen genuisse.

Secundo respondetur, quod Arist. accipit actionem, vt se extendit ad productionem, nam actio vt diximus supra

accipitur multis modis, sed vt ad propositum spectat accipitur dupliciter, vno modo propriè pro respectu agentis ad passum, alio modo pro respectu producentis ad productū, & isto modo capit Arist. actionē in proposito, ita ut vult habere quod iste respectus, qui vocatur productio est secūdum potentiam actiuam, & passiuam, scilicet secundū fundamentum, quia productio fundatur in potentia actiua, et quando subdit Arist. & actiones potentiarum debet intelligi secundum actiones formaliter, ita ut vult habere, quod actiones, id est, productiones denominant potentiā actiuā formaliter, nam sicut aliquid dicitur simile formaliter similitudine, ita aliquid dicitur formaliter producens productione, & quod hæc sit Arist. intentio patet per ea, quæ ibi sequuntur, ait. n. sicut Pater Filij Pater, hic quidem fecit, illud autem passum est, fecit hoc est produxit, passum est. i. productum, ita ut Arist. in illo textu accipit agens pro producente, & passum pro producto. Et si dicatur quod Arist. exemplificat calefactiuum ad calefactibile, & iterum calefaciens ad illud, quod calefit, & secans ad illud quod secatur tamquam agentia, ergo capit ibi agens propriè, & patiens, vel passum proprie.

Respondet Doct. ꝙ Arist. se ipsum exponit, quomodo intelligat illa verba statim dicens, ꝙ tēpora iam dicuntur ad aliquid, vt quod fecit ad factū, & futurum ad faciendum, hoc. n. semper agens ad producens, & actum est productū ex quibus verbis patet, quod Arist. vult, quod agens idem sit, quod producens, & passum idem quod productū, atq; ita intelligi debet calefactiuum pro productiuo totius calidi. i. pro producente ens per accidens composito ex calore, & passo, & similiter calefactibile capit pro aggregato ex subiecto, & accidente, scilicet caliditate, eo modo, quo in 7. Met. t. c. 22. & 27. dicit totum compositum generari, & hoc in generationibus per accidens, sicut in generatione substantiæ, accipit ergo Arist. calefactibile pro toto illo possibili produci. i. pro aggregato ex subiecto, & caliditate quod est possibile produci, & nō pro passiuo, id est, pro subiecto tantum, vt est possibile transmutari, & ita calefaciens pro producente totum calidum, & illud, quod calefit pro toto composito terminante productionem, non autem pro subiecto transmutato ad calorem, atq; ita de illo, quod secatur ad secans.

Tertio respondetur, ꝙ Philosophus non tantum ponit ibi species relationis, sed etiam modos, secundū quos aliqua dicuntur ad aliquid, sicut ēt in c. qualitatis non tantum ponit species qualitatis, sed modos, vnde dicit, quale dicitur vno modo differentia substantiæ, & tñ differentia substantialis nō pertinet per se ad genus qualitatis, sed appellatur qualitas, quia habet modum prædicandi qualitatis, & quādam cum qualitate similitudinem. Ita hic in secundo modo relatiuorum possunt poni illa, secundum quæ aliquid dicitur ad aliud, non vt secundum relationem formaliter, sed vt secundum respectum aliquem extrinsecus aduenientē habentem similitudinem cum illo modo, & tūc exponatur littera, actiua & passiua, vt calefaciens, & calefactibile secūdum potentiam actiuam, & passiuam dicuntur ad aliquid vt secundū fundamenta relationum propriè dictarum, ꝙ sequitur. Et actiones potentiarū exponatur de actionib. de genere actionis, ꝙ secundum eas formaliter dicitur actiua ad passiua, & è conuerso, non quidē secundum relationes proprie de genere relationis, sed secundum quosdam respectus pertinentes ad secundū modum relatiuorum, licet nō ad genus relationis habentes tamen modum similem quibusdā speciebus relationis, vt sic ista pertineant ad vnū modum relatiuorum, non aūt ad aliquam speciem relationis.

Quarto principaliter arguitur. Cuius est potētia eius est actus de somno, & vigilia in principio, sed in Deo est vere potentia actiua tam ad intra, quā ad extra, ergo ei vere conuenit agere, & ad intra, & ad extra. Respondet Doc. sub lit. X. quod sicut actio capitur duobus modis, scilicet proprie pro respectu agentis ad passum, & improprie pro respectu producentis ad productum, ita potentia actiua bifariā sumitur, vno modo proprie pro potētia trāsmutatiua, id est, pro potentia, quæ agit circa aliquod passum transmutando illud ad aliquā formam, alio modo pro potentia actiua, seu productiua, a qua habet esse aliquod productum. & quidē Deus habet potentiā actiuam vtroq; modo, atq; ita potest conuenire sibi actio vtroq; modo, & sic vna actio non erit alia, ad intra aūt non habet nisi actionem productiuam. i. actionem, quæ est productio, & similiter ad extra respectu alicuius totaliter producti.

Quinto arguitur. Creatura dum est semper refertur ad Deum, sed non refertur ad Deum per creationē passiuam, ergo ponenda est alia relatio ad hoc, ꝙ creatura semper referatur ad Deum, ergo licet illa alia, qua semper necessario refertur ad Deum non sit de genere passionis, tamen illa creatio passio, quia creatura ponitur in esse potest esse de genere passionis, quia contingēter abest a creatura post primum instans, maior est manifesta, & minor probatur quia creatio passio non est nisi in instanti primo qñ creatur, sicut nec creatio actio Dei est nisi tunc, sequitur ergo, quod passione creatura refertur ad Deū, atq; adeo non solū refertur ad Deū per relationem distinguendo illā contra actionem, sed cuiuscūque passioni de genere passionis correspondet actio de genere actionis, sequitur, ergo ꝙ Deus refertur ad creaturā vera actione de genere actionis. Respondet Doct. ꝙ argu. vr̄ posse duci ad oppositū, quia si creatio passio non semper manet, & tñ semper manet illa habitudo, quam creatura habet ad Deum, vt ad causam efficientem dū creatura manet, ergo illa habitudo non est creatio passio de genere passionis. vnde pro solutione, inquit Doct. ꝙ creaturæ ad Deū, vt ad causam efficientem non est nisi vna relatio, & coęua fundamēto. i. quæ semper manet, quādiu ipsa creatura manet, quæ est idem realiter fundamento vt ostensum est in 2. li. d. 1. q. 5. & illa pōt dici creatio passiua.

Et si dicatur Creatio passiua non semper manet. Respondetur, ꝙ creatio passiua capitur duobus modis, primo modo potest capi pro illa relatione creaturæ ad Deum, & illa semper manet. alio modo potest capi prout connotat vnā relationem rationis, nimirū relationem ipsius esse ad non esse immediate præcedens, cum. n. dico. Creatura creatur duo dico, primum ꝙ creatura refertur ad Deum, & illa relatio semper manet manente creatura, secundum ꝙ creatura nunc habet esse, & immediate ante hoc instans non habebat esse, & iste est respectus creaturæ ad non esse præcedens, qui respectus non manet nisi in illo instanti, in quo creatura accipit esse, atq; adeo non est coęuus nec relationi ad Deum, neque fundamento.

Postremo arguitur. creatio est vera productio realis, sed Dei ad creaturā non est relatio realis, ergo creatio non est relatio, & per consequens erit actio. Respondet Doc. quod huic rationi responsum est li. 1. d. 30. vnde breuiter dicendum est, ꝙ in Deo nulla est relatio realis ad creaturam, potest tamen concedi in Deo ad creaturam aliqua relatio rationis Deus. n. dr̄ Dominus, cæterum dominium non dicit relationem realem in Deo, sed tantum respectum rationis causatum a voluntate diuina, cum ergo dicitur, ꝙ creatio est vera productio realis, verū est quo ad cōnotatū, seu fundamētaliter, sed formaliter dicit tantum respectū rationis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quando Deus conuertit panem in corpus Christi sit ibi actio de genere actionis.

IN hac quæstione certum est, quod actione diuina conficitur hoc Sacramentum accipiendo actionem diuinam large pro omni actione diuina, qua Deus dicitur agere aliquid circa creaturas, vel quando aliquod nouum immediate facit in eis, nisi quod non est ęque facile videre quomodo sit hic actio positiua, sicut in creatione, quia non est hic aliquid positiuum absolutum accipiens simpliciter esse, atque adeo videtur potius, quod hic sit actio negatiua, quam positiua, nam per istam actionem prius desinit esse panis, quam sit ibi corpus Christi, sed de hoc dictum est d. 11. sed difficultas est, an Deus possit habere actionem circa hoc Sacramentum accipiendo actionem proprie, quæ est actio de genere actionis. De qua re dixerunt quidam, ꝙ huiusmodi conuersio fit actione diuina accipiendo actionem proprie, prout actio distinguitur contra relationē, & constituit genus distinctū a relatione, ꝙ probant sic non minoris virtutis est conuertere aliquid in præexistens, quā in non præexistens, sed si conuerteretur panis a Deo in no præexistens, esset simpliciter ibi actio diuina, qua produceretur illud non præexistens, quia produci non potest nisi aliqua actione non relatione, ergo & nunc est actio diuina, qua consecratur corpus Christi.

Præte-

Præterea. Creatio est vera actio, sed non minus potest terminus istius conuersionis accipere esse, quam terminus creationis, si hæc conuersio fieret in non præexistens, quod totaliter acciperet esse per conuersionem. Præterea Deus habet actionem proprie dictam ad intra, ergo æque, vel magis potest habere actionem proprie dictam ad extra, & sic est in proposito, probatur antecedens tripliciter, & primo sic, quia si generatio non esset actio proprie dicta, prout distinguitur contra relationem, sequeretur quod esset tantũ relatio, & tunc generare, & dicere esset referri, quod est inconueniens. Item secundum correlatiuum nõ est causa sui correlatiui, quia sunt simul natura, sed producens est causa, siue principium producti, & constat quod formaliter per productionem, ergo productio illa non est relatio ad productum, quia tunc esset omnino simul cum illo, & non prior, nec haberet rationem causæ. Præterea tertio relationes secundi modi fundãtur super actionem, & passionem. 5. Met. cap. de ad aliquid, sed relatio non fundatur super relationem, ergo actio non est tantum relatio.

Conclusio. Sed istæ rationes non concludunt, ideo dicendum est primo cum Doct. subt. quod hoc Sacramentum conficitur actione diuina, probatur primo authoritate D. Aug. in lib. de corpore Domini c. 77. & habetur 1. q. 1. intra catholicã Ecclesiam. in mysterio corporis, & sanguinis Domini, nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus sancti, credendum est enim, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur, sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum suam efficit carnem, & sanguinem.

Secundo probatur authoritate D. Gregorij, & habetur 1. q. 1. Multi secularium c. 84. Putant quidam communionem corporis Christi minus esse sanctificatam si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quam magnum laqueum incidunt, vt diuina, & occulta mysteria plus ab alijs sanctificata posse fieri credant, cum vnus idemque Spiritus sanctus in tota Ecclesia inuisibiliter ea mysteria, & operando sanctificet, & sanctificando benedicat, & istæ duæ authoritates ponuntur hic a Docto. pro argumentis post oppositum.

Tertio probatur ratione, non est minoris difficultatis facere de nihilo aliquid, quam vnum conuertere in aliud, sed solum actione diuina potest de nihilo aliquid fieri, ergo sola actione diuina potest vnum in aliud conuerti.

Ista ratio desumitur ex D. Ambr. lib. 4. de sacramentis c. 4. sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio de pane fit caro Christi, consecratio autem fit verbis, & sermonibus Domini Iesu, nam per reliqua omnia, quæ dicuntur laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi venitur, vt conficiatur nobile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi, ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum, quis sermo Christi nempe is quo facta sunt omnia iussit Dominus, & factum est cęlũ, iussit Dominus, & facta est terra, iussit Dominus, & facta sunt maria, iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur &c. Hæc D. Amb.

Conclusio Dico secundo, quod ibi est actio, vt actio dicit relationẽ rationis, adeo quod conuersio qua Deus conuertit substantiam panis, & vini in corpus & sanguinẽ Christi non ponit in Deo nisi relationẽ rationis, quemadmodũ creatio, qua Deus creaturã producit nõ est in Deo nisi relatio rationis, vt dictum est sup. & patet a Doc. in 1. d. 30. & in 2. d. 1. q. 2. 4 & 5. Sed dubium est, an sit ibi actio, vt est vnũ prædicamentum, id est, an in Deo conuertentem substantiam panis, in corpus Christi sit actio correspondens actioni de genere actionis. Pro cuius dubij solutione, inquit Doct. sub litt. O. §. sed in proposito de ista conuersione &c. quod sicut superius dictum est d. 10. q. 1. & 11. q. 3. duplex est modus dicendi de conuersione panis in corpus Christi, vnus modus dicendi erat, quod panis in corpus Christi transubstantiatur, ita ut virtute istius transubstantiationis totus panis desinit esse, & corpus Christi incipit esse, & vt sic transubstantiatio appellatur productiua, quoniam per eam producitur aliqua res secundum esse substantiale, veluti si corpus Christi non præexisteret consecrationi, sed per conuersionem panis acciperet esse substantiale nouum, adeo quod huiusmodi conuersio terminatur ad entitatem sui termini. alius dicendi modus erat, quod in transubstantiatione non desinit esse panis simpliciter, sed desinit esse hic, id est, in loco, & virtute huius conuersionis in corpus Christi, non accipit corpus Christi esse simpliciter, sed in isto loco, & huiusmodi transubstantiatio appellatur adductiua, seu acquisitiua substantiæ, nec per ipsam res, quæ est terminus producitur, sed adducitur, vt sit præsens alicubi, estq; ad præsentialitatem tamquam ad terminum. itaque transubstantiatio productiua secundum primum modum dicendi non præsupponit rem, in quam fit conuersio, sed per ipsam transubstãtiationem producitur. Adductiua vero iuxta secundũ modum dicendi præsupponit terminum conuersionis præexistentem, & producit in ipso nouam præsentialitatem, adeo, quod transubstantiatio panis non terminatur ad entitatem substantialem corporis Christi, sed ad illius præsentialitatẽ in Sacramẽto Eucharistię, ita ut terminus formalis ad quẽ terminatur cõuersio panis non est corpus Christi secundũ esse substãtiale, sed secundum esse accidentale, cũ terminus sit corpus Christi esse præsens speciebus sacramentalibus.

Si teneatur primus modus dicendi (qui est S. Thomæ 3. p. q. 75. art. 4. & 5. a quo forte non recedit Doct. subt. vt diximus supra d. 11. q. 3. licet alium tamquam probabilem sequatur) ponitur hæc concl. In transubstantiatione non est actio de genere actionis, probatur, num quam est actio de genere actionis nisi habeat sibi correspondentem passionẽ de genere passionis, sed non videtur ibi esse passio de genere passionis, quia transubstantiatio iuxta hunc modum dicendi est ad esse substantiale corporis Christi, & per consequens nulla est passio in corpore Christi neq; in pane, quia in eo quod desinit esse non est aliqua passio. *1 Conclusio*

Præterea, & est primum argumentum principale Doct. actio secundũ Auctorem sex principiorum in motu firmatur, sed diuina actio non fundatur in motu, ergo Deus non causat aliquid per actionem de genere actionis, ergo neq; hic. item proprium est actioni ex se inferre passionem, sed hic nulla passio infertur, ergo hic nulla est actio, maior patet per Auctorem 6. principiorũ, & minor probatur, quia talis passio, vel est in pane, vel in corpore Christi, non primum, quia panis totaliter desinit esse, nec secundum, quia corpus Christi per hanc actionem non mutatur, ergo &c.

Si autẽ teneatur secundus dicendi modus, quẽ vt probabilẽ defendit Doc. vbi sup. est hæc concl. In hac admirabili conuersione reperitur vera passio de genere passionis, & actio proportionalis sibi correspondens, patet, quia corpus Christi recipit nouam præsentiam, quã prius non habebat, ergo est ibi passio in corpore, sed cuicũq; passioni correspõdet actio, ergo Deus habet in illa conuersione aliquã actionem de genere actionis. ideo concludit Scot. ꝙ oportet dicere, ꝙ genus actionis aliquo modo secundũ prædicationẽ proportionalẽ posit ad Deum transferri, sed non ad intra. Quibus verbis vr̃ dicere, ꝙ Deus habeat actionẽ realẽ ad extra, nam ita Deus, inquit, transmutare põt aliquod passũ sicut agens naturale, atq; ita transmutatio passiua est passio proprie, & actiua est actio correspondens generi actionis, & non tantũ relatio, & per consequens videtur secundum ipsum ꝙ in Deo sit aliquis respectus realis de nouo, & ꝙ Deus recipiat aliquod accidens, ꝙ est contra ipsummet, & contra oẽs Theologos. Quapropter hæc littera Doct. est sane intelligenda, non. n. vult habere, ꝙ illa actio sit aliquis respectus realis, sed ꝙ aliquo modo secundũ proportionẽ pdicationis, id est, per quãdam consimilem prædicationem illi prædicationi, qua actio prædicatur de creatura, actio pdicatur de Deo, est tamen illa actio in Deo respectus rationis, non realis, vt diximus supra. *2 Conclusio*

Istarũ duarum sententiarũ (inquit Doc.) prima vr̃ difficilior, imo nõ vr̃ bene intelligibile, quomodo sit aliqua actio noua realis sine termino, & ad minus aliqua realis relatio noua sine forma absoluta, hic aũt excepta destructione panis, cuius terminus ad quẽ est nõ esse panis, prout est aliqua versio positiua non habet talẽ formã absolutam secundum oẽs in corpore Christi relationẽ realem, ergo nouã ad minus oportet ponere ibi, & hoc ad agens, nec vr̃ ꝙ illa posit esse noua, nisi aliquid realiter sit nouum in illo corpore, propter quod magis nunc dicatur terminare actionem realẽ Dei, quam prius, sed quid circa hoc sentiendum sit explicatum fuit a nobis supra d. 11. q. 3. art. 7. in fine.

Ad argumenta in principio art. posita respondetur, & ad primum dico, quod minor est falsa accipiendo actionẽ propriè de genere actionis, ad probationem eum dicitur, relatione nihil producitur, dico quod verum est fundamentaliter, sed nego formaliter vt dictum est in præcedenti art. Vnde si construatur sic argumentum, relatione nihil producitur, productione aliquid producitur, ergo productio non est relatio, si vtrobique, id est, in maiori, & in minori construatur ablatiuus in ratione formæ proximæ denominantis, minor est vera, & maior falsa, quia productio illa, qua formaliter producitur est relatio, & ita est syllogismus ex oppositis, qui ex præmissis contrarijs, vel contradictorijs infert propositionem, in qua idem negatur de se ipso, sicut iste nullus homo currit, Socrates currit, ergo Socrates nõ est homo, & nec mirũ si infert conclusionẽ impossibilem, imo incompossibilem secundũ artem 2. Priorum, sed de syllogismo ex oppositis vide ea, qua scripsimus in formalitatibus art 3. de identitate, & dist. formali commentario 9. Accipiendo autem maiorem negatiuam, prout ablatiuus construitur in ratione principij formalis remoti, & minorem affirmatiuam, prout ablatiuus construitur in ratione formæ proximæ denominantis, sic vtraque est vera, sed tunc inferendo, quod productio non est relatio committitur fallacia figuræ dictionis mutando rationem principij formalis proximi in ratione principij formalis remoti vel è conuerso, vel magis logice loquendo commutatur absolutum in respectiuum, nam principium remotum respectu cuiuscumque denominati relatione est absolutũ, principium autem proximum est respectus.

Ad secundum negatur maior propositio, nam creatio in Deo non dicit nisi respectum rationis, vt dictum est supra.

Ad tertium similiter negatur maior, vel antecedens, & ad probationes responsum est in articulo præcedenti.

ARTICVLVS IX.

Vtrum actione alicuius agentis creati concurrentis principaliter, possit panis conuerti in Corpus Christi.

Iste est secundus articulus principalis huius quæst. Diuisit enim Doct. hanc quæst. in tres articulos. Verum quia primus art. in quo quærebat an actione diuina possit confici Sacramentum Eucharistiæ erat valde intricatus, atque difficilis, nos pro maiori eius luce diuidimus in octo articulos. Præsens autem articulus est valde facilis, & resolutus, & maximè ex his, quæ a nobis dicta sunt supra d. 11. quæst. 1. 2. & 3. Respondet ergo Doct. ad difficultatem, quod creatura non potest in hanc conuersionem, vt agens principale, cuius ea est ratio, quia in eam non potest nisi agens, cuius virtuti actiuæ totaliter subest esse, & non esse vtriusque extremi, sed nullum creatũ est huiusmodi, quia quodlibet præsupponit aliquam partem ipsius termini a quo, & ad quem, vt ostensum fuit prima quæst. huius lib. 4. ergo &c.

Contra hanc conclusionem arguitur quadrupliciter, & primo sic. Agens naturale potest conuertere totum in totũ, vt patet in generatione, nam generatio est conuersio totius in totum, primo de generat. t. c. 10. & 23. ergo agens naturale potest in totam istam conuersionem, quia non videtur sibi impossibilis, nisi quia est totius in totum. Huic rationi respondet Doct. & est responsio ad tertium principale, dicens quod non est simile de generatione, & de hac admirabili conuersione, quia non eodem modo dicitur conuerti totum in totum per generationem, & per transubstantiationem: totum enim capitur duobus modis, vno modo, vt tantum valet sicut quælibet pars, & isto modo accipiendo totum per transubstantiationem totum conuertitur in totum, id est, quælibet pars in quamlibet partem, nimirum materia in materiam, & forma in formam, sed non sic est de generatione, cum maneat materia communis in vtroque termino transitus, nam agens naturale generans ex ligno ignem non destruit materiam ligni, sed formam, quia eadem materia numero, quæ erat sub forma ligni fit sub forma ignis, alio modo capitur totum categorematice, vt tantum valet sicut aliquod ens habens partes, & hoc modo in generatione mutatur totum in totum, vt ignis in aquam, & hoc modo intelligit Aristot. in generatione totum mutari in totum, licet maneat materia, sed pr tanto dicitur totum mutari in totum, quia licet quando ex aqua fit aer maneat materia aquæ, non tamen manet, vt est aquæ, sed vt est aeris, nihil enim manet aquæ, vt aquæ est. In transubstantiatione autem nihil prorsus manet, sed totum totaliter conuertitur in totum, negatur ergo consequentia.

Secundo arguitur: natura potest formare corpus Christi in esse naturali, ergo natura potest illud formare hoc secundum esse, quod habet in Eucharistia, antecedens patet natura formauit corpus Christi ex purissimis sanguinibus Virginis Mariæ, & Virgo Maria concurrebat partialiter ad illam formationem, consequentia probatur. Idem esse est corporis Christi in vtero Virginis, & in Eucharistia, sed super idem esse, vt terminum potest eadem virtus, ergo & cætera.

Et si dicas, quod est idem esse, sed sub alio, & alio modo, quia in vtero Virginis habebat esse sub modo naturali, in Eucharistia autẽ sub modo sacramentali, atque adeo licet super primum modum possit natura, non tamen super secundum.

Contra, esse fuit per se terminus istius actionis, id est, generationis, non autem ille modus, ergo eodem esse manente per se manet idem terminus, & per consequens in illud potest eadem virtus, nec potest dici quod prohibetur propter modum, quia modus non repugnat ei cuius est modus, ergo iste modus, nempe essendi sacramentaliter non repugnat illi esse, ergo quod potest in illud esse secundum sa nõ impeditur per quemcumque modum eius, quin possit in ipsum. Et confirmatur iterum, quia maius est posse in esse, quam in quemcumque modum eius.

Ad hoc argumentum respondet Doct. & est responsio ad quartum principale, & in summa dicit, quod tota natura non potest facere corpus Christi sub modo sacramentali, quando corpus Christi est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte, & ideo hæc consequentia non valet, natura potest esse principium corporis Christi sub modo naturali, ergo & sacramentali, quia modus sacramentalis repugnat naturæ, hoc est, non potest natura constituere, vel ponere aliquid sub modo sacramentali, & cum dicitur, quod est idem esse, concedo, sicut etiam concedo, quod idem potest esse principium illius esse absolute, vel sub modo non repugnante agenti, vel producenti, & cum infertur, quod sicut potest esse principium illius esse sub modo naturali, ergo potest esse principium illius sub modo sacramentali, nego consequentiam, & cum probatur, quia modus ipsius esse non repugnat ipsi esse, distinguo antecedens, quia vel intelligis, quod non repugnat sibi simpliciter, & sic concedo, vel quod non repugnat sibi per comparationem ad agens creatum, & sic nego, quia nullum agens creatum potest ponere corpus Christi sub modo sacramentali, licet possit ponere illud sub modo naturali, & quando additur vltimo, quod modus non excedit in perfectione illud, cuius est modus, & per consequens modus sacramentalis non excedit perfectionem corporis Christi atque adeo si natura potest facere corpus Christi, videtur, quod possit facere illum modum. *Dico (inquit Doct.)* quod aliquod imperfectum potest esse, & tamen imperfectio sibi derelicta potest non subesse causalitati illius cui subest illud, quod est perfectius sub alio modo cõueniente, nam bene stat, quod aliquid sit imperfectius alio, & tamen imperfectio illa, seu illud quod est imperfectius non subest causalitati, cui subest illud, quod est perfectius, ex quo sequitur, quod nõ est vniuersaliter vera hæc propositio, potens producere perfectius potest & imperfectius, vt patet de agente naturali respectu esse corporis Christi, & modi sacramentalis.

Tertio arguitur. Omnis actio, quæ competit Deo per principium agendi non formaliter infinitum potest competere creaturæ, sed Deus producit creaturam, vel producit Sacramentum, seu effectiuè se habet ad illud per voluntatem, quæ non est formaliter infinita, ergo talis actio potest competere creaturæ, maior patet, quia creaturæ non repugnat actio, cuius principium sufficiens est finitum, vel ad minus non infinitum, probatur minor, quia si voluntas Dei esset formaliter infinita, includeret formaliter omnem perfectionem intrinsecam Deo, consequens est falsum, ergo & antecedens, proba.

Digitized by Google

probatur consequentia, quia infinito nulla potest fieri additio, ergo infinitum omnem perfectionem includit, falsitas consequentis probatur, quia tunc volūtas esset pelagus infinitæ substantiæ, ꝙ non est verū, quia hoc est proprium ipsi essentiæ secundum Damas. li. 1. de Orth. fide c. 12. vbi inquit: ꝙ principalius omnium nominū dictorū de Deo est ipsum esse, vel qui est, quēadmodum ipse dans responsum Moysi in monte, inquit, Dic filijs Israel, qui est misit me. totum. n. in se ipso comprehendens habet ipsum esse veluti quoddam pelagus substantiæ infinitū, & interminatum. Et confirmatur, quia voluntas non includit in se relationes; sine illis autem non habetur totalis perfectio diuina intrinseca, ergo nec infinitas, ita Sco. sub litt. X. §. De 2. Huic rationi respondet Doct. in 2. art. principali sub litt. Y. §. Ad illud, quod dicitur, & primo dicit, quod maior propositio est ꝓbabilis. s. ꝙ principium agendi finitum, vel non infinitum non repugnat creaturæ, atq; ita neq; repugnat actio, in quā potest per se sufficienter tale principium, sed minor est falsa, quod voluntas. s. quæ est principium creaturæ non sit formaliter infinita, & ratio tanta est in primo lib. d. 10. q. 1. & d. 13. & probatur hic breuiter, quia Deus est simpliciter beatus in operationibus intellectus, & voluntatis suæ, non est autem simpliciter beatus in essentia, vt est infinita nisi eam comprehendat, & sicut intellectus comprehendit videndo, ita voluntas suo modo oportet ꝙ comprehendat amando ad hoc, quod sit perfecte beata, & per consequens vtraq; potentia, & vterq; actus vtriusq; potentiæ circa essentiam diuinam, vt perfecte se beatificant erunt infinitæ, non. n. potest infinitum a finito comprehendi, ad hoc. n. ꝙ aliqua potentia comprehendat aliquod obiectum. i. intelligat ipsum prout est intelligibile, & secundum omnē gradum suæ intelligibilitatis, necesse est, quod sit tantæ perfectionis, quantæ est ipsum obiectū, cum ergo voluntas diuina suo modo comprehendat essentiam diuinam amando ipsam, sicut intellectus intelligendo, sequitur ꝙ volūtas diuina est tantæ perfectionis, quantæ est essentia diuina, sed essentia diuina est formaliter infinita, ergo & voluntas diuina est formaliter infinita, atq; ita patet falsitas minoris. Ad eius probationem dicit Doct. ꝙ in diuinis potest intelligi quasi infinitas extensiua. i. in multitudine, velut si intelligeretur quasi infinita multitudo perfectionum: nam esse infinitatem extensiuam in aliquo, quoad perfectionem nihil aliud est, quā quod in ipso sint infinitæ perfectiones. i. sine numero. Alio modo infinitas intensiua alicuius perfectionis simpliciter, ita ut illa perfectio secundum propriā rationem suam sit sine limite, & termino.

Vnde obs. est, quod loquendo de infinitate intensiua aliquid potest esse infinitum tripliciter, primo per se, ex se, & a se, & sic tantum essentia diuina est infinita, quia a nullo habet infinitatē, atq; adeo intrinsecè, & ex sua ratione formali merito radix infinitatis, & pro tanto a Damasc. vocatur Pelagus infinitæ substantiæ. Secundo modo dicitur aliquid infinitum, quod est infinitum ex se, & per se, sed non a se, & hoc modo attributa sunt infinita, quæ licet ex sua ratione formali, & intrinsece sint infinita, tamen radicaliter, & originaliue hoc habent ab essentia. tertio modo dicitur aliquod infinitum, quod nec a se, nec per se est tale, sed tantum per identitatem cum essentia, & in hoc sensu relationes originis sunt infinitæ, vt patet a Doct. in quol. q. 5.

Secundo obs. est ꝙ sicut essentia diuina est radix, & fundamentum omnium diuinarum perfectionum, cum ab ipsa pullulent omnes perfectiones diuinæ, ita infinitas (quæ insequitur immediate essentiā diuinā) est radix, & fundamentum omnis infinitatis, atq; ita infinitas fundamentalis & radicalis est tantum vna, infinitates verò formales plurificantur ad plurificationem perfectionum attributalium, & sic perfectiones attributales transeunt in essentiam identicè, & realiter, & manent secundum suas quidditates, & formalitates, ita ut non transeant in ipsam secundum suas rationes formales, ita omnes infinitates attributorum transeunt in perfectam identitatem realem cū infinitate essentiæ, & manent distinctæ modaliter & ex natura rei.

Loquendo ergo de prima infinitate. s. extensiua inquit Doct. quod nihil eiusdem rationis formalis est infinitū primo modo. i. in multitudine, imo forte nec absolute in Deo est talis infinitas, nam sicut personæ sunt finitæ loquendo de ista finitate, & infinitate, quia sunt tantum tres, ita & perfectiones simpliciter sunt finitæ numero, seu sua multitudine, & relationes, & notiones, & hæc, & illa simul iuncta sunt finita, si autem sit sermo de secunda infinitate. s. intensiua, essentia diuina est infinita formaliter, & fundamentaliter per se, ex se, & a se, & pro tanto a Damasc. vocatur Pelagus &c. attributa verò, seu perfectiones simpliciter sunt infinitæ formaliter, sed non fundamentaliter, quælibet enim est infinita per se, & ex se formaliter, sed non a se, habent enim suam perfectionem formalem ab infinitate essentiæ tamquam a radice, & fundamento.

Relationes autem quæcumq; in diuinis nec sunt infinitæ fundamentaliter, nec formaliter, vt ostensum est, in 1. li. d. 13. & in quol. q. 5. quia patri melius est non habere filiationem, quam habere, & filio melius est non habere paternitatem, quam habere, perfectio autem simpliciter est illud, quod melius est quodlibet habere quam non habere, sequitur ergo quod paternitas filiatio, & cæteræ relationes non sunt perfectiones simpliciter, atque adeo non sunt infinitæ formaliter, sed tantum identicè. Ex his apparet responsio ad probationem minoris, nam licet voluntas diuina sit formaliter infinita, non est tamen Pelagus infinitatis, quia non includit in se formaliter omnes perfectiones intrinsecas, neque ab ea pullulant ceteræ perfectiones, quia nec essentia, nec aliquid aliud includit sic, id est, formaliter omnes perfectiones, neque voluntas includit omnes perfectiones alias fundamentaliter, quia vt diximus, ab ea non pullulant, sed sola essentia sic includit omnes, & ab ea pullulant omnes, & ob id dicitur Pelagus, voluntas tamen per identitatem includit quamlibet perfectionem simpliciter, & quamlibet relationem.

Ad confirmationem de relationibus dicit Doct. quod confirmatio illa parū valet, quia quātumcumque illæ non includerentur in voluntate, adhuc posset ratio infinitatis saluari, isto modo intelligēdo, ꝙ illæ nihil perfectionis adducunt propter quid sit infinitas, cum non dicāt perfectionē, & per consequens illis circumscriptis non minus haberetur in voluntate infinitas, & illæ additæ non sunt formaliter infinitæ, & finitum, vel non infinitum additum alicui finito non facit infinitū, ita finitum, vel non infinitum remotum ab aliquo infinito non tollit infinitatem, ꝙ est propositum. Dico ergo (inquit Doct.) ꝙ licet voluntas non includat formaliter relationes, tamen pōt esse formaliter infinita. et si obijcias, non includit totaliter perfectionem diuinam, dico quod etsi non totaliter extensiue, tamen totaliter intensiue secūdum vnam perfectionem formaliter, sed omnes alias perfectiones, & relationes non formaliter, sed identice, & de istis sæpe dictū est in 1. li. d. 8. q. 3. de distin. attributorū.

Postremo arguitur, non minoris virtutis est conuertere aliquid in substantiā aliquam non præexistentē, quā in corpus Christi, sed agens creatū pōt efficere primū, ergo & 2. maior patet, & minor probatur, quia agens naturale potest cōuertere illas species, nempe vini in aliquā substantiā, cū possit illas tm̄ alterare, ꝙ tandē ex eis generatur substantia non prius existens, patet ēt de nutritione, & alijs generationibus, q̄ fiunt ex istis speciebus. Respondet Doc. ꝙ hoc arg. solutū est superius ex pcedēti dist. & quatuor vltimis qq. ex quarū 1. patet quomodo istis accidentib. cōuenit agere, ex tribus alijs quomodo eis cōueniat pati, & corrūpi. Breuiter ergo negandū est ab agente creato posse istas conuerti in substantiā aliquā totaliter nouā, neq; in mixtione, neque in mutatione, seu quacūq; istarū specierū corruptione, vt patet ibi, sed aliquando noua substātia succedit eis corruptis, sed nō actione agentis creati, sed Dei immediate reducētis.

ARTICVLVS X.

Vtrum creatura possit conuertere instrumentaliter panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem.

DE hac re est opinio quædā, quā colligit Doc. ex diuersis principijs D. Tho. diceret. n. ad hanc difficultatē D. Tho. ꝙ agens creatū, nimirū sacerdos pōt conuertere panē in corpus Christi, & vinū in sanguinē instrumentaliter, ꝙ ex principijs D. Tho. ita probari pōt. Accidens pōt esse instrumētaliter agens ad generationē substantiæ, ergo a simili in proposito, substātia, siue agens creatū pōt esse instrumētū faciendi istā conuersionē, consequentia tenet a fortiori, quia si attribuimus accidenti, ꝙ generet substantiā instrumentaliter, a fortiori videtur ꝙ substantiæ aliquid maius debeamus attribuere, et illud maius nō vr̄ esse nisi ꝙ possit cōuertere substantiā. Probatur antecedēs tripliciter, et 1. sic,

Damascen.

D Thomas

Quādo sunt aliqua essentialiter ordinata plus distat tertium a primo, quam secundum quemadmodum se habēt Deus, Sol, & homo: homo enim magis distat a Deo quā Sol, qui est secundum agens subordinatum in agendo, sed in creatura sunt essentialiter ordinata essentia, esse, & potentia, ergo plus distat potentia ab essentia, quam esse; imaginatur D. Thomas, quod esse distinguatur realiter ab essentia, & potentia distinguatur realiter ab esse. Nam Petrus primo habet essentiam, quæ est ipsemet Petrus, & ab eius essentia fluit existentia tamquam effectus illius, ita ut existentia est vnum accidens, quod causatur ab essentia. Postquam autem res habet esse, necesse est vt habeat potentias ad operandum, atque adeo ab ipso esse, seu a natura existēte fluunt potentiæ, quę etiam sunt accidentia secundum ipsum, & ex hoc sequitur, quod plus distat potentia ab essentia, quam esse, & ex hoc infertur vlterius, quod essentia producit potentias mediante suo esse, & potētia producit substantiam, ergo accidens potest producere aliquam substantiam, patet consequentia, quia potentiæ sunt accidentia, ex quo sequitur corollarie secundum principia D. Thomæ, quod nulla forma substantialis potest esse immediatum principium agendi, & ratio est, quia forma substantialis est ipsa essentia, quæ agit solum mediante potentia, quæ est instrumentum formæ substantialis.

Secundo probatur idem antecedens. Quandocumque sunt duo actus, quorum neuter includit alium, non reducuntur in idem principium, vt habetur a Philosopho 2. de anima t.c.33. vbi docet, quod potentiæ distinguuntur per actus, sicut actus per obiecta, sed perficere materiam, & abstrahere a materia sunt duo actus in anima, & non se includentes, quia vterque potest esse sine alio, primus sine secundo, id est, perficere materiam sine actu abstrahendi a materia, vt in pueto, & in dormiente, in quibus anima perficit materiam, sed non abstrahit a materia; secundus etiam sine primo, vt in anima separata, quæ intelligit sine materia, & non perficit materiam, sed actus prior, s. dare esse materiæ competit essentiæ, vt proximo principio formali, ergo ille alius actus non conuenit essentiæ, & tunc a simili de alijs substantialibus formis respectu actiuum, quæ videntur ei competere, vt exemplariter de igne generāte ignem sic arguatur. Quandocumque sunt duo actus, quorum vnus alium non includit, dicere oportet, quod habeant diuersa principia, sed producere formam substantialem in materia, & perficere materiam sunt duo actus, quorum vnus alterū non includit, ideo oportet, quod habeant diuersa principia productiua, sed sic est, quod forma ignis perficit materiam ignis, ergo producere formam substantialem in externa materia non potest formæ ignis competere, competit ergo ignis potentiæ, nempe calori, ergo accidens potest producere substantiam.

Tertio probatur antecedens. Possibile est aliquam creaturam causare cognitionem de Deo, ergo multo magis possibile est aliquid in virtute substantiæ causare substantiam, antecedens probatur, quia possibile est aliquam cognitionem propriam habere de Deo, & non nisi per creaturam, quia nihil aliud mouet intellectum viatoris. hæc opinio refertur ab Sco. in hac q. sub litt. bb. §. de tertio articulo. In hac positione ex principijs D. Thomæ duo dicuntur, quæ impugnantur a Doct. primum est, quod potentiæ animæ sunt accidentia realiter distincta ab ipsa anima alterū est, quod nulla forma substantialis potest esse principium immediatum agendi. Contra primum arguitur sic. Si intellectus est quid absolutum aliud ab anima, ergo potest ab ea separari, atque ita separatus poterit intelligere, & beatificari, consequens est inconueniens, ergo & antecedens, consequentia probatur, quia omne absolutum distinctum realiter potest a quocumque absoluto separari, ergo &c. Respōdet D. Thom. negando hanc propositionem, scilicet omne absolutum distinctum realiter &c. & assignat instantiam de subiecto, & propria passione: nam passio est quid absolutum realiter distinctum a subiecto, & tamen non potest a sobiecto separari, & ratio est, quia propria passio in sua definitione includit subiectum. Contra, ex hac responsione habetur, quod substantia potest esse immediatū principium agendi, quod negant Thomistę; assumptum autem sic deducitur. Si subiectum non potest separari a passione hoc est propter aliquam necessitatem in subiecto respectu passionis; hæc autem necessitas reducitur ad aliquam causalitatem, non causæ materialis cum illa sit contradictionis, quia tunc subiectum quandoque haberet passionem, interdum non haberet, ergo causæ efficientis, atque ita substantia erit, immediate causa efficiens alicuius passionis, nisi producatur in infinitum dando passionem ante passionem.

Præterea si subiectum est causa efficiens suæ passionis, ergo subiectum potest esse sine passione, consequentia probatur, quia omnem causalitatem extrinsecam Deus potest supplere, sed ista causalitas subiecti respectu passionis non potest esse nisi causalitas extrinseca, cum sit causa efficiens, ergo Deus potest eam supplere, & per consequens poterit esse subiectum sine passione. Quando autem confirmant istam responsionem per hoc, quod in definitione passionis cadit subiectum, nihil valet, quia sic nullum accidens posset a subiecto separari: nam secundum Philosophum ibi in 7. Met. t.c.4. in ratione cuiuscumque accidentis necesse est rationem substantiæ esse.

Præterea secundo impugnatur hæc instantia de subiecto, & passione, nam si subiectum non potest esse sine passione, sequitur quod substantia panis non possit esse sine quantitate, nec ē conuerso, consequens est falsum, ergo & antecedens, si teneatur quod passio distinguatur realiter a subiecto, consequentia probatur. Quicquid enim per se, & primo inest superiori, per se licet non primo inest inferiori, vt patet de Triangulo, & Isochele respectu huius, quod est habere tres, sed esse cōtinuum per se & primo inest substantiæ corporeæ, ergo per se licet non primo inest pani, & per consequens non poterit panis manere sine continuitate eadem, nec continuitas eadem sine pane, quia accidens non migrat a subiecto in subiectum, atque ita non posset quantitas in Eucharistia manere sine substantia, quod ipsi negant, & communis schola.

Contra secundum, scilicet quod forma substantialis non possit esse principium immediatum agendi, argutum est supra d.12. q.3. sed pro nunc arguitur sic. Substantia, siue quidditas substantiæ est principium motiuum intellectus, ergo est principium immediatum operandi in intellectum. Respondet D. Thom. quod quando anima operatur in ratione obiecti, actio illa non est realis, sed est actio mere intentionalis, nam quando obiectum producit intellectionē, dicitur agere intentionaliter, concedit autem D. Thomas, quod substantia agat immediate actione intentionali, negat autem, quod possit esse principium immediatum agendi actione reali. Contra, hæc fuga nihil valet, quia etsi substantia dum mouet intellectum in ratione obiecti habeat esse intentionale, tamen ipsa intellectio producta est forma realis, ergo respectu eius oportet dare aliquod principium actiuum reale, & vt reale. Nec valet fugere ad phantasma: quia secundum eos essentia Angeli mouet intellectum Angeli ad propriam intellectionem, & ibi nullum potest fingi phantasma, nam phantasma est quædam species sensibilis recepta in organo phantasiæ, Angelus autem non habet phantasiam, ergo &c.

Præterea secundo. Illud est principium agendi, in quo producens assimilat sibi passum, vel melius productum non assimilatur producenti nisi in forma substantiali, igitur forma substantialis est principium immediatum agendi. Item tertio Instrumentum secundum eos non agit nisi vt mouens motum, ergo immediate mouetur a principali agente ad hoc, quod moueat, & per consequens ad hoc, quod accidens agat, vt instrumentum substantiæ immediate mouebitur a substantia, & per consequens substantia immediate agit aliquid, quod tu negas. Sed inquit Doct. hoc præsuppositum Thomistarum, scilicet quod instrumētum nō agit nisi vt mouens motum, non est verum de causis essentialiter subordinatis, quia causa secunda, quæ vocatur quādoque instrumentum, non semper recipit motionem specialem a causa prima sed habet tantum subordinationem aliquam formæ suæ actiuæ ad formam actiuam alterius, per quam subordinationem causa priori exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi, & sic secunda dicitur mouens motum non quia recipiat motionem a prima per quam moueat, sed quia in motione sua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente.

Hac itaque impugnata, & explosa opinione respondet Doct. ad difficultatem sub. litt. H. §. quantum ergo. Quantum ergo ad istum articulum sicut prius dictum est, instru-

mentum

mentum potest multipliciter intelligi, sed ad propositum sumitur instrumentum pro agente dispositiuo, & hoc modo accipiendo instrumentum dicit Doct. quod sacerdos habens actionem propriam humanam præuiam actioni diuinæ tamquam dispositionem necessariam, non quidem ex natura rei, sed ex ordinatione Dei paciscentis cum Ecclesia quod ad talem actum Sacerdotis faciet talem actum sibi proprium, est instrumentum Dei in ista conuersione, quæ responsio vniuersalis est in omnibus Sacramentis, in quibus Minister requiritur, quia ipse minister est agés quoddam dispositiuum; actio autem illius est actio instrumentalis respectu actionis principalis agentis, eo modo aliqualiter, quo sectio est ad formam scamni, quia ad illam sequitur regulariter illa forma ex ordine agentis principalis. Sic in proposito prolatio verborum. Sacramentalium posset dici actio instrumentalis respectu conuersionis corporis Christi, quia ad illam prolationem sequitur regulariter cófectio corporis Christi. Atque ita actione alicuius creaturæ vt agentis instrumentaliter conficitur corpus Christi non quidem, vt attingentis terminum, sicut aliqua instrumenta habent actionem instrumentalem attingentem terminum, vt dictum est, sed eo modo, quo agens præuium dicitur agere instrumentaliter ad formam principalem, quã non attingit, & actio eius dicitur instrumentalis, quia dispositiua, & præuia ad formam principalem.

Sed contra hanc concl. est vltimum argumentum principale. Sacerdos habet aliquam actionem respectu consecrationis, ergo non sola actione Dei conficitur Eucharistia, antecedens probatur, quia non requiritur intentio aliqua in aliquo respectu alicuius effectus, ad quem ipsum nullo modo est causa agens, sed intentio sacerdotis ad hanc consecrationem requiritur, ergo &c. Respondetur negando antecedens, & ad probationem distinguitur, vel de actione principali, & effectiua, aut ministeriali, & dispositiua, si intelligatur, quod sacerdos faciat conuersionem principaliter, & effectiue negatur, si autem dispositiue, & ministerialiter conceditur, & hoc modo nullum est inconueniens, quod agens instrumentale debeat habere intentionem, siue sit agens naturale, siue agens per intellectum, de agente naturali patet in calore alterante ad formam ignis, habet enim propriam intentionem, cum agat propter finem, qua intendit disponere passum ad hoc, quod ignis agat, patet etiam de agente per intellectum: nam agens dispositiuum agens per intellectum requirit determinatam actioné humanam, quæ ordinatur ad actionem principalis agentis, & talis vniuersaliter est actus Ministri in confectione, & dispensatione sacramentorum.

Ad rationes deductas ex principijs D. Thomæ respondetur, & ad primam dicitur, quod multa falsa supponit, nã falsum est, primo quod sit aliquis ordo inter essentiá, esse, & potentiam, si accipiat ordinem proprié, qui dicit temporis prioritatem &c. Secundo falsum est, quod esse sit aliud ab essentia, & hoc probatum est in primo d. 36. q. 3. per dicta eorum, id est, quia incompossibile est genitum, vt genitum per se habere vnam esse, si esse sit aliud ab essentia, nã vt sic genitum esset vnum per accidens ex esse, & essentia, si esse esset accidens essentiæ ab ea realiter distinctum, sed genitum vt genitum, siue primus terminus generationis, id est, terminus totalis, & quod generationis est per se vnum, ergo &c. Præterea esto, quod esset talis ordo, quem fingunt essentiæ, esse, & potentiæ, adhuc non haberent intentum, quod prius natura essentia habeat esse, quam potentiam, imo potentia præcederet ipsum esse, quia in quocumque instanti naturæ, vel durationis, essentia habetur perfecta, in eodem habetur perfectum principium operandi operationes conuenientes potentiæ, & per consequens perfecta potentia, atque ita si esse sit aliud a potentia, potétia præcedit ipsum esse.

Ad secundam dicit Doct. quod maior non est vniuersaliter vera, imo est vniuersaliter falsa de actu primo, & secúdo, quia vt sic probaretur, ꝙ nihil esset principium actiuũ in creaturis, nam quælibet forma substantialis cótinet istos duos actus, scilicet actum primum, qui est informare, & perficere materiam, & actum secundum, qui est agere, formam autem oportet dare actum ei, quod informat, & si est actiuum oportet, quod respiciat illud, in quod causat actũ secundum, vt anima habet duos actus primum, scilicet informare corpus, & secundum scilicet intelligere, & ita est de qualibet forma substantiali. Isti duo actus sunt disparati, quia vnus potest esse sine alio, & è contra. Dico ergo (inquit Doct.) quod maior propositio est vniuersaliter falsa de actibus ordinatis primo & secundo, quia forma dans actũ secundum dat etiam primum, & è conuerso, atque ita applicatur ad propositum de animare, & intelligere, sed ad propositum D. Thomæ nihil valet illa maior, et si habet aliquam veritatem est vera de actibus secundis disparatis, & de principio actiuo limitato, id est, est vera quando sunt aliqui actus secundi disparati, & vnum principium limitatũ ad vnum illorum actuum, sicut sunt visio, & auditio, seu videre, & audire, nam potentia visiua est limitatum principiũ ad actum videndi, & potentia auditiua ad actum audiẽdi. Tunc oportet dicere, quod prædicti actus habent diuersa principia, atque ita intelligit Aristot. 2. de anima, sed in casu nostro non est ad propositum, quia animare, & intelligere non sunt tales duos actus, quorum quilibet principium limitatum requirat, quia possunt esse ab eodem principio.

Ad tertiam rationem respondet Doct. dupliciter, & primo dicit, quod cognitio Dei est accidens, & per consequẽs non excedit totum genus accidentis mouentis intellectũ, eodem modo si loquamur de cognitione substantiæ creatæ, & accidente, possibile est ergo accidens causare cognitionem substantiæ creatæ, vel increatæ, absque hoc, quod causet aliquid nobilius perfectione sua propria, nam quæcumque cognitio siue substantiæ creatæ, siue increatæ non excedit genus accidentis, sed non ita esset si accidens causaret substantiam, quia qualibet est simpliciter perfectior quocumque accidente.

Secundo respondet, & redit quasi in idem, quod obiectum in cognitione habet esse diminutũ, & per consequẽs substantia, vt cognita, vel Deus vt cognitus habet esse diminutum in cognoscente, substantia autem, vt in se, habet esse simpliciter, & perfectum, licet ergo accidẽs possit esse principium producendi substantiam in esse diminuto, id est, in esse cognito, vel Creatura Deũ in tali esse diminuto, id est, in esse cognito, tamen arguendo a simili nó sequitur, quod accidens possit esse principium producendi substantiam in esse simpliciter quomodocumque nec vt instrumentum, nec vt agens principale.

QVÆSTIO II.

Vtrum quicumque sacerdos proferens verba consecrationis cum intentione determinata, et circa materiam conuenientem possit conficere Eucharistiam.



Ctio Ministri in hoc Eucharistię Sacramento duplex est, scilicet eius effectio, & dispensatio, in cæteris enim Sacramentis hæc duo non distinguuntur, quia consistunt in vsu, & ideo effectio, & applicatio ad vsum, quæ fit cum dispensatur Sacramentũ idẽ sunt in eis. Hoc verò Sacramentũ consistit in facto esse, atque adeo prius fit, & postea dispensatur, seu applicatur ad vsum, distinguuntur ergo in illo hæ duæ actiones, inter quas notari potest hæc differentia, quod confectio Sacramenti quædam requirit ex parte Ministri, vt rata sit, & valida, quædam verò vt digne, & debite fiat, dispensatio verò cum iã supponat Sacramentum factum non potest esse irrita ex parte dantis, dummodo ex parte rei, quæ datur sit vera Eucharistia consecrata, & ideo in hac actione solum supersunt consideranda ea, quæ necessaria sunt, vt digne fiat. Doct. ergo in hac quęstione omnia hæc promiscue tractat, & considerat, quæ nos claritatis, & methodi seruandi causa distinguenda censuimus. Agimus ergo primo de prima actione, & de his, quæ necessaria sunt ex parte Ministri, vt effectio huius Sacramenti sit rata, & ea quæ obseruare debet Minister, vt huiusmodi actionem digne exequatur. Secundo agimus de his, quæ obseruare debet Minister, vt digne hoc Sacramentum dispenset.

Primus Art. Vtrum Angelus esse possit conueniens Minister huius Sacramenti.

Secundus Ar. Vtrum non sacerdos possit hoc Sacramentum conficere.

Tertius Art. Vtrum solus Episcopus consecrare possit.

Quar-

Quartus Art. Vtrum quilibet sacerdos possit hoc Sacramentum conficere.
Quintus Art. Vtrum Sacerdotes degradati consecrare possint.
Sextus Art. Vtrum Sacerdos hæreticus in infidelitate in quam ordinatus atque schismaticus consecrare possit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus esse possit conueniens minister huius Sacramenti.

DIctum est in præcedenti quæstione, quod conficere Eucharistiam, vt principalis causa nulli potest competere nisi soli Deo; licet vt causa instrumentalis, vel vt magis propriè dicam, vt ministro possit agenti creato competere, sed dubium est an hæc potestas possit competere Angelis, vel competat tantum homini.

De hac re fuit hæresis Lutheri in lib. de Missa priuata, & vnctione sacerdotus dicentis nedum Angelos bonos, sed etiam Dæmonem ministros esse Sacramenti Eucharistiæ, cæterum an Angeli siue boni, siue mali possint Sacramenta ministrare diximus supra d.6.q.1. quo autem ad Sacramentum Eucharistiæ videtur, quod potestas consecrandi possit competere Angelo bono, quia ad Hebr. 1. dicitur de illis, quod sunt administratorij spiritus in ministeriũ missi, sed cum sint spiritus nobilissimi cõgruit illis mitti in nobilissimum ministerium, hoc autem est ministerium consecrandi, seu conficiendi, & rationi cõgruum est, quod mittantur in ministerium, quod illis maxime congruit. Item in hoc Sacramẽto ministratur homini panis cælestis, id est, panis Angelorum, sed magis congruit hunc panem ministrari ministro cœlesti. s. Angelo quam terreno. s. homini, ergo ex quo a summa sapientia omnia sunt conuenienter disposita, sequitur, quod Angelis congruat hoc Sacramentum conficere. Item si consecrata in hoc Sacramento ministerio Angelorum deferuntur in conspectu diuinæ Maiestatis, vt patet in illa oratione posita in canone Missæ, Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, non est autem minus facere hãc oblationem, quàm consecrationem, videtur quod sicut Angeli possunt hoc, possint & illud.

Cæterum dicendum est, quod Angelus hostiam altaris consecrare non potest, quia ei a Christo huiusmodi potestas collata non est; nam ordinauit Deus, vt dicit Doct. in principio huius quæst. quod in quibuscumque Sacramentis minister possit esse homo, & non Angelus, atque adeo illi soli habent potestatem, quibus a Domino, quando hoc Sacramentum instituit, datum est officium conficiendi, sic ue consecrandi, at solis hominibus, nempe Apostolis, & discipulis data fuit huiusmodi potestas, vt patet Lucæ vigesimo secundo, & Matth. vigesimo sexto, Item vt rus transubstantiandi elementum in corpus, & sanguinem Christi data est verbo sensibili, atque adeo cuius est proferre verbum sensibile, eius est ministerialiter mediante verbo consecrare, hoc autem est hominis non Angeli. Inter Deum, & hominem purum non est medium, ergo in hoc Sacramento, in quo Deus homo ministratur homini puro non est ponendus Angelus esse medium, at minister est medium inter illud, quod ministratur, & illud cui ministratur, ergo Angelus non debet esse minister huius Sacramenti. Prætere a si Sacramenta ministrarentur homini per Angelos esset homo in sua reparatione subiectus naturæ angelicæ, atque ita non esset per Christum solum restitutus in pristinam dignitatem. Deinde si susciperet homo ab Angelo, non esset ibi humiliatio sufficiens Sacramento, Angelus enim superior est homine, & natura, & gratia, & officio. Demum potestas dispensandi sacramenta fluit a capite in membra, hoc enim fuit primo in Christo sicut in primo Sacerdote, & dispensatore, & hoc secundum proprietatem humanæ naturæ, quoniam igitur Angeli non sunt membra Christi, & alieni sunt ab humana natura, ideo in eos non descendit dicta potestas.

Ex his patet responsio ad primum, & ad secundũ, quia non conueniebat hanc illis dare potestatem a Domino, cuius est de omnibus vtiliter, & modo congruo prouidere, habent enim a Domino potestatem illuminandi, purgandi, perficiendi, vota, & orationes Deo offerendi, quæ eis potissime conueniunt, & aliorum multorum.

Ad tertium dicendum, quod per hoc pronomen, hæc, cum dicitur iube hæc perferri &c. nõ monstrantur corpus, & sanguis Christi, vt docent Innocent. de sacrificio Missæ lib. 5. c. 6. Alex. de Ales. p. 4. q. to. m. 5. art. 1. s. 1. Gab. in canolect. 55. non enim petit illa clausula, illa perferri in sublime altare Dei, cum semper sint ibi (sublime enim altare dicitur Ecclesia triumphans, siue dextera Dei Patris) sed potius vota fidelium, vnde sensus est. Iube hæc, id est, vota fidelium, videlicet supplicationes, & preces perferri per manus Sancti Angeli tui, hoc est, per ministerium Angelorũ in sublime altare tuum, id est, in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ. Vel potest aliter dici, quod hoc pronomen, hæc, demonstratur res Sacramentorum, siue signorum, scilicet corpus Domini mysticum, sæpe enim significans pro significato ponitur. Est ergo sensus, Iube hæc perferri &c. id est, iube significatum horum perferri in sublime altare tuum, id est, Ecclesiam militantem venire ad triumphãtem, & hoc est, quod petitur Matt. 6. adueniat regnum tuum. Quod autem sic debeat intelligi videtur ex hoc, quod subditur, scilicet vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctũ filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione celesti, & gratia repleamur.

Innocentius *Alex de Al.* *Gabriel.*

ARTICVLVS II.

Vtrum non sacerdos possit hoc Sacramentum conficere.

IOannes Vuiclefus teste Thoma Vualdẽsi hoc problema in dubium reuocauit, nam videbatur illi valdemirum si posset malus sacerdos consecrare Eucharistiam, & id non posset Laicus bonus, rem tamen omnino definire noluit. *Tho. Vval.*

At Lutherus audacior apertissime rem definiuit, atque, asseruit quemlibet Christianum ex baptismo potestatem habere Eucharistiam consecrandi, licet officium assumere nemo debeat nisi legitime vocatus excepto casu necessitatis. Id habet Lutherus in lib. de Babylon. capt. cap. de ordine, in libro de instituendis ministris ad Senatum Pragensem, in lib. de Missa abroganda, in lib. de notis Ecclesiæ, & alibi, quibus in locis docet omnes Christianos cuiuscumque sexus sint sacerdotes esse, & quod vnusquisque paterfamilias posset domi suæ panem, & vinum consecrare, & corpus, & sanguinem suæ exhibere familiæ, non tamen omnes debere hoc efficere, sed ij dumtaxat, qui sunt a Republica constituti, sed hoc est plusquam hæreticum, nam conficiendi potestas cum sit supernaturalis, quomodo a lippis, & tonsoribus dari potest, confutatur autem hic error sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Hæreticum est affirmare omnes Christianos sacerdotes esse, definita est in multis Concilijs, in Niceno primo can. 1. 2. & 3. in quibus excluduntur quidã, ne ordinentur sacerdotes. In Lateranensi sub Innocen. 3. cap. 1. vbi statuens de Sacramento Eucharistiæ inquit, & hoc vtique Sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundũ claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorũ successoribus Iesus Christus. In Con. Floren. in instructione Armenorum, vbi dicit, quod sacerdos in persona Christi hoc conficit Sacramentum, & demum in Conc. Trident. sess. 33. c. 1. & 4. & sess. 7. de Sacramentis in genere can. 10. Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit lege Can. 2. Apostolorum apud D. Clementem, in quo statuitur, quod Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, reliqui Clerici, quæ ordinatio esset frustra si omnes Christiani essent sacerdotes. *1. Conclusio* *Conc. Nice.* *Conc Late.* *Conci. Flor.* *Conc. Trid.* *D. Clemens*

Secunda conclusio. Soli Sacerdotes per Episcopum consecrati Eucharistiæ Sacramentum possunt conficere, definita est vbi prima conclusio, solis enim sacerdotibus in receptione ordinis sacramentalis conseruandi potestas attribuitur. Et si quæratur, vnde accepit Ecclesia fundamentũ determinandi hanc veritatem. Respondet Doct. quod accepit ex illo verbo Dei Matt. 26. Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis, vbi loquitur Apostolis, vel ad minus non nisi discipulis, quibus in Ecclesia ad minus non succedunt nisi sacerdotes. Apostolis succedunt Episco- *2. Conclusio*

pi.

pi, discipulis Presbyteri, vt habetur d. 21.] In nouo testamento obseruandum est hic, quod verba, quæ citantur a Doct. ex Matt. c. 26. non sunt Mattei, sed Lucæ 22. nam solus Lucas inter Euangelistas habet illa verba. Hoc facite in meã commemorationem, quæ referuntur etiam a D. Paulo 1 ad Corint. c. 11. Vnde pro intelligentia illorum verborum obseruandum est, secundo quod illud facite, non significat solum manducare, & bibite, quod conuenit omnibus Christianis, sed significat consecrate, sumite, & aliis distribuite, vt me facere vidistis, ista autem tria non possunt conueni se omnibus, sed solum quibusdam, qui ideo dicuntur sacerdotes, ergo cæteri nullo modo possunt Eucharistiam consecrare, & si id tentauerint nihil facient, nam sacramenta conficiuntur in persona Christi, quare cui Christus id non commisit, is nihil facere potest.

Idem etiam habetur ex illa sententia D. Pauli 1. ad Cor. 10. Panis quem frangimus non ne communicatio corporis Domini est? quem frangimus, inquit Paulus nos, scilicet Apostoli, & discipuli eius, nam si quilibet fidelis posset conficere Eucharistiam non esset necessarium a quempiam aliis frangere, sed quilibet posset de suo sacrificio communicare. Et confirmatur ex Clem. Rom. lib. 2. Const. cath. c. 31. *Clemens.* vbi docet rem esse tremendam hominem se ipsum demittere ad dignitatem aliquã sacerdotalem, vt Coritæ, vt Saul, vt Ozias. Ita enim scribit. Quemadmodum non erat licitum alienigenam, & eum qui non esset Leuita aliquid offerre, vel ad altare accidere sine sacerdotibus, ita vos sine Episcopo nihil facite. Quod si quis sine Episcopo faciat aliquid, frustra illud facit, non enim in opus ipsi imputabitur. Vt enim Sauleum sine Samuele obtulisset audiuit, quoniã frustra fecisti. Sic Laicus omni sine sacerdote perficiens ali *1. Reg 13.* quid frustra facit &c.

Contra secundam conclusionem arguitur, & primo sic. Iniustus nullo opere suo placet Deo, vnde nihil quod facit fit secundum beneplacitum Dei, ergo a contrario quicquid fit a bono, & iusto fit secundum beneplacitum Dei, vnde inquit D. August. habe charitatem, & fac quicquid uis, sed *D. August.* quicquid secundum diuinum beneplacitum finem assequitur propter quem fit, ergo si a iusto laico fierent, quæ fiunt in consecratione finem assequerentur propter quem, siue ad quem, et si hoc, ergo bonus laicus habet potestatem.

Item iustus quicunque est magnæ dignitatis corã Deo, peccator autem non est dignus pane quo vescitur, ergo si potestas consecrandi est propriè potestas dignitatis, plus cõuenit hæc potestas laico bono, siue iusto, quam iniusto sacerdoti, sed iniustus sacerdos habet potestatem consecrandi, ergo multo fortius iustus laicus. Præterea duorum actuum, quorum vnus ordinatur ad alium, ille est nobilior ad quem alius ordinatur, sed conficere corpus Christi ordinatur ad sumere, ergo nobilius est sumere quam conficere, sed non sacerdos potest sumere, ergo multo fortius potest conficere.

Deinde. sicut solis sacerdotibus competit ex officio baptizzare, & nihilominus si laicus baptizzat baptizzatus est, ita licet sacerdotis sit ex officio consecrare, si tamen laicus consecret consecratum est. Et confirmatur, nam sicut Dominus solis discipulis dixit. accipite, & commedite &c. & hoc facite in meam commemorationem, ita dixit solis discipulis. Ite docete omnes gentes baptizzantes eos &c. sed licet sic dicendo discipulis contulerit officium baptizzandi & potestatem, nihilominus potestas baptizzandi omnibus est data, ergo similiter videtur de potestate consecrandi.

Ad primum dicendum, quod hæc enunciatio. Iniustus nullo opere suo placet Deo vera est, hæc autem, quæ subinfertur, nihil quod facit fit secundum beneplacitum Dei nõ est vera, neque sequitur ex prima, licet enim iniustus non placeat Deo, opus tamen eius potest placere Deo, multæ enim operationes iniustorum placuerunt Deo, sicut illorũ, qui afflixerunt populum Dei propter eorum auersionem a Deo, vt patet in multis locis scripturæ. Similiter dicendũ est de illa, quæ subinfertur, scilicet quicquid fit a iusto fit secundum beneplacitum Dei, hoc est falsum nisi intelligatur per se, sed consecratio Eucharistiæ non potest exerceri a laico iusto per se, id est, quatenus est iustus, imo si hæc faceret vsurparet, & a iustitia deuiaret.

Ad secundum dico, quod duplex est dignitas, scilicet meriti, & dignitas officii, siue authoritatis. Sacerdos iniustus, & si careat meriti dignitate, gaudet tamen dignitate officii, & authoritatis, laicus iustus e contrario caret dignitate authoritatis, & gaudet dignitate meriti. Cæterum in confectione Sacramenti Eucharistiæ potestas consecrandi respicit dignitatem authoritatis, non dignitatem meriti, nam ut dicit D. Aug. non in merito consecrandis, sed in verbo per- *D. August.* ficitur Creatoris, & loquitur de hoc Sacramento, non ergo consideratur in potestate consecrandi dignitas, sed auctoritas, quæ est in sacerdotibus ratione characteris.

Ad tertium dico, quod etsi communio sacra sit maior in effectu sanctitatis, consecratio tamen est maior in excellentia, siue authoritate potestatis. Vnde magnitudo hæc, & illa non sunt eiusdem generis, nec maius, nec minus similiter, propter quod non sequitur, quod qui potest in hoc, quod maius est, potest etiam in id quod minus est. Vel dicatur cũ Doct. ad quartum principale, quod sumere est magis commune, & necessarium, quam conficere; magis autem necessarium licet sit in se aliquando nobilius, tamen pluribus quandoque competit quam minus nobile, quod est minoris nobilitatis, & ratio est maior seu communior necessitas. Ita est in proposito quia Christus expresse docuit se, velle sumi in Eucharistia a quolibet Christiano Io. 6. nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. & ibi loquitur omnib. sed consecrationem, seu dispensationem noluit ita esse communem, quia non fuit ita necessarium, quod esset communis, possunt enim pauciores dispensare, quam suscipere.

Ad vltimum dico, quod non est simile, quia Sacramentum baptismi est Sacramentum necessitatis, & ianua omnium Sacramentorum, atque adeo licet officium baptizzãdi sit Sacerdotibus specialiter datum, omnibus tamen instãte necessitate est concessum. Et ad confirmationem dico, ꝙ licet in his commissionibus sit quædam similitudo in genere, tamen sicut patet ex factis sequentibus, & ipsorum Apostolorum institutionibus differenter committitur potestas baptizzandi, & consecrandi. in collatione enim ordinis sacerdotalis confertur specialis potestas, & authoritas ad consecrandum, & proprie ad hoc inunguntur manus præsbyterorum in susceptione ordinis sacerdotalis, accipiunt. & calicem cum vino, & patenam cum hostiis, quæ in Sacramento altaris offeruntur, quapropter sacerdos in susceptione ordinis sacerdotalis accipit specialem potestatem consecrandi, sed non ita datur ibi determinata potestas ad baptizzandum, sed ex consequenti ad illam, quæ est consecrandi, & quæ est ligandi, & soluendi datur officium baptizzãdi, & propter hoc in necessitate aliis est concessa potestas baptizzandi.

D V B I V M.

An in casu necessitatis, vel ex aliqua dispensatione possit ab alio, quam a sacerdote hoc Sacramentum confici.

Respondetur, quod non, quod etiam est de fide certũ, quia Concilia non tantum definiunt sacerdotem esse ministrum ordinarium consecrationis, sed etiam necessarium, & idem docet Ecclesiæ vsus, ac traditio, numquam enim in Ecclesia aliter visum est fieri propter vllam necessitatem, aut dispensationem, legimus quidem in articulo necessitatis interdum esse Eucharistiam ministratam a laico, vel Diacono, quæ tamen prius a sacerdote esset consecrata, quia cum Sacramentum semel factum permaneat in vsu, & applicatione, non potest essentialiter pendere a conditione, vel qualitate applicantis, sed solum illa erit necessaria vt recte, & debite fiat, vt explicabimus. infra. non legimus autem propter vllam necessitatem consecratam esse Eucharistiam ab alio, quam ab eo qui sit sacerdos, sed potius legimus vrgentibus necessitatibus magna diligentia curatum esse a Pastoribus Ecclesiæ, vt Christiana plebs non careret sacerdotibus, ne simul etiam hoc Sacramento priuaretur, vt ex antiquis historiis refert Card. Bellar. lib. 4. *Bellar.* de Eucharistia c. 16. in fine. Ratio vero est eadem, quia potestas ad hoc Sacramentum conficiendum est supernaturalis, & datur in consecratione sacerdotis, sine potestate autẽ non potest actio exerceri. Congruentia autem est, quia cũ hoc Sacramentum non sit necessitatis simpliciter, nõ oportuit, vt propter alicuius necessitatem eius consecratio aliis, quam sacerdotibus committi posset. Et confirmatur, nam licet pænitentia sit magis necessarium Sacramẽtũ, nihilominus nõ potest in necessitate ab alio, quã a sacerdote cõfici.

A R-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An solus Episcopus consecrare possit.

Ratio dubitandi est, quia cum Sacramentum confirmationis non sit tantæ dignitatis, nec venerationis sicut hoc Sacramentum, & tamen Sacramentum confirmationis, quia magna veneratione tenendum est, a solis Pontificibus debet perfici, vt habetur de consd. d. 5. vbi Eusebius Papa epistola 3. ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ inquit, manus quoque impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi a Summis sacerdotibus. i. Episcopis. ita a simili, imo a fortiori videtur dicendum de hoc Sacramento, tum maxime quia maior solemnitas requiritur in cōsecratione corporis Christi, quam in confirmatione, ergo videtur, quod solemnior, & excellentior requiritur minister in officio consecrationis, quam in officio confirmationis. Præterea hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ, sed alias materias consecrare, scilicet chrisma, oleum sanctum, & oleū benedictum pertinet ad solum Episcopum, quorum tamē consecratio non est tantæ dignitatis, sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus, ergo non est proprium sacerdotis, sed solius Episcopi hoc Sacramentum conficere. Item Canones determinauit, quod consecratio Monialiū; & Basilicarum ad solos spectat Episcopos, sed nulla est cōparatio inter potestatem, & dignitatem cōsecrandi corpus Christi, & eius sanguinem, & potestatem consecrandi moniales, vel basilicas, ergo multo magis videtur, quod potestas consecrandi corpus Christi ad solos spectet Episcopos. & confirmatur, quia in qualibet Republica Principi debetur actus nobilissimus, sed consecrare corpus Christi est actus nobilissimus, ergo conuenire non potest nisi Principi sacerdotum.

Cæterum dicendū est, quod licet propter dignitatem, & excellentiam corporis Christi deceret, quod officium consecrationis huiusmodi solummodo esset Pontificum, imo potius solummodo Summi Pontificis, tamē propter vtilitatem, quam assequuntur fideles ex Missarum frequentia, & multiplicatione aliter disposuit diuina sapientia, cuius prouidentia regitur Ecclesia in suis institutionibus, vnde multiplex est ratio quare potestas hæc fuit data sacerdotibus simpliciter, non solummodo Pontificibus. Vna est diuini cultus dilatatio, alia est humanorum defectuum reparatio, tertia pœnæ mortuorum mitigatio, quarta beneficij redemptionis frequens recordatio, quinta diuinæ familiaritatis manifestatio, sexta nostræ elationis repressio. Ex hoc enim quod potestas hæc est simpliciter sacerdotibus data, & non solum Pontificibus, ex frequenti Missarum celebratione cultus Dei multiplicatur, & quotidiani defectus nostri reparantur, & pœnę animarum existentium in Purgatorio mitigantur, & beneficium redemptionis frequenter repræsentatur, & ad memoriam reducitur, & diuina familiaritas ex suæ præsentiæ frequenti exhibitione insinuatur, præsentiæ dico in carne, & exemplum humilitatis nobis exhibetur, vnde elatio nostra reprimitur, efficax enim exēplum humilitatis est, quod Dominus voluit corpus suum a simplicibus personis tractari.

Ex his patet responsio ad obiecta, licet enim hoc Sacramentum sit excellentissimum, tamen non conuenit vt a solis Episcopis dispensetur propter dispendium, quod accideret ex raritate dispensationis, & cōmodum, quod accidit ex frequentia, nec sequitur, maior requiritur solemnitas in cōsecratione &c. igitur persona excellentior, quia solemnitas huiusmodi attestatur celsitudini Sacramenti, in persona cōsecrante prouidetur nostrę vtilitati. Ad aliud dicēdum est, quod Episcopus accipit potestatē, vt agat in persona Christi super corpus eius mysticum. i. super Ecclesiam, quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua cōsecratione, licet possit eam habere ex Episcopi cōmissione, & ideo ea, quæ non pertinent ad dispositionem corporis mystici non reseruantur Episcopo, sicut consecratio huius Sacramenti, ad episcopum vero pertinet tradere non solum populo, sed etiam sacerdotibus ea, ex quibus possunt proprijs officijs vti, & quia benedictio chrismatis, & olei sancti, & olei infirmorum, & aliorum, quæ consecrantur (puta altaris, Ecclesiæ, vestium, & vasorum) præstat quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium sacerdotum, ideo tales consecrationes Episcopo reseruantur, tanquam Principi totius ecclesiastici ordinis.

Vel dicatur, vt dicit Hugo loquens de prædictis, scilicet de cōsecratione basilicarum, & sacri chrismatis, & manuū impositione, & communi benedictione super populū &c. quod summis sacerdotibus supradicta singulariter reseruata sunt, ne eadem prorsus authoritas ab omnibus passim vēdicata inferiores erga suos Prępositos insolentes redderet, & soluto obedientiæ vinculo scandalum generaret. *Hug.*

Ad confirmationem dico, quod maior intelligenda est de actu nobilissimo, quo a Principe alicui confertur aliqua eminentia status super alios, sed sacerdos conficiendo hoc Sacramentum, & fidelibus ministrando non constituit aliquem in aliqua eminentia status super alios, sicut Episcopus conferendo alicui ordinem, vel aliquem confirmando constituit ordinatum, & confirmatum in aliquo statu eminenti in ecclesia, quia ordinati sunt sicut Duces, & confirmati sicut milites, & ideo tales actus referuntur Episcopis; & quia etiam consecratio altarium, & benedictio Virginū non veniunt in vsum totius populi, sed aliquarum excellētium personarum, ideo tales actus non conueniunt nisi episcopis, & ratione ordinis episcopalis, vnde nec talia sacerdotibus simplicibus conuenire possunt, ex ita de Conf. Ecclesiarum Aliqua per Episcopum in textu, & in Glossa.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quilibet sacerdos possit hoc Sacramentum conficere.

Pro explicatione huius quæst. supponere oportet, quod Sacramenta Christi sortiuntur effectum non ex meritoillorum, per quos dantur, sed ex virtute ipsius Christi, de quo dicitur Io. 1. hic est qui baptizat, & 1. Corint. 3. neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, ideoque licet ministri sint impudici, & immundi, Sacramenti sanctitas pollui non potest, vnde accessurus ad Eucharistiæ Sacramentum attendere debet nō ministri dispensantis, sed suam ipsius conscientiam, non sacerdotem a quo recipit, sed semetipsum debet iudicare. probet seipsum homo (inquit D. Paulus 1. Corin. 11.) & sic de pane illo edat, & infra, Si nosmetipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur a Domino: Sanctum est enim quod Deus dat etiam per ministrum dispensantem non sancta conscientia. Proinde D. Augu in lib. contra Petilianum, & contra Pesconium, & cōtra Donatistas toties exaggerat, iteratisque vicibus inculcat populum esse securum, qui Deū Patrem, & Matrem eius Ecclesiam tenet, qualescumq; sint ministri, vt nemo glorietur in homine ministrante, sed in Deo mius operante. *D. Aug.*

Secundo obseruādum est, quod aliud est posse via facti aliquid facere, aliud autem est via iuris, seu iuste posse aliquid facere, atque ita aliud est facti via, sacramenta aut conficere, aut accipere, aut dispensare, aliud est via iuris, seu licite hæc posse facere, ideoque non oportet esse consequens, si hæretici non habent ius baptizandi, ergo non est verum baptisma, quod dispensat, & similiter hæreticus Episcopus etiam excommunicatus nominatim, & ab Ecclesia præcisus, quamuis iure non possit conferre ordinis Sacramentū, si tamen quempiam ordinet, hic erit vere ordinatus, neque est cum ad Ecclesiam venerit reordinandus, multa enim contra ius dantur, nec tamen ideo, vel nulla, vel non data dicuntur, aliud est enim veraciter aut habere, aut accipere, aut dispensare sacramenta, aliud autem salubriter hæc facere, atque ita ille, qui aut perseuerat in crimine, aut separatus est extra Ecclesiam veraciter quidem habere, & accipere potest baptismum, Eucharistiam, aut ordinem, extra Ecclesiam tamen neque habet, neque accipit, neque dispensat ista salubriter sibi, quamuis aliquando proficiat in salutem aliorum. Vnde constat ex dictis, quod aliqua prohibētur iure irritante fieri, quæ si teneentur fieri irrita sunt, alia verò fieri prohibentur, quæ tamen si fiant veraciter fiunt, & obtinēt firmitatem, nam Hæretici, & Schismatici excōmunicati nominatim ab Ecclesia separati quædam facere prohibentur, quæ tamen si faciant veraciter faciunt, prohibentur baptizare solemniter, Eucharistiam conficere, forma tamen seruata baptizantes, aut Eucharistiam cōficientes,

tes,vera faciunt sacramenta. Quædam rursus facere prohibentur, quæ si facere tentent irrita sunt,& inania; hæretici namque & nominatim excommunicati, potestate iurisdictionis ecclesiasticæ expoliati sunt, ideo neque excommunicare,neque ligare, aut absoluere alios à censuris,aut peccatis possunt,quæ si facere tentent nihil faciunt. Sic enim ab initio intellexit Dei Ecclesia; sacerdotes ea,quæ sunt iurisdictionis tam in foro priuato, quã in foro publico posse amittere, sed non ea, quæ sunt sacerdotalis ordinis; & idcirco omnes censuræ, excommunicationes, vel à peccans, & censuris absolutiones emanantes ab excõmunicatis contra ius irritans cassæ, & inanes sunt tamquam latæ à non suo Iudice; & hæc dist.inquit Doct.generalis est in omnibus sacramentis, quia plus requirit ordinatè ministrare in eis,quam simpliciter ministrare.

Tertio obseruandum est,ꝙ loquendo de posse simpliciter nihil requiritur vltra materiam debitam(quæ in quolibet sacramento requiritur, quemadmodum & forma, de quibus dictum est supra)nisi minister debitus, ad quem requiruntur tres conditiones. prima ꝙ sit sacerdos; secunda ꝙ possit proferre verba consecrationis;tertia ꝙ possit habere intentionem debitam, faciendi scilicet, quod intẽdit Ecclesia facere: secunda & tertia conditio sunt communes huic sacramento,& in ministrante alia sacramenta;quia ad hoc ꝙ quis sit minister in baptismo, requiritur primo ꝙ possit proferre verba, & ꝙ habeat debitam intentionem; sed prima conditio est hic propria, scilicet, quòd solus sacerdos potest, vt ostensum est supra art.2.hac Sco.in hac q. sub litt.a.& b.

1. Conclusio. Ex his dico primo, quòd sacerdos factus mutus non potest conficere hoc sacramentum ob defectum secundæ conditionis.

2. Conclusio. Dico secundo, quòd sacerdos qui efficitur furiosus, vel stultus ex eo, quod caret vsu rationis non potest conficere propter defectum intentionis, nisi haberet lucida interualla.

3. Conclusio. Dico tertio, quòd quilibet sacerdos, cui possunt competere illæ duæ conditiones, scilicet verborum prolatio,& debita intentio,conficere potest hoc sacramentum; probatur concl. Eius est actus cuius est potentia,sed potentia consecrandi est in omnibus sacerdotibus legitimè ordinatis secundũ claues Ecclesiæ,ergo omnes sacerdotes possunt consecrare;maior est Arist.de somno,& vigilia,& minor probatur; potestas quæ datur per consecrationem est in consecrato, sed potestas conficiendi Eucharistiam datur in consecratione sacerdotali omnibus sacerdotibus, vt patet per formam verborum, quam dicit Episcopus consecrando sacerdotem,& tradendo ei calicem cum vino,& patenam cũ hostia, quæ sunt ista. Accipe potestatem sacrificium offerendi, Missamq; celebrandi tam pro viuis quã pro defunctis in nomine Domini: ergo omnes sacerdotes consecrati consecratione sacerdotali habent potestatem conficiendi hoc sacramentum, & per consequens omnes consecrare possunt.

Item 1.q.1.cap. Quod quidam. Nulla ostenditur causa quòd ille qui baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit, ergo à simili qui ordinem sacerdotalem amittere non potest, neque ius conficiendi amittere potest; sed nullus sacerdos amittere potest ordinem, atque adeo potestatem sacerdotalem;quia character est indelebilis,ergo,&c. Item eodem cap. §.de his, qui ab Ecclesia separati sunt,nulla iam quæstio est quin & habeant,& dare possint, & quin perniciosè habeant,perniciosèq; tradant extra vinculum pacis. & §.sequenti. Sicut non rectè habent, qui ab vnitate discedunt, sed tamen habent, & ideo redeunti non redditur, sic etiam non rectè dat, qui ab vnitate discedit, sed tamen dat, & ideo quod ab eo accipit venienti ad vnitatem non iteratur; & infra alio §. Sicut redeunti non redditur quod foris habebat,sic venienti repetendum non est, quod etiam foris accipit. & infra eodem §. Vnde consequenter intelligitur per uersitatem hominum esse corrigendam; sanctitatem verò sacramentorum in nullo peruersio esse violandam. Constat enim eam in peruersis,& sceleratis hominibus, siue in eis,quæ intus sunt,siue in eis, qui foris sunt impollutam, atque inuiolabilem permanere, ergo quicumque sacerdos quantumcumque malus potest habere sanctitatem sacramentorum eamdem cum bono; & per consequens quilibet sacerdos qualiscumque sit potest hoc sacramentum conficere.

Vnde pro ampliori intelligentia istorum verborum Canonis obseruandum est, quòd fuit quorumdam opinio, ꝙ sacerdos, vel Episcopus recedens ab Ecclesia ad hæreticos Sacramentum Baptismi non amittit, sed sacramentum ordinis amittit, contra quam opinionem arguit D. Aug. lib.2.contra Epistolam Parmeniani, c.13. ex quo loco desumpta sunt verba Canonis,& primo sic:quia cum vtrumque sit sacramentum non potest assignari ratio, quare potius perdatur vnum, quam aliud. Secundo sic: quia consuetudo Ecclesiæ est, quòd cum tales redeunt non solent reordinari, ergo Ecclesia vult tolerare. Tertio dicit, quòd sicut recedens ab Ecclesia vtrumque retinet, sic videtur ꝙ vtrumque potest conferre alijs extra Ecclesiam, licet malè conferat, & cum quis recipit sacramentum extra Ecclesiã, si reuertitur ad Ecclesiam nõ est sacramentum iterandum in eo.cætera vide in Gratiano. *D. August.*

ARTICVLVS V.

Vtrum sacerdotes degradati consecrare possint.

Obseruandum est primo pro huius tituli intelligentia, quòd quamuis degradatio, deordinatio, suspensio, & depositio nonnumquam ad inuicem confundantur, & sumi videantur pro eodem, vt d.81.c.Sacerdos,c.Dictum est cap.Clericus, & cap. Archidiaconum, & alibi sæpe. Si tamen propriè considerentur in se differunt. Nam suspensio importare videtur priuationem exequutionis legitimæ ordinis,vel officij ecclesiastici simpliciter,vel ad tempus cũ spe dispensationis, quæ quandoque à iure, quandoque à iudice infertur. Depositio autem propriè importat priuationem exequutionis legitimæ officiorum,& beneficiorum ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis, retento tamen vtroque priuilegio tum Canonis. Si quis suadente 17 q.4. Tum fori,ita vt conueniri non possit à Iudice sæculari, nec capi,nec puniri à laicis,& sit per sententiam hominis. Degradatio autem propriè priuat exequutione legitima officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis, & vtroque clericali priuilegio tum fori, tum Canonis priuat, & fit cum quadam solemnitate, de qua erit sermo infra d. 25.q.1.Ex quibus constat hæc inter se differre,& depositionem quid superius esse ad degradationem; si quidem omnis degradatio est depositio, non tamen è contra omnis depositus censetur degradatus; ex quibus colligi potest nęc degradationis definitio. Degradatio est pœna ecclesiastica, qua vir ecclesiasticus priuatur omnino exequutione ordinis, & beneficij administratione,& omni priuilegio clericali absque spe restitutionis, & cum quadam solemnitate. *Differentia inter suspensionem depositionem,& degradationem.* *Quid sit degradatio.*

Secundo obseruandum est,quòd degradatio est duplex, vna verbalis, altera actualis; verbalis est illa, quæ per sententiam priuat tantum à legitima exequutione ordinum, & graduum ecclesiasticorum, & dici solet depositio; cum enim Ecclesia declarat aliquem à clero exclusum esse ex hoc dicitur depositus. Solebat enim Ecclesia primitiua vniuersum clerum catalogo ascribere, à quo si quis deponendus erat delebatur, vt constat ex Conc. Agatensi can. 1. & summa Asten.p.2.lib.7 tit.12.art.1.in fine. Actualis degradatio est exequutio depositionis verbalis, sicut etiam tradiuin curiæ sæcularis,exequutio est actualis depositionis,seu degradationis: Differunt autem hæ duæ inter se. primo: quia depositio verbalis signat tantum priuationem honoris,& dignitatis;Degradatio autem actualis in foro Ecclesiæ idem valet, quod in foro sæculari separatio animæ à corpore:secundo verbaliter depositus adhuc fruitur priuilegio Canonis 17.q.4.capit.Si quis suadente, & ideo eum percutiens est excommunicatus, atque adeo habitum portare debet, & in omnibus clericaliter viuere; Degradatus autem actualiter non gaudet priuilegio Can. tertio depositio verbalis certum numerum Episcoporum requirit, non sic actualis degradatio,vt notant Panor.in cap. Qualiter, & quando num.10.& Gemin.in c.2.de pœnis. *Degradatio est duplex.* *Conc. Agat.* *Sũma Aste.* *Panorm.* *Geminian.*

His obseruatis dicendum est,quòd de proposita quæstione est duplex opinio. Quidam enim dixerunt sacerdotem degradatum non posse hoc sacramentum conficere, eo ꝙ sacerdotem degradatum dicunt non remanere sacerdotem; quia sicut Episcopus illi potuit conferre ordinem sacerdotalem,

talem, ita potest auferre; eius enim est interpraetari cuius est condere; si ergo Episcopus contulit ordines, siue condidit in degradato interpraetatur illum nullum esse, & omni carere potestate, standum est eius ordinationationi, igitur non est ordo in illis alicuius potestatis; Item nullus habens ordinem sacerdotalem puniendus est à Iudice seculari, sed degradatus traditur puniendus à Iudice seculari, ergo caret ordine sacerdotali, & per consequens non habet potestatem consecrandi. Praeterea 1. quaestione 1. cap. Quod quidam. *Gratianus.* Gratianus ponens differentiam inter illos, qui habent potestatem baptizandi, & ius consecrandi inquit. Potestas dandi baptismum, & ius consecrandi dominicum corpus, & largiendi sacros ordines plurimum in se differunt. Suspenso enim vel deposito sacerdote nulla ei relinquitur potestas sacrificandi; sacramentum baptismi tamen non solum à sacerdote deposito, vel laico catholico, verumetiam vel haeretico, vel pagano si ministratum fuerit nulla reiteratione violabitur, hic plane habetur quod degradatus non habet potestatem consecrandi. Deinde eadem 1. q. 1. & eodem cap. *Glossa.* Inquit Gratianus degradatus Episcopus largiendi sacros ordines potestatem non habet; facultatem tamen baptizandi non ammisit: ex hoc patet, quòd Episcopus degradatus non habet officium Episcopi, nec potestatem, vnde non potest ordines conferre; à simili videtur quòd sacerdos degradatus iure non habet officium sacerdotis, nec potestatem consecrandi. *Glossa.* Item Glossa in prima p. decreti. d. 50. cap. Accedens ad Gargoniam Insulam. §. Presbitero. inquit quod Clericus degradatus non tenet ordinem, nec credo inquit quòd conficiat, quia omnem potestatem ammisit.

Sed haec opinio falsa est; potestas enim consecrandi corpus Christi fundatur super characterem sacerdotalem, vel est ipse character, qui quidem ab homine per hominem conferri non potest, indelebilis enim est etiam post mortē, vnde clericus resuscitatus non est ordinandus ex Glossa ex cap. 2. in verbo. Nusquam 32. q. 7. atque adeo non potest Episcopus characterem à degradato delere non enim Episcopus est efficiens causa impraessionis characteris, sed ministerialis. Deus enim ipsum imprimit per ministerium Episcopi, quem Deus non instituit Ministrum auferendi, sicut conferendi; quia propter efficaciam consecrationis debet esse perpetuus ordo. Et si dicatur Episcopus potest ministerialiter conferre characterem, ergo potest etiam ministerialiter auferre; probatur consequentia, quia faciliùs est destruere, quam construere 7. Topi. cap. 8. & 9. Respondet Doctor negando consequentiam: nō enim sequitur, quòd si quis potest aliquid ministerialiter conferre, quod sic possit ministerialiter auferre, & ad probationem dicit quod illa regula non conceditur de ministerialiter agente in sacramentis, quę responsio confirmatur ex verbis Apostoli 2. ad Corint. c. vltimo. Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in aedificationem.

Conclusio. Dicendum est ergo, quòd degradatus habet potestatem consecrandi, ius tamen exequendi non habet: prima patet, quia si degradatus Ecclesiae reconcilietur non reordinatur.

Et per hoc patet ad primum, & cum dicitur eius est interpraetari cuius est condere, dico quòd character vnde est potestas ordinis (vt dictum est) est immediatè à Deo, licet Episcopus cooperetur ministerialiter, Dominus autem nō interpraetatur degradatum carere potestate consecrandi, ergo neque Episcopus, sed declaratur carere dumtaxat iure exequutionis.

Ad secundum dicitur, quòd degradatus meritis suis exigentibus non gaudet priuilegio ordinatorum, nec tuitione Ecclesiae, propter hoc subiacet iudicio potestatis secularis, non quia careat ordine; adeo quòd licet degradato, seu deposito auferatur priuilegium clericale, & relinquatur curiae seculari, non tamen aufertur ordo, quia priuilegium non est essentiale ordini: nam ante hoc priuilegium datum à Constantino Imperatore, vt inquit Doct. & post ipsum Gab. hac d. fuerunt veri, & Sancti sacerdotes Petrus & Paulus, & cęteri Apostoli, & discipuli Domini; *Scotus. Gabriel.* Vel dicit Doct. negari posset contra Iuristas, quòd degradatus spolietur priuilegio clericali, quia illud priuilegium consistit in hoc, quòd non possit Clericus iudicari in causa sanguinis, vel quasi in causa sanguinis nisi à Iudice Ecclesiastico; sed si Papa exuit aliquem priuilegio Ecclesiastico commendans eum curiae seculari, Iudex secularis est Minister, vel exequutor Iudicis Ecclesiastici; nullus autem alius à Iudice Ecclesiastico potest eum committere Iudici saeculari, ergo non est possibile, quòd committatur sibi nisi sicut Ministro Iudicis Ecclesiastici, & per consequens non spoliatur priuilegio: quia dum manet priuilegium potest aliquis secularis in eum esse Minister Iudicis Ecclesiastici, nam tale priuilegium consistit in hoc, quòd habens ordines sacros non iudicatur nisi à Iudice Ecclesiastico, vel à Ministro Iudicis Ecclesiastici, quapropter tale priuilegium manet in degradato, quia non iudicatur à Iudice seculari, nisi vt à Ministro Iudicis Ecclesiastici.

Ad tertium respondetur communiter, quòd in degradato, & deposito nulla relinquitur potestas ad ordinatè exequendum, remanet tamen potestas ad simpliciter exequendum; vnde accipitur ibi potestas consecrandi, vt dicit Alex. de Ales pro exequutione potestatis; *Alex. de Al.* & est responsio Glossę in illo cap. Quod intelligendum est inquit Richard. quod talis exequutio non remanet eis de iure. *Richard.* Caeterum illa verba dixit Gratianus opponendo, vnde ibidem praemittitur, opponitur huic sententiae Augustini, quapropter respondens obiectioni inquit. Intelligamus aliud esse potestatem distribuendi ordines sacros, aliud esse exequutionem illius potestatis. Qui enim intra vnitatem catholicae Ecclesiae constituti sacerdotalem, vel Episcopalem vnctionem accipiunt, officium, & exequutionem sui officij ex consecratione adipiscuntur. Recedentes verò ab integritate fidei potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitùs priuantur, &c.

Ad quartum dicunt aliqui, quòd non est simile de Episcopo degradam, & sacerdote; quia in ordinatione Episcopali non imprimitur character, sicut in sacerdotali; qui scilicet character impraessus in anima deleri non potest; vnde solummodo aufertur illi officium consecrandi, non enim aufertur illi potestas, sed exequutio potestatis. Sed quia in ordine Episcopali non imprimitur character, ideo in degradando aufertur ei potestas conferendi ordines, & officium exequutionis. Caeterum haec opinio communiter nō tenetur, nam si Episcopus degradatus ordinaret aliquem, ille esset ordinatus, & quando dicit Gratianus, quòd Episcopus degradatus potestatem largiendi sacros ordines nō habet, si per potestatem intelligat exequutionem potestatis benedicit; aliàs inquit Glossa mentitur. *Glossa.* Intelligit ergo Gratianus, quòd Episcopus degradatus non habet potestatem largiendi ordines, id est potestas eius ligata est de iure quantum ad exequutionem.

Ad Glossam dicimus, quòd in hoc errauit, sicut & alij nonnulli idem cum ea sentientes.

ARTICVLVS VI.

An sacerdos haereticus in infidelitate (inquam) ordinatus atque schismaticus consecrare possit.

Obseruandum est pro intelligentia huius tituli, quòd haeresis est error intellectus, seu mentis voluntarius *Quid sit haeresis.* ex electione, & pertinacia contra aliquam sententiam fidei: dicitur error hoc est assensus falsus intellectus, siue mētis; quia sicut actus fidei intellectu consumatur, cum sit assensus rationis verus, & certus licet obscurus, sic etiam error fidei contrarius intellectu, siue mente completur, Voluntarius verò; quia sicut assensus fidei oritur, & existit ex pio voluntatis affectu, ita etiam haeresis est assensus rationis contra fidem ex voluntatis electione profectus. Vnde haeresis Graecis dicta est quasi electio, operatio, secta, quae haereticos à catholicis, quibus est summa in fide, & religione concordia disiungit, ac segregat: Quo fit vt assensus contra fidem si deliberatione careat non sit haeresis; tales enim multi sunt motus rationis, qui subito contra fidem irrepūt. dicitur ex electione, & pertinacia, quia haeresis non est nisi cum quis in fide scienter errat. Et proinde nascitur, existit, ac pendet ex electione voluntatis cum certa scientia, quae in eo consistit, vt is, qui errat sciat Ecclesiam contrarium sentire. Pertinacia itaque non significat certam aliquam temporis durationem, & moram, vt quidam existimant; nam vno momento temporis potest, quis esse simpliciter haereticus, sed significat voluntatis electionem cum certa notitia eius, quod credit, & sentit Ecclesia. Vltimo dicitur

contra

Digitized by Google

contra aliquam sententiam fidei, quia error in alijs rebus non est hæresis, atque adeo potest quis in multis errare, qui tamen hæreticus non sit.

[margin: ...ur ve... ...ur vt ...us dica hæreti-] Secundo obseruandum est, quòd quatuor potissimum requiruntur ad hoc vt aliquis sit hæreticus; primo vt sacro baptismate ablutus catholicam fidem fuerit ipsius baptismi susceptione professus, quo fit, vt licet impius Auerroes, & alij huius farinæ homines multos contra fidem errores tradiderint, hæretici tamen minimè censentur. Secundo vt quis voluntariè, & pertinaciter, & contra fidem aliquid credat; non igitur satis est si per ignorantiam, aut si absque *[margin: August.]* pertinacia erret in fide. Vnde illud D. Augustini dictum refertur ex epistola 162. Errare quidem potero, sed hæreticus non ero. Tertio vt aliquam fidei sententiam credat, aliquam neget, hoc est, non ea toto omnem fidei sententiam neget; is enim apostata est non hæreticus, quoniam à fide penitùs recedit. Quarto vt contra fidem intellectu erret; nam si opere tantum, aut sermone tantum non mente erret hæreticus non est.

[margin: ...isma dif... ...ab hæ...si.] Tertio obseruandum est, schisma ab hæresi differre, quia hæresis est dogma fidei contrarium, schisma verò est crimen, quo quis ab vnitate Ecclesiæ recedit; atque adeo hæresis pugnat cum fide, schisma autem nequaquam, sed *[margin: Hierony.]* vnitati Ecclesiæ aduersatur: Vnde D. Hier. refert Gratian. 24. q. 3. c. Inter hæresim. Inter hæresim, ait, & schisma hoc interesse arbitror, quòd hæresis peruersum dogma habet; schisma post Episcopalem discessionem ab Ecclesia pariter *[margin: August.]* separat. Et D. August. lib. 20. contra Faustum cap. 3. & libro contra Cresconium gramma. capitulo septimo. Schisma, inquit, est eadem opinantem, ac eodem ritu colentem, quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio; & alibi libro quæstionũ Euangelicarum secundum Matt. quæstione 11. Inter hęreticos alios, & malos catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non ita viuunt vt credunt. Solet autem quæri, schismatici quid ab hæreticis distent? & hoc inueniri, quòd schismaticos non vna fides diuersa facit, sed communis disrupta societas. *[margin: De. 7 Ales.]* Alex. de Ales, p. 4. q. 10. m. 5. ar. 1. §. 5. inquit, quod schisma intẽdit singularem constituere Ecclesiam, & vniuersalem Ecclesiam impugnare, quæ vna est. Cantic. 8. Vna est columba mea. Vnde schismatici volentes Ecclesiam Dei scindere peccant in fide quo ad illum articulum. Vnam Sanctam Ecclesiam catholicam. Est autem schisma illicita ab vnitate, vel vniuersitate scissura, vt 24. quæstione primo schisma Differunt schisma ab hæresi, quia hæresis in principio sui habet peruersum dogma, quod non habet schisma; sed in fine confingit aliquam hęresim, vt rectè videatur ab Ecclesia recessisse; Vel talis est differentia inter hæresim, & schisma, qualis est inter genus, & speciem; quia omnis hæreticus est schismaticus, sed non è conuerso; quia appellatione schismatis diuisio significatur; omnis autem hæreticus se se ab Ecclesia auertit, separat, & diuidit, & proinde schismaticus ab Ecclesia, quæ vna est, se se disiungit, non tamen dogmata contra Ecclesiæ sensum confingit, aut docet, & propterea hæreticus non est, cap. Loquitur, capitulo. Alienus vigesimaquarto, quæstione prima, quod intelligendum est, inquit Alex. nisi schisma durauerit, nam tunc in hæresim incidit.

[margin: Cyprian.] Quarto obseruandum est, Patres pręcipuè tradere schismaticos esse extra Ecclesiam, vt patet ex Cypriano, vt habetur septima quæstione prima capitulo. Scire debes, & ex *[margin: August. Hierony.]* capitul. Loquitur Dominus 24. quæstione 1. ex D. August. in libro de fide, & symbolo cap. 10. & ex D. Hieronym. vt legitur in cap. Inter hæresim 24. quæst. 3. & quidem si Ecclesiam accipiamus, vt est fidelium congregatio sub vno capite Christo Domino, atque eius in terris Vicario Romano Pontifice viuentium; schismaticus, sicut & is qui est hæreticus vere extra Ecclesiam est; quia quamuis dogma non sequatur fidei Ecclesiæ contrarium, tamen verè & iure extra Ecclesiam esse dicitur, quia ab Ecclesiæ vnitate, & communione recedit, cum Ecclesiæ capiti, quod in terris est, ac cæteris membris se se coniungere renuat; Item quatenus excommunicationis vinculo tenetur obstrictus communibus Ecclesiæ suffragijs, & bonis priuatur, à sacramentis arcetur, & à consortio fidelium, & piorum hominum repellitur, & proinde extra Ecclesiam est ea quoque ratione, qua is, qui est anathemate, siue excommunicatione affectus extra Ecclesiam dicitur constitutus, hoc est, sententia Ecclesiæ à fidelium hominum cœtu segregatus.

His obseruatis dicendum est, quod fuit quorumdam opinio, qui dixerunt quòd hęretici notorij damnati ab Ecclesia consecrare non possunt; hæretici occulti non damnati ab Ecclesia possunt; quòd probant primo ex D. August. *[margin: D. August.]* dicente extra Ecclesiam catholicam non esse locum veri sacrificij, & refertur 1. quæst. 1. cap. Intra catholicam Ecclesiam. Item Leo Papa ad Anatolium Cõstantinopolitanum *[margin: Leo.]* Episcopum Epistola 58. cap. 2. & refertur 1. quęst. 1. cap. In Ecclesia. Aliter scilicet, quam in Ecclesia Dei, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia. Item in Concilio Laodicensi can. non oportet. legitur quòd non *[margin: Conc. Laod.]* oportet hæreticorum benedictiones accipere, quia magis sunt maledictiones quam benedictiones. Item in Concil. *[margin: Conc. Mart.]* Martini Papæ cap. 70. 1. q. 1. cap. Non liceat clericis vel laicis ab hęreticis Eulogias accipere: quia maledictiones sunt magis, quam benedictiones. Præterea eadem causa 1. q. 1. capit. Arrianos, inquit Innocentius Papa ad Alexandrum *[margin: Innoc.]* Episcopum Epistola 18. cap. 3. Arrianos, cæterasque huiusmodi pestes detestamur; quia licet eorum laicos conuersos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac Spiritus sancti sanctificatione per manus impositionem suscipimus, tamen Clerici eorum non videtur cum sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus (quod vtique in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti perficitur) nec spiritum sanctum illos habere ex illo baptismate, illisque mysterijs arbitramur, quoniam cum à catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus, quam acceperunt, amiserunt, nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius, quam per fidem dixerim perdiderunt; propter quod fieri non potest, vt eorum prophanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur; quorum laicos imperfectos, vt dixi, ad sancti spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipimus: quibus verbis patet, quod hæretici sacerdotali dignitate non funguntur, atque adeo consecrare nequeunt.

[margin: D. Hierony.] Item Hierony. super Amos. Odit Deus sacrificia hæreticorum, detestatur fœtorem eorum: ergo cum ipsi celebrãt, nec se ipsum mittit, nec Angelos vt intersint sacrificio, sed si non est ibi cœlestis missus non ibi missa (ob hoc enim dicitur missa, eo quod cœlestis missus ad consecrandum, & viuificandum corpus adueniat) vt dicit Aug. & sic orat Ecclesia. *[margin: D. August.]* Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ergo non potest verè dici. Ite missa est, atq; ita non conficiunt verum corpus Christi. Item D. Hier. super illud Ezechiæ 44. Leuitæ, qui longe recesserunt à me in errore filiorum Israel, & errauerunt à me post Idola sua. Inquit. Qui in tempore erroris, vel persequutionis Idola sequuti sunt, quę de corde confinxerunt, & non solum voce, sed & manus subscriptione Dei filium creaturam firmauerunt, quomodo Pontificale, vel sacerdotale retinent fastigium, qui in laicos redacti pristina debuerunt scelera deplorare: ergo si hæretici damnati ab Ecclesia redacti sunt in laicos, cum laici non possint conficere corpus Christi, ergo nec hæretici. Item D. Hieron. Panem pollutum comedunt hæretici, sed panis iste non potest pollui, ergo panem istum non comedunt. Item 24. q. 1. cap. Audiuimus. Quicumque ab vnitate Ecclesiæ, quę per Petrum intelligitur, fuerit alienus execrare potest, consecrare non valet.

Item sicut in sacramento ordinis confertur potestas consecrandi, ita confertur potestas ligandi, & soluendi, sed constat quod præcisi non possunt ligare, & soluere vt patet 24. q. 1. c. Audiuimus. & Gratianus ibidem. & c. Didicimus, ergo *[margin: Gratianus.]* non possunt conficere. Præterea verba consecrationis efficaciam habent à fide: vnde Aug. cum dixisset accedit verbũ ad elementum, & fit sacramentum, subdit, nõ quia dicitur, sed quia creditur: & confirm. quia sacramenta nouæ legis habent fundamentum baptisma, quod est sacramentum fidei, ergo omnia sacramenta habent fidem fundamentum, & virtutem à fide, ergo si quis intendens conficere sit hęreticus, siue infidelis deficit in opere suo ab eo quod est fundamentũ, & à quo debet esse virtus sacramenti, & per consequens non conficit. Vnde inquit Cyprianus in epistola *[margin: Cyprianus.]* contra hęreticos, & habetur 1. q. 1. cap. Si quis. Constat Eucharistiam fieri apud illos non posse, vbi nulla spes est, & fides falsa, vbi omnia per mendacium geruntur.

Postremò sacerdos non offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ cuius est Minister. Vnde dicit offerimus tibi, &c. & non dicit offero; præcisus autem non est Minister Ecclesiæ, neque gerere potest personam Ecclesiæ, à qua est præcisus, ergo &c. & huic rationi inquit Doct. videtur inniti Magister in littera, vt vidimus supra.

His tamen non obstantibus dicendum est, quòd hæretici, atque scismatici possunt conficere; quod probatur, quia est sacramentum fidei, vt baptismus, & est sacramentum charitatis vt hoc sacramentum, ergo si sacramentum fidei ab hæretico, & schismatico potest dispensari, multo fortiùs sacramentum charitatis poterit ab hæretico, atque schismatico consecrari; Item fides propria alicuius informare non habet, siue dirigere, nisi actum illius; (non enim actum alienum dirigit fides mea) ad actum ergo alicuius dirigendum non est necessaria fides aliena; ergo cum sacerdos non conficiat actu proprio; (non enim dicit. Ego conficio, vel consecro, sed quod dicit in persona alterius dicit) in consecratione non exigitur fides propria. Item tria sufficiunt ad conficiendum corpus Christi, vt diximus supra ex parte conficientis, scilicet ordo sacerdotalis, prolatio verborum præscriptorum à Domino, & intentio Ecclesiæ, sed hæreticus etiam ordinatus in infidelitate, & si fuerit præcisus ab Ecclesia propter hæresim, non propter hoc amittit ordinem sacerdotalem. Vnde Augustinus ad Perminianum, & habetur 1. quæst. 1. cap. Quod quidam, inquit. Sicut baptismus in eis, ita & ordinatio mansit integra; & loquitur de præcisis ab Ecclesia, quod patet per hoc quod subdit Gratianus in eodem cap. Ex his verbis Augustini constat in omnibus tàm apostatis, quam hæreticis, vel damnatis permanere Christi sacramenta vera, ergo si talia cum intentione conficiendi proferat verba instituta à Domino constat quod conficit. Quapropter ad omnia iura, quæ oppositum sonare videntur potest dici generaliter, quod debent intelligi de veritate fructus, non de veritate sacramenti, ita quòd licet vera perficiant, & conferant sacramenta, non tamen fructum sacramenti; & hæc est responsio Gratiani 1. quæst. 1. cap. Quod quidam §. quamuis; vbi inquit, quamuis possit generaliter dici sacramenta, quæ apud hæreticos non aliter, quam in Ecclesia Dei celebrantur, vera, & rata esse quantum ad se, falsa verò & inania quantum ad effectum, & in his, à quibus male tractantur, & in illis à quibus malè suscipiuntur. Nec mirum: ipsa enim salus nostra buccellam Iudæ dedit statim cum buccella non bonus, sed malignus spiritus intrauit. Quare? non quia bonus non daret bonum; sed quia malus malè accepit bonum, sicque bonum effectum non habuit, quia vbi illum faceret non inuenit. Item Dominus in patria sua præsens & verus affuit, non per malum Ministrum, sed per se ipsum nihil potuit, quia fidem non inuenit: pro perfidia aliorum non caruit sua virtute, sed effectus boni virtute. Secundo potest generaliter dici, quod decreta, & Patres loquuntur de hæreticis, qui debitam formam non seruant, vel quod non possunt consecrare de iure, licet consecrent de facto; hoc enim dicimur posse, quod de iure possumus, vt vult D. Thomas, sicut etiam patet ex Glossis talium Canonum, qui intelliguntur de ordinata consecratione, non de consecratione simpliciter.

D. August.

D. Thomas.

Ad singula autem respondendo dico ad primum, quòd extra Ecclesiam, id est extra formam Ecclesiæ non est verum sacrificium, vel sic extra Ecclesiam non efficit sacramentum, quod figurat scilicet salutem, quia hæreticus conficit, & accipit ad sui damnationem, & confert alijs in simili errore positis.

Ad secundum & tertium dico, quòd verba Leonis, & Concilij Landicensis, & Martini intelligenda sunt quantũ ad hoc, quòd extra Ecclesiam non rectè sacrificium offertur, quare nullum est illic spirituale sacrificium, quod sit verum veritate fructus, est autem verum veritate sacramenti, quemadmodum supra diximus.

Ad quartum dico, illic Pontificem non loqui de potestate quantum ad consecrandum hoc sacramentum, cæteraque perficiendum, sed de solo potestatis vsu; videlicet quod permittitur illis in extrema necessitate baptizare paruulos, vt tunc baptizando non peccent, sed nullatenus permittitur, vt consecrent, aut alia sacramenta ministrent.

Ad quintum dicitur, quòd in sacramentis hæreticorum quædam sunt, quæ à Deo sunt, & illa non odit Deus, nec detestatur, verbi gratia in hæreticis, qui sunt ordinati ab Ecclesia est character ordinis, quod à Deo est. Item sunt ibi hæc verba. Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, & vi illorum conficiunt hæretici, quæ etiam sunt communia eis, & Ecclesiæ; atque ita ex eo quod est eis, & Ecclesia commune conficiunt: sunt etiam in eorum sacrificijs quædam mala, scilicet infidelitas, perfidia, inobedientia, &c. & hæc odit Dominus. Quantum ad ea, quæ bona sunt, id est, consecrationem, quæ fit in forma Ecclesiæ mittit se ipsum, & Angelos, assistit enim signo suo, quod voluit esse certum, efficax, & practicum, non obstante malitia ministrorum.

Ad sextum dico, quòd Dominus per Prophetam, & Hieronym. in Glossa dicunt illud, quod iuris est; quia in veritate recedentes ab Ecclesia non habent vim conficiendi, nec conferendi sacramentum, sicut nec laici; nos autem hic loquimur de facto.

Ad septimum dico, quòd hæretici quantum in ipsis est panem istum sanctissimum polluunt, & pollutum comedunt. Hæc responsio est Gratiani 1. quæstione 1. capitulo. Quod quidam §. Quod vt plana in fine; vbi inquit sciendum est, quòd sacramenta hæreticorum dicuntur irrita, vel etiam damnanda, falsa, & inania, non quantum ad se, cum sint sancta, & vera etiam ab hæreticis celebrata, sed quia cum illicitè dantibus perfidis fiunt ad iudicium, illicitè ab eis accipientibus non conferunt Spiritum sanctum, irrita, & non vera dicuntur, quia quod promittunt, & conferre creduntur, non tribuunt, & ideo damnanda, vt ea dari, vel recipi ab hæreticis non approbetur, sed interdicatur; Non enim quantum ad se polluta sunt, quamuis ab hæreticis polluti dicantur. Vnde Gregorius communionẽ Arrij vocat execrationem; & Innocentius vocat Bonos ordinationem damnationem, non quod ita sint in se, sed quia malè dantibus, vel accipientibus id efficium; sic etiam Hieronym. in Oseæ sacrificia eorum panem luctus vocat non quantum ad se, sed quantum ad effectum, quod ipsemet ostendit subiungens. Quicumque comederit ex eo contaminabitur, quia sibi ad iudicium sumet. hæc Gratianus. Et in eodem capitulo §. Sicut redeunti in fine legitur. Constat eam in peruersis, & sceleratis hominibus siue in eis, qui intus sunt, siue in eis, qui foris sunt impollutam, atque inuiolabilem permanere, & quia dicuntur ea mali polluere quantum in ipsis est dicuntur, cum illa impolluta permaneant, sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad iudicium.

Grego. Innoc.

Ad octauum dico, quòd intelligitur quantum ad executionem, quod sonat cum dicit (non valet) id est inualidus est ad exequendum officium consecrationis ex alienatione ab Ecclesia, vel dici potest quòd intelligitur si formã Ecclesiæ non seruat.

Ad nonum dico, quòd non sequitur, hæreticus non potest excommunicare, nec absoluere, ergo non potest consecrare, & ratio est: quia consecrare ordinis est, quem retinet recedens ab Ecclesia, excommunicare autem, & absoluere est iurisdictionis, quam amittit, qui recedit ab Ecclesia 1. q. 1. cap. Remissionem.

Ad decimum dico, quòd fides, quæ est fundamentum, & virtus sacramentorũ non est fides ministri consecrantis, aut etiam fides suscipientis, sed est fides Ecclesiæ, quam sequitur intentio conficientis, quam intentionem generalem Ecclesiæ habere potest hæreticus non solum in alio, sed etiam in hoc sacramenti articulo; habent ergo sacramenta aliquam efficaciam ex fide, quæ fides est eis essentialis, non fidei ministrantis, sed fides Ecclesiæ, & hoc quia sacramenta sunt Ecclesiæ; sed quæ Ministro ratione actualis ministerij intentio est necessaria, nec excellentiæ sacramenti actio irrationalis, & per hoc nec humana præiudicet.

Vnde quia sacramentum est Ecclesiæ requiritur fides Ecclesiæ, & quia actualiter ministratur à consecrante requiritur intentio consecrantis; & per hoc patet ad confirmationem.

Ad Cyprianum dicitur, quòd intelligit de hæreticis, qui formam Ecclesiæ non tenent: quod patet per illud verbum, quod addit, vbi omnia per mendacium geruntur, illa enim dicuntur geri per mendacium, quæ extra formam Ecclesiæ geruntur; Vel si aliud

voluit

voluit in hoc, errauit, & correptus est à D. Augustino: vt patet 32.d.cap. Verum.

Ad vltimum respondet Doctor, quòd oblatio non pertinet ad rationem cõsecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur: quia potest Eucharistia consecrari & non offerri; offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium non sacramentum, sicut Eucharistia consecrata conseruata in pixide est sacramentum, licet vt ibi non sit sacrificium nisi aptitudinaliter; atque adeo licet offerens offerat in persona Ecclesiæ, non tamen consecrat nisi in persona Christi, cuius vicem gerit etiam præcisus per ordinẽ, & characteris potestatem, quæ per præcisionem non aufertur ab eo. Et si dicatur, quòd oportet quemlibet conficientem conficere in fide Ecclesiæ: Sacerdos autem hæreticus maxime circa hoc sacramentum non credens panem transubstantiari in corpus Christi, non potest habere intentionem conficiendi cum non credat id per eum posse fieri, ergo &c. Dico, quod potest intendere id facere, quod Ecclesia intendit fieri. Contra, Ecclesia intendit fieri transubstantiationem panis in corpus Christi; hoc autem non potest hæreticus intendere, quia non credit hoc posse fieri; maximè si hæreticus nouit intentionem Ecclesiæ; putat enim Ecclesiam in hoc errare.

Respondetur, quòd sacerdos proferens verba super materia debita habens intentionem faciendi hoc, quod Christus instituens sacramentum fieri voluit, consecrat, siue hæreticus sit, siue catholicus; non habens autem hanc intentionem saltem in genere non consecrat; & hanc intentionem tam in genere, quam in specie potest habere hæreticus: in genere quidem, quia potest hæreticus proferendo verba intendere, quod fiat id, quod Christus instituit, si fieri potest, licet non credat id fieri posse: sicut doctus à carminatrice potest proferre verba carminis ea intentione, vt fiat quod carminatrix credit fieri, licet non credat aliquid fieri. In specie autem potest hæreticus velle fieri conuersionem, licet credat id esse impossibile, quia voluntas est impossibilium 3. Ethic. ita quòd secundum Doctor. dupliciter potest intelligi hæreticum habere intentionem ecclesiæ, vno modo in particulari, sic quòd particulariter intendat corpus Christi esse sub illis speciebus, & hoc modo non habet hæreticus intentionem; quia per casum est hæreticus circa Eucharistiam; alio modo in generali, vt sci. licet intendat facere id, quod Ecclesia intendit, & hæc intentio sufficit ad conficiendum, siue ad consecrandum; imò si habeat intentionem faciendi, quòd alij faciunt, & tota se dicat, volo facere, quod alij faciunt, quicquid ex hoc sequatur; hæc intentio sufficit ad consecrandum. Quod autem quis possit hanc intentionem in vniuersali, absque eo quod habeat intentionem in speciali habere, patet per illud 2. Priorum, cap. 20. Contingit, scire omnem mulam esse sterilem, & dubitare de hac. Cæterum de hac intentione vniuersali multa diximus supra distinct. 5. in materia de baptismo.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum penes Episcopum in hæresim lapsum maneat potestas ordinis, quæ est propria Episcoporum, nimirum consecrandi, & conficiendi chrisma, & duo sacramenta conferendi, confirmationem, scilicet & ordinem.

RESpondeo manere, quia hæc omnia fiunt nomine, institutione, & auctoritate Christi, & hinc est, quòd Episcopi redeuntes ab hæresi non iterum ordinentur, cap. Conuenientibus 1.q.7. & hi qui sunt ordinati ab Episcopis hæreticis seruata forma Ecclesiæ non iterum ordinantur, cap. Ordinatione 9.q.1. Et si obijciatur, quòd habetur in capit. Diabertum 1.quæst.7. vbi legimus Diabertum, qui fuerat a Nezelone hæretico ordinatus iterum ordinari debere, quia Nezelon nihil habuit, eo quòd fuerat ab hæreticis ordinatus, & proinde nihil dare potuit. Respondeo fuisse ordinatum non seruata Ecclesiæ forma, & ideo est iterum ordinatus, & est responsio Glossæ in eodem capit. quæ sic habet, Nezelon ordinatus fuit ab hæreticis in Episcopum præter formam Ecclesiæ, & sic ordinem Episcopalem non recepit; qui postea Diabertum præter formam Ecclesiæ, vel cum forma (non refert) in Diaconum ordinauit; sed quia illum ordinem conferre non potuit (quia [Glossa.] reitera Episcopus non erat) Diabertus nihil accepit ab eo: Vnde Vrbanus cum dispensaret cum eo fecit illum ordinari authoritate Damasi Papæ, & Innocentij, qui dixerunt reiterari oportere, quod male actum est.

DVBIVM II.

Vtrum potestas ordinis, qua potest Episcopus multa, quæ sacramentalia dicuntur conficere, nimirum consecrare altaria, templa, siue aras, calices, vestes, & alia huiusmodi, maneant in Episcopo hæretico.

DE hac re dixerunt quidam, quod non permanent, eo quòd hanc potestatem habeant Episcopi acceptam auctoritate Ecclesiæ, quæ huiusmodi sacramentalia instituit; sed Episcopus hæreticus est extra Ecclesiam, ergo eam potestatem habere non potest; huius sententiæ videtur esse Alphonsus à Castro, libro secundo de iust. hæret. punit. c. 22. Castro.

Alij verò affirmant ea ratione adducti, quod Ecclesia vsum tantum, & functionem tollat, minimè autem ius, & potestatem. Ita videtur sentire Glossa in cap. Ecclesijs de consecrat. dist. 1. vbi docet Ecclesias ab hæreticis consecratas non esse iterum consecrandas, si Episcopi hæretici in consecrandis Ecclesijs seruauerint, & tenuerint formam, quam seruat, & tenet Ecclesia, alioquin esse iterum consecrandas; & ita exponit illa capita Ecclesijs, & Ecclesias, & Arianorum de consecrat. distinctione prima, & hæc videtur verior opinio, nam licet huiusmodi potestatem possit hæreticis Ecclesia abrogare, quoniam eam non habent iure diuino, sed auctoritate Ecclesiæ, non tamen eam abrogat Ecclesia. Glossa.

DE HIS, QVI POSSVNT RITE, & ordinatè conficere.

IN superioribus articulis determinatum est, quis sit ille, qui simpliciter potest consecrare, consequenter videndum est quis sit ille, qui ritè, licitè, & sanctè potest conficere: Vnde obseruandum est, quòd ad hoc multa requiruntur, quæ tamen, vt inquit Doct. ad tria reduci possunt, nam quædam requiruntur ex parte ministri, quædam ratione loci, & quædam ratione temporis.

Ex parte ministri ad hoc vt ordinatè, ac ritè conficere possit (supposito quod habeat materiam conuenientem, & possit verba proferre cum intentione debita superaddita) duo principaliter requiruntur. primum est amotio impedimentorum. secundum est appositio conuenientium.

Primum inquam, est impedimentorum amotio, quorum aliqua sunt tantum culpæ, aliqua tantum pœnæ, aliqua nec culpæ, nec pœnæ: impedimenta, quæ sunt tantum culpæ, quibus sacerdos impeditur ab ordinata celebratione sunt peccata mortalia; quod patet, nam ordinatè celebrat, qui celebrando non peccat; inordinatio enim in celebrando defectus est non naturalis, sed moralis; omnis enim talis peccatum est, ergo à contrario sensu, qui celebrando peccat inordinatè celebrat: De hoc autem impedimento dictum est supra dist. 9. Impedimentum, quod non est nec culpa, nec pœna est duplex, scilicet solutio ieiunij naturæ, nam tam ad celebrandum, quam ad manducandum ordinatè, & licitè requiritur regulariter naturæ ieiunium, & de hoc impedimento dictum est dist. 8. quæst. 3 De secundo autem impedimento, scilicet de immunditia corporali agimus nos infra; superest ergo hic præcisè videre de impedimento, quod est pœna: Est autem duplex pœna; scilicet naturalis, & canonica; pœna naturalis est aliquis defectus naturalis, nimirum grauis mutilatio, vel horribilis infirmitas sicut lepra, &c. nulla autem naturalis pœna siue in anima, siue in corpore impedit simpliciter in quantum naturalis, nisi forte esse mutum, & perpetuò amentem propter causas supra dictas, sed solum quatenus super eam fundatur pœna canonica, non tamen tantum propter defectus culpabiles, sed etiam propter aliquos naturales, Ecclesia pœnas canonicas apposuit, hoc est, prohibitiones suscipiendi ordinem, & in susce-

pto ordine ministrandi propter reuerentiam sacramenti. Pœna autem canonica impediens rite celebrationem est aliqua prohibitio actus exercendi facta ab Ecclesia, seu à iure, vel à Iudice; & dicitur pœna canonica, quia est pœna inflicta per Canones, vel saltem secundum Canones prohibens, vel arcens punitum ab aliquo actu Ecclesiastico, nempè actus exercendi, vel gradus suscipiendi, qui alias sibi non prohibitio liceret: dicitur per Canones, quia aliquando huiusmodi pœna incurritur ipso facto, dum Canon fuerit latæ sententiæ, vt est Canon. Si quis suadente 17. quæst. 4. per quem excommunicatur violentus Clerici percussor etiam sine Iudicis declaratione; dicitur vel secundum Canones, quia aliquando pœna ipsa non statim ipso facto incurritur, sed per Iudices secundum Canonum dispositiones infligitur, vt quando Canon hac, vel illa facientem mandat excommunicari; dicitur qui aliàs sibi liceret; quia non est pœna laico, quòd non conficiat, quia hoc aliàs sibi non conuenit, sed sacerdoti pœna est.

Pœnarum autem Canonicarum quædam sunt, quæ infliguntur propter peccatum cuiusmodi sunt degradatio, excommunicatio maior, irregularitas aliqua, suspensio ab exequutione eorum, quæ sunt ordinis, simonia, infamia, & quædam alia huiusmodi ad ista reducibilia, vt sub infamia potest contineri esse publicum peccatorem, quod continet multa, scilicet publicum fornicarium, publicum vsurariũ, & huiusmodi; & vniuersaliter omnis Ecclesiæ prohibitio, ne quis promoueatur, vel promotus actus ordinis exequatur propter aliquam eius culpam. Aliquæ autem pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales, non enim voluit ecclesia quascumque personas defectuosas ministrare in altari, & merito; quia in veteri lege Leuit. 21. ponitur lex, homini, qui habuerit maculam, quòd non offerat Deo suo panem, nec accedat ad ministerium eius: Isti autem defectus sunt, in quibus esset scandalum pusillorum, si taliter defectuosus in naturalibus ministraret, & rationabiliter, quia quicquid sine peccato mortali potest dimitti vitandum est, si ex exercitio eius oriatur scandalum pusillorum; tale scandalum orietur si notabiliter defectuosi in naturalibus, vt grauiter mutilati, vel horribili infirmitate infirmi, vt lepra, & huiusmodi ministrent in altari. Ideo Ecclesia rationabiliter talibus defectibus naturalibus adiunxit pœnas canonicas, scilicet prohibitiones ministrandi propter scandalum pusillorum, & reuerentiam sacramenti, & istæ prohibitiones patent in Canone d. 45. & extra de corpore vitiatis. Aliquæ etiam sunt pœnæ nec propter defectum, nec propter peccatum, sed propter aliquid significatum, vt propter bigamiam, vel homicidium iustum, quod nullum est peccatum, sed potius meritum, quo tamen non obstante Ecclesia quemlibet talem videlicet homicidam, vel bigamum prohibet ordinari. Requiritur ergo in ritè, & ordinatè conficiente ablatio omnium horum impedimentorum, quia habens quodcumque istorum si conficit, facit contra prohibitionem Ecclesiæ, & per consequens non ordinatè.

ARTICVLVS I.

Vtrum excommunicatus vitandus mortaliter peccet ministrando sacramentum, vel sacrificium offerendo.

Con. Const. PRo huius quæstionis solutione obseruandum est, quod in Concil. Constan. in decreto, quod incipit. Ad euitanda, statuitur, quod nemo deinceps à communione alicuius sacramentorum receptione, vel administratione, vel in alijs quibuscumque diuinis intus, & extra, prætextu cuiuscumq; sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum ecclesiasticum seruare, nisi specialiter à Iudice in personam, aut in Collegium fuerit huiusmodi sententia promulgata, & denunciata expressè, excepta manuum iniectione violenta in Clericum adeo notoria, vt nulla tergiuersatione, nullo iuris suffragio valeat excusari. Secundum quam limitationem accipienda sunt, quæ super hac re Gratianus recitat. 24. quæstione 1. docens eum, qui ligatus est non posse alium soluere, vel ligare! Canones enim, & decreta, quæ sic docent, non includunt occultè, aut generaliter solum, & non nominatim excommunicatos.

Quod si decreta quæuis, & Magistrorum veterum dogmata expressè decernunt etiam illos, qui generaliter solum sunt excommunicati non posse absoluere, vel ligare; iam hæc ipsa sunt per Constantiense Concilium, secundum illam partem abrogata: Vnde consequens est, Prælatum, vel sacerdotem generaliter, aut occultè excommunicatum ita seruare suæ iurisdictionis, & potestatis vsum, & exequutionem, quod etiam valida sint, quæ interim aut soluit, aut ligat; quia rigorem Concilij. rigorem Canonum de vitandis sic generaliter excommunicatis misericorditer relaxat, non solum quo ad communionem in receptione, seu administratione sacramentorum, sed etiam quo ad communionem in alijs quibuscumque tam diuinis, quã extra diuina; hoc supposito,

Dico primo, quòd absolutè loquendo excommunicatus vitandus, id est, nominatim excommunicatus, & notorius Clericorum percussor mortaliter peccat ministrando sacramentum, vel sacrificium offerendo; probatur ex capitul. Si celebrat de Cleric. excommun. minist. & in capitulo. Latores eodem titulo, & probatur etiam à fortiori, nam ita prohibitum est huic excommunicato dare, sicut recipere sacramentum, & tam grauis materia est administratio, sicut receptio; dixi absolutè, quia necessitas quandoque excusare eum posset à crimine. Quapropter 1 Concl.

Dico secundo, quòd si necessitas est extrinsecus illata per vim, & metum cadentem in constantem virum ad extorquendum ab ipso sacramenti administrationem, vel Missæ celebrationem excusatet eum à crimine, atque adeo metus mortis, vel alterius grauis nocumenti, quando est vrgens, & cadens in constantem virum, sufficit vt administrans sacramentum, vel celebrans non peccet mortaliter; quia præcepta Ecclesiastica ordinariè non obligant cum maiori rigore, vnde propter minora incommoda vitanda excusamur ab obligatione ieiunij, aut Missæ audiendæ: Dixi regulariter, quia si talis metus incutiatur directè in contemptum religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis, tunc potius sustinenda esset mors, quam lex ecclesiastica violanda; quia iam non agitur de sola obseruatione legis, sed de curando graui damno nostræ religionis, cuius bonum commune tenetur homo præferre propriæ vitæ; & Ecclesia potestatem habet obligandi in eo, vel simili casu cum dicto rigore, & ita expedit facere, igitur ita obligat, quapropter in hoc casu metus non excusabit à culpa. 2. Concl.

Dico tertio, quòd necessitas imminentis periculi, vel probabilis periculi mortis ipsiusmet sacerdotis, si non sit alius, qui ei possit Eucharistiæ Sacramentum ministrare, in eo inquam, necessitatis articulo non dubito, quod sacerdotem excommunicatum excusabit à culpa si celebret, aut Sacramentum Eucharistiæ sumat, quamquam nonnulli dubitent propterea, quod Sacramentum Eucharistiæ non est simpliciter necessarium ad salutem, sed satis est, quod sit valde vtile, & ex præcepto diuino necessarium. Et si forte talis sacerdos contritus non sit, sed tantum attritus, possit esse vnica & efficax causa salutis eius. 3. Concl.

Dico quarto, quod necessitas proximi stantis in articulo mortis, & non habentis alium ministrum præter excommunicatum, qui ei Sacramentum Eucharistiæ administret, excusabit sacerdotem excommunicatum à culpa: quia charitas proximi potest non solum talem actum honestare, sed interdum etiam ad illum obligare. 4 Concl.

Hoc autem sacramentum est suo modo sacramentum necessitatis, iuxta illud. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. propter quæ multi putant etiam hoc sacramentum esse necessarium necessitate medij; & vt minimum est certum esse necessarium necessitate præcepti diuini iuris; de quo probabiliùs est obligare semper pro articulo mortis, ergo vrget tunc necessitas adimplendi diuinum ius, quod per se loquendo, & cæteris paribus præferendum est humano; & licet respectu huius sacramenti illa necessitas non sit extrema, est tamen grauissima tum propter fructum, & iuuamen illius sacramenti valde necessarium pro illo articulo, quia interdum accidere potest vt quis accipiat per illud sacramentum primam gratiam, quam antea non habebat, atque adeo non est verisimile Ecclesiæ prohibitionem cum tanto rigore obligare.

Et

Google

Et confirmatur, nam si proximus non solum extremè, sed etiam grauiter indigeat corporali cibo licitum est ab excommunicato illum accipere, & excommunicato licet illum dare; & similiter si indiget consilio, vel alio quocum que beneficio, ergo idem erit si indiget adeo grauiter, & extremè Eucharistiæ pane.

5.Conclusio. Dico quinto, licet sacerdotem excommunicatum, sed nõ nominatum etiam extra necessitatem ad sacramentũ collationem inducere; patet, quia excommunicati citra nomina tionem administrantes sacramenta, casu quo petens habet ius petendi, & inducendi, nempè quia Parochus eius est; si modo per internum animi motum conteratur nulla inficiuntur culpa in excommunicatione ministrando sacramenta; hoc enim ex dicto Concilio colligitur, cum enim consulendo timoratis conscientijs in bonum petentium concessit illam excommunicationem cum excommunicatis, ex rei consequentia concessit ipsis excommunicatis, vt sacramenta præberent, quando aliàs tenerentur, alioquin non satis fuisset petentibus consultum: nam tunc illi ministri perplexitate complicarentur vtrinq. scilicet, siue sacramentum præberent, siue secus, peccatum timentes: imò possent se iustè defendere allegantes, se non posse id facere sine scelere, quod nulla prorsus de causa vlli fas est committere.

ARTICVLVS II.

Vtrum suspensus celebrans, seu sacramenta administrans peccet mortaliter.

HÆc dubitatio eodem modo explicanda est, quo similem de excommunicatione resoluimus, aut enim quæ à suspenso aguntur sunt actus solius ordinis, qui ad suum valorem iurisdictionẽ non requirunt, aut sunt actus potestatis iurisdictionis, sub qua comprehenditur etiam potestas eligendi, & similes, siue in rigore iurisdictionem includant, siue aliquod æquiualens ius ab hominibus concessum, & auferibile.

Actus ordinis validi sunt (excepta absolutione sacramentali, quæ ex iurisdictione pendet) quia Ecclesia (vt diximus supra) non potest impedire valorem horum actuum, si debita materia, & forma à ministro habente potestatem ordinis vera intentione applicentur: At verò si actus sunt tales vt iurisdictionem postulent per se loquendo inualidi sunt; quia suspensus priuatus est actuali iurisdictione: Dixi autem per se loquendo, quia si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleratur in publico ministerio, seu officio acta eius valent, quia Ecclesia supplet defectum propter commune bonum.

Sed dubium est, an actus tum ordinis, tum iurisdictionis suspensus exercens mortaliter peccet. Vnde pro solutione obseruare oportet, Extrauagantem ad euitanda, in hac etiam censura locum habere; nam etiam generaliter dicit, ratione alicuius sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, & specialiter addit, aut suspensionis, aut prohibitionis à iure, aut ab homine generaliter promulgatæ. Quapropter si suspensus est specialiter, & nominatim denunciatus exercens actus tum ordinis, tum iurisdictionis mortaliter peccat, nisi necessitas eum excusaret, sicut diximus supra de excommunicato.

Si autem suspensus non est specialiter, & nominatim denunciatus, quamuis quo ad se prohibitus sit, ne in officio suo ministret, & ideo peccet, si id faciat per se, aut ex se, tamen quo ad alios non est priuatus iurisdictione, sicut de excommunicato supra dixi. Tum quia alij possunt ab huiusmodi suspenso non denunciato hos actus postulare, vt ebi gratia, Eucharistiæ sacramentum, Missæ sacrificium, absolutionem sacramentalem, vel absolutionem ab excommunicatione, vel aliquid simile pertinens ad iurisdictionem fori cõtentiosi, ergo potest suspensus validè hos actus exercere, alioquin nullius momenti esset concessio illius extrauagantis, ergo retinet iurisdictionem necessariam ad valorem actus.

Ex quo sequitur vlterius huiusmodi suspensum non solum validè, sed etiam licitè huiusmodi actus exercere, quando absolui non potest, & ipse non se ingerit, sed alius ab ipso exigit debitum, vt si Parochus eius sit, vel certè si verè indiget eius ministerio, & in eo fauori recipientis nõ exercentis consulitur.

DE SECVNDO REQVISITO ex parte Ministri, quod est conuenientium appositio.



Religio Christiana, vt inquit B. Hieron. alterum habet habitũ in Ecclesiasticis officijs, & alterũ in cõmuni vsu, & rationabiliter quidẽ ad denotandũ, quod secundũ mutationẽ vestiũ vita mutetur in melius secundum spiritum; & vt ecclesiastici his vestibus vtentes populo Christiano præbeant bonæ conuersationis exemplum, quo per spoliationem antiquarum vestium, veteris expoliatio hominis cum suis actibus, vitijs scilicet, & peccatis, & per induitionem nouarum noui hominis reformatio per iustitiam sanctitatis designetur. *D. Hierony.*

Assumptus est autem sacrarum vestium ritus, partim vt dicit Hugo lib. 2. de sacramentis p. 4. cap. 1. à veteri testamento, partim à Patribus noui testamenti adiectus; quæ vestes celebrationem sacerdotem à populo discernunt, tegunt, & honestant, vt ceremonialiter ordinatæ, & inoffensæ etiam quantum ad exteriorem cultum, & gestus summo huic assistat sacrificio: Vnde Apostolus 1. Corint. 14. omnia honestè, & secundom ordinem fiant in vobis. *Hugo.*

Quid autem significent sacræ vestes allegoricæ, atque Tropologicæ docent Innocentius iij. lib. 1. de hoc mysterio, Rupertus lib. 1. de diuinis officijs, Hugo de Sancto Victore lib. de sacramentis p. 4. Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, Alucinus lib. de officijs ecclesiasticis cap. de sacris vestibus, Alex. de Ales p. 4. quæst. 10. memb. 5. art. 2. §. 6. & Sanctus Bonauentura, in lib. de explicatione Missæ, & ex Neotericis Gabr. Biel lection. 11. & 12. super Cano. Gregorius de Valentia, tom. 4. disp. 6. q. 11. & Suarez to. 3. dispur. 82. sect. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrum vsus sacrarum vestium in Missæ sacrificio conueniens sit.

HÆretici dicti Vualdenses, seu Pauperes de Lugduno, qui vt refert Alphonsus à Castro lib. 6. contra hæreses tit. exorcismus, ad hoc solum nati esse videntur, vt Ecclesiam euerterent si possent, quos non hæretici imitati sunt; vsum sacrorum vestimentorum reijciunt; Tum quia Christus Dominus absque vestimentorum apparatu, sed communibus vestibus vtens, hoc sacrificium instituit, & obtulit, tum etiam quia omnes benedictiones, & consecrationes putant esse superstitiosas, & nullius momenti, aut efficaciæ. Quidam verò eorum dicunt harum vestium vsum non esse malum, sed indifferentem, atq; adeo non potuisse ab Ecclesia institui, aut præcepti, vt necessarium ad rectè, & sine peccato hoc munus exercendum. *Castro.*

Cæterum de vestibus sacris exemplum habemus testamenti veteris, in quo sacerdos sacrificium oblaturus certis vestibus à Deo præscriptis induebatur, & certè miraculum est quanto ornamentorum apparatu, & cultu Deus sanxit Pontificem antiquæ legis sacra facere, vt Exodi 28. legitur, idque duplici ex causa; altera scilicet ad populi attentionem captandam circa diuina; atque altera, eademque potissima ad nostrum sacrificium designandum, nam fuisse eas vestes typos, & figuras vestium sacrarum; quibus nunc induuntur sacerdotes Christiani, ostendunt authores quos supra citaui, qui singillatim demonstrant, quæ ex nostris vestibus, cui ex Iudaicis respondeant: Vtraque autem de causa ratio euangelica vrgentius expostulabat, vt eo sacerdotes nostri non nisi sacris induti sacra facerent, hempè & ad repræsentandam Christi passionem, & ad excitandos spiritus nostros, quibus efficacius fructus eiusdem passionis percipiamus.

Quapropter potuit Ecclesia instituere particulares vestes, quibus sacerdotes vtantur in Sacris mysterijs, distinctas ab illis, quibus communiter induuntur, quibusque vti non liceat extra Sacrum mysterium; & licet Christus, qui nec suam debebat passionem, quam ipse passurus erat repræsentare, neque vllo ornatu ad deuotionem exci-

excitandam egebat, huiusmodi vestibus cum primum celebrarint minimè visus fuerit, certò tamen certius est Apostolos non Ecclesiam instituisse, vt Petrum, de quo lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. 14. ait Hugo primum Antiochiæ Missam celebrasse, & Iacobum fratrem Domino, de quo d. 1. de consec. can. Iacobus ex 6. Synodo legitur nobis Missæ celebrationem tradidisse, atque adeo huiusmodi vestimentorum vsus antiquissimus in ecclesia est; cæpit enim à temporibus Apostolorum: nã Anacletus Papa successor Clem. & tertius, vel quintus à Petro harum vestium mentionem fecit in Epistola, 1. decretali Episcopus (inquit) ministros secum habeat sacris indutos vestimentis. Stephanus autem primus epistola 1. sic scribit. Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia, & honestate à sacerdotibus reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur, & sacra debet esse, & honesta, quibus alijs in vsibus cum Deo eiusque seruitio consecrata sint, nemo debet frui quam in ecclesiasticis, & Deo dignis officijs, quæ neque ab alijs debent contingi, nisi à sacratis hominibus; & habetur in cap. vestimenta de consec. d. 1. & eiusdem decreti meminit Damasus in Pontificali c. 24. & omnes antiqui Authores, qui de rebus ecclesiasticis scribunt. Vnde Concilium Trid. in sess. 22. can. 7. fecit anathemate, qui dixent cæremonias, vestes, & ext. signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica vtitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis.

ARTICVLVS II.

De numero, & significatione sacrarum vestium.

Pontificalibus indumentis pretermissis, de quibus agit Alex de Ales. vbi supra; sacerdotales vestes sunt numero sex, quæ sunt communes Episcopis, & præsbyteris, scilicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulum, & planeta; quæ sacerdotes etiam in sua consecratione recipiunt, & congruum est vt vnusquisque, quod percipit in consecratione honoris, hoc retineat etiam in oblatione, seu perceptione suæ salutis, vt habetur 23. d. Ecclesiastica, vbi subditur, quòd sacerdos etiam solum pet se offerens, aut sacramentum percipiens, vt in infirmitate secundum Glossam, non aliter quam oratio, id est, stola vtroque humero circumscriptus accedat, sicut tempore ordinationis suæ digno fuerat consecratus: sunt autem sex vt ipso numero, & communia sacerdotum officia, & virtutum perfectio significetur; sex enim sunt in quibus potestas eorum consistit ait Alex. de Ales. quæ sunt cathechizare, baptizare, prædicare, conficere, soluere, & ligare, hæc enim opere communia sunt sacerdotibus, & Episcopis: Est denique senarius numerus perfectus consurgens ex suis partibus aliquotis; senarius igitur numerus perfectionem virtutum significat, quibus debent sacerdotes per ornari.

Sed ad singula indumenta singillatim descendendo, primum appellatur Amictus, quod cũ humerale, dicitur eo quod vsque ad humeros descendit, cui in lege veteri cidaris respondebat: Vnde Origenes super Leuit. homil. 8. de summo sacerdote primo inquit accipit cidarim, quod est vel operimentum capitis, vel ornamentum, & post hoc super imponitur ei mitra: huius indumenti meminit Innocentius iij. in epistola decretali ad Patriarcam Constantinopolitanum; per quod significatur fiducia, siue spes, qua debet sacerdos accidere ad offerendum Deo tantum sacrificium. Vnde orat. Impone Domine capiti meo galeam salutis, &c. galea enim salutis Metaphoricè spem significat, vt sumitur ex D. Paulo ad Ephes. 6. & clarius t. ad Thessalon. 5. Induti Loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis, &c. Si verò ad passionem spectes velum illud significat, quod Iudei (vt Matt. 26. legitur) faciem Christi velabant dicentes. Prophetiza nobis Christe quis te percussit, vel amictus in capite repræsentat diuinitatem, inquit D. Bonauentura in lib. de expolit. Missæ cap. 1. & Richardus amicta humanitate, Caput enim Christi Deus est; descendit amictus super humeros, inquit Hugo lib. 2. de sacramentis par. 4. significans ex hoc operum fortitudinem, vel onus Domini sacerdotes ferre debere, vt si que eius in modum crucis pectus perstringimus, quo nullas alias cogitationes, quam eas, quæ Dei sunt admittere possiccamur.

Alba est lineum vestimentum album, quia similiter legales Pontifices vtebantur, quæ Græcè podetis, id est vsque ad pedes, Latinè verò talaris dicitur, eo quòd vsque ad tales descendit, de qua fit etiam mentio in prædicta Epistola Innocentij iij. & in Concilio Carthagin. 4. capitul. 41. & significant, vt dicunt Alex. & D. Bonauent. mundiriam, siue innocentiam vitæ, quam habuit Christus, quæ in eius transfiguratione significabatur, quando facies eius resplenduit sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix; semper enim vestimenta Christi munda fuerunt, & candida, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, vel vt dicit Richardus significat nouitatem vitæ, quam Christus habuit, & docuit, & tribuit in baptismo, vel significat cordis munditiam, atque adeo totam hominis iustitiam indicat; & ideo orat sacerdos. De alba me Domine, & munda cor meum, &c. ac propterea etiam totum hominem vestit, & vsque ad talos extenditur, in quo etiam perseuerantiam vsque ad finem significari dicitur, vt Alcuinus notat; si verò ad passionem spectes vestem illam significat, qua (vt legitur Lucæ 23.) Herodes Christum inductum illusit, atque ita inductum ad Pilatum remisit.

Tertium est Zona, siue cingulum, cui in veteri sacerdotio respondebat Baltheus, & significat inquit Alex. charitatem in ornatu virtutum conseruatam; est enim charitas vinculum perfectionis, vt inquit Apostolus ad Colos. 3. Hæc est zona aurea, qua præcinctum ad mammillas Ioannes vidit Apoc. 1. similem filio hominis, & habet zona duas extremitates, quia charitas feruet in corde, & radiat in opere; vel cingulus designat virginitatem Christi, & suæ Matris, inquit D. Bonauentura, quam nos habere docuit dicens. Sint lumbi vestri præcincti, &c. vel Christi iustitiam significat inquit Richardus, iuxta illud Isaiæ 11. Erit iustitia cingulum renum eius: vel zona significat carnis continentiam, & castitatem, qua pollere debet sacerdos; vnde in oratione ait. Præcinge me Domine cingulo puritatis &c. quare inquit Innocentius libro 1. capitulo 15. Circa lumbas debet cingi, vt restringatur con cupiscentia iuxta id, quod veritas ait. Sint lumbi vestri præcincti. Addit Alcuinus per cingulum quo alba restringitur, ne super pedes defluat, & gressum impediat, significari prudentiam, & discretionem, sine qua, quæ videntur esse virtutes, in vitia transeunt. Si autem ad passionem spectes, significat primum ligamen, quo in horto Dominus captus fuit, aut flagellum, quo fuit cæsus.

Quartum est Manipulus, qui leua sacerdotis suspenditur. Inquit Alex. figuratur gloria Christi in via; per leuam enim vita præsens signatur, per amplexum dexteræ fruitio, siue comprehensio. Cant. 2. Leua eius sub capite meo, &c. Christus autem simul fuit viator, & comprehensor, simul enim merebatur, & fruebatur, simul præcurrebat stadium, & comprehendebat brauium, hoc autem per manipulum in leua portatum signatur, secundum psal. 125. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Vel Manipulus in leua inquit D. Bonauentura significat humilitatem Christi in hac vita, vel pugnam Christi pro iustitia, ipse enim pro iustitia pugnauit, mundum superauit, & diaboli potestatem deiecit, & idcirco Manipulus in leua, scutum, vel pugnam pro iustitia designat. Vel significat Manipulus cordis compunctionem, veramque pœnitentiam, quam sacerdos ad altare deferre debet; vnde orat. Merear Domine portare manipulum fletus, &c. Si autem sit respectus ad Christi passionem manipulus à leuo brachio pendens secundum ligamen designat, quo Christus columnæ fuit manibus alligatus. Vel Manipulus (sinistri brachij) quo amoris signa gestari solent, ornamentum quasi partis cordi propinquioris significare potest non incongruè magnum illud vinculum, quo solus salus nostra vinciebatur, scilicet ingens nostræ redemptionis desiderium, quo anxiabatur ad passionis suæ, cum saluaremur et minuationem, secundum quod ait: Baptismo (haud dubium quin sanguinis) habeo baptizzari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur: non enim claui fecret quantumlibet grossi cum in cruce tenere potuissent

tuissent viuum, quem saxum magnum valde tenere non potuit mortuum.

Conc. Brac. Quintum indumentum est stola, quæ in antiquis patribus, & concilijs oratiũ appellatur, vt patet ex Cóc. Brach. 1. can. 27. vbi Diaconi præcipiuntur deferre orarium super scapulas, & in Conc. Brach. 3. can. 3. dicitur sacerdotẽ vtroque humero orario ambiri, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & aduersa, virtutum semper ornamento, vtrobiq; circumscriptus appareat: & infra præcipitur sacerdoti, vt sacrificium oblaturus, aut Sacramentũ corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus non aliter accedat, quam orario vtroque humero circumscriptus, ita ut de vno, eodemq; orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum præmiens signum in suo pectore præparet crucis, & in Conc. Laodicensi c. 22. & 23. & *Conc. Laodi.* habetur in c. non oportet d. 13. prohibentur subdiaconi orario vti, solum enim Diaconis conceditur, de quibus dicitur *Conc. Tolet.* Conci. Tolet. 4. c. 39. Vnum orarium oportet leuitam gestare in sinistro humero propter. quod orat. i. prædicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditius ad ministerium secerdotale discurrat. Vnde Alcuinus, & *Alcuinus. Rabanus.* Rabanus existimant orarium esse dictum, quod oratorib. seu Prædicatoribus Euangelij concedatur.

Significat autem stola sacra, inquit Alex. & post ipsum *Ale de Al.* omnes, obedientiam filij Dei, quicum in forma Dei esset (inquit D. Paulus ad Philip. 2.) non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo &c. vsque factus obediens vsque ad mortem, vel proprie significat Iugum Christi. Vnde in ordinatione sacerdotis cum ei stola imponitur dicitur. Accipe iugum Domini, & quia per obedientiam ad Christum restituendus est homo in eum statum, quem per inobediẽtiam amisit, ideo sacerdos quando sibi stolam imponit orat. Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi &c. si autem Christi passionem spectemus tertium vinculum repræsentat, quo Christus crucem baiulans fuit collo ligatus.

Sextum & vltimum indumentum est casula, seu planeta, & vt ait Rabanus lib. de institutione Clericorum c. 20. *Rabanus.* per diminutionem a casa dicta est, eo quod totum hominẽ tegat, quasi minor casa erat autem indumentum hoc in Ecclesia primordijs, vt notat Soto hac d. q. 2. art. 4. totum con- *Sotus.* sutum, & vndique conclusum vsq; ad pedes sine manicis, vllaue apertura. Sacerdos vero complicabat vtrinque ipsum, vt brachia exerceret, sed postea vt vsui sacerdotis aptior esset ab vtroque latere incisa est: significat autem casula, vt inquit Alex. gratiæ Christi plenitudinem, qua mem- *Alex.* bra confouuntur, quia de eius plenitudine omnes nos accepimus gratiam. Pro gratia vel Christi Ecclesiam significat, quam sibi Dominus copulauit, & copulando Virginem fecit sanctificans, atque mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, hæc autem cum sit vna, & integra, tamen per quamdam extensionem in anteriorem partem, & posteriorem extenditur per quod significatur & Ecclesiam, quæ Christi passionem præcessit, & Ecclesiã, quæ successit illius gratia saluatr. namque qui præibant, & sequebantur clamabant dicentes. Osanna filio Dauid &c. Matt. 21. Osanna, salua obsecro interpretatur, vel vt dicit *Bonauent.* Bonau. significat cælum, & terram, quæ Christus sua maiestate implet, sicut ipse dicit per Prophetam. Cęlum, & terrã *Hiere. 23.* ego impleo: vel casula significat charitatem, qua diligere debemus amicos in Deo, & inimicos propter Deum; vnde per anteriorem partem casulæ designãtur amici, & per posteriorem inimici, & fere omnes alij hanc expositionem sequuntur. Cæterum vt constat ex oratione, quæ dicitur cum casula induitur etiam illa iugum Domini significat, sic enim orat sacerdos. Domine qui dixisti Apostolis tuis iugum meum suaue est, & onus meum leue &c. sed diuersa fortasse ratione, nam stola significat iugum crucis; Planeta iugum amoris, illa patientiam, & fortitudinem, quæ ad iugum illud ferendum necessaria est, hęc vero suauitatem, & dulcedinem iugi huius, quæ ex charitate prouenit significat. Si vero ad Christum Dominum casula referatur apud S. Germanum indicat vestem coccineam, seu purpurã, qua Christus ob militum irrisionem indutus est, vel vt alij voluit designat tunicam inconsutilem, qua Christus exutus est, vt crucifigeretur, nam etiam extensio manuum sacerdotis ex casulam extensionem Christi in cruce denotare dicitur. Hæc, ergo & multa alia mysteria in prædictis vestimentis declarant Authores citati, ex quibus satis constat institutionem hanc religiosam esse, & huic sacro mysterio valde conuenientem.

ARTICVLVS III.

An huiusmodi indumenta ex certa, atque determinata fieri debeant materia.

Circa horum vestimentorum materiam nihil expresse præscriptum reperitur in Ecclesiasticis decretis, atque adeo consulendus est vsus, ex quo, & ex modo loquendi antiquorum de his vestimentis colligitur, Amictum, & Albam ex linea materia confici debere. Vnde Rabanus de in- *Rabanus.* stitutione Clericorum c. 15. & Alcuinus supra dicunt; Ami- *Alcuinus.* ctum correspondere super humerali, seu Ephod Bar, quo sacerdotes, & leuitæ in veteri Tabernaculo, & templo vtebantur, quod lineum erat, vt ex Augustino colligitur lib. 7. quæst. in iudicum q. 41. nam Mater Samuelis fecit filio suo *D. August.* vt legimus 1. Reg. 2. Ephod Bar, quod nonnulli interpretati sunt Ephod lineum, quando eum dedit Domino in templo nutriendum. idem etiam docet D. Hierony. lib. 1. con- *D. Hierony.* tra Iouinianum, aliquantulum a principio, & Epistola 128. ad fabiolam de veste sacerdotali, & Epistola 130. ad Marcellam, qui in hoc distinguunt Ephod Pontificale a sacerdotali, seu leuitico, quia illud nempe Põtificale ex quatuor rebus contextum erat, nempe ex auro, & hyacinto, & purpura, & coccino, seu cocco, & bysso, hoc vero. s. sacerdotale erit lineum, cui noster amictus respondere dicitur. Et quidem si vsus eius recte consideretur, hæc est ad illum aptissima materia.

Alba etiam linea esse debet, vt constat ex Rabano supra, *Rabanus.* & ex Innocentio lib. 1. de hoc mysterio c. 36. & ex Ruperto *Inn. tert.* lib. 1. de diuinis officijs c. 20. Vnde correspondere censetur *Rupertus.* vesti sacerdotum veterum, quæ poderis dicta est, & linea erat, vt constat ex D. Hierony. dicta epistola 128. Vnde & *D. Hieron.* Isidorum lib 19. Ethimologiarum c. 21. Poderis, inquit, est *Isidorus.* tunica sacerdotalis linea vsque ad pedes descendens, & D. Hierony. vbi supra, inquit secunda ex lino tunica est poderis, idest, talaris duplici sindone, quam & ipsam Iosephus *Iosephus.* byssinam vocat, appellaturque Chetoneth, id est, chithon, quod hebreo sermone in lineam vertitur, hæc adheret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & vsque ad cruta descendat, ex quibus patet hanc vestem fuisse lineam, & ob hoc hæc vestis alba appellata est, lino, & vulgo camisia vocari solet, vt Isidor. notat, quæ omnia denotant ipsam futuram lineam, & hæc materia apta est tam ad vsum, quam ad significationem huius vestis.

Circa alia verò quatuor indumenta nihil inuenio de illorum materia a veteribus indicatum, & ideo certum est posse esse, vel lineam, vel laneam, vel sericam, vel ex quacumque alia simili materia, dummodo in tantum seruetur quod apta sit ad tegẽdum humanum corpus tamquã eius indumentum, seu vestimentum, nam cum hęc instituta sint tamquam vestimenta sacerdotalia oportet, vt saltem constent ex materia ad hunc vsum apta.

Nullus autem color certus, aut determinatus est de essentia talis materiæ, quamuis ex congruitate quadam ordinatum sit, vt hæc indumenta certis quibusdam temporib. seu festiuitatibus certi etiam coloris existant, vt ex missali constat, vbi nec proprium etiam præceptum traditur, sed regula tantum directiua.

Sed hic desiderari posset an ex rebus, quæ profanis vsibus deseruierunt possint res sacræ confici, nimirum an vestes Illustrium, & nobilium feminarum iure pro sacrificijs vestibus inseruiant. Glossa in c. ad nuptiarum de cons. d. 1. *Glossa.* negat omnino, eo quod ibi ita statutum sit. Ad nuptiarum ornatum diuina mysteria non præstentur, nedum improborum tactu, vel pompa secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri mysterij videantur indigna, in quibus verbis dicit Glossa Arg. quod ex veste alicuius Dominæ, vel alterius non debet fieri Casula, vel aliquis ornatus Ecclesiæ, quam Glossam sequuntur Archidiaconus, Zabarella, Imo- *Archidiac. Zabarella.* la, Rosella, & Abbas, vt refert Syluest. in verbo corporalia, *Imola.* q. 3. qui Abbas addit oppositum de more seruari, & male. *Rosella.* Et potest confirmari, quia nos minores habemus priuile- *Abbas.*

gium,

Digitized by Google

gium, quo Sistus IV. nobis concessit, vt tuta cõscientia possimus conuertere pannos, ac vestes profanas in paramenta, & alios ecclesiasticos vsus, ergo hoc priuilegium supponit hoc iure communi nõ licere. Cæterum Angelus in verbo vestis, & Siluest. in verbo corporalia, Glossam, & hanc item opinionem improbant, quia consuetudo contrarium indicat. nam quotiescumque res profana mutat figuram, seu artificialem formam non est dubium quin hoc possit fieri, difficultas vero nonnulla esse posset retenta etiam eadem figura, vt an tobaliæ, seu pallæ, & vela linea mulierũ aptari possint ad sacros vsus, vt ex eis fiant altarium tobaleæ, & corporalia, sed in hoc etiam dicendum est si secundum illam figuram aptæ sint ad aliquem vsum sacrum id posse fieri, per se loquendo, si alioqui non interueniat scandalum, vel specialis aliqua indecentia, quia hoc nullibi est prohibitum, & per priorem vsum non contrahunt aliquã maculam, & si quam videntur moraliter habere extrinseca denominatione per benedictionem, vel declarationem ad vsum sacrum purgãtur. Sic.n. cõstat cõmunes domos in templa esse conuersos. Marcellinus enim Papa domum Lucinæ in templum consecrauit. Vrbanus domum Ceciliæ, & non solum vulgares domos, sed templa Idolorum in Ecclesias conuersa fuit, vt constat de celebri Romana Ecclesia, quæ Rotunda dicitur, quæ Pantheon prius dicebatur, quã Bonifacius IV. in honorem sanctorum omnium consecrauit, & idem constat de alijs innumeris, quæ longum esset referre. Idem ergo fieri potest in paramentis, & alijs huiusmodi rebus. Ad Glossam dicitur, quod argumentum illud non sumitur a contrario litteræ, quia vestis, de qua loquitur Glossa, nondum concessa fuerat Ecclesiæ, quare coinquinatio non subsistit in hoc casu.

Angelus. Siluester.

ARTICVLVS IV.

An indumenta sacerdotis sacra esse debeant.

HÆc quæstio spectat ad formam horum indumentorum, duplex autem potest distingui forma, vna artificialis, altera moralis, seu sacra. Prior consistit in figura, de qua nihil aliud dicendum occurrit, nisi in hoc conseruandã esse omnino ecclesiasticam formam, nam sicut in alijs artificialibus, vt sic essentialis forma est ipsa figura, ita in his vestimẽtis, quapropter si illa notabiliter varietur, vel destruatur non erunt vestimenta sacerdotalia, quæ vt essent determinata, necessarium fuit vt determinatam formam haberent, quam tam ad vsum, quam ad significationem aptam esse oportet, huiusmodi autem esse hanc ecclesiasticam formam satis ex dictis constat. Posterior autem forma est benedictio, quæ ex institutione Ecclesiæ necessaria est in prædictis sex vestimentis, vt constat ex cap. vestimenta de cõs. d. 1. vbi dicitur vestimẽta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta, & ex vsu, & ex Pontificali Romano, dicit tamen Doct. cui consentit Rich. hac d. ar. 4. q. 3. in quibusdam locis consuetudinem obtiouisse, vt non oporteat cingulum benedici, & ideo licitum visteri vti cingulo non benedicto.

Scotus. Richardus.

Pertinet autem ad essentiam huius consecrationis, vt iuxta ritum Ecclesiæ fiat, qui habetur in Pontificali, & quod fiat a legitimo Ministro, qui de iure communi est Episcopus, ex priuilegio tamen competit etiam Generalibus, & Prouincialibus ordinum mendicantium, qui nedum facultatem habent benedicendi corporalia, & alia paramẽta ad vsum suorum ordinum, sed etiam ad vsum aliorum ab ordine, vt patet per Priuilegium concessum a Iulio a. Fratribus Herem. S. Augustini, nam simpliciter facultatem concessit absque vlla restrictione: nam loquens Generali Augustiniano Fratri Ægidio ita, inquit. Dedimus tibi propterea potestatem sacrandi, benedicendiq; corporalia, vestes, & ea, quæ sacris vsibus necessaria sunt, quo quidem munere tam tunc, quam qui pro tempore erunt, aut Generalis, aut Vicarius fungi posse decernimus, quod priuilegium extenditur ad omnes Generales cuiuscumque ordinis mendicãtium per Priuilegiorum communicationem. Cæterum ad vsum eiusdem ordinis tantum, vltra supradictos Prælatos videntur etiam facultatem habere Guardiani secundum cõcessionẽ nobis factam a Leone X. & Pius V. anno 1566. concessit ordini Sancti Hierony. Hispaniæ, vt Priores existentes Monasteriorum ordinis non solum vestes, & alia quæcumque ornamenta ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia, sed etiam corporalia, & alia omnia suorum monasteriorum, in quibus chrismatis vnctio non interuenit, licite, & libere possint benedicere, vt refertur in lib. Priuilegiorum eorum, collectum per Patrem Gratiã anno 1591. fol. 37. Et congregationis S. Iustinæ Innocent. VIII. anno 1487. vt refertur in lib. eorum priuilegiorum fol. 137. concessit Prioribus ordinis, & Vicarijs in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiuscumque monasterij posse benedicere corporalia, vestimenta, cæteraq; ornamenta ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia, tam sui monasterij, quam etiam vndecumque sint, atq; ita per participationem possunt, & alij participantes, vt refertur in præfato cap. Fratrum S. Hierony. fol. 37 §. 1.

Est tamen obseruandum a fratribus minoribus, quod in capitulo generali Mechlinẽsi, circa materiam benedictionis rerum ecclesiasticarum reperitur quoddam statutum generale sub forma sequenti, Generale Capitulum determinauit, & præcepit, quod soli Prouinciales habeant benedicere corporalia, & ijdem Prouinciales, Custodes, & Guardiani alia ornamenta, & non alij, & solum pro fratribus, monialibus, & tertiarijs, & nullo modo pro alijs extra ordinẽ, atque adeo Guardiani corporalia benedicere nequeunt sine Capituli generalis licentia, quod virtualiter etiam elici potest ex ipsa concessione Leonis X. vt notat Collector Priuilegiorum titulo benedicere ecclesiastica in fine. sed huius oppositum tenet Rodoriquez tom. 1. q. 9. Regul. q. 19. art. 2. vide eum.

Huiusmodi autem vestium benedictio quo ad durationem dicendum est, quod permanet vsquequo nõ dissoluãtur, si autem ita dissoluantur, vt figura amittatur, vel inepta sint ad vsum sacrum amittitur benedictio arg. cap. quod in dubijs de consecra. Ecclesiæ, vel altaris, vnde si manica albæ omnino separetur perditur benedictio, vnde si postea assuatur iterum benedicẽda est, secus verò erit si prius quã figura, seu forma destruatur vestis ipsa reficiatur paulatim & assuatur, quia tunc semper vestis censetur manere eadẽ, & quamuis aliqua pars addatur non benedicta, nihilominus tota vestis semper censetur manere benedicta. & accessorium sequi reliquum, quod est principale, ita docent Palud. in 4. d. 13. q. 2. & 24. q. 3. & post ipsum D. Antoni. 3. p. ti. 13. cap. 6 §. 5. vbi inquit, q; qñ vestimenta separantur propter paupertatem, videtur distinguendum, quia aut tanta pars amota fuit, quod sine illa non benediceretur, vel celebraretur, vt tota manica, vel pars superior, & tunc desinit esse benedicta, si autẽ modica particula, cuius defectus nec benedictionem impediret, nec celebrationem, tunc remanet benedicta, nec primum dictum est contra illud, quod dicitur extra de sacra vnct. c. quod in dubijs, vbi Glossa ex eo, quod dicitur in tex. illius cap. oleum non consecratum potest oleo consecrato commisceri, sumit inde argumentũ, quod in reficiendis paramentis, vel sacris vestibus, non sacrum filum, vel pannum licet sacro apponi, nec est opus noua consecratione, quod etsi habeat veritatem, quando id, quod additur est parum, tamen non est simile quando tanta pars additur, quod sine ea vestis non benediceretur, nec esset ad celebrandum apta, & ratio est, quia quando oleum admiscetur oleo, liquor præexistens non desierat esse sacer, vel benedictos, & talia continuitate fiunt continua, & fiũt vnum, sed pannus additus panno non facit vnum nisi colligatione. Item iam primus pannus desierat esse benedictus, propter quod appositio non benedicti, non benedicit illũ, qui desierat esse benedictus, cum benedictio non fiat sine verbis.

Paludanus. D. Antoninus.

Addit Palu. quod si cingulum omnino frangatur, ita ut neutra eius pars non sufficiat ad cingendum, amittere benedictionem, & ideo non posse in vsum venire etiamsi reficiatur, secus vero esse si post ruptionem altera pars est sufficiens, nam illa manet benedicta, si vero antequam omnino diuidatur reficiatur, vel etiam modo aliquo connectatur sufficeret ad vsum, quia nondum formã amisit nec benedictionem.

Rursus dicunt prædicti Authores posse stolam deseruire loco cinguli, quia habet sufficientem formam ad illum vsum nec cingulum determinat sibi aliquam aliam specialem figuram, & eadem ratione potest stola in manipulum commutari, quia sunt eiusdem figuræ, & maior, vel minor longitudo non refert si vsum non impediat, quapropter

possit

Digitized by Google

posset etiam manipulum loco stolæ apponi, si sufficientem contingat habere longitudinem, & si roges an si ex manipulo stola fiat, vel ex stola manipulus hic sit denuo consecrandus Respondeo cum Paludano, & Sil. locis citatis, minime, quoniam differunt earum vestium consecrationes, nam longitudo, & breuitas vestis formam non mutant.

Denique si quæras, an stola, manipulus, & casula seruire ab vtraque queant, etiam si vnica tantum consecratione ab Episcopo sacrentur. Respondeo cum ijs Anthoribus id tuto fieri posse, si gemino colore afficiantur ad varios dies festos Ecclesiæ colendos, nam loco duarum hæ vestes inseruiunt. Deinde si stola, manipulus, casula dum sacrantur ab Episcopo duplicata fuerint, id est, ex duplici parte interiori, & exteriori constantes singulæ partes benedictæ manent, nec cõsecrationis forma priuantur, tam etiam si postea diuidantur quia vtraque per se est integra casula, stola &c. constat. n. sufficiente materia, etiam habet integram formam, & ideo ita benedicuntur, ac si essent plures casulæ, vel stolæ, quæ simul possunt vna benedictione benedici.

Vltimo huiusmodi sacræ vestes non possunt esse, nec debent ad communes, seu profanos vsus conuerti, nam siquis sacra veste vteretur ad profanam repræsentationem, vel ludum peccaret mortaliter, nam præseferi contemptum quẽdam huiusmodi rerum, quod vtique verum est, nedum quamdiu consecrationem retinent, sed etiam postquam illam amiserunt per dissolutionem, vel scissionem, aut fractionem, quod sumitur ex d. 1. de cons. in cap. Altaris vbi sic dicitur. Altaris palla, cathedra, candelabrũ, & velum si fuerint vetustate consumpta incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint male tractari, cineres quoq; eorum in baptisterio inferãtur &c. & hoc ipsum intelligendũ est de vestibus sacerdotalibus, & de alijs ornamentis, vel rebus sacris, præsertim de benedictis, & quæ immediate attingunt altaris ministerium, vel ecclesiæ ornamentum.

Si autem quæras, an mortui pietatis prætextu indui debeant vestibus sacris, nam in cap. nemo per ignorantiam de cons. d. 1. prohibetur ne mortuus obuoluatur palla, quæ fuit in altari, aut quæ data est in mensam Domini, ex quibus verbis Sil. verbo benedictio, q. 7. absolute dicit non esse mortuos prætextu pietatis sacris vestibus induendos, & loquitur etiam de sacerdotibus, nam subdit quando sacerdotes, vel Episcopi huiusmodi vestibus sepeliuntur illas non debere esse benedictas, vel si sint, & nihilominus ita fiat cõsuetudine excusari. Respondeo & quo ad sacerdotes, si sit sermo de vsu, dico, solere Pontifices, & sacerdotes vestibus benedictis indutos sepeliri, eamq; consuetudinem licitam esse, & religioni, ac pietatis satis consentaneam, nam actus sepeliendi defunctum actus pietatis, seu misericordiæ, & circa personam sacram potest esse actus religionis, & per consequens vti vestibus sacris ad hunc actum non est conuertere illas ad vsus profanos, sed ad actum pietatis, & Religionis. Item quando huiusmodi vestes tam astrictæ religiose cõburuntur, vt diximus, ergo maiori ratione possunt (vt ita dicam) cum persona sacra sepeliri, & illam simul decenter ornare. Vnde legimus apud Damasũ in Pontificali c. 28 & apud Platinam, & alios in Euthychiano, Euthychianum ordinasse, vt Martyres sine Dalmatica, seu colobio purpureo non sepelirentur, neque huiusmodi vsus est contrarius communi, nam primo exponi potest de palla, quæ est corporale vt exponit ibi Glossa, & de corporali verissimum est non debere in huiusmodi vsum conuerti propter reuerentiam debitam Sacramento, quod immediate in se recipit, ac tetigit. secundo potest exponi de laicis defunctis, vt Glossa ibi interpretatur. tandem ibi non est sermo de vestibus sacerdotalibus, quibus corpora mortuorum sacerdotum indui solent, sed est sermo de palla, id est, de corporali, vt dictum est supra, quo autem ad laicos dico quod non licet pietatis prætextu mortuum laicum sacris vestibus indui.

ARTICVLVS V.

Vtrum teneatur sacerdos sub præcepto non facere sacrum sine vestibus sacris.

Circa hanc difficultatem omnes Doctores conueniunt sex vestimenta supranumerata esse simpliciter necessaria necessitate præcepti ecclesiastici ad hoc sacrificium celebrandum, ita vt si non solum omnia, sed aliquid illorum voluntarie omittatur peccatum mortale sit, ita Palud. Soto, & omnes in 4. d. 13. quæst. 2. Sil. verbo Missa 1. & ibi alij Summistę, & Nauar. c. 25. nu. 84. Qui ad hoc præceptum probandum solum afferunt c. Ecclesiast. d. 23. vbi præcipitur sacerdoti sub pœna excommunicationis, vt cum sacrificat stola vtatur, quod caput sumptum est ex Conci. Brach. 3. c. 5. cuius verba sunt hæc. *Paludanus. Sotus. Nauarrus. Conc. Brac.* Ecclesiastica, & antiqua institutione præfixum nouimus, vt omnis sacerdos cum ordinatur orario vtroque humero ambiatur, scilicet vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & aduersa, virtutũ semper ornamento vtroque circumscriptus appareat humero. Qua ergo ratione tempore sacrificij non assumit, quod se in Sacramento accepisse nõ dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quisque percipit in consecratione honoris, hoc retineat in oblatione, vel perceptione suæ salutis, s. vt cum sacerdos ad Missarũ solemnia accesserit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, ac Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus nõ aliter accedat, quam orario vtroque humero circumseptus, sicut & tempore consecrationis suæ denoscitur consecratus, ita vt de vno eodemq; orario ceruicem pariter, & vtrumq; humerum premens signum in suo pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiaceat. Ex quibus verbis sumi potest arg. a simili, vel a paritate rationis ad cætera vestimenta.

Verum hoc argumentum nõ videtur efficax, & propterea in eo textu est specialis difficultas, vt statim videbimus. Quocirca fundamentum huius præcepti maxime sumendum est ab vniuersali consuetudine, & obseruantia Ecclesiæ, quæ hunc ritum obseruat tamquam necessarium, & maxime pertinentem ad reuerentiam huius Sacramenti, colligitur etiam hoc præceptum ex cap. Vestimenta de consec. d. 1.

Secundo necessarium est etiam ex præcepto, vt hæ vestes sint benedictæ, ita docent citati Authores, & reliqui omnes, fundamentum est idem, quia scilicet est consuetudo Ecclesiæ, & specialiter determinatur in cap. Vestimenta de cons. d. 1. sub his verbis. Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata esse debent & honesta &c. addit tamen Scot. hic in quibusdam locis consuetudinem *Scotus.* obtinuisse, vt non oporteat cingulum benedici, & ideo licitum videri vti cingulo non benedicto, & consentit Rich. *Richardus.* ibidem art. 4. q. 13. Nauar. tamẽ vbi supra, inquit contra Sco. *Nauar.* & Rich. esse, quod etiam pro cingulo benedictio reperitur in Pontificali Romano, sed hoc non concludit aliquibus in locis consuetudinem esse non benedicendi cingulum, atq; adeo illis in locis consuetudinẽ obtinuisse, quod non oporteat cingulum benedici.

Dubitari autem posset primo, an hoc præceptum tam rigorose obliget, vt neque propter mortis periculum liceat *Caietanus.* sine his vestibus sacrificare, nam Caiet. 1. 2. q. 66 art. 4. ita af- *Nauar.* firmare videtur, quod durum visum est Naua. loco supra- *Suarez.* citato, Suarez autem inquit, sententiam Caiet. moraliter intellectam veram esse, si fiat sermo de omnibus vestimentis simul, ita vt missa dicatur solis communibus, & vsualib. vestibus, quod fieri non potest sine scandalo, & sine periculo magnæ irreuerentiæ. Prætermittere autem in casu necessitatis vnum vel alterum ex his vestimentis, præsertim ex minoribus, vt stolam, manipulum, vel cingulum, viri graues censent non esse peccatum mortale.

Secundo dubitari potest, an interdum excusari possit a mortali huiusmodi transgressio. Respondeo, & dico primo quod nõ potest hic esse excusatio ex leuitate materiæ, quia omnes Authores docent omissionem cuiuscumque vestis ex sex prædictis esse sufficientem materiam peccati mortalis non potest autem esse minor materia, quam omissio vnius vestis v. g. amictus, vel cinguli. Dico secundo, quod potest excusari huiusmodi transgressio a mortali lapsu, vel etiam ab omni culpa, ex defectu inuoluntarij, hoc est, si accidat ex obliuione quadam naturali, vel negligẽtia. si enim inaduertentia sit prorsus naturalis, quia vel illud non venit in mentem, vel bona fide existimatum est non oportuisse maiorem aliquam diligentiam adhibere, excusabit ab omni culpa, si vero negligentia fuerit culpabilis leuiter tamen, & absque perfecta aduertentia, & voluntate excusabit a peccato mortali, quamuis non a veniali, si vero sit crassa, & supina non excusabit a mortali, quia non tollit suffi-

ciens

ciens voluntarium, & alioqui præceptum est validum.

Tertio dubitari potest an vtens vestimentis benedictis, sed immundis, & nimium laceris peccet mortaliter. Dico quod cum hoc non sit contra aliquod præceptum positiuũ non videtur, quod lethaliter peccet, quia ille re vera vtitur omnibus vestibus præceptis iure positiuo, cæterum posset esse transgressio contra præceptum naturale sancte, & reuerenter tractandi res sacras, in quo fateor sæpissime posse peccari venialiter. quamuis Sil. verbo Missa 1. q. 2. §. 3. dicat esse peccatum mortale, si vestes, inquit, sint enormiter immundæ, quia est contra præceptum ecclesiasticum ca. 2. de Custodia Eucharistiæ, & potest etiam elici ex cap. vestimẽta de cons. d. 1. vbi decernitur, quod vestimenta ecclesiastica sacra, & honesta esse debent: Cæterum in cap. de custodia Eucharistiæ magis est sermo cum ministris, & Pastoribus Ecclesiæ, ad quos pertinet cura, & custodia rerum sacrarum, quam cum sacerdotibus, qui eis vtuntur vestibus, quibus possunt, seu quas in Ecclesia inueniunt, atque adeo grauitas huius culpæ magis ex ipsa rei natura, quam ex iure positiuo prudenter diiudicanda est. *Siluester.*

Quarto dubitari potest an sit peccatũ nudis pedibus facere sacrum, ita ut oporteat accedere calceatum, de qua re nullum ius scriptum reperio, tamen consuetudo hæc esse videtur, quod sacerdos ad altare sine calceis, sandalis, vel quid huiusmodi non accedat, & ita seruãdum est, qui tamen calceorum vsus non ad cæremoniam, sed ad honestatem, atq; decentiam pertinet.

Quinto dubitari potest, an necessarium sit caput sacerdotis sacrificantis nudum, seu discoopertum esse, ita ut nõnullum peccatum sit cooperto capite celebrare. Respondetur circa hoc reperiri prohibitionem in iure c. Nullus de cons. d. 1. Vbi tam Episcopus, quam presbyter, & Diaconus ad solemnia Missarum celebranda prohibetur introire cum baculo, aut velato capite altari ministrare, & qui temere præsumpserit communione priuari iubetur, & est decretum illud Zachariæ Papæ in synodo Romana ca. 13. Vnde per se loquendo hoc fieri non potest sine peccato absque dispensatione, quæ in cæremoniali Romano exigi videtur, nihilominus tamen si grauis infirmitas aut necessitas id exigeret, nec posset tam facile dispensatio postulari, id fieri posset sine graui culpa, vt notat Sil. verbo missa 1. q. 2. §. 1. & fauet citatus textus in verbis illis. Qui temere præsumpserit, & hoc maxime verum est, quando talis necessitas, & celebrandi modus non est continuus, sed solum semel, aut iterum occurrit, & tunc etiam obseruandum est, vt secreto sacrum fiat ad tollendum scandalum. *Siluester.*

Postremo dubitari potest an liceat sacerdoti Eucharistiã sumere sine stola ad collũ super humeros pendente, quãdo missæ sacrificium non facit: nam in Conc. Brachatensi 3. vt supra vidimus, aperte statuitur, quod sacerdos Sacramentum corporis, & sanguinis Domini sumpturus non aliter accedat, quam orario vtroque humero circumseptus, vbi Glossa docet, quod si in ægritudinem sacerdos sumit Eucharistiam circumdabit stola vtrumque humerum, vnde quæstionis est dubiæ si peccet sacerdos siue sanus, siue ægrotus cum sine stola humeris superposita Eucharistiam sumit. Respondeo cum Turrecremata in cap. Ecclesiastica d. 23. non peccare, nam decretum Concilii Bracharensis vsu, & consuetudine videtur abrogatum, cum sacerdotes cũ regulares, tum sæculares stola vti desierint, præterquam quod verba illius decreti si attente expendantur, non vidẽtur generaliter hoc præcipere, sed cum sacerdos, inquit, ad solemnia missarum accedit, aut per se Deo Sacramentum oblaturus, aut Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, quæ verba sufficienter videntur intelligi de sacerdote communicante in missa solemni ritu, id est, communicante celebrando, loquitur enim de sumente corpus, & sanguinem, & qui non celebrando communicant non recipiunt sanguinem sub specie vini, vt sentit Glossa recepta in c. Comperimus de cons. d. 2. & definit. Conc. Trid. sess. 21. c. 2. & ita exponit Nauar. in summa c. 23. nu. 54. cum Sil. verbo sacerdos q. 4. tamen Glossa intelligit dictum textum de communione extra sacrificium, quod videtur magis consentaneum illi disiunctæ loquutioni, qua Concil. vtitur, nec refert, quod loquatur de corpore, & sanguine, nam olim extra sacrificium etiam ita communicabant, cæterum hac etiam admissa expositione, quam sequitur Angelus ut. sacerdos 9. 3. & 4. non videtur obligare sub mortali secluso contemptu, quia res non est admodũ grauis, nec commum vsu videtur eo sensu recepta, cuius signũ est, quia licet interdum omittatur, numquam ob hanc causam sacerdos ab Episcopo punitur, nec scandalum inde oriri solet, imo viri etiam timorati solent hoc omittere facile, quando commode seruari non potest. *Turrecrem.* *Conc. Trid.* *Nauar.* *Siluester.* *Glossa.*

DE POENIS EORUM QVI celebrant sine amotione impedimentorum, vel conuenientium appositione, seu idoneorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum mutus, furiosus, & non sacerdos si celebrare præsumpserint fiant irregulares.

SI est mutus; inquit Doct. non potest attentare loqui, & si non vtitur ratione non potest attendere habere intentionem debitam, atque adeo de his non est curandum, de muto quidẽ nulli dubium est, at de furioso potest esse dubium an celebrando irregularitatem incurrat, & maxime si non sit perpetuo furiosus, esto enim, quod quidã incidat in furorem, & dum est mente alienatus faciat sacrum, & postea sit a furore liberatus, quæritur an possit ad ordines sacros promoueri. Respondet D. Antoni. 3. p. tit. 28. c. 1. quod furiosus per quãcumque celebrationem non efficitur irregularis, nec peccat, vt patet in Clem. de homicidio c. si furiosus vbi Clemens V. determinat quod furiosus mutilans, vel occidens non efficitur irregularis, imo furiosus siue continuo furore laboret, siue per interualla, quamdiu fuerit, pati poterit iniuriam, sed non facere, ff. de Iniuriis cap. illud, quæ lex canonizata est 15. q. 1. ca. Illud, & quod per eum fit habetur perinde, ac si casu aliquo accidisset sine facto personę. De laico autem, qui est sanæ mentis dicendum est, quod si attentat facere, vt sacerdos, hoc est, cum solemni apparatu, & serio, & tãquam ordinatus in eo non solum peccat mortaliter, & nihil facit, sed irregularis est, vt habetur extra de Clerico non ordinato ministrante cap. 1. Si quis baptizauerit, & cap. 2. Ex iis litteris. Duplex enim pœna in eo cap. 1. imponi videtur huiusmodi vsurpatori ecclesiastici ministerii, prior continetur in illis verbis. Abiiciatur ab Ecclesia, quæ videntur excommunicationem significare, non iure latam, sed ferendam, nam verbum illud Abiiciatur, hominis ministerium requirit. Alia continetur in illis verbis, numquam ordinetur, quæ aperte significant irregularitatem, obseruandum autem est hanc irregularitatem incurri posse vel a Clerico, vel a Laico, a Clerico quidem si ministret in superiori ordine, quem non habet, & de hoc certum est incurrere hanc irregularitatem, ita ut perpetuo promoueri non possit, vt expresse dicitur in dicto cap. 2. De Laico etiam clarum est incurrere irregularitatem, vt docet hic Doct. & est communis sententia, nam omnes fere Theologi affirmant, Laicum vsurpantem quodcumque ministeriũ sacrorum ordinum fieri irregularem, & excludi omnino a Clericatu, ita ut nullum, vel minimum ordinem recipere possit. Dixi supra cum solemni apparatu, & tamquam ordinatus in eo, & serio, quæ omnia continentur in illo verbo Doct. & attentat facere, vt sacerdos, nam nullum ministerium, quod aliquo modo per Laicos exerceri potest, sufficit ad hanc irregularitatem incurrendam, atque adeo Laicus non fit irregularis non solemniter baptizans, è cõtrario verò quilibet non sacerdos etiam in articulo necessitatis solemniter baptizans irregularis efficitur, quia in priori casu non vsurpat actum ordinis, in posteriori vero vsurpat, neque excusat eum necessitas, quia hæc esse potest baptismi, non autem solemnitatis eius. Dixi tamquam ordinatus in eo, quia si Laicus exerceat actus ordinum minorum eo modo, quo secundum consuetudinem solent per Laicos exerceri non fit irregularis, vt notat Nauar. c. 27. num. 242. referens alios, atque adeo nondum Subdiaconus Epistolam cãtans ex choro, vel altari etiam cum Dalmatica, sed sine manipulo, vbi est talis consuetudo non fit irregularis iuxta D. Antoni. vbi supra §. 1. vbi dicit, quod si Clericus non Subdiaconus cantet epistolam cum tunicella sine manipulo *D. Anton.* *Nauar.* *D. Anton.*

tamen,

tamen, & non porrigendo calicem Diacono, vel sacerdoti, quod est proprium officium eius, & principalis actus ordinis talis, & vbi est consuetudo, quod etiam in minoribus cantet epistolam, illo modo non videtur irregularis: secus autem vbi cum manipulo, & porrigendo calicem, & vbi non est mos, quod cantet nisi Subdiaconus, Villad. in tract. de irregularitate colum 42. dicit fratribus mendicantibus esse consuetudinem eam dicere etiam cum manipulo. *Villad.*

Dixi serio, quia necessarium est, quod talis actio cũ peccato fiat, quia irregularitas hæc maxime pœnalis est, ideo si culpa cesset non incurritur, ex quo infero, quod si Laicus consecrer animo repræsentandi, vel fingendi tantum externus, non incurrit irregularitatem, ita Sil. Ange. & Nauar. qui allegat cap. Illud 15. q. 5. In quo solum dicitur eum, qui per iocum percutit iniuriam non facere, quia iniuria in affectu facientis consistit, alii citant cap. Ita eadem causa, & q. vbi solum dicitur illa vera bona, & mala censenda, quæ ex nostra pendent electione. Ideo obiectuandum est, aliud esse facere hoc ministerium per iocum, aliud vero sine intentione conficiendi Sacramentum, prior modus contingit, quãdo tota actio exterior ludicra est, & solum per modum cuiusdam repræsentationis, & tunc quidem verum est nullam incurri irregularitatem, licet actio illa non careat graui culpa, quia cadit in iniuriam, & irreuerentiam Sacramenti, tamen quia illud vere non est ministrare in ordine, ideo per hoc delictum non incurritur hæc irregularitas. *Siluest. Ange. Nauar.*

Sed maior est difficultas, quando minister in exteriori actione serio agit, tamen sine intentione interiori faciendi verum ministerium. Nauar. dicto num. 242. excusat in foro conscientiæ ab irregularitate clericum primæ tonsuræ solemniter cantantem Epistolam cum manipulo si noluit id facere tamquam Subdiaconus, ergo eadem ratione idẽ dicendum erit in quolibet alio ministerio, & potest confirmari, quia censura non incurritur, nisi per actum perfectũ, qui maxime pendet ex intentione facientis, ergo idem est in irregularitate, sed qui ministrat sine intentione non exercet perfectum actum in illo ordine, imo nec verum, quia conficere sine intentione non est consecrare, atque ita de reliquis ministeriis, & per consequens, qui sic operatur, non potest dici ministrare in ordine, quem non habet, ergo neque incurrere hanc irregularitatem. *Nauar.*

Cæterum hæc sententia sustineri non potest, tum quia si de illis ministeriis fiat sermo, in quibus Sacramentum non conficitur, vix potest intelligi, quod operetur talis intentio non exercendi verum actum ordinis, aut non operandi tãquam Diaconum, aut Subdiaconum si adest voluntas faciendi eumdem actum externum cum eodem ornatu, & solemnitate, & serio quo ad totum ritum, & modum externum: nam si hoc non sufficit ad hanc irregularitatem incurrẽdam impossibile est illam incurrere, quia nemo sciẽs se non esse Subdiaconum potest intendere operari tamquã verus Subdiaconus, nisi volendo talem ritum externum modo explicato.

Præterea non ordinatus non potest verum efficere Sacramentum, atque adeo seclusa hæresi, vel crassissima ignorantia, nullus sic ministrans potest intendere verum Sacramẽtum, quia scit sibi esse impossibile, & per consequens frustranea redderetur huiusmodi irregularitas, neque per illam arcerentur homines ab illo delicto, quod lex vitare, & punire intendit, nimirum ab vsurpatione exterioris ministerij alicuius ordinis. Dicendum est ergo, quod si non sacerdos Missam celebret absque intentione conficiendi Sacramentum, aut offerendi verum sacrificium irregularitatem incurrit, nam ille nihilominus serio diuinum exercet officium, & benedicit, vt sacerdos, & orat nomine Ecclesiæ, vt publicus minister eius.

Addo denique necessarium esse, vt qui sic operatur sit capax irregularitatis, vnde fœmina si hoc ministerium vsurpet non fit propterea irregularis, quia non est capax eius, & idem dicendum est de non baptizato ministrante, nam etiam non baptizatus non est irregularitatis capax, maxime illius, quæ ob delictum lata est, quia non baptizatus est extra forum Ecclesię.

ARTICVLVS II.

Vtrum degradatus, & suspensus celebrantes fiant irregulares.

SVppositis his, quæ diximus supra de differentia suspensionis, depositionis, & degradationis, dico, quod quo ad incurrendam hanc irregularitatem, idem est iudicium de deposito, suspenso, & degradato, obseruandum est tamen, quod suspensus loquendo de suspensione proprie dicta prout est species censuræ ecclesiasticæ, vel est suspensus ab homine, vel a canone, si est suspẽsus ab homine, vel a Iudice, vel est suspensus simpliciter, vel ad tempus, & si ad tempus, vel ad tempus indeterminatum, vel determinatum, si verò est suspensus a Canone, aut est suspensus ratione criminis, aut ratione defectus, aut ratione infamiæ, vel scandali. Ex his dico primo.

Suspensus a Iudice si ignorauit ignorantia probabili se esse suspensum, si celebret non efficitur irregularis, secus autem si ignorantia crassa, & supina, & multo magis si sciuit se esse suspensum, & hoc quomodocumque sit suspensus, vel simpliciter, vel ad tempus determinatum, vel indeterminatum, vel ratione defectus, vel infamiæ, nam talẽ, durante suspensione, celebrantem nulli dubium est esse irregularem, nec posse secum dispensari nisi per Papam, vt patet 11. q. 3. Siquis presbyter 2. q. 5. presbyter, & de sententia excommunicationis in 6. c. cum medicinali. *1. Conclusio*

Dico secundo, quod suspensus a iure ratione criminis si est suspensus simpliciter, celebrando fit irregularis 15. q. 3. Si quis episcopus, si est suspensus ad tempus determinatũ, si interim celebrat etiam fit irregularis, si vero ad tempus indeterminatum, aut cum conditione, quod satisfaciat, aut donec pœniteat, si cum conditione donec satisfaciat, vt 8 s. d. si qui sine, & cap. sequenti, & de cohabit. Cler. & mul. c. Sicut, & in Clem. de decis. in c. s. cum similibus, dico (licet quidam contradicant) quod si ita suspensus ante absolutionem celebrat fit irregularis, qui in hoc Iudicis factum est necessarium, vt habeatur pro absoluto. Si verò est suspensus cum conditione donec pœniteat, vt extra de elect. cap. Osius, tunc æquum est tenere, quod interim celebrando non efficiatur irregularis, quia sic talis suspensio videtur esse Dei, ad quam nihil addit Canon, nec vt habeatur pro sublata aliquid factum Iudicis est necessarium, & ideo dicendum est de ea, vt de suspensione Dei tantum. *2. Conclusio*

Dico tertio, quod suspensus a Canone ratione defectus, vel est suspensus ratione defectus ordinis, aut alterius defectus, aut bigamus, illegitimus, corpore vitiatus, ordinatus ante legitimam ætatem, vel a non suo Episcopo. primo modo suspensus si exerceat officium ordinis omissi, vel nondum recepti est irregularis, sed celebrãdo in ordine, ad quẽ per saltum est promotus, & quem habet, non est irregularis, vt patet d. 5. c. Sollicitudo. Secundo verò modo suspensus concordat omnes, quod celebrando non est irregularis, quia hoc non est expressum in iure, & quando curia mandat cum iam ordinatis in suprascriptis defectibus dispensari nihil dicitur de irregularitate d. 56. c. Apostolica, & c. Cenomanensem. Stylus autem curiæ est attendendus de crim. falsi. c. quam graui, nec obstat, quod ordinatio facta ante legitimam ætatem, vel a non suo Episcopo fuerit cum peccato, quia principalis causa propter quam diximus tales suspensos est defectus non peccatum, ergo ratione defectus, non criminis talis censendus est suspensus. *3. Conclusio*

Dico quarto, quod suspensus a Canone ratione scandali, vel infamiæ si celebret non fit irregularis, vt habetur de Cler. pereg. c. 1. sed bene faciunt abstinendo propter infamiam, quæ est contra illum, vel vt scandalum euitetur. Et per hoc sequitur secundum Innocentium, quod illi quorũ crimina sunt notoria, qui etiam post pænitentiam prohibẽtur celebrare propter scandalũ, & infamiam, vt de cohab. & Cler. mul. c. fi. si ante absolutionem celebrant non incurrunt nouam irregularitatem ex allegatione, quam facit, videtur intelligere de notorio fornicatore, de quo infra redibit sermo. Hæc omnia paucis mutatis desumpta sunt ex D. Anton. 3. p. tit. 28. c. 1. §. 5. *4 Conclusio* *Innocentius* *D. Anton.*

Quibus addendum censui, quod suspensus ab officio, si actus ordinis ante absolutionem exercet irregularitatem incurrit, quod patet ex c. de sen. & re iudic. in 6. & in c. s. de sent.

sent. excom. & ex cap. Si quis Episcopus in Concilio, & c. Si quis Episcopus damnatus 11. q. 3. ex quibus iuribus colligere licet tam suspensum a iure, quam ab homine incurrere eandem irregularitatem, quia de suspensione a iure loquuntur decreta citata ex lib. 6. de suspensione vero ab homine Canones decreti, & c. 15. cui, de sent. excom. in 6. generatim, & abstracte loquitur, quare omnem suspensionem comprehendit; & ratio vtriusque est eadem, quia est censura eiusdem speciei, diuersa enim causa efficiens non mutat speciem per se loquendo. Incurret autem hanc pœnam etiam ille, qui nominatim non est denunciatus suspensus si violet censuram, quia quo ad ipsum integrum manet ius, quo hæc irregularitas lata est, vt est communis sententia, de qua videri potest Abbas in c. Sicut de cohab. cler. & mulie. Excusabitur verò ab irregularitate, quoties excusatus fuerit a culpa ministrando, vel vt vitet grauem infamiam, vel scandalum &c. quia hæc irregularitas est pœnalis, & ideo cessat cessante culpa.

Secundo addendum est hanc irregularitatem non incurri tantum in suspensione, quæ est propriè censura, sed etiã in illa, quæ est puta pœna, prior pars certa est ex iuribus citatis, & præcipue ex cap. 15. cui de sent. excom. in 6. Vbi constituitur generalis regula de celebrante diuina, cum sit censura ligatus, quæ regula videtur reddere dubiam posteriorem partem, quia illa suspensio non est censura, nihilominus etiam est certa, quia suspensio lata ad definitum tempus non est propriè censura, sed pœna, & tamen illa incurritur hæc irregularitas, nam de illa expresse loquuntur c. de re audi. & de sent. excom. in 6. quia talis suspensio tam efficaciter priuat sacro ministerio dum durat, sicut quælibet alia, non ergo incurritur hac pœna tantum in propria censura, sed etiam in puta pœna.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacerdos excommunicatus celebrans fiat irregularis.

SVpponendum est, quod hic est tantum sermo de excommunicato excommunicatione maiori, quoniam, vt dicit Doct. inter ista impedimenta canonica non includitur minor excommunicatio quoad hoc, quod pœna irregularitatis sequatur, quia etsi peccet grauiter in excommunicatione minori celebrans nullam tamen irregularitatis notã incurrit, vt patet c. Si celebrat. de cler. excom. celeb. loquẽdo ergo de maiori excommunicatione alligato, regula generalis est excommunicatum ministrantẽ ex officio quodlibet Sacramentum, aut sacrificium Missæ celebrantem ipso facto irregularem effici, est enim hoc expressum in iure c. si quis Episcopus 11. q. 3. verba sunt. non liceat ei. i. excommunicato sic ministranti, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, neque vltra recolligi, seu reconciliari, vt habet alia littera, quæ verba non possunt intelligi de absolutione ab excommunicationis censura, cum hæc non possit esse perpetua, neque eius absolutio denegetur ei, qui cũ debita submissione, & satisfactione ad Ecclesiã redit, ergo pœna, quæ ibi, vt irremissibilis recensetur nihil aliud esse potest nisi irregularitas, quod clarius colligitur ex c. Si quis Episcopus damnatus a Synodo, vbi non negatur reconciliationis. sed restitutionis spes, nimirum in ministerium clericale, & in cap. vltimo de Clerico excommunicato ministrãte dicitur, Sacerdotem minori excommunicatione ligatum non fieri irregularem celebrando, vbi supponitur secus esse si fuerit maiori excommunicatione irretitus, & ita omnes Doctores ibi intelligunt. Et quamuis textus loquatur de sola celebratione, quæ propriè significat Missæ sacrificium, nihilominus Doctores idem esse de omnium Sacramentorũ administratione, & de omni celebratione diuinorum officiorum iuxta modum loquendi aliorum textuum in eodẽ titulo. Quod quidem de Sacramento ordinis extremæ vnctionis, & confirmationis certissimum est, quia hæc nunquã fiunt sine solemni ritu, quod in particulari docet Ric. de extrema vnctione in 4. d. 18. art. 7. q. 5. post solutionem argumenti principalis: nam etsi extrema vnctio aliquando propter necessitatem conferatur sine cæremoniis, tamẽ semper fit cum aliqua solemnitate, quia semper illud Sacramentum administratur publice, & cum aliqua solemnitate sacerdotali (vt ita dicam) id est, cum aliquibus vestibus

Richardus.

sacris, & (quod ad rem maxime spectat) ille actus substantialiter sumptus est proprius ordinis sacerdotalis, sed dubium esse posset de Sacramento absolutionis, & matrimonij, sed de hoc in materia de Sacramento pœnitentię, & matrimonij, vbi erit proprius locus, erit sermo.

In præsentiarum autem quis dubitare posset, an excommunicatus sacerdos ad Sacramentum Eucharistiæ concurrens, & si illud non efficiat, sed distribuat tantum, fiat irregularis. Cui dubitationi respondens dico, irregularem manere sacerdotem excommunicatum dispensando Eucharistiam, aut in ecclesia communicantibus, vel deferendo eam ad infirmos, nam illud est grauissimum ministerium sacrũ, & diuinum, & proprium sacerdotis ratione sui ordinis licet possit Diacono in necessitate committi, vt infra videbimus. Adde in decretis supra citatis non solum prohiberi sub hac pœna sacerdoti excommunicato ne Sacramenta cõficiat, sed absolute ne illa ministret, vt minister ex officio, sed hæc dispensatio Eucharistiæ est administratio Sacramẽti ex officio, ergo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ignorantia possit sacerdotem excommunicatum celebrantem excusare ne irregularitatem incurrat.

DIstinguendum est hic primo de duplici ignorantia. s. iuris, & facti, ignorantia iuris distinguitur, & multiplicatur secundum distinctionem, & multiplicationem legum, seu iurium ignoratorum, quorum aliud est naturale, aliud diuinum, aliud humanum, & hoc vel Canonicum, vel ciuile, legale laicale, seu seculare, & potest talis ignorãtia iuris subdistingui, quia scilicet quædam est ignorantia iuris necessarii ad salutem, quædam non necessarii ad salutem simpliciter, aut secundum quid. Cognitio autem iuris necessarii ad salutem non est eadem semper apud omnes, sed variatur secundum diuersos status hominum, nam quædam sunt necessaria scitu Prælato, quæ non subdito, aut simplici. ignorantia autem facti, quædam est facti in se, quædam est alicuius circumstantiæ facti, quædam alicuius sequelæ ad factum, exemplum primi, quando ignoro an sit homo, vel ceruus, quem occidere volo putans esse ceruum, exemplum secundi quãdo ignoro esse sororem, quã cognosco, æstimans esse aliam, exemplum tertii, vt quando scio me percutere clericum, & tamen ex illa percussione ignorem me excommunicationem incurrere.

Ignorantia duplex.

Secundo obseruandum est, quod ignorantia facti sæpe prouenit ex ignorantia alicuius iuris, v. g. quando ego ignoro ius humanum, quo excommunicatur ipso facto omnis percutiens Clericum, iam consequenter ignoro me percutientem esse excommunicatum, aut me sic excommunicatum celebrare, & tunc habeo ignorantiam facti, qua scilicet sum excommunicatus, aut quia excommunicatus celebro, quamuis talis ignorantia processit ab ignorantia talis iuris prædicti.

Tertio obseruandum est, quod ignorantia aliquando est inuincibilis, interdum vincibilis, vincibilis dicitur illa quã homo potest vincere, & tollere adhibendo omnem diligẽtiam, quam tenetur apponere præcise ad illum effectum. s. ad sciendum illud, cuius habet ignorantiam, & hæc ignorantia est multiplex, nam quædam est affectata, quæ a D. Thom. & alijs dicitur ignorantia electionis, & est illa, qua homo formaliter, & positiuè vult nescire, vt liberius peccet, vel suo satisfaciat zelo, vel appetitui. Alia est crassa, & supina, & est quæ consequitur negligentiam inquirendi sciendi, quæ quidem non affectatur, nec volita est formaliter, nec placet, sed interpretatiue, quia scilicet negligitur cognitio, & tolli potest si velit homo diligentem, ac debitã curam ad sciendum apponere.

D. Thom.

Inuincibilis autem ignorantia dicitur non quidem, quod talis ignorans non possit eam simpliciter vincere, & oppositam habere faciendo, quod in se est, nec dicitur inuincibilis eo quod talis ignorans fecit id omne, quod tenetur simpliciter, sed quod tenetur ad sciendum, dicitur ergo ignorantia inuincibilis illa, quam non potest homo vincere apponendo omnem diligentiam, quam tenetur apponere ad sciendum tale, quod ignoratur, sed adhuc manet postquam fecit homo omnia ad quæ tenetur pro eius expulsione, &

hæc

hæc ignorantia inuincibilis est duplex, nam quædam est inuincibilis omnino, s. quo ad dissolutionem, & euasionẽ simul, & est quando quis vllo modo non potest scire veritatem faciendo, quod tenetur ad sciendum, & stãte tali ignorantia non põt euadere, quin secundum eas operetur, vel omittat aliquid, de quo est ipsa ignorantia, vt si Diabolus apparens in specie Crucifixi dicens se esse Christum præcipiat alicui, quod immolet ei filium, vt reuelatum est Abrahæ, aut quod Religiosus exeat Religionẽ, & ducat vxorem, & huiusmodi. Quædam est inuincibilis quo ad dissolutionem tantum, sed nõ quo ad euasionem, & est illa, quã homo non potest vincere, neq; scire veritatẽ faciendo omnia, quæ tenetur ad sciendũ, bene tamen patet euasio, quia scilicet non astringitur vllo modo agere, vel omittere secundum talẽ ignorantiã, vt si Diabolus in specie Crucifixi præcipiat, ꝙ adoretur, tunc licet nõ possit cognosci veritas illius an sit Christus, an non, tamen bene patet euasio adorando sub conditione specialiter expressa in illo speciali casu extraordinario, similiter si puer sit expositus, & illi, qui eum exposuerunt sint mortui, vel omnino ignorantur, iam non possimus scire an sit baptizatus ille puer, bene tamen patet euasio, quia potest baptizari conditionaliter.

Quarto obseruandum est, quod ignorantia adhuc est duplex, quædam probabilis, quædam improbabilis, probabilis ignorantia ea dicitur, qua aliquid probabiliter ignoratur, qualis est ignorãtia de eo, quod omnes, vel maior pars hominum suæ qualitatis, status, aut conditionis communiter ignorant, vt est ignorantia simplicium, & rusticorũ de aliquibus excommunicationibus iuris communis, vel suæ diœcesis. Et ad hanc ignorantiam nõ requiritur, quod homo sit nimium curiosus, aut diligens in inuestigando veritatem, sed sufficit mediocris diligentia, qualis communiter solet apponi in inquirendo super tali negocio ab hominibus suæ conditionis, ita ut non sit notabiliter negligens, aut remissus in inquirendo, atque ita hæc ignorantia non desinit esse probabilis propter leuem, aut leuissimam culpam, aut negligentiam ad inquirendum, vt dictum est. Ignorantia autem improbabilis dicitur è conuerso, quando quis non probabiliter, aut rationabiliter ignorat, quod potest commode scire, qualis est ea, quæ habetur de eo, quod communiter scitur ab omnibus hominibus suæ conditionis, & hæc semper prouenit ex lata culpa, vel notabili negligentia, vel eam habet annexam, ideo dicitur improbabilis, quia non potest approbari, vel quia non probabiliter habetur. His obseruatis,

1. Conclusio Dico primo cũ Doct. quod ignorãtia iuris non excusat, quia tenetur ille nempe sacerdos, qui se exponit ad tãtum actum, nimirum ad sacrificandum, seu consecrãdum Christi corpus scire iura, secundum quæ licite potest exercere tantum, & talem actum, atque adeo ignorantia eius est omnino improbabilis vincibilis, et si non affectata, saltem crassa, & supina, atque adeo talis ignorantia iuris non excusat, sed forte magis aggrauat, & cum non excuset a culpa mortali non impedit quin minus hæc irregularitas contrahatur, nam licet nonnulla verba, quibus iura vtuntur, vt si ausus fuerit, si præsumpserit &c. videantur exigere culpam ex certa scientia, seu contemptu, alia tamen sunt magis generalia, & in cap. Apostolice de Clerico excom. min. clare supponitur, si ignorantia culpabilis sit, necessariam esse dispensationem, oportebit tamen, vt tanta sit negligentia, quæ ad peccatum mortale sufficiat, tum quia hæc pœna est valde grauis, & ita culpam grauem præsupponit, tum etiam quia in illo textu dicitur, si forte ignorantia crassa, supina, aut erronea fuerit, quæ non conueniunt ei ignorantiæ, quæ ex sola leui negligentia aliquo modo, id est, venialiter culpabilis est.

2. Conclusio. Dico secundo, quod ignorantia facti si sit inculpabilis excusat, nam si sacerdos existens Parisijs excommunicetur Romæ ipso nesciente celebrans cum tali ignorantia non fit irregularis nisi fama veridica, & publica sibi manifestet, quod sit tali pęna impeditus, quia si tunc attentaret esset irregularis, probatur prima pars, quia in cap. Apostolice de Cler. excom. min. in quo dicitur, verum quia tempore depositionis ignari celebrastis diuina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Ratio verò est, quia hæc irregularitas non imponitur propter significationem, sed in pęnam, pœna autem canonica non incurritur, quando non committitur culpa, ergo &c. maior ex prædicto textu sufficienter colligitur, & ex verbis, quibus alia iura vtuntur, in quibus hæc irregularitas imponitur, qualia sunt. Si ausi fuerint, 11. q. 3. cap. 4. si quis, si præsumpserit eod. cap. Si deliquisse constiterit. c. latores de Cler. excom. minis. Si damnabiliter se ingesserit cap. 1. de sent. & re iud. in 6. Si contra interdictum huiusmodi diuinis se ingerat c. 15. cui de sent. excom. in 6. semper ergo præ requiritur culpa ad huiusmodi irregularitatem incurrendam. Quocirca si in conscientia alicui constet solum ex naturali obliuione, aut inconsideratione cum censura celebrasse, potest esse in conscientia certus non incurrisse irregularitatem, quod in simili notarunt Palud. in 4. d. 18. q. 6. Adrianus in 4. q. 3 de clauibus exceptione 7. probatur secunda pars, quia habens notitiam excommunicationis per solam famam si celebrat, debet de rigore deponi, licet cum eo possit misericorditer dispensari, quod patet cap. illud, Dominus in B. Petro de cler. excom. min. vbi Papa Innoc. iij. Capitulo Herbipolensi scribens, quod cum Episcopus Hildeseracensis post latam contra cum excommunicationis sententiam officia diuina celebrauit, & fecit ab alijs sibi celebrari, & se ingessit celebrationi diuinorum, inquit, quod etsi prædictus Episcopus se excusasset, quod non nisi per famam de sententia contra eum lata constaret, atque adeo in hoc non videretur omnino culpabilis extitisse, tamen quia in dubijs via est tutior eligenda, etsi delata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare, & in fine subditur, cum in misericordiam facientes pœnam, quam Canon infligit his, qui post excommunicationem diuina præsumpsent opera celebrare, vel se celebrationi ingesserint diuinorum ei non duximus infligendam. Ex quibus verbis patet, inquit Doct. quod misericorditer relaxat dubitanti pœnam, quam incurrit ex Canone, qui celebrauit diuina postquam innotuit sibi per famam de excommunicatione in cum lata.

Palud. *Adrianus.* *Innocent.*

Sed dubium esse potest, an quando aliquis est dubius de sua excommunicatione incurrat irregularitatem Sacramẽtum ministrando. Hic distinguendum est, quia aut postea sibi constat non fuisse excommunicatum, aut postquam Sacramentum ministrauit, vel confecit constat sibi vere excommunicatum fuisse, si priori modo certum est apud omnes non incurrisse irregularitatem, imo etiam si qui ministret Sacramentum putans se esse excommunicatum, ac proinde grauiter peccando ex conscientia erronea re ipsa non incurret irregularitatem, quamuis ex eadem conscientia teneatur se gerere irregularis, quamdiu durat, cum primum verò illi constiterit non fuisse excommunicatum non indigebit alia dispensatione, quia huiusmodi pœnæ non incurruntur per actum intentatum, seu existimatum, sed re ipsa perfectum. Si posteriori modo Silu. verbo irregularitas numero 15. versic. quinto, & Vgulinus Zabar. 1. cap. 14. numero duodecimo, in fine, qui alios refert. contractam fuisse irregularitatem affirmant, pro hac sententia tamen nullum afferunt fundamentum, videtur autem illis fauere responsio Innoc. iij. in supracitato cap. illud in illis verbis.

Siluester. *Vgulinus.*

Quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, et si delata in eum sententia dubitaret debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare. Cæterum hic textus non omnino conuincit, tum quia casus illius Episcopi magis fuisse videtur temeritatis cuiusdam, quam dubitationis probabilis, quia per famam publicam notitia excommunicationis ad ipsum peruenerat, tum etiam quia in illo casu non dicit Pontifex contractam fuisse irregularitatem, imo nec aperte ait commissum fuisse peccatum mortale, sed prius ait, licet in hoc non videatur omnino fuisse culpabilis, quod vero postea ait. Non debuerat & cætera. indicat quidem aliquam culpam, non tamen aperte mortalem, vnde postea concludit cum eo misericordiam facientes pœnam, quam Canon infligit, ei non duximus infligendam, vbi generatim loqui videtur de omni pœna iure imposita pro tali delicto, & significat non incurrisse illam, neque esse imponendam. Quocirca nullum inuenio textum, in quo illa sententia efficaciter fundetur, nam licet in multis iuribus legamus, quæ citat Glossa super textum prædictum verbo in dubiis. In dubiis tutiorem partem esse eligendam, tamen illa intelligenda sunt, quando altera pars non est practice tuta, vt docet Sanctus Thomas prima secundæ, quæstione 18. & 19.

Glossa. *D. Thomas.*

vbi de conſcientia diſputat. in caſu autem de quo agimus licet ſupponatur dubium ſpeculatiuum circa ipſam excommunicationem, non videtur inde neceſſario inferri dubiũ practicum circa actionem miniſtrandi Sacramentum cum tali dubio cenſuræ. Quapropter ſic reſpondendum exiſtimo ad propoſitã difficultatem. Attẽdẽdũ eſt primo, an qui Sacramentũ miniſtrat cum tali dubio peccet mortaliter cõtra ipſam cenſuram,nec ne;nam ſi excuſatur a peccato mortali,et ſi poſtea conſtet re ipſa habuiſſe cenſuram ab irregularitate excuſabitur,quia vt diximus,non incurritur hęc pęna ſine culpa mortali contra cenſuram commiſſa, ſi verò mortaliter peccauit in eo caſu cenſeo procedere dictorum Authorum ſententiam,quia re vera excommunicatus exiſtens celebrauit,& peccando mortaliter , ergo ex nullo capite poteſt excuſari ab irregularitate contrahẽda . Secundo ad iudicandum an celebrans cum tali dubio ſpeculatiuo peccet mortaliter nec ne, vtendum eſt communibus regulis de conſcientia,& videndum in primis an ille fecerit , ꝙ in ſe eſt ad tollendum tale dubium, & veritatem cognoſcẽdam,nam ſi id non fecit regulariter loquendo temere ſe ingerit ſacris propter periculum , cui ſe exponit incautus, & in eo caſu procedit dictum cap. illud , nec eſt admittenda excuſatio, niſi forte ex aliqua vrgente neceſſitate, quæ nõ conceſſit locum , & tempus ad inquirendam veritatem. Si autem quiſpiam hanc diligentiam adhibuit, & adhuc manet perplexus,& dubius, tunc conſiderandum eſt an poſſit prius moraliter abſolui ad cautelam , quam Sacramento miniſtrando ſe ingerat, nam ſi id potuit, & non fecit,reuera imprudentiſſime fecit , nec poteſt excuſari a culpa graui , nam ſine cauſa exponit ſe tali periculo , & hoc confirmat vſus Eccleſiæ , qua propterea conſueuit hanc abſolutionem ad cautelam facile præmittere , etiam abſque occaſione tam vrgente. Si verò non habuit a quo hanc abſolutionem obtineret, & rationabilis occaſio,ac neceſſitas prudentis arbitrio ponderanda ſe offert ad celebrandum , vel aliquid ſimile, non opinor peccaturum mortaliter, qui depoſito dubio practico celebrauerit non obſtante ſpeculatiuo, tunc quia moraliter loquendo ille homo non ſe exponit periculo cum fecerit diligentiam , & neceſſitate prematur; tum etiã quia ſic operanti fauet illa regula iuris,quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis , nam ille homo tunc poſſidet libertatem in exequutione ſuorum ordinum & optima fide poſſidet, quandoquidem fecit, quod in ipſo eſt,ergo eſt melioris conditionis , vt eis licite vti poſſit donec abſolutionem ad cautelam obtinere valeat.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſimoniacus celebrans irregularitatem incurrat.

OBſeruandum eſt primo, quod nos hic non intẽdimus explicare,quæ,& quotuplex ſit ſimonia],nec etiã qñ committatur ſimoniæ vitium,id.n.ſpectat ad materiam de ſimonia,de qua in ſequentibus erit ſermo. ſecundo obſ. eſt, quod aliud eſt quærere an ſimoniacus per ſimoniæ vitium irregularitatem incurrat,& an ſimoniacus celebrans efficiatur irregularis,nam prima quæſtio ſpectat ad materiam de cenſuris,ſecunda eſt huic loco propria,& eſt ea de qua modo agimus, pro cuius intellectu clariori obſ. eſt tertio , ꝙ duplex eſt ſimonia, altera, quæ committitur in ordinibus ſacris,altera quæ committitur circa beneficia eccleſiaſtica. Simoniacus in ordine etiam minore, vel beneficio incurrit ipſo iure excommunicationem extrau. 2. de ſimonia. Nau. in Manu.c.23.nu.111.verſ.3.dico,& c.25.nu.68. verſ.2. ca. 27.nu.106.verſi.vigeſima prima,& huiuſmodi excommunicationis pęna procedit etiam contra eos, qui ſimoniam cõmiſerũt in ingreſſu Religionis , quamtumuis ſimonia ſit occulta, dummodo ſimonia non ſit mentalis tantum , ſed quæ in actum quemcunq; exteriorem prodierit , vt colligitur ex Extrau. 1. de ſimonia. quarto obſer.eſt, ſimoniacũ in ordine ipſo iure ſuſpenſum eſſe, quantumuis occultus ſit, vt patet ex extrau. 2. de ſimonia,& cap. Reperiuntur,ca. eos,qui. 1.q.1 & hoc intelligitur de eo, qui ſua culpa ſic ordinem ſuſcepit,ſi autem bona fide ordinatus ſit (dum Pater pro filio inſcio dedit pecuniam Epiſcopo, aut mediatori) non impeditur ab ordinum vſu,vt teſtatur Henriquez lib. 14.c.5.§.1.& c.6.§.7.cum hic vera fide verum ordinem recipit.

Simonia eſt duplex.

Naua.

Cæterum de ſimoniaco in beneficio diſſentiunt Doctores:nam S.Thom.2.2.q.100 ar.6. ad primum, & Caiet. ibi.Sotus lib 9.de Iuſ.& iure q.8.art.1.Panorm. in c.accuſatum nu.4.& in cap.inſinuatum nu.1.de ſimonia, & alij docent ſimoniacum in beneficio, ſi publica ſit ſimonia, ſuſpenſum eſſe ipſo iure.quo ad ſe, & quo ad alios , vnde volunt hi Doctores ſiue ſimonia publica ſit,ſiue ſecreta, reddere hominem ipſo iure ſuſpenſum.

D Thomas. Caiet. Sotus. Panor.

Alij verò,vt Innoc.in ca. tanta de ſimonia, & Nauar. in Manu c.23.nu.111 verſ.Tertio dico, dicunt non eſſe ſuſpẽſum ipſo iure, probant , quia contraria ſententia nullo iure veteri,aut nouo probatur, ſed hic diſtinguere oportet propriam ſuſpenſionem,vt eſt cenſura diſtincta ab excommunicatione,ab illa,quæ in ipſamet excommunicatione includitur,hoc poſteriori modo certum eſt huiuſmodi ſimoniacum eſſe ſuſpenſum ab omni officio, beneficio , & ordine, quia excommunicatus eſt ſaltem poſt Paulum II. & Martinum V. at verò loquendo de ſpeciali cenſura ſuſpenſionis,in primis contra conferentem ſimoniace huiuſmodi beneficium nullam reperio ſuſpenſionem ipſo iure impoſitã, ſiue delictum ſit occultum,ſiue publicum, & quidem de ſimoniaco occulto omnes concedunt , & de publico non inuenitur hæc cenſura lata ab aliquo iure, atque idem exiſtimo eſſe dicendum de ſuſcipiente beneficium per ſimoniã quantum ad ſuſpenſionem ab ordine,nam ſi crimen ſit occultum omnes concedunt non eſſe ſuſpenſum ab ordine, vt patet ex D. Tho.vbi ſupra, Angelo verbo ſimonia 6. Silue. verbo ſuſpenſio q.7. Si verò hoc crimen ſit publicum dicũt ita manere clericum ſuſpenſum ab ordine , vt etiam poſt peractam pænitentiam ſine diſpenſatione celebrare nõ poſſit,quod ſecus eſſe affirmant ſi crimen ſit occultum,verum hoc probare non poſſunt,nam illis iuribus,quæ communia ſunt huic vitio cum alijs,hæc pęna non probatur,quę verò de hoc vitio ſpecialiter citantur,qualia ſunt cap.1. & 2.1.q. 3.minus probant, nam ibi ſolum dicitur hic corripiendum eſſe, & a ſanctæ Eccleſiæ liminibus ſubmouendum , & digno anathematis vinculo percutiendum , & ſi perſeuerans fuerit perpetua damnatione mulctandum, quæ omnia nec ſuſpenſionem propriam continent, nec pęnã latã, ſed ferendam, & ſimilia ſunt multa ſub tit. de ſimonia, & 1.q.1.

Innocen. Naua.

D Thomas. Angelus. Silueſt.

De ſuſpenſione verò a beneficio, vel eſt ſermo de beneficio per ſimoniam comparato, vel de alijs, quæ prius legitimè habebantur. Quantũ ad primum dicendum eſt nõ manere proprie ſuſpenſum a tali beneficio, ſed omnino non acquirere tale beneficium, quia collatio, ſeu prouiſio eius omnino nulla ſuit, iuxta Extrauag. Pauli II.& decretum Martini V.de ſuſpenſione verò ab alijs beneficijs licet Sil. Ang. & alij dicant hunc ſimoniacũ in ſuſpẽſione vnius beneficij manere ſuſpenſum ab omnib. alijs , quæ legitime poſſidebant,nullo tamen iure id probant ſufficienter,nã c.ſimoniace de ſimonia,non loquitur de ſimonia cõmiſſa in ſuſceptione beneficij,ſed in ſuſceptione ordinis, nec; ibi ſit mentio de ſuſpẽſione vlla iure lata,& c.praſentiũ 1.q.5.et loquitur de ſimonia in ordine cõmiſſa,& de pęna eius , in qua non fertur ſuſpenſio ab omnibus ordinibus,ſed tñ ab ordine ſimoniace ſuſcepto, vnde nec proportinnale argu. inde ſumi põt,& ideo oppoſitũ credo verius exclusa excõicatione, & inde a fortiori ſequitur ex vi huius delicti non manere aliquẽ inhabilem ad alia beneficia in poſterũ obtinenda niſi ratione excõicationis,atq; adeo ſi hæc ſit ablata per abſolutionem abſque alia diſpenſatione poterit quis nouum beneficium obtinere. Deniq; dicendum eſt ſimoniacum in beneficio ſi crimen ſimoniæ notorium ſit , eſſe irregularem, quia ſimonia eſt crimen enorme, & depoſitione dignũ, ſi verò ſit occultum non eſt irregularis poſt pęnitentiam.

Silueſt. Angelus.

His obſeruatis dico primo, ꝙ ſimoniacus in ordine et minore,& beneficio cũ ſit excõicatus ſi celebrauerit ante obtentã abſolutionẽ excõicationis irregularis erit violãdo eccleſiaſticã cenſurã , ꝙ intelligitur de ſimoniaco quantũ uis occulto,& reali,hoc eſt quando ſimonia ex vtraq; parte eſt completa,ex dato nimirum temporali,& ſuſcepto ſpirituali,vel annexo ſpirituali,& idem dico de ſimoniaco, qui ſimoniã cõmiſit in ingreſſu religionis, quãtũuis ſimonia ſit occulta,& nedũ celebrando eſt irregularis , quia eſt excõicatus,verum et quia eſt ipſo iure ſuſpẽſus, vt patet per ea, q̃ diximus ſupra,& per cap. Maritum d.33.vbi inter non promouendos nominatur ille , qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniã obtulit,& verba textus ſunt

1. Concluſio

hæc

Digitized by Google

hæc.neque eum,qui pet ambitionem, alias pro ordinatione ad immitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit, & 1.q.1.per multa cap. Greg. Papa omnes eos simoniacos damnat,ac deponendos authoritate apostolica censetur, & hæc iura incipiunt a c.123.ordinationes,quæ interueniente pretio &c. & extra de simonia in textu in Glo.in multis ca.

Dico secundo, simoniacus in beneficio cum sit absq; controuersia excommunicatus, si ante absolutionem excōmnicationis celebret erit irregularis, quia celebrat in excommunicatione,atq; adeo violando ecclesiasticam censuram erit irregularis,& a solo Papa dispensatur,ita Coua.in Cle. si furiosus p.1.§.1.nu.7.vbi alios refert. *Couar.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum sacerdos publice, atque notorie peccator celebrans sit irregularis.

Obseruandum est primo, hic non quærimus an peccator publicus,vel notorius sit irregularis,sed an per administrationē Sacramentorum, & potissime Sacramenti Eucharistiæ fiat irregularis. *Triplex est crimen.* Vnde pro clariori huius difficultatis solutione obs.est secūdo, crimen aliud est enorme,aliud notoriū,& aliud depositione dignū,non.n.omne crimen enorme est notoriū, neq; omne crimen notoriū est depositione dignom. Crimen enorme est homicidiū volūtarium, vel casuale præcedente culpa in tale homicidiom sufficienter ordinata,similiter simonia in ordine,& beneficio,ita Silu.in verbo crimen q.2.aliqui addunt crimen hæresis,quod tamen absolute loqoendo non videtur verum. *Siluester.*

Glossa. Crimen notorium secundum Glo.in e. vlt.in verbo notorium,de temp.ordin.& in c.vestra in verbo notorium de cohabit.Cler. & muli.est triplex, vel primo quando crimē a reo confessum est in iudicio,vel secundo per sententiā iudicis in iudicio,vel tertio quando adeo manifestum,& patens est,vt nulla possit tergiuersatione celari: notorium primo & secundo modo dicitur notorium iuris, tertio autem modo dicitur notorium facti. Quod si reus extra iudicium fateatur se commisisse delictum,confessio illa communiter non parit præiudicium confitenti,sic extra iudicium, vt colligitur ex S.Ant.3.p.tit.29.de irreg.c.6.§.7.& Silu.verbo irregularitas q.14.Greg.de Valen.tom.4.disp.7.q.19.puncto 3.§.5.in fi.& Henriq.li.14.c.5.§.1.Vide nostram Practicam criminalem Canonicam. *D.Antonin. Siluest. Gre. de Val. Henriquez.*

Tertio obs.est,quod illud crimen ita dicitur esse manifestum, nulla possit tergiuersatione celari, cuius testis est populus,& inficiationi non est locus,ca.firma. de temp.or. hoc est quod totus populus,vel maior pars populi,vel tota vicinia,vel collegium, vel monasterium, vel aliquis alius locus,vel capitulum, vel maior pars viciniæ collegij, monasterij,capituli,vel loci scit. Verum autem ad hoc requiratur,vt vicinia,collegium,vel locus constet numero decem personarum de hoc sunt opiniones, de qua re legendi sunt Ang.in verbo notorium n.1.Sil.eodem q.4.Nauar.in Man. c.25.nu.73.vers.11.In qua tamen re sciendum est aliud esse loqui de crimine notorio, aliud de infami, si.n.loquamur de notorio,ad hoc,vt sit notorium satis est, vt maior pars viciniæ collegij,vel loci sciat,hoc est,quod plures personæ, quæ efficiunt maiorem partem illius loci, tamquam singulares personæ viderint,illud crimen committi,vnde non satis erit si vnus,vel duo ex illis viderint,& cæteri omnes ex illo,vel illis audierint,hoc.n.licet inducat infamiam criminis,non tamen euidentiam facti, at verò quādo plores, qui omnes maiorem partem loci efficiunt tāquam singulares personæ crimen ex visu sciunt,tunc vere ita manifestum dicitur,vt oulla tergiuersatione celari poterit,v.g.si in vicinia vel Monasterio vbi sunt 10. personæ sex, vel septem, vel quinq; videant clericum percuti ab alio, tunc percussio illa dicitur notoria.Item si videant Clericum simul habitare cum concubina,vel eam tamquam vxorem tractare, tunc concubinatus ille dicitur notorius: si autem de crimine infami loquamur,tunc quidē ad hoc, quod crimen istud inducat infamiam non est necesse, vt crimen sit notoriū, vel per sententiam,vel per propriam confessionem in indicio, vel per euidentiam facti,quibus tribus modis crimen dicitor notorium,sed satis est vt apud bonos, & grauis veros infamia notetur,quod contingere solet etiam si crimen nō sit notum multis ex visu, vel ex certa scientia, sed ex solo sermone accepto a tribus,vel duobus,imo etiam ab vno teste fide digno. *Angelus. Siluester. Nauar.*

Quarto obs.est, crimen in iure depositione dignū est, adulterum,&c.peccata carnis eo maiora, item homicidiū, blasphemia,periuriū,sacrilegiū,maleficiū hęresis,simonia, & alia peccata adulterio grauiora, item concubinatus diu continuatus,seu fornicatio diu continuata,stuprum Virginis,incestus etiam cū filia spirituali,& similia,de quibus legendi sunt Docto.in c.At si Clericus de Iudicijs, & in c.nullus,& in c.præter hoc d.32.Nauar.in Man.c.27.nu.248. *Nauar.*

Quinto obs.est, Clericum concubinarium occultū non esse suspensum,aut irregularē,vt omnes Docto.fatentur.Si verò notorius sit, ita vt nulla possit tergiuersatione celari, existimant quidam hunc post peractam pænitentiam non esse irregularem si celebret,quia docent suspensum esse solū quousq; pęniteat, atq; adeo post penitentiā celebrando non effici irregularē. Publici autē,seu notorij concubinarii (vt tradit Leo Papa X. in bulla de concordatis inter sedē Apostolicam,& Regē Franciæ in Conc. Later.sess.11.15.16.) intelligendi sunt non solū ij, quorum concubinatus per sententiam,aut confessionem in iure factam, seu per rei euidētiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent,& per suū superiorem admoniti ipsam cū effectu non dimittunt,sed difficultas est an irregularis sit si ante pænitentiam celebret. *Leo. X. Conc. Late.*

Quidam docent talem esse suspensum quo ad se, & quo ad alios,in qua tamen episcopus ante celebrationem dispēsare pōt,sin autem ante pænitentiam celebret irregularem esse a solo Papa dispensabilem, eo talis ipso iure suspēsus sit,tam quo ad se, quam quo ad alios ante peractam pænitentiam,ad citant c.Præter hoc d.32.vbi sic legitur. Præter hoc aūt præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter,vel sub introductam mulierem: vnde etiam sancta Sinodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, & eadem d.c.nullus,vbi dr nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, quibus verbis videtur inquit Doctor, Sacerdoti concubinario notorio prohibetur celebrare, quia magis astringitur sacerdos ad canendum,quam audiens,vt non audiat, & per consequēs si celebrat contra præceptum Ecclesiæ facit,ergo &c. est ēt pro hac sententia c.Si qui sunt d.81. vbi ita legimus. Si qui sunt Presbyteri, Diaconi,& Subdiaconi,qui in crimine fornicationis iaceant interdicimus eis ex parte Dei omnipotētis,& Sancti Petri authoritate Ecclesiæ introitum vsq; cū pæniteant,& emendent. Si qui verò in suo peccato perseuerare maluerit nullus vestrum officium eorum audire præsumat &c. Et Palud. in 4.d.27.q 4.art.1.citat cap. vestra de cohab. Cleri.& muli.vbi Panormitanus n.7.probat ipso iure suspensum esse ex dicto ca. Pra ter hoc additq; non esse differentiam inter hæc verba, suspendo te ab officio,& ista Interdico tibi officium, sed per prima verba infligitur suspensio,ad eo quod celebrans efficitur irregularis,vt probatur ex c.1.de sent & re iud.lib.6. & cap.1. de sent. excom. in 6.ergo & per illa secunda verba, quia non refert quid p æquipollentiam fiat cap. licet ex quadam de test. & facit lex nō possunt de legibus,ita docent Aluarus Pelagius de Planctu eccle.li.1.c.48.Sant. Ant.3.p.tit.28.de susp.cap.1.§. 1.Sil. verbo Concubinarius q.4.Diaz.in practica Crimi.cano.ca. 73.& Nauar.in Man.c.23.nu.76.vers.15. *Palud. Panormita. Aluarus. D. Antonin. Siluester. Diaz. Nauar.*

Oppositam sententiam docent Inno.& Io. And. in ca.si celebrat.de Cler.excom. minis. Car. in ca.vestra de cohab. Cler.& muli.Conar.in Clem.si furiosus p.1.§.1.n.4. de homic.qui oēs docent non esse irregularē,cum id nullibi in iure sit expressum,irregularitas autem non nisi in casibus iure expressis contrahitur c.15.qui de sent.excom. in 6.vnde licet secundum Couar. talis Clericus vere maneat suspensus,non tamē fieri irregularē celebrando, quam sentētiam refert Naua.& quo ad hoc sequi videtur in cap. Si quando de rescriptis excep.17. nu.7.& 8. Qui consequenter aiunt non omnem suspensionē sufficere ad irregularitatē contrahendam,sed illa,q̄ est ratione solius delicti, & propter contumaciam,& puram penam,est autē alia suspētio,quæ non est propter delictum solum,sed pp infamiam,atq; adeo nō tam propter pęnam,quam propter indecentiā,& scandalū, & sic suspensus iuxta hanc sententiā non incurrit irregularitatem etiam si cum ea celebret, huiusmodi autem est hæc suspensio Clerici publici concubinarij. idem fere docet Sotus in 4.d.1.q.5.art.6.ad 2.& d.15.q.1.art.9.vbi fatetur iure *Innocent. Io. And. Card. Couar. Nauar. Sotus.*

antiquo latam fuisse suspensionem in huiusmodi clericos, iam verò cessasse, ne ipsi se exponant periculo maioris scandali, & ruinæ, quem sequutus est Medina in sua summa li. 1. c. 11. §. 8.

Medina.

Potest esse tertia opinio, quam videtur hic sequi Doct. noster subt. qui tenet hanc suspensionem non incurri ipso iure, quamtumuis delictum sit notorium, vel per euidentiam facti, vel per sententiam, aut confessionem coram Iudice, quod aperte videtur supponi in Concilio Trid. sess. 25. c. 14. de reformat, vbi varias pœnas imponit huiusmodi Clericis concubinarijs, & priusquam aliquam incurrãt semel monendi esse dicuntur a suis prælatis, quod si adhuc perseuerẽt in suo vitio, tunc priuantur ipso facto tertia parte fructuum suorum beneficiorum, si verò secundæ monitioni adhuc non paruerint omnes quidẽ fructus omnium beneficiorum, aut pensionum ipso facto amittunt, & ideo administratione beneficiorum suspendi dicuntur non quidem ipso facto esse suspensi, quod si adhuc pertinaces sint beneficijs perpetuo spoliari, & ad alia beneficia indigni reddi mandantur: ac tandem si opus fuerit excommunicationis gladio plecti, & quoad hos clericos beneficiatos nullã mentionem facit suspensionis ab ordine, quã ipso facto incurrant, postea verò de Clericis non habentibus beneficia, aut pensiones dicit. Iuxta delicti, & contumaciæ perseuerãtiam, & qualitatem ab ipso Episcopo, carceris pœna, suspẽsionis ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsue modis iuxta sacros canones puniantur. Si igitur ab episcopo suspendendi sunt ab ordine, quando opus est, ergo iuxta mentem Concilij non erant suspensi ipso iure, atque adeo per antiqua iura nullam propriam suspensionem ipso iure latam fuisse apparet; nam Concilium ait hos clericos puniendos si opus sit suspensione ab ordine iuxta Sacros canones, ergo supponit iuxta eosdem Canones nõ esse ipso iure suspensos.

Scotus.

Conc. Trid.

Idem etiam manifestari potest ex multis decretis de cohabit. Cle. & muli. nam ca. 2. hi dicuntur excommunicandi post tres admonitiones in c. verò 3. dicitur quod episcopus per suspensionis, & interdicti sententiam debet eos arctius cogere, vt huiusmodi feminas a se separent, in c. verò 4. dicitur esse cogendos per suspensionem a beneficio, et si pertinaces fuerint etiam per priuationem, & in c. 5. dicitur quidem de quodam clerico fuisse propter hoc crimen suspensum ab officio, Glossa verò addit, & bene ab Episcopo suo, nam ex verbis sequentibus, in quibus Pontifex requirit litteras, quæ facti seriem contineant, satis constat illam suspẽsionem fuisse per sententiam latam, similiter in c. 6. dicitur hoc esse interdicendos ab officio per episcopũ, ergo in omnibus his supponitur hos non esse interdictos, vel suspensos ipso iure. Quapropter dicendum est cum Doct. quod peccator publicus, seu notorius si ante pænitentiã celebret peccat mortaliter non tantum, quia est in peccato mortali, sed quia scandalizat, cæterum non sit irregularis.

Ad fundamenta primæ sententiæ respondetur, & ad cap. Præter hoc, & nullus, non est ibi sermo de clericis, sed de prohibitione aliorum fidelium, & licet in c. præter hoc addatur specialis quædam prohibitio sub his verbis, præcipimus, & omnino contradicimus, vt Missas non cantent, nec Euangelium, aut Epistolam ad Missam legant, neq; in presbyterio ad diuina officia maneant, nec partem ab Ecclesia suscipiant, verumtamen illa pœna neque ipso iure fertur, nullum. n. ibi est verbum quod hoc sufficienter indicet, neque etiam fertur contra concubinarium Clericum, sed contra eum, qui concubinam palam duxerit, aut ductam non reliquerit, ꝙ peccatum longe grauius est, & hoc tempore multo maiori pœna puniretur, quam ibi præscribitur, & cũ infertur, prohibetur fidelibus ne Missas audiant, ergo multo magis prohibetur sacerdotibus ne celebrent, hæc consequentia, inquit Scotus, non est necessaria in pœnis, quia pœnæ non sunt ampliandæ, & quandoq; prohibetur communicatio cum isto in aliquo actu, vt corrigatur, non tamẽ infligitur isti pœna irregularitatis si exercet illum actũ, ideo dicendum est prohibitionem, quam habet Clericus concubinarius ad non celebrandum non prouenire ex aliqua cẽsura ecclesiastica, sed ex intrinseca malitia talis status, vt ipse, scilicet corrigatur, & ad scandalum aliorum vitandum.

Ad cap. si qui sunt 81. d. Dico, quod ibi potius interdicti, quam suspensionis censura in huiusmodi cõcubinarios fertur. Verba. n. sunt: interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & S. Petri authoritate Ecclesiæ introitum vsque dum pœniteant, & emendent. postea autem prohibetur alijs fidelibus, ne talium Clericorum officium audiant si in sua obstinatione perseuerent, at interdictum ab Ecclesiæ ingressu non est suspensio, sed censura distincta propter quam quod vt notat Marianus Sco. in fine suorum Chronicorũ, (& refertur etiam in 4. Tomo Conciliorum) Gre. VII. (cuius verba refert Gratianus in illo cap. si qui sunt.) facta synodo vetuit iuxta antiqua decreta Clericos maxime diuino muneri consecratos mulieres habere, vel cum mulieribus habitare, atque adeo pœna illi lata fuit in clericos coniugatos.

Marian. Sco.

Ad c. vestra, quod citat Palu. dico, ꝙ ibi non agitur de suspensione ipsorum concubinariorum, sed de prohibitione aliorum fidelium ad vitandos illos in diuinis mysterijs, vel Sacramentis, quod autem ibi dicitur concubinarium clericum esse suspensum quoad se tantum, non verò quoad alios nisi eius delictum notorium sit, cum eadem proportione potest intelligi, non. n. dicitur suspensus quoad se, quando delictum eius est occultum proprie loquendo de suspẽsione, quæ est censura, sed solum ex intrinseca obligatione, quam secum peccatum adducit, eadem ergo proportione dicitur suspensus quoad alios ratione peccati publici, non ob censuram superadditam, sed ob scandalum aliorum, quod intrinsece secum affert peccatum publicum.

Paludanus.

Sed hic dubitari posset, an sit specialis prohibitio suscipiẽdi Sacramentum Eucharistiæ a sacerdote concubinario publico, sicut Nauar. affirmat c. 25. nu. 8. ex cap. Nullus, & ex cap. Præter hoc d. 32. vbi etiam Missam prohibemur audire ab huiusmodi sacerdote, dico, quod quicquid sit de iure veteri, ex iure nouo ex indulto Concilij Constan. quantũcumq; fuerit notoria sacerdotis fornicatio per facti euidentiam, non tenemur iure humano ipsum in Sacramentis, aut officijs diuinis, vel extra vitare, nisi per sententiam iudicis suspensio fuerit contra eum specialiter, & nominatim publicata, & denunciata, etiam si confessus fuerit in iudicio, vel contra eum probatum sit, vt docent omnes Doctores, & ratio est, quia ius antiquum (si quod est) quo talis suspensus erat non solum consuetudine, sed etiam hac constitutione Concilij Const. abrogatum est, vbi solum excipitur notorius Clerici percussor, vt supra diximus, quod idem in alijs criminibus dicendum est, atque ita dicẽdum est quidquid sit de veritate huius rei. s. an Clericus cõcubinarius notorie suspensus erat iure antiquo, nec ne, nunc tamen nec suspensio illa, nec Canones illi in vsu sunt, sed per contrariam consuetudinem abrogati sunt, ita ut tales nisi post monitionem, & iudicis sententiam, seu suspensionem, virtute illorum Canonum ex celebratione irregulares non sunt, & quod dictum est de publico fornicario, vel concubinario dici posset de publico vsurario etiam manente in peccato vsuræ, vt hic docet Doct.

Nauar.

ARTICVLVS VII.

Vtrum sacerdos infamis celebrans sit irregularis.

INter alia multa delicta, ob quæ merito homines ab ecclesiasticis officijs arceri solent est infamia, vt notant Doc. in c. Accedens de accus. & c. Accusatum de Simonia, & c. qui in aliquo d. 51. Ideo merito dubitatur, an sicut infamib. portæ dignitatum patere non debent, ita in sacris ordinib. constitutis sacra facere sit interdictum, adeo quod celebrando efficiantur irregulares. Pro cuius difficultatis explicatione nonnulla obseruanda sunt. Primo obs. est, ꝙ infames dicuntur in hac materia, quorum nomen moribus, & vita reprobatum est, sicut e conuerso fama est illæsæ dignitatis status vita, ac moribus comprobatus, & in nihilo diminutus. Glo. in c. vestra, in verbo notorium de cohabit. Cler. & muli. & Glo. in c. infames §. porro in verbo infamia 3. q. 7. Summistæ in verbo infamia 5. Ant. 2. p. tit. 28. de irre. c. 6. in fine §. 8. quæ famæ definitio aliquibus Theologis non placet, de qua recens sermo d. 25.

Quid sit infamia, & quid fama.

Glossa.

D. Anton.

Secundo obs. est, ꝙ infamia est triplex. s. infamia iuris, infamia facti, & infamia canonica, infamia iuris est, cum quis committit delictum, cui a iure imposita est infamia, & per sniam cõdemnatur, ꝙ intelligendũ est p sniam definitiuã, nõ. n. sufficit interlocutoria, & causa cognita, nõ per viã inquisitionis, sed accu. vt notat Abb. in c. inquisitionis de accu. n. 2. aut in iudicio reus ipse crimẽ illud cõfessus est c. qui in aliquo d. 51. ꝙ etiam intelligendũ est, ꝙ crimẽ est tale, cui ipso iure infamia est imposita, nam si esset imponenda non esset satis confes-

Infamia est triplex.

Abbas.

Digitized by Google

confessio iuridica, vt censeatur incursa, donec sententia lata sit, quia nulla pœna, quam lex ipsa per se non infert censetur imposita, donec per Iudicem imponatur, quantumuis reus fateatur delictum, ergo nec infamia. Infamia facti est cum quis committit delictum, vel factum ita manifestum, quod apud homines bonos, & graues reputatur infamis c. Omnipotens de accusa. distinguitur autem infamia facti ab infamia iuris, quod infamia iuris incurritur propter delictum, cui ex ipso iure per sententiam infamia imponitur, & reus, vel conuincitur in iudicio, vel confitetur, infamia verò facti incurritur propter delictum, aut factum, quod apud homines graues, & bonos infame censetur, vnde infamia iuris requirit sententiam condemnationis, infamia verò facti non requirit sententiam in iudicio, sed solum vt delictum, vel factum sit publicum, seu notorium. infamia canonica incurritur ob quodcumque crimen mortale arg. ca. omnes. vers. 6. q. 1. & 32. q. 5. cap. præceptum.

Infamia est duplex. Tertio obs. est, ꝙ infamia adhuc est duplex, vel. n. est inflicta a iure, vel a Iudice, infamia a iure incurritur ob delictum, quod a iure infamia punitur: infamia verò a Iudice incurritur propter delictum, quod per sententiam Iudicis infamia punitur: vnde si quis incidit in delictum, cui a iure imposita est infamia, & illud delictum sit in iure probatũ, & per sententiam condemnatũ, tunc ille dicitur infamis in iure, si verò incidit in delictum, cui a iure non est imposita infamia, sed a Iudice nimirũ supremo, qualis est Imperator Rex, vel Princeps imponitur infamia. Princeps. n. supremus sicut constituit leges imponentes infamiã, ita pōt ferre sententiam punientẽ infamiæ delictũ, cui alias a iure infamia non est imposita, tũc reus ille dicitur infamis a iudice.

Quarto obs. est, ꝙ infamia iuris alia est iuris canonici, alia iuris ciuilis: infamia iuris ciuilis est, quæ per leges ciuiles introducta est, sicut infamia iuris canonici est, quæ fundamentũ habet in iure canonico, quamquã verũ sit infamiã iuris ciuilis, quæ per ius canonicũ expresse sublata non est, ẽt esse infamiam canonicã, vt notauit *Innocent.* Inn. c. qualiter, & qñ. 2. de accusationibus, & sumitur ex c. omnes primo 6. q. 1. omnes (inquit Adrian. Papa) infames esse dicimus, quos leges sęculi infames appellãt, quod intelligendũ est nisi ius canonicũ talem infamiam abstulerit, nã tunc potius ipsa infamia ciuilis per superiorẽ potestatem iuris canonici sublata censetur, vt bene notauit *Glossa.* Glossa in dicto cap. cum secundum Apostolũ, vnde sciendum est omnem infamiam; ciuilem per ius canonicum non reuocatã, esse canonicam, non quia a iure ciuili lata est, sed quia iure canonico accepta est.

Quinto obs. est. ꝙ infames multipliciter existun in iure, *Qui dicãtur infames a iure.* vel. n. sunt infames ex facto, & delicto proprio, vt qui operas suas locant ad pugnandum cum bestiis in arena, qui de furto conuicti sunt, qui muliebria passi sunt, & non per vim, apostatæ a fide, statuta ecclesiastica contemnentes, sacrilegi, sepulcrorum violatores, incestuosi, homicidæ, periuri. i. qui fidem datam, & promissam violarunt, qui in iudicio mendacium iuramento confirmarunt, raptores, malefici, venefici, belli desertores, adulteri, hæretici, fautores, receptatores, defensores hæreticorũ, credentes hæreticis, schismatici, blasphemi, simoniaci, vsurarij, duellum offerentes, vel acceptantes, omnes deniq; criminibus capitalibus irretiti, & in crimine notorio depositione digno existẽtes, vt colligi potest ex c. infames 3. q. 7. & ca. infames. 6. q. 1. & cap. illi eadem causa, & q. & aliis capitibus iuris. Item infames sunt, qui ducunt vxores viles, & abiectas, vel meretrices, eiectas, repudiatas, ioculatrices, saltatrices, Scenicas, c. si quis viduã d. 34. vel sunt infames ex delicto, & infamia parentum, vt filius, & nepos per lineam masculinam hæretici damnati, & in hæresi morientis, aut de crimine læsæ Maiestatis damnati, ex matre verò hæretica solus filius, nõ autem nepos contrahit infamiam iuris c. statutum. 2. de hæreticis li. 6. & c. si quis 6. q. 1. sed si occulta fuerit hæresis, aut in ratione infecta pater decessit, in publica hæresi absq; nota infamiæ filius catholicus non est infamis, aut irregularis. Item si parens brachio sęculari traditus resipuit, & reconciliatus obiit, aut si ante crimen patris hæretici, qui pertinax decessit natus quis est non est infamis, vt notat Henri- *Henriquez.* quez lib. 14. c. 5. § 4. quod intelligendum est de infamia secundum quid, non verò de infamia simpliciter, nam infamia iuris absolute dicta reddit hominem inhabilem etiam ad testimonium ferendum, & alios habet effectus, de quibus in c. non potest cum seq. 2. q. 7. c. Testimo. & c. licet de testibus, & c. licet de probat. quos tamen effectus non possumus iure tribuere filiis hæreticorum, cum nulla lege nec in particulari, nec in generali imponantur, præter, quam ꝙ si filij hæreticorum essent infames, etiam si iam essent clerici, vel beneficiati redderentur infames, quia etiam clerici, & habentes beneficium sunt capaces infamiæ, si sufficiens causa intercedat, consequens est falsum, alias hi essent priuandi beneficijs, & vsu ordinis, & officij, & iure eligendi si illud habeãt, quia omnes illi actus sunt prohibiti infamĩbus, atque adeo licet filii hæreticorum sint irregulares, tamen non sunt proprie infames, quia non omnes irregulares sunt infames, sed illi tantum, qui ob propria delicta irregulares fiunt, neque est necesse hãc irregularitatem in infamia fundari, nam proxime imponi potuit propter grauitatem delicti paterni, & in pœnam eius, non possunt itaq; proprie appellari infames nisi secundum quid, & in ordine ad honores, seu officia, vel beneficia in iure expressa. Itẽ infamis est, qui ex meretrice matre, quamuis coniugata natus est, dummodo notorium sit meretricium matris, & infamiam iuris incurrit, vel sunt infames ex officiis, & obligatione velut serui, curiales, & qui artem aliquam, & officiũ vile exercent, vt sunt Mimi, Histriones, Scenici, Ioculatores, Carnifices, Macellarij, Tabernarij, Cauponatij, Aurigæ, & similes, quod etiam intelligendum est, quando aliquo iure, vel ciuili, vel ecclesiastico constat talẽ conditionem, seu tale munus inducere infamiã, nisi forta.e tale sit munus, vt vel intrinsece includat culpam grauem, vel saltem cum illa publice fiat, nam tunc ratione culpæ inducet saltem infamiam facti, ratione tamen solius abiectionis, seu infamiæ conditionis talis muneris numquam inducit irregularitatem ipso iure. Item aleatores, item condemnati tutelæ, & huiusmodi, de quibus legendus est Maio. li. 3. *Maiolus.* c. 5. per totum.

Postremo obs. est, ꝙ aliud est, aliquẽ infamatum esse, aliud esse infamem. Infamis dr̃ cum crimen, in ꝙ incidit aliquis, vel est confessum in iudicio, vel de eo conuictus quis est, vel est notoriũ in ciuitate, vel collegio, vel vicinia, vel loco, vel est a Iudice tamquã infame punitũ, & damnatũ. infamatus aũt dr̃ cum quis est publice accusatus de aliquo crimine infami, sed nondũ est vel conuictus illius criminis vel crimen illud confessus, nec crimen illud notorium est notorietate facti.

His obseruatis dico ꝙ licet infames iuris ciuilis, vel ca- *Conclusio.* nonici, & infames infamia facti sint ipso iure irregulares, tamen celebrando non efficiuntur irregulares, prima pars patet, & primo de infamibus infamia iuris ciuilis, nam siue talis infamia per sententiam irrogetur, siue ipso facto contrahatur, qui tali infamia laborant nisi restituti fuerint in integrum ab illo, qui pōt, nimirũ vel a Papa, qui omnem infamiam tollere pōt, ẽt eam, quæ per iudicem ciuilem irroga- *Richardus.* ta est ex Rich. in 4. d. 25. ar. 6. q. 1. Summa Asten. p. 2. li. 6. ti. *Astensis.* 27. q. 2. ar. c. Euphemium §. hinc colligitur 2. q. 3. Sil. verbo *Siluester.* Infamia q. 12. & Hẽriquez li. 14. c. 5. § 3. vel per sententiam *Henriq.* iudicis illius, qui sententiam tulit, vel superioris eius, vel per factum omnino contrariũ si sit infamia facti, nam sicut per factum erat infamis apud homines graues, & bonos, ita ẽt apud homines bonos, & graues recuperat facto contrario, & mutatione vitæ, quare si quis in longinquam regionem migrans acquisiuit ibi bonũ nomen deletur prior infamia *Richard.* ex Ric. in 4. d. 25. at. 6. q. 3. Asten. & Henriquez vbi supra; *Astensis.* vel per canonicam purgationẽ si infamatus sit, hoc est, in iu- *Henriquez.* dicio publice accusatus. c. Si quis, & c. ex tuarum de purga. cano. post quam purgationem nõ est ab ordinibus repellẽdus, licet eius fama sæpe in hominũ opinione maneat læsa ex Ric. & Asten. vbi sup. vel per cordis contritionem, & pœnitentiam si sit infamia canonica, quam incurri diximus per quodcũq; peccatum mortale, quæ absq; vlla dispensatione, sed per solam pænitentiam tollitur, vt Doct. communiter *Nauar.* tradunt, & Nauar. in manu. c. 27. n. 204. quia omnis res per quascumq; causas componitur, per easdem dissoluitur c. 1. de reg. iur. his. n. modis tollitur infamia, & infamis in integrum restituitur, infames itaq; infamia iuris ciuilis nisi restituti sint in integrum sunt ipso iure irregulares, & priuati actibus legitimis, & repelluntur non solum ab ordinum susceptione, sed etiam ab accus. & testificat. ẽt post peractam pænitentiam de illo crimine, pro quo facti sunt infames ex *Richard.* Ric. in 4. d. 25. ar. 6. q. 1. Summa Astensi p. 2. lib. 6. ti. 27. q. 1. *Astensis.* Angelica verbo infamia nu. 8. & verbo irregularitas n. 29. *Angelus.*

De infamibus autem infamia iuris Cano. atque etiã de infamia facti patet, quia pari ratione repelluntur ab ordinibus, vt præfati Authores testantur, & colligitur ex cap. infames 6. q. 1. Secunda pars probatur, quia ad hoc vt irregularitas contrahatur non est satis, quod in simili casu, vel minori posita sit, sed necesse est, quod in propria specie talis causæ, vel delicti lata sit, adeo quod reqiritur, textus aliquis expressus, cum nemo nisi in casibus a iure expressis, irregularis iudicandus sit c. 15. qui. de sent. excom. in 6. non inuenitur autem in iure canonico expressum, quod infamis nondum in integrum restitutus celebrando fiat irregularis, atque adeo irregularis minime est censendus. Et quamuis infamis sit irregularis, celebrando tamen nullam nouam irregularitatem incurrit, quia irregularis, vt illegitimus, aut homicida celebrando nouam irregularitatem
Innocent. non incurrit, ex Innoc. in c. si celebrat. n. 3. de Cleri. excom.
Nauar. celeb. quem sequuntur Nauar. in manu. c. 27. nu. 154. &
Henriquez. 194. & Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 6. cuius ratio est ex Nauar. Quia irregularitas non est vera suspensio, nec censura ecclesiastica, & proinde celebrans illa irretitus nullam violat censuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem, & illa non incurritur nisi in casibus a iure expressis.

ARTICVLVS VIII.

An celebrans sine vestibus sacris sit irregularis.

HÆc sola dubitatio superest circa pœnas eorum, qui celebrant sine conuenientium, & idoneorum appositione, quæ dubitatio spectat ad ecclesiasticum ritum seruandum in Sacramento Eucharistiæ conficiendo, seu administrando, in qua non est sermo de ritu substantiali a Christo instituto, sed de accidentali ab Ecclesia superaddito, & potissime de sacris vestibus, de quo ritu hæretici huius temporis, qui non reijciunt omnino has cęremonias, vt superstitiosas, ad summum illas admittunt, vt voluntarias, & non necessarias, quia intolerabile, inquiũt, est de his humana præcepta tradere, & legem libertatis, legem seruitutis efficere. Sed hæc est hæresis manifesta contra ecclesiasticã potestatem a Christo traditam, & contra vsum, & traditionem eius, est etiam hic error contra naturalem rationẽ, quia in omni Republica necessarium est, vt in rebus sacris tradendis, seu perficiendis sit aliqua forma præscripta, vt cum debito honore, & reuerentia fiant.

1. Conclusio Quapropter dicendum est primo esse in Ecclesia præceptum ministris Sacramentorum impositum, vt ea non ministrent nisi seruata solemnitate, & cęremoniis ab eccle-
Conc. Trid. sia constitutis. Conclusio est de fide definita in Conci. Tri. sess. 7. cano. vltimo de sacramentis in genere. Quod verò hac potestate fuerit Ecclesia vsa tradendo hoc præceptum ex ipsa consuetudine, constat & ex sensu omnium fideliũ, & ex multis decretis, quæ retulimus supra art. 5. huius quæst. de requisitis ex parte ministri quo ad conuenientiũ appositionem.

2. Conclusio Dico secundo contemptum huius præcepti semper esse peccatum mortale, transgressionem autem eius non semper, vt docuimus supra in supracitato art. Contemptus autem in præsenti materia esset si quis negligeret celebrare sine sacris vestibus, vel cum vestibus non benedictis existimans illas esse, vel omnino superfluas, vel impertinentes, aut aliquid huiusmodi, & hic quidem grauiter peccaret, quia magnam faceret iniuriam Ecclesiæ, atque indigne de spiritu, quo huiusmodi cęremoniæ institutæ sunt sentiret, sed de hoc satis diximus supra loco citato, sed hic speciale dubium est, an sacerdos celebrans sine vestibus benedictis & ad celebrandum deputatis sit irregularis.

Maiolus. Maiolus lib. 3. c. 26. nu. 5. affirmat irregularem esse clericum, qui prætermisso sacrificandi ritu, quem Ecclesia seruat, corpus, & sanguinem Domini conficit, ad quod probãdum nullum ius affert, sed ratione vtitur, quia cum tam aperte quispiam abutitur potestate sacerdotali indignus fit illa, omnique vsu eius, citat præterea Archiepiscopum Flo. tract. de censuris, & irregula. c. 87. verbo Tertio nota, dicẽtem sacerdotem prohibitum dicere Missam, si sine illa conficiat corpus Domini irregularem fieri, & posset sumi arg. a simili ex violatione aliarum prohibitionum, quæ per cẽsuras imponuntur.

Cæterum hæc sententia falsa est, & prior ratio probat quidem hoc delictum dignum esse tali pœna si iure imponatur, tamen meritum culpæ non est sufficiens ad probandam pœnam nisi ostendatur iure lata, quod est maxime necessarium in irregularitate, vt diximus supra. Cum ergo in prædicto casu non habeamus tale ius, non possumus irregularitatem nouam introducere propter solam culpæ grauitatem. Dictum autem, quod ex Antonino citatur, longe diuersum est, nam in eo casu dicit fieri sacerdotem irregularem non quia conficit corpus Christi sine Missa, sed quia prohibitus dicere Missam conficit corpus Christi nam etiam si dicatur illud conficere sine missa, quia non seruat ecclesiasticum ritum, exercet nihilominus maxime substantiale opus Missæ, quod est consecrare, nam in eo substantia sacrificij posita est, & in eo consistit potissimus vsus potestatis sacerdotalis, & ideo qui illum exercet prohibitus irregularis fit, quod intelligendum est de sacerdote prohibito per censuram, seu ecclesiasticam suspensionẽ.

Ad argumentum a simili iam dictum est supra ad hoc, quod irregularitas contrahatur non esse satis, quod in simili casu, vel minori posita sit, sed necesse est, vt in propria specie talis causæ, vel delicti lata sit. Dicendum est ergo, quod *Conclusio.* sacerdos sine vestibus sacris, vel omnibus, vel aliquibus, vel non consecratis celebrans non fit irregularis, siue hoc faciat scienter, siue ignoranter, quia non inuenitur in Canone pęna irregularitatis inflicta, vnde ex quo ista est pœna iuris positiui, quando non infligitur non incurritur, vt inquit hic Doctor. Quapropter nulla conditio (inquit Doct.) ex parte ministri requisita, & non obseruata facit irregularitatem incurrere, nisi defectus sacerdotii, vel alia pœna simpliciter prohibens, & remouens ab exercitio sacerdotii, & per consequens sacerdos non prohibitus per talem pœnam conficiendo non incurrit irregularitatem, nec ergo propter peccatum, nisi sit tale, cui annexa sit prohibitio canonica: nec propter non ieiunium, nec propter carentiam ornamentorum debitorum, nec breuiter propter quæcumque alia sub prædictis non contenta incurritur irregularitas.

ARTICVLVS IX.

Vtrum macula corporalis impediat a celebratione, & sumptione huius Sacramenti.

ENumerando supra ordinatæ consecrationis impedimẽta, diximus vnum esse remouendum, quod nõ est nec culpa, nec pœna, & hoc duplex esse diximus, vnum ieiunii naturæ solutio, alterum corporalis immunditia, cum itaque supra d. 8. q. 3. de solutione ieiunii disputatum sit, in hoc articulo agendum est de corporali immunditia. Pro cuius explicatione obseruandum est, primo quod nulla immunditia corporalis est de per se impedimenta celebrationis, aut sacræ communionis, vt docet D. Bonau. in 4. d. 12. *D. Bonau.* p. 2. art. 2. quæst. 3. & patet satis ex verbis Christi Matt. 15. non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, quia nulla passio talis, aut exterior immunditia de per se peccatum est, aut de necessitate coniuncta peccato.

Secundo obseruandum est, ex ipsomet D. Bonau. vbi supra, & Gersone de materia celebrationis consideratione *Gerson* 7. quod quædam est immunditia corporalis coniuncta immunditiæ spirituali secundum veritatem, aut secundum quamdam similitudinem, vel conformitatem, vt actus fornicationis in vigilia perpetratus quoad primum, & immũditia in somniis sordidis quo ad secundum, alia est immunditia corporalis, quæ visa, vel cognita horrorem, & abominationem quamdam generat, quales sunt lepra, menstrua, & innaturalis fluxus seminis, & aliæ infirmitates corporales.

Tertio obseruandum est, quod nocturna pollutio potest *Pollutio nocturna bifariam considerari* bifariam considerari, vel in ordine ad causam, vel in ordine ad modum, si consideretur in ordine ad causam, nocturnæ pollutionis triplex potest assignari causa, extrinseca spiritualis, vt Dęmon illudens dormienti excitans phantasmata, intrinseca spiritualis, vt præcedentes cogitationes, verbi gratia, quando phantasmata apparent dormiẽti ex reliquiis præcedentium cogitationum, intrinseca corporalis, & hac aut aliquando fuit voluntati subiecta, vt quando prouenit ex superfluitate cibi, & potus præcedẽtiũ, quandoq; nõ fuit volũtati subiecta, vt dũ accidit ex debilitate virtutis

reten-

Digitized by Google

retentiuæ seminis, vel ex virtute naturæ superflua expellente, siue quacumque alia infirmitate. Si verò consideretur in ordine ad modum, triplex potest assignari modus, quia vel fit cum imaginatione turpi, & consensu voluntatis, vel secundo cum imaginatione turpi, & sine consensu voluntatis, vel tertio sine imaginatione turpi.

Quarto obseruandum est, quod ab immunditia, de qua hic loquimur, separanda est culpa ab externa macula, nam si mortalis culpa adiungatur corporali maculæ, siue vt causa, siue vt effectus, siue vt concomitans eadem ratio est de illa, quæ de cæteris peccatis, nam post talem pollutionem non licet sumere sacramentum, nec celebrare, nisi præmissa debita pœnitentia; Intelligitur ergo hæc quæstio de immunditia inculpabili.

Quinto obseruãdum est, huiusmodi corporis defectum posse considerari vel ratione sui, vel ratione aliquorum effectuum quos secum affert, siue præsens sit, siue præteritus, verbi gratia, mentis distractionem, aut tarditatem animi, & difficultatem ad res spirituales tractandas.

Postremò obseruandum est, huiusmodi defectum corporalem esse posse vel iam præteritum, vel adhuc durantem, quando sacramentum suscipitur, si autem nondum contractus sit, sed in futurum timeatur per se non refert ad præsentem communionem, nisi directè cadere possit in aliquam irreuerentiam sacramenti, antequam Christus sub speciebus esse desinat, vt verbi gratia, si vomitus timeatur, tunc enim potius esset omittenda communio, quam permittendus vomitus adeo indecens, & reuerentiæ Christo debitæ contrarius: Vnde grauiter peccaret, qui cum huiusmodi periculo sacramentum acciperet.

1. Conclusio His obseruatis dico primo. Corporalem maculam per se non impedire ex necessitate huius sacramenti vsum, seu communionem, hæc est sententia D. Gregorij in responsione 10. & 21. ad Augustinum Anglorum Episcopum, vbi in particulari attigit omnes casus supra positos, & eum sequuti sunt reliqui scriptores omnes, vt Alex. Alen. 4. p. q. 21. memb. 2. art. 2. §. 3. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. D. Bonau. Rich. Palud. & Maior in 4. d. 12. Gabr. lect. 10. in Cano, & Summistæ verbo Eucharistia, & verbo Communio.

D Greg. *Ale 3 Ales.* *D Thom. 3.* *D Bonau.* *Richardus.* *Paludanus.* *Maior.* *Gabriel*

2 Conclusio Dico secundo loquendo de immunditia, quia horrorẽ, & abominationem generat, quòd nec à celebratione, nec à communione impedit, nam afflicto, & puniro non est afflictio addenda, imò potius eius miseriæ miserandum, vt in cap. Ex parte de clerico ęgrotante, quod verò eodem tit. capit. Tua, nos præcipitur vt Clericus leprosus abstineat ab altaris ministerio, non propter hoc interdicitur leproso facultas celebrandi omnino, sed tantum populo parochiali propter scandalum, & horrorem populi, vt patet ex verbis decretalis; Erat enim is, de quo loquitur, Curatus Ecclesiæ parochialis, vnde priuatim nisi omnia esset debilitas, aut deformitas poterit celebrare, vt dicit Alex. de Ales, vbi supra quæst. vltima. Hugo autem dicit, quòd si Presbyter sit leprosus cessabit à ministerio quo ad sanos, sed leprosis poterit cantare, & ministrare diuina; Idem potest dici (inquit Alex de Ales) de viro seminifluo, sicut inquit D. Grego. de muliere menstruata; nam scribens D. Greg. Anglorum Episcopo, quæ verba referuntur in d. 5. c. ad eius, inquit, mulier quæ secundum consuetudinem menstrua patitur prohiberi Ecclesiam intrare non debet, quia ei naturę superfluitas, in culpam reputari non debet, similiter nec debet prohiberi à communione sacramenti, vnde ibidem sequitur. Sanctæ communionis mysterium in ijsdem diebus percipere prohiberi non debet; si autem ex veneratione magna percipere non præsumpserit laudanda est, sed si susceperit non est iudicanda. Cæterum de viro seminifluo D. Thom. distinguit: quia vel illa immunditia est perpetua, aut diuturna, vel temporalis, & citò purgabilis; si primum, non est propter hoc abstinendum ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis; si secundum, tunc si aliquis fuerit bene mente dispositus sumere non prohibetur, quamuis etiam possit ad tempus laudabiliter abstinere propter reuerentiam tanti sacramenti.

Ale 3 Ales. *Hugo.* *D. Greg.* *D. Thomas.*

Loquendo autem de immunditia, quæ coniungitur peccato secundum quamdam similitudinem, vt est resolutio seminis in somno, quæ non est peccatum, sed similitudo peccati.

Conclusio Dico primo: si illusio nocturna accidit ex mortali præcedenti, nimirum ex consensu voluntatis certo, vel probabiliter dubitato omnino abstinendum est.

2. Conclusio Dicò secũdo, quòd si resolutio seminis in somno ex diabolica illusione accidit, cuius in nobis causa per turpem imaginationem, vel delectationem non præcessit, (quod ex eo considerari potest, si frequenter accidat, & præcipuè in diebus, quibus communicandum est) non est à communione, aut celebratione abstinendum, quia signum est, quòd diabolus fructum Eucharistiæ percipiendæ auferre conatur, sic legitur cõsultum cuidam Monaco in vitis Patrum.

3 Conclusio Dico tertio, si pollutio huiusmodi ex naturæ infirmitate, vel aliàs non præcedente peccato accidat, & sine imaginatione turpi non impedit, si necessitas immineat, aut deuotio exposcat, si tamen propter reuerentiam abstineat dum infirmitas non fuerit perpetua laudandus est.

4. Conclusio Dico quarto, patiens pollutionem sine mortali præcedenti, siue cum veniali, siue sine peccato præcedenti tamen imaginatione turpi, licet non peccet mortaliter, extra casum necessitatis celebrando, vel communicando; minus tamen reuerenter accedit, & peccat venialiter.

5. Conclusio Dico quinto, huiusmodi defectum, seu corporalem maculam, vel immunditiam propter effectus aliquos ex illa resultantes, posse aliquando impedire vsum huius sacramenti, non ex necessitate, sed ex congruitate secluso scandalo, & contemptu, id est, non sub peccato mortali, sed de consilio, vel ad summum sub veniali; Ratio prioris partis est, quia supponimus in his effectibus non interuenire peccatum mortale; solum autem peccatum mortale in anima durans impedit ex necessitate vsum huius sacramenti. Ratio verò posterioris partis est, quia homo ita se debet præparare ad vsum huius sacramenti, vt non solum habitu, sed etiam actu deuotè ac reuerenter accedat, quod negligere sæpe est peccatum veniale, sed interdum propter corporis defectum, aut maculam impeditur homo ne possit ita se disponere, vt cum debita deuotione, & reuerentia accedat, ergo & sæpe erit consilium ad tempus abstinere, & interdum erit peccatum veniale non facere.

Ex hoc infertur, quòd seclusa culpa mortali nocturna pollutio non obligat sub mortali ad abstinendum ab vsu huius sacramenti etiam eodem die, quia neque ex natura rei hoc est intrinsecè malum, neque etiam est aliquod positiuum ius, quo prohibeatur.

Aliqui verò censent esse culpam venialem communicare eodem die post nocturnam pollutionem etiam inculpabilem, quæ videtur esse sententia August. ser. 244. de tempore, vbi absolutè negat licere, & postea inquit; peccatum quidem est, sed tamen paruum est; neque enim dicimus esse capitale. Idem sentit Greg. dicta responsione 11. ad Augustinum, & multi ex Scholasticis citatis, & ex summistis.

D. August. *D. Greg.*

Alij dicunt per se quidem non esse peccatum veniale, tamen esse consilium, ac melius saltem illo die abstinere, hæc videtur esse mens D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. & Glossæ in cap. Testamentum d. 6. Alij existimant non esse consiliũ abstinere eodem die, sed si homo, quod in se est faciat, vt deuotè, ac reuerenter accedat melius est communicare per se loquendo. Ita sentit Iustinus martyr, q. 21. ad gentes, dicens. Non est æquum propter hanc inuoluntariam passionem abstinere a mysterijs, & idem dicit Theophilactus Alex. in suis responsionibus responsione 8. & hæc sententia in hoc vera est, ꝙ considerando pollutionem in se, illa non potest impedire, nec sub præcepto, nec sub consilio, quia iam non est. Cæterum quatenus manet in suis effectibus, & in memoria hominis, si ea de causa homo se sentit ineptum ad res spirituales, & diuinas tractandas, vel si magnã mentis distractionem, vel varias cogitationes patitur, consulitius erit abstinere donec præteritæ passionis omnino obliuiscatur, atque ita non erit necesse laborare in præscribenda mora temporis, quo abstinendum est in huiusmodi euentu, sicut quidam faciunt assignantes tempus trium, aut quatuor dierum ex cap. Omnis homo, de consecra. d. 3. vbi in particulari est sermo de copula coniugali; alij ponũt tempus 24. horarum vt Alex. de Ales, & D. Thom. qui in particulari loquuntur de nocturna pollutione sumpto proportionali argumento ex Leuit. 15. & Deut. 23. Alij existimant satis esse vt defectus nõ accidat intra eumdem diem naturalem, qui incipit à media nocte, sed quia nulla temporis definitio potest sufficienti ratione fundari, existimo non oportere aliquam in particulari tradere, quia cum hoc pendeat ex dispositione hominis, vel ex effectibus, ex acti-

D Thomas. *Glossa.* *Iustinus.* *Theophilactus.* *Ale. 3 Ales.* *D. Thomas.*

bus,

Digitized by Google

bus, vel macula præcedente relictis, quamdiu illi effectus durauerint durabit hæc congruitas, & illis cessantibus cessabit. Quapropter si pollutio nullum huiusmodi effectum reliquit, & homo potest eadem reuerentia, & deuotione accedere non aliter, quam si nihil in somnis passus fuisset, non est cur celebrationem, seu communionem prætermittat, cum nulla rationabilis causa intercedat.

Præter hæc autem considerandę sunt circumstantiæ extrinsecæ temporis, loci &c. nam si occurrat aliqua necessitas, vel specialis vtilitas multum iuuabit, vt propter huiusmodi passionem inculpabilem non sit omittenda communio, vel sacrificium, etiamsi interdum oporteat cum minori actuali deuotione, aut actuali aptitudine ad sacramentum accedere, quia hæc, quæ inuoluntaria sunt sæpè sunt propter maius bonum præmittenda.

Ex his patet, quid dicendum sit de copula cōiugali, nam cum non sit actus in se malus certum est non impedire ex necessitate, id est, sub peccato mortali, nec intrinsecè etiam continere venialem culpam, nec semper esse damnandum, nam si alter coniugum operatur hunc actum non petendo, sed reddendo debitum tunc copula non tam ex voluntate, quam ex obligatione iustitiæ processit, vnde non solū peccatum non fuit, sed etiam sine peccato non potuit excusari; Præterea potest contingere vt coniuges copulentur nō ex voluptate, sed ex pura intentione prolis, & tunc talis copula nullam culpam continet, & interdum pro ratione status, & circumstantiæ potest esse non solum honesta, sed expediens; In his duobus casibus D. Greg. vbi supra vniuscuiusque iudicio committit, vt pro ratione impedimenti, aut spiritualis affectus, quem in se senserit, vel communicet, vel abstineat, & eamdem doctrinam significat August. ser. 46. de verbis Apostoli. At verò quandu copula est omnino voluntaria, & ex nimia concupiscentia carnis & voluptate, consulendum est, vt eo die quis abstineat à communione, & regulariter erit peccatum veniale ita communicare, vt sentit Alex. de Ales vbi supra, & D. Thom. loco citato ad septimum, & alij, quia illud est signum parum dispositi animi ad res diuinas tractandas, & alioquin ex huiusmodi actu, præsertim quando procedit ex hoc affectu regulariter oritur magna distractio, seu hebetudo mentis ad res spirituales, & iuxta hæc limitanda est doctrina Hieronym. & Augustini. Quod verò ex Concilio Elibertino refertur de consecr. d. 2. in cap Omnis homo ante Sacram communionem à propria vxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Hoc, inquam, consilium est non præceptum, vt Concilij verba perpendenti facilè patebit.

D. Greg. *D. August.* *Ale. à Ales.* *D. Thomas.* *Cōc. Eliber.*

ARTICVLVS X.

Vtrum sacerdos teneatur præmittere diuinum officium ante Missam.

Sotus. *Suarez.*

DE hac re duplex est opinio, vna Soti lib. 10. de Iust. q. 5. art. 4. concl. 2. & in 4. d. 13. q. 2. art. 2. ad finem, quam sequitur Suarez tom. 3. dispu. 82. sect. 1. qui censent lethale peccatum non admittere sacerdotem sic sacrificātem etiam sine iusta causa, & debita, quod probant, quod nulla lege id videtur caueri; nullus enim extat iuris canon, quo præcipiatur, vt matutinæ preces antę sacrificium recitentur. Secundo: quia Missa non est de horis canonicis, vt patet per Glossam singularem. Clemen. 1. de celebra. Missarum, atque ita nullus ordo videtur inter Missam, & horas seruandus, sed quod hæ dicantur in horis sibi statis, & illa in sibi stata. Tertio, quòd si soluere nocturnum officium sexta aut nona hora diei non est mortiferum, a fortiori missare ante nocturnum non erit tale? Quod si illis opponas communem consuetudinem, respondent non omnem consuetudinem vim legis habere, nec item omnem consuetudinem ita strictè, & arctè conscientiam tenere, vt nisi seruetur lethale peccatum contrahatur.

Siluester.

Silu. autem in verbo Missa 1. q. 6. versic. 4. quamuis non ita generaliter doceat, sentit tamē iusta, & legitima de causa fas esse sacerdotibus aliquando matutinis precibus non persolutis sacrum facere, vt si subita necessitas occurrat, v. g. accedit Illustris, vel magnus Princeps rei diuinæ gratia audiendæ, nec adest vllus tunc sacerdos, qui sacrificet, nisi qui preces adhuc matutinas non recitauit; Adest etiam populus in die festo sacrum auditurus; item si superior præcipiat vt sacrum facias; si præterea necesse sit vt sacrificium fiat ob mortuum subito delatum in templo sepeliendum, vbi de more defuncti sine Missæ sacrificio non sepeliuntur.

Veruecensis. *Anton.*

Altera opinio, quæ valde cōmunis est, asserit peccatum mortale esse dicere Missam ante recitatum saltem matutinum officium, ita tenet Veruecensis à Silues. citatus, Ant. 3. p. tit. 15. c. 4. de horis canonicis, §. 4. in fine, & dicit hanc esse sententiam Guil. & Host. ex hoc quia est contra generalem, & approbatam consuetudinem Ecclesiæ d. 11. in his rebus, vbi dicitur, sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt; Gabr. lect. 13. in cano. Angelus verbo Missa nu. 42. Armilla verbo Horæ canonicæ nu. 18. Summa Confessorum Asten. Pisanella, Tabiensis, & Summistæ frequentius his verbis; Idem tenet Nauar. lib. de orat. cap. 3. nu. 70. & c. 21. nu. 30. & in manu. c. 25. nu. 83. Eamdem opinionem tenet Marcellus referens plures Canonistas lib. de horis canonicis c. 24. fundatur autem hæc opinio in consuetudine Ecclesiæ, quam satis ostendunt graui Authores, & ex vsu constat. Certum est autem consuetudinem habere vim legis, & ex consequenti in re graui obligare sub mortali: Quod autem talis sit hæc res probatur, quia grauitas materiæ iudicio prudentum pensanda est, sed communiter sapientes in hac materia iudicant rem hanc esse grauem. Accedit, quòd Ecclesia in Missali Romano hanc consuetudinem receptam supponit, & approbat, nam in rubricis generalibus, cap. 15. de hora celebrandi Missam inquit. Missa priuata saltem post matutinum, & laudes quacumque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest, & in regulis de ritu seruando in celebratione Missæ, cap. 1. inquit. Sacerdos celebraturus Missam præuia confessione sacramentali, quando opus est, & saltem matutino cum laudibus absoluto, &c.

Gabriel. *Angelus.* *Armilla.* *Sū. à Cōf.* *Astensis.* *Pisanella.* *Tabiensis.* *Nau. r.* *Marcellus.*

Et inter defectus, qui in ministro possunt occurrere enumeratur, si celebrans saltem matutinum cum laudibus nō dixerit, non videntur autem ibi enumerati nisi defectus graues; Quapropter & si opinio Soti habeat aliquam probabilitatem, secunda tamen opinio est longe tutior, & multo probabilior: Nam præterquam quod est cōmuni consensu recepta mirificè cum ipsa Ecclesiæ consuetudine congruit, & cum ipsius officij ecclesiastici præceptionibus, & regulis, quibus præscribitur, (vt vidimus) vt matutino saltem cum laudibus persoluto sacerdos paratus accedat; nec est, quòd Sotus pro se Syluest. citet, quoniam vt vidimus hic author solum docet aliquando licere sacerdoti iusta de causa ante matutinas preces sacrificare, nos autē non quęrimus an id liceat, quando adest causa legitima, neq; enim id communis opinio diffitetur, sed quærimus an lethaliter peccet sacerdos, qui sine iusta causa ante matutinas preces celebrat. Quapropter opinio Soti mihi non placet; neque enim est cur opiniones communi omnium testimonio, & authoritate approbatæ suo loco moueantur, nec cur consuetudines moribus vtentium receptas facile deseramus.

Ad Soti motiua respondetur, & ad primum dicitur, quod licet nulla lege scripta id, caueatur consuetudinem tamen vniuersali, eademque sanctissima seruatum est; Consuetudinis autem magna est authoritas, & vim legis habet; vt ait Imperator lege. 2. C. quæ sit long. consuetud. & probat Iurisconsultus in lege, de quibus ff. de legibus.

Ad secundum respondetur concedendo Missam non esse de horis canonicis, sed negando consequentiam illam, ergo nullus est inter eam, & eas ordo.

Ad tertium dicitur negando illam consequentiam, quia fit à separatis, atque ita inualidè, sicut malè inferret, qui sic argueret, dicens matutinas post prandium non peccat mortaliter, ergo nec dicens Missam contra c. Liquido de consecr. d. 2.

Sed dubitatur, an fas sit ante laudes matutinas Missam celebrare. Sotus similiter concedit. Mihi videtur, si iustè aliquid causæ ad sit, id posse tuta conscientia fieri, secus non item; Certè in nocte Natalis Dominici de more id facit Ecclesia, nam integro matutino absoluto ante laudes primum eius dici sacrum decantat; aliqua item idonea, & legitima causa se offerente, à matutinis precibus laudes tuto disiungimus, vt docet Nauar. vbi supra. *Nauar.*

Secundo dubitatur. An sacerdos lethaliter peccet, qui primæ officio nondum soluto sacrum facit. Nauar. vbi supra, c. 3. nu. 70. & c. 21. nu. 30. licet affirmet non esse peccatū, *Nauar.*

dicit

dicit tamen quòd ipse numquam fuit ausus id facere, neq; alijs vt id facerent consuluisse, nisi cum sequeretur scandalum, & retardatio nimia populi si prius Missa non celebraretur, aut alia non absimilis causa concurreret, qualis esset *Antoninus. Angelus.* consuetudo tempestiuè missandi ante horam deputatam primæ, dicit tamen oppositum docere Anton. p. 3. tit. 3. cap. 4. §. 4. & Ang. verbo Missa nu. 42. allegantes Hostien. quod tamen est falsum loquendo de prima. Dicendum est, ergo quòd sacerdos non peccat mortaliter, si antequam persoluat primam celebret. id enim pij viri, ac docti factitant, & in multis Ecclesijs, etiam in illis, quæ cathedrales, aut collegiatæ vocantur; solent Missæ priuatæ celebrari antequam primæ officium in choro sit factum; sic Anton loco supra citato, Silues. Missa 1. q. 6. & Angelus vbi supra, nisi hoc sit contra præceptum superioris, vel statutum, vel consuetudinem alicubi receptam, & Nauarr. in manu. capitulo 25. num. 83.

Tertio dubitatur vtrum ante Missæ celebrationem sit necessarium dicere illos quinque Psalmos cum orationibus. Nam in Missali præscribuntur pro Missæ preparatione facienda hos Psalmos. s. Quam dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi, De profundis cum precibus, & orationibus.

Respondetur, quòd vbi est consuetudo dicere illos Psalmos ante Missam omissio forte obligat ad veniale, ad mortale autem nequaquam nisi fieret ex contemptu; quia sola illa consuetudo obligat ad mortale, quæ introducta est ea mente, vt sit prohibitiua, vel præceptiua sub peccato mortali, quod potest perpendi quando communiter obseruatur ab omnibus, prætcrquam quod in Missali dicitur præparatio ad Missam pro opportunitate sacerdotis facienda.

Dubitatur postremò, an sacerdos dum se vestibus sacris induit ad sacrificandum iure debeat preces recitare Ecclesiæ more, & instituto præscriptas? nam in præce; tionibus, & regulis, siue rubricis apertè statuitur, vt sacerdos officij Ecclesiastici formulam seruet, at in ea præcipitur, vt huiusmodi preces sacerdos recitet, dum singulis se vestibus induit, deinde vsu receptum est, vt huiusmodi preces recitentur.

Respondeo dubitandum non esse, quin adhiberi debeãt, sed quæstionis dubiæ est, an eorum omissio sit lethale peccatum. *Azor.* Azor in summa institutionum moralium lib. 10. c. 30. ait Nauar. in manu. c. 25. nu. 73. & sequentibus affirmare, si omnes omittantur scienter, & absque iusta aliqua causa lethale peccatum admitti omni etiam contemptione sublata, non tamen si vna earum, vel altera etiam si scienter, & sine causa omittatur, sed ego apud Nauar. loco præcitato haud reperire hoc potui; Alij tamen tàm seueram non audent ferre sententiam de hac re, nisi earum precum despectio subesset; Ipse verò Azor probabilem existimat in hac parte Nauar. sententiam: Ego autem si omitteret præscriptas preces ex negligentia non excusarem sacerdotem à veniali culpa: Cæterum earum omissionem asserere non auderem sacerdotem lethali culpæ subijcere.

DE REQVISITIS ex parte loci.

Ecundum principale ex his, quæ requirebantur ad posse ordinatè conficere erat requisitum ex parte loci.

Locus autem diuidi potest in locum propriè dictum, & in vas quod est locus mobilis, vt docet Aristoteles quarto Physicorum, textus capitulo 41. Vas autem distingui potest in vas remotum, & propinquum, remotum vt altare, propinquum calix, & patena; Ex parte loci propriè dicti requiruntur duo, scilicet, amotio impedimenti, & appositio conuenientis, & de vno quoque istorum erit specialis articulus.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacerdos ritè celebrare possit in loco interdicto.

HÆc quæstio spectat ad amotionem impedimenti, nam simpliciter necessarium est ad ritè celebrandum, quod locus non sit interdictus: nam celebrans in loco interdicto facit contra Ecclesiæ prohibitionem, & per consequens non ordinatè. Vnde pro istius difficultatis explicatione obseruandum est, quod interdictum, de quo erit sermo d. 25. quãtum ad præsens spectat est triplex, *Interdictũ est triplex.* locale tantum, personale tantum, & locale, & personale simul; hic autem est tantum sermo de interdicto locali, quod est triplex, scilicet generale, speciale, & particulare, seu singulare; Interdictum generale est cum interdicitur totum Regnum, tota Ciuitas, totum Castrum; Interdictum speciale est cum interdicuntur plura particularia loca, nimirũ plures Ecclesiæ, plures Capellæ; Interdictum particulare est, quando interdicitur vna tantum Ecclesia, seu Capella; duo posteriora interdicta confuso nomine quandoque specialia, interdum particularia appellantur; Et quidem si ad modum loquendi Canonum aspiciamus non inueniemus speciale à singulari distinctum. Quapropter cum hic sermo sit de locali interdicto dicimus locale interdictum *Interdictũ locale est duplex.* duplex esse scilicet generale, & speciale; Generale loci interdictum est, quo interdicitur locus aliquis vniuersalis continens in se plura loca particularia ex Palud. in 4. d. 18. q. 8. *Palud.* §. Circa quartum principale, versi. Quantum ad tertium, *Astensis.* Summa Asten. p. 2. lib. 7. tit. 16. art. 2. Io. Baccon. in 4. d. 11. q. *Io Baccon.* vnica art. 9. dub. 4. Soto in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 1. & Na- *Sotus.* uar. in manu. c. 27. nu. 166 *Nauar.* Ad hoc autem, quod interdictum dicatur generale nihil refert, quod locus sit paruus, aut magnus; dicitur. n. generale, quia nulla pars illius loci excluditur. Interdictum autem speciale, seu particulare loci est illud, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in se alia loca, scilicet Sacra, & prophana: nam quamuis interdiceretur locus inter se continens plura loca etiam Sacra, erit tamen interdictum speciale, vt quando interdicitur Ecclesia intelliguntur interdictæ etiam Capellæ, quæ sunt intra Ecclesiam; nam ad generale interdictum requiritur vt duo locorum genera interdicantur, siue vt locus ille vniuersalis duo genera locorum contineat, scilicet locum sacrum, & locum profanum; atque adeo interdictum speciale, seu particulare esset, quamuis interdicerentur plura loca sacra tantum non profana, vt quando interdicuntur plures Ecclesiæ, vel quando interdicuntur omnes Ecclesiæ Ciuitatis, quia semper erit licitum celebrare diuina extra Ecclesias ipsius Ciuitatis, ita docent Nauar. in manu. c. 27. num. 166. Henriquez lib. 13. de excomm. & interd. c. 41. §. 3. *Nauar.* & ante illos. S. Anton. 3. p. tit. 27. de interd. c. 2. §. speciale in- *Henriquez.* terdictum. *D. Antonin.* Ita etiamsi ciuitas tantum vnam Ecclesiam habeat, & illa interdicatur non erit interdictum generale, sed speciale, vt contra Palu. in 4. d. 18. q. 8. art. 4. versi. Quantum ad tertium docent Couar. in cap. Alma mater, Calder. in tract. de Eccles. interdit. memb. 2. fol. 3. col. 1. & Henriquez *Couar.* sibi supra. *Calder.* *Henriquez.*

Secundo obseruandum est, quòd interdictum speciale, quo aliqua Ecclesia interdicitur comprehendit sub se omnes capellas eiusdem Ecclesiæ, quæ ei sunt contiguæ, nec nõ cæmeterium, quod est ei contiguum, ita quòd nec officia diuina celebrari, nec ecclesiastica sepultura homines donari possunt, vt docent præcitati authores vbi supra, & ferè omnes, qui de hac materia loquuntur; dixi si sint contigua, quia si capella, vel cæmeterium non essent contigua Ecclesiæ interdictæ non intelligerentur interdicta, quamuis Ecclesia ad quam pertinent essent interdicta: prioris ratio est, quia Capellæ huiusmodi interdicta Ecclesiæ partes sunt, & ita rationem accessorij habent proinde principali interdicto etiam ea, quæ sunt accessoria interdicta sunt. Ratio posterioris est, quia neque partes sunt Ecclesiæ interdictæ, neque accessoria sunt, atque adeo vna interdicta; alia interdicta non erit. Contigua autem vocantur ea, quorum extrema vicina sunt, vt docet Arist. 5. Phy. tex. capitul. 26. seu eius, vt ipsum nomen indicat contigua sunt, quorum extremitates

extremitates se inuicem contingunt.

Effectus interdicti. Tertio obseruandum est, quòd inter effectus interdicti, primus, atque principalis est diuinorum officiorum prohibitio; Inter diuina aūt officia primum, ac præcipuum locū tenet sacrificium Missæ. Cæterum huiusmodi prohibitio diuerso modo, atque ratione fit in generali, atque speciali loci interdicto; Nam in generali interdicto loci numquam videtur omnino fuisse prohibitum Missæ sacrificium, quia cum viaticum numquam sit morientibus denegandum, semper oportet Eucharistiæ Sacramentum saltem pro infirmis in Ecclesia conseruare, ex quo fit consequens, vt semper etiam potuerit congruenti tempore renouari, nam hæc veluti intrinseca, & necessaria connexione se se consequuntur, & primum pertinet ad animarum salutem, & obseruationem diuini præcepti; secundum autem ad debitam Sacramenti Eucharistiæ reuerentiam spectat; atq; adeo neutrum debuit, vel etiam potuit per interdictum simpliciter prohiberi: Cum ergo Eucharistiæ Sacramentum non nisi in sacrificio Missæ renouari possit, quia in solo illo confici potest; consequens est, vt nec sacrificium Missæ fuerit omnino prohibitum, sed per Missam saltem quantum ad hunc finem necessarium erat; atque adeo in cap. Permittimus de sent. excomm. statutum fuit, vt semel in hebdomada posset Missæ sacrificium dici tempore interdicti in singulis Ecclesijs causa conficiendi corpus Domini; Postea verò propter magna incommoda, quæ ex carentia tanti sacrificij sequebantur, hunc rigorem interdicti Ecclesia temperauit, & permisit vt singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs Missæ celebrentur, & alia dicātur diuina officia sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis, quæ sunt verba cap. Alma de sent. excom. in 6. & quo ad dictas circumstantias eadem habebantur in dicto cap. Permittimus; & hæc quo ad interdictum generale, quia de illo præcipuè loquitur cap. Alma.

In speciali autem interdicto loci, si enim eo Eucharistia seruatur, non prohibetur Missa priuata, & cum debitis circumstantijs ad renouandam illam, quod semel in hebdomada licere declarauit cap. Permittimus de sent. excom. & ad speciale interdictum extenditur, vt cum *Hostien.* Hostien. notauit *Nauar.* Nauar. c. 27. nu. 173. & merito, Tùm quia textus absolutè loquitur tempore interdicti, Tum etiam quia ratio concessionis id exigit. At verò reliqua omnia, quæ in cap. Alma. concessa sunt in hoc interdicto locum non habent, vt testatur Nauar. vbi supra, & ratio est: quia dictum cap. Alma expressè loquitur de interdicto generali, & ideo extendi non debet ad speciale; Tum quia in rigore, & secundum commune ius est diuersum interdictum; Tum etiam quia ratio illa, & publica necessitas, quæ mouit Pontificem ad sic concedendum pro interdicto generali loci non habet locum in speciali interdicto, vt per se constat.

Conclusio. His suppositis dico, quòd sacerdos violans speciale loci interdictum celebrando in eo Missæ sacrificium committit ex suo genere mortale peccatum, ita docent communiter Doctores, & probatur manifestè, nam iura directè, & grauiter prohibent hanc actionem ecclesiasticis personis ex vi interdicti; materia autem illius prohibitionis grauis est, vt per se constat; modus etiam prohibendi grauis est, scilicet & verbis rigorosum præceptum indicantibus, & interdum sub grauissimis pœnis, ergo tale præceptum obligat sub mortali, & probatur specialiter de interdicto speciali loci, quia respectu Ecclesiæ ministrorum habet vim quamdam generalis interdicti non quidem absolute ligantis personas, sed quoad non celebranda diuina in tali loco, ergo respectiuè tam grauem obligationem inducit hoc interdictū in singulis personis respectu talis loci; sicut interdictum generale personale respectu omnium locorum; imò ex parte videtur esse grauior propter maiorem determinationē, & specialitatem prohibitionis: Quæ ratio cum proportione accōmodari potest ad interdictum generale loci: Quia verò post Cap. Alma illius transgressio tantum consistit in modo, ideo ex hac parte videtur esse leuior, nihilominus tamen non dubito quin illa etiam sit grauis materia, & sufficiens ad peccatum mortale, quia in rebus moralibus modus interdum valde necessarius est ad honestatem morū, & ad commune bonum; nam celebrare, verbi gratia, cum vestibus sacris ad modum pertinet, & tamen obligatio seruandi talem modum grauissima est, ita ergo est in præsenti: celebrare namque submissa voce ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis non pulsatis ad modum pertinet, qui modus licet non sit de substantia sacrificij, quod celebratur, est tamen velut de substantia huius interdicti, quod seruari præcipitur; atque adeo sicut Ecclesia quantum ex se est intendit obligare grauiter ad illius interdicti obseruationem, ita maximè obligat Ecclesiæ ministros ad illum modum obseruandum, quo ad hoc ergo semper manet illa obseruatio sub mortali, alioquin interdictum illud ferè totam suam vim amisisset contra intentionem cap. Alma in illis verbis cæteris, quæ circa obseruationem interdictorum à nostris sunt Prædecessoribus instituta in suo robore duraturis. Vnde in Clement. 1. de senten. excom. de quibusdam violantibus hoc interdictum prædicto modo, dicitur. Non absque damno Cathedraliū, & Parochialium Ecclesiarum, & scandalo plurimorum dirumpendo neruum ecclesiasticæ disciplinæ generalia locorum interdicta præsumptione damnabili violare præsumunt, quæ verba manifestè indicant peccatum mortale, etiam ante illam Clementinam, nam post illam euidens est, cum propter illam culpam imponat excommunicationis pœnam, quod est signum illam culpam ante etiam fuisse grauem: non enim culpa grauis est, quia propter eam excommunicatio imponitur, sed è conuerso, quia ipsa grauis est, ideo censura ponitur. Cum ergo violans interdictum mortaliter peccet, sequitur ꝙ celebrans in loco interdicto non ordinatè celebrat.

DE CONVENIENTIS EX *parte loci appositione.*

ARTICVLVS II.

Vtrum teneatur sacerdos Sacramentum Eucharistiæ non conferre nisi in loco sacro.



MVlti ex hæreticis Ecclesiæ consuetudinem in templis erigendis in hoc potissimum damnant, eo ꝙ Christianæ religioni contrariam esse existimant, ideoq. templa destruere conati sunt. Huius erroris primus auctor videtur fuisse Eustachius Constantini, & Siluestri tempore, vt significat Nicephorus lib. 9. Historiæ, cap. 16. & clarius Socrates lib. 2. c. 33. quem errorem sequuti sunt ferè omnes posteriores hæretici, vt Petrobusiani, Albigenses, Vualdensis, Vuiclefitæ, Lutherani, & reliqui ferè omnes, vt videre licet in Prateolo sub eorum nominibus, & alijs, qui contra hæreticos scripserunt, sed hi omnes non eodem modo, neque ex eodem fundamento templa detestantur. *Niceph. Socrates. Prateolus.*

Quidam enim simpliciter templa reijciunt, quo ad omnem vsum religionis, quia Deus spiritus est, eumq. in spiritu, & veritate adorare oportet Ioann. 4. non ergo in loco corporeo, ac determinato colendus est, non enim in manufactis templis habitat, aut manibus hominum colitur, vt dicitur Act. 7. & 17. Alij verò quia sacrificium nouæ legis negant, templum solum formaliter, quatenus templum est reijciunt; nam templum vt sic ad sacrificium offerendum destinatur teste D. August. lib. 8. de ciuit. Dei c. 27. & lib. 1. contra Maximinum, ergo si in Ecclesia non est sacrificium, neque templum, vt templum esse potest; non negant tamē hi hæretici posse in Ecclesia esse loca publica destinata, in quibus fideles ad orandum, vel ad verbum Dei audiendum conueniant. *D. August.*

Alij denique non tàm templa, quam eorum benedictionem, vel consecrationem impugnant, sed hi omnes prauo contradicendi spiritu ducti sine fundamento loquuntur, & ea damnant, quæ neque à Deo prohibita sunt, neque rectæ rationi repugnant.

Et quidem primo, quo ad templorum erectionem, in quibus singulariter colatur Deus, & plebs Christiana ad religionis opera perficienda conueniant, constat ex vsu Ecclesiæ, & antiquissima traditione, quę primum fundari potest in Scriptura Sacra 1. ad Corint. 11. Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, & infra numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? ibi enim Ecclesiam

clesiam non fidelium congregationem, sed locum illum, seu templum, in quo fideles ad corpus Christi manducandum conueniebant, significat, vt Chrysost. Ambro. & reliqui expositores Greci, & Latini intelligunt; cõstat enim non potuisse fideles conuenire in vnum, nisi in aliquo certo loco, ille autem locus non erat domus priuata alicuius: nam illum locum à priuatis domibus distinguit, & Ecclesiam illum appellat, cum dicit, Numquid domos non habetis ad manducandum? & qui esurit domi manducet, & cap. 14. est locus expressus; Mulieres in Ecclesijs taceant, si quid autem volunt dicere domi viros suos interrogent. Hinc Basilius in regul. Breuibus regula 310. ex priori loco colligit non esse Eucharistiam in communi domo celebrandam, sed in Ecclesia, neque communes epulas esse in Ecclesia manducandas, sed in priuata domo. Similiter Hesyc. lib. 2. in Leuit. c. 8. ex hoc loco colligit Eucharistiam esse celebrandam in Ecclesia, id est, in loco sancto.

Secũdo fundatur hæc veritas in antiqua traditione sumpta ex Sacris Concilijs, Sanctis Patribus, & Ecclesiasticis historijs. Vnde quia omnia prosequi longum esset, & res est vulgatis, & carens difficultate, satis erit breuiter assignare loca; videatur igitur 6. Synodus in cano. 74 Trullan. Concilium Laod. c. 28. Concil. Aurelian. 1. can 19. c. Nam oportet d. 42. c. Si quis obiecerit. 1. q. 3. cap. Omnes basilicæ 16. q. 7. Hieronym. in Epitaphio Nepotiani, seu epist. 3. August. lib. 1. de ciuit. c. 4. & de Ecclesiast. dogm. cap. 73. Eusebius in oratione de laudibus Constantini, & Ruffinus lib. 1. Historiæ. Pręcipuus autem finis propter quem templa eriguntur in Christi Ecclesia est, vt in eis sacrificium Deo offeratur, & consequenter, vt in eis etiam alia sacramenta ministrentur, vt ibi ad orationes fideles conueniant, & ad sacras conciones, & lectiones, & vt reliquiæ Martyrum, & aliorum sanctorum in eis custodiantur, vt ipsi sancti in eis honorentur, ac denique vt fideles omnes in eis sepeliantur.

Quo autem ad consuetudinem consecrandi, & benedicendi Ecclesias ad sacrificium Eucharistiæ offerendum destinatas, constat Ecclesiæ authoritate, quæ ferè ab initio, pręsertim à temporibus Siluestri vsa est huiusmodi Ecclesiarum consecratione, de qua multa congerit Gratianus de consecr. d. 1. specialiter in cap. Ecclesijs, quod etiam habetur 16. q. 7. vbi refert Canonem Cõcilij Niceni Ecclesias semel consecratas non debere iterum consecrari. Supposito ergo in Dei Ecclesia ritè esse templa ad sacrificium offerendum constructa, eaq. consecranda, & benedicenda fore ad sacrificium Eucharistiæ offerendum; Quæritur an teneatur sacerdos sacrum non facere nisi in loco sacro.

Huic difficultati respõdens Doct. inquit, ꝙ necessarium est sacerdotem celebrare in loco sacro, nisi casus necessitatis occurrat, prima pars patet, quia certum est ordinario, & communi iure non posse licitè hoc sacrificium extra Ecclesiam, seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum offerri, ita docent omnes Doctores in 4. d. 13. Alex. de Ales. 3. p. q. 10. memb. 5. art. 2. §. 1. D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. Siluest. Ang. & alij Summistæ verbo Missa, & Nauar. c. 25. nu. 82. Fundamentum est, quia ita est iure Ecclesiastico statutum, & præceptum, vt constat ex Concilijs antiquis Laod. c. 58. Carthag. 2. c. 9. Mogu. c. 9. Aquisgra. sub Ludouico Pio, c. 84. & decretis Pontificum. Clem. epist. 2. Felicis epist. 1. & alijs, quæ referuntur de consecr. d. 1. c. Sicut. vbi ita legitur: Sicut non alij, quam sacrati Domino sacerdotes debent Missas cantare nec sacrificia super altare offerre, sic non in alijs quã Domino sacratis locis, id est, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas; & in capitulo, sequenti dicitur Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipsi permiserit, celebranda esse censemus, & in ca. Hic ergo, dicitur. Hic ergo, id est, in præsenti vita potius oportet nos agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi, & sacrificandi est locus, quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenẽte videlicet Ciuitatem consecrata fuerint; aliter autem non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda, & in cap. Sequenti inquit Siluest. Papa, Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotij: Quæ omnia renouantur in Concilio Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

Sed dubitare quis posset, an transgressio huius præcepti ex suo genere sit lethale peccatum; Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 3. inquit non esse opus magna necessitate, vt in hoc peccatũ mortale excusetur, & subiungit; imò verò vbi nullus est contemptus, vel scandalum vix arbitror posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam. Cęterum primo Soti dicto expressè contradicunt verba capituli. Sicut, vbi dicitur non licere nisi summa coegerit necessitas; & si secundum eius dictum esset verum, sequeretur nõ esse peccatum mortale celebrare propria authoritate in propria, & priuata domo, seu oratorio non ex contemptu, sed ex deuotione, neque cum scandalo, sed secretè; consequens autem est absurdum, & contra communem sensum totius Ecclesiæ; non est ergo necessarium scandalum, vel contemptus, vt hoc peccatum graue sit, sed sufficit ꝙ sit voluntaria transgressio ecclesiastici præcepti. Dicendum est, ergo transgressionem huius præcepti ex suo genere esse peccatum mortale, quoniam iura simpliciter dicunt hoc non licere, & loquuntur tamquam de re graui, & maximè necessaria, quæ prætermittenda non est, nisi in summa necessitate, vt dicitur in cap. Sicut; & aliter non ritè celebrare, vt dicitur in cap. Hic ergo, & ꝙ grauius est in c. Nullus, prohibetur sacerdos celebrare in locis non sacratis ab Episcopo sub comminatione depositionis. Hoc etiam confirmant verba Basilij in reg. breui. regula 310. Quemadmodum (inquit) ratio non permittit, quod vas vsuum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari, quæ comparatio planè indicat obligationem grauem sub mortali, & idem indicat alia comparatio cum lege veteri, quam subdit dicens. Cum ex iussu Dei in veteri testamento nihil isto modo fieri permittatur, & quod infra ait. In contumelia haberi sacrificij, si absque necessitate in priuata domo fiat.

Obseruandum est tamen, iuxta iura antiqua requiri locum, seu Ecclesiam consecratam ad offerendum hoc sacrificium, vt ex decretis citatis constat. Iam verò (quoniam Ecclesiarum consecratio rara, & difficilis est) vsus obtinuit, vt ad sacrificandum iure ordinario, & communi sufficiat Ecclesia benedicta, quæ si fundata sit authoritate Papę, vel Episcopi ad sacramenta ministranda eisdem etiam priuilegijs gaudet, quibus Ecclesia consecrata, vt notant Glossa, & Doctores in cap. vltimo de consecratione Ecclesiæ.

Secunda pars, scilicet, nisi casus necessitatis occurrat: nam in casu necessitatis licitum est Missam dicere extra Ecclesiam, & oratorium, imò, & extra domum in quocumque terræ loco decente; ita declaratur de consec. d. 1. c. 1. & cap. Cõcedimus, vbi dicitur. Cõcedimus etiam vt sicubi (quod peccatis nostris exigentibus) per plurimum factum est á Normanis, & Sclauis, ab Vngaris. & à malis Christianis, seu aliquo qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ, & combustæ, in capellis cum tabula consecrata Missas iterum celebrari permittimus, donec Ecclesiæ ipsæ restaurari oneãt, quibus verbis patet, ꝙ Missa celebrari potest extra Ecclesiam, si in aliqua Patria Ecclesiæ sint destructa; & subditur in Canone. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorijs, si tabula altaris consecrata, cæteraq. mysteria ad id officium pertinentia ibi affuerint Missas celebrare concedimus; ex quibus verbis patet, quòd si quis in via penitus non poterit accedere ad aliquam Ecclesiam consecratam, quod regulariter verum est de nauigantibus, & cæteris huiusmodi poterit celebrari Missa extra Ecclesiam, & oratorium, imò & extra domum in quocumque terræ loco decente, quia necessitas caret lege, præsertim cũ simul possit seruari reuerentia sacrificio debita, & ideo dixi in loco decente, & addidi in quocumque terræ loco, quia super mare, & flumen celebrari non potest, etiam in ullo necessitatis propter periculum effusionis sanguinis, vt docent præfati authores.

Rationem autem huius cõcessionis eam esse dixit Doct. quia non videtur verisimile, ꝙ obseruationem illius præcepti Decalogi. Sabbata sanctifices, quod præceptum Ecclesia interpretata est in hoc, qđ est audire Missam in die Dominico de consec. d. 2. cap. Missas. voluerit Ecclesia impedite per aliud præceptum minoris obligationis, vt per talẽ, vel talem locum requiri ad hoc, vt Missa audiatur, cum nõ debeat quis restringi ab obseruatione maioris necessarij per arctationem ad minus necessarium.

Ex alio etiam capite licitum erit facere Sacrum extra Eccle-

Ecclesiam consecratam in priuata domo, seu Oratorio nec consecrato, nec benedicto, nēpè ex licentia Episcopi, patet, quia ita explicatur hæc lex in prædictis decretis capitulo, Missarum de consecr. dist. 1. In locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, & in capitulo, Hic ergo. In locis in quibus Episcopus proprius iusserit, in capitulo In his de Priuilegijs. Vnde rectè colligunt Doctores posse Episcopum hanc facultatem dare absque vlla necessitate, quia non est dispensatio in lege, sed est vsus propriæ potestatis, & iurisdictionis, ita ferè Silu. Soto, Naua. vbi supra. *Siluester. Sotus Nauar.*

Potest autem Episcopus hanc facultatem dare, vel ex parte loci, designando scilicet locum aliquem, vt in eo possit sacrificium fieri, aut permanenter, aut pro aliquo tempore; vel ex parte personę, dando scilicet subdito sibi sacerdoti, vt sibi possit ad sacrificandum locum eligere, quod summa Angelica limitat, & benè intra propriā diœcesim, quicquid dicat Siluest. quia in cap. In his de priuilegijs non dicitur Episcopum posse facultatem concedere suis subditis sacrificandi vbicumque terrarum voluerint cum altari portatili, sed solum declaratur huiusmodi priuilegium apostolicum mendicantibus concessum, non esse ita interpretandum, vt requiratur Prælatorum consensus, quia aliàs priuilegium illud nihil operaretur: ex qua ratione solum colligitur Episcopum posse in sua diœcesi concedere hanc facultatem cuilibet sacerdoti habenti aliàs facultatem sacrificandi, non tamen sequitur quod possit illam facultatem concedere pro aliena diœcesi. *Angelus.*

Sed dubium est, an nunc post Concilium Trident. liceat Episcopis facultatem cōcedere sacerdotibus, vt in priuatis domibus, quæ sacræ non sunt, celebrare queant. Nauar. in manu. cap. 25. num. 81. dicit, quòd solus Roman. Pontifex id concedere potest: Nec ipse Papa, inquit Nauar. eam concedit, saltem non Episcopis etiam in Vrbe morantibus, neq; alijs quam Cardinalibus. & Azor in summa lib. 10. cap. 26. dicit, quod Cardinales ad declarationem Concilij deputati declararunt huiusmodi facultatem Episcopum dare non posse; sed quæritur, an Synodus Tridentina in eo decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ sess. 23. deroget priuilegio Episcoporum, quod habetur in c. Quoniā de priuilegijs in 6. videlicet, vt Episcopi cum diuersis ex causis à suis Ecclesijs absint, nec semper commodè accedere queant ad sacras ædes ad rem diuinam audiendam, vel faciendam possint altare portatile deferre, & in eo per se, vel per alios vbicumque voluerint, vel celebrare, vel audire diuina. Congregatio Cardinalium anno 1586. declarauit non esse derogatum, quia Concilij decretum editum fuit ad extirpandos abusus, at in Episcopis nequaquam est abusus, si quotidie rem diuinam faciant, vel audiant extra sacras ædes cum legitima causa absunt à suis Ecclesijs, nec ad templa citra incōmodum accedunt, ita Azor vbi supra, nequaquam tamen vti possunt Episcopi prædicto priuilegio, quando ob incommodam valetudinem domo exire nequeunt, ita declarauerunt Cardinales, vt inquit ipsemet Azor. *Nauar. Azor.*

Sed an absque peccato post Conc. Triden. Missæ sacrificium fieri possit extra loca consecrata tempore necessitatis Episcopi consensu, vbi commodè id peti, & impetrari potest, aut etiam sine eo, vbi commodè peti non potest; Respondeo cum Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 3. & Nauarr. in manu. c. 25. nu. 82. posse, quia Concil. Trid. solum voluit abusus è medio tollere, at non est abusus si ob necessitatem in locis, quæ consecrata non sunt, fiat sacrum, vt ex citatis supra decretis patet. Quo fit vt liceat in bello rem diuinam facere sub tentorijs, aut sub dio in altari tamen portatili consecrato, quia tunc sufficiens vrget necessitas; quoniam verò talis necessitas præuisa semper est, ratio postulat, vt in huiusmodi euentu Episcopi, seu superioris voluntas, & licentia præueniatur. Item quando celebrantur solemnes, & publicæ supplicationes, & itur ad aliqua parua oratoria, siue sacella, quæ totum populum non capiunt tuta conscientia fit sacrificium ante fores, ita Sotus, & Nauar. Quando item sacerdotes aliqui solent primas hostias immolare, & adeo magna multitudo populi confluit ad sacram ædem, vt eam capere non possit, tutò fit sacrificium præ foribus Ecclesiæ, ita Nauar. licitum erat etiam fratribus minoribus, & Prædicatoribus ante Concil. Triden. celebrare in quolibet loco priuato, mundo tamen, & religiosè parato cum altari portatili ab Episcopo consecrato, etiam sine alia qualibet facultate absque detrimento tamen Parochialis iuris, quod quidem ius secundum Greg. 9. in Extrauag. quæ incipit, Hos attendentes, consistit circa oblationes, decimas, & primitias solum; & hoc siue sit consecratus locus, vel non, dummodo non sit interdictus, vel pollutus. Dixi ante Conc. Trid. quia hoc priuilegium fuit postea reuocatum, vt patet per decretum eiusdem Concilij, sess. 22. de euitandis, & obseruandis in celebratione Missæ, quo cauetur ne Episcopi patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à sęcularibus, aut regularibus quibuscumq; peragi. Quapropter illo priuilegio amplius vti non licebit, nisi quatenus post renouatum fuerit: Ita Naua. c. 25. nu. 82. & Collector priuilegiorum mendicantium, & non mendicantium in verbo Missa in annotationibus. *Sotus. Nauar.* *Nauar.*

Sed quæ sunt, vel vbi sunt loca consecrata? inquit Doct. quod regulariter Ecclesiæ parochiales, & aliæ solemnes collegiatæ; Oratoria autem, quæ dicuntur Capellæ non possunt haberi, quæ sint consecratæ nisi de licentia Episcopi, vt habetur de conse. d. 1. c. Vnicuique vbi ita legitur. Vnicuiq; fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare, Missas autem ibi celebrare non licet nisi in casibus supradictis, & subdit Doctor. quod oratorium sacrum facere non licet nisi authoritate Episcopi de consec. d. 1. c. Nemo, vbi sic habetur. Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus Ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante prę finiat, qui ędificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant, & ostensa donatione sic domum ædificet, & postquam consecrata fuerit atrium eiusdem Ecclesiæ Sancta aqua aspergat, idem etiam habetur in capitulis de locorum cōsecratione. Præcepta Synodalia, & Basilicas. Obseruandum est tamē, quòd auctoritate apostolica generalibus, & Prouincialibus ordinum regularium concessum est, vt propria templa erigant, ædificent, & ad diuinas preces, & sacrificia dedicent, & oratoria in proprijs ipsorum ordinum conuentibus, & collegijs designent, & destinent: Et specialiter Leo X. concessit Generalibus, Prouincialibus, ac Custodibus, nec non & Guardianis fratrum minorum de obseru. pro tempore existentibus, vt omnia, & singula eiusdem ordinis obseru. Ecclesias, cœmeteria, Capitula & oratoria vbicumque existentia tam recepta, quam recipienda, in quibus Chrisma non interuenit, pro eodem fratrum vsu tantum solemni benedictione valeant benedicere, & hoc cum aqua per prędictos Prælatos benedicta præsertum in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas diætas adire nō potuerint, quæ concessio habetur in Bulla quæ incipit. Religionis suadet honestas. sub datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscat. die 3. feb. 1514 Pontificatus sui ann. primo. Nonnulli tamen Religiosi, quamuis possint nolunt tamen hoc priuilegio simpliciter vti, nisi vbi, & quando Episcopus præsens non est, & adeo longè abest, vt commodè conueniri non possit, & vbi Episcopi difficiles se præbent ad id concedendum. *Sotus.*

ARTICVLVS III.

Vtrum sacerdoti liceat sine lumine, & alijs ornamentis celebrare.

HÆc quæstio spectat ad ornatum; possumus autem de ornatu dupliciter loqui, aut de licito, & decente ornatu, aut de necessario simpliciter ad sacrificium offerendum, de necessario inquam ex præcepto Ecclesiæ, quia ex sola rei natura, aut ex substantia ipsius sacramenti, seu sacrificij nulla oritur necessitas alicuius ornatus; Non agimus autem hic de ornatu pertinente ad ministros altaris, qui consistit in vestibus sacris, nam de hoc ornatu egimus supra, neque agimus de vasis sacris, eorumq; ornatu, de quibus erit sermo infra, sed solum de ornatu, & apparatu ipsius templi, vel altaris.

Quoad necessarium ornamentum requiritur primo, quod super altare, seu arā consecratam extendatur linteum aliquod, quo operiatur superior pars, seu superficies altaris, vt constat ex vsu Ecclesiæ, nam vbi altaris tota mensa sacra-

ta

Digitized by Google

ta est, tota cerata tela cooperiri debet: solet etiam altare mappa, seu syndone munda cooperiri, deinde requiritur palla linea super quam immediatè extenditur corporale, ita vt ante corporale ad minus duæ pallæ, seu tobaliæ sint extensæ super altare; In rubricis autem Missalis Romani reformati de præparatione altaris, & ornamentorum eius, c. 20. dicitur. Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis superiori saltem oblonga, quæ vsq; ad terram pertingat duabus alijs breuioribus, vel vna duplicata, & c. 10. de defectibus in Ministro occurrentibus inter cæteros defectus enumeratur, si celebret super altare tribus mappis nō cooperto, atq; adeo Reuerendissimus pariterque Admodum *Panigarola.* Illustris Dominus Frater Franciscus Panigarola Attensis Episcopus in tabula octaua, ex viginti quatuor, quas ex varijs Concilijs, & Apostolicis visitationibus sapiētissimè deprompsit inquit. Habeat vnūquodq. altare tobaleas tres, quarum vna ex altaris cornibus ad scabellum vsq; pertingat, totidēq. habeat vt mutentur. De huiusmodi ornamento fit mentio in c. Altaris palla de cons. d. 1. & in cap. Nemo; Verū in his decretis non satis declaratur quæ sint, vel quot istæ pallæ, neque an ab ipso corporali distinctæ sint. In cap. Autem si per negligentiam de conse. d. 2. præter corporale, quod ibi vocatur lintheum altaris numerantur alia tria lintheа. Sic enim dicitur, si aliquid de sanguine stillauerit super lintheum altaris, & ad aliud stilla peruenerit quatuor diebus pęniteat, si vsq; ad tertium nouem diebus pęniteat, si vsq; ad quartum viginti diebus pęniteat; Vnde probabile est præter oblongam mappam, quæ totum altare cooperit, vsq; ad scabellum pertingens supponi duas alias pallas corporali, quod videntur obseruare, qui has res diuinas diligentiùs tractant: Cęterum duas tantum pallas necessarias esse docent. *Innoc. Siluester. Rosella.* Innoc. & Silu. in verbo Missa 1. q. 1. Quæras an sufficiat vna sola aliquando; respondeo cum Sil. & Rosella in verbo Corporalia, si talis ac tanta sit, quod cōplicari possit sufficere, quia perinde est ac si duæ reponerentur, nec refert φ in aliqua parte continua sit, imò quando hæc etiam abesset, & necessitas faciendi sacrificij postularet, posset vna sufficere, vt dicit Ang. in verbo Missa num. 37. *Angelus. Rodulphus* Rodulphus etiam Tungrensis in libello de Canon. obseru. propos. vlt. *Durandus.* & Durand. in rationali diuinorum officiorum lib. 4. ca. 29. aiunt. Romanos, Italos, & Germanos vti solere duobus corporalibus, Gallos verò vno; & Corporalia videntur intelligere pallas, quibus corporale superponitur; huiusmodi autem pallæ lineæ esse debent, & mundæ: Palla olim erat honestæ mulieris vestimentum, sicut pallium dicebatur viri indumentum, quod tunicæ superponi solebat; dicta est palla teste Varrone, *Varro.* eo φ sit vestimentum, quod palam, & foris est ad vestigia vsq; dimissum; atq; ita altaris indumentū passim dicitur palla altaris, quasi ipsius altaris vestimētum. Quæres postremò an huiusmodi pallæ sacratæ. i. benedictę *Scotus.* esse debeant; respondeo cum Doct. hic nō esse necesse illas esse benedictas, nisi vbi est mos Ecclesiæ vt benedicantur; Silu. autem in verbo Benedictio, q. 5. Inquit. Tempore ne- *Siluester.* cessitatis sufficere mappas, quas laici suis mensis imponunt, & quibus deinde ipsimet laici vti possunt, quo indicat non esse necesse illas benedici, aliàs si benedicerentur ad prophanos vsus iterum applicari non possent.

Secundo requiritur corporale benedictum, quod debet esse lineum, & ab Episcopo consecratum, vt statuitur in c. Consulto de cons. d. 1. ex Eusebio Papa, & Sil. prohibētibus ne sacrificium altaris fiat in serico panno, aut tincto, sed in puro linteo, & ab Episcopo consecrato; Verba Canonis sunt hæc. Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris nō in serico panno, aut tincto quisq; celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno. s. lino procreato, atque contexto, sicut corpus Dñi Nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit. In c. Sacratas d. 23. appellatur palla sacra, quia est veluti pallium, seu indumentum Christi in altari; Communiter tamen appellatur corporale, quia syndonem repræsentat, quia corpus Christi inuolutum fuit, vt notauit Isidorus Pelleusiota epist. 123. vel *Isidorus. Alcuinus.* quia in eo corpus Domini superponitur, vt notauit Alcuinus lib. de diuinis officijs, c. de celebratione Missæ; materia ergo huius lintbei linea esse debet. Circa quam materiam dubitatur an corporalia esse possint ex cannabe, & ratio dubitandi est: quia canabis à lino specie distinguitur; ergo cum corporalia ex lino esse debeant, ex cannabe esse non possunt. Respondeo cum Tabienna verbo Missa q. 9. & Armil- *Tabienna. Armilla.* la verbo Missa nu. 6. Corporalia esse posse ex cannabe, & id vsu receptum est, nam parum, aut nihil refert φ cannabis specie à lino differat, satis est id, quod est in vsu, nam sicut ex lino fiunt cordæ, funes, retia, & vestes intimæ albæ, ita etiam fiunt ex cannabe lineæ vestes intimæ, & albæ; item istæ vestes vsu ipso habentur pro vestibus lineis.

Forma autem huius lintei est cōsecratio Episcopalis, quę cum fiat simplici benedictione absque chrismatis vnctione simplicibus sacerdotibus interdum committitur, & multi superiores Religionum habent hoc speciale priuilegium, vt diximus supra: Durat autem hæc benedictio, quamdiù corporale integrum manet, per ruptionem autem, seu diuisionem amittitur dummodo notabilis sit, vt notauit Siluest. *Siluester. Angelus.* verbo Corporalia q. 2. Vtrum post lauationem sint iterum consecranda. Respondet Ang. quod non: quia licet amitus recedat lauando, & de alio ponatur, non propter hoc mutatur forma, nec benedictio fit in superficie ipsorum, & idem dicendum est, si repetientur dummodo ruptura non fuerit tanta, quod corruperit formā, & est quando est tanta, quod pro corporalibus vti non possent.

Obseruandum est circa hoc ornamentum, φ olim tantū fuit vnum corporale oblongum super quo corpus, & sanguis Christi collocabantur, & residua parte eius cooperiebantur, iā verò vsus obtinuit, vt in duas partes diuisum sit, quarum altera maior est, & altare, seu aram cooperit, & hostiam, & calicem in se recipit, & hęc retinuit corporalis nomen, alia verò pars minor est, qua calix cooperitur, & palla propriè appellatur, quæ etiam benedici debet quemadmodum corporale, quia est quædam pars eius, ex quo sequitur debere esse lineā, quia nulla alia materia est capax illius benedictionis; Et fortasse de hac duplici parte loquitur In- *Innoc.* noc. li. 2. de mysterijs Missæ c. 56. Sic n. scribit. Interim Diaconus corporales, pallas super altare disponit, quæ significant linteamina, quibus inuolutum fuit corpus Iesu, pars autem, quæ plicata ponitur super calicem signat sudarium, quod fuerat super caput eius separatim inuolutum in vnū locum, & infra duplex est palla, quę dicitur corporale, vna, quam Diaconus super altare totam extendit, altera quam super calicem plicatam imponit, latitudo vero, & lōgitudo corporalium tanta esse debet inquit Doct. quod cooperiat ad minus locum calicis, & hostiæ, quæ debent collocari super altare, siue totum immobile consecratum sit, siue super mobile, vbi requiritur vsus eius, sed consuetudo iam obtinuit, vt corporale sit longitudine non minor vnciarum viginti latitudine sexdecim.

Tertio requiritur ad sacrificium, vt in altari sit lumen; requiritur in quam propter Ecclesiæ constitutionem, propter significationem, & propter præfigurationem primo requiritur propter Ecclesiæ constitutionem, nam in cap. Literas tuas de celebr. Miss. in 6. repræhenditur quidam presbyter, qui sine igne. i. lumine sacrificabat, & celebrans sine igne debet officio, & beneficio perpetuò priuari ibidem. Secundo propter ignis significationem significat enim dilectionis feruorem, per quam Christus hoc sacramentum constituere voluit, & per quam Deus filium suum pro nobis passioni tradidit iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. eius etiam lumen, & calor significant φ sacramento operatur in operante digne, & suscipiente augmentum illuminationi in intellectu, & feruore charitatis in affectu, non debet etiam ignis omitti propter eius præfigurationē, hoc. s. præfiguratum fuit per ignem, de quo dicitur Leu. 6. Ignis in altari me semper ardebit, & per ignem qui vixit sub aqua 70 annis, vt habetur in Glossam super decretalem præallegatam. Ex qua autē materia constare debeat huiusmodi lumen authores non declarant, vsus tamen communis obtinuit vt sit ex cera, tempore tamē necessitatis inquit Azor vbi supra sufficit lumen sebaceum, quod non probat *Azor. Suarez.* Suarez, qui inquit quòd tempore necessitatis, quando candela cerea haberi non potest, si ex deuotione, & absque scandalo, & contemptu fieri potest, cum lucerna potest Missa celebrari, quamuis inquit ipse. Ego non consulerem, inferior tamen materia nullo modo adhibenda est, vt ex seuo, vel simili, est enim valde indecens, & ab vsu Ecclesiæ prorsus aliena.

De numero autem candelarum inquit Suarez vnam in rigore præcepti sufficere, minus verò decere, communiter tamen duæ saltem adhibentur, & adhibendæ sunt.

Digitized by Google

Vnde in Missali Romano c.20. de præparatione altaris, & ornamentorum eius dicitur. Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc, & inde in vtroque eius latere.

Quarto requirunt Authores omnes, vt in altari sit liber Missalis, qui sufficienter contineat ea, quæ in Missa dicenda sunt, saltem integrum Canonem, ita docent Silu. verbo Missa.1. Ang. verbo Missa nu.37. Anto.p.3.tit.13.cap.6.§ 6. Nauar.c.25.nu.84.& 85. nullum tamen afferunt decretum, in quo specialiter hoc præceptum sit; vnde id solum videntur colligere ex eo, φ huiusmodi liber videatur instrumentum necessarium ad Missam dicendam iuxta ritum, quem Ecclesia seruat: Quapropter in Missali Romano, c.2. de ritu seruãdo in celebratione Missæ inter necessaria ad celebrandum connumeratur, sic enim ibi statuit. Sacerdos capite cooperto accedit ad altare ministro cum Missali, & alijs ad celebrandum necessarijs præcedente. *Siluest. Angelus. Antoninus. Nauar.*

Postremò addere possumus necessariũ esse, vt altare cruce saltem ornatum sit, de quo authores nihil dicunt, neque est antiquum decretum; solum in regulis Missalis, & in cæremonijs, & ritibus Missæ vel præcipitur, vel præsupponitur crucem esse in altari, & ita seruant communiter omnes timorati, & sui muneris studiosi sacerdotes; & hæc de necessario templi, seu altaris ornatu, præter quem nullus alius ornatus templi est simpliciter necessarius, quia nullum ecclesiasticum ius, aut consuetudo illum præscribit; loquor autem de proprio (& vt ita dicam) positiuo ornatu, nam debita templi, altaris, & ornamentorum eius munditia, quæ ad decentiam, & reuerentiam necessaria est ex natura rei, non est dubium, quin cadere possit sub præcepto; nam si nimia esset immunditia, te vera posset esse peccatum. Vnde Innoc. iij in c.2. de custodia Ecclesiæ vel altaris præcipit, vt oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta sacra, munda, & nitida conseruentur, & grauiter reprehendit clericos, qui Ecclesias dimittunt incultas, aut qui in eis admittunt supellectilia prophana sine vrgente necessitate, erit ergo non nullum peccatum non seruare debitam munditiam in huiusmodi rebus præsertim ad sacrificium eis vtẽdo, Tum quia est contra præceptum Ecclesiasticum, vt notat Palud. in 4. d.13.q.2.art.6.concl.3. Tum etiam quia est contra ius naturale, vt res sacræ indecenter tractentur, vt addit Caietan. in summa verbo Missæ celebratio, vbi dicit esse hoc crimẽ intolerabile, significans esse peccatum mortale ex suo genere, quod etiam sentit Siluest. verbo Missa 1.q.2. dicens esse peccatum mortale quando vestimenta sunt enormiter immũda, quod maximè videtur verum de corporalibus, quæ proximè corpus Domini attingunt. *Innoc. Palud. Caiet. Siluester.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacerdos sine altaris necessarijs ornamentis celebrans peccet mortaliter.

Necessaria ornamenta, vt superiori artic. diximus, sunt mappæ altaris, seu tobaleæ, corporalia, lumen, Missale, atque etiam crux. Dubium modo esse potest, an sine huiusmodi ornamentis celebrare sit lethale peccatum, & primo quo ad tobaleas, vel mappas, Silu. in verbo Missa cum Paludano, & Innoc. docent peccare lethaliter facerdotem, qui sine duabus saltem tobaleis super altare extensis, vel saltem vna plicata factum facit, cum dicant duas pallas sufficere, ac necessarias esse, cum sententiæ subscribere videtur Suarez tom.3. disput.81. sect.6. Angelus vero in verbo Missa nu.37. dicit φ si tres tobalæ haberi non possunt, φ vna sufficit, cui subscripsit Azor in summa lib.10.c.28. atq; adeo si cum vna tantum tobalea necessitate id exigente, sacerdos sacrum faceret citra scandalum, & cõtemptum non peccaret mortaliter, vitamq. verò omittere graue peccatum esset, quia est contra vniuersalem, & indubitatam Ecclesiæ consuetudinem, & est magna indecentia, & irreuerentia. *Siluester. Palud. Innoc. Suarez. Angelus. Azor.*

Quo ad corporale omnes communi consensu affirmãt, sine eo celebrare ex suo genere esse peccatum mortale, quia præceptum hoc, & consuetudo Ecclesiæ est valde grauis, multumq. pertinet ad huius sacramenti reuerentiã, & hoc est multo certius in hac facta palla, quam in cæteris non benedictis, in quibus vnam tantũ adhibere, & alteram omittere ob necessitatem seclusõ contemptu, & scandalo non esset peccatum mortale, quia res neque est tam constans, neq, tam grauis, & idem dicendum est de palla, quæ calicẽ cooperit (quamuis dicat Sotus d.15.q.2.artic.3. non esse de essentia ornamentorum altaris) nam supposito φ corporale non sufficiat ad cooperiendum calicem, eodem pręcepto est necessaria, quia hoc pertinet ad integrum munus corporalium, quod patet, quia simul cum corporali benedicitur, veluti quædam pars eius. *Sotus.*

Quo ad lumen omnes docent esse peccatum mortale sine lumine celebrare, vt Palud. Duran. Soto, & alij d.13. Sil. Ang. Naua. & alij locis citatis, qui afferunt caput vltimum de celebratione Missarum, vbi inter excessus graues cuiusdam presbyteri ponitur, quod sine igne sacrificabat. Idem etiam dicendũ est secundum præcitatos Authores de Missali, nam celebrans sine Missali, in quo ad minus nõ sit Canon mortaliter peccat, Tũ quia se exponit periculo errandi, Tum quia consuetudo ita habet, vt sine libro, in quo sit Canon nõ dicatur, quia sæpe optimæ memoriæ viri in hoc errant. Canon autem secundum communiorem opinionẽ dicitur A te igitur vsq; ad communionẽ, ita Ang. & Nauar. locis supracitatis: Qui secundũ Durandum debet dici expeditè, ne muscæ venientes, i. vanæ cogitationes perdant suauitatem vnguenti, i. orationis, & ne populus fastidium concipiat, non tamen nimis festinanter, ne sacrificium fiat sine sale discretionis, & deuotionis, & debet legi in libro ne error contingat. De Cruce autem an, celebrans sine Cruce in altari existente peccet mortaliter, Suarez dicit φ non; quia non existimat hanc obligationem statuendã. Crucẽ super altare esse peccati mortalis, quia nullo iure cauetur, & non sunt multiplicanda pręcepta, quæ non satis constat; Tum quia res non videtur adeo grauis secluso contemptu, videtur ergo ita obligare, sicut aliæ cæremoniæ, vel ritus Missæ; Azor vbi supra, c.29. in fine docet præceptiones, & regulas, quas rubricas appellant in faciendo sacro necessariò esse seruandas, & eum, qui per contemptum omitteret sine dubio lethaliter peccare, cum verò, qui iusta de causa eas non seruaret aliquando, vel per ignorantiam, siue per obliuionem, aut necessariam aliquam festinationem omitteret haud peccati mortalis reum futurum. *Palud. Durand. Soto. Siluester. Angelus. Nauar. Suarez. Azor.*

Eius autem, qui scienter sine iusta, & probabili causa eas prætermitteret, licet quidã negent peccare mortaliter, ipse verò probabilius oppositum credit; Et quidem si Breue Pij V. quod in principio Romani Missalis apponitur, diligẽter consideretur, observantia rituum, ac cæremoniarum Missalis in sacro faciendo obligare videtur ad mortale; nam inter alia ita præcepit ibi Pontifex. Mandantes, ac districtè omnibus, & singulis Ecclesiarum prædictarũ Patriarchis, Administratoribus, alijsq; personis quacumq; Ecclesiastica dignitate fulgentibus etiam si S.R.E. Cardinales, aut cuiusuis alterius gradus, & præeminentiæ fuerint, illis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt cæteris omnibus rationibus, & ritibus ex alijs Missalibus quantumvis vetustis hactenus obseruare consuetis in posterũ penitus omissis, ac planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quę per Missale hoc à nobis nunc traditur decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant.

DE LOCO MOBILI, SEV VASE,
& primum de loco remoto, quod est altare.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum requiratur altare lapideum, & consecratum vt possit ritè Missa celebrari.



Vo in hoc titulo tanguntur nempè, altaris materia & forma; & primo dicendum est ex qua materia debeat esse altare. Pro cuius explicatione obs. est, φ altare ab ara dictũ est, vt altare sit, quasi alta ara; locus. n. sacrificij in altũ erigi solet, Tum propter reuerentiam, tum propter significationẽ, tum propter sacrificandi commoditatem. Ara verò dicta est vel à precationibus, quæ coniunguntur sacrificijs,

quas

quias Græci aras vocant, vel ab ardore, quia ibi incensæ victimæ ardere solebāt, *Strabo.* *Isidorus.* ex Strabone de rebus Ecclesiasticis, c.7.& Isidoro lib.15. Etym.ca.4. In Ecclesia autem catholica, *Greg. Naz.* vt notauit Greg. Naz.orat.4. à purissimo, & incruento sacrificio ara nominatur.

Altare est duplex. Secundo obser.est, ꝙ duplex est altare, vnum quod mobile, seu portatile vocatur, eo ꝙ à loco in locum mutari, & transferri queat, quod in iure viaticum appellatur, in c.vlt. de priuil.in 6.& in c.Concedimus de cons.d.1. vocatur tabula altaris consecrata, & alibi dicitur Ara sacra. Alterum stabile, quod à loco non mouetur, & est tota illa mensa, in qua integrum Missæ ministerium fit; hoc autem altare aliquando est consecratum, ita ꝙ totus integer superior lapis, qui proprijssimè vocatur mensa altaris consecratus est, & tunc in eo sine altari portatili consecrato superposito iure sacrificium fit, & de hoc altari frequentiùs loquuntur Patres, vbicumque altaris mentionem faciunt; aliquādo verò non est consecratum, in quo sine portatili altari sacrificium offerri non potest, portatile altare semper solet esse consecratum.

His obseruatis dico, ꝙ altare siue sit fixum, siue portatile debet esse lapideum, non terreum, aut ligneum, si verò consecratum non sit confici potest ex terra, & lignis, non enim oportet in fixo altari, [vt totum altaris ædificium lapideum sit, potest.n.esse ligneum, vel terreum, siue lateritium quantum ad omnes remotiores partes, solum ergo requiritur, vt superior mensa lapidea sit si totum debeat altare fixū consecrari, nā illa sola consecratur. In vniuersum verò loquendo sufficit ꝙ ara lapidea sit, dūmodo alia necessaria habeantur, vt dicim⁹, quo fit portatile altare sit necessariò lapideū, quia vt dixi, est consecratum: Hoc patet ex statuto Ecclesiæ *Cōc. Hippo.* in Conc. Hippo.c.6. vt Gratianus refert c. Altaria de cons. d.1. vbi habetur: altaria si nō sunt lapidea chrismatis vnctione nō consecrentur, vt simile quiddā refertur inter Euaristi Papæ decreta. s. altaria si lapidea non fuerint ad celebranda diuina officia non consecrentur: ex quo patet hanc consuetudinem antiquissimam esse in Ecclesia, quam multi existimant à temporibus Siluestri incepisse; *Siluest.* nam antea, vt dicit *Ale. à Ales.* Alex.de Ales p.4.q.10.m.5.art.2.§.3.& Ric.hac d.ar.3.q.2. *Richardus.* propter Tirannorum persequutionem fiebat sacrum super altare ligneum in modum arcæ concauum, quod cito de loco ad locum transferri poterat, quia propter persequutionem non erat fidelibus certus locus ad manendum. Postea verò concessa Ecclesiæ pace per Constantinum statutū est, atq; vsu receptū, vt altare lapideum sit;] Quamuis antiquissimum altare ligneum, quo Apostoli, & Pontifices vsi fuerant propter eorum reuerentiam iussu Siluestri conseruatum sit, vt in eo solus Pontifex certis temporibus sacrificet, reliqua autem omnia lapidea sunt. Ad quod videntur allusisse Chrysost.hom.20. in secundam ad Corin. de altari scribens. *Chrysost.* Lapis quidem est natura, sanctum autem fit quoniā *Greg Nisse.* corpus accipit Christi, & Greg. Nissenus orat. de S. baptismate dicens: altare hoc sanctum, cui assistimus lapis est natura communis, sed Dei cultui dedicatum, atq; consecratū, *D. August.* & D. Aug. ser.235. de tempore. Consecrationem altaris hodie celebramus, & iustè, ac meritò gaudentes celebramus festiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus est lapis.

Ale. à Ales. Rationem autem huius consuetudinis tradidit Alex. de Ales 4.p.q.10.m.5.art.2.§.3. tum litteralem, tum mysticam; litteralem propter lapidis communitatem, & fortitudinē; mysticam propter significationem; nam propter illius communitatem est facilis ad habendum, vnde non potest esse dispendium multum ob eius carentiam; propter duritiem, ac fortitudinem habet aptitudinem ad hoc quod consecretur; non enim conueniret ꝙ aliquid vnctione sacra consecraretur nisi esset solidum, & durabile propter congruitatem ad significandum, quia reuera in hoc sacramento maximè est fides necessaria, & quantum ad consecrationem, & quantū ad sumptionem. Petra autem Christum significat, 1.Corin. 10. Petra autem erat Christus; Conuenit autem, vt altare cōsecrationis sit de petra, qua repręsentetur Christus, & fides eius excitetur, quæ valde est necessaria in hoc sacramento; hæc autem tria neque auro, neque terræ, neque ligno conueniunt, scilicet communitas, ex qua est facilitas ad habendum; aurum enim non potest faciliter haberi, terra etiā non est durabilis, atq; fortis, & denique lignum non significat Christum, adde ꝙ altare significat Christi sepulcrum, quod lapideum fuit; olim verò altare ligneum significabat crucem, quæ fuit altare, in quo Christus sacrificium cruentum obtulit. Debet autem altare portatile tantę longitudinis, & latitudinis esse, vt capere possit pedem calicis, & hostiam, seu patenam, vt possint post consecrationem super illam collocari; Non oportet aūt scrupulosè in hoc laborare, vt calix & patena, seu hostia quo ad omnes partes suas super lapidem cōstitui possint, satis.n.est vt quo ad maiorem partem super illum collocari valeāt, dummodo firma sint, & sine periculo cadendi, quæ omnia sunt assumpta ex communi Doctorū sententia in 4.d.13. vbi specialiter videndi sunt Alex.de Ales loco supra citato, Richa. Palud.q.2.art.4. Soto art.3. Silu.& Ang. verbo Altare, & Nauar.c.25.nu.83. Reuer. D. Panigarola in tabula 8. supra citata, loquens de altari portatili, inquit. Sit altaris portatilis sacrata petra lōgitudinis non minor vnciarum viginti, latitudine sexdecim; & ita nunc vsus obtinuisse videtur. *Ale. à Ales. Richardus. Palud. Sotus. Siluest. Angelus. Nauar. Panigarola.*

Quo ad formam, quæ est ipsius altaris consecratio; non enim agimus hic de forma materiali, & Physica, qualis esse posset figura; hæc enim nulla certa requiritur ex aliquo Ecclesiæ decreto, sed cōmuni vsu esse solet quadrata, seu quadrangularis figura, quod obseru.est tum propter consuetudinem, tum etiam quia est aptior ad vsum altaris, agimus ergo de forma spirituali, quæ in cōsecratione consistit, quā esse necessariam patet ex decreto, & præcepto Ecclesiæ de consec.d.1.c.Ecclesiæ; vbi legitur, Ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione consecrentur, & superflua altaria destruantur, & c.Concedimus, & duob. alijs sequentibus, quæ incipiunt. Altaria; & hoc loquendo tam de fixo altari, sicut est communiter in Ecclesijs, siue portatili, nam etiam in altari portatili conuenit Missas celebrare, vt habetur extra de priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum in 6. c.In his. Vbi ita legitur. In his, quæ ad cultum diuinum facere dignoscūtur non maligna, sed benigna esset potius interpretatio facienda: Vnde mirari compellimur, vt cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duximus indulgendum, vt vbicumque fuerint sine parrochialis iuris pręiudicio cum altari valeant viatico celebrare; quidam nimis strictè interpretando indulgentiam nostram nituntur asserere quod per eam prædicti fratres præter Prælatorum assensum facere hoc non possint; propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam apostolicam non permittunt.

Cum autem nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id Prælatis annuentibus liceret eisdem, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata, dum tamen ab alijs, quæ iure parrochiali proueniunt prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita ꝙ dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hec granā consequuti. Ita Honorius iij. Et si objciatur ex hoc capitulo, ꝙ non licet vti altari viatico nisi ex priuilegijs. Respondet Doctor verum esse quātum ad vsum eius indifferenter in quocumq; loco consecrato, vel non consecrato, sed quantū ad vsum eius in loco consecrato, videtur satis esse ius commune, quia ante dedicationem altaris in Ecclesijs quibuscumq. communiter celebratur cum altari paruo. i. portatili consecrato. Quæ autem necessaria sunt ad altaris consecrationem exprimūtur d.1.de cons.c.Altaria 2. vbi ita legitur. Altaria placuit non solum vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. In quibus verbis ponūtur requisita ad consecrationem, primum est vnctio chrismatis, de qua S.Cyprianus serm. de vnctione chrismatis, altarium lapides oleo delibuti; spiritualem significant sacris mysterijs inesse pinguedinem, & Rabanus lib. de institutione Clericorum, capitulo 45. Altare (inquit) post aspersionem aquæ chrismate perungitur ad imitationem Patriarchæ Iacob. *D. Cyprian.* *Rabanus.*

Secundo requiritur benedictio, quæ partim fit aspersione aquæ benedictæ, vt Rabanus supra indicat, partim signo crucis, vt Augustinus meminit sermone 19. de sanctis, partim alijs orationibus, & ritibus, quæ in Pontificali traduntur, de quibus videri potest Gullim. Durandus libro primo Rational. capitulo septimo. *D. August.* *Gulliemus.* Tertio additur hanc benedictionem debere esse sacerdotalem, quod intelligendum est, quasi per antonomasiam de Episcopo, quia nullus alius præter Episcopum potest hanc consecrationem efficere, vt constat ex capitul. Nullus presbyter de consecrat. distinct. 1. Vbi ita legitur. Nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab

Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum, vt sit discretio inter sactum, & non sactum &c.

Obseru. est tamen, quòd hoc decretum intelligendum est tantum in Ecclesijs consecratis prout verba sonát, nam in ecclesijs non consecratis quilibet presbyter potest erigere, & destruere altare stabile, quod consecratum non est, & in hoc sensu intelligendum est aliud decretum, quod habetur d.68.c.Quamuis, vbi dicitur, presbyteris nec erigere altare, nec Ecclesias consecrare licitum est, vbi Glossa communi consensu approbata sic annotat. *Glossa.* In Ecclesia consecrata non est licitum presbyteris erigere altaria, nam ante cōsecrationem licebat; eodem modo absq; consensu Episcopi in Ecclesia consecrata nullus potest altaria destruere, capit. Ecclesiæ, & c.Placuit de consec.d.1. In Ecclesia, quæ consecrata non est, quilibet suo iure potest altaria, quæ sacra non sunt demoliri: Glossa in c.Quamuis d.68.

Cæterum altaria consecrare ita ad Episcopos spectat, quod Episcopus simplici sacerdoti facultatem consecrandi altare delegare non potest, cum in ius commune canonicū auctoritatem non habeat, ius autem commune altarium cōsecrationem Episcopis reseruat, c.Quamuis d.68.& quæ sunt ordinis nequit Episcopus simplici presbytero delegare, licet possit quæ sunt iurisdictionis, in c.Aqua de consec. Ecclesiæ, neque consuetudine, vel præscriptione potest simplex sacerdos ius, & potestatem acquirere altaria consecrandi, quia quæ ad ordinem proprium Episcoporum spectant, ea nec Episcopus committere presbytero, nec presbyter vllo præscriptionis iure sibi vnquam acquirere pōt, quæ verò ad iurisdictionem, vel dignitatem pertinent, & potest Episcopus delegare presbytero, & presbyter potest consuetudine, vel præscriptione obtinere, sic Ioann Andr. Abbas, Ang. Rosella, Cardinalis, Siluest. Tabiena, Amilla in c.1. de consec. Ecclesiæ, & in verbo Altare. *Ioan Andr. Abbas. Angelus. Rosella. Cardinalis. Siluester. Tabiena. Armilla.* Verum Summus Pontifex posset rectè hanc potestatem simplici sacerdoti cōmittere, quoniam altarium consecratio est solum iure canonico instituta, & hæc facultas non spectat ad ordinem Episcoporum iure diuino, quemadmodum sacramentum confirmationis conferre, & ad ordines promouere, sed tantum iure canónico, quemadmodum & Virgines, & templa, & vasa, & vestes consecrare; cæterum Papa hanc facultatem altaria consecrandi ordinariè simplici sacerdoti nō delegat.

Hæc autem consecrationis forma tam diù durat, quam diù lapis consecratus integer manet, si autem frangatur consecrationem amittit. Pro cuius rei ampliori intelligentia obseruandum est primo, oportere fractionem esse notabilem, vt consecratio amittatur, ita vt in neutra parte confracti lapidis possint commodè calix & hostia collocari, nam si altera pars manet in quantitate sufficienti illa consecrata manebit, quia hæc consecratio non requirit certam figuram in materia consecrata, sed tantum sufficientem magnitudinem, ita Siluest. verbo Altare q.8.& Ang. eodem verbo num.2. *Siluester. Angelus.*

Secundo obseru. est, q̄ altare portatile, de quo modo loquimur, aliquando fit ex tabula, & lapide, ita q̄ lapis est sigillum, & sepulcrum est in illo, aliquando verò fit ex lapide solum, ita q̄ in ipso lapide est sepulcrum, aliquādo cum ligno, & lapide, ita tamen q̄ in lapide est sepulcrum, & sigillum, & ponitur lignum pro augenda eius latitudine, aliquando fit in lapide solo sine sepulcro, & reliquijs.

Tertio obser. est, q̄ quando fit altaris consecratio fit vnū foramen paruum in mensa lapidea altaris, vel ante altare, vel in latere dextro; & post consecrationem clauditur lapide paruo, & dicitur ille lapis sigillum, quia est ad instar sigilli, nam sicut sigillum denotat ipsum sigillantem, ita illud sigillum denotat locum illum esse consecratum, & ibi ponuntur reliquiæ, & nomen Episcopi consecrantis, & sancti ad cuius honorem consecratur, Ang. vbi supra, nu.1.& 2. *Angelus.*

Quarto obseru. est, q̄ altare portatile execratur quando amouetur illud paruum sigillum continens consecrationē, quod factum est, ita quod in lapide sit sepulcrum, vt patet de consecr. Ecclesiæ, vel altaris, c.Ad hæc, Item quando lapis est pro sigillo in ligno, amoto lapide à ligno execratur, secundum Ioan. And. in cap. Ligneis de conse. Ecclesiarum, *Ioan. And.* quando autem sepulcrum est in lapide, & sigillum, sed tantum ponitur lignum pro augenda eius latitudine, tunc si lapis amoueatur à ligno, Abbas, & Ioan. And. in dicto cap. Ligneis tenent, q̄ non execratur, quia consecratio est in ipso lapide, ita docent Silu. in verbo Altare q.9.& idem in te *Abbas. Ioan. And. Siluester.* net Ang. nu.2. quamuis quadam dist. vtatur minime necessaria. *Angelus.*

Si autem sermo sit de altari fixo, & stabili consecrationis formam amittit, primo si eius mensa à stipite, vel colūnis, quibus innititur amoueatur, ita q̄ tabula superior de loco cui compaginatur amoueatur, nam licet in ipsa mensa sit forma consecrationis, tamen si remoueatur mensa à structura execratur altare, quia consecratio intelligitur principaliter in coniunctione lapidis superioris, & structuræ inferioris; Tum etiam; quia quando altare est stabile non consecratur solum tabula, sed totum altare; secum in totum trāsferretur cum sibi cohærentibus: si enim posset tota altaris structura cum suo lapide superiori integram, & eamdem retinendo compositionem de vno in alium locum Ecclesiæ trāsferri, non amitteret consecrationem, quia consecratio non pēdet à sola præsentia locali, nec sic remouetur, seu dissipatur altare, ita docent Palud. in 4.d.13.q.2.art.4.cōcl.2. Silu. verbo Altare, q.8.& 9. Ang. eodem tit. nu.2.& Nauar. c.25.nu.83. *Palud. Siluester. Angelus. Nauar.* Secundo execratur si ita frangatur, vt ad vsus, ad quos est consecratum redditum sit ineptum, & inutile, aut nimium deforme, quod arbitrio Episcopi iudicari debet, secus erit si tantum modicè frangatur, dummodo factæ non sint duæ partes, vbi facta est altaris consecratio, deinde consecrationis forma priuatur si sepulcri signum, & repositorium reliquiarum, in quo reliquiæ conduntur remoueatur, frangatur, atque minuatur.

Sed dubium hic esse posset, an ad substantiam consecrationis altaris pertineat, ne ea fiat sine reliquijs sanctorum. De hac re duplex est opinio: aliqui enim dicunt præcipere quidem Ecclesiā ne fiat altaris consecratio sine reliquijs sanctorū, attamen si fieret cōsecratio valeret, ita Hugo, Asten. lib.6.tit.29.& Ang. verbo Altare nu.3. idq. probant ex cap. Concedimus de consec.d.1.& ex eo quod in codicibus Ecclesiasticis antiquis Missatum ordinem, & formulam continentibus annotatur in hæc verba. *Hugo. Astensis. Angelus.* Si reliquiæ non fuerint in altari omittatur illa particula orationis, quæ dicitur post cōfessionē, s. Oramus te Dñe p merita sanctorū tuorū, &c.

Idem videtur sentire Sotus in 4.d.13.q.2.artic.3. vbi ait, *Sotus.* Canones Ecclesiæ quibus præcipitur ne altaria sine sacris reliquijs consecrentur nunc non esse seruandos, nisi vbi sacræ reliquiæ haberi possint; Eamdem sententiam sequutus est Suarez tom 3. disp 81. sect. 5 vbi inquit. Existimo reliquias non esse de essentia huius consecrationis, vt ex vsu constat, & fortasse nunquam fuisse, & esto q̄ de hac re esset præceptum, illud tamen iam cessauit, vel quia cessauit ratio, & occasio eius, quæ fuit ad resistendum hæreticis, honorem debitum reliquijs sanctorum oppugnantibus; Tum etiam quia in tanta templorum & altarium multitudine iam id commodè impleri non potest.

Altera est opinio non solum Ecclesiæ præcepto oportere in consecratione altaris reliquias poni, sed etiam ad substantiam eiusdem consecrationis pertinere, ita vt altare sine reliquijs sanctorum pro altari prophano, quod consecratum non sit, haberi debeat; ita sentiunt Silu. Tabienlis, & alij plerique, qui aiunt hanc communem esse sententiam; quam Azor vbi supra probabiliorem esse existimat, magisq; cum iure conuenientē; *Siluester. Tabienna. Azor.* Etenim in c.Placuit de cons.d.1. ex Concilio Affricano habetur. Placuit vt altaria, quæ passim per agros, & per villas tamquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, & reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest euertantur; & in c.de fabrica de cons.d.1. decernitur, Ecclesiam, si diruta fuerit, instaurandam, & si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus efficere, cū in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, quod perinde est ac si diceretur, consecrationem Ecclesiæ sine reliquijs sanctorū non fieri, quamuis Ecclesia diuina instaurari sine ipsis queat, eo q̄ ipsarum loco sint Missæ ante ibidē celebratæ. Porrò vbi Sacræ Reliquiæ haberi non possent, altaria consecranda nō essent, nisi Rom. Pont. consensu, hac Azor. Cæterum mihi magis placet prior opinio, & maximè loquendo de altari portatili; & c.Illud placuit, statuit ne alicui Martyri dedicetur Ecclesia, nisi in eo fuerint eiusdē Martyris reliquiæ, vt traditio de habitatione, vel possessione eius q̄ ibi fuerint fidelis habeatur; nam memoriæ Martyrū frequentius dicebantur, vbi Martyrū reliquiæ iacebant, vel martyria acciderant, quæ ēt confessiones Martyrū dici solent præsertim in

historijs

historijs Pontificum apud Damasum, & alios, & hoc sensu veteri Concilium Carthaginense dicari martyrum monumenta absque reliquijs, vel certè aliqua historia, vel traditione, ne populus decipiatur falsis traditionibus, & superstitionibus, quod est ab eo quòd isti prætendunt longe diuersum.

Glossa. Ioan. And. Abbas. Panor. Durandus. Hostien.

Secundo dubitatur, an loco Reliquiarum in altari, quando consecratur licitum sit corpus dominicum collocare, quando nihil est omnino reliquiarum Glossa in c. Placuit, in verbo Reliquiæ de consecr. d. 1. cum Ioanne id iure fieri affirmat, quod ipsum etiam Abbas; & ante eum docuerat Io. And. in c. 1. de consec. Ecclesiæ, vel altaris; Panor. in cap. Proposuisti refert, ꝙ Leo Papa dedit partem corporalis, & corporis Christi in consecratione cuiusdam Ecclesiæ; & Duran. in Rationali lib. 1. c. 7. nu. 23. inquit in consecratione altaris requiri reliquias, vel corpus Christi, ita enim scribit: sanè sine sanctorum reliquijs, aut vbi illæ haberi non possunt sine corpore Christi non fit consecratio altaris fixi. Cæterum Hostien. in summa tit. de consecratione Ecclesiæ testatur se de hac re Innoc. consuluisse, & responsum accepisse, id nequaquam esse faciendum. Cuius rei Io. And. hãc reddit rationem, quia corpus, inquit, Christi vnitur tamquam cibus animæ, & conseruatur vt ægrotantibus tamquam viaticum detur, ac proinde ad alios vsus adhiberi nõ debet, sic etiam Abbas in c. 1. de consec. Ecclesiæ, vel altaris, & post eos Ang. Siluest. Tabiensis, & cæteri in verbo Altare tradidere, & certè hoc indecens videtur, & improbabile. Quod autem de Leone proditum memoriæ est, incertum est, & quamuis id verum esse fateamur, nunc faciendum non est.

Angelus. Siluester. Tabiena

DE VASE PROPINQVO.

ARTICVLVS VNICVS.

An ad Missæ sacrificium Calix consecratus, & Patena similiter consecrata requiratur?

SVpponendum est hic Missę sacrificium offerri non posse sine calice, & patena ad hoc sacrum ministerium deputatis; ita habetur in c. Vasa. de consec. d. 2. ex Conc. Triburinensi, c. 18. Et quidem vsus calicis necessarius fuit, quia vinũ non poterat nisi in aliquo vase simili consecrari, vt notauit Paschasius lib. de corp. & sang. Domini c. 20. Vnde & Christus Dominus calice ad hoc sacrificium offerendum vsus est. Et accipiens calicem gratias egit, &c. Matth. 27. Patena autem, quæ ad recipiendum Christi corpus deseruit, non erat ita necessaria simpliciter ad hoc ministeriũ sacrificandi, vel conficiendi hoc sacramentum, poterat enim & manibus teneri, & super corporale immediatè collocari; Ecclesia tamen ab initio vsa est patenis in hoc mysterio, vt cõstat ex vitis Põtificum Siluest. Damasi, & ex antiquis decretis. Fundatus est autem hic vsus fortasse in Christi exemplo; Creditur enim in catino, seu patena panem consecrasse, suisque discipulis dedisse: Patena enim Latinè dicitur Patena, patinæ verò erant vasa, in quibus dapes ad mensam afferebantur, vnde patinæ in Ecclesia, & altari sunt ad corpus Christi recipiendum, continendum, & ministrandum populo. Patena, inquit Isidorus lib. 20. Etymolog. c. 4. genus vasis est à patendo dictum, quod dispansis, patentibusque oris sit, olim in Ecclesia patenæ magnę erant ex auro, & argento, ponderis quindecim, & triginta librarum, vt patet in Pontificali ex Damaso, nunc verò sunt paruæ.

Isidorus.

Hoc supposito duo de his sacris vasis examinanda sunt; primum ex qua materia debeat calix, & patena constare; Secundo de forma eorum tam Physica, & naturali, quam spirituali, quæ dicitur consecratio. Quoad primum materia horum vasorum olim fuit lignea, postea verò Zepherinus Papa vti cępit vasis vitreis, & pręcepit ne ĩ ligneis vasculis sacrum fieret, vt refert Platina in vita Zepherini Papæ. Vitreus calix, & patenæ vitreæ olim erant vsui in sacris mysterijs, de patenis vitreis habes in lib. de Ro. Pont. in Zepherino Papa, & habetur in c. Vasa de consecr. d. 1. de vitreo calice, Hierony. epist. 4. ad Rusticum agens de Exuperio Episcopo Tholosano. Nihil in illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro; Rursus etiã Cyprianus Gallus in vita Sancti Cæsarei Episcopi Arelatensis, qui claruit temporibus Theodorici Regis Italiæ. An non (inquit) in vitro habetur sanguis Christi? à temporibus enim Apostolorum vitreus calix in vsu fuisse videtur: Vnde & Marcus Heresiarcha illis tẽporibus proximus, & ipse æmulatus Catholicam Ecclesiam vtens calice vitreo in suis sacris, impostura quadam per magicam artem exhibita populum dementabat, dum vini color albus, qui sotis apparebat in vitro, quibusdã præstigijs mutabat in rubrum, adeo vt vinum conuersum in sanguinem videretur; de his Irenęus li. 1. de hæresibus, c. 8. & 9. & Epiphanius in Panar. hæresi 34. ex quo videtur corrigendus Platina, qui inquit ꝙ Zepherinus Papa primus vsus fuerit vasis vitreis, quod verũ est de patena, sed non de calice: Io Concilio aut Remensi, quod temporibus Caroli Magni est celebratũ, calix vitreus vetitus est, & Vrbanus Papa ea fecit argentea; Calix etiam Domini in quo suum sanguinem cõsecrauit fuit argenteus, vt refert Baronius Tom. 1. Annaliũ sub anno Domini 34. & Beda de locis sanctis cap. 2. ita scribente. In platea, quæ martyrium, & Golgotha continuat exedra est, in qua calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet, & osculari; qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas, Sextarij Gallici mensuram capit, in quo illa est spongia Domini potus ministra, hæc Beda.

Hierony. Cyprian. Irenæus. Epiphanius. Conc Rem. Baronius. Beda.

Materia itaq. calicis, ac patenę est aurum, vel argentum, vel etiam stannum, ita enim statuitur in c. vt calix de cons. d. 1. Vt calix Domini cum patena si non ex auro omnino, ex argento fiat, & infra, si quis autem tam pauper est, vel stanneum calicem habeat; De ære autem, aut orichalco nõ fiat calix, quia ob vini virtutem ęruginem parit, quæ vomitum prouocat, nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat missam cantare; de vitreo autẽ rationabile est (inquit Doct.) propter eius fragilitatem ne sanguis Domini periculo exponatur, de ligneo propter imbibitionem humoris, nam lignum porosum est, & sub ligni, æris, & aurichalci nomine intelligitur prohibita omnis alia materia, tam in calice quam in patena, quamuis ibi speciatim nominata nõ sit, vt de lapidea docent Alex. de Ales. p. 4. q. 10. m. 5. artic. 2. §. 5. & D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. & eadem ratio de ferrea, & similibus. Sed dubium est, an calix esse possit ex plumbo; nam aliquibus in locis videtur esse vsus calicis plumbei; Vorilion. in 4. d. 13. q. vnica concl. 3. & Asten. in summa, existimant plumbum eiusdem esse rationis cum stanno: Contrarium verò tenet Siluest. cum alijs in verbo. Calix, quod censeo verius, quia reuera plumbum non est stannum, & eadem incommoda, quæ aurichalcum habere videtur. Est ergo præceptum vt hæc vasa sint argentea, aut aurea, aut stannea, & frequentius obseruatur, ꝙ sint argentea, & ita semper curandum est, nam stannea non sunt iam decentia, nec permitti debent sine rationabili causa, vel ratione paupertatis. Secundo dubitari potest, an oporteat totum calicẽ esse argenteum, aut stanneum, vel sufficiat superiorem cuppam esse argenteam, v. g. quamuis pes sit de aurichalco, vel ex alia materia ex prohibitis ad conficiendũ calicem. Circa hoc nihil inuenio ab Authoribus scriptum, scio autẽ in vsu reperiri calices, in quibus sola cuppa est ex legitima materia, & probabile est hoc sufficere, tum quia rationes illius decreti supra allegati non aliud requirunt, Tum quia illa solum pars est, quæ proximè deseruit ad vsum sacramenti, tum denique quia probabile est solam cuppam calicis essentialiter requiri ad consecrationem eius, vt statim dicam. Nihilominus consulendum est, vt totus integer calix fiat ex prædictis materijs.

Ale 3 Ales. D Thomas. Vorilion. Astens. Siluester.

Quo ad secundum de forma Physica, seu figura horum vasorum nihil etiam reperio scriptum, & ideo solum dicendum est seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem, iuxta quam patena solet esse orbicularis, & olim videtur fuisse maioris magnitudinis, & ponderis, vt annotauimus supra; nunc verò patenæ, quæ sunt in vsu minores sunt, neque eam magnitudinem excedere debent, quæ ad vsum Missæ, & cęremoniarum eius sufficiat: figura autem circularis ex se non est simpliciter necessaria, quia etiam si esset, verbi gratia, quadrata patena posset esse satis apta ad vsum sacrificij, nihilominus tamen seruanda est omnino Ecclesiæ consuetudo, atque idem dicendum est de figura calicis, in quo solet esse nonnulla maior varietas, quæ accidentalis est; nam in ea figura, quæ ad hunc vsum

prout in Ecclesia fit, & ad cæremonias eius omnes habent eamdem proportionem, & in hoc seruanda est identitas talis figuræ; solent autem calices picturis, & imaginibus ornari, quod antiquissimum est in Ecclesia, vt colligitur ex Tertull. lib. de pudicit. & ex alijs.

Tertull.

Quo autem ad formam spiritualem horum vasorum, quæ est ecclesiastica consecratio, fieri debet manu Episcopi per chrismatis vnctionem, & non tantum per contactum corporis, & sanguinis Domini, prout forte aliquis, colligere posset ex verbis D. August. lib. 3. contra Cresco. c. 29. & in Psal. 113. dicentis. Sed nos pleraque instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus in vsum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur; fit ergo consecratione cæremoniali, & Episcopali per vnctionem chrismatis, & specialem benedictionem, prout habetur in Pontificali, quæ cõsecratio antecedere debet alium vsum, & contactum corporis, & sanguinis Domini, & ante illam sanctificationem, quam ex illo censentur accipere huiusmodi vasa.

D. August.

De hac consecratione, inquit Doctor, fit mentio in c. vnico de sacra vnctione §. vltimo. vbi ita legitur. Vngitur præterea secundum ecclesiasticum morem cum cõsecratur altare, cum dedicatur templum, cum benedicitur calix; non solum ex mandato legis diuinæ, verum etiam exemplo B. Silu. qui cum consecrabat altare illud chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret Testimonij Tabernaculum, & arcam testamenti, mensamque cum vasis. Et ideo Sixtus Papa epist. 2. prohibet sacra vasa tangi a laicis, quia nimirũ consecrata sunt, vt habetur c. In sancta de consec. d. 1. & in c. Sacratas, & in c. Non liceat cap. Non oportet d. 23. atque ideo in cap. vltimo de celebrat. Missarum deponitur sacerdos, qui sine sacro calice consecrauit. Huiusmodi autem consecratio fieri nequit nisi ab Episcopo, neque Episcopus simplici Presbytero hanc facultatẽ committere potest, quia consecrare vasa ad ordinẽ spectat Episcopi, & proinde consuetudine, vel præscriptione id presbyteris non potest conuenire. Romanus tamen Pontifex potest presbyteris committere, vt vasa, nempè calices, & patenas consecrent. Abbates verò qui Pontificibus insignijs vtuntur priuilegio, iure, & consuetudine calices consecrare possunt, quod possint priuilegio docet Glossa in cap. Abbates de priuileg. in 6. & Francus Ancharanus, & Geminianus: ꝙ possint iure, & cõsuetudine docent Siluest. Tabiensis, & Armilla in verbo Calix, & in verbo Benedictio, & in verbo Abbas: Sed hi Authores facilè conciliantur, si dicamus eam habere facultatem Abbates priuilegio canonico, hoc est, quod in ipso iure expressum continetur, ita vt rectè iuris priuilegium dicatur.

Glossa. Francus. Geminian. Siluester. Tabiena. Armilla.

Hæc autem cõsecratio durat, quamdiù hæc vasa integra manent, amittitur verò si notabiliter diuidantur, aut frangantur, ita vt eam formam, & quantitatem amittant, quæ ad conuenientem eorum vsum necessaria est, arg. cap. 1. de consecr. Ecclesiæ, vel altaris, quia destructa forma iam non est calix, & si reparatur erit nouus calix, & ideo consecrandus; secus si formam non amisit, quamuis aliqualiter læsus fuerit. Ang. in verbo Calix 1. Quæritur, an calix formã consecrationis retineat, cum aurum quo est inauratus amittit? v.g. sit calix argenteus, & inauratus, & aurum decidat, an eo ipso, quod aurum decidit consecratione spolietur. Respondetur, quòd non, quoniam materia illa, quæ manet est capax consecrationis, & totus calix deauratus per modum vnius consecratur; & ideo licet aurum amittatur argenteus calix consecratus manet; sicut quando calix est purè argenteus, nam si contingat illam exteriorem superficiem paulatim vsu consumi, semper tamen calix manet consecratus, quia licet inunctio, vel consecratio versetur circa superficiem, tamen simpliciter totum consecratur. Item quæritur, an quando hæc vasa sunt deaurata, & vsu aurum tollitur, atque iterum deaurantur, an per nouam deaurationẽ consecrationem amittant, atque adeo sint iterum consecranda. Respondetur ꝙ sic, adeo ꝙ si interior pars calicis, & illa superficies patenæ in qua corpus Domini recipitur denuo deaurentur sunt iterum consecranda; Tum quia hæc consecratio præcipuè fit propter cõtactum corporis, & sanguinis Domini, id autem in quo proximè fit contactus non est cõsecratum, ergo consecrandum est; Tum quia licet sensus nõ discernat aurum ab argento, tamẽ reuera propter illam deaurationem fit velut quoddam vasculum aureũ subtilissimum intra illud argenteum, in quo proximè recipitur sanguis Domini, & idem est probabiliter in patena, ergo oportet ꝙ consecretur, demum in deauratione id, quod superadditur nullo modo est consecratum, ergo nouam requirit consecrationem, nec dici potest manere consecratũ ex sola adiunctione ad aliud sicut contingit de minima parte adiecta Ecclesiæ cõsecratæ, vel sicut dicitur de parte communis aquæ addita magnæ quantitati aquæ benedictæ, quia consecratum, quod principalius est trahit ad se non consecratũ, hoc (inquam) hic dici non potest, nã licet in dicto casu pars argentea videatur principalior quo ad magnitudinem materiæ, tamen quo ad vsum id, quod per deaurationem additur principalius est, non solum quia est nobilior materia, sed maximè quia in ea fit contactus corporis, & sanguinis Domini, & quia est veluti forma respectu alterius, ita Silu. Tabien. Armilla in verbo Calix ex Paludano.

Angelus.

Rursus quæritur, an calix amittat consecrationem, cum eius scyphus, vel cuppa in totum à pede separatur, iterumque coniungitur. Respondeo ex vnanimi omnium cõsensu tunc amittere, quia nimirum scyphus sine pede inseruire amplius non potest in diuino vsu, ob quem cõsecratus est; Tum etiam quia calix habẽs pedem fixum non potest eius pes a cuppa separari nisi per fractionẽ, ratione cuius amittitur figura illius vasis, quod totum consecratum fuit per modum vnius: Sed quid dicendum de calice tornatili, qui ita à principio est arte elaboratus, vt scyphus à pede amoueri, & adaptari iterum, & coniungi pro arbitrio nostro facile queat. Respondeo cum Armilla in verbo Calix. nu. 2. huiusmodi calicem adhuc consecrationem retinere, quia est calix à principio ita factus, vt facilius, & commodius separatum ex loco in locum transferri queat, atque ita sentiũt hoc tempore plures Theologi doctissimi, & vsu ipso cernimus ita fieri sine vllo scrupulo.

Siluest. Tabiena. Armilla.

Armilla.

Postremò obiter inquiri põt, an pixis, seu tabernacula, in qua corpus Christi seruatur consecrari, vel benedici debeat, priusquam Eucharistia in ea recondatur. Sotus in 4. d. 13. q. 1. art. 3. & Palud. q. 1. art. 4. & Silu. verbo Eucha. 3. q. 4. negant requiri esse consecratam, aut benedictam, quia in iure hoc nõ præcipitur, sed solum ꝙ custodiatur honorificè Eucharistia in loco mundo, & securo, c. Sane de celebr. Missarum, & c. 1. de custodia Eucharistiæ; Durandus verò lib. 1. de ritibus ecclesiasticis, c. 16 simpliciter, & sine disputatione affirmat pixidem priùs benedici, & consecrari debere neminem citans, nec decretũ aliquod ostendens, addit tamen formulam benedicendi pixidem in ordine Romano legi, ex quo non potest sumi argumentum admodum efficax, quod hoc necessarium sit, sed tantum quod deceat, nam ibidem ponuntur formolæ ad benedicendum vasa reliquiarum, & ad benedicendas mappas, & alia vasa, & ornamenta altaris, quæ tamen non semper benedicuntur, neque id censetur esse præceptum.

Sotus. Palud. Siluester.

Durandus.

Dicerem itaq. ꝙ quamuis Durandi sententia non sit certa, quia non satis constat de hoc præcepto, & inter doctos, & timoratos viros contrarium sine scrupulo fit, esse tamen Durandi sententiam consulendam tamquam valde conuenientem, verisimilem, ac rationi consentaneam, nam si corporale, & patena benedicuntur, seu consecrantur, quia immediatè recipiunt, & contingunt corpus Christi, cur non etiam pixis? Respondet Sotus illa benedici non solum propter contactum, sed quia in eis conficitur corpus Christi; Sed contra hoc in primis est, quia hostia non consecratur in corporali, vel patena, sed in manibus sacerdotis, quin potiùs frequentiùs formolæ consecrantur in pixide, quam super corporale, vel patena, quamuis omnibus modis fieri possit; Deinde sanctior ne est confectio corporis Christi, quam ipsummet corpus iam consecratum, ac præsens perseuerans, vt propter conficiendum sacramentum sint necessaria vasa consecrata, nõ autem propter custodiendum? Demum in regulis missalis de introitu sacerdotis ad altare expressè dicitur formulas consecrari debere in patena, vel super corporale, vel in calice, vel in alio vase mundo consecrato collocari: Non dico tamen huiusmodi vasculum debere consecrari, & chrismate inungi, sed benedici; quia in Pontificali Romano tantum ponitur benedictio illius, & illa censetur sufficiens, erit ergo quo ad huius vasculi benedictionem optimum consilium, vt ea adhibeatur, quæ in Pontificali continetur.

DE

Digitized by Google

DE POENIS QVAS INCVRRVNT *celebrantes sine istis conditionibus, quæ dictæ sunt ex parte loci, & vasis.*

ARTICVLVS I.

Vtrum celebrans in loco interdicto fiat irregularis.

SVpponendum est, quod duplex, vt ad propositum spectat, est interdictom, nimirum a iure, & a Iudice, interdicitur Ecclesia a iure quãdo polluitur sanguinis, vel seminis effusione, extra de cons. Ecclesiæ c. Vltimo si in Ecclesia, & de violatione huius interdicti erit sermo in sequenti artic. interdum interdicitur Ecclesia a Iudice, vt si interdictum sit a Iudice latum contra locum, & de huius suterdicti violatione quætimus in hoc art. an irregularitatem inducat.

Pro cuius intelligentia obseruandũ est primo, interdictũ secum afferre suspensionem a diuinis formaliter, vel virtute, & hac ratione irregularitas extenditur ad ministros ecclesiasticos interdictum violantes, quatenus per illud suspensi sunt, sicut excommunicatus fit irregularis ministrando, quia per excommunicationem suspensus est a diuinis, quod non intelligitur de propria, & distincta censura suspensionis, sed quatenus materialiter (vt sic dicam) in excõmunicatione includitur, atque adeo cum etiam in interdicto includatur suspensio idem est de illo dicendum, quod aut includatur patet ex c. vltimo de excessibus Prælatorũ, & ex c. Is cui de sent. excom. in 6. vbi dicitur ei, cui Ecclesiæ ingressus est interdictus, si in ea se ingerat diuinis in suo officio ministrando sicut prius irregularem fieri, & ratio redditur, quia ei cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, etiã est suterdicta diuinorum celebratio in ipsa Ecclesia.

Secundo obseruandum est, hæc verba interdicendi, & suspendendi non semper accipi in iure, vt distincta, id est, vt significantia diuersos effectos diuersarum censurarum, nam in illo c. Is cui, quod in principio vocatur interdictum ab ingressu Ecclesiæ in fine appellatur suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & ibi dicitur celebratio diuinorum interdicta, id est, prohibita, ex quo sequitur, quod omnis prohibitio ministrandi diuina ex officio facta ex re alicuius censuræ ecclesiasticæ eiusdem rationis, seu efficaciæ censetur in iure, quo ad hunc effectum incurrendi irregularitatem, si cõtra illam agatur, parumq; referri, quod suspensio, aut interdictio appelletur.

Tertio obseruandum est, quod licet per illam particulã celebrationem diuinorum comprehendatur omnis celebratio diuinorum ex officio facta, in qua Sacramentorum administratio ex officio includitur, potissime tamen comprehendit celebrationẽ per Missæ sacrificium.

Quarto obs. est, ex illo textu colligi hanc regulam habere locum tam in interdicto locali, quam personali, nam in primis illud interdictum ab ingressu Ecclesiæ quãtum ad præsens spectat æquiualet locali, quia per illud non prohibetur huic personæ celebratio diuinorum absolute, & simpliciter, sed in Ecclesia, vt in eodem textu expresse limitatur, atque adeo cum per quodlibet interdictum locale interdicatur diuinorum celebratio in loco interdicto, qui illud violat celebrando sacrum in tali loco eamdem irregularitatem incurrit, atque ita expresse dicitur de interdicto locali, & de celebratione absolute in dicto §. is verò.

Quinto obseruandum est, quod cum violatio interdicti *Violatio interdicti fit quatuor modis.* quatuor modis fieri contingat. primo quando persona interdicta aliquod Sacramentum conferat alteri non interdicto. secundo si minister ecclesiasticus conferat Sacramentum personæ interdictæ etiam in loco non interdicto. tertio si persona interdicta in loco interdicto personæ interdictæ Sacramentum administret. quarto si persona non interdicta alteri etiam non interdictæ Sacramentum conficiat, vel conferat in loco interdicto, & de hoc quarto modo solum hic loquimur, nam de alijs erit sermo infra d. 25. in materia de interdicto.

Sexto obseruandum est, in hac pœna irregularitatis obseruandæ sunt singulæ particulæ, seu voces textuũ, quibus huiusmodi pœna fertur, vt sunt in dicto ca. Is qui. §. is verò, particula scienter, & in c. Episcoporum. eadem particula scienter, & verbum præsumpserint, & verbum contempserint, & similia, quorum uis semper expendenda est, ad intelligendum an pœna, seu irregularitas incurratur, ponderanda etiam sunt verba, quæ continent exceptiones vt sunt illa dicti cap. is qui. §. Is verò, nisi super hoc priuilegiatus existat, vbi ponderanda est particula super hoc, nõ enim sufficiunt communia priuilegia exemptionum, quæ regulares communiter habent, sed necesse est, vt circa interdictum specialiter sit priuilegium concessum. Item additur exceptio, nisi a iure sit concessum, vel vt dicitur in cap. Episcoporum de priuilegijs nisi quatenus a iure eis conceditur, denique in dicto c. Is cui, hoc ipsum indicatur in illa particula contra interdictum, nam qui operatur ex iuris cõcessione non agit contra interdictum, & eadem ratione in hac particula includitur omnis legitima causa, quæ a culpa excusat, nam in conscientia etiam excusat a prædicta pęna, & irregularitate.

His obseruatis dico, quod sacerdos violans interdictum celebrando nimirum in loco interdicto efficitur irregularis, *Conclusio.* & alias censuras, vel inhabilitates in iure expressas incurrit, hoc est quasi axioma omniũ Doct. ad quod probandum Rich. in 4. d. 13. art. 4. q. 1. adducit cap. Postulasti, de *Richardus.* clerico excommunicato §. Quæsiuisti, deposito, vel interdicti. vbi dicitur, quod tales sunt ecclesiasticis beneficiis expoliandi, & Glossa dicit, quod suspensi sunt, & irregulares, & cap. Tanta de excessibus Prælatorum in Glossa, vbi dicitur, quod talis quantum ad Sacramentum Ecclesiæ excõmunicatus reputatur, & est ab officio suspensus, & priuatus, sed vtrumque capitulum, inquit Doct. posset bene ex- *Scotus.* poni, cum neutrum sit iuris expositiuum, neque etiam iuris responsiuum, vt appareat talem sic celebrantem irregularem esse simpliciter, quod patet exponẽdo verba illa, quæ ponderantur de priuatione beneficiorum, & huiusmodi, vbi non præfigitur pœna, sed prænunciatur inferenda, tũ etiam quia vt ex textu constat ibi non est sermo de quibuscumque violatoribus huius interdicti, sed de his, qui adeo pertinaces erant in eo delicto, vt etiam propter eam causã excommunicati (ab homine) in eadem contumacia cum interdicti contemptu perdurabant, & ita censeo verum, quod significat ibi Glossa verbo spoliandi, ante huiusmodi contumaciam secundum illud ius, non esse dignos tali pœna, licet oppositum videatur insinuare Nauar c. 27. nu. 187. *Naua.* Vnde clarius hæc pœna colligitur ex c. Is qui. §. is verò de sent. excom. in 6. vbi sermo est de illo, qui scienter in loco celebrat interdicto, vbi ita legitur. Is verò qui scienter in loco celebrat (supposito interdicto) nisi super hoc priuilegiatus existat, aut a iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, a qua nequit per aliuin quam per Roma. Pontificem liberari, adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum alijs debet it admitti. Quod intelligendum est (post extrauagantem. Ad euitanda) ad incurrendam hanc irregularitatem, de loco interdicto nominatim declarato, seu denunciato: ex illa autem particula, is qui, aperte constat pœnam esse generalem, & comprehendere omnem Clericum siue regolarem, siue sæculare, siue ad personas interdictas propter propriam culpam, siue nõ. i. siue ad eos qui causam dederit interdicto, siue non dederint, nam in dicto §. is verò simpliciter est sermo de celebrante in loco interdicto, neque additur limitatio de dante causam interdicto, præsertim cum addatur exceptio nisi iure, vel priuilegio super hoc aliud concessum sit, comprehendit, ergo omnem personam, quæ huiusmodi concessionem non habet, propter particulam autem scienter excusabitur in primis ab hac irregularitate, qui ex ignorantia probabili hoc facit, vt docet Glossa ibidem, deinde probabiliter opinor excusari omnem illum, qui directe bona fide hoc facit, etiam *Gloss.* si fortasse negligens sit, etiam ex graui culpa dũmodo ignorantia affectata non sit, quia alias illa particula scienter nihil operaretur, quia ignorãtia inuincibilis per se habet excusationem. Additur præterea in illo textu solum Pontificẽ summum posse in hac irregularitate dispensare, quod intelligendum est nunc iuxta limitationem de irregularitatibus occultis Episcopo commissis per Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de reformat. *Conci. Trid.*

Requiritur autem ad hanc irregularitatem incurrendã, quod transgressio, seu violatio fit scienter facta cum culpa mortali quacunque ratione committatur celebrando ex

officio

officio in loco interdicto contra formam a iure præscriptã, quia illa est grauis violatio, & celebratio simpliciter prohibita in loco interdicto, & in illo textu nihil aliud requiritur, dixi ex officio, quia vt colligitur ex c. is qui §. is cui, clerici non incurrunt hanc censuram nisi ministrando ex officio in aliquo diuino ministerio, ad quod sunt consecrati, ideoq; neque exercendo quemcumque actum solius iurisdictionis hanc irregularitatem incurrunt, tum quia illud non est ingerere se diuinis sicut prius, tum etiam, quia illud ministerium non est prohibitum ex vi interdicti, neque etiam illam incurrunt si solum se ingerant ita ministrando, sicut laicus posset ministrare, vt v.g. priuatim seruiendo sacerdoti facienti sacrum, vel aliquid simile.

Quod ratio talis culpę in foro saltem conscientiæ necessaria sit probatur, quia hæc irregularitas imponitur, vt pęna grauissima, & ideo non incurritur nisi intercedente graui culpa, quamuis alia irregularitas, quæ non est pœna, soleat contrahi sine culpa. Addũt etiam Doctores non solum inferiores sacerdotes, sed etiam Episcopum incurrere hãc irregularitatem sic violando huiusmodi interdictum latũ a Pontifice, vel a iure, quod est certissimũ arg. ca. vltimo de excessibus Prælat. quia Episcopus est inferior, & subditus, & hoc est verum nedum in interdicto imposito a quolibet alio, sed etiam a seipso, quia sic vitare tenetur excommunicatum a se ligatum, ita posito interdicto ex iure communi obligatur ad obseruationem eius, quamquam cum interdictum impositum est ab ipsomet Episcopo possit ab eodem suspendi pro aliquo tempore, vel quo ad aliquẽ actũ, & tunc non peccabit celebrando, vel ordines conferendo in tali loco, vt recte notauit Calderinus in tractatu de interdicto. *Calderinus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum sacerdos celebrans in Ecclesia polluta sanguinis, vel seminis effusione sit irregularis.

Ecclesia sex modis pro polluta haberi dicitur. Primo p homicidium voluntarium, & iniuriosum ex c. Proposuisti de cõsec. Ecclesiæ, & c. Si motum de conse. d. 1. in quo sermo est de homicidio, quod per contentiones, & rixas contingit, vnde si homicidium sit casuale non violatur Ecclesia. Item nec per homicidium factum ex amentia, quia hæc inuoluntaria sunt, item nec per homicidium sequutũ ex pura defensione, quia hoc iniuriosum non est, nec per homicidium cuius causa etiam iniuriosa extra Ecclesiam data est, etiam si mors in ecclesia contingat, vt si vulnus est extra Ecclesiam datum, & postea homo in ecclesia moritur, nam tunc reuera non homicidium, sed sola mors in ecclesia contingit. Addit Glossa in cap. vnico de cons. ecclesiæ in 6. sufficere homicidium ad huiusmodi violationem etiã si fiat sine effusione sanguinis per suffocationem, quia illud est verum homicidium. Si autem in ecclesia fiat percussio mortifera donec moriatur homo non est violata ecclesia quantum est ex hoc capite, secus ratione effusionis sanguinis, de quo statim, & vt clarius intelligatur si sit sermo de percussione, quæ de se non vulnerat, nec effundit sanguinẽ, & sufficiens est ad occidendum hominem per nimiam contusionem, vt si quis hominem percuteret sacculo pleno arena, donec homicidium sit consummatũ, non incurritur violatio, imo existimo tunc necessarium esse, vt mors ipsa in ecclesia contingat, quia alias reuera non fit homicidium in ecclesia, sed tantum percussio. Cæterum si Iudex suspenderet aliquem in ecclesia violaret illam, quia licet illud homicidium non esset ex natura rei iniuriosum, posset tamen esse ipsi reo iniuriosum, quia licet fortasse dignus sit illo supplicio, tamen habet ius, vt illo in loco vim non patiatur, & esto quod ei non fieret iniuria, fit tamen iniuria loco sacro, & hoc satis est, vt si quis interficiat se ipsum in ecclesia polluit illam, quia licet sibi proprie non faciat iniuriam, facit tamẽ Deo, & ecclesiæ. Sed quid si Iudex suspendat hominem super ecclesiæ tectum, vel ex parietibus Ecclesiæ extra illam? Respondetur non violari Ecclesiam, vt notant Sil. Ang. & Nauar. cum aliis, quia canones solum loquuntur de homicidio intra ecclesiam perpetrato, sed quid si tale homicidium sit verum martyrium, videtur enim, quod non possit pollui ecclesia sacro cruore martyris. Respondetur non pollui sanguine martyris, vt ab ipso fluit, pollui tamen sacrilega actione, & interfectione, quia illud est verum homicidium, notat tamen Ang. in verbo consecratio nu. 4. quod in reconciliatione Ecclesiæ pollutæ per Martyrium non est lauandus locus vbi sanguis effusus est.

Glossa.

Siluester. Angelus. Nauar.

Secundo violatur ecclesia, quando intra eam sanguis humanus iniuriose effunditur, aut causa naturalis eius effusionis datur ex cap. si ecclesia de cons. Ecclesiæ, & ca. Ecclesiis de cons. d. 1. dicitur intra, quia secus si extra eam, etiam desuper in tecto, vel subter eam in specie, dicitur ecclesiam generaliter, ad comprehendendum tam nondum consecratam, quam consecratam, quamuis quo ad reconciliationẽ sit magna differentia, quia reconciliatio consecratæ debet fieri ab episcopo cum aqua benedicta ab ipso, vel ab alio episcopo, non consecratæ verò potest fieri a solo presbytero, & cum aqua a se ipso benedicta, sed ratione priuilegiorum nostrorum aliter potest obseruari a nobis, vt notat collector priuilegiorum in verbo benedicere, dicitur effunditur ad significandum, quod non sufficit aliquarum guttarum sanguinis emissio, quia iura requirant effusionem, quæ largitatem denotat, dicitur sanguinis, quia non sufficit percussio, quę non sit mortifera sine eius effusione, quamuis sit eiusmodi, vt carnes contundat, aut ossa frangat, secus autem si vulnus mortiferũ sit, vel graue etiam si intra eam sanguis non effunditur, vt omnes docent, nam in dicto capitulo. Proposuisti de consec. Ecclesiæ, propter vulnera dicitur violari Ecclesia nulla facta mentione effusionis sanguinis, dicitur humanus, quia nulla effusio cæterorum animalium ad id sufficit, dicitur iniuriose, quia non sufficit naturalis effusio per nares, aut per os, aut quæ casu fit lapsu, aut offendiculo, vel ictu lapidis, vel tegulæ per se cadentis, neque factam ob iustam defensionem, neque ludo, aut ioco, quod communiter exponitur de licito, & licite facto, qualis raro accidere potest in ecclesia, nisi quando aliqua pia repræsentantur, neque effusio facta per furiosum, aut stultum, aut per puerum iudicio carentem, dicitur autem datur causa, quia sufficit, vt vulnus infligatur intra ecclesiam, quamuis percussus antequam sanguis in illa effundatur, egrediatur, & licet recipiatur in aliquo vase, ne in eam decidat, non enim requiritur, quod sanguis effusus ecclesiæ pauimentũ, vel parietem contingat, quia non violatur ecclesia propter contactum sanguinis, sed propter violentam effusionem in illa factam, & per consequens non sufficit, quod sanguis in illa effundatur, si vulnus extra inflictum est, nec etiam refert, quod sanguis effusus sit extra Ecclesiam, vt si iacto lapide, vel sagitta percutiat aliquem in Ecclesia existentem satis enim est, quod vulneratio, seu effusio in ecclesia fiat, secus verò esset si è contrario, qui existit intra ecclesiam sagitta vulneraret alium extra ecclesiam existentem, tunc enim non violaretur ecclesia, quia licet actio vulneratiua, & effusiua sanguinis in ecclesia inchoetur, tamen ipsa vulneratio, seu effusio extra ecclesiam fit, & eadem ratione quãuis sententia sanguinis in ecclesia detur non violatur ecclesia si exequutio extra fiat.

De effusione autem proprij sanguinis eadem ratio est, quæ de alieni, nam si fiat per iustam, & honestam vulnerationem, seu flagellationem non violat ecclesiam, vt per se constat, si autem fiat per illicitam mutilationem, aut alterius vulneris inflictionem violabit ecclesiam, quia licet respectu sui ipsius actio iniuriosa proprie non sit, tamen est iniqua, & iniuriosa Deo, & ecclesiæ, sed quid si percussio est leuis, & vulnus modicum, sanguis verò effusus est copiosus. Respondet Victoria in summa nu. 99. non violari tunc ecclesiam, & fortasse regula generalis esse potest quãdo nisi percussio grauis sit, ita ut ad peccatum mortale sufficiat, etiam si contingat copiam sanguinis effundi, non violatur ecclesia, quia tunc illa effusio est velut materialis, & casualis, quotiescumque vero cum percussione graui, quæ ad peccatum mortale sufficit coniungitur copiosa sanguinis effusio, tunc ad ecclesiæ violationem sufficit. *Victoria.*

Tertio polluitur ecclesia, quando in ea semen humanũ voluntarie effunditur, vt habetur in citatis iuribus, dicitur humanum, quia cæterorum animalium ad id non pertinet, & satis est, quod sit cuiuslibet hominis, siue fęminæ, viri, clerici, laici, fidelis, siue infidelis, dicitur effunditur, quia requiritur, vt fiat in sufficiente quantitate, nam vnius, vel alterius guttæ effusio ad violationem non sufficeret, tum propter vim verbi effusionis, tum etiam quia ista modica effusio quamuis ex parte interioris voluntatis sit peccatũ mortale

Digitized by Google

tale intemperantiæ, tamen in ratione exterioris iniuriæ loci sacri non est res adeo grauis, neque iniuria (vt ita dicam) consummata, dicitur voluntariè, quia alia non est humana, nec iniuriosa ecclesiæ, qualis est pollutio nocturna, vel etiã si in vigilia inuoluntarie tamen accidat, quamuis Ange. in verbo consecratio ecclesiæ § 9. oppositum dicat, sed absque sufficienti ratione, quia ex eo, quod teneatur coniugalem pollutionem violare, de qua statim, non sequitur sufficere eius, qui dormit, cum ista non contineat eam irreuerentiã erga ecclesiam, quam continet illa, dicitur in ea, quia necessarium est, quod talis effusio fiat intra ecclesiam, nec erit satis si fiat in ecclesiæ locis adhærentibus, vt in cubiculis ecclesiæ coniunctis, vel in turri, vel supra tectum, vel in speluca sub pauimento ecclesiæ, sicut dictum est de homicidio, vel effusione sanguinis, eadem est enim ratio, vt notauit Sotus in 4. d. 32. artic. 3 & Cordu. in summa q. 12. Præterea ad huiusmodi violationem omnes censeo sufficere effusionẽ seminis copiosam, voluntariam, publicam, ac illicitam quocumque genere turpitudinis, siue sit per pollutionem, siue per quamcumque illicitam copulam in quocumque genere personarum fidelium, ac infidelium, ac etiam bestiarum, vt si quis intra ecclesiam vitium bestialitatis committeret, quia iura absolute, & simpliciter loquuntur. Solum posset esse dubium, an per copulam de se licitam. f. coniugalem in ecclesia factam polluatur ecclesia, de qua re tres inuenio opiniones: Aliqui enim absolute affirmant, quia iura citata absolute affirmant de effusione seminis, tum etiam, quia & si talis copula non sit iniusta, neque ex obiecto intemperãs, tamen hoc ipso, quod fit in ecclesia est sacrilega, & peccatũ mortale, ita docent Palud. in 4. d. 18. q & art. 4. Sotus d. 32. art. 3. Caiet. in summa verbo mortalium peccata, num. 6. Ang. consec. eccle. 2. § 9. Naua. c. 27. nu. 257. qui alios citat, idem Victoria in summa num. 9 & Glossa accepta in c. vnico de cons. eccle. in 6.

Angelus. *Sotus.* *Corduba.* *Paludanus.* *Sotus.* *Caietanus.* *Angelus.* *Naua.* *Victoria.* *Glossa.*

Secunda opinio absolutè, & in vniuersum negat ecclesiam violari per copulam coniugalem, ita tenet Glossa in c. Ecclesiis de consec. d. 1. & significat Sotus d. 13. q. 2. ar. 3. ad secundum, addit tamen forte ita esse, quia pœnæ sunt restringendæ, vnde significat ita esse pie interpretanda præcitata decreta.

Glossa. *Sotus.*

Tertia opinio distinctione vtitur, nam quando coniuges ex iusta causa coguntur in ecclesia habitare, & dormire, præsertim longo tempore, tunc censent non violari ecclesiam per copulam coniugalem, secus verò esse si absque legitima causa ibi coniunguntur: fundamentum esse potest, quia quando fit hoc posteriori modo, talis vsus matrimonij est illicitus, & sacrilegus contra reuerentiam loco sacro debitam, priori autem modo est licitus, quia non sunt obligandi homines ad rem adeo difficilem, qualis est diuturna continentia in ea occasione, & veluti tentatione, solum propter quamdam extrinsecam decentiam loci sacri, tum etiã, quia non sunt conijciendi in periculũ mortale illicitæ pollutionis, & ideo quando solum hac de causa coniunguntur ad vitandum tale periculum potius in hoc videntur locũ sacrum reuereri, quam illi iniuriam facere. Hanc sententiã sic expositam docet Rich. in 4. d. 32. art. 3. q. 1. quem sequuti sunt Maior. q. 1. Sil. verbo cõsec. 2. q. 5. & verbo debitum, q 3. Castro lib. 1. de lege pœnali c. 7. documento 2. Couar. in 4. lib. decretal. p. 2. c. 7. § 2. nu. 3. & Victoria in summa nu. 276. dicit hanc opinionem esse probabilem, & securam practice, & reuera ita est.

Richardus. *Maior.* *Siluester.* *Castro.* *Couar.* *Victoria.*

Dicendum est ergo, per copulam coniugalem illicite, & iniuriose factam in ecclesia pollui ecclesiam, quia tunc eadẽ est ratio de tali effusione seminis, & de cæteris, nam licet non sit contra iustitiam, tamen respectu circumstantiæ loci est intemperans, atque etiam sacrilega. Cæterum quando coniuges in huiusmodi copula a peccato mortali excusantur, verisimilius est non pollui tunc ecclesiam etiam si publica sit, quantum moraliter de tali actu publice constare potest, quotiescumque ergo moraliter, & iuxta humanam fragilitatem coniuges copulam vitare possunt, vel alio in loco eam facere peccatum erit mortale intra ecclesiam eam perpetrare, non verò quando humana necessitas, vel fragilitas compellit. Vnde si coniuges non coguntur dormire intra ecclesiam, quia licet fortasse cogantur in ea habitare, tamen possunt in cubiculis adiunctis dormire, tunc grauiter peccabunt in ecclesia coeundo. Item si iusta ex causa in ecclesia dormiant, tamen breui tempore, vna scilicet, vel alia nocte, vt v. g. si voti causa in ecclesia maneant, grauiter peccabunt coeundo, quia facili negocio possunt se cõtinere, & separare quoad torum, ita ut mortale periculum pollutionis, & similis intemperantiæ euitent, & huiusmodi casibus non solum peccat, qui petit debitum, sed etiam, qui reddit, quia alter non habet ius petendi tali tempore, & loco. At verò si iusta ex causa cogantur habitare in ecclesia, in qua nullus sit locus adiunctus, in quo dormire possint præter ipsum templum v. g propter obsidionem, vel propter aliquod crimen, vel aliquid simile, tunc copula coniugalis in ecclesia non erit peccatum mortale. Addo etiam si non vterque coniux, sed alter tantum in ecclesia perpetuo manere cogatur, ita ut extra illam nullo modo possit petere, aut reddere debitum non videri peccatum mortale, si altero coniuge illuc voluntarie accedente actum matrimonii consumment, quia etiã tunc intercedit morale periculum incõtinentiæ, neque est verisimile ecclesiam obligare cum tanto rigore ad uitandum illum actum in ecclesia, neque etiam ex sola ratione naturali in hoc apparet irreuerentia præsertim grauis.

Quarto violatur ecclesia, quando in ea fidelis excommunicatus sepelitur, vt tradunt omnes citati Authores ex cap. Consuluisti de cons. Eccle. vel altaris, vbi de cœmeterijs sermo est, est autem eadem, vel maior ratio de eccl. si:, cum ipsa sit principalis in hoc negocio, cœmeterium autem sit quasi accessorium c. vnico de cons. eccl. in 6. quo fit, quod quoties aliqua ecclesia polluitur etiam cæmeterium illi contiguum est pollutum, sed non è contra, nam polluto cæmeterio ecclesia contigua non polluitur, solum est hic aduertendum nunc post decretum Concilij Const. ad euitanda, necessarium esse, vt huiusmodi excommunicatus sit vel nominatim excommunicatus, vel manifestus percussor clerici, quia hos tantum tenemur vitare, & ita hos tantum tenemur in loco sacro non sepelire, reliqui autem omnes iam censentur vt occulti excommunicati.

Quinto polluitur ecclesia quando aliquis Paganus, seu infidelis in ea sepelitur, vel sepultus iacet ex c. ecclesiam 1. & 2. de consec. d. 1. nomine autem pagani, & infidelis comprehenduntur etiam pueri, qui ante baptismum moriuntur, sunt enim infideles saltem negatiue addit Nauar. quod in hoc casu non solum reconcilianda est ecclesia, sed etiam parietes illius abradendi, licet in præcedenti reconciliatio sufficeat iuxta Panor. in c. consuluisti. *Nauar.* *Panor.*

Sexto violatur ecclesia quando parietes ecclesiæ comburuntur, vel ita destruuntur, vt eam integre reædificari oporteat, tunc enim iterum consecranda est, quia cõsecratio perditur destructa re, in qua fundatur, oportet tamen vt parietes simul ruant, nam si paulatim, & successiue destruantur, & reparentur non perditur consecratio, quia semper censetur manere idem numero templum, quod intelligendum est dummodo pars non consecrata quæ additur non sit maior, quia tunc id quod est maius cõsetur ad se trahere, quod est minus, secus vero est si tectum ruat, & parietes integri maneant, quia tunc consecratio non amittitur, quia potissimum circa parietes versatur, vbi linitio, & cruces fiunt, atque hæc colliguntur ex cap. ligneis de consec. Eccles. ex ca. ecclesiis de consec. d. 1. hic tamen casus non habet locum in ecclesia, vel cæmeterio benedicto, vt significat Sil. vbi supra, quia tantum benedicitur ipsum solum, quod semper idem manet, consecratio autem fit in parietibus vnde hic casus non pertinet ad ecclesiæ consecratæ pollutionem, sed ad destructionem potius ipsius consecrationis, & ideo in eo non reconciliatur ecclesia, quæ instaurata est, sed iterũ consecratur, quinque autem superiores casus propriè pertinent ad ecclesiæ pollutionem, & locum habent non solũ in ecclesiis consecratis, sed etiam simpliciter benedictis, vt colligitur ex dictis duobus cap. ecclesiam, & ex cap. consuluisti, & c. si ecclesia de cons. ecclesiæ, vel altaris, & non solum in ecclesiis, sed etiam in cæmeteriis, quæ eodem modo benedicuntur sicut ecclesia, vt constat ex c. vnico de consecr. eccl. in 6. *Siluester.*

Aliqui addunt violari ecclesiam, si ab episcopo excommunicato consecretur, vel benedicatur, ita docent Palud. & Silu. supra cum Abbate, & Host. in d. c. Consuluisti, & Nauar vbi supra, qui nullo iure id probant, sed tantum argumento a simili ex eodem c. consuluisti; nam si sepultura corporis excommunicati, inquiunt, polluit ipsum locum, multo magis consecratio ipsa transiens per os excommunicati

Paludanus. *Siluester.* *Abbas.* *Hostiensis.* *Nauar.*

cati

cati eumdem locum polluet. Vnde quamuis consecratio, & benedictio facta ab episcopo excommunicato teneat, & rata sit, quia substantialiter iurisdictionem nō requirit, sed ordinis potestatem, quam non aufert excommunicatio, tamen manet polluta, seu quasi suspensa, vt munus suum loci sacri exercere possit. Cæterum quamuis non inueniam Authores contradicentes huic sententiæ nisi Suarez tom. 3. disp. 81. sect. 4. *Suarez.* Ego huic sententiæ assentiri non possum, quia in huiusmodi legibus pænalibus, & odiosis argumentum a simili est inefficacissimum. Vnde quando de irregularitate in iure cautum est, s. non incurri nisi in iure sit expressa, verum esse existimo de quacumque censura, aut pæna ipso iure incurrenda, quia si in iure lata non est, quomodo ipso iure incurretur. In præsenti autem casu non est lata hæc censura ipso iure, ergo neque etiam incurritur ipso iure: nam licet ius voluerit ecclesiam pollui per sepulturam excommunicati, non tamen voluit idem fieri per actionē excommunicati, neque est paritas rationis inter sepulturā excommunicati, & consecrationem, vel benedictionem factā ab excommunicato, quia iniuria quæ fit ecclesiæ per sepulturam hominis excommunicati, est vel maior, vel permanentior, quia corpus ab ecclesia præcisum quasi in custodiam committitur loco sacro, præterquam, quod si liceret argumentari a paritate rationis fortius argumentum sumi posset in contrarium ex cap. a nobis de sacra. non iteran. vbi dicitur non pollui altare, vel ecclesiā ex eo, quod schismaticus, vel excommunicatus in ea celebret, ergo pari ratione non polluetur ex eo, quod excommunicatus eam consecret. Item si argumentum a simili esset efficax, sicut ecclesia polluitur, quia in ea excommunicatus sepelitur, ita pollueretur si sacerdos excommunicatus aliquem solemniter in ecclesia sepeliat, quod tamen sine dubio falsum est, est ergo illud argumentandi genus inualidum. Tandem si Metaphysicè hoc velimus expendere quando ecclesia ab excōmunicato consecratur nihil fit in ecclesia consecrata, vt sic, quo possit pollui, quia pollutio ecclesiæ supponit consecrationem eius, talis autem consecratio non supponit, sed facit ecclesiam consecratam, & circa illam consecratam nihil amplius consecratur, non est ergo cur polluatur, vel suspendatur, quo minus exercere possit munus loci sacri, hæc sunt rationes Suarez, cuius sententia mihi videtur verior propter vim rationum, etiam si authoritate destituta sit. Obseruandum est tamen, quod nulla pollutio supra dictarum, quæ fuerit occulta (vt notat hic Doctor, & est communis *Scotus.* sententia) impedit celebrationem in ecclesia, adeo quod in ea celebrare non est peccatum, nec reconciliatione indiget, extra de adulterijs, & stupro c. significasti, vbi ideo censetur ecclesia polluta per adulterium, quia adultera publice delictum confessa est, & ratio esse potest, quia cum solemnis pęnitentia numquam pro occulto crimine ponenda est, ita neque ecclesia est reconcilianda propter occultum crimē, quia reconciliatio semper fit cum solemnitate, tum etiam quia ecclesia non iudicat de occultis, neque esset conueniēs cuncta delicta prodere reconciliando ecclesiam.

Et si quæras, quæ publica notitia delicti, aut facti necessaria sit, respondent omnes necessariam esse aut facti euidentiam, aut quod iuridice probatum sit delictum per iuridicam confessionem, vel sufficiētem probationem, vnde quāuis duo, vel tres sciant delictum si taceant non est polluta ecclesia, quia adhuc delictum est absolute occultum respectu populi, tamen si post aliquod tempus illi publice prodant delictum, ex tunc incipit ecclesia pollui, ex quo delictum incipit esse publicum, euidentia autem facti non est ita intelligenda, vt necesse sit factum ipsum videri publice ab omnibus, quia id nec est necessarium, neque sæpe moraliter possibile, satis ergo est, quod iuxta negocij, seu facti qualitatem sufficiens notitia illius communiter in plebe, aut in parochia habeatur. Vnde ait Sotus. *Sotus.* Si publice constet virum, & fœminam in ecclesia cohabitare in eodem toro id satis esse ad euidentiam illius facti, & vt ecclesia polluta censeatur.

Addi etiam potest, post decretum Conc. Const. restringē tis censuras, vt neminem obligent ad se abstinendum vsq; ad iuridicam denunciationem &c. etiam in præsenti casu non sufficere quamcumque notitiam delicti, donec per sententiam Iudicis declaratum sit ecclesiam illam esse pollutam, sicut ecclesia nunc non est interdicta, vt obligemur abstinere, & interdictum seruare, donec per Iudicis sententiā censura interdicti publice denunciata sit, ratio est, quia verba decreti sunt, vt nemo teneatur abstinere a quibuscumq; diuinis prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ a iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, donec in particulari, seu nominatim declaretur, interdictum autem est censura quædam, hæc verò pollutio ecclesiæ est quoddam interdictum vt significant Doct. hic, Rich. hac d. art. 4. q. 1. Palud. d. 18. q. 8. art. 4. & Silu. verbo interdictum 4. q. 3. & quasi sententia quædam iure lata, ergo merito censeri potest comprehensa sub illo decreto Concilij Constan. *Scotus. Richardus. Palud. Siluester.*

His positis dico primo, ex suo genere, & per se loquendo *1. Conclusio* peccatum mortale esse in ecclesia violata Missam dicere, antequam purificetur, ita docent omnes Doctores cum Scot. in 4. d. 13. Silu. verbo conse. 2 & Nauar. c. 25. nu. 83. & c. 27. n. 250. *Scotus. Siluest. Nauar.* & ratio est, quia hæc pollutio ecclesiæ nihil est aliud quam censura quædam, seu prohibitio iure ecclesiastico introducta, ne sacrum, aut alia officia diuina fiant in huiusmodi ecclesia, quando aliquod ex prædictis delictis, seu impedimentis interuenit, vt constat ex citatis decretis, hoc autē præceptum est iustum, & graue, pertinetq; ad reuerentiā ecclesiarum, ergo obligat sub mortali. Addit D. Thom. p. 3. q. 83. art. 5. *D. Thomas.* de licentia episcopi posse fieri sacrum in ecclesia violata ante reconciliationem, quia si episcopus potest dare licentiam sacrificandi in loco non consecrato, ergo & in loco nondum reconciliato, hoc autem vt iuste fiat, inquit, Sotus, & bene, requirit grauem causam, quia est dispensa- *Sotus.* tio quædam in lege ecclesiastica, & graui, & interdum posset esse tanta necessitas, vt si accersiri non posset episcopus, etiam sine eius facultate id liceat, quia ecclesiasticum præceptum non obligat cum tanto rigore. Atq; his modis excusantur, qui in regionibus septentrionalibus sacrificant in locis, in quibus sepulti sunt hæretici, quia vel necessitate coguntur, quia alibi commode sacrificare non possunt, vel etiam episcopi videntes, & consentientes facultatem præbere censentur.

Dico secundo, ratione huius delicti non incurri proxi- *2. Conclusio* me, & immediate irregularitatem aliquam, vt docet hic Doctor, & Rich. loco supracitato, *Scotus. Richardus.* & est expresse declaratū in c. is qui de sen. excom. in 6. & ibidem ratio redditur, quia non est in iure expressum, ex quo improbatur Hostien. qui *Hostien.* in c. vltimo de consec. ecclesiæ sensit sacerdotem sacrificantem in ecclesia polluta irregularitatem contrahere. Ang. & Silu. in verbo suspensio ex Archid. Ioan. And. & Geminianus docent, *Angelus. Siluester. Archid. Io. And. Gemini.* quod tali sacerdoti interdicitur ingressus in ecclesiam, vt colligi videtur ex capitulo episcoporum de priuilegiis in 6. & locum habet in sacerdote siue sæculari, siue regulari cuiuslibet ordinis, an verò comprehendat etiā eos, qui sunt ab ordinarij potestate exempti dubiæ quæstionis est, nam Silu. & alij aiunt comprehendere tum exemptos, *Siluester.* tum non exemptos, alij dicunt comprehendere solum exēptos, de quo erit sermo alias. Quare si cum sit ab ingressu in ecclesiam prohibitus sacrificium fecerit in ecclesia, irregularitatem contrahit, nam in c. is cui de sent. excom. in 6. aperte dicitur. Is cui est ecclesiæ interdictus ingressus, irregularis efficitur si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat suo officio fungens, vt prius sit ibi. Cæterum ex illo textu non colligitur talis pœna, nam ibi solum imponitur ea pœna celebranti in loco interdicto, sed locus violatus proprie, & in rigore loquendo non est interdictus, vt ex d. c. is cui, manifeste appaiet.

ARTICVLVS III.

Vtrum celebrans sine altari, & calice ab episcopo consecratis efficiatur irregularis.

IN primis certum est celebrantem sine altari consecrato peccare mortaliter, tanta est enim necessitas consecrati altaris, vt absq; mortali peccato non possit hoc sacrificium celebrari in altari non consecrato, vt docent omnes Doctores, & constat ex iuribus supracitatis in art. 1. de loco mobili, & remoto, quod idem dicendum est de celebrante in calice non consecrato, vel non idoneo, nimirum si esset ligneus, vel vitreus, sed dubium est, an vltra peccatum mortale irregularitatem incurrat. Maiolus lib. 3. c. 23. nu. 2. *Maiolus.* ex quadam regula, quam posuerat lib. 1. c. 3. num. 9. nimirum, quod omnia crimina, quæ inducunt depositionem, secum etiam afferunt irregularitatem, dixit quod sacerdos sacrū

faciens

faciens sine altari consecrato ab episcopo, sed propria sponte, & auctoritate erecto, efficitur irregularis, quod probat ex c. nullus presbyter 1. & 2. de consec. d. 1. vbi clericus in hoc delinquens degradari præcipitur, nam ex illo verbo colligitur tale delictum inducere depositionem, & eijcere iam promotos, & consequenter inducere irregularitatem, fauet etiam Glossa in c. nullus presbyter 2. æquiparat enim eum, qui fingit altare consecratum, quod non est, cum eo qui se fingit sacerdotem, si in vtroq; casu sacrificet, ergo sicut in posteriori casu incurritur irregularitas, ita etiam in præsenti. Quod autem celebrãs sine calice non consecrato, vel nõ idoneo efficiatur irregularis videtur probari posse ex cap. vltimo de celeb. Missarum, in quo ab officio, & beneficio deponitur presbyter, qui sine aqua, & igne, & in pane fermentato, vel vase ligneo sacrificat.

Cæterum dicendum est, sacerdotem celebrantem super altare non consecratum non fieri irregularem, quia irregularitas est de iure positiuo, & hoc non est in iure positum, regula autem Maioli est vera, vel saltem probabilis intellecta de depositione ipso iure lata, non tamen de depositione solummodo ferenda. In prædicto autem casu non imponitur depositio ipso iure, sed ab homine ferenda, nam in priori textu solum sunt verba comminatoria, qui sui particeps voluerit de cætero esse sacerdotij, & ibi non agitur de sacerdote celebrante sine altari consecrato, sed de illo, qui Missã præsumit dicere in loco ab episcopo non sacrato, seu non approbato, pro quo delicto procul dubio irregularitas non incurritur, nullo enim iure habetur, sed arbitrio Prælati aliqua suspensio propter hoc delictum imponi poterit, quantum ex illo textu colligitur. In altero verò capitulo verba sunt, quod si fecerit, si clericus est degradetur, si vero laicus anathematizetur, quæ verba aperte significant sententiam ferendam non latam.

Et prætereà pœna illa non fertur pro crimine sacrificãdi sine altari consecrato per episcopum, nam crimen illud clericus, & laicus dicitur esse commune, & vtrisq; pœna accõmodata imponitur, at vero laicus non potest sacrificare in altari, neque enim ibi agitur de laico fingente se sacerdotẽ ad hoc ministerium ficte vsurpandum, sed agitur de duplici alio delicto, vnum est erigendi in ecclesia consecrata altare non sanctificatum a proprio episcopo, vel de licentia eius. Aliud est fingere dedicationem vbi non est, quod iuxta contextum videtur etiam referri ad altare, tamen a Glo. *Glossa.* latius intelligitur de quacumque re, quæ tamquam sacra fingitur cum non sit, vt si quis reliquias publice proponat tamquam dedicatas cum non sint, dicere autem sacerdotẽ in aliquo horum delinquentem fieri irregularem improbabile profecto est, cum nullo iure sit cautum, ergo quamuis sacerdos sacrificet in altari non consecrato non propterea fit irregularis, cum de hoc delicto nulla ibi specialis mẽtio fiat, neque alibi quoad hunc effectum.

Scotus. De celebrante autem sine calice non consecrato, vel non idoneo dubium est, inquit Doct. an propter hoc irregularitatem incurrat, quia pœna illa depositionis, quæ habetur extra de celebratione Missarum cap. vltimo, infligitur propter multa, scilicet quia non vtebatur calice debito, nec aqua, nec igne, & ita dubium est si propter vnumquodque istorum separatim debeat infligi depositio, quia ibi omnia concurrebant, sic enim ibi legitur. Litteras tuas recepimus continentes, quod cum super excessibus presbyteri ecclesię sanctæ Brigidæ Brixien. inquireres, confessus est, quod cũ quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit, & infra. Intellecto iterum, quod prædicta ecclesia per malitiam dicti presbyteri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans ex eius confessionibus inuenisti, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cum igitur, vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum priues.

Vnde apparet, quod non propter vnum, sed propter omnia delicta ibi enumerata deponi præcipitur, prætérquam quod depositio illa non est ipso iure lata, sed ab episcopo ferenda, quapropter crederem sacerdotem sine idoneo calice celebrantem nequaquam irregularem fieri, cũ hoc in iure minime expressum sit.

DE REQVISITIS EX PARTE TEMPORIS.



MVlta circa hoc requisitum explicant Doctores, nimirum an sacerdos teneatur aliquando sacrum facere, an debeat singulis diebus celebrare, an eadem die possit plures missas facere, & qua hora licitum sit sacrificium offerre, sed Doctor tantum hoc vltimum explicat. Quapropter vt de singulis aliquid dicamus, formabimus de singulis singulos articulos.

ARTICVLVS I.

Vtrum liceat sacerdoti abstinere a celebratione per totum tempus vitæ suæ.

NOn est quæstio de sacerdote indigno, atque indispositio, nam certum est, quod indigni ad hanc mensam accedere non debent, sed loquimur de sacerdote disposito, & quantum humana fragilitas patitur digno, loquimur etiã de sacerdote quatenus sacerdos est, nam sacerdos quatenus homo ad communionem tenetur saltem semel in anno tẽpore Paschatis, quæ obligatio non cadit in eo, quatenus est sacerdos, sed quatenus est fidelis baptizatus, & adultus, quam obligationem explere posset non sacrificando, sed laicorum more communicando.

Est ergo quæstio an ratione muneris sacerdotalis teneantur sacerdotes offerre hoc sacrificium, & ratio dubitandi esse potest, tum quia nullum extat de hac re præceptum obligans singulos sacerdotes, nec ecclesiasticum, cum nullum de hac re decretum reperiatur scriptum, nec positiuum diuinum, cum nec traditione habeatur, quæ vim habeat legis, cum potius multi sacerdotes longo, & diuturno tempore non sacrificent, qui tamen haud censentur esse in peccato mortali, neque ex scriptura sacra colligitur sufficienter, nam si quæ sunt verba in scriptura, quæ indicent hoc præceptum maxime essent illa. Hoc facite in meam cõmemorationem, quæ & si gratis admittamus continere aliquod præceptum, non est necesse, vt illud obliget singulos sacerdotes, sed in communi ecclesiam, ad cuius prouidentiam spectat curare, vt in ea sit vsus huius sacrificij, quæ cura ad Pastores præcipue pertinet, non verò ad sacerdotes singulos. Tum etiam quia hæc obligatio non sequitur veluti ex natura rei ex ipso sacerdotali munere, quia licet sacerdotibus ex vi sui muneris detur potestas sacrificandi, tamen ex potestate non oritur necessitas, tum quia potestas ex se latius extenditur quam necessitas, tum etiam quia hoc est veluti priuilegium quoddam ipsius sacerdotis, vel quasi Dominium, siue ius quoddam, ex vi autem priuilegii nemo cogitur vti illo, nec dominium, vel ius in, vel ad rem per se inducit necessitatem vtendi re propria, sed potest aliquis cedere iuri suo, tandem etiam datur sacerdoti potestas remittendi peccata, & tamen numquam tenetur vti illa, etiam si alias iurisdictionem etiam accipiat, dummodo pastoris officium non suscipiat.

Propter hæc multi graues Theologi censent nullum esse præceptum obligans sacerdotes sub peccato mortali ad sacrificandũ aliquando, itaque quamuis sacerdos numquam in vita sacrum faciat, dummodo in Paschate communicet per se loquendo non peccabit mortaliter, ita docent Alex. *Ale de Ale.* de Ales p. 4. q. 11. m. 2. art. 4. §. 1. quæstiun. 3. vbi ita scribit. Ad ea quæ pro alia parte introducuntur, ex quibus videtur quod qui cessaret a sacra communione, & ab immolatione si esset sacerdos, & ex quacumque causa hoc faceret, peccaret mortaliter? Respondeo, sine præiudicio tamen, quod hoc non est verum, bene verum est de cessante omnino a sacra communione, & hoc quia faceret contra institutionẽ ecclesiæ, existimo tamen, quod si quis sacerdos non habens curam animarum, nec officium, nec beneficium propter quod haberet necesse celebrare, & ob reuerentiam Sacramenti, & timorem suæ indignitatis cessaret semper nisi iniungeretur sibi contrarium a superiori, quod non peccaret mortaliter, & D. Bonau. in 4. d. 12. p. 2. ar. 2. q. 1. & 2. Gab. lect. 83. in Cano. Caiet. 3. p. q. 82. art. 12. Vict. in Summa de Sacramentis nu. 94 Rich. verò in 4. d. 13. art. 2. q. 2. opinatur delinquere sacerdotem si citra causam legitimam se se a sacrificando, aut semper, aut toto anno contineat, quia accipiens potestatem *D. Bonau. Gabriel. Caiet. Victoria. Richard.*

teltatem

Digitized by Google

testatem ordinatam ad bonum vsum tenetur ea vti loco, & tempore debito, & conuenienti habita opportunitate, maxime cum illius potestatis vsus in vtente actum meliorem non impedit, potestas autem sacerdotalis potestas est ordinata ad optimum vsum, scilicet ad transubstantiandum panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem, & ad rememorandum passionem Christi, & ad intercedendum familiarius, & efficacius apud Deum pro se, & pro populo, neque actum meliorem impedit, imo ad omnes alios bonos actus coadiuuat, auget enim illuminationem in intellectu, feruorem charitatis in affectu, & ideo sacerdos, qui hac potestate loco, & tempore debito, & conuenienti habita opportunitate, & dispositione non vult vti, sed notabiliter negligit peccat, & multum debet timere ne sicut seruus nequi qui abscondit pecuniam Domini sui, & eam ociosam dimisit, a Domino nisi se corrigat iudicetur.

D. Thomas. D. Thom. in 3. p. q. 22. art. 10. & q. 82 art. 10. & clarius in *Durandus.* 4. d. 13. q. 1. art. 2. quæstiun. 1. ad secundum Durand. ibi q. 2. *Sotus.* Sotus q. 1. art. 10. Palud. d. 11. q. 2. maior q. 5. Antoni. 3. p. tit. *Palud.* 13. cap. 16. §. 12 Silu. verbo Missa 1. q. 7. Ange. verbo Missa *Maior.* nu. 44. & Nauar. c. 25. nu. 88. Censent quemlibet sacerdotē *Antoninus.* teneri rigoroso præcepto, & sub peccato mortali ad sacrifi- *Siluester.* candum aliquando, & aliquoties non solum in vita, sed et *Angelus.* in anno, nisi legitimo aliquo impedimento excusetur, nam *Nauar.* in cap. dolentes de celeb. Missarum inter alia peccata quorumdam sacerdotum, quæ ibi recensentur, vnum est, quod vix quater in anno celebrabant, & pœna suspensionis illis imponitur, non propter hoc delictum solum, sed cum alijs, *Conc. Trid.* quæ ibi referuntur, fauet huic sententiæ Conc. Trid. sess. 22. c. 1. dicens. Christum illis verbis. Hoc facite in meam cōmemorationem Apostolis, eorum quæ in sacerdotio succeßoribus, vt offerrent præcipisse, vti semper catholica ecclesia intellexit, & docuit, & can. 2. anathemate ferit negantes Christum illis verbis instituisse Apostolos sacerdotes, vt ipsi, alijq; sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem ipsius. Rursus sess. 23. c. 14. de reformat. præcipit episcopus, vecurent, quod sacerdotes saltem diebus dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant Missas celebrent, quibus verbis non videtur Concilium nouam obligationem imponere sacerdotibus, sed solum monere episcopos, vt curent, quod sacerdotes obligationem suam impleant.

Cæterum rationes pro hac sententia non sunt adeo efficaces, vt res in se dubia non remaneat, nam præceptum præsertim sub peccato mortali asserendum non est sine fundamento, quod moraliter conuincat, hic autem nullum apparet huiusmodi, propter quod nō videtur posse negari, quin prior opinio probabilis sit, ita vt qui se illi practice conformatit a peccato mortali excusari possit, vnde etiam de viris sanctis interdum legimus ab huiusmodi sacrificij celebratione abstinuisse, vt Duran. etiam, & alij referunt.

Posterior tamen opinio, & magis pia est, & securior, & in praxi consulenda, & est magis consentanea rationi, & propterea vix potest sine magno scandalo contrarium fieri & male audiunt sacerdotes, qui numquam sacrificant, & vt minimum existimatur, communiter huiusmodi omissionem diuturnam sacrificij esse signum prauæ conscientiæ, & perditæ viæ, sunt ergo quo ad fieri possit sacerdotes monendi, vt frequenter celebrent, & suadendi contrarium nō esse in conscientia securum.

D. Thomas. Sed quæres quoties teneantur in anno sacrificare ad vi- *Siluester.* tandam culpam S. Thom. Silu. Antoninus, & Angelus lo- *Antoninus.* cis citatis generatim asserunt sacerdotes teneri ad celebra- *Angelus.* dum in diebus festis præcipuis, his præsertim, quibus laici solent sacram communionem accipere, sed non explicant, *Paludanus.* qui sint dies illi festi præcipui. Paludanus numerat quinq; Natalem Domini, Pascha, Pentecosten, & diem B. Virgin. in Cælum assumptæ, & diem sanctis omnibus sacram. So- *Sotus.* tus solum enumerat Natalem Domini, Pascha, & Penteco sten, & expresse addit esse peccatū mortale sacrificium his diebus omittere sine causa, sed hoc videtur in his rigidum, neque posse sufficienter probari, Maior ijs, quos Palu. re- *Maior.* censet adiungit alium diem, eum nempe, quo anniuersaria corporis Dominici celebritas recolitur. Quidam addunt e- *Nauar.* tiam dies B. Virg. & Sanctis Apostolis sacros, Nauar. vbi supra dicit satisfacere sacerdotem huic obligationi ter, vel quater in anno sacrificando, quod videtur satis probabile ex d. c. dolentes, & quia nullo iure, vel ratione sufficiente potest hoc ius, seu præceptum strictius declarari, vnde ego non condemnarem eum, vt læthalis peccati reum, qui ter ad annum sacrificat, siue continuato, siue intertupto tempore si id fit sine scandalo, & contemptu, ratione tamen scandali, officij, & præcepti audiendi Missam, quando alius sacerdos celebraturus non adesset, simplex sacerdos sub pœna peccati mortalis rem sacram facere teneretur.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacerdos debeat, vel possit singulis diebus celebrare.

Svpponendum est primo esse aliquos dies, in quibus sacerdos nec debet, nec potest celebrare. Primus dies est feria quinta Hebdomadæ sanctæ, sunt enim qui existimāt eodem die non licere singulis sacerdotibus Missam dicere, sed solum esse in singulis ecclesijs Missam solemnem ab ecclesiæ Rectore, vel qui eius locum teneat dicendam, in qua alij sacerdotes cum laicis communicent, quod probant ecclesiæ consuetudine, quam colligunt ex eo, quod iuxta ordinem Romanum antiquum, omnes presbyteri, & Diaconi vnusquisque ecclesiæ de manu sui Pastoris communicant in solemni Missa, vt patet ex ordine Romano c. de cœna Domini, & ex Alcuino lib. de diuinis officijs ca. de cana *Alcuinus.* Domini, cuius ratio esse potest; propter repræsentationem Christi Domini, qui eo die primam missam celebrauit, & Apostolos communicauit, atque adeo in huius facti memoriam solus primarius sacerdos celebrat, & reliquis Sacramentum distribuit, hæc tamen cessatio non pendet ex aliquo præcepto, seu prohibitione, siue aliquo expresso iure, atque adeo per se loquendo secluso scandalo existimo licitum esse cui ius sacerdoti eo die sacrificare, quamuis prudens consilium sit secreto, & absque concursu populi propter congruentiam adductam, & vbi consuetudine receptū est, vt in singulis ecclesijs vnum tantum publicum, & solēne sacrificium fiat, & consuetudo recepta seruari debet, nec permittendum, vt sacerdos priuatim immolet, oportet enim consuetudines moribus vtentium comprobatas obseruare, nec est, cur dicamus eas per errorem, & ignorantiam esse introductas, aut pie tantum, & non in modum legis esse seruandas, quicquid in contrarium dicant Sotus in 4. d. *Sotus.* 13. q. 2. art. 2. & Nauar. c. 25. nu. 88. *Nauar.*

Secundus dies est Parasceuen, seu feria 6. maioris Hebdomadæ, quo diecertum est ecclesiastico iure esse prohibitum sacerdotibus offerre sacrificium, quod ius Innoc. 1. de- *Innocent.* clarauit epist. 1. ad Decentium c. 4. & habetur in c. Sabatho de consec. d. 3. vbi æqualiter sermo est de Sabatho Sancto, & de feria 6. & quidem de feria 6. omnes Authores sine controuersia ita docent, & decretum illud vim suam retinet, & omnes qui scribunt de diuinis officijs referunt hanc esse antiquissimam traditionem, qua non solum priuata sacrificia, sed etiam solemne, & publicum ommitti consueuit nam officium illius diei non est sacrificium, ac proinde So- *Sotus.* tus, & Nauar. locis citatis docent læthale peccatum admit- *Nauar.* tere sacerdotem sacrificantem in die Parasceues, quia generalem totius ecclesiæ consuetudinem, quæ est habenda pro lege perstringit, sed nota, quod non est absolute dicendum officium illud 6. feriæ, quod ecclesia celebrat non esse sacrificium, nam licet non fiat tunc consecratio, fit tamen sacrificium ex præconsecratis, sed de hoc erit sermo infra cum agemus de Missæ sacrificio.

Tertius dies est Sabathi sancti, in quo prohibetur sacrā facere c. Sabatho de consed. 3. vbi habetur, quod traditio ecclesiæ habet isto biduo sacramenta pænitus non celebrari, & loquitur de biduo, quod proxime Pascha antecedit vide licet de die Parasceues, & Sabatho sancto, nec obstat cōsuetudo quam contrariam in Sabatho sancto videmus, quia Missa, quæ nunc in illo dicitur non est eiusdem diei, sed noctis Resurrectionis, vt dicit Glossa recepta in c. vi sum, iuf. *Glossa.* eadem, & plenius Glossa sing. c. quod a patribus d. 78. & vt significat collecta, quæ incipit Deus qui hanc sacratissimam noctem, tum quia cœtus ille Paschalis, qui ad eam solemniter dicendam incenditur eam noctu dicendam significat. Illud enim solemne sacrificium, quod in singulis ecclesijs Sabatho sancto fit, & offertur, olim fieri solebat appatente iam nocte Paschatis propterea, quod ecclesiastica officia eo die fere ad noctem vsq; proferri solebant, quibus

expletis

expletis publicum succedebat missæ sacrificium; hoc enim dicitur in libello, qui vocatur ordo Romanus in rubrica de ordine in nocte, & in die Sabbati Sancti, & idem legimus in Alcuino in libello de diuinis officiis cap. de Sabbato Sancto. Procedente verò tempore introductus est mos, quo publicum sacrificium hora sexta, aut paulo ante meridiem celebratur, sed dubium est an Sabbato Sācto liceat cuiq; sacerdoti priuatim missæ sacrificium facere. *[So]tus.* Sotus in 4.d.13.quæst.2.art.2.scripsit eo die ius esse sacerdotibus priuatim immolandi, quia sicut vsu introductum est, vt fiat sacrificium publicum, & solemne, sic etiam tuta conscientia sacerdos potest priuatim sacrificare. *[Na]uar. [Fr]ancolin.* At Nauar. in Man. cap.25.num.88.& Francolinus tractatu de horis canonicis, cap.30 num.2.& 9.negant fas esse sacerdoti eo die priuatim sacrificium offerre, quia vsu receptum non est, nisi vt vnū tantum sacrificium eo die fiat in singulis Ecclesiis publicū, & solemne. Item quia nullus est ad missam priuatam introitus, cum tamen in vigilia Pentecostes sit peculiaris ad missam priuatam introitus. Et certe mihi sententia Soti non placet, est enim consuetudo moribus vtentium comprobata, ne eo die Sacerdotes priuatim sacrificent, & cap. Sabbato de consec. d.3. habetur traditionem esse Ecclesiæ, vt biduo Sacramenta pænitus non celebrentur, sed consuetudo introduxit, vt in singulis Ecclesiis vnum tantum sacrificium publicum, & solemne fiat, ergo priuatim sacrificia fieri non debent, nam seruandum ius est ex ea parte, qua non est abrogatum, insuper non est cur vnus sacerdos non consentiat cum aliis, qui a sacrificando cessant, nō est cur consuetudinem receptam non seruet, non est cur alios offendat?

Sed quid si iusta subsit causa, nimirum quia multi sunt, qui commode eo die sacrificio publico, & solemni interesse non possunt? dico, quod superior potest facultatem concedere, vt vnus sacerdos priuatim sacrificet in vno Sacello secreto, sed fas non esse sacerdoti priuata autoritate id facere, atque idem dicendum est, si in die Sabbati Sancti incidat dies festus, & sacer Annunciationis Beatæ Virg. vt sæpe contingit, nec etiam tunc potest sacerdos sacrum priuatim facere sine superioris consensu, cuius est videre, an expediat id concedere.

[1. C]onclusio His diebus exceptis dico primo stando in solo iure diuino, nec singulis sacerdotibus, nec singulis Ecclesiis, nec toti Ecclesiæ præceptum est, neque etiam prohibitum quotidie sacrificare, & in hoc conueniunt omnes Theologi, quia nullibi extat talis determinatio temporis iure diuino facta, & in die Parasceues omnino omittitur hoc sacrificium, vt dictum est, & idem fiebat olim in Sabbato Sancto.

[2. C]onclusio Dico secundo. In singulis Ecclesiis cathedralibus, Parochialibus, & conuentualibus, debet quotidie sacrificium Missæ offerri si conueniens sit, seu mediocris Sacerdotum numerus, atque ita fiet, vt in vniuersa Ecclesia non solum vnum, vel aliud, sed quam plurima sacrificia quotidie offerantur, ita docent communiter Doctores, & insinuatur in c. Cum creatura de celebratione Missarum, & patet ex Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet, cuius signum etiam est, quia si absque sufficienti causa omittatur, non fiet sine graui scandalo fidelium, vel forte non sine peccato mortali, & certe non sine graui culpa. Cæterum hæc obligatio pertinet ad Rectores Ecclesiarum, nam licet ipsi non teneantur per se quotidie celebrare, tenentur tamen curare, vt non omnino desit in sua Ecclesia sacrificium, hoc est enim vnū ex muneribus propter, quod a fidelibus aluntur.

[3. Co]nclusio Dico tertio, singuli sacerdotes nec iure diuino, nec Ecclesiastico tenentur quotidie celebrare per se loquendo, tum quia nullibi extat tale ius, tum quia multi sacerdotes pij, & timorati interdum aliquo, vel aliquibus diebus sacrificium intermittunt, imo aliqui etiam hoc consulunt ob maiorem sacrificii reuerentiam, nec est instantia de sacerdote Parochiali, tum quia satisfaciet Parochus suæ obligationi si curet in sua Parochia per alium sacrificium fieri, tum etiam, quia si solus ipse sit, non est cogendus omnino sacrificare quotidie, quia esset nimis rigida, & onerosa obligatio, quamuis teneatur frequenter id præstare, imò & regulariter non omittere absque aliqua causa.

[4. Con]clusio Dico quarto, per se loquendo, & seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ non solum esse licitum sacerdoti quotidie sacrificare, verum etiam ex se melius, magisq; consulendū est. Conclusio est certa, & communis omnium Theologorum, per hoc tamen non intendimus negare, quo minus ex reuerentia, & timore aliquo die interdum hoc munus intermittere possit, esse & bonum, & vtile, & alicui fortasse consulendum iuxta diuersas personarum conditiones, & varias Spiritus sancti gratiarum diuisiones.

ARTICVLVS III.

Vtrum liceat sacerdoti amplius quam semel in die eodem sacrificare.

SVpponendum est hic nullum sacerdotem posse vllā missam dicere nisi sit ieiunus, vt late supra ostensum est. d. 8.q.3. quod de sacrificante adeo verum est, vt is, qui vinum, vel aquam, quæ ad purificandum calicem infundi solent, acceperit, non potest aliam missam dicere, vt præscribit Innoc.3.in c.ex parte de celebrat. missarum. *Innocent.*

Secundo supponendum est, dupliciter posse sacerdotem bis sacrificare, primo ex directa, & præconcepta intentione, nimirum, quia cum vnam missam dicit habet animum dicendi aliam. secundo ex subsequente tantum voluntate ob repente natam occasionem, vel nouam rationem consideratam post dictam primam missam, hoc posteriori modo moraliter loquendo non potest casus accidere, in quo post vnam missam liceat aliam dicere, quia quandocunque sacerdos celebrat absq; animo iterum celebrandi sumit calicis purificationem, non ergo potest iterum celebrare.

His suppositis dico primo in cap. sufficit de cons. d.1.ex Alex. referre Gratianum hæc verba. sufficit sacerdoti vnam missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est. Non modica res est vnam missam facere, & valde felix est qui vnam digne celebrare potest. quidam tamē pro Defunctis vnā faciunt, & alterā de die si necesse fuerit. Qui verò pro pecuniis, & adulationibus secularium vna die plures facere missas præsumunt nō existimo euadere damnationē. sic ibi. Item in c. Consuluisti de celebrat. missarum ita legimus. Excepto die Natiuitatis Domini, & nisi causa necessitatis suadeat sufficit sacerdoti semel in die vnam missam solummodo celebrare. Idem habetur in c. te referente de celebratione missarum, vbi sic legitur. Cum cuilibet sacerdoti, quicumque dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare missam sufficiat, nam & valde est fælix, qui celebrat dignè vnam, fraternitati tuæ mandamus, quatenus die cænę Domini in Ecclesia Sipontina duntaxat, in qua teneris chrisma conficere missarum studeas solemnia celebrare. Vualfridus in lib. de rebus ecclesiasticis cap. 21. scribit fidelium relatione virorum in nostram vsq; peruenit notitiā Leonem Papam sicut ipse fatebatur vna die septies, vel nouies missarum solemnia sæpius celebrasse, Bonifacium verò Archiepiscopū semel tantum per diem missas fecisse. hæc ille. Dur. in rationali diuinorū officiorū li.4.c.1.inquit, Legimus Leon. Papā septies, & nouies aliqn̄ in eadē die sacrificāsse. *1. Conclusio* *Vualfrid.* *Durand.*

2. Conclusio Dico secundo, ab hac lege de vna tantum missa celebranda, Docto. septem, vel octo tempora excipere, in quib. amplius quam semel licet sacerdotibus immolare, nempe Natalem Domini, quo die Thelesphori decreto ter missæ sacrificium fit c. nocte de cons. d.1. secundo ad sepeliendū mortuū, qui post sacrificiū expletum repente defertur in templū, in quo mortuus sine missæ sacrificio de more minime sepelitur. tertio cum opus est ægroto Sacrum viaticū porrigere, quia Eucharistia consecrata non extat. quarto ad Peregrinos excipiendos, quos rem diuinā audire oportet, cū in diebus festis aduenerint. quinto ad nuptias solemni ritu in templo faciendas, qui ritus sine missæ sacrificio non fit. sexto quando insignis, & Illustris vir aliquis ad ædem sacram accedit, qualis est Episcopus, Rex, vel alius Princeps, quem quotidie rem diuinam audire decet. septimo si eodē die occurrat duplex officium. v. g. vnum de festo, & aliud de Vigilia, vel rogationibus. octauo cum duabus Ecclesiis parochialibus, quæ vicinæ, & pauperes sunt, ob paucitatē sacerdotum vnus tantum presbyter præficitur, qui vicariū habere non pōt, & opus est in vtraq; vt missæ sacrificiū fiat, vt colligit̄ ex c.q. plures 21.q.1.c. vnico, & 10.q.3. c. Dudū,

Hos casus enumerat Palud. in 4.d.12.q.1 art.4. quem sequitur Antoninus p.3.tit.13.cap.6.§.4.& 5. Turrecrem. in d. cap. sufficit, Durand. in Ration. in libro quarto, capitulo 1. Nauar. in Manu. cap.25.87. Addit Durandus lib. secundo, de ritibus Ecclesiasticis capitulo 7. ex Leone Papa epist.87. *Palud. Antonin. Turrecrem. Durand.*

ad Dioscor. si ob solemnem festiuitatem tam numerosus est populi conuentus, vt vna Basilica eum capere non possit, tunc sacrificij oblatio iterari potest ab vno sacerdote si alij desint, ne hi tantum, qui primi aduenerunt ad sacrificium recipi videantur, & cæteri excludi, & hic casus est valde probabilis, quamuis Leo non loquatur aperte de eodem sacerdote. Verum vt Sotus annotauit, hæc olim erant in vsu recepta cum pauci, ac rari essent Sacerdotes, modo verò in dissuetudinem abiere ob multitudinem sacerdotum, primum tamen & vltimum adhuc vsu retinentur, & vbi pauci essent sacerdotes, possent etiam cetera seruari, presertim Episcopi consilio.

Obseruandum est tamen, quod in c. Nocte sancta, Thelesphorus nihil dicit de numero Missarum, sed tantum dicit ea nocte licere missam facere ante diem, & hymnũ Gloria in excelsis decantare, quia illum eadem nocte Angeli cecinerunt, neque de hoc numero scriptum aliquod decretum inuenio, imo neq; Innoc. illum ponit, sed absolute dicit excepto Natiuitatis die, vnde videtur id supponere ex consuetudine Ecclesiæ, cuius rei causas, & mysteria explicat D. Thom. in 3. p. qu. 83. art. 2. ad secundum, s. vt per tres

D. Thomas.

missas triplex Christi Natiuitas indicetur, s. æterna, ac diuina, temporalis, & humana, & spiritualis, qua oritur tamquam Lucifer in cordibus nostris. Glossa verò in d. c. sufficit de cons. d. 1. & in cap. Consuluisti de celeb. Missarum dicit, per has tres missas significari tres status hominum, ante legem, sub lege, & post legem, siue in lege gratiæ. Secundo obseruandum est, quod si verba legis consideremus, quæ causam necessariam postulant, secundus, 3. 4. & 5. casus vix possunt venire in vsum, nam secundus locum non habet, supponit enim casu accidisse occasionem pro mortuis sacrificandi, & cum non fuerit mortui sepultura a sacerdote celebrante præuisa, non abstinuit celebrans a purificatione sumenda, & si eam præuidit non debuit prius sacrificare, sed expectare tempus, in quo illi necessitati satisfaceret, quia quandocumque potest sacerdos differendo paululum tempus sacrificãdi vna missa occurrere pluribus necessitatibus, non est cur sumat sibi licentiam bis sacrificandi.

Glossa.

Idem dicẽdum est in tertio casu, & similiter de 4. 5. & 6. in quo adhuc leuior causa ponitur, quæ re uera per se non sufficit ad iterandum sacrificium, vt cum Turrecremata notauit Durand. quia illa non est vera necessitas, quod enim inconueniens est si Episcopus, vel alia persona nobilis missam non audiat, quia nullus adest sacerdos, qui iure possit illam dicere? Septimus vero casus aliquando habebit locũ, vt v. g. si sit dies Paschæ solemnis, vel similis festiuitas, & in eo oporteat dicere missam pro defunctis, tunc si vnus tantũ sit sacerdos erit sufficiens ratio, vt rursus missam diei post missam Defunctorum dicat, quia nullus potest esse casus necessitatis moralis, in quo magis hoc liceat, quam in prædicto, & Alex. Papa dicit in casu necessitatis licere vnã missam diei dicere, & aliam de Defunctis. Vltimus verò casus de pluribus Parochijs est proprius, & fere solus in vsu, quo casu non tantum duas, sed etiam tres missas dici possent, si eadem esset proportionalis necessitas, quicquid dicat Glossa in d. ca. sufficit, quæ sine causa, inquit, bis missam dicere interdum licere, ter verò nequaquam, nam iura indifferenter loquuntur de pluralitate.

Sed esto, quod sacerdos habens plures Parochias feria quinta cænę Domini in singulis Sacramentũ in monumento reponat, quomodo in feria 6. vtrumque consumet, cum feria 6. non consecret sanguinem, sed sumit vinum cũ particula hostiæ consecratæ in illo immissa, vnde fit vt non maneat ieiunus ad consumendum Sacramentum in alia Parochia, quid ergo faciet? non est enim dicẽdum, quod post vini sumptionem in secundo communicet, quia hoc est cõtra ius commune, & nulla authoritate, aut consuetudine nititur. Dico, quod si sacerdos sit solus, & adiutorẽ non habeat, eo die solum in vna Parochia principaliori monumentum erigere, & officium illius diei perficere, neque propterea alia Ecclesia pateretur graue aliquod incommodum, nam facile possunt illo die omnes Parochiani ad vnam Ecclesiam principaliorem conuenire.

Notabile dubium.

Solutio.

Sed quid si prius non præuidit sacerdos impedimentũ, & in vtroq; loco Sacramentum reposuit in monumento, et postea cognita difficultate perplexus est? Dico, si nondum peregit officium in altera Parochia posset non sumere vinum in priori officio, neq; illud in calicem mittere, sed solam particulam hostiæ, quia illa ceremonia non est adeo essentialis, si autem iam sumpsit vinum in altera Parochia, non peraget officium, sed recondat Sacramentum in sacrario.

Quæres, an vbi nunc sunt rari sacerdotes liceat presbytero bis in eodem die sacrificare, vt in Anglia, vbi vix sacerdotes catholicos reperias? Respondeo cum Naua. licere, nã in cap. Consuluisti de celeb. Missarum excipitur necessitas, sed hæc merito iudicatur raritas sacerdotum, & Glossa ibi. ait necessitatem esse vtilitatem non solum sacrificium facientis, sed etiam personarum rem diuinam audientium, et Abbas ibi docet necessitatem boni viri arbitrio iudicandã, & quando aliquid absolute, & simpliciter, & non certo, ac definite Canones, vel leges constituunt, definitio arbitrio boni viri relinquitur l. 1. ff. de iur. delib. & cap. de causis de officio Iudicis deleg.

Naua.

Glossa.

Abbas.

ARTICVLVS IV.

Vtrum debeat obseruari tempus celebrationis Missæ.

SVpponendum primo, quod duplex est Missa, quædam est Missa conuentualis, seu popularis, quæ tamquã principale diei officium in conuentu totius populi, seu Parochianorum diebus singulis celebratur, quæ & Parocchialis missa, solemnis, publica, vel summa quandoque appellatur: alia est missa priuata, peculiaris, vel votiua, quæ a sacerdotibus ex speciali institutione, beneficio, vel deuotione nõ sic pro toto Populo celebratur: de primis habetur c. vt Dominicis de Parocchijs, de secundis habetur in cap. quidam Laicorum de celeb. missarum, & de vtrisq; loquitur D. Au. in c. & hoc, de cons. d. 1. vbi legitur. Et hoc attendẽdum est, vt missæ peculiares, quæ per dies solemnes a sacerdotibus fiunt, nõ ita in publico fiant, vt propter eas populus a publicis missarum solemnijs, quæ hora tertia canonicè fiunt abstrahantur, & infra, sed sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eadem vrbe sunt, & populus in vnum ad missarum publicam celebrationem conueniant exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum nõ egredi, sed claustris monasterij contineri.

D. Aug.

Secundo supponendum est, diem naturalem, in quo tantum semel sacrificare licet, a media nocte vsque ad mediam noctem computandum esse, vt constat ex Ecclesiæ consuetudine, & ex præcepto ieiunij. Tertio supponendum est vt certum ex eadem Ecclesiæ consuetudine, & ex iuribus infra citandis, non omnes partes huius diei naturalis esse indifferentes, seu libere permissas ad sacrificandum, quia ex se, ac regulariter loquendo, neque nocturno, neque etiam toto vespertino tempore licitum est missam dicere, atque adeo oportet huius diei naturalis duo tempora designare, intra quę debeant missæ principiari, vel finiri, alterum ante quod non liceat, & alterum post quod similiter non liceat celebrare.

His suppositis dico, quod initium auroræ est terminus, ante quem regulariter non licet missam inchoari, ita docet Ale. de Ales p. 4. q. 10. m. 5. art. 2. §. 2. & D. Thom. p. 3. q. 83. art. 2. ad quartum, & in 4. d. 13. q. 1. art. 2. & Doct. hic, & reliqui Theologi, D. Antoninus 3. p. t. 13. c. 6. §. 4. Gab. Lec. 14. in cano. & omnes Summistæ verbo missa, & loquendo de missis solemnibus dicitur, quod tribus horis institutę sunt, scilicet ab hora tertia in diebus festiuis, sexta in diebus profestis, & nona in diebus ieiuniorum, de cons. d. 1. ca. Nocte sancta Natiuitatis, vbi dicitur. Reliquis verò temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia in eadem hora & Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus legitur descendisse. Item in c. solent eadem d. innuitur, quod tempore ieiuniorum missa hora nona celebrari debet, ratio assignatur ab Alex. vbi supra, & Rich. in hac d. art. 2. q. 3. quia in missa recolitur mors Christi, quia hora tertia crucifixus est linguis Iudæorum clamantium, Crucifige, Crucifige eum, Hora sexta manibus militum, vel gentilium fuit in cruce immolatus, & hora nona expirauit.

1. Concl.

Ale. de

D. Th.

Scotus

D. An.

Gabr.

Ri.

In ieiunijs verò quatuor temporum, dum ordinationes celebrantur, potest missa post nonam circa horam vespertinam cantari, de cons. d. 1. c. solent, & c. quod a patribus, & c. ordinationes d. 75. In Sabbato autem sancto Paschæ circa noctis initium, vt in cap. solent §. in ieiunijs, incipit autem

noctis

noctis initium in vespera, quæ est extrema pars diei, id est, vltima, vltima autem pars diei incipit statim post horam nonam transacto meridie, & hoc secundum modum loquẽdi Philosophorum, qui dicunt, quod quælibet pars continui minor medietate pertingens vsque ad vltimum eius punctum est eius vltima pars, sic in proposito pars diei designata post meridiem, id est, post medietatem diei potest dici pars eius vltima, quamuis non secundum vsualem loquendi modum, & pro quanto est vltima pars diei potest vocari sequentis noctis initium. Verum illa pars diei Sabbati cum nocte sequente communitet ad diem Sanctissimum Paschæ computatur, vnde dicitur in oratione, Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, similia dicuntur in benedictione cerei Paschalis, hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis Christus ab inferis victor ascendit. Suarez autem dicit, quod officium Missæ in Sabbato Sancto incipiebat circa noctis principium, scilicet quo ad Prophetias, & alias cæremonias, quæ illa nocte fiebant ante Missam, cæterum missa ipsa non inchoabatur ante dimidiam noctem, quia neque Christus Dominus ante resurrexit, sed hoc sine vllo fundamento dicit, quia in cap. solent de consf. d. 1. & in ca. quod a patribus, & in c. vltimo ordinationes d. 75. & in Glossa dicitur expresse Missam illam solitam dici circa noctis initium.

Suarez.

Cæterum hi Canones de Sabbato Sãcto Paschæ, & quatuor temporibus quantum ad horas diei abrogati sunt per contrariam consuetudinem, quoniam neque in vrbe, neq; in capella Papæ præsente Summo Pontifice officium differtur vsq; ad vesperas, vel vsq; ad initium noctis, sed vsq; ad meridiem terminatur, licet seruetur quantum ad horas canonicas persoluendas, nam in Sabbato Sancto Paschę omnes horæ minores leguntur ante officium Missæ, & vesperæ includuntur Missæ officio, & eadem oratione, quæ complenda dicitur Missæ, & vesperæ simul cõcluduntur. Sic in quadragesima nonæ ante Missam leguntur, & vespere statim post Missam ante meridiem dicuntur, & hora refectionis vltra meridiem non differtur.

2. Conclusio Scotus. Dico secundo, quod Missæ priuatæ, vt inquit hic Doct. possunt celebrari a principio diei vsque ad nonam, communis enim sententia recepta est, vt fiant ante solis ortum incunte aurora, quoniam ipsa aurora ad diem ciuilem, quẽ vocant artificialem pertinet, per auroram autem non est intelligendus ortus solis, id est, ascensus corporis solaris super visibilem orizontem, sed initium crepusculi diei, seu primæ lucis irradiationis, vt docet Ric. vbi supra, & Doct. hic incipit autem auroræ principium, inquit Doct. secundũ Authores in li. de crepusculis, quando sol est sub horizonte ad 10. vel 9. gradus, quorum ascensus non continet spacium vltra medietatem horæ æqualis, & quintam vnius horæ, ex quo infertur licitum esse inchoare Missam vna hora, & quinta parte alterius ante ortum solis, & iste est terminus celebrandi tunc, & non ante, et si alicui ad rem moralem tam subtilis mathematica mensura non placet, obseruet non esse peccatum hora, & dimidia ante ortum solis sacrificate, imo addit Palud. supra q. 2. & clarius Victoria in summa nu. 97. posse licite inchoari Missam dimidia hora ante crepusculum, ita vt finis Missæ sit sub initiũ crepusculi plus, minusue, & hoc est in praxi seruandum. Et hęc sunt certa quantum ad ius commune.

Richard. Scotus.

Paludan. Victoria.

Ex priuilegio tamen aliquibus concessum est, vt vna, vel duabus horis ante auroram celebrare possint. Quæ priuilegia semper sunt intelligenda secundum anticipationem totius temporis in priuilegio cõcessi ad totum tempus illud, in quo sine priuilegio potest missa legitimè dici, itaq; si priuilegium concedit vnius horę anticipationem, poterit missa inchoari tribus horis ante ortum solis, cum sine priuilegio possit inchoari duabus horis ante solem. Fratres Mendicantes, & cæteri religiosi, & monachi fere omnes priuilegium Pontificum impetrarunt, vt sacerdotes superiorum consensu sacrificare tuto queant vna hora ante auroram, & vnam item post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, Sixtus IV. concessit facultatem nobis fratribus minoribus obser. vt causa necessitatis possimus ante, & post horam statutam ab Ecclesia missas celebrare. Inno. VIII. concessit Fratribus instituti Augustiniani, vt expleto matutinali officio etiam ante auroram possint missarum solemnia facere. Leo X. concessit nobis Fratribus minoribus de obs. vt consensu superiorum (quorum conscientijs remittit, quomodo Fratres debeant vti hoc priuilegio) possimus celebrare statim post matutinum officium, & post meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda missa præceptum, quando fratres debent iter facere, siue quãdo ex itinere veniunt, & non possunt ante meridiem ad locum peruenire, vbi possint commodè celebrare, vel audire Missam.

Cæterum Nauar. in manu. cap. 25. num. 85. ait, videntur Priuilegia Sixti IV. Innoc. VIII. & Leonis X. de dicenda Missa ante horam legitimam sublata per decretum Concilij Tridentini, quod sess. 22. cap. de obser. & euitan. in cele. Missæ, prohibet ne Sacerdotes alijs horis, quam debitis Missas celebrent, idem dicit Frater Emanuel Rodriquez in explicatione Bullæ cruciatæ §. 9. num. 31. & §. 23. nu. 8. Pius Quintus in constitutione 218. in bullario Quæ incipit, Quo primum tempore, sic ait. Neue Præsules, Administratores, Canonici, Capellani, & alij quocumque nomine nuncupati presbyteri sæculares, aut regulares cuiuslibet ordinis ad missam, aliter quam a nobis statutum est celebrandam teneantur. Declaratio Cardinalium sess. 22. super decretum Concilij Tridentini sic habet. Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet etiam vigore priuilegiorum a Sede Apostolica ante Conc. Trid. concessorum. Placuit confirmare facultatem Florentiæ confraternitati S. Francisci, & Sanctæ Mariæ Magd. celebrandi Missam ante lucem, sed ita vt missa non incipiatur nisi duabus horis ante solis ortum. Sic ibi. Vide Rodriquez, Tomo. 1. qq. Reg. q. 43. art. 2. & 3.

Nauar.

Obseruandum est tamen, quod Grego. XIII. anno 2. sui Pontificatus concessit Congregationi Sanctæ Iustinæ dum in itinere fuerint constituti posse missam celebrare ante auroram, & post mediam noctem, & hoc viuæ vocis oraculo facto Illustrissimo Alexandro Farnesio Cardinali illius ordinis Protectori, vt refertur in Compendio Priuilegiorum Sancti Hieronymi fol. 50. Eamdem concessionẽ fecerat, & pleniorem Pius Quintus Societati Iesu, vt refertur in eius compendio Priuilegiorum in verbo Missa §. 3. quia illis addidit, quod possint celebrare per horam ante auroram, & infra horam post meridiem causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Ex quo sequitur, quod possunt Fratres celebrare secundum vsum Sancti Frãcisci, & Sanctæ Mariæ Magd. Confraternitatum a sacra Card. congregatione approbatum, nempe duobus horis ante solis ortum, & etiam iuxta concessionem factam Congregationi S. Iustinæ, & societati Iesu per priuilegiorum communicationem.

Quo ad tempus, post quod missam celebrare non licet, dico quod tempus legitimum, intra quod debent missæ absolui, & inchoari est ante meridiem, ita vt ante hoc tempus debeant per se loquendo missæ inchoari, vt legitimè dicantur, terminus enim celebrationis est hora nona exclusiue, adeo quod debet missa inchoari ante horam nonam, vt colligitur ex consuetudine Ecclesiarum, qui terminus maxime attingitur in diebus ieiuniorum, quando regulariter in Ecclesiis collegiatis consueuit circa horam nonam missa de ieiunio celebrari, & hæc est magis recepta sententia, quam docet hic Doct. & Gab. in lect. 14. in cano. Maior in 4. dist. 13. q. 4. Soto ibi. q. 2. artic. 2. & libro decimo, de iustitia quæst. 5. artic. quarto, & potest confirmari ex rubricis Missalis, vbi dicitur Missas priuatas dicendas esse ab aurora vsque ad meridiem, & Conc. Trident. sess. 22. vbi supra præcepit ne sacerdotes, alijs quam statutis horis celebrent, sed prædictum tempus est iam statutum in missali, ergo non licet illud præterire, quapropter communis est omnium sententia sacrificare post meridiem iure, aut consuetudine esse prohibitum, eo quod incruentum sacrificiũ est commemoratio illius cruenti, quod est oblatum in cruce, at Christus, vt ex euangelica historia cõstat, fere ad horam nonam in cruce spiritum emisit, & ad horam sextam est in cruce sublatus, deinde post meridiem non nisi Romanorum Pontificum priuilegijs immolare solet, at si iure post meridiem sacrificari liceret, vanum, & inane esset Pontificis priuilegium, non enim priuilegia dantur ad faciendum id, quod facere communi iure possumus, & confirmatur ex eo, quod Episcopi grauiter puniunt eos Sacerdotes, qui post meridiem Missam dicunt. Est ergo hoc per se loquendo sub præcepto, licet Nauar. in Manu. capitulo 25. nu. 85.

Scotus. Gabriel. Maior. Sotus.

Conc. Trid.

Nauar.

num.85. & lib. de orat. c. 25. num. 31. dicat licere Missam dicere per totam horam nonã diei vsq; ad tertiam horã post meridiem, cuius fundamentum est, quia hoc licuit olim in ecclesia, & hora nona erat aptissima, quia in illa passus est Christus, tum quia nullus extat in iure Canon, quo prohibeamur post meridiem ad horam nonam sacrum facere, tũ etiam, quia in diebus ieiuniorum olim sacrificia fiebant ad horam nonam, demum, quia priuilegia pontificia (inquit ille) solita concedi ad sacrificandum post meridiem, solum ad deponendos animi scrupulos valeat.

Hanc sententiam multis argumentis, & verbis confutat Francolinus in tractatu de temp. hor. cano. c. 41. eo quod sit noua, & singularis hac in parte Nauar. sententia, & quia pugnat cum communi omnium opinione, & cum generali totius ecclesiæ consuetudine, sed hæc omnia fatetur Nauar. quia solum ipse contendit in primis iure communi non prohiberi sacerdotes post meridiem sacrificare, sed solum generali consuetudine recepta, deinde contra consuetudinem non peccare eum, qui post meridiem quidem, sed vsque ad horam nonam sacrificat ex rationabili aliqua causa, & remoto scandalo, vt si quis iter faciens ad oppidum post meridiem ante horam nonam perueniret, & missæ sacrificium faceret, aut si concio facta, vel publica processio duraret vsq; ad meridiem, & certe meo iudicio non caret probabilitate Nauar. sententia. *Francolinus.*

Et in praxi quidem seruarem si in aliquo festo solemni missa publica, & concio non finiantur vsq; ad vnam, vel duas horas post meridiem, nam tunc posset missa priuata inchoari post finitum solemne officium, maxime ne aliqua pars populi missa priuetur, iuxta doctrinam Leonis Papæ dicta epist. 81. ad Diosc. c. 2. Idemque permitti potest si ratione itineris occurrat necessitas celebrãdi in die festo paulo post meridiem, dummodo vnius horæ tempus non excedatur, quod significauit Soto supra, & fauet consuetudo, imo, & regula Missalis, in qua non sine causa additur illa particula communiter, ac etiam quia res morales, quando non sunt omnino per legem declaratæ, ac limitatæ non possunt indiuisibiliter definiri, præsertim quia hæc res non est tam grauis, vel necessaria ad honestatem, vt intercedente rationabili causa non possit prædicto modo ampliari. Vide Rodotiquez vbi supra. *Sotus.*

Et si quæras, an a prædicta regula facienda sit aliqua exceptio, dico ex priuilegio certum est posse fieri, & de facto fieri ab aliquibus religiosis, & alijs personis. Idem existimo posse Episcopum in hoc dispensare ex rationabili causa, nam sicut potest episcopus dispensare quo ad temporis anticipationem, vt. s. fiat sacrum ante prædictum tempus auroræ, vt omnes Authores affirmant, ita eadem ratione poterit dispensare, vt fiat missa post meridiem, quia non videtur esse maior ratio de temporis anticipatione, quam de postpositione, in neutro autem casu existimo posse episcopum concedere priuilegium generale, hoc enim proprium est Summi Pontificis propter supremam potestatem, sed potest tantum in particulari casu dispensare ex rationabili causa occurrente. Priuilegio Summi Pontificis cõcessum esse ait Nicolaus Aurificus in opusculo de cæremonijs missæ ca. 11. ad finem, vt Venetijs in templo S. Marci prima Missa Natalis Domini celebretur prima hora illius noctis, & eodem teste Senis in templo Fratrum ordinis seruorum singulis annis hora, qua vespertinæ preces, decantari solent missa in Sabbato Sancto concessu Summi Pontificis celebratur, sed hæc priuilegia abrogata sunt auctoritate Pij Quinti in constitutione, quæ habetur quinto loco inter constitutiones eius. *Nicolaus.*

Iure autem ordinario nulla videtur esse exceptio facienda, de qua certo constet iuxta præsentem ecclesiæ consuetudinem, consuetudo quidem erat iam in diebus ieiuniorum præsertim quatuor temporum, & in Sabbato Sancto missis celebrandi post nonam horam diei, 1. in 4. & postrema diei parte, vt colligitur ex c. Solent de cons. d. 1. & cap. Quod a Patribus, & c. vltimo d. 75. & Nauar. præsertim de Missis solemnibus lib. de oratione c. 5. nu. 42. sentit licitum esse antiquam consuetudinem renouare. Cæterũ existimo iam illos ritus fuisse omnino abrogatos, atque adeo non licere etiam illis diebus Missæ sacrificium, etiam si ordinationes sint faciendæ, vel officium Sabbati Sancti sit dicendum, vespertina hora illud inchoare, præsertim post prohibitionem Pij V. de qua supra. *Nauar.*

His omnibus addit Doct. quod circumstantiam istam tẽporis concomitatur quoddam necessarium ad faciendum tractum temporis in ordinata celebratione missæ quacumque hora diei artificialis har. s. legere introitum, & orationes, & Epistolam sicut in missalibus secundum vsum Ecclesiæ Romanæ notatur, sine quibus præmissis nullus ordinate conficit nec forte absolutè quis conficit, vt supra tactum est d. 8. q. 2. nisi præmitteret ad minus illa verba, per quæ significaret se proferre verba consecrationis in persona Christi, non in persona sacerdotis, sed quomodo intelligendum sit fuit a nobis explicatum loco citato. *Scotus.*

ARTICVLVS V.

Vtrum ad Missæ sacrificia requirantur duo, vt nimirum qui præsentes adsint, & respondere queant.

QVæstio hæc mouetur propter id, quod habetur in cap. Hoc quoq; de cons. d. 1. vbi ex Sotere Pontifice statutum est. Nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat nisi duobus præsentibus sibiq; respondentibus, & ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, & illud in secretis Orate Fratres aptissime conuenit, vt ipsius salutationi respondeatur. Idẽ præcepisse Anacletum percipi potest ex eius epist. 1. vbi de sacerdotibus agens sic inquit. Ipsi quando Domino sacrificant non soli hoc agere debent, sed testes secũ adhibeant, vt Domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis probentur, & postea de episcopo addit, vt plures testes adhibeat, quã alius sacerdos, vt refertur ẽt in c. episcopus de cõs. d. 1.

Hugo huiusmodi decreto permotus duos sensit oportere præsentes adesse in Missæ sacrificio. Vualfridius Strabo lib. de rebus ecclesiasticis illam dicit esse legitimam missã, in qua adsunt sacerdos, respondens, offerentes, & communicantes, cum sæpe canon faciat mentionem plurium offerentium, & circumstantium, imo, & communicantium, vt patet ex illis verbis, quæ dicuntur peracto memento, & omnium circumstantium &c. & ex illis, vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus omni benedictione cælesti, & gratia repleamur, & ex illis nobis quoque peccatoribus &c. *Hugo* *Vualfridus*

In oppositum est ecclesię consuetudo, qua receptum est, vt sæpe Missæ dicantur vno tantũ assistente, & respõdente.

De hac re possunt esse duæ extremæ sententiæ. Prima vt requirantur saltem præter celebrantem ad minus duo astãtes, quæ videtur fuisse opinio Vualfridij Strabonis loco supracitato, & Hugonis. Altera quæ asserit Missam celebrari posse sine vllo ministro, quia iure diuino hoc non est prohibitum, neque etiam iure ecclesiastico constat in hoc aliquid esse præscriptum, nam illa iura antiquata sunt, vt videbimus, & licet Conc. Mogun. 1. c. 43. statuat vt presbyter non celebret solus, tamen cum illud Conc. sit prouinciale non potest generalem obligationẽ inducere, & hęc est sententia Glossæ in c. hoc quoque de cons. d. 1. vbi ita scribit. Inclusus aliquis, vt puta Eremita solus missam celebrare potest, sic etiam Palud. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. Turrecremata cap. hoc quoq; & potest confirmari de illis Missis, quæ priscis fiebant a sanctis antiquis, vel in oratorijs, & solitarijs locis, vel in cryptis, aut carceribus, vt de Sancto Greg. Nazianzeno refert Sozomenus lib. 7. historiæ, qui solitus erat sacrificare in cellula in priuato oratorio, & de Sancto Luciano Martyre refert Nicephorus lib. 8. c. 31. quod sacrificauit in carcere, & suo pectore pro altari vsus fuit, cum iaceret onustus catenis, de quibus non constat vtrum aliquem ministrum in eis haberent. *Conc. Mog.* *Glossa.* *Paludan.* *Turrecrem.* *Sozomenus* *Nicephorus*

Tertia de media sententia est, iure ecclesiastico necessarium esse per se loquendo saltem vnum ministrum præter sacerdotem sacrificantem, non tamen plures nisi in missis solemnibus, hæc est communis sententia, quam docent Hostien. & glossa, Alexand. de Ales p. 4. q. 10. in. 5. art. 2. §. 7. D. Thom. 3. p. quæst. 83. articulo quinto, ad duodecimum, & Docto. hic, & constat ex communi vsu, qui declarat, vel numquam fuisse tale præceptum de pluralitate ministrantium, seu assistentium ab ecclesia latum, vel si aliquando fuit contraria consuetudine generaliter recepta videntibus, & consentientibus episcopis, & Pontificibus fuisse abrogatum. Et quidem Diuus Thomas supra significat numquam in Ecclesia fuisse hoc præceptum quo ad *Hostien.* *Glossa* *Ales de A.* *D. Thomas* *Scotus.*

Missas

Missas priuatas, nam decretum illud Soteris exponit de Missis solemnibus, fortasse quia ibi dicitur, nullus Missarũ solemnia celebrare præsumat &c. nisi duobus præsentibus. Sed hæc difficilis est expositio, tum quia hoc sensu superfluum esset tale præceptum, quia fieri non potest, vt missa solemnis sine pluribus ministris celebretur, nimirum sine Diacono, & subdiacono, & aliis, quia in hoc eius solemnitas consistit, vel certe dicendum erit ibi præcipi, quod omnes missæ cum ea solemnitate dicantur, quod est difficilius & cõtra ipsiusmet D. Tho. mentem, tum etiam quia ratio, quæ ibi subiungitur, generaliter omnes missas cõprehendit. s. vt sacerdos apte possit dicere Dñs vobiscũ, & similia. *Innocent.* Innoc. 3. lib. 2. de mysteriis missæ c. 25. referens hoc præceptum addit hæc verba, verum aliud est necessitatis articulus, aliud religionis contemptus q. d. ex decreto Soteris, nullus ex contẽptu celebrare debet vno tñ adstante, at dũ vrget necessitas, sacerdos ministro vno præsente celebrare põt. *Alex. de Al.* Alex. de Ales loco supracitato dicit quædam antiquitus statuta erant ob reuerentiã tanti mysterij, quæ post ob vtilitatẽ, & necessitatẽ antiquata sunt, & huiusmodi est hoc de quo agimus, multiplicato enim presbyterorũ numero, & vtile, & necessariũ fuit cum vno ministro celebrare, ne frequenter cogerentur sacerdotes sacrificium omittere, ratio aũt in prædicto decreto allata congruitatem quidẽ habet, non tñ necessitatem, nam cũ sacerdos dicit. Dñs vobiscum, vel Angelos alloquitur, vt dicit Innoc. 3. eo quod Angeli Dei adstant orantibus iuxta illud ps. 137. In cõspectu Angelorum psallam tibi &c. vel vt docet Alex. vbi sup. sacerdos ecclesiam alloquitur, & ad eam intentionem suam referre debet, ita ẽt ante Alex. docuit Oddo Camaracensis in expositione Canonis explicans verba illa. Et omnium circumstãtium, dicens. *Oddo.* Cum primitus Missæ sine collecta nõ fierẽt, postea mos inoleuit ecclesiæ solitarias, & maxime in cœnobijs fieri missas, & cum non habeant quã pluraliter collectã salutent, nec plurales mutare possunt salutationes, conuertunt se ad ecclesiam dicentes se ecclesiam in ecclesia salutare, & in corpore totũ corpus alloqui, & virtute totius cõmunionis in ecclesia conficere sancta mysteria per gratiam Dei, nec esse quemquã alicubi fideliũ, qui viuificorũ nõ fiat particeps sacrosanctorũ dũ in corpore ecclesiæ adhęret capiti velut vtile membrũ, secũdum quẽ sensum in hoc loco circumstantes accipiuntur oẽs vbiq; fideles, qui in vnitate totius corporis & sibi adhærent inuicem, & summo capiti &c. *Titelmanus* & Titelmanus latius idem explicat ibi in annotatione, qui eodem modo exponit illa verba, vel qui tibi offerunt, & illa, quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, scilicet vel sacramentali sumptione, vel spirituali per fidei, & charitatis vnionem.

Alia verò verba Anacleti Papæ minorem difficultatem habent, quia neq; voces continẽt, quæ satis aperte præceptum indicent, sed consiliũ, vel admonitionem, neq; fundãtur in ratione aliqua necessitatis, sed cuiusdam congruẽtię, & decentiæ, quæ fortasse eo tempore magis habebat locum quando sacerdotum multitudo, & sacrificiorum frequentia tanta nõ erat, deniq; quod Strabo ait legitimam missam esse, in qua sunt sacerdos &c. licet impropriè dictum sit, pie tamen potest exponi, vocari legitimam, quo ad perfectum vsum, & participationem huius sacrificii, & sacramenti, nõ verò quo ad necessitatem legis impositæ circa modum sacrificandi. Decreta autem in principio artic. citata probant primam huius conclusionis partem, nimirum vnum saltẽ ministrum esse necessarium ad missam dicendam, quod est contra secundam opinionem, quæ etiam refellitur ex Cõci. *Conc. Nann.* Nannetensi c. 30. apud Brucardum lib. 3. decreti c. 68. & apud Iuonem p. 3. ca. 70. in quo vetitum est sacerdoti nullo adstante ministro missæ sacrificium facere, & ex Concil. *Conc. Mog. Conc. Basil.* Mogun. c. 43. ac Basileensi sess. 21. c. 8. & ex ca. Proposuit de filiis presbyterorum, vbi Ale. 3. scribit, nõ enim solus presbyter missarum solemnia, vel alia diuina officia potest sine ministri suffragio celebrare, quæ decreta sunt vniuersali consuetudine confirmata, quæ cõsuetudo ẽt si alia deessent haberet vim præcepti, vt docet D. Thom. vbi supra, ac *D. Thomas.* propterea S. Laurentius, vt refert D. Ambr. lib. 1. officiorum c. *Ambros.* 41. Sixto Pontifici cum ad supplicium duceretur dixit. Tu numquam sacrificium sine ministro offerre consueueras, oportet ergo celebrantem (vt inquit hic Doct.) habere aliquem respondentem in persona totius ecclesiæ, vt denotetur esse mediator inter Deum, & ecclesiam offerens sacrificium Deo pro ecclesia, quæ sibi assistit in offerendo.

Sed quæres, an minister, qui solus præsens adest debeat iure vir esse an non? Respondeo in c. Inhibendum de cohab. cler. ex Conc. Mogunt. sic haberi. Inhibendum quoque est vt nulla fœmina præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, siue sedere, & ca. Sacratas. d. 23. ex Sotere affertur. Sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vela, vel sacras pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad apostolicam sedem, quæ omni reprehensione, & vituperatione plena sunt, & Sotus in 4. d. 13. q. 2. ar. 5. inquit, forsan nec ob vllam necessitatem illud auderem citra dispensationem permittere propter indecentiam, & citius auderem egomet mihi respondere, & ministrare, quam fœminam ad id muneris admittere. *Sotus.*

Vlterius quæres, an in aliquo casu liceat sacerdoti sine vllo prorsus sacrificare, ita vt ipsemet sibi respondeat, & inseruiat, Sotus vbi sup. ad duodecimũ admittit in aliquo casu necessitatis posse hoc fieri, non tamen adeo frequenter, vt Glossa supracitata significat, sed in vrgente casu necessitatis, vt si esset dies festus, & non posset sacerdos missam audire, nec socium habere sibi ministrantem. Addit tamen Sotus consultius esse non ita celebrare propter cuiuscumque festi necessitatem, sed propter festum magnæ solemnitatis, quod quidem ego ita consulerem, sed non damnarem peccati mortalis eum, qui in quocumque festo id faceret, tum quia authoritas prædictorum authorum facit rẽ moraliter probabilem, tum quia hoc præceptum solum fundatur in ecclesiastica consuetudine, quam merito interpretari possumus extra articulũ necessitatis, vnde fit multo magis hoc licere propter periculum mortis ad sumendum viaticum, vel ad dandum illud alteri, atque ita de similibus.

DE SACRAMENTI EVCHARISTIAE dispensatione quo ad ministrum.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum solus sacerdos possit hoc Sacramentum iure ac licite dispensare.



HOc loco quædam tamquam certæ, & exploratæ veritatis supponi oportet, & sunt, huius sacrificii ministros esse sacerdotes authoritate ecclesiæ rite, & legitime sacris ordinibus initiatos. Deinde eos ministros esse ad consecrãdum corpus, & sanguinem Dñi, & offerendum, & sumendum, & aliis impartiendum. deniq; ministrum, vt legitimo iure rite, & absq; peccato cõsecret, offerat, & det aliis oportet esse liberum, & solutum ab omni excommunicatione, suspensione, interdicto, irregularitate, & cæteris iuris canonici, vel diuini pœnis, vel impedimentis. Quibus suppositis quæritur, an quemadmodum solus sacerdos iure diuino est legitimus minister Eucharistiæ consecrandæ, atque offerendæ, ita ipse quoque sit eodem iure diuino minister in ea aliis conferenda; nam Lucæ 22. solis Apostolis, & discipulis præcepit Christus. Hoc facite, id est, consecrate, & offerte, & eisdem videtur quoque dictum aliis Eucharistiam ministrare, quæ tria ipse præstiterat, nam & consecrarat, & obtulerat, ac dederat. Ex altera autem parte olim Diaconi corpus Domini a sacerdotibus consecratum de more aliis impertiebant. Et Eusebius 6. histo. cap. 36. & Nicephorus lib. 6. ca. 8. referunt, quod sacerdos Serapioni *Eusebius. Niceph.* morituro misit hostiam per puerum id præcipiente Dionysio Alexandriæ Episcopo.

Vnde pro huius difficultatis elucidatione obs. est, aliud esse dispensatiue, seu ex potestate distribuere hoc Sacramentum, aliud verò illud tangere, deferre, aut ad os sumentis applicare, quamuis enim hæc omnia sæpe in vna actione contingant, vt nunc in ecclesia fit, tamen separabilia sunt, & interdum sunt separata, vt patet ex antiqua consuetudine dandi Sacramentum in manibus communicantium, vt ipsimet acciperent, quod interdum statim fiebat in præsentia ipsiusmet dãtis, vt patet ex Euse. li. 7. hist. c. 8. & ex *Eusebius.*

Digitized by Google

Nicephorus. Tertullian. Nicephoro Calisto lib.12.hist.c.41.& lib.13.c.7. Interdum verò postea in proprijs domibus, vt patet ex Tertulliano li.2.ad vxorem, vbi testatur consueuisse suo tempore Christianos deferre Eucharistiam ad suas domos, vt eam ibi cõgruo tempore sumerent. non sciet, inquit, maritus quid in occulto ante omnem cibum sumatur.

1. Conclusio Hoc supposito dico, quod ratione muneris, & officii ordinatia potestate solus sacerdos iure diuino alijs Eucharistiam confert, ita docent *D. Thom.* D.Thom.3.p.q.80. art.3. & in 4. d.13.q.1.art.3.& *Richard.* Rich. eadem d.art.1. q.3. *Scotus.* Doct.hic in respons.ad quintum principale, *Durandus.* Duran.q.4. *Paludanus.* Palu.q.2.art.4 & sumitur ex *Conc. Trid.* Conc.Trid.sess.13.c.8. vbi traditione apostolica descendere dicit, vt laici a sacerdotibus communionem accipiant, nam semper hic mos fuit in ecclesia obseruatus, habet autem sacerdos hanc potestatem tamquam necessario annexam potestati, quam habet supra corpus Domini, nã si potestatem habet ad consecrandum illud, rationabile est vt multo magis habeat ad dispensandum quantum ex vi potestatis ordinis: *Scotus.* Ratio congrua ad hoc, inquit Doct. põt esse talis, quia sicut ab anima mediante corde deriuantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde est principalis sedes, vt docet Arist.lib.de hist.animalium, & etiam in qualiber politia actus principales pertinentes ad illam, pertinent ad aliquam personam principalem in illa politia, ita rationabile est, istum actum conficiendi, & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est principalis in hierarchia ecclesiastica, huiusmodi autem est sacerdos. Et confirmatur, quia non minoris reuerentiæ, vel authoritatis est posse super corpus Christi verum, quã super corpus Christi mysticum, secundum autem soli sacerdoti cõuenit quãtum ad proprios actus sanctificandi, & pascendi illud, ergo æque, vel magis propter reuerentiam corporis Christi veri soli sacerdoti conueniet authoritas respectu ipsius conficiẽdi, & regulariter dispensandi, hæc. n. potestas dispensandi versatur circa corpus Christi verum, annexaq; est potestati conficiendi, vt dixi, & aliquo modo versatur circa corpus mysticum, quatenus hoc cibo pascitur, non potest autem in ecclesia nimis digna persona, nec nimis dignus gradus inueniri ad consecrationem, & dispensationem istius sacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui est sanctus sanctorum. Dixi autem hanc potestatem conuenire sacerdoti iure diuino, quia ius diuinum hoc dedit sacerdotibus, non aũt inferioribus, quia nulli præterquam sacerdoti data est potestas ordinis super corpus Christi verum, neque etiam in corpus Christi mysticum quantum ad proprios, & perfectos actus pascendi, & sanctificandi illud.

2. Conclusio Dico secundo, licet soli sacerdotes habeant hanc potestatem diuino iure, tamen Diaconus mandata, & commissa sibi potestate ius, & authoritatem habet ministrandi Eucharistiam a sacerdote consecratam. Pro huius conclusionis intelligentia obs.est primo, ꝙ olim, dum fideles sub vtraq; specie communicabant, Diaconus ministrabat laicis per fistulam argenteam sorbentibus potum sanguinis ex calice, & quia prius dabatur corpus quam sanguis, ideo præcedebat sacerdos offerens corpus, & sequebatur Diaconus ministrans sanguinem, quod ideo facilius concedi potuit, quia ad ministrandum corpus oportet illud tangere manibus, ad dispensandũ verò sanguinem satis est calicem attingere, vt notat hic *Scotus.* Doct. dicens, ꝙ sanguis non dispensatur nisi in calice, tactus autem calicis conceditur Diacono, sed corpus non dispensatur nisi species panis tangantur, quod officium dispensandi fecit B. Laurentius, vt refert *D Ambros.* D.Amb. lib. 1.officiorum c.41. qui etiam legitur baptizasse in necessitate. Vnde etiam nũc Romæ dum Papa solemniter celebrat, sumpto corpore Christi sedet, & Diaconus Cardinalis defert ei calicem bibendum.

Secundo obs.est, ꝙ aliquando ẽt legimus vtramq; speciẽ per Diaconos fuisse ministratam, vt patet ex *Iustinus.* Iustino apol. 2.pro Christianis circa finẽ, vbi sic scribitur. Absoluta gratiarum actione Diaconi (quos vocamus) dant singulis præsentibus partẽ panis, & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia, & saltem in necessitate Diaconos ministrasse corpus Domini ex Episcopi, vel presbyteri facultate patet ex *Conc. Nice.* Conc. Niceno c.14 Et olim Diaconi in ecclesia Eucharistiã ad absentes, & ægrotos deferebant, vt constat ex Iustino in apolog. *Cyprianus. Clemen.* Cypriano ser.de lapsis, Clement.lib.8. Const. apostolicarum cap.28.& in *Conc. Cart.* Conc. Cart.4.cano.38.habetur. Vt Diaconus præsente presbytero Eucharistiã corporis Christi si necessitas cogat iussus eroget, & c. Diaconus d.93. ex Pelagio, seu potius ex Gelasio refertur, Diaconi sacri corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu presbyteri (nisi his absentibus) ius non habent exercendi, vbi Glossa annotauit, vbi necessitas exigit, & presbyter est absens potest Diaconus etiam iure suo baptizare, & corpus Christi dare infirmis si consecratum est, sed in ecclesia præsente presbytero non potest, etiam si necessitas exigat nisi iussus a presbytero, puta cum multi sunt, qui indigent baptismo & presbyter nequit omnibus sufficere, similiter cum multi sunt, qui volunt corpus Christi accipere, nec presbyter omnibus sufficit. hæc Glossa.

Concilium verò Nicenum primum Can.14. & habetur c.1. Peruenit d.93. sic ait. *Conc. Nic.* Peruenit ad sanctorum Cõcilium, quod in locis quibusdam, & Ciuitatibus presbyteris sacramenta Diaconi porrigant, quod nec regula, neq; consuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi sacrificium non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant Sed & illud innotuit, quod quidam Diaconi etiam ante Episcopos sacramenta sumunt, hæc ergo omnia amputentur, & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes ꝙ Episcoporũ quidem ministri sunt, inferiores autem presbyteris habentur per ordinem, ergo post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant aut Episcopo, aut presbytero porrigẽte, sed nec sedere in medio presbyterorum Diaconis liceat, quia si hoc fiat præter regulam, & ordinem probatur existere, si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit a ministerio cessare debebit. Hæc Concilium.

Irrepserat.n. abusus talis, nempe cum Episcopus rem diuinam faciebat, presbyteri, ac cæteri ecclesiæ Ministri de manu eius Eucharistiam de more accipiebant. & quia Episcopus aliquando defatigabatur concedebat Diacono, vt corpus Domini cæteris Clericis porrigeret, vnde factũ est, vt consentientibus, vel dissimulantibus episcopis Diaconi Eucharistiam presbyteris etiam ministrarent, imo, & ante Episcopos sumerent, & insolentiores effecti sese audebant presbyteris anteponere, adeo, quod in tribus delinquebant Diaconi, primo quod post consecrationem porrigebant hostiam sacerdotibus, secundo quia sumebant sacramenta in Missa antequam Episcopi. tertio quia sedebant in medio presbyterorum, quem abusum, vt tolleret statuit Conciliũ Nicenũ, vt de cætero talia non faciant, sed in sua mensura permaneãt, & si quis obedire noluerit cesset ab officio, procedente vero tempore Diaconis abrogata est facultas corpus Domini cæteris etiam laicis porrigendi. Ex his omnibus patet solos sacerdotes posse per se dispensare hoc Sacramentum, in casu verò necessitatis posse id committere tantum Diacono. prima pars patet ex superiori conclusione. secunda probatur ex Concilio Cart.3.c.38.& refertur d.93. *Conc. Car.* c. præsente presbytero, vbi sic legitur. præsente presbytero Eucharistiã corporis Christi populo si necessitas cogat iussus eroget, & nota, ꝙ dicit iussus, quia presbytero, vel Episcopo lõge positis, non iussus põt, nã vbi necessitas est præsens, & presbyter est absens potest Diaconus corpus Christi iure erogare infirmis si cõsecratum est in ecclesia, in præsentia autem presbyteri non potest etiam si necessitas exigat nisi iussus a presbytero, vt notat Alex. de de Ale. 4.p.q. *Alex. de A.* 11. m.2.art.2. §. 2.q. 3. Ita ut quando vrget necessitas communicandi infirmum, & nullus adest sacerdos, si moraliter timeatur infirmũ sine viatico discessurũ põt Diaconus Eucharistiã illi dispensare, vel quia tunc præsumitur interpretatiua voluntas pastoris, vel certe quia pro tali casu iure communi censetur illi talis facultas concessa, nam in dicto Cano. Conc. Carthag. solum requiritur iussus presbyteri, quando presbyter adest, & colligitur etiam ex decreto Gelasii supracitato d.93.c. diaconos, vbi simpliciter facultatẽ concedit diacono in absentia presbyteri ob necessitatem.

Sed quid, si presbyter sit præsens, et vigeat necessitas cõmunicandi infirmum, nec ipse vult viaticum ministrare, nec Diacono facultatem ministrandi tribuere, sed hominẽ potius deserere, vt sine viatico moriatur, poterit ne Diaconus infirmo corpus Domini communicare? *Siluest.* Silue. sentit non posse etiam si presbyter ex malitia Diacono facultatem deneget, quia Diaconus non potest hoc facere nisi, vt instrumentum presbyteri, tunc autem non potest Diaconus habere rationem instrumenti, si principale agens illum mouere nolit. *Sotus.* Sotus autem tenet contrarium

et nullus

Digitized by Google

& mihi magis probatur, quando necessitas tanta est, vt viaticum sit ægro ministrandum, quia presentia sacerdotis sua potestate abutentis, ac si nulla esset repuranda est, & recurrendom ad voluntatem interpretatiuam superioris episcopi, vel Pontificis, seu ad ius commune, vel certe si necesse sit ad Christi voluntatem, quæ in eo casu censetur dedisse huiusmodi facultatem, semper autem supponendum est, & nullum esse graue scandalum, & satis constare sacerdotis, vel superioris voluntatem esse iniquam.

Conc. Rem.

Tertia pars. s. ꝙ tantum diacono hoc ministerium potest cõmitti, patet ea Concilio Remensi. c. a & refertur de cõse. d. 2. c. peruenit, vbi ita legitur. Peruenit ad notitiam nostrã, quod quidam presbyteri in tantum paruipendant diuina mysteria, vt laico, vel fœmina sacrum Domini corpus itadant ad defetendũ infirmis, & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquẽt illis sancta sanctorum committuntur, quod quã sit horribile, quãq; detestabile omnium religiosorum animaduertit prudẽtia. Ideo interdicit per omnia Synodus ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat, sed omnimodis presbyter per se ipsũ infirmum communicet, quod si aliter fecerit gradus sui periculo subiacebit, ex qua exaggeratione, & dicendi modo satis indicatur illam non esse nouam prohibitionem, sed reprehensionem actionis per se indecentis.

DE MISSAE SACRIFICIO.

HAnc quæstionem de Missæ sacrificio explicabimus per aliquot articulos, & de illa legendus est vobis Alex. Alen. 4. p. q. 10. & 11. Sco. quol. 20. D. Tho. 3. p. q. 83. Caie. 3. tomo opusculorũ tra. 10. de sacrificio Missæ, Castro contra Hæreses verbo Missa, Corduba q. 3. li. 1. quæstionũ, Stanislaus Hossius c. 41. confessionis catholicæ fidei, Sotus de iustitia, & iure lib. 9. q. 1. & 9. & in 4. d. 13. q. 2. Magister Cano li. 12. de locis c. 13. & omnes Neoterici expositores 3. p. Summæ D. Tho. & Illustriss. Bellar. de Sacramẽto Eucha. li. 5. & 6.

ARTICVLVS I.

Vtrum Missa sit sacrificium.

VNa ex præcipuis controuersiis cũ hæreticis huius tẽporis est de sacrificio Missæ, illi. n. omnino negant instituisse Christũ in noua lege aliquod verũ sacrificium, ẽ contra catholici asserunt esse in ecclesia Christi aliquod verũ, proprium, æternũ, ac visibile sacrificiũ, quo a Christiano populo colitur Deus. nobis aũt in præsentiarũ animus non est cũ hæreticis de hoc sacrificio disputare, hoc. n. fecerunt quotquot contra hæreticos scripserunt, & fere omnes authores supracitati, sed catholica veritate præsupposita breuiter perstringere, quæ necessaria sunt pro notitia habẽda huius altissimi sacrificij. & primo incipiendo a nomine obs. est, ꝙ de origine huius nominis Missa non est vna omniũ catholicorum sententia, quidam. n. existimant eam esse vocẽ Græcam, vt Coua. li. 4. variarũ Reso. c. 22. sed sine vllo fundamento, nã Græci, quã nos Missam appellamus, illi liturgiã vocant, vel synaxim. vel aliis vocibus vtuntur, quæ cões sunt huic mysterio, vt est sacramentũ, alij censent esse vocem Hebræã a verbo Missac, ꝙ spontaneam oblationẽ significat, ita Conciliũ Senon. in decretis fidei ca. 11. quæ opinio est probabilis, quãuis suspectam eã faciant Patres Græci, atq; Syri, qui numquam ea voce vsi sunt, cum tñ soleãt frequenter vti illis vocibus Hebraicis, quas ecclesia Latina retinuit, vt sunt Hosanna, Alleluia & c. probabilior est ergo eorum sententia, qui docent Missam vocem esse Latinã, & a Latinis primo vsurpatam in celebratione mysterii Eucharistiæ, dr̃ autẽ Missa a verbo mitto, vel quia oblatio, & preces ad Deũ mittantur, vt vult Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacramentis. p. 8. c. vlt. vel quod Ange. a Deo mittatur, qui sacrificio assistat, vt notauerunt Alex. de Ales. p. 4. q. 10. in prima par. tractatus de Missa, & S. Th. 3. p. q. 83. ar. 4. vel quia oblatio sacrificij ad Deũ mittitur, & missa est, vel quia Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificij, quam nos ad ipsum iterũ per sacerdotẽ in sacrificio remittimus, ita sentit Inno. li. 3. de hoc mysterio c. 12. & D. Bonau. opusculo de mysterijs Missę, at verò Isido. li. 2. etymolo. c. 19. censet dictã esse a mittendo, quia finito missæ sacrificio populus mittitur, seu dimittitur, ita vt subintelligatur congregatio, seu concio missa, vel in missa, eiusdem sententiæ est Rabanus lib. 1. c. 32. de institutione clericorum, & Alcuinus lib. de officiis ecclesiasticis c. de celebratione missæ.

Hostia Missa quid significet. *Couar.* *Conci. Sen.* *Hugo.* *Alex. de Al.* *D. Thomas* *Innoc.* *D. Bonauẽ.* *Isidorus.* *Rabanus.* *Alcuinus.*

Missa quinque modis accipitur. *Concil. Car.*

Secundo obs. est, ꝙ licet missa a missione dicatur, tñ non eam solam significat, sed traductum est inde vocabulũ ad alia significanda, quapropter quinq; sunt acceptiones missæ apud catholicos scriptores, primo accipitur simpliciter pro missione, ita in Conc. Cart. 4 cano. 84. Episcopus nullus prohibet vsq; ad missam catechumenorũ, neque hæreticũ, neque Iudęũ, neq; Gentilẽ ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei, quo loco missa nõ põt accipi pro sacrificio, seu cœna sacra, quia illa non erat Catechumenorum, sed fideliũ tm̃, neque põt accipi pro Euangelio, & lectionibus, quæ recitabantur præsentibus catechumenis, nã Conciliũ volebat ea ẽt ab infidelibus audiri, quare non põt missa eo loco accipi nisi pro missione catechumenorum, atq; in eodẽ sensu accipit missam D. Aug. ser. 237. de tpe, ecce, inquĩt, post sermonem fit missa catechumenis, manebũt fideles &c. & eodẽ modo accipitur in nostra liturgia cum dr̃ a Diacono, ite missa est, vt. n. recte exponit Alcuinus loco citato sensus est. Iam dimissio est congregationis, abire omnibus licet, secundo accipitur missa pro diuino officio lectionũ, precum, & aliorũ id genus, ꝙ celebratur in ecclesia ante dimissionem catechumenorũ, & certe illa verba Concilii antiquissimi Valentini c. 1. Hoc esse censuimus obseruandũ, vt sacrosancta Euangelia ante munerũ illationẽ in missa catechumenorum in ordine lectionũ post legantur &c. nõ possunt intelligi de dimissione catechumenorum, sed de officio diuino, cui ipsi intererant. tertio accipitur pro illa parte liturgiæ, q̃ est ab offertorio vsq; ad finẽ, quæ propriè dr̃ missa fideliũ teste Alcuino loco citato, ita accipitur missa ab Amb. li. 5. epi. 33. ego mansi in munere missam facere, cæpi orare in oblatione. quarto accipitur pro tota celebratione diuini officii, in quo Eucharistia consecrabatur, vt cõprehendit simul missam catechumenorũ, & fideliũ, ita accipitur in locis citatis, & est cõmunissima acceptio apud oẽs posteriores Authores. quinto accipitur pro ipsis collectis, seu precibus, quæ dicuntur in Liturgia, ita accipitur in Conc. Mileui. can. 12. in titulo aũt articuli accipitur missa in quarta significatione, & est sensus. Vtrum actio illa sacra, in qua conficitur Eucharistia multis præcedentibus, & sequentibus precib. & cæremonijs sit sacrificium.

D. August. *Alcuinus.* *Conc. Valẽ.* *D. Ambros.* *Conc. Mile.*

Sacrificium quid sit.

Tertio obs. est, ꝙ Sacramentũ est sacræ rei signũ, sacrificiũ vero est oblatio facta alicuius victimæ soli Deo, circa q̃ sacerdos aliquã sacram cæremoniam operatur, cuiusmodi erant olim sacrificia veteris legis, quæ in Dei honorẽ immolabantur certis quibusdam cæremoniis obseruatis, vt cõstat ex li. Leui. & Deut. Quarto obser. est, ex snia catholicorũ aliud esse Eucharistiæ Sacramentũ, aliud verò missæ Sacrificium, Sacramentũ. n. est species consecratæ panis, & vini, sacrificium aũt, ꝙ fit in missa constat tribus cæremoniis, quarum prima est consecratio, qua adducitur victima immolãda, videlicet Christus redẽptor noster, secunda est oblatio, qua hostia, seu victima offertur, atq; hæc oblatio præcipue fit post consecrationẽ, qñ deposito calice dicit sacerdos, vnde & memores nos serui tui &c. & ibid. subditur offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram & c. continuaturq; hæc oblatio per tres illas orationes vsq; ad illa verba, vt quotquot ex hac altaris participatione &c. tertia cæremonia est fractio hostiæ, sumptioq; corporis, & sãguinis Dñi, vt infra latius discutiemus, vnde sequitur solum sacerdotem esse huius sacrificii ministrũ, non autem sæculares, qui solum sumunt corpus Domini.

Discrimẽ inter Sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium.

Discrimẽ inter fructus sacramenti, et sacrificij

Quinto obs. est, inter fructũ Eucharistiæ quatenus est sacramentũ, & quatenus est sacrificiũ maximũ esse discrimẽ, nã quatenus Sacramentũ solum proficit sumẽti, virtute. n. illius pręstatur gratia sumenti ex opere operato, non aũt aliis, quatenus verò est sacrificiũ prodest quidẽ non solũ sacerdoti offerenti, verum ẽt aliis, pro quibus missa offertur, circa quos triplicẽ producit effectũ, primus est, ꝙ auget gratiã nõ quidẽ ex opere operato, sed ex opere operantis. i. iuxta deuotionẽ illorũ, pro quib. missa offertur. secundus fructus est, ꝙ virtute ẽt huius sacrificii, & offerẽtes, et illi pro quib. offertur satisfaciunt. i. remittitur illis pœna tẽporalis pro peccatis in purgatorio luẽda. tertius fructus est, ꝙ virtute huius sacrificii impetrant offerentes, et illi pro quibus offertur dona tẽporalia a Deo, vt v. g. auxiliũ ad superandas tentationes, & alia eiusmodi, quæ omnia inferius multis testimoniis scripturę diuinę comprobabimus. Vnde

Digitized by Google

ex dictis colligitur apertissime Missæ sacrificium esse consecrationem, oblationẽ, hostiæ fractionẽ & corporis, & sanguinis Christi sumptionem proficientem quidem offerentibus, & his pro quibus offertur ad gratiæ augmentum, ad satisfactionem, & impetrandum.

Sexto obs. est quosdam hæreticos cõtra diuinum hoc sacrificium debacchantes conuenire nobiscum in vno, & in duob. differre, oẽs. n. conuenimus dicentes Missam esse sacrificiũ memoriale illius sacrificij, ꝙ ꝓ nobis in cruce Christus Dñs obtulit æterno Patri ꝑ remissionẽ peccatorũ nostrorũ: etenim sicut comędiã verũ Abrahę sacrificiũ reprę sentãtẽ, quo Deo obtulit Isaac, dicimus esse memoriale Abrahæ sacrificiũ, quia ibi repræsentatur, & in memoriã reuocatur verũ Abrahæ sacrificiũ, ita eadem rõne Missa dr̃ memoriale sacrificium, quia in ea repræsentatur passio Christi, nam *D. August.* vt docet D. Aug. quem vbi sup. citat S. Tho. imagines sortiuntur nomina earũ rerum, quas repræsentant, quod aũt Missa sit veluti comędia passionis Christi ex eo patet, quod qñ sacerdos post cõsecrationem offert Christum Dominũ æterno Patri dicens. Vnde & memores nos serui tui, &c. tunc repræsentat eã oblationẽ, quã Christus pro nobis fecit in cruce, quando verò hostiã frangit, & sumit, qua sumptione desinit esse Christus in altari, repræsentat illius sanctissimã mortẽ, & sepulturam, & hactenus conuenit inter oẽs.

Non aũt conuenit inter nos in eo primo, ꝙ hæretici falso asserunt Missam esse solũ memoriale sacrificiũ, catholici. n. & memoriale, & verissimum sacrificiũ esse asserunt, qñ Christus in altari offertur. Secundo est discrimen inter nos, & illos, ꝙ nos fatemur maximos esse huius sacrificij fructus, vt patet ex quinto notabili, hæretici aũt putãt nullius esse fructus, ex quib. omnib. cõstat quid q̃ratur in hoc art. an videlicet. Missa simul sit memoriale, & verũ sacrificium cuius virtute pęna in purgatorio luenda nobis remittatur.

His obseruatis statuenda sunt modo aliqua fundamẽta valde notanda, & primũ sit, ꝙ sacrificare Latine est sacrũ facere, sacrum aũt significat obsequiũ Deo exhibitũ in protestationẽ supremi dominij, ex quo põt ita sacrificiũ describi: sacrificiũ facere est Deo exhibere obsequiũ aliquod in protestationem supremi dominij, ex qua descriptione infertur non licere sacerdotib. sacrificiũ offerre sanctis, sed soli Deo, qui Dñs est supremus. obs. est tñ, ꝙ sacrificium qñ sumitur improprie, atq; ita dr̃ sacrificium quodcũq; obsequiũ Deo *D. August.* exhibitum, definitur a D. Aug. li. 10. de ciui. Dei c. 6. sacrificiũ est opus, ꝙ agimus, vt sancta societate inhæreamus ipsi Deo, relatum in illũ finem, quo beati esse possimus, huiusmodi aũt sunt omnia opera in charitate facta, qualis est eleemosyna, oratio, ieiuniũ &c. de quo sacrificio intelliguntur multa loca scripturæ, quale est illud Psalmistæ. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & illud sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, & illud Matt. 9. Obedientiã volo, & non sacrificium, & ad Ro. 2. Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ &c. Interdum sumitur sacrificium proprie pro sacrificio cęremoniali, de quo nobis est disputatio hic, & illud est oblatio soli Deo facta, circa quam sacerdos exercet aliquam sanctam cæremoniam ex institutione diuina determinatam.

Ad sacrificium tria requiruntur. Ad verum aũt sacrificium tria requiruntur, primum est, ꝙ offeratur aliquod munus exterius, vt olim offerebantur animalia, quod tñ non sufficit ad verum sacrificium, eo ꝙ modo offeruntur animalia, & similiter panis, & vinum in ecclesia super sepulcra, & tamen non dicuntur sacrificium proprie, q̃a deest secũda cõditio, videlicet ꝙ sacerdos exerceat circa tales oblationes aliquam sacram cæremoniam, & tertia similiter, quæ est, ꝙ non ex arbitrio suo, neq; ex institutione ecclesiæ, sed ex diuina institutione id faciat, omnia enim præcepta cęremonialia veteris legis instituta fuerunt *D. Thomas.* a Deo, vt docet S. Th. 1. 2. q. 102. ar. 1. qualia fuere, sacrificia illius legis, quæ quidẽ diuidebantur in tria genera, quædã enim vocabantur holocausta, qñ. s. sacrificium comburebatur totum, vt protestarentur Deum esse summũ bonũ, aliæ verò appellabantur hostiæ placabiles, quas offerebant Hebræi in pę nã peccati non pro illa, quæ erat in purgatorio luenda, quia illa remittebatur dumtaxat virtute passionis Christi exhibendæ, nam qui præibant, & sequebantur, vt est in Euangelio Palmarum, clamabant omnes Osanna filio Dauid, id est, satisfaciebãt virtute passionis Christi, sed pro pœna, quam tunc contrahebant ex transgressione legis, sicut. v. g. si homo tangebat morticinum erat immundus per aliquod tempus, id est, irregularis, vel priuatus a sacrificiis diuinis huius generis pœnæ per hostias placabiles redimebantur. Vltimum sacrificiorũ genus vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo in gratiarum actionem, & hæc omnia genera sacrificiorũ offerebantur Deo sub certis quibusdam cæremoniis ab ipso institutis, cuiusmodi etiam erat cæremonia agni Paschalis.

Opera nostra quomodo sunt satisfactoria. Secundum fundamentum est, in quo breuiter est explicandum, quomodo opera nostra sint meritoria, siue satisfactoria virtute passionis Christi, quod frequenter a Prædicatoribus proponitur populo. Quapropter dico ex sententia D. Anselmi, quem citat Scotus in hoc 4. d. 15. q. 1. quod *D. Ansel.* passio Christi tam accepta fuit Deo, vt illius virtute acceptetur satisfactio peccatoris, quæ secundũ se neq; satisfactoria, neq; meritoria est, vt v. g. ieiunium secundum se consideratũ non est quidẽ tanti valoris, vt & gloriam promereatur, & pro peccatis satisfaciat, Deus tñ illud acceptat, & ad satisfactionem, & ad gloriam habita ratione ad passionem Christi, indeq; sufficiens est ieiunium ad redimendã purgatorii pęnam, ita ut a passione, & morte Christi tamquam a radice habent opera nostra quod sint meritoria, & satisfactoria, quia ex merito Christi datur nobis gratia, qua possumus mereri, & satisfacere, ac proinde in omni satisfactione, & merito nostro fit nobis applicatio noua meritorũ passionis Christi, idq; explicatur exemplo, nam sicut monera ænea absq; sigillo regis nullius fere est valoris cum sigillo autem alicuius est pretij, ita passio Christi est sigillũ, quo opera nostra, alioqui nullius fere valoris, sint tanti momenti, vt per illam mereamur gloriam, & remissionem pęnæ, sic enim Deus instituit, vt opera habentium Christi fidem viuam sint tanti valoris respectu passionis illius.

Tertium fundamentum est, quod virtus passionis Christi non applicatur nobis nisi per sacramenta, vel oblationes siue per nostras actiones, vt recte vbi supra Stanislaus Hossius appellat sacrificium Missæ canalem, quo defertur pas- *Hossius.* sio Christi ad nos, idq; probatur authoritate D. Pau. ad Ro. 2. dicentis, qui reddet vnicuiq; secundum opera sua, non dicit secundum mensuram valoris passionis Christi, sed iuxta mẽsurã operum cuiuscumq; quibus operibus virtus passionis Christi applicatur, & hoc fundamentũ confirmatur pęr similitudinẽ ad causas naturales, quam indicat S. Th. 3. *D. Thomas.* p. q. 49. ar. 1. ad 4. nam veluti causæ naturales superiores nõ operantur, neq; applicantur passo nisi prius applicata causa inferiori ad ipsum passum, neq; n. sol generat hominem nisi concurrente homine generante, neq; plantã nisi cõcurrente terra, & semine terræ applicato, ita similiter passio Christi, quæ est vniuersalissima causa salutis nostræ non applicatur nobis, neq; communicatur nisi per causas inferiores, videlicet sacramenta, oblationes, & opera nostra, & hoc fundamento confutatur error hæreticorum affirmantium passionem Christi nobis applicari sine nostris operibus, ex quo errore lapsi sunt in alium deteriorem, vt dicerent omnẽ gloriã sanctorum esse æqualem, quia æqualiter applicatur nobis passio Christi, & non secundum mensuram operum nostrorum, quod repugnat Paulo dicenti 1. ad Corin. 15. Sicut stella differt a stella &c.

Quartum fundamentum est, vnũ, & idẽ numero sacrificiũ est oblatum in cruce, & in altari, differtq; solũ in modo offerendi, quia vna, & eadem numero vtrobiq; est hostia, videlicet Christus Dñs, gemina tamẽ est oblatio, videlicet duplex offerendi munus, nam primus fuit cruẽtus, quoniã ibi recisa fuit hostia Christus. s. Redẽptor noster, secũdus verò est incruentus, quia Christus iuxta Paulũ iam non moritur, mors illi vltra &c. & hoc fundamẽtũ definitur in Cõc. *Conc. Trid.* Trid. sess. 22. c. 2. vbi dicitur vna eadem est hostia, idem nũc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diuersa. Et confirmatur authoritate omnium Sanctorum, qui huic sententiæ subscripsere, vt videre est apud Authores supracitatos in principio quæst.

Vltimum fundamentũ est, ꝙ Christus Dñs in vltima cęna non solum instituit Eucharistiam, cõsecrauitq; panem, & vinum, sed etiam obtulit se ipsum sacrificiũ incruentum Patri æterno in remissionẽ omnium peccatorũ, idq; probatur ex c. 22. D. Lucæ vbi dixit. Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, ergo tunc temporis dedit, & obtulit seipsum pro nobis, alioquin non diceret, quod pro vobis datur, idque efficaciter confirmatur

ex

ex eo, quòd Christus Dominus fuit sacerdos secūdum ordinem Melchisedech. i. sacrificauit instar illius panem, & vinum offerendo, sicut Gen. 14. obtulit Melchisedech; sed Christus solummodo seruauit hoc in vlt. cœna, quoniam tunc se ipsum obtulit sub speciebus panis, & vini, & non in cruce, neque alibi per totum vitæ suæ decursum, ergo verè tunc obtulit se in sacrificium Deo Patri sub specie panis, & vini; si enim in cœna Christus Dominus ritum Melchisedech non seruauit, non apparet in toto Euangelio, quando seruauerit illum. *Conc. Trid.* Denique hoc definitum est in Conc. Trid. sess. 22. c. 1. vbi sic legimus. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.

1. Conclusio His ita declaratis sit prima conclusio. Missa quatenus in ea passio Christi repræsentatur est sacrificium memoriale, & in ea Christus memorialiter dicitur immolari. hæc conclusio est omnium Theologorum, & probatur 1. Corint. 11. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, vbi non dixit Paul. Dominum occiditis, sed eius mortem annūciabitis, id est, repræsentabitis. Secundo probatur. Celebratio huius sacrificij est imago quædam, & repręsentatio passionis Christi, vt patet ex loco Pauli præallegato, ergo celebratio huius sacrificij dicetur immolatio, patet consequentia ex superioribus, quoniam imago solet appellari nomine illius rei, quā repræsentat, sed in Missa repræsentatur passio, & mors Christi, quæ fuit vera eius immolatio, & occisio, ergo Missa dicetur immolatio; *D. Thomas.* hac in parte nobiscum conueniunt hæretici, & hac ratione dicit D. Tho. vbi supra, quod olim in sacrificijs veteris legis Christus immolabatur, quia illa sacrificia significabant, & repræsentabant Christum pro nobis omnibus immolandum.

2. Conclusio Secunda conclusio. Si Missam consideremus quantum ad oblationem Christi, quam facit sacerdos in altari, eiusq. consecrationem, & sumptionem, verum, & proprium est sacrificium, proprieque & verè ibi Christus dicitur immolari. hæc conclus. est contra hæreticos negantes Missam esse verum sacrificium, & probatur primo à definitione sacrificij posita in secundo fundamento, est enim oblatio facta Deo, circa quam sacerdos ex institutione diuina sacram aliquam cęremoniam exercet, sed Missa est huiusmodi quantum ad oblationem, consecrationem, & sumptionem corporis Christi, ergo est verum, & proprium sacrificium; probatur minor ex cap. 22. D. Lucæ, vbi dicitur: accepit Iesus panem benedixit, & fregit, deditque discipulis suis dicens accipite, & comedite. hoc est, &c. hoc facite in meam commemorationem, ex hoc loco firmissimum colligunt Catholici argumentum, ad cuius explicationem obseruanda sunt duo: primum est illud pronomen hoc demonstrare non solum cōsecrationem à Christo factam, sed etiam oblationē, quam tunc fecit Patri se ipsum sub speciebus panis, & vini offerendo, quod ex eo probatur, quod illud pronomen hoc ponitur post consecrationem, & oblationem à Christo factam, ergo demonstrat vtramque, consecrationem, scilicet & oblationem.

Secundo obseru. est, aliud esse cœnam Dominicam narrare, aliud verò illam repręsentare, & aliud deniq; illam facere cœnam, horum primum fecerunt Euangelistæ, secundum verò fit quando cœna illa actibus, & gestibus diuersarum personarum repræsentatur; tertium autem est in rei veritate illud efficere, quod Christus tunc fecit, sicut facere sacrificium non est illud repræsentare, sed verè sacrificare, quod offerimus Deo, ex his sic colligitur argumentum ex loco D. Lucæ citato, & ex 11. primæ ad Corint. Christus Dominus illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, præcepit, vt Apostoli, & eorum successores in posterum facerent ad eius memoriam, & honorem ea, quæ tunc Christus Dominus fecit; sed Redemptor noster non solum tunc cōsecrauit, sed etiam obtulit se ipsum Patri per sacrificium incruentum, vt patet ex vltimo fundamento, ergo præcepit his verbis non solum vt sacerdos consecret, verum etiam vt ipsum sub speciebus consecratis cōtentum in remissionem peccatorum Patri offerat; hæc consequentia patet ex superioribus.

Secundo probatur concl. ex c. 10 primæ ad Corint. vbi dicitur. Neque enim potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dęmoniorum. ex quo loco sic texitur argumētum, Paulus comparat Eucharistiam sacrificijs Idolorum quo ad hunc effectum, videlicet, ꝙ sicut participantes de mensa Christi sunt vnius religionis Christianæ, sic etiam participantes de sacrificijs Idolorum sunt Idololatræ, ergo apertè declarat B. Paulus hoc loco Eucharistiam verum esse sacrificium, patet consequentia, quia si non esset sacrificium, argumētum D. Pauli nullius esset vigoris, quia comparatio debet fieri in his, quæ sunt eiusdem rationis, hac denique eadem authoritate B. Pauli vtitur Conc. Trid. ses. 22. c. 1. & hanc conclusionem probat Castro multis authoritatibus vtriusque testamenti, & Conciliorum, & similiter Hosius, & Cano vbi supra, & tandem probatur ex Conc. Trid. loco supra citato. *Conc. Trid. Castro.*

Superest modo respondere quibusdam argumentis hæreticorum, quæ militant contra hanc secundam conclusionem, & primum est. Missa est memoriale sacrificium, & repræsentatiuum passionis Christi, ergo non est verum sacrificium, patet consequentia, quia imago, & repræsentatio rei non est ipsa res. Et confirmatur à simili; Quando enim celebramus Natiuitatem, Resurrectionem, & Ascensionē Domini, tunc Dominus non verè nascitur, nec resurgit, nec ascendit in cœlum, sed tantum mysteria hæc repræsentamus, ergo à simili quando in Missa repręsentatur Christi Domini sacrificium, non verè Christus Dominus tunc immolatur.

Respondetur ad hoc, ꝙ Missa est memoriale sacrificium passionis Christi, quatenus in ea passio, & mors eius sanctissima repræsentatur, vt patet ex prima concl. Quatenus verò Christus ipse offertur in Missa verum est sacrificium, vt patet ex secunda concl. Et cōfirmatur à simili. Agnus enim Paschalis erat verum sacrificium, & tamen erat signū prognosticum, & repræsentatiuum passionis Christi exhibendę, ita similiter Missa est verè sacrificium, vt dictum est, & etiam memoriale passionis Christi exhibitæ, idq. vtrumq. declarat verbum illud Christi Domini dicentis. Hoc facite in meam cōmemorationem; facere enim & apud Latinos, & in litteris sacris significat sacrificare, vt constat apud Maronem in ecloga dicentem. Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito. i. cum vitulam immolauero; *Virgilius.* In qua etiam significatione accipitur Leu. 23. cum dicitur, facietis & hircum pro peccato. i. immolabitis, & etiam in Euangelio, in illis Domini verbis, apud te facio Pascha cum discipulis meis. hoc est, apud te volo agnum immolare; ita Christus Dominus dicēs. Hoc facite in meam commemorationem, Per verbum illud facite, id est, offerte declarauit Missam verum esse sacrificium, subdensq; in meam commemorationem, ostēdit etiam Missam simul esse memoriale ipsius Domini sacrificij. Ad confirmationem autem respōdetur, ꝙ aliud est verbis, vel etiam gestibus repræsentare Christi Domini Natiuitatem, illamq. laudibus celebrare. Aliud verò mysterium passionis Christi in Missa repræsentare, sic enim ibi repręsentatur illius sacrificium, quod etiam efficitur, ibi enim verè ipsemet Christus existit, quem Patri æterno incruentè offerimus, & immolamus pro nostra omnium salute; atq; ita non currit similitudo aliarum festiuitatum, in quibus non adest substantialiter ipse Christus, sicut adest substantialiter in Missa, qui singulis diebus sacerdotis ministerio Patri se offert æterno, sicut olim in cœna se obtulit.

Secundo arguitur ex illo ad Hebr. 10. vbi Paulus comparans sacerdotium Christi cum sacerdotibus veteris legis sic ait; Hic autē, videlicet Christus, vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternū sedet à dextris Dei, ergo non se offert Patri singulis diebus in Missa. Respondetur ad hoc ꝙ loquitur ibi D. Paulus de oblatione cruenta, qua semel oblatus est Christus; Iam enim Christus non moritur: Nos autem loquimur de oblatione incruenta: vel respondetur secundo, ꝙ eadem hostia est ipse videlicet Christus Dominus, qui modo offertur Patri in Missa per singulos dies, & semel fuit in cruce oblatus diuersa tamen ratione offerendi, tunc enim cruentè oblatus fuit, modo verò incruentè offertur, vt dictum est supra.

Tertio arguitur. Testamentum non est sacrificium, vt patet ex vtriusque definitione, est enim testamentum dispositio testatoris, qua de suis bonis disponit vltimatè voluntatem suam testatam relinquens, vt post eius mortem executioni mandętur, sed Missa est testamentum, vt patet Luca 22. Hic est calix sanguinis mei noui testamenti,

&

& apud Paulum 1. Coriut. 11. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, ergo Missa uon est sacrificium, quod est oblatio Deo facta, &c.

Ad hoc negatur, quòd Missa sit testamentum, & ad illas authoritates respondetor, constructionem illam esse transiiitam; faciunt enim hunc sensum, sanguis noui testamenti, id est, confirmans nouum testamentum, & nouam legem Euangelicam, cuius veri professores instituti sunt à Deo, & Christo eius hæredes Regni Cœlorum.

Vltimo arguitur ex definitione sacrificij, quæ datur per effectum, scilicet sacrificium est oblatio pro satisfactione pœnæ hic, vel in Purgatorio luendæ, sed nulla pœna remittitur per oblationem Christi factam in altari à sacerdote, sed solum per virtutem illios sacrificij supremi, & vnici passionis Christi, ergo præter passionem illam nullum est in lege Euangelica sacrificium, consequentia patet cum maiori, & minor probatur Hebræ. 10. vbi loquens de sacrificio crucis sic ait, Vna enim oblatione consummauit in æternũ sanctificatos, & inferiùs, Voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis non relinquitur iam hostia pro peccatis, vbi apertè D. Paulus asserit præter Christi passionem nullum esse sacrificium, vel hostiam pro expiatione peccatorum, ergo Missę oblatio non est verum sacrificium, cum de ratione sacrificij sit ꝙ sit satisfactorium, & expiatorium pro peccatis. Respondetur per secundum, & tertiũ fundamentum supra posita in hoc art. Peccata quidem remittuntur per merita passionis Christi, quæ nobis applicãtur per hanc Missæ oblationem incruentam, sicut declarauit Conc. Trid. à nobis supra citatum, c. 2. sess. 22. Vnde dicendum, ꝙ Apostolus loquitur ibi de oblatione cruenta in cruce facta, per illam si quidem Christus nobis meruit, & satisfecit pro nobis, virtus tamen illius descendit ad nos per Missæ oblationem, vt constat ex superioribus. *Conc. Trid.*

Contra, ergo oblatio, quæ fit in altari non est propitiatoria, neque satisfactoria. Respondetur ꝙ propitiatoria est, & satisfactoria, quia per illam applicatur nobis virtus passionis Christi, vt dictum est ex Concil. Trid. Vnde quicquid fuit propitiationis, vel in veteris legis sacrificijs, quæ signa fuere futuræ, vel in hoc nostro sacrificio Missæ, quod præteritæ mortis Christi signum est, id omne tribuitur ei, quæ facta est in cruce oblationi, quę licet semel peracta, semper tamen viget, & perpetua est, quo ad efficaciam, atq; illius virtutem, quod numquam excidit æternum Christi sacerdotium, quo ministros etiam suos fungi voluit, fulcitur. ideoq. Cyrillus Hierosoly. catechesi. 5. de Missa, verba faciens vocat illam spirituale sacrificium, & incruentum cultum, Christi verò corpus, quod præsens adest in altari vocat ibidem hostiã propitiationis, non obscurè indicans quicquid est propitiationis, nõ tam actioni sacerdotis, quam illi hostię deberi, quę pro nobis oblata est in ara crucis, propter quam vocatur Missa propitiatorium sacrificium, quando quidem præsens adest in altari corpus illius, & sanguis, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris Domini Nostri Iesu Christi, vt etiam Petrus Abbas Cluniacensis vir eruditione, & vitæ sanctimonia prætãs in prima suarum Epistolarum loquens de sacrificio in cruce peracto sic ait. Hoc est nostrum sacrificium, hoc noui testamẽti, & noui populi holocaustum, quod tunc semel in cruce à Dei, & hominis filio oblatum Deo est, & quod semper in altari ab ipsius populo offerendum ab eodem præceptum, & institutum est; non enim aliud tunc oblatum, aliud nũc offertur, sed quod (vt dictum est) semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit, Vnde Apostolus 1. ad Corint. 11. Quotiescumq; ait, manducabitis panem hunc, &c. Quare non similiter, ò Apostole Dei, dixisti. Incarnationẽ Domini, Natiuitatem Domini, Circumcisionem Domini, baptismum Domini, vel quod magis videtur Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini? Vt (inquit) ostenderem in morte Domini singulariter constare salutẽ mundi, vt ostenderem istud opus eius præponderare omnibus operibus eius, vt ostenderem tormento illo requiem, ignominia illa gloriam, morte illa mortuis redditam vitam; Ita planè, & iuxta Apostolum, quando manducatur panis Domini, hoc est corpus Domini, quando bibitur sanguis Domini. i. Calix, annunciatur. i. repræsentatur mors Domini, quam passus est in cruce, non alia, sed eadem, quæ est præsens caro Domini, ex qua fusus est, non alius, sed idem qui sumitur sanguis Domini; soluit quidem, & planè tollit peccata mundi agnus Dei in cruce immolatus, nec tamen idcirco vt dictum est, superfluus est in altari oblatus, quia per oblationẽ altaris participes reddimus fructus illius oblationis in cruce factæ. Hæc inter alia ille venerabilis Pater Spiritu Dei plenus vbi supra pientissimè, & discretissimè adscripsit, quæ etiam similitudine confirmantur; nam sicut sacramenta dicuntur sanctificare per se. i. ex institutione sua, & non per accidens quamuis sanctificent virtute passionis Christi, ita oblatio incruenta in Missa per se. i. ex sua institutione, & nõ per accidens est satisfactoria, & propitiatoria, quamuis hoc habeat à passione Christi.

Cyrillus. *Petrus.*

Contra, hæc oblatio incruenta, & illa cruenta sunt idem, ergo vna est tantum alterius instrumentũ, quia causa principalis, & instrumentalis nequeunt coincidere in idem; Respondetur, quod oblatio incruenta non est instrumentũ cruentæ, sed Dei operantis virtute sacrificij cruẽti, sic enim cætera sacramenta non sunt instrumenta sacrificij cruenti, videlicet passionis Christi, sed Dei ipsius, ita similiter, & hoc sacrificium incruentum ipsius Dei est instrumentum. Reliqua argumenta, & eorum solutiones legite apud Authores citatos in principio quæst. maximè apud Hossium, Castrum, & Canum.

ARTICVLVS II.

Vtrum de ratione sacrificij sit, quod hostia occidatur.

IN aliquibus sacrificijs hostiæ occidebantur, vt patet de animalibus, quæ in veteri lege sacrificabãtur; in quibusdam verò non mactabantur, vt patet in sacrificio Melchisedech. Gen. 14. quando obtulit panem, & vinum: Dicendum est ergo, ꝙ quando hostia, quæ offertur vt mactabilis illius occisio est de ratione sacrificij; probatur inductiuè in omnibus sacrificijs legis naturæ, & veteris legis, in quibus animalia, quæ offerebantur occidebantur. Secundo probatur à definitione, nam sacrificare propriè dictum est hostiã immolare, hostiam autem immolare ex sententia Latinorũ idem est, quod illam occidere, ergo de ratione talis sacrificij erat occisio hostiæ; probatur tertio ex differentia oblationis, & sacrificij; nam de ratione oblationis non est hostiæ consumptio, sed quod Deo dumtaxat offeratur, at de ratione sacrificij est consumptio hostiæ, atque adeo hostiæ mactatio. *1. Conclusio*

Dico secundo, quando hostia non est mactabilis, de ratione sacrificij est hostiæ consumptio, videlicet, ꝙ desinat esse, vel simpliciter, vel secundum quid. & hoc vocatur sacrificium incruentum, quando scilicet consumitur hostia sine effusione cruoris, vel sanguinis ad differentiam sacrificij cruenti, vbi hostia est mactabilis: probatur hæc conclus. ex sacrificio Melchisedech, qui si non cõsumpsisset panem, & vinum per ipsum oblatum, oblatio illius non esset sacrificium, sed tantum oblatio. *2. Conclus.*

Dico tertio. Quamuis Christus Redemptor noster non occidatur in altari, verè tamen immolatur: quia incruentè consumitur; probatur concl. quia Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech propterea, quia eius sacrificium est consumptio incruenta sub speciebus panis, & vini instar sacrificij Melchisedech, ergo quamuis non occidatur in altari nihilominus verè immolatur. *3. Conclus.*

Secundo probatur: quia si de ratione sacrificij in altari esset solum Christi oblatio, & non eius consumptio, sequeretur nullum esse discrimen inter oblationem Christi factã in templo in die Purificationis purissimæ Virginis, & inter oblationem factam à sacerdote in altari, quod est erroneũ; probatur sequela, quia in die Purificationis non fuit Christus immolatus; in altari autem immolatur & consumitur, ergo de ratione immolationis est consumptio. Tertio probatur authoritate Concilij Toletani relati in canone de consecrat. dist. 2. cap. Relatum. Vbi Concilium increpat abusum sacerdotum quorumdam, qui non consumebant Eucharistiam, & inter alia dicitur ibi. Quale enim erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? q. d. nullum. ex quo infertur, quod si sacerdos post consecrationem, & oblationem non consumeret hostiam propter aliquod impedimẽtum, nec ab alio sacerdote per- *Conc. Tol.*

ficiente

ficiente Missam hostia consumeretur, Missa illa non esset sacrificium, sed oblatio, nihilominus tamen haberet aliquē fructum ex opere operantis.

ARTICVLVS III.

Vtrum ratio sacrificij consistat in consecratione, aut in oblatione, vel potius in consumptione.

POst Missam Catechumenorum, in qua certum est non consistere sacrificij rationem, quinq; partes inueniuntur in Missa, prima est oblatio panis, & vini; secunda consecratio, & transubstantiatio panis in corpus, & vini in sanguinem Domini; Tertia oblatio corporis, & sanguinis per ea pressa verba; Quarta fractio & comestio sacramenti; Quinta & vltima distributio, & consumptio eiusdem. In oblatione panis, & vini certum est rationem sacrificij non consistere, quia res terrenæ esse non possunt illud vnicum sacrificium, quod in Ecclesia vigere præ omnibus veteribus sacrificijs Patres affirmant; similiter in sola fractione ratio sacrificij non consistit, quod ex eo patet: quia si fortè dū sacerdos cum ipso sacramento signum crucis super calicem facit, panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, sed relinquitur ita integrum vsque ad sumptionem, nec tamen sacrificium irritum, aut essentialiter immutari creditur; Tres sunt ergo partes, de quibus dubium est in qua earum propriè consistat ratio, & essentia sacrificij, nempè consecratio, oblatio corporis, & sanguinis Domini, & consumptio.

Vnde obseru. est, q negari non potest panem, & vinum aliquo modo in Missa offerri, & proinde pertinere ad rem, quæ sacrificatur, atq; etiam ad integritatem, & plenitudinē sacrificij, hæc patent, primum ex ipsa liturgia, nam cum ante consecrationem dicimus. Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, certè pronomen, hanc, demonstrat ad sensum id, quod ante manibus tenemus, id autē panis est, & similes sunt in Missa non paucæ sententiæ, quæ panem offerri apertissimè demonstrant. Secundum etiam inde patet, q in omnibus liturgijs quantumuis antiquis siue Græcis, siue Latinis pars actionis est oblatio rerum consecrandarum, & quamuis Dominus non ijsdem verbis panem consecrandum obtulerit, tamen obtulisse aliquo modo apertè scribit Cyprianus lib. 2. epist. 3. & colligitur ex illa cæremonia eleuandi oculos in cœlum, & gratias agendi, quam Dominus consecrationi præmisisse partim Euangelistæ, partim antiquissimæ liturgiæ testantur.

Cyprianus.

1. Conclusio

His suppositis dico primo, quòd ratione huius sacrificij non est consecratio, probatur, quoniam productio hostiæ non pertinet ad essentiam sacrificij, sed consecratione adducitur victima immolanda, ergo consecratio non spectat ad essentiam sacrificij, maior patet ex veteribus sacrificijs, nēpè agni paschalis; productio enim agni necessaria erat ad sacrificium non vt pars, sed vt effectio rei sacrificandæ, at eodem modo se habet consecratio ad hoc sacrificium; Prætereà feria 6. in Parasceue verum peragitur sacrificium absque consecratione, quæ iam supponitur antea facta, nam illa oblatio fit ex iam præconsecratis, vt notauimus supra ar. 2. de requisitis ea parte temporis, ergo de ratione huius sacrificij non est consecratio; antecedens probatur ea oratione, quam Ecclesia eo die in officio profert, ita enim inquit. In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus, & in alia oratione. f. Orate fratres vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem, nec valet aliquorum responsio, q in illa oratione sacrificium latè sumitur pro quocumq; Sacro Ministerio, vel significatur hostia cōsecrata eo modo, quo victima sacrificij solet interdum sacrificium appellari, quia eisdem orationibus vtitur Ecclesia in alijs diebus, quando fit Missæ sacrificium; Et confirmatur; quia non est verisimile Ecclesiam illo die omnino priuari sacrificio, & oblatione ad Deum; Vnde D. August. epist. 118. c. 2. generaliter, & sine exceptione dicit, omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia, & D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 2. ad secundum dicit eo die offerri, & consumi hostiam prius consecratam, ne priuetur Ecclesia fructu passionis Christi, sentit ergo ibi fieri sacrificij oblationē, nam fructus passionis non applicatur Ecclesiæ per Sacramentū

D. August.

D. Thomas.

Eucharistiæ, nisi vt sacrificium est, nam vt est sacramētum solum prodest sumenti.

2. Conclusio

Dico secundo. Consumptio sanguinis non est de ratione huius sacrificij; probatur, quia in prædicta feria 6. sacerdos non sumit sanguinem sub speciebus vini, neque consecrat, sed tantum sumit hostiam pridie consecratam. Contra in c. Comperimus de conse. d. 2. Gelasius Papa reprehendit sacerdotes abstinentes à sumptione sanguinis, subdens ibidem, quale erit sacrificiū, cuius offerens non est particeps, ergo de ratione sacrificij est sumptio sanguinis. Respondetur primo, q sumptio sanguinis est de integritate huius sacrificij, non tamen de illius essentia, sicut manus est de integritate hominis non tamen de illius ratione formali: Secundo respondetur, q sumendo corpus sumitur etiam sanguis concomitanter, licet non sumatur sub ratione potus; Vel tertio dicitur, q in illo cap. Non sunt illa verba. Quale erit sacrificium, cuius offerens, &c. Vnde verba Canonis sunt hæc. Comperimus autem, q quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant; qui procul dubio (quia nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius, eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire; non dicit ergo Gelasius sumptionem corporis sine sanguine sub specie vini non esse sacrificium, sed dicit q in sacrificante, vnum sine altero accipere sacrilegium est.

3. Conclusio

Dico tertio, de ratione huius sacrificij sunt tria, videlicet oblatio hostiæ, hostia ipsa, & sumptio ipsius, hostia est ipsemet Christus; oblatio autem est duplex in Missa; vna est materiæ consecrandæ, quæ fit post Euangelium, & ante canonem Missæ, & ista non est de ratione sacrificij, nam feria 6. in Parasceue verum est sacrificium absq; tali oblatione; altera oblatio fit post consecrationem, quando deposito calice dicitur. Vnde & memores. &c. vsq; ad Quotquot; quę sunt maxima cum deuotione, & reuerentia dicenda, quoniam ibi verum incipit sacrificium, quod quidem hostiæ sumptione perficitur. Hinc acerrimè arguendi sunt sacerdotes, qui consuetudine potius orandi, quam animi deuotione, dum calicem eleuant illa sanctissima verba proferūt.

4. Conclusio

Dico quarto, de ratione huius sacrificij sunt duo offerentes; vnus principalis, qui est simul sacerdos, & hostia Christus, scilicet redemptor noster, vt probatur in c. Firmiter de Sum. Trin. & fide catholica, & sess. 22. Conc. Trid. alter vero & ministerialis, & est quilibet sacerdos, qui non in sua persona, sed in persona Christi consecrat, neq; enim dicit. Hoc est corpus Christi, sed corpus meum, qui etiam sacrificium offert in nomine, & persona Christi, totiusq; Ecclesiæ, & etiam propriæ ipsius personæ, ac profunde dicit offerimus tibi, id est, tota Ecclesia tibi offert, quod si corpus Christi, quod est Ecclesia offert, etiam offert & caput, qui est Christus Dominus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum fructus huius sacrificij sit multiplex.

Missæ sacrificiū est meritorium, satisfactoriū, & impetratorium.

SVpponendum est primo, Missæ sacrificium esse meritorium, satisfactorium, & impetratorium; nam illud dicitur meritorium, cui de iustitia debetur gratia, & gloria, si de meritorio absolutè loquamur: satisfactorium autem est illud, per quod temporalis pœna peccatis correspondens remittitur: Impetratorium verò est illud, cui ex diuina misericordia aliquod temporale, aut spirituale præmium correspondet, & vocant alij meritorium de congruo.

Secundo supponendum est, q aliquod opus ita est meritorium, quod non est satisfactorium, non tamen è conuerso secundum aliquos, vt opus factum in gratia, si non sit pœnale erit meritorium, & nullo modo satisfactoriū, quale est dormire, & comedere propter Deum; nullum autē opus est satisfactorium iuxta quorundam opinionē, quod non sit etiam meritorium, opus enim non est satisfactoriū secundum istorum sententiam, nisi fiat in gratia, & consequenter erit meritorium, vt est ieiunium, oratio, eleemosyna, &c. de quo in materia de pœnitentia agendum est.

1. Conclusio

His suppositis sit prima concl. Missæ sacrificium valet his, pro quibus offertur, & etiam offerentibus ad impetrandum, satisfaciendum, & merendum; Hęc concl. definita est in Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. vbi sic legimus. Docet Sancta

Conc. Trid.

Synodus

Synodus sacrificium hoc verè propitiatorium esse, per ipsumq. fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, est ergo impetratorium ex doctrina Concilij; quod verò sit satisfactorium docet his verbis ibidem. Non solum pro viuorum fidelium peccatis, pœnis, & satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta traditionem Apostolorum offertur; Quod verò sit meritorium, probatur ex dictis, & etiam hac generali ratione. Est opus bonum relatum in Deo, dummodo offerens, vel pro quo offertur sint in gratia, ergo erit meritorium: Quæ omnia confirmantur ex eo, ꝙ per hoc sacrificium communicatur nobis virtus passionis Christi, ex qua opera nostra meritoria, satisfactoria, & impetratoria sunt, vt constat ex superius dictis.

2. Conclusio Secunda concl. Fructus huius sacrificij est vera peccatorum, quo ad culpam remissio, definita est in eodem Conc. & in eodem loco his verbis. Huius hostiæ oblatione placatus Deus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit, ex quo patet ꝙ hoc sacrificium impetrat nobis à Deo spirituale auxilium ad verè pœnitendum, atque ita dimittit peccata, quo ad culpam, mediatè tamen, quia impetrat nobis pœnitentiam ad remissionem peccatorum.

ARTICVLVS V.

Vtrum tanti sit valoris Missa mali sacerdotis quanti est Missa boni.

HÆc quæstio intelligi potest de effectu huius sacramenti vt sacramentum est, qui potest esse duplex; alter est effectus formæ, qui est consecratio, vel sacramētum in facto esse, & hoc modo constat absq; controuersia bonitatem, vel malitiam ministri nihil referre ad hunc effectũ; Idem enim sacramentum conficitur à malo, & bono sacerdote. Alter verò effectus est ipsius sacramenti applicati ad vsum, qui non pertinet propriè ad effectum Missæ vt sic, & de hoc non est hic sermo, nam hic effectus per se, & ex operatione non augetur, nec minuitur ex conditione dantis vt sic, quod ideo dico, ꝙ etiam ipse minister Missam dicit, & sumit hoc sacramentum, atque ita malitia eius pōt impedire effectum, & bonitas potest conficere ad augmentum eius, non tamen vt est dispositio dantis, sed recipientis.

Alio modo potest intelligi quæstio de effectu huius mysterij vt sacrificium est, & in hoc sensu distinguenda est substantia sacrificij ab orationibus adiunctis, ex institutione Ecclesiæ, quas etiam dupliciter considerare possumus; priori modo quatenus fiunt in persona Ecclesiæ, cuius sacerdos est minister; posteriori modo in quantum sacerdos orat vt priuata persona.

1. Conclusio Ex his dico primo. effectum sacrificij secundum se non augeri, nec minui ob vitam sacerdotis, nam Ecclesiæ sacramentum eamdem efficaciam habet siue à bono, siue à malo ministro conficiatur, ibi enim nihil operatur virtus ministri, sed merita Christi Iesu, quorum virtute gratia ex opere operato datur.

2. Conclusio Dico secūdo. orationes, quæ nomine sacerdotis mali offeruntur, nec sibi, nec alijs ad vitam æternam prosunt, est enim extra charitatem; si linguis (inquit B. Paulus) loquar Angelorum, &c. nihil mihi prodest, hinc quantum ad eiusmodi orationes Missa boni sacerdotis est fructuosior.

3. Conclusio Dico tertio. orationes, quæ in Missa secundum ordinarium offeruntur, atque Missa nomine iustorum siue Ecclesiæ oblata, etiam si sacerdos celebrans sit in peccato mortali, vel etiam hæreticus, erunt illis, pro quibus offeruntur vtiles, & fructuosæ, tanti namque valoris est oblatio, quanti est illius, cuius nomine offertur deuotio, vt si quis vir sanctus per malum ministrum eleemosynam offerat.

4. Conclusio Dico quarto, ꝙ eædem preces quatenus considerantur, vt ex peculiari sacerdotis deuotione emanant, maioris sunt valoris in bono sacerdote, quam in malo, adeo ꝙ fructus respondens Ecclesiæ deuotioni vberior est, si Missa per bonum ministrum offeratur, nam licet meritum Ecclesiæ sit in personis Christianæ reipublicæ, nihilominus applicatur per istum ministrum, quare applicatio, & oblatio sacrificij non est tāti valoris dum fit per prauum sacerdotem, quod patet ex cap. Ipsi sacerdotes 1. q. 1. vbi habetur, ꝙ quanto sacerdotes sunt digniores, tanto facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur, vbi est sermo de sacerdotibus quatenus sunt ministri Ecclesiæ, aliàs non magis denotaret sacerdotes, quam laicos. Et confirmatur: quoniam quanto essent plures iusti in Ecclesia, tanto Missa, quæ eorum nomine offertur esset fructuosior; sed plures quidem essent iusti, si sacerdos celebrans esset bonus, ergo &c.

Hęc concl. est contra Caiet. 3. p. q. 82. art. 6. vbi tenet Missam boni, & mali sacerdotis æqualis esse valoris, & fructus, quantum ad satisfaciendum, & impetrandum; ratio illius est: quia neuter offert nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ, ergo tanti valoris erit Missa, quanta fuerit deuotio iustorum, qui sunt in Ecclesia, & non quanta fuerit deuotio sacerdotis celebrantis: Contrarium tenet Sco. in ista q. 2. in solutione ad tertium principale, vbi dicit; fructum respondentem deuotioni, & merito Ecclesiæ vberiorē esse si Missa offeratur per bonum ministrum, quam si per malũ, idq. probat prænotando ꝙ meritum, & deuotio Ecclesiæ non est abstracta, sicut Idea Platonis, sed est deuotio, & meritũ singulorum hominum iustorum, ex quo efficitur tanto maioris valoris esse Missæ sacrificium ex hoc capite, quanto fuerint plures iusti in Ecclesia, dummodo cætera sint paria; nam in primitiua Ecclesia erant pauciores iusti, quia tamen iustiores erant, illorum sacrificia erant magis fructuosa. Quo prænotato probatur sentētia Scoti; Quanto plures fuerint iusti in Ecclesia, tāto erit fructuosior Missa illorum nomine oblata, sed plures sunt iusti si sacerdotes celebrantes sint iusti, ergo Missa boni sacerdotis erit maioris valoris, & fructus, quam Missa mali, huic argumento nec satisfacit, nec satisfacere potest Caiet. quamuis id ipsum conetur. Caiet. Scotus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum vna Missa oblata pro multis, tantum possit prodesse singulis, ac si pro vno tantum offeratur.

CIrca istam quæstionem Cordubensis lib. 1. sui questionarij Theologici, q. 3. refert quinque placita, è quibus nos eam eligimus explicandam, & defendendam, quæ est Doct. subt. in quol. q. 20. Pro cuius explicatione obseru. est primo, ꝙ virtus passionis Christi applicata nobis per ministerium sacerdotis prodest nobis ad gratiam, & satisfactionem, per sacramenta, & sacrificia à Presbyteris ministrata, idq. docet D. Paulus 1. Corint. 4. dicens. Sic nos existimet homo vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; mysterium verò Dei inter alia maximum est virtus passionis Christi, qui Deus, & homo est; Ideoq. ad sacerdotem, qui dispensator est mysteriorum Dei, & ad eius ministerium pertinebit applicare nobis virtutem passionis Christi, quod etiam confirmatur exemplo adducto ex Sco. vbi supra; sicut enim bona temporalia alicuius Principis communicantur domesticis, & familiaribus illius per manus dispensatorum eiusdem Principis, ita gratia, quæ confertur, & pœna, quæ remittitur fidelibus virtute passionis Christi conuenienter & datur & remittitur per ministeriũ sacerdotis sacrificia peragentis, quod apertè docuit D. Paulus loco supracitato: Vnde manifestè constat hæreticorum allucinatio existimātium, ꝙ passio Christi se sola nobis suffragetur; hoc enim pugnat cum verbis Apostoli supracitatis, quia absque ministerio sacerdotis in re, vel in voto non suffragatur nobis passio Christi ad remissionem culpæ, & pœnæ, etenim si ante confessionem, verbi gratia, remittuntur nobis peccata per contritionem hoc non fit sine ordine ad claues Ecclesiæ, videlicet per confessionem in voto. Cordub. Scotus.

Secundo obseru. est, ꝙ Missa potest habere valorem vel ex opere operantis, seu virtute meriti personalis ipsius sacerdotis offerentis, vel secundo virtute sacrificij, seu ex opere operato. s. ex institutione, & merito Christi alicui applicato per sacrificium Missæ; nisi enim hoc modo Missa valeret, sequeretur, ꝙ Missa sacerdotis offerētis in peccato mortali nulli valeret in Ecclesia, quod est contra illud Ioann. 6. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita, ex quo intelligitur, ꝙ quandocumq; Christus Dominus offert, vt summus sacerdos, panis, quem dat. i. caro eius est vita mundi,

di,

Digitized by Google

di, vnde infertur ꝙ quando sacerdos Missæ facit sacrificium semper offert in persona Christi, siue in persona capitis Ecclesiæ quod est Christus, atq; ita Missa dicitur valere virtute meriti operis operati, ipsius. f. Christi, & ipsius corporis, quod est Ecclesia vniuersalis, in cuius etiam persona per ministrum communem, qui est sacerdos offert sacrificium Missæ.

Tertio obseru. est ex Scoto vbi supra sub litt. O. ꝙ Christus in hoc sacrificio non se offert immediatè, quia secundū B. Paulum ad Hebr. 9. Christus semel oblatus est à se ipso. f. immediatè offerente se in cruce, ibidemq. dicitur. Neq; vt sæpe offerat semetipsum; alioquin enim vna Missa æquiualeret eius passioni, si idem esset offerens immediatè, & oblatus; habetur autem pro certo ꝙ Missa non æquiualet passioni Christi, eius enim passio ab ipso oblata est simpliciter magis meritoria, quam Eucharistia oblata etiam ab ipso Christo: Missa ergo habet valorem ex oblatione Christi se offerentis in cruce, & hoc sacrificium instituentis; vnde cuncta hæc nostra sacrificia, quia simul sibi nota erant obtulit Deo Patri, & etiam Ecclesiæ, cuius est hoc sacrificium, estq. ista sententia non Scoti solum, sed etiam D. Bon. in 4. d. 45. art. 2. q. 2. vbi dicit ꝙ Missæ celebratio, quia opus Dei est ratione contenti valet pro defunctis, siue fiat à bonis, siue à malis. *D. Bonau.*

Quarto obseru. est, ꝙ virtus passionis Christi non est infinita formaliter, & intensiuè etiam accepta cum omni circumstantia ad suppositum diuinū, vt subtiliter probat Scotus in 3. d. 19. & vide ibi scripta nostra, sed extensiuè, quia. f. Christi passio, quo ad sufficientiam fuit meritoria pro infinitis, virtus tamen illius passionis non applicatur nobis nisi ad certum, & præfinitum gradum gratiæ, vel satisfactionis ex opere operato per sacerdotis ministeriū, atq; ita in Missa concurrit meritum Ecclesiæ, & ipsius Christi, qui est ipsius Ecclesiæ caput, finitè tamen applicatum etiam ab ipsomet Christo, quod etiam patet ex eo ꝙ sacerdotis intentio, & illius actio, id est, sacrificij oblatio, quę sunt de essentia sacrificij sunt finita, & limitata, ergo & virtus, atq; effectus sacrificij erit finitus, similiterq. à posteriori probatur idem: Si enim fructus sacrificij Missæ ex opere operato est infinitus, & non limitatur per ministerium sacerdotis, sequitur ꝙ singulis diebus Purgatorium euacuatur, consequens est absurdum, ergo &c. probatur sequela, quia nulla est dies, in qua per totum orbem Missa non celebretur pro defunctis, si ergo infinitus est Missæ fructus, & non limitatus, quotidie euacuatur Purgatorium. *Scotus.*

Sacrificium Missæ potest triplici modo valere Quinto obseru. est, ꝙ sacrificium Missæ, & quodlibet bonum opus potest tripliciter valere, siue prodesse, videlicet specialissimè, generalissimè, & medio modo specialiter ab eo illud applicādo. Specialissimè quidem valet ipsi solum operanti disposito, nec vt sic potest alteri applicari, Generalissimè verò valet dupliciter, vel ratione tantum vnionis charitatis, & sic prodest generaliter omnibus, & solis in gratia existentibus, quamuis eis per intentionem nullo modo applicetur, charitas enim facit societatē in Christo, & amicorum spiritualium bona omnia spiritualia communicabilia illis esse communia iuxta illud Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentium te: Secundo autem ratione generalis intentionis saltem habitualis Ecclesię, vel viri iusti bonum opus operantis valet ipsum sacrificium sicut oratio, & prodest toti Ecclesiæ, & omnibus fidelibus non præcisis, etiamsi sint peccatores in peccato mortali, vt dicit Scot. vbi supra, & alij Doctores communiter. Tertio modo valet specialiter bonum opus tam ipsi operanti, quam etiam alijs quibuscumque ex intentione etiam virtuali operantis fuerit specialiter applicatum, & hic valor pendet solum ex intentione specialiter applicantis. Et quod iste tertius modus valoris specialis distinguatur ab alijs duobus supra dictis secundum Sco. vbi supra tam quo ad vim meritoriam, quā quo ad satisfactoriam, patet ex vsu Ecclesiæ instituentis Missam, aut aliud suffragium specialiter pro hoc, vel illo homine, pro salute, pace &c. pro tali demū, bono obtinendo, qui valor non est specialissimus pro ipso solo operante, neque generalissimus, si quidem valet etiam peccatoribus, quibus non valeret nisi eis specialiter applicaretur, ei que tantum valet specialiter illis, quibus applicatur, nam alioquin frustra essent tales applicationes Missarum & orationum institutæ per Ecclesiam. Vnde & sacerdos pro quibusdam offert Missam specialiter, v.g. pro offerentibus stipendium, pro quibusdam autem offert generaliter, vt pro Papa & Rege, & alijs fidelibus non præcisis; est enim necessaria intentio sacerdotis, vt per eius ministerium virtus passionis Christi applicetur alicui, nam ex Conc. Florent. dictum est supra intentionem, vt aliquid operetur in alijs per sacramentum, vel sacrificium, necessarium est, vt habeat intentionem applicandi alicui Christi meritum, eaq. ratione sacerdos dicitur dispensator mysteriorum Dei, quia per eius intentionem, & actionem, & non solum propter deuotionem suscipientis confertur alicui certus gradus gratiæ, vel satisfactionis respondens meritis Christi, vt patet in ministerio sacramentorum; Ipse verò sacerdos est minister in sacrificio altaris, atq; adeo per eius intentionem, & actionē dabitur illi, pro quo Missæ sacrificium offertur, certus gradus gratiæ, vel satisfactionis ex opere operato, quia in sacrificio, & in sacramento administrādo est dispensator mysteriorum Dei, ergo si sacramentum per eius dispensationem habet effectum determinatum gratiæ ex opere operato, ita similiter sacrificium habebit, alinquin si minister non applicat aliquem gradum gratiæ, vel satisfactionis ex opere operato illi, pro quo Missam specialiter offert, nullum esset discrimen inter offerre pro aliquo sacrificium specialiter, & inter offerre generaliter, si quidem vtrisq; prodesset ex opere operantis, iuxta mensuram deuotionis cuiusque, quod videtur scādalosum, & erroneum; id esset enim damnare Ecclesiæ consuetudinem à tempore immemorabili seruatam, offerimus enim omnis sub particularibus intentionibus. Postremo obser. est, ꝙ sacrificium Missæ potest habere triplicem effectum, videlicet meritorium, satisfactorium, & impetratorium, vt dictum est supra art. 4. *Conc. Flor.*

His obseruatis sit hæc concl. responsiua ad quæstionem. Si loquamur de valore Missæ ex opere operato nō ita procedit singulis, pro quibus specialiter offertur, ac si pro vno taotū offerretur, hanc cōclusionem in primis docet Doct. quol. 20. D. Bonau. in 4. d. 45. art. 2. q. 3. Rich. art. 2. q. 2. & 3. Durand. q. 3. Palud. q. vltima, Adrianus quol. 8. art. 3. Gerson de valore orationis alphabeto 36. & in regulis moralib. Can. 25. Gab. in cano. lect. 27. & Sotus de iustitia, & iure lib. 9. q. 2. art. 2. vbi dicit Sanctum Thom. tenere hanc opinionem, quamuis in 4. d. 13. q. 2. art. tacitè se retractet, deniq. ista opinio Scoti est securissima, & communissima, quam amplexi sunt multi Iuris consulti, quos Siluest. verbo Missa q. 7. 8. & 9. & Sotus vbi supra citant; & probatur, quia virtus finita diuisa per applicationem ex æquo in plures est minor in singulis, quam si vni tantum, aut paucioribus tota applicaretur, sed virtus Missæ ex opere operato est finita quo ad fructum, vel effectum suum, ergo est minor in singulis, consequentia patet cum maiori, quia virtus vnita fortior est se ipsa dispersa; minor autem in qua consistit tota difficultas probatur, quia sacrificiū, vel oblatio hæc duo ex sua natura important, rem. f. oblatam, & rationem offerentis; sacrificium enim Missæ est oblatio rei sacrę. i. Christi sub sacramento, & meritorum eius; sacrificium aūt Christi in cruce non fuit infiniti valoris sola ratione rei oblatæ, sed ratione offerentis, qui. f. offerens ipse erat Deus homo, & Patri infinitè gratus, virtus autem cuiuslibet offerentis in Missa est finita, vt patet de virtute Ecclesię, & sacerdotis celebrantis, & aliorum omnium quomodocumque offerentium, & pro quibus offertur, ex parte verò ipsius Christi virtus, quæ dicitur ex opere operato, etiam si Christus dicatur ibi se ipsum offerre, non est infinita; primo quidem quia non ipse, sed sacerdos nomine Ecclesiæ, vt minister eius est immediatus offerens, & sacrificium faciens; est enim absurdum dicere, quod Christus ibi celebret, & se ipsum sacramentaliter offerat, seu mereatur, contra illud Paul. ad Hebr. 9. Christus semel oblatus est, & c. neque vt sæpe se ipsum offerat, & c. & 1. Petri Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. *Conclusio.* *Scotus.* *D. Bonau.* *Richardus.* *Paludanus* *Adrianus.* *Gerson.* *Gabriel.* *Scotus.* *Silvester.*

Secundo etiam: quia licet Christus sit ibi aliquo modo se ipsum offerens, vt ait D. Ambr. lib. 1. de officijs, c. 48. qui videlicet instituit se ibi offerendum, & tunc dedit Missæ valorem, & acceptationem; est tamen magna differentia hic, & in cruce, nam in cruce meruit, dum ipse solus se ipsum immediatè per mortem obtulit Patri verum sacrificium pro mundi redemptione, vt patet Hebr. 9. & 1. Petri 3. vbi supra. In sacrificio autem Missæ nihil ipse tunc immediatè offert, neque de nouo meretur, quia in Missa est passiua Christi oblatio rememoratiua passionis illius facta quoti- *D. Ambros.*

die immediatè per ministrum Ecclesiæ secundum illud Lucæ.22. Hoc facite in meam commemorationem,|vt latius differit D.Amb.supra,c.9.& 10.Epistolæ ad Hebreos, ergo sacrificium Missæ est minoris virtutis, & efficaciæ, quam sacrificium Christi in cruce, & per consequens virtutis finitæ,& determinatæ, seu à Deo taxatæ virtutis, vel ad finitum,& taxatum fructum acceptatum est.

Secundo probatur eadem minor supradicta, & opinio simul, quia nisi virtus prædicta Missæ finita esset, & nisi diuisa in plures minueretur in singulis, tam sequeretur, quod per vnicam Missam ita posset quis mereri primam gratiã, & alia bona,& satisfacere pro quibuslibet peccatoribus,& peccatis, etiam animarum in Purgatorio,pro quibus voluerit applicare, sicut pro vno tantum, quod tamē est falsum, quia sicut in amicitia humana amicus per suam supplicationem,vel obsequium meretur maius bonū vni, vel paucis, quam multis, idq. secundum iustam legem amicitiæ, ita similiter fit apud Deum,quia iustitia humana exemplificatur à diuina: secundo etiam quia cum omnis pœna viuorum & mortuorum simul sit finita,si virtus Missæ esset infinita, sequeretur intētum etiam quo ad satisfactionem, quod est contra ritum Ecclesiæ instituentis multas Missas, & multa suffragia etiam pro vno defuncto,& pro boni alicuius impetratione,ex quo patet quod vndecumq. consideretur prouenire Missæ valor, siue à Christo Domino instituente, & dante illi valorem, siue ab Ecclesiæ communione, siue ab ipso sacerdote,est finitus.

Tertio probatur eadem minor,quia sacerdos est dispensator virtutis, & valoris passionis Christi per hoc sacrificium,sicut etiam est dispēsator illius per hoc sacramētum, & alia sacramenta,quæ ministrat, sed sacramentū Eucharistiæ, & alia sacramenta per sacerdotem dispensata habēt ex institutione diuina effectum determinatū ex opere operato in suscipiente, ergo similiter hoc sacrificium oblatum, & dispensatum per sacerdotem habet determinatum, & præfinitum valorem, qui minor erit,diuisum in plures, & applicatum,ergo si sacerdos inter plures dispertiat illā applicationem specialem, quam ipse facere potest de illo sacrificio minus capient singuli; atq; ita iniustitia fiet danti pro Missa stipendium cōmune, aut recipiendo duo stipendia pro eadem Missa, nam qui petit pro se offerri Missam à sacerdote, petit illam applicationem, quam ipse de tali sacrificio facere potest. Ex quo infertur, quod obligatus ad offerendum pro duobus, quorum quilibet obtulit taxatum stipendium ab Episcopo, non satisfacit offerendo vnam Missam tantum pro vtroque.

Caiet. Cano. Caiet.tamen 3.p.q.79.art.5.& latius opusculo 3.q.2.de valore Missæ, cui consentit Cano: lib.12. de locis Theologicis, c.13. in responsione ad decimum argumentum cum quibusdam alijs tenent, quod Missa pro multis ad eam celebrandam causaliter concurrentibus specialiter applicata nō minus prodest cuilibet illorum, quo ad vim meritoriam, & satisfactoriam ex opere operato,& operantis,quā si pro vno tantum ipsorum applicaretur, ita quod nihil detrahitur vni ex consortio alterius; sed vnicuiq. illorum prodest secundum suam deuotionem causaliter concurrētem, secus tamen si illi causaliter non concurrant;tunc enim ex consortio alterius detrahetur alteri; Ille autem dicitur causaliter concurrere ad Missæ celebrationem,qui petit,inducit, ministrat, vel cooperatur, aut quomodolibet est causa quod illa Missa celebretur. Ex quibus inter alia inferunt, quod qui promisit alicui dicere vnam Missam pro anima Patris, & altã alteri pro anima patris,& matris,& alteri aliam pro salute, & sic de alijs vsq; ad centum dicendo vnicam Missam pro omnibus illis æqualiter applicando non minus habebit quilibet eorum secundum suam,aut petētis pro eo deuotionem,quam si pro illo solo diceretur,non autē reportaret tantum fructum, si sacerdos suo proprio motu illam vnicam Missam pro omnibus illis specialiter celebraret, neq; illis omnibus satisfaceret, neq; etiam satisfaceret per illam vnicam Missam, si vnus tantum ab eo petijsset tres, aut quatuor per se, vel pro alijs celebrari,quia vnica illius petentis deuotio causaliter concurrens, secundum quam fructus Missæ quantificatur,non est tanta in vnica Missa, quanta in tribus actualiter, vel virtualiter repetita, vel replicata deuotio est, dicunt præterea isti, & inferunt alia multa mirabilia, quæ potestis vos legere apud Authores supra citatos.

Contra nostram conclusionem pro illorum sententia arguitur. Meritum Christi,quod applicatur nobis per hoc sacrificium est infinitum, & infiniti valoris,ergo quamuis offeratur pro multis tantum satisfaciet pro quolibet si pro vno tantum offerretur;patet consequentia,quia infinitum licet diuidatur numquam consumitur,semper enim remanet infinitum. Respondetur ad hoc distinguendo antecedens, & conceditur quidem meritum Christi esse infinitū quo ad sufficientiam, quatenus verò nobis applicatur per sacrificium Missæ,applicatur nobis finitè, vt patet ex quarto notabili,& ex probatione cōclusionis principalis huius art. Contra,quia idem Christus in sacrificio altaris est principalis sacerdos,qui per se ipsum offert, & applicat virtutē suæ passionis illis, pro quibus Missa offertur, ergo æqualiter valebit omnibus,etiamsi pro infinitis offeratur. Respondetur, quod Christus offert mediatè in Missa per ministerium sacerdotis, qui est offerens immediatus, actio verò sacerdotis est limitatæ virtutis,vt dictū est supra,ideoq. limitatum, & determinatū effectum producit. Vel secundo dico,quòd quando Christus hoc sacrificium pro nobis nunc offert,vt verè offert in cœlo,non ad omnem effectū sanguinis sui id instituit offerre, sed ad effectus sub certis speciebus,& figuris sacramentalib.panis, & vini definitos.

Secundo arguitur. Idem sacerdos vnica actione potest baptizare plures, ita vt omnibus æqualis conferatur gratia ex opere operato, ergo similiter offerens Missam pro pluribus æqualiter proderit, & valebit omnibus illis ex opere operato. Ad hoc negatur consequentia,quia cum sacramentum baptismi sit ablutio passiua, vt dictum est supra, tot erunt sacramenta baptismatis, quot fuerunt homines abluti, atq; ideo multiplicato sacramento multiplicabitur etiam illius effectus. Missæ verò sacrificium pluribus applicatum est solum vnum, atque adeo ex opere operato vnicum sortitur effectum.

Ex supradictis omnibus constat, quod virtus sacrificij Missę non adæquatur valori Christi, qui continetur in sacrificio, imò neq; adæquatur merito passionis Christi, licet pro tanto ad illud plus accedat, pro quanto illam passionem specialius repræsentat, atque ita virtute illius specialius Deū placat, & illius gratiam obtinet nobis, vt dicit Scotus in vltimis verbis quol.20. supra citati.

Dico igitur cum doctissimo Nauar.in manuel.c.25.num.92. quod ista Scoti doctrina est singularis vsu Ecclesiæ merito recepta. Quidquid S.Thomas 3.p.q.79 art.5.& post ipsum Siluest.verbo Missa 1.q.9.& Caiet. in opusculis tomo 3.q.2.de celebratione Missæ,& nonnulli alij tenuerint non sine aliqua occasione mali,& scandali,quod inde aliqui nostris temporibus arripuerunt; Vnde secundum eumdem Nauar. ibidem, paupertas dicentis Missam non sufficit, vt pro vna Missa duæ pithantiæ accipiantur, quamuis Sotus lib.9.q.3.art.1. de iustitia, & iure minus bene teneat contrarium; Ipse enim Sotus in eodem art.dicit quod qui habet vnde sustentetur duas pithantias pro vna Missa accipere non potest; Paupertas autem dicentis Missam non tollit iustitiam,neque debitum alteri, arg.cap.Ex tenore de foro comp.& deniq. 14.q.5. maximè quia Ecclesia non instituit Missas ad alendos pauperes clericos, imò sanxit vt nullus pauper ordinetur, vt patet in c.Non liceat,& c.Cum secundum de præbendis, & qui ordinatus in paupertatem inciderit aliqua arte, siue agricultura sibi victum quærat, vt habetur in c.Clericus victum dist.31.

Nauar. D.Thom. Siluest. Caiet. Sotus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum liceat sacerdoti accipere stipendium pro labore celebrationis Missæ.

RAtio difficultatis est: quia recipiens stipendium pro Missa celebranda videtur obligari ad dicendam Missam,atq; ita inter dantem stipendium,& ipsum celebrantē oriri obligatio,quæ nisi medio aliquo pacto,& conuentione oriri non potest;omnis autem huiusmodi pactio est iure reprobata cap.Tua nos de simonia,cap.vlt.de pactis,ca. Quam piè, 1.q.2. quia videtur esse simoniaca, cum in ea detur spirituale pro temporali. Vnde D.Thom. 22.q.100. artic.2.& 3.ad secundum dicit licere, quidem accipere stipendium,

D.Thom.

Digitized by Google

penditum, dummodo pactum nō intercedat, quia alias erit simonia. Et in 4.d.25.q.3.ar.2.quæst.1.ad quartum dicit, pacisci de Missa dicenda, semper esse simoniam.

Ex altera parte dicere omnia stipendia Missarum, quæ in Ecclesia dantur, & recipiuntur esse simoniaca, impius error esset, & intolerabilis, cum vniuersa Ecclesia, eiusque Pastores huiusmodi consuetudinē approbent ex illis principijs traditis à Christo Lucæ 10. Dignus est operarius mercede sua, & à D. Paulo 1. ad Corin. 9. Qui altari deseruit ex altari viuere debet; Quæ etiam naturali ratione nituntur, quia vnusquisq; meretur ali ab eo, cui deseruit, vel in cuius ministerio, & officio occupatur. Cum ergo præcipuum munus, & officium sacerdotis sit sacrificare, si in alicuius vtilitatem illud exhibet, & in hoc occupatur, naturalis ratio postulat, vt ab illo alatur.

Pro huius difficultatis solutione negare in primis non possumus, quin in hoc negotio aliquod pactum interueniat inter dantem stipendium, & sacerdotem, nam ille dat, vt hic faciat, hic verò facit quia recipit, seu vt recipiat stipē-

Adrianus. Caiet. Sotus. Nauar. dium; Et ita docent Adrianus, q.9.art.1. Caiet. 2.2.q.100. art.2. Sotus lib.9. de iust. & iure q.6.art.1. Nauar. in manu. c.23.num.102. atque hæc pactio licita est, tam iure diuino, quam humano, nā sacerdos dicturus Missam potest velle, vt sibi victus cōferatur necessarius, nec in hoc aliqua committitur simonia, ergo etiam potest velle de hoc pacisci, patet consequentia, nam quod iure petitur, iure etiam in pactum deducitur.

Secundo obseru. est, ꝙ labor qui suscipitur in celebratione Missæ potest esse duplex, vnus coniunctus cū ipsa actione, quæ fieri non potest sine aliqua defatigatione; alius antecedens, & casu potentius, quam necessitate coniunctus cum ipsa Missæ celebratione, qualia sunt itinera, quæ interdum suscipiuntur à sacerdotibus ad celebrandum ijs, qui sunt in loco distanti.

Tertio obseru. est, ꝙ aliud est oblata occasione celebrare Missam, aliud autem imponere sibi obligationem Missam celebrandi certis diebus, certis horis, & in certis locis, vt contingit sacerdotibus, qui suscipiunt capellanias, quibus obligant se ipsos ad celebrādum certis horis, & diebus &c.

Quarto obseru. est, duo in actione sacrificij considerare posse, primum est sacrificium ipsum, & fructus spiritualis eius. Secundum est corporalis labor, atq; occupatio.

Postremò obseru. est, ꝙ duobus modis potest pro Missa stipendium dari, priori modo tamquam pretium operis; alio modo ob sustentationem necessariam, & naturali lege ministris debitam: priori modo fit cum pacto extrinseco superaddito, posteriori autem modo excluditur pactū extrinsecum superadditum, sed tantum est pactum intrinsecum, quod intrinsecè continetur in huiusmodi humanis actionibus, iuxta illud. Non alligabis os boui trituranti. Pro celebratione Missæ non datur stipendium tamquam pretium operis, & per cōsequens excluditur pactum extrinsecus superadditum, quo videatur res ipsa spiritualis vendi, vel locari, aut stipendium taxari iuxta valorem, & æstimationem ipsius rei spiritualis; sed tantum datur stipendium ob sustentationem necessariam, & naturali lege ministris debitam, atq; adeo in hoc nulla fit iniuria rei spiritualis, sed potiùs humanæ; subuenitur necessitati; quia minister sine alimento viuere nullo modo potest, nec spirituali ministerio vt par est vacare, quamuis ergo homo ex se gratis ministret, tamen ratio iustitiæ postulat, vt ab eo alatur, cui ministrando seruit.

Conclusio His obseruatis dico primo, quòd valor, & fructus Missæ non venditur, nec pro eo stipendium accipitur, nam sub hac ratione certa fides est nō posse vlla ratione pretio æstimari, aut in pactum deduci, esset enim hoc aperta simonia, & magna irreuerentia rei sacræ, si spirituale commutaretur pro temporali, sed accipitur stipendium promissum, quasi stipendium subuentionis debitum ministrantibus spiritualia.

Conclusio Dico secundo, labores, qui antecedunt Missę celebrationem, vt cum quis longum iter suscipit, vt absentibus sacrū faciat, vendi possunt sine labe simoniæ, nam quamuis sacerdos tenetur gratis celebrare, non tamen tenetur gratis illud iter facere, præsertim cum non sit necessariò requisitus ad Missæ celebrationem, atq; adeo potest illud vendere; & confirmatur, labor iste est merè temporalis, nec habet connexionem nisi per accidens cum spirituali, ergo pōt vendi.

Dico tertio, ꝙ obligatio quam sibi imponunt Capellani celebrādi certis horis, certis diebus, & in certis locis potest pretio æstimari, atq; vendi sine vitio simoniæ. Hæc concl. probatur primo ex c. Significatum de præbendis, vbi huiusmodi contractus approbantur, & ratio est manifesta, nam aliud est rem sacram facere, aliud autē teneri, & obligari ad sacrum faciendum certis horis, certis diebus, & in certis locis, ergo quamuis teneatur sacerdos gratis celebrare, non tenetur gratis celebrare tali hora, in tali loco, & in tali die, sed huic obligationi sua sponte se subijcit, ergo potest illam vendere. In his conclusionibus omnes Doctores sine controuersia conueniunt. *3 Conclusio*

Tota ergo difficultas est, an pro labore celebrationis Missæ possit sacerdos licitè stipēdium accipere: Et quidem Gab. in cano. lect. 28. Caie. in Summa verbo Simo. Siluest. verbo Simonia §.5. Sotus lib.9. de iust. q.6. art.1 cum alijs, tenent partem negantem, quod probant ex D. August. qui supra cap.5. Epistolæ ad Timoth. loquens de sacerdotibus, dicit. Accipiant à populo necessitatis sustentationem, mercedem verò laboris sperent à Deo, Tum: quia Missa nihil aliud est, quam dictio Missæ, sed Missa vendi non potest, vt manifestū est, & ab omnibus conceditur, ergo nec actio illa laboriosa ipsi Missæ coniuncta vendi potest. *Gabriel. Caiet. Siluester. Sotus.*

Adrianus verò quol.9.q.1. Altisiodo. 3.p.q. penult. de simonia, D. Bonau. in 4.d.25.art.1.q. vltima, Rich. eadem d. art.3.q.1. ad secundum, Armachanus li.10. de quæstionibus Armenorum, c.10. & in 4.q.4. & Glossa in c. Significatum de præbendis, quam sequuntur ibi Abbas, & Ioan. And. & communiter Canonistæ, sententiam affirmatiuam tenent, videlicet ꝙ licet pro labore administrationis sacramentorum pacisci de pretio; nam labor ille est pretio æstimabilis, atq; adeo in pactum deduci potest, quia res materialis non amittit suum temporalem valorem propter spirituałē conditionem annexā, vt de calice, & alijs similibus rebus constat, atq; hoc modo dicitur in Concil. Agathen. c.36.1.q.2. cap. vlt. Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterq. deseruiunt stipendia sancti laboris debita secundum seruitij sui meritum per ordinationem Canonum a sacerdotibus consequantur. Quibus verbis adstruitur, ꝙ Clerici stipendia accipere possunt iustis laboribus merita. Huic sententiæ videtur fauere Doct. supra d.5.q.2. ad tertium principale in fine quæstionis, vbi scribit ꝙ habens paruulum baptizandum, quem sacerdos non vult baptizare nisi vendēdo actum baptizationis, potest emere a sacerdote talem actum, non in quantum est, quid sacramentale, sed potest inquit Sco. emere laborem sacerdotis in illo actu; sicut conducuntur hodie sacerdotes ad celebrandum Missas, non vt ipsi vendant, & alij emant actum celebrationis, in quātum est quid sacramentale, quod absit, sed ipsi vendunt laborē, & alij emunt illum, quia oportet vnumquemq. de suo labore taliter, qualiter victitare, & vitam acquirere. hęc Sco. in quibus verbis videtur tenere, ꝙ pro labore celebrationis Missæ possit sacerdos licitè stipēdium accipere; In quā sententiam Magister Cano etiam consentire videtur, dum lib.12. de locis c.13. in responsione ad decimum argumentum inter alia sic dicit. Neq; sacerdos tamē laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis pro Missa vna potest, sed quæ satis erit, vt de altari ad sobrietatem comedat; non enim sanguinis Christi fructum, meritumq. vendit, sed operas suas, ministeriumq locat. Cæterum Sco. in quol. q.20. art 3. sub lit. Q. vbi sic loquitur. Sacerdos potest teneri ad dicendum Missam pro aliquo dupliciter; vno modo ex liberali promissione; alio modo ex stricta obligatione. nec intelligo strictam obligationem per conuentionem legalem, siue per commutationem spiritualis, vt orationis, pro temporali, & eleemosyna, quæ data est, quia illa videtur simoniaca. Nec valet dicere, ꝙ sacerdos commutaret pro aliquo temporali suum laborem corporalem, quia non est verisimile ꝙ aliquis vellet sibi tantum dare pro labore corporali in illo actu, sed eleemosyna liberaliter offertur cum mendicatione orationis, & recipiens eleemosynam tenetur secundum iustitiam exaudire mendicantem orationem suā, & tunc secundum iustitiam liberaliter tamen sine conuentione, & sine commutatione obligat se ad orādum pro benefactore, vel si est cōitas aliqua, prælatus eius se pro tota obligat, vel ipsam totā obligat, vel ipsa tota se totā obligat, & quælibet istarum obligationum potest esse stricta, licet non sit s̄m commutationem huius pro illo. Hæc Sco. ibi. *Adrianus. Altisiodor. D. Bonau. Richardus. Armachan. Glossa. Abbas. Ioan. And.* *Conc. Agat.* *Scotus.* *Cano.* *Scotus.*

Qua-

Digitized by Google

Quapropter dicendum est, ꝙ sacerdos propter aliquam causam finalem stipendium recipere, sibiq. propter eamdē causam dari potest, tunc enim spirituale, vel quid annexum non venditur, sed datur recipiturq. stipendium, vt sacerdos alatur: Dignus namq. est operarius mercede sua. Et confirmatur exemplo; dominus enim seruum suum sustentat, & alit ad hunc finem, vt laboret, non autem sustentat pro labore; quia seruus domino suo laborem non vendit, cum seruus, eiusq. actiones domini esse dicantur; Vnde in hoc negotio eleemosyna primo liberaliter offertur sine conuentione extrinseca, & commutatione quacumq. secundo mendicatur à liberaliter offerente eleemosynam, oratio, vel Missa; tertio recipiens eleemosynam tenetur secundum iustitiam, quæ fundatur in lege gratitudinis exaudire mendicantem orationē suam per illud principium practicum, ꝙ benefacienti oportet benefacere; porrigentes autē eleemosynam sacerdoti, formaliter, vel æquiualenter sunt benefactores nostri, ergo ipsis benefacere tenemur.

Vnde laicus indiget eleemosyna spirituali, & sacerdos indiget eleemosyna corporali, numquid est hic honestas, & decentia quædam, & iustitia, quod ad inuicem subueniamus nobis? certum est quod sic; atq; adeo sacerdos in isto casu secundum strictam iustitiam liberaliter tamen, id est, sine omni conuentione, & commutatione obligat se ad orandum pro benefactore.

Vnde obseru. est, ꝙ hæc propositio. Petrus celebrat pro pecunia aliàs non celebraturus; illa præpositio pro, si notat appreciationem huius pro illo, simonia est, nec ritè celebrat; secundo si est nota causæ finalis vltimatæ, & principalis simonia est; tertio si dicat aliquid liberè oblatum cū mendicatione orationis nulla est simonia, imò commutatio pia est; quarto si dicat notam finis secundarij, & minus principalis nulla est penitus simonia, quia pro decenti sustentatione; Postremò si sit nota mercedis, & præmij sibi debiti iure diuino secundum regulam Christi, & Apostolorum Lucæ 10. Dignus est operarius, &c. & 1. ad Corint. 9. Qui altari deseruit, &c. dicit viuere non luxuriari, nulla est simoniæ nota; Nam ille, pro quo sacerdos specialissimè sacrificium offert, de iustitia sacerdotē alere tenetur, iuxta D. Paulum ad Rom. 15. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorū, qui sunt in Hierusalem; placuit enim eis, & debitores sunt eorum: Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. In quibus verbis obseruanda est dictio debitores, & debent; quia dignus est operarius mercede sua. Ex his quæ dicta sunt facile soluuntur ea, quæ in principio articuli adducta sunt, & hæc de materia Eucharistiæ, quatenus est sacramentum, & sacrificium pro ingenioli nostri mensura dicta sufficiant atq; etiam primæ Partis nostrorum Commentariorum in 4. sent. Doct. sub. Ioann. Scoti, quæ viris doctis & Ecclesiæ Romanæ censoribus examinanda, corrigenda, & approbanda vltro ex animo tradimus, & subijcimus.

F I N I S.

Correctore Joanne Thuilio Mariæmontano Tirolensi.

Ant 1742217